
SCOTI
OPERA
TO: II.

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

In VIII. libros Physicorum Aristotelis

QVÆSTIONES,

CVM ANNOTATIONIBVS R. P. F. FRANCISCI PITIGIANI Arretini.

Item eiusdem Doctoris subtilis in libros Aristotelis de Anima quæstiones,

Cum Supplemento, Scholiis, & Notis R. P. F. HVGONIS CAVELLI Hiberni.

Innumeris, quibus antea scatebant, mendis expurgata, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ.

TOMVS SECVNDVS.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

CENSVRA
R. P. F. LVCÆ
WADDINGI
HIBERNI
de ſequenti opere.

SCOTVM in libros Phyſicorum ſcripſiſſe, teſteſunt Henricus VVillottus, Ioannes Pitſeus, Antonius Poſſeuinus, & ipſe Scotus lib. 5. Metaphyſ. quæſt. 9. & lib. 9. quæſt. 14. Prodierunt nuper ſub eius nomine hæc Commentaria à Franciſco Pitigianio Arretino caſtigata, notis illuſtrata. Suppoſititia tamen eſſe multa perſuadent, ſi non conuincunt. Neque tempus, neque locus, quibus ſcripta eſſe dicuntur, neque doctrina ipſa cohærent. In calce operis ſignatur annus M. CCC. & in epiſtola præliminari ſuſpicatur Arretinus Scotum adhuc adoleſcentem hæc ſcripſiſſe in ſæculo. Sub finem expoſitionis textus, & vltimæ quæſtionis bis dicitur ea lecta fuiſſe Pariſiis. Quomodo ergo Scoti eſſe poſſunt, qui ſub illum annum adhuc hærebat Oxonij, & non niſi tertio pòſt anno peruenit Lutetiam, quod aliàs ex ipſius ſcriptis monſtrauimus *. Ante illud tempus legerat Oxonij abſolutiſſimum, & notiſſimum Commentarium in quatuor libros Sententiarum, inde *ſcriptum Oxonienſe* nuncupatum; quî fieri potuit vt antequam Minoribus nomen daret, Lutetiæ has ſcripſerit Quæſtiones? octauo pòſt anno mortuus eſt Coloniæ: non ergo in ſæculo exiſtens iſtos potuit legere Commentarios.

* *In Annal. Minorum, anno* 1304. n. 19.

Præter ſtylum faciliorem, & methodum clariorem, quàm quæ Scoti ſoleat eſſe, doctrina ipſa diſcordat, & differendi modus longè inferior eſt neruoſo acumine Doctoris ſubtilis. Libro 1. quæſt. 9. aſſerit *totum Phyſicum non diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis.* quæſt. 12. *Impoſſibile eſſe dari motum cæli velociorem,*

quàm qui nunc eſt: etſi lib. 2. quæſt. 4. ſui immemor dicat: *Intelligentiam mouere orbes voluntariè, eâ quâ vult velocitate, Deúmque poſſe mouere cælos velociùs & tardiùs.* quæſt. 18. dicit *transmutationem eſſe ipſam materiam, quæ tranſmutatur; & priuationem nihil aliud eſſe, quàm ipſam materiam priuatam.* quæſt. 20. *Implicare contradictionem, materiam ſeparari à forma, vel è contra.* Lib 2. quæſt. 4. *Cœlum non componi ex materia & forma.* Libro 3. quæſt. 8. *Actionem & paſſionem non diſtingui inter ſe, neque à re producta.* quæſt. 15. *Tempus eſſe ipſum mobile, quod mouetur.* Libro 4. quæſt. 1. *Impoſsibile eſſe plura corpora eſſe ſimul in eodem loco.* quæſt. 9. *Non poſſe fieri motum ſucceſsiuum leuium & grauium in vacuo.* Libro 6. quæſt. 2. *De facto dari maximam magnitudinem, quæ poſſit eſſe.* quæſt. 3. *Punctum materiæ primæ poſſe diuidi in duo puncta, vel etiam in duas portiones diuiſibiles.* quæſt. 6. *Quatuor reuolutiones cœli poſſe fieri in eodem inſtanti, ita vt nulla aliam præcedat.* Libro 7. quæſt. 1. *Nullam Intelligentiam moueri, niſi aſſumpto aliquo corpore, ita vt ſit in toto, & in qualibet parte ipſius.* quæſt. 3. *Non dari actionem in diſtans.* Et alia plura huiuſmodi, Scoti doctrinæ, communiter receptæ, omnino contraria, & Nominalibus, à quibus Scotus diſſidebat, valde conſentanea.

Adde alia Scoto magis aduerſa, vtpote fidei principiis parùm conſona. Ex libro 1. quæſt. 7. *vbi impoſsibile eſſe*, imò & *implicare contradictionem* aſſerit, *vt accidens ſeparetur à ſuo ſubiecto; & propterea infert accidentia in Euchariſtia iam non eſſe accidentia, ſed mutari in naturam ſubſtantiæ, ac ſi mutaretur* (inquit minùs religiosè) *natura humana in naturam aſininam; & conſequenter in his mutari nomen, & definitionem accidentium.* Deinde textu 39. eiuſdem libri conſequenter, ait: *Impoſsibile eſſe vt ſit albedo, & non ſit album.* Libro 4. textu 60. *Impoſsibile eſſe vt accidens ſit ſeparatum à ſubiecto.* quæſt. 13. §. Tertiò ſequeretur: *apud cognoſcentem* eſſe *accidentis implicare contradictionem accidens eſſe ſine ſubiecto.*

Demùm, quod omnium potiſſimum eſt, libro 8. quæſt. 1. §. *Ideò aliter reſpondetur*, ipſe Scotus citatur his verbis. *Vide Scotum in 2. diſtinct. 1. quæſt. 3. ad 2. principale.* Ex quo ſequitur, neque Scotum iuniori ætate in ſæculo hæc ſcripſiſſe (quippe iam præceſſerat ſcriptum Oxonienſe in quatuor libros Sententiarum, quod hîc citatur) neque omnino ſcripſiſſe.

Circa hæc hærentem, & dubia iſta explicantem monuerunt quidam viri docti opus hoc Scoti noſtri non eſſe, ſed Ioannis Scoti cognomento *Maioris*, & inde deceptum P. Arretinum quòd fortaſſis in illis duobus exemplaribus M S S. quæ ſe inueniſſe prænarrauit, huius Ioannis Scoti nomen fecerit præfixum. Sed his obſtat

Primò

Primò, quòd ſub nomine *Ioannis Maioris*, non *Joannis Scoti* hic author ſemper audierit.

Secundò, quòd nullus recenſeat iſtum in libros Phyſicorum ſcripſiſſe, neque Geſnerus, neque Poſſeuinus, neque Thomas Demſterus, neque impurus ille Balæus (qui circa ſcriptores Britannicos reliquis facem prætulit) neque alius quiſpiam, quem ego viderim.

Tertiò, quòd in Commentariis, quos ſcripſit Sententiarum, ille ſuprà narratis aduerſetur doctrinis, vltimæ præſertim circa metamorphoſim accidentium ſacramentalium in Euchariſtia; vti videre eſt lib. 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. vbi latiſſimè docet poſſe accidentia exiſtere ſine ſubiecto.

Non hunc itaque, neque noſtrum Ioannem Scotum cognomento Subtilem, huius operis putem eſſe authorem, ſed alium Ioanne Maiore vetuſtiorem, & Doctori ſubtili coæuum. Præterquam enim, quòd veterum Scholaſticorum hic præferat ſtylum, & antiquorum Nominalium doctrinam, duos inuenio, vti aliàs monui *, Ioannes Scotos, qui Pariſiis arti paruæ Raymundi Lulli, menſibus aliquot poſt Doctoris ſubtilis deceſſum, ſubſcripſerunt, vnus ita ſubſcripſit: *Ioannes Scotus in Artibus Magiſter, anno* 1309. *die Martis poſt octauam feſti Purificationis.* Conſentiunt itaque tempus, & locus, & nomen, iis, quæ haberi in fine huius operis teſtatur Arretinus: *Expliciunt quæſtiones libri Phyſicorum, lecta à Reuerendo Magiſtro Ioanne Scoto Ordinis Minorum Pariſius, anno milleſimo trecenteſimo.* Huic ergo probabiliter videtur hoc opus eſſe adſcribendum.

* *In Annal. tom. 3. anno 1308. num. 33.*

Bartholomæus Amicus, tractatu quinto in Phyſica, quæſtione quarta, dub. 3. articulo ſecundo, monet ſe in vetuſto codice Bibliothecæ ſancti Laurentij Ordinis Minorum Conuent. in vrbe Neapolitana legiſſe opus hoc adſcribi Marſilio Ingen. quem Poſſeuinus vixiſſe refert anno 1494. & vltra Dialecticam, plures ſcripſiſſe in Ariſtotelis opera Commentarios. Ego curaui librum hunc perquiri in prædicta Bibliotheca, nec potuit inueniri. Eidem Marſilio opus iſtud tribuit etiam, in præfatione ad libros Antonius Roccus de ſurcula Marſorum, Scoticæ diſciplinæ tenax ſectator.

Erit tamen fortaſſis, qui proteruire velit, & Doctorem ſubtilem authorem eſſe contendat. Id per me liceat, dummodò ab his ſe expediat difficultatibus. Effugium illud fortaſſis obtendet, quòd ad modum aliorum, etiam claſſicorum Doctorum, Scotus mutârit aliquando opiniones: quòd error ſit in notis, ſiue calculis annorum ad finem ſubſcriptis; quòd iuniori ſcripſit ætate, quæ ſeniori correxit: quòd citatio illa libri ſecundi Sententiarum irre-

pſerit ex margine in textum. Iſthæc mihi planæ euaſiones ſunt, quibus tamen placuerint, opus permitto, quod multis Scotiſtis atriſiſſe video, & paſſim citari, atque obinde inter reliqua opera Scoti edendum curaui. Spurium puto; genuinum ipſum opus, ſi aliquando occurrerit, hoc amoto ſubſtituetur.

Vide Cauell. lib. 5. Metaphyſ. quaſt. 9. ſcholio 4.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM.

LIBRI I.

LIBRI II.

LIBRI III.

LIBRI IV.

LIBRI V.

LIBRI VI.

LIBRI VII.

LIBRI VIII.

R. P. F.

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM.
DILVCIDISSIMA EXPOSITIO, ET QVÆSTIONES
In Octo Libros Physicorum Aristotelis.

LIBER PRIMVS.

QVÆSTIO I.
Vtrùm de rebus naturalibus sit scientia tanquam de subiecto?

Arist.3. *Physic cap.4. text.24. 2. de Partibus Animal.cap.1. 2. Metaph. cap.3. text.3. lib.4. cap.5.text.23.* D.Thom. *lect 7. in lib.1. Phys & opusc.70.* Albert Magn. 1.*Phys. tract 1 cap.2.* Mayron *qu.1. in lib Phys.* Conimbr. *qu.2. proœm. in Physic.* Complut.*disp 1.proœm. qu.2* Ruuius *in proœm num.3.* Fuentes *in proœm.difficult.2.* Auersa *tom.1. Philos quæst.1. sect 4.*

1. ARGVITVR quòd non, quia quælibet conclusio scientiæ naturalis, saltem pro maiori parte, est cum formidine ad oppositum; ergo nolla talis est scientia. Antecedens patet, quia de qualibet aliqui tenent vnam partem, & aliqui aliam; quod non esset si aliqua esset perfectè scientia. Tenet consequentia, quia scientia est habitus certus.

Secundò, quia de illis non est scientia naturalis tanquam de subiecto, sub quo non comprehendontur omnia, de quibus determinat sciẽtia naturalis: sed sic est de rebus naturalibus; ergo, &c. Probatur maior, quia subiectum debet esse cõmune. Minor patet, quia in sciẽtia naturali determinatur de materia, de forma, de infinito, de loco, de vacuo, & primo Motore, quorũ nullũ est res naturalis, quia nõ habet in se principiũ motus, & quietis.

Tertiò, quia de rebus naturalibus est scientia libri Physicorum; ergo non tota scientia naturalis. Tenet consequentia, quia idem non est subiectum totius, & partis. Antecedens patet per totum processum hoius libri.

Quartò, Metaphysica determinat de rebos naturalibus, ergo non scientia naturalis. Tenet consequentia, eo quòd sunt habitus distincti, vt patet 6.Metaph. text.1.& antecedens apparet; quia Metaphysica considerat substantiam, & accidens; vnum & multa; idem & diuersum, quæ dicuntur de omnibus rebus.

Quintò, vel scientia naturalis habetur per causam, vel per effectum: nõ per causam; quia effectus sunt notiores nobis in naturalibus suis causis; nec per effectus, quia in omni ordine doctrinæ procedendum est ab vniuersalioribus adminùs vniuersalia, vt patet primo huius, & 6. Metaph. text.1. modò causæ sunt vniuersaliores suis effectibus.

2. Oppositum videtur per totum processum scientiæ naturalis: nam ipsa considerat proprietates, & passiones rerum naturalium.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò determinabitur, qualiter de aliquo sit scientia. Secundò, quæ sit scientia naturalis, & de quibus sit. Tertiò, de ordine ipsius ad scientias speculatiuas, & Quartò de ordine librorum naturalium ad inuicem.

Sciẽtia potest esse de aliquo dupliciter. Quantum ad primum notandum, quòd de aliquo potest esse sciẽtia dupliciter. Vno modo tanquam de illo, quo scitur, & sic de conclusione demonstrata, vel de significato per terminos conclosionis est scientia; & sic intelligitur Arist.6.Met. text. 4. quòd *de ente per accidens non est scientia*, id est, de conclusione, quæ est per accidens, vera non est scientia, sic similiter intelligitur illud 2. Phys. text.com.53. quod *de casuali, & fortuito nõ est scientia*; similiter illud 1. Posteriorum, text.11. *scientia debet esse ex perpetuis*, id est, ex propositionibus perpetuæ veritatis cùm proponũtur. Secundo modo de aliquo est scientia tanquã de illo, de quo aliud scitur, & hoc tripliciter. Primo modo taoquam

rebus significatis per causas conclusionis scitæ,& sic dicit Commentatot in 1. de Anima, quòd *de rebus extra animam, benè est scientia*; similiter Aristoteles dicit, quòd *in propositione vniuersali infinita sciuntur.* Secundo modo tanquam de subiecto conclusionis demonstratæ,& sic dicitur 1.Physic. text.com.75.& 1.Post.quòd *passio scitur de subiecto.* Tertio modo tãquam de subiecto alicuius scientiæ totalis,vt scientię naturalis,vel Metaphysicæ, & tale vocatur subiectum in ordine ad passiones.

Subiectũ scientia debet habere quatuor conditiones.

3. Cuius sunt aliquæ conditiones. Prima, quòd debet esse ens.Secunda,quòd sit primò notum ad istum intellectum, quod primò debet occurrere intellectui in consideratione illorum, de quibus tractatur in sciẽtia:sicut in cõsideratione scientiæ naturalis primò occurrit istud cõmune ens mobile,vel res naturalis. Tertia, quòd sit adæquatũ;& Quarta,quòd subiiciatur respectu passionũ principalium illius scientiæ,nec oportet,quòd in qualibet cõclusione subiiciatur respectu passionis,sed sufficit,quòd sit prædicabile de subiecto illius cõclusionis in recto,vel in obliquo,& hęc de primo.

Quatuor modis aliquid potest esse de cõsideratione scientia naturalis.

4. Quantum ad secundum,dico,quòd aliqua conclusio potest dici scientia naturalis,vel de scientia naturali, altera quatuor causarum. Primo modu, quòd eius termini significẽt aliquod esse motum, vel mobile,& hoc differt sciẽtia naturalis à Metaphysica,& Mathematica:nã termini Metaphysicæ significant rẽ esse substãtiam,vel accidens,idẽ vel diuersum,& sic de aliis;similiter termini Mathematicæ significant rem esse mensurabilem,& non motam,vel mobilem. Secundò,quia licèt termini conclusionis non exprimant aliquod esse motum, vel mobile;attamen ipsa est scientia naturalis, eo quòd probatur per principiũ naturale,verbi gratia,ista cõclusio, *Terra est sphærica*,est naturalis,cùm probetur per hoc mediũ, quòd scilicet hoc quod *graue descendit ad angulos æquales*, quia descendere notat motũ; sed cùm probatur per hoc medium, quòd *accedẽtibus ad Septemtrionem accidit quasdam stellas super Horizontem fieri sempiternæ apparitionis, quæ prius fuerunt occultæ*, tunc illa conclusio est Mathematica. Tertiò eo, quòd vniuersalis propositio,vel conclusio vera est per experientiam: nam experimentum fit per mutationem sensus à sensibili, quia mutatio est quidam motus; & sic multa principia sunt de scientia naturali, licèt non exprimãt aliquod esse motum,vel mobile. Quartò eo, quòd in tali propositione, vel conclusione ponuntur termini significantes actiones primarum qualitatum, & sic conclusiones in quibus ponuntur isti termini *odor*, *sapor*, & huiusmodi, sunt de scientia naturali.

Scientia naturalis est de omnibus rebus.

5. Ex his ponuntur conclusiones.Prima est,quòd scientia naturalis est de omnibus rebus. Probatur,quia de quolibet mobili,vel immobili,diuisibili,vel indiuisibili,est scientia naturalis;sed quælibet res est alterum istorum;ergo, &c. Probatur maior: quia aliquod esse mobile, vel immobile, ostenditur per scientiam naturalem; ergo, &c.

Scientia naturalis est de re mobili.

Secunda conclusio,de re naturali,seu mobili est scientia naturalis tanquam de subiecto.Probatur, quia ad quæstionem quærẽtem de subiecto scientiæ naturalis,conuenienter respondetur per alterum istorum, ens mobile, vel res naturalis, & hoc patet ex conditionibus subiecti priùs positis.

6. Dubitatur primò de definitione scientiæ naturalis, quia Aristoteles in 1.huius,text.13.& seqq. probat istam conclusionem, *plura sunt entia*, quæ est conclusio purè Metaphysicalis, nec concernit aliquam prędictarum quatuor causarum.Ad istud dicitur,quòd in qualibet scientia,exceptâ Mathematicâ,quę est purè demonstratiua,propositiones vnius scientiæ benè possunt adduci in alia scientia ad declarationem alicuius principij, vel conclusionis in illa scientia; & ita fecit Aristoteles.

Omnis res mundi altero trium modorũ concipitur.

Secũdò dubitatur, quare præcisè sunt tres scientiæ speculatiuæ,quod tactum fuit in notabili.Respondetur ex prædictis,quòd nulla res mundi potest concipi,nisi altero trium modorũ concipiendi,scilicet per modum substantiæ,vel accidentis, vel alterius conditionis ad suam quiditatem pertinentis;vel sub conceptu moti,vel mobilis affirmatiuè, vel negatiuè;aut sub conceptu mensurabilis,vel numerabilis. Primo modo est Metaphysica. Secundo modo scientia naturalis; & Tertio modo Mathematica; & ideò non sunt plures. 7.

Tertiò dubitatur de secunda conclusione;quia mobile determinatur in ista scientia per modum passionis,& per consequens non per modum subiecti.Antecedẽs patet primo Cœli,text.5.vbi declaratur, quòd omne ens naturale est naturaliter mobile.Respondetur quòd non obstat,quòd subiectum alicuius scientiæ demonstretur de aliquo per modum passionis in eadem scientia,licèt tale subiectum non possit demonstrari esse, vt patet primo Post. vel diceretur quòd in 1. Cœli, sup. cit. demonstratur ista passio naturabiliter mobile. 8.

Subiectũ alicuius sciẽtia, potest in sciẽtia demõstrari per modum passionis.

Quartò dubitatur,quia omne mobile est quiescibile, igitur quà ratione mobile est subiectum, eâdem ratione quiescibile.Respondetur negando consequentiam,quia mobile se habet per modum habitûs, quies autẽ per modum priuationis, modò habitus notior est priuatione; quia priuatio per habitum cognoscitur,& ideò cùm subiectum debeat esse primò notum, potiùs accipitur ab habitu, quàm à priuatione, & hæc de secundo. 9.

Scientia naturalis præsupponit Metaphysicam.

Quantum ad tertium,scilicet de ordine scientiæ naturalis ad alias sciẽtias speculatiuas, & non practicas, sit prima conclusio ista, quòd scientia naturalis præsupponit Metaphysicam,quãtum ad aliquam partem sui,tanquam priorem viâ doctrinæ. Probatur, inquirendo enim de aliquo, an sit actiuum,vel passibile;motum,vel mobile,oportet præsupponere, quòd sit ens, substantia, vel accidens;& hoc inquiritur per Metaphysicam.Secundò patet exemplariter per Aristotelem in isto 1. text.15. & seqq. vbi per Metaphysicam declarat sua principia. Patet etiam in 2. de Anima, text.5. & seqq.vbi per quasdam conclusiones Metaphysicales inquiritur quid sit anima.Dixi verò notanter in conclusione, quantum ad aliquam partem Metaphysicæ:quia pars illa Metaphysicæ,quæ est de substantiis separatis, præsupponit scientiam naturalem via doctrinæ, eo quòd per principia naturalia deuenimus in cognitionem ipsarum. 10.

Scientia naturalis quo ad aliquam partem sui præsupponit Mathematicam.

Secunda conclusio est, quòd scientia naturalis quantum ad aliquam partem sui, præsupponit Mathematicam viâ doctrinæ. Probatur de parte Physicæ, quæ est de halo, de Iride, de velocitate motuum, de motibus Planetarum, de proportione elementorum,& huiusmodi. 11.

Tertia conclusio est, quòd scientia purè Mathematica, scilicet Geometria, est impertinens quasi aliis partibus Philosophiæ naturalis, & etiam Metaphysicæ, patet per processum istarum scientiarum.Sic igitur patet de ordine scientiæ naturalis ad alias scientias speculatiuas, & hoc de tertio.

Quantum ad quartũ sciendum,quòd tota scientia naturalis determinat de ente [a] mobili, cuius sunt octo partes principales. Prima pars est libri 12.

Physi

Diuisio totius Philosophiæ naturalis.

Physicorum; cuius expositio ad præsens intenditur, In quo determinatur de ente mobili inquantum mobile, vt ly *inquantum* denotat rationem [b] generalem considerandi. Secunda pars est libri Cœli, & mundi; in quo determinatur de ente mobili magis specialiter. scilicet de ente mobili ad Vbi. Tertia pars est libri de Generatione, quæ determinat de ente mobili ad formam in generali. Quarta pars est libri Meteororum, quæ determinat de ente mobili ad formam misti imperfecti. Quinta est libri de Mineralibus, quæ determinat de ente mobili ad formã mixti perfecti inanimati. Sexta est libri de Anima, in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati in generali, & quantum ad tertium eius librum specialiter de animato anima intellectiua. Septima est libri de Vegetabilibus, & plantis, in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati anima vegetatiua. Octaua & vltima est libri de Animalibus, in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati anima sensitiua; & sic parui libri naturales sunt in supplementum aliorum librorum naturalium, & hæc de quarto.

13. Ad rationes. Ad primam, Quælibet conclusio, &c. dico quòd in scientia naturali non oportet sẽper habere tantam certitudinem, quantam in Mathematicis: quia illam scientia naturalis non compatitur; sed sufficit quòd præbeat assensum illis, quæ verisimiliùs, & immediatiùs deducuntur ex effectibus; & ita potest negari antecedens.

Ad secundum de materia, & forma dico, quòd subiectum prædicatur de eis in obliquo, vt dicendo: materia est pars mobilis, & ita de forma. De infinito dico, quòd illa conclusio probatur per principia naturalia, & ex eo dicit Naturalis, nullum mobile esse infinitum. Et de vacuo dico, quòd per eandem conclusionem intelligit istam, *Nullus locus est sine mobili*, & ita de aliis.

14. Ad tertium dico, quòd in tota scientia naturali consideratur de ente mobili; tam secundùm rationes generales, quàm etiam secundùm speciales; sed in libris Physicorum consideratur de ipso, quantum ad rationes generales tantùm. Per idem respondetur ad quartum de Metaphysica: quia licèt naturalis, & Metaphysica de eisdem rebus considerent, hoc tamen est secundùm diuersas rationes considerandi.

Ad quintum dicitur, quòd vtroque modo procedit; sed hoc est diuersimodè, quia procedendo ab effectu ad causam, est processus *Quia*; sed procedendo è contra, est processus *Propter quid*.

ANNOTATIONES.

15. [a] S*Cientia naturalis determinat de ente mobili*, &c. Nota, quòd Scotus in hac quæstione cùm dicit, quòd tota scientia naturalis tractat de ente mobili, sequitur communem opinionem. Nã ipsemet 6. Metaph. q. 1. tenet corpus naturale esse totius Philosophiæ naturalis subiectum. Vnde obseruandũ est, quòd ens naturale est corpus de prædicamentu Substantiæ, & quicquid sub eo essentialiter cõtinetur: dicitur enim ens naturale, quia habet materiam, & formam, quę sunt naturę; vnde sequitur quòd idem est ens naturale, quod corpus naturale: quia corpus de prædicamento Substãtiæ est illud ens, cui primò competit esse compositum ex materia & forma; materia autem & forma sunt principia motus: vnde fit, quòd omne corpus de prædicamento Substantiæ sit mobile, vel potens

Ens naturale quid sit.

moueri, & quòd mobilitas, seu non repugnantia ad motum, est passio corporis de prædicamento Substantiæ.

[b] *Vt ly* inquantum *denotat rationem generaliter considerandi.* Nota, quòd mobile sumitur dupliciter respectu corporis de prædicamento Substantiæ, 16. vnu modo vt est differentia eius, quo modo non significat potentiam, seu non repugnantiã ad motum; sed differentiam vltimam constitutiuam corporis, sic vt idem sit mobile, ac corporeum. Alio modo accipitur vt est ipsa potentia, seu non repugnantia ad motum, quæ fluit, & emanat à natura corporis Nam sicut animali competit posse sentire, sic omni corpori posse moueri aliquo motu; ex quo sequitur, quòd corpus mobile, si mobile accipiatur, vt eius differentia est præcisè corpus de prædicamento Substantiæ, quod vt sic dicit compositum ex materia, & forma, quæ sunt naturę, atque ideò tale corpus dicitur ens naturale; si verò accipiatur, vt mobile dicit passionem, tũc dicit ens per accidens, compositum videlicet ex subiecto, & passione, & sic non sumitur mobile in hac quæst.

Mobile bifariam sumitur.

Ex hoc sequitur, quòd licèt sint diuersæ opiniones de subiectu Philosophiæ naturalis; sunt potiùs nomine, quàm re ipsa differentes. Nam dicentes corpus mobile esse subiectum, non sumunt mobile, vt dicit passionem: quia tunc subiectum tale esset ens per accidens; sed sumunt mobile pro differentia constitutiua corporis, prout idem est quod habens principium motus, vel corporeum, siue naturale; & eadem ratione idem est dicendum de iis, qui ponunt ens mobile esse subiectum, nam per ens intelligunt substantiam, genus scilicet summum, quam restringit differentia, scilicet mobile ad esse corporis, quasi dictum sit substantia mobilis, hoc est corpus mobile, sumendo mobile pro differentia, & non pro passione, & idem est iudicium de iis, qui ponunt ens naturale esse subiectum, quia per naturale non intelligunt naturas, quæ sunt principia ex quibus constat ens naturale: quia vt sic non dicitur tantùm subiectum, sed etiam medium, per quod de subiectu proprietates demonstrantur. sed per ens naturale intelligunt corpus naturale. 17.

Conciliatio opinionum de subiecto naturalis Philosophiæ.

[c] *Dico quòd in tota scientia naturali*, &c. Nota, quòd subiectum adæquatum alicuius scientiæ dupliciter se habet ad scientiam, primo modo vt principium in tali scientia, continens adæquatè quæcumque in tali scientia traduntur secundùm eius rationem. Secundo modo vt est vnum ex numero cognitorum in tali scientia per rationem propriã, quæ sibi primò, & per se competit, & per ipsum aliis; priori modo est subiectum totius scientiæ: secundu modo exposcit de ipso peculiarem habere tractatum, in quo de ipso demonstrentur per sua principia propriæ passiones immediatè ipsum consequentes. Hoc notabile desumptum est ex doctrina Alberti 1. Priorum, & Scoti ibidem. Vbi dicunt. Syllogismum simpliciter esse subiectum illorum librorum, ita vt Syllogismus sumptus non vniuersaliter, sed simpliciter, id est, solùm vt Syllogismus est, & sub ratione communi consideratus sit subiectum libri Priorum; tamen vniuersaliter sumptus. vt comprehendit omnes suas species, est totius Logicæ subiectum. Ita in proposito possumus dicere, quòd siue ens mobile, siue corpus mobile secundùm alias opiniones, siue corpus naturale, quod ponimus totius Physicæ subiectum vniuersaliter sumptum, idipsum præcisè sumptum sub illa ratione communi tantùm ponitur subiectum horum librorum. 18.

Subiectum adæquatum scientia dupliciter se habet ad scientiam.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. *Text. 1. Diuisio octo librorū Physicorum.* QVoniam autem 1. *intelligere & scire contingit,* &c. Iste liber Physicorum est primus in ordine librorum naturalium, in quo determinatur de proprietatibus, & passionibus generalibus, & proprietatibus passionum entis mobilis; & diuiditur in tres partes. In prima determinatur de principiis generalibus entis mobilis. In secunda de passionibus ipsius, & in tertia de proprietatibus passionum. Secunda pars incipit in principio tertij libri, & tertia pars in principio quinti.

2. Vel sic diuiditur iste liber in octo libros partiales. In primo determinatur de principiis intrinsecis rei naturalis. In secundo de principiis extrinsecis, & intrinsecis simul. In tertio de passionibus intrinsecis rei naturalis, vt sunt motus & infinitum. In quarto de passionibus extrinsecis, quæ sunt locus, vacuum, & tempus. In quinto determinatur de motu quantum ad partes eius subiectiuas. In sexto de motu quantum ad partes eius integrales. In septimo de comparatione motuum ad motores, & motuum ad se inuicem. In octauo determinatur de duratione motus.

3. Primus liber continet quatuor tractatus. In primo ponit intentionem suam, & ordinem procedendi. In secundo determinat de principiis rerum naturalium secundùm opiniones antiquorum; & in tertio determinat de eisdem secundùm opinionem propriam, & hoc in generali; in quarto determinat de eisdem in speciali. Secundus tractatus ibi: *Necesse est autem.* Tertius ibi: *Omnes igitur contraria,* &c. Quartus ibi: *Subiecta autem natura,* &c. In primo tractatu, qui continet vnicum capitulū, primò proponit intentionem. Secundò ponit duas cōclusiones de ordine procedendi. Prima ibi: *Innata est autem.* Secunda ibi: *Vade ex vniuersalibus,* &c.

4. Est igitur prima conclusio ista, quòd oportet Philosophum naturalem tradere cognitionem principiorum, causarum, & elementorum rerum naturalium. Probatur, quia illorum habet tradere Naturalis cognitionem, sine quorum cognitione res naturales nō possunt cognosci; sed sine cognitione prædictorum res naturales non possunt cognosci; ergo, &c. Maior verò probatur: quia omniū habentium causas, principia, & elementa, cognitio dependet ex illorum cognitione: quia tunc arbitramur vnumquodque cognoscere, cùm causas primas, & principia prima cognoscimus vsque ad elementa: modò res naturales habent principia, causas, & elementa, cùm sint generabiles, corruptibiles, materiales, & transmutabiles.

5. *Non idem est scire, quòd intelligere.* Notandum quòd Aristoteles per *intelligere*, & *scire* non intendit idem: quia per intelligere notat habitum conclusionis. Vel aliter exponitur, quòd *intelligere* se habet in plus, quàm *scire*; ideò contrahitur per hoc; vniuersaliter *scire* dicit scientiam propriè dictam, quæ fit per causas à priori; & non per effectus à posteriori.

Principium, causa, & elementum differunt. Secundò sciendum, quòd per principia, causas, & elementa intelligit diuersa: nam per principia intelligit causas efficiētes & mouētes, per causas intelligit causas finales, per elementa autē intelligit causas intrinsecas, scilicet materiam, & formā.

6. Tertiò sciendum, quòd quando loquitur de causis primis, & principiis primis, intelligit per causas primas causas priores, siue remotiores, & per principia prima causas propinquiores. Vnde dicit Commentator, quòd *quæcumque sunt inter materiam primam, & vltimam formam, sunt materia composita, & formæ composita*; & intelligit per vltimam formam, formam completam, cuiusmodi esset forma substantialis hominis, aut animalis. Et non debet intelligi forma composita ex diuersis formis substantialibus; sed per compositionem ex dispositionibus qualitatis, quarum vna nata est resistere inclinationi alterius, verbi gratiâ, inclinationi animæ, qua per dispositiones sibi conuenientes inclinatur ad mouendum progressiuè, resistit inclinatio grauis naturalis, quæ inclinat corpus ad motum deorsum.

Quartò sciendum, quòd Aristoteles notanter dixit, *vsque ad elementa.* Nam debitus ordo doctrinæ est, vt fiat processus à principiis maximè generalibus, tradendo cognitionem eorum ad causas propinquiores, & tandem ad propinquissimas; verbi gratiâ, in scientia naturali primò habemus cognitionem de materia, & forma, quæ sunt principia generalia rerum naturalium; deinde habemus notitiam elementorum, quæ sunt principia magis propinqua; & tertiò habemus cognitionem carnis, & ossis, & huiusmodi; quæ sunt partes, & principia immediata animalis, & hæc ponitur secunda conclusio de ordine procedendi. 7. *Ordo doctrinæ est processus à principiis ad principiata.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm cognitio vnius rei dependeat ex cognitione alterius?

Arist. 1. *Phys. text.* 1. Themist. Simplic. Auerr. *ibid.* D. Thom. *lect.* 1 *& l. de causis c.* 1 Mayron. *q.* 1. Iandun. *q.* 3. Durand. *in* 1. *dist.* 35. *q.* 1. Aliacen. *ibid.* *q.* 3. *art.* 1. Ocham *in* 4. *dist.* 13. Capreolus *in Prol.* *q.* 1. *sent.* *q.* 1. Conimb. *lib.* 1. *q.* 1. Ruuius *ibid.* Faber *theorem* 18. Anton. Rocc. 1. *Phys.* *q.* 1.

ARGVITVR quòd non, primò, quia omnis cognitio dependet à suo obiecto, igitur vna non dependet ab alia. Tenet consequentia, quia in omnibus videtur, quatenus vna cognitio cognoscitur, reflectì per aliam. Antecedens patet, quia ab obiecto est causata notitia, & per consequens ab eo dependet. 1.

Secundò, si vna res esset notitia alterius, vel hoc est per speciem propriam, vel per speciem alienam. Non per propriam, quia propria species alicuius rei est adeò determinata similitudo eius rei, vt non alterius. Non per alienam, quia vna res non causat alterius speciem, sed tantummodò suam propriam similitudinem.

Tertiò, si cognitio vnius rei dependeat ab alia, quæro in quo genere causæ. Non in genere causæ efficiētis; quia intellectus efficit cognitiones omnes. Non materialis, quia vna cognitio nō recipit aliam, cùm actui repugnet recipere, vt patet 3. de Anima. *text. comm.* 19. vide Comm. ibidem. Non formalis, quia non habet causam formalem. Nec finalis, quia consequitur esse rei.

Quartò, quia esse vnius rei non consequitur esse alterius, igitur nec cognitio vnius rei cognitionem alterius. Tenet consequentia, quia res causat suas notitias, & secundo Metaphysicę dicitur, quòd *sicut se habet res ad esse, ita ad cognosci.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, vbi dicit, quòd cognitio effectuum dependet ex cognitione causarum, sicut cognitio materiæ primæ dependet ex cognitione formæ, eo quòd cognoscitur secundùm analogiam ad formam, sicut cognitio primi motoris dependet ex cognitione motus, & per consequens ex veritate vnius rei dependet veritas alterius.

In quæstione primò videbitur qualiter ad esse vnius rei, sequitur esse alterius, quod tangit vltimum argumentum: secundò videbitur, qualiter 2. *Decisio quæstionis.*

cognitio

cognitio vnius rei sequitur, vel dependet ex cognitione alterius. Quantum ad primum, quia illatio esse vnius rei, ex esse alterius per modum consequentiæ fit. *Consequentia est quadruplex.* Ideò sciendum quòd quadruplex est consequentia, quædam formalis, quæ tenet in omnibus terminis, stante consimili forma propositionis, & terminorum, ita vt quælibet propositio maneat talis, & tanta cum cõsimili ordine terminorum, & consimilibus syncategorematibus. Secunda est consequentia simplex, quæ tenet virtute inclusionis terminorum in significando, & ideò ad hoc quòd sit euidens, sufficit declarare significata terminorum, vt homo est, ergo animal est, & ita de consimilibus. Tertia consequentia vocatur materialis, quæ non tenet formaliter, nec virtute inclusionis terminorum in significando, sed virtute alicuius propositionis necessariò intellectæ, sicut sequitur, *Equus est; ergo homo est*, & tenet virtute istius intellectæ, quòd *species sunt æternæ*, similiter ista consequentia est bona: *Impossibile est elementa ex inuicem generari; igitur impossibile est ipsa alterari*, & tenet virtute istius; *Si finis in naturalibus est impossibilis, ordinata in finem sunt impossibilia.* Quarta est consequentia, vt nunc, quæ tenet virtute medij contingentis, verbi gratia, *Ioannes scribit, igitur Franciscus scribit*: & tenet virtute istius medij, *Ioannes est Franciscus.*

3. Secundò est sciendum, quòd esse quandoque dicitur de *est* secundo adiacente, & hoc vel respectu termini absoluti, vel respectu termini correlatiui, & quandoque de *est* tertio adiacente. *Esse est duplex de secundo, & tertio adiacente.*

His suppositis sit prima conclusio ista, quòd ad esse vnius rei de verbo *est* secundo adiacente, respectu termini absoluti, non sequitur esse alterius. Verbi gratia, non sequitur, *A est, ergò B est.* Probatur, quia semper oppositum consequentis talis consequentiæ potest stare cum antecedente.

Sed contrà primò, quia sequitur, *Ignis est, ergo caliditas est*, & sequitur etiam, *Homo est, igitur equus est*; quia species sunt æternæ. Tertiò, quia illa, *Deus est*; est demonstrata 8. huius, & 12. Metaph. vel igitur est demonstrata ex esse sui ipsius; & hoc non, quia esset petitio principij; vel ex esse alterius, vel aliorum, & habetur intentum. Quartò, quia sequitur, *Homo est, igitur caput est.*

4. Ad primum respondetur, quòd consequentia illa non est formalis, nec etiam simplex, nec etiam tenet virtute inclusionis terminorum in significando, sed tenet virtute propositionis necessariæ cointellectæ, & conclusio intelligitur de duobus primis modis consequentiæ. Ad secundum similiter. Ad tertium negatur, quòd illa sit demonstrata infrà in 8. Physicorum. Nam ibi probatur solùm quòd Deus est motor immobilis, & in 12. Metaph. probatur ista, quòd aliqua est causa prima, vel conseruans primum. Ad quartum conceditur, quòd illa consequentia est bona in tertio modo consequentiæ. Secunda conclusio est, quòd ab esse vnius rei de est secundo adiacente respectu termini correlatiui ad esse alterius est bona consequentia. Probatur, quia sequitur, *pater est, igitur filius est*, & est bona consequentia simplex, eòque tenet virtute inclusionis terminorũ in significando.

Tertia conclusio est, quòd ab esse vnius rei de verbo *est*, de tertio adiacente ad esse alterius, est bona consequentia. Probatur, quia ab esse principiorum, causarum, & elementorum, sequitur esse suorum effectuum, similiter ex esse motus, sequitur esse Motoris, & ita de aliis; & hoc de primo.

5. Quantum ad secundum, notandum est quod *Notitia est duplex, sensitiua, & intellectiua.* quædam est notitia sensitiua, quædam intellectiua, & differunt: quia notitia sensitiua est extensa ad extensionem organi sensitiui, ita vt determinatæ parti organi sensitiui correspondeat determinata pars cognitionis; similiter quemadmodũ tota cognitio sensitiua repræsentat totum obiectum, ita pars cognitionis repræsentat partem obiecti. Sed notitia intellectiua est indiuisibilis, & inextensa; conueniunt tamen istæ notitiæ in hoc, quòd vtraque habet gradus cognitionis intensiue. Secundò conueniunt, quia tam sensitiua, quàm intellectiua possunt esse complexa, vel incomplexa: nam ex multis operibus brutorum apparet, quòd aliquando componunt, & diuidunt.

Secundò sciendum, quòd duæ notitiæ, vel plures, quarum vtraque est sensitiua, vel vtraque intellectiua, dicuntur notitiæ eiusdem ordinis; sed duæ notitiæ, quarum vna est sensitiua, & altera intellectiua, dicuntur notitiæ alterius ordinis. 6. *Notitia alia eiusdem alia alterius ordinis.*

Tertiò sciendum est, quòd quædam est notitia incomplexa primaria, verbi gratia, vt simplex apprehensio albedinis in visu, vel in intellectu actu mouentis; quædam est notitia incomplexa secundaria; vt si aliàs cognoui Socratem, & interueniat habitus, tunc per plures discursus, & cognitiones multorum occurrit mihi tandem notitia incomplexa Socratis, quam aliàs habui, vt patet in libro de Memoria, & reminiscentia. *Notitia est duplex scilicet incomplexa, & complexa.*

Ex his ponuntur conclusiones. Prima est, quòd notitia incomplexa vnius ordinis causat notitiam incomplexam alterius. Probatur, quia de albedine actualiter mouente visum habeo intellectionem simplicem, & incomplexam, & hoc non nisi per visionem eiusdem albedinis, igitur visio illa est causa illius intellectionis, modò visio, & intellectio sunt notitiæ alterius ordinis. 7. *Notitia vnius rei, quomodo ex notitia alterius rei dependeat.*

Secunda conclusio est, quòd notitia incomplexa vnius rei non dependet ex notitiis incomplexis alterius, loquendo de notitiis eiusdem ordinis. Probatur, quia notitia incomplexa vnius rei est similitudo determinata illius rei, ita vt nõ alterius, saltem dissimilis, igitur illa non causat notitiam alicuius alterius, nec dependet ab aliqua alia.

Et dixi notanter *alicuius dissimilis*, quia similitudo vnius rei benè est repræsentatiua rei sibi similis, quod patet per quandam experientiam; quia si ponatur vnum ouum in aliquo foramine, quod agat similitudine sui in sensum, & tunc homo diuertat se, ita vt ipso ignorante ponatur aliud ouum consimile, sicut est possibile, tunc ita benè similitudo prima causata æquè repræsentabit illud ouum secundum, & primum à quo causabatur. Secundò patet conclusio, quia notitia complexa rei se habet sicut imago causata in speculo ab ipso obiecto, sed illa imago non repræsentat aliam rem, quàm proprium obiectum à quo causabatur, igitur nec notitia incomplexa. 8.

Tertiò, quia illatio cognitionis vnius rei ex cognitione alterius fit per modum consequentiæ: modò super incomplexum non potest fieri consequentia, & sic patet, quòd ex vna notitia incõplexa per se accepta, non sequitur cognitio alterius. 9.

Sed obiicitur, quia cognitio minùs vniuersalis dependet ex cognitione vniuersalioris, igitur illa notitia incomplexa dependet ex alia. Secundò notitia incomplexa secundaria dependet ex pluribus aliis cognitionibus, igitur dependet ex vna alia cognitione.

Ad primum respondetur, quòd vnam cognitionem esse causã alterius potest intelligi dupliciter. 10. *Cognitio potest ex altera infoream causari.*

Vno modo principaliter,ita vt sit principale effe-ctiuum alterius Alio modo instrumentaliter,sicut intellectus informatus tali cognitione potest elicere aliam cognitionem mediante tali cognitione,tanquam instrumento;sicut dicitur,quòd caliditas est instrumentum producendi formam substantialem.Secundò sciendum,quòd vna cognitio potest dependere ab alia dupliciter,vno modo vià ordinis, & alio modo vià causalitatis : tunc dico, quòd cognitio incomplexa minùs vniuersalis, præsupponit cognitionem vniuersalioris vià ordinis,sed non dependet ab ea vià causalitatis.

11. Ad secundum conceditur t) de notitia secundaria isto modo,quòd ad hoc,quòd memoriæ reducatur,præsupponit alias cognitiones, attamen præcisè dependebat à suo obiecto in sua primaria cognitione.

Contrà,si sit aliquid album , quod propter sui paruitatem sit inuisibile , tunc addatur ei vnum aliud tantæ quantitatis, ita vt totum fiat sensibile;tunc notitia incomplexa vnius partis dependet ex incomplexa alterius,quia sine ipsa non fuisset. Ad hoc dico,quòd illa duo quorum quodlibet est indiuisibile , faciunt vnam cognitionem totalem incomplexam , nec numerantur cognitiones distinctæ.

12. Tertia Conclusio. Ex notitia complexa vnius rei benè sequitur notitia complexa alia eiusdem rei formaliter , & cognitio alterius rei aliis quibusdam modis. Prima pars probatur , quia ad copulatiuam sequitur sua pars formaliter ; similiter ex disiunctiua cum opposito vnius partis sequitur altera pars , patet etiam de conuersione , & æquipollentia.Secunda pars probatur,quia intellectus cùm multa intellexit, potest faciliùs intelligere vnum,igitur ex cognitione complexa vnius potest facilius inferri cognitio complexa alterius, & hoc per istum modum, quia cùm intellectus habuerit in se intellectiones simplices plurium rerum, potest illas ad inuicem diuersimodè componere,& ita diuersas cognitiones addiscere, & patet in exemplo : nam habens aliquas cognitiones de triangulo , potest ex illis alias cognitiones inferre de triangulo , vt patet in Geometria , & istam conclusionem probant rationes in oppositum.

13. Quarta Conclusio. Omnis cognitio , quæ sequitur ex alia cognitione alterius rei eiusdem ordinis,est complexa.Probatur,quia vel sequitur ex notitia incomplexa,vel complexa,non ex incomplexa,per conclusionem præcedentem , igitur ex complexa : modò si antecedens est complexum, consequens est etiam complexum.

Sed obiicitur : quia ex notitia incomplexa accidentis deuenitur in notitiam substantiæ tam complexam,quàm incomplexam;igitur ex incomplexa potest sequi complexa.Antecedens apparet, quia cognitio substantiæ omnino dependet ex cognitione accidentis. Respondetur , quòd substantia æquè incomplexè cognoscitur à sensu,vel ab intellectu,sicut accidens. Vnde quando video albedinem, non solùm mouet me albedo illa , sed paries,& corpus mouet sensum mediante albedine,& sic substantia primo concipitur à sensu conceptu tamen accidentali,verum est tamen , quòd non potest percipi conceptu quiditatiuo, nisi per discursum,& habitis pluribus cognitionibus.

14. Ad rationes. Ad primam,omnis cognitio , &c. Respondetur : illa cognitio insensibilium nullo modo dependet ab obiecto, sed à rebus illis , per quarum cognitionem deuenimus in notitiam huiusmodi insensibilium. Sed contrà,quia cognitio ipsius Dei dependet ab ipso Deo; igitur cognitio alicuius insensibilis dependet à suo obiecto. Antecedens patet, quia omnia à Deo dependent. Respondetur , quòd cognitio , quam habeo de Deo , non dependet ab ipso per modum obiecti mouentis , licèt dependeat influentia causæ vniuersalis.

Ad secundam dico , quòd & per speciem propriam mediantibus aliis cognoscibilibus,& etiam per speciem alienam secundùm conclusiones positas.

Ad tertiam dico,quòd in genere causæ efficientis instrumentalis,vt patet in ootabili.

Ad quartam. Ad esse vnius,&c.negatur antecedens , quia visum est qualiter ab esse de verbo *est* secundo adiacente , respectu termini correlatiui sequitur esse alterius,& ad esse de verbo *est* tertio adiacente similiter, licèt ad *esse* secundo adiacente respectu termini absoluti non sequatur esse alicuius alterius.

ANNOTATIONES.

a *Sciendum est , quòd quadruplex est consequentia,* 15.
&c. Nota,quòd communiter diuiditur consequentia in formalem,& materialem.Materialis illa est,in qua consequens ex antecedente colligitur propter solam necessariam connexionem terminorum. Termini autem illi dicuntur habere eandem connexionem, qui ita se habent, vt si alij fuerint genus,& species,ij etiam sint genus,& species,& si alij fuerint definitum , & definitio , species,& indiuiduum,proprium denique , & subiectum ; ij simili modo se habeant. verbi gratia, *Equus est animal , ergo equus est substantia* , ista est consequentia materialis , quia consequens infertur ex antecedenti propter solam connexionem, quæ est inter prædicatum antecedentis,& prædicatum consequentis,scilicet animal,& substantia. Quòd autem illud consequens sequatur propter solam connexionem necessariam terminorum patet ; quia in ea dispositione , & modo colligendi dabitur consequentia vitiosa , si nempe ponamus terminos non habentes huiusmodi cōnexionem, vt si dicas,Homo est animal, ergo homo currit.

Consequentia duplex, materialis,& formalis.

Consequentia verò formalis est illa , in qua 19.
consequens colligitur ex antecedenti propter ordinem , & dispositionem terminorum, siue tales termini habeant connexionem,siue non. Vt si dicas, Omnis homo est substantia ; omne rationale est homo,ergo omne rationale est substātia. Item, Omne lignum est homo, omnis lapis est lignum, ergo omnis lapis est homo ; dicitur consequentia formalis,quia in omni materia propositionum,siue necessaria , siue possibili , vel contingenti,siue impossibili , & remota ; sumptis quibuscumque terminis nequaquam dabitur antecedens verum, & consequens falsum.

Ex hoc sequitur,quòd omnis,& solus syllogis- 17.
mus est consequentia formalis, modò syllogismi nomen tam latè accipiatur,vt singulares , & hypotheticos,& qui ad hos reuocantur comprehendat,vt patet ex Aristotele 1. Priorum , vbi definit syllogismum in hunc modum : *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis , aliud quippiam ab his , quæ posita sunt , cùm hæc ipsa sint , necessariò euenit.* Quasi dicat , quòd conclusio ex præmissis propter formam, modùmque colligendi inferatur.

infeiatur. Quòd autem solus syllogismus sit consequentia formalis, ex eo patet: quia nulla alia consequentia, quæ non habet formam syllogisticam, modum scilicet, & figuram, necessariò infert consequens ex antecedenti, eo quòd seruata tali forma dabitur antecedens verum, & consequens falsum, si loco illius termini, qui in antecedenti ponitur, ponatur alius, quod in syllogismo haud contingit. Nam quibuscumque terminis sumptis, dummodò eadem seruetur forma, quæ in syllogismo seruari solet, nunquam potest dari antecedens verum, & consequens falsum.

18. *Conuersio, & locus dialecticus non sunt propriè consequentia formales.*

Sequitur secundò, quòd conuersio propositionum, & locus dialecticus non sunt consequentiæ formales, nisi latè accipiendo consequentiam formalem: sunt enim illationes, quæ inferunt suum consequens ex sola dispositione terminorum: vt Aristoteles docet 1. Priorum, cap. 2. & 3. cæterùm non sunt propriè consequentiæ formales, euiusmodi est syllogismus, qui continet medium, quod collocatur in antecedenti, & non in consequenti; conuersio autem nullum medium habet; loci autem Dialectici possunt dici consequentiæ formales virtualiter, hoc est, virtute syllogistica: semper enim habent aliquam tacitam præmissam, qua adiuncta fiunt syllogismi, vt si dicas: Socrates est homo, ergo est animal rationale, tacitè intelligitur maior, scilicet, Omnis homo est animal rationale.

19. *Facere cognoscere, repræsentare, & significare se habent sicut inferius, & superius.*

b *Notitia incomplexa rei se habet sicut imago*, &c. Nota quòd hæc tria *facere cognoscere*, *repræsentare*, & *significare*, se habent sicut inferius, & superius, nimirum velut corpus, animal, & homo. Nam sicut corpus est superius ad animal, & animal ad hominem, sic etiam facere cognoscere est superius ad repræsentare, & repræsentare ad significare. Vnde sicut non valet consequentia ab amplu ad non amplum affirmatiuè, benè tamen è conuerso, sic non valet quicquid facit cognoscere repræsentat, quicquid repræsentat significat, benè tamen valet è conuerso: significat, ergo repræsentat: repræsentat, ergo facit cognoscere.

20. *Facere cognoscere quadrupliciter contingit.*

Vnde obseruandum est, quòd facere cognoscere quadrupliciter contingere potest, scilicet obiectiuè, effectiuè, formaliter, & instrumentaliter, quæ omnia manifestissimo exemplo patefiunt. Visâ enim à me imagine Saluatoris nostri: ta imago est obiectum oblatum meæ potentiæ cognitiuæ, quæ imago facit me venire in cognitionem ipsiusmet imaginis. Potentia verò mea cognitiua, à qua procedit notitia, facit me cognoscere effectiuè, siue imaginem, siue rem imaginatam, illamet notitia à potentia producta formaliter facit me cognoscere, eo quòd est formalis ratio cognoscendi id, quod cognoscitur. Illamet autem imago, quia est instrumentum, quo mediante recordor Christi Domini, cuius est imago, facit instrumentaliter me cognoscere Christum, Saluatorem nostrum.

21. *Repræsentare contingit tripliciter.*

Repræsentare verò tripliciter contingere potest, obiectiuè, formaliter, & instrumentaliter. Id autem quod facit cognoscere obiectiuè, repræsentat etiam obiectiuè, scilicet imago à me visa, & quicquid facit cognoscere formaliter, repræsentat formaliter, scilicet notitia illa, qua rem cognosco, & illud quod facit cognoscere effectiuè, non repræsentat effectiuè, quia de ratione repræsentandi est non facere cognoscere per modum efficientis, sed tantùm vel obiectiuè, vel formaliter, vel instrumentaliter. Vnde intellectus meus, qui effectiuè facit me cognoscere rem, non mihi illam effectiuè repræsentat.

Significare demùm dupliciter contingit, nempè formaliter, & instrumentaliter: quo pacto notitia formaliter significat, & imago significat instrumentaliter rem, cuius est imago, effectiuè autem nihil significat, neque obiectiuè: potentia enim mea cognitiua facit me cognoscere rem effectiuè, non tamen illam repræsentat, neque significat effectiuè, & obiectum facit me cognoscere seipsum obiectiuè, & seipsum repræsentat obiectiuè, non tamen significat se obiectiuè, sequeretur enim quòd quælibet res significaret se, quia quælibet res repræsentat se, quod est contra rationem signi traditam à D. August. lib. de Doctrina Christiana cap. 1. dicente: *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Ex qua definitione planè constat signum alterius rei, & non sui ipsius debere esse signum. Vnde quando res, vel vox pro se accipitur, impropriè se significat, & dicitur se signare naturaliter communiter. 22.

Significare bifariam contingit.

Obseruandum est tamen, quòd significare instrumentaliter dupliciter contingit, naturaliter, vel ad placitum: instrumentaliter naturaliter significat res, qua natura vtitur tanquam instrumento ad aliquid aliud significandum, sicut fumus significat ignem naturaliter instrumentaliter. Instrumentaliter ad placitum, sicut homo significat hominem. Significare formaliter contingit vno modo, scilicet naturaliter, sicut notitia, quam habeo de homine naturaliter formaliter mihi significat hominem. 23.

Significare instrumentaliter contingit dupliciter.

e *Ad secundum conceditur de notitia secundaria*, &c. Nota quòd quatuor sunt quæ se tenent ex parte actus recordandi. Primum est quòd actus recordandi est semper post tempus, id est, actus recordandi est per aliquod tempus, postquam actus de quo recordamur fuit; est enim actus recordandi de præterito actu, facto ab illo, qui recordatur, ex quo sequitur quòd non recordamur de præsentibus, vel futuris. Secundum, quòd ille, qui recordatur percipiat, vel in particulari, vel in vniuersali tempus, quod fluxit inter actum præteritum, & actum recordandi. Tertium, quòd actus de quo recordamur non sit quando recordamur, quia tunc non esset recordatio eius de præterito. Quartum quòd licèt actus ille non sit in se præsens, sit tamen præsens in specie intelligibili, id est, quòd habemos speciem intelligibilem, de illo actu, quo recordamur. 24.

Quatuor illa quæ se tenent ex parte actus recordandi.

Ex his sequitur, quòd ad hoc, quod habeamus actum memorandi, qui est complexus, requiruntur multæ notitiæ simplices. Primò requiritur notitia simplex actus de quo recordamur. Secundò obiectum super quod cadit ille actus, deinde requiritur notitia, verbi gratia, Ioannis, & temporis præteriti, & mediantibus istis notitiis habemus apprehensiuam, qua apprehendimus totam illud obiectum: notitiæ omnium rerum sunt complexæ, & abstractiuæ, & illis mediantibus habemus recordationem. 25.

Et si quæras, cùm notitiæ abstractiuæ non habeantur, nisi mediantibus speciebus; species istæ quomodo causantur? Dico quòd causantur à rebus intuitiuè visis, verbi gratia, video Petrum, hoc videre est præsens. Sed quomodo 26.

poſſum ipſos videre recordari? Dico quòd potentia, vt illius recordetur, oportet quòd habeat notitiam intor iuam illius. Vnde nota quòd duplex eſt obiectum memoriæ, ſcilicet propinquum, & remotum: obiectum propinquum, eſt actus humanus; obiectum remotum eſt totum illud, ſuper quod tranſit actus humanus. Vt recordor me vidiſſe Pontificem ſacris Pontificalibus indutum veſtibus. Primum obiectum, eſt hoc totum, *recordor me vidiſſe*, ſecundum & remotum eſt, *Pontifex in habitu Pontificali.*

Obiectum memoriæ eſt duplex.

27. Et nota quòd primum obiectum eſt ſemper præteriti, vt præteriti, ſecundum verò non. Vt poſſum recordari me vidiſſe Ioannem. Primum obiectum, ſcilicet me vidiſſe, eſt ſemper præteriti. Ioannes verò poteſt eſſe præſens, & adhuc viuere. Quòd intelligas de memoria intellectiua, de qua loquitur Doctor in hac quæſtione. Quia de memoria ſenſitiua eſt ſecus, ipſa enim, vt docet Ariſtoteles lib. de Memoria, & remin. eſt præteriti, vt præteritum eſt, & quo ad primarium, & quo ad ſecundarium obiectum. Cuius ratio eſſe poteſt, quia ſenſus non cognoſcit obiectum, niſi ſecundùm aliquam diſpoſitionem, quam habet, quando præciſè ſentitur, atque adeò poſt actum iam diſpoſitio illa periit, ergo ſi debeat recordari, oportet quòd recordetur de actu, vt præteritus eſt, & de illa diſpoſitione, vt præterita eſt. Ariſtoteles, lib. 7. Metaph. cap. 55. inquit, abeuntibus ſenſibilibus à ſenſu, non eſt palam vtrùm ſint, an non. Ideò non poteſt habere recordationem actus ſoi vt præteriti, quin etiam habeat obiecti ſenſati, vt præteriti.

QVÆSTIO III.

Vtrùm perfecta cognitio cauſati dependeat ex cognitione omnium ſuarum cauſarum?

Vide authores citatos *in quæſt. præcedenti.*

1. ARGVITVR quòd non, quia tunc ſequeretur, quòd nulla res poſſet cognoſci, niſi Deus cognoſceretur, conſequens eſt falſum, quia multæ res ſunt faciles ad cognoſcendum. Deus autem eſt difficilè cognoſcibilis, vt patet 2. Metaph. vbi dicitur, quòd ſicut oculus noctuæ non poteſt videre claritatem Solis de die; ita nec intellectus noſter ſubſtantias ſeparatas; & patet conſequentia, quia omnium rerum Deus eſt cauſa.

Secundò ſequeretur, quòd nulla res poſſet cognoſci, niſi infinita cognoſcerentur; conſequens eſt impoſſibile: quia cognoſcere infinita qualibet cognitione diſtincta, eſt impoſſibile; & patet conſequentia, quia vnius rei ſunt infinitæ cauſæ, vt patet ſecundo huius.

Tertiò, quia cognitio definitiua, & demonſtrata, eſt cognitio perfecta; ſed de aliqua re poteſt haberi cognitio demonſtrata, & etiam definitiua per vnam ſolam cauſam, igitur ad perfectam cognitionem vnius rei non requiritur cognitio omnium ſuarum cauſarum. Maior patet: nam cognitio demonſtrata eſt perfectiſſima, eo quòd determinat intellectum ad aſſentiendum: & etiam minor, quia per quodlibet genus cauſæ poteſt fieri demonſtratio, vt patet 2. Poſt. Similiter definitio fit per vnam ſolam cauſam, ſcilicet formalem; ergo, &c.

Quartò ſequeretur, quòd ad cognitionem ignis oporteret cognoſcere lumen, & motum, & alium ignem: conſequens eſt falſum, vt patet per experientiam. Patet conſequentia, quia ignis natus eſt produci à quolibet eorũ tanquam à cauſa. 2.

Quintò, quia ſcientia Mathematica & Metaphyſica ſunt ſcientiæ perfectæ, & tamen non dant cognitionem per omnes cauſas, igitur non cuiuſlibet rei perfecta cognitio datur per omnes cauſas. Antecedens patet per Commentatorem in iſto 1. vbi dicit quòd Mathematicus demonſtrat ſolùm per cauſam formalem, Metaphyſicus autem per tres cauſas: ſcilicet per efficientem, formam, & finem.

Sextò ſequitur, quòd in cognitionibus eſſet circulatio, conſequens eſt falſum, & patet 1. Poſt. Conſequentia patet, quia perfecta cognitio cauſati dependet ex cognitione cauſarum, & è contra cognitio cauſarum dependet ex cognitione effectuum; eo quòd effectus in naturalibus ſunt notiores ſuis cauſis.

Septimò ſequeretur, quòd Intelligentiæ nullo modo poſſent cognoſci, quod eſt falſum. Probatur conſequentia, quia ſi ſic, hoc eſſet ex cognitione ſuarum cauſarum: modò Intelligentiæ non habent cauſam niſi Deum, igitur cùm Deus ſit parum, vel difficulter notus, non poteſt ducere in notitiam Intelligentiarum.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, text. 1. vbi dicit, quòd cuiuſlibet habentis cauſas, principia, & elementa, cognitio dependet ex cognitione illorum, & huc vſque ad elementa, & per hoc denotat cognitionem omnium cauſarum. 3.

In quæſtione primò videndum eſt, quid ſit notitia perfecta, & qualiter aliquid perfectè ſciatur. Secundò videbitur de quæſito.

Diuiſio quæſtionis.

Quantum ad primum, ſupponenda eſt diſtinctio poſita in prima quæſtione, videlicet, quòd aliquid ſcitur dupliciter, vno modo, vt concluſio, & ſunt iſti modi, *ſcitum, opinatum, creditum*; & huiuſmodi ſunt determinationes propoſitionis, vel concluſionis. Et tunc dico, quòd concluſio perfectè ſcitur, quando determinatur intellectus ad aſſentiendum concluſioni firmiter, & euidenter, ita vt diſſentire non poſſit. Alio modo aliquid ſcitur, vt res ſignificata per terminos concluſionis, vt verbi gratiâ, habemus ſcientiam de Deo, de hominibus, & de elementis; & tunc dico [a] quòd res naturalis perfectè ſcitur, vel cognoſcitur, ſecundùm omnem modum conſiderandi, quo poſſibile eſt rem illam conſiderare. & ſecundùm omnes proprietates, & conditiones conuenientes ſibi, & poſſibiles conuenire; ſecundùm aliquem dictorum modorum conſiderandi, & cùm hoc ſciatur, quòd pluribus modis non poteſt haberi conſideratio de illa re, nec quòd plures proprietates inſunt ſibi, nec poſſunt ineſſe aliquo dictorum modorum.

Ex hoc ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd de concluſione poteſt haberi perfecta ſcientia. Probatur, quia de concluſione poteſt haberi notitia determinans intellectum ad aſſentiendum firmiter, & euidenter illi concluſioni, ſic vt diſſentire non poſſit, igitur de ipſa habetur notitia perfecta. Tenet conſequentia per definitionem cognitionis perfectæ: & antecedens apparet de concluſione demonſtrata. Vnde adeò determinatur intellectus meus ad aſſentiendum iſti concluſioni: *Omnis angulus rectilineus eſt diuiſibilis per æqualia,* 4.

De concluſione poteſt haberi perfecta ſcientia.

equalia, quòd nullo modo potest dissentire, imò nec potest duci ad firmiorem assensum.

Sed obiicitur: quia si non potest haberi firmior assensus, tunc sequitur, quòd plura media non deberent adduci ad probationem eiusdem conclusionis. Patet consequentia, ex quo vnum medium tantùm determinat intellectum ad assentiendum, quemadmodum & omnia.

Respondetur, quòd media diuersa, quæ adducuntur ad probandam aliquam conclusionem, vel sunt determinata, vel non: si sunt determinata, tunc dico quòd omnia non faciunt maiorem euidentiam, quàm vnum eorum, & tunc media adducuntur ad istum finem, quòd si homo non potest faciliter duci in cognitionem conclusionis per vnum eorum mediorum, quòd tunc ducatur per aliud; si autem media non sunt determinata, tunc dico, quòd quodlibet illorum affirmat sensum; & ideò in Mathematicis sufficit vnicum medium, in naturalibus autem requiruntur diuersa.

5\. *De nulla re significata per terminos potest haberi perfecta cognitio.*

Secunda conclusio, quòd de nulla re significata per terminos conclusionis potest haberi notitia perfecta per humanum intellectum: & hoc dico propter Deum, quia cognoscit perfectè omnes res, quantum cognoscibiles sunt; & intelligitur conclusio, vbi per ipsius conclusionis significata fuit aliqua conclusio demonstrabilis, de qua dictum est. Probatur conclusio, quia dato, quòd cognoscam aliquas proprietates de vna re; attamen impossibile est cognoscere perfectè, an habeat plures proprietates inexpertas, quæ tamen requiruntur ad perfectam cognitionem ex descriptione perfectæ cognitionis. Verbi gratiâ, licèt de adamante cognoscam, quòd attrahit ferrum, non possum scire, quomodo insit sibi aliqua proprietas quam ignoraui.

Cognitio aliqua potest dici perfecta dupliciter.

Quantum ad secundum notandum, quòd aliqua cognitio, vel scientia potest dici perfecta dupliciter. Vno modo simpliciter, & de tali iam dictum est, alio modo secundùm genus determinatum, vt puta secundùm considerationem naturalem. Item quædam est notitia complexa, quædam incomplexa. Item duplices sunt causæ, quædam per se, sine quibus effectus non possunt produci in esse, aliæ per accidens, quæ concurrunt ad productionem effectus, sed sine illis potest effectus produci, sicut Socrates est causa domus.

6\. Nunc est prima conclusio, De aliqua re possum habere cognitionem incomplexam perfectam sine cognitione omnium suarum causarum. Probatur, quia visio, qua video albedinem, scilicet simplex apprehensio albedinis per visum, est cognitio perfecta incomplexa, & per illam non cognosco omnes causas albedinis, ergo, &c. Maior patet, quia illa visio albedinis est adeò perfecta cognitio incomplexa, sicut possibile est illam esse: & minor probatur, quia non plus cognosco modò per visionem illam, quam si albedo illa fuisset ab æterno: quia non plus dependet visio mea ab ipsa nunc, quàm dependeret si esset æterna; sed si albedo esset æterna, non cognouissem causam efficientem albedinis per istam visionem.

7\. Secunda conclusio, Ad perfectam cognitionem causati requiritur notitia confusa omnium suarum causarum, & ideò dico notabiliter confusam: quia ad hoc, quòd cognoscam hominem, non oportet cognoscere determinatè, quòd generabatur à Socrate, nec oportet cognoscere distinctè omnes partes eiusdem rationis, sed sufficit cognoscere omnes partes, & causas specie distinctas sub nomine specifico. Probatur conclusio: quia de causato non habetur perfectè scientia, donec cesset omnis quæstio dubitabilis, quæ est scibilis de eodem; sed hoc non fit, nisi per cognitionem omnium causarum.

8\. *Quot requiruntur ad perfectam rei cognitionem.*

Secundò, quia ad cognitionem istius effectus, oportet cognoscere causam aliquam, & causa illa cognoscitur per suam causam, & sic cum causæ sint sibi inuicem causæ, oportebit omnes causas cognoscere. Ex conclusione sequitur exemplificando de aliqua re naturali, sicut de homine; primò quoad perfectam cognitionem hominis, requiritur cognitio materiæ primæ, & formæ, suarum proprietatum, & conditionum. Secundò oportet cognoscere quatuor elementa, operationes, & modos agendi ipsorum. Tertiò oportet cognoscere omnes partes heterogeneas, vt carnem, ossa, venas, sanguinem, & huiusmodi, & conditiones & proprietates ipsarum partium. Quartò oportet cognoscere quatuor humores in corpore, & conditiones ipsorum. Quintò quòd sit compositus ex anima intellectiua, cùm corpore, cognoscendo operationes, ubiecta, & modum cognoscendi ipsius animæ intellectiuæ, & potentiarum ipsius. Sextò quòd genitus est à sibi simili secundùm speciem, cùm adiutorio influentiarum, Dei, cœli, & Solis. Vnde Aristoteles in secundo huius dicit, quòd homo generat hominem, & Sol. Septimò oportet cognoscere, quòd homo generetur ad felicitatem tanquam ad finem, quæ felicitas vltimatè consistit in Deo. Et dato, quòd homo cognoscat omnia ista, tamen illa cognitio non est simpliciter perfecta, eo quòd dubium est an sint plures proprietates, & conditiones inexpertæ.

9\. Tertia conclusio Ad perfectam [e] cognitionem Mathematicam, vel Metaphysicam saltem de substantiis separatis, non requiritur cognitio omnium causarum. Probatur, quia Mathematicus solùm demonstrat per definitionem quid nominis, quæ à Commentatore vocatur causa formalis in isto primo. Similiter Metaphysicus solùm demonstrat per tres, scilicet per efficientem, formam, & finem, vt dicit Commentator. Ideò patet secundum, qualiter in diuersis scientiis diuersimodè requiritur cognitio causarum: & hoc de secundo.

10\. Ad rationes. Ad primam concedo, quòd nullus habet perfectam scientiam naturalem de aliqua re, nisi habeat cognitionem de Deo, non sub isto conceptu *Deus*, sed sub isto, *primum agens*, aut *primum mouens*, quatenus de ipso determinatur in scientia naturali: de multis tamen habemus cognitionem naturalem minùs perfectã sine cognitione Dei, & ideò sicut cognitio de Deo est difficilis, ita cognitio perfecta de aliqua re naturali, est valdè difficilis.

11\. Ad secundam negatur, quòd oporteat infinita cognoscere: quia sufficit [d] cognoscere causas per se, & non causas per accidens. Vel sic, & meliùs, quòd sufficit cognoscere causas sub conceptu confuso specifico, & non quamlibet distinctè per cognitionem sibi propriam.

Ad tertiam dico, quòd facit pro prima conclusione, in qua conceditur, quòd conclusio potest perfectè sciri ex definitione data: quia definitio naturalis non est bona, nisi exprimat confusè saltem omnes causas rei.

Ad quartam, Sequeretur, &c. Concedo, quòd ad perfectam cognitionem de igne oportet cognoscere confuso modo sic, quòd ignis producibilis est à qualibet illarum causarum, sed non oportet cognoscere in speciali an genitus sit à lumine, vel à calore, sicut de Platone non oportet cognoscere, an genitus sit à Socrate, vel à Ruberto.

12. Ad quintam dico, quòd in illis scientiis non requiritur cognitio omnium causarum ad cognitionem causati, sed aliquarum tantùm, vt patet ex conclusione tertia.

Ad sextam de [a] circulatione dico, quòd non est inconueniens arguere circulariter in diuersis generibus sciendi, sicut in proposito; nam arguendo à causis ad effectum, est processus propter quid; & è contra est processus *quia*.

Ad septimam de Intelligentiis, concedo, quòd ad perfectam cognitionem Intelligentiæ oportet habere cognitionem Dei; licèt per illum non deueniamus in notitiam Intelligentiæ, sed per eius opera, & effectus, quæ sunt nobis notiora.

ANNOTATIONES.

13. *Cognitio perfecta est duplex.*

[a] ET *tunc dico quòd rei naturalis perfectè scitur*, &c. Nota perfectam rei cognitionem duplicem esse: quædam namque est simpliciter perfecta, qua scilicet cognoscitur res, quantum ea se cognoscibilis est, quoad omnia, quæ ex ea cognosci possunt, ita vt penetretur essentia quo ad omnes partes, si eas habeat; & inspiciantur omnia, quæ ab ea fluunt, & quæ sunt aliquo modo in potentia eius, tum etiam omnia à quibus dependet in quocunque genere causæ, & denique vt cognitio talis rei adæquetur ipsius cognoscibilitati. Hæc cognitio appellari solet comprehensiua, qua cognitione Deus Opt. Max. à se solo cognoscibilis est: quia cùm sit infinitè cognoscibilis, sola infinita cognitione comprehendi potest, quam ipse solus habet; homo autem in hac vita neque Deum, neque aliquam creaturam hac cognitione cognoscere valet.

14. Alia est cognitio perfecta non simpliciter, sed aliquo genere, quando res non cognoscitur secundùm quòd cognoscibilis est; sed quo ad aliqua solùm, verbi gratiâ, in genere cognitionis, quæ habetur per causas intrinsecas, illa dicitur cognitio perfecta, qua res cognoscitur per omnes causas internas, & ita intelligendum est in omni genere causarum. Dicitur etiam cognitio perfecta sub aliquo genere scientiæ, si cognoscantur omnes causæ, quæ sub tali scientia cadunt. Verbi gratiâ, cognitio, quæ habetur de rebus naturalibus per causas rerum naturalium, dicitur perfecta cognitio, quæ in naturali Philosophia haberi potest, quamuis non cognoscantur omnia, quæ conueniunt rebus naturalibus, quatenus entia sunt; quia talis cognitio ad Metaphysicum potiùs quam ad Physicum spectat, & similiter cognitio, quæ habetur per principia Mathematica de rebus Mathematicis dicitur perfecta in genere cognitionis Mathematicę, & denique cognitio cuiuscumque scientiæ de suis subiectis dicitur perfecta: quia est cognitio per causas ad talem scientiam pertinentes, licèt non cognoscantur in illis scientiis omnes omnino causæ, & affectiones rerum consideratarum. Aristoteles autem non loquitur de cognitione perfecta simpliciter; sed de perfecta in vnoquoque genere scientiæ, quod patet ex eius Instituto, omnia enim quæ hoc loco docuit eò pertinent, vt intelligamus quomodo cognitio in vnaquaque scientia, præsertim in Philos. naturali tradenda sit.

[b] *Ad perfectam cognitionem causati*, &c. Nota quòd ad perfectam rei cognitionem, quæ in quauis scientia tradi potest, requiritur cognitio omnium causarum per se tam internarum, quàm externarum, quæ sub tali scientia cadunt. Nam multò perfectiùs rem cognoscimus siue definitiuè, siue demonstratiuè, cognitis omnibus eius causis, tam internis, quàm externis: quàm cognitis solis internis, vel solis externis; quare non erit huiusmodi cognitio vndequaque perfecta, sine causarum internarum, & externarum cognitione. Adde quòd aliæ causæ requiruntur ad Metaphysicam, alię ad Mathematicam, aliæ ad Physicum, & aliæ ad moralem Philosophum. Metaphysica enim probat de homine, quòd sit ens, substantia, & ea quæ ab his procedunt. Mathematica quantitatem & dimensionem; Physicus naturæ partes, & ea quæ ab eis dimanant. Philosophus verò morales virtutes, & actus humanos; atque adeò horum quilibet exposcit cognitionem omnium per se causarum rei, de qua tractat. 15.

[c] *Ad perfectam cognitionem*, &c. Nota quòd Mathematicus frequenter per formam procedit, probando videlicet passiones per ipsas formas subiectorum; præcipue enim figuras considerat, & per ipsas probat: interdum etiam per materiam suam, à qua non abstrahit, scilicet intelligibilem, nempè quantitatem: considerat enim Mathematicus figuras, & formas, non vt abstractas à quantitate, sed vt in quantitate fiunt: quamuis abstrahat à materia sensibili, quæ est substantia induta qualitatibus sensibilibus; agit enim de triangulo, siue triangulus sit in ligno, siue in ære, siue in ferro. Metaphysicus verò probat per causas formales, finales, & agentes, non tamen per efficientes. Nam Metaphysicus abstrahit à materia, atque adeò probat per causas, quæ à materia abstrahunt, tales autem sunt formales, finales, & agentes. Quòd autem non per efficientem, patet, quia causa efficiens efficit per motum. Metaphysicus verò abstrahit à motu sicut à materia. Physicus autem à toto genere vtitur quatuor generibus causarum, quamuis non singulas Physicas conclusiones per omnia causarum genera probet. Primum patet, quia Physica à nulla materia nisi à singulari abstrahit. Secundum probatur, quia non oportet, quòd semper per omnem causam probet. Sat est enim, vt quasdam conclusiones per hanc, quasdam verò per illam causam demonstret. 16.

Mathematicus procedit frequenter per formam.

Metaphysicus non probat per causam efficientem.

[d] *Sufficit cognoscere causas per se, non causas per accidens.* Nota quòd ad perfectam rei cognitionem siue definitiuam, siue demonstratiuam, de qua loquitur Aristoteles, non requiritur cognitio causarum per accidens: quia ad definitiones, & demonstrationes conficiendas non assumuntur causæ per accidens; tum quia ad rei perfectam cognitionem exposcitur causarum cognitio, quia ab illis res dependet in suo esse, at non dependet à causis per accidens, quare, &c. 17.

[e] *Dico quòd non est inconueniens arguere circulariter*, &c. Nota circulum in demonstratione duplicem esse, videlicet perfectum, & imperfectum. Circulus perfectus est, quando ab omnino

In demonstratione duplex est circulus.

eodem

eodem regredimur ad omnino idem, quod tunc fieret in syllogismo, si conclusiones cognosceremus per præmissas, & non per aliquod aliud, ipsas verò per conclusionem cognosceremus, & non per aliquid aliud. Circulus imperfectus est, quando non est ab omnino eodem ad idem, qui fieri potest duobus modis. Primo modo quãdo in vno progressu est demonstratio *quia*, seu *quid est*, in alio verò *propter quid*. Secundo modo fit imperfectus circulus, quando semper procedimus per causam non solùm quoad cognosci, sed etiam quoad esse, quamuis in alio genere causæ.

18. Primo modo demonstratio circularis perfecta est impossibilis, vt dicit Aristoteles 1. Post. text. 20. quia si cognoscimus conclusiones per præmissas, oportet quòd præmissæ sint nobis notiores sua conclusione. Impossibile autem est, vt id quod est nobis notius, cognoscamus per id, quod est ignotius. In demonstratione autem *propter quid* tunc fieret circulus perfectus, si præmissæ demonstrarent *propter quid* conclusionem, & conclusio quatenus est demonstrata *propter quid*, id est, quatenus est effectus præmissarum, demonstraret *propter quid* ipsas præmissas, hoc autem est impossibile, quia fieri nequit vt id, quod est effectus, quatenus effectus est, sit causa suæ causæ, atque adeò circulus perfectus nulla ratione dari potest.

19. Circulus autem imperfectus primo & secundo modo est dabilis, & quidem primo modo patet: quia in huiusmodi circulo demonstratur effectus per causam demonstratione *propter quid*; rursus demonstratur causa per effectum, non vt procedens ab effectu, sed vt ad quam reducitur effectus, hoc autem fieri potest, & ab Aristotele & cæteris Philosophis factum est; quia hæc secunda demonstratio non est *propter quid*, sed *quia*. Vt autem perficiatur huiusmodi circulus hoc modo procedendum est, nempe ab effectu cognito per experientiam, aut per aliquid simile debemus ascendere, demonstratione *quia*, seu quod est ad caussam, & confirmati in cognitione causæ, & certiores facti de ea, poterimus descendere demonstratione *propter quid* à caussa ad effectum. Verbi gratiâ, video Planetas non scintillare, inde colligo per demonstrationem *quia* illud, quod est causa quare non scintillent, nempe quòd sint propè nos. Deinde ex hoc quod Planetæ sunt propè nos, quòd cognosco esse causam, quare non scintillent, facio demonstrationem *propter quid*, in qua demonstro per causam Planetas non scintillare. Hoc modo Philosophi naturales ex effectibus cognitis per experientiam, aut aliquo simili modo, colligunt causas, & confirmati aliis argumentis in cognitione istarum causarum descendunt ad effectus, demonstrando eos *propter quid*, & in huiusmodi circulo imperfecto, effectus nunquam sumitur pro causa, & sic optimè fieri potest.

20. Sicut etiam fieri potest circulus imperfectus secundo modo, quia causæ sunt sibi inuicem causæ, secundo huius, cap. 3. In huiusmodi autem circulo, quamuis procedatur à causa ad effectum, & rursus ab illo effectu ad causam, vt à causa ad effectum, tamen talis effectus est causa suæ naturæ in alio genere causæ, atque adeò in huiusmodi circulo semper proceditur à nobis notioribus, quamuis alia via, quàm ante in primo discursu, procedamus, & etiam à notioribus secundùm naturam, quia quælibet causa, eo quòd talis est, notior est secundùm se, suo effectu, vt sic causato. Quod dictum est, explicatur exemplo. Deambulatio est causa sanitatis effectiua, quatenus sanitas est effectus eius, & deambulatio est effectus sanitatis, quatenus sanitas est caussa finalis deambulationis.

Fit autem huiusmodi circulus, vt non solùm conclusionem, sed etiam præmissas cognoscamus per causam, hoc pacto: Per causam efficientem demonstramus suum effectum, & per istum effectum, non quidem sumptum vt effectus est, sed vt est causa finalis, demonstramus illud, quod antè sumebamus pro causa efficienti. Hoc etiam pacto possumus demonstrare corpus illud, quod substantia proximè collocatur, habere in sua essentia materiam per caussam formalem, nempe quia habet formam, & habere formam per causam materialem, scilicet quia habet materiam, possumus etiam demonstrare tam materialem, quàm formalem causam extrinsecè per efficientem, & efficientem per finalem, & tandem vice versa illud, quod est causa finalis, potest demonstrari per causam efficientem. Et nota quòd Caietan. 1. Post. vocat hanc circularem demonstrationem *propter quid*, eo quòd semper proceditur à causa. Cæterùm non est potissima demonstratio, quæ communiter dicitur, *quid est*. Potissima enim demonstratio est, quæ procedit per causam formalem metaphysicam, id est, per definitionem constantem ex genere, & differentia. 21.

EXPOSITIO TEXTVS.

I*Nnata* 1 *autem est*, &c. Hic ponitur secunda 22.
conclusio de ordine procedendi, scilicet quòd *Text. 2.*
in naturalibus procedendum est à causatis com- *Text. 3.*
positis ad causas componentes. Probatur, quia *Text. 4.*
a in omni ordine doctrinæ procedendum est à notioribus nobis ad ignotiora, sed composita sunt notiora nobis simplicibus componentibus; ergo, &c. Maior & minor apparent, quia tota composita sunt notiora nobis, & minùs nota naturæ, sed causæ componentes è conuerso; & patet, quia confusa sunt magis manifesta, & illud totum est nubis notius, & per notitiam ipsius deuenimus in notitiam elementorum. Sed contrà obiicitur, ista conclusio contradicit primæ, ergo, &c. Respondetur, quòd non, quia ista conclusio *Vide contra*
ponitur de processu, qui est ab effectu ad causam, *actionem Zi-*
sed conclusio prima loquitur de notitia *propter* *mara.*
quid, quæ est à causa ad effectum, & hoc patebit in quæstione.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm eadem sint notiora nobis, & notiora naturæ?

Arist. *hic text.* 1. Auerroes *comm* 2. Albert. 1. *Phys. tract.* 1. *cap.* 6. Moyton *quæst* 1. Conimbr. *quæst.* 2. Ruuius *qu.* 4. Roccus *quæst* 2.

ARGVITVR quòd sic, quia omnis scientia perfecta procedit per causas, & 1.
à priori; sed scientia naturalis est scientia perfecta, igitur ipsa procedit per causas, at ipsa procedit ex notioribus nobis, igitur causæ sunt notiores nobis, sed causæ sunt notiora naturæ, vt patet primo huius, igitur eadem sunt notiora nobis, & notiora naturæ.

Secundò,

Secundò, quia vel per naturam intelligitur natura non cognoſcens, & ſic nibil eſt ſibi notius, vel ignotius: vel iotelligitur natura cognoſcens, & tunc vel intelligentia ſeparata, & boc non; quia intelligentiæ ſeparatæ noo ſunt diuerſæ notitiæ, quarum vna ſit potior altera, cùm ipſa intelligat per ſuam ſimpliciſſimam eſſentiam. Si per naturam intelligatur anima noſtra; tunc cùm eadem ſint notiota nobis, & animæ noſtræ, ſequitur, quòd eadem erunt notiota nobis, & naturæ.

Tertiò, vbi ita eſſet, hoc eſſet pro tanto, quia compoſitum eſt notius nobis, & ſuæ cauſæ ſunt notiores naturæ, ita vt vniuerſaliter effectus ſint notiores nobis ſuis cauſis, boc eſt falſum; quia adamas eſt notior nobis, quàm ſit virtus ipſius, mediante qua attrahit ferrum, & tamen virtus illa eſt effectus adamantis.

2. Quartò, niſi eadem eſſent notiota nobis, & naturæ, ſequeretur quòd idem eſſet notius, & ignotius reſpectu einſdem, quod eſt impoſſihile, & probatur conſequentia: quia agens, & finis ſunt ſibi inuicem cauſæ, igitur cùm cauſa ſit notior naturæ, ſequitur quòd agens eſt notius naturæ, quàm finis, & quia finis eſt cauſa agentis, tunc ſequitur quòd finis eſt notior agente, & ſic agens eſt notius, & minùs notũ fine, quod eſt impoſſibile.

Quintò, quia anima noſtra eſt notior nobis, eò quòd experimur ipſam, & cum hoc eſt notior naturæ, eo quòd eſt cauſa compoſiti, igitur idem eſt notios nobis, & naturæ.

Sextò, quia principia Mathematicæ ſunt notiora nobis, & etiam naturæ, quàm ſint concluſiones inde ſequentes, igitur eadem ſunt notiora nobis & naturæ. Antecedens apparet, nam iſtud principium, *Omne totum eſt maius ſua parte*, eſt notius cuilibet cognoſceori, quàm ſit aliqua concluſio ſequens ex illo principio.

3. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in 1 huius, text. 4. & 5. vhi per hoc probat, quòd in ſcientiâ naturali procedendum eſt à totis compoſitis ad partes componentes.

Diuiſio quæſtionis. In quæſtione primò videbimus quæ ſunt notiora nobis. Secundò quæ ſunt notiora naturæ.

Quantum ad primum, notandum quòd aliquid poteſt dici notius dupliciter, vno modo intenſiuè, ſicut illud quod habet plures gradus cognitionis. Alio modo dicimr notius, quia priùs notum, & hoc intelligitur dupliciter, vno modo, quia priùs tempore, & ſic maior priùs tempore cognoſcitur concluſione; alio modo priùs naturâ, & ſic minor priùs cognoſcitur quàm concluſio.

Secundò notandum, quòd omnia ootitia intellectiua originatur altero duorum modorum, ſcilicet, aut ex ſenſu, aut ex narorali inclinatione iotellectus, & ideò duplicia ſunt principia, quædam quæ habentur per ſenſum, & experiẽtiam; & alia, quæ habentur ex incluſione terminorum in ſignificaodo, vel ex non repugnantia, quibus intellectus aſſentię ex ſua inclinatione naturali, habita ſignificatione termioorum, ſine aliqua ratione determinante ipſum intellectum, & talia ſunt principia Metaphyſicæ, vt *quodlibet eſt, vel non eſt*; *omne totum eſt maius ſua parte*, & huiuſmodi.

4. Tertiò ſciendum, ex quo omnis notitia intellectiua originatur ex principiis acceptis per ſenſum, aut per naturalem inclinationem intellectus, quòd illa concluſio quæ faciliùs & euidentiùs deducitur ex iſtis principiis, eſt notior aliis, quæ minùs euidenter deducuntur ex illis, & ideò ſi de aliquibus duobus principiis, vel concluſionibus ſcire velimus, quòd ſit notius alio, debemus atteodere, quod iſtorum facilius deducatur ex ſenſatis, aut quod eſt faciliùs reducibile in primum principium acceptum ex inclinatione iotellectus.

5. Ex hoc ſit prima concluſio iſta: Semper principium, per quod probatur aliqua concluſio, notius eſt illa cooclusione, & hoc intenſiuè. Probatur, quia principium eſt cauſa effectiua ſaltem inſtrumentalis notitiæ concluſionis, igitur notitia concluſionis non eſt tanta intenſioè, quanta eſt notitia principij. Tenet conſequentia, quia agens aliquem effectum ſine adiutorio alterius, non poteſt producere effectum ſibi æqualem, vt corpus luminoſum non poteſt cauſare tantum lumen in medio, qoantum habet in ſeipſo: ſimiliter caliditas non poteſt producere in aliud ſubiectum caliditatem ſibi æqualem ſine adiutorio caliditatis productæ ſibi coagente, &c.

6. Secundò, quia illud eſt notius intenſiuè, quod propinquiùs, & euidentiùs reducitur ad primum principium, ſed principium, per quod probatur illa concluſio, propinquiùs & euidentiùs reducitur ad primum principium, vel ad principium expertum, quàm illa concluſio; ergo, &c. Maior probatur per prænotata, & minor apparet, quia in ordine reducendi ad primum principium, priùs probatur principium, quàm concluſio per ipſum probata.

Tertiò, quia difficiliùs obliuiſcitur notitia principij, quàm cooclusionis dependentis ex illo principio, igitur notitia principij eſt intenſior, & hoc eſt verum, quando illa notitia ſolùm eſt per illud principium.

7. Contra concluſionem obiicitur, & probatur, quòd notitia principij & concluſionis pariformiter remittantur, ſtante euidentia primi principij ad concluſionem. Tunc ſi ita eſſet, ſequeretur quòd aliquis haberet notitiam principij, & non haberet notitiam conclosionis, & cum hoc ſciret conſequentiam eſſe bonam, & quòd cum hoc ſciat conſequens; & patet conſeqoentia, qoia ex quo notitia concluſionis eſt minor, tunc ipſa eſſet tota remiſſa ad vnum gradum, quando adhuc ſtabit aliquod de principio, & tamen tenet conſequentia, & eſt euidens; ſequitur propoſitum.

Reſpondetur quòd impoſſibile eſt, notitiam concluſioois & principij æqualiter remitti ad vnum gradum, ſic vt conſequentiæ remitrantur æqualiter de vtroque vero, vnde ſemper oportet plus remitti de notitia principij, quàm concluſionis.

8. Secunda concluſio: vniuerſaliter ſenſibiliora ſunt notiora nobis minùs ſenſibilibus. Probatur, qoia ex quo cognitio noſtra originatur ex ſenſu, opotter illa eſſe notiora, quæ ſunt ſenſibiliora. Ex quo patet, cæteris paribus, quòd illud quod ſentitur pluribus ſenſibus, notius eſt, quàm illud, quod ſentitur vno tantùm. *Senſibiliora ſunt nobis notiora.*

Tertia concluſio: vt in pluribus effectus ſunt nobis notiores, quàm ſuæ cauſæ: probatur. Nam compoſitom naturale eſt notius, quàm ſit eius materia, vel forma, & ita inducendo in aliis, & dico notabiliter vt in pluribus, quia aliquando contingit oppoſitum. Vnde cœlum eſt *Effectus ſunt nobis notiores ſuis cauſis.*

nobis

nobis notius, quam sit influentia causata a motu, & lumine, per quam agit in istis inferioribus, similiter de adamante, vt supra dictum fuit. Patet igitur quæ sunt notiora nobis, quia principium suis conclusionibus & sensibiliora minùs sensibilibus, & hæc de primo.

9\. Quo ad secundum, notandum, quòd quantum ad notitiam naturæ, potest intelligi dupliciter, vno modo de substantia separata, quæ est Deus, vel Intelligentia, & talis cognoscit vnica intellectione æterna, quæ est sua essentia, & hoc est simpliciter verum de Deo, tamen Theologi non concedunt simpliciter de Intelligentiis. Vnde probatur, quòd Intelligentia possit habere cognitionem nouam simpliciter; quia Intelligentia non habet cognitionem de quolibet futuro contingenti, quia si illam haberet, cognosceret æquè perfectè omnia sicut Deus, & tunc arguitur sic, capiendo vnum futurum contingens, quòd cognoscat Intelligentia, postea illud futurum ponatur in esse, & sit Antichristus, tunc arguitur: Intelligentia nunc cognoscit Antichristum, & priùs non cognouit ipsum, quia priùs erat futurum contingens, igitur Intelligentia mutata est per nouam cognitionem, verum est tamen, quod [b] Intelligentia habet aliquam cognitionem æternam, & hoc differt ab intellectu nostro, cuius omnis cognitio est noua. Alio modo intelligitur de natura particulari, vt de isto igne, vel aqua non categorematicè, quòd aliquid sit sibi notum, sed hypotheticè si cognosceret, quæ essent sibi notiora.

Quid intelligatur per naturam quando dicitur. Non sunt eadem notiora nobis, & natura.

10\. Tunc sit ista conclusio, quòd naturæ notiores sunt causæ suis effectibus. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, cùm natura sit artifex rerum naturalium, sed in artificialibus causæ operis sunt notiores artificio, vt patet, quia factor domus priùs cognoscit lapides, & ligna, quàm domum, igitur ita est in naturalibus.

Secundò, quia causæ sunt priores suis effectibus, igitur & priùs notæ à natura, tenet consequentia, quia natura cognoscit res sicuti sunt.

Contra conclusionem arguitur, quia illud est notius naturæ, quod est magis perfectum, & maioris entitatis, quia de perfectioribus natura magis est sollicita; modò totum compositum perfectius est suis partibus, cùm includat perfectionem suarum partium; ergo, &c.

Secundò, illud est notius naturæ, quod magis intenditur à natura, & cuius similitudo esset fortiùs impressa naturæ, si natura cognosceret: modò similitudo totius compositi esset fortiùs impressa naturæ, si natura cognosceret, eo quòd compositum magis intenditur à natura; ergo, &c.

11\. Respondetur, quòd compositum [c] potest dici notius dupliciter, vno modo; quia est perfectius cognoscibile secundùm naturam, & sic dicit Aristoteles quòd Deus est in natura notissimus, vnde 2. Metaph. dicit, quòd sicut oculus noctuæ se habet ad lumen Solis in meridie, ita intellectus noster ad manifestissima in natura. Alio modo aliquid dicitur notius naturæ, eo quòd magis intenditur à natura, & species eius esset magis impressa naturæ, si natura cognosceret. Alio modo non, quia species sua esset fortiùs impressa, sed quia esset prior in motu illo, quo producitur res fienda. Verbi gratia scribens litteram habet intentionem totius litteræ fortiùs impressam menti suæ, quam habeat intentionem partis litteræ, attamen intentio partis litteræ naturaliter procedit in motu protractionis litteræ. Tunc dico, quòd causæ non sunt notiores naturæ, eo quòd sunt perfectiora cognoscibilia secundùm naturam: & per hoc soluitur prima obiectio, nec causa dicitur notior ex eo, quòd eius similitudo esset fortiùs impressa naturæ: nam sic totum compositum est notius naturæ partibus componentibus: sed illo modo causa est notior naturæ, id est, priùs naturâ in motu faciendi rem ex suis causis, priùs occurrit intentio causæ, quàm causati, vt declaratum fuit in exemplo de littera. Patet igitur quæ sunt notiora naturæ.

Compositum posse dici notum dupliciter.

Causa quomodo dicantur notiores.

De tertio sit prima conclusio: vt in pluribus non sunt eadem notiora nobis, & notiora naturæ. Probatur, quia vt in pluribus effectus sunt notiores nobis, & semper causæ sunt notiores naturæ, &c. 12.

Secunda conclusio, aliquando eadem sunt notiora nobis, & notiora naturæ. Probatur, quia aliquando causæ sunt notiores nobis; igitur aliquando eadem sunt notiora nobis, & naturæ. Tenet consequentia, quia semper causæ sunt notiores naturæ. Antecedens appatet, quia cœlum est notius sua influentia; similiter homo quàm actus suus intelligendi, & hoc totum quod dictum est, est verum in scientia naturali, & ideò de aliis scientiis sit ista conclusio: In aliis scientiis vniuersaliter eadem sunt notiora nobis, & notiora naturæ; exceptâ parte Metaphysicæ, quæ determinat de substantiis separatis: nam illa procedit ab effectibus ad causas. Probatur conclusio: nam principia Mathematicæ sunt simpliciter notiora & naturæ, & nobis: similiter in Metaphysica notiora sunt principia conclusionibus. Item in Grammatica litteræ, & syllabæ sunt notiores nobis, quæ sunt causæ orationum, & per consequens sunt notiores naturæ. Similiter in Logica termini sunt notiores nobis, quàm argumentationes compositæ ex terminis. Similiter in moralibus actus humani, sunt notiores nobis, quàm virtutes generatæ ex illis actibus. Patet igitur inductiuè, qualiter in aliis scientiis à scientia naturali idem est notius nobis, & naturæ.

Interdum eadem sunt nobis notiora & natura.

Et si obiiciatur, ex quo effectus sunt nobis simpliciter notiores, sequitur quòd nunquam potest fieri regressus à cognitione causarum ad cognitionem effectuum; & sic in scientia naturali nunquam haberemus notitiam *propter quid*. Probatur consequentia, quia *propter quod vnumquodque* tale, & ipsum magis; igitur cùm causæ cognoscantur per effectum, sequitur quòd effectus semper sunt notiores, & per consequens regressus ille ad causas petit principium. Respondetur negando consequentiam. Ad propositionem, *Propter quod vnumquodque*, &c. intelligitur de causa sufficienti. Modò dico, quòd cognitio effectuum non est sufficiens ad cognitionem causarum, & ideò intellectus cùm habuerit aliquas notitias de causis per effectus mediante discursu & inclinatione intellectus, inquirit vlteriorem cognitionem de causis, quâ habitâ fit regressus ad cognitionem effectuum per suas causas, & talis est scientia *propter quid*. 13.

Ad secundam dico, quòd intelligitur de vtraque, de natura non cognoscente conditionaliter sic, vt si cognosceret priùs cognosceret causas similiter intelligitur de natura cognoscente, vt Intelligẽtia, & non obstante, quòd in Intelligẽtia 14.

non sint diuersæ cognitiones, attamen potest cognoscere vnam rem priùs alterá, saltem naturaliter, licèt non tempore, cùm omnia cognoscat ab æterno. Et cùm arguitur de anima nostra. Dico, quòd in effectibus, qui sunt à nobis, anima priùs cognoscit causas, vt patet in artificialibus.

Ad tertiam concessum est de aliquibus causis, quòd sunt notiores nobis, quàm effectus.

Ad quartam negatur consequentia; quia istud intelligitur de causis, ex quibus aliqua res fit; quòd illæ cognoscuntur per prius à natura, quàm res illæ factæ ex eis, & è contra de nobis.

Ad quintam dico, quòd anima est notior naturæ, & non nobis. Et cùm dicitur, nos experimur animam, verum est per eius effectus, & opera, & ideò illi effectus sunt notiores.

Ad sextam concessum est in vltima conclusione, quòd in aliis scientiis à naturali, idem est notius nobis, & naturæ.

ANNOTATIONES.

15. [a] *VNo modo quia prius tempore*, &c. Nota quòd Arist. 1. Post. t. 3. docet quo ordine intelligantur præmissæ ante conclusionem, & quomodo conclusio intelligatur post præmissas, dicitque quòd maior propositio vniuersalis potest priùs tempore cognosci, quàm conclusio, minor verò cognita maiori non potest cognosci priùs tempore, sed solùm priùs naturâ, quàm conclusio, verbi gratiâ, *Omne sensibile habet sensum tactus, omne animal est sensibile, ergo omne animal habet sensum tactus.* Maior huius demonstrationis potest cognosci per tempus absque conclusione, si tamen cognoscitur minor, simul tempore cognoscitur & cóclusio. Vult ergo Arist. quòd priùs naturâ vtraque præmissa cognoscitur conclusione: quoniam cognitio vtriusque præmissæ est causa cognitionis conclusionis, si verò loquamur de prioritate temporis, tunc cognitio maioris est prior tempore cognitione conclusionis; quoniam cognita maiori adhuc superest cognoscenda alia propositio, nempe minor, antequam conclusio cognoscatur formaliter, & proprio conceptu, at verò si cognita maiori cognoscas etiam minorem, tunc simul cum minori simultate temporis cognosces formaliter, & proprio conceptu conclusionem.

Præmissæ quomodo priùs conclusione cognoscãtur.

16. [b] Dixi notabiliter *formaliter, & proprio conceptu*, quia demonstrationis conclusio bifariam intelligi potest, primò formaliter, & conceptu proprio ipsius conclusionis, qui terminatur ad ipsam conclusionem. Secundò virtualiter, & in vniuersali, vt quando non formamus conceptum ipsius conclusionis, sed solùm formamus conceptum de ea re, ex qua conclusio potest colligi, vel in qua conclusio continetur, quasi in quodam vniuersali. Cognitio primo modo est simpliciter cognitio; sed cognitio secundo modo est cognitio secundùm quid, nempe virtualiter, & in alio. De hac secunda cognitione loquens Aristoteles vbi sup. text. 4. dicit conclusionem cognosci simul cum præmissis, & quod maius est, simul cum ipsa maiori: nam cognitá maiori simpliciter, simul cognitione secundùm quid, & virtualiter cognosco conclusionem; non quòd tunc temporis producam diuersos actus cognoscendi: solùm enim produco cognitionem maioris: sed quoniam conclusio continetur virtualiter sub maiori, quasi sub quodam vniuersali, & cognitâ maiori possumus ex ea deuenire in cognitionem conclusionis; tunc enim dicimur cognoscere aliquam rem virtualiter, & in vniuersali, quando cognoscimus formaliter illud sub quo res illa continetur, & ex quo possumus deuenire in cognitionem illius rei. Verbi gratia, cognitâ hac maiori cognitione propria, & formali, *Omne animal rationale est risibile*, cognoscimus virtualiter, & in vniuersali hanc conclusionem, *Omnis homo est risibilis*, quoniam hæc conclusio continetur sub illa maiori tanquam sub suo vniuersali: maior enim significat rem omnem, quæ est animal rationale, esse risibilem, & sub ista quodammodò continetur hæc alia, *Omnis homo est risibilis.*

Conclusio demonstrationis bifariam potest cognosci.

[b] *Verum est tamen, quòd Intelligentia habet aliquam cognitionem æternam*, &c. Nota quòd hoc verum est iuxta principia Aristotelis. Cæterùm secundùm Theologos & veritatem, cùm Intelligentia sit creata in tempore, nullam habet cognitionem æternam, atque adeò sumitur hîc *æternum* pro coæuo, ita vt sit sensus, quòd Intelligentia habet aliquam cognitionem coæuam. 17.

[c] *Compositum potest dici notius dupliciter*, &c. Nota quòd notius naturâ est idem quòd notius secundùm se, id est, quòd spectata rei entitate, est magis cognoscibile, & cùm cognoscibilitas rei sit ratione entitatis, id erit magis cognoscibile secundùm se, quod magis habet de entitate; quapropter hoc quod minùs habet de entitate, est minùs cognoscibile incipientibus discere, eo quòd cognitio addiscentium est imperfecta, atque ita priùs cognoscunt id, quod imperfectius, & quod secundùm se est minùs cognoscibile. Quod comprobat Aristoteles 7. Metaphys. text. 4. dicens, *Quæ singulis nota, & priora sunt, sæpenumero parum nota sunt, & parum, aut nihil habent veritatis, qui illorum cognitione sunt præditi.* Secus est de doctis viris: his enim quæ natura sunt notiora, id est, quæ secundùm se cognoscibilia sunt, etiam sunt magis nota, veluti principia, & causæ. Vnde sic habet Aristoteles. *Principia verò, & causas rerum cognoscere paucis contingit, atque illis doctis.*

Sensus ergo verborum Aristotelis, Non sunt eadem nobis nota, & naturæ est, quod illa quæ sunt perfectiora non sunt nobis primò distinctè cognita, sed potiùs imperfectiora. Nam cognitionem nostram distinctam speciei, præcedit distincta cognitio superiorum hæc autem superiora sunt minùs perfecta, quàm species, quæ naturâ, id est, secundùm se est magis nota, id est, magis perfecta; atque adeò cognitione distincta, & scientifica imperfectiora sunt magis nota nobis, naturæ verò magis perfecta, & per consequens non eadem sunt nobis nota, & naturæ. Et hunc ordinem seruauit Aristoteles in docendo hanc scientiam, quia priùs tractat de materia, & forma, & rursus de causis entis mobilis, & deinceps prosequitur alia de ente mobili. Insuper in consideratione principiorum priùs inquirit in vniuersali quot sint, & postea de quolibet illorum. Ex hoc sequitur, sensum Aristotelis illis verbis ab vniuersalioribus, & nobis notioribus, naturæque minùs notis, ad naturæ notiora nobísque minùs nota esse progrediendum, esse tradere modum nostræ cognitionis in qualibet scientia, ita vt semper qualibet cognitio scientiæ in addiscentibus incipiat ab vniuersalioribus conceptibus præsupponendis in illa scientia. 18.

Explicantur verba Aristotelis, Non sunt eadem nobis nota, & naturæ.

Secunda

19. Secundò sequitur. In [illegible] omnes conceptus vniuersales [illegible] comprehendendos ad subiecti sufficientem [illegible] tionem, sed ea tantum communia, & vniuersalia, quæ satis sunt ad Physicam notitiam habendam: qualia sunt, quæ Aristoteles inquirit, videlicet an sint plura principia, vel vnum: an sint contraria, &c. Ita sentit Scotus in 3. distinctione 24 vbi sic ait. *Scientia naturalis prout præcedit Metaphysicam habet suos terminos confusè notos, sed Metaphysica mediante definitione exprimit distinctè notitiam illorum, & tunc est perfectior, quando est cum Metaphysica.*

Tertiò sequitur, quòd quādo Aristoteles exemplificat in toto, loquens de nobis notioribus, loquitur de magis noto nobis cognitione confusa. Nam totum quia est magis perfectum, est cognitione distincta naturæ magis notum. Cæterùm cognitione confusa est nobis magis notum quàm naturæ, eaque nos priùs tale perfectum, & totum confuse cognoscimus: natura verò ipsum priùs distinctè cognoscit.

20. Et si dicas: Aristoteles docet incipiendum esse à notioribus nobis, & naturæ minùs notis, & in prima conclusione dixit, Incipiendum esse à principiis, & causis, quare principia, & causæ erunt nobis magis nota. Dico, quòd Aristoteles loquendo de ordine ex parte rerum dixit in prima conclusione esse incipiendum à principiis, quia principiata nequeunt distinctè cognosci sine principiis; quando verò dixit in secunda conclusione à notioribus nobis esse incipiendum, & non eadem esse nota nobis, & naturæ, voluit dicere, quòd in cognitione talium principiorum ab illis vniuersalioribus rationibus incipiendum est, quæ nobis notiores sunt, quàm naturæ: quia hic magis notum natura intelligit magis intentum, quales non sunt illæ vniuersales rationes à quibus incipiendum est.

EXPOSITIO TEXTVS.

21. Text. 5. VNde ex 1 *vniuersalioribus*, &c. Hic ponit tertiam conclusionem, scilicet, quòd ad cognitionem principiorum, causarum, & elementorum procedendum est ex vniuersalibus ad singularia, id est, minùs vniuersalia. Probatur primò, quia sicut se habet totum integrale ad sensum, ita totum vniuersale ad intellectum; sed totum integrale notius est secundùm sensum, igitur & totum vniuersale notius est secundùm intellectum. Maior patet per conuenientiam istorum ad inuicem: quia sicut totum integrale continet multas partes sensibiles; ita totum vniuersale continet multas partes subiectiuas. Secundò probatur idem, quia ab illis est procedendum, quæ sunt magis confusa; ad illa, quæ sunt minùs confusa & determinata; sed vniuersale est confusum, & indeterminatum, & minùs vniuersale est magis determinatum, ergo, &c. Maior patet, quia confusa sunt nobis notiora, vt patet in exemplo: quia definitum significat confusè illud idem, quod definitio significat determinatè, & distinctè; modò res notior est sub conceptu definiti, quàm sub conceptu definitionis, vt si dicatur inueni, affer circulum, bene intelliget quod dicitur, sed si dicatur, affer figuram planam, cuius circumferentia, &c. non intelliget. Tertiò probatur per signum, quia pueri in principio appellant omnes homines patres, & omnes mulieres matres, sed posterius in processu temporis determinant sibi patrem, & matrem. Et ista conclusio est sic intelligenda, quòd faciliùs est rem cognoscere, sub conceptu vniuersaliori, quàm sub conceptu minùs vniuersali, licèt in illis, quæ consueta sunt, nobis sine differentia sensibili temporis, occurrant nobis res sub vtroque conceptu.

QVÆSTIO V.

Vtrùm magis vniuersalia sint notiora minùs vniuersalibus?

Aristot. 1. *Phys. text.* 4 D. Thom. *lect.* 1. Themist. Simpl. Auerr. *ibid.* Albert. 1 *Phys. tract.* 1 *c.* 6. Mayron *q.* 1. Caionic. *q.* 2. Conymb. *quæst.* 3 Ruuius *quæst.* 3. Roccus *quæst.* 2.

ISTIVS quæstionis multiplex est sensus, & ne [a] procedam in æquiuoco, Primus sensus est, *Vtrùm vniuersalia*, id est, causæ vniuersales sint notiores minùs vniuersalibus. Et de isto certum est, quòd non: quia tales causæ vniuersales, scilicet substantiæ separatæ sunt valdè difficulter cognoscibiles, vt patet secundo Metaphys. text. 1. Secundus [b] sensus potest esse. Vtrùm vniuersalia secundùm existentiam sint notiora singularibus; & certum est quòd non. Tertius sensus, Vtrùm terminus vniuersalis sit notior termino minùs vniuersali, & hoc non est ad propositum, quia tales termini [c] non cognoscuntur nisi reflexè. Quartus sensus: Vtrùm propositio vniuersalis sit notior propositione minùs vniuersali. Et tunc de hoc est distinguendum, quia quædam sunt principia, acquisita in nobis per experientiam, & in talibus oportet cognoscere aliquas singulares, priusquam cognoscatur propositio vniuersalis; sed non oportet omnes præcognoscere, quia priùs cognosco quòd omnis ignis est calidus, quàm cognoscam de isto igne, quòd est calidus. 1.

Alia sunt principia acquisita in nobis ex naturali inclinatione intellectus ad verum. Et in illis præcognoscitur vniuersalis. Vnde priùs cognosco, quòd omnis linea est diuisibilis per æqualia, quàm cognoscam de ista linea, quòd sit diuisibilis per æqualia; & eodem modo est de quibusdam sequentibus ex principiis, quòd priùs cognoscitur conclusio vniuersalis, quàm particularis: verbi gratia, ex isto principio, *Omnis lactuca sanat febrem calidam*, cum vno alio sibi adiuncto, scilicet quòd *contraria contrariis curantur*, infertur illa, quòd *omnis lactuca est frigida*, quæ priùs cognoscitur, quàm aliqua sua singularis. Quintus sensus, Vtrùm propositio facta de terminis communioribus, cæteris paribus sit notior propositione facta de terminis minùs communibus. Et Commentator videtur dicere, quòd sic, super isto primo; & ideò dicit, quòd liber Physicorum præcedit alios libros naturales, eo quòd propositiones illius libri sunt notiores, eo quòd sunt factæ de terminis communioribus, verbi gratia, notius est, quòd omnis motus est de contrario in contrarium, quàm quòd omnis alteratio est de vna qualitate contraria in aliam contrariam. Sed istud non est vniuersaliter verum: quia de terminis valdè notis possunt formari propositiones multùm dubiæ, & inuidentes. 2.

Sextus sensus est, Vtrùm res priùs cognoscatur sub cōceptu vniuersaliori, quàm sub conceptu 3.

minùs vniuersali; & in isto sensu intelligit Aristoteles. Et ideò arguitur quòd non. Quia omne agens naturale non impeditum in passum sufficienter dispositum producit priùs suum effectum perfectissimum, quia non apparet, quare impediatur. Sed obiectum extra est agens naturale non impeditum, & eius effectus perfectissimus est conceptus speciei, vel conceptus singularis, & passum, scilicet sensus, vel intellectus, est sufficienter dispositum ad recipiendum; igitur primò producit conceptum speciei, vel conceptum singularis, qui est perfectior, eo quòd continet omnes alios conceptus.

Secundò sequitur, quòd quando primò videbimus Socratem, vel aliud obiectum, quòd magnum tempus esset, priusquam conciperem ipsum sub conceptu speciei specialissimæ, vel sub conceptu singularis, ex quo oporteret procedere per omnes conceptus, a generalissimo vsque ad singularem, secundùm proprietatem temporis; sed consequens est falsum. Probo, quia non experimur. Similiter non apparet, quòd inuentus sit talis ordo conceptuum. Similiter de visibilibus consuetis istud non est verum; imò apparet nobis oppositum.

4. Tertiò, quia res percipitur à sensu, priùs sub conceptu singulari, quàm vniuersali; igitur non priùs concipitur sub vniuersali. Tenet consequentia, quia conceptus vniuersalis non causatur in intellectu, nisi præhabitâ cognitione, quam habuit sensus: quia solùm intelligit vniuersale abstrahendo conceptum vniuersalem à circunstantiis singularibus: & antecedens apparet, quia sensus solùm cognoscit singulare, vt patet 1. Post. text. 49. & 1. de Anima, text. 60.

Quartò sequitur, quòd Metaphysica esset prior aliis scientiis viâ doctrinæ: consequens est falsum, per Auicennam in 1. suæ Metaphysicæ. Probatur consequentia, quia Metaphysica determinat de rebus sub conceptibus vniuersalissimis, igitur cùm illi sint notiores, sequitur quòd Metaphysica est scientia notissima, & per consequens prior aliis viâ doctrinæ.

Quintò, quia res est notior sub conceptu definiti, quàm sub conceptu minùs vniuersali. Tenet consequentia, quia definitio, vel saltem pars definitionis, est vniuersalior, quàm sit definitum: imò dicit Linconiensis 2. Posterior. quòd aliqua est definitio, cuius quælibet pars se habet in plus, quàm definitum, sed tota definitio se habet æqualiter.

5. Sextò. Ponatur quòd Socrates sit prope me, ita vt cognoscam ipsum sub conceptu singulari, correspondente isti termino *Socrates*, deinde elongetur Socrates continuè, donec propter distantiam non appareat benè, án sit homo, vel brutum, & ita continuè elongetur vsque quo non appareat. Tunc in istu casu accidit totum contrarium conclusioni: nam Socrates priùs concipitur conceptu singulari, deinde conceptu specifico, & ita consequenter vsque ad conceptum substantiæ, vel ad conceptum transcendentis deuenitur.

6. *Conceptus vniuersalis est duplex.* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 4. Notandum, quòd duplex [d] est conceptus vniuersalis, quidam cum circunstantia particulari sibi appropriata, vt hoc ens, hoc corpus, & huiusmodi. Alius est sine tali circunstantia, vt homo, animal, & huiusmodi; & differunt isti conceptus ab inuicem, primò quo ad hoc [e] quòd intellectus habet actualiter conceptum vniuersalium cum circunstantia particulari, aut cum pluribus circunstantiis particularibus, oportet, quòd actualiter respiciat, & intendat ad phantasmata causata ab illo cuius est ille conceptus: sed ad hoc, quòd habeat conceptum vniuersalem sine huiusmodi circunstantia, non requiritur, quòd actu intendat ad phantasmata, sed requiritur, quòd aliàs respexerit ad illa, & intenderit.

Secundò differunt sicut causa, & causatum. 7.
Nam conceptus vniuersalis cum circunstantia particulari est causa effectiua instrumentalis conceptus vniuersalis sine tali circunstantia. Vnde cùm sensus, vel intellectus percipit obiectum priùs sub hoc conceptu, *hoc ens*, deinde sub isto, *hoc corpus*, & sic consequenter vsque ad conceptum indiuidui. Verbi gratia, Socratis, tunc intellectus habito hoc conceptu, *hoc ens*, de Socrate, abstrahit circunstantias particulares eliciendo simplicem conceptum, scilicet ens, & sicut dictum est de isto conceptu, ita proportionabiliter de aliis suo modo.

Tertiò differunt, quia brutis, & pueris non vtentibus ratione, benè insunt conceptus cum circumstantiis particularibus: sed alij conceptus nequaquam, quia tales habentur per rationem, & discursum intellectus.

Secundò sciendum, quòd isti conceptus conueniunt ad inuicem. 8.
Primò, quia neuter illorum potest causari ab aliqua re futura, sed quilibet requirit in sua generatione obiectum actu mouens sensum, vel intellectum; tamen illi conceptus licèt non causentur à rebus futuris, tamen sunt significatiui rerum futurarum. Secundò conueniunt; quia sicut in ordine conceptuum simplicium sine circunstantiis particularibus, vnus conceptus est vniuersalior alio, vt puta animal, quàm homo; ita in ordine conceptuum cum illis circunstantiis est vnus vniuersalior alio, vt puta *hoc ens*, quam *hoc corpus*, & ita consequenter, & huiusmodi circunstantiæ particulares solebant vocari ab antiquis conditiones indiuiduales. Tertiò conueniunt, quia in neutro illorum ordinum potest esse aliquis conceptus simpliciter simplex: imò quilibet ad minùs esset repræsentans diuersorum similium, sicut declaratum fuit de duobus punctis in quæstione alia.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd 9. *Conceptuum ordo.*
in ordine conceptuum vniuersalium cum circunstantiis singularibus, semper priùs concipitur res sub conceptu vniuersaliori, quàm sub minùs vniuersali. Probatur, quia quando aliqua duo, puta A, & B, sic se habent, vt quælibet causa sufficiens producere alterum illorum, vt puta B, sufficiat etiam producere reliquum, & non è contra, priùs dicitur producere ipsum A, quàm ipsum B: sed sic se habent conceptus vniuersalior, & conceptus minùs vniuersalis, quòd à quocumque potest produci conceptus minùs vniuersalis, ab eodem potest produci conceptus vniuersalior, & non è contra; igitur semper quodlibet obiectum sufficiens est producere vtrumque. Priùs producit conceptum vniuersaliorem, quàm minùs vniuersalem.

Ex isto sequitur, quòd alicui communitati potest esse notus conceptus vniuersalis, & tamen nullis duobus illius communitatis nota essent aliqua singularia illius: patet, si quilibet illorum de communitate deueniat in notitiam illius vniuersalis per aliud, & aliud singulare, v. g. si vnus deueniat in notitiam animalis sub isto conceptu animalis 10.

animalis causato à leone, & alius sub eodem causato a boue, & tertius sub eodem causato ab homine, & sic de aliis, tunc toti communitati notus est tale conceptus, & tamen nullum singulare ipsius notum esset pluribus.

Secundò probatur conclusio, quia semper confusa sunt notiora nobis, quàm magis distincta: modò vniuersaliora sunt magis confusa, & minùs vniuersalia magis distincta; igitur res priùs concipitur sub conceptu vniuersaliori, quàm sub conceptu magis distincto; & hoc patet exemplariter de pueris, qui in principio appellant omnes homines patres, & omnes mulieres matres, sed postea habitâ cognitione perfectiori, determinant sibi patrem & matrem.

11. Secunda conclusio. In ordine conceptuum vniuersalium simplicium sine circumstantiis particularibus, semper res est notior sub conceptu vniuersaliori, quàm sub minùs vniuersali. Probatur, quia intellectus elicit huiusmodi conceptus vniuersales simplices abstrahendo circunstantias particulares, mediantibus quibus recipiebantur in sensu, & in phantasia, igitur primo ordine, quo conceptus illi cum circunstantiis recipiebantur in sensu à phantasia, eodem ordine & intellectus abstrahit huiusmodi circunstantias; sed priùs tempore res concipitur sub conceptu vniuersaliori cum tali circunstantia; igitur priùs tempore intellectus abstrahit circunstantiam particularem à conceptu vniuersaliori, quàm minùs vniuersali, & per consequens res priùs cognoscitur sub tali conceptu, quàm sub minùs vniuersali.

12. Tertia conclusio. Tempus perceptionis huiusmodi conceptuum iudicatur per assuefactionem cognitionis cognoscibilium. Patet, quia à visibilibus consuetis videtur tempus illud esse adeò modicum, vt non experiatur, sed in illis quæ non sunt consueta videri benè apparet successio; vt si aliquis videat valdè à remotis, priùs percipitur quòd sit corpus, deinde cùm fuerit aliqualiter magis propinquum, vt possit percipi motus, vel figura, aut huiusmodi dispositio, percipitur quòd sit animal; deinde magis appropinquando cùm percipitur rectitudo staturæ, & huiusmodi, concipitur quòd sit homo, & ita tandem quòd sit Socrates.

Ex quo sequitur, quòd res percipitur sub huiusmodi conceptu vniuersaliori, vel minùs vniuersali per comparationem ad alias res aliàs cognitas. Ex quo patet, quòd si nunquam vidissem nisi vnicam rem, de illa solùm haberem vnum conceptum quiditatiuum, & si cognouissem solùm duas res, tunc de qualibet illarum haberem duas cognitiones, scilicet vnam communem, & aliam specialem.

Ex quo sequitur secundò, quòd de qualibet re habet tot conceptus quiditatiuos diuersos, quot differentias essentiales percipit illius ad aliquam aliam rem.

Patet igitur qualiter in duobus ordinibus prædictis conceptuum, semper conceptus de primo ordine, est prior conceptu sibi correspondente in alio ordine. Secundò patet, qualiter in vtroque ordine res priùs concipitur sub conceptu vniuersaliori, quàm sub minùs vniuersali.

13. Ad rationes. Ad primam negatur maior: nam ignis est effectus perfectissimus producibilis ab igne, & tamen ignis applicatus ad stupam sufficienter dispositam ad susceptionem suæ actionis non agit primò ignem in illam stupam, sed priùs agit calorem: quia per illum producitur ignis in stupa. Similiter effectus perfectissimus producibilis à Sole, est vermis in istis inferioribus; & tamen in materia disposita; non primò producit animam, sed primò producit lumen, influentiam & calorem, à quibus producitur vermis. Similiter volitio est actus perfectissimus intellectus, & tamen non primò producitur ab intellectu; quia intellectus primò producit cognitionem, mediante qua elicit volitionem. *Accipitur hîc intellectus pro anima intellectiua.*

Ad secundam, sequitur, quòd magnum tempus, &c. concedo, quòd in visibilibus inconsuetis videtur tempus esse satis magnum, & sensibile; sed in aliis, quæ consueta sunt videri, successio est insensibilis. Et cùm dicitur de brutis, dico, quod brutis insunt conceptus vniuersales cum circunstantiis singularibus, & eo ordine, quo nobis.

14. Ad tertiam, Quia sensus sentit singulare. Dico, quòd sensus sentit rem sub conceptu vniuersali cum circumstantia particulari, & priùs percipitur res, sub hoc conceptu, *hoc ens*, *hoc corpus*, *hoc finitum*, vel *in hoc loco*, quàm sub isto conceptu, *hoc animal*; & ideò sensus solùm sentit singulare, eo quòd solùm sentit sub conceptibus mediantibus istis circunstantiis, qui omnes dicuntur conceptus singulares respectu conceptuum vniuersalium simplicium eis correspondentium, & intellectus non solùm sentit singulare sub huiusmodi conceptibus, sed etiam vniuersaliter sub conceptibus vniuersalibus simplicibus.

15. Ad quartam negatur consequentia: quia sicut dictum fuit, ex terminis valdè notis possunt fieri propositiones incertæ, & multùm ineuidentes, vt isti termini sunt noti, *Astrum*, & *Par*; & tamen de ipsis formatur propositio dubia valdè, vt *astra sunt paria*.

Ad quintam concedo, quòd res est notior sub conceptu definiti, quàm sub conceptu definitionis; & concedo vlteriùs, quòd possibile est, quòd quælibet pars definitionis sit vniuersalior definito, & ideò res illa esset notior, sub qualibet parte definitionis, quàm sub conceptu definiti; non tamen ita est de definitione: quia complexio illa terminorum, vel ordo ille est minùs notus.

Ad sextam dico, quòd adhuc in illo casu Socrates priùs concipitur conceptu vniuersaliori, quàm sub conceptu minùs vniuersali, attamen priùs obliuiscitur conceptus speciei, quàm conceptus generis, vt probat argumentum.

ANNOTATIONES.

16. [a] ET *ne procedam in æquiuoco*, &c. Nota quòd omne æquiuocum est necessariò distinguendum. Vniuersale autem multiplex est. Vno enim modo sumitur complexè, cuiusmodi est propositio, cuius veritas ex singularium multorum per se veritate dependet, vt hæc propositio, *omnis homo est albus*, huius vniuersalis meminit Aristoteles 1. Posterior. cap. 7. dicens, *Vniuersale est principium scientiæ*, quia notitia scientifica est habita ex præmissis. *Vniuersale multiplex.*

Secundo modo sumitur vniuersale incomplexè; & sic est aliquod vnum ens simplex ad plura habens ordinem, & secundùm multiplicem ordinem, quem habere potest, multiplex est huiusmodi vniuersale. Si enim habet ordinem causæ

efficientis ad plures effectus producendos, dicitur cauſa vniuerſalis effectiua; quemadmodum cæli dicuntur à Philoſophis cauſæ vniuerſales; & Deus Optimus Maximus eſt omnium vniuerſaliſſima cauſa. Si tamen habet ordinem ad effectus, vt finis propter quem ſunt producti, dicitur etiam cauſa vniuerſalis finalis, quo pacto ipſum bonum dicitur cauſa vniuerſalis: quia effectus propter bonum operati ſunt, & Deus ſimiliter hoc modo eſt cauſa omnium effectuum, à ſe productorum: quia *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus*, Prouerb. 16. Materia etiam prima in genere cauſæ materialis eſt cauſa vniuerſalis omnium corporalium, quia eſt primum ſubiectum ex quo omnia fiunt, huiuſmodi vniuerſalia dicuntur vniuerſalia in cauſando.

17. Tertio modo dicitur vniuerſale illud, quod cùm ſit vnum exiſtens, multorum eſt ſubſtantia; quo pacto maledictus Auerroës falsò putabat vnum eſſe intellectum omnibus hominibus. Et diuinus Plato non benè dixit, ideas eſſe ſeparatas quarumlibet naturarum, à quibus particulares naturæ accipiebant eſſe, ſcilicet quòd erat humanitas vniuerſalis, & equinitas, & ſic de cæteris naturis, quæ erant independentes à tempore, & loco realiter exiſtentes, à quibus plures homines, & equi accipiebant eſſe hominis, & equi; ſicut illi imponit Ariſtoteles. Huiuſmodi vniuerſale dicitur vniuerſale in eſſendo, cæterùm tale vniuerſale eſt quid fictitium, & fabuloſum; neque intelligi poteſt, vt latè probat Ariſtoteles in libris Poſteriorum, & Metaphyſicæ, hanc Platonis ſententiam improbans.

Quarto modo dicitur vniuerſale in repræſentando, cuiuſmodi eſt ſpecies intelligibilis, & actus intelligendi; ſpecies ſiquidem intelligibiles repræſentant rem in communi in quantum habet eſſe intelligibile; actus verò intelligendi repræſentat rem in eſſe cognito.

18. Quinto modo dicitur vniuerſale in cognoſcendo, quo pacto anima ab Ariſtotele 3. de Anima, tex. 37. dicitur eſſe omnia, & poſſe cognoſcere: cuius verba ſunt iſta: *omnia quæ ſunt quodammodò eſt anima.* ratio eſt, quia per ſenſum, & intellectum cognoſcuntur ſenſibilia, & intelligibilia; ſed in anima eſt ſenſus, & intellectus, ergo anima cognoſcere poteſt omnia ſenſibilia, & intelligibilia: ergo anima in cognoſcendo eſt omnia.

Sexto modo dicitur vniuerſale in ſignificando quo pacto vna vox vniuoca multa ſignificat, vt homo, vel animal. Tandem ſeptimo eſt vniuerſale in prædicando, id ſcilicet quod dicitur de multis diuiſim, & verè, de quo eſt hic ſermo.

19. [b] *Vtrùm vniuerſalia ſecundùm exiſtentiam*, &c. Nota quòd vniuerſale in prædicando quadrupliciter poteſt accipi. Primo modo pro natura cōmuni apta ſecundùm ſe pluribus cōmunicari, & hoc appellant vniuerſale Metaphyſicum, & fundamentum remotum vniuerſalitatis, quod in ipſis ſingularibus realiter exiſtit: nam vniuerſalia, vt probat Ariſtoteles 7. Metaphyſicæ, text. 57. contra Platonem, non ſunt à rebus ſingularibus ſeparata. Nullum enim vniuerſalium, vt ibi dicit Ariſtoteles, exiſtit præter ſingularia ſeparatim, & 10. Metaph. text. 6. dicit vniuerſale debet eſſe in ipſis ſingularibus, de quibus prædicatur.

Vniuerſale in prædicando quadrupliciter ſumitur.

Secundo modo vt talis natura habet eſſe cognitum actuale, quod eſt eſſe obiectiuè in intellectu, quando ſcilicet intellectus eam intelligit, ſecundùm quòd talis eſt.

Tertio modo in quantum accipitur, vt ſtat ſub ſecunda intentione, à qua dicitur vniuerſale in actu, eo quòd tunc competit ei definitio vniuerſalis in actu, & eſt in potentia propinqua, vt prædicetur de quolibet inferiori.

Quarto modo accipitur pro ipſa ſecunda intentione, quæ dicitur vniuerſalitas, ſeu ratio vniuerſalitatis, quia eſt quæ denominat naturam vniuerſalem. Patet igitur, quòd vniuerſalia non ſunt notiora ſecundùm exiſtentiam, cùm non exiſtant niſi in ſingularibus.

[c] *Quia tales termini non cognoſcuntur niſi reflexè.* 20.
Nota quòd terminus ſignificatiuus tam primæ, quàm ſecundæ notionis, cùm aliquid vltra ſeipſum repræſentet, non poteſt actu recto intelligi, quia tunc primò ſeipſum repræſentaret, & non aliud, tantùm ergo reflexè intelligitur, quemadmodum etiam ſecundæ notiones reflexè intelliguntur. Vide Mauritium quæſt. 5. Vniuerſalium.

[d] *Duplex eſt conceptus vniuerſalis*, &c. Nota quòd 21.
vniuerſalia, prout docet Scotus in 4. diſtinctione 8. quæſtione 1. concluſione 9. priùs deſcendunt ad ſua particularia indiuidua, quàm ad ſpecies, & per conſequens à talibus indiuiduis prior erit abſtractio ſpecifici conceptus; qui conceptus ſpecifici, cùm quidam ſint vniuerſaliores, quidam minùs vniuerſales, quidam ſpecialiſſimi, vt quando indiuidua formantur ſub ratione entis, vel corporis, vel viuentis, vel animalis, vel hominis; vt hoc ens, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hic homo; dubium eſt qui hominis ſpecifici conceptus ſint primò cogniti, an communiores, an minùs communes, & modò in hac quæſtione dicit Scotus, quòd conceptus communior. Verba Scoti in 4. loco ſuprà relato ſunt iſta: *In ſingularibus eſt ordo, ſecundùm ordinem vniuerſalium: prius enim vnumquodque vniuerſale poteſt intelligi deſcendere in proprium ſingulare, quàm contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius tanquam ad ſpeciem, vt ſic habeamus ordinem iſtorum ſingularium, hoc ens, hæc ſubſtantia, hoc corpus, & ſic deinceps vſque ad Socratem. Hoc patet per Auicennam 1. Phyſica ſua; quod priùs videmus à remotis corpus, quam animal, & animal, quàm hominem; quod non eſt intelligendum de vniuerſali: quia viſus non videt vniuerſale, ſed ſingulare vniuerſalioris.* Hæc Scotus ibi: huiuſmodi autem ſingulare hîc Scotus appellat vniuerſale cum circumſtantia ſingulari.

[e] *Ad hoc, quòd intellectus habeat actualiter conceptum*, &c. Nota, quòd quælibet potentia cogno- 22.
ſcitiua, ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua percipit ſuum obiectum receptâ prius ſimilitudine eius, quæ ſimilitudo vocatur ſpecies. Hæc ſpecies ſolùm repræſentat potentiæ, quod ab ipſa percipitur; vt ſpecies pomi, quam viſus recipit, repræſentat viſui colorem pomi; ſpecies pomi, quam viſus recipit, repræſentat viſui colorem pomi; ſpecies autem, quam recipit guſtus, repræſentat ſaporem, & non colorem. Huiuſmodi ſpecies in ſenſu exteriori producitur ab obiecto exteriori; in oculo ſcilicet, à re colorata, in olfactu à re odorifera. In ſenſu autem interiori producitur ſpecies, non immediatè ab obiecto exteriori, ſed ab illa ſpecie ſenſibili, quam produxit obiectum exterius, talis ſpecies cùm ſit ſimilis priori, idem obiectum repræſentat, & dicitur phantaſma; ex iſto phantaſmate virtute intellectus agentis producitur alia ſpecies, quæ recipitur in intellectu

Potentia cognoſcitiua percipit ſuū obiectum recepta prius eius ſimilitudine.

poſſi

possibili; qui intellectus per talem speciem intelligit rem repræsentatam.

23. Ex diuersitate istarum specierum dignoscitur diuersa abstractio, species enim quæ in sensu exteriori recipiuntur, quia repræsentant rem præsentem ratione alicuius qualitatis sensibilis, solùm abstrahunt ab aliqua qualitate, non tamen à præsentia rei; sic visus cognoscit colorem sine sapore, non tamen colorem non existentem; sed hunc, & in hoc loco, & tempore; & idem de aliis sensibus exterioribus. Species tamen sensus interioris abstrahit à præsentia rei: quia non repræsentat rem actu existentem. Vnde imaginamur & præsentia, & absentia sensu Interiori, scilicet imaginatiua. At species intellectus repræsentat rem absque singularitate cum qua erat: verbi gratiâ, species hominis repræsentat hominem, non hunc particularem, sed abstrahendo ab hoc, & à loco, & tempore, & omnibus rationibus singularibus; & intellectus considerans naturam vt sic, dicitur intelligere vniuersale simpliciter, id est, sine circunstantia singulari, & talis natura est vniuersale, quod solet dici vniuersale Metaphysicum, & abstractum à phantasmatibus, eo quod abstrahit à specie illa existente in sensu interiori, quæ species dicitur phantasma. Cæterùm intellectus, quando intelligit vniuersale cum circumstantia singulari sibi appropriata, necesse est quòd actualiter respiciat, & intendat phantasma, quod naturam cum conditionibus singularibus repræsentat, Id quod non facit species intelligibilis.

24. f *In ordine conceptuum vniuersalium*, &c. Pro intelligentia primarum duarum conclusionum quas ponit Doctor In hac quæst. nota primò ex Scoto in 1. distinct. 3. quæst. 2. quòd triplex est ordo intelligibilium, alter est ordo originis, alter verò ordo perfectionis; tertius autem est ordo adæquationis, qui exposcit quodnam sit obiectum adæquatum nostri intellectus, quod quidem est ens, in quantum ens. Ordo perfectionis postulat, quòd sit obiectū perfectiori modo cognitum, vel quòd sit obiectum perfectius ex his, quæ cognoscuntur, de hoc secundo dicit, quòd Deus Opt. Max. est perfectissimum obiectum ex his, quæ intellectus potest cognoscere, & post ipsum species specialissimas, deinde genus proximum abstractum à specialissima, & sic deinceps per genera abstracta à perfectioribus speciebus. De obiecto perfectiori modo cognito dicit, quòd perfectiora sensibilia, & sensus efficaciùs mouentia sunt perfectiùs cognoscibilia, quia magis de Illis cognoscimus. De his autem duobus ordinibus intelligibilium non loquitur Scotus In hac quæstione, sed de tertio ordine, qui est originis, & quærit, quodnam sit illud, quod primò nostræ cognitioni se offert cognoscendum.

Ordo intelligibilium est triplex.

25. Partitur autem hic ordo tripliciter, est enim ordo originis cognitionis actualis, habitualis, & virtualis. Est autem habitualis notitia, quando obiectum sic est præsens intellectui in specie intelligibili, vt intellectus possit statim habere actum elicitum circa illud obiectum. Notitia verò virtualis est, quando aliquid intelligitur vt pars intellecti primi, nam vt primum intellectum, siue vt totale terminans Intellectionem, verbi gratiâ, cùm intelligo hominem, illa cognitio confusa virtualiter continet notitiam animalis, atque ita dicitur formalis hominis, & virtualis animalis.

Ordo originis in cognoscēdo est triplex.

26. In his duobus ordinibus originis habitualis, & virtualis cognitionis dicit Scotus, quòd communiora sunt priùs cognita viâ generationis, quia sicut diuersæ formæ perficientes idem perfectibile mediatiùs, & immediatiùs natæ sunt perficere illud: vt si forma substantiæ, corporis animati, & animalis essent diuersæ, priùs informaretur homo formâ substantiæ, deinde corporis, & vltimò formâ hominis, Ita similiter si vna forma Includat virtualiter perfectionem illarum, priùs informat sub ratione substantiæ, quàm corporis, & priùs sub ratione corporis, quàm animalis, quia in via generationis est processus ab imperfecto ad perfectum, ergo sicut plures conceptus communiores, & minùs communes habituales, & virtuales nati sunt perficere intellectum via generationis, ita, vt imperfectior semper sit prior, sic vnus conceptus continens omnes, siue habitualiter, siue virtualiter, per priùs informat sub ratione communioris, quàm particularis. & hic videntur rendere conclusiones, & rationes Scoti in hac quæstione.

27. Cæterùm loquendo de ordine originis cognitionis actualis; Nota secundò, quòd cùm duplex sit cognitio, confusa, & distincta, potest ordo originis intelligi comparando totam cognitionem confusam ad totam distinctam, vel talem confusam ad talem distinctam, vel distinctas Inter se, vel confusas inter se. Et vt certa ab incertis separemus.

Cognitio est duplex.

Primò certum est, quòd si comparemus totum ordinem confusè concipiendi ad totum ordinem distinctè concipiendi, totus ordo confusè concipiendi est prior viâ originis, ita Scotus vbi suprà: quia processus naturalis est ab imperfecto ad perfectum per medium, sed confusè cognoscere est quasi medium inter ignorare, & distinctè cognoscere, atque adeò confusè cognoscere, est ante quodcumque distinctè cognoscere.

28. Secundò certum est, quòd comparando ordinem, confusè cognoscendi aliquod totum actuale, ad ordinem distinctè concipiendi ipsum totum, ordo confusè concipiendi est prior viâ originis ordine distinctè concipiendi ipsum totum actuale, & similiter comparando ordinem confusè concipiendi totum potentiale cum ordine concipiendi distinctè ipsum totum potentiale, prior est ordo concipiendi totum potentiale confusè, quàm distinctè.

Tertiò certum est, quòd comparando cognitiones distinctas inter se, prior est cognitio distincta actualis, quàm distincta potentialis: quia cum distincta potentiali non potest stare confusa actualis: nam quando deuenitur ad distinctam potentialem, iam est distincta actualis, atque adeò ipsam distinctam potentialem præcedit distinctio actualis. Cum distincta tamen actuali benè potest stare confusa potentialis. Simul enim ignorare possum animal in suis speciebus, & cognoscere quid sit animal in eo quod totum definibile.

29. Quartò certum est, quòd cognitio confusa actualis est prior confusa potentiali. Ex his certis sequitur primò ordo harum cognitionum. Prima est cognitio actualis confusa, secunda potentialis confusa, tertia actualis distincta, & quarta potentialis distincta. Secundò sequitur, quòd id, quod est primò cognitum cognitione confusa actuali, est simpliciter primò cognitum viâ originis.

Totum est duplex, actuale, & potentiale.

Nota tertiò, quòd duplex est totum, nimirum actuale, seu definibile, & totum potentiale. Totum actuale est respectu partium essentialium, materiæ scilicet, & formæ: vel generis & differentiæ, quæ dicuntur partes actuales. Totum potentiale est superius respectu inferiorum, quæ dicuntur partes potentiales, & subiectiuæ.

30. Nota quartò, quòd huiusmodi totum sicut habet duplicem totalitatem, ita habet duplicem cognitionem, confusam scilicet, & distinctam; & quælibet harum duplex est. Confusa enim si est totius potentialis, dicitur confusa potentialis, si verò est totius actualis, dicitur confusa actualis. Simili modo dicatur de notitia distincta, verbi gratiâ, quando cognoscitur homo secundùm quòd est totum actuale, seu definibile, potest cognosci confusè, & distinctè; confusè, si non cognoscantur eius partes actuales, distinctè verò, quando cognoscitur cognitis eius partibus essentialibus, scilicet genere, & differentia, & dicitur cognitio distincta actualis, sicut altera dicitur actualis confusa. Similiter quando cognoscitur animal non secundùm quòd est totum actuale & definibile, sed secundùm quòd est totum potentiale continens sub se species, cognosci potest confusè, & distinctè: cognoscitur distinctè, si cognoscantur omnes eius partes subiectiuæ, diciturque cognitio distincta potentialis: cognoscitur autem confusè non cognitis eius partibus subiectiuis, & dicitur cognitio confusa potentialis.

31. Ex hoc infert Scotus, vbi suprà, aliud esse confusè cognoscere, aliud confusum cognoscere, & similiter aliud esse distinctè, aliud verò distinctum cognoscere. Cognoscere confusum, siue indistinctum est cognoscere totum, siue actuale, siue potentiale, vt totum quoddam est. Cognoscere verò distinctè, est cognoscere aliquid horum totorum resoluendo ipsum in suas partes. Cognoscere autem confusè, est cognoscere aliquod illorum sine partibus, cognoscere tandem distinctum, est cognoscere aliquam partem totius.

Intellectus nostri duplex est status.

Ex his inquit Scotus vbi suprà, quòd cognitione confusa actuali primum cognitum est species specialissima. Pro cuius intelligentia obseruandum est, duplicem esse statum nostri intellectus, alter est naturalis, cùm priuatus est omni scientia, & per sensum incipit intelligere. Alter est status perfectus quando iam scientiam acquisiuit. Scotus loquitur de primo statu.

32. Secundò obseruandum est, quòd cùm intellectus non intelligat, nisi ministrante phantasmate sensibili, illud erit primò cognitum, cuius phantasmata magis sensata sunt, cuius videlicet accidentia magis sensum mouent, vnde tota difficultas eò prouenit, vt inueniatur, quæ accidentia magis sint sensum mouentia, vt sic etiam indagare possimus, quid sit primò cognitum, vtrùm scilicet magis moueant accidentia generis, vt animalis, aut speciei, vt hominis.

Quid intelligat Scotus per conceptũ specificum.

Tertiò obseruandum est, quòd per conceptum specificum non debet intelligi conceptus speciei specialissimæ, sed quicumque abstractus ab indiuiduis immediatè, siue sit species, siue generis: nam vt suprà ex Scoto annotauimus, vniuersalia priùs descendunt ad sua particularia indiuidua, quàm ad species; & per consequens à talibus indiuiduis priùs erit abstractio specifici conceptus, & ille conceptus specificus erit primò cognitum, cuius singulare fortiùs mouet sensum. Non enim dixit Scotus absolutè conceptum speciei specialissimæ esse primum cognitum, sed dixit, nisi sit impedimentum, hoc est, si non desit debita sensibilium applicatio. Tunc autem erit debita sensibilium applicatio, quando omnia accidentia talium sensibilium sentiri possunt.

Quartò obseruandum est, quòd talis est ordo inter potentiam superiorem & inferiorem, quòd quando inferior efficaciùs mouetur ab aliquo obiecto, superior etiam efficaciùs mouetur propter ordinem potentiarum: si enim aliqua albedo efficaciter mouet potentiam visiuam, causando speciem sensibilem, efficaciter mouetur virtus phantastica recipiendo phantasma albedinis: & illud phantasma efficaciter mouet intellectum causando speciem intelligibilem albedinis, & stante efficaci motione alicuius singularis respectu potentiæ sensitiuæ, communiter stant aliæ superiores motiones. 33.

Qualis sit ordo inter potentiam superiorem, & inferiorem.

Quintò obseruandum est, quòd debita distantia non est idem, quòd æqualis, quoniam vna distantia sufficit respectu vnius agentis, quæ non sufficit respectu alterius. Ignis enim minorem distantiam requirit, vt debeat ignire, quàm vt debeat calefacere: si tamen sint agens, & patiens debitè approximata, & disposita, semper perfectius agens aget priùs suum effectum, quàm imperfectius, in tantum, quòd si ignis esset sufficienter approximatus alicui combustibili summè disposito, non habenti contrarium formæ ignis, priùs saltem naturâ igniret, quàm calefaceret; & quòd nunc priùs calefaciat, est propter formam contrariam in passo, resistentem formæ introducendæ. Et ex hoc intelligitur, quare à remotis causatur conceptus imperfectior: quia ad conceptum perfectiorem requiritur maior approximatio, atque ideò nil mirum, si species illa eadem priùs causat notitiam superioris, quàm inferioris, si non sit debita substantia. Singulare enim speciei specialissimæ mouet ad conceptum entis, substantiæ, corporis, viuentis, animalis, & hominis, secundùm proportionem, & debitam distantiam, ita videlicet, vt debita distantia, vt moueat ad ens, est remotior, quàm potest haberi, & quanto perfectior debet produci conceptus, tanto maiorem approximationem requirit, & illa erit debita distantia. 34.

Distantia debita quid sit.

Quare à remotis causetur conceptus imperfectior.

Ex hoc sequitur, quòd si sit imperfecta applicatio, primò occurrit conceptus specificus superior, & quò magis imperfecta applicatio, magis superior conceptus: quia indiuidua diuersarum specierum minùs tunc distinguuntur, & vnius apparent rationis. Cæterùm incipiendo à perfectissima applicatione, primum vniuersale cognitum est species specialissima, & iuxta hunc sensum loquutus est Scotus in distinctione 3. quæstione 2. incipiendo verò à minùs perfecta, est genus proximum; postea in minùs perfecta applicatione erit superior conceptus, atque ita vsque ad supremum. Incipiendo autem ab imperfectissima applicatione, primus conceptus est specificus supremus, & sic descendendo vsque ad speciem: quia ordo horum conceptuum actualium confusorum sumitur ex parte applicationis indiuiduorum ad sensum. Verùm quia vt plurimùm sunt imperfectæ applicationes, ac minùs discernuntur inter se indiuidua viâ originis, sequitur quòd conceptus vniuersalissimus primus, est primum cognitum, & hoc voluit Scotus in hac quæstione. 35.

Vnde

36. *Quid sit primum cognitum.* Vnde resolutoriè ex dictis procedendo, dico quòd via originis in cognitione confusa actuali, si obiectum sit in debita applicatione, primus conceptus est speciei specialissimæ, sin minùs erit conceptus specificus, cuius singulare fortiùs mouet sensum secundum debitam applicationem. In cognitione verò distincta actuali, quæ in scientiis vtilis est, ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia procedendum est, scilicet ab ente vsque ad infimam speciem: quoniam nulla res actualiter distinctè cognoscitur, nisi quando cognoscuntur omnia, quæ includuntur in ratione eius essentiali. ens autem quiditatiuè includitur in omnibus conceptibus quiditatiuis inferioribus, igitur nullus conceptus inferior distinctè cognoscitur, nisi concepto ente distinctè, atque adeò ens est primus conceptus distinctè conceptibilis, & post ens quæ sunt illi propinquiora vsque ad conceptum speciei. In cognitione insuper confusa potentiali ab vniuersalioribus incipitur ad minùs vniuersale: quia in cognitione confusa alicuius totius, prior est cognitio talis totius, quàm cognitio suarum partium, sed ipsum totum est vniuersalius suis partibus, quare in cognitione confusa potentiali ab vniuersali ad particulare est progressus. Tandem in cognitione distincta potentiali, à minùs vniuersalibus ad vniuersaliora progrediendum est. Nam nullum totum potest distinctè cognosci, secundùm quod totum est, nisi eius, vt sic, partes cognoscantur, at in cognitione distincta potentiali, cognoscitur totum potentiale; igitur non potest cognosci nisi cognitis suis partibus. Tunc vltra suæ partes sunt eius inferiora; ergo in cognitione distincta potentiali, ab inferiori ad superius incipiendum est.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 6. *NEcesse 1 autem*, &c. Iste est secundus tractatus huius primi, in quo Philosophus determinat de principiis intrinsecis rerum naturalium secundùm opiniones antiquorum: & continet duo capitula: Primum est secundùm opiniones non naturaliter loquentium. Secundum est de opinionibus illorum, qui loquebantur. Secundum ibi: *Sicut autem Physici.* Primum capitulum diuiditur, quia primò enumerat opiniones antiquorum non naturaliter loquentium per modum diuisionis. Secundò, ostendit quòd ipsas improbare non pertinet ad Philosophum naturalem; & tertiò improbat ipsas per Metaphysicam. Secundum ibi: *Id quidem igitur.* Tertium ibi; *Et quoniam de natura.* Primò dicit 2 quòd necesse est principium esse vnum, vel plura. Si vnum, aut est immobile, sicut dixit Parmenides, & Melissus; aut mobile motum, sicut dixerunt Philosophi naturales.

2. Text. 7. Si verò ponatur principium esse vnum: tunc quidam dixerunt esse aërem, aut aquam; aut aliquod aliorum corporum. Si verò 2 plura, aut sunt finita, vel infinita si finita, aut sunt duo, vel tria; vel in aliquo certo numero: si sunt infinita, vel igitur sicut dixit Democritus, qui dixit, quòd essent infinita corpora atoma, quorum quodlibet haberet diuersam figuram ab alio; quorum aliqua essent calida, & aliqua frigida, & ideò differebant specie, & eodem modo sicut quærunt de principiis, ita quærunt de entibus, aut sunt vnum ens, vel plura, vel finita, aut infinita, & sic vtuntur quasi pro eodem istis terminis *principium*, & *ens*.

ANNOTATIO.

NEcesse est principium esse 2 unum, vel plura, &c. Nota quòd Philosophi antiqui, qui ponebant vnum principium, partim erant in septem opiniones. Prima fuit Melissi, ponentis vnum principium immobile, & infinitum, neque quod esse explicauit. Secunda fuit Parmenidis, ponentis vnum principium immobile, & finitum, at quod esset etiam non explicauit. Tertia sententia fuit Thaletis ponentis aquam esse omnium principium: quia humido videbat maximè viuentia consistere. Quarta fuit Diogenis, & Anaximenis, hi posuerunt aërem omnium esse principium. Quinta fuit Heracliti, qui posuit ignem. Sexta Hesiodi, qui fecit terram omnium principium. Septima fuit quorundam, qui medium inter aërem, & aquam, & vaporem principium posuerunt, hanc sententiam tribuit Simplicius Anaximandro. 3. *Septuplex antiquorum opinio de principiis rerum naturalium.*

EXPOSITIO TEXTVS.

ID quidem 1 igitur. Ostendit quòd ad Philosophum naturalem non pertinet istas opiniones improbare, & ponit duas conclusiones. Prima est, Ad Philosophum naturalem non spectat improbare istas opiniones: quia ad naturalem non spectat improbare illos, qui negant principia naturalia, sed isti negant, ergo, &c. Maior patet per simile: nam Geometer non habet ampliùs rationem contra negantem sua principia; sed hoc potiùs est alterius scientiæ communis, vt Dialecticæ, vel Metaphysicæ: & minor apparet, quia isti negant principia esse, quia ponunt vnum solùm esse, & si sic, cùm ad principium sequatur principiatum, sequitur quòd vnum est principiatum; & similiter ponunt illud vnum immobile, quæ tamen non est positio naturalis: cùm appareat inductione multa esse mobilia. Secundò 2 quia simile est intendere ad impugnandum istam opinionem, sicut & illam Heracliti, qui posuit, quòd omnia sunt vnus homo: nam fatuum est improbare istam, igitur & illam 4. Text. 8. Text. 9.

5. Text. 10. *At verò 3 neque.* Hic ponitur secunda conclusio, quòd ad naturalem non pertinet; soluere rationes Parmenidis, & Melissi. Probatur, quia nullam rationem peccantem in materia, & forma, pertinet ad Naturalem soluere, sed rationes ipsorum sunt huiusmodi, ergo, &c. Maior patet, quia hoc potiùs est de consideratione Dialectici, quàm Naturalis: & minor apparebit postea. Et subdit Aristoteles, quòd ratio Melissi est magis onerosa, attamen nulla earum valet, sed vno inconuenienti dato, multa contingunt, & hoc non est difficile. *Vno inconuenienti dato multa sequuntur.* Secundò 4 quia Naturalis non debet soluere aliquam rationem, nisi per quam aliquis conuinceretur suppositis principiis naturalibus: modò isti negant principia naturalia, ergo, &c. Maior probatur per simile, quia Geometer habet soluere rationem probantem quadraturam circuli per sectionem, eo quòd procedebat per principia Geometriæ, sed non habet soluere rationem Antiphontis, eo quòd non arguebat Geometricè; & minor patet, quia oportet, quòd supponamus, quòd naturaliter omnia, aut quædam mouentur, vt patet inductione, quod tamen ipsi negabant, & dicit Philosophus *quædam* fortè propter totam terram, quæ est immobilis. Text. 11.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Naturalis possit demonstrare sua principia?

Arist. *hic text.* 8 Simplicius *comm.* 8 Auerroës *comm.* 9 Themistius *n.* 2 Albertus *tract.* 2. *cap.* 1. D. Thom. *lect.* 2. Faber. *theorem* 20 Auersa 3. 1 *sect.* 4. Complut. *disp.* 1. *Proœm. q.* 2. Ruuius *in Proœm. num.* 3.

1. ARGVITVR quòd sic, quia plura entia esse, motum esse, primum motorem esse, & materiam primam esse, sunt principia scientiæ naturalis: sed ista demonstrantur per Naturalem; igitur Naturalis potest demonstrare sua principia. Maior patet quantum ad duas primas partes in primo huius, text. 13. & aliæ duæ patent in secundo huius, vbi dicitur, quòd materia, & efficiens sunt causæ & principia rerum naturalium; & minor apparet, quia in primo huius, text. 28. & 29. demonstratur, quòd plura sunt entia, & quòd motus est, & quòd materia prima est; & in 8. huius, text. 51. & inde, demonstratur primum motorem esse.

Secundò, quia vel principia naturalia habent probari per scientiam naturalem, & habetur propositum; vel per aliam scientiam communem, vt puta per Metaphysicam, & hoc non, quia fieret descensus de genere in genus, quem prohibet Aristoteles 1. Poster. text. 56.

2. Tertiò, quia consimiliter se habet Metaphysicus ad sua principia, sicut Naturalis ad eius principia: sed Metaphysicus potest probare principia Metaphysicæ; igitur Naturalis potest probare principia scientiæ naturalis. Maior patet, quia sicut naturalis scientia non habet aliquid notius suis principiis, per quod possint probari, ita nec Metaphysicus habet aliquod notius suis principiis, cùm sua principia sint notissima; & minor apparet, quia hoc est de ratione scientiæ communis, quòd possit probare sua principia, si negentur.

Quartò, quia principia scientiæ naturalis sunt ineuidentia, igitur possunt demonstrari. Tenet consequentia, quia aliter conclusiones sequentes ex eis non essent euidentes; & antecedens apparet; quia multi Authores negauerunt principia scientiæ naturalis, quod non esset, nisi propter eorum ineuidentiam.

Oppositum arguitur per Aristotelem tractatu a. cap. 1. text. 8. In quæstione primò videbitur in generali si Naturalis potest demonstrare sua principia, secundò videbuntur specialiter de illis duobus principiis, scilicet motu, & pluralitate entium, quæ tangit Aristoteles cap. prænominato. *Diuisio quæstionis.*

3. Quantum ad primum, quæstio sic intelligitur, vtrùm Naturalis per scientiam naturalem possit probare principia illius scientiæ. Vbi notandum est, quòd quædam sunt principia essendi, vt materia, & forma, & primus Motor, & huiusmodi, & de istis non quærit quæstio, quia de illis demonstrantur multæ passiones. Aut sunt principia [a] cognoscendi; quæ sunt in triplici differentia, quædam enim sunt definitiones; vt materia prima est primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliud cùm insit; & in quod si resoluatur habebit vltimum; aut sunt petitiones, vt in Mathematica petitur, quòd *à quolibet puncto ad quodlibet punctum possit protrahi linea recta*, & in scientia naturali petitur, quòd *vnumquodque arbitramur cognoscere, cùm causas eius cognoscimus, & principia vsque ad elementa.* Aut sunt communes animi conceptiones, vt in Mathematica, *omne totum est maius sua parte*, & in scientia naturali, quòd *natura semper agit de possibilibus, quod melius est*, & quòd *natura nihil facit frustrà.* *Principia sunt in duplici differentia.* *Principia cognoscendi sunt tria.*

Secundò sciendum, quòd propositio demonstrabilis est propositio [b] necessaria dubitabilis nata fieri euidens per præmissas in forma syllogistica ad inuicem applicatas. Vnde per hoc quod dicitur *necessaria*, differt a propositionibus contingentibus, quæ sunt euidentes, vt euidens est mihi, quòd tu sedes. Per hoc quod dicitur *dubitabilis*, excluditur principium per se notum, de quo non potest dubitari; per hoc quòd dicitur *nata fieri euidens*, excluditur propositio necessariò dubia, quæ nulla via potest declarari; verbi gratiâ, certum est, quòd altera istarum duarum est necessaria; *Astra sunt paria*, *Astra sunt imparia*; & tamen quæcunque illarum per nullam viam poterit declarari. Per hoc quod dicitur *per præmissas in syllogismo applicatas*, excluditur principium acceptum per experientiam, & de quo aliquando est dubitabile; verbi gratia, dubium est inexperto, an omnis ignis sit calidus, & tamen illud est necessarium natum fieri euidens, & est dubitabile, & tamen non est demonstrabile, quia non est natum fieri euidens per præmissas applicatas in syllogismo, sed per experientiam tantùm. 4. *Propositio demonstrabilis quid sit.*

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est: Plura entia esse, & motum esse, sunt principia scientiæ naturalis. Probatur, quia illa sunt principia scientiæ naturalis, quæ sunt accepta per sensum, & experientiam: sed plura entia esse, & motum esse, notum est per experientiam, ergo, &c. Maior patet, quia omnis notitia nostra in scientia naturali fundatur super experientiam: imò etiam sciẽtia Mathematica. Vnde nunquam cognosceremus, quòd omne totum esset maius sua parte, nisi priùs sensissem totum, & partem. Et ideò dicit Commentator in 8. huius, quòd quærere rationem, vbi habetur aliquod dignius ratione, scilicet experimentum, infirmitas quædam intellectus est: & minor apparet, quilibet enim experitur, quòd plura sunt entia, & quòd aliquod mouetur. 5.

Secunda conclusio: Naturalis non potest demonstrare sua principia, & loquor de principiis cognoscendi. Probatur, quia illa propositio non est demonstrabilis per scientiam naturalem, qua non est aliqua notior in scientia naturali, per quã possit probari: sed principiis scientiæ naturalis non est aliqua propositio notior in scientia naturali: ergo, &c. Maior patet per definitionem propositionis demonstrabilis, & minor apparet, quia in qualibet scientia principia sunt notiora, quàm quæcumque alia determinata in illa scientia. 6.

Tertia conclusio. Scientia communis, vt Metaphysica, vel Dialectica potest probare principia alterius scientiæ, & etiam sui ipsius. Probatur, quia adeò generaliter scientia communis considerat de omnibus, quòd potest probare principia aliarum scientiarum, & etiam sui ipsius, si negentur. Si quæratur, quæ sit causa diuersitatis istarum duarum conclusionum? Dicatur, quòd sit ista, quia negans principia alicuius scientiæ non specialis, non potest illud negare, nisi dicto, vel facto, & ex illo dicto, vel facto, scientia communis probabit illud principiũ: sed scientia specialis non sic potest. Vnde nisi aliqua fuerint præconcessa, vel prænegata à respondente negante principium

alicuius

alicuius scientiæ specialis, per illam scientiam, nunquam potest probare aliquod illorum principiorum, nisi tantùm ex illis præconcessis, vel prænegatis, & hæc de primo.

8. Quantum ad secundum notandum, quòd Aristoteles in isto primo, text. 15. negat istam, *tantùm vnum est*, quam Parmenides nitebatur probare, & ideò circa istud notandum, quòd ista dictio *tantùm*, quæ est exclusio, siue exclusiua, facit propositionem, in qua ponitur æquipollere vni hypotheticæ copulatiuæ, vt ista, *Tantùm animal est homo*, æquipollet isti, *animal est homo, & nihil aliud ab animali est homo*. Vnde quinque casibus redditur propositio impossibilis, in qua ponitur ista dictio *tantùm*. Primus casus est, quando additur termino distributiuo mediante signo vniuersali, vt dicendo, *Tantùm omnis homo est*, quia sequitur, *igitur omnis homo est, & nihil aliud ab omni homine est*, quod est impossibile, quia si omnis homo est, aliquis homo est, & aliquis homo est alius ab omni homine, igitur aliud ab omni homine est.

Hæc dictio tantùm quid efficiat.

9. Secundus casus est, quando dictio exclusiua additur alicui toti integrali respectu prædicati conuenientis tam toti, quàm parti, vt dicendo, *Tantùm Petrus est*, vel *tantùm Petrus est hic mecum*, quia si Petrus est hîc mecum, pars Petri est hîc mecum, quæ est aliud à Petro.

Tertius casus est, quando dictio exclusiua additur termino numerali, vt dicendo, *Tantùm tres sunt in domo*, quia si tres sunt in domo, vnus est in domo, & vnus est aliud à tribus.

Quartus casus est, quando dictio exclusiua additur termino relatiuo, & sic intelligit Aristoteles in isto primo, quòd ista est falsa, *Tantùm principium est*, quia si principium est, principiatum est, & principiatum est aliud à principio, cùm idem non sit principium sui ipsius; ergo, &c.

Quintus casus, quando alicui termino, qui non est transcendens, additur ista dictio *tantùm* respectu huius verbi *est*, & sic dicit Aristoteles in isto primo, text. 15. quòd ista est falsa, *Tantùm substantia est*, & similiter ista, *Tantùm accidens est*; immò de quacunque re mundi demonstrata falsum est, quòd ipsa tantùm sit.

Ex isto patet, quòd ista propositio, [c] *Tantùm vnum est*, est vera, quia ambæ exponentes sunt veræ, & vniuersalis sibi correspondens de terminis transpositis est vera; sed ipsa non est vera ad intentionem Parmenidis, qui voluit, quòd tantùm vnum esset per plurium entium exclusionem, & hoc de isto principio, *Tantùm vnum est*.

10. Nunc de motu probatur, quòd motum esse possit demonstrari; quia motum inesse mobili potest demonstrari; igitur motum esse potest demonstrari. Tenet consequentia, quia accidentis esse est alteri inesse, vt patet 4. Metaphys. & antecedens patet, quia motus est passio mobilis, & habet causam in mobili, modò effectus potest demonstrari per suam causam. Respondetur negando antecedens. Ad probationẽ quòd effectus potest demonstrari per causam, dico, quòd hoc non sufficit, sed oportet, quòd effectus esse sit dubitabile, vt patet per definitionem propositionis demonstrabilis: modò motũ esse, non est dubitabile.

Motum esse demonstrari potest.

Aliter dicitur, quòd non est inconueniens, quòd propositio aliqua supponatur in aliqua scientia tanquam principium, & postea demonstretur in eadem scientia, licèt diuersimodè: verbi gratiâ, inuestigantes naturam, & modum eclipsis, primò experti fuerunt eclipsim esse, & tunc supposuerunt eclipsim esse tanquam principium, & postea habita cognitione causarum eclipsis, demonstrarunt eclipsim esse per causas à priori, quod priùs supposuerunt tanquam principium.

Nunc ad rationes. Ad primam de istis principiis, plura sunt, & motus est; dico quòd non demonstrantur per sciẽtiam naturalem, sed per Metaphysicam. De aliis duobus, scilicet de materia prima, & Motore primo, dico, quòd ista sunt principia essendi, de quibus possunt fieri multæ demonstrationes, vt concessum fuit suprà. 11.

Ad secundam dico, quòd per aliam scientiam communem: & est sensus, quòd de vno genere scientiæ ad aliud genus, quod est scientia contraria, non est descensus.

Ad tertiam dico, quòd non; quia Metaphysica propter sui communitatem, potest probare sua principia, si negãs ipsa faceret aliquid, vel loqueretur; sed scientia naturalis non posset nisi in casu, in quo respondens præconcessisset aliqua, ex quibus sequitur principium negatum.

Ad quartam. Negatur antecedens, ad probationem; quia multi negauerunt, &c. Dico, quòd hoc vel fuit propter curiositatem causâ disputationis, vel propter ineptitudinem ipsorum.

ANNOTATIONES.

[a] PRincipia cognoscendi sunt in triplici differentiâ, &c. Nota primò causam conclusionis tripliciter accipi posse. Primò pro causa essendi tantùm. Secundò pro causa cognoscendi tantùm. Tertiò pro causa essendi, & cognoscendi simul. Prima est quæ causat effectum, non tamen per illam cognoscimus effectum, eo quòd ipsam ignoramus: quo pacto causa, quare magnes attrahat ad se ferrum, est causa essendi tantùm: quoniam ita causat attractionem ferri, vt per istam causam, quia nobis ignota est, attractionem ferri non cognuscamus. Ea vocatur causa cognoscendi tantùm, per quam deuenimus in cognitionem alterius, cùm tamen reuera non causet ipsum; quo pacto eclipsis Solis erit causa cognoscendi interpositionem Lunæ, si per eclipsim Solis cognoscas Lunam interponi inter Solem, & nos, ea tandem vocatur causa essendi, & cognoscendi simul, quæ reuera causat aliquem effectum, & mediante causa cognoscimus illum effectum, quo pacto animal rationale est causa discursiui in demonstratione concludente hominem esse discursiuum, per hoc, quod est *animal rationale*: nam animal rationale est causa discursiui, & per animal rationale cognuscimus ipsum discursiuum competere homini. Cùm ergo omnis demonstratio procedat solùm per causam secundo, aut tertio modo sumptam, ita scilicet, vt si procedat per causam secundo modo sumptam, constétque ex propositionibus necessariis, erit demonstratio *quia*: si verò procedat per causam tertio modo sumptam, essendi scilicet, & cognoscendi, habeátque alia requisita, erit demonstratio *propter quid*; non negat Scotus in hac quæstione principia cognoscendi non esse interdum etiam principia essendi. 12.

Causa conclusionis tripliciter sumitur.

Nota secundò, quòd Aristoteles 1. Post. text. 16. diuidit principium in positionem, & dignitatem, seu maximam; & dicit quòd positio est propositio indemonstrabilis, quam non est necesse, vt præcognoscat is, qui ad aliquam scientiam accedit, vt *homo est animal rationale*. Dignitas verò, seu maxima est propositio indemonstrabilis, qua necesse 13.

Principiorum diuisio.

necesse est, vt præcognoscat is, qui accedit ad aliquam scientiam perdiscendam, vt *Omne totum est maius sua parte. Nihil potest simul esse, vel non esse.* Ratio verò quare positiones non sunt necessariò præcognoscendæ est, quoniam positiones constant ex terminis propriis, & peculiaribus alicuius scientiæ, atque adeò indigent declaratione, vnde in principio cuiuscunque scientiæ explicari solent huiusmodi principia, vt in Mathematicis.

14. Cæterùm etsi non oporteat, vt istæ positiones præcognoscantur ab eo, qui accedit ad discendam scientiam totalem, aut integram, oportet tamen, vt præcognoscantur antequam acquirat scientiam particularé alicuius conclusionis, principia enim præcognoscenda sunt ante conclusionem. *Scientia totalis quæ sit.* Scientiam autem totalem appello aggregatam ex principiis & conclusionibus, quæ in aliqua scientia explicantur. Dignitates verò idcirco sunt præcognoscendæ, antequam accedamus ad istas scientias speciales, quoniam constant terminis communissimis, notissimisque, atque ita opus est, vt præcognoscantur ab vnoquoque sine magistro: sunt enim tales, quòd solo lumine intellectus cognoscuntur esse vera sine arte, & ideò dicuntur *dignitates*, vel *maximæ*, siue communes animi conceptiones. *Positio, & dignitas differunt.* Differunt etiam *positiones*, & *dignitates*, quia *dignitates* nunquam demonstrari possunt; *positiones* verò, etsi non demonstrentur in illa scientia, cuius sunt positiones, tamen aliquæ illarum possunt demonstrari in alia scientia superiori. Tertiò differunt, quòd *dignitates* sunt communes pluribus artibus, *positiones* verò sunt ex materia peculiari illius artis.

Deinde diuidit Aristoteles positionem in suppositionem, & definitionem. *Suppositio* est propositio, quæ significat rem esse, aut non esse, *definitio* autem est quæ non significat rem esse, aut non esse, & hoc accipiendo definitionem seiunctam à definito.

15. b *Propositio demonstrabilis*, &c. Nota inter hæc tria, scilicet, *enunciationem*, *propositionem*, & *quæstionem* esse aliquod discrimen; *Enunciatio, propositio, & quæstio differunt.* *enunciatio* enim dicitur oratio, verum vel falsum significans; *propositio* dicitur, vt est præmissa, seu principium, ex quo aliquid probatur. *Quæstio* verò est enunciatio per modum interrogationis proposita, & hæc probata dicitur *conclusio*. Quare cùm quæstio sit dubitabilis propositio, sequitur propositionem demonstrabilem necessariò esse dubitabilem.

Dictionis exclusiuæ officium. c *Ista propositio, Tantùm vnum est*, &c. Nota, quòd dictio exclusiua affirmatiua posita à parte subiecti excludit prædicatum ab omni eo, quod non est subiectum, vel de quo non formaliter prædicatur subiectum, vt *Tantùm homo currit*, excludit omne id, quod non est homo, vt sit sensus, quod non est homo non currit. Dictio verò exclusiua affirmatiua posita à parte prædicati, excludit à subiecto quicquid non prædicatur de prædicato formaliter. Verbi gratiâ, *Petrus est tantùm homo*, excludit à Petro quicquid formaliter non prædicatur de homine. Vnde ad propositum dico, quòd aliud est dicere *Tantùm vnum est ens*, & dicere, *Ens est vnum tantùm*; prima enim facit hunc sensum, ens est vnum, & quod non est ens, non est vnum, secunda verò facit hunc sensum, ens est vnum numero, & nullum numerum habet præter vnitatem.

16. Nota secundò, quòd exponentes huius propositionis, *tantùm vnum est*, sunt istæ, ens est vnum, & quod non est vnum, non est ens, & vtraque est vera; vniuersalis autem sibi correspondens de terminis transpositis, (dicuntur autem termini transponi, quando fit de subiecto prædicatum, & è contra) est ista, *Omne ens est vnum*, quæ etiam est vera; quare & hæc propositio *tantùm vnum est*, erit vera. Sed non ad sensum Parmenidis, vt dicit hìc Scotus.

EXPOSITIO TEXTVS.

ET *quoniam de natura quidem*, &c. Hìc improbat opiniones Parmenidis, & Melissi, & primò contradicit conclusionibus eorum. Secundò, quibusdam sequacibus eorum, & tertiò contradicit eorum rationibus. Secundum ibi; *Conturbati*. Tertium ibi, *Et ex quibus*. Primò probat, quòd non tantùm vnum est, dicitque primò, Principium maximum omnium proprium, supple disputandi contra Parmenidem, & Melissum esse, quoniam multipliciter dicitur id quod est. Deinde probat, quòd non tantùm vnum est per exclusionem pluralitatis entium, per duas rationes. Prima est, quia vel illud vnum est substantia, vel quantitas, vel qualitas, aut aliquod aliorum: si dicatur quòd sit quantitas, vel qualitas, hoc est impossibile; quia nullum aliorum Prædicamentorum separabile est à substantia: nam omnia actu insunt substantiæ. Si dicatur, quòd sit substantia, hoc est impossibile; quia Melissus dicit illud ens esse infinitum: modò substantia seipsa nec est finita, nec infinita, quia infiniri ratio quantitati congruit, & non substantiæ, nec qualitati, igitur si sit substantia, habet quantitatem, & sic plura erunt, videlicet substantia, & quantitas. Ex ista littera capitur, quòd quantitas sit res distincta à substantia, sed quid de hoc debeat dici, videbitur in quæstione. 17. *Text. 12.* *Vide Zimarã in tab. lit. c. fol. 119. col. 4.*

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ens dicatur vniuocè de substantia, & accidente?

Arist. hìc text. 19 Simplicius *comm. 13.* Themistius *num. 13.* D. Thom. *lect. 3.* Albert. *tract. 1 cap. 2. text. 19.* Scotus *in 1 dist. 3. quæst. 1. & in 2. dist. 3. quæst. 3. & in 3 dist. 8. quæst. 1.* Capreolus *in 1. dist. 2. quæst. 1.* Suarez *tom. 1. Metaph. disp. 2.* Fonseca *4 Metaph. cap. 2. quæst. 2.* Iauell. *ibid. quæst. 1.* Sotus *in prædic. cap. 4. quæst. 1.*

ARGVITVR quòd sic, quia aliter sequeretur, quòd primum principium non esset per se notum, & immediatum; consequens est falsum, vt patet 4. Met. text. 8. Consequentia tenet, quia primum principium esset distinguendum, cùm in eo ponatur hoc nomen *ens*, quod per se non est vniuocum. 1.

Secundò. Quia antiqui dubitauerunt de luce, vtrùm esset substantia, vel accidens, & tamen non dubitauerunt vtrùm esset ens, igitur hoc nomen *ens* est vniuocum ad substãtiam, & accidens.

Tertiò. Quia quibus est vnus modus essendi, potest esse vnum nomé commune vniuocum impositum secundùm illum modum essendi; sed substantiæ, & accidenti est idem modus essendi; ergo, &c. Maior patet, quia scientiæ, albedini, & figuræ est vnum nomé commune vniuocum, puta *qualitas* eo quòd eis est vnus modus essendi, puta

alteri inhærere qualiter [illegible] & minor apparet, quia [illegible] & accidenti conuenit esse for[illegible]aliter. Vnde [illegible] accidens sit sub eſſe tamen per substantiam, tamen [illegible] ter est simpliciter.

Quartò. Quamuis si substantiæ, & accidenti [illegible] vnus conceptus communis, hoc esset [illegible] quia accidens inhæret substantiæ, & dependet à substantia, sed illud non impedit. [illegible] quia forma inhæret materiæ & tamen tam formæ, quam materiæ est vnus communis conceptus, puta substantia.

Quintò. Homo dependet à Deo [illegible]abiliùs, quam accidens à subiecto, quia Deus non potest facere hominem non dependere ab eo, & tamen potest facere accidens non dependere à subiecto, modo hoc non obstante [illegible] & homini est vnus conceptus communis, scilicet ille conceptus *substantia*.

2\. Sextò. Quia ista est vera, Substantia est priùs ens accidente. Tunc quæro, vel isti termino *ens* correspondet conceptus communis substantiæ, & accidenti, & habetur propositum; vel correspondet sibi conceptus substantiæ tantùm, & tunc nihil est dictu, nisi quod substantia est priùs substantia, quàm accidens, quod est falsum: quia accidens non est substantia, [illegible] correspondet sibi conceptus accidentis, & tunc esset dictum quod substantia est priùs [illegible], quàm accidens, quod est impossibile: igitur oportet, quòd intelligatur primo modo.

Septimò sequeretur, quòd altera [illegible] [illegible]rum esset concedenda, nullum ens est substantia, nullum [illegible] est [illegible], consequens est falsum, [illegible] [illegible] *ens* correspondet conceptus proprius [illegible] [illegible] propositio est [illegible] vel correspondet conceptus proprius accidentis, & tunc [illegible] est vera, [illegible] correspondet conceptus communis vtrique, & habetur intentum.

Octauo, Substantiæ, & accidenti sunt aliqui conceptus communes, igitur & conceptus entis est eis communis. Tenet consequentia, quia conceptus entis est communior aliis. Antecedens patet, quia substantiæ, & accidenti sunt isti termini communes, scilicet, significabile, incomplexum, applicabile, intelligibile, quia secundùm eamdem rationem dicuntur de substantia, & accidente, scilicet secundum istam, quæ est mouere intellectum. Secundò patet antecedens, de istis terminis *extensum*, *binarius*, *ternarius*, & huiusmodi.

Nonò, quia vnitati scientiæ, & etiam potentiæ cognoscitiuæ correspondet vnitas obiecti: sed Metaphysicæ est vnica scientia, & intellectus est vna potentia cognoscitiua, quarum obiectum est ens in sua tota communitate, igitur ens in sua communitate est vniuocum: & per consequens sibi correspondebit conceptus communis, substantiæ, & accidenti.

3\. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo text. 19. vbi dicit, quòd principium maximum, ex quo antiqui possunt impugnari, est, quòd multipliciter dicitur *quod est*, id est, quòd ens dicatur multipliciter: modò terminus multiplex est æquiuocus.

Secundò per Aristotelem 4. Metaph. tex. 2. vbi dicit, quòd simile est de ente, sicut de sano, quòd dicitur de animali, & vrina: modò certum est, quòd iste terminus *sanum* dicitur æquiuocè de animali, & vrina, igitur & iste terminus *ens* dicitur æquiuocè de substantia, & accidente, & hoc idem patet per Porphyrium cap. de Specie.

In quæstione primò videbitur qualiter terminus dicatur æquiuocus, & de esse accidentium. Secundò respondebitur ad quæsitum. *Diuisio quæstionis.*

4\. Quo ad primum; notandum, quòd res illæ dicuntur æquiuocè significari, quarum est vnum nomen, & secundùm illud nomen correspondent sibi conceptus in mente diuersi; & tunc illi conceptus vel habent aliquem ordinem inter se, vel non; si non, tunc dicitur æquiuocum à casu; vel habent aliquem ordinem, & hoc dupliciter. Vno modo, quòd ordo ille proueniat ex media similitudine; & tunc ordo ille conceptuum correspondet termino, qui vocatur æquiuocum à consilio, & tertiò conceptus isti possunt habere dependentiam, attributionem, & ordinem inter se; & tunc terminus dicitur analogus, cui correspondent illi conceptus. Vnde analogia est ordo conceptuum correspondentium vni termino habentium inter se dependentiam, & attributionem, causatas non ex voluntaria impositione, sed ex natura rerum ob[illegible]tarum, & sic iste terminus *sanum* dicitur analogè de animali, & de vrina. Vnde primò, & principaliter dicitur de animali, & consequenter dicitur de vrina, non per impositionem nouam, sed quia sequitur quasi naturaliter ex prima impositione. *Quæ sunt res quæ æquiuocè significantur.* *Analogia quid sit.*

5\. Secundò notandum, sicut dicit Commentator in 2. de Anima, com. 5. quòd solùm compositum propriè est substantia, & ideò forma est actus, vel dispositio materiæ, secundùm quam compositum dicitur substantia, & hoc aliquid. Ita similiter dicitur de accidentibus, quòd accidentia sunt dispositiones, seu modi se habendi, quibus res taliter, vel aliter se habent, vt albedo, quę secundùm Aristotelem idem est, quod esse album, est dispositio, seu modus se habendi, secundùm quem res dicitur alba.

6\. Nunc ponitur ista conclusio, quòd[a] impossibile est accidens separari à suo subiecto. Probatur, quia illud est impossibile, quod implicat contradictionem; sed accidens separari à suo subiecto implicat contradictionem, quia impossibile est esse album, & quòd non sit album, at separata albedine non est album, & si albedo est, album est: quia impossibile est, quòd sit albedo, & quòd non sit album, ergo separata albedine erit album, & non erit album, & sicut arguitur de albedine, ita potest argui de quolibet alio accidente. *Impossibile est accidens à subiecto separari.* *Cautè lege.*

7\. Secundò. Quia impossibile est imaginari, vel cognoscere accidens separatum à suo obiecto, igitur hoc est impossibile. Tenet consequentia, quia quibuscunque conuenit esse, conuenit etiam cognosci, & imaginari; & antecedens patet, quia in conceptu accidentis includitur conceptus substantiæ; igitur impossibile est cognoscere accidens, nisi simul cognoscendo substantiam. Antecedens patet per Aristotelem 4. Metaph. tex. 2. vbi dicit, quòd accidentis esse est alteri inesse, scilicet substantiæ. Similiter dicit in isto primo, text. 26. quòd in definitione accidentis debet poni subiectum, sicut in definitione simi debet poni nasus; igitur impossibile est cognoscere accidens, nisi cognoscendo illud alterum, cui inest, sicut impossibile est cognoscere simũ non cognoscẽdo nasum.

Ex conclusione sequitur, quòd omnis conceptus est complexus, per quem concipitur accidens; patet, quia in omni tali includitur conceptus substantiæ.

8\. Contra corollarium obiicitur: quia tunc sequero

queretur, quòd nullus conceptus accidentis esset incomplexus, consequens est contra Aristotelem in Prædicamentis in illa parte textus, *Secundum nullam complexionem*, &c. Respondetur, concedendo consequens; ad Aristotelem dico, quòd aliquid dicitur complexum dupliciter: vno modo, quia sibi correspondet oratio perfecta, & sic intelligitur illa diuisio Aristotelis. Alio modo, de oratione imperfecta, & sic sunt termini incomplexi de Prædicamentis accidentium, sicut *album*, *nigrum*, sunt complexi, eò quòd eis correspondet conceptus complexus.

Complexum est duplex.

9. Secundò, Quia accidens est sensibile per se, vt patet secundo de Anima, text. 63. igitur potest solitariè concipi sine conceptu substantiæ, & patet hoc: quia substantia potest percipi conceptu incomplexo; aliter nullus esset conceptus incomplexus; igitur multo fortiùs & accidens, cùm substantia sit sensibilis per accidens. Respondetur, quòd accidens non est sensibile per se, sic vt solitariè percipiatur, imò substantia est sensibilis per se, sub conceptu tamen accidentali. Vnde video parietem, licèt non videam ipsum esse parietem, sed esse album.

10. Tertiò sequitur, quòd non esset differentia inter concretum, & abstractum, ex quo abstractum significat subiectum, sicut & concretum. Respondetur negando consequentiam: quia concretum importat subiectum in recto, & qualitatem in obliquo, vt album dicit habens albedinem; sed abstractum importat qualitatem in recto, & subiectum in obliquo, vt albedo alicuius entis albedo, & istud habetur ex quarto Metaphysicæ, text. 2.

Quartò sequitur, quòd substantia, & accidens dicuntur ad inuicem relatiuè, & sic sequitur, quòd nullum accidens esset absolutum. Respondetur negando consequentiam: quia termini relatiui, sic se debent habere, quòd sicut vnum eorum includit alium, seu conceptum alterius, ita & è conuerso; sed sic non est hic: quia licèt conceptus accidentis includat conceptum substantiæ, non tamen è conuerso conceptus quiditatiuus substantiæ includit conceptum accidentis.

11. Quintò, quia Mathematicus considerat accidens sine cognitione substantiæ: nam in definitionibus accidentium non ponit sua subiecta, igitur possumus cognoscere accidens sine cognitione substantiæ. Respondetur, quod Mathematicus non habet verum conceptum de accidente: quia imaginatur de iis, ac si essent res per se existentes: modò hoc est falsum, & ideò dicit Commentator quòd propositiones Mathematicæ, sunt in capitulo propositionum imaginabilium.

Sextò, quia in Sacramento altaris sunt accidentia actualiter existentia sine subiecto, & cognoscuntur sine cognitione substantiæ; igitur totum, quod dicitur est falsum. Respondetur, quod [b] per tale miraculum mutatur natura accidentis, igitur mutatur nomen, & definitio ipsius: nam accidenti sic separatu competunt conditiones substantiæ, vt quòd potest nutrire, augmentare, ex ipso potest effici aliud, & ita de aliis, & ita mutatur natura accidentis, ac si natura humana mutaretur in naturam asininam.

Cautè lege.

12. Secunda conclusio. Terminus communis ad aliqua duo, quorum vnum est magis perfectum, & aliud minùs, non dicitur analogicè de istis duobus propter hoc, quòd alterum est perfectius: ita vt de perfectiori non dicatur per prius, & de minùs perfecto per posterius. Probatur, quia tunc Deo, & homini, & asino nullus esset conceptus communis vniuocus.

Quantum ad secundum notandum, quòd prædicatio quiditatiua dicitur ab esse: vt ista est quiditatiua *Homo est animal*: quia esse hominem, est esse animal, similiter ista, *albedo est color*: quia esse album est esse coloratum: sed ista non; *homo est albus*; quia esse hominem non est esse coloratum.

Prædicatio quiditatiua dicitur ab esse.

13. Nunc ponuntur conclusiones. prima est, Iste [c] terminus *ens* non dicitur vniuocè de substantia, & accidente. Probatur, quia si diceretur vniuocè, tunc æqualiter diceretur de substantia, & accidente: modò consequens est falsum: quia de substantia dicitur, simpliciter loquendo, quòd sit ens, sed de accidente dicitur non verè, sed quasi, vt dicit Aristoteles 4. & 7. Metaph. text. 2. & 15. Accidens non dicitur ens, nisi quia entis.

Secundò, si ita esset, sequeretur, quòd hoc nomen *ens* esset genus ad decem Prędicamenta, consequens est contra Aristotelem 7. Metaph. tex. 15. & contra Porphyrium, capit. de Specie. Probatur consequentia per definitionem Generis. Et si dicatur, adhuc aliud obstaret, quia non esset genus, eo quòd accidens inhæret substantię, & dependet à substantia. Istud non valet, quia homo dependet à Deo, & tamen Deo, & homini est conceptus communis vniuocus. Similiter materię, & formæ, quarum vna inhæret alteri, vt patuit arguendo.

Tertiò, quia ens non prædicatur quiditatiuè æqualiter de istis: Nam esse albũ non est esse ens, vel aliud, sed est esse aliquale, vel esse dispositum.

14. Ex quo patet, quòd hoc nomen *ens* dicitur analogicè de substantia, & accidente: quia per prius dicitur de substantia, & secundariò dicitur de accidente, in attributione ad substantiam.

Secundò sequitur quòd hoc nomen *ens* est æquiuocum ad diuersa Prædicamenta accidentium; patet, quia sicut dicitur de substantia, & accidente secundùm conceptus diuersos, ita etiam de Prædicamentis accidentium.

Secunda conclusio. Substantia, & accidens possunt concipi vno conceptu vniuoco denominatiuè. Probatur, quia istud nomen extensum dicitur de substantia, & accidente secundùm eamdem rationem, igitur est vniuocum ad illa. Tenet consequentia, per definitionem vniuoci; & antecedens apparet, quia dicitur de vtrisque secundùm rationem, quæ est habere partem extra partem.

15. Secundò patet de istis terminis significabile, intelligibile, duo, tria, & huiusmodi, de quibus argutum fuit antè oppositum; & causa huius conclusionis est, quia conceptus denominans sumitur à proportione, vel habitudine alicuius modi se habendi, & ideò in quibuscumque reperitur consimilis proportio, & modus habendi omnibus illis conuenit nomen sumptum ab illa proportione, sub habitudine: verbi gratiâ, istud nomen *idem*, sumitur ab habitudine, quam res habet ad se ipsam, secundùm quam hæc est vera, *Tu es tu*, & quia consimilis habitudo reperitur in qualibet re mundi, igitur de qualibet re mundi dicitur hoc nomen *idem*. Patet igitur qualiter hoc nomen *ens*, aut *res*, & huiusmodi nomina transcendentia naturam connotantia, dicuntur analogicè de substantia, & accidente.

16. Ad rationes ad primam. Sequeretur quòd primum principium, &c. negatur consequentia, quia

Vide Scotum q. 4. Prædicamentorum ad 13.

quia potest determinatè concipi in altero illorum principium, & in quocunque illorum accipiatur semper est verum.

Ad secundam dico, quòd antiqui habuerunt conceptum disiunctum de lumine, vt puta quòd esset substantia, vel accidens, determinatè tamen inuestigauerunt an esset substantia, vel accidens.

Ad tertiam negatur minor, quia modus essendi accidentis est alteri inesse, & substantiæ non.

Ad quartam dico, quòd hoc est, quia accidentis esse est inesse alteri, scilicet substantiæ, & quando dicitur de forma, & materia, potest concedi, quod forma (simpliciter loquendo) non est substantia, sed secundùm quid, scilicet quia est actus, quo compositum est substantia.

Ad quintam. De dependentia hominis à Deo, dico quòd non est similis dependentia accidentis à substantia.

17. Ad sextam. Quia substantia, &c. concedo istam, quòd substantia est prior accidente: quia iste terminus *prior*, est terminus connotatiuus; modò verum est quòd possibile est terminum connotatiuum esse vniuocum ad substantiam, & accidens.

Ad septimam dico secundùm Aristotelem, quòd quælibet illarum esset distinguenda secundùm modum fallaciæ æquiuocationis: quia vel capitur ibi *ens* pro suo principali significato, & primo, & tunc concedendum est, quòd omne ens est substantia, vel capitur pro suo significato secundario, & tunc concedendum est, quòd omne ens est accidens.

Ad octauam de terminis connotatiuis, seu denominatiuis est concessum.

Vide Scotum vbi supr. ad 14. Ad nonam concedo, quòd obiectum tale habeat vnam rationem, vel saltem si habeat plures, quòd omnes habent attributionem ad primam rationem ipsius, & ideò licèt ens habeat rationem substantiæ, & accidentis, tamen ratio accidentis habet ordinem, dependentiam, & attributionem ad rationem substantiæ, quæ est prior ratio entis.

ANNOTATIONES.

18. *Accidens bifariam sumi potest.* [a] IMpossibile est accidem separari à suo subiecto, &c. Nota, ex Scoto in 4. sent. d. 12. quæst. 1. quòd accidens potest sumi dupliciter, vno modo pro per se significato, id est, pro illo, quòd in primo intellectu huius nominis *accidens* intelligitur, pro eo videlicet, quod est esse alteri inhærens. Secundo modo pro denominato, hoc est, pro illo, quod ab inhærentia denominatur inhærens, verbi gratiâ, pro quantitate, vel qualitate, accidens enim cùm sit nomen concretum, significat aliquam formam, puta accidentiam, seu inhærentiam, sicut suum principale significatum.

Nota secundò, quòd tale accidens pro denominato est duplex, scilicet absolutum, sicut quantitas, & qualitas; & respectiuum, sicut similitudo, paternitas, filiatio, & æqualitas, & similia.

19. *Aliud est esse de essentia aliud est esse idem essentialiter.* Nota tertiò, quòd aliud est esse de essentia alicuius, aliud est esse illi idem essentialiter, primo modo illud est de essentia alicuius, quod est idem illi quidditatiuè, & in primo modo dicendi per se. Esse idem essentialiter est conuenire in eadem natura existente & singulari, & hoc modo passio est idem essentialiter cum suo subiecto. Istæ duæ identitates sic se habent ad inuicem, quòd quicquid est de essentia alicuius, est illi ideo essentialiter, sed non è conuerso: nam subiectum & propria passio sunt idem essentialiter, quia habent vnam naturam contractam ad existentiam, & singularitatem, penes quam neutrum istorum est ab alio separabile, & tamen neutrum est de essentia alterius.

Nota quartò, quòd inhærentia est duplex, quædam actualis, quæ est ipsa vnio actualis accidentis, existentis in subiecto existente, vt actus quidam, & perfectio cum potentiali perfectibili. Quædam verò est inhærentia aptitudinalis, quæ est dependentia, seu essentialis ordo accidentis secundùm quiditatem suam ad subiectum. Et inter has inhærentias differentia extat non parua; ea namque quæ actualis est, circumscribitur à demonstratione, cùm demonstratio abstrahat ab existentia, & à conditionibus existentiæ. Secunda verò inhærentia, scilicet aptitudinalis, quæ est passio, demonstratur. Prima inhærentia est conditio existentiæ, nec semper accidenti inest. Secunda verò semper inest, subiecto existente, siue non. 20. *Inhærentia est duplex.*

Nota quintò, quòd sicut non inhærere, & non posse inhærere non est ratio substantiæ, vt substantia est genus, ita inhærere non est ratio accidentis, vel alicuius generis accidentis, vt docet Auicenna 2. suæ Metaph. & Scotus in Quodlib. sed substantia est illud substratum, cui conuenit non inhærere, vel cui repugnat inhærere, & accidens vt quantitas, vel qualitas, est natura cui conuenit inhærere, vt etiam docet D. Thom. Quodlib. 8 quæst. 3. & 1. p. q. 3. art 5. ad 1. Vbi ait, quòd substantia non significat hoc, quod est esse per se, sed significat talem naturam, cui competit hoc, quod est esse per se, quod tamen esse per se non est ipsa eius essentia. Quare idem possumus dicere de accidente, quod significat talem naturam, cui competit hoc, quod est esse in alio, quod tamen esse in alio non est eius essentia, atque adeò cùm dicitur substantia est, quæ per se est; vel accidens est, quod est in alio, non est definitio, sed circumlocutio veræ descriptionis, quæ ita intelligitur; substantia est res, cuius naturæ debetur non esse in alio, & accidens est res, cuius naturæ debetur esse in alio. Vnde patet, quòd etsi miraculosè accidens sit sine subiecto, non egreditur tamen definitionem accidentis, quia esse in subiecto naturæ eius debetur, & adhuc manet eius natura, cui debetur esse in alio. 21.

Ex his dico primò, quòd inhærentia aptitudinalis, aut actualis non est de essentia alicuius accidentis, siue absoluti, siue respectiui. Dico secundò, quòd accidens absolutum est idem essentialiter cum inhærentia aptitudinali, non tamen cum actuali. Dico tertiò, quòd accidens respectiuum est idem realiter cum vtraque inhærentia, scilicet aptitudinali, & actuali. Hæc asserta sufficienter probata, videre potes in Commentariis nostris super 4. sent. Scoti Tomo 1. dist. 12. quæst. 1. art. 1. 2. & 3. 22. *Inhærentia non est de essentia accidentis.*

Ex quibus sequitur primò, quòd accidens pro per se significato, seu pro formali separari nequit à suo subiecto, ita vt contradictionem inuoluat accidentiam, seu inhęrentiā esse sine suo subiecto.

Secundò sequitur, quòd separatio accidentis respectiui à subiecto extendendo nomen subiecti ad fundamentum implicat contradictionem.

Tertiò sequitur quòd omne accidens absolutum, quodcumque sit illud, potest separari à suo subiecto, & esse sine illo, & hoc siue subiectum 23.

maneat, ſiue non maneat in re, & in effectu; & hoc loquendo abſolutè, & virtute diuina, & hæc tria corollaria ſufficienter probata reperies, vbi ſuprà, art. 4. & 5.

Ex quibus ſequitur quartò, quod Scotus in hac quæſtione loquitur vt merus, & ſimplex Philoſophus naturalis: nam Philoſophus naturalis exiſtimat ſeparationem accidentis à ſubiecto cum conſtantia ipſius eſſe impoſſibilem, non quia in conceptu accidentis includatur quiditatiuè conceptus ſubſtantiæ, vt videtur dicere hic Doctor ſubtilis, ſed quia Philoſophus ponit ordinem cauſarum ſimpliciter neceſſarium, vt docet Scotus in 4. loco ſuprà relato, & nos ibi explicauimus art. 5.

24. b *Reſpondetur, quòd per tale miraculum mutatur natura accidentis.* Nota quòd accidens ſeparatum in Sacramento altaris priuatur poſitiuo reali, & intrinſeco modo, quem in ſubiecto habet, qui appellatur actualis inhærentia. Secundò tale accidens priuatur ſpeciali conſeruatione, qua in eſſe conſeruabatur à ſubiecto. Patet, quia cùm iam ſubiectum deſtructum ſit, non poteſt amplius accidens conſeruare, & in hoc conueniunt omnes Theologi. Sed dubium eſt an accidens ſeparatum mutetur poſitiuè recipiendo modum eſſendi actuali inhærentiæ repugnantem. De qua re fuit quorundam opinio, quòd quando Deus ſeparat accidens à ſubiecto, tribuit accidenti nouum eſſe exiſtentiæ, eo quòd accidens in ſubiecto exiſtens non habet proprium eſſe exiſtentiæ, atque adeò quando ſeparatur à ſubiecto, debet illi tribui nouum eſſe, per quod exiſtat. Hanc ſententiam aliqui tribuunt D. Thomæ 3. par. q. 77. art. 1. in reſponſione ad 4. quam videtur ſequi Scotus hîc: imò latiùs loquitur cùm dicit, quòd per tale miraculum mutatur natura accidentis, ac ſi natura humana mutaretur in naturam aſininam, ex quo videtur ſequi quòd poſt tranſubſtantiationem panis, accidens non remaneat accidens, ſed verſum ſit in ſubſtantiam, quod eſt falſum, & contra fidem, quæ determinat verè accidentia poſt conſecrationem ſine ſubiecto remanere, at ſi mutarentur in naturam ſubſtantiæ, iam non remanerent accidentia. Ideò hanc ſententiam ſubtiliter impugnat Scotus in quarto, loco ſupracitato, & nos ibidem artic. 7.

An accidens ſeparatum mutetur poſitiuè recipiendo modum ſubſtantiæ.

25. Caietanus verò, 3. par. quæſt. 77 art. 1. & Suarez Tomo 3. quæſt. 77. diſp. 56. ſectione 8. etſi non eodem modo id explicent, dicunt, quòd quantitas à ſubiecto ſeparata, licèt non acquirat nouum eſſe exiſtentiæ, acquirit tamen nouum eſſe ſubſiſtentiæ, quale habebat ſubſtantia; quam ſententiam nos impugnauimus, & reiecimus vbi ſuprà, art. 8. & cum Doctore ſubtili diximus nihil noui addi accidentibus, vt exiſtant ſine ſubiecto, ſed ex ratione tantùm ſine ſubiecto exiſtere: quatenus Deus qui conſeruabat in accidentibus duo, ſcilicet exiſtere in ſubiecto, (licet enim iſta duo, ſaltem ratione diſtinguere) iam conſeruat, prius ſine poſteriori, quæ opinio veriſſima eſt. Non loquitur ergo hîc Scotus ſecundùm propriam ſententiam.

26. c *Iſte terminus ens non dicitur vniuocè*, &c. Nota, quòd Scotus 1. ſent. d. 3. quæſt. 1. & 2. & d. 8. quæſt. 3. & in 4. Metaph. tenet ens eſſe vniuocum Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti, hîc autem dicit ens æquiuocum eſſe ad ſubſtantiam, & accidens. Vnde obſeruandum eſt primò duplicem eſſe conceptum, formalem qui attenditur ex parte intellectus, & eſt ipſa notitia: & obiectiuum, qui ſe tenet ex parte obiecti, & eſt ipſum obiectum conceptum. Huiuſmodi conceptus obiectiuus duplex eſt, vniuocus, qui habet nominis, & rationis: & æquiuocus, qui habet vnitatem nominis, & non rationis.

Conceptus eſt duplex.

Secundò obſeruandum eſt, quòd conceptus obiectiuus dicitur vniuocus tribus modis, ſcilicet Phyſicè, Metaphyſicè, & Logicè. Primo modo dicit vnitatem nominis, cui correſpondet vnitas rei, quæ non eſt diuiſibilis in plura alterius, & alterius rationis, cuiuſmodi eſt natura ſpecifica, & in ipſa re ſic vniuoca non latent æquiuocationes, quæ latent in genere, vt ait Ariſtoteles 7. phyſ. Secundo modo eſt aliqua vnitas realis alicuius primæ intentionis abſtrahibilis à pluribus, quæ ipſam participant ſecluſa quacunque intentione Logica. Tertio modo eſt realitas primæ intentionis ſub aliqua ſecunda intentione generis, aut ſpeciei, vel alterius prædicabilis. 27.

Conceptus obiectiuus tribus modis dicitur vniuocus.

Tertiò obſeruandum eſt, quòd quadruplex eſt gradus vniuocationis. Primus habet vnitatem rationis, communis modi eſſendi, ordinis eſſentialis, & gradus perfectionis: hoc pacto ſola ſpecies infima eſt vniuoca, quia habet vnicam rationem ſuis inferioribus communem: habet etiam in ipſis eumdem eſſendi modum, deſcenditque in ea inferiora, ſecundùm eumdem ordinem, & non ſecundùm prius & poſterius eſſentialiter; quia indiuidua eiuſdem ſpeciei non ordinantur eſſentialiter, id eſt, non habent inter ſe ordinem eſſentialem, eſtque natura ſpecifica in omnibus inferioribus ſecundùm eundem perfectionis eſſentialis gradum; non eſt eſſentialiter perfectior in vno indiuiduo, quàm in alio. 28.

Vniuocationis quadruplex eſt gradus.

Secundus gradus vniuocationis habet vnitatem rationis, communis modi eſſendi, & ordinis eſſentialis; deficit tamen in vltima vnitate, videlicet in gradu perfectionis, quia res, quæ ſic eſt vniuoca, eſt eſſentialiter perfectior in vno, quàm in alio, quod prouenit ex re ſibi adiuncta: huiuſmodi ſunt genera, quæ ex differentiis ſibi adiunctis ſunt eſſentialiter perfectiora in vna ſpecie, quàm in alia, ſicut animal perfectius eſt in homine, quàm in equo, quia in homine adiungitur differentiæ eſſentiali perfectiori, quàm in equo. 29.

Tertius gradus habet vnitatem rationis communis multis, & etiam vnitatem modi eſſendi, quia ſecundùm eumdem eſſendi modum eſt in ſuis inferioribus, cæterùm non habet vnitatem ordinis eſſentialis, ſicut ens, quod per prius deſcendit in ſubſtantiam, quàm in accidens, & numerus deſcendit priùs in binarium, quàm in ternarium ſecundùm realem exiſtentiam, neque habet vnitatem gradus perfectionis eſſentialis, ſicut accidit in omnibus generibus. 30.

Quartus gradus eſt, qui ſolùm habet vnitatem rationis communis multis, non tamen habet vnitatem modi eſſendi, neque ordinis eſſentialis, neque gradus perfectionis; ſic ſe habet ens reſpectu Dei, & creaturæ. Nam licèt dicat vnitatem rationis communis Deo, & creaturæ; non tamen habet eundem eſſendi modum in Deo, & creatura; quia in Deo eſt independens, in creatura verò dependens: neque vnitatem ordinis eſſentialis: quia ratio entis priùs eſt in Deo eſſentialiter, quàm in creatura; neque habet vnitatem gradus perfectionis: quia in Deo

eſt

est perfectissimum ens, in creatura verò imperfectum.

31. Ex his dico primò. Ens non est vniuocum substantiæ, & accidenti vniuocatione Physica, tum quia vniuocatio Physica in sola specie vltima reperitur, quæ in plura alterius rationis diuidi non potest; tum etiam quia nullum genus, etiam vltimis speciebus proximum est ista vniuocatione vniuocum, ex Aristotele 7. Physicorum tex. 31. dicente, quòd *in genere latent æquiuocationes*, quare multo minùs erit tali vniuocatione ens vniuocum, cùm sit remotissimum à specie infima.

Dico secundò. Ens non est vniuocum substantiæ, & accidenti vniuocatione Logica, quia ens cùm sit transcendens, non potest concipi sub aliqua intentione Logica generis, vel speciei, cùm huiusmodi intentiones solùm applicentur limitatis, vt docet Scotus in Vniuersalibus.

32. Dico tertiò, quòd ens non est vniuocum substantiæ, & accidenti in primo, nec in secundo gradu vniuocationis ex quatuor, quos notabili tertio posuimus, patet quia non in primo gradu, eo quòd talis est vniuocationis Physicæ, quam non conuenire enti iam diximus: nec in secundo, tum quia ratio entis in substantia, & accidente non habet vnitatem ordinis essentialis, quia per prius descendit in substantiam essentialiter, quàm in accidens, tum etiam quia ista est vniuocatio Logica, quam ab ente negauimus, & in hunc sensum loquitur Scotus in hac quæstione, quando negat ens esse vniuocum substantiæ, & accidenti.

33. Dico quartò, quòd ens est vniuocum substantiæ, & accidenti, in tertio, & quarto gradibus vniuocationis, quæ est vniuocatio Metaphysica, patet; quia ad talem vniuocationem sufficit vnitas conceptus obiectiui, communis suis inferioribus, in quarto gradu, & tertius vltra hanc vnitatem requirit vnitatem modi essendi, etsi vnitas ordinis essentialis, atque gradus perfectionis deficiat; sed ens respectu substantiæ, & accidentis habet has duas vnitates, quare est eis vniuocum, & in hunc sensum locutus est Scotus in primo Sententiarum locis citatis.

34. Neque contra hanc vniuocationem obstant authoritates Aristotelis, & Porphyrij: nam quando Aristoteles dixit, 1. Phys. text. 12. quòd principium maximum, &c. loquitur de multiplicitate suppositorum, & non conceptuum, & quando 4. Metaph. text. 2. dixit quòd ens significat accidentia per attributionem ad substantiam, sicut sanum significat vrinam, &c. Dico quòd sicut sanum dicitur de sanis secundùm maiorem, & minorem perfectionem; ita ens dicitur de entibus, non tamen purè analogicè, cùm non detur analogia sine vniuocatione, vel æquiuocatione, & Aristoteles ibidem negat ens dici æquiuocè, & quando 11. Metaph cap. 3. dixit, neque æquiuocè dicitur ens de substantia, & accidente, neque vniuocè, sed medio modo, debet intelligi, quòd non dicitur vniuocè de substantia, & accidente ea vniuocatione perfecta, quá species dicitur de suis indiuiduis, neque æquiuocè; sed medio modo, ea scilicet vniuocatione, quæ maiorem, & minorem perfectionem in sibi vniuocatis admittit.

35. Et quando 7. Metaph. text. 2. dicit, quòd quantitas, & qualitas non sunt entia, sed entis entia, intelligendus est, ac si diceret, non sunt entia per se subsistentia, benè tamen in aliis inhærentia. Et ad illud quod asserit, quòd ens simpliciter dicitur de substantia, de cæteris autem prædicamentis secundùm quid, text. 15. Dico quòd intelligit, quòd ens dicitur de substantia secundùm diuersum modum essendi à modo, secundùm quem dicitur de accidente: est enim substantia ens per se, accidens verò ens in alio, & ideò substantia dicitur simpliciter ens, & accidens secundùm quid, non quòd accidens non sit verè, & formaliter ens, sed quòd non simpliciter sicut substantia. Demum ad Porphyrium. *Si quis entia vocet*, &c. Dico quòd nullibi dixit Aristoteles ens dici æquiuocè. Vel dicas, quòd Porphyrius negat ens vniuocum Logica vniuocatione, cùm non possit esse genus.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm quantitas sit res distincta à substantia, & qualitate?

Aristot. 7. *diuinorum.* Scotus *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 2. *& in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. D. Thom. 1. *par. quæst.* 77. *art.* 2. Durand. *in* 1. *dist.* 33. *quæst.* 1. Ocham *tract. de Euchar. cap.* 28. *& in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 7. Rubion *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. 4. & 5. Maior *ibid. quæst.* 2. Gabriel *ibid. quæst.* 1. *art.* 1. *& in canon. lect.* 44. Suarez *tom* 2. *Metaph. disp.* 40. *sect.* 2.

ARGVITVR quòd non: quia substantia est diuisibilis in ea, quæ insunt, quorum quodlibet natum est esse vnum aliquod, & hoc aliquid, igitur substantia est quantitas. 1.
Tenet consequentia per definitionem quantitatis datam, 11. Metaph. cap. de infinito: & antecedens apparet de ligno, quod est diuisibile in duas medietates, quarum quælibet est aliquid, & hoc aliquid.

Secundò, quia quantitas per sui mutationem est susceptibilis contrariorum, vt patet de superficie, quæ primò est alba, & postea nigra, igitur quantitas est substãtia per proprietatẽ substantiæ.

Tertiò, si quantitas distinguatur à substantia, sequitur quòd duo corpora essent simul: consequens est impossibile, vt patet 4. huius, text. 76. Consequentia patet: quia corpus de genere substãtiæ, & corpus de genere quãtitatis essent simul.

Quartò, quia per Commentatorem in lib. de substantia Orbis, duplices sunt dimensiones, quędam terminatæ, & quædam interminatæ, dimensiones interminatæ sunt coæternæ; sed dimensiones terminatæ generantur, & corrumpuntur: modò si per dimensionem interminatam intelligatur aliud quá materia, sequitur quòd aliqua dispositio fuerat perpetuò in materia, quod est impossibile.

Quintò, si substantia non esset quantitas, sequeretur, quòd diuisibile reciperetur in indiuisibili: consequens est falsum, quia omne quod recipitur, recipitur ad modum recipientis, & non ad modum recepti, & ideò si recipiens sit indiuisibile, receptum est indiuisibile. Probatur consequentia, quia quantitas, quæ est diuisibilis, reciperetur in substantiam, quæ de sui natura est indiuisibilis. 2.

Sextò, si quantitas non esset substantia, sequeretur, quòd si aliquod continuè rarefieret, quòd infinitæ quantitates generarentur, & infinitæ quantitates corrumperentur; consequens apparet impossibile, scilicet quòd res permanentes verè durent per solum instans, quod tamen oporteret fieri in rarefactione continua, ex quo continuè esset alia, & alia quantitas.

Septimò. Illud, quod eſt præſens quantitati ſecundùm ſe; & quodlibet ſui, ita vt totum eſt præſens toti, & pars parti, illud de ſui natura eſt quantum, ſed ſubſtantia eſt taliter præſens quantitati, igitur ſubſtantia de ſui natura eſt quanta, & per conſequens fruſtrà poneretur quantitas diſtincta.

3. Octauò: Quia ſi quantitas ſit res diſtincta; tunc ſi per imaginationem, vel per potentiam diuinam quantitas ſepararetur à ſubſtantia; quæro tunc, vtrùm adhuc ſubſtantia haberet partem extra partem, vel non: ſi ſic, fruſtrà ponebatur quantitas ad extenſionem ſubſtantiæ; ſi non, cùm poſſibile ſit quantitatem illam, aut imaginabile ſubitò ſeparari, ſequitur quòd poſſibile eſt, vel imaginabile, ſubſtantiam illam ſubitò moueri localiter; quod eſt impoſſibile.

Nonò, omnem rem abſolutam poſteriorem alia re, poteſt Deus deſtruere priore re non mutata, ſed quantitas eſt res abſoluta poſterior ſubſtantia; igitur Deus poteſt quantitatem deſtruere ſubſtantia non mutata, quo facto, quæro vtrùm ſubſtantis habeat partem extra partem, ſic igitur ſubſtantia ſe ipſa eſt quanta, & per conſequens fruſtrà ſuperadditur quantitas; ſi non, tunc ſequitur, quòd eſt mutata localiter, quod eſt contra poſitum, ponebatur enim, quòd Deus ſeruaret ſubſtantiam non mutatam.

Decimò, ſequitur, quòd accidens non eſſet ſine ſubiecto in Sacramento altaris, quia haberet quantitatem pro ſubiecto.

Vndecimò, Quia ſi omnia poſſunt æquè benè ſaluari non ponendo quantitatem eſſe rem diſtinctam, ſicut ponendo, melius eſt ponere quantitatem eſſe rem indiſtinctam, ſed omnia poſſunt, &c. ergo, &c. Maior, & minor patent, quia fruſtrà fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, ex primo huius, text. 40.

4. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in primo huius, text. 14. vbi dicit, quòd ſi ſubſtantia & quantitas ſunt, duo ſunt, quæ ſunt, & non vnum, & ſubdit, quòd ſi ſola ſubſtantia ſit, ipſa non eſt infinita, nec habebit magnitudinem: ex quo patet, quòd ſubſtantia per ſe non habet magnitudinem, ſed per quantitatem additam. Similiter dicit Ariſtoteles, quòd ratio infiniti congruit quantitati, & non ſubſtantiæ, nec qualitati.

Secundò, niſi ſic, ſequeretur, quòd illa negatiua non eſſet immediata vera; videlicet *ſubſtantia non eſt quantitas*, conſequens eſt falſum, vt patet 1. Poſt. text. 26. conſequentia probatur: quia negatiua immediata eſt vera, per ſe nota, & manifeſta, modò illa eſſet falſa ex quo ſubſtantia eſſet quantitas.

Tertio ſequeretur, quòd ſubſtantia eſſet ſenſibile commune. Conſequentia patet, quia ſubſtantia eſt quantitas, quæ eſt ſenſibile commune: ſimiliter ſequeretur, quòd quantitas eſſet ſenſibile per accidens, & quòd quantitas eſſet ſenſibile per ſe, & ſequeretur, quòd quantitas haberet contrarium, & quòd quantitas ſuſciperet magis, & minùs. Conſequentia patet, quia per te quantitas eſt qualitas, quæ habet contrarium, & ſuſcipit magis, & minùs.

Item ſequeretur, quòd non eſſet proprium quantitati, vt per ipſam aliquod diceretur æquale, vel inæquale. Conſequens eſt falſum, & patet conſequentia: quia ſubſtantia ſibi ipſi eſſet æqualis, & inæqualis alteri, & ſic ſimiliter qualitas.

Notandum, quòd de iſta quæſtione ſunt duæ opiniones contrariæ. Vna [a] probat quòd quantitas non eſt res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate; imò tam ſubſtantia, quàm qualitas habet partem extra partem, & rationes huius opinionis adductæ fuerunt ante oppoſitum. Secunda opinio probat, quòd ſubſtantia eſt res diſtincta à quantitate, & qualitate, & iſta eſt bipartita, quia quidam ponunt, quòd ſuperficies, linea, & punctum non ſunt aliquæ res indiuiſibiles in quantitate, quemadmodum imaginantur Mathematici, & ſecundò ponunt, quòd quantitas corporea eſt res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate. Alij [b] verò de tertia opinione probant, quòd quantitas ſit res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate; & cum hoc quòd linea, ſuperficies, & punctum ſunt res indiuiſibiles in continuo actualiter exiſtentes. De iſtis indiſibilibus nihil ad præſens: quia de eis diceretur in ſexto. Sed de quantitate ſit concluſio iſta. 5.

Quantitas eſt res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate. Probatur, quia niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd homo poſſet aërem quemlibet condenſare comprimendo. Conſequens eſt contra experientiam: quia veſica plena aëre nullo modo poteſt comprimi, vel ſaltem non quælibet. Probatur conſequentia, quia iſti compreſſioni aëris, vel reſiſtit materia aëris; & hoc non: quia materia eius nata eſt eſſe indifferenter in quolibet loco quantumcunque modico, nec forma reſiſtit: quia non repugnat formæ aëris ſtare ſub minori loco, nec qualitates repugnant eodem modo: igitur tota repugnantia prouenit ex parte quantitatis, & habetur propoſitum. Si dicatur, quòd repugnantia prouenit ex parte totius compoſiti, contrà, primò, quia compoſitum non agit, nec reſiſtit, niſi per determinatam diſpoſitionem, vt puta per formam, vel qualitatem, vel per aliquam partem eius; vt patet de homine, qui non videt niſi per oculum; de igne qui non agit niſi per calorem, & ita inducendo in aliis. 6.

Quantitas eſt res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate.

Secundò contra idem: quia totum compoſitum poteſt eſſe ſub minori quantitate, igitur non repugnat ſibi ratione compoſiti, quòd poſſit poni ſub minori quantitate. Tenet conſequentia, & antecedens patet per experientiam: quia ſi aër idem, vel æqualis ponatur in phiala vitrea æquali prædictæ veſicæ, & ponatur collum phialæ in aqua comprimendo deorſum, immediatè patebit per introitum aquæ, quod aër ille incluſis condenſabitur. Et ſi compoſitum non poſſet condenſari, vlterius ex ipſo non poſſet generari aqua, vel terra, quod eſt falſum. 7.

Secundò arguitur ad quæſtionem, quia ſi qualitas eſſet quantitas, ſequeretur, quòd alicuius quantitatis remoueretur medietas, & tamen totum maneret tantum, quantum erat priùs; conſequens eſt impoſſibile, & probatur conſequentia de iſto lumine extenſo per aërem, quod per te eſt quantitas, volo quòd remoueatur medietas intenſiuè, & ſequitur propoſitum.

Tertiò ſequitur, quòd rarefactio non eſſet nobilior condenſatione, conſequens eſt falſum: quia eſt mutatio ad nobiliora elementa, ſcilicet ad ignem, & aërem: & patet conſequentia, quia per rarefactionem non acquireretur aliquid, nec deperderetur; & ſimiliter per condenſationem; igitur ſi eſt verum, quòd illa mutatio redditur nobilior, verè dicitur quòd per rarefactionem acquiritur quantitas, & per condenſationem 8.

deper

deperditur, & tunc habetur propositum.

Secundò, quia illud, quod [c] rarefit, mutatur mutatione præter hoc quod mutatur localiter, tunc igitur vel illa mutatio est acquisitiua, vel deperditiua, & quodcumque detur, non est nisi quantitas; igitur quantitas est res distincta: quia in rarefactione non est necesse, quòd acquiratur, vel deperdatur substantia, vel qualitas.

Dico igitur ex prædictis, quòd quantitas est dispositio inhærens substantiæ, secundùm quam partes substantiæ ab inuicem distant, & sunt extra se inuicem: quam [d] dispositionem esse separatam à substantia implicat contradictionem, vt deductum est in quæstione præcedenti. Nam quantitatis esse, est substantiæ inesse, igitur sequitur, quantitas est, igitur substantiæ inest, & si sit separata, non inest, quod est contradictio.

9. Tunc ad rationes ad oppositum, ad primam dico, quòd illa definitio datur de quanto, & non de quantitate. Vnde Aristoteles dicit, *Quantum verò dicitur, quod est diuisibile*, &c. Et ideò quantitas definitur sic, Quantitas est secundùm quam aliquod est diuisibile in ea, quæ insunt, &c. modò concedendum est quòd substantia sit quanta, licèt non sit quantitas.

Ad secundam nego antecedens. Vnde dico quòd superficies non dicitur primò alba, & postea nigra per mutationem superficiei, quæ est quantitas, sed per mutationem substantiæ.

Ad tertiam dico, quòd non est inconueniens, quòd duo corpora sint simul, quorum vnum informet reliquum, sicut est de substantia, & quantitate.

Ad quartam dico, quòd Commentator per dimensionem interminatam intelligit, quòd semper materia prædeterminat sibi aliquam dispositionem, indeterminata tamen non semper determinat sibi hanc, vel illam, & dimensio terminata vocatur illa, quam determinat sibi forma alicuius rei existens in materia.

10. Ad quintam negatur consequentia: quia substantia non est indiuisibilis, imò diuisibilis, licèt non se ipsa, sed quantitate superadditâ.

Ad sextam dico, quòd non est inconueniens, quòd si aliquid secundùm se totum rarefiat, quòd continuè sit alia, & alia quantitas, nec est inconueniens, quòd res permanentes verè durent per solùm instans, vt patet in exemplo: nam lumen causatû à Sole propter diuersitatem aspectus Solis, est continuè aliud, & aliud in medio, & tamen illud de sui natura esset natum permanere, si Sol quiesceret. Aliter potest dici quòd sicut in medio est vnum lumen continuum successiuum, ita illud, quod secundùm se totum continuè rarefit, est vna quantitas continua successiua.

Ad septimam negatur maior: quia sic sequeretur, quòd albedo esset substantia, quia albedo secundùm se, & quodlibet sui est præsens substantiæ, ita vt totum est præsens toti, & pars parti.

11. Ad octauam dico, quòd impossibile est, imò implicat contradictionem, quòd quantitas sit separata à substantia, vt patet ex præcedenti quæstione, sed si per [e] imaginationem, vel potentiam diuinam, quantitas corrumperetur manente subiecto; tunc dico, quòd si quantitas successiuè corrumperetur, quòd etiam substantia successiuè minueretur vsque ad indiuisibile, & si subitò corrumperetur quantitas, subitò substantia minueretur vsque ad indiuisibile, & ideò quia hoc est impossibile, ideò impossibile est quantitatem corrumpi manente substantiâ, & quòd non sit alia quantitas generata.

Ad nonam negatur maior, imò Deus non potest aliquo modo separare quantitatem ipsâ remanente: quia hoc implicat contradictionem, vt dictum est, nec potest quantitatem destruere sine mutatione substantiæ.

Ad decimam conceditur, quòd ille est vnus modus possibilis, quibus non repugnat fieri, at multa sunt quibus non repugnat fieri, quæ tamen sunt impossibilia fieri; vt lineæ rectæ cuilibet non repugnat, quod super ipsam possit constitui triangulus æquilaterus, attamen aliqua est, super quam impossibile est huiusmodi triangulum esse constitutum, vt patet de linea, quæ est diameter mundi. Secundò dico, quòd quantitati repugnat, quòd separetur, nam esse quantitatis est substantiæ inesse, nec ista consequentia valet, hoc non est essentia eius, nec pars, sed posterius eo, igitur ab eo potest separari, vel potest corrumpi alio non corrupto. 12.

Ad vndecimam dico, quòd non omnia possunt æquè benè saluari, quia in aliquibus inuenitur resistentia proueniens ex parte quantitatis, & non ex parte alicuius alterius, vt declaratum fuit arguendo ad quæstionem. & hoc de quæstione.

ANNOTATIONES.

[a] V*Na probat quòd quantitas non est distincta à substantia.* Hanc sententiam defendunt Nominales, & nominatim Ocham in tract. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 28. & in 4. quæst. 7. Rubion in 4. dist. 12. quæst. 3. 4. 5. & 6. Gabriel in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. & in Canone lect. 44. & Maior in 4. d. 12. q. 2. 13.

[b] *Alij verò de tertia opinione probant, quòd quantitas sit res distincta.* Hæc sententia est D. Thomæ 1. part. quæst. 77. art. 2. Durandi 1. sent. d. 33. quæst. 1. & Scoti hîc, & in 2. sent. d. 12. quæst. 2. & in 1. d. 2. quæst. 2. & est etiam Aristotelis 7. diuinorum, vbi habet hæc verba: *Longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates quadam, sed non substantia sunt: quantitas enim non est substantia.* Et potest ratione probari, ad substantiam & quantitatem, sunt variæ, & distinctæ mutationes, ergo sunt naturæ inter se distinctæ. Consequentia patet, quia diuersæ mutationes, diuersos habent terminos, & secundùm rem distinctos. Antecedens probatur, quia substantia acquiritur generatione, quæ fit in instanti temporis, quantitas verò per motum successiuum, qui fit in tempore.

[c] *Illud quod rarefit mutatur*, &c. Nota quòd de motu rarefactionis, & condensationis, sunt plures sententiæ, prima asserit quòd rarefactio fit per iuxta positionem corporum subtilium, ita videlicet, vt rarefaciens, verbi gratia, ignis generet aliqua corpora subtilia de aliquibus partibus substantiæ rarefactibilis, & illæ partes sic se habent, quòd non possunt esse omnino cum aliis partibus, qua de causa illæ partes expellunt alias de suo loco, & sic secundùm quòd sunt pauca, vel plura corpora subtilia, maiorem, vel minorem occupant locum, & ex hoc sequitur, quòd in motu rarefactionis corrumpuntur aliquæ partes substantiæ rei, quę rarefit, & generantur corpora subtiliora, partes autem quæ corrumpuntur, illæ sunt, quæ sunt propinquiores agenti, & prius respiciunt actionem suam. Hanc sententiam sequuntur aliqui Scotistæ putantes eam esse Scoti, 14.

Opinio quadruplex de motu rarefactionis & condensationis.

quia illam Scotus refert in 4. dist. 12. quæst. 4. est tamen, vt ait Tartaretus, falsa, & improbata ab Arist. 4. Phys. cap. 9.

15. Secunda sententia est Marsilij, & Henrici Gandauensis, quam sequitur Veractux. Isti asserunt, quòd in rarefactione acquiritur vna totalis quantitas, & corrumpitur tota præcedens. Quæ sententia dupliciter explicatur, primo modo sic, quòd eadem quantitas priùs est minor, & postea maior in rarefactione; & è contra in condensatione, ita scilicet quòd eademmet quantitas est, quæ rarefit, & per rarefactionem acquiritur maioritas quantitatis. Vnde termini rarefactionis sunt minoritas, & maioritas quantitatis, & vltra cùm maius, & minus de materiali significent quantitatem, & de formali respectum, scilicet talem ordinem ad partes loci, sequitur, quòd respectus ille acquiritur in rarefactione, ita videlicet, quòd quantitas, quæ denominatur cubitalis, verbi gratia, propter talem ordinem partium ad partes loci, in rarefactione vocatur bicubitalis, propter alium ordinem partium ad partes loci.

Secundo modo sensum huius opinionis ita explicat Veractua, dicens, quòd dimensio non est res, quæ extenditur, quasi dicat quòd quantitas non est quanta, neque extensio est extensa; sed est ratio extensionis in corpore. Corpus autem est quod extenditur per quantitatem, & cùm in rarefactione magis extendatur corpus, acquiritur noua quantitas, & cùm densatur deperditur.

16. Tertia sententia est Buridani, & quam aliqui dicunt esse Scoti, & certè Scotus eam sequi videtur in hac quæstione, éstque huiusmodi sententia talis, quòd in rarefactione acquiritur noua pars quantitatis sine corruptione præcedentis, intelligitur autem hæc sententia sic: in tota materia adæquatè augetur quantitas antiqua, ita vt non signetur pars, quæ non sit aucta, & neque fiat in parte determinata, ita vt non in cæteris, ferè ad eundem modum, quo augetur quantitas in augmentatione viuentis, quamuis sit discrimen quoad hoc, quòd in viuente augmentatio fit secundùm illas partes, quas dicimus formales, non tamen secundùm illas, quas materiales appellamus: at in rarefactione ita omnes particulæ augentur, vt nulla quantumuis parua detur & sit, quæ non augeatur aduentu nouæ quantitatis.

17. Quarta sententia tenet, quòd per condensationem, & rarefactionem, non acquiritur nisi alius, & alius ordo partium ad partes loci: nam per condensationem partes non efficiuntur sibi propinquiores quàm antea in ordine ad se inuicem, quia semper sunt continuæ, sed in ordine ad locum, & similiter per rarefactionem partes efficiuntur distantiores in ordine ad locum, & non in ordine ad se. Hæc sententia est cæteris probabilior, quam esse de mente Scoti latè ostendimus super 4. Scoti Tomo 1. dist. 12. quæst. 4. art. 4. aliis opinionibus reprobatis. Nam in illa quæstione loquens Scotus de figura corporis Christi in Eucharistia, inquit. *Possibile est quòd maneat idem ordo penitus partium ad se inuicem, & quòd sit alius ordo partium ad partes loci. Quoniam notum est, quod si ego faciam digitum meum curuum, tunc idem est ordo partium digiti curui, & recti in ordine ad se inuicem, sed non in ordine ad partes loci.* Si ergo quæratur, an in condensatione partes efficiantur propinquiores, quàm priùs, respondendum est, quòd in ordine ad se inuicem non sunt propinquiores, quàm ante, benè tamen in ordine ad partes loci, & idem de rarefactione, quòd partes rarefacti sunt distantiores in ordine ad partes loci, & non in ordine ad se. hæc etiam opinio videtur esse S. Thomæ 2. 2. quæst. 24. art. 5. ad 1. & 1. 2. quæst. 52. dicentis, quòd in rarefactione non acquiritur noua quantitas, neque in condensatione deperditur, sed acquiritur nouus modus quantitatis, sicut ex eadem linea modò facimus circulum, modò angulum, qui quidem modus ille ordo partium ad partes loci videtur esse: & confirmari potest ex Arist. 4. Phys. text. 94. dicente, quòd ex raro fit densum sine augmentatione, & ex hoc habes, quid de hoc sentiendum sit iuxta intentionem Scoti.

d *Quam dispositionem esse separatam à substantia implicat contradictionem.* Hic Scotus loquitur naturaliter, & vt simplex Philosophus. Cùm enim Aristotelis Physicam explicet, vt Physicus loquitur, atque ita ad 8. & 9. argumentum respondet eo modo, quo simplex naturalis Philosophus responderet. Nam alio modo theologice loquens respondet in 4. dist. 12. quæst. 1. & 2. vt annotauimus in præcedenti quæstione. 18.

e *Si per imaginationem, vel potentiam diuinam quantitas corrumperetur manente subiecto,* &c. Nota quòd circa hunc casum variè sentiunt Doctores. Nam Paulus Venetus dicit, quòd separatâ quantitate à substantia, omnes partes substantiæ confluerent ad punctum, quam sententiam videtur hîc docere Doctor subtilis. Alij tenent, quòd ablatâ quantitate substantia non potest conseruari. Alij tandem dicunt, quòd per diuinam potentiam potest conseruari substantia corporea sine quantitate, & tunc manebit substantia non quanta, nec extensa, nec diuisibilis extensione, & diuisibilitate quantitatiua, sed quodammodò habens partes distantes entitatiuè, sicut esset in partes entitatiuas diuisibilis & si dicatur, sicut non est factibile, quòd substantia sit alba sine albedine, ita neque potest habere partes, neque diuidi sine quantitate. Respondetur, quòd ablatâ quantitate, non manet in substantia effectus formalis quantitatis, qui est reddere substantiam habentem partes extensas, & diuisibiles quantitatiuè, & aptam replere locum. Sed haberet substantia partem extra partem entitatiuè, id est, haberet vnam partem extra entitatem alterius partis, & in eas esset diuisione entitatiua diuisibilis. Cæterùm si Deus separaret à substantia quantitatem, nullum locum occuparet substantia, essétque in loco tantùm definitiuè, atque adeò non damus, quòd Deus suppleat vicem causæ formalis. Hanc sententiam docet Tartaretus, in primo Physicorum, éstque communis Scotistarum sententia.

EXPOSITIO TEXTVS.

A*Mplius 1 quoniam & ipsum vnum multipliciter dicitur,* &c. Hîc ponitur secunda ratio: 19. Text. 16. quia vel illud vnum est vnum continuum; vel vnum indiuisibile, aut vnum secundùm rationem; si vnum a continuum, tunc cùm in infinitum diuisibile sit continuum, sequitur quòd multa erunt, scilicet multæ partes continui. Et tunc interserit Aristoteles quandam dubitationem de toto, & partibus. Vtrùm totum idem sit quod suæ partes, vel non; & videtur quòd non: quia tunc partes essent eædem inter se. Vnde commen. 17. dicit Comment. quòd de toto & partibus est sophisma compositionis, & diuisionis: quia eius

partes

partes simul sumptæ, sunt ipsum totum, quælibet tamen per se accepta est alia à toto. Et tunc prosequitur illam rationem, Si 3 illud vnum sit indi-

Text. 18. uisibile, tūc sequitur, quod non erit quantum, nec quale; nec infinitū, sicut dixit Melissus, aut finitū, sicut dixit Parmenides, quod patet; quia terminus

Text. 19. indiuisibilis, nec est finitus, nec infinitus. Si 4 dicatur quòd sit vnum secundū rationem; tunc non est aliud nisi, sicut dixit Heraclitus, quòd omnia sunt vnum vel definitione, vel ratione, sicut indumentum & tunica. Idem erit de bono, & malo, & non bono esse & bono. Quare idem erit bonum, & non bonum; & homo, & equus, & huiusmodi.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm totum sit suæ partes.

Aristot. 1. *Phys. text.* 16. *& in Metaph. cap.* 14. *& lib.* 7. *c.* 17. *& 2. de Anima.* Auicen. 5. *Metaph cap* 4. Scotus 8. *Metaph. quæst.* 4 *& in* 3 *distinct.* 2. *quæst* 2. D. Thom. *in* 5. *distinct.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. *ad* 5. *& in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. Heruæus *quodl.* 2. *quæst.* 15. Capreol. *in* 5. *distinct.* 2. *art.* 1. Caiet. 5. *part quæst* 6. *art.* 5. *ad* 1. Ferrar. 4. *con. Gent. cap.* 81. Mayron. *distinct.* 1. *quæst* 10. Anton. Andr. 7. *Metaph. quæst.* 18. Conymbric. 1. *Phys cap.* 2. *quæst.* 1. Runius *ibid. cap.* 3. *quæst.* 1. Fuentes *ibid quæst.* 6. *diffic.* 1. Faber *Theorem.* 21.

1. ARGVITVR quòd non, per Aristotelem in 2. de Anima, text. 2. vbi diuidit compositum in materiam & formam, quæ diuisio non valeret si totum esset materia, & forma.

Secundò per Aristotelem 5. Metaph. text. 19. vbi dicit quòd bis tria non sunt sex, sed semel sex sunt sex.

Tertiò per Aristotelem 6. Metaph. text. 60. vbi dicit, quòd compositum non est elementa, ex quibus componitur, exemplificat de syllaba *ba.* quæ non est *b.* & *a.* Nam dissoluantur *b.* & *a*, tunc erunt duæ litteræ, sed non erit syllaba *ba.*

Quartò per Aristotelem 8. Metaph. text. 15. vbi dicit quòd omnium habentium diuersas partes, & non sicut scerous, id est, cumulus, oportet ponere aliam causam; & non videtur alia, nisi quòd totum distinguitur à suis partibus, ergo, &c.

Quintò, Illa non sunt idem, de quibus verificantur contradictoria, sed sic est de toto, & partibus, ergo, &c. Maior patet per primum principium; & minor apparet: quia totum componitur ex partibus, & partes, verbi gratia, materia, & forma, sunt partes totius; & tamen totum non est pars totius. Secundò, quia partes sunt priores toto, & tamen totum non est prius toto. Tertiò, quia totum est notius secundùm sensum, quàm partes, vt patet primo huius, text. 3. & tamen totum non est notius toto. Quartò totum mouetur per se, & tamen partes non mouentur per se. Quintò, quia partes sunt minores toto, & tamen totum non est minus toto. Sextò, quia totum non est causa totius, & tamen partes sunt causæ totius. Septimò, quia totum est prius in intentione, sed posterius viâ generationis; sed partes per oppositum sunt primæ viâ generationis; igitur partes non sunt totum.

2. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo text. 17. vbi dicit quòd vnum est multa, quod non esset, nisi totum esset multæ partes.

Secundò per Aristotelem 4. Physic. text. 23. vbi numerat modos essendi *in*, dicit, non enim est totum præter partes.

Tertiò per Aristotelem in eodem 4. vbi dicit quòd plures mensuræ sunt vnum mensuratum, & exemplificat Commentator vt plures numeri sunt vnus numerus.

Quartò per Commentatorem in 1. huius, comment. 17. vbi dicit quòd de toto & partibus est syllogismus compositionis, & diuisionis: nam omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum, sed quælibet pars per se sumpta est alia à toto.

Notandum est, quòd hoc nomen [a] *totum* aliquando sumitur categorematicè, & tunc signifi- 3. *Totum sumitur dupliciter.*
cat idem, quod habens partes; quemadmodum album significat habens albedinem: & sic accipitur in titulo quæstionis. Alio modo sumitur syncategorematicè, & tunc additum alicui termino significanti totum integrale, distribuit pro qualibet parte illius totius integralis, quemadmodum istud signum *omnis* distribuit pro omnibus partibus subiectiuis totius vniuersalis, cui additur. Verbi gratiâ ista, *Totus Socrates est*, significat quòd quælibet pars Socratis est, & in isto sensu solet concedi, quòd totus Socrates est minor Socrate.

Secundò notandum est, quòd istud signum *Signum omne in numero plurali bifariam sumitur.*
omnis sumptum in numero plurali, quandoque sumitur distributiuè, vt dicendo, *omnes homines currunt*, id est, isti homines currunt, & illi, & sic de singulis. Quandoque sumitur collectiuè, vt dicendo, *omnes Apostoli sunt duodecim*, & tunc est dictum, quòd omnes Apostoli simul sumpti sunt duodecim, & isto modo accipitur cùm dicitur, quòd totum est omnes suæ partes.

Tertiò notandum, quòd terminus pluralis nu- *Terminus pluralis dupliciter sumitur.*
meri, vt *partes*, & etiam terminus de copulato extremo, vel etiam de disiuncto extremo, potest capi dupliciter, vel in sensu composito, vel in diuiso, verbi gratiâ, *Partes sunt totum*, si capiatur in sensu diuiso, sensus est, quòd pars est totum, & alia pars est totum, & hoc est impossibile; si autem capiatur in sensu composito, tunc sensus est, quòd partes simul sumptæ sunt totum, & istud innuebat Commentator sub isto primo.

Nunc ponitur ista conclusio: Totum est [b] suæ 4.
partes, ita quòd omnes partes simul sumptæ sunt *Totum est*
ipsum totum. Probatur; quia si [c] totum sit aliud à *suæ partes.*
suis partibus simul sumptis sint *A* & *B.* duæ medietates alicuius totius, & *C* illud totum, quod tu dicis distinctum; tunc quæro, vtrùm compositum ex *A* & *C.* sit vnum totum, vel non; si non, tunc sequitur, quòd Socrates non esset vna res, imò nec aliqua res mundi, quod est falsum; si dicatur quòd sic, tunc vel sunt vnum totum, se ipsis, vel per aliud totum distinctum: si seipsis, igitur eadem ratione *A* & *B* erant vnum totum distinctum, sit illud *B*, & quæratur de composito ex illis quatuor sicut priùs, & fiet processus in infinitum.

Secundò sequeretur, quòd ab aliquo toto pon- 5.
derante vnam libram præcisè remoueretur pondus vnius libræ, & tamen adhuc ponderaret tantum, quantum ante. Consequens est falsum, quia ex quo postea ponderat vnam libram, & ablata est vna libra, oportet quòd priùs ponderasset duas libras, quod est contra casum. Probatur consequentia, quia si illud est ponderans vnam libram, tunc certum est, quòd quælibet suarum medietatum ponderabat dimidiam libram. Deinde diuidatur illud totum, tunc per te totum corrumpitur, igitur pondus totius corrumpitur, & tamen illæ medietates tantum ponderant, quantum prius, ergo, &c.

Tertiò sequitur, quod [d] per solam diuisionem

substantia

ſubſtantia corrumpetur; conſequens eſt falſum, quia tunc ſi diuideretur vna portio materiæ primæ, corrumperetur materia prima; quod eſt falſum, cùm ſit perpetua. Conſequentia patet, quia per ſolam diuiſionem corrumpitur illud totum, quod tu ponis eſſe diſtinctum, quod totum eſt ſubſtantia.

6. Quartò ſequeretur, ᵉ quòd nulla generatio ſimplex eſſet mutatio vna. conſequens eſt falſum, vt patet in 5. huius. Probatur conſequentia, quia ad vnitatem motus requiritur vnitas termini ad quem: modò nulla generatio ſimplex haberet vnum terminum, quia habet formam ſubſtantialem pro vno termino, & etiam totum; quod tu ponis diſtinctum à partibus.

Quintò. Si totum eſſet alia res præter partes, ſequeretur quòd ita in numeris eſſet quemadmodum in magnitudinibus: conſequens eſt falſum, quia in numeris non apparet, quæ res, vel qualis eſſet illud totum diſtinctum à partibus.

Sextò ſequeretur, quòd remotâ aliquâ parte à toto, non remaneret idem totum, quod priùs; conſequens eſt falſum, quia nullus noſtrûm eſſet idem qui fuerat priùs. Conſequentia probatur; quia ad ablationem cuiuſcumque partis diuideretur illud totum, & ad diuiſionem totius corrumpitur illud totum, quod tu ponis diſtinctum.

7. Contra concluſionem arguitur: quia ſi concluſio eſſet vera, ſequeretur quòd infinita eſſent finita: conſequens eſt falſum, vt eſt notum, quia vnum oppoſitorum non prædicatur de reliquo. Probatur conſequentia, quia totum eſt infinitæ partes, & totum eſt duæ medietates, igitur duæ medietates ſunt infinitę partes, & per conſequens finita ſunt infinita, & è contra.


Secundò ſequeretur, quòd paria eſſent imparia: conſequens eſt falſum, quia ſequitur, *imparia, igitur non paria*: modò impoſſibile eſt quòd paria ſint non paria; & probatur conſequentia, quia totum eſt duæ medietates, quæ ſunt paria, & eſt tres, quę ſunt imparia, igitur paria ſunt imparia.

Tertiò. Si totum ſit ſuæ partes, ſiue idem ſuis partibus, ſequitur quòd partes erunt eædem inter ſe: conſequens eſt falſum, quia vna pars non eſt alia; & probatur conſequentia: quia quæcunque vni, & eidem ſunt eadem, illa inter ſe ſunt eadem, igitur ſi partes ſunt idem toti, ſequitur, quòd erunt eædem inter ſe.

8. Quartò ſequeretur, quòd partes eſſentiales eſſent eædem cum partibus quantitatiuis, & integralibus. Conſequens eſt falſum: quia partes quantitatiuæ, & integrales ſunt compoſitæ ex materia, & forma, ſed partes eſſentiales ſunt ſimplices per priuationem huiuſmodi compoſitionis.

Quintò ſequitur, quòd propoſitio vera eſſet propoſitio falſa, quod eſt impoſſibile. Probatur conſequentia capiendo iſtam propoſitionem, *Deus eſt*, & *homo eſt aſinus*; vel *homo eſt animal*: nam iſti termini ſunt diſiuncta vera, & illi iidem termini ſunt copulatiua falſa; igitur iidem termini ſunt propoſitio vera, & ſunt propoſitio falſa, & confirmatur capiendo iſtam propoſitionem mentalem, *omnis homo eſt animal*: quia iſti termini ſunt propoſitio vera, & iſti termini ſunt propoſitio falſa, ſcilicet iſta, *animal eſt omnis homo*, igitur propoſitio vera eſt propoſitio falſa. Nec valet ſi dicatur, quòd hoc non eſt inconueniens: quia aliqui termini vno modo ordinati ſunt propoſitio vera, & alio modo ordinati ſunt propoſitio falſa: quia in intellectu non eſt ſitus, vel ordo, cùm ſit omnino indiuiſibilis.

Sextò ſequitur, quòd aliqua duo ſunt quadrata, & neutrum eſt quadratum: conſequens videtur falſum. Probatur conſequentia, vt, ſit vnus quadrangulus diuiſus ex tranſuerſo per duo quadrata æqualia, quorum vnum ſit *a*, & reliquum *b*. 9.



deinde diuidatur idē quadrangulus per diametrum ſub vno angulo ad angulum ſibi oppoſitum per duos triangulos, quorum vnus ſit *c*. & reliquus *d*. tunc probatur conſequentia: quia *c*. & *d*. ſunt iſte quadrangulus, & iſte quadrangulus, ſunt *a*. & *b*. igitur *c*. *d*. ſunt *a*. *b*. quæ ſunt duo quadrata, & tamen nec *c*. nec *d*. eſt quadratum, imò vterque eorum eſt triangulus, ergo, &c.

Septimò ſequitur, quòd animal eſſet animatum, & inanimatum: conſequens eſt falſum; & conſequentia probatur, quia animalis vna pars eſt animata, & alia inanimata. tunc ſigno partem inanimatam, & totum reſiduum ſit pars animata. Tunc ſic, animal eſt duæ partes, & iſtæ duæ partes ſunt animatum, & inanimatum; igitur animal eſt animatum, & inanimatum. 10.

Ad iſta reſpondetur. Ad primum concedo, quòd infinita diuiſim ſumpta, ſunt finita coniunctim ſumpta.

Ad ſecundum, concedo, quòd paria ſunt imparia; & quando dicitur; ergo paria ſunt non paria, negatur conſequentia: quia ſicut iſte terminus par eſt verè affirmatiuus ſumptus ab æqualitate partium, ita iſte terminus *impar* poteſt dici verè affirmatiuus ſumptus ab inæqualitate partium. Vel poteſt dici concedendo, quòd paria ſunt imparia coniunctim ſumpta, ſed non diuiſim.

Ad tertium negatur conſequentia. Nam illa regula intelligitur ſic, quòd quotieſcumque aliqua 11. duo diuiſim dicuntur de eodem determinato, illa dicuntur de ſe inuicem; modò partes diuiſim ſumptæ non dicuntur de toto, ſed coniunctim, & gloſſa prædictæ regulæ eſt vera in omnibus, exceptis in diuinis, in quibus vna res eſt eadem cuilibet diuerſarum rerum, ſcilicet vna eſſentia cuilibet diuerſarum perſonarum.

Ad quartum concedo conſequens, coniunctim ſumendo, diuiſim nego: quia iſta ſemper eſt falſa, pars eſſentialis, eſt pars quantitatiua.

Ad quintum negatur conſequentia. Ad probationem de vocalibus, dico, quòd non ſunt veræ, vel falſæ niſi ratione mentalium, quæ correſpondent eis; & ideò ſolùm dicendum eſt de mentalibus, quòd præter illos terminos ex quibus componitur propoſitio, requiritur alius actus intellectus, componens, & ordinans, & ideò ſecundùm diuerſam compoſitionem, & ordinem, alia & alia propoſitio, & ideò præter terminos illos, actus ille debet connumerari tanquam pars. Et cùm dicitur, quòd in intellectu non eſt ordo: dico quòd imò, quia licèt ibi non ſit ordo ſitus, ſcilicet per partem extra partem; tamen eſt ibi ordo ſubiectionis, & prædicationis, & ideò ſicut aliud dicitur prius ſecundùm naturam alio; ita aliud poteſt dici ibi prius ſecundùm ordinem, licèt non ſit ibi diuerſitas ſitus.

Ad ſextum concedo, quòd aliqua duo coniunctim ſumpta ſunt quadrata, quorum tamen neutrum diuiſim ſumptum eſt quadratum. 12.

Ad

... ptorum. Concedo quòd animal est animatum, & inanimatum sumendo coniunctim prædicatum. Vel potest negari consequentia quia si capiatur pars inanimata, impossibile est quòd totum residuum sit pars animata, quod probo: quia sit aliqua pars animæ informans partem inanimatam acceptam, quæ pars animæ non est animata: nam præter illam partem quæ accipitur quasi esset inanimata, & residuam partem animatam, oportet connumerare illam partem animæ.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd Aristoteles in 2. de Anima diuidit compositum in materiam & formam diuisim sumpta, sed materia, & forma coniunctim sumpta sunt compositum.

Ad secundam dico, quòd imò bis tria sunt sex. Sed Aristoteles vult, quòd secundùm aliam rationem dicatur bis tria, & secundùm aliam sex.

Ad tertiam dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd compositum non est elementa, seu partes materiales, ex quibus componitur, sed oportet connumerare omnes partes compositi simul sumptas & exemplum quod Aristoteles ponit non est verum: nam exemplorum non quæritur verificatio, vt patet secundo Priorum.

13. Ad quartam dico, quòd intelligitur, quòd præter partes materiales requiritur forma, vel aliquid aliud vniens illas partes ad inuicem.

Ad quintam concedo maiorem, & nego minorem, Ad probationem, Totum componitur, &c. Dico, quòd totum componitur ex partibus diuisim sumptis, sed totum non est partes diuisim sumptæ, sed coniunctim sumptæ.

Ad illam, Partes sunt priores toto, concedo, & ita potest concedi quòd partes sunt priores toto, licet totum non sit prius toto: vel dico, quòd partes diuisim sumptæ sunt priores, & causæ totius, sed coniunctim non: imò sunt ipsum totum. Et cùm dicitur partes sunt minores, concedo, quòd partes diuisim sumptæ sunt minores, sed coniunctim sumptæ sunt idem quod totum.

Ad aliam. Totum est notius. Concedo quòd totum est notius secundùm sensum, quàm suæ partes diuisim sumptæ, sed suæ partes coniunctim sumptæ sunt æque notæ sicut & totum. Ad illam, totum per se mouetur, concedo, & ita sequitur quòd partes coniunctim sumptæ per se mouentur, sed diuisim sumptæ non: imò mouentur ad motum totius. Ad aliam, partes sunt priores. Dico quòd verum est de partibus diuisim sumptis: quia sunt priores via generationis, sed partes coniunctim sumptæ non. Et consimiliter potest responderi ad alias.

ANNOTATIONES.

14. [a] *Totum aliquando sumitur categorematicè*, &c. Nota quòd in hac quæstione quærit Scotus, an in quolibet toto composito substantiali, præter omnes partes simul sumptas, sit aliqua alia entitas, quæ dicatur totum, re ipsa à partibus sic simul sumptis distincta, à qualibet enim seorsum sumpta certum est distingui: huiusmodi autem totum categorematicè sumptum est duplex, scilicet per se, & per accidens. Totum per accidens est illud, quod componitur ex rebus diuersorum generum: vt homo albus, & de hoc non est quæstio. Totum per se est compositum ex partibus eiusdem generis, & est triplex, scilicet totum vniuersale, quod habet partes subiectiuas, de quibus prædicatur, & de hoc non est quæstio: certum est enim non distingui realiter à suis partibus. Aliud est totum integrale constans ex partibus quantitatiuis integrantibus; quod duplex est, homogeneum, cuius partes sunt eiusdem rationis cum toto, vt aqua, & lapis; & heterogeneum, cuius partes sunt diuersæ, & alterius rationis à toto, vt in animali caput, pedes, & cætera. Tertium totum est essentiale, & est duplex, Physicum, quod materia forma que constat; & Metaphysicum, quod genere & differentia conflatur, & de hoc etiam non est quæstio. Venit ergò hæc examinanda tantùm de toto Physico, & de toto integrali, tam homogeneo, quàm heterogeneo.

Totum categorematicè sumptum est duplex.

[b] *Totum est suæ partes, ita quòd omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum.* Nota, quòd distinctio vt ad præsens spectat, est triplex, realis, formalis, & ad formam rei: distinctio realis (quia fundatur super aliam & aliam rem, in quantum illæ res existunt, ita vt immediatum fundamentum distinctionis realis sit res existens) est illa qua diuersæ res existentes distinguuntur, & per oppositum realis identitas distinctioni reali opposita, fundatur super identitatem existentiæ, ita vt existentia sit immediatum fundamentum realis identitatis: atque adeò illa sunt idem realiter, quorum existentia est vna. 15.

Distinctio est triplex.

Distinctio formalis est inter duas formalitates, quarum vna non includit aliam quidditatiuè, vt subiectum, & propria passio: & hæc distinctio formalis duplex est, mutua scilicet, & non mutua. Mutua est, illa, quando sic distincta neutrum alterum includit in sua ratione, & definitione: vt intellectus, & voluntas. Non mutua est, quando conceptus vnius includit conceptum alterius, & non è contra, vt inter hominem & animal contingit. Homo enim non distinguitur ab animali, quia homo includit animal in sua ratione formali, & quidditatiua: tamen animal ab homine distinguitur: quia animal non includit hominem in sua definitione, è contra identitas formalis opposita distinctioni formali est eorum, quorum vnum includit aliud quidditatiuè, & formaliter, vt ex eius definitione tradita ab Scoto in 1. dist. 2. q. 7. colligitur, quæ talis est:

Voco autem identitatem formalem, vbi illud, quod sic est idem, includit illud, cui sic est idem in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo, & dist. 8. quæst. 4. dicit. *Includere formaliter est includere aliquid in sua ratione essentiali, ita quòd si definitio includentis daretur, inclusum esset definitio eius, vel pars definitionis.* Hæc autem identitas duplex est, adæquata, & inadæquata: prima est quando illa, quæ sic sunt idem, vnum includit aliud adæquatè, & conuertibiliter; vt definitum, & definitio sunt idem formaliter, & adæquatè, quia nihil includit homo quidditatiuè, quod non includat animal rationale, & è conuerso. 16.

Secunda est quando inadæquatè vnum includit aliud, scilicet non conuertibiliter, vt homo, & animal sunt idem formaliter inadæquatè: quia quamuis homo includat animal quidditatiuè, animal tamen non includit formaliter hominem, & vniuersaliter inferius respectu superioris est idem formaliter superiori, superius tamen non est idem illi formaliter.

Distinctio ex natura rei, quæ est minor inter omnes distinctiones præter opus intellectus est, quæ cadit inter rem, & modum rei, & hac distinctione distinguitur etiam homo ab animali. Quando enim aliqua sic se habent; quòd aliquid ex natura 17.

Distinctio ex natura rei quid sit.

natura rei competit alicui, quod alteri repugnat, & ipsa inter se sunt idem realiter, formaliter, & essentialiter, talia distinguuntur ex natura rei, homo enim & animal sunt idem realiter formaliter, & essentialiter; & tamen absque opere intellectus competit homini, quòd sit totum quidditatiuum, vel actuale, quod repugnat animali. Ideò distinguuntur ex natura rei. E contrà identitas ex natura rei talis est, quòd iis, quæ sic sunt idem, repugnat, quòd aliquid ex natura rei competat vni, quod repugnet alteri.

18. *Distinctio realis est duplex.*

Nota secundò, quòd distinctio realis duplex est, scilicet mutua, & non mutua. Nam cùm distinctio sit relatio quędam inter aliqua, qua vnum dicitur distinctum ab alio, eo quòd habet aliquid, quod non habet aliud, & illud est fundamentum talis distinctionis, & relatio duplex sit, mutua videlicet, & non mutua. Mutua est, quando hoc refertur ad illud, quod etiam refertur ad ipsum, vt pater refertur ad filium relatione reali, qui filius refertur ad patrem etiam relatione reali. Non mutua est, quando vnum refertur ad aliud relatione reali, & non è conuerso; vt creatura refertur ad Creatorem relatione reali; Creator verò solùm relatione rationis refertur ad creaturam. Ita distinctio est duplex, mutua, & non mutua. Mutua quando vnum æquè distinguitur ab alio, & aliud ab illo, vt Petrus, & Ioannes qui inter se æque distinguuntur. Non mutua dicitur illa, quando vnum extremum distinguitur ab alio distinctione maiori, aliud verò extremum distinguitur distinctione minori. Vnde distinctio realis mutua est, quando aliqua sic inter se realiter distinguuntur, quòd vnum realiter distinguitur ab alio, & è contra; distinctio verò realis non mutua est, quando aliquid realiter distinguitur ab alio, & illud non distinguitur ab eo realiter, nisi terminatiuè, & extrinseca denominatione, quia scilicet terminat distinctionem alterius ad ipsum.

19. *Totum Physicum quomodo distinguatur realiter à partibus.*

Nota tertiò, quòd totum Physicum distinguitur realiter à partibus distinctione reali non mutua: quia licèt partes realiter distinguantur à toto, totum tamen non distinguitur realiter à partibus, sed tantùm ex natura rei: dicitur tamen realiter distingui extrinseca denominatione ex eo, quòd distinctio est subiectiuè in partibus, & terminatur ad totum, atque adeò pro tanto dicitur totum distingui realiter à partibus: quia partes realiter distinguuntur à toto, ita ex mente Scoti docent præclarissimi Scotistæ Mauritius in imaginibus formalitatum. Antonius Trombetta, articul. de distinct. & identitate reali. Ioan. Cano 1. Physic. quæst. 3. & Leacherus, in secundo Sentent. distinct. 1. quæstione 5. & Bargius, & ferè omnes peritiores Scotistæ. Et ex his patet, quòd Scotus in hac quæstione non contradicit his, quæ scribit in 3. Sentent. distinctione 2. quæstione 2. vbi docet, quòd totum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis: non enim est sensus, quòd totum intrinsece, & formaliter, hoc est, intrinseca & formali denominatione à partibus simul sumptis realiter distinguatur, hoc enim est falsum, cùm totum sit idem formaliter partibus, cùm eas quidditatiuè includat; & hoc est quod negat Scotus in hac quæstione, sed sensus est, quòd totum distinguitur realiter à partibus, quia terminat distinctionem qua partes etiam simul sumptæ à toto realiter distinguntur, & hoc est, quod Scotus affirmat in 3. loco sup. relato.

20. *Totum integrale quomodo distinguatur à partibus.*

Sed quid dicendum est de toto integrali? Dico, quòd totum integrale heterogeneum, & homogeneum, non est suæ partes, sed aliquid ab eis distinctum. Ita docet Scotus in 3. distinctione 22. vbi dicit; si homo esset suæ partes, tunc esset vnum aggregatione: sicut neque quinarius numerus est suæ vnitates, sed totum quod resultat ex vnitatibus, aliter esset solùm vnum sicut aceruus lapidum, quod est falsum.

Cæterùm: quia aliquæ authoritates, & rationes, quas hic adducit Scotus, videntur destruere positionem eius in 3. Sentent. Ideò explicandæ, & soluendæ sunt. Ad primam authoritatem ex 1. huius text. 17. vbi dicit, *quòd continuum est multa.* Dico quòd Aristoteles vult, quòd totum continuum est multa in potentia, id est, quòd potest diuidi in multas partes, non tamen inde sequitur ipsum vt totum, non esse ab illis realiter distinctum.

Ad illud de 4. Physic. cap. 3. vbi dicit, quòd totum non est præter partes. Dico quòd potiùs est pro nobis. Ibi enim enumerat Aristoteles modos, quibus aliquid est in aliquo, & vnus modus dicitur esse, veluti partes sunt in toto, & totum in partibus; eo quòd non est totum præter partes, id est, nunquam inuenitur totum sine partibus. Infra autem mouens dubium, an aliquid possit esse in seipso, respondet in text. 24. quod dupliciter aliquid potest esse in seipso, vno modo primò & per se, altero modo secundùm alterum, & dicit quòd totum non est primo modo in se, quia cùm totum sit idem sibi, quicquid esset in toto, esset ipsum totum, & quælibet pars esset totum, & partes essent totum, insuper sequeretur, quòd idem respectu eiusdem esset id, quod est, & id in quo est: sed huiusmodi rationes, quod est, & in quo est, sunt diuersæ: sic enim dicit Aristoteles: *Altera specie hæc sunt, & alteram naturam habet vnumquodque* Ergo totum non est in seipso, sed dicitur esse in partibus, ergo partes alteram rationem habent à toto; & cùm totum possit ab vna parte denominari, dicetur totum esse in se, quia vna pars est in toto: atque ita non est totum in ipso primo, & per se; sed secundùm alterum: quia secundùm vnam partem dicitur esse in alia, eo quòd talis pars est in toto. 21.

Ad aliud, quòd plures numeri sunt vnus numerus, dico quòd verum est constitutiuè, sed non formaliter. Et hoc etiam modo intelligitur, quod dicit Aristoteles 2. de Anima, text. 10. nimirum, quòd sicut pupilla & visus sunt oculus, sic anima, & corpus sunt animal, & 5. Metaph. text. 30. nempe, quòd totum continens est contenta, & vnum quod illa sunt. Nam sicut pupilla, & visus sunt oculus causaliter, ita corpus & anima sunt animal, & partes sunt aliquid vnum, id est, vniuntur in toto, & ex illis perfectio totius resultat, & sic efficiunt totum. Ita etiam posset exponi authoritas Commentatoris, quòd omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum constitutiuè. Sed quid de hac re sentiat Commentator, diffusè explicauimus in formalitatibus artic. 4. Comm. 11. vide ibi. 22.

Si totum sit aliud à suis partibus simul sumptis, &c. 23.

Dico

Dico, quòd argumentum concluderet si illa entitas totius à partibus distincta esset in partibus per informationem. Cæterùm entitas totius non informat partes, neque ab ipsis informatur, sed est effectus resultans ex illarum compositione, & terminus talis compositionis: & per idem patet responsio ad sequens argumentum. Nam illa entitas præcisè sumpta, non dicit partes, sed est effectus partium, sicque illas includit, quòd ex illis resultat, & ab illis dependet, atque adeò illa entitas præcisè sumpta non ponderat, sed cùm partibus sumpta duntaxat, præterquam quòd entitas illa totius non potest à partibus separari, cùm sit idem realiter, & formaliter cum partibus, cuius oppositum argumentum supponit.

24. d *Sequitur quòd per solam diuisionem substantia corrumperetur.* Dico quòd entitas totius est indiuisibilis, vt numerus quinarius: nam forma quinarij non diuiditur, sed totum acceptum cum suis partibus, diuiditur in partes, at ipsum totum quod dicitur forma totius, non quòd informet partes, sed quia dicit quiditatem ex partibus conflatam, est indiuisibile. Nec inconueniens aliquod video, quod per diuisionem corrumpatur substantia, certum est enim, quòd per solam separationem animæ à corpore corrumpitur homo, qui est substantia, & ad id, quod dicitur de materia. Dico primò, quòd casus est impossibilis, quia materia nec per potentiam naturalem, nec etiam per diuinam potentiam (secundùm aliquos) potest à forma separari; & esto quòd per potentiam diuinam separaretur à forma. Dico, quòd si diuideretur in partes, destrueretur præcisè illa tertia entitas ex partibus resultans: & cùm dicis, materia est ingenerabilis, & incorruptibilis. Dico quòd verum est terminatiuè, id est, non potest esse terminus generationis, neque corruptionis: cùm sit vtriusque subiectum. & confirmatur responsio; quia cùm aliquod totum homogeneum, vt puta hoc lignum, vel hic lapis, diuiditur in duas medietates; certum est quòd ante diuisionem habebat lignum, vel lapis propriam materiam vnam numero, post autem diuisionem quælibet pars diuisi habet propriam materiam vnam numero distinctam à materia alterius partis, quod non contingeret, nisi materia ligni, vel lapidis fuisset diuisa.

25. e *Sequeretur quòd nulla generatio esset simplex,* &c. Dico, quòd si argumentum velit inferre, in generatione esse duos terminos, alterum vt quo, nempe formam; alterum vt quod, vt totum compositum, concedatur; & hoc nullum est inconueniens, imò est necessarium. Sicut enim in generatione ignis, quando in aliquo ligno generatur, dantur duo agentia, verbi gratiâ, forma substantialis ignis, tanquam principium *quo* ignis agit; & ipse ignis vt *quod*, & tamen non sunt duo combutentia, ita dicendum de generatione, quoad terminos, videlicet dari duos, vnum vt *quo*, & alterum, vt *quod*, hoc tamen non est dari duos terminos totales; qui exposcant duas generationes.

***

QVÆSTIO X.

Vtrùm amotâ aliquâ parte ab aliquo toto, vel sibi additâ, maneat idem totum quod prius.

Arist. *hic text.* 19. D. Thom. 1. *Physic. lect.* 3. Simplicius *ibid. comm.* 15. Themist. *num.* 19. Scotus *in* 2. *dist* 1. *qu* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. Conimbr. 1. *de Generat. cap.* 5. Ruuius *ibid.* Complut. *disp.* 6. *de composito, num* 9. *& quæst.* 5. *de augmentatione.* Auersa *quæst.* 50. *de Anima.*

ARGVITVR quòd non, quia amotâ aliquâ parte, vel additâ, non manerent eædem partes, igitur non maneret idem totum. Tenet consequentia, quia totum non est aliud, quàm suæ partes. 1.

Secundò, sequeretur, quòd aliquod totum esset idem, tertiæ parti illius, consequens est falsum, & probatur consequētia; quia illud, quod est in principio de animali, vt puta de asino, vix est tertia pars illius, quod est in medio, aut in fine; & tamen per totum tempus vitæ est idem animal; ergo, &c.

Tertiò sequeretur, quòd aliquod corruptibile, quod de nouo incipit, posset perpetuari, consequens est falsum, vt patet 1. Cœli, text. 128. Probatur consequentia. Posito, quòd ab aliquo toto auferatur vna pars modica, & addatur vna alia illi consimilis, & adhuc remoueatur vna secunda, & addatur altera similis, & sic semper; tunc per te non obstante illa additione, vel subtractione manet idem totum, quod prius erat, igitur cùm perpetuò possit fieri huiusmodi additio, vel subtractio, vt patet in fluuiis, & in plantis, sequitur, quòd illud totum perpetuò manebit.

Quartò sequeretur, quòd aliquod totum esset idem toti, & tamen nullo modo aliqua pars vnius communicaret cum aliqua parte alterius. Consequens est falsum, quia non videtur vnde proueniat diuersitas totius, nisi ex diuersitate partium. Probatur consequentia casu præsupposito, vel consimili: verbi gratiâ, sit vnum dolium plenum aqua, quæ exeat guttatim in parte inferiori, & in parte superiori, tantum mittatur continuè de aqua, quantum exit per inferiorem. Tunc per te amota vna parte, & addita sibi consimili, adhuc manet idem totum, igitur pari ratione amota vna alia, & per consequens idem totum esset, quando effusa fuit quælibet pars aquæ præexistentis, & habetur consequens. 2.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 19. qui reprehendit Heraclitum in hoc, quòd posuit entia esse continuè alia, & alia. 3.

Secundò sequitur, quòd isti termini *Socrates, Plato*, & *homo*, non essent termini distincti; consequens est falsum, & probatur consequentia, quia supponunt pro diuersis non facta aliqua noua impositione.

Tertiò sequitur, quòd in motu augmentationis non esset idem, quod prius erat paruum, & postea magnum, quod est falsum, vt patet 1. de Generatione. Probatur consequentia, quia in augmentatione aduenit aliqua pars, & per consequens totum non est idem, quod erat antè.

Quartò sequitur, quòd nullus nostrûm habuisset patrem, nec matrem, nec quòd aliquis nostrûm esset baptizatus, aut Christianus, consequens est falsum, & probatur consequentia; quia quilibet nostrûm est aliter, quàm fuerat heri propter partes resolutas à calore.

4. *Diuisio quaestionis.* Notandum, quòd in proposito accipitur iste terminus *totum* categorematicè, prout significat idem quòd habens partes. Hoc præmisso, præmittendæ sunt quædam distinctiones. Secundò conclusiones. Tertiò obiectiones, & hoc loquendo generaliter de toto, & partibus; quia de animatis esset specialis consideratio, pertinens ad librum de Generatione.

Totum duplex, homogeneum, & heterogeneum. Quantum ad primum, notandum quòd duplex est totum, quoddam est totum homogeneum, & aliud est totum heterogeneum. Totum homogeneum est, cuius quælibet pars est eiusdem rationis cum suo toto, & habet denominationem sui totius, sicut quælibet pars aquæ denuminatur aqua, & est eiusdem rationis cum tota aqua. Sed totum heterogeneum est illud, cuius non quælibet pars habet denominationem totius, nec est eiusdem rationis cum toto, sicut homo. *Totum homogeneum est duplex.* Totum homogeneum est duplex, quoddam habens partes extensionis tantùm, vt ignis, aqua; quoddam est habens partes intensionis, & extensionis, sicut caliditas, albedo, & huiusmodi. Item, *Totum heterogeneum est duplex.* totum heterogeneum est duplex, quoddam cuius partibus est vna forma communis ipsas informans, vt homo, cuius omnes partes informantur anima intellectiua, & tale vocatur vnum per se; aliud est cuius partibus non est forma communis ipsas informans, sicut domus, & tale dicitur vnum per accidens.

5. *Res naturales sunt in triplici differentia.* Secundò notandum, quòd res naturales inueniuntur in triplici differentia, aliquæ enim sunt res naturales, quæ manent semper secundùm permanentiam omnium suarum partium simul, nulla facta additione, vel subtractione; sicut Sol, cœlum, & partes cœli. Sed alia sunt entia, quorum partes nullo modo manent simul, sed consistunt in continua successione suarum partium ad inuicem, sicut tempus, motus, & huiusmodi, cuius nulla pars manet simul cum alia. Sed tertiò, sunt entia media inter ista duo, quæ scilicet manent per permanentiam aliquarum partium, & aliæ partes sibi inuicem succedunt, aut per generationem, & corruptionem, aut per additionem, & subtractionem, vt, verbi gratià, animalia, plantæ, mixta, & elementa.

6. *Aliqua res potest dici manere tripliciter.* Tertiò sciendum, quòd aliquod potest dici manere tripliciter, iuxta triplicem modum entium: primò, quia manet idem secundùm permanentiam omnium suarum partium simul; & sic dico, quòd Sol est idem hodie, qui fuit heri. Secundo modo dicitur idem, cuius non omnes partes manent simul, sed aliquæ, & aliquæ non, vt patet de asino, cuius aliquæ partes resoluuntur, & aliquæ manent, & si pars maior, aut principalior maneat eadem, tūc maximè propriè dicitur manere idem. Tertio modo dicitur manere idem, non quia aliquæ partes eius maneant, sed quia partes sibi inuicem succedunt continuè per generationem, vel per appositionem: & licèt iste modus indentitatis sit valdè improprius, & imperfectus, attamen est valde vsitatus, & per istum modum sunt imposita quædam nomina propria, vtputa fluuiorum, ciuitatum, & villarum.

7. Quoad secundam ponuntur aliquæ conclusiones, prima est, quòd amota aliqua parte ab aliquo toto, non manet idem totum, quod prius totaliter, & primo modo. Probatur per descriptionem illius, quod est manere idem totaliter.

Secunda conclusio. In totis homogeneis manet idem totum, quod priùs ablata aliqua parte, vel addita, quæ non est maior pars illius totius. Probatur, quia si propter ablationem partis minoris totum nō esset idem, sequeretur, quòd ignis agens in aquam continuè generaret aquam. Consequens est falsum, quia nulla esset aqua, in quam agit ignis, nisi priùs fuisset ante applicationem ignis, & per consequens nulla est de nouo genita per ignem: & patet consequentia, quia ignis continuè aufert aliquam partem aquæ resoluendo, propter quam ablationem dicitur totum esse aliud, quàm fuit antè.

Sed obiicitur. Ponatur quòd sit aliqua albedo, 8. quæ sit modicum intensior, quàm intensissima albedo, quæ non sufficit denominare aliquod subiectum album, & tunc per agens applicatum remoueatur ille excessus, quæ est pars minor illius albedinis, tunc per te albedo est eadem quæ fuerat priùs, non obstante abstractione illius partis. Sed contrà; quia illud subiectum priùs erat album, & nunc non est album; igitur non est eadem albedo, quæ priùs fuerat. Respondetur concedendo casum, & negando vltimam consequentiam. Vnde non sequitur: Ista albedo non sufficit nunc denominare subiectum, quod priùs sufficiebat denominare; igitur non est eadem albedo. Vnde ad hoc quòd ista consequentia teneat, hæc albedo priùs sufficiebat denominare, igitur adhuc sufficit, oportet addere antecedenti, quòd ista albedo non sit aucta, vel diminuta, nec subiectum sit aliunde mutatum.

Tertia conclusio. Amota aliqua parte à toto 9. heterogeneo, vel sibi addita, adhuc manet idem totum, quod erat antè: dum tamen residuo præter illam partem conueniant nomen, & definitio illius totius. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur, quòd quodlibet posset indifferenter generari à quolibet, quod est falsum, vt patet in isto primo, text. 37. Probatur consequētia; quia cuiuslibet totius heterogenei aliqua pars potest remoueri à toto indifferenter à quolibet agēte, igitur si ex illa remotione totū sit aliud, sequitur propositum.

Quarta conclusio. Amota aliqua parte ab aliquo toto, & addita vna consimili, vel æquali, adhuc manet idē totum, quod priùs secundùm identitatem continuationis partium in successione. Patet, quia isto modo Sequana, vel alter fluuius manet idem, qui fuerat à cētum annis, ex eo, quòd continuè succedit pars. Similiter isto modo plantæ continuantur per longissima tēpora; imò fortè possent perpetuari, vt quòd de radice antiquæ arboris pullulet nouus ramus, & ita consequenter.

Ex isto [a] sequitur, quòd opinio ponens au- 10. gmentationem in viuentibus fieri per extensionem formæ in particulari materia falsa. Verbi gratià, quidam ponunt, quòd in augmentatione plantæ anima vegetatiua, quæ præexistebat, informet materiam nutrimenti, superuenientem sine generatione alicuius partis nouæ, & ideò quādo diminuitur animal, vel planta, anima consimiliter se retrahit ad minorem materiam, quam priùs informabat. Quia si ita esset, sequeretur, quòd vna & eadem anima vegetatiua numero generata à parte antè, non augmentata, nec diminuta duraret in æternum à parte pòst, quod est impossibile, & contra Aristotelem 1. Cœli, text. 120. Probatur consequentia, quia plantæ per continuam successionē possunt perpetuari, sicut dictum est, igitur & forma illa perpetuabitur, cùm non oporteat formam corrumpi, ex quo in augmentatione dilatatur, & in diminutione contrahitur.

Secundò

11. Secundò [b] sequitur, quòd animal non manet idem à principio vitæ vsque ad finem, ex eo, quòd humidum radicale non manet idem, quemadmodum dicunt Medici. Probatur, quia tale humidum radicale est resolubile à calore, cùm sit compositum ex contrariis. Secundò, quia humidum cibale non manet idem à principio vitæ vsque ad finem, vt Medici concedunt, igitur nec humidum radicale. Tenet consequentia, quia humidum radicale, vel est ex humido cibali, vel est idem quod humidum cibale, cùm sit superfluum tertiæ digestionis. Tertiò, non apparet verisimile, quòd humidum radicale, cùm sit tenue, & parum compactum, & adeò extensè expositum suo contrario, scilicet calori, quòd duret per totum tempus vitæ non resolutum.

Ideò dico, quòd animal manet idem propter continuam successionem partium sibi inuicem secundùm generationem & corruptionem; & hoc est verum de brutis, sed non de homine, eo quòd forma hominis manet eadem, non augmentata, nec diminuta; & ideò homo perfectiori modo manet idem, quàm aliquod aliud viuens.

12. Contrà conclusionem obiicitur primò sic: sit *A* particula conueniens per augmentationem, & *B* residuum, tunc sic, *A* & *B* non fuerunt heri: *A* & *B* sunt Socrates, igitur Socrates non fuit heri, vel sic: Socrates fuit heri, Socrates est *A*, & *B*, ergo *A*, & *B* fuerunt heri. Secundò, sit *A* particula resoluta in diminutione, & *B* residuum, tunc sic: Socrates erit cras, Socrates est *A*, & *B*, igitur *A*, & *B* erunt cras, quod est falsum: quia *A* non erit cras. Tertiò, sit *B* residuum Socratis præter partem, quæ resoluetur per diminutionem, tunc arguitur sic: *B* est Socrates, & *B* nunc non erat Socrates; igitur *B* aliquando incepit esse Socrates, & ex isto sequitur, quòd *B* aliquando incepit esse, quod est falsum, quia *B* prius fuit. Item sequitur, quòd *B* generatur substantialiter, ex quo nunc est Socrates, & prius non fuit Socrates. Item sequitur, quòd iste terminus Socrates esset nomen connotatiuum: quia aliquod nunc est Socrates, quod prius non fuit Socrates, quod est falsum.

13. Respondetur vno modo ad duo prima argumenta, quòd ex præmissis in singulari numero, non sequitur conclusio pluralis numeri, nec è contra, eo quòd extrema eodem modo debent coniungi in conclusione, quo coniungebantur ad inuicem in præmissis; & ideò quando arguitur, *A* & *B*, non fuerunt heri: *A* & *B* sunt Socrates; non debet inferri, igitur Socrates non fuit heri; sed, igitur aliqua quæ sunt Socrates, non fuerunt heri, & ita ad alias duas sequentes.

Ex præmissis in singulari numero, non sequitur conclusio pluralis numeri.

Aliter dicitur negando istam, *A*, & *B* non fuerunt heri: imò *A*. & *B* fuerunt heri; sed fuerunt præcisè *A*. eodem modo dicitur de diminutione.

14. Ad tertiam concedo, quòd *B* aliquando incepit esse Socrates: quia nunc est Socrates, & prius non fuit Socrates; & negatur consequentia, igitur *B* incepit esse. Quia posito, quòd alicuius scuti vna medietas sit alba, & alia nigra; & tunc à parte nigra abscondatur vna particula, tunc hæc est vera; *Scutum incipit esse album*, & tamen nulla albedo incipit esse, nec aliquod album, nec aliqua res: & ad illud, tunc mutaretur substantialiter, negatur consequentia; imò *B* potest esse Socrates, & prius non fuit Socrates, nulla mutatione facta alia, à motu locali.

Ad aliam dico, quòd iste terminus Socrates non est ita purè quidditatiuus, hoc est, significat per ipsum esse permanens verè secundum omnes suas partes simul, nec est ita purè connotatiuus sicut terminus accidentalis, eo quod est prima substantia de genere substantiæ, id est, terminus significans simpliciter indiuiduum substantiæ, & de quo prædicatur hoc genus *substantia* in eo quòd quid. Tunc ad rationes, quæ soluuntur per conclusiones. 15.

ANNOTATIONES.

[a] EX *isto sequitur, quòd opinio ponens*, &c. Nota quòd formæ specificæ viuentium, quæ sunt animæ, sunt in multiplici differentia: aliæ namque sunt indiuisibiles, aliæ verò diuisibiles secundùm aliquos. Primi modi est anima rationalis, de qua non est dubium, quòd sit omnino indiuisibilis, & Independens à materia: quare quando homo augetur, non acquiritur noua pars animæ, sed eadem met de nouo informat nouas partes materiæ ex nutrimento acquisitas, & similiter in diminutione non deperditur pars animæ cum parte materiæ. Aliæ sunt animæ, quæ taliter informant materiam, quòd dependent ab ea in fieri & conseruari, vt animæ sensitiuæ & vegetatiuæ, & de istis sintne diuisibiles an non, disputatio est ad 2. librum de Anima pertinens. Modò opinio est sancti Thomæ 1. p. q. 76. art. 8. quòd animalium perfectorum, quales sunt equi, leones, & huiusmodi, animæ sunt indiuisibiles, imperfectorum verò, vt anguium, & lacertorum, & plantarum sunt diuisibiles. Quare iuxta hanc doctrinam dicere licebit, quòd in augmentatione in animalibus perfectis eadem manens forma extenditur ad informandas nouas partes materiæ, & hanc sententiam reprobat hîc Scotus. In animalibus verò imperfectis simul cum materia acquiritur noua pars formæ, diciturque in istis etiam fieri augmentatio secundùm formam manentem, quia manet idem modus, & figura ipsarum formarum, & ista permanentia sufficit ad affirmandum, quod secundùm tales formas fiat augmentatio. 16.

Formæ specificæ viuentium, quæ sunt animæ sunt multiplices.

Cæterùm Scotus, qui ponit formam corporeitatis, aliâ incedit viâ, & primò dicit, quòd omnes animæ viuentium sunt indiuisibiles, vt supponitur ex secundo de Anima: forma autem corporeitatis, quæ & mixtionis est, & extensa, & quanta, & secundùm ipsam fiunt organa: quare in augmentatione acquiritur noua pars formæ corporeitatis cum noua parte materiæ: quia huiusmodi forma corporeitatis est diuisibilis, & extensa. Secundò dicendum, quòd quando augentur viuentia sensibilia, & vegetabilia perfecta, siue imperfecta, non acquiritur noua pars animæ cum noua parte materiæ, & hoc est quod Aristoteles dicit 1. de Generatione, quòd augmentatio fit secundùm formam, quæ semper manet eadem. 17.

Vt autem intelligatur quomodo augmentatio fiat secundùm formam, & non secundùm materiam, obseruandum est ex Scoto in 4. distinct. 44. quæst. 1. quòd forma dat esse & agere: pars ergo secundùm formam dici potest, quamdiu habet esse secundùm formam, vel quamdiu habet agere secundùm formam: rursus non potest esse pars secundùm formam secundo modo, sine hoc quòd sit primo modo, benè tamen è contra, quia aliquando deficit agere propter imperfectionem, 18.

Pars secundū formā & secundum materiā quid sit.

sine hoc quòd deficiat esse, si autem deficit esse, deficit etiam agere. Quæcumque ergo pars, quæ composita est ex materia & forma, cùm manet in toto, dicitur pars secundùm formam primo modo, quia scilicet habet esse. Secundo verò modo non quæcumque pars dicitur pars secundùm formam, sed illa tantùm, quæ potest agere, quæ scilicet habet virtutem ita efficacem, vt possit sibi competere actio secundùm formam, actio inquam propria, quam vt ibi existens potest habere. Vt autem hæc pars hanc virtutis efficaciam habeat ad sic agendum, requiritur determinata virtus intensiua, & extensiua. Non enim quæcumque modica pars in toto posset illo modo habere huiusmodi actionem propriam, sed tantummodo concurrere ad actionem totius.

19\. Requiritur ergo aliqua determinata quantitas extensiua ad illam efficaciam agendi in toto. Requiritur etiam quantitas intensiua virtutis, quia si virtus fuerit remissa, ita vt potiùs cedat contrario, quàm vincat, non potest agere propria actione. Hoc ergo secundo modo pars secundùm formam, est pars tantæ quantitatis naturalis, & tantæ virtutis actiuæ, quòd sibi possit competere propria actio, & hoc modo in viuente possunt dari partes secundùm materiam, & secundùm formam. Nam illa modica pars, cui non potest competere propria actio propter defectum quantitatis extensiuæ, & similiter illa, quæ non habet efficaciam virtutis, quantumcunque quantitatem extensiuam habeat, est pars secundùm materiam. Pars autem quantitatis sufficientis ad agendum, est pars secundùm formam, si habeat virtutem ad agendum, quæ requirit quantitatem virtualem, & de parte secundùm materiam modo explicato intelligit Aristoteles quòd fluit, & quod non augetur, & quòd solùm pars secundùm formam est, quæ augetur. Augmentatio ergo in viuentibus fit secūdùm formam, & non secundùm materiam in hunc modum, nempè per aduenientem nouam materiæ partem cum noua parte formæ corporeitatis manente eadem forma viuentis, & hoc secundùm illas partes quæ habent virtutem & efficaciam, & debitam quantitatem ad propriam actionem, ad conuertendum scilicet in substantiam alimentum, non verò sit secundùm materiam, id est, secundùm illas partes, quæ propter sui defectum huiusmodi actionem nequeunt habere.

20\. *Augmentatio quomodo fiat.* Fit autem augmentatio secundùm has partes formales (vt docet Scotus vbi supra) in hunc modum, quòd pars secundùm formam existens in toto, habens virtutem ad conuertendum cibum in sui substantiam, postquam nutrimentum fuerit deductum per quascumque depurationes, ita vt sit iam sub forma proxima formæ nutriendæ: tunc istud tale nutrimentum sub illa forma, verbi gratia, sanguinis, approximatum parti nutriendæ, & receptum in quibusdam poris dimissis ex fluxu quarundam partium secundùm materiam, quæ præfuerunt ibi, & nunc ex fluxu suo reliquerunt poros repletos aliquo humore subtiliori, ex quo ipsum totum caruit densitate in partibus requisita ad benè esse eius ibi existens. Tunc inquam alimentum conuertitur in ipsum nutriendum, vt scilicet repetatur illa densitas in toto requisita ad benè esse eius ibi existens: itavt in poris partis nutriendæ recipiantur partes alimenti, & ibi existentes aggenerantur partibus illius partis nutriendæ. Vnde recepto nutrimento in poris, virtus viuentis alterat, & resoluit vaporem, qui resultat ex concoctione, & ille vapor faciens nouum porum propellit partes viuentis, quæ extenduntur & dilatantur versùs exteriorem locum, & tunc cibus conuertitur, & alimentum fit pars viuentis, & tunc viuens fit maius, & augetur, & hoc est augmentum, & noui loci occupatio: quia vbi erat nutrimentum est iam viuens.

Et ex hoc apparet quomodo sit verum dictum Aristot. quòd in augmentatione idem manet subiectum. Quamuis enim in viuente omnes partes materiales successu temporis fluant, & varientur, vnde idem subiectum non potest dici manere omninò inuariabile; tamen dicitur manere idem: quia manet eadem forma specifica inuariata à qua sumitur identitas. Et insuper, quia quamuis partes materiales fluant, & refluant, fluunt tamen imperceptibiliter, quasi eo modo, quo vnus populus dicitur idem semper manere, aliis, atque hominibus succedentibus, & similiter vnus fluuius, alia, & alia decurrente aqua. 21. *Quomodo in augmentatione maneat idem subiectum.*

b *Secundò sequitur, quod animal non manet idem,* &c. Nota ex Aristotele in libro de Longitudine, & breuitate vitæ, & in libro de Partibus animalium, quòd vita omnium viuentium consistit in quadam continua, & perpetua actione, qua calor naturalis agit in humidum radicale, qua actione deficiente, & animal deficit. Accipitur autem calor naturalis, & humidum radicale non pro duabus ex primis qualitatibus, sed pro duabus substantiis subtilibus habentibus tales proprietates, vt sint calidæ, & humidæ, sic enim loquuntur Medici de humido, & calore naturali. Et ideò dicit hîc Scotus, quòd humidum radicale, vel est humidum cibale, vel ex eo constat, &c. 22. *Humidum radicale, & calor naturalis quid sint.*

Vnde nota secundò, quòd duplex est humidum, radicale, scilicet & cibale. Radicale non est in aliqua parte corporis determinata, sed est sparsum per totum corpus, estque tota illa materia corporea, in qua introducitur anima in initio generationis, in qua anima souetur, & radicatur, cuius virtute postea reliqua efficiuntur in corpore; & hoc humido durante, durat vita, & consumpto consumitur, & recedit anima. Humidum cibale, seu nutrimentale est, quod fit ex cibo per conuersionem eius in substantiam aliti, ad reparandum quod deperditur ex humido radicali per actionem caloris naturalis. Nam licèt calor naturalis præcipuè resideat in corde, quod est omnium membrorum calidissimum, ab eo tamen deriuatur in cæteras partes corporis, estque sparsus per totum corpus, & immersus humido radicali, in quibus sua actione consumitur, atque adeò ne consumatur, necesse est quòd continuè reparetur per intus, susceptionem extrinseci alimenti; quod quidem naturaliter decoquit, & disponit, vt fiat humidum nutrimentale, & pabulum caloris naturalis. 23. *Humidum est duplex, scilicet radicale & cibale.*

Et propter huiusmodi actionem natura tribuit viuentibus quatuor facultates ad disponendum alimentum. Prima est attractiua, secunda retentiua, tertia alteratiua, seu assimilatiua, quarta est expulsiua. Et quamuis omnes vitæ virtutes inueniantur in omnibus partibus animalium, præcipuè tamen resident in 24. *Viuens quatuor habet facultates ad disponendum alimentum.*

quatuor

quatuor locis à natura deputatis, in quibus disponantur, & decoquantur cibi. Prima decoctio, & omnium imperfectissima fit in ore, non solum quia ibi cibi conteruntur, sed quia ibi viget virtus saliuarum, quæ adeò mirabilis est, vt ftrtè transmutet cibum secundùm plura accidentia. Factâ hac cibi transmutatione, defertur alimentum ad ventriculum, seu stomachum virtute quadam attractiua, vbi cùm sit magna virtus caloris naturalis, decoquitur & mutatur alimentum in aliam naturam, separatórque partes subtiliores, & puriores alimenti, ex quibus fit quædam massa fluida, & alba, quæ dicitur chylus; virtute verò expulsiua deijcit stomachus fæces alimenti in ventrem, & intestina, vt inde abeant in secessum; illa verò massa deputata, quæ similis est pituitæ, seu phlegmati, est quidam succos, ex quo fiunt omnes quatuor humores. Sequitur bæc massa naturam cibi, ex quo facta est, vnde si cibus est frigidus, & humidus, similiter hæc massa.

25. Rursus hæc substantia sic pura, & à stomacho digesta defertur ad iecur, per quasdam venas, quas Medici vocant meseraicas, & ibi tertiò decoquitur alimentum; sicut vinum priùs exprimitur in torculari ex vuis (vt Galeni exemplo vtamur) & exinde fertur in dolium, in quo virtute quadam decoquitur, & depuratur, taliter vt fæces crassiores resideant in infima parte dolij, subtiliores verò sursum eleuentur: ita similiter contingit in hac tertia decoctione, nam iecur depurat puriores partes illius massæ, & fit quædam massa rubea, quæ dicitur chymus, siue sanguinaria; partes verò terrestriores deijcit ad infimam sui partem, scilicet ad lienem, in quo recipiuntur excrementa quædam limosa, & terrestria, quæ sunt humores melancholici; alia verò subtiliora alimenta transmittit ad alium locum superiorem, scilicet ad vesicam fellis, in qua recipiuntur humores cholerici, qui veluti supernatant ab illa decoctione.

26. In illa ergo massa rubra sanguinaria ab hepate decocta: quia (vt dicit Galenus lib. 4. de vsu partium cap. 3.) officium iecoris est nutrimentum, quod accipit perficere ad sanguinis generationem, in confuso omnes quatuor continentur humores, scilicet flaua bilis, qui est humor cholericus, & atra bilis, qui est melancholicus humor; & pituita, quæ est phlegma, & sanguis, separantúrque à natura prouida ad nutriendum animal. Atra bilis in liene, & flaua bilis in vesica fellis, manéntque sanguis, & phlegma, quod est sanguis imperfectè decoctus. Et hi simul humores, qui sunt apti ad nutriendum, dimittuntur per venam quandam magnam, quæ nascitur à parte conuexa hepatis, quæ est veluti quidam sanguinis ductus, per quem deriuantur aliqui riuuli, siue sanguinis venæ per totum corpus dispersæ, per quas distribuitur sanguis ad omnes partes animalis: habet autem huiusmodi sanguis admixtos quosdam humores veluti aqueos, qui virtute renum attrahuntur, & per vrinam deijciuntur, vnde vrina superfluum est ex digestione hepatis.

27. Quarta decoctio fit in vnoquoque membro ipsius corporis, quodlibet enim conuertit in suam naturam tantam alimenti partem, quanta sibi sufficit certa quadam æquitate: nobiliores enim partes animalis, vt cor, caput, nobilioribus, & purioribus sanguinibus nutriuntur; ignobiliores verò partes impuriore, & deteriore sanguine nutriuntur; quod autem impurius est mittitur ad extremas partes nutriendas, scilicet ad vngues, pilos, & capillos. Ex hoc sequitur, quod docet Aristoteles lib. de Partibus animalium, nempe quòd omnes partes animalis nutriuntur sanguine: nullus enim ex alijs humoribus aptus est ad nutriendum nisi sanguis, & phlegma, quod, vt diximus, est sanguis malè coctus, quod quidem decoctum, & in sanguinem conuersum nutrit, & huius ratio est, quia cibus debet esse dulcis, & suauis, quod maximè conuenit sanguini, cæteri autem humores non sic. Flaua enim bilis est amara, melancholia est acida; ac etiam phlegma, vt sic, est insipidum, quare etiam à quibusdam reijcitur à nutritione, sed id quod diximus verius est. Non est autem imaginandum illos humores sic separatos esse à sanguine, quòd nihil illorum in sanguine remaneat: aliquid enim ipsi sanguini admixtum remanet.

28. Secundò sequitur, in nutritione animalis omnia hæc fieri excrementa, primum fit à stomacho per vrotrem; secundum ab hepate in lienem, & in vesicam fellis, & in vrinam; tertium à corde in vngues, & pilos.

Tertiò sequitur, quatuor fieri decoctiones alimenti priusquam in viuentis substantiam conuertatur; prima est in stomacho, secunda in hepate, tertia in corde, quarta in vnoquoque peculiari membro, in cuius substantiam conuertitor alimentum ab eodem decoctum, vbique adaptatum.

Quartò sequitur, quòd si calor naturalis plus conuertat de alimento in substantiam aliti, quàm consumpsit, tunc fit augmentatio; si verò tantum conuertat de alimento, quantum consumpsit de carne animalis, tunc fit sola nutritio sine augmentatione, & si minus conuertat, fit diminutio.

29. *Augmentatio non fit sine nutritione.* Nota postremò, quòd augmentatio propriè dicta, quæ videlicet fit per intus susceptionem alimenti, non fit sine nutritione, & alicuius generatione: nam cùm nutritio sit reparatio humidi radicalis consumpti à calore naturali per humidum cibale conuersum in substantiam viuentis, & augmentatio addat ad hoc plus reparati, quam fuerat deperditum, sequitur quòd sine nutritione non fit augmentatio, & cùm corruptio vnius sit alterius generatio: cibus autem cùm corrumpitur in stomacho, & eius forma substantialis deperditur, & multipliciter transmutatur materia, sequitur quòd in augmentatione fit generatio. Vide Scotum in 4. dist. 44. quæstione 1. vbi multa de nutritione, & augmentatione scitu dignissima docet, quæ nos hic consultò omittimus, ne terminum annotationis transgrediamur.

EXPOSITIO TEXTVS.

30. *Text. 10.* CONturbati autem & posteriores quemadmodum & antiqui, &c. In ista parte contradicit positionibus Parmenidis, & Melissi, & primò recitat. Secundò improbat, ibi: *Sed multa sunt.* Vnde quidā sequaces Parmenidis, & Melissi voluerunt vitare pluralitatē entiū, & quia videtūr, quòd hęc copula *est*, copulat inter diuersa, ideò nolebant istā cōcedere, *homo est albus*, sed istā *homo albus*. Alij autem videntes,

videntes, quòd ista oratio non significabat verum, nec falsum, mutabant orationes, ita vt negabant istam, *homo est albus*, concedentes istam, *homo albatur*; similiter negabant istam, *homo est ambulans*, concedentes tamen istam, *homo ambulat*. Ad euitandum ne multa sint vnum, aut vnum multa, aut è conuerso, quasi ens esset simpliciter dictum, quod est falsum. Tunc improbat,
Text. 21. & probat istam conclusionem, quòd a multa sunt vnum, & è conuerso. Primò, quia album, & musicum sunt vnum & idem; differunt tamen secundum rationem: secundò, quia illud quod est vnum secundùm continuitatem, est multa secundùm diuisionem, vt patet de toto & partibus: tertiò, quia illud, quod est vnum in actu, est multa in potentia; igitur non est impossibile vnum esse multa.

Text. 22. *Et ex quibus 3 ostendunt*, &c. In ista parte Aristoteles contradicit rationibus Parmenidis, & Melissi; & diuiditur, quia primò contradicit rationi Melissi. Secundò Parmedinis, & tertiò ambabus simul. Secundùm ibi: *Et ad Parmenidem autem*. Tertium ibi: *Necesse est igitur*.

31. Primò dicit, quòd rationes Parmenidis, & Melissi de facili sunt solubiles: quia peccant in materia, & in forma. Sed ratio Melissi est magis onerosa, id est, minùs valet; non habens dubitationem, id est, maximum habens defectum, quia nullam inducit dubitationem, quòd vno inconuenienti dato multa alia sequuntur. Tunc ibi:
Text. 23. *Quod 4 quidem*. Recitat & improbat opinionem Melissi. Vnde Melissus ponebat, quòd esset vnum ens ingenitum, immobile, & infinitum: arguebat enim sic: Omne quod est factum habet principium; igitur quod non est factum non habet principium; sed ens non est factum, igitur non habet principium; & si non habet principium, non habet finem, igitur est infinitum, & si est infinitum, sequitur quòd est immobile: quia infinitum totum occupat, similiter sequitur si sit infinitum, quòd sit vnum solum, quia infinitum non patitur secum aliquid aliud: quod autem ens non sit factum, probatur: quia si esset factum, vel esset generatum ex ente, vel ex non ente; si ex ente, tunc ens est ante sui generationem; si ex non ente, hoc est impossibile, quia ex nihilo nihil fit. Aristoteles contradicit isti rationi. Primò quia peccat in forma, arguit enim a destructione antecedentis ad destructionem consequentis, verbi gratia, Quod est factum habet principium. Factum esse est antecedens ad habere principium, deinde infert negando antecedens, igitur quod non est factum, non habet principium, à positione consequentis ad positionem antecedentis: modò talis consequentia non valet.

32. Similiter ista ratio falsum assumit, quia aliud est principium temporis, & aliud principium magnitudinis: modò si ista, Quod factum est habet principium, intelligatur de principio temporis, ipsa est vera; & similiter ista, quod non est factum non habet principium: sed de principio magnitudinis ista secunda est falsa: quia Sol non est factus, & tamen habet principium magnitudinis. Modò ex hoc, quod aliquod non habet principium temporis, non sequitur, quòd ipsum est infinitum: quia Sol non est infinitus, licèt non habeat principium temporis. Secundò etiam non
Text. 24. 4 sequitur, est infinitum, igitur est immobile: quia licèt non esset mobile secundùm se totum: tamen posset moueri secundùm aliquam sui. Similiter dato, quod non moueretur localiter; attamen posset moueri motu alterationis, & adhuc esset mobile. Et subdit Aristoteles quòd non est possibile, quòd omnia essent vnum specie; quia isto modo homo non differret specie ab equo, nec contraria à se inuicem.

Et ad 6 Parmenidem. Hìc ponit rationem Parmenidis. 33. Text. 25. Vnde ratio Parmenidis erat ista, omne quod est præter ens, est non ens, sed ens & vnum conuertuntur, igitur omne quod est præter vnum, est non ens; igitur ens est tantum vnum. Vnde conclusio istius rationis est vera, scilicet, quòd tantùm vnum est ens, sequitur, quòd tantùm ens est vnum, quia sequitur omne ens est vnum, igitur tantùm vnum est ens, per illam regulam ab exclusiua ad vniuersalem de terminis transpositis. Sed ista conclusio non sequitur ad intellectum Parmenidis, qui voluit inferre, quòd tantùm vnum est ens per exclusionem pluritatis entium; & ideò ad istum sensum Aristoteles reprobat rationem prædictam, dicens, quòd dicta ratio accipit falsum: quia si omnia de mundo essent alba, tunc argueretur consimiliter, Quod est præter ens est non ens: sed omne ens est album, igitur quod est præter album, est non ens, igitur tantùm album est, ita vt non plura alba: manifestum est quòd conclusio est falsa: quia positum est, quòd multa sunt alba. Similiter si vnum sit album, oportet quòd illud sit continuum, igitur habebit multas partes, & cùm quælibet illarum sit alba, sequitur, quòd multa alba erunt.

Necesse 7 igitur est. In ista parte contradicit 34. Text. 26. conclusioni Parmenidis; & probat, quòd ens non est tantùm vnum, quasi sic vel esset substantia, vel accidens: non accidens, quia de natura accidentis est inesse substantiæ; igitur si illud ens sit accidens, oportet, quòd sit substantia, cui inexistat: & per consequens duo erunt, scilicet substantia, & accidens. Si dicitur quòd sit substantia, & cùm 8 Text. 27. substantiæ insit accidens, sequitur adhuc quòd plura erunt, substantia, & accidens. *Neque 9 igitur* Text. 28. *magnitudinem*. Hic contradicit ambabus simul, & secundò ponit quamdam aliam rationem Parmenidis ibi: *Sed quod verè aliquid*. Primò igitur probat quòd non sit tantùm vnum, sic vt non sint plura. Probatur, quia illud vnum esset continuum, vel indiuisibile, si continuum, igitur habet plures partes, igitur plura erunt.

Si dicatur 10 quòd sit indiuisibile, adhuc illud 35. Text. 29. esset definibile, igitur haberet partes definitionis, sed partes definitionis sunt substantiæ, igitur ad huc plures substantiæ essent. Probat minorem de differentia essentiali, accipiendo istum terminum *bipes* loco differentiæ essentialis. Tunc vel bipes est substantia, & habetur propositum, vel est accidens; & tunc vel est accidens homini, vel alicui alteri, non homini; quia semper inest sibi, nec alicui alteri, quia nulli alteri conuenit. Secundò probatur idem, videlicet, quòd differentia essentialis sit substantia, & supponit duo. Primum est, quòd in definitione accidentis inseparabilis, ponitur definitio sui subiecti, sicut in definitione simi ponitur nasus. Secundò supponit, quòd illa, quæ ponuntur in ratione definitiua alicuius, illud non ponitur è conuerso in definitione alterius eorum: & si obiiciatur, quòd termini relati definiuntur per se inuicem. Respondetur negando, quia relatiua benè cognoscuntur per se inuicem, sed non definiuntur, & ideò si definiremus patrem, diceremus pater est qui genuit alium

alium sibi similem natura. Istis suppositis arguitur sic: Si bipes non sit substantia, vel igitur est accidens separabile, vel inseparabile. Non separabile: quia semper inest suo subiecto; nec inseparabile, quia in definitione accidentis inseparabilis ponitur suum subiectum per primam suppositionem, igitur accidens inseparabile, seu differentia essentialis, vt bipes, non ponitur in definitione subiecti, cuius oppositum est acceptum.

36. Text. 30. *Sed quod* 11 *verè aliquid est.* In ista parte ponit aliam rationem Parmenidis, vnde volebat probare quòd ens esset indiuisibile, quia si esset diuisibile, tunc eadem ratione medietas medietatis esset diuisibilis, & tunc vel esset processus in infinitum, vel esset deuenire ad aliqua indiuisibilia, quorum vtrumque reputabat impossibile. & subdit Aristoteles, quòd quidam acquieuerunt suis rationibus. Quidam enim dicebant concedendo primam rationem, quòd non nisi ens esset vnum, quod tunc sequeretur, quòd idem esset ens, & non ens. Secundò concedebant, quòd per diuisionem continui esset deuenire ad magnitudines indiuisibiles, & istam secundam opinionem non improbat hic, sed dimittit eam impugnandam in 1. de Generatione, & nunc improbat primam. Vnde dato, quòd ens significet plura, sicut de facto significat, puta substantiam, & accidens, non sequitur, quòd idem sit ens, & non ens, sicut isti ponebant, sed benè sequitur, quod aliud sit ens simpliciter, & aliud non ens simpliciter, vt puta accidens, & hoc non est inconueniens.

37. Text. 31. *Sicut* 12 *autem Physici dicunt.* Hoc est secundum caput huius tractatus, in quo Philosophum recitat opiniones antiquorum naturaliter loquentium. Et non dicuntur naturaliter loquentes, eo quòd vera dicant de naturalibus, sed ex eo quòd concesserunt principia naturalia, scilicet motum, & pluralitatem entium. Et diuiditur, quia primò recitat opiniones antiquorum in generali. Secundò specialiter recitat opinionem, & rationes Anaxagoræ, & tertiò impugnat illum. Secundum ibi: *Videtur autem.* Tertium ibi; *si igitur infinitum.* Primò dicit, quòd Philosophorum naturaliter loquentium sunt duo modi. Primus modus est, quòd quidam dicunt principium materiale rerum naturalium esse vnum corpus actu existens, quod est alterum trium elementorum, vel mediũ inter ignem, & aërem, quod scilicet est densius igne, & rarius aëre, & modus generationis entium ex isto principio est secundùm diuersitatem in raritate, & densitate, ita vt illud quod est magis densum est terra, & quod aliqualiter est subtilius est aqua, & ita de aliis.

38. Alij dicunt, quòd modus generationis entium ex isto principio est secundùm magnitudinem, & paruitatem; ita vt quando aliquod efficitur magnum generatur, & quando paruum corrumpitur. Et ista positio similis est positioni Platonis ponentis magnum, & paruum esse principia naturalia, sed vnum aliud ponebat tanquam formale, scilicet ideam separatam; sed illi alij ponebant magnum & paruum esse principia formalia, & corpus actu existens esse principium materiale.

Quidam autem alius modus antiquorum fuit, qui ponebant quoddam chaos confusum, in quo omnia entia erant congregata, & immiata, sicut ponebat Anaximander, Empedocles & Anaxagoras: differunt tamen, quia Empedocles posuit omnia entia mundi infinities congregari ad inuicem per amicitiam; & per litem, & discordiam infinities segregari, & sic ponebat mundum infinities generari, & corrumpi; sed Anaxagoras ponebat omnia esse in chaos confusum per tempus infinitum, sed postea superuenit intellectus diuinus segregans ista ab inuicem.

Videtur 13 *autem Anaxagoras.* Hîc recitat opinionem Anaxagoræ, secundò ponit responsiones ipsius ad quasdam obiectiones sibi factas ibi; *sed propter paruitatem.* Dicit igitur primò, quòd Anaxagoras ponebat quodlibet esse in quolibet; supponendo quòd ex nihilo nihil fit, secundùm communem opinionem Philosophorum: cùm igitur ignis generatur, non generatur ex non igne, quia generaretur ex non ente, quod est contra suppositum, sed ignis generatur ex aëre, vt patet ad experientiam, igitur in illo aëre erat ignis, & sic arguitur de quolibet alio, quòd quodlibet aliud est in reliquum transmutabile saltem mediatè, vel immediatè. Secundò quia vnum contrarium est in alio; igitur quodlibet est in quolibet. Tenet consequentia, quia minùs videtur de contrariis, quàm de aliquibus aliis; & antecedens patet, quia vnum contrarium fit ex reliquo[a], quia non fit de nihilo: nam in hac opinione conuenerunt omnes, qui de natura locuti sunt, scilicet quòd ex nihilo nihil fiat. 39. Text. 33.

Sed propter paruitatem magnitudinum. Hîc respondet ad quædam obiecta sibi, scilicet quòd si quodlibet est in quolibet, quæ est ratio, quare non apparet nobis, quod in aëre sit caro, sanguis, & huiusmodi? Secundò, quia si quodlibet est in aëre, quare magis denominatur aër, quàm aliquod aliorum? Ad primum respondet Anaxagoras, quòd propter paruitatem partium, quæ sunt coniunctæ in aëre, non possumus illa percipere. Ad secundum dicit, quòd licèt aër sit commixtus ex valde multis; attamen semper debet denominari ab illo, quod magis superabundat, & ideò licèt infinita sint simul, vt puta caro, os, sanguis, & huiusmodi, tamen res illæ denominabuntur secundùm naturam illius rei, de qua plus habent in ipsis. 40.

ANNOTATIONES.

41. Sententia antiquorum multiplex de pluralitate principiorum.

[a] NOta quòd ponentes plura principia erant diuisi in duas sectas. Nam quidam ponebant plura principia numero tamen finita, quidam verò plura, sed infinita assignabant. Inter ponentes plura, finitáque principia quinque fuerunt sententiæ. Prima ponebat ignem, & terram, hanc sententiam tenuit Parmenides, qui tenuit esse vnum. Dicit tamen Philoponus duos composuisse libros, vulgares videlicet, & accuratiores, in his dixit vnum esse principium, in illis verò duo illa. Alij dicunt posuisse duo hæc principia secundùm apparentiam, quæ tamen secundùm existentiam dicebat esse vnum. Secunda sententia posuit tria elementa præter terram. Alij tertiò, sicut Empedocles, omnia quatuor elementa. Quarta sententia fuit Platonis ponentis ideam & materiam, intelligens per paruum, & magnum materiam. Quinta fuit Pythagoræ ponentis par, & impar, per par materiam intelligens, per impar formam significans, eo quòd materia sicut par diuisibilis est, forma verò vt impar indiuisibilis.

42. *Alij qui infinita principia posuerunt in tres sunt partiti opiniones.* Anaxagoras tenuit rerum principia infinitas particulas indiuisibiles esse: non quia essent, vt puncta, sed quia iam vltra actuali diuisione diuidi non possent, quas particulas vocabat atomos, ex quibus res naturales componebantur, diuidebat autem eas per singulas species, vnicuique speciei infinitas tribuens, vt infinitas particulas carnis, ossis, ignis, & aliarum rerum, ex quo huiusmodi particulæ specie differebant, & secundùm accidentia erant contraria: quædam enim calidæ, quædam frigidæ erant. Antequam hæc diuisio per singulas fieret species, omnes (dicebat) in vnum congregatæ existebant, quod vocabat chaos, à quo talem diuisionem fecit Deus. Dicebat etiam in singulis compositis infinitas atomos omnium specierum contineri, vnius autem solum speciei apparere, sicque fieri generationem, cùm scilicet, occultæ atomi apparent, & manifestæ occultantur.

Secunda sententia fuit Anaximandri, qui in hoc solùm differt ab Anaxagora, quòd Anaxagoras chaos ex atomis dicebat factum, Anaximander verò è contra ex chao factas atomos affirmabat.

Tertia denique fuit Democriti, qui etiam chaos ponebat, à quo per litem, & amicitiam coniungebantur similia, & separabantur contraria.

EXPOSITIO TEXTVS.

43. Text. 35. *Si igitur & infinitum secundùm quod infinitum, &c.* Hic improbat Anaxagoram, & ponit quinque conclusiones. Secunda ibi: *Amplius autem si necesse est.* Tertia ibi: *Ad hæc autem.* Quarta ibi: *Non rectè autem.* Quinta ibi: *Melius autem est.*

Infinitum secundùm quod infinitum est ignotum.

Prima conclusio est ista. Principia rerum naturalium non sunt infinita. Probatur, quia sequeretur, quòd res naturales non possemus cognoscere: consequens est falsum, quia de illis habemus scientiam naturalem: consequentia probatur, quia tunc arbitramur vnumquodque cognoscere, cùm cognoscimus ex quibus partibus, & ex quot ipsum sit: igitur si principia sunt infinita, oportet illa cognoscere ad cognitionem rerum naturalium: modò hoc est impossibile, quia impossibile est infinita cognoscere qualibet cognitione distincta.

44. Text. 36. *Amplius 2 autem si necesse est.* Probat secundò quòd totum compositum naturale, & eius partes se inuicem consequuntur, quantum ad magnitudinem, & paruitatem, & quantum ad terminationem, & interminationem, & quantum ad finitatem, & infinitatem: sed totum compositum naturale est finitum, & limitatum secundùm magnitudinem, igitur similiter & partes infinitæ ipsius diuersarum rationum, nec etiam eiusdem rationis, quarum quælibet possit per se actu existere: quia ex talibus resultat & compositum infinitum. Maior patet, quia non contingit, quòd totum augmentetur sine augmentatione partis, nec diminuatur, vt patet de viuentibus: & minor probatur, quia non contingit animal, aut plantam esse, quantumcunque secundùm magnitudinem, vel paruitatem, hoc enim idem apparet de partibus animalium; quia non contingit carnem vel os, vel aliquod huiusmodi esse quantumcunque in maius, aut in minus, id est, secundùm magnitudinem, & paruitatem.

Nota de maximo, & minimo.

Et ex ista littera habetur quòd entia naturalia, sunt terminata ad maximum, & ad minimum.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm notitia totius dependeat ex notitiis suarum partium.

Aristot. *hic text.* 36. Auicen. 2. *Metaph.* Simplicius 1. *Phys. com.* 34. Themistius *ibid. num.* 4. Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *&* 1. *Metaph. quæst.* 10. D. Thom. *in proœm. Phys. &* 1. *Phys. lect.* 9. *&* 1. *par. quæst.* 85. *art.* 3. *cum suis.* Rubius 1. *Phys. quæst.* 3. Conimbric. *ibid.* Auersa *quæst.* 30. *Logicæ, sect.* 3. *&* 4.

ARGVITVR quòd non: quia sequeretur, quòd ad notitiam totius oporteret cognoscere infinita, cùm cuiuslibet totius sint infinitæ partes. 1.

Secundò sequeretur, quòd in cognitione esset processus in infinitum, consequens est falsum. Probatur consequentia, quia ex quo ad cognitionem totius requiritur cognitio suarum partium, & cùm quælibet illarum partium sit vnum totum, sequitur, quòd ad cuiuslibet illarum partium cognitionem oportebit cognoscere omnes partes illius partis, & sic in infinitum.

Tertiò. Partes sunt minùs notæ, quàm sit suum totum, igitur ad cognitionem totius non requiritur cognitio partium. Tenet consequentia, quia notitia euidentior non præsupponit minùs euidentem; & antecedens apparet per Aristotelem in 1. huius, text. 4. vbi dicit, quòd totum est notius secundùm sensum, quàm sint suæ partes.

Quartò. Totum est suæ partes, & vt patuit suprà; igitur ad cognitionem totius non requiritur cognitio partium: quia idem non requiritur ad se ipsum.

Quintò. Quia visibile, quod actu videtur, notius est apud sensum, quàm aliqua pars eius; igitur ad visionem huius totius non requiritur visio partis. Antecedens notum est: imò in toto visibili sunt multæ partes, quarum quælibet propter paruitatem est inuisibilis.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, tract. 2. cap. 2. text. 36. vbi dicit, quòd ad cognoscendum aliquod totum oportet cognoscere ex quibus, & quot sit, & dicit ex quibus, ad denotandum partes essentiales, & quot, ad denotandum partes integrales. 2.

In quæstione primò videbitur, qualiter sensatio partis requiritur ad sensationem totius, & qualiter non. Secundò videbitur, qualiter notitia scientifica totius dependeat ex cognitione suarum partium.

Diuisio quæstionis.

Quantum ad primum sunt dubia duo: primum est de partibus separatis à toto, vtrùm sit dare minimum visibile, quod propter suam paruitatem possit percipi à sensu visus. Arguitur quòd sic, quia aliquod est quod propter sui paruitatem nõ potest videri, igitur vel est dare maximã quantitatem, quæ non potest videri, vel minimam, quæ potest: non maximam quæ non potest: quia si sic, sit illa *A*, tunc *A* non potest videri. Tunc sit *B* vnum, quod excedat *A* insensibiliter, tunc *B.* propter paruitatem non percipitur à sensu visus: quia quoad iudicium sensus, *B* non est maius *A*, igitur *A* non erat maximum, quod non potest percipi à sensu visus. Tenet consequentia, quia *B*, quod non potest percipi est maius *A.* & cùm non sit dare maximum, quod non potest percipi,

sequi

ſequitur quòd eſt date minimum, quod poteſt percipi.

Sed contrà ſit, illud *A*, tunc *A* videtur, igitur medietas *A* videtur, & per conſequens non erat minimum, quod videbatur. Item, ſi *A* ſit minimum, quod poteſt videri, igitur aliquo exceſſu ſufficit agere ſpeciem ſuam in viſu, igitur vnum aliud minus *A* ſufficeret agere in viſum cum minori exceſſu.

3. Notandum, quòd omnis [a] viſio fit per pyramidem, cuius baſis eſt res viſa, & conus eſt in oculo, qui conus debet eſſe determinatæ quantitatis; ita quòd non ſub quacumque modica quantitate ſufficit immutare viſum. Ex quo patet, quòd multa ſunt inſenſibilia propter paruitatem, eo quòd non poſſunt cauſare angulum ſenſibilem in oculo. Secundò patet, quòd propter diſtantiam diuerſam, à qua res videtur, eſt differentia quoad ſenſibilitatem, & inſenſibilitatem; nam quæ ſunt remotiora, videntur ſub angulo minori, & per conſequens videntur minora, niſi prohibeatur diſtantia.

Tunc ponitur iſta concluſio, quòd licèt ſint multa talia, quorum quodlibet propter paruitatem ſit inſenſibile; tamen ſi fiat vna multitudo iſtorum ad inuicem, multitudo illa videbitur, dato quòd non continuentur illa inſenſibilia. Probatur per experientiam de guttulis aquæ, quæ ſunt in nube rorida, quarum quælibet ſi per ſe eſſet, eſſet inſenſibilis à tanta diſtantia, tamen multæ ſimul exiſtentes in multitudine videntur, licèt confusè.

4. *Aliqua apparere poſſunt æqualia vni tertio, quæ tamen nõ apparebunt æqualia inter ſe.*

Ex iſto patet, quòd poſſibile eſt apparere æqualia aliqua duo vni, & eidem, & tamen non apparebunt æqualia inter ſe. Probatur: poſito quòd *A* excedat *B* inſenſibiliter, & *B* excedat *C* inſenſibiliter; ſed exceſſus *A* ſuper *C* ſit ſenſibilis, ſcilicet compoſitus ex duobus inſenſibilibus. Tunc patet corollarium, quòd *A* & *C* apparent æqualia inter ſe inuicem.

Secundò ſequitur, quòd per iſtum modum poteſt intellectus mediante viſu apprehendere inſenſibilem exceſſum. Tunc dico, quòd in huiuſmodi inſenſibilibus ſeparatis à toto, eſt dare maximum inſenſibile, quod non poteſt percipi à ſenſu viſus propter paruitatem; & quando arguitur, quòd non, quia *B* & *C*. Dico, quòd imò, quia licèt exceſſus inſenſibilis ſe ſolo deprehendi non poſſit, attamen exceſſus inſenſibilis quantumcunque ſit paruus additus ipſi *A* reddit aggregatum ſenſibile.

5. Secunda dubitatio eſt de partibus coniunctis in toto, ſcilicet, vtrùm viſibilis, quod actu videtur, quælibet pars actu videatur. Arguitur, quòd non; quia tunc ſequeretur, quòd quodlibet agens quantumcunque paruum ageret ad tantam diſtantiam, ad quantam ageret magnum; conſequens eſt contra experientiam; & patet conſequentia; & capiatur vnum paruum album, quod ſufficit agere ad vnam paruam diſtantiam, & coniungatur alicui albo magno; tunc vel iſtud paruum aget ad tantam diſtantiam, ad quantam totum, vel non, ſi ſic habetur conſequens; ſi non, igitur conſequenter vna alia pars illi æqualis non aget ad tantam diſtantiam, & ſic de tertia, quarta, quinta, & ſexta, & per conſequens totum aget ad aliquam diſtantiam, ad quam nulla pars eius poteſt agere.

Notitia eſt duplex.

Reſpondetur. Pro quo notandum, quòd duplex eſt notitia, quædam confuſa, vt illa, qua percipio Socratem eſſe animal, alia determinata, vt illa qua percipio Socratem eſſe Socratem.

6. *Viſibilis duplices ſunt partes.*

Secundò notandum, quòd viſibilis duplices ſunt partes, quædam in latitudine ad viſum, & aliæ in profundo. Tunc de partibus in profundo dico, quòd ad hoc, quòd aliquod viſibile actu videatur, non oportet videre omnes partes eius ſecundùm profundum, vt patet ad experientiam: tamen de quolibet viſibili, quod actu videtur, aliquæ partes videntur ſecundùm profundum: cuius ſignum eſt, quòd nullum corpus poteſt eſſe ita denſum, nec compactum, quin aliqua pars eius poſſet fieri ita tenuis, quod per ipſam benè poteſt fieri viſio, tanquam per medium, vt patet de auro, ferro, & huiuſmodi. Sed de partibus, quæ obiiciuntur ad viſum in latitudine ſit prima concluſio iſta: Multæ ſunt partes viſibiles, quæ actu videntur, quarum nulla determinatè videtur, ita vt de nulla earum habeat viſus determinatam cognitionem. Probatur, quia de illo non habet viſus determinatam, & diſtinctam cognitionem, quod ſi mutaretur de albo in nigrum, vel è contra, viſus non perciperet: ſed multæ ſunt tales partes, ſicut patet de partibus inſenſibilibus propter paruitatem, vnde ſi vna pars inſenſibilis mutaretur de albo in nigrum, viſus non perciperet.

7. Secunda concluſio; Nulla eſt pars alicuius viſibilis actu niſi directè obiecta viſui, quæ non videatur cõfusè, & indiſtinctè. Probatur, quia à qualibet parte quantumcunque modica diffunditur ſpecies in organum viſus, tunc ſi nulla illarum videtur, ſequitur quòd totum viſibile videtur, & tamen nulla pars eius eſſet viſa. Demum comparando partes eiuſdem viſibilis actu viſi ad inuicẽ, dico quòd inter partes propinquiores, illa ad quã figitur aſpectus viſus, minùs confusè videretur, & magis diſtinctè quàm aliæ remotiores. Patet per experientiam, & etiam quia per partem illam viſibilis, ad quá figitur aſpectus, maximè certificatur viſus de re viſibili. Secundò dico quòd propter elongationẽ diſtantiæ partes coniunctæ videntur minùs diſtinctæ. Tertiò dico, quòd viſibile poſſet in tantum elongari, vt partes, quæ eſſent in medio, vbi figitur aſpectus, viderentur, & tamen partes extremales non viderentur, imò eſſent inuiſibiles à tanta diſtantia cum talibus circumſtantiis, & iſtud maximè apparet in corporibus viſibilibus acutæ figuræ, quorum acuties non percipitur à remotis.

8. *Magis lucida & magis album magis videntur.*

Ex quo ſequitur, quòd vnum viſibile meliùs videtur ex hoc, quòd coniungitur alteri viſibili. Quartò dico, quòd cæteris paribus illud quod eſt magis lucidum, aut magis album, videtur magis album, videtur magis diſtinctè. Probatur, quia lux, & albedo habent diſgregare viſum, propter fortem immutationem eorum, & ideò faciunt rem aliquam apparere maiorem viſui, quàm ſi eadem, & tanta præſentaretur viſui ſub nigredine, & cauſa eſt, quia lux, & albedo, propter fortem immutationem, quam faciunt in organo, mouent ſpecies viſibiles quodammodo ſegregando, & propter illam ſegregationem anima iudicat rem maiorem.

9. *In prima lunatione quare arcus illuminatus appareat magna ſphæra.*

Ex iſto redditur cauſa quare in prima lunatione arcus illuminatus apparet portio magnæ ſphæræ, quàm reliqua pars Lunæ non illuminata. Quintò dico, quòd ſi duo contraria iuxta ponantur ad inuicem, vt puta album iuxtaponatur nigro: quodlibet illorum magis diſtinctè percipitur,

pitut, quàm si non esset iuxtapositum alteri, & propter hoc [illegible] hitur pãnus niger ad altare, vt distinctius videatur corpus Christi. Causa est non quòd propter iuxtapositionem illam aliquod illorum intensiùs moueat visum, quàm ante mouisset; sed quia anima apprehendens ista simul comparat ista ad inuicem in intensione, & propter magnam dissimilitudinem, & repugnantiam, quam inuenit in eis, iudicat quodlibet esse intensiùs, quàm si esset solitariè positum sine alio. Patet ergo qualiter per cognitionem distinctam totius, & qualiter visibilium quædam magis distinctè percipiuntur, & quædem minùs, & hoc de primo.

10. *Partes sunt duplices, essentiales, & integrales.*

Quantum ad secundum. Notandum, quòd partium quædam sunt essentiales, vt materia & forma, aliæ quantitatiuæ, & tales sunt duplices, quædam homogeneæ, quæ scilicet habent eandem denominationem, & sunt eiusdem rationis cum suo toto. Aliæ sunt heterogeneæ, quæ non habent eandem denominationem cum suo toto vt manus, pes, caput, & huiusmodi.

Notitia totius dupliciter dependere potest à notitia partium.

Secundò notandum, notitiam totius dependere ex notitia partium, potest intelligi dupliciter, vno modo in genere causæ efficientis instrumentalis isto modo, quòd intellectus informatus notitiis partium, potest mediantibus illis deuenire in notitiam totius, & istud est verum. Alio modo intelligitur, quòd sicut totum continet in se diuersas perfectas partes; ita perfecta notitia de toto habeat multas partes, seu notitias partiales, quæ sunt notitiæ partium.

11. *Nullum totū potest perfectè cognosci.*

Nunc supponuntur aliqua, primò quòd nullum totum potest perfectè cognosci, vt de homine: quantum ad omnia dicibilia de eo, sicut patuit in vna quæstione priùs. Secundò supponitur, quòd ad perfectè cognoscendum aliquam rem secundùm aliquam scientiam, sufficit illam cognoscere secundùm terminos illius scientiæ. Probatur, quia ad cognoscendum aliquid in scientia naturali, sufficit illud cognoscere per terminos scientiæ naturalis, nec habet curare de sciendo rem illam per terminos mathematicos.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est: Ad cognoscendum aliquod totum perfectè in scientia naturali non oportet cognoscere omnes partes ipsius qualibet cognitione distincta. Probatur; nã sequeretur, quòd oporteret infinita cognoscere quodlibet, scilicet cognitione propria, & distincta, quod est impossibile; & patet consequentia, quia cuiuslibet totius sunt infinitæ partes. Et dico notabiliter, quodlibet cognitione distincta; quia infinitæ partes benè cognoscuntur cognitione confusa, & indistincta, vt, verbi gratiâ, in ista, *Totum habet infinitas partes.*

12. *Quid requiratur ad perfectè cognoscendum aliquod totum in scientia naturali.*

Secunda conclusio. Ad cognoscendum aliquod totum perfectè in scientia naturali, oportet cognoscere omnes partes eius essentiales, & heterogeneas qualibet cognitione sibi propria, & distincta in processu scientiæ naturalis: nam ad perfectè cognoscendum hominem, vt factum fuit, priùs oportet cognoscere manus, caput, pedes, & huiusmodi, & quòd ista cognoscantur ex carne, osse, & huiusmodi, postea quòd cognoscantur ex quatuor humoribus, quatuor humores ex elemẽtis, & elementa ex materia & forma, nec istud sufficit, sed oportet quòd cognoscantur complexiones, qualitates, & conditiones sequentes ex istis.

13. Ex isto sequitur, quòd ad perfectè cognoscendum aliquod discretum, vt numerum, oportet cognoscere quamlibet eius partem, conditiones, & proprietates sibi conuenientes, & cum hoc habitudines omnium suarum partium ad inuicem.

Secundò sequitur, quòd ad perfectè cognoscendum corpus cœleste, oportet cognoscere omnes sphæras, scilicet quot sint, & quot sint motus diuersi ipsarum, stellas, & alias conditiones eis conuenientes.

Tertia conclusio. Si principia rerum naturalium essent infinita in multitudine, differentia secundùm speciem, sicut ponit Anaxagoras, res naturales non essent cognoscibiles. Probatur, quia tunc oporteret infinita cognoscere, quodlibet cognitione distincta, & istam conclusionem intendit Aristoteles in isto capitulo allegato post oppositum.

Ad rationes. Primæ duæ sunt solutæ per primam conclusionem secundæ partis. Ad tertiam dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd totum magis distinctè cognoscitur, quàm suæ partes, & cum hoc, vt in pluribus totum est notius communitari, quàm aliqua pars eius: quia vt in pluribus multi deuenerunt in notitiam totius per diuersas partes, vt quilibet nostrûm per aliam, & aliam partem deuenit in notitiam columnæ. Dico vlteriùs, quòd licèt aliquæ partes sint minùs notæ; attamen perfecta notitia totius componitur ex notitiis suarum partium, tanquam ex suis partibus. Ad aliam dictum fuit in prima parte quæstionis. 14.

ANNOTATIONES.

Omnis visio fit per pyramidem. Nota quòd ad visionem sunt hæc omnia necessaria organum potentiæ visiuæ, qui oculos dicitur, & qui mira compositione à natura confectus est, vt capax sit recipiendi species, vt in ipso fiat visio. Constat autem oculus ex multis humoribus, & pelliculis: & in prima illa vbi humor crystallinus est, fit visio. Sunt enim duo nerui, qui optici dicuntur, siue visiui: hi egrediuntur à parte anteriori cerebri versùs oculos tendentes. Quidam tamen dicunt, quòd egreditur vnus, & circa oculos diuiditur in duos, & vnus tendit ad vnum oculum, & alter ad alterum, sed alij dicunt, quòd ab ipso cerebro egrediuntur duo, versùs oculos tendentes, & in media via fit vnus neruus integer, & post illam coniunctionem iterum efficiuntur duo nerui, quorum vnus tendit in dexterum, & alter in sinistrum oculum, qui in summitate oculorum propè oculos sunt nimis ampli, vt faciliùs recipiant species visibiles, & propè cerebrum sunt valdè angusti, vt species visibiles magis collectas tribuant sensui communi, & habet se ad modum fistulæ organi musici. Insuper color propter materialitatem suam vi sui non potest se ingerere: ideò producit sui speciem in aëre, vel in aqua. Quando igitur obiectum est in debita distantia, videtur res secundùm propriam quantitatem, si autem multum distet, debilitatur species, & apparet res minor, quàm est, vt patet de stellis, quæ cùm sint maiores, quàm terra, apparent minores, quàm rota plaustri. 15. *Quæ sunt ad visionem necessaria.*

Fit ergo sic visio. Radius visualis, seu species rei visibilis est extensa ad modum pyramidis cuius basis est in re visa, & angulus in oculo, qui quidem angulus terminat pyramidem luminis rei luminosæ, seu speciei visibilis rei colloratæ 16. *Visio quomodo fiat.*

loratæ in quolibet puncto medij; quapropter in quacunque parte medij oculus exiſtat videt rem, & cùm obiectum eſt propinquius oculo, pyramis eſt breuior, & angulus maior, & ſic agit fortiùs, & rem ſecundùm ſuam quantitatem repræſentat: ſi verò res ſit procul, pyramis eſt longior, & res minor repræſentatur, vt diximos de ſtellis. Recepta ergo illa ſpecie in figura illa pyramidali adueniente in pupilla oculi vbi humor cryſtallinus eſt, fit viſio, & non in cooiunctione neruotum, vt alij ſentiunt, qoia neruus ille terreus eſt, organum verò viſus aqueum debet eſſe, qualis eſt pupilla. Eſt tamen illa coniunctio neruorum neceſſaria quædam diſpoſitio ad efficiendam viſionem, & quamuis res duobus oculis videatur, apparet nihilominus vna, quia vnitas cognitionis viſiuæ pendet ab illa coniunctione neruorum, viſio tamen ipſa fit in delicatiſſimo organo, ſcilicet oculi pupilla & non io craſſiſſimo, qualis eſt neruus.

17. Nota ſecundò, quòd viſio debet fieri io perfecta rectitudine oculi, & pupillæ ad rem viſam, ita vt à ſitu, in quo res, quæ videtur, eſt, ad pupillæ centrum duci poſſit linea recta, & radius directiſſimos, ſpecies autem rei viſibilis non obſeruat taotam rectitudinem ab obiecto vſque ad potentiam: cùm enim extenſæ ſint per medium, aliqoando io oculo imprimuotor ab obiecto non omniuò oppoſito pupillæ. Ex hoc naſcitur, quòd quando obiectum mittit ſpecies in viſum, viſus tamen non habet rectum ſuum axem ad illum ſitum, tuoc apparet res extra locum: vt ſi comprimamus oculum digito extra proprium locum eleuantes, tunc alibi apparet obiectum, quàm ſit, quod obiectum ſi alius oculus aſpiceret recto axe, videret illud in proprio ſitu. Ideò homo habens duos oculos, quorum vnum digito comprimit, & aliom non, contingit, quòd videat idem obiectum & in proprio ſito, & alibi, & ſic vnum obiectum apparet duo. Similiter, quando obiectum eſt in aqoa per medietatem, tunc ſpecies mittuntur ab illa medietate in aqoam, & ab aqua proueniunt, videtúrque res fracta, eo quòd in ſuperficie contigua aëtis refringuntur: & quia aër eſt medium magis diſpoſitom ab ipſo, veniunt ſpecies magis rectæ, & ſic videtur res fracta. Hinc etiam apparet, quare res magna vt turris, ſi aliquantum à longè proſpiciatur tota videtur; ſi verò propè, non niſi ex parte; quia videlicet quando à longè res eſt, ſi non ſit extra debitam diſtaotiam, opponitot per rectam lineam pupillæ, & videtur per omnes partes: cùm verò propè eſt, non opponitur rectè, niſi ſecundùm partes. Ideò etiam rem, quam mano tenemus, vt ipſam rectè inſpiciamus, aliquantulum à viſu ſeparamus, quia tuoc magis rectè opponitur pupillæ.

18. *Quare habẽtes oculos cauos acutiùs videant quàm habentes oculos prominentes.*

Sed quare homines habentes oculos cauos & profundos acutiùs videot, quàm habentes oculos prominentes, & magnos? Fortè, quòd in talibus virtus viſiua eſt magis vnita, & collectiùs recipiontur ſpecies in oculis profundis, qnàm in prominentibus, in quibus virtus viſiua, atque ſpecies diſperguntur ad latera oculorum, & hac de cauſa homines conſtituti in fouea profunda, vel in puteo profundo die ſerena, conſpicere poſſunt ſtellas.

Quare nauigantibus videntur moueri res immobiles.

Quare naoigantibus, & equitantibus videntur moueri res immobiles, vt montes, & turres? Fortè quòd tales homines recipiunt ſpecies cum motu, & nunquam in eodem ſitu, & ideò cum mouentur oculus illas res aſpiciens, ipſæ res moueri videntur, & ſimiliter, qoi in gyrum moueotur, videntur ſibi omnia circulariter moueri.

19. *Quare febricitantibus, & ebriis res geminæ videantur.*

Sed quare febricitantibus, & ebriis res geminæ videntur? Fortè quia ſpiritus viſiui, qui deſcendunt à cerebro in oculum ſunt puriores, & nitidiores omoibus alijs ſpiritibus aliorum ſenſuum: ideò quæcunque conturbatio facta in talibus ſpiritibus viſiuis, efficit atque producit varias, & admirandas viſiones: & hac de cauſa homo phreneticus, vel qui teoetur maxima febri, videtur ſibi videre varia phantaſmata, propter conturbaiionem iſtorum ſpirituum factam à febri maxima, & maximo calore, & ſimiliter ebrius videtur ſibi videre multas candelas, qoia à ſtomacho aſcendunt fumi in cerebrum, in quo incraſſantur ratione frigiditatis cerebri, & deſcendunt io oculos, & conturbaot ſpiritus viſiuos, & claros, & tunc quodam ſpiritu viſiuo aſcendente, & altero deſcendente, fit vt vna res duæ videantur.

Quare habentes claros oculos nil videant.

Quare aliqui homines habentes claros oculos nihil vident, aut parum? Fortè huius ratio eſt obſtructio, & opilatio neruorum opticorum, quod impedimentum efficit, vt ſpiritus viſiui tranſire non poſſint à cerebro in oculos.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm entia naturalia ſint determinata in magnitudine.

Ariſt. 1. *Phyſic. text.* 36. & 2. *de Anima*, *text.* 41. & 2. *de Generat animal. cap* 11. Auerr 6 *Phyſic. comm* 91. & 8. *Phyſ. comm.* 62 Mayron *in text. Ariſtot hic.* D. Thom. 1.: *art quæſt* 7. *art* 3 Caiet. *ibid.* Scotus *in* 2. *diſt.* 1. *qu.* 9. Occham *diſt.* 8 Durand *diſt* 18. *quæſt.* 1. Capreol. & Hiſpalen. *diſt* 19 *quæſt.* 1 Auer!a *qu.* 35. *ſect.* 1. Conimbr. 1. *Phyſic. cap.* 4. *quæſt. vnic.* Tolerus *ibid. quæſt.* 9. Ruoius *ibid. quæſt.* 2.

ARGVITVR quòd non, quia inæqualitas, diſſimilitudo, acuties, & proportio, ſont eotia naturalia, vel ſaltem diſpoſitiones, qoibus res diſponuntor à natura, & iſtæ non terminantur in magnitudine; ergo, &c. Maior probatur, quia quodlibet, quod eſt inæquale alicui, eſt multo magis inæquale medietati, & multo magis inæquale medietati medietatis, & ſic in infinitom. Similiter acuties eſt augmentabilis ad diminutionem ſuperficiei in infinitum, eodem modo diſſimilitudo, & proportio ſunt augmentabiles per diuiſionem numerorum etiam in infinitum. 1.

Secundò, quia raritas, & denſitas, motus velocitas, & tarditas ſunt entia naturalia; quia à natura res ſic diſponuntur, & tamen non terminantur in magnitudine: nam raritas, & denſitas procedunt in infinitum; vt patet primo huius, text. 55. & velocitas, & tarditas motus, vt patet io 6. text. 15.

Tertiò, magnitudo, & numerus ſunt res naturales, & tamen non terminantur in magnitudine: nam numerus excreſcit in infinitum, vt patet 3. huius, text. 61. & omni magnitudine data contingit dari maiorem, imò eſt aliqua de facto infinita, vt linea gyratiua partium proportionalium continui. 2.

Quartò, quia ſonus eſt quædam res naturalis, & *In Muſica.*

& tamen non terminatur in magnitudine, quia secundùm Boetium in Musica quantum chorda est breuior, tantum sonus est acutior, sed chorda est in infinitum abbreuiabilis, & per consequens sonus est acutior in infinitum.

Quintò, quia ignis est quoddam ens naturale, & tamen non terminatur in magnitudine per Aristotelem in 1. de Anima, text. 41. vbi dicit, quòd ignis recipit augmentum in infinitum, quousque fuerit combustibile.

Sextò, quia animalia sunt entia naturalia, & tamen non terminantur in magnitudine; quia si esset aliquod animal terminatum in magnitudine, sequeretur quòd non posset percuti, nec impinguari, quia tunc efficeretur maius, & cùm nullum sit animal quod non possit percuti, sequitur quòd nullum sit, quod sit terminatum in magnitudine.

3. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, tract. 2. cap. 2. text. 36. vbi dicit, quòd impossibile est animal, aut plantam, quantacunque esse secundùm paruitatem, aut magnitudinem, & subdit paucis interpositis, quòd impossibile est carnem, aut aliquid aliud, quantumcunque esse aut maius, aut minus. Item, per Aristotelem 1. de Anima, text. 41. vbi dicit: Natura autem constantium omnium terminus est, & ratio est magnitudinis, & augmenti.

Ens naturale capitur dupliciter.

Notandum, quòd ens naturale accipitur dupliciter, vno modo pro composito naturali ex materia, & forma. Secundo modo pro omni eo, de quo verificatur hoc verbum *est* affirmatiuè, & istu modo capitur in proposito.

4. *Entia naturalia terminari in magnitudine quid sit.*

Secundò notandum, quòd entia naturalia terminari in magnitudine non est idem, quòd ipsa non posse esse quantacunque secundùm magnitudinem & paruitatem. Ideò [a] imaginandi sunt duo termini, vnus à parte augmenti, seu magnitudinis; & alter à parte paruitatis, & tunc res naturalis, vel terminatur ad illum terminum ex parte magnitudinis inclusiuè, & tunc ille terminus est maximum, sub quo potest esse res naturalis; quia sub illo potest, & sub nullo maiori, sed sub quolibet minori vsque ad illum, sub quo non potest esse propter paruitatem. Si verò res naturalis terminetur exclusiuè ad illum terminum, tunc terminus ille vocatur maximum, sub quo non potest esse; quia sub illo non potest esse, nec sub aliquo maiori, sed sub quolibet minori, vsque ad illum, sub quo non potest esse propter paruitatem. Eodem modo terminus, ad quem res naturalis terminatur à parte magnitudinis propter paruitatem, vel est terminus, ad quem terminatur inclusiuè, & tunc est minimum sub quo potest esse, & sub nullo minori, sed sub quolibet maiori vsque ad illum, sub quo non potest esse propter magnitudinem; vel ad illum terminum terminatur exclusiuè, & tunc est maximum sub quo non potest esse propter paruitatem; quia sub illo non potest esse, nec sub aliquo minori, sed sub quolibet maiore vsque ad illum, sub quo non potest esse propter magnitudinem.

5. *Entium gradus sunt quatuor.*

Tertiò notandum, quòd quatuor possunt distingui modi, seu gradus entium iuxta argumenta ante oppositum. In primo gradu sunt accidentia imperfecta; quæ non sunt nisi quædam relationes entium, quæ siue sint distinctæ, siue indistinctæ non est cura ad propositum, vt inæqualitas, dissimilitudo, acuties, proportio, & huiusmodi, quæ consequuntur proportionem, & æqualitatem.

In secundo gradu sunt accidentia perfecta, vt caliditas, frigiditas, albedo, sapor, & huiusmodi. In tertio gradu sunt elementa simplicia, & mixta imperfecta homogenea, vt pluuia, vapor, & huiusmodi. Sed in tertio gradu sunt mixta perfecta, plantæ, & animalia.

Quantum ad primum gradum, sit prima conclusio: Inæqualitas est augmentabilis in infinitum. Probatur, & sit *A* inæquale *B*, secundùm proportionem duplam, igitur ipsius *A* ad medietatem *B*, est inæqualitas in duplo maior, & sic in infinitum. Ex quo sequitur primò, quòd proportio est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia si ipsius *A* ad *B*, sit aliquanta proportio, eiusdem *A* ad eius medietatem, est proportio in duplo maior, & ad eius quartam in quadruplo, & sic in infinitum per diminutionem minoris termini. Secundò sequitur, quòd dissimilitudo est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia sit *A* qualitas dissimilis *B*, secundùm intentionem, & resecetur medietas qualitatis *B*. non secundùm extensionem, tunc ipsius *A* ad medietatem *B*, est duplo maior dissimilitudo quàm ad *B*; & sic in infinitum. 6.

Inæqualitas est augmentabilis in infinitum.

Proportio, & dissimilitudo sunt augmentabiles in infinitum.

Secunda conclusio: Nullum istorum est augmentabile in infinitum per augmentum maioris termini. Probatur, quia impossibile est, quòd maior terminus crescat in infinitum secundùm magnitudinem, vel secundùm proportionem, ex quo sequitur primò, quòd inæqualitas, proportio, & dissimilitudo si sunt augmentabiles in infinitum, hoc solùm est per diminutionem termini minoris. 7.

Secundò sequitur, quòd licèt ista sint augmentabilia per augmentum termini maioris, attamen hoc solùm est finite, vt videtur, quia proportio quantitatis bipedalis ad pedalem potest augeri per augmentum quantitatis bipedalis, hoc tamen solùm est finitè, quia quantitas bipedalis non potest augmentari in infinitum.

Tertia conclusio: Acuties est augmentabilis in infinitum: quia acuties est augmentabilis secundùm diminutionem superficiei: modò superficies est diminuibilis in infinitum, igitur & acuties est augmentabilis in infinitum. Vnde acuties sequitur semper diminutionem anguli quantum ad augmentum, & obtusitas sequitur augmentationem anguli, ideò cùm angulus non sit augmentabilis in infinitum, obtusitas non potest crescere in infinitum. 8.

Acuties est augmentabilis in infinitum.

Quarta conclusio, tarditas est augmentabilis in infinitum, imò de facto quacumque tarditate data, est dare maiorem, secundùm quamlibet proportionem. Probatur de motu circulari alicuius sphæræ, videlicet corporis cœlestis motæ super polos immobiles, quia quacumque tarditate data, qua aliqua pars assignata minor in illo corpore, est dare partem propinquiorem polo, quæ in duplo tardiùs mouetur, & vnam aliam propinquiorem, quæ in quadruplo tardiùs, & sic in infinitum.

Tarditas est augmentabilis in infinitum.

Quinta conclusio: Velocitas motus localis non est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia motus cœli est ita velox, quòd impossibile est esse velociorem, cùm sit motus velocissimus, ergo, &c. Secundò quia in omni motu locali alio à motu cœli est resistentia proueniens, s. ex parte medij, per quod fit motus, quod quidem medium semper determinat sibi certam raritatem, & densitatem, & per consequens semper 9.

Velocitas motus localis nõ est augmentabilis in infinitum.

motus

motus factus per ipsum est cum resistentia. Et dico notabiliter velocitas motus localis, quia velocitas alterationis est augmentabilis in infinitum; eo quòd in motu alterationis potest deesse totalis resistentia, sicut in visione, quæ fit per lineam longitudinis de illuminatione, intellectione, & volitione. Patet igitur, qualiter in his, quæ consequuntur magnitudinem inæqualitatem, & proportionem, sit terminus augmenti, & qualiter non. Et si dicatur quòd ista non sunt entia distincta à compositis naturalibus, vel à qualitatibus, sed solùm sunt termini connotatiui; adhuc illæ conclusiones non sunt minùs veræ, quia adhuc termini illi possunt denominare subiectum secundùm magis, & minùs in infinitum, vel finitè solùm secundùm exigentiam prædictarum conclusionum, & hoc de primo.

10\. Quantum ad secundum gradum sit conclusio ista: Nulla [c] qualitas prima, aut consequens qualitatem primam est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia si sic, maximè esset caliditas; sed probo quòd non: quia ignis [d] de facto habet caliditatem summam, quæ est, aut quam possibile est esse, igitur caliditas ignis non est augmentabilis in infinitum. Tenet consequentia, & probatur antecedens, quia ignis in sua sphæra est, in loco suo naturali non impeditus ab agente extrinseco, igitur de facto reducit se ad dispositionem conuenientem sibi secundùm naturam, & illa est caliditas summa; ergo, &c. Secundò; quia caliditas ignis, & frigiditas sunt contraria, vt patet 2. de Generat. text. 8. & primo huius, igitur ab inuicem maximè distant, per definitionem contrariorum datam 5. Metaph. sed si caliditas ignis esset augmentabilis, non distarent ab inuicem, maximè, cùm adhuc posset magis distare; ergo, &c. Tertiò patet inductione: nam quodlibet ens naturale determinat sibi certum gradum huiusmodi qualitatum tam primarum, quàm secundarum, vt homo determinat sibi certum gradum caliditatis, ignis maiorem, scilicet summum, & ita de aliis.

Nulla qualitas prima est augmentabilis in infinitum.

11\. Contra conclusionem arguitur: quia qualitas secunda, vt sapor, vel huiusmodi consequitur proportionem primarum qualitatum: sed proportio est in infinitum augmentabilis per primam partem quæstionis; igitur huiusmodi qualitates secundæ erunt augmentabiles in infinitum. Secundò, quia si in sphæra ignis poneretur vnum, vel plura specula concaua ex opposito Solis directè, tunc per congregationem radiorum Solis in speculo concauo generaretur caliditas, vt patet ad experientiam; igitur sequitur quòd caliditas ignis intenderetur; & cùm per variationem speculorum in infinitum possent congregari plures, vel pauciores radij in infinitum, sequitur quòd caliditas est augmentabilis in infinitum. Tertiò, raritas, & densitas sunt augmentabiles in infinitum; ergo, &c.

12\. Ad ista respondetur. Ad primum concedo, quòd qualitates secundæ consequuntur proportionem; sed nego consequentiam, quòd si proportio est augmentabilis in infinitum, ergo qualitates consequenter essent augmentabiles in infinitum: quia per augmentum proportionis, quandoque corrumpitur qualitas consequens proportionem, vt patet de sanitate, quæ corrumpitur per diminutionem alterius qualitatum, quarum est proportio ad inuicem.

Ad secundum dico, quòd caliditas ignis in sua sphæra non potest intendi per quantamcunque congregationem radiorum, quod probo, quia concursus radiorum reuerberatorum à speculo concauo non est potentior ad producendum ignem; vel calorem, quàm sit vnus alius ignis; cùm Igni maximè competat caliditas, & tamen certum est, quòd caliditas sphæræ ignis non intenditur per alium ignem; igitur nec potest intendi per huiusmodi concursum radiorum.

13\. Ad tertium de raritate, & densitate dico, quòd non repugnat quantum est ex ratione generali corporum mobilium, quòd densitas, & raritas sint augmentabiles in infinitum, si esset agens, quod posset intendere, & passum quod pati: modò cuilibet rei naturali repugnat, vt stet sub quantacumque densitate, vel raritate: sed cuiuslibet rei forma determinat sibi certum gradum, vel latitudinem, sub qua potest stare naturaliter, vel violenter.

Secunda conclusio. Quælibet res naturalis determinat sibi certum gradum caliter, & cuiuslibet alterius qualiter, sub quo potest stare in sua perfectissima dispositione; & ille gradus est maximus, & minimus, sub quo potest esse in tali dispositione. Probatur, quia si imaginaretur tota latitudo qualitatis sub qua res naturalis potest esse, siue naturaliter, siue violenter, igitur terminabitur duobus terminis, vno à parte intensionis, & alio à parte remissionis, & tunc gradus medius inter istos duos terminos est sub quo potest stare in sua perfectissima dispositione, & si stet sub intensiori, vel remissiori, stabit minus perfectè.

Res naturalis determinat sibi certum gradum sub quo potest stare.

14\. Tertia conclusio. Quælibet res naturalis potest vel naturaliter, vel violenter, distrahi ab illo gradu. Probatur, nam aër potest calefieri, & frigefieri, & similiter homo, & ita de aliis.

Res naturalis quomodo possit distrahi ab illo gradu, quem sibi determinat.

Quarta conclusio. Non potest distrahi res naturalis quantumlibet ab illo gradu sine corruptione, & ideò à parte remissionis est imaginandus terminus, sub quo non potest stare propter remissionem, & ille est gradus maximus, sub quo non potest stare, quia sub illo non potest stare, nec sub aliquo minori; sed sub quolibet maiori vsque ad illum, sub quo non potest stare propter nimiam intensionem. Et per istud soluitur ratio Commẽtatoris super tertio Cœli, per quam probat, quòd formæ elementorum non suscipiunt magis, & minùs. Similiter dico, à parte intensionis est imaginandus vnus terminus, & tunc præterquam in elementis terminus intensionis est minimus gradus, sub quo non potest stare res naturalis, vt verbi gratiâ, est dare minimum gradum caloris, sub quo non potest stare forma hominis sine corruptione; quia sub illo non potest, nec sub aliquo maiore, sed sub quolibet minore vsque ad illum, sub quo non potest esse propter nimiam remissionem. Et dixi notabiliter *præterquam in elementis*: quia elementa determinant sibi aliquas qualitates in summo, & ideò quantum ad qualitates illas non est dare sub quo non possunt esse secundùm maximum, sed sub quo possunt; sed à parte remissionis, in elementis est dare maximum gradum, sub quo non possunt esse, quemadmodum & in mixtis, & hæc de secundo.

15\. Quantum ad tertium gradum. Notandum quòd elementa terminari in magnitudine potest intelligi dupliciter. Vno modo quòd elementis non repugnat de natura sui, quin sint augmentabilia in infinitum, si non esset aliud impedimentum. Alio modo quòd de facto non possunt augmentari

Elementa terminari in magnitudine potest bifariam intelligi.

tari in infinitum; sed determinata sunt in magnitudine, vel potest intelligi de tota massa elementorum, vel de quolibet elemento per se.

Elementum de sui natura est augmentabile in infinitum.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est. Quodlibet elementum * de sui natura est augmentabile in infinitum, si non esset impedimentum aliunde. Probatur, nam ignis si haberet locum, in quo posset extendi, & combustibilia apponerentur in infinitum, ignis in infinitum augmentaretur, vt patet secundo de Anima text. 41. & sicut arguitur de igne, ita potest argui de quolibet alio elemento.

16. *Elementum de facto non potest augeri in infinitum.*

Secunda conclusio. Nullum elementum de facto est augmentabile in infinitum. Probatur, quia tota massa elementorum inclusa est concauo orbis Lunæ tanquam in loco determinato, ita vt in maiori extendi non possit, nec in minori, quia tam relinqueretur vacuum. Igitur impossibile est, quòd aliquod elementum augmentetur vltra quantitatem illius loci.

Secundò, si aliquod elementum esset augmentabile in infinitum, tunc sequeretur, quòd oporteret ponere materiam infinitam ea qua posset augmentari, quod est impossibile. Ex quibus patet, quòd licèt nullum elementum per formam suam determinet sibi certam magnitudinem, imò quantum est de se, est augmentabile in infinitum, tamen quodlibet elementum determinatur ad magnitudinem propter defectum loci, aut materiæ, aut vtriusque.

17. *Elementum determinatur secundùm certam magnitudinem.*

Tertia conclusio. Quodlibet elementum determinatur secundùm certam magnitudinem, sub qua si esset, vel posset esse, ipsum esset sub perfectissima dispositione, sub qua posset esse secundùm magnitudinem. Probatur, quia si omnia, quę sunt infra concauum orbis Lunæ, essent sine violentia, tunc quodlibet elementum esset sub quantitate, quæ conueniret sibi per naturam.

Quarta conclusio. Ab illa magnitudine sub qua elementum est in sua perfectissima dispositione, potest quodlibet elementum distrahi violentèr, scilicet ad magnitudinem maiorem, vel minorem. Probatur, quia quandoque regnat constellatio valde calida, quandoque frigida, quod non esset, nisi quia tunc aqua distraheretur à magnitudine perfecta, sub qua esset, si omnia essent sine violentia, quæ essent intra concauum orbis Lunæ. Secundò patet per signum: quia propter hoc quòd elementa quandoque sunt maiora, quandoque minora, natura ordinauit impressiones meteorologicas, elementorum obseruantiam in debita proportione, scilicet impressiones aqueas; ne elementa calida nimis augmententur; & impressiones igneas, & ventum, & terræ motum, ne elementa frigida augmententur vltra debitam proportionem.

18. Tunc dubitatur, ex quo quodlibet elementum secundùm suam totam substantiam potest distrahi violenter à quantitate, quæ sibi conueniret, si sine violentia esset quandoque ad maius, quandoque ad minus. Vtrùm sit dare maximam quantitatem, vel minimam à qua potest distrahi violenter?

Secunda dubitatio est, non de tota sphæra alicuius elementi, sed de parte, vtrùm sit dare minimam partem sub qua forma elementi possit existere.

Tertia dubitatio, Vtrùm sit dare minimam densitatem, vel raritatem, sub qua possit stare forma ignis, aut alterius elementi.

Ad primam respondetur primò de sphæra ignis, quòd in sphæra ignis imaginandi sunt duo termini magnitudinis, vnus à parte conuexa, & tunc dico quòd est dare maximam circumferentiam, sub qua potest stare forma ignis: quia potest stare sub circumferentia orbis Lunæ, & sub nulla maiore. Sed alter terminus imaginandus est à parte concaua, & inferiori. Et tunc dico, quòd non est dare minimam quantitatem, siue minimam superficiem concauam, sub qua possit stare sphæra ignis à parte inferiori. Probatur, quia tunc sequeretur, quòd ignis existens sub tali quantitate non posset comburere stupam sibi approximatam, consequens est falsum: quia ibi non deficit materia, cùm stupa sit materia sufficienter disposita, nec deficit, ibi locus, cùm sphæra aëris sit ibi continua, vel contigua. Ideò dico, quòd est dare maximam quantitatem, sub qua non potest stare sphæra ignis à parte inferiori. Probatur, quia ex quo non potest esse sub quantacunque modica quantitate; & non est dare minimam, sub qua potest esse, igitur sequitur, quòd est date maximam, sub qua non potest esse, & tenet consequentia imaginando totam quantitatem, sub qua potest esse sphæra ignis naturaliter, vel violenter separatam à quantitate, sub qua non potest esse propter paruitatem. Et fortè sphæra ignis numquam fuit ita magna versùs deorsum, quòd continuabatur versùs illam distantiam exclusiuè, sub qua non potest esse propter paruitatem, quæ paruitas prouenit non ex repugnantia ignis, sed aliorum elementorum, quæ exigunt locum proportionarum, & debitum.

Secundò dicendum est de aëre. Vnde dico imaginandi sunt termini sphæræ aëris, vnus scilicet à parte magnitudinis versùs sphæram ignis, ad quam non potest attingere naturaliter, vel violenter propter magnitudinem, & alter ab alia parte versùs sphæram aquæ, sub quo non potest stare aër naturaliter, vel violenter. Propter paruitatem. Et consimiliter dicendum est de aqua, quòd terminatur à parte aëris minima, sub qua non potest esse; & à parte terræ maxima sub qua non. Nec est differentia quo ad hoc, siue tota aqua ponatur intercludi infra partes terræ, tanquam infra vasa: siue dicatur, quòd aqua circundat totam terram, excepta vna parte, quæ vocatur facies terræ, quam inhabitamus, & qua superfeminet aquæ, eo quòd non est purè grauis, sed leuis propter mixta, quæ sibi immiscentur. 20.

De terra dico, quòd terra à parte aquæ, & aëris terminatur ad minimum sub quo non potest esse propter magnitudinem, sed à parte infra nullo modo terminatur, quia quantacumque magnitudine data, contingit dare maiorem, & sic in infinitum versùs centrum. Item notandum quòd sicut elementum posset distrahi magnitudine sub qua esset sine violentia, augmentando, ita etiam diminuendo. Verbi gratia, sicut sphæra ignis distrahitur per augmentum ignis in deorsum, ita potest distrahi per augmentum aëris in sursum, & tunc ille idem terminus, sub quo non potest esse aër propter magnitudinem, est terminus ad quem ignis potest comprimi in sursum, & sic quantitas inter media ab vno termino vsque ad concauum orbis Lunæ, est vna quasi diameter, sub qua potest esse sphæra ignis. 21.

Ad secundam dubitationem dico, quòd non est dare minimam partem ignis; quæ possit per se 22.

se seorsum existere, sed maximam, qua non potest, vt videbitur in alia quæstione.

Ad tertiam dico, quòd est dare maximam densitatem, sub qua nō potest stare forma ignis, verbi gratiâ, si ignis comprimatur continuè condensando, dato quòd non est dare minimam densitatem, sub qua potest stare: quia tunc si applicaretur condensans esset dare vltimū instans rei permanentis in esse. Ideò dico, quòd est dare maximam, sub qua non potest stare; & sicut dicitur de igne, ita potest proportionaliter dici de quodlibet aliorum elementorum, considerando prædicta.

Ignis per solam compressionem potest corrumpi.

Ex isto sequitur, quòd per solam compressionem ignis potest corrumpi, & hoc habet videri in lib. de Longitud. & breuitate vitæ, de suffocatione caloris. Secundò sequitur, quòd si per imaginationem ignis includeretur in vna sphæra lapidea in vna parte, & esset vna stupa ex alia parte, quòd ignis non combureret stupam, nisi frangeretur illa sphæra. Tertiò sequitur, quòd si omnia, quæ sunt infra concauum sphæræ Lunæ per imaginationem remouerentur, & totum esset repletum igne, possibile esset, quòd ignis non combureret stupam, si esset sibi applicata, & hoc quia ignis determinat sibi certam raritatem, & densitatem, & ideò requirit locum in quo possit extendi, & hoc de tertio.

a

23\. *Nullum mixtum perfectū est augmentabile in infinitum.*

Quantum ad quartum gradum est prima conclusio. Nullum [f] mixtum perfectum, vt animatum est augmentabile in infinitum. Probatur, quia quodlibet determinat sibi certam figuram, & certam quantitatem secundùm suam formam propriam, vt dicit Commentator 3. Cœli, qui per hoc ponit differentiam inter elementa simplicia, & mixta.

In omni specie est dare maximum indiuiduum.

Secunda conclusio. In qualibet specie, est dare maximum indiuiduum, quod de facto est in illa specie. Probatur, quia aliter esset processus in infinitum in indiuiduis illius speciei.

Tertia conclusio est de possibili: In nulla specie est dare aliquod indiuiduum, ita magnum, quin possit dari aliud maius, imò quin ipsummet possit esse maius. Probatur exemplariter de animali, nam animal potest effici maius per meliorationem circumstantiarum, quæ requiruntur ad vitam, & augmentum, vt puta aëris, nutrimenti, & huiusmodi.

24\. Quarta conclusio. In qualibet specie imaginandi sunt duo termini, vnus à parte magnitudinis, & alter ex parte paruitatis exclusiuè, sub quorum neutro potest esse aliquod indiuiduum illius speciei, sed sub qualibet magnitudine media inter illos terminos potest esse aliquod indiuiduum illius speciei: verbi gratiâ, in specie humana est dare aliquam quantitatem, sub qua non potest esse propter paruitatem, huiusmodi est quantitas pedalis, quæ sit *A*, tunc sunt multæ quantitates sub quarum nulla potest esse homo propter paruitatem, vt semipedalis, quarta pedalis, & ita de aliis, quarum omnium maxima est *A*. Sub *A*, parte magnitudinis sunt multæ quantitates, sub quarum nulla potest esse homo propter magnitudinem, vt sub quantitate 12. vel 30. vel 40. pedum, quarum omnium fortè minima est decem pedum, quæ sit *B*. Tunc dico, quòd inter *A* & *B* est medium secundùm proportionem Arithmeticam, vel Geometricam, sub quo medio si aliquis homo esset, ipse haberet perfectissimam staturam, conuenientem naturæ humanæ, quam (vt verisimile est) habuit Christus, & qui excedit

Christus habuit perfectissimam staturam.

istud medium extensiuè est gigas: & qui deficit ab isto medio est nimis paruus, & si notabiliter deficiat est nanus. Et nota, quòd istud medium est diuersum secundùm diuersitatem patriarum.

25\. *Res artificiales terminata sunt secundū magnitudinem.*

Quinta conclusio. Non solùm res naturales terminantur prædictis modis, imò etiam res artificiales, vt domus, pons, vicus, ciuitas, exercitus, & huiusmodi. Vnde recolligendo patet, quòd omnia entia, vel sunt composita sicut mixta perfecta, & animata, & talia secundùm formas proprias determinant sibi certas magnitudines, & terminantur minimo, sub quo non possunt esse propter magnitudinem, & maximo sub quo non, propter paruitatem; vel sunt simplicia elementa, & talia non determinant sibi certam magnitudinem secundùm formas proprias, sed determinantur à locis, vel propter defectum materiæ, vel sunt accidentia, vt caliditas, & huiusmodi, & talia accidentia terminantur ad maximum gradum possibilem esse; sed raritas, & densitas quantum de ratione sui sunt augmentabiles in infinitum; sed ratione corporum, quæ sunt rara, vel densa, sunt augmentabilia solùm finitè. Sed inæqualitas, dissimilitudo, & huiusmodi sunt augmentabiles in infinitum per diminutionem termini minoris. De numero & magnitudine dicetur in 3. qualiter terminantur, & qualiter non.

ANNOTATIONES.

26\. *Magnitudinis, & paruitatis duo sunt termini.*

a IN *Deo imaginandi sunt duo termini*, &c. Nota duos esse terminos magnitudinis, & alios duos paruitatis: primi duo sunt *maximum quod sic*, & *minimum quod non*, quorum primus est intrinsecus; secundus verò extrinsecus *Maximum quod sic*, qui est intrinsecus, est terminus quantitatis sub qua forma naturalis esse potest, & sub nulla maiori. *Minimum quod non*, est illa quantitas, sub qua forma naturalis esse non potest, & sub quacunque minori, quæ non sit minor minima, potest. Exemplum primi homo potest esse sub quantitate quatuor cubitorum, & sub nulla maiori potest esse. Exemplum secundi, vt si dicamus hominem non posse esse sub magnitudine sex cubitorum, & posse esse sub quauis minori, nisi sit minor minima. Termini paruitatis sunt *minimum quod sic*, *maximum quod non*. Quorum similiter primus est terminus intrinsecus, secundus verò extrinsecus. *Minimum quod sic* est terminus quantitatis, sub qua forma naturalis esse potest, & sub nulla minori; vt si dicamus, hominis formam esse posse sub quantitate vnius cubiti, & sub minori esse non posse. *Maximum quod non* est quantitas, sub qua forma naturalis esse non potest, & sub quacunque maiori potest, dummodò non sit maior maxima: vt si dicamus hominem non posse esse sub quantitate vnius palmi, posse tamen sub maiori, quæ non excedat terminum magnitudinis ex his terminis duo affirmatiui sunt intrinseci, negatiui verò extrinseci.

27\. *Terminus inceptionis rerum est duplex.*

Nota secundò, terminum inceptionis rerum esse duplicem, intrinsecum scilicet, & extrinsecum. Primus vocatur *primum sui esse*, qui est quoddam instans rei, in quo verum est dicere, In hoc instanti res est, & immediatè ante hoc non fuit. Alter terminus, nempè extrinsecus, dicitur *vltimum sui non esse*, quod est instans, in quo verum est dicere, Nunc res non est, & immediatè post

hoc instans erit, quo pacto incipiunt res successiuæ, vt motus; res verò permanentes substantiales incipiunt per primum sui esse. Duplex similiter est terminus desitionis rerum, alter intrinsecus, & appellatur *vltimum sui esse*, qui est instans, in quo verum est dicere, nunc res est, & immediate post hoc non erit, quo pacto desinunt esse, quæ nō per motum corrumpuntur. Alter est terminus extrinsecus, qui dicitur *primum sui non esse*, & est instans, in quo verum est dicere, nunc res non est, & immediatè ante hoc fuit; quo pacto desinunt res, quæ non in instanti corrumpuntur, quales sunt res successiuæ. Ex hoc sequitur, quòd terminus intrinsecus, tam inceptionis, quàm desitionis vocatur *primum sui esse*, terminus verò extrinsecus tam inceptionis, quàm desitionis vocatur *vltimum sui non esse*. Terminum intrinsecum vocat hîc Scotus terminum inclusiuè, extrinsecum verò terminum exclusiuè appellat. Res igitur permanentes incipiunt per terminum intrinsecum, & desinunt per terminum intrinsecum; successiuæ verò incipiunt per terminum extrinsecum, atque etiam per terminum extrinsecum desinunt. Et ex his patet sensus quæstionis. Quærit enim Scotus, vtrùm res naturales, quæ per primum sui esse incipiunt, possint esse tantæ quantitatis, quòd viribus naturæ adhuc maiores, & maiores esse possint, quod est carere termino magnitudinis, & quòd non tam paruæ possint esse, quin possint viribus naturæ minores, & minores esse, quod est carere termino paruitatis; an potiùs possint esse tam magnæ, vel tam paruæ, quòd etiam per vires naturæ maiores, vel minores esse nequeant, quod est habere terminos magnitudinis, & paruitatis. Primum examinatur in hac quæstione. Secundum in sequenti quæstione explicabitur.

Terminus desitionis verò est duplex.

Explicatio tituli quæstionis.

29. b *Quæ siue sint distincta, siue indistincta*, &c. Nota quòd Henricus de Gand. Quodl. 9. quæst. 3. & Quodl. 5. quæst. 6. & 7. & Quodl. 7. quæst. 1. asserit, quòd omnis relatio est eadem realiter cum fundamento. Hanc sententiam sequitur Ocham in Quodl. & tota schola Nominalium, quam defendit Sotus in Prædicamentis cap. de Relation. quæst. 2. affirmans insuper relationem distingui formaliter à fundamento; oppositam tamen sententiam tenet Scotus in 2. Sententiarum, d. 1. q. 5. vbi probat relationes, quarum fundamentum potest esse sine termino talium relationum, atque etiam sine relatione realiter distingui à suis fundamentis, vt sunt omnes relationes de Prædicamento *ad aliquid*; relationes verò quarum fundamenta non possunt esse sine termino, & relatione, esse idem realiter cum fundamentis, quam sententiam quoad primam partem defendit Caietanus 1. par. quæst. 18. art. 2. & eandem affirmat esse sententiam D. Thom. ibidem ad secundum, dicentis, Id quod inuenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res. In Deo autem non est alia res, &c.

30. c *Nulla qualitas prima, aut consequens*, &c. Nota quòd qualitates terminantur ad maximum quod sic, secundùm intensionem, non autem quoad minimum secundùm remissionem. Prima pars patet, quia intensio est intima qualitatis perfectio, omnis autem perfectio intima est intrinsecè limitata, atque adeò qualitates in intensione ad maximum terminantur. Secunda pars ex eo apparet, quia qualitates habent esse, & producuntur per motum, cuius non datur primum esse, & per consequens neque in qualitatibus datur minimum: cùm itaque non detur minimum in qualitatibus secundùm extensionem, ita neque secūdùm intensionem. Item agens naturale priùs agit in partes propinquas, quàm in remotas. verbi gratiâ, ignis quando calefacit aërem, quanto partes aëris sunt remotiores, tanto erunt minùs calidæ: modò in partibus aëris non potest dari pars tam minima, quin possit dari minor, ita non potest dari minor calor, quin minor. Hoc tamen intelligas considerando qualitates secundùm se, & ratione sui, non autem secundùm instantaneam productionem, qua producuntur: nam hoc modo in illis datur minimum quod sic, quia forma substantialis non generatur sub minori qualitate, vel dispositione.

Qualitates terminantur ad maximum quod sic, secundùm intensionem, sed non ad minimum secundùm remissionem.

d *Ignis de facto habet calididatem summam.* Nota 31.
quòd variæ sunt sententiæ, quomodo vnum quodlibet elementum habeat vnam qualitatem in summo, & quænam sit illa. Niphus, & quidam alij affirmant elementa vtramque qualitatem in summo habere: quia si aliqua esset remissa, esset mixta cum sua contraria, & sic nisi ignis esset summè siccus, esset etiam humidus, atque ita de aliis.

Secunda sententia est dicentium vnam qualitatem in elementis esse summam, aliam non summam, sed remissam, mixtam tamen sua contraria, ita vt tantùm habeat de contraria, quantum deficiat de propria vsque ad summum gradum. Nos autem dicimus vnumquodque elementum habere vnam qualitatem in summo, & aliam propè summum sine admixtione contrariæ qualitatis, quia aliter non posset esse mixtio: nam si omnes qualitates essent in summo, æquè agerent contraria, nulláque ibi esset actio, vbi neque minimus datur excessus: addas quòd si aër esset summè calidus, non esset ex se temperamentum medium in animalibus, neque esset aptus respirationi, quod dicendum non est.

Elementum habet vnam qualitatem in summo, & aliam propè summum.

Sed quænam est illa qualitas, quam in summo 32.
elementum quodlibet sibi determinat? Quidam dicunt aërem esse summè frigidum, & nullo modo calidum, quia in media regione aëris ob nimiam frigiditatem congelantur nubes, & generatur nix, & grando. Valesius 3. Controuersiarum cap. 3. asserit aërem esse summè humidum, non tamen calidum, neque frigidum, sed mediæ, & temperatæ naturæ: & ratio est, quia facilè transmutatur ad vtrumque extremum, scilicet à frigido in calidum, & è contra. Quidam Thomistarum sequentium Auicennam dicunt terram esse summè frigidam, quia ignis est calidissimus, qui est propinquior cœlo, ergo terra, quæ est à cœlo remotissima, frigidissima erit. Galenus (vt nonnulli dicunt) affirmat aquam esse summè humidam, & frigidam propè summum: quia quando congelatur recipit maiorem frigiditatem, quam habebat, atque adeò non erat summè frigida: quia summo non fit additio. Et quòd sit summè humida patet; quia magis humectat, quàm aër, & quia aqua potest non frigefacere, sic est minùs frigida, non potest autem non humectare. Nos verò dicimus, quòd ignis est summè calidus, & propè summum siccus: aër summè humidus, & propè summum calidus, aqua summè frigida, & propè summum humida. Terra autem est summè sicca, & propè sum

Ignis est summè calidus, & propè summum siccus.

summum frigida. Hæc omnia probata atque improbata reperies in scriptis nostris super 2. lib. de Generatione cap. 3. quæst. 1.

33. *Res naturalis duobus modis potest habere terminum.* c *Quodlibet elementum de sui natura est augmentabile in infinitum.* Nota quòd dupliciter aliquid potest habere terminum, vel ex parte formæ, & sic habent terminum viuentia, quia partes viuentis sunt organicæ, & organum ordinatur ad certum, & determinatum opus, est autem contra rationem organi, quòd sit infinitæ quantitatis, & hoc modo non habent terminum non viuentia, quia non habent organa sicut ignis, quapropter non repugnat quòd ignis ex parte formæ crescat in infinitum. Secundo modo terminus est ex parte materiæ, ita vt tota materia illius, quod faciendum est, consumatur in illo; sicut in cœlis, tota materia cœlestis consumpta est in illis, & sic habent terminum ex parte materiæ: ita vt si modò deberent crescere, necesse esset creare nouam materiam cœlestem. In rebus autem inferioribus materia est finita, & sic quantumuis aliqua res crescat, erit augmentum determinatum.

34. Est tamen discrimen inter hanc determinationem ex parte materiæ, & illam quæ est ex parte formæ, quòd indeterminatis ex parte formæ non repugnat crescere, quia non habent organa; & si per impossibile daretur illis materia infinita, crescerent in infinitum, & hoc est quod Aristoteles fatetur de igne 2. de Anima, text. 41. quòd scilicet cresceret in infinitum, si combustibilia illi applicarentur in infinitum, augmentum quidem huiusmodi in infinitum ex parte formæ est. Illa autem quibus ex parte formæ, quia sunt organica, repugnat huiusmodi augmentum in infinitum, est etiam repugnantia ex parte materiæ: quia non quælibet, & quantalibet quolibet forma informari potest. Vnde in his, & ex parte materiæ, & ex parte formæ dandus est terminus. Quod intendit Aristoteles 2. de Anima, text. 41. quando dicit, quòd omnium natura constantium datur terminus magnitudinis, & augmenti, id est, quòd viuentia vtraque ex parte terminantur, ex parte scilicet materiæ, & ex parte formæ. Ignia verò non ex parte formæ, sed materiæ, ac etiam loci, vt docet hic Scotus.

35. *Viuentibus dupliciter quantitas conuenire potest.* f *Nullum mixtum perfectum vt animatum est augmentabile in infinitum.* Nota primò, quòd dupliciter potest conuenire alicui viuenti magnitudo, aut paruitas, primò tanquam à principio naturali intrinseco, & hæc appellatur magnitudo, & paruitas via generationis, & conseruationis. Secundò potest conuenire ab extrinseco, siue ab aliquo accidente corruptiuo, vt si aliquis homo tumesceret per hydropem, vel morsum aspidis, vel marcescat, & fiat gracilis aliqua infirmitate, & hæc appellatur magnitudo, & paruitas via corruptionis.

36. *Viuentia quomodo habeant terminum magnitudinis, & paruitatis.* Nota secundò, quòd corpora viuentia via generationis terminantur intrinsecè per maximum quod sic, quoad magnitudinem, & per minimum, quod sic quoad paruitatem, ita vt ad generationem, verbi gratiâ, hominis datur determinata quantitas in magnitudine, vltra quam forma hominis, quando generatur, nequeat informare, & etiam sit dabilis minima, quæ sufficiat ad generationem, vltra quam alia minor non sufficiat. Primum probatur, quia si non terminarentur per maximum quod sic, sed per minimum quod non, sequeretur, quòd substantia viuens inciperet per vltimum sui non esse, quod est absurdum. Probatur sequela, Si terminaretur per minimum quod non, detur quantitas, quam non posset hominis forma informare in generatione, id est, in qua non posset homo generari propter suam magnitudinem, & in quacunque minori posset, sit ergo illa quantitas, in qua non, vnius cubiti, incipiátque minui, cùm motus ille diminutionis incipiat per vltimum non esse; quia omnis motus hoc modo incipit, dabitur instans in quo sit verum dicere, nunc non est motus diminutionis, & immediatè post hoc erit, ergo etiam nunc nihil est diminutum huius quantitatis, & immediatè post hoc instans aliquid erit diminutum, & proinde quantitas erit minor, sed in quacunque minori quantitate homo potest generari, quia nihil deerat generationi; ergo verum erit dicere in illo eodem instanti, nunc non est homo, & immediatè post hoc erit, quod est incipere per vltimum non esse.

Secundum probatur, scilicet quòd terminentur quoad paruitatem. Pariformiter non in quantacumque pauca quantitate potest generari, ergo danda est aliqua determinata in paruitate, in qua possit. Sit verbi gratiâ, quantitas vnius digiti, quam propter paruitatem forma non possit informare, tunc augeatur illa quantitas continuè, donec veniat ad quantitatem requisitam pro introductione formæ viuentis, Tunc sic, vel dabitur primum instans talis animæ in materia illa sic quanta, vel non. Secundum non potest dari, quia incipiunt huiusmodi res per primum sui esse, ergo est dandum primum, ergo in tali instanti datur minima quantitas, in qua potest generari tale viuens, & introduci talis anima, quia in nulla minori. 37.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm in qualibet specie sit dare minimum naturale.

Vide authores citatos *quæst. præcedenti.* Scotus 6. *Phys. quæst.* 10. *&* 5. *Metaphys. quæst.* 9.

ARGVITVR quòd non: quia quodlibet ens naturale est indiuisibile in infinitum, igitur quocunque dato est dare minus, & per consequens non est dare minimum. 1.

Secundò, per Aristotelem in 4. Cœli, text. 27. vbi dicit, quòd omni graui est grauius; modò si esset dare minimum graue, tunc non esset grauius aliquo alio.

Tertiò, per Aristotelem in isto primo, text. 39. vbi dicit, quòd Anaxagoras posuit quòd non omnia possunt esse segregata ab inuicem, & in hoc dicit Aristoteles, quòd verum dixit propter duo, primò, quia passiones sunt inseparabiles à suis subiectis. Secundò, quia non est minima magnitudo, & cùm quodlibet ens naturale sit magnitudo, vel magnum, sequitur, quòd nullum ens naturale sit minimum.

Quartò, quia vel esset dare minimum in generatione, vel in permanentia; non in generatione, quia quantacunque materia data adhuc minor illa, si poneretur in igne, corrumperetur, & consequenter conuerteretur in materiam ignis.

Non in permanentia, quia quocunque paruo dato, quod poteſt durare per tempus in aliquo medio, adhuc minus illo poteſt durare per minus tempus, & in medio meliùs diſpoſito.

2. Quintò, quia vel eſſet dare minimum inexiſtens, & hoc non, cùm quodlibet ens naturale ſit diuiſibile in infinitum; vel minimum ſeorſum exiſtens, & ſeparatum, & hoc non: quia illud ſucceſſiuè generabatur, igitur non eſt minimũ, quod ſeparatum poſſit per ſe exiſtere. Antecedens patet, quia agens naturale priùs diſponit partem propinquam materiæ, quàm remotam. Conſequentia probatur, quia ſi generabatur ſucceſſiuè, tunc in prima parte ſucceſſiuis cauſat aliquod quantum, quod tunc ſeparatum exiſtebat.

Sextò, ſi eſſet dare minimum naturale, ſit ille ignis, tunc ſequitur, quòd eſſet alicuis ignis, ex quo non poſſet generari aliquod aliud elementum, conſequens eſt falſum, quia quilibet ignis ad quodlibet aliud elementum habet contrarietatem, & communicat in materia. Conſequentia patet, quia ſi ex illo igne minimo generaretur aliud elementum ſit ille aër, vel ergo iſte aër eſt minimus, & tunc per Ariſt. text. 25. in 2. de Generatione, ex iſto poterunt generari decem minima ignis, & tamen ponebatur aër generari ex vno ſolo, vel aër ille eſt maior minimo, & hoc eſt impoſſibile, vel minor minimo, & hoc eſt impoſſibile.

3. Septimò. Si tali minimo applicaretur deſtruens, vel maneret per tempus, vel corrumperetur ſubitò: non ſubitò, quia tunc fieret corruptio, nullâ alteratione præuiâ præcedente, ſi maneret per tempus, tunc ſequeretur, quòd eſſet dare minus minimo, quod eſt impoſſibile.

Octauò, quia ſi eſſet minimum, ſequeretur quòd eſſet aliquod animal, à quo nulla eius pars poſſet auferri ſine corruptione, conſequens eſt falſum per experientiam, vnde animal non moritur propter modicam ablationem carnis, vel cutis, & patet conſequentia, ſi datetur minimum animal.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, text. 38. vbi arguendo contra Anaxagoram ſupponit eſſe minimam carnem, & per hoc probat, quòd non quodlibet eſt in quolibet.

Secundò per Ariſtotelem 8. huius, vbi dicit, quòd arguentia naturalia non poſſunt agere ſub quacunque modica magnitudine, ſicut milleſima pars grani milij non poteſt cauſare ſonum, quod non eſſet niſi talia entia terminarentur ad minimum in paruitate.

Tertiò per Ariſtotelem in lib. de Senſu, & ſenſato, vbi vult, quòd ſenſibilia non poſſunt ſentiri ſub quacumque parua magnitudine, quod non eſſet niſi terminarentur ad minimum ex parte paruitatis.

4. *Diuiſio quæſtionis.* In quæſtione primò videbitur de corporibus ſimplicibus homogeneis, & de mixtis homogeneis. Secundò videbitur de heterogeneis.

In corporibus ſimplicibus dare minimũ contingit dupliciter. Quantum ad primum, ſunt duæ diſtinctiones, prima eſt, quòd in corporibus ſimplicibus dare minimum intelligitur dupliciter, vno modo in generatione [a], & tunc ſenſus quæſtionis eſt, vtrùm ſit dare minimam materiam, ſub qua poteſt aliquod elementum permanere. *Elementum poteſt bifariam permanere.* Secunda diſtinctio, quòd elementum poteſt permanere dupliciter, vno modo tendendo ad corruptionem, & hoc eſt quando continens elementorum dominatur ſuper ipſum. Alio modo nõ tendendo ad corruptionem, puta quando elementum per ſuas qualitates dominatur ſuper diſpoſitiones continentis. Tunc ponuntur concluſiones.

Prima eſt. Non eſt dare minimam materiam ſiue magnitudinem, ſub qua poſſit elementum, aut aliquod homogeneum generari. Probatur, quia quodlibet [b] elementum, vel homogeneum mixtum generatur ſucceſſiuè per partem ante partem, igitur ante omnem partem materiæ datam, vel dabilem, ſub qua generata eſt forma elementi, adhuc prius ſub parte minori illa, generabatur elementum, & ſub minori illa, & ſic in infinitum. Tenet conſequentia, quia nullius generati ſucceſſiuè eſt dare primam partem; imò cuiuſlibet partis priùs ſua medietas generabatur. Et antecedens apparet, quia huiuſmodi elementa, & homogenea mixta generantur ab extrinſeco, cùm non habeant in ſe ipſis principium ſuæ generationis, vt patet per Commentatorem ſecundo huius, comm. 3. modò agens extrinſecum priùs diſponit partem materiæ propinquam ſibi, quàm remotam, & per conſequens in illam priùs introducit formam, quàm in remotam. 5.

Secunda concluſio. Cum certis circumſtantiis eſt dare minimum elementum, quod poteſt permanere non tendendo ad corruptionem, verbi gratiâ, quòd ſit in tali medio tantæ virtutis, & cum tanta applicatione: quia non eſt dubium, quòd redacto medio ad meliorem diſpoſitionem minus illo poſſet permanere. Probatur concluſio, quia aliquando medium excedit elementum, quod continetur, & aliquando contrà elementum habet dominium ſuper continens ipſum, tunc capiatur menſura materiæ, in qua virtus continentis eſt æqualis virtuti contenti, ſcilicet elementi. Tunc arguitur ſic: Iſtud elementum cum tanta virtute, & tali applicatione poteſt permanere in iſto medio non tendendo ad corruptionem, nec aliud minus iſto poteſt permanere cum tanta virtute medij non tendendo ad corruptionem, igitur iſtud eſt minimum elementum, quod poteſt permanere in tali medio cum talibus circumſtantiis. Et ſi dicatur, iſta ratio non probat, niſi quod eſt dare minimam virtutem, ſub qua poteſt ſtare elementum non tendendo ad corruptionem, & non probat de magnitudine. Dico quòd imò, quia in caſu prædicto, vbi elementum continens, & contentum eſſent æqualia in virtute, ſi contentum diminuatur in magnitudine, continens habebit dominium: quia magnitudo multum confert ad virtutem, & ad actiones, & paſſiones rerum naturalium. 6.

Tertia concluſio. Non eſt dare [c] minimum elementum permanens tendendo ad corruptionem: quia quodlibet elementum corrumpitur ſucceſſiuè; igitur quantacumque parte permanente data, adhuc minor illa permanebit, & minor illa. Tenet conſequentia, quia cuiuſlibet partis corrupta medietate manet alia medietas, & corrupta medietate illa, manet ſua medietas, quæ eſt minor, & ſic in infinitum. Et ſic patet qualiter in elementis ſimplicibus eſt dare minimum, & qualiter non, & hoc de primo. 7. *Non eſt dare minimum elementum permanens, tendendo ad corruptionẽ.*

Quantum ad ſecundum de heterogeneis animatis, cuiuſmodi ſunt animalia, & plãtæ, ponitur iſta ſuppoſitio, quòd non ex aliqua quãtacunque modica materia, poteſt aliquod iſtorum generari. Patet inductione: quia videmus ſemen in plantis determinatæ magnitudinis, etiam non eſt veriſimile, quòd aſinus poſſit generari ex tanta materia, quanta eſt granum milij. Hoc ſuppoſito, *Minima materia dari poteſt ſub qua generari poteſt mixtum heterogeneũ.*

poni

ponitur iſta concluſio, quòd eſt [d] dare minimam materiam ſub qua mixtum heterogeneum generari poteſt. Probatur, quia eſt aliqua materia ſub qua non poteſt generari per ſuppoſitionem, & eſt aliqua materia ſub qua poteſt. Tunc igitur vel eſt dare minimam materiam ſub qua poteſt generari, vel maximam, à ſufficienti diuiſione; ſi minimam, habetur propoſitum. Si maximam ſub qua non; contrà dupliciter, primò quia ſub iſta materia non poteſt introduci forma aſini, ſed ſub qualibet maiori, igitur iſta materia nunc eſt indiſpoſita, & pono quòd materia continuè augmentetur, igitur ipſa eſt priùs, quàm iſta materia fuerit diſpoſita: igitur non ſub qualibet maiori materia poteſt introduci forma aſini, quod eſt contra poſitum. Secundò, ſi eſſet dare maximam ſub qua non, ſequeretur, quòd nullius rei permanentis mixtæ poſſet dari primum inſtans ſui eſſe. Nec eſt cura ad propoſitum, ſiue inſtans ſit aliquid, ſiue nihil: nec ideò habet maiorem efficaciā, vel minorem, vt patebit ſuper 6.q.3. Modò conſequens eſt falſum, quia per hoc differt res permanens à ſucceſſiua: nam in rebus ſucceſſiuis eſt dare vltimum inſtans non eſſe, & in rebus permanentibus primum inſtans ſui eſſe: & probatur conſequentia, quia ſub iſta materia non poteſt produci aſinus, & immediatè poſt hoc ſub maiori producitur, igitur hoc eſt vltimum inſtans non eſſe aſini; modò impoſſibile eſt, quòd eiuſdem rei ſit dare vltimum inſtans non eſſe, & primum inſtans eſſe, quia illa inſtantia eſſent immediata.

8. Secunda concluſio, Non eſt dare minimam materiam, nec etiam diſpoſitionem minimam ſub qua mixtum heterogeneum poſſit permanere. Probatur, ſi in primo inſtanti eſſe mixti alicuius heterogenei applicetur ſibi aliquod diminuens, & tunc vel corrumperetur ſubitò, & hoc non, quia non præcederet alteratio præuia ad corruptionem. Vel permaneret per tempus, & tunc ſequitur, quòd poſſet ſtare ſub minori diſpoſitione, ſeu ſub minori quantitate, quàm generabatur; & tunc ſi in illis quantitatibus minoribus ſit dare minimam, ſub qua poteſt eſſe, ſequitur quòd ſubitò corrumpetur ſi applicetur diminuens, ſimiliter quòd eſt dare vltimum inſtans rei permanentis eſſe, quæ ſunt impoſſibilia.

Non eſt dare minimam materiam, ſub qua mixtum heterogeneum poſſit permanere.

Tertia concluſio, Quælibet res heterogenea, imò etiam homogenea, & ſimplex poteſt ſtare ſub minori quantitate, quàm generabatur, & ſub minori diſpoſitione ſibi conuenienti, quàm generabatur. Probatur ex prædictis concluſionibus, quia per primam concluſionem eſt dare minimam materiam, ſub qua corpus heterogeneum poteſt generari, & per ſecundam non eſt dare minimam ſub qua poſſit permanere, igitur ſi in primo inſtanti eſſe illius rei ſit applicatum contrarium corrumpens, vel diminuens, cùm non ſit dare vltimum inſtans eſſe eius, & cùm non poſſit manere per ſolum inſtans, ſequitur, quòd manebit ſub minori diſpoſitione, quàm generabatur.

9. Secundò patet per experientiam, quia aër non poteſt generari, niſi mediante moderato calore, & tamen poteſt permanere ſub valde intenſa frigiditate, & etiam ſub valde intenſa caliditate. Similiter vitrum, ad cuius generationem requiritur intenſa frigiditas valde, poteſt ſtare ſub frigiditate remiſſa, imò etiam ſub caliditate valde intenſa.

Contra primam concluſionem arguitur; quia forma aſini generatur ſucceſſiuè, igitur non eſt dare minimam materiam, ſub qua poteſt introduci. Antecedens patet, quia materia priùs diſponitur per vnam partem, quàm per alteram, & per conſequens forma priùs introducitur in vnam partem, quàm in aliam, vel materia ſtabit diſpoſita ſufficienter non introducta forma, quod eſt falſum. Conſequentia probatur, quia quantacumque materia data in qua introducta eſt forma aſini, adhuc in medietate illius introducta eſt forma; & ſic in infinitum, igitur nulla eſt minima.

Secundò, quia ſi materia ſit diſpoſita per qualitates ſtatim per tempus forma non introducta, ſequitur quòd nunquam introduceretur: quia illa caliditas eſt approximata materiæ diſpoſitæ ad receptionem formæ, igitur continuè indiſponit illam materiam: modò in materiam indiſpoſitam non poteſt introduci.

Tertiò, quia vel reſpectu cuiuſlibet indiuidui alterius ſpeciei eſſet alia, & alia materia minima, ſub qua huiuſmodi forma poteſt introduci, vel reſpectu omnium indiuiduorum eiuſdem ſpeciei eſſet eadem materia minima. 10.

Quartò, per præcedentem quæſtionem apparet, quòd cuiuſlibet ſpeciei magnitudo terminata eſt duobus terminis excluſiuè, ſcilicet maximo ſub quo non, à parte paruitatis, & minimo ſub quo non, à parte magnitudinis; modò ſi ſit dare minimam materiam, tunc non terminatur excluſiuè à parte paruitatis, ſed incluſiuè.

Quintò, contra tertiam concluſionem. Si mixtum heterogeneum poteſt ſtare ſub minori quantitate, quàm generabatur, ſequitur, quòd ſenex poteſt naturaliter eſſe ſub minori quantitate, quàm eſſet tempore ſui exitus de vtero matris, quod eſt falſum, vt apparet. Conſequentia probatur, quia illa eſt quantitas ſub qua generabatur, & cùm poſſit ſtare ſub minori, ſequitur quòd poteſt reuerti ad illam minorem.

Sextò ſequitur, quòd infans poſſet eſſe omninò taliter diſpoſitus ſicut embryo ante generationem, conſequens eſt falſum, quia differunt ab inuicem ſecundùm ſpeciem; modò res diuerſas ſecundùm ſpeciem conſequuntur diſpoſitiones ſecundùm ſpeciem: & patet conſequentia, poſito quòd ſtatim poſt ſuam generationem applicetur agens reducens ipſum.

Ad iſta. Ad primum conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Vnde [e] concedo, quòd forma aſini generatur ſucceſſiuè per partem ante partem, & ideò dico, quòd non eſt dare minimam materiam, nec maximam, ſub qua non introducatur aliqua pars formæ aſini: imò quantacunque parte data, ſub qua introducitur pars formæ aſini, ſub minori in infinitum introducitur pars formæ aſini. Sed forma aſini non producitur niſi materia ſit completè diſpoſita qualitate, & quantitate ſimul, & tunc eſt minima materia, ſub qua poteſt introduci. 11.

Ad ſecundum dico, quòd materia ſtat per tempus diſpoſita per qualitates, quo non introducitur forma aſini; eo quòd deficit diſpoſitio ſecundùm quantitatem: ſed hoc eſſet impoſſibile, niſi continuè ſicut partes materiæ diſponuntur, partes formæ aſini introducerentur, & ideo calor non indiſponit, propter partes formæ introducendas.

Ad tertium poteſt dici, quòd veriſimile eſt, quòd non eſt eadem vna materia reſpectu omniū

indiuiduorum eiusdem speciei: quia non appatet verum, quòd materia ex qua generatur vnus magnus gigas, sit æqualis materiæ, ex qua generatur nanus.

12. Ad quartum dico, quòd in alia quæstione dictum fuit, quod cuiuslibet speciei latitudo magnitudinis, sub qua potest stare aliquod indiuiduum alicuius speciei terminata est exclusiuè, tamen latitudo magnitudinis, sub qua potuit generari, terminata est inclusiuè, & ideò in hoc differentia est de generatione, & permanentia.

Ad quintum nego consequentiam, quia propter magnas alterationes, & longas in qualitatibus primis non potest reduci ad illam magnitudinem.

Ad sextum dico, quòd duplices sunt qualitates, quædam primæ, & consequentes primas; aliæ secundæ & consequentes formas substantiales, vt virtus, qua adamas attrahit ferrum, est qualitas consequens formam substantialem adamantis. Tunc dico, quòd infans potest habere consimiles qualitates primas, & consequentes primas qualitates embryonis, sed non potest habere qualitates consimiles, quæ consequuntur formam specificam.

13. Nunc ad rationes. Ad primam concedendum est, quòd non est dare [f] minimam partem inexistentem. Et consimiliter ad secundam, quòd non est dare minimum graue, sed aliud graue inexistens minus, scilicet pars sua.

Ad tertiam concedo, quòd est minima magnitudo inexistens, sed bene est minima separata, aliter in magnitudinibus separatis esset processus in infinitum.

Ad quartam dico, quòd in homogeneis non est dare minimum in generatione; sed in heterogeneis tamùm. De permanentia dico, quòd non est dare minimum in permanentia; sed in heterogeneis bene est dare minimum permanens, quod non tendat ad corruptionem cum aliquibus circumstantiis, scilicet non est date minimum tendens ad corruptionem.

14. Ad quintam dico, quòd non est date minimum inexistens; sed de minimo separato dico, quòd in simplicibus non est date simpliciter minimum potens manere, nisi cum certis circumstantiis. Sed in heterogeneis est dare minimum, quod potest generari, sed non minimum, potest permanere.

Ad sextam. Si applicetur diminuens, &c. Dico quòd corrumpitur successiuè, ideò potest manere sub minori quantitate, & priori dispositione, quàm erat quantitas & dispositio sub quibus generabatur.

Ad septimam dico, quòd non est dare minimum ignem inexistentem, nec minimum separatum potentem manere tendendo ad corruptionem; sed est dare minimum ignem potentem permanere in tali medio cum tanta cõtrarietate, & tanta applicatione, & cum aliis circumstantiis. Et cum hoc potest concedi, quòd non ex quolibet seorsum accepto & separatum potest generari aliud elementum; sed oporteret, quòd esset continuatum cum alio igne.

Ad octauam, negatur consequentia: quia licèt sit dare minimam materiam, sub qua potest permanere, & ideò dato, quòd corrumpatur vna pars, non corrumpitur subitò; sed postea manebit.

ANNOTATIONES.

[a] VNo modo in generatione, &c. Nota quòd hîc deficit primum membrum distinctionis; distinctio enim vt ex cõclusionibus apparet, debet esse talis, scilicet. In corporibus simplicibus dare minimum intelligitur dupliciter. Vno modo in generatione, & tunc est sensus: vtrùm sit dare minimam materiam, quæ sufficiat ad generationem, sub qua scilicet possit elementum, aut aliquod homogeneum generari. Alio modo in permanentia, & tunc est sensus, vtrùm sit dare minimam materiam, sub qua potest aliquod elementum permanere. 15.

[b] *Quodlibet elementum, vel homogeneum mixtum generatur successiuè.* Nota, quòd Ludouicus Lemosius super primum librum de morbis medendis Galeni quæst. 7. tenet hanc conclusionem: Generatio fit in tempore, & non in instanti, & sensus est quòd forma substantialis acquiritur, aut deperditur successu temporis, habétque quosdam gradus, qui successiuè acquiruntur, sicut qualitatis, quæ per motum acquiruntur. & probat suam sententiam nonnullis authoritatibus Aristotelis, ex quibus infert, quòd mutationes quibus disponitur materia ad formam substantialem, est generatio simpliciter, habens pro per se termino formam substantialem. Secundò infert mutationem illam instantaneam (qua forma substantialis in materiam introducitur) siue introductionem ipsius formæ dici potius vltimum generatum esse, quam generationem, sicut in fine motus dicitur mutatum esse. Cæterùm opposita sententia est doctrina Peripatetica, & communis in omni schola doctissimorum virorum, scilicet quòd generatio sit mutatio instantanea, & non successiua. Quomodo autem possit dici successiua, vt videtur supponere Scotus in hac quæstione subtilissimè explicat ipsemet Doct. 1. & 2. quæst. huius quinti. Sustine ergo vsque ibi. 16.

[c] *Non est dare minimum elementum permanens*, &c. Sensus est quòd corpora nõ viuentia via generationis, & conseruationis non terminantur intrinsecè, neque extrinsecè per minimum quod sic, neque per maximum quod non, sed quouis minimo dato, potest dari minor. Hæc conclusio est contra Scotum 1. Physic. est tamen Scoti hîc, & in 2. d. 2. quæst. 9. quæ sic potest confirmari: Huiusmodi corpora non habent terminum magnitudinis, vt probatum est in præcedenti quæstione, ergo neque habent terminum paruitatis. Probatur sequela, ex eo non habent terminum in magnitudine: quia cum parte materiæ crescit pars formæ, sed in materia quanta non datur minimum; ergo neque in forma. Minor probatur per Aristot. 5. Metaph. cap. 13. dicente: Continuum est diuisibile in partes, quarum vnaquæque potest esse hoc aliquid: sed corpora non viuentia sunt quædam continua; ergo quæcunque eorum pars potest existere separata, atque ita non dabitur tam parua quantitas, in qua possit generari, aut conseruari forma ignis, quod in minori non possit, & in minori vsque in infinitum. Præterea non est intelligibile aliquod esse quantum, quin sit ex partibus, neque quod sit ex partibus, quin pars sit minor toto; & ita non est intelligibile, quòd aliquid sit quantum, & non diuisibile, ita vt non sit aliquid in eo minus eo modo existens: neque etiam potest poni aliqua caro simpliciter indiuisibilis in tota carne: quia sicut punctus separatus 17.

non

non faceret quantum separatum : ita neque earo punctualis, si esset cum alia faceret aliquid maius.

18. d *Est dare minimam materiam, sub qua mixtum heterogeneum generari potest.* Verbi gratiâ, hominis datur minima materia, quæ sufficit ad generationem, vltra quam alia minor non sufficeret. Probatur, quia non in quacumque parua potest generari; ergo danda est aliqua determinata in paruitate in qua possit. Sit verbi gratiâ quantitas vnius fabæ, quam propter paruitatem forma non possit informare : augeatur tunc illa quantitas continuè donec veniat ad quantitatem requisitam pro introductione formæ. Tunc sic, vel dabitur primum instans talis formæ in materia illa sic quanta, vel non. Secundum non potest dari, quia incipiunt huiusmodi res per primum sui esse, ergo est dandum primum; atque adeò in tali instanti datur minima quantitas, in qua potest generari tale viuens, & introduci talis anima, quia in nulla minori; alias nulla quiditas est primum esse illius formæ.

19. *Generatio non eodem modo fit in homogeneis, & in heterogeneis.*

e *Concedo, quòd forma asini generatur successiuè per partem ante partem.* Nota, quòd alia est consideratio generationis substantiæ in homogeneis; & alia in heterogeneis. In illis id, quod generatur, tempore quo forma extenditur per materiam secundùm eandem rationem, generatum est secundùm partem, & sic quando forma ignis extenditur per materiam ante quemlibet ignem genitum generabatur ignis, & ante quodlibet generare erat ignis genitus: & hoc est, quod dicit Aristot. 6. Physic. cap. 6. vbi inquit, *necesse est id, quod fit, factum esse, & id quod factum est, necesse est fieri prius* : & subdit, *semper enim est ipso corrumpi corruptum esse prius, ipso autem corruptum esse corrumpi.* In heterogeneis autem secus : quia secundùm partes generantur. Priùs enim generatur cor, quàm ceteræ partes : atque ita in istis partibus cùm non sint infinitæ aliqua priùs generatur, antequam nulla generabatur. Sed nihilominus dicendum est, quòd semper præcedit alteratio quamlibet etiam particularem generationem; ac proinde accipiendo generationem pro præuia dispositione est diuisibilis, non autem accepta pro ipsa formæ introductione. Quamuis enim intrinsecè alteratio non terminetur ad substantiam, sed ad qualitatem, satis est extrinsecè terminetur ad illam, vt nomine generationis potiatur. Accipit ergo hîc Scotus generationem pro præuiis mutationibus, & alterationibus, quæ continuantur cum generatione; vel dicit generationem esse successiuam, propter partes quantitatiuas subiecti, siue illius quod generatur, & non propter gradus formæ substantialis : nam cùm omnis generatio sit à principio extrinseco, & etiam omnis corruptio substantiæ, sequitur quòd omnis mutatio ad substantiam fit successiuè: quia agens extrinsecum priùs disponit partem passi sibi propinquam, quàm remotam; & per consequens priùs introducit formam in partem propinquam, quàm remotam, quia nunquam introducitur forma nisi in subiecto disposito.

20. *Minimum naturale bifariam considerari potest.*

f *Non est dare minimam partem inexistentem.* Nota quòd minimum naturale potest considerari dupliciter; primò vt inexistens, & esset illud, quod non potest separatim existere extra totum. Secundò vt per se existens, & est illud quod si separaretur à toto, adhuc posset conseruari in esse. Secundò nota, quòd minimum potest adhuc bifariam considerari, vno modo, vt est quoddam ens naturale : alio modo, quatenus est quoddam quantum. Minimum inexistens tam in homogeneis, quàm in heterogeneis non est dabile : quia quacumque parte carnis data, illa est corpus, & per consequens habet partes, & cùm pars sit minor toto, sequitur quòd nulla caro, aut pars carnis potest esse minima. In heterogeneis autem minimum per se existens necesse est dare : quia in illis forma substantialis determinat sibi certam, & determinatam quantitatem, sicut & certas dispositiones in materia : secus est in homogeneis, in quibus minimum per se existens, quatenus est quoddam quantum, dari non potest, sed quatenus est ens naturale minimum per se existens, necesse est dari, & ideò dicit hîc, Scotus in responsione ad tertium, quòd non est minima magnitudo inexistens, sed benè est minima magnitudo inexistens, sed benè est minima separata, quatenus supple est coniuncta cum ente naturali. Vide tamen Scotum in 2. d. 2. quæst. 9. ad secundum sub litera D. vbi sustinet non dari minimum naturale.

g *Non est dare minimum graue*, &c. Nota, quòd omne graue subsistens seorsim, & diuisim, est grauius aliquo graui in toto inexistente, & coniuncto alteri graui, sed non vult dicere Aristoteles quòd omne graue seorsim existens sit grauius aliquo graui seorsim existenti.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm potentia actiua terminetur per maximum in quod potest.

Aristot *hic text.* 35. & 1 *de Cælo text* 116. & 117. Auerroes *ibid.* Simplic. *comm.* 35. Alber. Nyphus, Thenen *in* 1. *de Cælo.* Conimbricen. *ibidem quæst.* 1. *art.* 2. Antonius Roccus *quæst.* 24 Ruuius 1. *Phys. cap.* 4. *quæst.* n 26. Mendoza *in Phys. disp.* 8. & 9. *sect.* 7.

ARGVITVR quòd sic : quia quælibet potentia actiua naturalis agit secundùm vltimum sui conatus, igitur est dare maximum in quod agit. Tenet consequentia, quia si posset agere in maius, tunc ageret secundùm minorem conatum, & per consequens prius non egit secundùm totum conatum. Antecedens apparet: quia per hoc differt potentia actiua naturalis à libera. 1.

Secundò, quia Intelligentia mouens orbem terminatur per maximum in quod potest agere, igitur & quælibet alia potentia actiua. Tenet consequentia, quia Intelligentia est regula omnium aliarum potentiarum, & per consequens terminatio ipsius infert terminationem in aliis : & antecedens apparet per Commentatorem 1. Cœli, vbi dicit, quòd mobile est adeò proportionatum Intelligentiæ, vt si adderetur alia vnius muscæ, non posset moueri.

Tertiò, accepto vno pondere, quod Socrates potest portare, vel illo pondere maius Socrates potest portare, & illo maius, & illo maius, & sic in infinitum, vel aliquando est status. Si ad aliquod pondus sit status, tunc illud est maximum, quod potest portare, & habetur intentum. Si procedatur in infinitum, & cum per talem processum quodlibet pondus finitum potest resecari, sequitur quòd quodlibet pondus finitum 2.

tum Socrates potest portare, quod est falsum.

Quartò, per Aristot. 1. Cœli, text. 116 & 117. & Commentatorem, qui volunt, quòd potentia actiua terminetur per maximum in quo potest, vt si Socrates potest portare centum libras, & non plures; tunc centum libræ erit maximum poodus, quod Socrates potest portare.

Oppositum arguitur. Quia si potentia actiua agit in aliquod, igitur excedit illud, & cùm excessus ille sit diuisibilis, sequitur quòd minori excessu possit in vnum magis resistens agere, & per consequens illud datum non erat maximum, & ita argueretur de quolibet.

Potētia actiua potest cōparari ad sex circunstantias.

Notandum, quòd potentia actiua potest comparari ad sex circumstantias, scilicet ad resistentiam in qua agit, ad effectum, quem producit, ad motum, vel velocitatem, qua producit; ad tempus in quo producit, ad distantiam, à qua agit, vt in motu alterationis, ad spatium per quod sufficit mouere, vt in motu locali.

3. *Diuisio quæstionis.*

In quæstione primò videbitur generaliter de *quid nominis* quæstionis, scilicet de *potentia, maximo, & minimo.* Secundò videbitur specialiter de comparatione potentiæ actiuæ ad resistentiam, in quam agit, & tertiò de comparatione ipsius ad alias circumstantias.

Potētia actiua quid sit.

Quantum ad primum notandum, quòd potentia actiua est principium transmutandi alterum inquantum alterum; sed potentia passiua est principium transmutandi ab altero, in quantum ab altero, vt patet 9 Metaph. De passiua nihil ad præsens. Sed potentia actiua est duplex, quædam motiua localiter, vt grauitas, & alia actiua alterius rei. Et tunc vel est actiua sibi similis, vt calor producit calorem, & ignis ignem: alia dissimilis, vt lumen producit calorem.

Item quædam est pótentia actiua cuius effectus productus coagit sibi, vt caliditas producta ab igne iuuat ignem ad vlterius producendum: Alia est cuius effectus non iuuat, vt patet de lumine.

4. *Maximum in quod potest potentia quid sit.*

Secundò notandum, quòd maximum in quod potest aliqua potentia est illud, in quod potest & in nullum maius, sed in quodlibet minus; & ideò secundùm istam definitionem non terminatur distantia, à qua aliquod visibile videtur aliquo modo; igitur oportet definiri maximum disiunctiuè sic: Maximum in quod aliqua potentia actiua potest est illud, sin quod potest, & in nullum maius; sed in quodlibet minus, vel in quodlibet minus vsque ad illud in quod non potest propter paruitatem.

Et conformiter quòd ad hoc, definiatur minimum in quod non, & maximum in quod non, & minimum in quod sic.

Inter potentiam actiuā, & passiuam est differentia.

Tertiò notandum, quòd in proposito vna differentia est inter potentiam actiuam, & potentiam passiuam: quia potentia actiua si potest in aliquod, potest in quodlibet minus illo, & non in quodlibet maius; sed è contra est de potentia passiua si patitur ab aliquo, potest pati à quolibet maiori, sed non à quolibet minori.

5. Nunc sunt aliquæ suppositiones. Prima est, quòd respectu eiusdem semper minimum in quod aliqua potentia non potest, est maius maximo in quod potest. Probatur, quia minimum, in quod non potest, est adeò magnum, quòd propter illius magnitudinem non potest in ipsum; sed maximum, in quod potest, est proportionatum suæ potentiæ, scilicet quod non excedit, igitur minimum in quod non excedit potentiam actiuam, & maximum in quod sic exceditur ab eadem.

Omnis excessus est diuisibilis. Quilibet excessus sufficit ad motum.

Secunda suppositio, quòd omnis excessus est diuisibilis. Tertia, quòd quilibet excessus sufficit ad motum. Probatur, quia actio, vel motus prouenit secundùm proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti: & ideò quando agens plus potest in agendo, vel mouendo, quàm passum in resistendo, sequitur, quòd ab agente potest produci motus, vel actio.

Ad istud dicunt aliqui concedendo, quòd quilibet excessus sufficit ad continuandum motum; 6.
sed non quilibet sufficit ad inchoandum. Sed contrà, supposito, quòd non sit in infinitum difficilius inchoare motum, quàm continuare. Tunc probo, quòd si quilibet sufficit ad continuandum, quòd etiam quilibet sufficit ad inchoandum: & sit *A* vnus excessus, qui non sufficit inchoare, sed sufficit continuare, & sit in centuplum difficiliùs inchoare motum, quàm continuare; tunc capiatur excessus minor *A*, scilicet *B*, ad quem se habeat in centupla proportione: tunc si *B* sufficiat continuare motum: quia quilibet excessus sufficit continuare, igitur *A* sufficit inchoare motum; cuius tamen oppositum ponebatur. Et probatur consequentia, quia præcisè in centuplo difficiliùs est inchoare motum, quàm continuare, & *A* se habet in centupla proportione ad *B*, igitur cùm *B* sufficit continuare, sequitur quòd *A* sufficit inchoare, & ita sicut arguitur de *A*, ita potest argui de quolibet excessu.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd 7.
respectu eiusdem potentiæ, & eiusdem circumstantiæ, ad quam comparatur, vt puta resistentiæ, impossibile est simul dare minimum in quod non potest, & maximum in quod non potest. Probatur, quia per primam suppositionem, minimum in quod non potest, est maius maximo in quod potest; & per secundam excessus ille est diuisibilis. Tunc si capiatur aliquod, quod excedat maximum in quod sic, & excedatur à minimo in quod non, tunc vel potentia actiua potest in illud, vel non; si sic, tunc illud priùs datum non erat maximum in quod potest; si non, sequitur quod illud datum non erat minimum in quod non potest: quia istud minimum in quod noo potest, est maius illo.

Secunda conclusio, Quælibet potentia acti- 8.
ua terminatur aliquo dictorum quatuor modorum per maximum, vel minimum affirmatiuè, vel negatiuè, & hoc est verum de potentia finita, quæ potest in aliquod agere, & non in quodlibet. Probatur, ex quo sufficit in aliquod agere, & non sufficit in quodlibet, oportet dare vel maximum in quod potest, vel in quod non potest, vel minimum in quod potest, vel in quod non potest, vt patet inductione.

Quælibet potentia actiua terminatur per maximū, vel minimum.

Nulla potentia actiua terminatur per maximū in quod non potest, vel per minimum in quod potest.

Tertia conclusio, Nulla potentia actiua terminatur per maximum in quod non potest; nec per minimum in quod potest; imò vtrumque istorum est impossibile respectu potentiæ actiuæ. Probatur, quia quælibet potentia actiua si potest in aliquod, potest in quodlibet minus illo, igitur impossibile est, quòd terminetur per maximum negatiuè, aut per minimum affirmatiuè, Tenet consequentia ex definitionibus maximi in quod non, & minimi in quod sic: in quibus includitur, quod potest in maius, & non in minus. Antecedens patet, quia motus, & actio prouenium secūdùm proportionem potentiæ motoris,

ad

ad resistentiam moti; modò eadem potentia comparata ad duas resistentias inæquales ipsius, ad maiorem est proportio minor, & ad minorem maior, & per consequens potius aget in minus, quàm in maius.

9\. *Qualibet potentia actiua finita, habet maximum in quod potest, & minimum in quod non potest.*

Quarta conclusio, respectu cuiuslibet potentiæ actiuæ finitæ est dare maximum in quod potest, vel minimum in quod non potest. Probatur, quia quælibet talis potentia, ex quo est actiua, potest in aliquod, & ex quo est finita non potest in quodlibet, igitur eius potentia imaginanda est sicut quantitas continua terminata. Et tunc illa vel potest in terminum resistentiæ Imaginatæ per modum terminatæ quantitatis, vel non: si sic, tunc illa resistentia est maxima in quam potest: si non, tunc est minima in quam non potest; & sicut dicitur de resistentia, ita dicitur de aliis circumstantiis.

Secundò patet conclusio, deducendo ex præmissis conclusionibus: & quia per secundam quęlibet potentia terminatur aliquo prædictorum modorum, & per tertiam potentia actiua non terminatur per duo vltima, nec per aliquod illorum, & per primam non terminatur per ambo simul, igitur terminatur per alterum illorum, & habetur intentum.

10\. *Potentia actiua non terminatur per maximum in quod potest agere.*

Quinta conclusio, Potentia actiua non terminatur per maximum in quod potest agere. Probatur, & sit illud maximum *A*. Tunc potentia actiua sufficit agere in *A*, igitur potentia excedit resistentiam ipsius *A*, quia actio prouenit à proportione maioris inæqualitatis potentiæ motoris ad resistentiam mobilis, igitur per secundam suppositionem excessus ille est diuisibilis, & per consequens illa potentia actiua potest excedere vnum maius *A*, igitur per tertiam suppositionem, potest agere in maius, igitur *A* datum, non erat maximum, in quod poterat agere.

11\. *Potentia actiua terminatur per minimum in quod non potest agere.*

Ex quibus sequitur conclusio sexta, quòd quælibet potentia actiua terminatur per minimum in quod non potest agere. Probatur: quia per quartam conclusionem, vel terminatur per maximum, in quod potest, vel per minimum, in quod non potest; & per quintam non terminatur per maximum in quod sic, igitur terminabitur per minimum in quod non potest, & habetur intentum. Et notandum est, sicut dicitur in secunda conclusione de potentia actiua, potest dici de quolibet, de quo verificantur duæ mensuræ pertinentes ad istam diuisionem quadrimembrem: vt verbi gratiâ, sicut dico, quòd potentia actiua terminatur ex eo, quòd in aliquod potest, & non in quodlibet, ita verisimiliter dico, quòd si huius totius pars vna sit calida, & alia non: vel est dare maximam partem calidam, vel minimam affirmatiuè, vel negatiuè.

12\. Contra prædicta obiicitur: quia vel est dare maximum, quod Socrates potest sustentare, vel minimum, quod non potest: quia alia duo membra sunt impossibilia: si maximum. Contrà, quia tunc potentia sustentatiua Socratis excederet pondus illius, quod sustentatur in minori excessu, potest vnum maius excedere, & per consequens sustentare maius. Si minimum quod non, tunc ponatur super caput Socratis. Tunc vel subitò est Socrates depressus in terram, vel ipsum, & priusquam Socrates esset depressus, non subitò: quia impossibile est, quòd motus localis sit subitò: si successiuè, tunc sequitur, quòd per illud tempus minimum Socrates sustentabat illud pondus, & per consequens non erat minimum quod Socrates non poterat sustentare.

Secundò, Quia per aliquod tempus Antichristus potest esse futurus, & per aliquod non: tunc vel est dare maximum tempus, per quod potest esse futurus; vel minimum, pro quo non, & potest faciliter deduci, quòd nullo modo terminatur: quia nullum est tempus per quod potest durare; quin per maius possit durare, & etiam per minus. 13.

Tertiò. Sit *A* vnum corpus, cuius vna medietas sit alba, & alia nigra, & supponatur, quòd vniuersaliter illud est album, cuius maior pars est alba; tunc huiusmodi corporis vna paraest alba, & alia non, sed nigra. Tunc, vel est dare maximam partem, quæ est alba, vel minimam, quæ non est alba: quia de aliis duobus est impossibile. Vnde nulla pars est alba, quin minor illa sit alba: si maximum, contrà, quia nulla pars est alba, cuius medietas plus erit alba; igitur nulla pars est alba, quin maior pars sit alba. Consequentia probatur, quia non est dare minimam, quæ non est alba.

Ad ista respondetur. Ad primum dicitur, quòd potentia, scilicet sustentatiua dicitur propriè, quam non excedit pondus deprimens: vt quòd potentia Socratis sit maior ad sustentandum, quàm grauitas ponderis ad deprimendum: & tunc dato, quòd esset dare minimum, quod Socrates non potest portare, & esset illud, quod non sufficeret portare sine detractione, vel depressione. Tunc dico, quòd si accipiatur sustentare largè pro quacunque successiua portatione, siue sit cum depressione, siue non. Dico, quòd non est dare maximum in quod sic, nec minimum in quod non, nisi illud esset infinitum. 14.

Ad secundum dico, quòd est dare minimum tempus per quod Antichristus non potest esse futurus: quia per infinitum tempus non potest esse futurus, nec per aliquod maius, sed per quodlibet minus.

Ad tertium. Vel est dare maximam partem, &c. Dico quòd nec est dare maximam partem albam, scilicet dati, nec minimam, non albam, sed illud totum est minimum, quod non est album. Patet igitur in generali qualiter terminatur potentia actiua penes minimum, in quod non potest agere, & hoc de primo.

Quantum ad secundum, scilicet comparando potentiam actiuam ad resistentiam, in quam agit, ponitur ista conclusio, quòd est dare minimam resistentiam in quam potentia actiua non sufficit agere. Probatur, quia resistentia æqualis potentiæ actiuæ est illa, in quam non potest agere, nec in aliquam maiorem: sed in quamlibet minorem sufficit agere, igitur resistentia æqualis potentiæ actiuæ est minima, in quam non sufficit agere per definitionem minimi in quo non. 15. *Dabilis est minima resistentia, in quam potentiam actiua non potest.*

Et ad soluendam istam quæstionem oportet benè cauere, quòd aliquando se habet per modum potentiæ actiuæ, & aliquando per modum potentiæ passiuæ; vt verbi gratia, si vnus lapis ponatur super baculum, & augmentetur continuè, quousque baculus non sufficiat portare, sed frangatur, tunc grauitas lapidis se habet per modum potentiæ actiuæ; & baculus habebit se per modum potentiæ passiuæ, & resistentiæ, & tunc in illo instanti, in quo virtus grauitatis est æqualis in deprimendo potentiæ baculi in resistendo. Tunc grauitas lapidis est maxima, quæ non sufficit *Nota.*

frangere

frangere baculum, & reſiſtentia baculi eſt minima, quæ non poteſt frangi ab illa grauitate, & hæc de ſecundo. De tertio videbitur in alia quæſtione.

16. Ad rationes. Ad primam conſequentiam, quia agens naturale eodem conatu, quo agit in minus, ſufficit agere in maius, ſi eſſet applicatum.

Sententia Commentatoris refellitur. Ad ſecundam negatur antecedens, nec eſt credendum Commentatori, quia de facto Intelligentia mouet ſphæram ignis, quæ de facto eſt maior mille millibus alis muſcarum.

Ad tertiam concedo, quòd quantocunque pondere accepto, quod Socrates poteſt portare, adhuc maius illo poteſt portare, & maius illo, & iterum maius illo: attamen per huiuſmodi proceſſum non deuenitur ad pondus infinitum, imò fortè non deueniretur ad pondus vnius milij, eo vt non ſit additio per partes æqualis, ſed continuè per partes minores.

Ad quartam dico, quòd Ariſtoteles intelligit, quòd eſt dare maximum numerum menſurarum, vt puta librarum, quas aliquis poteſt portare, & ea non commenſurauit ſecundùm actiones, nec fortè diſtinguebat inter maximum, quod poteſt portare, & minimum quod non poteſt.

Qvæstio XV.

Vtrùm potentia actiua terminetur per maximum effectum quem poteſt producere?

Vide authores citatos quæſt. præcedenti, & citandos quæſt. ſequenti.

1. Argvitvr quòd non, quia ignis aſſimilat ſibi partem paſſi approximati, igitur illa aſſimilata eſt æquè potens ad aſſimilandum aliam partem, ſicut ignis cauſa ad aſſimilandum ipſam. Tenet conſequentia, cùm ſit tantæ virtutis, & ſic arguitur de tertia quòd aſſimilat quartam, & ſic conſequenter, quamdiu fuerit materia: & cùm omnes iſtæ actiones fiant virtute primi ignis agentis, igitur ſequitur, quòd non eſt dare maximum effectum, quem primus ignis agens poſſit producere.

Secundò, quia non eſt dare maximum lumen producibile à corpore luminoſo, igitur non eſt dare maximum effectum, quem potentia actiua poteſt producere. Tenet conſequentia, quia lumen eſt effectus corporis luminoſi. Antecedens probatur, quia ſi ſic, igitur aliquod maximum lumen poſſet intendi per vnum paruum luminoſum: vt puta per candelam, igitur poteſt intendi per Solem. Antecedens patet, ad experientiam, & tenet conſequentia, quia illud, quod poteſt facere agens minùs intenſum, poteſt etiam facere agens magis intenſum.

Tertiò, quia principium eſt potentia actiua reſpectu notitiæ concluſionis, & tamen non eſt dare maximam notitiam, vel maximum numerum notitiarum, producibilium ex illo principio, vt patet de principiis Geometriæ, quæ poſſunt ad multas propoſitiones nondũ inuentas applicari.

2. Oppoſitum arguitur, quia quælibet potentia actiua naturalis agit per vltimum ſui conatus; igitur producit maximum effectum, quem poteſt producere, quia ſi poteſt producere maiorem, non eget maiori conatu.

Secundò, quia eſt dare maximum lumen producibile à Sole; ergo, &c. Probatur antecedens, quia in ſphæra Solis corpus ſolare cauſat intenſiſſimum lumen producibile à Sole: quia ſi intenſiùs produceretur, vel hoc eſſet per applicationem medij diaphani maiorem: & hoc non, quia illud medium, vel ſuſceptiuum eſt immediatum corporis Solis; vel fiet ea meliori diſpoſitione medij, & hoc non, cùm corpus illud ſit ſummè perſpicuum.

Diuiſio quæſtionis. In iſta quæſtione videndum eſt de quinque circumſtãtiis omiſſis in quæſt. præcedenti, & primò de tempore, ſecundò de velocitate, tertiò de diſtantia, quartò de effectu, & quintò de ſpatio.

3. *Potentiam terminari, & determinari differunt.* Quantum ad primum, notandum, quòd aliud eſt potentiam terminari, & aliud ipſam determinari: nam potentiam terminari, eſt ipſam finiri maximo in quo ſic, vel minimo in quo non, ſed ipſam determinari eſt cognoſcere potentiam, quanta eſt per eius velocitatem, vel per eius effectum, aut per aliquam dictarum circumſtantiarum.

Potentia actiua poteſt agere quamdiu eſt. Secundò notandum, quòd potentia actiua, quamdiu eſt, poteſt agere, & ideò quærere quomodo terminatur tempore, per quod potentia actiua poteſt agere, non eſt aliud quàm quærere, quomodo terminatur tempus ſuæ durationis, ideò ſolùm dicendum eſt de duratione.

Potentia alicuius rei ad durandum quid ſit. Tertiò notandum, quòd potentia alicuius rei ad durandum non eſt aliud quàm niſus, vel virtus, qua reſiſtit ſuo contrario applicato corrumpenti, & ideò cœlum non habet propriè potentiam ad durandum; nec elementum ſimplex exiſtens in ſua naturali diſpoſitione; cui non eſt applicabile contrarium, ſed ſtatim quando contrarium applicatur, habet potentiam ad durandum, & reſiſtit cum conatu, ſed mixtum ex elementis ſemper reſiſtit cum conatu, eo quòd habet in ſe principium ſuæ corruptionis.

4. *Nullum corruptibile poteſt durare per infinitum tempus.* Tunc ponuntur concluſiones. Prima eſt, Nullum corruptibile in iſtis inferioribus, vt [a] elementum, vel mixtum poteſt durare per infinitum tempus. Probatur, primò de mixto notum eſt, cùm habeat in ſe principium ſuæ corruptionis, ſed de elementis probatur, quia aliter ſequeretur, quòd elementum per totum tempus æternum fruſtraretur à ſuo fine, ad quem ordinatur à natura, conſequens eſt falſum: quia finis naturalis non poteſt eſſe fruſtraneus, & inanis, vt patet 1. Ethic. Probatur conſequentia, quia elementa ordinantur finaliter, vt ex ipſis fiant mixta. Ideò ſi eſſet aliqua materia alicuius partis elementi, quæ per tempus infinitum ſtaret ſub forma elementi, & nunquam ſub forma mixti, ſequeretur quòd illa pars eſſet fruſtranea.

Secundò, quia quodlibet elementum habet materiam, igitur quodlibet eſt corruptibile, conſequentia tenet per Ariſtotelem in iſto primo.

Tertiò, ſi aliquod elementum maneret perpetuò, maximè eſſet ignis in ſua ſphæra; ſed hoc eſt falſum, quia ignis generatur per conſtellationes ſuperiores, & expellitur ad loca inferiora.

5. *Non datur maximum tempus per quod res naturalis poteſt durare.* Secunda concluſio. Non eſt dare maximum tempus, per quod aliqua res naturalis poteſt durare. Probatur, quia quodlibet quod poteſt durare, per aliquod tempus poteſt durare cum melioribus circũſtantiis per aliud tempus, vt puta quòd continens ſit meliùs diſpoſitum, & contrarium tardiùs applicetur, & ita de ſimilibus. Secundò, quia tunc eſſet dare vltimum inſtans illius rei.

Tertia

Tertia conclusio, Est dare minimum tempus, per quod res naturalis non potest durare. Probatur, quia ex quo non potest durare per tempus infinitum, nec terminatur per maximum, igitur oportet, quòd terminetur per minimum, quo non possit durare.

Potētia actiua non potest determinari per tempus suæ durationis.

Quarta conclusio, Potentia actiua non potest determinari per tempus suæ durationis. Probatur, quia sensibiliter videmus illa quæ sunt minoris virtutis plus durare illis, quæ sunt maioris virtutis, quod non esset si per durationem temporis posset cognosci quantitas potentiæ actiuæ, & hoc de primo.

6. De secundo sit prima conclusio, Potentia actiua non terminatur propter velocitatem, qua potest agere. Probatur, quia velocitas sequitur proportionem potentiæ super resistentiam; sed illa proportio est in infinitum augmentabilis per diminutionem termini minoris, vt patuit priùs, maximè de motu alterationis: ideò sequitur, quòd proportionaliter velocitas est augmentabilis in infinitum, & per consequens nullo modo terminatur.

Secunda conclusio, respectu alicuius potentiæ actiuæ determinatæ est dare maximam velocitatem, qua potest agere cum tanta resistentia, & ad tantam resistentiam. Probatur, quia illius potentiæ actiuæ ad illam resistentiam est determinata proportio, quæ non potest esse maior, vel minor sine augmentatione, vel diminutione potentiæ, vel resistentiæ, igitur velocitas consequens illam proportionem erit maxima, qua potest mouere cum illis circunstantiis.

Potētia actiua per velocitatē quanta sit cognosci non potest.

Tertia conclusio, Per velocitatem non potest determinari, id est, cognosci, quanta est potentia actiua. Probatur, quia si ab agente sub octo, in resistentiam sub quatuor proueniat aliqua velocitas, igitur erit æqualis velocitati, quæ prouenit ab agente sub quatuor respectu resistentiæ vt duo; quia ambæ proueniunt ab æqualibus proportionibus, & tamen agentia non sunt æqualia, imò vnum est duplum ad reliquum, & hæc de secundo.

7. Quantum ad tertium notandum, quòd quantum ad distantiam est differentia inter potentiam actiuam, & potentiam passiuam. Nam si potentia actiua potest agere ad aliquam distantiam, potest etiam agere ad quamlibet minorem, ita vt si ista candela illuminet de hinc ad parietem, illuminabit quodlibet intermedium, sed potentia passiua si patiatur ab aliqua distantia, non oportet, quòd patiatur a qualibet minori: nam visus dato quòd videat visibile à remotius, tamen non oportet quòd videat à qualibet distantia minori: nam visibile potest tantùm applicari visui, quod non videatur.

Non datur distātia maxima qua potentia actiua potest agere.

Nunc sit prima conclusio, Non est dare maximam distantiam, à qua potentia actiua potest agere. Probatur, quia virtus agentis diffunditur à se continuè vsque ad non gradum, igitur accepta aliqua distantia in qua est virtus agentis, illa est alicuius intensionis, igitur in distantia vlteriori est virtus agentis remissior; & per consequens distantia data non erat maxima.

8. Secunda conclusio, Est dare minimam distantiam, in quam non potest agere, & ista sequitur ex præcedenti.

Tertia conclusio, Est dare maximam distantiam, in quam potentia actiua non sufficit agere. Probatur, & signetur minima distantia, in quam non sufficit. Tunc sic, in istam distantiam non sufficit agere, & in nullam maiorem, & in quamlibet maiorem, igitur ista est maxima, in quam non sufficit agere, & ita dico de distantia a qua visibile non potest videri, quod illa eadem distantia, quæ est minima, à qua non potest videri, est maxima in qua non sufficit videre.

Quarta conclusio, Distantia à qua potentia passiua, vt visus, potest pati, terminatur duobus terminis exclusiuè; vno scilicet à parte elongationis, & alio à parte appropinquitatis; elongationis inquam à visu, à quo non potest videri propter nimiam elongationem, & appropinquitatis, à quo non potest videri propter nimiam appropinquitatem, sed à quolibet intermedio inter istos duos terminos potest fieri visio.

Quinta conclusio, Per distantiam non potest determinari potentia actiua. Probatur, posito, quòd aliquod corpus luminosum seruato æquali gradu luminis sine intensione, & remissione luminis augeatur ad maiorem quantitatem, tunc istud luminosum aget ad maiorem distantiam, quàm antè, & tamen non est maioris virtutis, quàm antè, imò minoris: quia eadem qualitas remissior est in substantia magis extensa, quàm minùs extensa, & hoc de tertio.

Quantum ad quartum recolligenda est distinctio facta in alia quæst. scilicet, quòd agentium quoddam iuuatur ab effectu producto ad assimilandum passum, vt ignis. Aliud est, quod non iuuatur, vt corpus luminosum, vel saltem si iuuetur, hoc non est ad assimilandum passum. Et ideò quando materia, in quam agit ignis, est valdè indisposita, aut propter nimiam frigiditatem, aut humiditatem, tunc caliditas manet in passo continuè, vniformiter difformis ad vnum gradum, sicut lumen causatum in luminoso. 9.

Agens quod iuuatur ab effectu non terminatur ad maximum effectum.

Nunc est prima conclusio, Agens quod iuuatur ab effectu ad assimilandum passum, non terminatur ad maximum effectum, quem potest producere. Probatur per primam rationem ante oppositum, & hoc est verum, supposito quòd primum agens concurrat ad productionem effectuum sequentium, quia si non, difficilè est assignare vsque ad quem effectum primū agens agit.

Agens quod non iuuatur ab effectu producit maximū effectum.

Secunda conclusio, Agens quod non iuuatur ab effectu, vt puta luminosum producit maximum effectum, quem potest producere, sicut argumentatum fuit post oppositum de Sole, quia tale agit secundùm totum conatum suum, ideò non variatá raritate medij, tantum producit in primo instanti, quātum vnquam postea producit.

Sed contra obiicitur, quia proportio potentiæ agentis ad resistentiā potest augeri in infinitum, igitur similiter & effectus. Respondetur negando consequentiam, quia licèt velocitas consequatur proportionem, tamen effectus productus non consequitur, imò consequitur agens. 10.

Solutio pulchra dubitationis.

Ex isto potest dari causa cuiusdam pulchræ dubitationis, scilicet. Quare ignis in aliquod passum agens, quod assimilat sibi tunc, si postea approximetur illi passo vnus alter ignis maior, vel æqualis, ille non intendet caliditatem passi, & tamen si corpus luminosum agat quantum potest in medium, & appropinquetur vnum aliud luminosum minus, vel æquale, intendit lumen causatum ab alio luminoso. Quæ ergo est causa diuersitatis? Dico quòd causa est, quòd ignis agit ad assimilationem passi, & ideò alter ignis approximatus non intendit ipsum, quia non agit vltra

gradum proprium: sed luminosum non assimilat sibi passum, ideò aliud luminosum superueniens intendit ipsum, eo quòd non agit vltra gradum proprium, quia inuenit gradum minorem causatum, quam sit gradus luminis sui: & hoc de quarto.

11. De quinto sit prima conclusio, non est dare maximum spatium, per quod aliquod mobile potest moueri, quantum ex ratione motus, vel grauitatis, vel leuitatis. Probatur per Aristotelem. Nam si graue per infinitum spatium distaret à centro, moueretur ad centrum. Et dico notabiliter, quantum est de ratione grauitatis, &c. Nam distantia à concauo orbis Lunæ vsque ad centrum terræ est maxima, per quam aliquod mobile potest moueri, nisi fortè moueatur per aliquam lineam transuersaliter intersecantem illam.

Potentia motoris nō potest cognosci per quantitatem spatij.

Secunda conclusio, per quantitatem spatij non potest cognosci quantitas potentiæ motoris. Probatur, quia idem mobile mouetur quandoque per maius spatium, quandoque per minus, & tamen ex hoc non est fortius, vel debilius. Ex his conclusionibus patet qualiter quantitas potentiæ actiuæ determinatur, & cognoscitur per resistentiam, in quam sufficit agere, vt dictum fuit in alia quæstione. Rationes sunt solutæ.

ANNOTATIONES.

12. *Eadē est natura totius homogenei, & suarum partium.*

[a] *Elementum non potest durare per infinitum tempus.* Nota, quòd natura totius homogenei & suarum partium eadem est, & elementum quodcunque homogeneum est, quare & elementum, & quælibet eius pars corruptibilis est, nunquam tamen naturaliter propter vniuersi ordinem aliquod elementum secundùm se totum corrumpetur, imò neque alicuius naturalis agentis tanta erit vis, vt totum elementum corrumpere possit; si enim ignis mutaretur in aërem, daretur vacuum: aër enim est magis densus, & tunc occupasset ignis minorem locum, & daretur vacuum, & è contra si aër mutaretur in ignem, deficeret spatium & locus. Intelligit ergo Scotus hîc non de toto elemento, sed de eius partibus diuisim.

13. [b] *Distantia à qua potentia passiua*, &c. Nota, quòd omne agens habet sphæram suæ actiuitatis, quæ est spatium determinatum à natura, intra quod sua extenditur virtus actiua, & vltra quod minimè accedit: imò in hoc spatio prius & fortiùs agit in sibi propinquiores partes, quàm in remotiores. Quando ergo passum non est intra huiusmodi sphæram agentis, minimè actio fieri potest; quia agens naturale agit, per contactum saltem virtutis, cùm tamen non omnia agentia æqualem habeant sphæram suæ actiuitatis; quia non habent æqualem virtutem actiuam; hinc est quòd contingit aliquando, hoc passum esse intra sphæram actiuitatis huius agentis, non tamen è contra. Et quando hoc contingit, inter agens, & passum nulla est repassio, nec reactio: verbi gratiâ, sit ignis potens ad distantiam duorum passuum agere, sitque aqua quæ tantùm ad distantiam vnius possit frigefacere, tunc quidem poterit ignis calefacere aquam, & non repatietur ab ea, si sit extra illum passum. Et ideò dicit hic Scotus, quòd distantia, à qua potentia passiua potest pati, terminatur duobus terminis, &c.

14. [c] *Tunc caliditas manet in passo continuè vniformiter difformis.* Nota, quòd duplex est agens, seu patiens, vnum vniforme, alterum difforme, primum est quod secundùm omnes suas partes æqualem participat formæ gradum, vt si esset bipedale calidum, vt quatuor, ita vt secundùm omnes suas partes, quibus agit, aut patitur, habet calorem vt quatuor, agens, seu patiens difforme est, quod secundùm aliquas partes habet quatuor gradus, secundùm alias duos. Caliditas ergo agens in aquam indispositam, manet in passo continuè vniformiter, quia continuè manet intensa vt quatuor, sed manet difformiter quantum est ex parte passi, quod non habet quatuor gradus secundùm omnes partes.

Agens est duplex, vniformè, & difforme.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm sit dare minimum agens à quo potentia passiua potest pati?

Auerroës 1. *de Cælo*, *comm.* 37. D. Thom. *de Gener. cap.* 7. *lect.* 23. Conimbr. *ibid. cap.* 9. *qu.* 2. *&* 1. *de Cælo*, *cap.* 11. *quæst* 1. *art.* 2. Tolet. 1. *de Gener. quæst.* 15 Ruuius *cap.* 6. *de Gener. quæst.* 5. Bannes *ibid. quæst.* 2. Roccus 1. *de Cælo quæst.* 24. Mandoça *in Physic. disp.* 9 *sect.* 10. Complut. 1. *de Gener. disp.* 8. Mast. *ibid. quæst.* 19.

ARGVITVR quòd non, quia vel illud agens esset diuisibile, vel indiuisibile; non indiuisibile, quia entia naturalia in suis actionibus requirunt determinatam magnitudinem, vt patet 8. huius: nam millesima pars grani milij non faceret sensum. Si sit diuisibile, tunc ipsum non potest agere nisi partes suæ agant, sequitur quòd aliqua pars agit, & cùm pars sit minor toto, sequitur quòd agens datum non erat minimum. 1.

Secundò sequeretur, quòd esset dare actionem tardissimam, & remississimam; consequens est falsum, quia quælibet actio est sicut quantitas continua diuisibilis in infinitum; & patet consequentia, quia actio facta à minimo agente est remississima, quia si posset esse actio minor, vel illa proueniret ab agente maiori, vel æquali; & hoc non, quia ab agente maiori proueniret actio maior, & ab æquali æqualis; si à minori, tunc agens datum non erat minimum.

Tertiò, quia potentia actiua non terminatur per maximum in quod potest agere, igitur nec potentia passiua per minimum à quo potest pati, quia conformiter videntur se habere.

Quartò sequeretur, quòd huiusmodi actio subitò corrumperetur; quia si nunc aliquod diminuens est applicatum agenti, tunc actio nunc est, & immediatè pòst non erit, nec aliquid sui; quòd si aliquid, illud proueniret ab agente minori; & per consequens agens datum non erat minimum.

Oppositum arguitur per Commentatorem in 1. Cœli. vbi dicit quòd potentia passiua terminatur per minimum, à quo potest pati. 2.

Secundò per Aristotelem qui ponit, quòd est dare minimum sensibile. Tertiò, quia sub angulo contingentiæ potest fieri visio, & non sub angulo minori, quia est omnium angulorum acutissimus, vt patet 3. Euclidis.

Potentia passiua est duplex.

Notandum, quòd quædam est potentia passiua materiæ receptiua, & nullo modo quantum est ex parte sui resistitiua; sicut materia prima, alia [a] est passiua resistitiua, & non receptiua sicut caliditas, quæ patitur à frigiditate, & ista est etiam

actiua

actiua in illud, à quo patitur. Sed alia est potentia cognoscitiua passiua, vt visus, qui patitur ab obiecto recipiendo speciem eius, licèt actiuè concurrat ad visionem, quam consequitur illa species.

Potentia passiua dicitur melior quæ potest à minori agente pati.

Secundò notandum, quòd sicut potentia actiua dicitur melior, quæ potest maius passum alterare, siue in maiorem resistentiam agere. Ita per oppositum potentia passiua dicitur melior, quæ potest à minori agente pati; vt visus dicitur melior, & acutior, qui potest pati à minori visibili; similiter [b] caliditas dicitur passibilior siccitate, vel humiditate, quia à minori agente potest pati, quàm aliquod eorum.

Tertiò notandum, quòd potentia passiua vel potest comparari ad agens, vel ad effectum productum in ipso passo, vel ad velocitatem, vel ad tempus, & ita de aliis circumstantiis.

Potentia passiua quomodo terminatur per maximũ, aut minimũ.

3. Nunc ponuntur conclusiones. Prima est; potentia passiua nullo modo resistitiua non terminatur per maximum agens, à quo potest pati, nec per minimum, à quo non potest pati; nec aliquo modo. Probatur, quia tale passum nulli resistit, igitur quodlibet agens habet dominium super illud, & per consequens, cùm quilibet excessus sufficiat ad motum; sequitur quòd quodlibet agens potest agere in ipsum.

Ex quo sequitur, quòd si aggregatum ex potentia passiua, & resistentia æqualiter dicatur potentia passiua, quòd illud potest pati à quolibet agente: probatur, quia quilibet excessus sufficit ad motum, modò quodlibet agens quantumcunque paruum, vnà cum virtute actiua illius passi habet dominium super ipsum.

4. Secundò sequitur, quòd si sint aliqua duo, puta *A* & *B*, & æquè facilè est mouere vnum sicut reliquum, immò quælibet potentia mundi potest mouere vtrunque, & tamen impossibile est, quòd aliqua potentia mundi moueat vtrunque æquè velociter. Probatur, & sit *A* aggregatum ex resistentia sicut 8. & potentia actiua sicut 8. & 6. aggregatum ex potentia actiua sicut 4. & ex resistentia sicut 4. Tunc per præcedens corollarium æquè facile est mouere *A* sicut *B*, quia quodlibet agens potest mouere vtrunque æqualiter. Nam si applicetur agens vt vnum vtrique, tunc ad agendum in *A* est proportio 9. ad 8. & ad agendum in *B*, est proportio sexquiquarta, quæ est maior proportione 9. ad 8. quæ est sexquioctaua, igitur velocitates prouenientes erunt inæquales.

5. Contra conclusionem obiicitur, quia medium respectu luminis est purè receptiuum, nec resistit illuminationi, quia quantum est ex parte sui, illuminatio fit subitò, & tamen medium non potest pati à quocunque luminoso paruo, quia videmus, quòd minus lumen agit in aquam, quàm in aërem, igitur luminosum posset esse ita paruum, quòd ager lumine in aërem, & non sufficeret agere in aquam, quod non esset, nisi densitas aquæ resisteret.

Resistentia in actionibus naturalibus est triplex.

Respondetur, propter quod sciendum, quòd triplex reperitur resistentia in actionibus naturalibus; quædam quæ intermittit velocitatem motus, vel actionis, & cum hoc gradum formæ inducendæ per actionem: verbi gratiâ, in frigefactione caliditas remittit velocitatem frigefactionis, quia subiectum velociùs frigefieret si non esset calidum, & consequenter remittit gradum formæ inducendæ. Consimiliter in motu locali, quando densitas est adeò intensa, quòd mobile non sufficit ad tantum spatium moueri, ad quantum moueretur si non esset illa densitas, vt vapor ad maiorem distantiam mouetur per aërem clarum, quàm per nubem, & sic densitas remittit gradum velocitatis, & cum hoc minuit de pertransito spatio.

Secundò reperitur resistentiâ, quæ diminuit velocitatem, sed non diminuit acquirendum per velocitatem, verbi gratiâ, densitas medij super totum ambitum motus, impedit mobile ne moueatur velociùs. Nam densitas ista impedit, ne mobile moueatur ita velociter, sicut si medium esset rarius; sed non minuit de pertranseundo spatio; quia tantùm pertransitur, sicut si medium esset in centuplo rarius. 6.

Demum inuenitur tertiò resistentia, quæ diminuit gradum formæ, sed non diminuit velocitatem actionis, sicut densitas medij respectu illuminationis, impedit gradum luminis; quia minùs lumen producitur in medio denso, quàm in raro, sed non impeditur velocitas, quia æqualiter producitur lumen in medio densiori, sicut in rariori, quando luminosum obiicitur super ipsum.

Nunc patet ad instantiam; quia medium respectu illuminationis non est potentia merè receptiua, sed etiam resistitiua; quia saltem resistit diminuendo gradum luminis, licèt non diminuendo velocitatem suæ generationis.

Sed obiicitur. Nisi velocitas generationis luminis diminueretur per densitatem medij, sequeretur, quòd lumen produceretur subitò, consequens est falsum, quia lumen Solis in istis inferioribus multiplicatur successiuè consequendo motum vmbræ terræ: & patet consequentia, quia non apparet, vnde possit prouenire successio aliunde, nisi ex parte densitatis. 7.

Successio in illuminatione ex tribus prouenire potest.

Respondetur, quòd imò, quia successio in illuminatione potest prouenire altero trium modorum, scilicet ex successiua generatione luminosi, vt quando accenditur candela, vel ex successiua applicatione luminosi, quemadmodum Sol successiuè applicatur ad illuminandum diuersas partes terræ, quod patet ex motu vmbræ terræ, & tertiò propter successiuam remotionem obstaculi, vt quando aperitur fenestra.

Secunda conclusio est, de aliis potentiis passiuis, quæ possunt pati ab aliquo, & non à quolibet propter paruitatem, quod non est dare minimum agens, à quo talis potentia passiua potest pati. Probatur, quia si potentia passiua patiatur à minimo agente, igitur illud agens excedit potentiam passiuam, & cùm excessus ille sit diuisibilis, sequitur, quòd vnum agens minùs per minorem excessum potest excedere potentiam passiuam; illa igitur potest pati à minori agente, cùm quilibet excessus sufficiat ad motum. 8.

Agens maximum datur à quo potentia passiua nõ potest pati.

Tertia conclusio est, quòd est dare maximum agens, à quo potentia passiua non potest pati. Probatur, & sit vnum agẽs tantum potens agere præcisè, quantum potentia passiua potest resistere, ita vt sint æquales, vna scilicet in resistendo, & reliquum in agendo. Tunc istud passum non potest pati ab isto agente, quia non excedit ipsum; nec ab aliquo minori, quia istud passum excedit quodlibet minùs, & potest pati à quolibet maiori, quia à quolibet maiori exceditur; igitur per definitionem priùs datam sequitur, quòd istud agens est maximum, à quo non potest pati.

Secunda conclusio, patet ex præmissa conclusione, quia si imaginetur omnia agentia, à quibus 9.

potentia paſſiua noo poteſt pati propter paruitatem ſeparari ab illis, à quibus poteſt pati. Tone agentia a quibus poteſt pati, vel terminantur incluſiue, ita vt à termino ipſorum illa potentia nuo poteſt pati; vel excluſiuè, ita vt à termino ipſorum poteſt pati, hoc eſt falſum per ſecundam concluſionem.

Potentia cognitiua terminatur per minimam diſtantiam.

Quarta concluſio eſt de diſtantia, quòd potentia cognitiua, ſicut viſus, terminatur per minimam diſtantiam, à qua non poteſt pati, non ſimpliciter; ſed propter magnitudioem, vt dicebatur io præcedenti quæſtione.

Et ideò de aliis potentiis paſſiuis dico, quòd nulla earum terminatur penes diſtantiam, aut penes effectum, à qua, & quem poſſunt recipere. Probatur, quia quælibet poteotia paſſiua, eſt receptiua tanti effectus: & à tanta diſtantia, quanta eſſet, & quantum agens poſſet agere. Et ideò ſi eſſet agens, quod ab iofinita diſtantia poſſet agere effectum infinitum, potentia paſſiua poſſet illum recipere. Eodem modo dicitur de ſpatio, quòd potentia paſſiua poteſt moueri per infinitum ſpatium ſi eſſet, & ſi eſſet agens, quod poſſet ipſum per tantum ſpatium mouere.

10. Ad rationes poſt oppoſitum, quia illæ ante oppoſitum probant concluſiones. Ad primam dico, quòd Commentator intelligit de numeris integralibus, quod eſt dare maximum numerum librarum, quas Socrates poteſt portare, vtputa centum libræ poſſunt portari à Socrate, & non plures, qooniam tamen Socrates poteſt portare centum cum vna quarta non meminit Commentator.

Ad ſecundam dico, quòd non eſt dare minimum ſenſibile, ſed eſt dare maximum ſenſibile, quod non poteſt ſentiri per ſe actu exiſteos, qood tamen ſentiretur, ſi eſſet continuum cum alio.

Ad tertiam, puto, quòd ſub angulo contingentiæ non poteſt fieri viſio, imò etiam nec ſub quolibet angulo rectilineo, quorum tamen quilibet eſt maior angulo contingentiæ. Vnde angulus rectilineus poteſt eſſe ita paruus in organo ſenſus, quòd nullo modo moueret viſum.

11. Ex quibus omnibus patet, quòd viſus eſt virtus paſſiua, quia non terminatur ſecoodùm terminationem potentiæ actiuæ, ſed ſecundùm terminationem potentiæ paſſiuæ, tamen ratione organi viſus terminatur penes minimum angulum, ſub quo non poteſt fieri viſio, & ille fortè eſt angulus rectus; quia ſub illo non poteſt fieri viſio propter oimiam magnitudinem, ſed ſub quolibet minori vſque ad illum, ſub quo non poteſt fieri viſio propter paruitatem.

ANNOTATIONES.

12. *Actio prouenit ex victoria virtutis actiuæ ſuper reſiſtentiam.*

a *Alia eſt paſſiua reſiſtitiua, & non receptiua ſicut caliditas*, &c. Nota quòd actio prouenit ſemper ex victoria virtutis actiuæ ſuper alterius reſiſtentiam; eo enim calidum agit in frigidum; quia ſuperat eius reſiſtentiam: fit enim actio à proportione maioris inæqualitatis. Sed dubium eſt cùm omne agens in agendo repatiatur (& loquor de agente, quod cum paſſo communicat in materia) an reactio fiat ſecundùm eandem qualitatem, ſecundùm quam agit in paſſum, vt hic Scotus præſupponere videtur, vel ſecundùm alteram. Calculator dicit, quòd agens vniforme, quod nimirum ſecundùm omnes ſuas partes æqualem participat formæ gradum, nullo modo repatitur. Agens verò difforme quod ſcilicet ſecundùm aliquas partes habet quatuor gradus, & ſecundùm alias duos, repatitur ſecundùm eandem cootrarietatem, ſed non ſecundùm eandem partem, ſed ſecundùm aliam agit, & ſecundùm aliam patitur: agit namque ſecundùm partes fortiores, & repatitur ſecundùm debiliores. Sueſſanus Niphus ferè idem ſentit, videlicet non dari actionem, & repaſſionem ſecuodùm eandem contrarietatem, ſed ſecundùm diuerſam: verbi gratiâ, quando ignis agit in aquam calore, noo repatitur ab ipſa in calore, ſed in ſiccitate ab humiditate aquæ, & non à frigiditate in quam egit, contingit autem etiam tunc calorem remitti, hoc tamen per accidens eſt, ex deſtructione ſiccitatis.

Cæterùm ſtandum eſt io ſententia Scoti. Nam contra has duas opiniones idem videtur ſequi inconueniens, ſcilicet, quòd non ſit verum dictum Ariſtotelis, qoòd agens in agendo repatitur; quia iſti ponunt diuerſas actiones, & paſſiones, & diuerſa principia actiua & paſſiua, actio verò & reactio in eadem cootrarietate iotelligenda eſt, & ſecundùm idem. 13.

Qualitates primæ nõ agũt vniformiter, & reſiſtunt.

b *Similiter caliditas dicitur paſſibilior ſiccitate*, &c. Nota quòd qualitates primæ non vniformiter agunt, & reſiſtunt, imò ſic ſe habent, qoòd magis actiuæ minùs reſiſtunt, & è contra, verbi gratiâ, calor, qui eſt omnium maximè actiuus, minùs omnibus reſiſtit, atque ita vt hîc dicit Scotus eſt paſſibilior. Poſt calorem frigiditas eſt maximè actiua, & quamuis reſiſtat magis quàm calor, minùs tamen quàm aliæ duæ qualitates. Tertio loco ſequitur humiditas in actiuitate, quæ tamen magis reſiſtit quàm calor, & frigiditas, & quia ſuperat ſiccitatem in agendo, ſuperatur ab ea in reſiſtendo, atque ita ſiccitas eſt vltima in agendo, eſt tamen, quæ magis reſiſtit.

Sed difficultas eſt, an ſicut communiter dicitur, quod à proportione maioris inæqualitatis procedit actio, id eſt, actio prouenit ex victoria virtutis actiuæ alicuius ſuper alterius reſiſtentiam; ita etiam in reactione debeat eadem proportio ineſſe paſſo reſpectu agentis. Toletus lib. 1. de Generatione, quæſt. 15. tenet partem oegatiuam, nimirum quòd ad reactionem non requiritur in paſſo proportio maioris inæqualitatis, ſed ſatis eſt, quòd ſi calor eſt vt 8. agit in frigiditatem, vt vnum, è contra frigiditas vt vnum reaget in calorem vt 8. Contrariam ſententiam tenent Marſilius libro primo de Generatione, quæſt. 19. Albertus de Saxonia, & Paulus Venetus. Et mihi quidem videtur probabilius, quòd à proportiooe maioris inæqualitatis, & non à minori, oeque ab æquali, vt etiam hîc docet Scotus: atque adeò ſi paſſum eſt æqualis, aut minoris virtutis, non reaget. Addas, quòd ſi agens repateretur à quocunque paſſo, nullum paſſum corrumperetur; hoc autem eſt falſum. Probatur ſequela, quando paſſum corrumpitur, aut tunc reagit, aut non: ſi primum, ergo eſt in actu, quia nihil agit niſi quatenus eſt in actu, ergo tunc non corrumpitur. Nam quod corrumpitur noo eſt, quod reagit eſt, ergo vel qood reagit oon corrumpitur, vel quod corrumpitur non reagit, vel ſimul eſt, & non eſt. Dicendum eſt ergo, quòd quando corrumpitur non reagit, ſed vincitur. Victoria autem niſi à maiori virtute io agendo, quàm ſit reſiſtentia paſſi

in

in reſiſtendo, non poteſt prouenire, atque adeò quando paſſum fuerit minoris virtutis in agendo, quàm agentis in reſiſtendo, non fit reactio: hæc enim ſola fuit cauſa, quare agens poteſt aliquod paſſum corrumpere.

15. Ex hoc ſequitur, quòd ſi ſit calidum, vt 4. & frigidum, vt 4. tunc calidum agit in frigidum: quia calidi actiuitas, quæ maxima eſt, vincit frigidi reſiſtentiam; repatitur tum à frigido: quia frigidi actiuitas vincit reſiſtentiam calidi, quæ minima eſt. Sed dices, aut agens, & patiens ſunt æqualis, aut inæqualis virtutis; ſi æqualis, neutrum aget in alterum, quia à proportione æqualitatis fit actio; ſi inæqualis, maius aget in alterum, & non repatietur; ergo non eſt repaſſio: quia à proportione minoris æqualitatis non fit actio. Reſpondeo, quòd ſi agens, & patiens ſint æqualis virtutis vnum in agendo, & alterum in reſiſtendo; non erit actio, quamuis in agendo ſit alterum eorum fortius, ſi tamen ſunt æqualis virtutis in hoc ſenſu, quòd agens ſit maioris virtutis in agendo, quàm paſſum in reſiſtendo, tunc erit actio, & ſi rurſus ipſum paſſum ſit maioris virtutis in agendo, quàm eius agens in reſiſtendo, reaget in ſuum agens, ſin autem, minimè. Hoc autem multoties ſic eſt, eo quòd agens, quod eſt actiuius ad actionem, eſt minùs forte, & magis debile ad reſiſtendum. Quare ferè ſemper contingit repaſſio, nunquam tamen niſi à proportione maioris inæqualitatis fit actio.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm aliquid poſſit fieri ex nihilo?

Ariſt. 1. Phyſ. text. 34. Simplic. *comm.* 32. Themiſt. *n.* 33. Alen. 2. *par q.* 6. *art.* 6. D. Thom. 1. *Phyſ. lect.* 9 *& in* 2. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 2. Scot. *in* 1. *diſt.* 8. *q.* 1. *& de rerum princ. q.* 5. Baſſol. *in* 1. *diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Gabriel. *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 2. *art.* 3. Roccus 1. *Phyſ. q.* 9. Mendoza *in Phyſ. diſp.* 12. *ſect.* 7.

1. ARGVITVR quòd ſic: quia aliquid fit, vt patet ad experientiam: tunc igitur, vel fit ex aliquo, vel ex nihilo; ſi ex aliquo, tunc ens eſſet, antequam fieret, ſi ex nullo habetur propoſitum.

Secundò, quia ſicut ſe habet generatio quædam ad non ens quoddam; ita & generatio ſimpliciter ad non ens ſimpliciter; ſed generatio quædam fit ex non ente quodam; ſic generatio hominis ex non homine, ergo, &c.

Tertiò, quia materia eſt illud, quod in rei veritate generatur, vt dicit Commentator in iſto primo, comm. & tamen non generatur ex aliquo: quia tunc illa, ex qua generaretur, eſſet prior. *Vide ipſum 8. Phyſ. com. 32.*

Quartò, quia ex priuatione fit aliquid, vt patet per Ariſtotelem in iſto 1. text. 58. vbi dicit, quòd ex non muſico fit muſicus, & tamen priuatio non ſit, ergo, &c.

Quintò, quia forma fit, & non ex aliquo; quia nihil ipſius præfuit, igitur fit ex nihilo. Similiter forma corrumpitur, & tamen in nihil corrũpitur, igitur nihil ipſius permanet poſt corruptionem.

Sextò per Ariſtotelem in libro de Pomo; qui ponit creationem ex nihilo.

Text. 34. Oppoſitũ arguitur per Ariſtotelem in iſto primo tractatu 2. c. 2. text. 34. vbi dicit: *Ex his quæ non ſunt, aliquid fieri impoſſibile eſt,* de hac autẽ opinione conueniunt omnes, qui de natura locuti ſunt.

2\. In quæſtione primò videbitur, quid ſenſerunt antiqui de iſta materia. Secundò tractabitur opinio Ariſtotelis, & quomodo poteſt ſtare cum veritate fidei. *Diuiſio quæſtionis.*

Quantum ad primum, fuit vna opinio antiquorum, & forte Parmenidis, & Meliſſi, quæ poteſt referri in hunc modum. Supponitur primò, quòd impoſſibile eſt aliquid fieri ex nihilo. Secundò ſupponitur, quòd fieri ex materia, non eſt ſimpliciter fieri, ſed eſt fieri taliter ſe habens, vt quando terra tranſportatur de vna figura in aliam. Tertiò ſupponitur, quòd illud taliter ſe habere, non eſt aliquod diſtinctum à materia, ſicut figura non eſt res diſtincta à re figurata. *Parmenidis, & Meliſſi opinio.*

His ſuppoſitis ſunt duæ concluſiones. Prima concluſio: Nulla res fit de nouo. Probatur, quia vel fieret ex ſubiecto præſuppoſito, & hoc non: quia ſic fieri, non eſt ſimpliciter fieri per ſuppoſitionem ſecundam, vel ex nihilo, & hoc non per primam. *Nulla res fit de nouo.*

Secunda concluſio: Materia fit aliter diſpoſita, quàm antè. Probatur per experientiam, quia de aëre fit aqua, de albo nigrum, & ſic de ſimilibus. *Materia fit aliter diſpoſita quàm antè.*

3\. Ex iſtis ſequitur primò, quòd tota natura rerum naturalium eſt materia; quemadmodum materia eſt tota natura rerum artificialium. Secundò ſequitur, quòd omnia entia ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſed tamen denominantur diuerſis nominibus ſumptis à diuerſis diſpoſitionibus, vt puta à tanta raritate materiæ denominatur aër, à maiori denſitate aqua, à tali diſpoſitione denominatur homo, & ita de aliis, quæ diſpoſitiones non ſunt res aliæ ab ipſa materia. Tertiò ſequitur, quòd omnia entia ſunt vnum continuum: quia partibus eius non interponitur aliquid alterius rationis. Quartò ſequitur, quòd nullum eſt compoſitum ex partibus diuerſarum rationum; ſed præciſè ex partibus integralibus eiuſdem rationis. Quintò ſequitur, quòd omnia ſunt vnum, & præter illud ens nullum ens eſt ſenſibile, & præter partes eius, & ideò ipſum eſt immobile ſecundùm ſe totum, licèt benè moueatur ſecundùm partes eius: ideò etiam ipſum eſt infinitum in duratione, non in magnitudine. *Materia eſt tota natura rerum naturalium.*

4\. Iſtam opinionem improbat Ariſtoteles per aliquas rationes, in cap. 2. huius primi quarum aliquæ ſunt præciſè contra verba; vt ſi totum ſit, plures partes ſunt, & per conſequens plura ſunt entia: ſed aliæ ſunt contra intentionem, vt quòd accidentia diſtinguuntur à ſubiecto, & quòd contraria eſſent eiuſdem rationis, & huiuſmodi.

Secunda opinio ponit quaſi totum oppoſitum, ſcilicet quando aliqua res generatur, ipſa per ſe tota producitur in eſſe, ita vt nulla eius pars præfuit, nec materia, nec forma, & ideò impoſſibile eſt, quòd aliquid fiat ex nihilo, prout iſta præpoſitio ex dicit circunſtantiam ordinis; ſed non vt notat circunſtantiam rei materialis, ideò ex corrupto fit genitum, ſicut ex nocte fit dies. *Opinio oppoſita opinioni Parmenidis, & Meliſſi.*

5\. Sed contrà obiicitur: quia ſi nullum eſſet obiectum commune generanti, & genito, tunc ad corruptionem vnius non oporteret alterum generari, ex quo nihil eſſet eis commune. Reſpondetur negando conſequentiam; imò vt repleatur locus corrupti, oportebit alterum generari de neceſſitate, & ideò ſic ponentes dixerunt locum eſſe materiam; vt patet 4. huius, text. 15.

Sed obiicitur, quia non oporteret aliquid corrumpi, vt generatum occuparet locum ſuum:

quia potest cedere sibi per condensationem, & per consequens non oportet corrumpi. Respondetur negando consequentiam, quia fieret tanta condensatio per pluralitatem generatorum, quòd res naturales non possent stare sub tanta densitate. Et ideò sic ponentes dicebant, quòd in mutatione accidentali, benè præsupponitur subiectum, sed in substantiali non; quia in illa totum fiet: ista opinio improbatur per rationes, quibus probabuntur conclusiones Aristotelis, & hoc de primo.

6. *Ex præpositio quadrupliciter sumitur.*

Quantum ad secundum notandum, quòd (sicut tactum fuit) ista præpositio *ex* potest dicere circumstantiam ordinis, vt *ex nocte fit dies*; vel circumstantiam partis integralis, vt *domus fit ex lateribus*; vel circumstantiam partium essentialium, vt *elementum componitur ex materia & forma*; vel circumstantiam subiecti, vt *statua fit ex ære*; & sic capitur in proposito, vtrùm aliquid fiat ex nihilo nullo subiecto præsupposito.

Dictio nihil dupliciter sumitur.

Secundò notandum de ista propositione *ex nihilo nihil fit*, propter Logicam, quòd ista dictio *nihil* quandoque est syncategorema, & tunc valet idem quod non est, & tunc si ista dictio *nihil* capiatur vtrobique syncategorematicè, tunc propositio est falsa: quia sensus est, quòd ex quolibet fit aliquid, quod est falsum: quia ex Deo nihil fit; si capiatur vtrobique categorematicè, adhuc est falsa: quia sensus est, quòd ex eo quod non est, fit illud quod non est: vel primò accipitur syncategorematicè, & secundò categorematicè. Tunc si concedatur, quòd illud quod fit non est, tunc illa est falsa; imò ex aliqua re fit illud quod non est. Sed si concedatur, quòd illud quod fit est, tunc illa est vera; vel capitur primò categorematicè, & secundò syncategorematicè, & tunc sensus est, quòd ex eo quod non est, nulla res fit, & hoc est verum, vt ly *ex* denotat circumstantiam subiecti.

7. *Aliquid substantialiter fit de nouo.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd de nouo aliquid fit substantialiter. Probatur, quia videmus, quòd de eodem demonstrato non mutato localiter, variatur responsio ad quid est hoc, igitur illud mutatur substantialiter. Tenet consequentia, quia quæstio *propter quid*, quærit de substantia rei, & antecedens patet ad experientiam: quia de hoc demonstrato respondetur primò quòd sit asinus, & postea quòd sit cadauer, & dico notabiliter *non mutato localiter*, propter opinionem Democriti, qui posuit huiusmodi generationem, & corruptionem fieri per motum localem corporum atomorum ad inuicem.

Secundò sequeretur, quòd nunquam mutaretur definitio compositi, vel alicuius rei naturalis, quod est falsum, quia aliter definitur asinus, & aliter cadauer; & patet consequentia, quia definitio indicat substantiam rei: igitur si non esset mutatio in substantia, sequeretur, quòd non mutaretur etiam definitio.

8. *Nil fit de nouo subiecto nõ præsupposito.*

Secunda conclusio; Nihil fit de nouo, nisi præsupponatur subiectum. Probatur, quia videmus, quòd illa quæ nunc fiunt, fiunt præsupposito aliquo subiecto, igitur impossibile est aliquid fieri sine subiecto. Patet consequentia, quia si esset possibile, quandoque contingeret.

Et ista inductio confirmatur, quia illa quæ fiunt, aut fiunt transfiguratione, aut subtractione, aut compositione, aut alteratione, sed quidlibet prædictorum modorum præsupponit subiectum, ergo, &c.

Tertia, quia in artificialibus semper præsupponitur subiectum, vt patet ad experientiam, igitur & in naturalibus. Quartò ratione Cõmentatoris. Quia nisi ita esset, sequeretur quòd impossibile fieri fieret; consequens implicat contradictionem. Probatur consequentia, quia si istud nunc fiat, quæro in quo fundabatur eius potentia priùs, scilicet potentia ad eius esse, non in agente, quia agens non est potens fieri illud, sed facere: nec in patiente, quia res illa nõ fuit priùs, igitur oportet dicere, quòd fundabatur in subiecto, vel da, quòd non, & tunc erat impossibile fieri, & nunc fit, igitur sequitur consequens. Quintò sequeretur, quòd aliqua esset transmotatio, & nihil transmutaretur, consequens implicat, quia transmutatio est actus transmutabilis; & patet consequentia de transmutatione illa, quæ fieret sine subiecto.

Contra conclusionẽ arguitur rationibus, quibus probatur creatio possibilis. Primò quicquid potest causa prima mediante secũda, potest causa prima se sola; sed causa prima mediante secunda potest aliquid producere, vt puta mediante subiecto, igitur ipsa sine subiecto potest aliquid producere. Maior patet per Authorem de Causis, & minor ad experientiam. 9.

Secundò, causa infinita potest aliquid facere ex nihilo; sed Deus est causa, vel agens infinitum; igitur Deus potest agere aliquid ex nihilo. Maior patet, quia sicut in infinitum difficilius est producere rem sine subiecto, quàm ipsam producere cum subiecto, ita virtus infinita est in infinitum potentior virtute finita; & minor probatur primò, quia Aristoteles 8. huius, text. 80. probans quòd primus Motor non est virtus in magnitudine, arguit sic; quia vel esset in magnitudine infinita, & hoc non; quia nulla talis est, vt patet in 3. text. 35. & inde, vel in magnitudine finita, & hoc non; quia in magnitudine finita non potest esse virtus infinita, quæ ratio nõ valeret nisi Deus esset virtutis infinitæ. Secundò probatur minor, quia modus agendi quo Deus agit, vel est finitus, vel infinitus: si infinitus sequitur, quòd Deus sit virtus infinita; si finitus sequitur, quòd tot actiones agentium inferiorum circa Deum possunt multiplicari, quòd possent æquari actioni diuinæ, quod est impossibile. Tertiò probatur minor, quia ex eo, quòd Deus vult aliquid esse, vel fieri, ex eo illud est, vel fit, igitur Deus est virtutis infinitæ. Antecedens patet, 12. Metaph. text. 39. vbi dicit Aristoteles, quòd Deus agit per intellectum, & voluntatem. Consequẽtia probatur, quia non apparet possibile, quòd ex eo quod agens finitum velit aliquid, quòd illud sit. Sicut licèt ego vellem Romam esse hic, tamen non sequitur, Roma est hîc, quæ tamen consequentia benè valeret respectu voluntatis diuinæ, quod non esset, nisi Deus esset virtus infinita.

Tertiò arguitur sic: Agens simpliciter perfectum, & in nullo diminutum producere potest aliquid sine subiecto; sed Deus est huiusmodi, ergo, &c. Maior patet; quia quanto agens est perfectius, tanto paucioribus instrumentis indiget ad complementum sui operis: vt artifex melior paucioribus instrumentis potest complere opus suũ, quàm vnus malus, & per consequens, quod est simpliciter perfectum nullo instrumento indigebit: & minor patet per Aristotelem in 5. Metaph. cap de Perfecto, text. 21. vbi dicit, quòd Deus in nullo deficit, nec aliquid accipit extra ipsum, 10.

vnde

vnde possit perfici. Quartò, quia Deus est omnipotens, ergo, &c.

Ad istas rationes potest responderi secundùm Commentatorem.

1. Ad primam negatur maior, nec Anthor de causis vult aliud, nisi qòd causa prima plus influit in causatum, quàm secunda; & quòd sit falsum patet, quia Deus mediante me potest facere me mouere, me peccare, quæ tamen non faceret sine me.

Ad secundam negatur minor, & Aristoteles intelligit de infinitate durationis, & qualiter hoc sit videbitur in 8. Ad secundam probationem dico, quòd ille modus agendi est finitus, perfectior tamen quocunque modo agendi huius causæ secundæ. Nec consequentia valet, quia non sequitur, perfectio specifica hominis est finita, igitur tot possunt multiplicari asini, quòd perfectio asinina esset æqualis perfectioni humanæ. De tertia probatione dicetur in 8. Vnde dico, quòd voluntas diuina est adeò immutabilis, quòd non potest velle aliud extra se, nisi vt ad eius fieri, vel esse requiratur concursus causæ secundæ, & hoc diceret Commentator.

12. Ad tertiam negatur maior; nec valet consequentia, agens perfectius potest com paucioribus instrumentis; igitur simpliciter perfectum cum nullo, negatur consequentia, sed sufficit, quòd habeat aliquam operationem, vt puta intellectionem; vel volitionem sui, quia operatio sua non requirit aliquod instrumentum.

Ad quartam dico, quòd Deus est omnipotens respectu possibilium; modò impossibile est aliquid fieri sine subiecto. Secundùm prædictam conclusionem est veritas Fidei, qua ponimus omnia creata esse ex nihilo, vt patet Genes. 1. Ideò ad rationes Aristotelis. Ad primam inductio illa est insufficiens, quia solùm inducit in iis, quæ vidit. Vnde non percepit creationem, qua à principio omnia creata sunt. Consimiliter ad secundam.

Ad tertiam dico, quòd non est simile; sed postquam entia creata sunt à principio; benè est simile, nisi quandoque Deus operetur miraculosè.

Ad quartam negatur consequentia, nec est imaginandum, quòd potentia ad formam sit res distincta à materia præcedens formam æternaliter, vt probabitur postea.

13. Ad quintam negatur consequentia, quia creatio propriè non est transmutatio, quia transmutatio connotat subiectum; sed creatio connotat oppositum, quia connotat esse post non esse sine subiecto præsupposito. Et sic iuxta istam solutionem possunt concordari veritas Fidei, & opinio Aristotelis, concedendo quòd nihil potest fieri non præsupposito subiecto, & hoc intendebat Aristoteles, sed aliquid potest creari non præsupposito subiecto, licèt non possit fieri.

Nunc ad rationes. Ad primã, Vel ex ente, &c. Illæ duæ primæ rationes fuerunt solutæ in textu.

Ad tertiam, de materia dico, quòd materia non fit terminatiuè, sed compositum de quo loquitur hìc Aristoteles, sed fit subiectiuè, id est, subiicitur factioni.

Ad quartam, Ex priuatione, &c. concedo, quòd ex priuatione fit aliquid, vt ly *ex* denotat circunstantiam ordinis, non tamen vt denotat circunstantiam subiecti.

Ad quintam, de forma dico, quòd imò forma fit ex subiecto præsupposito, nec obstat, quòd nulla pars eius præfuit. Ad vltimam de libro de pomo dicitur, quod Aristoteles in scientia naturali determinauit de naturalibus eo modo, quo potest apprehendere per experientias naturales; & sic loquitur in isto libro; sed in libro de pomo loquebatur sicut credebat, dimittendo considerationem naturalem.

EXPOSITIO TEXTVS.

Amplius 1 si omnia insunt quidem, &c. Ponit secundam conclusionem, quòd non quodlibet est in quolibet. Probatur, quia si quodlibet est in quolibet, sequitur quòd aliquod finitum non posset consumi, per resecationem infinitorum corporum æqualium ab illo finito, consequens est falsum, quia omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur. Probatur consequentia, & capiatur aliqua aqua, à qua resecetur vna portio carnis, deinde alia, & sic semper, tunc per talem resecationem aliquando deuenietur, quòd tota caro ex illa aqua est resecata; & tunc sequitur, quòd non quodlibet est in aqua, vel in tali resecatione procedetur in infinitum, & habetur propositum, quòd infinita æqualia erunt in magnitudine finita, quod est impossibile. 1. Text. 37.

Ad hæc 2 autem si omne quidem corpus, &c. Ponitur tertia conclusio, quòd non quodlibet potest separari à quolibet. Probatur, quia tunc sequeretur, quòd esset dare minus minimo; consequens est falsum, & implicans. Consequentia probatur, quia necessarium est, quòd entium naturalium, vt puta carnis, & ossis sit determinata quantitas in magnitudine, & paruitate. Capiatur igitur vna caro minima; tunc vel ab ista potest separari alia caro, vel non; si non, habetur propositum, quòd non quodlibet potest separari à quolibet; si sic, sequitur consequens, videlicet quòd est dare minus minimo, scilicet carnem minorem carne minima. 2. Text. 38.

Amplius autem in infinitis corporibus, &c. Probatur secundò, quia sequeretur, quòd in corporibus infinitis essent infinities, caro infinita, sanguis infinitus, & cerebrum infinitum, separata tamen ab inuicem, quod est impossibile: quia tunc pars non esset minor suo toto, & valdè inconueniens est, quòd cerebrum sit separatum ab animali: & patet consequentia, ex quo quodlibet est in quolibet.

Nunquam autem 3 segregatum iri, &c. Sequitur quòd qualitates, & passiones erunt separabiles à suis subiectis. Antecedens est falsum; nam impossibile est *, quòd sit albedo, & non sit album; sanitas, & non sit sanum: & patet consequentia ex quo quodlibet est separabile à quolibet. 3. Text. 39.

* Vide censurã in principio huius libri.

Quare inconueniens est, &c. Quartò, sequeretur, quòd intellectus ille segregans entia ab inuicem toto tempore æterno frustraretur à suo fine, consequens est falsum: quia tunc esset ens vilissimum: & patet consequentia, quia intellectus ille semper intendit, & non potest. Et si obiiciatur, quòd sic argueretur de Intelligentia, quæ nũquam attingit finem suum, quia nunquam complet motum cœli. Respondetur negando similitudinem, quia Intelligentia non intendit complere motum cœli, sed intendit mouere continuè, igitur non frustratur à suo fine, sed intellectus ille, de quo loquitur Anaxagoras, intendit complere segregationem; vt ipse posuit, quod est simpliciter impossibile.

4. Text. 40. *Non rectè autem 4 neque generationem accipis*, &c. Ponitur quarta conclusio; quòd non omne quod generatur, generatur ex sibi simili secundùm speciem. Probatur, quia lateres generantur ex luto, & domus ex lateribus, & aqua, & aër generantur ex alterutris, & tamen manifestum est, quòd ista non sunt eiusdem speciei, igitur non omnis generatio fit ex sibi simili secundùm speciem.

Melius autem est, &c. Ponitur quinta conclusio, quòd dignius, & melius est ponere principia finita, quàm infinita. Probatur, quia illud est dignius, & melius ponere, per quod meliùs possunt assignari causæ rerum naturalium, & res naturales meliùs cognosci, sed hoc potest meliùs fieri per principia finita. Nam Empedocles meliùs saluauit causas rerũnaturalium per principia finita, quàm Anaxagoras per principia infinita.

5. Text. 41. *Omnes igitur contraria principia faciunt*, &c. Iste est tertius tractatus huius primi; in quo Philosophus determinat in generali de principiis rerum naturalium, cuius sunt tria capita. In primo ostenditur qualia sunt principia. In secundo ostẽditur quot sunt principia, & in tertio quomodo sunt principia. Secundum ibi: *Consequens autem erit dicere.* Tertium ibi: *Sic igitur nos dicamus.* In primo cap. probat istam conclusionem, quòd principia sunt contraria: quod probat primò testimonio antiquorum. Secundò ratione. Tertiò ostendit quomodo in hoc conuenerunt omnes antiqui. Secundum ibi: *Et hoc rationabiliter.* Tertium ibi: *Huc vsque igitur.*

Probat igitur dictam conclusionem testimonio antiquorum. Primò, quia Parmenides, & Melissus de quibus minùs videtur, eo quòd ponebant tantùm vnum ens, & immobile, posuerunt principia rerum naturalium esse contraria, scilicet calidum & frigidum, quorum vnum appellabant ignem, & aliud terram.
6. Sed dubitatur, qualiter Parmenides, & Melissus potuerunt ponere principia rerum naturalium esse contraria, ex quo ponebant tantùm vnum ens, & immobile. Ad hoc respondet Commentator quòd Parmenides, & Melissus ponebant diuersa genera entium; quædam ponebant vera entia secundùm existentiam, & de illis dicebant quòd non esset nisi vnum ens, & immobile. Alia ponebant entia secundùm æstimationem, & illorum entium æstimabilium ponebant principia esse contraria, scilicet calidum & frigidum.

Secundò probat Aristoteles per illos, qui posuerunt rarum, & densum esse principia rerum naturalium; modò rarum, & densum sunt contraria.

Tertiò per Democritum, qui ponebat principia rerum naturalium esse plenum, & vacuum, quæ sunt contraria, scilicet ens, & non ens, & in hoc loco capitur contrarietas largè pro repugnantia, quæ est inter habitum, & priuationem.

Quartò patet per illos, qui posuerunt positionem, ordinem, & figuram principia rerum naturalium quæ sunt genera contrariorum. Nam positio diuiditur in sursum, deorsum, antè, & retrò. Figura diuiditur in figuram circularem, & rectilineam: ex quibus patet, quòd omnes faciunt contraria principia.

7 Text. 42. *Et hoc 2 rationabiliter.* Hîc probat dictam conclusionem ratione; & hoc sic: Illa [a] sunt prima principia; quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, & omnia fiunt ex ipsis; sed prima contraria sunt huiusmodi; ergo, &c. Maior patet, quia ex quo sunt principia, non fiunt ex aliis: nam illa alia potiùs dicerentur prima principia, nec fiunt ex alterutris; nam illud principium, quod fieret ex alio, non esset principium maximè primum, sed iam esset principiatum; sed quòd omnia fiant ex ipsis patet: quia aliter non essent prima principia, & communia omnium. *Vide contradictionem Zimara.* Probat minorem, & primò quantum ad duas primas partes, secundò quantum ad tertiam ibi: *Sed oportet hoc.*

Primò ostendit, quòd prima contraria non fiunt ex aliis, & per consequens non fiunt ex alterutris. 8. Quòd non fiant ex aliis patet, quia eo ipso, quòd sunt prima, non fiunt ex aliis, & eo ipso, quòd sunt contraria vnum non fit ex alio, & per consequens non fiunt ex alterutris.

Notandum, quòd aliquid potest fieri ex altero tripliciter, vno modo tanquam ex subiecto, & sic dicimus, quòd forma fit ex materia. *Aliquid fieri ex alio potest trifariam intelligi.* Alio modo tanquam ex termino à quo, & sic dicimus, quòd ex nocte fit dies. Tertio modo tanquam ex parte integrante, & sic dicimus, quòd homo fit ex capite, & manibus, & pedibus, & domus ex lateribus, & lignis. Tunc dico, quòd prima principia, siue prima contraria non fiunt ex aliis tanquam ex partibus integrantibus, nec etiam ex alterutris: quia vnum principium non integrat reliquum, nec vnum contrarium cadit in compositionem alterius, sed omnia quæ fiunt, fiunt ex primis principiis, tanquam ex partibus integrantibus, & omne quod fit, fit à suo contrario tanquam ex termino à quo.

Sed oportet 3 hoc. Hîc probat, quòd omne quod fit, ex suo contrario fit, & primò demonstrat hoc in simplicibus. 9. Text. 43. *Vide Zimaram in tab. lit. N. fol. 193. col. 3. Nõ quodlibet fit ex quolibet.* Secundò in compositis ibi: *Similiter autem.* Primò igitur probat, quòd omne quod fit, fit ex suo contrario; quia agentium naturalium nullum est natum indifferenter agere in quodlibet, vel pati à quolibet, aut fieri ex quolibet, sed semper determinatum ex determinato, scilicet vnum contrarium ex reliquo, sicut patet exemplariter. Nam album non est natum fieri ex musico, nam [b] album non fit ex musico nisi per accidens, vt puta, si accidat nigro, vel mediè colorato, quod sit musicus, sed album fit ex non albo, & non ex quolibet non albo, sed ex nigro, aut ex colorato medio colore, similiter musicum non fit nisi ex non musico: & non ex quolibet indifferenter, sed ex non musico, aut ex medio si sit, aliquod medium. Text. 44. Secundò 4 declaratur idem, quia non quodlibet corrumpitur indifferenter in quodlibet, sed contrarium in contrarium, vt album in nigrum, vel medium, & eodem modo de musico.

10. Text. 45. *Similiter 5 autem* Demonstrat idem in compositis, & dicit quòd istud magis latet in compositis, quia dispositiones oppositæ complexionibus compositorum non sunt nominatæ, & ideò imponitur hoc nomen *conseruans*, ad significandum dispositionem conuenientem composito, & hoc nomen *inconseruans* ad significandum oppositum. Text. 46. Tunc manifestum est, quòd conseruans non fit immediatè ex quolibet, sed determinatè ex inconseruante, scilicet opposito, & quo ad hoc nihil differt, siue illud compositum sit cõpositum secundùm ordinem, vt exercitus; vel secundùm compositionem, vt domus; vel secundùm figuram, vt statua: quia in omnibus istis vnũ contrarium

trarium fit ex reliquo, & etiam quòd semper vnum contrarium corrumpitur in reliquum. Ex quo [b] patet, quòd omnia, quæ sunt in natura, aut sunt contraria, aut composita ex contrariis.

1. *Huc vsque 7 igitur fere secuti sunt*, &c. Hîc ostendit qualiter in prædicta conclusione antiqui conuenerunt, & primò ponit conuenientiam, secundò differentiam ibi: *Differunt autem.*

Primò dicit, quòd omnes antiqui secuti sunt istam conclusionem, siue illi, qui posuerunt elementa esse principia, siue aliqua alia sine ratione moti, ponunt principia esse contraria, ac si essent coacti a veritate.

Differunt tamen. Ponit differentias ipsorum, & ponit duas. Secundam ibi, *Quare est etiam dicere.* Dicit ergo quòd antiqui differunt ab inuicem: nam quidam ponunt priora esse principia, vt calidum frigidum; alij posteriora, vt rarum densum; alij notiora secundùm sensum, videlicet calidum, frigidum, humidum, siccum; alij notiora secundùm intellectum, vt par, & impar; concordiam, & discordiam, & huiusmodi.

Quare 8 est eadem dicere. Ponit secundam differentiam, secundò iuxta hoc infert quoddam dictum ibi, *Vniuersale quidem.*

12. Dicit igitur primò, quòd quomodocunque isti ponebant principia diuersa; attamen omnes isti ponebant secundùm quandam Analogiam, id est, quòd omnes conformiter, & vno modo ponebant conditiones principiorum, vt quidam posuerunt vnum principium esse continens, & aliud contentum. Alij ponebant vnum esse peius, & aliud melius. Alij ponebant principia esse notiora secundùm intellectum, & alij secundùm sensum.

Vide Zimarã in tab. lit. C. f. 7 r. col. 3.

Vniuersale quidem. Hîc infert quoddam dictum, id est, quòd vniuersale notius est secundùm intellectum; singulare autem secundùm sensum, & assignat causam; quia ratio, id est, intellectus vniuersalis, tanquam obiecti, sensus autem est particularium, tanquam obiecti, & qualiter hoc sit intelligendum dictum fuit in quæstione mota super prœmium.

Vniuersale est notius secundùm intellectum, & singulare secundùm sensum.

ANNOTATIONES.

13. [a] *Illa sunt prima principia, quæ non fiunt ex aliis*, &c. Nota primò, quòd intentio Aristotelis est probare, quòd aliqua prima principia sunt contraria, quod in hunc modum probat: Quæcunque neque ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiunt, sunt principia: sed prima contraria neque fiunt ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiunt; ergo prima contraria sunt prima principia, & per conuersionem, prima principia sont cõtraria. Ex hac ratione possumus assignare principiorum definitionem: Principia sunt, quæ neque ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiũt.

Definitio primorum principiorum.

Nota secundò, quòd inter contraria, quædam sunt primaria, quædam secundaria. Hæc sunt, quæ ex primis resultant, vt albedo, & nigredo, sanitas, & ægritudo, hæc enim ex quatuor primis qualitatibus resultant. Primaria contraria sunt frigiditas, caliditas, siccitas, & humiditas. Et prima contraria adhuc sunt in duplici differentia, prima sunt prædictæ quatuor illæ primæ qualitates, quædam verò physicè, vt homo, & non homo, ignis, & non ignis. Non homo, inquam, sumptus non contradictoriè, quasi non determinat subiectum certum, sed priuatiuè, vt dicit aliquod ens, & hoc secundo modo accipitur hîc; homo enim fit ex non homine, id est, determinatè ex subiecto hominis formâ priuato.

Contraria quædam sunt primaria, quædam secundaria.

Nota tertiò, quòd hæc dictio, ex, quæ ter ponitur in hac definitione, secundùm aliquos dupliciter accipitur: vno modo in primo, & secundo loco, altero modo in tertio, ita vt in primo, & secundo loco dicat habitudinem principij essentialis componentis, vt sit sensus: Principia non fiunt ex aliis, neque ex sese inuicem tanquam ex principio intrinseco componente: vnum enim principium ex alio principio essentialiter non componitur, neque minus contrarium ex contrario: potest tamen (inquiunt) vnum principium ex alio fieri tamquam ex termino à quo. In tertio loco dicit habitudinem eandem principij, scilicet componentis, & insuper habitudinem termini à quo, sicut quando dicimus ex nocte fit dies, & qua parte dicit primum habitudinem comprehendit materiam, & formam, qua verò parte dicit terminum à quo, dicit priuationem. Ita quòd hæc expositio accipit æquiuocè illam particulam ex in definitione principiorum. 14.

Dictio ex dupliciter sumitur.

Alij alium sensum admittunt dicentes, hoc nomen *contraria* dupliciter accipi ab Aristotele. Cùm enim dixit *contraria non fiunt ex aliis, neque ex se se*, sumpsit *contraria* in abstracto, vt sunt albedo, & nigredo: quia abstracta ex eodem Aristotele non propriè fiunt: quod enim fit aut est compositum, aut concretum: & cùm dicit *omnia fieri ex contrariis*, accipit *contraria* in concreto, vel contraria composita, non autem simplicia, vel in abstracto, quo pacto verum est dicere, album fieri ex non albo, & hominem ex non homine. Hæc expositio vniuocè accipit vtrobique particulam *ex*, ita vt dicat compositionis habitudinem, & termini à quo, sitque sensus definitionis: Principia sunt quæ neque ex aliis, neque ex se se fiunt compositiuè, aut tanquam ex termino à quo, ex ipsis tamen omnia fiunt: vel compositiuè, vel tanquam ex termino à quo, & hæc expositio est Scoti hîc in notabili. 15.

Cõtraria sumuntur dupliciter.

[b] *Nam album non fit ex musico nisi per accidens.* Nota, quòd triplex est terminus à quo, per accidens videlicet, & est id quod cum termino per se coniungitur, & de hoc non agitur: quia non pertinet ad generationem, vt ex musico fieri album. Alter est terminus per se, non tamen primus; & iste est contrarius, vel incompossibilis, vt aqua respectu ignis, quando ex aqua fit ignis, & album respectu nigri, quando ex albo fit nigrum; Et huiusmodi terminus est ille, in quem agens agit, vt ex ipso educat formam, ideò oportet quòd sit oppositum, & dissimile. Tertius terminus est per se, & primus, qui est priuatio formæ producendæ: vt quando dicimus ignem fieri ex non igne, ly *non ignis* dicit priuationem ignis; & huiusmodi terminus debet necessariò antecedere: quia per generationem, quod non erat acquiritur, & sic ex priuatione peruenitur ad formam talis priuationis. Non autem dicit hæc priuatio solam formæ carentiam, sed etiam potentiam proximam ad talem formam, & sic opponuntur priuatiuè tales termini, scilicet à quo, & ad quem. Ideò quicquid fit, ex contrario fit, his duobus modis, præcipuè ex vltimo. Quare quando Aristoteles dicit principia esse contraria, non omnia intelligere debemus; quia non materiam, & formam, 16.

Triplex est terminus à quo.

sed

ſed aliqua principia, videlicet formam, & priuationem, quæ priuatio non tantùm dicit negationem formæ, ſed etiam potentiam proximam in ſubiecto apto nato recipere formam, & præter hoc ponit aliquam formam poſitiuam, aut contrariam, aut incompoſſibilem formæ producendæ, vt ignis fit ex non Igne. Illud *non igne* dicit priuationem ignis proximam ad ipſam formam ignis, & inſuper dicit formam oppoſitam in ſubiecto, ſcilicet in aqua, vel aliquid ſimile.

17. Nota ſecundò, quòd vt Ariſtoteles declaret vltimam particulam definitionis, ſcilicet, *ſed omnia fiunt ex ipſis*, ſupponit tria. Primum non quodlibet agere in quodlibet. Secundum non quodlibet pati à quolibet. Tertium non quodlibet fieri ex quolibet. Primũ dicit quòd non quodlibet paſſum eſt aptum, vt recipiat actionem, vel effectum agentis, quo pacto ignis non poteſt agere in cœlum, aut quando paſſum non eſt diſſimile agenti, ſed iam omnino aſſimilatum, quo pacto ignis non poteſt agere in ignem. ex quo ſequitur, quòd agit in aliud aliquo modo contrarium, ſaltem priuatiuè; ita ſcilicet, vt careat ea forma, quam debet recipere ab agente, & ſic ex hoc primo ſuppoſito colligitur veritas ſecundi, & tertij: videlicet, quòd id quod patitur, patitur à ſuo diſſimili, vel contrario, & vt quodlibet fiat ex eo, à quo aptum eſt fieri; vnde id quod fit, fit ex contrario phyſico, & per ſe.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm cuiuſlibet tranſmutationis naturalis principia ſint contraria.

Ariſt. *hic text.* 41. *& ſequent.* Simplicius 1. *Phyſ. comm.* 52. *&* 2. *Phyſ. circa text.* 15. Philoponus 1. *Phyſic. circa text.* 43. Albert. *tract.* 3. *cap.* 3. Zabarel. *lib.* 1. *de materia, cap* 7. D. Thom. 1. *Phyſ. lect* 10. *&* 1. *part. quæſt.* 45. *art.* 1. *ad* 3. Canonic. *quæſt* 3. *art.* 2. Conimbr. 1. *Phyſic. cap* 5. *qu.* 2. Complut. *diſput* 2. *quæſt.* 3. Ruuius 1. *Phyſ. cap.* 5. *quæſt. vnica.* Roccus *quæſt.* 13.

1. ARGVITVR quòd non, quia principia ſubſtantiæ ſunt ſubſtantiæ, modò ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ergo, &c.

Secundò, quia omnia contraria ſunt in ſubiecto, vt patet in iſto primo, quia vnum contrarium non ſubiicitur alteri: modò principia non ſunt in ſubiecto; quia iam eſſent principiata, & illa ſubiecta eſſent principia; igitur principia non ſunt contraria.

Vide Zimarã in tab. lit. P. f. 33 2. *col.* 3. Tertiò, quia principia oportet ſemper manere, vt patet per Ariſtotelem in iſto primo, text. 50. ſed contraria non ſemper manent; ergo, &c.

Quartò arguitur per conditiones principiorum, quia principia non fiunt ex aliis, nec ex alterutris; ſed contraria fiunt ex aliis, ſcilicet ex ſuis ſubiectis; & fiunt ex alterutris, quia non quodlibet fit indifferenter ex quolibet, ſed determinatè ex ſuo contrario, vt patet in iſto primo, text. 43.

2. Demùm arguitur per inſtantias; quia compoſitio domus eſt quædam tranſmutatio, & tamen non fit de contrario in contrarium; quia nulla eſt diſpoſitio lignorum, vel lapidum, quæ ſit contraria diſpoſitioni domus, cùm diſpoſitiones eorum maneant facta domo.

Secundò, quia generatio, corruptio, cognitio, Illuminatio, & huiuſmodi ſunt quædam tranſmutationes, & tamen non ſunt de contrario in contrarium; imò de priuatione in habitum, vel è contra.

Tertiò, quia motus augmentationis eſt quædam tranſmutatio, & tamen eſt de contrario in contrarium, imò de vno relatiuo oppoſitorum ad aliud.

Quartò, quia motus localis alicuius mobilis ab Oriente ad Auſtrum ſuper lineam rectam, eſt quædam tranſmutatio, & tamen non eſt de contrario in contrarium; quia Auſter non contrariatur Orienti: imò magis Occidens contrariatur Orienti.

Quintò, quia motus circularis eſt quædam tranſmutatio, & tamen non eſt de contrario in contrarium, imò de eodem in idem.

Sextò, quia vel reſpectu omnium formarum, quibus eadem materia eſt, vnica priuatio, vel plures, non plures; quia priuatio non eſt aliud, quàm materia priuata; ſi vna tantùm, tunc enim tantùm vni vnum ſit contrarium, vt patet 10. Met. text. 14. ſequitur quòd illa priuatio non cõtrariatur niſi vnicæ formæ, & per conſequens tranſmutationes ad alias formas non erunt de contrario in contrarium.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, tract. 3. c. 1. text. 41. Notandum, quòd [a] quatuor modis inuenitur contrarietas in rebus, quæ non ſunt termini, vel propoſitiones. Primo modo oppoſitio inter priuationem & habitum vocatur contrarietas, largè accipiendo contrarietatem, & ſic dicimus, quòd ſonus, & ſilentium ſunt contraria. Secundò accipitur contrarietas pro oppoſitione inter relatiuè oppoſita: maximè inter illa, quæ dicuntur de quantitate, & ſic dicimus, quòd magnum, & paruum ſunt contraria, & impropriè dicitur de intenſione, quia intenſio imaginanda eſt per modum qualitatis, & ideò intenſum, & remiſſum vocantur contraria. Tertio modo accipitur contrarietas pro oppoſitione, quæ eſt inter terminos motus localis, quæ ſignificatur per terminos abſolutos de genere *Vbi*, cuiuſmodi eſt oppoſitio inter *Oriens*, & *Occidens*, vel inter *Oriens*, & *Auſter*. Quartò accipitur contrarietas, pro repugnantia duarum formarum intenſibilium, & remiſſibilium, quarum vna nata eſt alteri ineſſe, vt in ſubiecto, nec ſimul poſſunt ineſſe eidem ſubiecto, & ſic opponuntur ad inuicem caliditas, & frigiditas, albedo, & nigredo. Et quilibet iſtorum modorum poteſt ſubdiuidi, vt verbi gratiâ, de primo modo; quia materia priuata, vel habet formam eiuſdem generis cum ea, qua priuata eſt, vel alterius; vt aër priuatus lumine non habet aliquam formam eiuſdem generis cum lumine, exemplum de quarto modo; quia vel illæ formæ intenſibiles, natæ ſunt ſe inuicem expellere per actiones proprias, vt qualitates primæ; vel conſequuntur ſe inuicem in ſubiecto, non per actiones proprias, ſed conſecutiuè per actiones aliarum qualitatum; ſicut qualitates ſecundæ. 3. *Contrarietas quatuor modis inuenitur in rebus.*

Secundò notandum, quòd non ſolùm diſpoſitiones, vel formæ accidentales dicuntur contrariæ, imò etiam [b] ſubſtantia dicitur contraria ratione ſuarum diſpoſitionum; ſic dicimus quòd ignis & aqua contrariantur, non quòd forma ſubſtantialis ignis ſit contraria formæ aquæ, ſed qualitates vnius, qualitatibus alterius, & ſecundùm hoc ſubſtantia dicitur contraria. Et non ſolùm dicitur contrarietas de huiuſmodi qualitatibus, 4. *Subſtantia quomodo dicatur contraria ſubſtãtia.*

tibus, vel de substantiis ratione qualitatum, imò etiam de terminis significatibus huiusmodi qualitates: tamen hoc est à voluntate; quia per prius dicitur contrarietas de rebus, & ex consequenti per attributionem dicitur de terminis, vt verbi gratiâ. Sicut vna vrina dicitur contraria alteri, eo quòd vna est significatiua sanitatis, & alia ægritudinis, ita similiter termini dicuntur contrarij, quia significant res contrarias aliquo dictorum modorum contrarietatum.

5. *Principia quomodo sunt contraria.* Istis præmissis, sunt duo modi respondendi ad quæstionem. Primus modus supponit quòd priuatio non sit res distincta à materia, imò materia priuata est priuatio; & tunc ponitur vna conclusio, quòd Nulla principia sunt contraria. Probatur, quia nulla sunt principia nisi materia, & forma: quæ non contrariantur ad inuicem, cùm sint simol, & vnum informet reliquum.

Secunda conclusio. Quando Aristoteles dicit principia esse contraria, intelligit, quòd de materia cùm transmutatur priùs dicatur vnus terminus, & facta transmutatione dicatur alter, qui sunt ad inuicem contrarij, vt ante transmutationem dicitur materia est non informata, & postea dicitur, quòd sit informata: modò informatum, & non informatum sunt contraria.

6. Sed [c] contra istud obiicitur primò, quia posito, quòd nullus esset terminus mundi, adhuc fieret transmutatio naturalis de vno contrario in contrarium, igitur non sufficit illa verificatio terminorum, quia siue sint illi termini, siue non; non minùs est transmutatio naturalis. Secundò, quia semper contrarietas terminorum præsupponit contrarietatem rerum significatarum, vt patet ex notabili. Ideò nisi transmutatio esset de contrario in contrarium, termini verificati de materia ante transmotationem, & postea non essent contrarij. Hoc confirmatur; quia contrarietas terminorum fit præcisè ratione rerum significatarum contrariarum; quia terminis non competunt conditiones contrariorum, vt puta, quòd agant ad inuicem, & patiantur, & quòd vous resistat alteri, & quòd iuxta se inuicem posita magis elucescant.

In omni trāsmutatione præsupponitur subiectum. Istâ igitur viâ dimissâ, sequitur alia, supponendo primò, quòd in omni transmutatione præsupponitur subiectum, siue materia, patet ex præcedenti quæstione. Secundò supponitur, quòd in prupofito capitur contrarietas communiter ad quatuor modos contrarietatum prænotatos.

7. *Omnis transmutatio est de contrario in cōtrarium.* Nunc ponitur ista conclusio: Omnis transmutatio est de contrario in contrarium. Et possunt contraria in proposito sic definiri; contraria sunt, quorum alterum, vel medium inest subiecto apto nato, & impossibile est ambo inesse simul. Probatur conclusio, quia in omni transmutatione transmutatur aliquod subiectum per primam suppositionem; & tunc vel subiectum habet dispositionem, ad quam transmutatur, vel non: si sic, hoc est falsum propter duo. Primò, quia frustrà transmutaretur ad id, quod habet. Secundò, quia recipiens debet esse denudatum à natura recepti, vt patet 3. de Anima, text. com. 4. si non habet illam dispositionem, & natum est ipsam habere, igitur est priuatum illa dispositione, per definitionem priuationis, & facta transmutatione habebit illam dispositionem, igitur materia transmutata est de contrario in contrarium; quia materia priuata est contraria sibi ipsi informatæ. Nam per notabile idem potest esse contrarium sibi ipsi ratione diuersarum dispositionum.

Secundò patet conclusio inductione in quatuor generibus mutationum, scilicet in generatione, & corruptione in alteratione, in augmentatione, & motu locali. 8.

Contra conclusionem arguitur, quia [d] idem transmutat se ipsum, igitur non omnis transmutatio est de contrario in contrarium. Tenet consequentia, quia si idem esset contrarium sibi ipsi, iam appeteret sui corruptionem; & antecedens apparet, nam intellectus agit in seipsum cognitionem. Similiter aqua calefacta agit in seipsam frigiditatem: & vnum speculum agit in aliud omnino consimile sibi, in quo repræsentatur, igitur eadem ratione potest agere in seipsum.

Respondetur negando consequentiam, nec est inconueniens, quòd idem sit contrarium sibi, non per suam substantiam, sed per diuersas dispositiones sui; nec sequitur, quòd appetat suî corruptionem, quando contrarietas illa est inter priuationem, & habitum, vel inter relatiuè opposita: modò dico, quòd intellectus agens in seipsum debet reputari pro patiente respectu cognitionis, quam agit: sed intellectus mediantibus speciebus intelligibilibus debet reputari pro agente, & sic aliud est ibi agens, & passum, quod passum patitur cognitione, quam agit. Consimiliter dicitur de aqua calefacta: nam aqua calefacta mediante frigiditate virtualiter reputatur pro agente; sed aqua sola circumscriptâ frigiditate tali, reputatur pro patiente. De speculo dico, quòd vnum speculum omnino consimile alteri nunquam repræsentaretur in alterum, nisi secundùm latera eius, quæ sunt dissimilia speculo.

Secundò, quia transmutatio, vel est materia, vel forma, vel aliquod accidens distinctum. Si materia, tunc materia non esset principium transmutationis, cùm idem non sit principium sui ipsius; & per idem probatur, quòd non sit forma. Nec est accidens; quia materia, & forma non sunt principia alicuius accidentis, etiam tunc principia non essent contraria. 9.

Respondetur quòd [e] transmutatio est ipsa materia, quæ transmutatur, & secundùm quod caret dispositione, ad quam est transmutatio, est contraria sibi ipsi, secundùm quod habet illam formam post transmutationem. Et quando dicitur, igitur materia est principium sui ipsius, concedendum est non simpliciter, sed cum addito, scilicet quòd materia est principium sui, vt sit transmutatio.

Tertiò, quia priuatio & forma sunt contraria, igitur priuatio & forma sunt. Consequens est impossibile, quia quando est vnum, tunc non est reliquum; igitur antecedens est impossibile. Respondetur vno modo concedendo consequēs, supposito quòd omnis transmutatio sit successiua, quia tunc subiectum est partim priuatum forma, & partim formatum. Aliter dicitur negando consequentiam, sicut non [f] sequitur prius, & posterius sunt relatiua, vel sunt contraria; igitur sunt; quia istud nomen *contraria* est terminus ampliatiuus, & etiam *relatiua*, quæ non determinant sibi conuertentiam, sed *esse* sumitur pro intelligi, vt de istis relatiuis *prius*, & *posterius*.

Quartò dubitatur, quæ albedo sit contraria huic nigredini, & sic de aliis qualitatibus; quia vel contrariatur albedo, quæ est, & hoc non, quia albedo quæ est, non est nata consequi in subiecto nigre- 10.

nigredinem existentem, quia tunc migraret de subiecto in subiectum. Respondetur, quòd albedo quæ est, est contraria nigredini, quæ est, nec oportet, quòd ipsa possit sibi succedere, sed sufficit, quòd ipsa, vel vna consimilis sibi, possit ei succurrere.

Quintò, quia vel respectu cuiuslibet formæ est vna priuatio tantùm, vel respectu alicuius est alia priuatio. Respondetur secundùm aliquos, quòd respectu omnium formarum eiusdem speciei, quibus priuatur materia, est vnica priuatio, sed respectu formarum diuersarum specierum sunt diuersæ priuationes &, tamen non credo (cùm priuatio non sit aliud, quàm materia priuata,) quòd oporteat ponere talem pluralitatem priuationum, & ideò solùm est vna priuatio, quâ materia est priuata respectu omnium formarum, vel dispositionum, quibus ipsa caret.

11. Nunc ad rationes. Principia substantiæ, &c. concedo: modò substantiæ [b] non est contrarium; verum est secundùm suam propriam essentiam; sed secundùm suas dispositiones priuatiuas, vel positiuas benè est aliquod contrarium.

Ad secundam: oportet principia semper manere, &c. Hoc intelligitur de forma, & materia, non secundùm rationem, quâ est priuatio, sed secundùm rationem, quâ manet sub vtroque termino transmutationis, scilicet quòd oportet materiam, & formam manere post transmutationem; sed priuatio non manet, id est, tunc materia non est priuata, & ideò ante transmutationem potest concedi Logicè, quòd priuatio manebit, quando non manebit priuatio.

Ad tertiùm omnia contraria sunt in subiecto, verum est de contrariis quarto modo, & non de aliis modis contrarietatum.

Ad quartum, quia principia non fiunt ex aliis. Dico, quòd istæ conditiones debent intelligi de principiis diuisim: verbi gratia, materia non fit ex aliis, vel ex alterutris tanquam ex subiecto, vel tanquam ex parte integrali: sed forma non fit ex aliis, nec ex alterutris, tanquam ex parte integrali, licèt benè tanquam ex subiecto. Sic similiter contraria non fiunt ex alterutris, tanquam ex parte integrali, nec etiam tanquam ex subiecto, sed fiunt ex alterutris, vt ly *ex* denotat circunstantiam ordinis. Similiter etiam benè fiunt ex aliis, tanquam ex subiectis. Aliæ instantiæ sunt solutæ in quæstione.

ANNOTATIONES.

12. *Contrarietas accipitur pro oppositione.* *Oppositio in communi est quid æquiuocum.*

[a] Q*Vatuor modis inuenitur contrarietas in rebus*, &c. Nota quòd accipitur hîc contrarietas pro oppositione, est autem oppositio relatio inter duo opposita: nam totum esse oppositorum est ad aliud. Quemadmodum enim pater dicitur filij pater, sic oppositum dicitur opposito oppositum, éstque oppositio in communi quid æquiuocum ad omnes oppositiones, nam inter oppositiones assignatas ab Aristotele in libro Prædicamentorum cap. de Oppositione, duæ illarum sunt entia rationis, scilicet contradictoria, & priuatiua oppositio; duæ verò entia realia, scilicet contraria, & relatiua oppositio: modò nihil est vniuocum ad ens reale, & rationis. Potest autem oppositio communiter accepta diuidi in opposita, disparata, & opposita propriè. *Oppositio in communi in qua diuidatur.* Disparata sunt, quæ sunt quidem repugnantia, non tamen sunt opposita, vt homo, & Leo. Opposita propriè sunt, quæ maximè repugnant, aut simpliciter, aut in eodem subiecto. Dicitur simpliciter, vt comprehendantur contradictoria, quæ maxima est oppositionum, eo quòd minùs conuenientiæ compatitur cum altero, & quanto minùs vnum extremum compatitur aliquid alterius, tanto magis perfectius secundùm illud est.

13. Dixi in eodem subiecto, vt comprehendantur relatiuè, contrariè, & priuatiuè opposita. Illa enim dicuntur maximè pugnare in eodem subiecto, quæ cùm inhæreant subiecto, vel habeant se quasi formæ competentes subiecto, talia sunt, vt neutrum repugnet magis alicui, quàm suo opposito. Verbi gratiâ, pater, & filius subiectantur in animali, & pater ita repugnat filio, vt nulli alteri rei magis repugnet: neque enim possunt inueniri simul in eodem subiecto respectu eiusdem, & vnum habet repugnantiam peculiarem cum alio. Idem dicendum est de albedine, & nigredine, quæ sunt contrariè & de visu, & cæcitate, quæ sunt priuatiuè opposita.

[b] *Substantia dicitur contraria*, &c. Nota, quòd contrarietas accipitur dupliciter, vno modo fusè pro quacunque oppositione, & sic omnia opposita, & quomodocunque incompossibilia sunt contraria: & in hoc sensu dixit Aristoteles 2. de Generatione, text. 24. quòd aqua igni contrariatur, & aër terræ. & 10. Metaph. text. 13. quod differentiæ diuisiuæ generum sunt contrariæ, & in hoc primo, text. 41. & inde, quòd priuatio contrariatur formæ substantiali. Alio modo sumitur contrarietas presse, & sic est oppositio, quæ versatur inter illa, quæ sub eodem genere sunt, & habent fieri circa idem subiectum, à quo proptia actione mutuò se expellunt, vt caliditas, & frigiditas: & in hac significatione substantia non est alteri substantiæ contraria, nisi ratione suarum qualitatum, vt hîc dicit Scotus. 14. *Contrarietas accipitur dupliciter.*

[c] *Contra illud obiicitur.* Nota, quòd Scotus non impugnat hanc sententiam in eo, quòd asserat priuationem non esse rem à materia distinctam. Nam eandem sententiam tenet ipsemet Scotus in hac quæst. & quæst. 21. huius primi: sed illam reiicit in eo quòd dicit in secunda conclusione, nempe quòd dr materia cùm transmutatur, priùs dicitur vnus terminus, & facta transmutatione dicitur alter, qui sunt ad inuicem contrarij, ita vt totam rationem contrarietatis ponat in terminis, & non in rebus, & hoc est quod reprobat hîc Scotus. 15.

[d] *Idem transmutat seipsum.* Nota, quòd Scotus in responsione ad hanc instantiam cócedit, quòd idem agit in se ipsum Pro cuius clariori luce obseruandum est primò, quòd agens naturale agit in quantum est in actu, quod tripliciter intelligi potest. Primò in actu formali; vt quando id, quod formaliter est calidum, calefacit. Secundo modo virtualiter, vt quando aliquid habet virtutem ad producendum id, quod formaliter non habet, vt Sol virtualiter est calidus, quia potest producere calorem, quo formaliter caret. Tertio modo dicitur aliquid in actu eminenter; quo pacto Deus continet omnia, nullaque est perfectio in creaturis, quæ eminentiùs non sit in Deo. *Agens naturale agit in quantum est in actu tripliciter intelligitur.*

Secundò obseruandum est, quòd multis modis contingit agere. Primo modo id dicitur agere, quod mouet localiter. Secundo quod generat, & corrumpit. Tertio quod alterat secundùm qualitates sensibiles, siue primas, siue secūdas. Quarto 16. *Agere cōtingit multis modis.*

quod

quod auget, seu mouet motu augmentationis. Vltimò, quod secundùm animam operatur sentiendo, & intelligendo.

Aliquid potest tripliciter moueri, vel mouere.

Tertiò obseruandum est, aliquid posse tripliciter moueri, & mouere, scilicet per accidens, per partem, & secundùm se totum, quæ diuisio explicabitur magis in 7. huius quæst. 1. & in 8. q. 7. Ex his dico primò, quòd in motu locali aliquid potest mouere se per accidens. Anima enim in animalibus mouet se per accidens, dum mouet per se corpus, ad cuius motum per accidens & ipsa mouetur.

Secundò dico, quòd aliquid dicitur mouere se per partem motu locali, vt animalia dicuntur mouere se ipsa secundùm animam per partem, quia mouent corpus.

17. Dico tertiò, quòd aliquid mouet se secundùm se totum localiter. Hoc assertum est Scoti 2. Sent. d. 2. q. 10. à multis tamen negatur, eam tamen Toletus dicit esse probabilem, dicitque quod fatetur, & profert suam ignorantiam: quia non videt, quomodo hoc non sit factibile. Sicut enim intellectio actio est, quæ procedit ab eo, quòd est actu, & recipitur ab eo, quod est in potentia, & tamen vnum, & idem se intelligit, quare vnum & idem non se mouebit in corporibus? Nihil enim prohibet, quòd sit in actu & in potentia secundùm motum localem, nam vt mouet debet esse in actu saltem virtualiter, & vt mouetur debet esse in potentia formali, & capax motus.

Nihil se generat secundùm se totum sed secundum partes.

Dico quartò, in generatione nihil per se accidens, aut secundùm se totum generat, quamuis per partes se generet. Prima pars patet, quia in generatione acquiritur simpliciter esse, & quod generat debet habere esse simpliciter: nihil autem potest esse, & non esse simpliciter; ergo, &c. Secunda pars etiam patet in nutritione, quæ dicitur partialis generatio, atque idem de corruptione est dicendum.

Idem potest se ipsum per accidens alterare.

18. Dico quintò, idem potest se ipsum per accidens alterare, videlicet quia alterat per se id, ad cuius alterationem alteratur: hoc patet in anima, quæ dum corpus alterat calefaciendo, infrigidando, per accidens ipsa alteratur.

Idem secundùm se totum se ipsum non potest alterare.

Dico sextò, idem secundùm se totum non alterat se ipsum; idem enim prorsus non calefacit, & calefit; quia quod alterat, debet habere formam actu; & quod alteratur, debet carere illa: modò impossibile est, quòd idem sic habeat, & non habeat eandem formam. Oppositum tamen huius conclusionis probabilissimum videtur Toleto, motus eâdem ratione, qua hoc ipsum asserunt in motu locali, quia sat est, inquit, habere calorem, verbi gratia virtualiter, caretéque illo formaliter, & sic ipsum totum calefieri à se toto: hoc idem affirmat hic Scotus, dum dicit quòd aqua calefacta mediante frigiditate virtuali agit in se ipsam frigiditatem.

Idem auget se secundùm partem.

Dico septimò, in augmentatione idem se auget secundùm partem; quia anima auget, & virtus augmentatiua, & corpus augetur. Potest etiam dici, quòd idem secundùm se totum augetur, id est, secundùm omnes suas partes formales, quia scilicet in omnibus est virtus augmentandi, & receptiua augmenti.

Transmutatio bifariam sumi potest.

e *Transmutatio est ipsa materia, quæ transmutatur.* Nota, quòd transmutatio bifariam sumi potest. Vno modo pro formali, & sic est relatio transmutati ad transmutans, & è contra, & est quid realiter distinctum à materia, & forma. Alio modo sumitur transmutatio pro connotato, atque ita est ipsa materia, quæ transmutatur, & in hac secunda significatione debet intelligi Scotus.

f *Non sequitur, prius, & posterius sunt relatiua, igitur sunt.* Nota, quòd in obiectione, & responsione supponit Doctor, relatiua dici ad conuertentiam, & esse simul naturâ, quæ proprietas non conuenit nisi relatiuis secundùm esse, siue illis relatiuis, quæ mutuò se includunt in suis significationibus, id est, quæ mutuò per se referuntur, ita vt esse vnius sit ad aliud se habere, & è conuerso; quia posito vno, ponitur & reliquum, & vno destructo, destruitur alterum: illa verò relatiua, quæ secundùm suas formas non dicuntur ad inuicem, & mutuò ab inuicem non dependent, non sunt simul naturâ, vt scientia, & scibile. Nam ad esse simul natura, vt docet Aristoteles in Postprædicamentis cap. de modis *Simul*, duo sunt necessaria. Primum quod ab vno ad alterum sit mutua consequentia. Secundum quòd neutrum sit causa alterius. Adde insuper, quòd hæc proprietas non conuenit relatiuis, si materialiter, & secundùm subiectum sumantur: quia hoc modo pater est prior filio; sed conuenit formaliter secundùm formam relatiuam, quam important. Nec sequitur, dicit Scotus, Prius & posterius sunt formaliter relatiua; ergo sunt, sed benè sequitur, Sunt, vel fuerunt, vel erunt, quia huiusmodi termini *prius*, & *posterius*, sunt termini ampliatiui, & maximè in relatiuis, quæ non determinant sibi concurrentiam, quemadmodum sunt quædam relatiua secundùm dici. 19.

Agere contingit multis modis.

g *Non credo cùm priuatio non sit aliud, quàm materia priuata*, &c. Nota, quòd materia dupliciter potest considerari, vno modo vt nuda omni forma, & sic vnicam tantùm habet priuationem in genere ad omnes formas. Secundò considerari potest cum dispositionibus ad talem, vel talem formam; & sic dicitur materia proxima: quo modo tot sunt materiæ proximæ, quot dispositiones diuersæ: sunt autem tot dispositiones, quot sunt formæ numero, quia vnaquæque suam dispositionem requirit, & per consequens hoc pacto tot erunt numero priuationes, quot formæ. 20.

Substantia non est contrarium secundùm suam propriam essentiam, &c. Posset etiam dici, quòd substantiæ nihil propriè & positiuè est contrarium, Physicè tamen & priuatiuè aliquid est contrarium, & sic accipit Aristoteles.

EXPOSITIO TEXTVS.

Principia rerum naturalium nō sunt tantū vnum.

COnsequens t *autem erit dicere vtrùm duo, aut tria, aut plura*, &c. Istud est secundùm caput tertij tractatus, in quo Philosophus determinat de numero principiorum, & diuiditur in quinque partes, secundùm quinque conclusiones, quas ponit. Secundam ibi: *Infinita autem non.* Tertiam ibi: *Quoniam autem finita.* Quartam ibi: *Tria igitur dicere elementa esse.* Quintam ibi: *plura autem tribus, non amplius.* Primò dicit, quòd postquam dictum est, quòd principia sunt contraria. Nunc videndum est vtrùm sint duo, vel tria, aut plura tribus; & tunc ponitur prima conclusio, quòd Principia rerum naturalium non sunt tantùm vnum. Probatur, quia illa, quæ sunt contraria, non sunt tantùm vnum: sed principia sunt contraria; 1. Text. 50.

ergo ; &c. Maiot patet, quia vna res non eſt contratia ſibi ipſi, & minor eſt nota ex præcedenti capitulo.

Principia rerum naturalium nõ ſunt infinita.

Infinita autem non. Hic ponitut ſecunda concluſio, quòd Principia rerum naturalium non ſunt infinita : & iſta fuit prima concluſio 2. cap. 2. tract. Probatut quatuor rationibus. Prima, quia ſi principia rerum naturalium eſſent infinita, ſequeretut, quòd tes naturales non eſſent cognoſcibiles, conſequens eſt falſum, quia de ipſis habemus ſcientiam natutalem. Probatut conſequentia; quia ad cognoſcendum res naturales oportet cognoſcere omnes cauſas eatum, & principia ; modò infinita ſont incognita, quodlibet ſcilicet conceptu diſtincto, & proprio.

2. *Et vna contrarietas*, &c. Ponitur ſecunda tatio, quia in vnoquoque genere eſt vna prima contrarietas : ſed genera ſunt finita, etgo contrarietates ſuns finitæ ; ſed vnius contrarietatis ſolùm ſunt duo extrema, igitut extrema contratia ſunt finita: & cùm principia contraria ſiut ptima contraria ; ſeqoitur quòd principia contraria ſunt finita : & quia duobus contratiis eſt vnum ſubiectum ſuppoſitum, ſequitur quòd omnia principia ſunt finita. Vel ſic formetur ratio iuxta textum ; In vnoquoque genere eſt vna prima contrarietas ; ſed ſubſtantia eſt quoddam genus; igitur in genere ſubſtantiæ eſt vna prima contrarietas ; ſed cuiuſlibet conttarietatis ſunt duo extrema, & non pluta, igitur ptima contraria in genere ſubſtantiæ ſunt duo, & non plura : ſed ptima principia contraria ſunt ptima contraria in genere ſubſtantiæ, igitur prima principia contraria ſunt duo, & non plura, & cùm duobus principiis conttariis ſufficiat vnum ſubiectum, ſequitur, quòd omnia principia ſunt finita.

Vide contradictionẽ Zimaræ.

3. *Et quia contingit ex finitis*, &c. Ponitur tertia ratio, quia ſi natura poteſt facere omnia ex principiis finitis, quæ poteſt facere ex infinitis, melius eſt ponere principia finita, quàm infinita: ſed omnia poſſunt ſaluari ; ergo, &c. Maior patet, quia in artibus, qui poteſt complete opus, inteutum modico conatu, & labore, & adhibet magnum laborem, & pœnam, fruſtrà, & otioſè agit, & ita ſimiliter in naturalibus. Minor apparet, nam Empedocles opinabatur aſſignare cauſas rerum naturalium pet principia finita, quemadmodum Anaxagoras per principia infinita.

Amplius ſunt alia aliis priora, &c. Ponitut quarta ratio. Prima contraria ſunt finita, ſed ptima principia ſunt ſolùm ptima contraria per excluſionem aliorum contrariorum, quæ non ſunt prima, igitur ptima principia ſunt finita. Maior patuit priùs, quia in vnoquoque genere, &c. & minor appatet : nam quædam ſunt contraria prima vt album, & nigrum, dulce & amarum ; & alia ſecunda, vt fuſcum, pallidum, ponticum, acutum. Nunc principia non ſunt contraria ſecunda, quia prima principia non fiunt ex aliis; & tamen iſta contratia ſecunda fiunt ex aliis, ſcilicet ex primis contrariis : etiam oportet principia ſemper manere, ſed qualiter hoc ſit intelligẽdum videbitur in quæſtione, & tamen ſecunda contraria non ſemper manent, ex quibus patet, quòd principia contraria nec ſunt vnum, nec infinita.

Contraria ſunt duplicia.

4. Text. 51. *Quoniam 2 autem finita non facere duo tantùm*, &c. Hic ponit ſecundam concluſionem, dicens primò, quòd ex quo principia ſunt finita, adhuc habet quandam rationem, id eſt, dubitationem facere, id eſt, ponere duo principia tantùm, vel non ponere duo tantùm, & tunc ponitur iſta concluſio : Principia rerum naturalium ſunt plura duobus. Probatur, quia in omni tranſmutatione, oportet quòd ſit aliquod quod maneat ſub vtroque termino tranſmutationis, ſed vnum contrarium nõ manet ſub reliquo, nec recipit reliquum, igitur præter illa contraria oportet ponere aliud ſubiectum., & iſtius rationis Ariſtoteles ſolùm ponit minorem, & concluſionem in fine. Maiot patet, quia quod tranſmutatur, alteratur, ideò oportet, quòd ſit aliquod ſubiectum, quod aliter, & alitet ſe habeat : & minor patet, quia denſitas non eſt nata facere raritatem, nec taritas eſt apta nata recipere denſitatem, ſiue cauſatam à ſe ipſo, ſiue cauſatam ab aliquo alio, & ita de omnibus aliis contrariis : vt verbi gratiâ, concordia non conducit, id eſt, non recipit diſcordiam cauſatam à ſe, vel etiam ab alio, ſed præter iſta oportet eſſe alterum tertium.

Principia rerum naturaliũ ſunt plura duobus.

Quidam autem & plura recipiunt, &c. Ponit ſecundam rationem, quod eſt teſtimonium antiquorum : nam quidam, vt Plato, & Anaxagoras, poſuerunt principia plura duobus, ex quibus conficiunt, id eſt, componunt naturam eorum, quæ ſunt, id eſt, tes naturales.

Ad hac 3 autem adhuc, &c. Ponitur tertia ratio, 5. quia niſi contrariis eſſet ſubiecta alia natura ; ſequeretur quòd ſubſtantia componeretur ex non ſubſtãtiis : conſequẽtia patet, quia videmus, quòd nihil quod eſt de ſubſtãtia alicuius rei, contrariatur alicui, quod eſt de ſubſtantia eiuſdem: & cùm principia ſint de ſubſtantia cõpoſiti, habetur conſequens. Vel aliter ſequeretur, quòd præter principia cõtraria habebimus alia principia non contraria, & per conſequens plura duobus. Et ſi dicatur contra, quòd priuatio & forma contrariantur, dico, quòd priuatio non eſt de ſubſtantia compoſiti, & ideò præter priuationem habere oportet duo alia principia ad minus, quæ ſint de ſubſtantia compoſiti, aliter enim omnia eſſent ſimplicia. Falſitatem conſequenter probat Ariſtoteles dupliciter. Primò, quia proprium eſt ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto, nec dici de ſubiecto; ſed prima principia, nec ſunt in ſubiecto, nec dicuntur de ſubiecto, quia tunc illud ſubiectum potiùs diceretur principium ; ergo, &c.

Text. 52.

6. Sed obiicitur, quia forma eſt ſubſtantia, & tamen eſt in ſubiecto. Reſpondetur quòd forma non eſt in ſubiecto per modum accidentis. Nam accidens dat ſubiecto, in quo eſt, ſolùm eſſe accidentale, ſed per formam ſubſtantialem datur eſſe ſubſtantiale, & ideò diuerſimodè. Secundò probatur falſitas conſequentis, quia ſi ſubſtantia componeretur ex principiis, quæ ſunt non ſubſtãtiæ, ſequeretur, quòd non ſubſtantia eſſet prior ſubſtantia, quod eſt falſum. Ex 4 quo patet quòd conſiderans rationes prædictas habet neceſſariò ponere tertium ſubiectum, ſi debet ſaluare naturas vtraſque contrarias.

Text. 53.

Quemadmodum dicunt, &c. Ponitur quarta ratio, & eſt teſtimonium antiquorum, vnde omnes antiqui præter duo principia contraria ponebant tertium principium ſubiectum ; quorum aliqui ponebant ignem, aquam, terram, aliqui aërem, & aliqui aquam, & aliqui medium inter iſta : & comparando iſta ad inuicem, dicit Ariſtoteles quòd ponentes [b] medium inter elemẽta eſſe principium materiale meliùs poſuerunt : quia de ratione principij materialis eſt, quòd ſit exemptum à contrariis: modò medium eſt magis exemptum

quàm

Text. 54.

Terra quomodo sit frigidior aqua.

quàm extrema, & ita 5 meliùs dixerunt, qui posuerunt aërem, aut aquam esse principia materialia, quàm ponentes ignem, vel terram, eo quòd ignis, & terra, maxime ab inuicem contrariantur, & ex isto loco solet allegari, quòd terra est magis frigida, quàm aqua. Ad quod potest responderi, quòd terra apparet frigidior aqua ad sensum; non quia sit intensior in gradu frigiditatis, sed propter opacitatem materiæ.

Text. 55. Vide contradictionem Zimara.

Sed subdit Aristoteles, *Quòd 6 omnes antiqui figurant*, id est, disponunt istud principium materiale aliquibus contrariis, quidam raritate, & densitate; quidam magno & paruo. Et ista opinio de magno, & paruo fuit valdè antiqua: nam quidam assignantes diuersitates rerum prouenire ex parte formæ, ponebant magnum & paruum principia formalia rerum naturalium: sed Plato considerans diuersitatem rerum sub eadem specie prouenire ex parte materiæ, ideò ponebat magnum, & paruum principia materialia.

Vide Zimarā in tab. litt. A. fol. 22. col. 3.

Principia rerum naturalium non sunt plura, nec pauciora tribus.

Tria igitur 7 dicere, &c. Hîc ponitur, quarta conclusio, quòd oportet ad minus rerum naturalium esse tria principia. Probatur ex præcedentibus, quia principia rerum naturalium sunt contraria, & sunt plura duobus per præcedentem conclusionem, igitur oportet quòd ad minus sint tria.

8. *Plura autem tribus, non amplius*, &c. Ponitur quinta conclusio, quòd principia rerum naturalium non sunt plura tribus. Probatur, quia duo contraria, &c. vnum subiectum sufficiunt: nam si essent plura subiecta, oporteret etiam esse plures contrarietates; modò consequens est falsum, quia substantia est vnum genus, igitur in ipso est vna prima contrarietas, & extrema, scilicet prima contraria de genere substantiæ erunt principia, & nulla alia: quia omnes aliæ contrarietates videntur reduci in vnam primam contrarietatem, videlicet substantiæ. Similiter quòd sint plura subiecta est impossibile: nam omnia entia naturalia ad inuicem transmutantur, & tamen si essent plura subiecta solùm illa transmutarentur in inuicem, quæ conuenirent in subiecto.

ANNOTATIONES.

Species nō habent æqualem perfectionem.

9. a IN *vnoquoque genere est vna prima contrarietas.* Nota, nullas species habere inter se æqualem perfectionem, sed aliæ superantur ab aliis, ex quo fit, vt aliæ includant imperfectionem, hoc est, priuationem quandam perfectionis aliarum, & ex consequenti hæc contrarietas sit in omnibus communis, quam vocamus nomine habitus, & priuationis. Nihil est aliud igitur in vnoquoque genere esse vnam primam contrarietatem, quàm in vnoquoque Prædicamento omnes contrarietates reuocari ad perfectum, & imperfectum, seu ad habitum, & priuationem.

Medium est triplex.

b *Ponentes medium inter elementa*, &c. Nota, quòd Aristoteles vocat subiectum generationis naturam mediam. Medium autem est triplex, scilicet quod ex vtriusque extremi mixtione conficitur, vt rubrum, vel viride ex albo, & nigro, aliud per negationem extremorum, vt lapis est medium sani, & ægri: quia neque est sanus, neque æger, aliud verò per potentiam ad vtrumque extremum recipiendum, & hoc tertio modo subiectum, & materia dicitur hîc natura media, quia est in potentia receptiua vtriusque extremi.

c *Duo contraria & subiectum sufficiunt.* Nota, 10
quòd quando dicit Aristoteles quamlibet contrarietatem suum habere subiectum, intelligit de contrarietate in genere, & in communi, quæ est prima, & radix contrarietatis, scilicet de habitu, & priuatione, non autem loquitur de contrarietate particulari: quia de hoc contingit in vno subiecto plures esse contrarietates, secundùm quod erunt multæ formæ, & earum priuationes.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm sint tria principia rerum naturalium, & non plura, nec pauciora.

Arist. 1. *Phys. c.* 6. & 7. Auic. *lib.* 1. *sufficien. c.* 3. Simpl. 1. *Phys. com.* 53. Themist. *n.* 56 D. Thom *lect.* 12. Canon. *q.* 2. *art.* 1. Mayron. *q.* 5. Conimb 1. *Phys. c.* 7. *q. vnic.* Complut. *disp.* 2. *q.* 2 Ruuius 1. *Phys. c.* 7 *quæst. vnica.*

ARGVITVR quòd non: quia tunc essent materia, forma, & priuatio; sed priuatio est materia, igitur sunt tantùm duo. 1

Secundò, per Aristotelem in fine 5. tractatus, text. 68. vbi dicit, quòd vnum contrariorum est per se sufficiens facere transmutationem, igitur præter illud non requiruntur alia principia.

Tertiò, quia principia debent semper manere, vt dicit Aristoteles 1. huius, text. 50. sed priuatio non semper manet, imò desiit esse in aduentu formæ, igitur priuatio non est principium; & per consequens non sunt nisi duo.

Quartò, quia numerando principia, vel numerantur res, quæ sunt principia, & tunc non sunt nisi duæ res, scilicet materia, & forma; vel termini supponentes pro rebus, & tunc sunt plures, scilicet elementum cum materia.

Quintò, vel numerantur principia intrinseca solùm, & tunc non sunt nisi duo, vt patet 2. huius, tex. 28. scilicet materia, & forma; vel numerantur extrinseca cum intrinsecis, & tunc sunt quatuor, vt patet ibidem.

Sextò, quia dispositiones, & qualitates, mediantibus quibus fiunt transmutationes, sunt principia rerum naturalium: quia agunt ad generationes ipsarum, & illæ dispositiones sunt plures tribus; igitur principia sunt plura tribus. 2

Septimò, tot sunt principia, quot principiata; sed principiata sunt plura tribus, ergo, &c. Maior patet, quia principium, & principiatū opponuntur relatiuè; & quot modis dicitur vnum oppositorum, & reliquum; vt patet 3. Topicorum, c. 2 a.

Octauò, quia cuiuslibet rei naturalis sunt tria principia: sed quodlibet principiū est res naturalis, igitur cuiuslibet principij sunt tria principia, & ita de principiis illorum, & sic in infinitum.

Nonò, quia quælibet pars materiæ est principium, cùm sit materia; sed infinitæ sunt partes materiæ; igitur infinita sunt principia.

Decimò, hæc est falsa, *tantùm tria sunt principia rerum naturalium*; igitur & ista est falsa, *principia rerum naturalium sunt tria.* Consequentia tenet; quia idem significat. Antecedens probatur, quia sequitur tantùm, tria sunt principia rerum naturalium; igitur tria sunt principia rerum naturalium: & nulla alia, quàm tria, quod est falsum: quia si tria sunt principia rerum naturalium, duo

sunt principia rerum naturalium: quæ sunt alia à tribus.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem cap. 2. tractat. tertij, text. 56. In quæstione mouebuntur duo dubia. Primum est vtrùm cuiuslibet rei naturalis sunt tria principia? & secundum, vtrùm cuiuslibet transmutationis naturalis sint tria principia.

3\. *Principium multis modis sumitur.* Quantum ad primum notandum, quòd in proposito non intendimus per principium, principium magnitudinis temporis, & motus, cuiusmodi sunt tempus instans, & mutatum esse; nec intelligimus principium doctrinæ, quemadmodum dicimus, quòd istud est principium: *omne totum est maius sua parte*; nec principium, quod est pars integralis, quemadmodum dicimus, quòd fundamentum est principium domus; sed per principium intelligimus partem essentialem, cuiusmodi est materia, & forma.

Aliquid potest dici naturale tripliciter. Secundò, notandum, quòd aliquid [a] potest dici ens naturale tripliciter. Vno modo largè, vt accidens, & dispositio dicitur ens naturale: & sic dicimus, quòd motus cœli est naturalis, & hoc vocatur secundo huius, text. 10. secundùm naturam. Secundo modo dicitur ens naturale, vt materia & forma; & hoc impropriè; quia tam materia, quàm forma dicitur natura, vt patet in secundo. Sed tertio modo, & propriè dicitur ens naturale compositum ex materia & forma.

4\. Nunc ponuntur conclusiones. Prima est: Nullum ens naturale, vt accidens, & dispositiones, habet aliquod principium essentiale aliud, scilicet à suis partibus integralibus, & à partibus intensionis. Patet per Aristotelem 4. Metaph. tex. 13. & 14. vbi dicit, quòd accidentia non habent materiam ex qua sunt, sed in qua sunt, & ly *ex*, denotat ibi circumstantiam partis essentialis, vel integralis.

Secunda conclusio: Nullum ens naturale dictum secundo modo, scilicet vt materia, vel forma, habet principium intrinsecum. Probatur, quia sequeretur, quòd in principiis esset processus in infinitum: quia ex quo materia haberet partes essentiales, eàdem ratione quælibet illarum partium haberet alias partes essentiales, & sic in infinitum. Secundò patet, quia pars essentialis dicitur, quia est simplex per priuationem compositionis ex naturis diuersis.

Contra conclusionem obiicitur, quia illud est principium intrinsecum, & essentiale materiæ, quod est causa formalis materiæ; sed forma est causa formalis materiæ, igitur forma est principium intrinsecum, & essentiale materiæ. Consimiliter probaretur, quòd materia esset principium intrinsecum formę. Patet maior 2. huius tract. 3. tex. 31. quia per hoc differt forma ab agente, & fine.

Secundò, quia quælibet pars materiæ est principium intrinsecum materiæ, igitur ens naturale vt materia, habet principium intrinsecum, & essentiale; quia quælibet pars materiæ est essentialis pars.

5\. Ad primum negatur maior. Ad probationem dico, quòd materia, & forma sunt causæ intrinsecæ compositi, respectu cuius agens, & finis sunt causæ extrinsecæ, tamen materia est causa extrinseca formæ.

Ad secundum, concedo, quòd quælibet pars materiæ est principium intrinsecum respectu materiæ, eo modo, quo pars integralis est principium intrinsecum totius. Et cùm dicitur, quælibet pars materiæ est essentialis; verum est respectu compositi, sed non respectu materiæ, cuius ipsa est pars.

Rei naturalis composita sunt tantùm duo principia. Tertia conclusio. Cuiuslibet rei naturalis, quæ est composita ex materia, & forma, sunt duo principia, & non plura, neque pauciora; & loquor de compositis generalibus, & corruptibilibus. Probatur, quia quodlibet tale generabile producebatur de non esse ad esse, igitur eius productioni substernebatur aliquod subiectum, vt patet ex præcedentibus, igitur illud subiectum mutabatur ad aliquam dispositionem, vel non: si non, tunc nihil fuisset generatum, quod est contra positum; si sic, & illa dispositio erat forma, & per consequens in productione talis compositi est subiectum, & dispositio acquisita, & non plura: ergo, &c.

Secundò patet inducendo, quia homo componitur ex materia & forma, & non ex pluribus partibus essentialibus, & ita de aliis compositis. Nec valet dicere, quòd ibi requiritur priuatio, quia producto composito desinit esse priuatio.

6\. Contra conclusionem obiicitur, & primò contra probationem, quia sequeretur, quòd si aliquid esset de nouo creatum, quòd de ipso non possemus cognoscere an haberet materiam; ex quo eius productioni non subiiciebatur materia. Secundò, quia cuiuslibet mixti, præter materiam & formam, elementa simplicia sunt principia intrinseca, & essentialia; igitur non solùm materia, & forma; & tenet consequentia, & antecedens patet, cùm mixtum moueatur secundùm naturam elementi prædominantis. Tertiò, quia per istas conclusiones non respondetur ad quæsitum: quia quærebatur an essent tria principia rerum naturalium, & non plura, nec pauciora; & respondetur quòd cuiuslibet rei sunt duo principia. Modò non sequitur, cuiuslibet compositi naturalis sunt duo principia, & non plura, igitur omnium rerum naturalium sunt duo principia, quia illa vel essent duo secundùm numerum; & hoc non, quia quilibet nostrûm habet duo diuersa secundùm numerum; aut secundùm speciem, & hoc non, quia diuersæ sunt formæ secundùm speciem, vt forma asini, & forma equi, igitur plura sunt principia diuersa secundùm speciem, quàm duo.

7\. Ad ista. Ad primum negatur consequentia, quia licèt non cognoscatur habere materiam, ex eo, quòd suæ productioni subiiciebatur materia, tamen ex hoc, quòd iam subiicitur diuersis mutationibus, cognoscimus, quòd habet materiam.

Ad secundum negatur antecedens: quia Aristoteles loquitur hìc de principiis, quæ non sunt ampliùs resolubilia in alia principia: modò elementa simplicia resoluuntur vlteriùs in materiam, & formam; vel diceretur quòd elementa [b] non manent in mixto.

Aliqua dicuntur idem specie dupliciter. Ad tertium potest dici, quòd omnium compositorum naturalium principia sunt duo secundùm speciem. Ad probationem, quòd non, quia forma hominis, & forma asini differunt secundùm speciem. Nota, quòd aliqua dicuntur idem specie dupliciter, vno modo, quòd de eis prædicatur idem conceptus quiditatiuus, vt Socrates, & Plato dicuntur eiusdem speciei. Secundo modo; quia de eis verificatur terminus connotatiuus secundùm eandem rationem; & sic homo, & asinus dicuntur eiusdem speciei, eo quòd vterque est compositus. Tunc dico, quòd omnium compositorum naturalium sunt duo principia eiusdem speciei, secundo modo:

quia

quia omnium formæ conueniunt in hoc nomine *forma*, & de omnium materiis dicitur hoc nomen *materia*, qui sunt termini relatiui, vt patet 1. huius, text. 16. Patet igitur qualiter cuiuslibet compositi natutalis sunt duo principia, & non plura, & omnium compositorum naturalium sunt duo principia secundùm speciem, & hoc de primo.

8. *Principiũ intrinsecum potest aliquid dici bifariã.* Quantum ad secundum, notandum, quòd aliquid potest dici dupliciter principium intrinsecum. Vno modo quia est pars integralis, vel essentialis ipsius. Alio modo quia est necessariò requisitum ad cognitionem ipsius, ita vt illud aliud non possit cognosci, definiri, imaginari sine ipso, & sic dicimus, quòd motus est principium naturæ, quia sine motu non potest cognosci natura, saltem definitiuè.

Transmutatio quid sit secũdùm rem. Secundò notandum, quòd alij ponunt transmutationem esse materiam, alij formam, alij accidens successiuum distinctum à materia, & forma, & siue sit materia, siue forma, siue accidens, non est cura ad propositum.

Nunc ponitur prima conclusio, quòd capiendo principium primo modo, nullum est principium intrinsecum, & essentiale transmutationis, siue transmutatio ponatur materia, siue forma, vel accidens. Patet, quia nullum tale habet partem essentialem, licèt benè integralem, vt patet ex prima parte quæstionis; ex quo sequitur quòd nisi transmutatio capiatur pro composito, quòd materia, & forma non sunt principia transmutationis; nisi dicatur quòd sunt principia extrinseca, & non intrinseca.

9. *Materia & forma nõ sufficiunt ad transmutationem.* Secunda conclusio, Materia qualitercumque se habens, vnà cum forma non sufficiunt ad transmutationem. Probatur, quia tunc semper compositum transmutaretur ad suam formam. Ex quo sequitur, quòd ad transmutationem naturalem oportet materiam prius esse priuatam forma, ad quam est transmutatio. Et aliqui ponunt, quòd materiam sic esse priuatam, est quoddam accidens existens in materia, æternaliter præcedens formam; tamen dico quòd non: imò est ipsa materia priuata. Ex quo sequitur, quòd transmutationis naturalis sunt duo principia realiter distincta, & non plura, scilicet materia & forma; sed alterum istorum qualitercumque se habens non sufficit ad transmutationem, scilicet materiam, quam oportet esse priuatam, &c. Secundò sequitur, quòd in definitione transmutationis naturalis non sufficit exprimere formam, & materiam qualitercumque se habentia: imò in definitione transmutationis debent poni tres termini, quorum vno designetur materia, vt manet sub vtroque termino transmutionis, & per alium designetur materia, vt est priuata forma ante transmutationem; & sic patet quòd compositi natura- *Trãsmutationis naturalis non sunt nisi duo principia.* lis, vel etiam transmutationis, non sunt nisi duo principia realiter distincta. Tamen ad transmutationem oportet aliquod istorum aliqualiter se habere, & est simile: nam ad actionem sufficiunt agens, & passum; tamen agens qualitercumque se habens non sufficit; imò requiritur, vt sit applicatum passo, quæ applicatio non est aliud ab agente. Sic similiter ad transmutationem sufficiunt materia, & forma, licèt non sufficiat materia qualitercumque se habens; imò requiritur quòd sit priuata, quod esse priuatam non est aliud à materia, & hoc de secundo.

10. Ad rationes. Ad primam, Tunc essent materia, &c. Concedo, quòd materia, & forma sunt principia compositi; sed materia, forma, & priuatio sunt principia transmutationis, capiendo principium secundo modo, pro eo, sine quo aliquid non potest cognosci, & definiri: quia transmutatio definitur per formam, materiam, & priuationem.

Ad secundam, Quia alterum contrariorum, &c. Dico, quòd sic intelligitur, quòd alterum contrariorum cum subiecto per eius præsentiam, scilicet post transmutationem, & eius absentiam, scilicet ante transmutationem, sufficiens est ad transmutationem, etsi aliquando inueniantur ambo contraria, vt quando de calido fit frigidum, tamen hoc non est necessarium, vt patet in illuminatione. Similiter si [c] compositum habeat plures formas substantiales, sicut quidam dicunt, vna potest corrumpi nulla alia generata, & per consequens non requiruntur ambo contraria ad transmutationem, sed sufficit vna forma cum sua priuatione.

Ad tertiam, Principia debent, &c. Dico quòd sic intelligitur, quòd principia debent semper manere per priuationem in alia consimilis naturæ, vt materia nunquam corrumpitur in materiam, sed vna forma in aliam, tanquam in subiectum, licèt benè tanquam in oppositum. 11.

Ad quartam, Vel numerantur termini, vel res. Dico, quòd vtroque modo: nam compositi naturalis, & etiam transmutationis, sunt duo principia, quæ sunt res; sed loquendo de terminis, tunc erunt tres termini positi in definitione transmutationis, quibus terminis principia designantur.

Ad quintam dico, quòd loquimur de principiis intrinsecis solùm, & ideò concedo, quòd cuiuslibet compositi naturalis sunt duo principia intrinseca, & non plura; tamen ad transmutationem non sufficiunt illa duo, qualitercumque se habentia; sed requiritur alterum illorum, scilicet materiam esse priuatam, vt dictum est.

Ad sextam negatur, quòd illæ dispositiones sunt principia intrinseca, & essentialia, de quibus loquimur in proposito.

Ad septimam, Tot sunt principia, &c. Concedo, quòd sunt plura principia secundùm numerum, quàm principiata; imò in duplo plura; sed non de pluralitate secundùm speciem, vt dictum fuit in quæstione, & tunc ad illam regulam, Quot modis dicitur, &c. Dico, quòd illa regula debet intelligi quantum ad significata, & non quantum ad supposita: vt verbi gratiâ, si vnum oppositorum significat vnum, vel duo æquiuocè, reliquum habebit tot significata æquiuocata; vt quia istud nomen *album* significat album in voce, & album in colore; ita similiter istud nomen *nigrum*, quod sibi opponitur, significat nigrum in voce, & nigrum in colore; sed non oportet, quòd quot supposita habet iste terminus *album*, quantum ad significatum coloris, quòd tot habeat iste terminus *nigrum*. 12.

Ad octauam, Quia cuiuslibet rei naturalis, &c. Dico, quòd principia non sunt res naturales propriè, sed sunt naturæ, ex quibus composita dicitur res naturalis, & ideò principiorum non sunt alia principia.

Ad nonam, Quælibet pars materiæ, &c. Dico, quòd non loquimur de principiis, quæ sunt partes integrales, sed de principiis, quæ sunt partes essentiales.

Ad decimam dico, quòd ista, *Tantum* [d] *tria sunt principia*, 13.

principia, potest dupliciter exponi; vno modo per exclusionem numeri maioris, vt tria sunt principia secundùm speciem, & non sunt plura, & hoc est concedendum referendo ad transmutationem, quomodo dictum est Alio modo per exclusionem omnium illorum, de quibus non dicitur subiectum, vt tria sunt principia, & nulla alia, quàm tria sunt principia, tunc est falsum: quia duo sunt principia, quæ sunt alia à tribus.

Tunc ad authoritatem post oppositum dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd ad transmutationem naturalem requiruntur duo principia, scilicet materia, & forma, & tertium principium, id est, quòd alterum istorum qualitercumque se habens non sufficit; sed oportet ipsum aliqualiter se habere, vt pura oportet materiam esse priuatam; ratione cuius in definitione transmutationis naturalis oportet ponere tres terminos, ad designandum materiam, formam, & priuationem, id est, materiam esse priuatam ante transmutationem, scilicet quando mutatur in acquisitiua, & per oppositum in deperditiua.

ANNOTATIONES.

Natura, ens naturale, & ens secundùm naturam differunt.

14. a *Aliquid potest dici ens naturale tripliciter*, &c. Nota discrimen esse inter naturā, ens naturale, & ens secundùm naturam. Natura namque est principium motus, & quietis illi in quo est; quod principium, vt dicitur 2. Physic. est materia, & forma substantialis, quia ipsa sunt principia motus. Ens naturale est corpus de prædicamento Substantiæ, & quicquid sub eo essentialiter continetur, & dicuntur entia naturalia, quia habent materiam, & formam, quæ sunt naturæ. Ens secundùm naturam est proprietas quælibet, aut affectio entis naturalis, videlicet motus, & huiusmodi.

15. b *Elementa non manent in mixto.* Nota, quòd Auicennæ sententia fuit elementa formaliter remanere in mixto, quamuis diuisa in minutissimas partes; qualitates tamen elementorum dicit esse remissas, & temperatas. Hanc sententiam secutus est Albertus Magnus lib. 1. de Gener. tract. 6. cap. 4. Iandunus 4. Physicæ, cap. 4. & alij, qui diuersimodè eam explicant, vt videre est apud Toletum lib. 1. de Generat. Eandem sententiam defendit Auerroës, qui ab Auicenna differt in hoc, quòd putat formas elementorum substantiales remitti, & intendi posse, sicut & qualitates, quare confitetur elementa in mixto formaliter manere, eorum tamen formæ sunt remissæ. Scotus in 2. distinct. 15. quæst. 1. sic explicat mixtionem, & modum quo elementa sunt in mixto; dicitque quòd in omni genere est inuenire medium, quod cum extremis communicat, vt in coloribus rubor inter albedinem, & nigredinem; non quidem taliter, quòd albedo, & nigredo, sint partes actuales ruboris; quia rubor est simplex qualitas, sicut albedo; & sic ista compositio non est nisi conuenientia naturalis medij cum extremis, non extremi ad extremum. Ita similiter forma mixti dicitur continere elementorum formas, non quòd illas contineat actu, sed quia naturaliter habet conuenientiam cum illis.

16. Secundò etiam hoc ipsum explicat sic: Aristoteles dicit formam mixti esse perfectiorem formis elementorum; omne autem imperfectum continetur virtualiter in suo perfectiori, formæ ergo elementorum continentur virtualiter in forma mixti. Sicut enim forma animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ eminenter, & virtualiter continentur in intellectiua, taliter quòd intellectiua exerceat operationes aliarum, ita etiam formæ elementorum sunt virtualiter in forma mixti: quia habet operationes consimiles operationibus elementorum. Ideò postquam Aristoteles dixit, quòd elementa manent in mixto, subiunxit, saluatur enim virtus eorum: quia virtutes elementorum sunt virtualiter in forma mixti. Sententia ergo Scoti est, quòd elementa non manent formaliter in mixto, nec secundùm formas substantiales remissas, vt dicebat Commentator 3. Cœli, comm. 70. quia forma substantialis non suscipit magis, & minùs, neque in esse perfecto (vt dicebat Auicenna) quia in vno mixto essent plura supposita, forma enim elementaris potest cum materia constituere suppositum per se subsistens in genere substantiæ, sed tantùm virtualiter, quæ fuit etiam sententia Diui Thomæ 1. de Generat. text. 94 & 1. p. q. 76. art. 4. Ægidij, Marsilij, & Alberti de Saxonia, & est communis.

17. Et cùm dicitur, quòd mixtum mouetur ad motum elementi prædominantis 1. Cœli, tex. 17. Respondetur, quòd prædominium elemēti in mixto attenditur secundùm conuenientiam in qualitate naturali, quæ qualitas est principium motus, vt grauitas mouendi deorsum, non quòd elementum sit secundùm substantiam. Vnde secundùm diuersam mixtionem elementorum concurrentium in generatione illa, aliquando mixtum magis conuenit in forma cum vno elemento, quàm cum alio, & sic in qualitate simili, quæ est qualitas mixti, & non elementi, & ideò habent similem modum consequentem, & similem actionem.

c *Si compositum habeat plures formas substantiales*, &c. Nota, quòd de hac re variæ sunt sententiæ. Prima est Pauli Veneti 1. Metaphysicæ, asserentis in composito tot esse formas substantiales Physicas, quot prædicata quiditatiua, & vnica, ita vt in Petro, verbi gratia, sit vna forma Physica, per quam sit homo, & alia per quam sit animal, & sic de aliis prædicatis. Secunda opinio fuit Ocham Quodl. 3. existimantis, quòd saltem in homine debent dari duæ formæ substantiales, altera sensitiua, altera intellectiua.

Tertia opinio est Diui Thomæ in quæst. disp. & Gregorij de Arimino in 2. dist. 27. quæst. 2. & Soncin. 8. Metaph. quæst. 12. asserentium in quacumque re dari vnam formam substantialem tantùm.

18. Quarta opinio est Scoti in 4. distinctione 11. quæstione 3. qui breuiter dicit quatuor. Primò dicit quòd multæ formæ substantiales non possunt inesse eidem secundùm idem, & æquè primò: quia aliàs sequeretur, quòd vnum numero actu esset plura numero actu, vt si vnica materia substantialis haberet duas formas substantiales, æquè primò est vnum: quia vna materia esset etiam duo: quia haberet duas distinctas formas specie, & numero. Secundò dicit, quòd in non viuentibus non possunt esse plures formæ substantiales, sed vna forma specifica tantùm. Tertiò dicit, quòd in viuentibus possunt esse plures formæ substantiales, secundùm idem, non tamen æquè primò, verbi gratiâ, in homine præter animam rationalem datur forma corporis, siue ista sit vna omnium partium heterogenearum, siue sit integrata ex omnibus illis, siue sit alia distincta ab omnibus illis. Quartò dicit, quòd in quo-

liber

libet viuo præter formam animari, & præter aliam formam communem corporis, & mixti, quæ ſunt communes viuenti, ſunt etiam aliæ partiales ſpecificè diſtinctæ tot, quot organa diſtincta. Hanc Scoti ſententiam diffusè explicatam vide in 1. tomo noſtrorum Commentariorum ſuper 4. Scoti, diſtinctione 11. quæſtione 3. Cæterùm contra ſententiam Ocham nota, quòd eius ſententia videtur eſſe error condemnatus in 8. Synodo generali Conſtantinopolitana celebrata ſub Adriano II. anno Domini 8~5. act. 11. can. 11. vbi ita legitur, *Apparet quoſdam id temporis in tantum impietatis veniſſe, vt hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inuentores, & ſimilia ſentientes cùm vetus, & nouum teſtamentum, omnéſque Eccleſiæ patres vnam animam rationalem habere hominē aſſeruerint, ſancta, & vniuerſalis Synodus anathematizat.* Aduertere tamen licet aliud eſſe ponere plures formas, aliud verò plures animas. Vnde nos quidem cum Scoto verè & catholice ponimus plures formas, nempè formam corporis & animam, non tamen plures animas, quia hoc eſſet errare.

19. d *Tantùm tria ſunt principia*, &c. Nota, quòd primo modo exponitur propoſitio gratiâ pluralitatis; ſed ſecundo modo gratiâ alietatis: quando autem dictio excluſiua additur termino numerali, ſemper propoſitio exponi debet gratiâ pluralitatis, id eſt, & non ſunt plura, verbi gratiâ, tantùm tria ſunt principia, quæ eſt ſua præiacens, & non ſunt plura tribus, ergo tantùm tria ſunt principia. Quando verò exponitur gratiâ alietatis, propoſitio, in qua ponitur terminus numeralis, redditur falſa. Quia exponitur, & non ſunt alia à tribus, verbi gratia, tantùm tria ſunt principia. Tria ſunt principia, & non ſunt alia à tribus, quæ exponens eſt falſa, quia duo ſunt alia à tribus, & tamen ſunt principia. Obſerua tamen, quòd hæc propoſitio, *Tantùm principia ſunt tria*, de rigore logico eſt falſa, quia in illa propoſitione excluditur numerus ternarius ab omnibus quæ non ſunt principia: nam dictio excluſiua affirmatiua poſita à parte ſubiecti excludit prædicatum ab omni eo, quod non eſt ſubiectum, vel de quo non formaliter prædicatur ſubiectum, quod tamen eſt falſum: quia Perſonæ diuinæ ſunt tres, & alia quamplurima ſunt in numero ternario, quæ tamen non ſunt principia rerum naturalium. Hæc verò, *Principia rerum naturalium ſunt tantùm tria*, eſt vera: quia principia rerum naturalium non ſunt plura, neque pauciora, quàm tria, & illa propoſitione dicitur nullum alium numerum principiis rerum naturalium conuenire, quàm ternarium, quod vtique verum eſt: vide ſuprà in alia annotatione.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 58. SIc igitur 1 *non dicamus primum*, &c. Iſtud eſt tertium capitulum huius tractatus in quo Ariſtoteles oſtendit, quæ ſunt principia, & quomodo ſunt principia, & diuiditur: quia primò præmittit intentionem. Secundò proſequitur, ibi: *Dicimus enim fieri.* Primò dicit, quòd nunc primò dicendum eſt de omni generatione, id eſt, de omni tranſmutatione, & per iſtum ordinem: quia primò determinabitur de tranſmutatione ſecundùm rationes cōmunès conuenientes tranſmutationi, & ſecundò ſecundùm rationes ſpeciales. Et cauſa ordinis ſecundùm Commentatorem eſt triplex. Prima, quia res ſunt nobis notiores in rationibus communioribus, quàm ſub rationibus minùs communibus, vt patet 1. huius text. 4.

Secunda, quia rationes communes includuntur in rationibus ſpecialibus, & ideò ſi priùs determinaretur de tranſmutatione ſecundum rationes ſpecialiores, iam idem bis repeteretur. Tertia cauſa, quia rationes communes non ſunt demonſtrabiles de primo, niſi de ſubiectis communibus; & ideò de primo determinabitur de ſubiectis communibus ſecundùm rationes communes.

Dicimus enim fieri ex alio aliud, &c. In iſta parte principaliter, & primò præmittit tria præambula. Secundò proſequitur ſuam intentionem. Secundum ibi: *Determinatis autem his*, &c. Primum præambulum eſt, quòd ſicut a fieri attribuitur ſimplicibus, ita etiam attribuitur compoſitis. Vbi ſciendum, quòd fieri attribuitur aliquibus ſecundùm duplicem modum loquendi, verbi gratia, dicimus aliquod fieri aliud, vt puta hominem fieri muſicum, & tunc iſte modus loquendi attribuitur illi, quod præcedit tranſmutationem; ſed alio modo attribuitur fieri, dicendo ex non muſico fit homo muſicus, & ſecundùm iſtum modum loquendi fieri attribuitur illi, quod ſequitur tranſmutationem. Tunc dicit Ariſtoteles, quòd ſicut vtroque iſtorum modorum loquendi fieri attribuitur ſimplicibus, vt puta, homo fit muſicus, ita poteſt attribui compoſitis, id eſt, terminis complexis; vt homo muſicus fit non muſicus, vel ex homine albo fit non album. 2.

Aliquid dicitur fieri duobus modis.

Horum autem hoc quidem præmittit. Secundum præambulum, & eſt iſtud, quòd non ſolùm ſubiectum dicitur fieri aliud, vel quia ex ipſo fiat aliud; ſed hoc idem dicitur de priuatione, verbi gratiâ, non ſolùm dicimus, quòd homo fit muſicus; ſed etiam dicimus, quòd non muſicum fit muſicum, & quòd ex non muſico fit muſicus; differunt tamen, vt dicit Ariſtoteles, quia non dicitur de ſubiecto, quod ex ipſo fiat, vt non dicimus ex homine factus eſt muſicus, ſed dicimus, quòd homo factus eſt muſicus; ſed de priuatione dicimus vtroque modo, tamen iſta differentia modicum apparet in lingua noſtra; ſed fortè magis apparet in lingua Græca. 3.

Eorum autem 2 quæ vt ſimplicia, &c. Præmittit tertium præambulum videlicet, quòd in iis, quibus attribuitur fieri, quæ ſunt ſimplicia, aliud eſt permanens ante tranſmutationem, & poſtea, vt puta materia; aliud verò non eſt permanens, ſcilicet priuatio oppoſita diſpoſitioni acquiſitæ per mutationem, ſicut cùm non muſicus factus fuerit muſicus, non permanet non muſicus, nec etiam non muſicus. Text. 59.

Determinatis 3 autem his. Hic proſequitur intentum, & diuiditur, quia primò oſtendit quæ ſunt principia. Secundò oſtendit quomodo ſunt principia, ibi: *Manifeſtum igitur eſt.* Primum diuiditur, quia primò determinat de materia. Secundò de priuatione. Tertiò regreditur ad materiam, & Quartò regreditur ad formam. Secundum ibi: *Et hoc etſi numero eſt vnum.* Tertium ibi: *Multipliciter autem cùm dicatur.* Quartum ibi: *Quare manifeſtum eſt ex dictis.* Primò ponit iſtam concluſionem, quòd in omni eo, quod fit, id eſt, quòd in omni tranſmutatione & factione oportet eſſe aliquod, quod ſe habeat priùs, & poſteriùs; ſed illud quod aliter ſe habet, eſt ſubiectum: ergo, &c. Maior patet, quia illud, quod 4. Text. 60.

transmutatur, alteratur, & per consequens aliter se babet; & minor apparet: quia non est aliquid aliud: vt puta nullus terminus transmutationis aliter se habet ante, & post: & ista cooclusio sequitur ex vltimo præambulo.

5. *Vide Zimarã in tab. litt. S. f. 377. tom. 1.*

Et hoc & si numero est vnum. Hic Aristoteles ponit secundam conclusiuuem, scilicet quòd 10 omni transmutatione naturali, requiritur aliquod, quod est vnum numero, & non vnum specie, id est, ratione. Probatur, quia in omni transmutatione requiritur materia, & priuatio; sed materia, & priuatio sint vnum numero, & non sunt vnum secundùm rationem: ergo, &c. Maior patet de materia, per præcedentem conclusionem; sed de prinatione probatur, quia oportet subiectum transmutationis priuari dispositione, ad quã transmutatur; & minor apparet pro prima parte: nam idem est bomo, & non musicum esse, quod est priuatio. Secunda pars apparet, quia materia, & priuatio differunt secundùm rationem, quod patet ex duobus: primò quia materia manet, priuatio autem non, facta transmutatione; secundò quia subiecto non attribuitur fieri nisi secundùm vnũ modum loquendi; sed priuationi attribuitur secundùm duos, vt patet ex præambulis.

Text. 61.

Dicit 4 tamen Aristoteles, quòd verum est in aliquibus, sicut in artificialibus, quòd subiecto attribuitur fieri secundùm vtrumque modum; vt dicimus quòd ex ære fit statua; similiter de priuatione dicimus vtroque modo, vt quòd ex hoc fiat hoc, & etiam quod hoc fit hoc. Notandum quòd ex ista parte Aristoteles nõ vult aliud, nisi quòd in omni transmutatione naturali requiruntur duo principia, scilicet materia, & forma, & quòd vnum istorum, scilicet materia qualicunque se habens non sufficit ad transmutationem, sed requiritur, quòd sit priuata dispositione, ad quam est transmutatio.

6. Text. 62.

Multipliciter 5 autem cùm dicatur fieri. Hic regreditur ad materiam, probando, quòd in omni transmutatione necessarium est esse materiam formatam. Probatur, quia omnis transmutatio est naturalis, vel artificialis, sed in omni transmutatione naturali, & etiam artificiali præsupponitur subiectum; igitur in omni transmutatione præsupponitur subiectum. Maior nota est, & minor probatur primò de transmutatione naturali, quia transmutatio naturalis, vel est ad qualitatem, vel ad quantitatem, vel ad vbi: & in omnibus istis manifestum est aliquod subiectũ transmutati: nam omnia ista insunt substantiæ. Vel est transmutatio simpliciter ad substantiam, sicut in generatione animalis, vel plantæ, & tunc manifestum est, quòd omnia ista fiunt ex quodam subiecto, vt puta ex semine. Sequitur.

Vide contradictionem Zimaræ.

Text. 63. *Artificialia diuersis modis fiunt.*

Fiunt 6 autem quæ fiunt, &c. Probat idem in artificialibus, quia in artificialibus illa, quæ fiunt, alia fiunt transfiguratione, vt puta, quando materia transponitur de vna figura in aliam figuram. Alia appositione, vt paries: alia subtractione, vt imago Mercurij ex lapide; alia compositione, vt domus: alia alteratione, vt ea quæ conuertuntur secundùm materiam, vt puta quorum materia vnius est transmutabilis in materiam alterius; & è contra, vt metalla; & in omnibus istis manifestum est, quòd est materia subiecta.

7 Text. 64.

Quare manifestum 7 est ex dictis. In ista parte Aristoteles inquirit formam, & ponit istam conclusionem, quòd in omni transmutatione naturali requiritur forma. Probatur: quia in transmutatione subiectum transmutatur de vna dispositione ad aliam dispositionem: modò per illam dispositionem, ad quam subiectum transmutatur, intelligo formam, quæ est terminus ad quem est transmutatio. Tamen propter textum exponitur sic, quòd ex dictis ostensum est, quòd omne, quod fit per mutationem, est compositum, cuius est aliud, scilicet aliqua pars, quæ fit scilicet simpliciter, & illa pars est forma, sed alia pars est, quæ non fit simpliciter; sed de ipsa dicitur, quòd hoc fit, & istud est subiectum, quia potest considerari dupliciter, vno modo secundum rationem, quâ permanet sub vtroque termino transmutationis, & sic de ipso dicitur, quòd subiectum fit musicũ; aut consideratur secundùm rationem, quâ priuata fuit dispositione, ad quam fuit motus, & isto modo vocatur priuatio, sub qua continetur infiguratio, inordinatio, informitas, quæ non est aliud, quàm materia informis.

8. Text. 65. *Ex hoc textu habetur quid omne compositum resoluitur in sua cõponentia. Materia, & forma sunt principia per se rei naturalis.*

Manifestum 8 igitur quòd si quidem sunt, &c. Hic ostendit quomodo ista sint principia; & diuiditur, quia primò ostendit quomodo materia, & forma sunt principia. Secundò, quomodo priuatio est principium; & tertiò quomodo principia sint duo, & quomodo tria, & quomodo non. Secundum ibi: *Est autem subiectum*, &c. Tertium ibi: *Vnum autem species, & ordo.* Est igitur conclusio ista, quòd materia, & forma sunt principia per se rei naturalis. Probatur, quia illa sunt principia per se rerum naturalium, ex quibus tanquam ex causis primis sunt, & fiunt res naturales; sed ex materia, & forma sunt, & fiunt res naturales, tanquam ex causis primis: ergo, &c. Maior patet ex quid nominis huius, quod est *esse per se causam*, & minor apparet, quia compositum naturale componitur ex istis, & hoc per se: quia resoluens rationem totius resoluet in rationem eorum, scilicet materiæ & formæ, ex quibus cõponitur: sicut, v.g. Aristoteles exemplificat de homine, tanquam de materia, & de musico, tanquam de forma. Vnde ratio bominis est ista, *animal rationale mortale*; ratio verò musici est ista, *habens musicam.* Ideò ratio compositi erit ista, Animal rationale mortale habens musicam.

9. Text. 66. *Priuatio est principium per accidens.*

Est autem 9 subiectum numero quidem vnum, &c. Ponit istam cõclusionem, quòd priuatio est principium per accidens Probatur; quia illud non est principium per se, quod non est numerabile inter entia: sed priuatio non est numerabilis inter entia: ergo, &c. Maior patet, quia illud quod non est, non est principium per se: & minor apparet, quia priuatio nihil est quatenus distinguitur à materia.

Text. 67. *Principiũ dicitur in relatione ad principiatum.*

Vnum est 10 autem species vt ordo, &c. Hic ostendit quomodo principia sunt dicenda duo, vel tria; aut contraria, vel non contraria. Vnde notandum, quòd principium dicitur in relatione ad principiatum, & cùm principiatum naturale, vel ponitur compositum, vel ipsa transmutatio: si compositum, tũc solùm sunt duo principia, scilicet materia, & forma. Si autem transmutatio ponitur principiatum, tunc principia naturalia sunt tria: quia ad transmutationem naturalem, requiruntur materia, & forma, & non sufficit materia qualitercunque se babens, sed oportet, quòd sit priuata dispositione ad quam est mutatio; & ideò impossibile est exprimere definitionem quid nominis transmutationis naturalis, non exprimendo quid nominis priuationis; quod patet, quia in definiendo transmutationem oportet exprimere

mete aliquid esse, quod priùs non fuit, vel non esse quod priùs fuit, & in buc exprimitur priuatio. Patet t igitur quomodo compositi naturalis solùm sunt duo principia; sed transmutationis naturalis sunt tria ad intellectum datum. Ex isto patet, qualiter principia sunt contraria, & qualiter non. Demùm in fine recapitulat, & patet in littera.

Text. 68.

ANNOTATIONES.

10. [a] *Sicut fieri attribuitur simplicibus, ita etiam compositis.* Nota, quòd cùm natura sit, quæ facit istam diuersitatem denominationis, quia & sola in termino à quo potest accipi, & successiuè vtrique contrariorum coniungitur, ideò denominatio potest esse simplex tantùm, cùm videlicet vterque terminus à quo, & ad quem, nomine simplici denominatur; potest etiam esse composita tantùm, cùm vterque terminus contrariorum, simul cum materia nominatur; & potest esse partim simplea, partim composita, si alter terminus simpliciter, alter verò compositè terminetur. Vnde si terminus à quo denominetur à subiecto tantùm, vel à priuatione tantùm, & similiter terminus ad quem forma tantùm denominetur, tunc est denominatio tantùm simplea; vt si dicas, homo fit musicus, vel non musicum fit musicum. Si verò terminus à quo denominetur à subiecto, & priuatio, & terminus ad quem etiam à subiecto, & forma, tunc est composita tantùm, vt si dicas, homo non musicus fit homo musicus: si autem in altero terminorum denominatio sit simplex, & in altero composita, erit partim simplex, & partim composita; vt si dicas, homo fit homo musicus, vel non musicum fit homo musicus, vel homo non musicus fit musicus.

11. Et quoniam ex parte termini à quo aliquando sumitur solùm subiectum, interdum sola priuatio; ponit Aristoteles duplex discrimen inter subiectum transmutationis, & priuationis, alterum ex modo loquendi, alterum ea natura rei. Ex modo loquendi, vt cùm vtimur priuatione ex parte termini à quo, licet loqui de ea in nominatiuo, & in ablatiuo casu, vt si dicamus, *non musicum fit musicum*, vel *ex non musico fit musicum*, quamuis propriùs in ablatiuo loquendum sit. Cùm autem ex parte termini, à quo vtimur subiecto transmutationis, non semper licet loqui de eo in vtroque casu, nam sæpè in solo nominatiuo vocamus illud, non enim dicimus *ex homine fit musicus*, sed *homo fit musicus*. Aliquando tamen vti licet ablatiuo casu; dicimus enim, *ex ære fit statua*: & non ita propriè *æs fit statua*. Discrimen ex natura rei est, quòd priuatio non manet in re composita, subiectum autem transmutationis manet: quando enim ex non musico fit musicum, homo quidem manet, qui est subiectum, sed corrumpitur non musicum, quod est priuatio: ex quo facilè colligitur subiectum non propriè esse terminum à quo, quia terminus à quo non manet adueniente termino ad quem, licèt quodammodu se teneat ex parte termini à quo.

Inter subiectū transmutationis, & priuationis est duplex discrimen.

12. [b] *Quare manifestum est*, &c. Nota, quòd ferè semper Aristoteles exemplificat in mutationibus accidentalibus, vt per eas substantiales mutationes indagare possimus. In qualibet autem mutatione accidentali est inuenire duo extrema, scilicet duas formas, inter quas fit mutatio, & subiectum ab vtraque distinctum, ipsásque formas successiuè recipiens. Verbi gratiâ, quando aliquod corpus ex calido fit frigidum, ibi est caliditas, & frigiditas, & corpus quod priùs est calidum, & mutatur in frigidum, amittendo calorem, & frigiditatem acquirendu, ipso autem corpore semper sub vtraque forma persistente. Similiter in mutatione substantiali datur vnum subiectum, quod est materia, & hæc existens cum vna forma mutatur ab ea illam relinquendo, in aliam formam de nouo acquisitam. Verbi gratia, si ea ligno fiat ignis: modò materia ligni est cum forma ligni; per actionem tamen ignis expellitur à materia ligni forma ligni, & introducitur forma ignis. Vnde quod mutatur dicitur compositum, quia habet aliquid, quod amittat, & aliquid quod permaneat sub alio termino mutationis: permanet namque materia, à qua vna forma recedente aduenit alia, & sic materia sub vtraque inuenitur, ex quo etiam liquet substantias compositas esse ex materia & forma, & materiam esse subiectum, quæ secundùm formas varias substantiales transmutatur.

EXPOSITIO TEXTVS.

Subiecta 1 autem natura scibilis est, &c. Iste est quartus tractatus huius primi, in quo Philosophus determinat de principiis rerum naturalium, & hoc in speciali; cuius sunt duo capitula. Primum est de materia, & secundum de priuatione, & forma, ibi: *Tangentes igitur*. Primum capitulum diuiditur. Primò ponit conditiones materiæ. Secundò soluit motiuum antiquorum, quo mouebantur ad negandum generationem, & corruptionem, & pluralitatē entium, ibi: *Quod autem vnico modo*. Primum diuiditur: quia Primò ponit vnam conditionem materiæ. Secundò aliam. Tertiò recapitulat quædam præcedentia. Quartò se excusat à quadam quæstione. Secundum ibi: *Vnum igitur principium*. Tertium ibi: *Hæc autem quomodo duo*. Quartum ibi: *Vtrùm autem substantia*. Conditio materiæ, quam ponit, est ista, quòd subiecta natura, id est, materia est cognoscibilis secundùm analogiam. 1.

Text. 69.

Vide contradictionem Zimara.

Vnde notandum, quòd materia prima non potest cognosci per speciem propriam, eo quòd non potest mouere intellectum, cùm sit ens in pura potentia; ideò cognoscitur per species aliarum rerum, & per istum modum: quia sicut per operationem intellectus arguitiuè cognoscit formam, ita per transmutationem materiam. Et ideò quia videmus in artificialibus esse aliud subiectum, scilicet æs, quando fit statua, & quando fit lectulus, subiicitur aliud, scilicet lignum, & ita de aliis; ita per inductionem, & à simili concludimus, quòd in transmutatione substantiali subiicitur aliquid, scilicet materia prima, quæ se habet ad compositum naturale, quemadmodum in artificialibus informè, scilicet materia, se habet ad illud, quod fit ex ipsa materia. Et ideò dicit Aristoteles quòd materia est cognoscibilis per analogiam, id est, per argumentum à simili, & per inductionem in aliis. 2.

Materia prima non potest cognosci per speciem propriam.

Vnum igitur principium. Ponit secundam conditionem materiæ, & est quòd materia prima est vnum principium omnium transmutabilium, non vnum existens, scilicet in actu, neque sic ens, vt hoc aliquid, id est, sicut compositum, nec sic vnū, sicut ratio, id est, forma, cui priuatio est contraria, 3.

Materia prima est principium omniū transmutabilium.

traria, sed est vnum in potentia ad omnes formas substantiales, & accidentales generabilium, & corruptibilium, ita vt nullam formam sibi determinet à sua natura. Quod probat Commentator; quia si determinaret sibi aliquam formam, sequeretor, quòd nullam aliam posset recipere, quod est contra naturam materiæ: & probatur consequentia, quia non recipitur forma sequens, nisi corruptà præcedente: modò præcedens est incorruptibilis, cùm materia determinet sibi eam. Secundò sequeretur, quòd materia non esset in potentia ad omnes formas, quod est falsum: quia non esset in poteotia ad illam formam, quam sibi determinatet. Tertiò sequeretur, quòd omnis mutatio facta in materia prima esset accidentalis, quia fieret in subiecto io actu per formam substantialem.

4. Text. 70. *Vide contradictionẽ Zimara in dictis Auerr.* *Hæc autem 2 quomodo duo*, &c. Hic recapitulat dicens, quòd dictum est quomodo sunt duo principia, & quomodo tria. Vnde priocipia suot, quæ manent in esse compositi facta transmutatione, sed sic sunt plora, quòd ad explicandum quid nominis transmutationis, non solùm oportet exprimere materiam, & formam, sed cum hoc priuationem, scilicet materiam non habuisse dispositionem priùs ad quã facta est transmutatio. Et quod dictum est, qualiter principia sunt contraria, & qualiter contrariis oportet esse vnum subiectum, & quomodo principia contraria se habeant ad inuicem; quia voum est priocipium per se, & aliud per accidens.

Vtrum autem [a] substantia species, &c. Excusat se à qnadam quæstione, dicens, Vtrùm forma sit magis natura, quàm materia, nondum est manifestum. Vbi dicit Commentator, quòd inquirere an forma sit magis substantia, quàm materia, pertinet ad Metaphysicum; sed inquirere ao forma sit magis natura, quàm materia, pertinet ad scientiam naturalem, & de hoc videbimos 2. huius, & tunc recolligit dicta, & patet in textu.

5. Text. 71. *Quod 3 autem vnico modo*, &c. Hic ex dictis conditionibus soluitur motiuum antiquorum: & primò ponit motiuum. Secundò soluit, ibi: *Nos autem dicimus.* Primò dicit quòd ex dictis conditionibus simpliciter, id est, vno modo soluuntur defectus antiquorum, qui inquirentes veritatem, & naturas rerum, diuerterunt in aliam viam, & errorem, ob iofirmitatem intellectus, id est, propter ignorantiam Logicæ, vt explicat Commentator, ponentes nihil fieri, vel corrumpi, propter istud motiuom; quia illud quod fieret, aut fieret ex aliquo, vel ex nihilo; non ex aliquo, quia tunc aliquid esset antequam fieret; & ideò sicut ex non ente non potest fieri ens, ita ex non homine non potest fieri homo. Vel ex 4

Text. 72. nihilo, & hoc non: quia in omni transmutatione oportet esse aliquod subiectum; & augmentauerunt suum errorem, dicentes quòd non sunt plura entia propter istam rationem. Vnde notandum, quòd infirmitas intellectus dicitur, quando aliquis propter rationem sophisticam, quam nescit soluere, negat ea, quæ apparent ad sensum, vt Aristoteles dicit de motu in 8. huius.

6. Text. 73. *Nos autem 5 dicimus*, &c. Hic soluit motiuum, & primò præmittit distinctionem. Secondò ex ea soluit rationem. Et tertiò ponit aliam solutionem. Secundum ibi: *Nos autem & ipsi dicimus.* Tertium ibi: *Alius autem quod contingit.* Distinctio est ista, quòd aliquid potest fieri ab alio, aut pati ab alio dupliciter. Vno modo per se, quemadmodum dicimus, quòd illa quæ fiunt à Medico, secundùm quòd Medicus, fiunt per se à Medico. *Medicus ædificat, non in quantũ Medicus, sed in quantum ædificator.* Alio modo per accidens, & sic illud dicitur fieri à Medico per accidens, quod fit ab eo, non secundùm quòd Medicus, vt si Medicus ædificat. Et subdit Aristoteles quod 6 ex eo, quod non est, Text. 74. benè potest fieri aliquid per accidens. Et ideò antiqui per ignorantiam huius distinctionis negauerunt generationem, & corruptionem, & pluritatem entium.

7. *Nos autem 7 & ipsi dicimus.* Hic soluit dicens, quòd ex [b] eo, quod non est, benè fit aliqoid per Text. 75. accidens, quod demonstrat. Nam ex materia prima fit aliquid per se tanquam ex subiecto: modò materiæ primæ accidit priuatio, vt dictum fuit priùs: ideò ex priuatione fit aliquid per accidens. Nam ex illo fit aliquid per accidens, quod accidit ei, ex quo fit aliquid per se: modò priuatio est huiusmodi, igitur ex priuatione fit aliquid per accidens. Tunc 8 insuper demonstrat, quòd Text. 76. etiam ex ente fit aliquid per accidens, vt si ex equo fiat canis. Tunc ex equo fit caois per accidens. Probatur 9 nam ex equo fit canis, secundùm Text. 77. quod equus priuatur forma canis: modò animali, vel equo accidit, quòd priuetur forma canis; ideò ex ente fit canis per accideos; & iste est vnus modus soluendi.

Alius autem quod 10 contingit. Hic ponit aliam Text. 78. solutionem dicens, quòd duplex est ens: quoddam est ens io actu, sicut forma, vel compositum, aliud in pura potentia, sicut materia prima, vt determinatum est in aliis, io quæst. Metaphys. Text. 79. Modò dico, quòd ex ente in potentia sicut materia prima, non tamen ex ente in actu fit aliquid. Et tunc ad rationem eorum, si aliquid fieret, vel ex ente, vel non ente; dico, quòd vtroque modo: quia ex non ente in actu; ex ente tamen in potentia. Et antiqui tantùm auersi sunt à cognitione huiusmodi entis in pura potentia, quòd simpliciter negauerunt generationem, & corruptionem.

ANNOTATIONES.

8. *Materia & forma dupliciter considerari possunt.* [a] V*Trum autem substantia.* Nota dupliciter posse materiam & formam considerari, vel in ratione principij, vel io ratione substantiæ. Si considerentur in ratiooe principij, cùm principium sit causa alicuius, quia facit ad eius esse; ideò quod magis facit ad esse rei, magis habet rationem priocipij: & quia forma principaliùs facit ad esse rei, quàm materia, quia forma est actus, & perfectio rei; ideò forma habet magis rationem principij, tamen secundùm quendam modum materia magis habet rationem principij, videlicet, quia viâ generationis prior est materia, quàm forma; quia forma (exceptâ animâ rationali) educitur de potentia materiæ. Et hoc videtur innuere Aristoteles cap. 6. præcedenti, dicens, *Subiectum enim principium priùs videtur esse prædicato*: quasi dicat, quòd quodammodò illud tertium subiectum, quod ponendum censuit præter contraria, est magis principium, quàm aliquod contrariorũ, immò ipsa contraria respectu huius non habent rationem priocipij, sed materia videtur esse principium principij: ratio est, quia prædicatũ, quod dicitur de subiecto, & est in subiecto, videtur oriri ex subiecto, quia in eo sustentatur: materia ergo in qua vtrumque

con

contratiorum ſuſtentatur, videtur babere ratio-nem principij reſpectu vtriuſque.

9. Si verò conſiderentur in ratione ſubſtantiæ, adhuc dupliciter, vel ſimpliciter, vel ſecundùm modum. Si primò, quia ratio ſubſtantiæ eſt ratio entis, id quod magis accedit ad rationem entis, & perfectionis eſt magis ſubſtantia; ſed ratio entitatis, & perfectionis magis importatur per formam; quia forma dicit actum, & perfectionem, forma igitur eſt magis ſubſtantia. Si ſecundo modo, quia modus ſubſtantiæ eſt per ſe eſſe, & forma eſt in materia, quapropter 5. Metaph. text. 19. cap. de Qualit. forma ſubſtantialis dicitur quædam qualitas, ideò ſecundùm hunc modum materia eſt magis ſubſtantia.

Quomodo ex non ente fit aliquid.

b *Ex eo, quod non eſt, benè fit aliquid per accidens.* Nota, quòd quando dicitur, quòd ex ente per ſe non fit aliquid, ſic debet intelligi, quòd illius quod fit, ſemper eius negatio præcedit: vnde ſi ens fieret, vt ens eſt, negatio entis deberet præcedere, & ita ex nihilo fieret ens, quod naturaliter implicat.

10. Quapropter dicit Ariſtoteles quòd in generatione fit tale ens, & non fit ens, vt ens eſt; & ideò ſat eſt ſi præcedat in generatione aliquod non ens, puta non ens, quod debet fieri, licèt tale non ens præcedens ſit aliud ens, & ſic docet, quòd ex non ente fit ens, determinátque quod id quod fit, neque per ſe fiat ex ente, neque ex non ente in hoc ſenſu, quòd res quæ fit non præceſſit, aliàs non fieret, & ſic ens per ſe non fieri poteſt ex ente, id eſt, ex ente quod fit, neque per ſe fit ex non ente, id eſt, ex nihilo, ſed per accidens fit ex ente, & ex non ente; ex ente quidem in quantum non ens, quod præceſſit, puta priuatio, contingit quòd ſit aliquod ens, puta materia, fit enim ex illa in quantum in potentia, vt ex ea fiat ens. Fit etiam ex non ente in quantum contingit materiam eſſe cum priuatione; quæ ex ſe eſt non ens. Poteritque intelligi hoc exemplo: fiat, verbi gratiâ, lapis ex terra, fit quidem per ſe lapis ex terra, at verò lapis per accidens fit ens, id eſt, illa ratio entis per accidens fit, quia iam præerat, & non intendebatur. Solùm enim in generatione intenditur fieri, quod non erat, & quia non erat lapis, intenditur fieri lapis, quia verò erat ens, non intendebatur fieri ens, ſed ſimiliter hoc ens, quod eſt lapis, non fit per ſe ex terra, quatenus terra eſt ens, ſed quatenus eſt non ens quod fit, ſed quia contingit, quod etiam terra ſit ens, hoc ens lapis per accidens, fit ex ente, quod eſt terra, & ſic manet, quod ens per accidens fit ex ente.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm materia prima ſit cognoſcibilis.

Ariſtot. *cap. 8. text. 69. & 12. Metaphyſ. text. 7.* Auerroës 1. *Phyſic. comm. 69.* Albert. 1. *diſput. 35. artic. 10.* D. Thom. *lect. 12. & 1. p. quæſt. 15. art. 3. ad 3.* Scotus *in 2. diſt. 12. quæſt. 1. §. ad 3. princ. & quæſt. 2. §. ad 3. pro opinione. & 2. Met. quæſt. 2.* Suarez *tom. 1. Met. diſp. 13. ſect. 6.* Canonic. *quæſt 9 art. 1.* Conimbr. 1. *Phyſic. cap. 9. qu. 2. art. 2.* Complut. *diſp. 3. quæſt. 1. & ſequent.* Ruuius *tract. 1. de materia, qu. 2.* Faber *theorem. 25.* Roccus *qu. 15.*

1. ARGVITVR quòd non, quia materia prima non eſt ens, igitur non eſt cognoſcibilis. Tenet conſequentia, quia cognoſcibile debet mouere potentiam cognoſcitiuam, quod non poteſt facere niſi ſit ens; & antecedens probatur. Primò, quia materia prima eſt ens in pura potentia, vt patet in iſto primo, igitur non eſt ens; quia dicimus Antichriſtum non eſſe; quia ſolùm eſt ens in potentia.

Secundò, quia nullum ens eſt medium inter duo contradictoria: modò materia prima eſt medium inter duo contradictoria, vt dicit Commentator in iſto primo, com. 70. ergo, &c.

Tertiò, quia vel materia prima eſt ens per ſe exiſtens, & tunc ſequitur, quòd eſt ens in actu, quod eſt contra Ariſtotelem in iſto primo, text. 75. vel alteri inhærens: & tunc ſequitur, quòd non eſt materia prima, ſed potiùs illud cui inhæret.

Secundò ad principale, quia ſi materia prima eſſet cognoſcibilis, vel à ſenſu, vel ab intellectu ſolùm: non à ſenſu, quia inſenſibilis eſt, cùm non ſit quid, nec quale, nec quantum, vt patet 7. Metaph. text. 8. nec ab intellectu: quia intellectus nihil intelligit eorum, quæ ſunt extra ſe niſi mediante ſenſu, vt patet in lib. de Senſu & Senſato.

Tertiò, quia illud non eſt cognoſcibile, quod 2.
non poteſt mouere potentiam cognoſcitiuam; ſed materia prima non poteſt mouere potentiam cognoſcitiuam; ergo, &c. Maior patet, quia de ratione obiecti cognoſcibilis eſt, quòd moueat potentiam cognitiuam, & minor apparet, quia nullam formam; vel qualitatem ſibi determinat, mediante qua poſſit mouere potentiam cognitiuam.

Quartò, ſi cognoſceretur, vel hoc eſſet per ſpeciem propriam, vel alienam; non per propriam, quia non poteſt aliquam agere; quia da quòd ſic, tunc eſſet in actu; nec per alienam, quia vniuſcuiuſque rei ſpecies eſt determinata ſimilitudo illius rei, ita vt non alterius.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, in principio 4. tractat. text. 63. vbi dicit, quòd *materia eſt cognoſcibilis per Analogiam ad formam.*

In quæſtione videndum eſt de conditionibus 3.
materiæ, quas Ariſtoteles & Comment. illi tribuunt in iſto primo. Prima conditio eſt, quòd materia eſt ens in pura potentia. Propter quod notandum, quòd aliquid dicitur eſſe a in potentia tripliciter; vno modo, quia non eſt præſentialiter, ſed tamen poteſt eſſe, & ſic dicimus, quòd Antichriſtus eſt ens in pura potentia, & ad hoc, quòd aliquod tale ens ſit poſſibile; oportet quòd agens potens ipſum producere, ſit de facto, & cum hoc materia, ex qua poteſt produci ſecundùm Commentatorem: ſed ſecundùm rei veritatem ſufficit, quòd ſit agens potens eum producere, quia aliquid poteſt fieri ex nihilo.

Diuiſio quæſtionis.

Aliquid dicitur eſſe in potentia tripliciter.

Secundo modo dicitur ens in potentia illud, quod non eſt actu ſeparatum, poteſt tamen eſſe ſeparatum; & ſic dicimus quòd pars eſt in potentia in ſuo toto.

Tertio modo dicitur ens in pura potentia, non quòd ſit in actu, ſed quia non eſt actus, ſcilicet forma, vel habens formam, quam ſibi determinat à natura, & iſto modo materia prima dicitur ens in pura potentia.

Per hoc ad tres primas rationes, quæ probant 4.
oppoſitum. Illud quod eſt ſolùm ens in potentia, verum eſt capiendo ens in potentia primo modo, ſed capiendo ens in potentia pro eo quod eſt, licèt non in actu formali, vel per formam, tunc maior eſt falſa.

Ad ſecundam, quia medium, &c. Dico quòd Commen

Commentator quando dicit materiam esse medium inter ens & non ens, sic intelligit: quòd materia prima non est non ens, quòd omnino nihil sit, nec est ens, scilicet in actu formali, vel per formam, quam sibi determinet à natura, & sic est medium per abnegationē vtriusque extremi.

Ad tertiam, Quia nihil per se existens, &c. Dico, quòd sic est per se existens, quòd non est alteri inhærens, nec sequitur ex hoc, quòd sit eos io actu. Dico etiam quòd non est sic per se existens, quod possit esse sine forma, quia inseparabilis est à forma.

5. Sed dubitatur, ex quo materia est ens in pura potentia, Vtrùm illa potentia sit eadem materiæ, vel distincta ab ea. Vnde notandum, quòd potentia accipitur tripliciter. Vno modo pro materia potente, & sic dicit Commentator quòd materia substantiatur per posse. Secundo modo capitur potentia pro dispositionibus, mediantibus quibus materia recipit formam substantialem; sicut est caliditas, & siccitas, quæ disponunt ad formam ignis; & isto modo manifestum est, quòd potentia distinguitur à materia; sed primo modo potentia est eadem materiæ. Tertio modo accipitur potentia, vt est de genere relationis, & dicitur in relatione ad formam; & de hac dicunt quidam, quòd potentia est vnum accidens de genere relationis, distinctum à materia, perpetuò inhærens materiæ ante generationem formæ; quod probatur, quia potentia corrumpitur in aduentu formæ, & tamen materia non corrumpitur, igitur distinguuntur. Secundò, quia potentiæ multiplicantur in materia, secundum formarum multiplicationem, ad quas materia est potens, & tamen materia non sic multiplicatur.

Potentia tripliciter sumitur.

Istis non obstantibus dico, quòd potentia non est tale accidens distinctum à materia, sed est materia potens: quia valde inconueniens esset ponere infinita talia accidentia in materia, quod tamen de necessitate sequeretur. Secundò quia tunc tale accidens esset perpetuum à parte ante, & corrumperetur à parte pòst, quod est falsum primo Cœli, text. 119.

6. Tunc dico, quod in [c] aduentu formæ potentia non corrumpitur, imò manet, sed desinit esse potentia ad illam formam, ita quòd desinit esse vocari, & ita Logicè loquendo, potest concedi respectu verbi de futuro, quod potentia ad talem formam est, quando non est potentia ad talem formam: nec oportet ponere talem multiplicationem potentiarum in materia, quando ipsa de se est potens ad omnes formas, & hoc de prima conditione.

Materia prima est cognoscibilis per Analogiam ad formam.

Secunda conditio est, quòd materia prima est cognoscibilis per analogiam ad formam. Vnde notandum, quòd aliquid potest cognosci tripliciter. Vno modo sicut sensibile proprium, quod agit speciem suam in sensum. Alio modo sicut sensibile per accidens, sicut substantia, quando concipitur conceptu quantitatiuo. Tertio modo sicut illa, quæ non sunt sensibilia per se, nec per accidens; sicut Deus Intelligentiæ, intellectus, & actus intelligendi, quæ cognoscuntur per argumentationem.

Res aliqua potest tripliciter cognosci.

7. Nunc est prima conclusio, Materia [d] prima non cognoscitur sine argumentatione, & discursu. Probatur, illud non cognoscitur sine argumentatione, & discursu, quod non est sensibile per se, vel per accidens: modò materia prima non est sensibilis per se, vel per accidens, ergo, &c. Maior patet ex distinctione; & minor apparet, quia materia prima non mouet sensum per suam essentiam; nec per aliquam inhærentem sibi. Vnde nos non dicimus, quòd audiuimus, vel vidimus materiam primam.

Sed obiicitur, quia illud est sensibile per accidens, cui insunt sensibilia per se: modò materiæ primæ insunt sensibilia per se, scilicet qualitates, igitur est sensibilis per accidens. Respondetur negando maiorem, nisi illud subiectum denominetur ab illis qualitatibus; modò materia prima non denominatur ab illis qualitatibus, quia non dicimus, quòd materia prima sit alba, vel nigra; imò istæ denominationes cōpetunt toti cōposito.

8. Secunda conclusio. Per nullam vnicam speciem alicuius rei possumus deuenire in notitiam materiæ primæ. Probatur, quia materia prima cognoscitur per motum, & transmutationem; modò motus, & transmutatio insunt sensationibus diuersorum, vt habet videri secundo de Anima, text. 69 & secundò per speciem. Secundò per Aristotelem materia cognoscitur per Analogiam, id est, per argumentum à simili sumptum in artificialibus: modò similitudo non cognoscitur, nisi per cognitionem diuersorum. Tertiò, quia si per vnicam speciem alicuius rei possemus illam cognoscere, tunc facilè est cognoscere materiam primam, quod est falsum.

Materia non cognoscitur per vnicam speciem.

Et si arguatur, quæ sunt argumentationes, seu processus, quibus cognoscitur materia: Dico quòd factæ fuerunt in alia quæstione, *Vtrùm ex nihilo nihil fiat.*

Tertia conclusio. Nullus processus, quo deuenimus in cognitionē materiæ primæ, est demonstratiuus. Patet, quia non potest demonstrari, quin omnia fuissent ab æterno, vel etiam quin omnia de nouo generentur secundùm se tota, vt tactum fuit priùs; patet igitur qualiter materia prima cognoscitur per Analogiam ad formam, per discursum & rationem, qui licèt non sint demonstrati, tamen verisimiliores sunt aliis viis saluandi generationem, & corruptionem.

Materia non cognoscitur processu demonstratiuo.

Tertia conditio est quòd materia prima est perpetua. Sed contra, omne habēs materiam corrumpitur propter materiam, ita vt materia sit causa corruptionis, igitur materia est corruptibilis, per illam regulam, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Materia prima est perpetua.

Secundò, quia materia est id, quod in rei veritate generatur, vt dicit Commentator, modò omne generabile est corruptibile.

Tertiò, quia sicut se habet subiectum alterationis ad alterationem; ita subiectum generationis ad generationem: sed subiectum alterationis denominatur alterari, igitur & subiectum generationis denominatur generari.

Oppositum arguitur per Aristotelem. Notandum, quòd [e] aliquid dicitur generari dupliciter: vno modo terminatiuè, & sic attribuitur formæ, vel compositio, quemadmodum dicimus, asinus generatur. Alio modo subiectiuè, & sic illud dicitur generari, quod subiicitur generationi, & tūc Aristoteles intellexit primo modo, quòd materia sit perpetua: quia ingenerabilis, & incorruptibilis terminatiuè; quod probatur, quia si materia posset generari, sequeretur, quòd aliquid esset antequam fieret. consequens est impossibile; & consequentia probatur, quia materia prima, vel generatur ex nihilo, & hoc non, sicut omnes antiqui concesserunt; vel ex aliquo, & hoc non, quia

Aliquid dicitur generari dupliciter.

quia illud ex aliqoo non esset nisi materia prima, & per consequens materia prima esset antequam fieret.

Secundò sequeretur, quòd aliqua esset transmutatio,& nihil transmutaretur,quod est falsum; & patet consequentia, quia in illa transmutatione,quà acquireretur materia prima, vel transmutaretur aliquid,vel nihil, si nihil, habetur intentum:si aliquid, illud mutabile, vel esset materia prima;& hoc non, quia illa acquiritur per transmutationem,ergo,&c.

Per idem probatur,quòd materia prima est incorruptibilis, quia tunc aliquid esset postquam corrumpitur;quod est falsum.Secundò,quia tunc aliqua esset corruptio, quia nihil transmutaretur.

11. Tunc ad instantias dico, quòd illa regula intelligitur,quando illud in quo fit comparatio recipit magis, & minùs, & hoc conuenit vtrique comparatorum,scilicet tam causæ,quàm causato: modo corruptibile non conuenit causæ, scilicet materiæ. Similiter corruptibile non suscipit magis & minùs,quia omnia corruptibilia sunt æqualiter corruptibilia.

Ad secundam dico, quòd Commentator intelligit, quòd materia prima subiicitur generationi. Et per idem ad 3. quia nos attribuimus alterationem composito, eo quòd compositum est motum, vel quòd est subiectum alterationis: sed quia materia prima est nobis ignota, vel saltem parum nota;ideò non attribuimus sibi generationem, licèt forsitan generari; imò potiùs attribuimus ipsam termino generationis, scilicet composito.

12. Quarta conditio est, quòd materia prima est informis. Et hoc intelligitur dupliciter. Vno modo,quòd non habeat formam,sed quòd sit separata,vel separabilis à forma, & hoc est impossibile:quia si ita esset, sequeretur quòd non ens actu esset ens actu,quod est contradictio;& patet consequentia:quia materia de sui natura est non ens actu, scilicet formali, vel per formam, & per te est ens in actu: qnod actuatur per *existere*, quia actualitet per se existit, igitur non ens actu. Secundò patet exemplariter: quia sicut cera se habet ad figuram, ita materia ad formam; sed cera est inseparabilis à figura: quia non potest esse, quin sit figurata. Tertiò patet per aliud simile: quia sicut se habet consonans ad vocalem,ita materia ad formam; sed impossibile est quòd fiat consonans sine vocali; igitur impossibile est esse materiam sine forma.

Materia prima est informis.

13. Sed obiicitur; quia materia & forma sunt duæ res ab inuicem distinctæ; nec implicat contradictionem, quòd sint ab inuicem separatæ: igitur possunt ab inuicem separari. Respondetur dicendo.Primò quòd implicat contradictionem materiam separari à forma, vel è contra, quia non ens actu esset ens actu;quod est contradictio.Secundò negatur ista consequentia; Non implicat contradictionem, igitur potest fieri;quia duas medietates cœli ab inuicem separari non implicat contradictionem, & tamen ipsas ab inuicem separari est impossibile.

Secundò, quia à quacunque forma materia est separabilis,igitur est separabilis à forma.Respondetur negando consequentiam:quia licèt à qualibet posset separari per corruptionem,tamen corruptâ vnâ semper generatur alia.

Secundo modo intelligitur conditio, quòd materia prima sit informis, id est, quòd non habeat aliquam formam, tanquam partem essentiæ suæ,quod probatur:quia si haberet aliquam, tunc materia prima non esset primum principium, sed potiùs partes ex quibus componeretur. Secundò, quia tunc omnis mutatio facta in materia prima esset accidentalis,quia fieret in subiecto in actu.

Tertio modo intelligitur,quòd materia prima sit informis consecutiue, sic scilicet vt nullam habeat formam actualem consequentem naturam suam,& hoc est verum.Quod probatur:quia si haberet aliquam, tunc non esset ens in pura potentia, immò esset in actu saltem per illam formam. Secundò,quia ea quo materia de sui natura est potens recipere omnes formas, frustrà poneretur accidens tale,mediante quo reciperet. Tertiò, quia si per priuationem omnes formæ tam substantiales, quàm accidentales essent separatæ à materia,adhuc materia prima esset, & esset potens recipere formam. 14.

Sed contrà obiicitur:quia corporeitas est quædam forma, & tamen materia determinat sibi quòd sit corporea.Secundò per Commentatorem in de substantia Orbis, qui dicit,quòd dimensiones interminatæ sunt intrinsecus in materia,quod non esset nisi materia determinaret sibi illas dimensiones. Tertiò, quia materia determinat sibi maximam raritatem sub qua potest esse: quia quando est sub forma ignis, non potest esse sub minori raritate, & quando est sub forma terræ, non potest esse sub maiori densitate.

Ad ista respondetur: ad illud de quanto, quòd tota materia prima quantum est ex parte sua non determinat sibi aliquam quantitatem, figuram, raritatem,densitatem, vel locum;immò quantum est ea parte sui,tota massa materiæ primæ, immò pars eius posset occupare locum,quem tunc occupat totum corpus cœleste. Similiter sibi non repugnat esse sub quantacunque imaginabili raritate, vel etiam densitate, immò non repugnat sibi, quin tota esset partes. Ex quibus sequitur, quòd tota terminatio materiæ primæ prouenit ex parte loci,aut ex parte formæ. Vnde quantum ad locum materia prima quantum ad totam massam est figuræ sphæricæ, & est in concauo orbis Lunæ,tanquam in loco, itaque non potest esse in loco maiori, vel minori propter formam determinatur ad tantam raritatem, vel densitatem, vt quando est sub forma ignis in optima sui dispositione,est sub tanta raritate, quòd non potest esse sub maiori, & quando est sub forma terræ,est sub maiori densitate. 15.

Materia est sphærica figura & est in concauo orbis Lunæ.

Ad instantias de corporeitate, dico, quòd corporeitas non est aliqua forma; immò non sunt tales formæ ordinatæ secundùm ordinationem prædicatorum in quid. Ad secundum & tertium dico,quòd Commentator intelligit, quòd materia prima determinat sibi, quòd semper sit quanta; licèt nullam quantitatem sibi determinet. 16.

Quinta conditio, quòd materia prima est vna numero in omnibus generabilibus & corruptibilibus.Probatur;quia si essent materię diuersarum rationum, tunc sequeretur quòd non omnia generabilia, & corruptibilia, essent inuicem transmutabilia, quod est falsum:& istud sic intelligitur,quòd si per imaginationem circumscriberentur omnes formæ tam substantiales,quàm accidentales;tunc tota materia prima, & quælibet pars eius essent eiusdem rationis, & ideò non intelligitur,

Materia prima est vna numero omnium generabilium, & corruptibilium.

telligitur, quòd vna portio materiæ primæ sit alia, sed quòd ambæ sunt eiusdem speciei.

17. Sed dubitatur vtrùm de facto tota materia esset vnum continuum; videtur quòd sic: quia si non esset vnum continuum, hoc esset propter diuersitatem formarum; sed diuersitas formarum non sufficit ad discontinuationem; quod patet dupliciter, quia eiusdem virgæ continuæ vna pars est arida, & alia viuens & animata. Secundò, quia si duobus agentibus apponeretur vnum passum, vnum scilicet in vno extremo passi, & alterum in alio; tunc quodlibet istorum agentium potest inducere formam suam in illo passo, aut in diuersis partibus, passo non discontinuato.

Sed contrà; illa non sunt continua quorum motus sunt diuersi, sed diuersarum portionum materiæ adhuc immediatarum motus sunt diuersi: ergo, &c. Maior patet per definitionem contrariorum; & minor ad experientiam. Secundò quia non apparet possibile, quòd sagitta velociter distracta per aërem sit continua aëri. Ideò dico, quòd materia non est vnum continuum, non ex eo quòd habeat diuersas formas propter duas rationes factas, sed propter diuersitatem motuum materiæ, vt tactum fuit in arguendo.

18. *Materia prima est principium transmutationis.*

Sexta conditio est, quòd cuiuslibet transmutationis naturalis materia prima est principium. Sed obiicitur: quia motus cœli, & illuminatio Lunæ sunt quædam mutationes naturales, quibus tamen non subiicitur materia prima. Secundò quia intellectio, & sensatio sunt motus naturales, & tamen non habent materiam primam pro subiecto. Respondetur, quòd illa conditio debet intelligi de transmutatione istorum inferiorum, exceptis illis, quæ fiunt in sensu, vel intellectu. Aliter dicitur, quòd capiendo materiam largè pro omni eo quod mutatur, quòd tunc cuiuslibet transmutationis materia est subiectum. Patet igitur ex prædictis, quæ & qualis sit materia prima.

Ad rationes: tres primæ sunt solutæ. Ad alias tres simul dico, quòd materia prima non cognoscitur per speciem propriam, sed arguitur per species aliarum rerum: nam materia prima non mouet potentiam cognitiuam ad cognitionem sui, sed aliæ res, per quarum species ipsa cognoscitur, mouent ad eius cognitionem.

ANNOTATIONES.

19. *Opinio duplex de esse materia primæ.*

[a] A*Liquid dicitur in potentia tripliciter*, &c. Nota quòd de esse materiæ primæ duplex est sententia. Vna Thomistarum ponentium materiam taliter in nihilum redactam, vt dicant ita esse puram potentiam, vt nullum prorsus actum de se habeat. Altera est Scoti in 2. distinct. 12. quæst. 1. Vbi docet materiam habere actum entitatiuum, secundùm quem est principium naturæ, per se causa, párque rerum naturalium: fundamentum formarum, subiectum mutationum substantialium, & terminus creationis, quamuis careat actu formali, quæ breuiter consistit in vnica distinctione, & sex dictis.

Aliquid dicitur esse in potentia dupliciter.

Distinctio est talis, quòd duobus modis aliquid dici potest esse in potentia, videlicet in potentia obiectiua, & in potentia subiectiua. Illud est in potentia obiectiua, quod cùm non existit, potest tamen existere, vt Antichristus modò est in potentia obiectiua, & mundus antequam crearetur, erat hoc modo in potentia, quare actus oppositus huius potentiæ est existentia, & iste est eius actus secundus: nam actus primus est esse in virtute suarum causarum, dicitúrque esse secundùm quid, ex Scoto vbi suprà. Res autem dicuntur esse in potentia obiectiua respectu agentis potentis ipsas producere, cuius actionis sunt obiecta.

In potentia subiectiua dicitur id, quod cùm iam habeat existentiam, potest aliquam formam recipere, siue accidentalem, siue substantialem, & sic corpus est in potentia subiectiua ad recipiendum calorem, atque adeò actus oppositus huius potentiæ est forma, quæ recipitur. & hoc modo dicitur materia esse in potentia ad formas. 20.

Potentia subiectiua est duplex.

Huiusmodi verò potentia subiectiua adhuc duplex est, altera quæ non excludit aliquam formam, vt lignum habens formam ligni, est in potentia ad calorem. Altera est nullam formam habens de se, qualem ponimus esse materiam. Ex hoc sequitur triplicem esse actum formalem; nempe qui est à forma existentiæ, qui est ab existentia; entitatis ab entitate.

Actus est triplex.

Materia prima est de se actus.

Primum dictum: Materia prima est de se actus, id est, de se habet aliquam entitatem absolutam, siue actum entitatiuum. Nam quod verè est, actu est, materia prima verè est, quare actu est. Item quod est principium, & per se causa entia, oportet quòd sit aliquod ens: quia principiatum & causatum dependet à principio, & causa: materia est principium entis naturalis, eiúsque causa materialis, ergo est ens in actu.

Materia prima est ens in potentia subiectiua.

Secundum assertum. Materia prima est ens in potentia subiectiua ad omnes formas, & est non ens actu formali. Hoc assertum est Aristotelis in hoc 1. cap. 8. & 5. Metaph. text. 7. & in text. 15. diluit quoddam dubium, nimirum ex quo non ente fiat generatio, cùm tripliciter dicatur non ens, aut vt nihil sit, vel vt priuatio, vel vt materia, & concludit ex materia per se fieri generationem, ex priuatione per accidens, ex nihilo autem nihil fieri.

21. *Materia prima non est actus formalis.*

Tertium dictum. Materia prima non est actus formalis, est tamen substantia incompleta terminabilis per formam. Prima pars patet: quia forma tantùm est hoc modo actus. Secunda pars probatur, principium substantiæ non potest esse non substantia, sed materia est principium substantiæ, ergo substantia; sed non est substantia terminans, quia hoc pertinet ad formam: ergo est terminabilis à forma. Et hoc innuit Aristot. 10. Metaph. cap. 1. dicens materiam esse substantiam aliter quàm formam.

Materia est in actu formali præcisè per formam.

Quartum dictum. Materia non est in actu formali nisi per formam. Hoc patet ex Aristotele 3. Physic. text. 67. vbi dicitur materiam contineri à forma; & 1. de Generat. text. 85. Materia efficitur, vt sit actus per formam; quæ authoritates intelligi nequeunt de actu entitatiuo, quem materia de se habet, ergo intelliguntur de actu formali.

Materia prima quiditas est esse puram potentiam ad formam.

Quintum assertum. Quiditas materiæ primæ est esse puram potentiam ad actum Physicum, seu formam substantialem, nam si potentia materiæ esset accidens eius, reciperet formam mediante tali potentia. Hoc autem est contra Aristotelem 2. de Anima. cap. 1. dicentem, non opus esse aliquo vinculo, quo forma cum materia nectatur.

Vltimum

Materia est primò diversa à forma. Vltimum assertum. Materia est quædam entitas realiter distincta, & primò diuersa à forma. Hoc assertum est Scoti vbi suprà artic. 2. His addo, ideò materia dicitur potiùs potentia quàm actus, quia quanto aliquid habet minùs de actu, tanto magis est in potentia: & quia materia non habet actum distinguentem, vel diuidentem, vel informantem, & dantem sibi esse specificum, sed est tantùm actus entitatiuus receptiuus actus formalis; ideò potiùs potentia, quàm actus dicitur.

22. *Potentia quid sit.* *Potentia non est accidens distinctum à materia.* Nota primò, quòd potentia nihil aliud est, quàm aptitudo ad formam habendam; & quia materia habet aptitudinem ad formam, carentia & *Priuatio & negatio quomodo differant.* negatio formæ est, dicitúrque priuatio. Hoc enim inter negationem, & priuationem interest, quòd negatio dicit absolutam carentiam actus, seu formæ, priuatio verò dicit negationem formæ in subiecto apto nato recipere illam, ex hac autem priuatione prouenit appetitus: quia priuatio est occasio in re sic priuata, vt appetat, & sit naturaliter prona in id, quo caret, & potest habere, qui appetitus est idem, quod naturalis inclinatio, éstque in proposito potentia materiæ, quia materia non solùm est receptiua, sed etiam causatiua rei. Est enim receptiua formæ, sicut vas recipit aquam, éstque causatiua rei, quia ex ea fit res, & ab ea educitur forma, quapropter est subiectum mutationis, & eius causa, & principium materiale.

23. Nota secundò, quòd potentia huiusmodi primò tendit in substantiam, deinde in accidentia: itaque per se primò est potentia ad substantiam, vt ex ea fiat substantia, non ratione Thomistarum, videlicet, quia potentia primò terminatur in actum sui generis, & potentia materiæ, cùm sit substantia, primò terminatur in formam substantialem; non inquam hac ratione: quia (vt dicit Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. artic. 1. ad vltimum) receptiuum alicuius generis non est eiusdem generis cum recepto, neque per se, neque per reductionem, sed necessariò est in actu in aliquo alio genere; vt receptiuum coloris est aliquod actuale de genere priori, videlicet de genere quantitatis. Potentiale autem primi generis non potest esse in alio primi genere, quia non est aliud prius genus substantia ex 7. Metaph. cap. 1. Ideò oportet esset de eodem genere substantiæ, & sic primò est ad substantiam. Sed ratio quare primò est potentia ad substantiam, est, quia est prima per se potentia; ideò per se est ad primum actum, primus actus est substantiæ, ideò primò & per se est ad formam substantialem, formæ autem accidentales sunt actus secundi; ideò materia non est primò ad formas accidentales.

24. Nota tertiò, quòd non solùm in prædicamento Relationis, sed etiam in aliis Prædicamentis possumus distinguere, quòd hoc est secundùm *esse*; hoc autem secundùm *dici*. Secundùm esse est, verbi gratia qualitas: quæ secundùm id, quod est, est in prædicamento Qualitatis. Est etiam qualitas secundùm dici, & est illa, quæ secundùm id, quod est, non est in prædicamento Qualitatis, dicitur tamen qualitas: quia habet quendam modum qualitatiuum, vt forma substantialis dicitur ab Aristotele 5. Meta. quædam qualitas. Similiter est relatio secundùm esse, quæ scilicet, secundùm id, quod est, est in prædicamento Relationis, vt paternitas est relatio secundùm dici; illa scilicet quæ secundùm id, quod est, non est in prædicamento Relationis, sed in alio prædicamento, competit tamen ei quidam modus relatiuus; & huiusmodi est potentia materiæ ad formam; quæ quidem secundùm esse realiter est ipsa materia, cui competit ille modus relatiuus; & quia modus non trahit rem, sed magis res trahit modum, ideò ille modus relatiuus materiæ non facit illam esse extra prædicamentum Substantiæ: atque ita materia est, cui existenti in prędicamento Substantię competit ille modus relatiuus.

Ex his sequitur, quòd potentia materiæ est idem realiter cum materia, & ab ea tantùm formaliter distinguitur. Prima pars patet, quia materia considerata in ordine ad formam, tanquam receptaculum illi proportionatum habet rationem aptitudinis, rursus considerata in ordine ad formam, tanquam imperfectum tendens in suam perfectionem, habet rationem appetitus; sed considerata in ordine ad formam, quæ de eius potentia est educibilis, dicitur potentia; naturalis autem inclinatio rei est eadem cum re inclinata ad aliquid, & per consequens non distinguitur à re inclinata. Secunda pars probatur: quia præcisus conceptus formalis materiæ est conceptus rei absolutę, potentiæ verò respectiuæ; ergo distinguuntur formaliter. 25. *Potentia materiæ est idem realiter cum materia.*

c *In aduentu formæ potentia non corrumpitur, &c.* Nota quòd quando dicitur materia manet, & non potentia; si autem accipiatur potentia vt dicit ipsam substantiam materiæ, falsa est propositio: si autem accipiatur potentia, vt dicit respectum quendam fundatum in ipsa materia, sic cùm talis respectus formaliter non sit ipsa materia, perit, & non materia in hoc sensu, quòd materia non ordinatur ampliùs in talem formam, actualiter ipsam desiderando, hoc autem modo non dicitur corrumpi talis respectus; sed per accidens: sicut verbi gratiâ, homo habet potentiam ad ridendum; quando verò actu ridet, non videtur esse in potentia ad talem actum. Vnde potentia ad illum actum, videtur perisse; non quòd re vera pereat, sed quòd iam potiatur illo, quod desiderabat, & hoc est quod hìc vult Scotus. Posset etiam dici, quòd potentia non destruitur, sed priuatio quæ erat cum potentia; ipsa tamen potentia manet: quia est proportio materiæ ad formam, quæ antè erat sine forma, postea cum forma.

d *Materia prima non cognoscitur sine argumentatione & discursu.* Nota, quòd materia prima ex natura sua, & secundùm se est cognoscibilis, non tamen à nobis nisi per analogiam ad materiam artificialium, vel aliâ viâ; ita docet Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 1. ad tertium. Primum patet: quia omnis entitas absoluta est per se cognoscibilis, materia est entitas absoluta, quare erit de se cognoscibilis, ex quo sequitur, quòd etsi materia non sit actiua actione reali; est tamen actiua actione intentionali, atque ita concurrit ad sui notitiam. 26.

Secunda pars probatur, forma est magis cognoscibilis à nobis quàm materia; sed forma non cognoscitur nisi ex operationibus, quas experimur, ergo neque materia, nisi per analogiã ad materiam artificialium: cognoscimus enim materiam per transmutationẽ. Hoc pacto in omni transmutatione, quæ fit ab extremo ad extremum oportet dare subiectum medium distinctum ab vtroque extremo; perseuerans modò sub vno, modò

ſub altero extremorum. Hoc patet io transmutatione artificialium. In marmore enim iu quo priùs erat ſculpta figura Mercurij, illa figura expulſa ſculpitur alia Iouis, manente ſemper eodem marmore: eodem modo ſe habet materia prima reſpectu formarum ſubſtantialium, modò namque ſub vna forma exiſtens fit ſub altera, priori ab ea expulſa, & ſic patet quomodo argumentatione, & diſcurſu cognoſcitur.

27. *Materia prima cognoſci poteſt ex mutua rerum tranſmutatione.*

Tertia pars, nempe quòd aliæ ſiot viæ ad cognoſcendam materiam, quamuis prædicta ſit aptior, & clarior, probatur; quia materia prima poteſt cognoſci ex mutua rerum transmutatione, ſed hæc eſt via eleuatior, & difficilior, quàm prima; quia eſt remotior à ſenſu, cognoſcitur autem materia per hanc viam in hunc modum: aër conuertitur in aquam, at impoſſibile eſt, quòd vna ſubſtantia fiat alia; ergo modus huius traoſmutationis eſt, quòd recedit à materia forma aëris, & aduenit forma aquæ: cùm autem forma aquæ & aëris ſint diuerſæ, niſi aliquod commune haberent, puta materiam, impoſſibilis eſſet talia traoſitua.

Item ſubſiſtere ineſt ſubſtantiia, & non à formia, quæ in alio ſunt, ergo ab aliquo ſubiecto nullo modo alteri inexiſtenti, quod eſt materia. Antecedens videtur eſſe Scoti in 2. diſtinct. 12, quæſt. 2. in fine quæſtionia dicentia, quòd licet entitas materiæ ſit minùs perfecta quàm formæ, non tamen plus eſt dependens, immò minùs, & ideò poteſt fieri ſine forma, & non è conuerſo.

Materia cognoſci poteſt per negationem.

Poteſt etiam cognoſci tertia via, ſcilicet per negationem ſic: Sicut purus actus, qualis eſt beatiſſimus Deus omni carens imperfectione, cognoſcitur per negationem omnium imperfectionum, vel perfectionum includentium imperfectionem, ſic materia prima, quæ omni perfectione prouueniente à forma caret, per excluſionem omnium perfectionom prouenientium à formis cognoſci poterit, & ita Ariſtoteles dixit quòd materia prima neque eſt quid, nec quantum, nec quale, &c.

28. *Materia prima fuit à Deo.*

Aliquid dicitur generari dupliciter, &c. Nota quòd materia prima fuit à Deo creata cum hac mundi vniuerſitate, vt patet Geneſ. 1. *In principio creauit Deus*, &c. & Ioannis 1. *omnia per ipſum facta ſunt.* Non enim eſt Deus ſicut artifex, vt impudentibus, & pluſquam falſis verbis Cicero auſus eſt dicere in primo libro de natura Deorum, ſic dicens. *Primum igitur non eſt probabile eam materiam rerum, vnde orta ſunt omnia, eſſe diuinâ prouidentiâ effectam, ſed habere, & habuiſſe vim, & naturam ſuam, vt igitur, cùm faber quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed eâ vtitur, quæ ſit parata, fictórque item cera, ſic iſti prouidentiæ diuinæ præſtò eſſe oportet, non quam ipſa faceret, ſed quam haberet paratam.* Quòd ſi non eſt à Deo materia facta, neque terra quidem, & aqua, & aër, & ignis à Deo factus eſt. Non, inquam, noſter Deus eſt veluti Artifex ſuo operi ſupponens materiam, ſed eam ex nihilo creans, eſt enim vnicum rerum omnium principium, immobile, æternum, infinitum, incorporeum, omnipotens, & liberum, virtute poteſtatéque ſua cuncta faciens, quem Plato in Timæo mundi opificem appellat, & quem Ariſtoteles primam cauſam, primúmque motorem nuncupat. Eſt enim primum mouens, prima natura, cauſa infinita, principium effectiuum omnium rerum, ſummum bonum, ſummúſque omnium finis.

Cæterùm etſi materia à Deo creata ſit, eſt tamen ingenerabilis, & incorruptibilis, vt ſubtiliſſimè oſtendit hic Scotus. Obſeruat tamen quòd tripliciter poteſt res aliqua ex natura ſua incorruptibilis eſſe, aut quia nullam habet materiam, vt Angeli; aut quia forma, quam habet, non habet contrarium corrumpens, quod illam vincere poſſit, vt cœlum; aut quia eſt primum ſubiectum, quod de nullius potentia educi poteſt, & ſic eſt materia prima incorruptibilis. Incorruptibile primo, & ſecundo modo dicit perfectionem, & talia corruptibilia nequeunt niſi per creationem produci, neque corrumpi niſi per annihilationem. Incorruptibile tertio modo dicit quid imperfectionis, quod tamen & ipſum nequit produci niſi per creationem, & ſimiliter neque corrumpi, niſi per annihilationem: atque ita omnia iſta incorruptibilia durare in perpetuum non eſſe miraculum, ſed naturale, deſinere autem eſſe, eſſet miraculum, è contra corruptibilia durare in perpetuum eſſet miraculum, corrumpi autem naturale. Ex hoc ſequitur, quòd tota materia, quæ in principio mundi creata fuit, eſt modò, eritque ad finem vſque. 29. *Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis.*

f *Materiam ſeparari à forma eſt impoſſibile.* Nota quòd Philoſophus ponens neceſſariam connexionem cauſarum; ita vt prima cauſa ſine ſecunda non poſſet operari, (quod eſt falſum, & contra noſtram fidem) conſequenter iuxta eius doctrinam materiam eſſe ſine forma non eſt poſſibile, atque adeò naturaliter loquendo, & Ariſtotelis principia in hac quæſt. ſequen. Scotus dicit materiam ſeparari à forma eſſe impoſſibile, contradictionémque inuoluere. Cæterùm vt Theologus loquens In 2. d. 12. q. 2. contra D. Thom. 1. p. q. 66. art. 1. de potentia Dei artic. 4. & in lib. de Ente & eſſentia cap. 5. & contra D. Bonau. in 2. d. 12. q. 1. & Durandum eadem d. q. 2. affirmat per diuinam potentiam poſſe materiam ſine forma exiſtere. g.) *Materia eſt vna numero in omnibus generabilibus*, &c. Quomodo hoc habeat intelligi lege Ioan. Canon. lib. 1. Phyſicorum. 30.

EXPOSITIO TEXTVS.

TAngentes igitur & alij quidam, &c. Iſtud eſt ſecundum capitulum 4. Tractatus, in quo Philoſophus determinat de priuatione & forma, & diuiditur: quia Primò determinat de priuatione. Secundò excuſat ſe de forma, ibi, *De principio autem, ſecundùm ſpeciem*, &c. Primum diuiditur: quia primò ponit errorem antiquorum de priuatione. Secundò ponit conditiones priuationis. Tertiò oſtendit cauſam, quare antiqui errauerunt de priuatione. Et quartò oſtendit quòd in omni generatione priuatio eſt principium. Et quintò oſtendit qualiter materia eſt generabilis, & qualiter non. Secundum ibi, *Nos enim materiam*, &c. Tertium ibi, *Quidam autem.* Quartum ibi, *Exiſtente enim quodam diuino.* Quintum ibi, *Corrumpitur autem & fit.* Primò dicit, quòd antiqui tangentes naturam materiæ inſufficienter determinauerunt de ipſa: quia crediderunt Parmenidem rectè dicere in hoc, quod dicebat nullum eſſe ens, niſi illud, quod eſt aliquid in actu, & ideò quia materia, vel priuatio non ſunt hoc aliquid in actu, ideò iſta nõ ſunt entia, & per conſequens priuatio, cùm ſit non ens, non eſt principiũ. 31. Text. 79.

Secundò

Secundò errabant dicendo, quòd si materia, & priuatio essent vnum numero, quòd tunc essent omnibus modis vnum, & per consequens essent vnum principium, & ratione, modò istud non oportet: quia licèt materia sit priuatio; tamen alia est definitio materiæ secundùm quòd materia, & alia secundùm quòd est priuatio.

32. *Priuatio & materia differunt.* *Nos autem materiam, & priuationem alterum esse dicimus*, &c. Hic ponit; conditiones priuationis per differentiam ipsius ad materiam, dicens quòd differunt ab inuicem materia, & priuatio; quia priuatio est per se non ens, id est, materia priuata est per se non ens actu specifico illo respectu, cuius dicitur priuata. Vnde in definitione priuationis ponitur, quòd actus ille non sit, respectu cuius materia dicitur priuatio, modò pars definitionis per se prædicatur de definito; sed materia est non ens secundùm accidens, id est, non ens actu per actum illum, quo est priuata, & quòd hoc sit secundùm accidens patet: quia materia potest actum illum habere, vel non habere.

Secunda differentia est, quòd materia est valdè propriè substantia rei, eo quòd ex ipsa & forma componitur compositum, sed priuatio non est propriè substantia rei, scilicet secundùm illam rationem, quâ dicitur priuatio.

33. Text. 80. *Quidam 2 autem quòd non est*, &c. Hic ostendit causam erroris antiquorum, & primò ponit errorem dicens, quòd quidam sicut Plato posuerunt magnum, & paruum esse principia, & ideam separatam, sed iste modus triotatis est alius ab eo, quem nos ponimus, scilicet materiam, formam, & priuationem. Vnde in hoc benè dicunt, sed posuerunt quandam naturam subiectam, sed in hoc quòd despexerunt ponere priuationem malè dicunt, & licèt ponunt duo principia, scilicet magnum, & paruum, tamen ambo illa ponunt materialia, & ponunt eis eundem modum principiandi, hunc tamen vnum faciunt, quia materia vna cum forma, est quasi mater eorum, quæ fiunt, scilicet rerum naturalium, sed alia pars contratiatur, scilicet priuatio semper machinatur ad maleficium, scilicet ad corruptionem, & ad non esse, & hoc est verum, quòd si priuatio consideretur per modum termini ad quem, quòd tunc denotat per corruptionem, sed si per modum termini à quo, tunc denotat generationem & esse.

Priuatio semper machinatur ad maleficium.

34. Text. 81. *Existente 3 autem quodam diuino*. Hic probat Aristoteles quòd in omni generatione priuatio est principium necessarium: & præmittit, quòd est quoddam diuinum, & optimum, & appetibile, scilicet forma, quæ dicitur optima inter partes compositi; diuina, quia per ipsam compositum maximè assimilatur Deo; & dicitur appetibilis à materia prima, eo modo quo perfectio appetitur à perfectibili: nam forma est perfectio materiæ. Tunc probatur conclusio: quia illud est principium necessarium in generatione propter quod materia appetit formam, sed propter priuationem materia appetit formam: ergo, &c. Maior patet, & minor: quia materia appetit formam, scilicet appetit generationem, vel per formam, quam habet; & hoc non, quia tunc illa forma appeteret se ipsam non esse, quod est falsum: quia dicit Commentator quòd omne ens diligit se permanere, vel appetit formam per suam naturam; & hoc non, quia tunc appeteret eam postquam haberet, quod est falsum: quia omnis appetitus est ratione indigentiæ, igitur appetit ratione priuationis, & habetur intentum. Et subdit Aristoteles quòd materia appetit formam sicut fœmina virum, & turpe bonum, id est, sicut minùs perfectum appetit perfici per suam perfectionem. Vnde materia per se non est turpis, sed per accidens, quia caret actu.

Forma est quid diuinum, optimum & appetibile.

Appetitus est ratione indigentiæ.

Corrumpitur 4 autem & fit. Hic ostendit qualiter materia est corruptibilis, & qualiter non, dicens, quòd materia corrumpitur secundùm quid, id est, subiectiuè: quia materia subiicitur corruptioni; similiter generatur subiectiuè; quia subiicitur generationi; sed materia non est genetabilis per se, hoc est, terminatiuè, quod probatur: quia si materia prima generaretur, sequeretur quòd non esset prima, quod est contradictio. Consequentia tenet: quia illud ex quo generaretur, potiùs diceretur materia prima, & per consequens materiã primã esset vna alia prior; quia implicat. Similiter probatur, quòd sit incorruptibilis: quia si corrumperetur, corrumperetur in vnam aliam materiam, & per consequens illa esset prior materia, quàm materia prima. 35. Text. 82. *Materia corrumpitur subiectiue. Vide contradictionem Zimaræ.*

Et ponit Aristoteles definitionem materiæ primæ, dicens quòd *Materia prima est principium subiectum ex quo fit aliquid, cùm insit, non secundum accidens, etsi corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*. Et dicit Aristoteles *primum subiectum vniuscuiusque*, ad differentiam materiæ secundæ, quæ nec est prima, nec communis omnibus, sicut elementa, caro, sanguis, & huiusmodi: *ex quo fit aliquid cùm insit*, ponitur ad differentiam priuationis: quæ non est pars inexistens toti, & ponitur *si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum*, ad differentiam formæ, in quam compositum non corrumpitur: quia forma corrumpitur. *Definitio materiæ primæ.*

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm cuiuslibet transmutationis naturalis priuatio sit principium.

Aristot. *cap.* 9. Auerroës *comment.* 80. Simplic. *comment* 77. Themist. *num.* 80. Auic. *de sufficien. cap.* 2. D. Thom. *lect.* 15. Canonic. *quæst.* 10. *art.* 3 Conimbric. *in cap.* 9. *quæst.* 8. Compluten. *disp.* 5. Rouius *tract.* 3. *de priuatione quæst.* 3. Auersa *quæst.* 10. *philosoph. sect.* 2.

ARGVITVR quòd non. Intensio qualitatis est quædam transmutatio: & tamen ipsius priuatio non est principium: ergo, &c. Maior patet: quia in intensione subiectum aliter se habet, quàm priùs; & minor apparet: quia si priuatio esset ibi principium, tunc esset priuatio respectu gradus acquirendi, quæ esset contraria illi gradui: igitur per Aristotelem 10. Metaph. text. 16. ipsa esset contraria cuiuslibet eiusdem speciei, & eùm gradus præcedens, & gradus subsequens sint eiusdem speciei, sequitur, quòd gradus præcedens, & priuatio gradus sequentis, erunt contrarij: quod est falsum; quia stant simul. 1.

Secundò, quia motus localis cœli priuatio non est principium, cùm cœlum nunquam priuetur aliquo situ, quem postea non habuit.

Tertiò, quia augmentationis priuatio non est principium, immò etiam nullius motus, cùm motus quilibet fit de affirmato in affirmatum.

Quartò, quia mutationis indiuisibilis priuatio non est principium: quia si sic, vel hoc esset, quando illa mutatio est, & hoc non: quia tunc est forma

forma acquisita per transmutationem: modò forma, & priuatio non sunt simul, vel quando transmutatio non est, & hoc non; quia eius quod non est, nihil est principium.

Quintò, quia corruptio luminis est quædam transmutatio, & tamen ipsius priuatio non est principium: quia non fit de priuatione in habitum; immò potiùs è contra de habito in priuationem.

2. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 80. In quæstione primò videbitur, quòd res sit priuatio. Secundò, qualiter sit principium. Quantum ad primum, est prima conclusio, quòd [a] priuatio est aliquod ens: probatur, quia si priuatio nihil esset, sequeretur quòd nulla propositio affirmatiua esset vera, in qua iste terminus *priuatio* esset subiectum, vel prædicatum, consequens est contra Aristotelem & Commentatorem in isto primo, text. 30. vbi dicitur quòd priuatio est principium, quòd priuatio est vna numero cum materia, quòd priuatio machinatur ad maleficium, & quòd priuatio est causa appetitus materiæ: probatur consequentia, quia propositio affirmatiua est falsa, cuius subiectum, vel prædicatum pro nulla re supponit, vt ista, *Chimæra est Chimæra.*

Diuisio quæstionis.

Priuatio est aliquod ens.

Secundò, sicut se habet priuatio alicuius boni respectu intellectus, ita priuatio formæ respectu materiæ: sed priuatio boni debiti inesse est ens, quia causa tristitiæ, & doloris; igitur priuatio formæ est ens.

Priuatio est ens præter animam.

Secunda conclusio. Priuatio est ens præter animam. Probatur, quia posito quòd nulla anima consideraret, immò posito per imaginationem, quòd nulla anima esset, adhuc materia esset priuata formâ, quam nata esset habere.

3. Tertia conclusio. Priuatio [b] est materia priuata. Probatur, quia si per imaginationem omnis forma tam substantialis, quàm accidentalis esset separata à materia; tunc materia esset priuata, sed non per priuationem additam, cùm omne tale sit circumscriptum, igitur sequitur quòd ipsa materia esset priuatio. Secundò, quia si priuatio esset res alia à materia, vel esset ens complexum, vel incomplexum: si complexum, tunc componitur ex pluribus incomplexis, & restat idem ac si esset complexum; si incomplexum, tunc esset substantia, vel accidens; non substantia, quia tunc materia non esset principium simplex, sed compositum ex diuersis partibus essentialibus, cuius oppositum est probatum priùs; si accidens, tunc infinita talia essent in materia. Item essent perpetua à parte antè, & corrumperentur à parte pòst. Item corrumperentur in aduentu formæ, & generarentur post eius corruptionem. Tertiò, si ab isto aëre remoueatur lumen nullâ re additâ de nouo, tunc iste aër est transmutatus: quia tenebrosus, & non per tenebram additam, igitur iste aër est tenebra.

Priuatio est materia priuata.

4. Contra conclusionem arguitur primò per Aristotelem in isto primo, text. 79. vbi dicit: *Nos quidem materiam, & priuationem alterum esse dicimus*; & probat hoc dupliciter. Primò, quia materia est per accidens non ens, & priuatio est per se non ens, igitur non sunt idem materia, & priuatio. Secundò, quia materia est propriè subiectum, sed priuatio nequaquam, vbi dicit Commentator quòd priuatio, nec est propriè propinquum, nec remotum; quia nihil est, igitur priuatio non est materia. Tertiò, quia materia manet factâ transmutatione, sed priuatio non manet, igitur priuatio non est materia. Quartò, quia priuatio est causa appetitus materiæ, & tamen materia nō est causa appetitus materiæ. Quintò per Aristotelem in Prædicamentis, qui dicit quòd nō est idem cæcum esse, & cæcitas; igitur à simili non est idem priuatū, & priuatio, sed materia est priuata, igitur materia est priuatio. Sextò per Aristotelem 7. Metaph. tex. 20. In dictis secundùm accidens non est idem ipsum, & esse ipsum: modò priuatum est dictum secundum accidēs de materia, igitur non est idem priuatum, & esse priuatum: & non est alia causa, nisi quia esse priuatum, & priuatio non sunt idem, quemadmodum esse album, & albedo, vt patet; igitur cùm materia sit priuata, sequitur quòd non sit priuatio.

Ad ista respondetur, & ad primum dico quòd Aristoteles reprobat ibi Platonem in hoc, quòd non posuit differentiam inter materiam, & priuationem, scilicet nec secundùm rem, nec secundùm rationem: quia licèt materia, & priuatio sint vnum numero, tamen differunt secundùm rationem; etiam ad rationes. Ad primam dico, quòd ista, *priuatio est per se non ens*, intelligitur quòd forma est non ens, respectu cuius materia dicitur priuatio, vel sic quòd ista propositio est per se, *materia non est informata tali formâ, respectu cuius dicitur priuata*, sed ista est per accidens, *materia est informata tali formâ*: quia quandoque materia habet illam, & quandoque non. 5.

Ad secundam: quia materia est propriè, &c. Dico quòd hoc intelligitur, quòd materia est substantia in actu, scilicet per formam respectu cuius dicitur priuatio.

Ad tertiam dico, quòd ista consequentia non valet, homo manebit, quando est niger, sed album non manebit, igitur homo, & albus non sunt idem, ita nec in proposito; ideò de facto esset concedendum, quòd priuatio est, quando non est priuatio, similiter priuatio manebit, scilicet cum materia prima priuata, quando tamen non manebit priuatio. 6.

Ad quartam. Non intelligitur quòd priuatio sit vna res distincta, quæ sit causa inclinationis materiæ; sed sic intelligitur quòd ista causalis est vera, *materia appetit formam, quia priuata est forma appetibili.*

Ad quintam dico, quòd idem est cæcus & cæcitas, sed quia non est famosus modus loquendi dicere, quòd homo est cæcitas, quemadmodum dicimus, quòd homo est cæcus, ideò dicebat Aristoteles, quòd cæcus & cæcitas non sunt idem. Et ideò Aristoteles in libro Prædicamentorum loquebatur secundùm famositatem solùm, non determinando veritatem, vt dicit Commentator 10. Metaphysicæ, capitulo de *quanto*.

Ad sextam dico, quòd tria sunt entia secundùm accidens; quædam sunt negatiua; vt non esse albū, & huiusmodi, & talia nihil sunt, vt non esse album non est albedo: quia si sic, iam esse, & non esse album essent idem. Secundò sunt quædam dicta priuatiua, vt esse surdum, cæcum, priuatum, infinitum, & huiusmodi, & talia significat subiectum connotando dispositionem oppositam inesse, vt iste terminus *cæcum*, vel *cæcitas* significat oculum, connotando ipsum carere dispositione, mediante quâ potest fieri visio. Alia sunt dicta affirmatiua; & illa sunt duplicia: nam quædam, quæ sunt sumpta à figura, quæ sunt dispositiones additæ rebus dispositis, vt esse figuratum, 7.

Entia secundùm accidens tria sunt.

ratum, esse triangulare, &c. & in talibus dico, quòd est idem ipsum, & esse ipsum, sicut idem est figura, & esse figuratum, sed alia sunt dicta per accidens; per quæ connotantur dispositiones distinctæ a rebus significatis per huiusmodi dicta, vt album, & in talibus non est idem ipsum, & esse ipsum, sicut non est idem album, & esse album: quia album est substantia, & esse album est albedo. Nunc dico, quòd Aristoteles intellexit de dictis per accidens vltimo modo; nam in dictis priuatiuis idem est ipsum, & esse ipsum, vt cæcum, & esse cæcum, & huiusmodi.

8. Contra hoc arguitur: quia si cæcum, & esse cæcum sunt idem, sit igitur, quòd aliquis fit de nouo cæcus. Tunc arguitur cæcum non est de nouo: quia prius fuit, sed de nouo est esse cæcum, igitur cæcum, & esse cæcum non sunt idem. Secundò, quia cæcum diligitur, & tamen non diligitur ipsum esse cæcum, igitur non est idem cæcum, & esse cæcum.

Respondetur, ad primum concedo, quòd cæcum non est de nouo, similiter concedo, quòd esse cæcum non est de nouo, tamen à parte præsenti est concedendum, quòd de nouo est esse cæcum. Consimiliter ad secundum, quia esse cæcum, & etiam cæcum, diligo, licèt non diligam ipsum esse cæcum, & hoc est propter diuersas connotationes istorum terminorum à parte præteriti, sicut in isto Paralogismo, *cognosco Coriscum, Coriscus est veniens, igitur cognosco venientem*, non sequitur, sed sequitur, igitur venientem cognosco; patet igitur, quòd priuatio est materia priuata, & hoc de primo.

9. *Mutatio duplex est, supernaturalis, & naturalis.* Quantum ad secundum. Notandum, quòd quædam est mutatio supernaturalis, vt creatio, & de illa dico, quòd ipsius priuatio non est principium, nec etiam materia: quia talis fit de contradictorio in contradictorium. Alia est mutatio naturalis, in qua scilicet præsupponitur subiectum, & talis est duplex, quædam instanea, & indiuisibilis: & de illa dico, quòd nunquam est verum dicere, quòd priuatio talis formæ est principium mutationis ad illam formam, vt probatur ante oppositum; sed tamen ista est vera materia, & principium huius transmutationis, quæ fuit priuatio formæ, ad quam est ista transmutatio. Sed alia est mutatio diuisibilis, & cuiuslibet talis priuatio est principium: quia in qualibet tali subiicitur materia; quæ partem habet de forma acquirenda, & partem non, quæ dicitur esse priuatio respectu partis non habitæ. Et sic patet, quòd duabus de causis materia dicitur principium transmutationis; prima, quia subiicitur transmutationi, & secunda, quia caret dispositione ad quam est transmutatio.

10. *Priuatio quare ponitur esse principium.* Sed dubitatur, quæ necessitas fuit ponere priuationem esse principium: quia licèt materia, quæ transmutatur, priùs non habuit dispositionem, ad quam transmutatur, tamen ex hoc non sequitur quòd priuatio sit principium. Respondetur propter duas causas. Quia multi antiquorum posuerunt latitudinem formarum, & ideò ad denotandum, quòd nihil formæ præfuit ante transmutationem, priuatio ponitur principium, id est, materia prima sub ea ratione, quà priùs non habuit formam, ad quam est transmutatio. Similiter, quia multi posuerunt formam habere quoddam esse perfectum, & diminutum in materia ante generationem, & ideò ad denotandum, quòd non haberet tale esse, priuatio ponitur principium. Secunda causa pro qua supponitur, quòd omne ens diligit se permanere, cuius signum, quod quodlibet inclinatur ad locum in quo potest maximè conseruari. *Omne ens diligit se permanere.* Secundò supponitur quòd permanentia illorum indiuiduorum non potest esse perpetua secundùm indiuiduum, & hoc propter contrarietatem eorum, ex quibus componuntur ista inferiora, & ideò sequitur tertiò ex istis, quòd in istis inferioribus oporteat ponere aliquam naturam, quæ appetat continuè generationem, & corruptionem, ita vt res possint perpetuari in suo simili secundùm speciem, postquam non possunt perpetuari secundùm indiuiduum, & illa natura est materia prima.

Ex quibus sequitur, quòd cùm materia non appetat transmutari, nisi quis est priuata forma appetibili, ad quam est transmutatio, sequitur quòd priuatio talis formæ sit necessariò requisita ad transmutationem, & ista est necessitas ponendi materiam, & priuationem principia rerum naturalium, & hoc de secundo. 11.

Ad rationes. Ad primam: quia intentio, &c. Dico, quòd illa est priuatio gradus intensionis sequentis, & talis dissimilitudo sufficit, & ideò dictum Aristoteles intelligitur in contrariis positiuis.

Ad secundam de motu cœli dico, quòd imò ibi est priuatio, quoad partes cœli, quia pars in Oriente priuatur situ, qui est in Occidente, atque in Meridie. Similiter est ibi priuatio, quo ad totum cœlum: scilicet priuatio aspectuum; quia aliquis aspectus corporum cœlestium ad inuicem postea est, qui nondum est.

Ad tertiam dico, quòd licèt motus sit de affirmato in affirmatum; tamen id affirmatum, quod est in vno termino, includit priuationem alterius termini, sicut album includit priuationem nigredinis.

Ad illam de mutatione indiuisibili dictum est. Ad aliam de corruptione luminis, dico quòd est de habitu in priuationem, & in hoc est differentia inter motum acquisitiuum, ac deperditiuum.

ANNOTATIONES.

a *Priuatio est aliquod ens.* Nota ex Aristotele 6. Metaph. text.4 ens reale tripliciter dici, vno modo per se, quomodo dicitur id, quod à parte rei est aliquid, de quo ibi intendit Philosophus agere, & quod diuiditur in 10. genera. Secundo modo dicitur ens per accidens, vt homo albus. Tertio modo dicitur per ens, quod significat veritatem propositionis. Et hoc tertio modo comprehendit priuationes, & entia rationis: ex hoc enim quòd aliquid est in rerum natura, sequitur veritas propositionis, quam intellectus significat per hoc verbum *est*, sed quia aliquid, quod est in se non ens, intellectus considerat vt quoddam ens, sicut negationem, & priuationem, ideò etiam huiusmodi non entis dicuntur entia. Dicitur enim, cæcitas est, nō quòd cæcitas habeat aliquod esse in rebus; sed quia intellectus componit illam cum aliquo subiecto, eo quòd remouet aliquod ens à subiecto, vt si dicas, Petrus est cæcus, significat Petrum non habere visum. 12. *Ens reale dicitur tribus modis.*

b *Priuatio est materia priuata.* Nota, quòd materia, & priuatio sunt idem realiter, & distinguuntur formaliter. Nam materia considerari potest, vel vt est de se priuata omni forma, vel vt 13. *Materia & priuatio sunt idem realiter & distinguuntur formaliter.*

est sub quacunque forma. Quādo ergo dicit Scotus, quòd priuatio est materia priuata, nihil aliud intelligit, quam quòd materia priuata est idem sibi realiter, ita vt materia priuata nullam realitatem realem addat ad materiam, sed tantùm dicat negationem formæ in materia apta ad illam recipiendam; sed quia materia, & priuatio habent diuersas definitiones: quia priuatio includit negationem formæ; materia verò non, & materia appetit formam, priuatio verò non: item materia est pars substantiæ, priuatio verò non, & tandem materia manet in composito, priuatio autem expellitur, materia, & priuatio formaliter distinguuntur.

QVÆSTIO XXII.

Vtrùm quodlibet ens naturale appetat sui permanentiam?

Aristot. *cap. 9. text* 81. Auerroës *com.* 81. Simplic. *com.* 79. Themist. *num.* 81. Auic. *de suffic. cap.* 2. D. Thom. *lect.* 15 *& quæst.* 4. *de pot. art.* 1. Scotus *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 3. Conimbricen. *cap* 9. *quæst.* 4. Roccus *quæst.* 35.

1. ARGVITVR primò quòd non: quia tunc sequeretur, quòd agens naturale approximatum passo sufficienter disposito, non ageret in ipsum, consequens est contra experientiam, & principium naturale. Probatur consequentia; quia si ageret, tunc repateretur, & cùm repassio sit eius corruptio, sequitur, quòd si appetat agere in contrarium, quòd appetat disponi ad corruptionem.

Secundò, aliquod ens naturale appetit dispositionem suæ corruptionis, igitur appetit suam corruptionem. Tenet consequentia: quia qui vult antecedens, quodammodò vult consequens; & probatur antecedens: quia ignis appetit rarefieri, modò rarefactio est dispositio præuia corruptioni; quia faciliùs potest agens contrarium agere in rarum, quàm in densum. Similiter patet de hominibus, qui appetunt cibos præparatus suæ corruptioni.

Tertiò: quia aliqua res potest plus durare, quàm de facto permaneat, vt puta si esset in continente meliùs disposito, ergo non quodlibet ens, &c. Tenet consequentia: quia vel appetit durare per illud tempus, per quod potest manere, & non manet; si sic, tunc eius appetitus est frustrà: si non, igitur potest manere, quando non appetit, quod est propositum.

2. Quartò sequeretur, quòd cœlum, & materia prima infinitè appeterent permanere; consequens est falsum, quia quodlibet istorum est finitum, & per consequens solùm finitè potest appetere. Probatur consequentia, quia appetere durare per duos dies prouenit à maiori appetitu, quàm appetere durare per solum vnum: igitur cùm materia prima, & cœlum durent per tempus infinitum, sequitur quòd quodlibet illorum appetat permanere appetitu infinito.

Quintò, quia quodlibet ens appetit illud, quod est sibi naturale; sed alicuius rei corruptio est naturalis; igitur aliqua res appetit corruptionem. Maior nota est inductione, nam graue appetit deorsum: quia locus deorsum est sibi naturalis; & minor probatur. Primò, quia dicimus aliqua corrumpi naturaliter. Secundò, quia putrefactio est corruptio naturalis, combustio autem violenta, vt patet 1. Meteoror. Tertiò, quia aliqua corruptio fit ab intrinseco, vt corruptio mixtorum compositorum ex elementis. Quartò, quia illud est naturale, quod semper, vel vt in pluribus fit eodem modo, vt patet secundo huius, text. 39. modò mors, vel corruptio semper, vel vt in pluribus, fit eodem modo; ergo, &c.

Sextò ad principale; quia non quodlibet ens naturale cognoscit permanentiam, & durationem, ergo non quodlibet appetit ipsum permanere. Tenet consequentia; quia appetitus consequitur cognitionem; & antecedens est notum.

Deinde arguitur per instantias. Quia lignum existens sursum cadit deorsum in ignem suppositum sibi, igitur si appeteret sui permanentiam non descenderet deorsum. Secundò, quia aliqui milites adhuc non sperantes de alia vita, eligunt mori propter defensionem Reipublicæ, quod non esset, si appeterent permanere. Tertiò, quia quidam interficiunt se ipsos, vt patet de desperatis. Quartò per Linconiensem in tractatu de radiis, qui dicit quod habitantes in montibus Hyperboreis viuunt ita diu, quòd attædiati de vita præcipitant se ipsos de rupibus in mare. Quintò secundùm naturales historias, Phœnix comburit se ipsam in quodam monte, vt post mille annos de cineribus eius generetur alia Phœnix. Sextò arguitur de vetulis. 3.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. vltimo, text. 81. vbi probans, quòd in qualibet transmutatione priuatio sit principium necessarium, probat quòd materia non appetit formam sequentem per formam præcedentem: quia nulla res appetit suam corruptionem: & dicit Commentator, quòd omnis res diligit se ipsam permanere.

Notandum, quòd duplex est appetitus, quidam sequens cognitionem, vt ille quo aliquis nititur in prosecutionem, vel fugam alicuius obiecti delectabilis, vel tristabilis: & talis appetitus vocatur animalis, qui est duplex; nam quidam sequitur cognitionem intellectiuam, & vocatur appetitus intellectiuus, vt voluntas; alter sequitur cognitionem sensitiuam, & vocatur appetitus sensitiuus: sed alius est appetitus naturalis, qui non sequitur cognitionem, sicut dicimus, quòd graue appetit deorsum, & materia formam, & entia naturalia appetunt esse, & permanere. 4. *Appetitus est duplex.*

Secundò notandum, quòd appetitus ad permanendum quandoque est cum conatu, vt quando agens contrarium est applicatum, & tunc dico, quòd nullum tale potest permanere per tempus æternum, nisi tale fuerit virtutis infinitæ simpliciter; sed quandoque est sine conatu, vt quando nullum contrarium est applicatum, & in tali nulla requiritur potentia ad durandum, immò quacunque potentiâ datâ minor in infinitum sufficeret. Ex quo sequitur, quòd ista consequentia non valet, illud quod durat per vnum diem, est aliqualis virtutis, igitur illud, quod durat per duos dies, est maioris virtutis, & illud, quod durat in æternum est infinitæ virtutis: negatur consequentia, quia ad permanendum sine conatu, nulla requiritur potentia. *Appetitus ad permanendum interdum est cum conatu, quandoque sine conatu.*

Secundò sequitur, quòd si elementum simplex esset in loco, vbi nunquam applicaretur sibi contrarium, tunc numquam corrumperetur, nec requireret maiorem potentiam ad durandum per vnum diem, quàm ad durandum perpetuò.

Tertiò

5. *Appetitus naturalis, & animalis differunt.* Tertiò notandum, quòd [a] appetitus animalis, & naturalis differunt ab inuicem. Primò, quia appetitus animalis semper fertur in bonum existens, vel apparens: sed appetitus naturalis semper fertur in bonum existens, & hoc ponit Commentator secundo huius, vbi dicit, quòd intentum in rebus voluntariis semper est bonum apparens, vel existens, sed in rebus naturalibus semper est bonum existens. Secundò differunt; quia appetitus animalis propriè dicitur dilectio, sed appetitus naturalis non nisi impropriè, vt dicit Commentator, quia omne ens diligit se permanere. Et si quæratur, quæ res est appetitus naturalis. Respondetur, quòd non est nisi quidam nisus, vel instinctus, vel inclinatio naturæ ad essendum, quia non est aliud nisi res sic inclinata, sicut appetitus grauis ad deorsum, non est aliud quàm grauitas sic inclinata, quâ consequenter inclinatur graue cum conatu, vt quando graue est sursum, & quandoque sine conatu, vt quando graue est deorsum.

6. *Ens naturale appetitu naturali appetit permanere.* Nunc ponuntur conclusiones. Prima est. Quodlibet ens naturale appetit se ipsum permanere appetitu naturali. Probatur, quia quodlibet ens naturale potest permanere; igitur quodlibet appetit, & inclinatur ad permanendum. Tenet consequentia, quia aliter aliqua res permaneret contra propriam inclinationem, & per consequens esset contraria sibi ipsi, quod est impossibile: quia esset otiosa in natura, vt concludit Commentator.

Secundò, quia omnia entia appetunt assimilari ipsi Deo, qui est ens primum perfectissimum, & maximè permanens, igitur quodlibet ens appetit assimilari sibi in permanentia, scilicet in quantum potest, & per consequens quodlibet ens appetit permanere.

Tertiò, quia esse, & permanere continentur sub ratione appetibilis: quia permanere est bonum: modò omnia bonum appetunt, vt patet, 1. Ethicorum.

7. Quartò arguitur per signa. Primò, quia quodlibet ens naturale tendit ad locum, in quo maximè potest conseruari; quod non esset nisi quodlibet appeteret permanere; & antecedens apparet, quia quodlibet ens tendit ad suum locum naturalem, qui habet quandam virtutem conseruatam locati, vt patet quarto huius, text. 48. Secundò, quia vnum contrariorum fugit reliquum, vt patet in lib. Meteororum per totum, quia per hoc dantur causæ multarum impressionum.

Secunda conclusio. Licèt quodlibet ens appetat permanere, tamen non sempèr, sed secundùm propensionem suæ naturæ. Probatur, quia tunc in istis inferioribus quodlibet ens frustraretur à suo fine secundùm totam speciem, quod est impossibile. Et si dicatur quòd si quodlibet ens appetat sic permanere, videtur quòd ille appetitus sufficeret ad hoc, quòd res permaneret quocumque alio circumscripto. Respondetur quòd non: quia vltra illum appetitum requirit conseruationem primæ causæ, ad quam omne esse se habet, sicut lumen se habet ad corpus luminosum.

8. *Appetitu naturali aliqua appetunt sui corruptionẽ.* Tertia conclusio. Appetitu naturali aliqui possunt appetere sui corruptionem, vt patuit priùs.

Ad rationes. Ad primam sequeretur, quòd vnum contrarium, &c. nego consequentiam: quia vnum contrarium appetit agere sibi simile in reliquum, & non appetit corrumpere reliquum, nec etiam corrumpere se ipsum: licèt ista sequantur ad hoc, quòd agat suum simile, & ideò non oportet, quòd si aliquod appetat antecedens, quòd cum hoc appetat consequens, nisi cum hoc appetat consequentiam esse bonam.

Ad secundam negatur consequentia: quia licèt appetant illa disponentia, tamen non appetunt, quòd disponant ad suam corruptionem, & ideò licèt homo appetat cibos nociuos, tamen non appetit esse illos cibos nociuos sibi.

Ad tertiam, aliquid durat minus, &c. concedo, igitur non appetit, nego consequentiam. Ad probationem dico, quòd appeteret durare illud tempus, nec est inconueniens, quòd desiderium naturale frustretur in parte. Aliter dicitur, quòd res non appetit esse in futuro, & hoc appetitu naturali; sed appetitus ille coniungitur cum actu, & ideò non oportet, quòd iste terminus *appetitus* connotet carentiam rei, quæ appetitur.

Ad quartam soluta est, quòd ista permanent sine conatu.

Ad quintam dico, quòd nulla corruptio est alicui corruptibili naturalis. Ad probationem dico, quòd nos dicimus, corruptionem naturalem, quando fit secundùm communem cursum naturæ, vt in senectute, licèt sit violenta illi, quod corrumpitur. Ad alium putrefactio, &c. dico, quòd putrefactio est corruptio violenta respectu illius, quod putrefit, tamen dicitur naturalis, eo quòd mista magis sunt consueta corrumpi per putrefactionem, quàm per combustionem. Ad aliam dico, quòd non sequitur: quia licèt fiat ab extrinseco, tamen passum non confert vim. Ad quartam negatur, nisi fiat secundùm intentionem agentis. Vel potest dici, quòd illa sunt naturalia distinguendo naturale contra casuale, sed non distinguendo contra violentum. 9.

Ad sextam principalem, dico quòd non oportet, quòd omnis appetitus sequatur cognitionem, sed sufficit quòd dirigatur à cognoscente, vt puta ab intelligentia. Tunc ad instantias de ligno dico, quòd lignum appetit descendere, sed tamen non appetit ignem esse sub eo, quia hoc accidit à casu. Ad secundam dico, quòd accidit secundùm aliquos propter spem alterius vitæ, & ideò ex hoc Tullius credens perpetuitatem animæ famam sui nominis præposuit morti corporali. Alij dicunt, quòd hoc faciunt propter virtutem: quia tales propè finem vitæ sunt valdè intensè virtuosi; & melius est illud medium; esse virtuosi, quàm diutius esse minùs virtuosi, & sic appetunt hoc appetitu animali, & non naturali. Ad tertiam de desperatis dico, quòd tales nolunt se ipsos non esse, sed volunt suam miseriam non esse, licèt ipsos non esse sequatur, & ita dicatur ad Linconiensem. 10.

Ad aliam de Phœnice dico, quòd Phœnix ex aliquo instinctu naturali cognoscit se non ampliùs posse permanere, & quòd alio modo sibi simile non potest generare, ideò appetens semper manere secundùm speciem, cùm non possit permanere secũdùm indiuiduum, & comburit se. Ad illam de vetulis dico, quòd mentiuntur pessimè.

ANNOTATIONES.

11. *Appetitus animalis est duplex.*

a *Appetitus animalis, & naturalis differunt ab inuicem.* Nota, quòd cùm appetitus animalis

malis sit duplex, vnus intellectiuus, & alter sensitiuus, isti duo appetitus distinguuntur inter se, differúntque in multis. Quòd distinguantur appatet: quia multoties sunt contrarij, vt patet in homine in continente, in quo præualet appetitus sensitiuus contra rationalem. Tum quia appetitus rationalis fertur in bonum particulare, & vniuersale; appetimus enim vniuersale bonum: appetitus verò sensitiuus solùm fertur in bonum singulare. Tum etiam quia appetitus sensitiuus

Appetitus sensitiuus, & rationalis differunt in multis. differt in multis à rationali. Primò differunt, quia appetitus sensitiuus est circa bonum, quod imaginatio iudicat, rationalis verò circa bonum, vel malum intellectu iudicatum. Secundò differunt, quia appetitus rationalis, siue voluntas est libera libertate contradictionis, quòd scilicet potest suspendere actum volitionis, & libertatem contrarietatis circa bonum particulare, quamuis non circa bonum vniuersale: potest enim velle, & nolle aliquod bonum particulare, appetitus tamen sensitiuus non est liber, sed necessariò operatur vtráque necessitate oppositâ; quia proposito sibi conuenienti non potest brutum non appetere, & proposito disconuenienti non potest non refugere. Tertiò, differunt in actibus; voluntas enim habet actum amoris amicitiæ, qui est amor rei propter se, quo amore diligimus honesta, in quo fundatur amicitia; habet etiam actum amoris concupiscentiæ, qui est amor rei vtilis, quo amamus nobis vtilia: appetitus verò sensitiuus caret priori amore, & ideò bruta solùm appetunt sibi vtilia, neque habent veram amicitiam inter se. Item in voluntate est consensus, qui dicitur electio: quando enim proponitur sibi aliquod bonum quia libera est, potest velle, & retinere, & si vult, ille actus dicitur consensus, & propter hoc dicitur liberum arbitrium: quia scilicet liberè recipit, & consentit in id quod intellectus deliberat esse faciendum, quod si sit contra legem diuinam, erit peccatum. Quartò differunt, quia voluntas dominatur appetitui per rationem, potéstque multos illius actus impedire, quos si non impedit, & sunt contra rectam rationem, imputabitur sibi ad peccatum, quantumcunque vrgeat appetitus sensitiuus. Quintò differunt, quia voluntas non subditur influxui cælesti in suis actibus, sicut appetitus sensitiuus, & sic meritum, vel demeritum non est absque voluntate: quia primum subiectum meriti, & demeriti, sicut peccati & gratiæ, est voluntas, & vltimò differunt: quia voluntas est reflexiua, & vult se velle, vel voluisse, aut noluisse, quod non habet appetitus sensitiuus.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm virtus vnita sit fortior seipsa dispersa?

Author librorum de Causis, *proposit.* 17. D. Thomas *lect.* 17. Aristot. *in problem. sect.* 15. *problem.* 4. Conimbric. 7. *Physic. cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1.

1. ARGVITVR quòd non: quia sequeretur, quòd non semper in maiori corpore esset maior virtus, consequens est contra Aristotelem 1. Cæli, text. 8. & 50. & 8. Physic. text. 79. Probatur consequentia: quia illud quod est maius est minùs vnitum.

Secundò, quia illa virtus est fortior, quæ sufficit agere ad maiorem distantiam, sed virtus dispersa sufficit agere ad maiorem distantiam quàm virtus vnita; igitur virtus dispersa est fortior se ipsâ vnitâ, & sic vnita non est fortior. Maior & minor patent per vnam experientiam: quia vna parua portio ceræ spissa posita à remotis non videtur, quæ tamen si esset extensa secundùm longum, & latum, benè videretur. Confirmatur per aliam experientiam: quia plura visibilia ab inuicem dispersa de propè videntur, quæ tamen si essent coniuncta non viderentur.

Tertiò experimur, quòd ferrum calidum non agit ad tantam distantiam, ad quam agit flamma tenuis, in qua tamen caliditas est magis dispersa.

Quartò sequitur, quòd duæ regulæ Aristotelis, quas ponit in 7. huius, text. 35. & inde, non essent veræ, quarum vna est, Si aliquis motor moueat aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, medietas motoris mouebit medietatem mobilis per idem spatium in æquali tempore. Secunda est, si duo motores moueant duo mobilia per aliquod spatium in aliquo tempore aggregatum ex motoribus, mouebit aggregatum ex mobilibus per idem spatium in æquali tempore; sed contrariatur, quoad primam regulam: quia medietas motoris haberet minorem proportionem super medietatem mobilis, quàm totus motor super totum mobile de tanto, quanto virtus dispersa est debilior virtute vnita. Et consimiliter patet, quoad secundam regulam: quia aggregatum ex motoribus haberet maiorem proportionem ad aggregatum ex mobilibus, quàm vnus motorum ad vnum mobilium, cùm virtus vnita sit fortior se ipsâ dispersâ.

Quintò sequeretur, quòd aliqua virtus fieret fortior nullo sibi addito, & debilior nullo à se remoto, consequens est falsum, & probatur consequentia; posito quòd istud calidum condensetur nullo gradu caliditatis sibi adueniente ab extrinseco, tunc ista caliditas est fortior in virtute, quàm priùs, quia est magis vnita, & tamen nihil est sibi additum: & tunc si iterum rarefiat, erit debilior in virtute, & tamen nihil est à se remotum. 2.

Sextò sequeretur, quòd qualitas finita posset agere effectum infinitum, consequens est falsum, quia res denominatur finita, vel infinita per effectum, quem potest producere, vel per resistentiam, in quam potest agere, & ideò si producat effectum infinitum, est virtus infinita. Consequentia probatur, quia si qualitas condensetur vsque ad subduplum, tunc ipsa est fortior, quàm priùs in aliqua proportione, & si ad subtriplum est fortioris virtutis in maiori proportione: igitur cùm virtus illa possit vniri magis, & magis per condensationem subiecti in infinitum, sequitur, quòd illa qualitas fiet infinitæ virtutis.

Septimò per experientiam: quia videmus in tractu doliorum difficilius esse trahere, quando duæ chordæ coniunguntur simul in aliqua parte dolij, sed quando disiungitur ad extrema, facilior est tractus, quod non esset nisi virtus dispersa esset fortior se ipsâ vnitâ.

Octauò, aggregatum ex duabus resistentiis non plus resistit, quàm altera illarum; igitur à simili aggregatum ex duabus virtutibus actiuis non plus aget, quàm altera illarum virtutum. Antecedens patet: quia si ad imaginationem in vacuo essent duæ sphæræ positæ super planum; tunc

tunc quælibet illarum poteſt moueri ab infinito modica virtute cùm nihil reſiſtat; tunc ſi ex illis duabus fiat vna ſphæra, æquè facilè erit illam mouere, ſicut aliquam illarum, cùm ipſa poſſit ab infinito modica virtute moueri, eo quòd non eſt reſiſtentia.

3. Oppoſitum arguitur per experientiam: quia ferrum calidum agit intenſiorem calorem, quàm faciat flamma, & hoc propter vnionem virtutis. Secundò, quia duo homines poſſunt leuare lapidem; cuius tamen medietatem nullus poteſt leuare. Tertiò, quia duæ chordæ ſufficiunt ſuſtinere vnum pondus, quarum tamen nulla poteſt medietatem ſuſtinere. Quartò per Authorem de Cauſis, qui ponit illam concluſionem.

Vna virtus poteſt vniri alteri tripliciter. Notandum, quòd aliqua virtus poteſt vniri alteri tripliciter, vno modo aggregando vnum ad reliquum ad factionem eiuſdem effectus; vt ſi duo homines ad inuicem applicentur ad ſuſtentationem eiuſdem ponderis, vel leuationem eiuſdem lapidis: & tunc dico quòd in tali vnione non eſt maior, vel minor virtus, niſi ſecundùm quòd virtus vnita eſt meliùs, vel minùs benè applicata, quàm virtus diſperſa, vel è contra, verbi gratià, ſi ſint duo homines, quorum quilibet habeat virtutem vt decem, & vnus tertius virtutem vt viginti, tunc ſi iſti duo applicentur ad vnum longum lignum, meliùs portabunt, quàm ille vnus cuius virtus eſt vt viginti, & hoc eſt propter meliorem applicationem: ſed ſi eſſet lignum curtum, vel compactum, aut aliud pondus breue, tunc habens virtutem vt viginti meliùs leuaret, quàm alij duo. Secundo modo coniunguntur aliquæ virtutes ſine condenſatione, vt ſi duo corpora luminoſa coniungantur ad producendum lumen in idem medium. Et tunc ſecundùm quòd iſta coniunguntur ad inuicem diuerſimodè, ſcilicet propè, vel remotè, ſecundùm hoc actio eſt fortior, vel debilior: vnde ſi applicentur coniunctim ad inuicem, actio erit intenſior propè, ſed tamen minùs eſſet extenſa. Sed ſi applicentur ad inuicem, quòd actio vnius terminetur ad alterius ſuperficiem, & è contra, tunc ſuppoſito, quòd medium ſit vniforme, actio non eſſet intenſior propè, vel remotè inter illa duo agentia, quia totum eſt vniforme.

4. Ex quo ſequitur, quòd in iſtis inferioribus nullum medium eſt vniforme, & ideò in iſtis inferioribus; quando duo ignes, vt duæ candelæ, ſic applicantur, quòd actio vnius terminetur ad aliud, & è contra, vel etiam magis propinquè, adhuc actio non eſt vniformis in intermedio, vt patet ad experientiam. Tertio modo vnitur aliqua virtus per condenſationem, vt ſi ignis condenſetur non corruptà caliditate, & tunc dico, quòd illa virtus eſt intenſior, quæ habet æquales gradus in magnitudine minori; vel maiores in æquali magnitudine, & hæc ſit prima concluſio. Probatur, quia illa virtus eſt maior, & fortior, quæ eſt intenſior, ſed illa quæ habet plures gradus æquales in æquali magnitudine, vel æquales gradus in minori magnitudine, eſt intenſior, igitur illa eſt maior, & fortior. Maior patet, quia virtus intenſior poteſt producere maiorem effectum, quàm minùs intenſa, & agere in maiorem reſiſtentiam, & per conſequens, eſt maior, & fortior; & minor nota eſt. Nam de duobus albis illud eſt intenſius album, quod habet plures gradus albedinis æquali magnitudine, vel æquales gradus, & tot præciſè in minori magnitudi-

Virtus illa eſt maior quæ habet æquales gradus in magnitudine minori.

ne. Et ideò dicit Author ſex Principiorum, quòd margarita eſt albior, quàm albus equus.

Secunda concluſio. Virtus vnita eſt fortior ſe ipsà diſpersà. *Virtus vnita eſt fortior ſe ipsà diſpersà.* Probatur, quia illa virtus eſt fortior, quæ habet æquales gradus in minori magnitudine, ſed virtus vnita eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior patet ex præcedenti concluſione, & minor apparet in vnione facta per condenſationem, vbi nullus deperditur gradus virtutis.

Ex concluſione ſequuntur aliqua corollaria. 5.
Primum eſt, quòd ſi eſſet aliquod calidum vniforme, & caliditas, quæ eſt in vna medietate ipſius, poneretur in alia medietate per imaginationem, vel per condenſationem, quòd tunc ſecunda medietas eſſet in duplo intenſiùs calida, quàm antè: & ſi caliditas totius poneretur in quarta parte eius, eſſet in quadruplo intenſior. Et ſic ſi per imaginationem poneretur in puncto, caliditas illa eſſet infinitè intenſa, & punctus infinitè calidus.

Secundum corollarium, quòd aliqua virtus finita poteſt producere effectum infinitè intenſum, nullo addito vel remoto. Probatur conſequentia; ſi caliditas totius, quæ eſt virtus finita, per imaginationem poneretur in puncto, eſſet infinitè intenſa, & per conſequens in alium punctum ageret caliditatem infinitè intenſam. Tertiò ſequitur, quòd virtus fortior efficitur debilior nullo gradu virtutis perdito: patet ſi denſum efficiatur rarum. Quartò ſequitur, quòd aliqua virtus continuè remitteretur, & tamen continuè eſſet fortior ad agendum, poſito quòd caliditas remittatur per frigiditatem, & quòd ſubiectum calidum continuè condenſetur in maiori proportione quàm caliditas remittatur, & tunc ſequitur propoſitum. Quintò ſequitur quòd aliqua virtus continuè intendatur; & tamen continuè minùs ſufficiat agere, quàm ante, id eſt, in maiorem reſiſtentiam. Probatur, poſito quòd calidum intendatur in caliditate, & eius ſubiectum rarefiat in maiori proportione, quàm intendatur caliditas, & tunc ſequitur propoſitum. Vltimò ſequitur, quòd intenſio qualitatis, attenditur penes pluralitatem graduum æqualium in æquali magnitudine, vel penes æqualitatem graduum in minori magnitudine, & hoc tanquam penes cauſam; ſed tanquam penes effectum attenditur intenſio virtutis penes reſiſtentiam, in quam virtus ſufficit agere.

Contra concluſionem arguitur, quia ſi eſſet vera, ſequeretur quòd calidum in ſummo poſſet fieri calidius; conſequens implicat. Conſequentia probatur: quia calidum in ſummo poſſet condenſari, & per conſequens intendi. Reſpondetur negando conſequentiam: quia calidum in ſummo non poteſt condenſari, niſi per remiſſionem caliditatis, & per inductionem frigiditatis. Ex quo ſequitur, quòd ignis purus non poteſt comprimi condenſando; vel ſi poteſt, remittetur caliditas. 6.

Secundò arguitur, quia ſi eſſet vnum calidum vniformiter, difformiter terminatum ad vnum gradum in extremo remiſſiori, tunc illud ſubiectum eſſet æquè intensè calidum, ſicut vnum aliud, quod eſſet vniformiter calidum gradu medio. Tunc ponatur, quòd illud condenſetur, adhuc correſpondebit ſuo gradui medio; igitur cùm caliditas iſta fuerit vnita per condenſationem, non eſſet intenſior, quàm antè, cùm ſemper

correſpon

correſpondeat ſuo gradui in medio. Reſpondetur, quòd ſicut illud calidum ante condenſationem correſpondet gradui medio caliditatis, ita etiam poſt condenſationem, ſed gradus medius poteſt poſt condenſationem factam eſſe intenſior gradu medio ante condenſationem.

7. Tertiò. Si virtus vnita, &c. ſequeretur, quòd quodlibet agens naturale ageret intenſiùs ſub figura ſphærica, quam ſub aliqua alia figura: quia ſub figura ſphærica eſſet virtus magis vnita; modò conſequens eſt falſum, quia graue pyramidalis figuræ velociùs deſcendit, quàm ſphæricæ figuræ.

Quartò, corpus luminoſum planæ figuræ agit lumen intenſius in partem medij propinquam ſibi, quàm corpus luminoſum ſphæricæ figuræ, eo quòd illa pars reſpicitur à pluribus partibus plani, quàm ſphærici.

Reſpondetur concedendo conſequens, cæteris paribus. Tunc ad primam dico, quòd ſub figura pyramidali faciliùs diuidit medium, ſed in vacuo hoc non iuuaret. Ad ſecundam dico, quòd in corpore luminoſo plano plures partes concurrunt ad agendum in idem punctum, quàm in ſphærico, ſed ſi præcisè tot partes æquales concurrunt vtrobique, dicendum quòd intenſius lumen cauſaretur à ſphærico, quàm à plano. Vel poteſt dici, quòd ſuppoſito æquali lumine in corpore ſphærico, & in corpore plano, tunc ſemper lumen intenſius fiet à ſphærico propè ſe, licèt non ad maiorem diſtantiam, & hoc ſi planum ſit maius in quantitate.

8. Tertia concluſio. Virtus vnita non agit ad maiorem diſtantiam, quàm diſperſa. Probatur de viſibilibus, quæ diſperſa videntur ad aliquam diſtantiam, quæ non viderentur coniuncta.

Virtus vnita non agit ad maiorem diſtantiam, quàm diſperſa.

Ad rationes. Ad primam concedo, quòd non ſemper in maiori corpore eſt maior virtus intenſiuè, licèt benè extenſiuè.

Ad ſecundam negatur maior vt patet in tertia concluſione.

Ad tertiam dico, quòd illæ regulæ ſunt veræ: quia ſicut duæ medietates motoris ſimul vnitæ habēt maiorem proportionem ad aliquod vnum proportionaliter, quàm vna medietas per ſe ſumpta haberet; ita duæ medietates reſiſtentiæ ſimul vnitæ fortiùs reſiſtunt, quàm reſiſterent ſi eſſent ſeparatæ. Et eodem modo dicitur de motoribus aggregatis.

Ad quartam conceſſum fuit in vno corollario.

Ad quintam eſt conceſſum ſimiliter ad imaginationem, licèt non ſit poſſibile ſic eſſe de facto.

Ad ſextam de tractu dico, quòd hoc eſt: quia illæ chordæ non æquè applicantur coniunctæ ſicut ſi eſſent ſeparatæ.

Ad ſeptimam, aggregatum, &c. nego antecedens. Ad probationem conceſſo caſu, nego quòd quælibet illarum ſphærarum, poteſt ab infinito modicâ virtute moueri.

ANNOTATIONES.

9. a VIrtus vnita eſt fortior ſe ipsâ diſperſâ. Nota primò, quòd maior, vel minor actiuitas non ſemper ſequitur maiorem, vel minorem intenſionem formæ, non enim eo quòd aliquis calor plus minúſve calefaciat, indicat ipſum intenſiorem, vel remiſſiorem eſſe, quod docet Ariſtoteles 8 Phyſicorum, text. 8. *In maiori enim*, inquit, *magnitudine maior virtus exiſtit:* vnum enim pedale intenſum vt quatuor, minorem habet virtutem bipedali etiam intenſo vt quatuor, cùm ergo id, quod eſt maioris virtutis, quàm alterum in æquali tempore plus agat, & plura producat, bipedale calidum vt quatuor, in æquali tempore plures gradus producet caloris, quàm pedale calidum vt quatuor. Non ergo intenſio maior ſola eſt cauſa maioris actiuitatis, ſumitur ergo maior actiuitas, & ab intenſione, & à multitudine formæ, quæ eſt ſecundùm partes plures materiæ. Eſt ergo circa hoc regula, vbi plures gradus formæ congregantur circa paſſum, ſiue tales gradus ſint ſecundùm intenſionem, ſiue ſecundùm extenſionem, & ſubiecti partes, ibi eſt maior actiuitas. *Regula.*

Nota ſecundò, quòd qualitas æqualis in intenſione plus agit, quando eſt in ſubiecto denſo, quàm in raro: quia virtus vnita eſt fortior ſe ipsâ diſperſâ, cuius ratio eſt: quia quanto agens eſt propinquius paſſo, tanto magis agit in ipſum; cùm ergo partes denſi minùs diſtent ab vno puncto, quod ſignari poteſt in medio circa paſſum, quàm partes rari, ſequitur quòd denſius plus aget. Non tamen ſic intelligendum eſt, quòd magis agat, id eſt, vltra gradum intenſionis: niſi pluralitas formæ, quæ eſt ſecundùm plures partes materiæ, id requirat, ſed ſi rarum, & denſum ſint æqualia, & in materia, & in gradu intenſionis, dicitur denſius tunc plus agere, vel quia citiùs aget, vel quòd poſſet prodire in actum ſecundùm ſuam totam actiuitatem, quod rarum non faciet, quia non eſt debitè approximatum paſſo. Ex hoc ſequitur, quòd actiuitas, ſeu potentia, ad agendum proxima, attenditur non ſolùm in gradu, & non ſolùm in multitudine formæ, ſed inſuper in hac debita approximatione partium agentis. Quare contingit, quòd calidum vt quatuor in gradu, & in forma plus agat quàm calidum æquale illi in gradu, & in forma ſi ſit rarius; immò & quàm calidum vt quinque: ſicut, verbi gratiâ, contingit in ferro candenti, quod plus agit quàm ſtupa ignita, quæ habent tantam materiam. His notabilibus benè conſideratis facilè intelliguntur multa, quæ dicit Scotus in hac quæſtione. 10.

EXPOSITIO TEXTVS.

DE principio autem ſecundùm ſpeciem, &c. Hic excuſat ſe determinatione formæ dicens, quòd determinare proſecutionem de principio formali eſt opus primæ Philoſophiæ; & loquitur de principio, quod eſt ſubſtantia ſeparata; & per primam Philoſophiam intelligit Metaphyſicam; ſed de formis generabilibus, & corruptibilibus poſterius determinabimus. Et tunc recapitulando dicit, quòd determinatum eſt à nobis, quæ & quot ſunt principia; & hoc eſt verum de principiis intrinſecis; ſed nunc dicamus intendentes aliud principium, id eſt, determinantes de aliis principiis, ſcilicet extrinſecis, & hoc in ſecundo libro, qui eſt de principiis doctrinæ ſcientiæ naturalis, & ideò ſecundùm rectum ordinem iſte ſecundus deberet præcedere. Sed quia antiqui ſic ordinauerunt, Ariſtoteles etiam voluit ſic ordinare. Explicit expoſitio primi libri Phyſicorum. 11. Text. 83.

ANNOTATIO.

a DE principio autem ſecundùm ſpeciem, &c. Nota, quoniam quibuſdam videretur 12.

Ariſto

Aristotelem impugnaturum esse illorum errorem, qui ex impugnatione formæ lapsi sunt, vtpotè Platonicorum, qui asserebant ideas, seu formas separatas, esse rerum naturalium formas, ideò quoniam tractatio de formis separatis ad Metaphysicum spectat, eo vsque differtur hæc impugnatio ab Aristotele. Pollicetur tamen se in sequentibus dicturum de formis inhærentibus materiæ, quoniam tales cadunt sub Physica consideratione. Cùm autem inquit se dicturum de formis, quæ intereũt, aut credit omnes interire, quod falsum est; aut si non credit, nõ negat se dicturum de his etiam, quæ non intereunt, cuiusmodi est sola forma hominis in his rebus, quæ gignuntur, & intereunt, de quibus hîc loquitur dumtaxat.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm cuiuslibet transmutationis naturalis forma sit principium?

Aristot. *cap.9. text.83.* Auerroës, Simplic. D. Thom. *ibid.* Vide citatos *quæst.19.* Suarez *tom. 2. Metaph. disp.* 12. *num.7.* Conimbric. *1. Physic. quæst. 9.* Complutén. *disp.4.* Fuentes *quæst. 4.* Roccus *quæst. 30.*

1. ARGVITVR quòd non: quia forma est transmutatio naturalis, igitur non est principium transmutationis. Tenet consequentia: quia idem non est principium sui ipsius, & antecedens apparet per Aristotelem tertio huius, text.4. vbi dicit, quòd motus est de essentiâ termini ad quem, & exemplificat Commentator Physic. text. 9. vt ire ad calorem est quidam calor.

Secundò, si esset principium, vel extrinsecum, & hoc non: quia tunc non differret ab efficiente, & fine; vel intrinsecum, & hoc non: quia transmutatio vel est materia, vel accidens successiuum, vel ipsa forma, quorum nullum habet principium intrinsecum, vt patuit priùs.

Tertiò: quia nulla forma est generabilis; igitur nullius transmutationis forma est principium. Tenet consequentia: quia si esset principium, maximè esset in generatione: & antecedens apparet, quia si forma generaretur, hoc esset pro tanto, quia priuatio inclinaret materiam ad nouam formam, vt dicit Commentator, & sic priuatio appeteret sui corruptionem, quod est falsum, cùm omne ens diligat se permanere.

Quartò: quia forma non est nisi post transmutationem, igitur forma non est principium transmutationis. Tenet consequentia: quia principium est prius principiato, & saltem simul cum ipso. Antecedens apparet: quia habitibus præsentibus in materia cessat motus, vt patet 1. de Gener. text. 55.

Deinde arguitur per instantias. Primò de motu locali, qui non est motus ad formam; immò est motus ad *vbi*, & per hoc differt ab aliis motibus. Secundò, de diminutione, in qua nulla forma acquiritur. Tertiò de corruptione luminis, quæ terminatur ad priuationem. Quartò de condensatione, & rarefactione, quibus nihil acquiritur, vel deperditur, vt patet 4. huius, text. 83.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. In quæstione Primò videbitur de diuersitate formarum. Secundò de natura, & conditionibus formæ naturalis, & Tertiò respondebitur ad quæsitum.

Quantum ad primum notandum, quòd quædam est forma substantialis, & alia accidentalis. 2. *Forma est duplex. Forma substantialis est duplex.* Substantialis est duplex, quædam materialis, vt forma asini, quæ est inhærens materiæ, informans ipsam, & educta de potentia eius: & quædam est immaterialis, & talis quædam est inhærens materiæ, vt intellectus noster, qui informat materiam, licèt non sit eductus de potentia materiæ. Ex quo sequitur, quòd ista consequentia non valet, ista forma est inhærens materiæ, igitur est materialis; quia ex eo solo dicitur forma materialis, quia est educta de potentia materiæ. Sed alia est forma immaterialis non inhærens materiæ, nec informans materiam, & talis quædam est corporea, vt cœlum; alia incorporea, vt Deus & Intelligentia. Ex quibus patet, quòd hoc nomen *forma* est æquiuocum, quia æquiuocè dicitur de prædictis formis: nam de forma materiali inhærente dicitur ab informando, sed de aliis non: quia quodlibet aliorum est, vel potest esse suppositum per se existens.

Secundò notandum, quòd forma accidentalis accipitur dupliciter. 3. *Forma accidentalis bifariam sumitur.* Vno modo pro qualitate inhærente substantiæ, à qua substantia denominatur accidentaliter, vt albedo, caliditas, &c. Alio modo pro termino accidentali connotante rem aliqualiter se habere, licèt connotatum non sit res distincta à re significata per illum terminum, & sic isti termini, *dextrum, & sinistrum, figuratum*, & huiusmodi, possunt dici formæ accidentales, & hoc de primo.

Quantum ad secundum dico, quòd formæ naturalis inhærentis sunt aliquæ conditiones. *Forma naturalis inhærens est inseparabilis à materia.* Prima est, quòd talis forma [a] est inseparabilis à materia nisi per corruptionem. Patet in 2. *de Anima:* quia compositum debet imaginari tanquam vnum ens actu existens, & forma propriè non est ens, sed actus entis, & ratio est: si forma per se staret separata, iam non esset forma; sed compositum actu existens, & ideò dicitur, quòd separatio formæ à materia, est eius corruptio.

Secunda conditio, quòd à forma substantiali res sumunt nomen, & definitionem; *A forma substantiali res sumunt nomen, & definitionem.* sicut à forma humana dicitur homo, & semper differentia essentialis posita in definitione debet connotare formam, vt ista differentia *rationale* connotat intellectum.

Tertia conditio; quòd per formam res naturalis est in actu ens existens, & per ipsam ponitur in determinata specie; igitur à forma sumitur nomen specificum, vt patuit priùs.

Quarta conditio, quòd formæ [b] non multiplicantur in eodem supposito, & ideò dicit Commentator in libro de Substantia orbis, quòd impossibile est simul plures formas substantiales esse in eodẽ subiecto, & hoc est verum: nisi secundùm diuersas portiones materiæ, in quibus sunt diuersæ partes formæ, & ex quibus constituitur vna forma. 4. *Formæ non multiplicantur in eodem supposito.* Secũdò istud est verum de formis eductis de potentia materiæ, quia si in aliquo subiecto sit aliqua forma inhærens non educta de potentia materiæ, vt intellectus noster, oportet de necessitate materiam habere vnam aliam formam eductam de eius potentia: quia impossibile est materiam esse sine forma, vt patet primo huius, & hoc intelligitur de forma educta de potentia materię.

Quinta conditio, quòd forma materialis [c] generatur de nouo; ita vt nihil ipsius præfuit in materia: & ista conditio ponitur propter duo. *Forma materialis generatur de nouo.* Primò ad remouendum opinionem Anaxagoræ;

qui ponebat, quòd formæ ante generationem præexistebant in materia, sed latebant; sed per alterationes, & generationes remouebatur impedimentum. Et apparet quòd hoc non est verum, quia iam non esset generatio simpliciter; immò omnis mutatio esset alteratio. Secundò ad remouendum opinionem Alberti, & quorundam aliorum, qui ponebant formam præexistere in materia ante generationem, secûdùm vnam partem sui, & secundùm aliam de nouo generari in materia. Ita vt ponerent formam habere duplex esse, quoddam esse diminutum; secundùm quod præexistebat in materia ante generationem, & aliud esse perfectum, & illud acquiritur per generationem.

Forma substantialis non suscipit magis, & minùs. Sexta conditio, quòd forma substantialis non est intensibilis, nec remissibilis, quod patet, quia vnus non denominatur magis homo, vel minùs homo, quàm alter, & ideò cùm nomina sumpta à formis substantialibus non prædicentur cum istis aduerbiis *magis & minùs*, signum est quòd ipsę formæ non suscipiunt magis, & minùs, & hoc habet videri primo de Generatione, & primo Cœli.

5. *Forma est magis natura, quàm materia.* Septima conditio, quòd forma est magis natura, quàm materia, & hoc videbitur 2. *huius*, & hæc de secundo.

Formam esse principium transmutationis potest bifariam intelligi. Quantum ad tertium notandum, quòd cuiuslibet transmutationis naturalis, formam esse principium, potest intelligi dupliciter: vno modo, quòd cuiuslibet transmutationis forma sit terminus *ad quem*, & hoc non verum de mutationibus deperditiuis, vt corruptio luminis, & huiusmodi: vel intelligitur, quòd sit terminus *a quo*, & hoc non est verum de mutationibus acquisitiuis.

Nunc ponuntur conclusiones, prima est d quòd forma ante sui generationem nullum habuit esse in materia; immò per se tota acquiritur per generationem. Probatur; quia nisi ita esset, sequeretur, quòd generationes, & corruptiones non essent mutationes contrariæ; consequens est falsum, vt patet 5. *huius*. Consequentia probatur: nam mutationum contrariarum sunt iidem termini: nam illud idem, quod acquiritur per vnam, deperditur per aliam: modò tota forma deperditur per corruptionem; igitur tota acquiritur per generationem, & per consequens nihil ipsius fuit ante generationem.

6. Secundò, quia vel illud quod præfuit de forma, est eiusdem rationis cum illo, quod acquiritur, vel alterius; si eiusdem, tunc non est ratio quare magis vnum illorum præexistat, vel fiat de nouo, quàm reliquum, vel è contra. Si alterius: tunc vel præexistens manet cum illo, quod adducitur, vel corrumpitur in aduentu eius; si corrumpitur, tunc apperet sui corruptionem, & per consequens esset sibi contrarium, & otiosum in natura, vt infert Commentator primo huius, com 81. si maneat, tunc forma non esset principium simplex, sed compositum ex aliis principiis.

Tertiò, quia vel illud quod præexistit generationi de forma, est perpetuum, vel acquisitum de nouo: si perpetuum, tunc sequitur, quòd aliquod est perpetuum materia à parte antè, quod tamen est corruptibile à parte pòst, quod est falsum. Si sit acquisitum de nouo; tunc quâ ratione potuit tunc de nouo acquiri, & nunc: ergo sequitur quòd si acquirebatur de nouo tunc, ad minùs talis forma non habuit esse diminutum in materia ante generationem, & habetur intentum.

Quartò sequeretur, quòd non esset necesse ponere materiam primam. Consequens est falsum; vt patet in isto primo, text. 52. & 53. Consequentia probatur: quia materia prima ponitur, vt possit saluari transmutatio naturalis sine hoc, quòd fiat ex nihilo; modò posito tali *esse* diminuto formæ, sine hoc quòd poneretur materia prima, adhuc non fieret generatio ex nihilo, quia semper fieret ex illo *esse* formæ diminuto præexistente ante generationem. 7.

Secunda conclusio, capiendo formam communiter ad formam substantialem, & accidentalem, vtroque modo tunc cuiuslibet transmutationis forma est principium. Probatur, quia omnis transmutatio, vel est acquisitiua, vel deperditiua: si acquisitiua, tunc forma est terminus *ad quem* illius transmutationis; si deperditiua, tunc forma est terminus *à quo*: qualiter autem forma sit principium intrinsecum, vel extrinsecum, expositum fuit in illa quæst. *Vtrùm sint tria principia.* 9

Contra primam conclusionem arguitur; quia nisi forma haberet esse diminutum in materia ante generationem, sequeretur quòd transmutatio naturalis non fieret magis ab intrinseco, quàm artificialis, vel etiam violenta; consequens est falsum, ergo, &c. Probatur primò, quia transmutatio naturalis, & artificialis, vel etiam violenta; non differunt ab inuicem ex parte principij passiui: quia in omnibus illis principium passiuum est ab intrinseco, scilicet materia prima. Secundò, quia Aristoteles ponit illam differentiam secundo huius, text. 2. Consequentia probatur, quia si ignis ea stupa generet ignem, materia ipsa stupæ non est aliquod intrinsecû faciens ad generationem formæ ignis, nisi sit forma ignis, quæ habet in materia esse diminutum ante generationem. 8.

Secundò, per Aristotelem in 4. Metaphysicæ, qui dicit quòd forma non est *hoc*, nisi quia forma præexistit factioni, saltem diminutè.

Tertiò sequeretur, quòd forma crearetur, & quo fit, & nihil ipsius præfuit ex quo fieret. Et si dicas, negatur consequentia: quia adhuc præsupponitur subiectum, ex quo fiet; hoc non valet, quia anima intellectiua creatur, & tamen fit præsupposito subiecto; igitur subiectum non tollit creationem.

Quartò sequeretur, quòd impossibile fieri fieret, quod implicat; probatur consequentia: quia ante generationem, vel erat aliquid formæ quod poterat fieri, vel nihil: si aliquid, habetur intentum, si nihil, habetur consequens. 11

Quintò, quia illud idem, quod prius erat in potentia, postea est in actu; sed forma post generationem est in actu, igitur ante generationem erat in potentia, & per consequens aliquo modo erat.

Sextò, quia forma educitur de potentia materiæ per generationem: modò nihil educitur de aliquo, nisi quod prius fuit in eo, igitur forma prius fuit in materia.

Septimò, quia tunc corruptum posset generari, ex quo ante generationem nihil de forma erat in materia plus quàm post corruptionem. Demum arguitur per Commentatorem in 5. huius, com. 9. vbi dicit, quòd potentia ad esse in vnoquoque Prædicamento, est de genere illius rei, ad quam est potentia: modò aër est in potentia ad lumen, & tamen aër non est de genere luminis, igitur oportet, quòd in aëre præexistat aliquid eiusdem generis cum lumine.

Ad

10. *Transmutationes naturales, & violenta quæ sint.* Ad ista. Ad primum concedo, quòd multæ fiunt transmutationes naturales ab extrinseco, sed tunc est differentia ex parte passi: nam quando agens transmutat materiam, quæ inclinatur ad terminum transmutationis, tunc est transmutatio naturalis, quando autem non inclinatur, immò passum nititur ad contrarium, tunc est violenta. Et authoritas Aristotelis intelligitur de quibusdam transmutationibus naturalibus, vt de illa, quâ grauitas mouet graue deorsum.

Ad secundum dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd factio magis propriè attribuitur composito, quàm formæ, eo quòd compositum est notius, & sensibilius, hoc tamen non obstante tota forma producitur de non esse ad esse.

Ad tertium nego consequentiam, quòd forma creatur: quia fit ex subiecto præsupposito per agens naturale transmutans materiam, & educens ab intrinseco de potentia materiæ: modò intellectus primò creatur, & ab extrinseco inest corpori, quare non est simile.

11. Ad quartum sequeretur, quòd impossibile fieri, fieret, negatur consequentia: quia iste terminus *impossibile*, est terminus ampliatiuus, ideò potest dici de futuro, mediante hoc verbo *est*.

Ad quintum. Quia illud idem, &c. hoc debet intelligi de materia, quæ priùs potuit recipere formam, sed factâ generatione actu recipit.

Ad sextum. Forma educitur, dico [e] quòd non debet intelligi educi, vt aliqui dicunt, sicut denarius educitur de bursa, sed intelligitur educi, id est, quòd materia transmutetur per agens naturale generans formam in materia, ita vt forma non eueniat ab extrinseco, quemadmodum venit intellectus, & propter hoc dicit Commentator 12. Metaphysicæ, com. 14. quòd generans non congregat inter diuersa, id est, quòd non primò producit formam, & illam productam vnit cum materia.

Ad septimum nego consequentiam propter defectum [f] agentis, quia agens non potest venire ad pristinum statum: nam corpora cœlestia non possunt esse aliàs consimiliter disposita. Ad vltimum de Commentatore dico, quòd capit ibi potentiam pro qualitate remissa, quæ est in *fieri* dum intenditur, quæ est eiusdem generis cum intensa.

12. Ad rationes principales. Ad primam negatur antecedens, immò transmutatio est materia, & Aristoteles intelligit, quòd motus denominatur à termino *ad quem*. Ad secundam dico, quòd est extrinsecum transmutationis, & intrinsecum compositi. Ad tertiam negatur antecedens, & ad probationem dico, quòd priuatio non est aliud, quàm materia, & ideò licèt materia appetat se tali forma esse priuatam, tamen propter hoc non appetit se non esse. Ad quartam dico, quòd in transmutatione successiua forma non est completa, nisi post transmutationem, sed cùm forma est in *fieri*, tunc vna pars eius est in materia, & alia generanda, & tunc forma est principium transmutationis. Vel dicitur negando consequentiam: quia forma est finis transmutationis, modò non sequitur si ordinatum in finem est, quòd finis sit, sed sufficit, quòd est, vel erit. Ad quintam de motu locali dico, quòd motus localis non dicitur ita propriè ad formam, sicut alij motus, tamen impropriè bené dicitur, eo quòd in fine motus localis verificatur de mobili aliquis terminus substantialis, vt puta *sursum*, vel *deorsum*, qui non verificabantur antè, & ille terminus dicitur impropriè forma. De diminutione dico, quòd requiritur aliter denominatio, quàm antè: & ideò licèt forma non sit ibi principium, vt terminus *ad quem* tamen benè est ibi principium, vt terminus *à quo*, eodem modo dicitur de corruptione luminis. De condensatione, & [g] rarefactione dico, quòd ibi requiritur noua denominatio actualis, vel dicitur quòd ibi acquiritur, vel deperditur quantitas, quæ est forma; & sic fit finis primi libri.

ANNOTATIONES.

[a] F*Orma est inseparabilis à materia, &c.* Quomodo hoc debeat intelligi dictum est in annotationibus, quæst. 20. litt. F. 13.

[b] *Formæ non multiplicantur in eodem supposito.* Hoc explicatum est in annotationibus, quæst. 19. littera C.

[c] *Forma materialis generatur de nouo, &c.* Nota pergrandem fuisse apud antiquos difficultatem, vndenam prouenirent formæ ex quibus res naturales constituuntur. Quidam enim credentes non posse fieri, vt formæ, quæ generantur, nullo modo antea extitissent, dixerunt omnes eas antequam fierent in materia extitisse, sed tamen latuisse; & huius sententiæ, vt dicit hîc Scotus, fuit Anaxagoras. Alij verò non putantes esse incommodum furmas, quæ ante non extiterunt, fieri de nouo, dixerunt eas omnes effici ab aliqua mente. Intelligentiáve separatâ à materia, inter quos fuerunt Plato, & Auicenna. Alij qui meliùs philosophati sunt, asseruerunt formas, quæ fiunt, neque omnino extitisse in materia, neque omnino non extitisse, sed partim extitisse in materia, & partim non extitisse; extitisse quidem potentiâ, non extitisse autem actu. Vnde res naturales dicuntur fieri per hoc quòd earum formæ deducantur de potentia materiæ ad actum, id est, quæ antè erant in potentia in materia, fiant actu in illa, & hæc videtur fuisse sententia Alberti Magni.

[d] *Forma ante sui generationem nullum habuit esse in materia.* Nota, quòd hæc conclusio videtur esse Aristotelis, capit. vltimo huius libri, dicentis materiam esse primum subiectum: primum autem subiectum omnem formam, eiúsque partem, aut inchoationem excludit. Item 3. Physicorum, text. 66. Materia, inquit, est pars totius, sicut æs est pars statuæ; sed æs nullam statuæ formam includit, neque eius inchoationem; ergo neque materia. Item 1. de Generat. text. 34. materia est subiectum omnium, quibus competit actio, & passio, & 1. Metaph. cap. 3. materia est id in quod omne corruptum resoluitur.

[e] *Dico quòd non debet intelligi educi, &c.* Nota quòd vt meliùs possis percipere, quidnam sit formam educi de potentia materiæ, primò inuestigandum est quid sit formam esse in potentia materiæ. Vnde omissis multis de hac re opinionibus, quas apud Scotum, quæst. 7. huius libri videre licet. Dico, formam esse in potentia materiæ, nihil aliud esse, quàm formam dependere à materia in suo *esse*, seu *existere futuro*; ita videlicet, vt non possit naturaliter existere, nisi concurrente materiâ, vt causâ materiali, & passiuâ; potentia enim materiæ non solùm est receptiua; 14. *Formam educi de potentia materiæ quæ sit.*

ſed etiam cauſatiua rei: quia ea ea fit res, & ab ea educitur forma; eſſe ergo in potentia materiæ nihil aliud eſt, quam ita poſſe cauſari ab ea, vt ſioe illa nequeat forma exiſtere. Vnde manifeſtè efficitur omnes ſormas (exceptâ animâ rationali) eſſe in potentia materiæ: quia omnes ita pendent à materia, vt à cauſa materiali, & paſſiua, vt naturaliter non poſſint exiſtere ſine illa; anima aotem rationalis cùm eaiſtat naturaliter ſeparata à corpore, (vt fides docet) noo eſt in potenria materiæ. Obſerua tamen duplicem eſſe potentiam: remotam ſcilicet & propinquam, vt docet Ariſtoteles 9. Metaph. capit. 7. Potentia remota eſt potentia materiæ indiſpoſita, & tantùm indifferens ad quamlibet formam recipiendam, potentia propinqua eſt quam materia habet, eo quòd eſt his diſpoſitionibus ad hanc formam, & non ad illam determinata, & tunc vnicâ tantùm mutatione fit res, vt ex pane fit chilus, ex chilo fit ſanguis, ex ſanguine fit caro. Vnde dupliciter forma dicitur fuiſſe in potentia materiæ, in potentia ſcilicet remota fuit remotè: in potentia verò proaima fuit propinquè.

15. Et ex hoc elici poteſt quid ſit formam educi de potentia materiæ: eſt enim nihil aliud, quàm facere vt forma, quæ antea in materia exiſtebat potentia, actu in eadem exiſtat, id eſt, quòd tunc aliqua forma educitur de potentia materię: quando agens naturale actione naturali producit formam, quæ antea erat in potentia materiæ, & hoc ideò additur: quia formæ artificiales non dicuntur propriè educi de potentia materiæ, & etiam formæ, quas Deus ſolus præter modum naturalem introducit in aliquod ſubiectum, non dicuntur educi de potentia materiæ: quia quamuis priùs potentia extiterint, non tamen ſunt naturali actione eductæ: ita vt eſſe naturali actione eductas ſit conditio ſine qua non. Vnde ea hoc ſequitur duas requiri conditiones vt aliquid de potentia materiæ eductum dicatur. Prima, quòd materia ſit potentia naturalis ad recipiendum talem formam. Secunda, quòd materia concurrat ſuo modo ad productionem illius formæ, ita vt forma in ſuo *eſſe*, *in fieri*, & *conſeruari* dependeat à materia. Defectu primæ conditionis motus, quo lapis ſurſum intelligitur, non dicitur educi de potentia lapidis: quia potentia lapidis ad talem motum non eſt naturalis, ſed violenta. Defectu etiam huius primæ conditionis eliciunt Thomiſtæ dona ſupernaturalia non educi de potentia animæ rationalis; quia anima rationalis (inquiunt) non habet naturalem potentiam ad illa recipienda. Hoc tamen fundamentum eſt contra Scotum in prologo, 1. Sententiarum, quæſtio. 1. vbi probat potentiam paſſiuam animæ rationalis ad talia dona eſſe naturalem; quapropter aliunde penſanda eſt ratio, quare talia dona non dicantur educi de potentia animæ rationalis. Defectu ſecundæ conditionis anima rationalis non educitur de potentia materiæ: quia quamuis materia habeat potentiam naturalem ad illam recipiendam, non tamen dependet à materia in ſuo *eſſe*, neque in *fieri*, neque in *conſeruari*; ſeparata enim anima naturaliter conſeruatur, dona autem ſupernaturalia non educuntur de potentia animæ, quia nullam cauſalitatem habuit anima reſpectu eorum, in illorum productione: quia tantùm Deus illa infundit in anima.

Ea his ſequitur primò, hoc pacto formas ab agente educi de potentia materiæ: verbi gratiâ, ſi ignis generet ignem ea ligno, priùs diſponit per calorem lignum, immittendo in lignum calorem, qui frigus, & humiditatem cæteráſque qualitates repugnantes formæ ignis expellat; deinde calore, & ſiccitate diſpoſitum lignum, vel ligni materia, vt quæ antea erat materia ligni, fiat materia ignis, ex ea ſic diſpoſita educit ignis formam ignis, & generationem de potentia materiæ, quæ antea erat materia ligni, & hoc eſt quod paucis verbis docet hic Scotus. 16.

Anima rationalis à cæteris formis naturalibus tribus modis differt.

Secundò ſequitur, tres inter alias eſſe inter animam, & reliquas formas differentias. Prima eſt quòd Deus ſe ſolo producit ex nihilo animam rationalem, cæteras autem formas educit cum cauſis ſecundis de potentia materiæ. Secunda differentia eſt, quòd concurſu, quo Deus producit animam rationalem in corpore poſitis diſpoſitionibus, poſſet eam in vacuo producere: quia iſtæ diſpoſitiones nihil agunt ad introductionem iſtius formæ magis, quàm ad aliam alterius ſpeciei, quamuis ea diuino pacto poſitis debitis diſpoſitionibus in corpore, Deus ſtatim creat, & infundit animam: poteſt tamen abſolutâ potentiâ ſine illis diſpoſitionibus illam producere, & illis poſitis non producere, reliquas verò formas non ſine materia produceret eodem concurſu: quia cauſæ, & agentia naturalia veras habent actiones proprias, quas Deus illo communi concurſu non ſupplet: ita enim Deus res, quas condidit, adminiſtrat, vt eas ſuos motus agere ſinat: atque ita concurrit cum illis in actionibus naturalibus, quaſi naturaliter concurſu generali, quo concurſu ſimul cum cauſalitate agentium naturalium cauſantur, & producuntur res naturales. Tertia differentia eſt, quòd anima rationalis non generatur per ſe, neque per accidens: quia ſola actio diuinæ creationis terminatur ad illam; reliquæ verò formæ quamuis per ſe non generentur: quia generatio eſt totius, vt dicitur 8. Metaphyſicæ in principio, tamen comproducuntur, & congenerantur ad generationem totius.

Nego conſequentiam propter defectum agentis, &c. 17.
Nota, quòd idem corruptum poſſit diuina virtute idem numero produci, maximè ſi ſit ſermo de permanentibus, communis eſt omnium Theologorum ſententia, licèt de ſucceſſiuis controuerſia ſit inter D. Thomam, Durandum, & Scotum; nam illi negant, Scotus verò affirmat, vt patet in 4. diſtinct. 43. quæſt. 1. ſed maior diſſenſio, & controuerſia eſt loquendo naturaliter: hoc eſt, an per vires naturæ, poſſit talis reditio fieri. Nam de hac re fuit ſententia Platonis, quam refert Scotus vbi ſuprà quæſt. 3. ex D. Auguſtin. 12. de Ciuitate Dei, capit. 8. aſſerentis per circuitum temporum eadem redire, id eſt, poſt tranſactos triginta, & ſex mille annos, vel 49000. in quibus cœlum ſtellatum perficit curſum ſuum: nam in centum annis perficit vnum gradum, vt dicunt Aſtrologi, eadem tempora reditura erant, & iidem homines, & res, & operationes. Hæc ſententia eſt impia, & contra Fidem Catholicam: contra quam arguit idem D. Auguſtinus pluribus authoritatibus ſacræ Scripturæ, quas refert Scotus vbi ſuprà.

Secunda

18. Secunda opinio est S. Thomæ, quodl. 4. quæst. 3. articul. 5. & multorum asserentium, quòd agens naturale non potest idem numero corruptum reparare, quod probant multis authoritatibus Aristotelis, atque etiam rationibus, quas omnes explicat, & soluit sapientissimè Scotus, vbi suprà. Tertia sententia est Richardi in 4. dist. 43. quæst. 3. quam vt probabiliorem sequitur Scotus in eodem loco, asserit hæc opinio, quòd agens naturale potest reproducere idem numero, quod produxit, & corruptum est: quia effectus non dependet essentialiter nisi à suis causis, atque adeò effectus causabilis à materia erit idem, si materia, & efficiens sint idem. Et si dicas, illa potentia agentis naturalis esset frustrà; quia numquam reducitur ad actum; & confirmatur, quia natura agit ex impetu, non libere, ergo si habet potentiam ad hoc, aliquando illud faciet, & per consequens aliquando resurgeret aliquis naturaliter. Dico, quòd potentia illa non est frustrà: nam multæ sunt potentiæ, quæ nunquam reducuntur ad actum: sicut potentia generatiua beatorum Virginum. Illa tamen potentia dicitur esse frustrà: quæ positis quibuscumque requisitis ad actum; qualis esset potentia ignis ad comburendum, si non posset comburere stupam sibi approximatam, & sufficienter dispositam, & sine aliquo impedimento; non tamen est frustrà illa potentia, quæ propter impedimenta non reducuntur ad actum, sicut contingit in proposito; nam cùm causæ naturales sint essentialiter subordinatæ, & habeant ad inuicem ad agendum necessariam connexionem, ita vt non possit vna sine alia producere, & agens naturale non habeat cœlum semper in eadem dispositione secum coagens, sicut coagebat in productione, sequitur, quòd non possit idem corruptum reproducere, vt hîc paucis verbis notat Scotus. Vel dicas non esse frustra talem potentiam, siquidem similem, & eiusdem rationis actum producit; quando scilicet producit primò illam rem, quæ productio est eiusdem rationis cum reproductione. Ad confirmationem dico, quòd quamuis agentia naturalia hoc facere possint: quia tamen sunt causæ Deo subordinatæ, nisi Deus illis cooperetur, non possunt agere; si tamen Deus illis coageret, possent quidem facere iterum, quæ fecerant, etsi hoc numquam visum est in natura, ideò est, quia fortè Deus ordinauit non concurrere ad hoc cum causis secundis ratione occulta, quam ipse nouit.

19. B *De condensatione, & rarefactione dico, &c.* Nota, quòd multæ sunt sententiæ quomodo fiant rarefactio, & condensatio: nam quidam volunt, quòd rarefactio fiat per iuxtapositionem corporum subtilium, quam sententiam reprobat Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. Alij dicunt, quòd in rarefactione acquiritur vna totalis quantitas, & corrumpitur tota præcedens: atque ita in condensatione, in hunc scilicet modum, quòd eadem quantitas priùs erat minor, & postea maior in rarefactione, & è contra in condensatione. Alij verò dicunt, quòd in rarefactione acquiritur noua pars quantitatis sine corruptione precedentis. Quarta sententia, quam suprà in Annotationibus ad quæst. 8. litera C. diximus esse Scoti, tenet rarefactionem, & densationem esse motus ad raritatem, & densitatem, quæ sunt qualitates, & secundariò ad diuersum modum quantitatis. Prima pars est Scoti vbi suprà, & secunda est etiam de eius mente, vt explicatum reperies in Commentariis nostris super 4. Scoti tom. 1. d. 12. q. 4.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 1.

EORVM, *quæ 1 sunt, alia quidem sunt natura, alia verò propter alias causas, &c.* Iste est [a] secuudus liber Physicorum in quo Aristoteles determinat de principiis tam intrinsecis, quàm extrinsecis rerum naturalium, & diuiditur iu sex tractatus. In primo determinat quid sit natura, & de quibua dicitur. In secundo ostendit, quæ & de quibus sit cousideratio naturalis. Iu tertio determinat de causis per se, ostendendo modos, & genera causarum. In quarto determinat de causis per accidēs, & iu quinto ostendit, quòd ad naturalem pertinet cousideratio de omnibus causis. Iu sexto ostendit; ita vt necessitas in naturalibus proueniat ea fine. Secundus ibi, *Quoniam autem determinatum est*. Tertius ibi, *Determinatis autem his*. Quatius ibi, *Differt autem*, Quintus ibi, *Quæ autem*. Seatus ibi, *Dicendum igitur primum*. Primus tractatus continet duo capitula, in primo ostendit, quid sit natura, & in secundo ostendit de quibus dicitur. Secundum ibi, *Quoniam autem determinatum est*. Primum caput diuiditur: quia primò ponit quandam diuisionem, secundò demonstrat membra diuisionis, & tertiò instituit definitionem uaturæ. Secundum ibi, *Omnia autem quæ dicta sunt*. Tertium ibi, *Tanquam natura sit principium*. Primò dicit, quòd eorum, quæ sunt, alia sunt à natura, & alia propter alias causas, & eaponit Commentator, id est, propter voluntatem: à natura enim sunt animalia, & plantæ, & partes ipsorum, & corpora simplicia, vt ignis, aër, aqua, & terra; & mixta inanimata composita ex istis.

2. *Omnia autem quæ dicta sunt, &c.* Declarat membra diuisionis dicens, quòd omnia prædicta quæ [b] sunt à natura, differunt ab hia, id est, ab artificialibus, quæ sunt propter alias causas io hoc, quòd habent in se ipsis principium sui motus, & quieris: vt verbi gratiâ, quædam habent iu se principium sui motus localis, vt cœlum, & elementa simplicia, cùm fiunt eatra sua loca naturalia: similiter & alia habent in se ipsis principium sui motus progressiui; quædam verò habent in se principium motus augmentationis, & diminutionis; vt animalia, & plantæ; quædam verò habent in se principium alterationis, vt mixta ex elementis existentibus in sua naturali dispositione; quòd si fuerint extra suam dispositionem naturalem, tunc habent in se principium suæ alterationis, vt patet de aqua calefacta, quæ reducit se ad frigiditatem. Sed 2. artificialia, vt lectulua, & indumentum non habent in se impetum mutationia innatum eis ab arte, ita quòd non habent in se principium mutationis à dispositione illa, quam habent ab arte; sed quatenus sunt res naturales, habent in se principium monendi.

Vide contradictio. Zimara.

ANNOTATIONES
Patris Arretini.

3. *Ordo & continuatio huius 2. libri ad præcedentem.*

[a] I*Ste est secundus liber Physicorum in quo Aristoteles, &c.* Nota, quòd inuestigato in superiori libro rei naturalis principiorum ternario numero, in boc secundo Physicorum libro Aristoteles omnia causarum quatuor genera, sub quibus causa efficiens, & finalia, materia, & forma comprehenduntur, eaplicare nititur. Cùm enim in primo de materia, & forma tanquam de principiis rem naturalem intrinsecè componentibus egisset; modò de ipsis simul, de finali, & efficienti tanquam de causis mutationis earundem rerum naturalium tractare intendit. Aduerte tameu, quòd, vt suprà dictum est, principium, & causa habent se sicut superius, & inferius; quicquid enim est causa, est priucipium, & tamen non è contra; præcisa enim ratio priucipij, quæ consistit solùm iu hoc, quòd sit prius eo, cuius est principium, absque causæ ratione inueniri potest; ratio verò causæ est vis quædā efficiendi, quam non habet quodlibet principium, & quæ inueniri nequit absque ratione principij: quia etiam causa est prior suo effectu. Aduerte etiam quòd principia rei naturalis sunt etiam elementa eiusdem: quia illis res naturalis constat intrinsecè. Quapropter in 1. libro egit Aristotelea de illis, vt sic; quia tamen ipsa principia quorundam effectuum iu rebus naturalibua sunt causa; ideò de illis agit in hoc libro secundùm rationem causæ: & quia quatuor causarum genera in omni transmutatione naturali inueniri solent, & etiam quia Philosophus naturalis per omnia causarum genera demonstrat; ideò de quatuor causarum generibus in hoc libro disputationem instituit.

Principium & causa se habent vt superius, & inferius.

4. *Natura, & ars quomodo differant.*

[b] *Quæ sunt à natura differunt ab artificialibus, &c.* Nota, quòd hæc est differentia inter naturam & artem, quòd natura non solùm facit rem; sed & communicat virtutem ad operationem rei, vt quando natura facit ignem, dat illi leuitatem, & virtutem ad operandum, atque ita natura & facit rem, facitque eam operari. Ars verò facit rem mortuam, & iacentem non dando illi aliquam virtutem. Huius ratio est, quia natura in sua operatione penetrat omnes partes intimas, & dat illis virtutem. Ars verò solùm operatur circa partes externas. Vnde elicitur triplex differentia inter formam naturalem, & artificialem. Prima, quòd omnis forma naturalis producitur à natura per qualitates actiuas, & passiuas; vt forma ignia introducitur in ligno per caliditatem, & siccitatem, expellendo frigiditatem, & humiditatem: forma aotem artificialis non introducitur in materia per qualitates

actiuas;

actiuas; sed solùm per artem artificis. Secunda differentia, quòd forma naturalis immediatè inducitur in ipsam materiam primam; forma verò artificialis, non nisi in secundam materiam inducitur, & ideo forma artificialis est accidens: quia aduenit enti in actu. Tertia differentia, quòd forma naturalis residet in toto composito, & qualibet parte, forma verò artificialis solùm reperitur in partibus superficialibus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm res artificiales distinguantur à rebus naturalibus.

Aristot. 2. *Phys. text.* 1. Auerroes, Simplic. Themist. Alexand. D. Thomas *ibid.* Henricus *quodlib* 5. *quæst.* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. Zimara *tract. peculiari de hac re.* Mayron. 2. *Phys. in princ.* Conimbr. 2. *Physic. quæst* 5. Compluten. *disput.* 7. *de natura, quæst. vltima.* Auersa *tomo* 1. *Philos. quæst.* 9. *sect.* 7. Fuentes 2. *Physic. diffic.* 1. *art.* 3. Ruuius & Roccus *quæst.* 4.

1. ARGVITVR quòd sic: quia sectio, & domificatio sunt quædam res, cùm sint motus, vel mutationes, & non sunt naturales, cùm sint ab homine agente per deliberationem, igitur sunt artificiales.

Secundò, quia cuiuslibet transmutationis acquisitiuæ est alicuius terminus: sed transmutatio artificialis est quædam transmutatio acquisitiua; ergo per ipsam acquiritur aliquid de nouo præter res naturales.

Tertiò, quia lapides, & ligna, ex quibus componitur domus, vel se habent aliter quàm priùs, vel non; si sic, tunc sequitur, quòd aliquod est eis acquisitum per artem, vt domus. Si non, sequitur quòd si prius non erant domus, quòd adhuc non sint domus.

Quartò sequeretur, quòd ars non esset habitus factiuus; consequens est falsum, vt patet 6. Ethic. Consequentia patet: quia per artem non acquiritur aliqua noua forma, vel dispositio præter res naturales, & sic cùm nullius sit factiuus, sequitur, quòd non est factiuus.

Quintò, quia si dicatur, quòd figura, siue res artificialis non sit distincta à rebus naturalibus; per idem potest sustineri, quòd albedo non sit res distincta à re alba: quia sicut dicitur, quòd sphæricum est, quando non est sphæricum; ita potest dici, quòd albedo est, quando non est albedo.

2. Sextò, quia alia est operatio cultelli obtusi, quàm acuti, quod non esset nisi prouenirent à diuersis formis: quia à diuersitate operationum arguimus diuersitatem formarum, vt patet 2. de Anima, text. 13. & illæ diuersæ formæ non sunt naturales, cùm sint factæ per artem.

Septimò sequeretur, quòd linea circolaris, & linea recta essent ad inuicem comparabiles, cuius oppositum dicit Commentator 7. huius com. 7. Probatur consequentia, quia ex quo figura non est res distincta à re figurata, sint duæ albedines, quarum vna est circularis, & alia recta; tunc illæ albedines sunt ad inuicem comparabiles, istæ albedines sunt figura circularis; & recta, igitur sunt ad inuicem comparabiles.

Octauò sequeretur, quòd opposita dicerentur de eodem, quod est falsum. Probatur consequentia: quia eadem res esset concaua, & conuexa cùm concauitas non sit aliud à re concaua.

Nonò per Aristotelem in isto 2. text. 1. vbi dicit, quòd eorum quæ sunt alia, sunt à natura, alia propter alias causas: modò quæ sunt alia à natura distinguuntur.

Decimò per Aristotelem ibidem, qui dicit quòd entia naturalia habent in se ipsis principium sui motus, sed artificialia non. Idem dicit Commentator quòd res artificiales sunt accidentia in rebus naturalibus. Idem per Porphyrium, qui dicit quòd statua componitur ex ære tanquam ex materia, & figura artificiali, tanquam ex forma.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. text. 12. vbi dicit. Lectuli enim natura est lignum, & statuæ est æs. In quæstione Primò videbitur quæ sunt artificialia. Secundò, quæ sunt factibilia ab arte. Tertiò videbitur de diuersitate artificialium à naturalibus. 3. *Diuisio quæstionis.*

Quantum ad primum, notandum, quòd artificialia denominantur ab arte, & ideò illa quæ fiunt ab homine per intellectum mediante deliberatione præuiâ dicuntur fieri ab arte, & ideò apes, & formicæ, & huiusmodi, cùm non habeant intellectum, non operantur ab arte, sed illa, quæ faciunt, sunt similia artificialibus, & ideò faciunt ipsa ex quodam instinctu naturæ: & ponitur notabiliter *per deliberationem*: quia illa, quæ facit homo sine deliberatione, vt puta ruptio festucæ, vel huiusmodi, non dicuntur fieri ab arte. *Artificialia quæ sint.*

Contra istud obiicitur: quia multoties artifex operatur, quando tamen non deliberat ad suam operationem, & per consequens tunc non habet deliberationem, igitur ad hoc quòd res dicatur artificialis, non requiritur deliberatio agentis.

Secundò, quia littera, vel figura protracta à discipulo dicitur artificialis, & tamen non fit ab arte, igitur descriptio non valet.

Tertiò dubitatur, vtrùm ab Intelligentia possit fieri aliquod artificiale? dicitur quòd non, cùm Intelligentia non habeat deliberationem: nam deliberatio est propter imperfectionem cognitionis, & cum difficultate; modò Intelligentia perfectè cognoscit omnia, igitur non requirit deliberationem in agendo.

Ad ista. Ad primum dico, quòd non semper requiritur actualis deliberatio, sed sufficit habitualis, quemadmodum dicitur in Theologia, quòd ad benè dicendum horas, vel Missam non semper requiritur actualis intentio ad Deum; sed sufficit quòd incipiat cum actuali intentione, & concomitetur cum habituali. 4. *Hæc habitualis attentio idem est quod virtualis.*

Ad secundum dico, quòd illa protractio non dicitur artificialis, eo quòd fiat ab arte, sed ex eo quòd imitetur artem.

Ad tertium dico, quòd quantum est ex parte cognitionis, non repugnat Intelligentiæ facere aliquod artificiale; quia licèt non deliberet, tamen habet cognitionem perfectam, quæ multo perfectiori modo dirigit Intelligentiam in agendo, quàm nos dirigamur per deliberationem.

Secundò notandum, quòd aliqua incipiuntur à natura, & complentur per naturam; vt pluuia, & herbæ crescentes in campis sine adiutorio agricolæ; aliqua sunt, quæ incipiuntur per artem, & complentur per naturam, vt agriculturæ, & ista sunt naturalia, eo quòd per naturam introducuntur formæ naturales, & completæ. Aliqua sunt quæ incipiuntur ab arte, & complentur ab arte; aliqua sunt, quæ incipiuntur per naturam, & perficiuntur per artem; & talia dicuntur artificialia. *Artificialia quæ dicantur.*

Artificialia ſunt in triplici genere.

Tertiò notandum, quòd quædam ſunt artificialia per compoſitionem, vt domus. Alia per ſubtractionem partium, vt illa quæ ſculpuntur. Alia verò per tranſpoſitionem materiæ, vt quando cera mutatur de vna figura in aliam. Ex quibus patet, quòd alia dicuntur artificialia, quæ fiunt completè ab homine mediante cognitione intellectiuâ, & per deliberationem actualem, vel habitualem, & hoc de primo.

5. *Aliqua fieri per artem bifariam contingit.*

Quantum ad ſecundum notandum, quòd aliqua fieri per artem, poteſt intelligi de ſubſtantia, vel de accidente, ſcilicet, vtrùm aliqua ſubſtantia fiat ab arte; vel aliqua forma artificialis. Vel poteſt intelligi de motu, & hoc vel de motu corporali, vel ſpirituali.

Tunc ponuntur concluſiones. Prima eſt. Nulla forma ſubſtantialis poteſt fieri ab arte. Probatur, quælibet forma ſubſtantialis eſt natura; igitur omnis tranſmutatio, quâ fit forma ſubſtantialis, eſt naturalis, & per conſequens non artificialis, Antecedens patet ſecundo huius text. 12. & inde. & conſequentia tenet: quia motus denominatur à termino ad quem, vt patet quinto huius text. com. 4. & 31. & 35.

Contrà concluſionem arguitur primò: quia forma ſubſtantialis butyri fit per artem, vt patet ad experientiam. Secundò, quia per Alchimiam fiunt metalla, quod non eſſet, niſi per artem fieret forma ſubſtantialis. Tertiò patet de vitris, quæ fiunt ab arte.

Reſpondetur ad primum, quòd applicatio aliquorum, quæ faciunt ad formam ſubſtantialem, benè eſt ab arte, ſed introductio formæ ſubſtantialis ſequens illam applicationem, eſt à natura, & ideò ille motus localis, qui eſt in factione butyri, benè eſt ab arte. Conſimiliter ad ſecundum, & tertium.

6. *Nulla qualitas poteſt fieri ab arte.*

Secunda concluſio. Nulla qualitas conſequens formam ſubſtantialem ab arte fieri poteſt. Probatur: quia idem eſt agens dans formam, & conſequentia formam, & ideò dicit Ariſtoteles in 8. huius, text. 32. quòd graue mouetur à generatore; ſed forma ſubſtantialis non poteſt fieri ab arte per præcedentem concluſionem, igitur nec qualitas conſequens illam formam. Secundò patet introductione, tam in qualitatibus primis, quàm in ſecundis.

Sed obiicitur: quia pictores faciunt colores ab arte. Secundò coci faciunt ſapores ab arte vt patet de ſalſis. Reſpondetur, quòd iſti non faciunt ſapores, vel colores; ſed diuerſimodè applicant ad inuicem diuerſa ſapida, ex quorum commixtione reſultat alter ſapor à ſapore alicuius commixtorum. Eodem modo per commixtionem coloratorum ad inuicem pictores diuerſificant colores.

Motus aliquis ſpiritualis fit ab arte.

Tertia concluſio. Aliquis motus ſpiritualis benè fit ab arte, vt patet de Syllogiſmo, Enthymemate, Inductione, & aliis argumentationibus Logicis, quæ fiunt per artem Logicæ.

7. *Motus corporeus alius à motu locali non poteſt fieri ab arte.*

Quarta concluſio. Nullus motus corporeus alius à motu locali poteſt fieri ab arte. Probatur, quia nullus motus corporeus alius à locali poteſt eſſe voluntarius, igitur nullus alius poteſt eſſe ab arte. Antecedens patet 8. huius, & tenet conſequentia: quia ſemper artem conſequitur, vel præcedit operatio voluntaria; cùm ad artem requiratur deliberatio. Secundò, quia cùm quilibet alius motus corporeus alius à locali, ſit præciſus ad formam ſubſtantialem, vel accidentalem, ſequitur quòd aliqua forma ſubſtantialis, vel accidentalis poteſt fieri ab arte, cuius oppoſitum eſt probatum. Patet igitur quomodo in rebus corporalibus aliquis motus localis poteſt fieri ab arte, & nulla ſubſtantia, nec etiam qualitas conſequens ſubſtantiam, & hæc de ſecundo.

8. *Figura artificialis non diſtinguitur à forma naturali.*

Quantum ad tertium ponitur iſta concluſio, quòd per [a] artem non acquiritur aliqua diſpoſitio noua addita rebus naturalibus, quæ diſpoſitio vocatur figura, vel forma artificialis, immò omnis res naturalis eſt artificialis, & non eſt artificialis per diſpoſitionem additam. Probatur, quia omne artificiale habet in ſe principium motus & quietis, igitur eſt naturale, per definitionem naturalis datam in iſto ſecundo, text. 3. Tenet conſequentia, & antecedens apparet inducendo de domo, de ſtatua, & huiuſmodi, quorum quodlibet ſi eſſet ſurſum, non impeditum deſcenderet deorſum. Secundò, quia omnis diſpoſitio accidentalis eſt à natura, vel ſecundùm naturam, vt patet 2. huius, text. 4. igitur nulla eſt ab arte. Tertiò, quia omnis res artificialis aut fit per tranſpoſitionem, & tunc cùm ibi ſit ſolus motus localis, non poteſt ibi acquiri diſpoſitio noua permanens in mobili, cuiuſmodi ponitur forma artificialis. Secundò ſi fiat per ſubtractionem, vt imago ſculpta, tunc non eſt neceſſe, quòd noua res generetur propter duo: Primò quia poſſibile eſt aliquam rem corrumpi, & ſeparari ab alia ſine generatione nouæ rei, vt patet de corruptione hominis. Secundò, quia tali diminutione non apparet niſi motus localis. Tertiò ſi fiat per compoſitionem, tunc ſequitur quòd per ſolam approprinquationem duarum rerum ad inuicem produceretur vna res noua in qualibet illarum rerum permanens in eo. Quartò, quia talis diſpoſitio, vel qualitas eſt extenſa ex extenſione ſubiecti, igitur ſequeretur, quòd ſi vna muſca remoueret vnam minimam portionem terræ, cauſaret vnam nouam rem per terram, & quamlibet partem eius, ſequeretur etiam quòd muſca poſſet ad quamlibet diſtantiam agere: ſequeretur etiam, quòd latomus percutiens lapidem infinitas res generaret & corrumperet in vna modica hora, quod eſt falſum.

9. Ex quibus ſequitur, quòd iſti termini figuræ, figuratum, ſphæra, ſphæricum, & huiuſmodi ſunt connotatiui, & ſupponunt pro rebus naturalibus connotando ipſas taliter, vel taliter ſe habere, non per diſpoſitionem additam, ſed per ſolum motum localem. Secundò ſequitur, quòd idem ſunt figuratum, & eſſe figuratum, immò iſti tres termini conuertuntur, figura, figuratum, & eſſe figuratum. Ideò quando dicit Ariſt. in 7. Metaphyſicæ text. 20. quòd in dictis ſecundùm accidens non eſt idem ipſum, & eſſe ipſum, intelligitur de dicto ſecundùm accidens per quod connotatum eſt diſpoſitio addita rei, pro qua ſupponit. Tertiò poteſt inferri, quòd motus localis non eſt res diſtincta à mobili, & hoc de tertio.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd ſectio, & domificatio ſunt res naturales, & à natura, licèt per artem ſint aliter diſpoſitæ; qualiter denominantur ſectio, & domificatio. Ideò fortè iſte eſſet neganda, domus eſt ab arte, vel ſerra eſt ab arte; & iſta fortè concedenda, ab arte eſt ſerra; id eſt, res illa ab arte eſt ſic diſpoſita.

Ad ſecundam concedo ad iſtum ſenſum, quòd poſt quamlibet tranſmutationem res ſe habent aliter

aliter quàm priùs sed non oportet, quòd aliter se habeant per dispositionem additam.

10. Ad tertiam dico, quòd aliter se habent quàm priùs: quia approximata sunt per motum, & ideò non aliter se habent per dispositionem nouam additam; nec hoc oportet. Sed obiicitur: quia tunc sequeretur, quòd domus nouiter facta fuisset à centum annis, quod est falsum: & patet consequentia, quia hæc fuerunt à centum annis demonstratis illis, ex quibus componitur domus, sed ista sunt domus: ergo, &c. Respondetur negando consequentiam; sed sequitur conclusio in plurali numero, quòd aliqua, quæ nunc sunt domus, fuerunt à centum annis; & ideo negatur, quòd domus sit nouiter facta; licèt nouiter facta sit domus.

Ad quartum dico, quòd sic est factiuus alicuius rei aliter, quàm priùs dispositæ, licèt non sit per dispositionem nouam superadditam.

11. Ad quintùm negatur consequentia: quia ad diuersificationem figuræ sufficit solus motus localis; sed per solum motum localem sine alteratione non potest res mutari de albedine in nigredinem, vel de non albo in album.

Ad sextum dico, quòd hoc est non propter diuersas formas accidentales, quibus disponantur, sed propter hoc, quòd diuersimodè disponunt in acie, licèt non per dispositionem additam.

Ad septimum dico, quòd sunt comparabiles in aliquo, licèt non in quolibet, vt patebit in 7.

Ad octanum, quòd concauum, & conuexum non sunt opposita: quia dicuntur de eadem re.

Ad nonum ad authoritates dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd [b] eorum, quæ sunt taliter, & taliter disposita; quædam sunt taliter disposita per naturam, & quædam per artem. Secunda authoritas intelligitur, quòd [c] res artificiales non habent ab arte principium motus, & quietis, tamen hoc non obstat, quin sint res naturales. De authoritate Commentatoris, ipse intelligit, quòd accidit rebus naturalibus aliter, & aliter se habere per artem. De Porphyrio ipse non intelligit realem compositionem; sed intelligit sic, quòd ad hoc, quòd aliquid dicatur statua, oportet quòd sit æs, vel aliud metallum, & aliter, & aliter se habeat per artem, & hæc de quæstióne.

ANNOTATIO.

12. [a] P*Er artem non acquiritur aliqua dispositio noua addita rebus naturalibus*, Nota quòd aliqui dicunt, quòd figura est res absoluta de prædicamento Qualitatis, quæ consequitur ordinem partium ad inuicem, vel ordinem partium ad partes loci. Vnde duplex est figura, quædam quæ non est nisi ordo partium ad inuicem, & ad totum. Alia est figura, quæ non est nisi ordo partium ad partes loci; & huiusmodi ordinem res absoluta consequitur, quæ est figura & qualitas quartæ speciei. Alij verò dicunt, quòd figura est præcisè ordo partium, ab ipsisque partibus realiter indistinctus, adeóque figura non est res alia à re figurata; quam sententiam videtur sequi hic Scotus. Cæterùm non intelligit Scotus figuram non esse quid distinctum à re figurata, sed quòd non dicit dispositionem, vel formam absolutam à rebus naturalibus distinctam. Est namque figura secundùm Scotum, vel ordo partium ad se inuicem & ad totum, vel ordo partium ad partes loci: adeò vt sententia Scoti partim conueniat cum illis, qui dicunt quòd figura distinguitur à re figurata, quia ille ordo distinguitur à re cuius est ordo, & partim cum illis, qui dicunt quòd figura est ordo partium, & non res absoluta; & quòd ista sit sententia Scoti patet in 4. sent. dist. 12. quæst. 4. in responsione quæstionis, vbi dicit, quòd figura non dicit vltra quantitatem, nisi relationem partium ad inuicem, vel terminorum includentium partes: & dicit quòd relatio mutari potest eisdem partibus manentibus. Et si dicas, quòd affirmare figuram esse relationem, est negare Philosophum in Prædicamentis dicentem, figuram esse de quarta specie Qualitatis; dico quòd Aristoteles nolebat dicere, quòd essent quatuor species Qualitatis, sed quòd erant quatuor modi Qualitatis, id est, quatuor quæ habebant modum prædicandi Qualitatis, vel aliquem specialem modum ipsius Qualitatis, vt puta, vel de difficili mobilis, vel de facili mobilis, & sic de aliis.

Figura est duplex.

Figura quid sit secundùm Scotum.

13. [b] *Intelligit Aristoteles quòd eorum quæ sunt taliter, & taliter disposita*, &c. Nota quòd res dicuntur naturales, quia cùm ex materia, & forma constent, fiunt à causa naturali, & certa, suúmque finem consequente, res autem dicuntur non naturales: quia non fiunt à causa naturali, sed ab arte, atque ita dicuntur arte factæ, aut saltem quia quamuis fiant à causa naturali, non tamen fiunt à certa causa, finémque suum consequente, & huiusmodi sunt monstra, de quibus infrà in hoc secundo libro agendum est. Ex hoc sequitur, quòd in diuisione rerum naturalium à non naturalibus, per res non naturales præcipuè intellexit Aristoteles res artificiales: quia volens definire naturam, hoc commodè haud fieri poterat, nisi tali diuisione præsuppositâ.

14. [c] *Res artificiales non habent ab arte, principium motus*, &c. Nota quòd artificialia à naturalibus differunt per hoc, quòd naturalia habent principium intrinsecum sui motus; non sic verò artificialia. Quòd si dicas, si duo artificialia ferrea, quorum alterum sit acutum, & alterum planum, descendant deorsum, illa sanè habebunt principium illius descensus, atque adeò non distinguuntur artificialia à naturalibus per hoc, quòd non habeant principium sui motus. Antecedens patet: quia velociùs mouebitur acutum, quàm planum; hoc autem esse nequit inquantum naturalia, quia vtrumque est ferreum, & æqualis ponderis, ergo inquantum artificialia; ergo in artificialibus est principium motus, & per consequens non distinguuntur à naturalibus. Et confirmatur, quia saltator, Musicus, & Citharœdus habent principium sui motus non à natura, aliàs omnes essemus Musici, & Citharœdi; ergo ab arte, atque adeò ars est principium motus sicut natura, ergo non distinguuntur artificialia à naturalibus per non habere principium motus. Dico quòd antecedens est falsum. Quando enim illa duo artefacta deorsum descendunt, non quidem procedit descensus illorum ab aliquo principio intrinseco in illis, vt sic existente; sed causa illius descensus est, non figura artificialis; sed materia & forma ferri; est tamen forma artificialis causa, vt mobile velociùs, aut tardiùs moueatur, & non vt simpliciter moueatur; atque ita Musica, & ars citharizandi,

rizaodi, sut saltandi oon sunt causa vt simplicitet res moueātur; sed vt moueantur hoc, vel illo modo, & hoc est, quod dici solet, huiusmodi artes esse principia non motus, sed modi motus, quod non sufficit ad tationem naturæ, sed oportet, vt sit prineipium motus simpliciter. Insuper quamuis essent principium simpliciter motus, tamen non sunt oatura: quia nou per se primò insunt rebus, sed per accideus.

Qværstio II.

Vtrùm ens naturale habeat in se principium sui motus, & quietis.

Aristot. 2. *Phys. cap.* 1. *text.* 1. Auerroes, reliqui commentatores, & D. Thomas *ibid.* Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. Conimbric. 2 *Phys. quæst.* 2. Compluten. *disp.* 7. *q.* 2. Ruuius & Roccus *quæst.* 1.

1\. ARGVITVR quòd oon: quia Deus, Intelligentiæ, intellectus, materia, motos, & alia accidentia sunt entia oaturalia, & tamen non habent in se principium motus, & quietis, ergo, &c.

Secundò, quia terra tota, & partes centrales terræ sunt entia naturalia, & tamen non habent in se principium sui motus, quia impossibile est ipsa mooeti: ergo, &c.

Tertiò, quia demonstrato lapide qoiescente istud est ens naturale, & tamen non habet in se principium sui motns, quia non mouetur: modò nihil habet io se principium illius quod noo est.

Quartò, quia si sic, tunc sequeretur, quòd omnis motus esset natutalis. Consequens est falsum: quia motus sursum est violentus ipsi graui; consequentia patet, ex quo fieret à principio mobilis.

Quiotò sequeretur, quòd omne ens naturale moueretur ex se. Consequens est falsum: quia moueri ex se est animalibus proprium: & tenet consequentia; quia quodlibet ens moueretur à principio iotrinseco sibi, ergo, &c.

Sextò, vel quodlibet haberet in se principium actiuum sui motus, vel principium passiuum; non actiuum: quia cœlum mouetur ab Intelligentia separata; nec passiuom, quia hoc non est ad intentionem Aristotelis. Nam artificialia babent in se principium passiuum sui motus.

Septimò, quia illud, quod nihil est, non habet in se principium: modò quies nihil est, cùm sit priuatio, ergo, &c. Et si dicatur, quòd quies sit res quiescens, adhuc sequitur, quòd nulla res babet in se quietem: quia nulla res habet se ipsam in se.

Octauò, cœlum, & ignis sunt entia naturalia, & tamen non habent in se priucipium suæ quietis: quia impossibile est cœlum, & ignem in sua sphæra quiescere.

2\. *Diuisio quæstionis.* Oppositum arguitur per Aristotelem in principio huius secundi, text. 2. In qoæstione ista primò videbitur generaliter de *quid nominis* terminorum. Secundò, respondebitur ad quæsitum de corpore cœlesti.

Ens naturale est ens compositum ex materia & forma. Quantum ad primum notandum, quòd in proposito intelligimus per ens naturale, compositum ex materia, & forma; & per hoc includuntur materia, & forma, quæ sunt naturæ, sed noo sunt entia naturalia. Secuodò excludontur substantiæ separatæ. Et tertiò excloduntur dispositiooea, & accidentia, quæ sunt à natura, vel secundùm naturam, & per hoc soluitur primum argumentum.

Secundò notandum, qoòd licèt *esse in* capiatur multipliciter, tamen in proposito accipitur, vt pars integralis, vel essentialis habet esse in toto, aut dispositio, vel qualitas in suo subiecto, mediante quâ parte, vel ioclinatione, totum ioclinatur ad motum.

Tertiò notandum quòd quæstio potest intelligi de prioeipio actiuo, vel passiuo, & secundùm Commentatorem intelligitur de vtoque, & hoc vel respectu motus localis, aut alterationis, vel generationis; & ita de aliis.

Quartò notandum quòd duplex est principium actiuum respectu mutationis, quoddam est principale, vt forma substaotialis, respectu cuius fit actio principaliter. Aliud est secundarium, & quasi instrumentale, & est dispositio, vel qualitas, mediante quâ forma substantialis mouet, vel agit, vt graoitas, mediante quâ graue mouetur. *Principium actiuum est duplex.*

3\. *Principium passiuum est duplex.* Quartò notandum, quòd duplex est principium passiuum, quoddam resistitiuum, sicut in calefactione frigiditas patitur resistitiuè: aliud est passiuum receptiuum, & tale est duplex, quoddam quod recipit, & denominatur à dispositione; quam recipit; sicut ignis est receptiuus caliditatis, & denominatur à caliditate. Aliud est receptiuum, quod non deoominatur: cuius causa est, quia materia prima est insensibilis, & ignota vulgo, & communitati, & ideò omnes dispositiones, & motus attribuimus composito, & non materiæ, eo quòd compositum est magis notum: modò quolibet prædictorum modorum potest intelligi quæstio: scilicet, Vtrùm quodlibet ens naturale habeat io se principium passiuum motus localis mediante dispositione inclinante, vel sioe tali dispositione. Secundò, vtrùm quodlibet ens naturale babeat in se principium passiuum motus localis resistitiuum, quo scilicet sufficit resistere, & causare successiooem io motu sine alio extrinseco. Vel vtrùm solùm habeat principiom passiuum motus localis, & non est differentia in proposito siue motus localis distinguator à mobili, siue noo: & sicut quæritur de motu locali, ita potest quæri de qnolibet aliorum motoom, vel mutationum; & hoc de primo.

Quantum ad secundum, prima conclusio est, quòd cœlum habet in se principium actiuum sui motus localis. Probatur capiendo *cœlum*, pro orbe & Intelligentia mouente: quia Intelligentia mouet cœlum, saltem assistenter, etsi non inhærenter. 4. *Cœlum habet in se principium actiuū sui motus.*

Secunda conclusio. Principium actiuum mòtus localis cæli non mouet mediante dispositione inclinante ad motum, sicut forma grauis mouet mediante grauitate. Probatur, quia talis dispositio non ponitur nisi propter resistentiam, modò in motu cœli nulla est resistentia; quia si sic, iam motus ille esset violentus, & per consequens non esset perpetuus.

Ex quo sequitur, qoòd cùm Cœlum non resistat, noo mouetur ab agente naturaliter, sed liberè. Probatur, quia si moueretur ab agente naturaliter, moueretur subitò cùm non resistat. Et eodem modo patet, quòd cœlum babet in se principium passiuum receptiuum sui motus localis, scilicet orbem; sed non habet in se principium passiuum resistitiuum: quia cœlum non resistit Intelligentiæ mouenti. *Cœlum non mouetur naturaliter sed liberè.*

5\. *Cœlum habet principium actiuum, & passiuum suæ alterationis.* Tertia conclusio. Cœlom habet in se tam principium actiuum, quàm passiuum suæ alterationis, quæ est illuminatio, Probatur, quia cœlum habet

habet in se Solem, & stellas, quæ sunt principium actiuum luminis, & habet in se partes orbis, quæ recipiunt in se continuè lumen aliud, & aliud, propter diuersitatem aspectuum, & motuum Solis, & stellarum, & forte cœlum secundùm quamlibet partem sui est sic receptiuum luminis. Et si obiiciatur, quòd aliqua est pars orbis Solis, quæ continuè respicitur a Sole, igitur propter diuersitatem motus Solis pars illa nunquam alteratur per lumen; sed semper manet eodem lumine illuminata.

Secundò dubitatur, an cœlum habeat in se principium passiuum resistitiuum illuminationis. Respondetur ad primum, quòd licèt partes orbis Solis semper respiciantur vniformiter à Sole, tamen diuersimodè respiciuntur ab aliis stellis, & planetis, à quibus etiam recipiunt lumen, & tunc alterantur secundùm lumen receptum ab aliis stellis. Ad secundum dico, quòd cœlum non habet principium resistitiuum illuminationis nisi densitatem. Nam vna pars cœli est densior alia, vt stella est densior pars orbis; per hoc etiam redditur causa Galaxiæ, quòd vna pars cœli, quæ apparet magis alba, est densior aliis partibus, quæ apparent minùs albæ; & qualiter densitas sit resistitiua dictum fuit priùs, quia diminuit gradum formæ, sed non velocitatem.

Cœlum non habet principium resistitiuum illuminationis.

Quarta conclusio. Cœlum non habet in se principium actiuum, vel passiuum alicuius alterius motus, aut transmutationis à motu locali, & illuminatione. Probatur; quia cœlum est ingenerabile, & incorruptibile, & per consequens inalterabile alteratione disponente ad corruptionem, vt patet 1. & 2. Cœli text. 19. & 3. & huc de secundo.

6. Quantum ad tertium. Notandum, quòd elementum simplex, vel est in sua naturali dispositione, sub qua scilicet meliùs, & conuenientiùs potest permanere, & hoc quantum ad locum, & etiam quantum ad qualitates; ita vt sit in suo esse naturali, & sub qualitate summa, quam sibi determinat. Alio modo est elementum, quando est alteratum à sua naturali dispositione, vel motum à suo loco naturali. Tunc ponuntur conclusiones.

Elementum simplex bifariam considerari potest.

Prima conclusio. Nullum elementum simplex existens in sua naturali dispositione, secundùm qualitates, & secundùm locum habet in se ipso principium actiuum sui motus. Probatur, quia si posset mouere se ipsum, vel hoc esset ad dispositionem conuenientem sibi, vel ad disconuenientem corruptiuam; non primo modo, quia iam habet omnes dispositiones conuenientes sibi secundùm naturam perfectissimè, sicut natum est ipsas habere: nec secundo modo, quia dispositio corruptiua elementi est violenta sibi, igitur non potest induci ab intrinseco, cùm violentum sit cuius principium est extrà.

Elementum simplex quo modo habeat in se principium actiuũ sui motus.

7. Secundò: quia si se alteraret, tunc moueretur ad sui corruptionem, & per consequens esset otiosum in natura, quod est impossibile.

Tertiò patet inductione: quia graue existens deorsum, non mouet se localiter: similiter aqua frigida non calefacit se, & sic de aliis.

Secunda conclusio. Elementum simplex existens extra suam dispositionem naturalem, habet in se principium effectiuum alicuius motus, scilicet illius motus, qui est ad dispositionem naturalem, quâ caret. Probatur: quia omne illud quod est violenter deductum à sua dispositione naturali, remoto impedimento reducit se ad illam dispositionem naturalem. Sed omne elementum simplex existens extra suam dispositionem naturalem, est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet per experientiam: quia si virga recta inclinaretur, remoto inclinante redit ad rectitudinem, & minor est nota.

Secundò, quia graue violenter detentum sursum, remoto impedimento mouetur deorsum.

Tertiò, quia aqua calefacta reducit se ipsam ad frigiditatem; nec hoc fit à continente: quia aqua in continente calido, adhuc reducit se, similiter in continente frigido reducit se ad frigiditatem maiorem, quàm sit frigiditas continentis.

Sed dubitatur, quod est principium effectiuum huiusmodi alterationis. Secundò videtur quòd huiusmodi alteratio non fiat ab aqua: quia tunc fieret motus à proportione minoris inæqualitatis: quia caliditas aquæ multum excedit eius frigiditatem. 8.

Respondetur quòd actio illa fiat à forma substantiali aquæ mediante frigiditate virtuali; & causa est, quia vniuscuiusque rei forma inclinatur, & nititur ad *esse* sui, quantum potest, & per consequens nititur ad conseruationem, & ad dispositionem sub qua meliùs, & perfectiùs potest conseruari: & quia frigiditas actualis est dispositio conuenientissima, sub qua potest conseruari forma aquæ, ideò cùm aqua fuerit alterata à frigiditate actuali, eius forma mediante frigiditate virtuali inclinatur ad reducendum aquam ad actualem frigiditatem.

Et si quæratur quid sit illa frigiditas virtualis, dico quòd est quædam species de secunda specie Qualitatis, quæ est naturalis potentia, vel impotentia, & non debet poni de tertia specie, cùm sit insensibilis: nec debet poni forma substantialis, quia in mixtis inuenitur frigiditas virtualis, in quibus tamen non inuenitur forma substantialis alicuius elementi. Per hoc patet solutio ad 2. quia licèt caliditas actualis sit maior frigiditate actuali, tamen est minor frigiditate virtuali.

Frigiditas virtualis quid sit.

Tertia conclusio. Omne principium actiuum motus alicuius elementi est mediante dispositione inclinante ad motum. Probatur: quia motus elementi, vel est violentus, vt calefactio aquæ, & tunc fit à caliditate: vel naturalis, vt motus deorsum, & tunc fit à grauitate, & ita potest induci in aliis, & quantum ad hoc idem est iudicium de mixtis. 9.

Tunc de principio passiuo dico Primò quod quodlibet elementum habet in se principium passiuum suæ alterationis tam receptiuum, quàm resistitiuum. De receptiuo patet, quia quodlibet habet materiam primam: de resistitiuo patet: quia elementum non alteratur nisi sit extra suam naturalem dispositionem per primam conclusionem, & tunc semper habet qualitatem contrariam sibi resistentem ei.

Elementum quodlibet habet in se principium passiuum sui motus, & quomodo.

Secundò dico de motu locali, quòd quodlibet habet in se principium passiuum motus localis receptiuum, scilicet materiam primam; sed non resistitiuum: quia tota resistentia prouenit ab extrinseco in motu simplicis elementi, vt patet 4. huius, text. 71. De aliis motibus patet per prædicta, quòd nullum elementum habet in se principium suæ generationis, nec etiam corruptionis, condensationis, vel rarefactionis, nisi sit extra suam dispositionem naturalem, & similiter

verum

verum est, quòd nunquam habet in se principium effectiuum suæ generationis. & hoc de tertio.

10. Quantum ad 4. notandum, quòd aliud est mixtum homogeneum, & aliud heterogeneum: homogeneum est cuius omnes partes sunt consimiles in qualitate, & in gradu qualitatis; heterogeneum est cuius partes sunt dissimiles in qualitate, aut in gradu qualitatis.

Mixtum est duplex, homogeneum, & heterogeneũ, & quodlibet habet in se principium sui motus, & quomodo.

Tunc est prima conclusio. Nullum mixtum homogeneum existens in sua naturali dispositione habet in se ipso principium actiuum suæ alterationis. Probatur, quia tale non est contrarium sibi ipsi secundùm totum, nec vna pars contrariatur alteri, igitur non alterabit se ipsum. Secundò, quia si sic hoc maximè esset: quia in ipso sunt qualitates contrariæ, quarum vna excedit alteram; sed propter hoc non: quia cum quolibet gradu citra summum alicuius qualitatis potest stare aliquis gradus qualitatis contrariæ: qui perpetuò staret simul sine hoc, quòd vnus ageret in alio, vt patet in quæstione de contrariis, in 3. vel in 5.

Ex quo sequitur, quòd nullum mixtum homogeneum habet in se principium actiuum suæ generationis, vel corruptionis, condensationis, vel rarefactionis, vel alterius motus consequentis alterationem.

Secunda conclusio. Quodlibet mixtum heterogeneum habet in se principium actiuum suæ alterationis. Probatur, quia talis mixti partes sunt ad inuicem contrariæ; quæ in se inuicem agunt circumscripto quocumque alio agente. Ex quo sequitur, quòd tale mixtum habet in se principium actiuum suæ corruptionis, condensationis, rarefactionis, & augmentationis, & diminutionis, si sit animatum: quia præter animata nihil habet in se principium augmentationis, & diminutionis.

Tertia conclusio, quodlibet mixtum tam homogeneum, quàm heterogeneum, si sit extra suam dispositionem naturalem, habet in se principium sui motus localis tam actiuũ, quàm resistitiuum, & receptiuum, & ideò si tale esset in vacuo, moueretur successiuè, vt patet 4. huius, text. 71. Ex quibus sequitur, quòd elementum simplex, vel mixtum homogeneum si poneretur in loco, vbi non posset approximari contrarium ab extrinseco, numquam corrumperetur, sed mixtum heterogeneum corrumperetur, dato quòd numquam approximaretur contrarium ab extrinseco, & hoc de quarto.

Nunc ad rationes. Ad primam, soluta est.

11. Ad secundam dico, quòd sufficit quòd terra moueatur, vel possit moueri secundùm partes suas; vel dico quòd immò sæpe etiam terrã mouetur, vt quando est magna oppositio contrarietatis in vna parte, vt puta, quando constructiones ciuitatum, aut fluxiones marium, & huiusmodi, tunc tota terra expellitur à loco suo, & efficitur aliud centrum quàm prius, & sic postea illæ partes, quæ nunc sunt centrales, erunt circumferentiales.

Tota terra interdũ mouetur.

Ad tertiam dico, quòd lapis habet in se principium, quo natus esset moueri, si esset extra suum locum, & hoc sufficit.

Ad quartam, negatur consequentia: quia licèt habeat in se principium actiuum motus, tamen non oportet, quòd omnis motus eius fiat ab illo principio, immò aliquis fit ab extrinseco.

Ad quintam negatur consequentia, quia aliquid non dicitur moueri ex eo, quòd moueatur à principio intrinseco; sed ex eo quòd possit in se habere motum sine extrinseco adiuuante.

Ad sextam dico, quòd vtroque modo, sicut dictum est, & ideò licèt Intelligentia non inhæreat cœlo, tamen est in eo appropriatè.

Ad septimam, nego minorem, quia quies est idem quod res quiescens, & ideò habet in se principium, quo fiat quiescens.

Ad octauam de cœlo, & igne, dico quòd sufficit, quòd quiescant quiete opposità recessui à suo loco naturali. Et si quæratur, vel quodlibet appetit æqualiter moueri, & quiescere, vel alterum magis. Dico quòd quodlibet ens naturale, quando est in suo loco naturali, appetit quiescere magis, quàm moueri, scilicet recedendo à loco, sed quando est extra locum, magis appetit moueri ad locum, quàm ibi quiescere.

ANNOTATIO.

a *Elementum simplex existens extra suam dispositionem naturalem*, &c. Nota quòd non parua est controuersia inter Philosophos, an elementa, & entia naturalia inanimata moueantur à se ipsis, adeò vt habeant intra se principium actiuum sui motus localis, & quidem quàm plurimi hoc negant. Scotus verò in 2. distinct. 2. quæst. 10. oppositum sensit, & Peripateticè probat, & quia in octauo huius, quæst. 9. eandem difficultatem explicat, ideò ibi, quæ necessaria fuerint circa hoc annotabimus. 12.

EXPOSITIO TEXTVS.

Tanquam natura prima sit principium aliquod & causa mouendi, &c. Hîc definit naturam. Secundò ostendit, quid est habens naturam. Tertiò quid sit secundùm naturam. & Quartò quòd naturam esse non potest demonstrari. Secundum ibi, *Naturam autem habent*. Tertium ibi, *Secundùm autem naturam*. Quartum ibi, *Quod autem sit natura tentare demonstrare*. Prima conclusio est ista: Natura est principium mouendi, & quiescendi eius, in quo est per se primò, & non secundùm accidens. Probatur: illud quo res naturales in quantum huiusmodi differunt à non naturalibus in quantum huiusmodi, est principium & causa mouendi eius in quo est: sed per naturam res naturales differunt à non naturalibus in quantum huiusmodi: ergo, &c. Maior patet ex præmissa diuisione, & minor, vt dicit Linconiensis, nota est non omnibus, sed exercitatis in scientia naturali. Similiter dicit Linconiensis, quòd ista definitio naturæ est materialis; sed ista est definitio formalis. Natura est quo res naturales in quantum huiusmodi, differunt à non naturalibus in quantum huiusmodi, & ideò potest demonstrari definitio materialis per formalem. 13. Text. 3.

Definitio naturæ.

Vide Zimaram in tabu. lit. N. f. 181. col. 1.

Linconiensis.

Et tunc exponitur sic definitio. Natura est principium & causa, & capitur ibi ly *&* expositiuè, pro *id est*, & ly secundum *&* capitur disiunctiuè pro *vel*, ita quòd sensus est, natura est principium, id est, causa mouendi, vel quiescendi eius, in quo est, ad differentiam quarundam artium, quæ sunt principium agendi in extrinsecam materiam; & ponitur ibi *per se*, & *primò*: tanquam determinatio, & determinabile: quia *per se*, 14.

Explicatur naturæ definitio.

se

ſe habet in plus quàm *primò*, vt patet 1. Poſter. text. 29. & inde, & hoc ponitur ad differentiam qualitatis, quæ eſt principium mouendi, vt grauitas, quæ non eſt natura, eo quòd non primò mouet; ſed potiùs forma ſubſtantialis, & ponitur ibi *non per accidens* ad differentiam medicinæ, quà quandoque per accidens mouet Medicum vt ſanet ſe ipſum.

Text. 4. *Naturam autem 2 habent*, &c. Secunda concluſio. Omnia quæ habent huiuſmodi principium, habent naturam. Probatur, nam compoſita naturalia dicuntur habentia naturam, eo quòd habent ſubiectum, ſcilicet materiam, & formam, quæ eſt natura in ſubiecto: modò tam materia, quàm forma eſt natura, igitur per locum à definitione ſequitur, quòd ſi habent huiuſmodi principium, quòd habent naturam.

Vide contradictionem Zimara.

15. Text. 5. *Secundùm autem 3 naturam.* Ponitur tertia concluſio. Accidentia, & qualitates inexiſtentes compoſitis naturalibus ſunt ſecundùm naturam. Probatur, quia vel ſunt natura, vel habentia naturam; vel ſecundùm naturam; non natura, quia non ſunt materia, nec forma, nec habent naturam, quia non ſunt compoſita naturalia, igitur ſunt ſecundùm naturam.

Text. 6. *Quòd autem 4 ſit natura* [a] *tentare demonſtrare.* Ponitur quarta concluſio. Tentare demonſtrare naturã eſſe eſt ridiculum. Probatur, quia illud non eſt demonſtrandum eſſe, quod eſſe eſt per ſe manifeſtum: ſed naturam eſſe eſt per ſe manifeſtum; ergo, &c. Maior apparet, quia nihil eſt demonſtrabile niſi dubium, & ideò ille ineptus eſt ad Philoſophiam, qui neſcit diſtinguere inter illud, quod eſt per ſe manifeſtum, & illud, quod eſt manifeſtum per aliud, quòd tamen hoc aliquando accidat demonſtrat Ariſtoteles. Nam ille, qui natus eſt cæcus, diſputat de coloribus, & tamen diſputatio ſua ſolùm eſt ad nota, quia nihil ſcit in re, quod eſt per ſe manifeſtum, & quod non; minor patet, quia manifeſtum eſt, quòd multa ſunt, quorum quodlibet habet naturam. Et dicit notanter *tentare*, quia nullus debet tentare aliquid facere, niſi illud quod eſt difficile, & laborioſum: modò cognoſcere naturam eſſe, non eſt laborioſum, & difficile; quia eſt manifeſtum ad experientiam.

Vide contradictionem Zimara.

ANNOTATIONES.

16. Text. 1. [a] QVòd autem ſit natura tentare, &c. Nota, quòd hîc Ariſtoteles tacitam remouet obiectionem: nam poſſet quis dicere quòd nõ ſit vſus hoc loco documento illo à ſe tradito ſecundo libro Poſteriorum, videlicet priùs tractandam eſſe quæſtionem an res ſit, quàm tractetur quæſtio quid ſit, hîc autem oſtendit, quídnam ſit natura, prætermiſſa quæſtione an ſit natura. Ideò reſpondens ad hanc obiectionem, dicit per ſe notum eſſe, quòd natura ſit in rebus. Cùm per ſe manifeſtum ſit, multas eſſe res, quæ habent naturam: ſenſu enim experimur multas res ex aliquo intimo ſui principio moueri, atque demonſtrare, quæ per ſe nota ſunt (cùm non poſſit fieri niſi per ignotiora) hominis eſt cæci ſecundùm intellectum, vtpotè non valentis diſcernere per ſe nota ab his, quæ non ſunt per ſe nota. Taléſque nitentes ſic per ſe nota demonſtrare ſimiles eſſe ait cæco à natiuitate, qui nititur cognoſcere colores, eóſque rationibus probare, qui colores noti ſunt videntibus, multóque magis manifeſti, quàm rationes, quibus cæcus oſtendere nitebatur, ſic etiam talis eſt qui ea, quæ per ſe nota ſunt, per ea quæ non ſunt per ſe nota, demonſtrare conatur. Hos igitur ait nihil vnquam intellecturos, quanquam vocibus concluſiſſe videantur, & meritò quidem: nam vt colores non ſunt apti, vt percipiantur verbis, ſed ſenſu, ita etiam quæ per ſe nota ſunt, non ſunt apta, vt per alia minùs nota cognoſcantur, ac demonſtrentur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm definitio naturæ in textu ſit bona, videlicet, Natura eſt principium & cauſa mouendi, & quieſcendi eius in quo eſt per ſe primò, & non ſecundùm accidens.

Vide Doctores *quæſt. præcedenti* citatos.

ARGVITVR, quòd non; quia ſolius vniuoci eſt definitio: modò hoc nomen *natura* eſt æquiuocum, quia per prius dicitur de forma, quàm de materia; ergo, &c. 1.

Secundò, quia nullum abſolutum debet definiri per reſpectiuum, modò iſte terminus *natura*, eſt abſolutus terminus de genere ſubſtantiæ, igitur non poteſt definiri per iſtum terminum *principium*, qui eſt de prædicamento Relationis.

Tertiò, quia nulla definitio ſubſtantiæ eſt bona, quæ datur per additamentum, quia ſic definiuntur accidentia, vt patet 7. Metaph. text. 17. modò natura eſt ſubſtantia, & motus, & quies ſunt accidentia, vt patet 2. huius, text. 5. igitur natura non debet definiri per motum & quietem.

Quartò, quia iſti termini *principium* & *cauſa* conuertuntur, igitur poſito vno illorum in definitione naturæ fruſtrà ponitur reliquus.

Quintò, quia idem per ſe non eſt cauſa contrariorum, vt patet 4. Meteororum, ſed motus, & quies ſunt contraria, igitur natura non eſt principium, & quietis.

Sextò, quia iſta dictio *primò*, includit per ſe, & iſta dictio *per ſe* includit non per accidens, vt patet 1. Poſt. text. 36. igitur poſito hoc termino *primò* in definitione naturæ, non debet poni prædictorum aliquis.

Septimò, illa definitio non eſt bona, quæ non competit cuilibet contento ſub definito, ſed iſta eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior patet 6 Topicorum, cap. 4. & minor probatur tripliciter. Primò, quia anima intellectiua eſt natura, & ſimiliter Intelligentia eſt natura; & tamen neutrum illorum eſt principium mouendi eius in quo eſt, quia vtrumque eſt forma ſeparata. Secundò, quia forma terræ eſt natura, & tamen non eſt principium mouendi eius, in quo eſt; quia impoſſibile eſt terram moueri ſecundùm ſe totam. Tertiò, quia forma cæli eſt natura, & tamen non eſt principium quieſcendi, quia impoſſibile eſt cælum quieſcere. 2.

Octauò. Illa definitio non eſt bona, quæ competit aliis à definito, modò iſta competit aliis; ergo, &c. Minor tripliciter probatur; primò, quia competit principio motus progreſſiui, quod principium non eſt natura, cùm motus eius non ſit naturalis; quia motus progreſſiuus eſt tardior in fine, quàm principio. Secundò, quia

competit calori naturali, qui est principium nutritionis, & augmentationis eius in quo est, &c. Tertiò, quia competit grauitati; quæ est principium motus grauis. Quartò, quia competit arti saltandi, per quam aliquis mouet seipsum primò, &c. Quintò competit arti, mediante quâ Medicus sanat se ipsum.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. capite 1. text. 3. In quæstione primò videbitur de expositione definitionis naturæ, & secundò qualiter illa definitio sit nota, vel ignota propter Auicennam qui posuit illam definitionem esse ignotam.

3. *Natura est nomen relatiuum.* Quantum ad primum, notandum secundùm ordinem particularum definitionis; & primò quòd hoc nomen [a] *natura* est nomen relatiuum, & significat substantiam in relatione ad motum, & operationes naturales, & ista non est prædicatio quiditatiua, *substantia est natura*, plus quàm ista, *substantia est Pater*. Ex quo sequitur, quòd iste terminus *natura* potest definiri conuenienter per istum terminum *principium*, tanquam per genus, cùm vterque sit de genere Relationis, & iste terminus *principium* est terminus communior; quia dicitur tam de principio intrinseco, quàm extrinseco, sed natura dicitur de principio intrinseco tantùm.

Principium & causa cõuertuntur. Secundò notandum, quòd isti termini *principium* & [b] *causa* conuertuntur, & ideò ponuntur ambo in definitione naturæ, vt vnum exponat reliquum, & tunc ista copula *&*, capitur expositiuè, & tunc est sensus: Natura est principium, &, pro, *id est*, causa; quia vnus illorum terminorum potest esse magis notus vni, & alius magis notus alteri.

Aliter exponitur, quòd per istum terminum *principium* Aristoteles intelligit principium actiuum, cuius signum est, quòd semper quando Aristoteles loquitur in isto 2. de causa efficiente, vocat ipsam principium passiuum, & tunc illa copula *&*, debet intelligi disiunctiuè; & quantum ad primam partem debet intelligi de causa efficiente, & quantum ad secundam verificatur pro principio passiuo, seu materiali.

4. Tertiò notandum, quòd quando dicitur *mouendi*, [e] *& quiescendi*, aliqui intelligunt, quòd natura est principium mouendi in iis, quæ mouentur, & quiescendi in iis, quæ quiescunt. Aliter exponitur, quòd ibi accipitur ista copula, *&*, disiunctiuè, sicut in prima particula definitionis, & tunc est sensus: natura est principium, vel causa mouendi, vel quiescendi. Sed contrà, posito, quòd aliquis lapis quiescat sursum violenter per detentionem, tunc forma huius lapidis est natura, & tamen non est principium mouendi, nec quiescendi eius in quo est, quia iste lapis, non mouetur; nec quiescit naturaliter. Respondetur, pro quo sciendum, quòd sicut isti termini *actiuum*, vel *motiuum*, non dicunt actum agendi, vel mouendi, sed potentiam, & habilitatem ad agendum, vel mouendum; ita isti termini *principium* & *causa* denotant aptitudinem, & inclinationem ad mouendum, & ideò sensus est, quòd natura est principium, quod illud in quo est, est natum moueri, vel quiescere.

Principiũ & causa in definitione naturæ dicũt aptitudinem.

Primo quomodo sumatur in definitione naturæ. Quartò notandum, quòd hæc dictio [d] *primo*, debet referri ad hanc dictionem *principium*; ita vt sensus sit, quòd natura est primum principium, & causa mouendi, & accipitur *primum*, id est, principale ad differentiam accidentium, & dispositionum, mediantibus quibus fit motus, & quies: nam forma substantialis est principale actiuum respectu operationis, sed accidens, vel dispositio mediante quâ agit, est actiuum secundarium, & instrumentale, vt calor est instrumentum, mediante quo anima est principium actiuum nutritionis, & augmentationis; similiter materia prima est principium passiuum respectu operationis, sed dispositiones sunt organa, seu instrumenta, mediantibus quibus ipsa patitur faciliter, vel difficulter.

Quintò notandum, quòd ibi ponitur hæc dictio [c] *per se*, ad denotandum, quòd forma substantialis non dicitur natura respectu cuiuslibet operationis, ad quam ipsa mediantibus dispositionibus consequentibus eam naturaliter inclinatur, ex eo quòd forma mediantibus suis dispositionibus naturalibus non potest in illum motum, vel operationem, nisi fiat alteratio aliunde ab extrinseco: verbi gratiâ, forma ferri mediantibus dispositionibus naturalibus consequentibus ipsam naturaliter inclinatur moueri ad magnetem, tamen respectu illius motus ad magnetem, forma ferri non dicitur natura ex eo, quòd forma ferri cum suis dispositionibus solitariè non possunt in illum motum, immò requirunt determinatam alterationem factam à magnete. Et tunc ista dictio *per se*, debet determinare hoc nomen *principium*, ita vt sit sensus, natura est primum principium per se, hoc est, solitariè. 5. *Per se quomodo sumatur in definitione naturæ.*

Sextò notandum, quòd ista dictio *non per* [f] *accidens* ponitur ad differentiam quarundam artium, quæ sunt principia mouendi subiecta in quibus sunt, vt ars medicinalis, quâ aliquis sanat se ipsũ, & ars saltatiua, quâ aliquis mouet se ipsum; quia accidit tali homini, vel tali, quòd habeat artem medicatiuam, vel saltatiuam, & tunc hæc dictio *non per accidens*, debet determinare hoc verbum, *est*, secundo loco positum, scilicet eius in quo est non per accidens. *Dictio non per accidens quare ponatur in definitione naturæ.*

Septimò notandum, quòd ibi ponitur *eius in quo* [g] *est*, id est, compositi naturalis, cuius natura est pars intrinseca & essentialis: & hoc ponitur ad differentiam quarundam artium, quæ sunt principia transmutandi alienam materiam à subiectis propriis, vt ars ædificatiua, quæ est principium transmutandi lapides & ligna, intelligendo, quòd homo per talem artem transmutat, & vniuersaliter illa particula ponitur ad differentiam particularium motuum, qui sunt ab extrinseco, & ideò forma ignis non dicitur natura respectu motus, vel operationis, quo nata est transmutare stupam, vel ligna, sed respectu motus, quo nata est mouere ignem. Patet igitur (sic intelligendo definitionem,) quòd natura est primum principium per se, vel causa mouendi, vel quiescendi eius, in quo est non secundùm accidens. 6.

Nunc sit ista conclusiô. Definitio naturæ est bona: patet, quia competit cuilibet contento sub definito, & nulli alteri à definito, vt patet per præcedentem expositionem, igitur ipsa est bona, & hæc de primo. *Definitio naturæ est bona.*

Quantum ad secundum arguitur, quòd definitio naturæ non est nota, quia definitio non est nota, quæ probatur de definito: sed ista probatur de infinito; ergo, &c. Maior est nota; quia ridiculum est quærere illud, quod est per se notum; & minor patet per Commentatorem in isto secundo comm. 3. qui probat dictam definitionem per quendam syllogismum hypotheticum, 7.

suni

similiter patet per Liconiensem, qui probat dictam definitionem, vt patuit super textum.

Secundò: quia quodlibet corpus mobile habere naturam est per se notum; sed non est per se notum, quòd quodlibet corpus mobile habeat in se principium mouendi. Maior patet 2 huius, text. 6. Minor tripliciter probatur. Primò quòd Aristoteles 7. & 8. huius, text. 1. probat, quòd omne quod mouetur, mouetur ab aliquo. Secundò per Aristotelem 8. huius, text. 17. & inde text. 28. vbi dicit, quòd dubium est de corporibus simplicibus, an habeant motorem, sed non est dubium an habeant naturam; igitur dubium est an habeant principium mouendi. Tertiò per Aristotelem 3. Cœli, text. 18. vbi probat elementa simplicia habere grauitatem, & leuitatem, quæ sunt motores ipsorum, & tamen non est necesse probare, quòd habeant naturam, igitur non est manifestum, quòd natura sit principium mouendi, &c.

8. Notandum, sicut patet in 2. huius, in principio primi capituli, tex. 1. quòd naturam esse est per se manifestum, scilicet per experientiam, & per motum: nam motum esse est principium in scientia naturali, vt dicit Aristoteles 8. huius, text. 12. vbi dicit, nobis autem subiiciatur omnia, aut quædam moueri. Secundò notandum, quòd Commentator probat definitionem naturæ per syllogismum hypotheticum isto modo. Si entia naturalia habeant in se principium mouendi, & quiescendi eius in quo primum per se, & non secundùm accidens, & natura sit illud, quo mouentur, & quiescunt, sequitur, quòd natura est principiũ, & causa, &c. Commentator obiicit contra se ipsum per primam instantiam, scilicet quòd ex quo definitio naturæ probatur, non est nota. Respondetur, quòd nullum ignotum potest probari per syllogismum hypotheticum, aut per inductionem, vel diuisionem, cuius signum est, quòd principia per se nota probantur per inductionem, aut per diuisionem, & ideò ille syllogismus non probat; sed aliqualiter valet ad declarationem. Sed contra hoc est Liconiensis, qui ponit, quòd ista definitio est conclusio demonstrationis, vt patuit supra textum. Respondetur, quòd ista definitio est per se nota à priori. Ideò non potest demonstrari de definito *propter quid*, scilicet per causas à priori, sed benè potest demonstrari per effectus à posteriori Liconiensis demonstrat ipsam per res naturales, quæ sunt notiores nobis.

Nullum ignotum potest probari per syllogismum hypotheticum.

9. Nunc ad rationes. Ad primam dico, quòd licèt ista definitio probetur à posteriori per effectus, tamen à priori est per se nota, & indemonstrabilis, & ille syllogismus compositus solùm valet ad declarationem: & probatio Liconiensis solùm est à posteriori, & non à priori. Ad secundam dico, quòd Aristoteles non probat, quòd omne quod mouetur moueatur ab alio: quia hoc est notum per definitionem naturæ, sed probat, quòd in omni motu motor distinguitur à mobili, & hoc propter Platonem, qui posuit quòd idem potest moueri à seipso. Cõsimiliter dicitur ad aliud: quia dubium est de corporibus simplicibus, an habeant motorem distinctum, sed non est dubium, quin habeant motorem. Eodem modo Aristoteles probat quòd corpora simplicia habent grauitatem, & leuitatem, quæ sunt motores distincti ab eis: hoc tamen non obstante notum est grauia, & leuia habere in se principium mouendi, & quiescendi, & hoc de secunda. Quo ad tertiam, rationes soluentur in sequenti quæstione.

ANNOTATIONES.

a HOc nomen natura est nomen relatiuum, &c. Nota, quòd circa naturam sunt multi, variique modi dicendi. Prima sententia fuit quorundam negantium naturam, quo pacto non opus esset assignare illi definitionem. Secunda sententia est aliorum dicentium, quòd natura nihil aliud est, quàm prima causa, vel ipse Deus, quæ sententia tribuitur Galeno. Tertia sententia est aliorum dicentium, quòd natura nihil aliud est, quàm calor naturalis impressus in omnibus rebus; hanc tenuit Cicero 2. de Natura Deorum. Quarta sententia est Platonis, qui in Timæo dicit, naturam esse virtutem quandam gubernatiuam omnium rerum, & directiuam in proprios fines: contemplabatur enim operationum naturalium diuersitatem, quarum quædam peculiarem tantùm perfectionem, & ipsius agentis conseruationem intendunt, vt descensus lapidis ad centrum, & motus animalis ad alimentum. Quædam sunt, quæ intendunt perfectionem, & conseruationem vniuersi, vt descensus grauium, & ascensus leuium: generationes etiam naturales, quæ in specierum conseruationem tendunt. Quædam denique perfectiores, & digniores sunt, vt quòd ex semine generetur corpus, & ex nutrimento generetur os, & caro, & quòd arbores spatiosos protendant ramos, quódque vitis magna producat folia, vt teneros, quos producit fructus cooperire possit; amygdalus verò parua, quia cortice protecto suos fœtus producit, quarum omnium operationum vnicus cùm sit finis, scilicet vniuersi conseruatio; ideò vnicum erit principium, quæ dicitur natura, quæ iuxta hanc sententiam, sic definiri valet. Natura est vita diffusa in omnibus corporibus ipsorum gubernatrix, & rectrix. 10.

Opinio multiplex de natura.

Definitio naturæ secũdùm Platonem.

Aristoteles autem nihil in rebus naturalibus præter materiam, & formam ponit in definitione naturæ ab ipso tradita. Vnde aduerte ex eodem 5. Metaph. c. 4 text. 5. quòd natura accipitur pro natiuitate, seu pro viuentium actuali generatione. Secundò accipitur pro termino & fine generationis. Tertiò accipitur pro omni eo principio, quod facit moueri rem aliquam in qua est primò, & per se quocumque motu, & hoc modo materia, & forma dicuntur natura, & in hac significatione *natura* (vt inquit Scotus) est nomen relatiuum, quod significat substantiam, scilicet materiam, & formam in relatione ad motum.

b *Isti termini principium, & causa conuertuntur,* &c. Nota, quòd *principium*, & *causa* in definitione naturæ ponuntur pro genere, quarum vocum prima latiùs patet, quàm secunda: non solùm enim amplectitur omne genus causæ, vt particula subsequens, sed aliquas non causas, quæ sunt principia: quia tam materia, quàm forma est principium, vnde incipit motus: & vtraque est in suo genere eiusdem motus causa, quæ supra principium influxũ dicit in effectum. Nec mirum est duo nomina pro genere poni: quia ideò ad principium additur causa; vt principium motus non intelligatur pro ipso extremo, vnde incipit motus, sed vt accipiatur in ea significatione, quæ causam quandam significat, atque ita illa dictio, *&*, non ponitur ibi copulatiuè, sed expositiuè pro *id est*. Posset etiam dici, quòd hæc particula, *& causa*; ponitur 11.

ad excludendam priuationem; quæ licèt sit principium, non tamen est causa; atque etiam ad excludendas qualitates instrumentales: rei enim naturalis duplex est principium, quoddam primum, alterum secundum, primum est natura, secundum est qualitas naturalis.

Rei naturalis duplex est principium.

12. c *Mouendi, & quiescendi*, &c. Nota, quòd Diuus Thomas, quem multi sequuntur, intelligit illam dictionem, *&*, copulatiuè: quia natura eo est principium motus, quia tendit ad quietem; propter hoc enim ignis naturaliter mouetur sursum, quia naturaliter sursum quiescit. Alij exponunt copulatim, vt sit sensus, natura est causa motus, & etiam quietis, ita vt in his, quæ nunquam quiescunt, sit tanquam causa motus, & in quibus non est motus, sit tantùm principium quietis, in his verò, quæ mouentur, & quiescunt, sit etiam causa motus, & quietis; & hanc explicationem tangit hic Scotus. Ægidius verò explicat particulam illam *&*, disiunctiue, ita vt sit sensus, natura est causa motus, vel quietis. In aliquibus namque est tantùm principium motus, in quibusdam verò tantùm principium quietis. In aliis autem principium motus simul, & quietis. Et hanc sententiam sequitur Scotus. Aduerte tamen, quòd ibi motus accipitur non pro vno tantùm motu, sed vt quamlibet mutationem comprehendit, scilicet alterationem, augmentationem, generationem, atque lationem, non sic autem, vt quodlibet ens naturale, quolibet debeat motu moueri; sed sic, vt aliquo horum motuum natura sit principium.

13. d *Hæc dictio, primò, debet referri ad hanc dictionem* principium. Nota, quòd aliqui hanc dictionem *primò, & per se* in hunc modum exponunt, vt prima, scilicet *primò*, apponenda sit verbo *mouetur*, particula verò *per se*, verbo *inest*, ex quo statim sequitur postrema particula, *& non secundum accidens*: quamuis enim medicina sit, causa vt Medicus, quatenus infirmus est, sanetur primò, tamen non inest Medico per se, sed per accidens, quatenus infirmus est. Alij censent particulam *primò* non apponendam esse verbo *mouetur*: quia daretur definitionem aliis à definito competere, scilicet grauitati respectu grauis; grauitas enim est causa, vt res grauis moueatur primò, in quo per se, & non per accidens inest, & tamen non est natura rei grauis; quapropter dicunt prædictas duas particulas *primò, & per se* apponendas esse verbo *inest*, ita vt sit sensus totius definitionis. Natura est principium & causa, vt id, in quo primò & per se inest, moueatur, & quiescat.

Cæterùm melior est explicatio Scoti, nempe quòd illa dictio *primò* idem est quod principaliter, & *primum* quod principale: nam quæcumque forma accidentalis quantumcunque ad motum adiuuet, sunt quasi instrumenta formarum substantialium: quamuis enim natura non causet actu motum sine mediis qualitatibus, dicitur tamen principium illius principale, cui nempe principaliter tribuitur actio, seu causatio; sicut forma ignis est principium calefaciendi, quamuis non calefaciat nisi mediante calore.

14. e *Ponitur hæc dictio* per se *ad denotandum*, &c. Nota, quòd *primò* sumptum in eodem genere strictiùs se habet, quàm *per se*, quia hoc illud tanquam inferius suum superius comprehendit, tamen absolutè, latius est vocabulum *primò*, & in plus se extendit, quàm *per se*. Verbi gratiâ, quando intra genus eorum, quæ intrinsecè conueniunt, verum est, quòd quicquid conuenit *primò* conuenit etiam *per se*, & non è contra; quia genus, nempe animal per se homini conuenit, sed non primò; definitio verò, nempe animal rationale, conuenit homini primò, & per se, ita vt omne, quod conuenit alicui primò, conueniat etiam per se, sed non è contra omne quod competit alicui per se competit primò. Tamen in latitudine huius vocis *primò* non stat per se, quia primò conuenit homini intelligere, quàm ambulare, & tamen neutrum per se: quia vtrumque est accidens homini, dicitur tamen primò conuenire sibi intelligere, id est, principaliter. Et in hoc sensu (vt diximus) accipitur particula *primò*, & vt sic determinatur per particulam *per se*, ita vt ly, *per se*, idem significet, quod solitariè, & sit sensus, natura est principium principale, & per se sine alicuius alterius indigentia, motus & quietis, &c.

f *Illa dictio* non per accidens *ponitur*, &c. Nota, quòd hæc particula *non per accidens* ponitur etiam ad significandum, quòd motus quem dicimus procedere à natura, non casu & fortuitò eueniat. Quare per hanc particulam (vt inquit Scotus) excluduntur quædam formæ accidentales, verbi gratiâ, ars medicinæ, ars saltandi, & citharizandi, quæ mouent suos artifices ad artificialia, non tamen sunt naturæ; quia sunt principia extrinseca, natura autem est intrinsecè coniuncta cum ipsa re. Quamuis enim Medicus sanat se, & motus sanationis perficiatur à causa, quà inest in eo, qui sanatur, non tamen inest in eo per se, sed accidit, vt qui sanatur, habeat in se principium sanationis, quapropter medicina non est natura. Aduerte tamen, quòd hæc particula, *non secundum accidens*, posita est, non quòd includatur in *per se*, si vniformiter accipiatur, sed ponitur ad maiorem definitionis naturæ expressionem. Nam, quia adhuc erat subobscura definitio, neque patebat, an illæ particulæ *primò, & per se*, applicandæ essent ly *motus*, vel ly *inest*, an ly *principium*, ideò addit, & non secundùm accidens, si enim tantùm posuisset *primò, & per se*, posset quidem definitio habere hunc sensum: Natura est principium principale, & per se mouendi, &c. Et tunc necessariò Medicina esset natura: quia est principium primò, & per se mouendi ad sanitatem; addita est ergo particula, *& non secundum accidens*, vt verus plenúsque definitionis sensus habeatur qualis est, quòd natura est principium, & causa primò, & per se mouendi, & quiescendi eius, in quo est non secundùm accidens, sed potiùs primò, & per se inest. 15.

g *Ponitur eius in quo est*, &c. Nota, quòd in hac particula *eius in quo est*, quasi expressit Aristoteles totam essentiam naturæ, quod est esse causam intrinsecam motus vbi est, & ita agens naturale non dicitur natura respectu rei extrinsecæ: quibus verbis, vt dicit hic Scotus, notatur compositum naturale, in quo natura inest non quasi accidens, sed quasi pars principalis, atque substantiæ, ex quo sequitur oportere naturam esse in eo, quod mouetur ab ipsa natura, quasi ab intrinseco principio. 16.

QVÆ

Qvæstio IV.

Utrùm motus cæli sit à natura?

Auerr. 2. *Phys. comm.* 1. Simplic. Philop. D. Thom. *ibid. text.* 2. Auicen. 9. *Metaph. c.* 2. Damasc. *in sua Philos. c.* 6. Scotus 9. *Metaph. q.* 4. *& 2. dist.* 2. *q.* 6. *& in 4. dist.* 48 *q.* 2. Richardus *in 2. dist. 14. q. 6.* Durand *ibid. q.* 2. D. Bonau. *ibid. art.* 3. Argent. *q. unica art.* 1. Gabr. *art.* 3. Zamarra *in Theorem. propos.* 70. Soncin. 11. *Metaph. q.* 17. Ferrar. *con. Gent. lib.* 3. *c.* 23. Conimbr. 1. *de Cælo, c.* 2. *q.* 3. Faber *Theorem.* 63.

1. ARGVITVR quòd non: quia cœlum est corpus simplex motum diuersis motibus: igitur eius motus non est à natura. Tenet consequentia per Aristotelem 1. Cœli, text. 1. vbi dicit, quòd vnius corporis simplicis est solùm vnus motus per naturam. Antecedens pro prima parte patet in 1. Cœli, text. 43. & inde; & pro secunda apparet in 2. vbi Aristoteles volens ostendere quare aliquæ stellæ mouentur irregulariter, dicit, quòd causa est, quia plures motus coniunguntur in eodem mobili, hoc etiam patet per Authorem de Sphæra, & per Astrologos.

Secundò: quia motus cœli est à voluntate, igitur non est à natura. Antecedens apparet 12. Metaphys. text. 35. & probatur consequentia tripliciter. Primò, quia motus naturalis, & voluntarius sunt opposite distincti. Secundò per Arist. 9. Metaphys. text. 3. vbi ponit differentiam inter potentiam naturalem, scilicet voluntatem, & irrationalem, scilicet naturalem, quod non esset nisi effectus prouenientes ab istis essent differentes. Tertiò quia per hoc probat Aristot. 2. Ethicorum, cap. 1. quòd virtutes morales non insunt nobis à natura, eò quòd insunt à voluntate.

2. Tertiò, ad principale: quia ille motus non est à natura, cuius passum, seu mobile non sequitur vnus motus, id est, cuius mobile non inclinatur ad motum; sed cœlum non inclinatur ad motum; igitur eius motus non est naturalis. Maior patet 3. Ethicorum, cap. 1. Et minor apparet: quia si cœlum inclinaretur ad motum; tunc cùm nullum sit impediens, sequeretur, quòd se ipso posset moueri, & per consequens ad eius motum non oporteret ponere aliquam substantiam separatam.

Quartò, Ille motus non est à natura, qui non est à principio intrinseco effectiuè: quia 3. Ethicorum, cap. 1. dicitur: Violentum est cuius principium est extrà passo non conferente vim; sed motus cœli est ab extrinseco: quia est ab Intelligentia separata, ergo, &c.

Quintò, omnis actio naturæ est propter finem, sed motus cœli non est propter finem, igitur motus cœli non est à natura. Maior patet 2. huius, text. 75. Et minor probatur: quia vel cœlum quandoque attingeret finem, propter quem mouetur, vel nunquam: si quandoque, tunc sequitur, quòd cessaret quandoque motus cœli: quia habitibus præsentibus cessat motus; quod est impossibile, cùm motus cœli sit perpetuus: si nunquam attingeret finem; sequeretur, quòd frustra moueretur toto tempore æterno.

Sextò: quia motus cœli non est velocior in fine, quàm in principio, igitur non est à natura. Tenet consequentia per Aristot. 2. Cœli, tex. 35. vbi dicit, quòd motus naturalis est velocior in fine, quàm in principio. Antecedens apparet: quia motus cœli est vniformis, & regularis, vt patet 8. huius, text. 77.

Oppositum arguitur per Commentatorem 2. huius, comm. 1. vbi enumerans ea, quæ mouentur naturaliter, dicit quòd ea, quæ mouentur naturaliter, sunt animalia, & plantæ, corpora simplicia; scilicet quatuor elementa, & corpus cœleste. 5.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò videbitur de mobili, scilicet de orbe circumscripta Intelligentia. Secundò de motore cœli. Tertiò de quæsito, & Quartò soluentur rationes alterius quæstionis. Quantum ad primum sit

Cœlum est substantia. Prima conclusio. Cœlum est substantia. Probatur per *quid nominis* substantiæ: quia cœlum est per se existens, similiter est subiectum motus, & illuminationis, quod non esset, nisi cœlum esset substantia.

Cœlum nõ est compositũ ex materia & forma. Secunda conclusio. Cœlum non est [a] substantia composita ex materia & forma: quia si ita esset, sequeretur, quòd per motus cœlestes non possemus deuenire in notitiam alicuius substantiæ separatæ. Consequens est falsum, vt patet 8. huius, text. 45. & 11. Metaph. text. 41. Et consequentia apparet: quia ipsius cœli forma posset esse motor, & materia mobile; & per consequens præter formam intrinsecam, non oporteret ponere alium motorem separatum.

4. Cœlum nõ est materia. Tertia conclusio. Cœlum non est materia, vel habens materiam. Probatur, quia materia non potest esse sine forma, vt patet 1. huius, & tamen perspicuum est, quòd cœlum non est compositum ex materia, & forma. Secundò, quia [b] materia appetit formam, & est causa corruptionis, & præcipuè ponitur propter transmutationem substantialem, quæ non reperitur in cœlo, igitur cœlum non est materia, nec habens materiam. Nec valet si dicatur [c], quòd forma cœli propter suam perfectionem adeò replet appetitum materiæ, quòd materia non inclinatur ad aliam formam: quia vel illa forma cœli est cognoscens, & hoc non: quia tunc non esset nisi Intelligentia mouens, quæ circumscripta est, vel non cognoscens, & cùm forma hominis est nobilior, & perfectior formâ non cognoscente, sequitur, quòd cùm materia esset sub forma hominis, quòd non appeteret, vel inclinaretur ad aliam formam; quod est falsum.

Cœlum est forma. Ex quibus sequitur, quòd cœlum est forma capiendo formam, prout distinguitur contra materiam, & compositum. Verum est tamen, quòd capiendo materiam largè, pro cuiuscunque transmutationis subiecto; tunc cœlum potest dici materia; & ideò cœlum potest sic definiri: *Cœlum est substantia corporea simplex per priuationem compositionis ex partibus diuersarum rationum, mobilis localiter, sensibilis, ingenerabilis, & incorruptibilis.* Et hoc de primo. *Definitio cœli.*

5. Cœlũ mouetur ab Intelligentia. Quantum ad secundum notandum, quòd cœlum mouetur ab Intelligentia approximata sibi, quæ cognoscit cœlum, motum eius, & finem propter quem mouet cœlum, & propter hoc mouet ipsum voluntariè tantâ velocitate, quantâ vult mouere, nec est quærenda alia causa de quantitate velocitatis, quàm voluntas motoris.

Voluntarium dicitur dupliciter. Secundò notandum, quòd aliquid potest dici voluntarium dupliciter; vno modo contingenter, sicut voluntas [d] nostra, quæ est libera contingenter ad eliciendum aliquem actum, vel eius oppositum positiuè, vel priuatiuè, & dicitur oppositum positiuum, quando elicitur actus contrarius;

vt nolitio contrariatur volitioni, sed dicitur oppositum priuatiuum, quando voluntas suspendit suum actum. Alio modo dicitur voluntarium necessariò; & sic secundùm Aristotelem Intelligentia mouet cœlum voluntariè, & necessariò, non cum necessitate coactionis, sed necessitate complacentiæ: quia placet Intelligentiæ sic mouere, & non potest aliter mouere cœlum, quàm de facto mouet. Tamen secundùm fidem & veritatem Intelligentia, scilicet Deus, mouet cœlum liberè, & contingenter, & potest ipsum mouere velociùs, & tardiùs, immò potest ipsum facere quiescere, sicut placet sibi.

Cœlum non resistit motori.

6. Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Cœlum non resistit motori. Probatur, quia omnis resistentia alicuius mobilis prouenit altero duorum modorum, scilicet vel quia mobile inclinatur ad quietem, vel quia inclinatur ad malum oppositum, vt patet de motu lapidis deorsum, in quo est resistentia in hoc, quòd lapis secundùm aliquam dispositionem sui inclinatur ad motum oppositum sursum: modò minor declaratur, quia si cœlum inclinaretur ad quietem, vel ad motum oppositum, iam illa inclinatio esset frustra toto tempore æterno: & patet consequentia, cùm nunquam quiescat, aut moueatur motu contrario.

Secundò: quia omnis resistentia est cum quadam violentia, sed cœlum non mouetur violenter; igitur cœlum non resistit. Maior patet inductione: quia in motu progressiuo est violentia: quia grauitas violenter mouetur sursum, similiter in motibus grauium, & leuium est resistentia: quia medium violenter diuiditur. Et minor apparet: quia si in motu cœli esset violentia, non esset perpetuus: quia nullum violentum est perpetuum, vt patet 2. Cœli text. 17. quia nec est ibi violentia intrinseca, nec extrinseca: quia non mouetur per medium vt grauia, & leuia mouentur.

Motor cœli mouendo cœlum non fatigatur.

7. Secunda conclusio. Motor cœli non fatigatur in mouendo cœlum. Probatur, quia omnis fatigatio aut est per essentialem diminutionem virtutis, aut per remissionem conatus, sed neutrum inuenitur in cœlo, vt patet ex regularitate, & vniformitate motus cœli, ergo, &c.

Secundò patet, quia fatigatio motoris prouenit ex resistentia; modò mobile non resistit per præcedentem conclusionem, igitur motor est infatigabilis.

Sed obiicitur: quia velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti, patet 7. huius, text. 35. & inde; igitur velocitas motus cœli sequitur proportionem motoris ad resistentiam, & per consequens cœlum resistit. Respondetur, quòd in motibus voluntariis propriè non reperitur proportio nisi similitudinariè, vt si fiat vnus alter motus naturalis æquè velox, sicut voluntarius, tunc quia ille naturalis proueniet à tanta proportione, dicimus similitudinariè quòd voluntarius proueniat ab æquali. Ideò non oportet, quòd in motu voluntario sit aliqua resistentia. Patet igitur, quòd motor mouet infatigabiliter mediante intellectu, & voluntate, & ideò dicit Commentator 12. Metaph. comm. 51. quòd motores cœlestes non habent de potentiis animæ nisi intellectum, & voluntatem. Et hæc de secundo.

Motus potest dici naturalis tripliciter.

8. Quantum ad tertium notandum, quòd omnis motus potest dici [e] naturalis tripliciter, vno modo vt naturale distinguitur contra casuale, quemadmodum dicimus plantas naturaliter crescere; & isto modo probat Aristoteles 2. huius, quòd motus cœli est à natura. Secundo modo capitur naturale, vt distinguitur contra violentum, & tunc patet ex secunda parte quæstionis, quòd motus cœli est à natura: quia cœlum mouetur sine resistentia mobilis, aut fatigatione motoris. Tertio modo capitur naturale, vt distinguitur contra voluntarium; & tunc de voluntario contingenter dictum fuit, quòd cœlum non mouetur voluntariè contingenter. Ideò in proposito accipitur naturale, vt distinguitur contra voluntarium contingenter, & contra violentum.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Cœlum [f] mouetur naturaliter. Probatur: illud mouetur naturaliter quod mouetur à principio intrinseco ipso non contraueniente suo motori; sed cœlum mouetur à principio intrinseco, & non contraueniente suo motori, ergo, &c. Maior patet 3. Ethic. cap. 1. & minor apparet: nam cœlum mouetur ab Intelligentia, quæ est intrinseca sibi per approximationem: nam ipsa assistit orbi, & cuilibet parti eius: & quòd cœlum non contraueniat, patet ex præcedentibus, cùm mobile, non resistat. 9.

Cœlum mouetur naturaliter.

Secunda conclusio. Motus cœli est magis naturalis, quàm sit aliquis motus istorum inferiorum. Probatur primò, quia ille motus est magis naturalis, cuius motori nihil resistit: sed motori cœli nihil resistit: ergo, &c. Maior nota est, & minor apparet: quia non est aliquis motus localis in istis inferioribus, qui non habeat resistentiam intrinsecam, vel extrinsecam. Secundò, quia motus cœli non supponit aliquid violentum; sed quilibet motus localis istorum inferiorum supponit aliquod violentum, distrahens, vel innaturale; igitur motus cœli, &c. Maior patet, quia motus rei naturalis in istis inferioribus, vel est de loco naturali, & tunc est violentus, vel ad locum naturalem, & tunc præsupponit locum innaturalem, vel distractionem violentam à loco proprio, quorum vtrumque est violentum. Tertiò patet, quia cœlum mouetur sine dispositione accidentali inclinante ad motum, vt patuit priùs; sed nullus est motus in istis inferioribus, qui non fiat mediante dispositione accidentali, igitur motus cœli est magis naturalis. Et hæc de tertio.

Motus cœli est magis naturalis, quàm motus istorum inferiorum.

Nunc ad rationes alterius quæstionis. Ad primam [g] dico quòd termini analogici benè potest esse definitio analogica, vt patet 2. Posteriorum, modò iste terminus *natura* est terminus analogicus: quia per priùs dicitur de forma, quàm de materia. 10.

Definitio potest esse termini analogici.

Ad secundam dico, quòd iste terminus *natura* non est terminus absolutus, immò relatiuus; quia dicitur de materia, & forma in relatione ad motus & ad operationes naturales.

Substantia est duplex.

Ad tertiam dico, quòd duplex est substantia, quædam composita, vt homo; & quædam simplex, vt forma, vel materia; modò substantia composita potest definiri sub conceptu quiditatiuo, vel connotatiuo; si connotatiuo, tunc talis definitio debet dari per additamentum, scilicet per accidentia, vt patet 7. Metaph. text. 12. Sed si substantia composita debet definiri sub conceptu quiditatiuo, tunc etiam definitio debet dari per additamentum, vt si iste terminus *pater* definiatur, deberet dici, Pater est qui generauit aliquem

quem sibi similem, sed substantia simplex semper per additamentum definitur, & sic est in proposito.

Ad quartam dico, quòd licèt illi termini sint conuertibiles, tamen vnus ponitur ad exponendum alium. Vel dicitur quòd illi termini referuntur ad diuersa: quia iste terminus *principium* accipitur pro principio actiuo, & iste terminus *causa* accipitur pro principio passiuo, & tunc intelligitur disiunctiuè, quòd natura est principium, vel causa.

11. Ad quintam concedo, quòd idem simul, & semel non est per se causa contrariorum, & hoc secundùm idem, licèt benè successiuè, & ideò per eandem naturam res naturalis nata est postea quiescere, per quam etiam mouetur.

Ad sextam dico, quòd illæ dictiones capiuntur diuersimodè, & referuntur ad diuersa: quia *Primum* idem est quod *principale*, & *per se* idem est quod *solitariè*, & referuntur ad istum terminum *principium*, ita vt sit sensus, natura est principium per se, id est, solitariè potens in motum, vel operationem sine hoc, quòd præsupponatur alteratio ab extrinseco; prout exemplificabatur de magnete, & de ferro.

Ad septimam negatur minor. Ad probationem dico, quòd Intelligentia est in orbe appropriatè, licèt non inhærenter. De intellectu nostro dico, quòd intellectus noster mouet illud, in quo est inhærenter, licèt non eductus de potentia materiæ.

Ad octauam negatur minor, ad probationem patet per expositionem priùs positam. Nunc ad rationes huius quæstionis. Ad primam concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem per authoritatem 1. Cæli dico, quòd est intelligenda, quòd vnius corporis simplicis est vnus motus simplex secundùm naturam proueniens, scilicet ab vno motore: modò ipsius cœli sunt diuersi motores, secundùm diuersitatem motuum.

12. Ad secundam dictum est, quòd cœlum mouetur voluntariè non contingenter, sed necessariò necessitate complacentiæ, & hoc est mouere, naturaliter modo prædicto.

Ad tertiam dico, quòd cœlum inclinatur ad talem motum, nec ex hoc sequitur, quòd non est ponendus alius motor: quia forma grauis inclinatur ad motum deorsum, & tamen se sola non sufficit, dato quòd esset sine resistentia. Aliter dicitur, quòd cœlum non inclinatur ad motum, & cum hoc non contra mouetur, quod sufficit, vt motus sit naturalis.

Ad quartam, dubium est, qualiter [h] motor est intrinsecus.

Ad quintam dico, quòd motus cœli est finaliter propter *conseruare* [i] ista inferiora, & propter perpetuas generationes, & corruptiones istorum inferiorum, & quia intelligentia semper intendit istum finem, semper intendit mouere.

Ad sextam dico, quod hoc intelligitur de motibus grauium, & leuium, & non de aliis.

ANNOTATIONES.

13. [a] CŒlum non est substantia composita ex materia & forma. Nota, quòd in hac quæstione Scotus loquitur secundùm Aristotelis sententiam. Nam secundùm veritatem, & fidem in cœlo est materia, & eiusdem rationis cum materia rerum corruptibilium, & generabilium, vt probat idem Scotus in 2. distinctione 14. quæstione 1. Quia impossibile est, quòd sint duæ materiæ primæ alterius, & alterius rationis. Nam sicut non sunt duo fines primi, neque duo efficientes primi alterius, & alterius rationis, ita neque duæ materiæ primæ alterius, & alterius rationis, atque adeò si non datur nisi vnum agens primum, non potest dari nisi vnum primum patiens, siue vnum primum subiectum. Nec valet si dicatur, si materia cœli est eiusdem rationis cum materia istorum inferiorum, ergo cœlum est corruptibile. Quia, vt dicit Scotus vbi suprà, cœlum per se quidem est corruptibile, non autem corrumpitur, neque naturaliter poterit corrumpi: quia forma cœli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideò à nullo naturali agente corrumpi potest, & in hoc sensu dicitur cœlum incorruptibile. Et si dicas, substantiæ nihil est contrarium, ergo similiter neque substantia poterit corrumpi. Respondeo, quòd substantiæ in ratione substantiæ nihil est contrarium, at verò secundùm dispositiones, quæ sunt ad formam necessariæ, est aliquid sibi contrarium, & hac occasione corrumpitur. Cœlum autem huiusmodi dispositionibus caret, quare non poterit corrumpi.

Materia cœli est eiusdē rationis cū materia istorum inferiorum.

[b] *Materia appetit formam, & est causa corruptionis.* Nota dupliciter posse loqui de corruptione, vno modo vt corruptio est quædam passio, quæ dicitur corruptibilitas, sunt enim res naturales corruptibiles, sicut generabiles, quarum passio est corruptibilitas. Alio modo possumus loqui de corruptione, vti est actus corruptionis: loquendo de corruptione primo modo materia vt priuata est forma, est principium causáque corruptionis, vt patet ex Aristotele in 1. huius, text. 81. dicente: Altera verò pars contrarietatis, id est, priuatio sæpè per imaginationem videbitur ad maleficium ipsius intendenti intellectum. Quasi dicat quòd priuatio potest imaginari similis intendēti ad maleficium; sicut mulier adultera maleficium molitur marito, vt alium virum admittat; ita priuatio formæ generandæ, quæ accidit materiæ, est causa corruptionis præcedenti formæ, vt alia recipiatur. Loquendo verò de corruptione secundo modo: materia, forma, & priuatio, & causa efficiens sunt principia corruptionis, quia tot principia inueniuntur in corruptione, quot in generatione, at in generatione inueniuntur materia, forma, & priuatio, vt probatum est in primo libro, & insuper generans, ergo tot erunt principia corruptionis. 14.

Corruptio bifariam considerari potest.

[c] *Forma cœli propter suam perfectionem non replet appetitum materiæ.* Nota, quòd materia corruptibilium ideò per se est ratio corruptibilitatis: quia est in potentia ad formam, quam habet, & ad eius priuationem, quia scilicet per se potest carere illâ; modò ita se haberet materia cœli, si in illo esset materia, atque adeò cœlum corrumperetur. Nec valet, inquit Scotus, dicere quòd forma cœli propter suam perfectionem replet totum appetitum materiæ: quia nulla forma implet appetitum suæ materiæ respectu alterius formæ, nisi det actum oppositum priuationi illius formæ; modò forma cœli non dat actum oppositum priuationis cuiuscunque formæ, alterius à se, videlicet ignis, vel animæ intellectiuæ: quia nulla forma dat actum oppositum priuationi cuiuscunque formæ, nisi 15.

Forma cœli non satiat totum appetitū suæ materiæ.

in se contineat omnes formas saltem virtualiter, at cœli forma non sic continet omnes formas. Quare priuatio formæ ignis, vel saltem animæ intellectiuæ manet in materia cœli: si in eo ponatur materia, consequens est admittendum secundùm fidem, & veritatem, & quomodo cum hoc cœlum sit incorruptibile, dictum est suprà.

d *Voluntarium potest dici dupliciter*, &c. Nota, quòd in hac littera vult dicere Scotus, quòd voluntas nedum est libera ad oppositos actus contrarios, scilicet ad velle & nolle: quia in eius potestate est diligere, & odisse, sed etiam ad actus contradictorios, scilicet ad velle, & non velle, quia in eius potestate est diligere, & non diligere suspendendo actum dilectionis præcisè absque eo, quòd eliciat actum volitionis, vel odij.

16. e *Omnis motus potest dici naturalis*, &c. Nota ex Scoto in Prologo 1. Sentent. quæst. 1. & in 4. distinct. 43. quæst. 4. & 9. Metaph. quæstione 4. quòd potentia receptiua potest ad duo comparari primò ad actum, & formam quam recipit. Secundò ad agens, à quo recipit formã. Verbi gratiâ, potentia receptiua aquæ ad calorem potest comparari ad ipsum calorem quem recipit, vel ad ignem, à quo illum recipit, si comparetur ad formam talis potentia est naturalis, vel violenta, vel neutra. Naturalis quidem si ex natura sua sit inclinata, & propensa in ipsam formam, qualis est potentia aquæ ad recipiendam frigiditatem; erit violenta si recipit huiusmodi formam præter eius propensionem, & inclinationem, cuiusmodi est potentia aquæ respectu caloris: quæ ad oppositam formam inclinatur, & inclinationes naturales non sunt ad opposita. Neutra potentia est, quæ nec resistentiam, nec naturalem propensionem habet ad hanc, neque ad oppositam formam, licèt vtriusque sit capax, quam potentiam habet superficies respectu coloris albi, vel nigri. Si verò comparetur ad agens, à quo recipit formam, vel est naturalis, vel supernaturalis: naturalis si agens naturaliter imprimit talem formam; supernaturalis, si supernaturaliter; vnde si aqua recipit calorem ab igne, talis potentia receptiua aquæ comparata ad ignem est naturalis, si verò immediatè reciperet à Deo calorem, esset supernaturalis. Ex his sequitur, quòd eadem potentia ad diuersa comparata potest esse naturalis, & supernaturalis, & violenta: potentia namque aquæ respectu caloris, si ad ipsum calorem comparetur, est violenta, si verò ad ignem, est naturalis, respectu autem Dei immediatè fundentis calorem in aqua, est supernaturalis.

Potentia receptiua ad duo comparari potest.

17. f *Cœlum mouetur naturaliter*. Nota ex Scoto in 2. distinct. 2. quæst. 6. & in 4. distinct. 43. quæst. 2. quòd propriè loquendo motus cœli non est naturalis, sed neuter. Quoniam si motus cœli esset naturalis, perueniret vtique cœlum ad terminum ad quem naturaliter, & ibi naturaliter quiesceret, cœlum autem non quiescit, neque naturaliter quiescet. Item cœlum ab intrinseco non habet naturalem inclinationem, quâ determinetur magis ad motum, quàm ad quietem, quia motus, quo mouetur prouenit sibi ab Intelligentia, atque adeò motus non est illi naturalis, neque quies tali motui opposita, & per consequens motus est sibi neuter. Adde quòd vni corpori simplici debetur vnus motus naturalis, vt patet in libris de Cœlo; sed cœlum est corpus simplex, ergo aliquis motus sibi naturaliter debetur, & per consequens motus, quo mouetur, non est illi naturalis. Probatur hæc vltima consequentia. Quodlibet cœlum excepto primo mobili, mouetur duobus motibus, vno qui dicitur proprius cœlo ab Occidente in Orientem per Septentrionem: mouetur etiam motu diurno, qui dicitur rapidus ad motum primi mobilis ab Oriente in Occidentem per Meridiem; ergo si naturaliter moueretur aliquis horum motuum esset naturalis; sed non est maior ratio de vno, quàm de alio: quia ad neutrum magis inclinatur, ergo nullus istorum motuum est sibi naturalis, sed neuter. Quomodo autem Scotus intelligat motum cœli esse naturalem, ipse se ipsum explicat in sua distinctione de naturali.

Motus cœli non est propriè naturalis, sed neuter.

g *Termini analogici benè potest esse definitio*. Nota, quòd aliqui dicunt definitum in definitione naturæ significare formã substantialem, quod probant: quia ea natura definitur, qua differunt naturalia ab arte factis, differunt autem per formã, & non per materiam: nam materia ligni, & materia cathedræ ligneæ eadem est, forma verò diuersa: cæterùm hæc sententia est apertè contra Aristotelem, neque ratio concludit. Nam res arte factæ differunt à naturalibus, non solùm propter formam, sed etiam propter materiam: quia naturalia includunt essentialiter materiam; artificialia verò, non nisi connotatiuè: secundò, quia naturalia primò, & immediatè materiam includunt; artificialia verò non primò, & immediatè, sed secundariò, ac remotè: materia enim primò inest ligno, quod est materia cathedræ, & deinde per lignum inest cathedræ ligneæ. Natura itaque accepta vt comprehendit materiam, & formam, est definitum in definitione naturæ: nam postquam Aristoteles definiuit naturam, & explicauit ea, quæ à natura denominantur, statim post pauca verba cœpit probare tum materiã, tum formam esse naturam, quod signum est, quòd sub nomine naturæ comprehendit materiam & formam. Definit igitur naturam in communi, vt comprehendit materiam & formam, siue sumatur pro relatione naturalitatis, quâ naturæ referuntur (sunt enim relata secundùm *dici*) ad ens naturale; siue pro ratione absoluta principiandi, & causandi motum, quæ est genus ad materiam & formam; & quamuis forma sit magis natura, quàm materia, hoc est perfectior natura; non tamen de illis æquiuocè dicitur natura, sed analogicè, quæ analogia stat cum vniuocatione, atque adeò definitionem non excludit. 18.

Quid sit definitum in definitione naturæ.

h *Dictum est qualiter motor est intrinsecus*. Nota, verum esse omne ens naturale habere principium motus, atque etiam esse verum cœlum, esse ens naturale, & habere in se principium motus; non quidem respectu motus, quo mouetur, sed respectu alterius motus, quo non mouetur modò, sed potiùs est in quiete, eo quòd est collocatum in suo centro, vel in suo aptissimo loco, vbi optimè eius natura conseruatur, sicut, verbi gratiâ, tota terra non mouetur, quamuis sit ens mobile, quia est in suo centro, id est, in aptissimo loco, in quo natura eius conseruatur, si tamen raperetur terra, & extraheretur à suo loco, statim amotis impedimentis ad suum locum curreret, quod apparet in partibus terræ violenter suprà existentibus, quæ amotis impedimentis statim deorsum tendunt. Idem dico de cœlo, 19.

Omne ens naturale habet principiũ motus.

quòd

quòd si per potentiam diuinam extraheretur à suo loco, vel aliqua eius pars, equidem mihi aliud non est intelligibile, nisi quòd haberet in se tam principium actiuum, quàm passiuum, vt raperetur, moueretúrque ad suum locum naturaliter: modò tamen est in quiete in suo loco, quia cùm sit tam perfectum ens, quòd ex eius virtute pendeat horum generabilium vita; solùm mouet ipsum peculiaris Intelligentia, vt sic omni ex parte, quodlibet cœlum cuilibet horum Inferiorum parti præsentetur, sicque eorum virtutibus potiamur.

20. [1] *Motus cœli est finaliter propter* conseruare *ista inferiora.* Nota, quòd motus cœlorum est sic à sapientissimo omnium conditore ordinatus, vt naturalem rerum ordinem, & generationem texeret: non sic, quòd motus ipse cœlorum sit causa talium generationum, sed quòd per motum præsentantur sic, vel sic cœli, vt diuersitas rerum inferiorum pendens ab influentia, eorúmque virtute appareat, atque generetur, & iuxta hunc ordinem dicitur motus cœli naturalis, non tamen quia pendet à principio intrinseco actiuo, neque passiuo per se existente in ipsis cœlis. Vnde motus sphæricus cœlorum est præter eorum naturam; quia cùm sint sphæricæ figuræ sunt apti ad talem motum. Ex quo manet quòd motus, quo cœlum modò mouetur, non est illi naturalis: quia ad illum non habet naturalem inclinationem; neque violentus: quia ad oppositum non inclinatur, sed est neuter, quia ratione eius figuræ non sibi repugnat talis motus.

EXPOSITIO TEXTVS.

21. Text. 7. *Videtur autem 1 nonnullis natura, & substantia eorum*, &c. Hoc est 2. capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit de quibus dicitur natura, & primò probat, quòd natura dicitur de materia, secundò quòd dicitur de forma, ibi: *Alio autem modo.* Primum probat dupliciter. Secundum ibi: *Quocirca sanè.* Est igitur prima conclusio, quòd materia est natura: quam conclusionem probat sub istis verbis, quòd principium non formatum per se ipsum, quod materiæ vnicuique videtur esse natura, & substantia eorum, quæ sunt à natura, quemadmodum dicimus, quòd lignum est natura lectuli, & æs natura statuæ. Probatur signo Antiphontis: quia sicut est in artificialibus, ita est in naturalibus; sed in artificialibus materia est natura, & substantia artificialium; igitur ita est in naturalibus. Maior patet per simile: nam sicut a se habent æs, & aurum ad ea, quæ componuntur artificialiter ex eis; ita similiter se habent elementa ad ossa, & ligna, quæ fiunt naturaliter ex ipsis. Et minor apparet: nam si lignum proiiciatur in terram, & putrescat, ita vt faciat germen, non producet lectum, sed lignum: & ideò dispositio illa secundùm legem, & [a] artem, id est, quam lignum habet ab arte, non est nisi accidens ligni.

Materia est natura.

Text. 8.

22. Text. 9. *Quocirca 3 sanè.* Probat secundò testimonio [b] antiquorum. Vnde omnes antiqui, qui ponebant aliquod elementorum, vel plura elementa esse materiam; ponebant ipsum, vel ipsam esse naturam rerum naturalium, & mouebantur pro tanto, quia dicebant, quòd de ratione materiæ est, quòd sit perpetua, & quòd non habeat mutationẽ de sui natura, sed 4 omnia alia præter ma-

Text. 10.

teriam, sunt passiones habitus, & dispositiones, quæ infinities generantur, & corrumpuntur, & sic vno modo materia dicitur natura viuentium, habentium in se principium motus, & mutationis.

Alio 5 autem modo forma, & species. Probat, quòd forma sit natura tripliciter. Secundum ibi: *Amplius fit ex homine homo.* Tertium ibi: *Amplius autem natura dicta.* Item primò probat hoc. Secundò probat, quòd forma alio modo est natura, quàm materia. Et tertiò quòd forma est magis natura, quàm materia. Secundum ibi: *Quare alio modo.* Tertium ibi: *Et magis natura hæc est, quàm materia.* Est igitur conclusio, quòd forma est natura. Probatur: quia illud est natura rerum naturalium, secundùm quod res naturales dicuntur in actu, sed secundùm formam res naturales dicuntur in actu, ergo, &c. Maior patet: quia illæ non dicuntur res naturales, quæ solùm sunt res naturales in potentia, vt verbi gratiâ, illud quod præcisè habet formam ossis in potentia, & non in actu, illud non est os, quemadmodum lignum non est lectulus, quod solùm est in potentia ad formam lecti. Et minor apparet: quia sicut res artificiales dicuntur actu artificiales per dispositionem, quam habent ab arte; ita similiter res dicitur actu naturalis per formam, quam habet à natura. Text. 11.

Ex hoc textu sumitur quòd denominatio fit ab actu.

23. Text. 12. *Quare 6 alio modo.* Ponitur tertia conclusio, quòd forma alio modo est natura, quàm materia. Probatur, quia illud alio modo est natura, per quod res naturalis dicitur in actu, quàm illud, per quod res naturalis dicitur in potentia tantùm: sed à forma dicitur res naturalis in actu, & à materia dicitur res naturalis in potentia tantùm: igitur forma est alio modo natura, quàm materia. Et subbit Aristoteles, quòd forma non est separabilis à materia, nisi fortè secundùm rationem; & illud quod est compositum ex istis duobus non est natura, sed est à natura, vt homo, qui est compositum naturale.

Vide contradictiones Zimaræ.

Et magis natura hæc est, quàm materia. Ponitur quarta conclusio, quòd forma est [c] magis natura, quàm materia. Probatur quasi per medium alterius rationis, quia illud est magis natura, quod simpliciter, & secundùm actum est natura, quàm illud quod est natura secundùm potentiam tantùm: modò forma est natura secundùm actum, materia autem secundùm potentiam tantùm: igitur forma est magis natura, quàm materia.

Forma est magis natura, quàm materia.

24. Text. 13. *Amplius fit 7 ex homine homo.* Ponitur secunda ratio ad probandum, quòd forma sit natura: quia illud est natura, secundùm quod compositum naturale generat sibi simile secundùm speciem: sed secundùm formam compositum naturale generat sibi simile secundùm speciem; igitur forma est natura. Maior patet, quia propter hoc antiqui dixerunt figuram, seu dispositionem artificialem non esse naturam, eo quòd non esset generata alicui similis. Et minor apparet, quia homo secundùm suam formam generat hominem.

Amplius 8 autem natura dicta est generatio. Ponitur tertia ratio. Secundò ostendit, quomodo forma diuersimodè dicitur natura, ibi: *sed forma & natura.* Tertia ratio est ista: generatio vocatur natura, eo quòd est via in naturam, sed non quia est via in naturam, quæ est materia; cùm materia sit ingenerabilis; igitur vocatur natura, cùm sit via in naturam, Text. 14.

quæ

Generatio est via in naturam.

quæ est forma: quod autem generatio quandoque natura dicatur, declarat Aristoteles, quia in naturalibus generatio denominatur à termino *ad quem*, vt calefactio à caliditate, generatio à forma, quæ generatur; sed non sic est in artificialibus: quia [d] mutatio artificialis denominatur à Medico; tamen hoc non semper est verum: quia sanatio benè denominatur à termino *ad quem*, scilicet à sanitate, & hoc secundùm habitudinem, quam habet ad terminum *ad quem*; sed secundùm habitudinem, quam habet ad efficiens, vocatur medicatio.

25. Text. 15. *Forma dupliciter est natura.*

Sed forma 9 & natura dupliciter dicitur. Hic ostendit, quòd forma dupliciter est natura; nam vno modo forma est natura modo prædicto: alio modo priuatio dicitur esse forma, vel natura, & hoc exponitur vno modo capiendo priuationem pro forma minùs perfecta, quemadmodum nigredo est minùs perfecta albedine; alio modo exponitur, quòd capitur ibi priuatio formæ generandæ pro forma existenti in materia, & sic illa dicitur natura. Hoc modo exponitur, quòd priuatio quodammodo est species, id est, priuatio non potest definiri sine forma: quia in definitione priuationis oportet exprimere formam. Et subdit Aristoteles, quòd qualiter in generatione simplici priuatio est terminus, vel aliquod aliud contrarium, considerandúm est posterius, scilicet in libro de Generatione, & corruptione.

ANNOTATIONES.

26. [a] *Dispositio illa secundùm legem, & artem.* Aduerte, quòd nomine artis non intelligat habitum existentem in artifice, sed eius effectum, quæ est forma artificialis: effectus enim interdum nomine suæ causæ gaudet, & ideò sapienter exposuit Scotus, quam lignum habet ab arte.

[b] *Omnes antiqui*, &c. Nota, antiquos partim verum, partim falsum dixisse. Verum quidem, quatenus dixerunt, materiam esse naturam, falsum verò quatenus dixerunt, solam materiam esse naturam: quia etiam forma est natura, ex quibus ens naturale constat. In duobus igitur errabant antiqui. Primò, quia dicebant solam materiam esse naturam. Secundò, quia dicebant materiam esse compositum, & ens in actu, quod Aristoteles paucis verbis reiecit, cùm dixit: Vno igitur modo natura dicitur materia prima subiecta formæ cuique, cùm enim nullum ens in actu possit esse materia prima subiecta formæ, siquidem ens in actu componitur ex materia, & forma, efficitur vt materia non sit ens in actu, compositumvè, vt antiqui dicebant.

Hic habet qua ratione Aristoteles neget actum à materia.

27. [c] *Forma est magis natura quàm materia.* Nota, quòd hoc dupliciter potest intelligi. Primò, quoad perfectionem, & nobilitatem, ita vt sensus sit quòd forma perfectior est materia. Secundò quantum ad rationem naturæ; ita vt sensus sit, forma est magis natura, id est, perfectio naturæ præstantior est in forma, quàm in materia, & verum est vtroque modo.

[d] *Mutatio artificialis denominatur ab agente.* Nota, quòd motus dupliciter significari valet, vel per modum actionis, & sic denominatur à principio motus, vt medicatio, quæ licèt sit motus ad sanitatem, tamen vt significatur hoc nomine *medicatio* significatur per modum actionis, & ideò denominatur à Medico. Alio modo significatur motus per modum passionis, & sic denominatur à termino ad quem, vt sanatio, quæ est via ad sanitatem. Ait itaque Aristoteles quòd generatio significator per modum passionis, quia illius, qui generatur, est generatio, denominabitur ergo à termino ad quem, quæ est forma.

QVÆSTIO V.

[a] *Vtrùm natura sufficienter diuidatur in materiam & formam.*

Arist. *hic text.* 7 & 5 *Met. c.* 4. Auic *lib.* 1 *suffic. c.* 7. Albert. 2. *Phys tract* 1. *c.* 5. Mayron. 2. *Phys q.* 3. Fonseca *tom.* 3 *Met. lib.* 5 *c.* 4. *q.* 2 Conimbr. 2. *Phys. cap* 1. *q.* 1. Complut. *disp* 7. *q.* 3 4 & 8. Rubius & Roccus *q.* 2. Fuentes *q.* 1. *diffic.* 2.

ARGVITVR quòd non: quia aliquid aliud materia, & forma est natura; igitur natura non sufficienter diuiditur. Tenet consequentia, & antecedens probatur primò per Aristotelem 5. Metaph. text. 5. vbi dicit, quòd nascentium generatio dicitur natura. 1.

Secundò per Aristotelem 2. huius, tex. 15. vbi dicit, quòd priuatio est natura, & Tertiò per Aristotelem ibidem qui dicit, quòd generatio est natura, eo quòd est via in naturam, quæ est forma.

Quartò per Commentatorem in eodem capite, comm. 13. vbi dicit, quòd compositum est tota natura & materia rei artificialis, & per consequens compositum est natura.

Item, vel ista est diuisio integralis in suas partes quantitatiuas, & hoc non: quia tunc natura esset composita ex materia & forma: vel est diuisio vocis in sua significata, & hoc non, quia non videtur, quòd hoc nomen *natura* sit æquiuocum ad diuersa significata.

Diuisio quæstionis.

Oppositum arguitur per Aristotelem in 2. huius, text. 7. In quæstione primò videbitur de quibus dicitur natura, & secundò de comparatione naturarum ad inuicem.

Forma est natura.

Quantum ad primum, sit prima conclusio. 2.
Forma est natura. Probatur: quia forma est vnum principium actiuum, & primum principium per se mouendi, & quiescendi eius, in quo est, non secundùm accidens, igitur forma est natura per definitionem naturæ.

Sed obiicitur, quia tunc sequeretur, quòd forma esset primus motor, ex quo esset principium actiuum motus. Respondetur, quòd forma dicitur primum, scilicet principale actiuum motus, comparando formam ad accidentia, quæ sunt instrumenta, mediantibus quibus fiunt motus, & actiones; vt postea videbitur; sed comparando diuersas formas, seu naturas ad inuicem, vna benè agit per prius, & principaliùs, quàm reliqua.

Secundò ad conclusionem: quia illud est natura, per quod res denominatur naturalis, & per quod res est determinatæ naturæ, & per quod ponitur in determinata specie. Sed hoc est per formam, ergo, &c.

Materia est natura.

Secunda conclusio. Materia est natura. Probatur: quia materia est primum principium passiuum motus, & quietis, igitur materia est natura. Tenet consequentia per definitionem naturæ. Et antecedens apparet: quia materia prima est sub

subiectum principale transmutationis substantialis; & per consequens etiam accidentalis, cùm accidentalis fiat propter substantialem. Similiter materia est illud, mediante quo aliquid subiicitur mutui. Secundò, quia materia est pars essentialis compositi, igitur materia est natura. Tenet consequentia per Commentatorem 2. huius, & ista ratio probat similiter primam conclusionem.

3. *Priuatio est natura.* Ea istis duabus infert Aristoteles tertiam, scilicet, quòd priuatio dicitur natura. Probatur, quia forma minùs perfecta dicitur priuatio respectu perfectioris: cùm igitur qualibet forma sit natura, sequitur quòd priuatio sit natura.

Nullum accidens est natura. Tertia conclusio. Nullum accidens est natura. Probatur: quia nullum accidens est primum, & principale actiuum alicuius transmutationis, igitur nullum accidens est natura. Tenet consequentia per definitionem naturæ, & antecedens probatur, primò de mutatione substantiali; quia producens aliquem effectum debet esse æquè perfectum, & nobile specificè sicut effectus productus, & cùm nullum accidens sit æquè perfectum, vel perfectius, quàm sit substantia, vt patet 7. Metaph. text. 4. sequitur, &c.

Secundò probatur de mutatione accidentali: quia nullum accidens [a] potest producere formam substantialem; igitur nec accidentalem. Tenet consequentia; quia idem est agens disponens materiam, & introducens formam; vt patet 8. Metaph. text. 16. Secundò; quia omne accidens est à natura, vel secundùm naturam, vt patet 2. huius; igitur nullum accidens est natura. Tertiò per Aristotelem in 2. de Generatione, text. 4. & 5. vbi dicit, quòd dicere calidum, aut frigidum, aut aliquam huiusmodi qualitatem agere, est idem quod attribuere vnicuique instrumentorum operationem, quæ fit mediante instrumento, vt dicere, quòd serra diuidit lignum, vel quòd instrumentum domificatorium faciat domum.

4. *Nullum accidens virtute propria potest aliquid agere.* Ex istis sequitur, quòd nullum accidens [b] virtute propria potest aliquid agere, immò omnis actio eius est virtute substantiæ.

Secundò sequitur, quòd nihil aliud à materia & forma est natura.

Contra conclusionem arguitur, primò per Aristotelem t. de Generatione, text. 27. vbi dicit, quòd caliditas si esset separata non pateretur, & ex hoc allegatur, quòd licèt non pateretur, tamen ageret, & patet ad experientiam de Sacramento altaris, quòd hostia calefacta agit caliditatem, quod non esset, nisi caliditas ponatur agere, & hoc virtute propriâ.

Secundò, quia qualitates primæ sunt actiuæ, vt patet 2. de Generatione, text. 8. Similiter motus & lumen sunt causæ caloris, vt patet 1. Meteororum, text. 26. & 27. Item grauitas, & leuitas sunt qualitates motiuæ localiter, vt patet 3. & 4. Cœli, text. 2. Item, color causat speciem suam in medio; igitur aliquod accidens est principium actiuum principale alicuius operationis.

Tertiò per Aristotelem 4. Meteororum, vbi reducit omnes generationes mixtorum, & suarum dispositionum in quatuor qualitates primas, quod non esset, nisi illæ qualitates essent principalia actiua mixtorum.

5. Quartò, quia non apparet aliter à quo fieret genitum per putrefactionem, nisi ab huiusmodi qualitatibus.

Quintò, quia illud est agens principale alicuius actionis, cui assimilatur effectus: modò caliditati assimilatur effectus, & cùm ignis agit in aquam, effectus productus non assimilatur formæ ignis, sed caliditati.

Sextò, quia illud est agens principale, penes cuius proportionem ad resistentiam passi attenditur velocitas motus; sed penes proportionem caliditatis ad resistentiam passi attenditur velocitas calefactionis; igitur caliditas est principale actiuum calefactionis, & per consequens formæ substantialis habentis calefactionem. Maior patet; quia velocitas actionis attenditur penes proportionem agentis ad resistentiam passi.

Septimò. Nisi leuitas esset principium actiuum principale motus sursum, sequeretur, quòd forma terræ ascenderet naturaliter, quia in exhalatione ascendente sursum, in qua manet forma terræ, vel leuitas, est principale actiuum, & habetur propositum; vel forma terræ, & hoc non; quia inclinatur ad motum oppositum, & similiter tunc haberet consequens.

Octauò per Aristotelem in de Sensu, & sensato; vbi dicit, quòd ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus.

Ad ista respondetur, quòd accidens, & vniuersaliter omnis dispositio sunt [c] instrumenta, mediantibus quibus agentia principalia, scilicet formæ substantiales agant: verbi gratiâ, si terra latæ figuræ non descendat, quæ si esset acutæ, vel sphæricæ figuræ descenderet, non propter hoc esset dicendum, quòd acuties est principale actiuum talis motus: sed forma grauis mediante grauitate, & acutie; & ideò imaginandum est, quòd sicut Deus, qui est agens principalissimum, determinatur ad diuersos effectus, scilicet hunc, vel illum producendum per agentia particularia, ita similiter forma substantialis determinatur ad producendum talem effectum, vel talem, tantum, vel tantum, & qualitates inexistentes sibi. 6. *Accidentia sunt instrumenta actionum.*

Nunc ad instantias. Ad primam dico, quòd ea illa litera Aristotelis non habetur, quòd si caliditas esset separata, quòd tunc ageret, sed si ageret, oporteret quòd virtus formæ substantialis [d] suppleretur per agens supernaturale, scilicet per Deum, quemadmodum est de Sacramento altaris. Secunda, & tertia ratio probant; quòd huiusmodi qualitates agunt; sed non probant, quòd agunt principaliter.

Ad quartam dico, quòd in generatione mixtorum per putrefactionem non sufficiunt qualitates primæ cum elementis: quia genitum esset nobilius illis, & cum istis non sufficit corpus cœleste; quia non est applicatum. Et si dicatur, quòd agit per influentiam, quæ est applicata, hoc non valet; quia influentiæ corporum cœlestium non sunt, nisi quidam calores, & qualitates generatæ in istis inferioribus, vt dicit Commentator duodecimo Metaphysicorum, & ideò adhuc genitum esset nobilius genetante. Ideò præter ista oportet concurrere substantiam separatam, quæ suppleat vicem formæ substantialis. 7.

Ad quintam negatur maior: quia agens principale quandoque determinatur per instrumentum, vt effectus assimiletur instrumento, & non agenti principali.

Ad sextam, concedo maiorem, & nego minorem. Vnde velocitas calefactionis attenditur penes proportionem formæ ignis, aut alterius formæ substantialis non absolutè, sed mediante

diante

diante caliditate vnà com tali, vel tali applicatione.

Ad septimam concedo, quòd forma terræ est causa motus sursum mediante leuitate, & quòd forma aquæ mediante caliditare est causa calotis.

8. Ad octauam dico, quòd ista dictio *in quantum* non accipitur reduplicatiuè, sed specificatiuè, ideò ad veritatem propositionis sufficit, quòd illud, super quod cadit reduplicatio, exprimat causam, quare prædicatum principale dicatur de subiecto principali; vt dicendo ignis agit si est calidus, & hoc est verum si denotetur causa instrumentalis.

Forma est magis natura quàm materia.

Quantum ad secundum, sit prima conclusio ista, qoòd forma est magis natura, quàm materia, id est, perfectior natura, & nobilior. Probatur, quia forma est finis materiæ, vt patet 2. huius, texr. 24. modò finis est perfectior, & nobilior ordinatis io finem. Secuodò, quia forma est principium actiuum; & materia est principiom passiuum: modò principium priùs dicitur de principio actiuo, 5. Metaphysicæ, text. 1.

Secunda conclusio, comparando diuersas formas ad inuicem, vna forma priùs, & principaliùs agit ad aliquem effectum quàm alia. Patet de Intelligentia quæ est forma cœli, quæ principaliùs agit ad producendum, quàm forma substantialis in istis ioferioribus.

Contra primam conclusionem arguitur; quia si forma est perfectior materia, vel hoc est finitè, vel iofinitè: non infinitè; quia tunc sequeretur quòd forma esset infioite perfecta, per illam regulam, quòd comparatio præsupponit positiuùm. Item, si infinitè perfectior, tunc sequeretur quòd si iofinitæ materiæ essent, tunc aggregatum ex illis esset æquè perfectum cum forma. Item, sequeretur quòd excessus formæ super materiam esset infinitus, quod est falsum. Si finitè; contrà, quia materiæ possent tot multiplicari in numero certo, quòd essent æquè perfectæ sicut forma; quod est falsum, quia duo homines non sunt perfectiores specificè, quàm alter illorum.

9. Secundò arguitur dubitando de perfectione compositi respectu materiæ, & de perfectione respecto formæ.

Tertiò arguitor, quòd materia sit perfectior quia esse per vnum diem est aliquantæ perfectionis, & esse per duos est maioris perfectionis, igitur cùm materia duret per tempus infinitom; sequitur quòd materia sit infinitæ perfectionis. Confirmatur, quia materia est potentiæ infinitæ ad recipiendum, & forma solùm est potentiæ finitæ ad agendum. Tertiò confirmatur, quia substantia dicitur à sobstando: modò materia pluribus substat, quàm forma; igitur materia est perfectior substantia, quàm forma.

Quartò, quia substantia non suscipit magis, & minùs; igitur forma non est magis natura, quàm materia.

Quintò, quia hoc nomen *natura* oon recipit comparationem, cùm non sit nomen adiectiuum; igitur forma non dicitur magis natura, quàm materia.

Sextò sequeretur, quòd aliquid esset magis principium actiuum; quàm aliud esset principium passiuum. Consequens est falsum, quia tunc forma posset plus agere, quàm materia recipere: & patet consequentia, quia ex eo forma est principium actiuum, & materia principium passiuum.

Septimò, quia omne excedens aliud componitur ex eo quod exceditur, & ex excessu, sed forma excedit materiam in perfectione; igitur forma componitur ex perfectione materiæ, quod est impossibile. 10.

Octauò, quia materia est principium passiuum per se, ex definitione oaturæ, igitur forma non est priùs principium, quàm materia, & per consequens noo magis; quia iam aliquid esset priùs primo,

Nonò per Aristotelem 7. huius, text. 31. vbi dicit, quòd comparatiooes non fiunt circa genera: modò oatura est quoddam genus de genere Relationis; ergo, &c.

Ad ista respondetur. Pro quo notandum, quòd illa quæ comparantur ad inuicem, vel vnom finitè excedit reliquum, vel infinitè, & istud secundum membrum non est ad propositom: si finitè, tunc, vel sunt eiusdem generis, & tunc inter ipsa est comparatio proportionalis, vt vna quantitas est dupla ad aliam; vel sunt diuersorum generum; & tunc illorum quędam sont, qoorum vnum est maius altero in iofinitum vltra omnem proportionem: vt corpus est maius, quàm linea, plusquam in duplo, plusquam in triplo, & sic in infinitum. Alia sunt quorum vnum est maius altero io infinitum citra omnem proportionem: vt corpus cum superficie est maius corpore in infinitum, minùs quàm in aliqua proportione; quia minùs quàm in triplo, & sic io infinitum.

Nunc ad primum dico, quòd forma est in infinitum perfectior quàm materia. 11.

Ad improbatiooem, nego consequentiam; quia illa regula non tenet, qoando comparatio sumitor cum aliqna dictiooe inclodente negationem; sicut non sequitur, *Socrates incipit esse albior Platone; igitur incipit esse albus.*

Ad cooffirmationem rationis, dico quòd si infinitæ materiæ congregarentur simul, congregatum non esset perfectius essentialiter, quam vna earum.

Ad tertium negatur consequentia; quia ly *infinitum* non denotat excessum, sed proportionem.

Ad quartum dico, quòd esse per aliqood tempus est aliquantæ perfectionis; & nego illam, quòd si esset per maius, quòd esset maioris perfectionis, nisi res illa duret cum consto, vt posui supra primum. Modò materia prima nunquam durat cum conatu, cùm non habeat cootrarium.

Ad quintum negatur consequentia; quia licèt materia prima sit infinitè receptiua, & forma solùm finitè actiua; tamen perfectios est finitè agere, quàm infinitè recipere. Ad aliud quando arguitur de perfectione compositi respectu materiæ & formæ. Dico, quòd compositum est perfectius materia in infinitum vltra omnem proportionem; quia est plusquam in duplo, plusquam in triplo, & io infinitum: sed compositum est perfectius, quàm forma in infioltum citra omnem proportionem, quia mious quàm io duplo, quàm in triplo, & sic in infinitum. Ad aliud, substantia dicitur, &c. Dico, qoòd substantia non dicitur à substare formæ, vel accidenti; quia tunc Deus noo esset substantia. Ad aliud, quia substantia non suscipit, &c. verum est, tamen benè cum additione suscipit. Consimiliter ad sequeotem; quia iste terminus *natura* noo recipit comparationem absolutè, tamen cum additione huius termini *perfectum*, vel consimilis. Ad aliud negatur consequentia; quia ex hoc, quòd forma sit perfectior 12.

Perfectius est finitè agere, quàm infinitè recipere.

materia,

materia, non sequitur, quòd aliquod sit magis principium actiuum, quàm aliud principium passiuum. Ad aliud omne excedens, &c. Dico, quòd hoc verum est de his, quæ sunt eiusdem generis, & inter quæ est comparatio proportionalis, & non de aliis.

13. Ad octauum, quia materia est principium passiuum, &c. concedo; igitur neutrum est priùs reliquo, negatur consequentia; sed sequitur quòd sit prius principium actiuum, quàm forma, aut priùs principium passiuum, quàm materia, ita vt debeat fieri comparatio in eodem genere.

Ad vltimum dico, quòd circa genera non fiunt comparationes proportionales. Vel potest dici, quòd inter genera non fiunt comparationes absolutè, sed cum additione huius termini *perfectum*, aut consimilis.

Ad rationes principales. Ad primam dico, quòd nihil aliud à materia, & forma dicitur natura, nisi metaphoricè sumendo hoc nomen *natura*, & sic fecit Aristoteles quando dixit, quòd nascentium generatio est natura, vel quòd generatio est natura, quia est via in naturam.

Ad aliam dico, quòd est diuisio vocis in sua significata, ad istum sensum, quòd quæcunque significantur implicitè, & coniunctim per hoc nomen *natura*, significatur diuisim per alterum istorum duorum, scilicet *materia*, & *forma*.

ANNOTATIONES.

14. a *NVllum accidens potest producere formam substantialem.* Nota, quòd est controuersia inter D. Thomam & Scotum. Nam D. Thomas in 4. dist. 12. quæst. 1. & 3. part. quæst. 77. artic. 3. tenet in actionibus naturalibus formas substantiales non esse immediata principia agendi, vel principia proxima; sed quòd agentia naturalia agant mediantibus qualitatibus actiuis, & passiuis, tanquam propriis instrumentis, quod non solùm extendit ad productionem accidentium; sed etiam ad substantiæ generationem, ita vt ipsa accidentia sint, quæ in virtute substantiæ, & corrumpant omnes dispositiones, quibus forma expellenda conseruabatur, & ipsam eiiciant formam substantialem à materia, & inducant formam substantialem de nouo generandam.

15. Scotus verò hîc, & in 4. dist. 12. q. 3. censet accidentia non attingere actiuè generationem substantiæ, neque vt instrumenta, benè tamen dispositiuè: quia nullum imperfectius potest esse principium perfectioris. Hanc controuersiam diffusè explicatam vide in Commentariis nostris super 4. Scoti d. 12. q. 3.

b *Nullum accidens virtute propria potest agere.* Nota, quòd quando dicitur, quòd accidentia sunt instrumenta substantiæ, & quòd agunt in virtute substantiæ, sic debet intelligi, non quòd accidentia recipiant aliquam influentiam, aut virtutem nouam actiuam, quam de se non haberent ante actionem; sed quòd sic operantur dependenter à substantia, est enim virtus accidentis subordinata essentialiter virtuti substantiæ: quando accidens est in substantia, sicuti virtus actiua cuiuslibet substantiæ creatæ est simpliciter subordinata essentialiter virtuti Dei, ita vt sit tantùm ordo determinatus in simul causando.

Ex quo sequitur, quòd accidens non potest agere in virtute substantiæ, plus quàm propria virtute; quia agere in virtute substantiæ nihil aliud est nisi agere dependenter ab ea, secundùm tamen propriam virtutem. Instrumenta verò, quæ non habent intrinsecam virtutem, quâ operentur, recipiunt quidem influentiam, & motum à principali agente, vt sic dicantur instrumentaliter agere, si verò instrumentum est actiuum, debet habere virtutem propriam, quâ operetur vel in esse quieto ante operationem, vel saltem receptam in eadem operatione. Sequitur secundò, quòd accidens producit actiuè alterum accidens virtute propriâ, quamuis dependenter à substantia. Nam si accidens non haberet virtutem propriam alterius accidentis productiuam, non magis ignis produceret calorem suo calore, quàm aqua frigiditate, quod non est dicendum, quia nihil omnino agere potest nisi habeat formam actiuam intrinsecam ad talem actionem determinatam, atque adeò ignem calefacere per calorem eo est, quia calor est forma actiua talis caloris; cæterùm quia accidens subordinatur substantiæ in agendo. Ideò dicit hîc Scotus, quòd nullum accidens virtute propriâ potest aliquid agere, & quòd omnis actio eius est virtute substantiæ.

c *Accidentia sunt instrumenta, mediantibus quibus agentia principalia agunt.* Nota, quòd agere principaliter bifariam intelligi potest. Vno modo independenter ab aliquo superiori agente, quomodo solus Deus agit, quia à nullo dependet, quo pacto non dicuntur agere principaliter aliquæ causæ creatæ, quia omnes agunt dependenter à Deo. Secundo modo dicitur agere principaliter, id est, per formam intrinsecam propriam agentis, licèt in agendo dependeat à superiori agente. Similiter instrumentum, vel causa instrumentalis, si opponitur causæ principali primo modo, tunc instrumentum eo dicitur, quia dependenter ab altero agente operatur, quamuis operetur virtute propriâ sibi intrinseca: & hoc modo omnes causæ naturales dicuntur instrumenta Dei. Si autem instrumentum opponatur causæ principali secundo modo, tunc id dicitur instrumentum, quod non habet in se formam actiuam intrinsecam in suo ordine causandi, & ideò agit; quia actualiter mouetur ab aliquo, vt instrumentum artificis, verbi gratiâ serra. 16. *Agere principaliter bifariam intelligi potest.*

Ex hoc sequitur, quòd instrumentum, aut dicitur communissimè, & sic comprehendit omnem causam secundam; aut accipitur pro eo, quod est pars, per quam totum agit, sic dicuntur *in* 2. *de Anima* organa sensuum & aliarum potentiarum instrumenta, per quæ totum operatur; aut dicitur tertiò instrumentum, quo vtitur artifex, & hoc est propriè instrumentum: quia reliqua instrumenta cùm habeant propriam virtutem, per quam agunt, dicuntur respectu sui producti propriè actiua. Instrumentum autem artificis non est actiuum, vt diffusè diximus in 4. dist. 1. quæst. 1. & dist. 4. quæst. 6. vide ibi. *Instrumentum sumitur multis modis.*

Secundò sequitur, quòd vt instrumentum sit actiuum, debet habere in se formam actiuam, per quam agat, quamuis dependenter à causa, cuius est instrumentum, & hoc vel in esse quieto antequam agat, quomodo causæ naturales respectu Dei, & accidentia respectu substantiæ dicuntur instrumenta actiua; vel in quantum mouetur à causa principali, verbi gratiâ ferrum 17.

non calefacit corpus nisi apponatur igni, à quo recipiat calorem, per quem simul calefaciat; & huiusmodi instrumentum, vel agit ad aliquam dispositionem præuiam termino principali, vel attingit ipsum terminum principalem intentum ab agente, aliàs esset actiuum. verbi gratiâ: si ignis intendit calefacere, calor ignis attingit ad terminum principalem; si verò ignis intendat producere ignem, non attingit calor ad terminum principalem, scilicet ad formam ignis producendam.

18. [d] *Si accidens separatum ageret, oporteret, quòd virtus formæ substantialis suppleretur per agens supernaturale.* Nota, quòd qualitates actiuæ, vt sunt caliditas, frigiditas, &c. quæ appellantur primæ qualitates, sunt totale principium actionis realis transeuntis in passum. Nam quando producitur, verbi gratiâ, calor in ligno, forma substantialis ignis nullo modo agit, sed totale principium *quo*, est caliditas ipsius ignis; cæterùm in actione reali immanente forma substantialis est totale principium productiuum. Nam quando ignis generat ignem, forma ignis generantis est totale principium formæ substantialis ignis geniti, & forma substantialis ignis geniti producit immediatè in se propriam caliditatem.

Agens naturale duo requirit ad agendum.

Nota secundò, quòd ad hoc, quòd aliquod agens naturale agat, duæ requiruntur conditiones, prima quòd sit quantum, secunda quòd sit sub modo quantitatiuo, id est, circumscriptiuè sit in loco, vt diffusè explicauimus in 4. d. 10.

Ex hoc sequitur, quòd accidentia separata possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam dum erant substantiæ vnita poterant, ita docet Scotus in 4. distinct. 12. quæst. 3. & vide quæ ibi explicauimus.

EXPOSITIO TEXTVS.

19.
Text. 16.

QVoniam 1 autem determinatum est, &c. Iste est secundus tractatus huius secundi, in quo Aristoteles ostendit, quæ, & de quibus sit consideratio naturalis: & diuiditur in duo capitula. In primo ostendit, quæ sit consideratio naturalis, & quomodo differt à Mathematica. In secundo ostendit de quibus est consideratio naturalis, ibi, *Cùm autem natura.* Primum capitulum diuiditur: quia primò probat, quòd consideratio naturalis, & Mathematica non differunt. Secundò determinat veritatem, ibi, *De his igitur.* Primò proponit intentionem, scilicet quòd dictum est prius de quibus dicitur natura; nunc considerandum est quomodo differt naturalis à Mathematico, & hoc facit in proposito non in quantum naturalis; sed in quantum Metaphysicus, vel Logicus: quia ad nullam scientiam specialem spectat ponere differentiam inter se, & aliam scientiam; & ideò hoc stante, pertinet ad Logicam, vel Metaphysicam. Probat igitur, quòd consideratio naturalis & Mathematica non differunt, dupliciter: primò, quia illæ scientiæ non differunt, quæ de eisdem rebus considerant, sed Mathematica, & Physica de eisdem rebus considerant; ergo, &c. Maior patet; quia in 5. huius dicitur, *secantur igitur sensus, & scientia in res,* id est, scientiæ distinguuntur penes distinctionem rerum, de quibus dicuntur: & minor apparet; quia scientia naturalis considerat magnitudines, vt corpora, superficies, lineas, & puncta, quæ accidunt corporibus naturalibus, de quibus etiam considerat Mathematicus, vt patet in Geometria. Secundò, 2 quia Astrologia est quædam scientia Mathematica, & tamen est vna pars scientiæ naturalis: nam scientia naturalis habet considerare, quid sit Sol, quid Luna; & per consequens habet etiam considerare per se accidentia Solis, & Lunæ, quæ etiam considerat Astrologus. Tertiò, quia determinantes de naturalibus in scientia naturali, determinant de figura Solis, & Lunæ, vtrùm sint sphærica, & similiter vtrùm terra sit sphærica, & mundus sit sphæricus, an non; de quibus etiam considerat Astrologia; quod non esset nisi essent eædem scientiæ naturali. Text. 17.

Scientia specialis non ponit discrimen inter se, & aliam scientiam specialem.

20.
Text. 18.

De his igitur 3 negotiatur, &c. Hic determinat veritatem; & primò ponit conclusionem. Secundò remouet quendam errorem. & tertiò comparat scientias Mathematicas ad inuicem. Secundum ibi, *Latent autem qui hoc faciunt.* Tertium ibi, *Demonstrant autem.* Est igitur prima conclusio ista vnica capituli, quòd scientia [a] naturalis, & Mathematica differunt. Probatur; quia illæ scientiæ differunt quæ sunt de eisdem rebus secundùm aliam, & aliam considerationem, sed scientia naturalis, & Mathematica sunt huiusmodi; ergo, &c. Maior patet; quia diuersitas considerationis facit diuersitatem scientiarum, vt patet 6. Metaph. text. 1. & minor apparet; quia naturalis considerat corpora, superficies, & lineas, & puncta, vt sunt termini corporis naturalis, & dispositionis ipsius, sed Mathematicus ista considerat non secundùm quòd sunt dispositiones corporum naturalium, sed considerat ea, ac si essent separata à materia. Et si aliquis dicat, quòd Mathematici tunc faciunt mendacium: quia considerant ista, quasi essent abstracta à motu, & materia; quæ tamen sunt coniuncta materiæ. Respondet, quòd non faciunt mendacium: quia Mathematicus non considerat, vtrùm id, de quo demonstrat suas passiones, sit coniunctum materiæ, vel abstractum à materia: quia passiones quas demonstrat, æquè conuenirent eis si essent abstracta, sicut de facto conueniunt eis, cùm sint coniuncta, & ideò dicit Aristoteles in tertio de Anima, text. 35. quòd si aliquis intellexerit curuum carnis, ac si esset sine carne, sic Mathematicus considerat non separata, ac si sint separata.

Scientia naturalis, & Mathematica differunt.

Vide Zimara tabulam sub litera A.

Abstrahentium non est mendacium vide 3. de Anima, Text. 35.

21.
Text. 19.

Latent 4 autem, qui hoc faciunt. Hic remouet errorem illorum, qui ponebant ideas separatas, vt hominem separatum, & huiusmodi: quia si illa, de quibus magis videtur, quòd separentur à motu, & materia, non sunt separata, nec illa de quibus minùs videtur: sed magis videtur quòd Mathematicalia sint separata, quàm naturalia, & tamen Mathematicalia non separantur, igitur nec naturalia. Maior patet per locum à maiori: & prima pars minoris patet, si aliquis consideret terminos vtriusque sciẽtiæ, definiendo ipsos: nam isti termini, *par, & impar, rectum, curuum, linea, figura,* definiuntur sine motu, qui sunt termini Mathematici, sed isti termini *caro, os, simum, homo,* & huiusmodi non definiuntur sine motu, vel materia, & ideò minùs videtur, quòd ista sint separata, quàm alia, & secunda pars minoris patebit in quæstione.

Vide contradictionē Zimaræ.

22.
Text. 20.

Demonstrant 5 autem, &c. Hic comparat scientias Mathematicas ad inuicem. Vbi notandum sicut elicitur ex ista parte, quòd [b] quinque sunt scientiæ Mathematicæ, scilicet Arithmetica, &

Scientiæ Mathematicæ sūt quinque.

Geome

Geometria, quæ sunt purè Mathematicæ, eo quòd considerant de numero, & magnitudine simpliciter, non contrahendo considerationem de illis ad aliquam specialem scientiam, sed aliæ tres. scilicet Perspectiua, & Musica, quam vocat Harmonicam, & Astrologia sunt scientiæ mediæ inter purè Mathematicas, & scientiam naturalem, & ideò se habent quasi contrario modo in consideratione: nam Geometria considerat de ente naturali non in quantum est naturale, scilicet materiale, vel mobile, sed ea considerat, quasi si essent separata ab istis, sed perspectiua considerat lineam Mathematicam non secundùm considerationem abstractam, sed in quantum linea illa est sensibilis sensu visus. Similiter Musica considerat numerum non simpliciter, sed in ordine ad sonum. Similiter Astrologia considerat magnitudinem non quantum ad conditiones, quæ competunt magnitudini, si esset separata à motu & materia: sed considerat magnitudinem, quantum ad conditiones conuenientes sibi, vt mobilis est, & ideò considerat de magnitudine in relatione ad motum.

ANNOTATIONES.

23. [a] *Scientia naturalis & Mathematica differunt.* Nota quòd istæ scientiæ inter se differunt, quarum quælibet habet ab altera diuersum obiectum formale: & huiusmodi sunt Physica, & Mathematica, quia ratio formalis scientiæ Mathematicæ est abstractio à materia. Physicæ verò est considerare prout est in materia. Obserua tamen quòd materia est duplex, quædam sensibilis, quædam verò intelligibilis. Sensibilis est materia qualitatibus sensibilibus affecta, intelligibilis est quantitas ab omni sensibili qualitate abstracta, ex quo nascitur, quòd formæ sunt triplices, quædam Metaphysicæ, quales sunt ab omni materia tam sensibili, quàm intelligibili abstractæ, vt Intelligentia, & Deus ipse. Aliæ sunt formæ Mathematicæ, quæ quidem à materia sensibili abstrahunt, à materia verò intelligibili minimè, vt lines, & superficies. Aliæ sunt formæ Physicæ, & huiusmodi formæ à nulla prorsus ex prædictis abstrahunt materia, sed tantùm à singulari, ex quo etiam oritur, vt definitio formę in Mathematica detur per abstractionem à materia sensibili; definitio verò formæ Physicæ detur per materiam sensibilem, atque ita differant Physica, & Mathematica.

Formæ sunt triplices.

24. [b] *Quinque sunt scientiæ Mathematicæ.* Nota quòd scientiæ Mathematicæ, vt hîc ex Aristotele notat Scotus, sunt quinque: prima est Geometria, quæ agit de quantitate. Secunda Arithmetica, quæ agit de numero. Tertia est Musica, quæ agit de numero sonoro. Quarta est Perspectiua, quæ agit de linea visuali. Quinta est Astrologia, quæ agit de astris. Inter has quoddam versatur discrimen, duæ namque priores sunt puræ Mathematicæ, ita vt nullam mixtionem cum altera habeant scientia, agunt enim de re ab omni materia sensibili abstrahendo. Aliæ verò tres facultates sunt mixtæ & imperfectè Mathematicæ; quia differunt de re per considerationem materiæ sensibilis. Vnde habet Aristoteles quòd Astrologia non est principaliter Mathematica, sed potiùs Physica.

Scientiarum Mathematicarum discrimen.

25. Cæterùm aduerte, quòd quando dicimus Mathematicam abstrahere à materia sensibili, & non à materia intelligibili, sic intelligendum est, nimirum, quòd etiam in Mathematicis subiectum quoddam necessariò continetur non sensibile, sed intelligibile: magnitudo enim definiri nequit, quin ponatur substantia in eius definitione, licèt talis substantia, quæ vt subiectum ponitur in tali definitione, non sit sensibilis, vt animal, aut planta. Sed dices, quòd Aristoteles in hac ratione vel falsum supponit, vel est sibi ipsi contrarius: quia 12. Metaph. text. 44. docet Astrologiam esse expressè Mathematicam, & quod magis est Mathematica quàm Physica. Respondeo, quòd ex duplici capite potest scientia denominationem habere, primò ex parte circa quam versatur, & isto modo Astrologia est magis Physica, quàm Mathematica, quia magis versatur circa materiam sensibilem: & in hac acceptione loquitur Aristoteles in hoc secundo. Alio modo potest aliqua scientia denominationem sumere ex modo procedendi, & hoc modo Astrologia est magis Mathematica quàm Physica: quia seruat modum Mathematicum, & hoc pactu loquitur in Metaphysica.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm scientia naturalis differat à Mathematica.

Aristot. *hic cap* 2. & 3. & 6 *Metaph cap* 1. *text.* 2. Simplic & Themist. *hic*. D Thom. *ibid ad text.* 20 & *opusc* 70 Ferraren. *quæst.* 2. *huius libri*. Sonçin 6. *Metaph. quæst* 11. Fonseca *lib* 2. *Metaph. quæst* 5. *sect.* 5. Conimbric. 2 *Phys. cap.* 2. *quæst. vni. a.* Ruuius *ibid. in explicatione textus*. Roccus *quæst* 3.

Argvitvr quòd non: quia vtraque considerat de eisdem rebus, igitur non sunt distinctæ. Tenet consequentia per Aristotelem in tertio de Anima, text. 38. vbi dicit, quod secātur scientiæ quemadmodū & res. Et antecedens apparet secundo huius c. 3. text. 17. nam vtraq; considerat de magnitudine, lineis, & punctis, & Sole, & Luna, & eorū accidētibus propriis. 1.

Secundò, si differrent, hoc esset, quia Mathematica est de separatis à motu, & Naturalis non, sed propter hoc non: quia nulla est res in rerum natura, quin sit motus, vel principium motus actiuum, vel passiuum.

Tertiò, si differrent, hoc esset, quia Naturalia definit per motum, & Mathematicus non, vt dicit Aristoteles in isto secundo, text. 18. sed propter hoc non potest dici; primò, quia Naturalis definit motum, materiam primam, & primum motorē, & tamen non per motum, quia nullum istorum mouetur. Secundò, quia Mathematicus definit numerum per motum, quia dicit, quòd numerus est multitudo ex vnitatibus aggregata, modò aggregatio est quidam motus: similiter definit circulum per motum, scilicet per hoc, quòd omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam sunt æquales, modò ductio est quidā motus, ergo, &c.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo, text. 18. capitulis secundo & tertio. In quęstione primò videbitur, quæ scientia dicatur naturalis, & quæ Mathematica. Secundò quæ Mathematica pura, & quæ Mathematica media magis dicatur naturalis, quàm Mathematica. 2.

Diuisio quæstionis.

De primo notandum est, quòd scientia non dicitur naturalis, eo quòd insit à natura: quia

Scientia vnde dicatur naturalis.

quælibet ſcientia noſtra eſt acquiſita de nouo, vt patet 1. Poſterior. text. 2. Secundò non dicitur ſcientia naturalis, eo quòd ſit à cauſis naturalibus; quia ſic quælibet ſcientia diceretur naturalis, nam quælibet ſcientia eſt ab intellectu, vnà cum adiutorio ſenſus, & obiecto exteriori, quæ ſunt cauſæ naturales. Ideò dico quòd ſcientia dicitur naturalis, eo quòd eſt de rebus naturalibus ſub ratione, quæ dicuntur naturales, & eſt illa ratio, quà dicuntur naturæ, vel habentes naturam, vel ſecundùm naturam: ſed quia natura non dicitur abſolutè, ſed in comparatione ad motum, ideò res dicuntur naturales in ordine ad motum.

Eſt ergo ſubiectum in Phyſica ens naturale, ſeu corpus naturale.

3. Ex quibus ſequitur, quòd nullus terminus eſt de conſideratione naturalis, niſi qui eſt definibilis per motum, vel per aliquod æquiualens; patet, quia iſte terminus *motus* definitur per aliquod æquiualens, & quilibet alter terminus dicitur in relatione ad motum; & ideò ſi aliquis Author debet definire perfectè conceptus naturales, motus implicitus debet explicari. Sed obiicitur, quia iſti termini *homo*, *animal*, *albedo*, vel huiuſmodi, ſunt de conſideratione naturali, & tamen non ſunt connotatiui, immò abſoluti, & per conſequens in definitionibus ipſorum non oportet exprimere motum. Reſpondetur, quòd de iſtis terminis ſecundùm conceptum abſolutum eſt conſideratio Metaphyſica, ſed ſecundùm conceptum connotatiuum eſt conſideratio naturalis: quia naturalis non conſiderat hominem; niſi vt eſt mobilis, ſenſitiuus, intellectiuus, & huiuſmodi; ſimiliter non conſiderat albedinem, niſi vt albedo eſt immutatiua ſenſus, diſgregatiua viſus, & huiuſmodi: & ſic conſiderat iſtam in ordine ad ſuos motus & operationes.

4. Nunc ponitur illa concluſio. Nulla concluſio, cuius vterque terminus eſt naturalis, eſt Mathematica, vt patet de iſta: Omne compoſitum ex contrariis eſt corruptibile. Probatur, quia talis concluſio non poteſt probari per principia Mathematica, igitur non poteſt eſſe Mathematica. Probatur antecedens, quia principium [a] per quod probatur aliqua concluſio, eſt definitio ſubiecti, vel prædicati: modò cùm vterque terminus ſit naturalis, definitio non poteſt eſſe Mathematica, conſequentia patet, quia ſicut patet in 2. huius, text. 89. ſimile eſt de principio in ſpeculabilibus, ſicut de fine in practicis: modò res denominatur a fine, igitur concluſio habet denominari à principio, vt patet exercitatis, quia concluſio, terra eſt ſphærica, denominatur naturalis, quando probatur per principium naturale; & Mathematica, quando probatur per principium Mathematicum. Patet igitur, quæ ſcientia dicatur naturalis, & quæ concluſio dicatur de ſcientia naturali.

Scientia Mathematica unde dicatur.

Quantum ad ſecundum notandum, quòd ſcientia [b] dicitur Mathematica, non quia eſt de rebus abſtractis, aut inſenſibilibus; ſed quia eſt de rebus ſecundùm rationem menſuræ & menſurabilis; & quia ratio menſuræ, & menſurabilis eſt impertinens rationi motus, ideò dicitur, quòd Mathematica eſt de ſeparatis à motu ad iſtum ſenſum: quia propoſitiones, quas demonſtrat Mathematicus, non eſſent minùs veræ ſi omnino eſſent immobilia, quàm ſint de facto: verbi gratiâ, iſta concluſio, Proportio ſphærarum eſt proportio diametrorum, explicata non eſſet minùs vera, poſito quòd omnia eſſent immobilia, ſicut eſt de facto dum omnia, aut quædam mouentur.

5. Ex quo ſequitur, quòd in definitione termini Mathematici, debet poni aliquod exprimens rationem menſuræ, vel menſurabilis, vel ſaltem conſequentis menſuram; vt proportio conſequitur menſuram.

Secundò notandum, quòd quædam ſunt principia habita per experientiam, & illa ſunt principia naturalia; alia ſunt habita per naturalem inclinationem intellectus, & talia ſunt Mathematica; dum tamen exprimant rationem menſuræ, & menſurabilis, vt ſi ab æqualibus æqualia demas, &c.

Principia ſunt in duplici differentia.

Nunc ponitur iſta concluſio. Omnis propoſitio cuius vterque terminus eſt Mathematicus, eſt Mathematica. Probatur, quia nulla talis poteſt probari per principium naturale. Ex quibus ſequitur, quæ ſcientia ſit purè Mathematica, & quæ concluſio dicatur ſcientia Mathematica, & hæc de ſecundo.

Quantum ad tertium notandum, quòd ſicut ſunt aliquæ propoſitiones in quibus vterque terminus eſt naturalis, & aliæ in quibus vterque terminus eſt Mathematicus, ita ſunt quædam in quibus ſubiectum eſt de ſcientia naturali, & prædicatum de ſcientia Mathematica, & ſi fiat è conuerſo, tunc illa propoſitio propriè non eſt de aliqua ſcientia, niſi quatenus ſua conuerſa eſt de aliqua ſcientia: verbi gratiâ, nulla ſcientia probat talem concluſionem: *aliquis circulus eſt æneus, aliqua ſphæra eſt ferrea.*

Nunc ſit prima concluſio. Propoſitio cuius ſubiectum eſt terminus naturalis, & prædicatum terminus Mathematicus, non poteſt probari per ambo principia Mathematica. Probatur, quia ad probationem talis propoſitionis requiritur experientia alicuius ſenſus: verbi gratiâ, ad probandum iſtam, quòd multiplicatio luminis per medium diaphanum fit ſecundùm inceſſum rectum, requiritur experientia ſenſus. Similiter ad probandum iſtam, *cælum eſt ſphæricum*, vel etiam iſtam, *terra eſt ſphærica*; requiritur experientia ſenſus. 6.

Secunda concluſio. Talis concluſio poteſt probari per ambo principia naturalia. Patet de iſta, *cælum eſt ſphæricum*. Nobiliori corpori debetur nobilior figura, cælum eſt nobilius corpus, & figura ſphærica eſt nobilior figura, ergo, &c.

Tertia concluſio: Talis propoſitio probatur vt in plurimum per vnum principium naturale, & aliud principium Mathematicum, quorum principium Mathematicum ſemper eſt maior, & principium naturale minor. Probatur inductione in concluſionibus Mathematicæ mediæ: nam iſta concluſio, *Luna eſt ſphærica*, probatur ſic, *omne corpus quod creſcit, & decreſcit per circulum eſt figura ſphærica; ſed Luna creſcit, & decreſcit ſecundùm circulum, ergo Luna eſt ſphærica*. Maior eſt principium Mathematicum de ſe notum, & minor eſt habitum per experientiam. Similiter ad probandum iſtam: *Diapaſon eſt maius diapente*. arguitur ſic, omnis proportio dupla eſt maior ſeſquialtera; ſed diapaſon conſiſtit in proportione ſeſquialtera; maior eſt Mathematica, & minor eſt naturalis habita per ſenſum.

Sed obiicitur, quia ſi talis concluſio debet dici media, vel hoc eſt per abnegationem; & hoc non: quia ſcientia ſpeculatiua ſufficienter diuiditur in Mathematicam, diuinam, & naturalem, patet 6. Metaph. text. 1. Vel dicitur media per participationem, & hoc non, quia ſcientia eſt habitus ſimplex. Secundò: quia non contingit demonſtrantem 7.

monſtrantem deſcendere de genere in genus, vt pateт primo Poſteriorum text.56. igitur eadem concluſio non poteſt probari per principia diuerſarum ſcientiarum.

Ad primum dico, quòd dicitur [c] media per participationem ſic: quia partim probatur per vnam ſcientiam, & partim per aliam.

Ad ſecundum dicitur, quòd vterque terminus propoſitionis eſt de eadem ſcientia: patet igitur, quæ eſt Mathematica media, & quæ concluſio dicatur media, & quomodo, & hæc de tertio.

Scientiæ mediæ quare magis ab vno extremo denominentur.

Quantum ad quartum dico, quòd duæ ſunt cauſæ, propter quas Mathematica media, dicitur magis naturalis, quàm Mathematica, prima cauſa eſt, quia concluſio habet denominationem à principio, per quod probatur, & ideò potiùs denominatur à principio magis determinante & ſpecificante concluſionem: modò minor magis ſpecificat concluſionem quàm maior, & per conſequens magis eſt denominanda concluſio à minore, quàm à maiore: modò dictum eſt in tertia concluſione, quòd in probatione Mathematicæ mediæ minor eſt de ſcientia naturali, & per conſequens concluſio eſt magis denominanda naturalis, quàm Mathematica.

8. Secunda cauſa, quia concluſio potiùs eſt denominanda ab illo principio, quod ipſa ſequitur ſecundùm certitudinem, & dubitationem, ſed ſecundùm hoc ſequitur minorem, quæ eſt naturalis, & non maiorem, quæ eſt Mathematica; igitur potiùs denominanda eſt naturalis, quàm Mathematica; ſed quia principium probans concluſionem eſt copulatiua facta ex maiore, & minore, quæ non eſt certior, quàm pars eius, ſcilicet minor, igitur à minore, quæ eſt naturalis, ſumitur denominatio.

Sed contra iſtud obiicitur, quòd ab illa ſcientia magis eſt denominanda Mathematica media, cui ſubalternatur, quam ab illa, cui non ſubalternatur: modò Mathematica media ſubalternatur puræ Mathematicæ, vt patet 1. Poſt. tex.60. igitur ab illa eſt potiùs denominanda. Reſpondetur negando maiorem, & cauſa eſt: quia principium Mathematicum per quod probatur concluſio Mathematicæ mediæ, eſt concluſio ſcientiæ puræ Mathematicæ. Ideo ad ſciendum perfectè Mathematicam mediam, oportet ſcire totam puram Mathematicam; ſed non oportet cognoſcere totam ſcientiam naturalem; imò ſufficit cognoſcere aliqua principia eius. Ideo Mathematica media ſubalternatur puræ Mathematicæ, & non ſcientiæ naturali.

Ad rationes. Ad primam negatur maior. Ad probationem dico, quòd Ariſtoteles intelligit, quòd ſcientiæ ſunt [d] diuerſæ ſecundùm diuerſitatem rationum conſiderandi.

9. Ad ſecundam dico, quòd Mathematica eſt de ſeparatis modo prædicto, quòd concluſiones, quas demonſtrat Mathematicus, non eſſent minùs veræ, quam ſint de facto, poſito, quòd omnia eſſent immobilia, inſenſibilia, & immaterialia.

Ad tertiam ſi differrent hoc eſſet, &c. concedo. & quando dicitur, quòd naturalis, &c. Dico, quòd [e] naturalis definit motum per aliquod æquiualens, & aliter definit per motum in recto, vel in obliquo. Et quando dicitur de Mathematica; dico quòd Mathematica non definit per motum, niſi capiendo motum impropriè, & tranſumptiuè. Tunc de definitione numeri Mathematicos non curat, an ſit aggregatio, vel non; ſed ſufficit ſibi, quòd numerus ſit multitudo vnitatum, vel ex vnitatibus. Conſimiliter de definitione circuli; Mathematicus non curat verùm illæ lineæ ducantur, vel non, ſed ſufficit ſibi, quòd omnes illæ lineæ ſunt æquales, quarum vnus terminus eſſet ſicut centrum, & alius ſicut circumferentia circuli, & hæc de quæſtione.

ANNOTATIO.

[a] *Principium per quod probatur aliqua concluſio eſt definitio ſubiecti, vel paſſionis.* Nota quòd ideò loquitur Scotus disiunctiuè: quia duplex eſt opinio de medio demonſtrationis. Nam quidam ſentiunt medium in demonſtratione propter quid eſſe ſimpliciter paſſionis definitionem, quod probant per Ariſtotelem 2. Poſt. vbi per extinctionem ignis in nube demonſtrat ſonum in nubibus factum, vbi patet, quòd definitio eſt medium dicens propter quid. Scotus verò & ſequaces diſtinguunt demonſtrationem propter quid, nam quædam eſt potiſſima, quædam non potiſſima. Potiſſima demonſtratio eſt illa, ad quam tres requiruntur conditiones. Prima, quòd in eius concluſione prædicetur paſſio de proprio, & adæquato ſubiecto, vel aliquid, quod ſe habeat per modum propriæ paſſionis adæquatæ. Secunda conditio eſt, quòd illa paſſio neceſſariò & incorruptibiliter inſit ſubiecto: Tertia quòd procedat ex præmiſſis immediatis, quarum medium ſit proxima & vltima cauſa inhærentiæ paſſionis ad ſubiectum, vltra quam non contingat vlterius quærere: ſicut eſt demonſtratio, quæ eſt per cauſam finalem; per quam nedum effectum, ſed alias cauſas demonſtramus. Nam cùm finis ſit cauſa cauſarum. 2. Phyſicorum, text. 31. totius quæſtionis vltima reſolutio ſtabit ad cauſam finalem, quâ habitâ ampliùs non quæremus. Demonſtratio non potiſſima ea dicitur, in qua demonſtratur propria paſſio de ſubiecto per definitionem ipſius paſſionis, & in tali demonſtratione definitio paſſionis eſt medium. 10.

Opinio duplex de medio demonſtrationis.

Demonſtratio propter quid eſt duplex.

Cæterùm potiſſimæ demonſtrationis definitio paſſionis non eſt medium: quia medium in demonſtratione potiſſima facit ſimpliciter notitiam, ita vt ipſum in eſſe, ſiue in cognitione ab alio non dependeat, vt paſſionis definitio dependet in eſſe, & in cognitione à ſubiecto; quia à principiis ſubiecti, ſicut & paſſio cauſatur, atque adeò definitio paſſionis non poteſt eſſe medium in demonſtratione potiſſima, benè tamen poteſt eſſe medium in aliqua demonſtratione: quia dicit Ariſtoteles 1. Poſt. quòd ratio primi termini eſt medium in demonſtratione. Paſſio autem vno modo dicitur primus terminus, alio modo vltimus. Conſiderando namque ordinem prædicatorum ſic paſſio eſt primus terminus, quia prædicatur in demonſtratione, cùm ſit maior extremitas, & nunquam ſubiicitur. Conſiderando verò ordinem naturæ, ſic paſſio eſt vltimus terminus: quia paſſio poſterior eſt ſecundùm naturam ſubiecto, & etiam principiis ſubiecti, quia paſſio conſequitur ſubiectum ratione principiorum ſubiecti. Relinquitur ergo, quòd definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſſima. 11.

[b] *Scientia dicitur Mathematica, non quia eſt de rebus abſtractis, &c.* Nota primò, in qualibet ſcientia tria eſſe: videlicet paſſiones demonſtrandæ, 12.

In qualibet ſcientia tria ſunt.

causæ per quas demonstrantur, & subiectum de quo demonstrantur. Nota secundò, Physicam habere pro subiecto substantiam non quamlibet: non enim cuiuslibet substantiæ passiones, causásque speculatur, sed solùm illius quæ motus principium habet, & mutationibus sensibilibus est subiecta, erit igitur substantia de qua Physicus considerat, sensibilis, & naturalis. Mathematica verò habet pro subiecto accidens non quodcumque, sed illud quod ex se à mutatione non dependet, neque mutationis est causa, licèt interdum cum motu acquiratur, qualis est quantitas, eaque accidentia, quæ quantitatem sequuntur: est enim in cœlo quantitas, & figura non ex mutatione prouenientes, & de huiusmodi subiecto ostendit passiones, de accidentibus verò mutationi obnoxiis, quales sunt qualitates corporis ad Physicam pertinet disputatio.

Scientia Mathematica sunt in duplici differentia.

c *Astrologia dicitur scientia media*, &c. Nota primò, quod scientiæ Mathematicæ sunt in duplici differentia: quædam quæ huiusmodi accidentia in vniuersali cognoscunt, vt quæ agit de figura in communi absque eo, quòd determinet in qua sit materia, & huiusmodi dicuntur puræ Mathematicæ; quædam agunt de eisdem accidentibus in particulari, id est, de illis, quæ sunt in aliquo corpore; veluti Astrologia, quæ agit de figura, & motu cœli, & tales dicuntur Mathematicæ mediæ. Obserua tamen, quòd quamuis huiusmodi mediæ scientiæ Mathematicæ tractent de huiusmodi accidentibus in aliquo subiecto, & in substantia existentibus, non agunt de ipsis quatenus in tali existunt subiecto; sed de ipsis secundùm se, ac si in subiecto non essent.

13. d *Scientiæ sunt diuersæ secundùm diuersitatem rationum considerandi.* Nota quòd licèt Physica, & Mathematica conueniant in re considerata, non tamen conueniunt in subiecto: nam quamuis Physicus agat de accidentibus, de quibus & Mathematicus, agit tamen de illis prout substantiis naturalibus competunt, Mathematicus autem tractat de illismet, vt aliquæ passiones ipsis accidentibus, vt talia sunt, competunt, atque adeò sunt diuersa subiecta Physicæ & Mathematicæ, quia Physicus habet pro subiecto substantiam, de qua demonstrat motus, & cæteras passiones, Mathematicus verò habet quantitatem pro subiecto, tractátque de motu quatenus est quoddam quantum, & demonstrat de quantitate passiones, & per consequens quamuis Physicus tractet de quantitate, & motu, hinc non sequitur idem habere subiectum, & ex hoc sequitur intellectus illius dicti communis innuentis differentiam inter Mathematicam, & Physicam, videlicet, Mathematicum, & Physicum non differre in re, sed in modo considerandi eandem rem, quamuis enim vterque de quantitate agat, tamen Physicus agit de illa, vt de passione sui subiecti, Mathematicus verò, vt de subiecto suarum passionum.

14. e *Physicus & Mathematicus differunt in modo definiendi.* Nota quòd in scientiis definiuntur & subiecta, & passiones, sed diuersimodè à Mathematico, & Physico definiuntur: quia Physicus definit per materiam sensibilem, motuique subiectam: Mathematicus verò definit sine sensibili motuique subiecta materia. Nam Physicus definit passiones per materiam, vt per subiectum, non tamen tanquam per partem rei definitæ, vt si definiat iram, dicens: Ira est ascensus sanguinis circa cor: definit etiam subiectum per materiam, vt per partem substantiæ, & sic definit hominem per corpus. Scientiæ autem Mathematicæ, quarum materia est quantitas: quia sicut materia, & forma substantialis efficiunt ens naturale, sic etiam quantitate, & figurâ fit ens Mathematicum, verbi gratiâ, triangulus, vel quadrangulus. Vnde Mathematica per hanc suam materiam ostendit & subiectum, & passiones, vt *par*, & *impar* per numerum, triangulum per lineam, &c.

Ex his sequitur primò, quòd Physicus, & Mathematicus differunt etiam in modo demonstrandi, quia Physicus frequentiùs vtitur *demonstratione quia*, id est, qua procedit ab effectu ad causam: quia eius causæ frequentiùs sunt occultæ. Mathematicus autem à priori frequentiùs procedit: quia eius causæ sunt effectibus notiores: quia cùm abstrahat à sensu, & id sit notius intellectui, quod est prius, causæque sint priores effectibus, efficitur vt per causas frequentiùs demonstret.

Secundò sequitur, quòd Mathematica est certior scientia quàm Physica: quia effectus Physici non semper, & indubitanter eueniunt, sed aliquando fit defectus; ratio est, quia cùm materia ex qua res constant, sit multorum receptiua; impediri potest multis distracta, à qua cùm res mathematicæ abstrahant, simpliciter sunt necessariæ. Semper enim triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, non tamen semper homo habet oculos, duos pedes, manus, sed aliquando inest in his defectus.

EXPOSITIO TEXTVS.

Cum autem 1 natura duplex sit. Hoc est secundum caput huius tractatus, in quo Philosophus ostendit de quibus est consideratio naturalis, & primò ostendit quòd naturalis habet determinare de materia, & forma. Secundò ostendit vsque ad quantum habent determinare de forma, ibi, *Quousque ergo Physicum.* Item primò probat conclusionem duabus rationibus; secundò mouet dubitationem: tertiò adducit alias rationes: & quartò ostendit specialiùs, quòd naturalis habet determinare de materia; & quintò specialiter, quòd naturalis habet determinare de forma. Secundum ibi, *Etenim iam & de hoc.* Tertium ibi, *Si autem ars imitatur naturam.* Quartum ibi, *Quoniam & faciunt.* Quintum ibi, *Amplius eorum, quæ ad aliquid.* Est igitur prima conclusio ista: quòd scientia naturalis habet determinare de materia, & forma. Probatur: quia naturalis habet determinare de natura; igitur naturalis habet determinare de materia, & forma, & huius rationis solùm ponit minorem. Secundò probatur: quia consideratio naturalis, est sicut consideratio de simo, sed consideratio de simo non est consideratio de materia tantùm, nec de forma tantùm, sed est de forma, vt est in determinata materia, igitur consideratio naturalis non est solùm de materia, sed de forma & materia simul. 15. Text. 21.

Naturalis habet determinare de materia & forma.

Vide Zimaram in tab. lit. N. fol. 184. col. 2.

Et enim iam 2 & de hoc. mouet dubitationem: quia ex quo materia, & forma sunt duæ naturæ, & fit vnum tertium compositum vtriusque, scilicet compositum ex materia, & forma, de quibus Text. 22.

tribus

Vide digressionem Auer. super isto num.

tribus est scientia naturalis, & ideò dubium est vtrùm de istis debeat considerari secundùm vnam partem scientiæ naturalis, vel de vna secundùm vnam partem; & de alia secundùm aliam. Et ratio dubitationis est ista: quia respicienti in antiquos, id est, in libros antiquorum tota considerariu apparebit de materia, excepto quòd in modica parte Empedocles, & Democritus tetigerunt formam, & *quod quid erat*, esse aliquam partem.

16. *Si autem ars imitatur naturam.* Hic adducit alias rationes ad conclusionem, & sunt duæ. Secunda ibi, *Insuper eiusdem est.* Secunda ratio est de ista, quòd sicut est in artificialibus; ita debet esse in naturalibus, sed in artificialibus artifex habet considerare & materiam, & formam sui operis; igitur similiter & in naturalibus. Maior patet per simile: quia ars [a] imitatur naturam; & minor apparet. Nam Medicus, qui est Artifex, secundùm artem considerat sanitatem, quæ est forma sui operis, & considerat quatuor humores, scilicet choleram, phlegma, sanguinem, & melancholiam; quæ sunt materia sui operis. Vnde notandum, quòd Aristoteles in probatione suæ minoris addit, quòd in artificialibus artifex habet cognoscere materiam vsque ad huc, id est, non resoluit materiam in omnia, in quæ resolubilis est. Vnde domificator non curat, an lignum sit compositum ex elementis, siue ex materia, & forma, an sit omnino incompositum. Et ratio est: quia nulla est ars communis omnibus artibus; quia si esset aliqua, oporteret illam priùs addiscere, quàm addisceretur aliqua ars particularis; sed scientia naturalis resoluit materiam in omnia, in quæ resolubilis est, eo quòd est vna scientia naturalis communis omnibus rebus naturalibus.

Text. 23. *Insuper 3 eiusdem est.* Hic ponitur tertia ratio ad conclusionem: quia eiusdem scientiæ est cognoscere finem, & ordinata ad finem, sed forma est finis materiæ; igitur eiusdem scientiæ, &c. Sed ad scientiam naturalem pertinet determinare de altero istorum, igitur & de vtroque. Maior nota est, & minor apparet: quoniam quorum est aliquis continuus motus, illud est finis motus, quod est vltimum, & gratia cuius ille motus fit, & apponitur finit gratià cuius: quia non omne [b] vltimum est finis, sicut vltimum proueniens ex necessitate materiæ, scilicet mors, sed vltimum, & optimum, gratia cuius aliquid fit, est finis.

17.
Text. 24. *Quoniam & 4 faciunt artes materiam.* Hic ostendit, quòd naturalis habet considerare de materia, & est secunda conclusio capituli. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, sed in artificialibus artifex habet cognoscere materiam: igitur & in naturalibus; maior patet per simile, & minor per diuersitatem entium. Nam [c] quædam sunt artes materiæ, vt ars factiua laterum: aliæ sunt operosæ, id est, disponunt materias factas per additionem, vel subtractionem, vt ars dolatiua lignorum; aliæ sunt vsuales, quemadmodum nos vtimur omnibus artefactis propter nos: quia nos [d] sumus quodammodo finis omnium, non finis qui est vltimum transmutationis, sed finis, gratia cuius alia sunt, & ordinantur. Sed, duæ sunt artes vsuales, quædam vtens, & cum hoc operans, & dicitur vtens: quia vtitur materia facta, & disposita, dicitur operans: quia inducit aliam formam substantialem, sed alia est ars vtens tantùm, & illa est architectonica, id est, principalior: modò per istam distinctionem patet minor: quia in qualibet dictarum artium artifex cognoscit materiam suæ artis, sed architectonica magis cognoscit formam, sicut gubernator nauis cognoscit, cuius figuræ debeat esse remus, sed ex quo ligno debeat esse cognoscunt melius artes subseruientes sibi. Et subdit Aristoteles, quòd licèt simile sit de artibus, & naturalibus, tamen in hoc est differentia, quòd in artificialibus faciamus materiam propter opus, sed in naturalibus materia est, id est, præsupponitur.

Vide Zimaram in tabul. lit. H. fol. 172.

Nos sumus quodammodo finis omnium.

Text. 25.

Vide contradictionem Zimaræ.

18.
Text. 26. *Amplius eorum 6 quæ ad aliquid.* Ponitur tertia conclusio, quòd ad naturalem spectat consideratio de forma: probatur, quia ad quem spectat consideratio vnius relatiuorum, & ad eundem etiam spectat consideratio reliqui; sed ad naturalem spectat consideratio de materia, vt dicitur in relatione ad formam; ergo, &c.

Quousque ergo Physicum oportet, &c. Hic ostendit vsque ad quantum spectat determinare de forma ad naturalem, dicens quòd sicut medicus habet considerare neruum, & faber æs: ita naturalis habet considerare formam: nam medicus considerat neruum quantum ad omnes formas eius vsque ad vltimam formam, quam ipse intendit, scilicet sanitatem, ita similiter naturalis habet considerare omnes formas vsque ad vltimam formam, existentem tamé in materia, quam vocat separatam, existentem tamen in materia, ista est forma humana, quæ dicitur separata: vel quia non educitur de potentia materiæ, vel quia non exercet suam operationem mediante determinato organo corporeo: sed dicitur existens in materia, quia informat materiam, licèt non educatur de potentia materiæ. Et tunc respondet cuidam dubio: quia ex quo forma hominis est separata, non videtur, quòd naturalis debeat de ipsa considerare, cùm consideratio naturalis non sit de separatis, vt patuit capitulo præcedenti. Respondet Aristoteles, quòd immò, quia de omni forma generata ex materia habet considerare naturalis: sed forma hominis est generata ex materia: quia homo generat hominem ex materia, & Sol; & de isto dubio non posuit in textu, nisi probationem minoris, & subdit Aristoteles quòd quomodo forma sit separabilis, & quæ sit forma separata, pertinet ad Metaphysicam.

Sol, & homo generant hominem.

ANNOTATIONES.

19. [a] ARs imitatur naturam. Nota primù, quòd ars dupliciter imitatur naturam, Primò in fine, ita habet Aristoteles 1. Ethicorum cap. 1. & 2. Cœli cap. 5. Quemadmodum enim natura facit de possibilibus, quod optimum est, & id, quod melius est, ita & ars. Secundò imitatur naturam in mediis tendentibus ad finem; & in modo consequendi finem; nam quemadmodum agens naturale producit formam in materia disposita, ita artifex inducit formam in materia ab eodem præparata.

Ars bifariam naturam imitatur.

Secundù nota, quòd hæc propositio, *Ars imitatur naturam*, potest habere triplicem sensum. Primus sensus est, quòd effectus artis, siue ipsa artificialia, similia sunt naturalibus. Secundus sensus, quòd agens per artem, imitatur agens per naturam. Tertius sensus est, quòd forma artis est similis formæ naturali. Primus sensus est verus, præcipuè in artibus, quæ versantur circa res

factas, vt ars pingendi, & faciendi ſtatuas: ratio eſt, quia forma ſpecifica, cùm non percipiatur ſenſu per figuram diuerſam oſtenditur meliùs, quàm per quæcumque alia accidentia, & ideò quamuis ars non imitatur naturam, producendo per artem formam ſpecificam; ſatis eſt, quòd imitetur ipſam exteriorem figuram, producendo ſimilem figuræ exteriori rei naturalis. Secundus ſenſus etiam eſt verus: quia artifex imitatur agens naturale in modo operandi, quæ ſimilitudo in duobus conſiſtit: primò quòd ſicut agens naturale producit effectum ſibi ſimilem in forma, ita artifex producit effectus ſimiles idolis, & imaginibus in mente artificis exiſtentibus, & ſecundùm eas imagines operatur: quapropter dicit Ariſtoteles, quòd domus ad extrà fit à domo ab intra. Secundò, quòd artifex diſponit materiam incipiẽdo ab imperfectis, quemadmodum agens naturale. Tertius ſenſus ſimiliter eſt verus, quòd ſcilicet forma artis eſt ſimilis formæ naturali aliquo modo: producit enim ars ſibi ſimilem effectum, ſicut & natura licèt in arte non ſit ſimilitudo ſpecifica in effectu facto ab arte, cum ipſa arte ſecundùm quam fit.

20. b *Non omne vltimum eſt finis.* Nota quòd ex hac ratione elicit Ariſtoteles, quòd Philoſophus ille Euripides (vt Philoponus explicat) errauit aſſerens mortem eſſe finem: eſt enim operatio finis hominis, vt habet Ariſtoteles 2. Cœli cap. 3. tex. 6. Ratio eſt quia finis debet eſſe optimus, ſed mors non eſt optima: quia eſt corruptio, immò vt habet Ariſtoteles 5. Metaph. tex. 21. eſt vltimum malorum, atque adeò mors non poteſt habere rationem finis.

Artium diuerſitas explicatur.

c *Quædam ſunt artes materiæ, &c.* Nota, artes mechanicas multipliciter ſe habere; quædam enim circa materiam verſantur, quædam circa formam: & ex prioribus quædam ſunt operatiuæ, quales ſunt facientes materiam, vt ars conficiendi lateres; aliæ ſunt artes paulo altiores, & ſunt, quæ non faciunt materiam, ſed alteri arti præparant, vt faber lignarius præparat ligna ad naues conſtruendas. Ex poſterioribus autem quædam ſunt quas architectonicas vocant, id eſt, imperantes, & dominantes artibus verſantibus circa materiam, & ex his quædam verſantur circa formam, quædam verò circa vſum talis formæ. verbi gratiâ, ars nauifactiua verſatur in conficienda naui, ars verò nauigandi vtitur naui, & dicitur vſualis Hæ artes ſic ſe habent, quòd vſualis eſt præcipua, & architectonica reſpectu artis conficiendi nauem: præcipit enim artifici nauis, vt hoc, aut illo modo illam conficiat, & ars conficiendi nauem eſt architectonica reſpectu artis, quæ præparat ligna: præcipit enim fabro quo pacto ſcindere, dolatéque debeat ipſa ligna. Faber igitur conſiderare debet an ligna ſint apta vt taliter dolentur, vt in ipſis talis forma introduci valeat.

21. d *Nos ſumus quodammodo finis omnium.* Nota, quòd reddens Ariſtoteles rationem, quare ſint quædam artes materiam facientes, quædam verò diſponentes ad formam, quædam ipſam formam fabricantes, & quædam vſuales; dixit rationem eſſe, quòd nos ſumus quodammodo omnium finis, atque adeò omnibus rebus vti debemus: & ratio eſt, quia omnes res inanimatæ ſunt propter plantas, & plantæ propter bruta, & propter hominem bruta. Obſerua tamen duplicem eſſe finem, quidam eſt finis *cuius*; alius eſt finis

Finis eſt duplex.

quo: finis *quo* eſt ille, quo conſequitur aliquid: finis *cuius* eſt ille cuius gratiâ præparatur res à naturâ, qui dicitur cauſa finalis: verbi gratiâ, ſeruus habet duplicem finem, alterum *cuius*, éſtque dominus: quia gratiâ domini operatur. Alter eſt finis *quo*, & eſt obſequium ipſius ſerui. Vnde ſuppoſitâ hac diſtinctione, quando Ariſtoteles dixit operationem eſſe finem hominis, loquebatur de fine *quo*; quando verò hic appellauit hominem finem omnium, loquitur de fine *cuius*: quia omnia ſunt propter hominem.

EXPOSITIO TEXTVS.

Determinatis 1 autem his, conſiderandum eſt de cauſis, & quæ & quot numero ſunt. Iſte eſt tertius tractatus huius ſecundi, in quo Philoſophus determinat de cauſis per ſe rerum naturalium, & diuiditur in duo capitula: in primo diſtinguit genera, & in ſecundo determinat de modis cauſarum, ibi, *Modi autem cauſarum.* Primum diuiditur: quia primò præmittit intentionem. Secundò proſequitur ibi, *Vno igitur modo.* Primò igitur ponit iſtam concluſionem: Ad ſcientiam naturalem pertinet determinare de omnibus cauſis, quę & quot ſunt, quia ad illam ſcientiam pertinet determinare de cauſis, quæ & quot ſunt, quæ eſt gratia ſciendi: ſed ſcientia naturalis eſt gratia ſciendi; igitur &c. Maior eſt nota: quia res non ſcitur perfectè antequam cognoſcamus ipſam quantum ad primam cauſam eius, & quantum ad propinquiſſimam cauſam, & cum hoc ſecundùm omnes cauſas intermedias; & ideò iſto modo determinandum eſt de generatione, & corruptione, & omni mutatione naturali, reducendo ipſas in ſua principia, & determinando dubitabilia de eis. Et minor apparet ex 6. Metaphyſicę, tex. 1. quia ſcientia naturalis eſt ſcientia ſpeculatiua, quæ procedit per cauſas. Sed contra maiorem obijcitur: quia conſimiliter probaretur, quòd Mathematica debet determinare de cauſis, quæ & quot ſunt: quia ipſa eſt gratia ſciendi. Reſpondetur, quòd non: quia Mathematica demonſtrat per vnam ſolam cauſam, ideò in maiori debet addi, quòd illa debet conſiderare de cauſis, quæ eſt gratia ſciendi ſecundùm omne genus cauſæ. 22. Text. 17.

De generibus & modis cauſarum.

Vno 2 igitur modo. Hìc proſequitur, & primò diſtinguit genera cauſarum. Secundò ponit quaſdam proprietates ipſarum, & tertiò, illas proprietates reducit ad quatuor genera. Secundum ibi: *Accidit autem cùm multipliciter dicantur cauſæ.* Tertium ibi: *Omnes autem nunc dictæ cauſæ.* Dicit igitur, quòd vno modo dicitur cauſa a illud ex quo fit aliquid cùm inſit, & oportet addere ex quo præſuppoſito, ad differentiam formæ: & exemplificat, ſicut æs eſt cauſa ſtatuæ, & argentum cauſa phialæ, *& horum genera*: & hoc exponitur quòd non ſolùm cauſa dicitur de nomine ſpeciali ſignificante cauſam: immò etiam de nomine generali, ſicut dicitur ita benè, quòd metallum eſt cauſa ſtatuæ materialis, ſicut dicitur quòd æs eſt cauſa ſtatuæ, & in hoc tangitur cauſa materialis. 23. Text. 28.

Cauſa quid.

Alio modo ſpecies & exemplum, & ratio quod quid erat eſſe eſt cauſa, id eſt, alio modo forma b dicitur cauſæ, quæ forma dicitur ſpecies: quia per ipſam res ponitur in determinata ſpecie, & vocatur exemplum, eo quòd ſicut ad inſtar fit aliquid ſimile, ita per formam compoſitum eſt natum generare ſibi ſimile ſecundùm ſpeciem, & quod quid

Vide Zimaram in tabulis F. fol. 141. col. 2.

quid erat eſſe dicitur forma, id eſt, partes definitionis poſſunt dici formæ, & hoc valde impropriè capiendo formam; ſicut duo, & vnum poſſunt dici forma huius, quod eſt diapaſon, quæ conſiſtit in proportione duorum ad vnum. Conſimiliter partes poſitæ in definitione poſſunt dici formæ iſto modo, & hoc eſt valde impropriè.

24. *Text. 29.* Tertio modo 3 cauſa efficiens dicitur [c] cauſa, quam Ariſtoteles vocat illud vnde eſt principium motus, aut quietis, & hoc effectiuè: & exẽplificat in voluntariis vt conſilians dicitur cauſa, ſimiliter in naturalibus, vt pater dicitur cauſa filij, & omnino faciens dicitur cauſa facti.

Quarto modo finis [d] dicitur cauſa, ſcilicet finis gratia *cuius* fit aliqua operatio: vt verbi gratiâ, ſanitas dicitur cauſa finalis ambulandi, & probat Ariſtoteles quòd finis eſt cauſa: quia de fine eſt magis dubium, quàm de aliis: quia illud eſt cauſa per quod conuenienter reſpondetur ad quæſtionem, quærentem propter quid: modò per finem conuenienter reſpondetur ad quæſtionem quærentem propter quid, vt ſi dicatur propter quid iſte laborat? conuenienter reſpondetur, propter ſanitatem; & ſubdit Ariſtoteles, quòd omnia intermedia ad aliquem finem, quibus ſcilicet acquiritur finis, poſſunt dici fines, vt purgatio, macies corporis, potio medicinalis, & organa corporis poſſunt dici fines ſanitatis, eo quòd mediantibus iſtis acquiritur finis principaliter intentus, ſcilicet ſanitas: ſed iſti fines medij differunt ab inuicem: quia ipſorum quædam ſunt opera, & quædam organa, & tandem recapitulat in fine, quòd tot ſunt cauſæ, & tot modis dicuntur.

Text. 30. *Accidit autem cùm 4 multipliciter dicantur cauſæ.* In iſta parte ponit quaſdam proprietates cauſarũ, & ſunt tres. *Proprietates cauſarum ſunt tres.* Prima eſt comparãdo diuerſas cauſas ad eundem effectum, ſcilicet, quòd [e] eiuſdem effectus diuerſæ ſunt cauſæ, non ſolùm loquendo de cauſis per accidens, immò etiam loquendo de cauſis per ſe: ſed ſtatuæ factor eſt cauſa efficiens. *Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſa.* Secunda proprietas eſt comparando diuerſas cauſas ad inuicem, quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, vt labor eſt cauſa effectiua ſanitatis, & ſanitas eſt cauſa finalis laboris. Tertia proprietas eſt comparando eandem cauſam ad diuerſos effectus, ſcilicet, quòd [f] eadem eſt cauſa contrariorum effectuum. Sicut nauta per ſui præſentiam eſt cauſa ſalutis, & per eius abſentiam eſt cauſa ſubmerſionis. Sed contrà, quia abſentia nautæ non eſt cauſa ſubmerſionis, niſi ſit cauſa efficiens, & tamen fortè nauta dormit tempore ſubmerſionis, igitur tunc non efficit eam. Reſpondetur, quòd hoc eſt impropriè dictum, Nauta per eius abſentiam eſt cauſa ſubmerſionis, ſed per hoc non datur aliud intelligi, niſi habitus priuationi contrarius, ſicut ſi nauta fuiſſet præſens, fuiſſet cauſa ſalutis.

25. *Text. 31.* *Omnes autem 5 nunc dictæ cauſæ.* Reducit omnes cauſas in prædicta quatuor genera, quæ Ariſtoteles vocat modos manifeſtiſſimos propter eorum communitatem, *Cauſarum quatuor genera.* verbi gratiâ, elementa, id eſt, litteræ ſunt materia ſyllabarum, & illud ex quo fiunt vaſa, eſt materia vaſorum, & ignis, & huiuſmodi corpora ſimplicia ſunt materia mixtorum, & partes ſunt quodammodo materia totius, & ſuppoſitiones, id eſt, principia ſunt materia concluſionis; & hoc eſt verum non ſecundùm ſe tota, ſed ſecundùm extrema ipſorum: nam concluſio cõponitur ex extremis principiorum. Poſtea reducit aliqua ad cauſam formalem dicens, quòd harum, id eſt, cauſarum quædam ſunt ſicut ſubiectum, vt partes, & aliæ ſunt ſicut forma, vt totum, & compoſitio & ſpecies; *Vide contradictionem Zimaræ.* & vocatur forma totum, eo quòd per ipſam totum eſt hoc aliquid in actu; & compoſitio vocatur forma artificialis, & ſpecies, id eſt, forma naturalis, per quam ponitur in determinata ſpecie. Poſtea reducit aliqua ad cauſam efficientem, dicens, quòd ſemen eſt cauſa efficiens, ſcilicet illius, quod producitur ex ſemine: & exemplificat in voluntariis, vt Medicus, aut conſilians, & omnino faciens dicitur principium mutationis, aut quietis, vel motus reſpectu facti, *Vide Zimaram in tabul. litt. B.* & ſic non ſolùm illud dicitur cauſa efficiens, quod producit, vel efficit, ſed etiam illud, quod præparat, vel diſponit aliquod, quod producit, & ſic pater tuus dicitur cauſa efficiens tui, licèt mortuus fuerit in tui productione. Poſtremò reducit aliqua ad cauſam finalem dicens, quòd aliquæ cauſæ ſunt ſicut finis, & ſemper habent rationem alicuius boni, & ideò finis eſt cauſa potiſſima aliarum cauſarum. *Idem ſup. text. 31 & 2. Metaph. text. 8. & 5. Meta. text. 3.* Nec refert ad propoſitum, ſi illud ſit ſecundùm veritatem, ſiue apparens bonum, & per hoc innuit Ariſtoteles differentiam inter naturalia, & artificialia: nam in naturalibus ſemper finis eſt verum bonum exiſtens; ſed in voluntariis eſt quandoque bonum apparens. *Ex hoc ſumitur, quòd finis eſt nobilior his quæ ſunt ad finẽ, & quod habet rationem optimi.* Et ſubdit Ariſtoteles quòd cauſæ ſunt iſtæ, & tot ſpecie: nec obſtat, quòd priùs dicantur genera: quia idem poteſt dici genus, & ſpecies reſpectu diuerſorum. *Idem 2. Metaph. text. 8. & 5. text. 3.*

ANNOTATIONES.

[a] V*No modo dicitur cauſa illud ex quo fit aliquid cùm inſit.* Nota, quòd nomine materiæ Ariſtoteles intelligit omne receptiuum formæ, ſiue materia prima, ſiue ſecunda ſit; vt aurũ eſt cauſa materialis vaſis, & materia prima eſt cauſa materialis auri. 26. Vnde obſerua, quòd cauſa materialis tribus modis poteſt conſiderari eſſe cauſa, quibus non eſt cauſa. Primo modo, quia producit formam, & hoc non ſibi, ſed efficienti cauſæ competit Secundo modo, quia dat eſſe formæ, & iſto etiam pacto non eſt cauſa. Tertio modo, quia forma ordinatur ad materiam tamquam ad finem, nec ſic eſt cauſa: quia forma eſt finis materiæ, & non è contra, vt præcedenti capite docuit Ariſtoteles. *Materia duplex eſt cauſalitas.* Quapropter duplicem poteſt materia cauſalitatem habere: prima eſt recipere in ſe formã, eámque ſuſtentare: & ratio huius eſt, quia materia ex natura ſua, eſt potentia paſſiua; proprium autem potentiæ paſſiuæ eſt in ſe recipere, atque adeò proprium eſt materiæ in ſe aliquid recipere. Verum quoad hanc cauſalitatem diuerſimodè ſe habet materia reſpectu formarum corruptibilium, & incorruptibilium; in ordine namque ad formas corruptibiles ſic ſe habet, quòd eas ſuſtinet quantum ad eſſe, earúmque conſeruationem, & quantum ad informationem. Dependent igitur formæ corruptibiles à materia in ſuo eſſe, & conſeruatione, ita vt materia deſtructa, deſtruatur & forma. Secundò dependent à materia in informatione, ita vt nequeant officium formæ exercere abſque materia. Cæterùm reſpectu formarum incorruptibilium materia ſolùm ſe habet quoad informari ab eis, vt in anima rationali videre licet: quia ſolùm à

mate

materia dependet quantum ad informationem; ex eo quòd non potest forma officium exercere absque materia, non tamen ab ea dependet in esse, & conseruari.

27. Secunda causalitas materiæ est limitare, & restringere formæ amplitudinem: quælibet namque forma absque materia est ferè infinita, & indeterminata; quia potest in qualibet materia recipi. Determinatur verò à dispositionibus ipsius materiæ, vt forma. Verbi gratiâ, ignis de se in qualibet potest esse materia, si tamen determinatur ad hanc materiam, hoc est ratione dispositionum in hac materia existentium.

Causa formalis duas causalitates habet. b *Alio modo forma dicitur causa.* Nota, quòd causa formalis duas causalitates habet in munere Physico: prima est trahere rem de potentia in actum, eo quòd nulla res ante aduentum formæ potest esse actualis, lignum etenim nequit esse cathedra absque cathedræ forma: neque materia, verbi gratiâ, seminis potest esse leo absque leonis forma. Huius rei ratio est, quia omnis *Forma duos habet effectus.* actus, speciésque ex parte formæ se tenet. Ex hac causalitate elicitur formam duos habere effectus, primus est constituere intrinsecè speciem: secundus, quòd ab ea sumatur differentia constitutiua speciei: cùm enim ad hoc, quòd aliqua res de potentiali esse ad actuale procedat, sibi opus sit formâ, sequitur, quòd forma, quæ speciei præstat, atque communicat esse actuale: vnde in definitione ponuntur partes formæ, & non materiæ, non sic quòd materia non sit de quiditate speciei; sed sic quòd natura speciei constituta ex materia, & forma communi habet se vt forma respectu indiuiduorum talem naturam participantium: & hoc est quod hic dicitur, quòd partes quæ ponuntur in definitione, pertinent ad causam formalem. Secunda causalitas formæ est, quòd forma limitat materiam: habetur enim 3. Physic. text. 59. quòd materia est infinita in potentiâ: quia potest infinitas formas recipere: illa autem potentialitas determinatur per formam superuenientem, & ita materia constituitur per formam in determinata specie, verbi gratiâ, hominis, vel leonis.

28. c *Tertio modo efficiens dicitur causa.* Nota quòd *Efficientia sunt triplicis generis.* causalitas efficientis est efficere rem secundùm totam substantiam, vel secundùm partem, vel secundùm accidens; vnde tria sunt agentia effectiua. Primum est quod producit rem secundùm totam substantiam, vt prima causa, qui est Deus ipse. Secundum est, quod producit secundùm partem, vt causæ naturales. Tertium est quod producit formam accidentalem, vt quando ignis calefacit aquam, producit in aqua calorem solùm. Sumitur aliter causæ efficientis diuisio, videlicet, quòd sit quadruplex, perficiens, præparans, adiuuans, consilians. Causa perficiens est, quæ dat complementum motui, sic quòd introducit formam substantialem in generatione. Causa præparans, seu disponens est, quæ aptat materiam, seu subiectum ad vltimum complementum. Adiuuans est, quæ non ad proprium, sed ad alterius finem operatur. Consilians inuenitur in his, quæ agunt ad propositum, & quæ dant agenti formam per quam agit: agens námque à proposito agit per suam scientiam, quam consilians sibi tradit.

29. *Finis ad duo potest comparari.* d *Quarto modo finis dicitur causa.* Nota, finem comparari posse ad agens propter finem, & ad media quibus finis comparatur, & secundùm hanc duplicem comparationem possumus in fine duplicem causalitatem considerare; prima causalitas in ordine ad agens est mouere ipsum agens ad operandum: quasi si finis imprimeret inclinationem quandam in ipso agente, ratione cuius moueretur ad prosequendum finem, vt sanitas mouet infirmum ad sui prosecutionem. Secunda causalitas in ordine ad media stat in hoc, quòd finis communicat ipsis mediis bonitatem quandam, ratione cuius eliguntur ipsa media, vt sanitas communicat potioni bonitatem ratione cuius optatur: has duas causalitates expressit Aristoteles his verbis: *Finis est cuius gratia cætera fiunt.* Quasi dicat finis est ratione cuius agens operatur, & ratione cuius media desiderantur. Et ideò omnia, quæ sunt media inter primum mouens, & vltimum finem quodammodo sunt fines: verbi gratiâ, Medicus ad inducendam sanitatem extenuat corpus, & sic sanitas est finis maciei, maciem autem inducit per purgationem, vnde purgatio est propter maciem corporis; præparat autem purgationem per instrumenta, quæ habent pro fine ipsam purgationem.

e *Eiusdem effectus diuersæ sunt causæ.* Nota causatum aliam esse totalem, aliam partialem. To- 30. *Conceptus est duplex.* talis ea est, quæ sola sufficit ad producendum effectum, vt ignis ad generandum ignem; partialis verò ea est, quæ sola non sufficit, sed indiget alterius auxilio, vt si duo homines aliquem portent lapidem, quorum neuter per se posset portare, vterque dicetur causa partialis talis effectus. Rursus causatum quædam sunt eiusdem ordinis, vt causæ non subordinatæ, vt duo homines quoddam deferentes pondus; quædam sunt diuersi ordinis, vt causæ subordinatæ: verbi gratiâ homo, Sol, & Deus. Homo enim est causa effectiua particularis Petri subordinata efficientiæ Solis, quæ est vniuersalior causa effectiua eiusdem effectus; Deus autem, qui est vniuersalissima causa omnium, est etiam causa effectiua eiusdem effectus, cuius efficientiæ reliquæ causæ subordinantur. Subordinari autem vnum alteri causæ est dependere ab ea in sua efficientia; ita vt superiore non agente inferior non possit agere. Hoc posito sic intelligenda est hæc prima proprietas: nempè eundem effectum à multis causis totalibus eiusdem ordinis nullatenus fieri posse. Petrus namque non posset generari à multis patribus, aut matribus, neque à multis solibus, aut Diis: quia omnes hæ causæ sunt totales in suo ordine causandi, & eiusdem ordinis, à quarum cuiuslibet causalitate taliter dependet effectus, quòd nihil est sibi dependentiæ ad alteram causam illius ordinis. Idem dicendum est in aliis generibus causarum. Potest tamen idem effectus à multis causis totalibus diuersi generis causæ produci, ita vt ab vna fiat materialiter, ab alia formaliter, ab alia effectiuè, & ab alia finaliter: & ita intelligit Aristoteles, vt eum hîc explicat Scotus. Potest etiam fieri à multis causis eiusdem ordinis partialibus, vt si idem à diuersis hominibus trahatur pondus. Potest tandem idem effectus fieri à diuersis causis totalibus eiusdem causalitatis, subordinatis tamen, vt homo fit ab homine, Sole, & Deo. In hoc triplici sensu intelligitur dictum Aristotelis, scilicet quòd idem effectus multas potest habere causas.

f Eadem

31. *Causa est duplex, alia libera & altera naturalis.*

ſ *Eadem est causa contrariorum effectuum.* Nota, quòd alia eſt cauſa libera, alia naturalis: libera eſt rationalis, & huiuſmodi cauſa operatur præuiâ deliberatione, quapropter contrariorum effectuum poteſt eſſe cauſa: quia libertas eſt facultas ad vtramque partem contradictionis eligendam. Cauſa verò naturalis eſt, quæ operatur ex ſola naturali inclinatione, vt ignis, & de huiuſmodi cauſa dico duo. Primum quòd reſpectu ſubiectorũ ſuam efficientiam, & cauſalitatem recipientium poteſt eſſe cauſa contrariorom effectuum, vt Sol liquefacit ceram, & indurat lutum ſecundùm eandem operationem, & virtutem. Secundum dictum eſt, quòd eadem cauſa naturalis poteſt eſſe cauſa contrariorum effectuum, vnius quidem per ſe, alterius verò per accidens: verbi gratiâ in tempore hyemis frigus eſt per ſe cauſa frigiditatis, per accidens autem eſt cauſa caloris, vt patet in puteis, in quibus aqua eſt calida in hyeme, quia calor fugiens à frigiditate intenſatur ibi, & calefacit per ſe aquam, frigus autem per accidens. Idem videtur in ſtomacho cuius calor in hyeme intenſatur, meliúſque ſic digerit cibum, huius autem rei cauſa per accidens eſt frigus. Ariſtoteles poſuit exemplum in gubernatore nauis, qui per ſe eſt cauſa gubernationis nauis, per accidens autem, ſi abſens ſit, eſt cauſa ſubmerſionis nauis. Hanc cauſalitatem habent omnes, qui tenentur aſſiſtere alicui loco, videlicet communitati, vel Reipublicæ, templo, vel ruri, quorum abſentiæ causâ committitur delictum, talibus enim, ſi tunc temporis tenebantur aſſiſtere, imputatur delictum, quamuis Phyſicè loquendo ſint cauſæ per accidens.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm cuiuſlibet rei naturalis ſint quatuor tantùm cauſæ.

Ariſt. *hic cap.* 3. *text.* 28. Auerroës, Simplic. Themiſt. *hic.* Auicenna *in Metaph. tract.* 6 *cap.* 2. Albert. Magn. *hic tractat.* 2. *cap.* 7. *&* 3. *Metaph. cap.* 3. D. Thom. *hic, & opuſc.* 31. Mayron. 2. *Phyſ. part.* 3. Suarez *tom.* 1. *Metaph. diſp.* 12. *ſect.* 3. Conimbr. 2. *Phyſ. cap.* 7. *quæſt* 2. Complut. *diſp* 8 *quæſt* 2. Rouius *tract* 1 *de cauſis, num.* 34. Roccus *quæſt.* 5. Fuentes *quæſt.* 2. *diffic.* 1.

1. ARGVITVR, quòd non; quia accidentia, materia, forma, & Intelligentiæ ſunt res naturales, & tamen non habent quatuor cauſas: nam materia non habet cauſam materialem; forma, & accidentia non habent cauſam formalem; Intelligentia non habet cauſam efficientem, cùm ſit æterna; ergo, &c.

Secundò, quia eadem eſt magnitudo naturalis, & Mathematica, vt patet 2. huius, text. 16. ſed magnitudinis Mathematicæ, eſt tantùm vna cauſa per Commentatorem 1. huius, igitur magnitudinis naturalis eſt tantùm vna cauſa.

Tertiò, quia cuiuſlibet effectus eſt tantùm vna cauſa ſufficiens, igitur præter illam fruſtrà ponuntur aliæ cauſæ. Antecedens patet: quia cuiuſlibet alterius cauſæ, Deus poteſt ſupplere cauſalitatem.

Quartò, quia quælibet cauſa per accidens eſt cauſa; ſed cuiuſlibet rei infinitæ ſunt cauſæ per accidens, vt dicit Ariſtoteles 2. huius, text. 50. igitur eiuſdem rei ſunt infinitæ cauſæ, & per conſequens non ſolùm quatuor.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem 2. huius tractatu 3 text. 28. & 31. In quæſtione primò videbitur quid ſit cauſa, & de quibus dicitur. Secundò videbitur de conditionibus cauſarum. *Diuiſio quæſtionis.*

2. *Cauſa eſt nomen relatiuum.*

Quantum ad primum notandum, quòd hoc nomen *cauſa* eſt nomen relatiuum, & dicitur in relatione ad effectum: ſed contrà; igitur iſta conſequentia eſſet bona, cauſa eſt, igitur effectus eſt, & è contra, quod eſt falſum: quia quando effectus eſt, tunc cauſa efficiens eſt fortè corrupta. Similiter non oportet, quòd exiſtente effectu cauſæ finalis, quòd cauſa finalis ſit; & patet conſequentia: quia relatiua dicuntur ad conuertentiam. Reſpondetur negando conſequentiam: quia [a] relatiua non dicuntur ad conuertentiam ſecundùm *eſſe*: vnde non ſequitur, prius eſt; igitur poſterius eſt, ſed ſolùm dicuntur ad conuertentiam ſecundùm *cognoſci*, quia vnum cognoſcitur per reliquum, & è contra; igitur non ſequitur, cauſa eſt; igitur effectus eſt, ſed ſufficit, quòd fuit, vel eſt. Verbi gratiâ nos dicimus, quòd ignis eſt cauſa caloris, dato, quòd nullum calorem de facto producat; & ideò dictum fuit priùs, quòd iſti termini, *cauſa*, & *principium* denotant aptitudinem.

Secundò notandum, quòd cauſa poteſt ſic definiri, ſcilicet, quòd cauſa eſt propter quod alterum eſt, ſcilicet ſecundum *eſſe*, vel ſecundum *fieri*, aut *conſeruari*; aut ſecundùm aliquam aliam diſpoſitionem: & ideò albedo poteſt dici quodammodo cauſa hominis, quia propter albedinem homo eſt albus: & ideò quando Ariſt. definit cauſam in lib. de bona fortuna dicendo, quòd cauſa eſt ad cuius eſſe ſequitur aliud; non intelligit de ſequela ſecundùm locum, vel ſecundùm tempus, ſed intelligit, quòd cauſa eſt ad cuius *eſſe*, id eſt, propter quod requiritur aliud, id eſt, alterum eſt, vel fit, vel conſeruatur, vel aliquo modo diſponitur. Sed contra obiicitur: quia tunc ſequeretur, quòd omnis cauſa eſt finalis: nam Ariſtotelis in iſto 2. vocat cauſam finalem; propter quod alterum eſt Reſpondetur quòd iſta eſt communis definitio cuilibet cauſæ; tamen propter excellentiam cauſæ finalis appropriatur cauſæ finali, & hoc innuit Ariſtoteles in iſto 2. text. 9.

3. *Aliqua res eſt cauſa alterius.*

Nunc ponuntur concluſiones. Prima eſt. Aliqua res eſt cauſa alterius. Probatur, quia aliqua res eſt propter quam alterum eſt; igitur aliqua res eſt cauſa alterius. Tenet conſequentia per deſcriptionem cauſæ, & antecedens patet dicendo, Socrates eſt propter quod fuit genitus à patre, & ita poſſunt formari multæ tales, per quas exprimitur dependentia cauſati ad cauſam. Contra concluſionem arguitur: quia quando dicitur *B* eſt propter *A*, vel aliqua res importatur per illam propoſitionem, *B eſt propter A*, vel nulla, ſi nulla, tunc non eſt aliud dicere *B eſt propter A*, quàm dicere *A eſt B*. Eodem modo ad iſtud non ſequitur, quòd vnum ſit cauſa alterius; ſi importetur aliqua res, ſit illa C, cùm C non ſit independens; quia iam eſſet Deus; tunc quæram de iſta, C dependet ab *A*, vel importatur aliqua res, vel nulla; ſi aliqua, proceditur in infinitum; ſi nulla, arguitur vt priùs. Reſpondetur quòd argumentum non valet: quia conſimiliter argueretur de iſta, *homo eſt albus*; quia per iſtam vel importatur aliud ab albedine & homine, vel non; ſi non, tunc non eſt aliud dicere, quàm *homo eſt*, *albedo eſt*, ex quibus non ſequitur, quòd homo ſit albus: quia poſſibile eſt, quòd albedo ſit in alio ſubiecto, vt in pariete.

riete. Ideò dico, quòd per istam *B est propter A*, nulla res importatur alia à *B*, & *A*, sed importatur vnum dependere ab alio. Secundò, quia dicēdo *A est propter B*, vel *A* est causa *B*, *A* & *B* sunt duæ causæ diuersæ, vel puta ignis & calor, igitur non implicat contradictionem vnum separari ab alio, & per consequens vnum oon sequitur ad aliud; igitur non est necesse vnum esse propter alterum. Respondetur vt dictum fuit super primo, quòd ad esse vnius rei præcisè sine cointellectione alicuius alterius, non sequitor esse alterius, sed cointelligendo, quòd vna res sit, & cum hoc intelligendo, quòd sit necessaria causa alterius, sequitur quòd alia res est, vel erit, & sic implicaret contradictionem.

4. *Causa quomodo diuidatur in quatuor genera causarum.*

Secunda conclusio. Causa sufficienter diuiditur in [b] quatuor genera causarum ad istum sensum, quia quicquid significatur generaliter, & communiter hoc nomine *causa* significatur magis determinatè altero istorum terminorum, scilicet materia, forma, efficiens, vel finis, & est sensus conclusionis iste, quòd omnis causa est materia, vel forma, efficiens, vel finis. Probatur, quia ad omnem quæstionem quærentem *quid* de aliquo, conuenienter respondetur per alterum istorum terminorum; igitur hoc oomen *causa* sufficienter diuiditur in ista quatuor genera. Tenet consequentia; quia quæstio propter quid quærit causam; & antecedens patet inducendo.

Secundò, quia omnis effectus [c] est ab aliquo tanquam à causa, & sic est efficiens, vel ex aliquo, vel de aliquo, & sic est materia, aut per aliud, & sic est forma, aut propter aliud, & sic est finis.

Cōpositi naturalis sunt quatuor causæ.

Tertia conclusio: Cuiuslibet compositi naturalis sunt quatuor causæ. Probatur, quia quodlibet compositum naturale, vel est compositum, vel de nouo geoitum; si de nouo genitum, igitur est productum ab aliqua causa, cùm nihil efficiat se ipsum, & sic est causa efficiens, & cùm omne agens agat propter finem, sequitur quòd talis compositi est aliqoa causa finalis, & cùm sit compositum, sequitur quòd habeat materiam & formam. Si sit æternum vt corpus cœleste, scilicet pro aggregato ex orbe & Intelligentia, tunc habet causam efficientem, quæ est conseruans, licèt [d] non producens, scilicet Deum. Similiter habet finem, quia finis corporis cœlestis est continuatio generationis istorum inferiorum. Similiter habet materiam, scilicet orbem, & formam saltem appropriatam, scilicet Intelligentiam. Et notandum, quòd notabiliter dicitur in conclusione compositi naturalis: quia si accipiatur res naturalis largè, vt se extendit ad accidentia, & ad substantias simplices, tunc non cuiuslibet rei naturalis sunt quatuor causæ, vt probat primum argumentom ante oppositum.

5. *Naturalis considerat de quolibet genere causarū.*

Quarta conclusio; de quolibet genere causarum est consideratio naturalis. Probatur, quia de illo est consideratio naturalis, quod dicitur in ordine ad motum, & operationem: modò quælibet causa dicitor causa in relatione ad effectum, & ad operationem, igitur de qualibet causa est consideratio naturalis. Patet igitur, quid sit causa; quot sont genera causarum, & quòd de causis est consideratio naturalis, & hæc de primo.

Causæ coincidunt in idē numero.

Quantum ad secundum est prima conclusio. Causæ coincidunt [e] in idem numero, quia quatuor sunt genera causarum; igitur sex possunt fieri combinationes, ideò combinando videbitur, quæ coincidunt, & quæ non, & Primò est efficiens & forma, quæ coincidunt in idem numero, sed diuersimodè: quia illud idem, quod est forma compositi, est finis transmotationis. Secundò est materia, & forma. Tertiò materia & finis. Quartò materia, & efficiens, quæ non coincidunt nisi capiendo materiam largè pro quocunque subiecto receptiuo alicuius dispositiooi; quia sic coincidunt materia & forma, nam anima quæ est forma compositi, est receptioa accideotium ipsius animæ.

Causæ sunt sibi inuicem causæ.

Secunda conclusio, Causæ sunt sibi inuicem causæ, & hoc in diuersis generibus causarum. Probatur, nam materia est causa receptiua formæ, & forma causa perfectiua materiæ. Secuodò, quia labor est causa effectiua sanitatis, & sanitas causa finalis laboris. Contra conclusionem arguitur; quia si causæ essent sibi inuicem causæ, sequeretur, quòd idem esset causa sui ipsius. Consequēs est falsum, & probatur consequentia: quia quicquid est causa causæ, est causa causati. Secundò sequeretur, quòd idem esset prius & posterius, nobilius, & ignobilius respectu eiusdem; quia causa est prior, & nobilior causato: & ideò si idem respectu eiusdem sit causa, & causatum, sequitur consequens. Tertiò sequeretur, quòd posset fieri demonstratio circularis. Consequens est falsum primo Posteriorum, text. 22. & inde: & consequentia probatur, quia contingit demonstrare per quodlibet genus causę, patet 2. Post. text. 48. & inde ad 56. & ideò si materia sit causa formæ, & è contra, contingit demonstrare materiam per formam & è contra. Respondetur negando consequentiam.

Ad probationem dicitur, quòd hoc intelligitur in eodem genere causæ. 6. Ad secundum negatur consequentia: quia non omnis causa est prior, & nobilior suo effectu; quia in causis est talis ordo secundùm perfectionem, quòd primò est causa finalis, secundò formalis, tertiò efficiens, & quartò materia. Ad tertium conceditur, quòd potest fieri demonstratio circularis in diuersis generibus sciendi, quorum vnum est genus sciendi per causam, & aliud per effectum: vel vnum per vnum genus causæ, & aliud per aliud genus causæ.

Causa eadem est diuersorū effectuū causa.

Tertia conclusio Eadem causa est causa diuersorum effectuum, immò etiam quandoque oppositorum, secundùm diuersas dispositiones, siue etiam contrarias, vt nauta per sui præsentiam est causa salutis nauis, & per sui absentiam est causa periclitationis: & non debet intelligi, quòd absentia nautæ faciat ad periclitationem; sed si nauta fuisset pręsens, nauis non periclitata foisset.

Ad rationes. Prima solota est. Ad secundam dico, quòd magnitudinis Mathematicæ, vt est oaturalis, sunt quatuot causæ. Ad tertiam dico, quòd Deus non potest concurrere, & ad quodlibet aliqualiter se habere: quia non potest concurrere instrumentaliter ad agendum aliquod, sicut noo potest concurrere ad materialiter agendum, vt dicuot Theologi. Ad quartam in proposito intelligitur de causis per se, & hæc de quæstione.

ANNOTATIONES.

7. *Relatiua possunt considerari bifariā.*

R*Elatiua non dicuntur ad concurrentiam secundum esse*, &c. Nota, quòd relatiua bifariā considerari possunt, vno modo pro formali, id est, pro ipsis relationibus, quibus relatiua referuntur, altero modo pro substrato, seu pro denominato, id est, pro subiectis, quæ referuntur. Priori modo

relatiua

relatiua sunt simul naturâ, dicuntur ad conuertentiam, & posita se ponunt, & perempta se perimunt; posteriori autem modo non est necesse, atque adeò sola substantia causæ potest manere destructo effectu, licèt causa manere non possit. Et si dicas, causa ex eo dicitur causa, quia produxit effectum, impossibile est autem illud, quod produxit, non produxisse: quia omnis propositio vera de præterito est necessaria, igitur impossibile est illud, quod aliquando est causa, non esse deinde causam; necessariò igitur causa manet, etiam destructo effectu. Dico, si concedatur aliquando causam non posse non esse causam, concedendum est aliquando effectum non posse non esse effectum: quia sicut de illo, quod effecit, superest verum dicere, quod effecit; ita de eo, quod effectum est, semper verum est dicere, quia effectum est, licèt non semper existat, & per consequens semper manet effectus, sicut & causa, quo ad *cognosci*, vt hîc dicit Scotus. Et si iterum dicas causâ existente, & nullo existente effectu, verum est dicere, quòd causa est, & effectus non est: quia *esse* quando prædicatur secundùm adiacens prædicat esse existere secundùm Boëtium, igitur non sunt simul naturâ. Dico quòd relatiua sunt simul naturâ secundùm illod; esse, quod est eis proprium in quantum sunt relatiua, sed illud non est esse existere; quia hoc accidit eis in quantum referuntur, & ideò vnum relatiuum potest sic esse non existente alio; vnde hæc consequentia non tenet, causa est, hoc est, existit, igitur effectus est, scilicet existit: licèt teneat sumendo esse, vt est proprium causæ in quantum refertur, & consimiliter *esse* effectus: istæ ergo relationes causa, & effectus, prius & posterius referuntur ad inuicem, & sunt simul naturâ; sed non res, quæ subsunt.

8. *Causarum quatuor esse genera inductione probatur.*

[b] *Causa sufficienter diuiditur in quatuor genera causarum.* Nota quòd hæc conclusio potest inductione in hunc modum probari. In omni re naturali debet inueniri quo res est ipsum quod est, hæc autem est forma; ergo danda est causa formalis: rursus forma est actus, sed actus refertur ad potentiam, ergo dandum est aliquid cuius forma sit actus, hæc autem est materia, ergo danda est causa materialis. Deinde forma est aliquando actu in materia, interdum in potentia, ergo necessum est dare aliquid, quod reducat de potentia ad actum, hoc est efficiens, ergo danda est etiam hæc causa. Tandem natura nihil agit frustra, ergo dandum est aliquid cuius gratia fiat, hoc autem est finis, ergo danda est causa finalis; ergo dantur hæc quatuor genera causarum. item tot sunt genera causarum, quot formæ, seu modi interrogandi causam: at tantùm quatuor sunt modi diuersi, ergo & quatuor diuersa genera causarum. Minor probatur, ipsas formas modósque interrogandi causam enumerando. Interrogamus enim propter quid fiat res, & hæc est causa finalis; ex quo fiat res, quæ est causa materialis; & à quo fiat res, quæ est causa efficiens; & per quod, vel quo fiat res, quæ est causa formalis: non sunt autem plures modi interrogandi causam, ergo neque plures causæ.

9. *Causa possunt ad multa comparari.*

[c] *Omnis effectus est ab aliquo tanquam à causa.* Nota, causas multipliciter posse comparari. Primò ad effectum, & sic prima causa est materia. Secunda est forma, quæ sunt intrinsecæ partes effectus. Tertia est efficiens, quæ est principium exterius motus, quo fit effectus: tandem sequitur finis, qui est vltimum in quo consistit motus. Secundò possunt comparari ad intentionem operandi, & sic prima causa in ordine causandi est finis, quæ mouet agens ad operandum. Secunda ipsum efficiens, quod mouetur à fine. Tertia ipsa forma. Quarta materia, quæ perficitur forma. Possunt tertiò considerari causæ secundùm esse, & tunc prima est efficiens, secunda materia, tertia forma, quarta finis. Quartò modo considerantur secundùm rationem agendi, & sic Prima est forma, ipsa enim est qua agens operatur. Secunda efficiens, quod operatur. Tertia est finis propter quem efficiens operatur. Vltima est materia, quæ recipit actionem, & mouetur ab agente ad formam recipiendam.

Deus an sit causa efficiēs omnium.

[d] *Cœlum habet causam efficientem conseruantem, sed non producentem.* Nota quòd difficultas est inter Philosophos, quid senserit Aristoteles de efficientia primi, nempè Dei, respectu aliorum. Quidam enim volunt eum sensisse multa esse penitus improducta, ipsúmque Primum nihil immediatè producere, neque etiam actione, velut motor immediatus alicui orbi appropriatus aliquod cœlum mouere, quo mediante sit causa inferiorum, sed tantummodo per modum finis. ita sensit Gregorius de Arim. in 2. dist. 1. quæstione 1. artic. 1. & Ioannes Bauo in eodem loco.

Alij verò dicunt eum censisse omnia alia entia à primo, qui est Deus, fuisse ab illo, vel immediatè, vel mediatè producta, immediatè externa, vt sunt Intelligentiæ, & cœli; mediatè verò generabilia, & corruptibilia, ad quorum generationem concurrit mediante motu cœli, quod ipse mouet, vel immediatè in genere causæ efficientis, vt aliqui voluut, vel genere causæ finalis, vt sensisse videtur Scotus quæst. 7. Quodl. & in 1. d. 8. quæst. 3. Et hanc sententiam defendit Scotus locis proximè relatis, & in 2. d. 1. quæst. 2. Obserua tamen quòd aliquid bifariam potest produci; vno modo per motum, & transmutationem materiæ: quo modo agunt omnia agentia naturalia, & res naturales producuntur. Alio modo per simplicem emanationem, & hanc distinctionem tangit Cõmentator in lib. de substantia orbis, dicens, quoddam est agens, siue efficiens, sine motu, quoddam cum motu. Primum, inquit, præcedit actum naturâ, non tempore. Secondum verò præcedit effectum & naturâ, & tempore. Quando ergo hîc dicit Scotus quòd cœlum habet causam efficientem quæ est conseruans, licèt non producens, loquitur de productione Physica, quæ fit per motum, & mutationem.

10.

Res aliqua bifariā produci potest.

11. *Causa combinationis quot sint.*

[e] *Causa coincidunt in idem numero.* Nota, quòd littera Scoti scriptoris vitio est manca, & imperfecta, vt videre est: nam ex sex combinationibus non enumerat nisi quatuor. Posset autem in hunc modum corrigi, & suppleri, & primò est efficiens & forma: quæ concidunt in idem numero, sed diuersimodè, quia anima est efficiens respectu suarum operationum, nempè intellectionis, & volitionis, & est forma corporis. Secundò est forma & finis, quæ coincidunt in idem numero, quia illud idem, quod est forma compositi, est finis transmutationis. Tertiò est materia, & forma, quæ coincidunt, accipiendo materiam largè pro receptiuo cuiuscumque formæ: quia anima, quæ est forma corporis, est receptiua suarum operationum. Quartò est materia & finis, quæ coincidunt sumendo

materiam largè, quia forma quæ est finis generationis, est materia, seu subiectum propriarum operationum. Quintò est efficiens, & finis: quia anima, quæ est efficiens suarum operationum, est finis naturalis generationis. Sextò est materia, & efficiens. Quæ non coincidunt, nisi capiendo materiam largè pro quocunque subiecto receptiuo alicuius dispositionis, quia sic coincidunt materia, & efficiens: nam anima quæ est efficiens suarum operationum, est etiam ipsarum operationum receptiua. Obserua insuper, quòd non solùm sex, immò duodecim possunt fieri causarum combinationes: nam primò potest combinari efficiens cum materia. Secundò efficiens cum forma. Tertiò efficiens cum fine. Quartò materia cum efficiente. Quintò materia cum forma. Sextò materia cum fine. Septimò forma cum efficiente. Octauò forma cum materia. Nonò forma cum fine. Decimò finis cum efficiente. Vndecimò finis cum forma. Duodecimò finis cum materia. In his autem omnibus combinationibus si materia præcisè, & propriè sumatur, cum nulla alia causarum coincidit in idem num.

EXPOSITIO TEXTVS.

12. Text. 33. MOdi autem 1 causarum numero quidem sunt multi. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles agit de modis causarum, & primò proponit intentionem dicens, quòd modi causarum sunt multi numero, principaliores tamen sunt in numero minori, & secundùm Commentatorem modi causarum dicuntur proprietates, quibus causæ ejusdem generis differunt ab inuicem.

Dicuntur enim causa multipliciter. Hîc prosequitur, & primò proponit modos causarum. Secundò diuidit ipsos per se inuicem. Tertiò ostendit quis modus est maximè quærendus, & Quartò ponit duas proprietates causarum. Secundum ibi: *Attamen ha omnes.* Tertium ibi: *Oportet autem semper.* Quartum ibi: *Amplius alia quidem.*

Causarum modi sunt quatuor. Ponit igitur quatuor modos causarum. Primus modus est, quòd quædam sunt causæ priores, & quædam posteriores, vt Medicus est causa posterior sanitatis, & artifex est causa prior; similiter si duplum sit caus formalis diapason, & numerus sit causa formalis dupli; tunc duplum est causa posterior diapason, & numerus causa prior, & vniuersaliter continens est causa prior contento.

13. Notandum, quòd ista proprietas non potest intelligi de rebus, quia ex quo idem est Medicus, & artifex sanitatis, idem non potest esse prior se ipso, & ideò intelligitur de terminis significantibus causas: modò istorum terminorum quidam est vniuersaliter, & ille dicitur causa prior, & alius minùs vniuersalis, & ille dicitur causa posterior.

Text. 33. *Vide contradictionem Zimara.* *Ampliùs 2 autem vt accidens.* Ponit secundum modum, & est, quòd causarum quædam est causa per se, vt artifex dicitur causa per se statuæ, aliæ sunt causæ per accidens, vt Polycletus est causa per accidens statuæ. Sed contrà, quia ex quo statuæ factor est idem cum Polycleto, sequitur quòd si Polycletus sit causa per accidens statuæ, quòd statuæ factor sit etiam causa per accidens statuæ, per Syllogismum expositorium. Ideò dicendum est, quòd istæ dictiones, *per se, per accidens*, in proposito sunt determinationes totius propositionis, & faciunt propositiones in sensu composito: & tunc est sensus, quòd terminorum de quibus dicitur causa statuæ, quidam sunt de quibus dicitur in propositionibus per se, vt dicendo, statuæ factor est causa statuæ. Alij sunt de quibus dicitur in propositione per accidens, vt dicendo Polycletus est causa statuæ. Et subdit Aristoteles quòd causa per se dicitur secundùm primum modum: nam animal est prior causa statuæ quàm homo, & similiter de causa per accidens: quia albus est causa prior statuę quàm musicus, eo quòd longius; id est, eo, quòd iste terminus *albus* est communior. *Vide contradictionem Zimara.*

Præter 3 omnes autem. Tertius modus est, quòd causarum quædam sunt causæ in actu, vt ædificans, quia actu ædificat: aliæ sunt causæ in potentia, vt aliquis dicitur ædificator: quia potest ædificare, licèt actu non ædificet, & subdit 4. Philosophus, quòd sicut diuiduntur causæ, ita possent diuidi causata. 14. Text. 34.

Ampliùs 5 autem connexa, & ha, & illa dicuntur. Text. 35. Hîc ponitur quartus modus, & exponitur de terminis sicut primus, quòd terminorum, de quibus dicuntur causæ, quidam sunt incomplexi, vt Polycletus est causa statuæ, alij sunt complexi, vt Polycletus statuæ factor est causa statuæ.

Attamen omnes ha. Text. 36. Hîc diuidit istos modos per se inuicem, dicens, quòd quilibet istorum modorum diuiditur per alium. Nam causa per accidens quædam est prior, & quædam posterior, quædam in actu, & quædam in potentia, & quædam complexa, & quædam incomplexa. Similiter causæ complexæ, quædam sunt priores, & quædam posteriores, quædam actu operantes, & quædam secundùm potentiam, & ita de aliis: nulla tamen est complexa causa ex propinquo, & remoto, ex actu operante, & in potentia solùm operante: quia hoc est impossibile. Et subdit Philosophus quòd 6 causæ in actu, & in potentia ab inuicem differunt: quia causæ simplices actu operantes simul sunt, & non sunt cum effectibus, quorum sunt causæ: vt Medicus simul medicatur, quando aliquis sanatur, sed causæ in potentia non sunt cum suis effectibus simul, sicut non oportet, quòd simul sint ædificator, & domus, quia vnum manet reliquo corrupto. Text. 37.

Oportet 7 autem semper. Ostendit quæ istarum causarum maximè est quærenda, dicens, quòd maximè oportet quærere summam causam, & per summam intelligit causam propinquissimam effectus: sicut in principio huius tractatus dixit, quòd oportet quærere cognitionem omnium causarum à prima, quæ est remotissima, vsque ad propinquissimam, vel è contra. 15. Text. 38.

Ampliùs alia quidem genera sunt generum. Ponit duas proprietates causarum. Prima est, quòd causarum generalium sunt effectus generales, id est, quòd sicut terminorum, qui significant causas, quidam sunt generales, ita eis correspondent termini generales, significantes effectus, & terminis singularibus, significantibus causas, correspondent termini singulares, significantes effectus. Secunda proprietas est, quòd causæ in potentia sunt causæ effectuum potentialium, & causæ actu operantes sunt causæ effectuum operatorum, scilicet illorum, qui sunt in operari, & nunc incompletè operata sequuntur. *Vniuersalium causæ sunt vniuersales, & singularium singulares.*

ANNOTATIONES.

NOta quòd causarum quædam sunt per se, quædam sunt per accidens: causæ per se sunt 16.

sunt à quibus effectus per se, & necessariò dependent aliquo genere illorum quatuor. Causa per accidens est, à qua non per se, & necessariò dependet effectus. Rursus causatum quædam sunt priores, seu vniuersales, quæ etiam remotæ dicuntur; quædam verò posteriores, seu particulares, quæ proximæ appellantur. Rursus causarum alia est simplex, alia coniuncta, illa scilicet, quæ coniungitur ex causa per se, & per accidens. Causarum insuper quædam sunt in potentia, quædam verò in actu: inter quas hoc est discrimen, quòd causæ in actu cum suis effectibus actu mutuo conuertuntur, vt si est curans in actu, est qui sanatur in actu, etsi non ponitur causa neque effectus: vnde valet consequentia à causa in actu ad effectum in actu, siue affirmatiuè, siue negatiuè: causa tamen in potentia non ita se habet cum suo effectu, potest enim hic ædificator existere, quando ædificium non existit si ipse non ædificet actu.

Alia diuisio causarum ab aliis additur, videlicet quòd alia sit causa vniuoca, alia verò æquiuoca. Causa vniuoca est, quæ producit sibi similem effectum in specie, vt leo leonem. Causa æquiuoca est, quæ producit effectum dissimilem in specie, vt Sol respectu effectuum inferiorum. Rursus etiam diuiditur causa in principalem, & instrumentalem. Principalis causa ea est, quæ virtute propriâ operatur, instrumentalis autem, quæ dependenter à principali operatur. Ex diuisione causarum colligitur ab Aristotele membra diuidentia causam esse sex, videlicet per se causam vniuersalem, per se causam particularem, causam per accidens vniuersalem, causam per accidens particularem, causam simplicem, causam coniunctam. Non autem numerauit causam in potentia, & in actu: quoniam quælibet prædictarum potest esse in actu, & in potentia.

Qvæstio VIII.

Utrùm sit aliqua causa efficiens?

Aristot. *cap* 3 *text*. 29. Auer. *comm*. 29. *&* 8. *Metaph. com*. 7. Simplic & Themist. *hic*. Augustinus 7. *de Ciuit. cap*. 30. Auicembron. *in lib. Fontis vitæ*. Auicenna *lib*. 1. *suffic. cap*. 10. *&* 9. *Metaph. cap*. 4. *&* 5. D. Thomas *lect*. 5. *&* 3. *con. Gen cap*. 69. *&* 1. *par. quæst*. 105. *art*. 5. *& in* 2. *dist*. 1 *quæst*. 1. *art*. 4. Alnacus *in* 4 *dist*. 1. *art*. 1. Scotus *ibid*. Capreol. *in* 2. *dist*. 42 *art*. 3. Mayron. *in* 2. *Phys. par*. 6. Conimbric. *in cap*. 7. *quæst*. 11. Rubius *tract*. 4. *de causa efficiente quæst*. 1.

1. ARGVITVR quòd non: quia vel efficiens esset causa quando agit, & hoc non: quia tunc effectus adhuc non est, quia quando fit non est, vt patet *primo Perihermenias*: modò eius quod non est, nulla est causa. Vel quando non agit, & hoc non: quia tunc nihil efficit, & per consequens non est causa efficiens.

Secundò, quia causa, & effectus simul sunt, & non sunt, vt dicit Aristoteles 2. huius, text. 3. sed efficiens, & effectus non sunt simul, igitur efficiens non est causa. Minor est nota, quia pater quandoque mortuus est, priùs quàm sit formatus filius in vtero matris, & tunc efficiens, & effectus nunquam sunt simul.

Tertiò, quia causa est nobilior causato, vt patet 2. huius, text. 4. & præcipuè intelligitur de causa efficienti, vt patet in 3. *de Anima, text*. 19. vbi dicitur, quòd agens est præstantius passo, sed efficiens non est nobilior effectu: nam in generatione vniuoca effectus est æquè nobilis. Nam homo generat hominem 2. huius, & tamen vnus homo non est nobilior alio; similiter in generatione æquiuoca agens est minùs nobile passo, seu efficiens effectu, vt calor est minùs nobilis, quàm genitum à calore per putrefactionem, igitur efficiens non est causa.

Quartò sequeretur, quòd quodlibet efficiens esset infinitæ virtutis, consequens est falsum, & probatur consequentia: nam producit rem ab infinita distantia: nam si medietas effectus præfuisset, tunc produxisset effectum ab aliqua distantia, & si præcisè in quadruplo præfuisset, tunc produxisset ipsum à maiori distantia, & sic in infinitū, igitur cùm nihil ipsius effectus præfuerit, sequitur, quòd produxit ipsum ab infinita distantia.

Quintò, quando agens, & passum sunt applicata ad inuicem, vel aliquid postea est in passo, quod priùs fuit in agente, vel nihil; si nihil, tunc sequitur, quòd solus contactus corporum sufficiat ad actionem, quod est falsum; si aliquid, tunc sequitur, quòd effectus non est productus de nouo, sed præfuit in agente. 2.

Sextò, si efficiens esset causa alicuius effectus, sit ille effectus *A* ignis, qui imagineтur diuidi in partes proportionales, ita vt partes minores remaneant versùs agens. Tunc sit prima pars proportionalis, videlicet medietas remotior ab agente, quæ vocetur *B*, secunda *C*, tertia *D*, & sic in infinitum, tunc arguitur sic, *B* non producitur ab agente dato *C*, non producitur ab eodem, nec *D*, & ita de aliis, igitur *A* non producitur ab ipso. Tenet cōsequentia, quia aliter aliquod causatum produceretur ab aliquo agente, cuius tamen nulla pars produceretur ab ipso: & antecedens patet, quia inter *B*, & agens est pars intermedia similis agenti, & per consequens agens non agit per ipsam in *B* partem distantem, & ita arguitur de qualibet alia parte.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. huius, tract. 3. c. 1. tex. 29. In quæstione primò videbitur, an sit aliqua causa efficiens, & quæ sit. Secundò videbitur de quibusdam modis causæ efficientis. *Diuisio quæstionis.*

Quantum ad primum notandum, quòd causa efficiens est illud, propter quod alterum est tanquam ab illo; vt ignis est causa efficiens caloris: quia calor est propter ignem tanquam ab igne, & per illam particulam *tanquam ab illo* differt causa efficiens ab aliis causis, & ideò quando Aristoteles dicit, quòd causa efficiens est vnde est principium motus, intelligit, quòd causa efficiens est vnde est principium motus tanquam ab illo, scilicet effectiuè.

Secundò notandum, quòd effectus causæ efficientis potest esse res permanens, vel successiua ooca, vel æterna. De æterna, vt ibi gratiâ, dicimus, quòd Intelligentia cognoscit, & intelligit per cognitionem æternam. 3.

Nunc sunt duæ suppositiones. Prima est, quòd aliquid est de nouo productum. Patet ex quæstionibus primi libri. Secunda suppositio, quòd nihil producitur de nouo à se ipso. Probatur, quia producens de nouo saltem principale, est nobilius effectu producto: modò idem non est nobilius se ipso, & ista suppositio debet accipi tanquam nota, quia non indiget probatione. *Aliquid est de nouo productum.*

Ex his ponuntur conclusiones. Prima est ista; aliqua est causa efficiens. Probatur, aliquid producitur de nouo per primam suppositionem, & non *Aliqua est causa efficiens.*

non à se ipso per secundum, igitur ab aliquo alio; ergo per definitionem causæ efficientis illud aliud est causa efficiens.

4. Secunda conclusio. De nullo effectu potest sciri euidenter, scilicet euidentia simpliciter, quòd fuerit productus ab isto agente quocunque demonstrato probato. Probatur sic: quia si sic, sit ille calor productus in stupam per ignem; non potest euidenter ostendi, quòd ignis fuerit causa huius caloris propter duo. Primò, quia diceretur, quòd esset aliquod agens ignotum productum ab igne, quod produceret illum calorem, & non ignis: secundò, quia diceretur quòd Deus [b] produceit illum calorem; sed non nisi præsente igne, & neutrum istorum potest demonstratiuè improbari. Verum est tamen, quòd habemus euidentiam naturalem sufficientem, quòd aliquis effectus sit productus ab aliquo agente, vt de lumine medij, quod producitur à candela, de calore stupæ, qui producitur ab igne approximato; nec oportet demonstrare tales huiusmodi causas, de quibus non habemus sensum, aut experientiam,

5. aut verisimilem coniecturam ex sensatis.

Res successiua dependet continuè à suo efficiente.

Tertia conclusio. Res [c] successiua, si aliqua sit, dependet continuè à suo efficiente. Probatur: quia non fit sonus nisi dum sonans percutit, nec motus nisi dum motor mouet, & sic de aliis successiuis. Sed de aliis effectibus, qualiter dependeant, & qualiter non, patebit ex modis causæ efficientis.

Causa efficiens est causa extrinseca.

Ex suppositione, & conclusionibus sequitur, quòd causa efficiens sit causa extrinseca. Secundò sequitur, quòd de aliquo effectu est notum, & euidens, quòd fit à causa efficiente, & tamen de causa efficiente ignotum est, quòd sit illud, de quo notum est, quòd fiat à motore, à quo tamen fiat fortè non est euidens. Tertiò sequitur, quòd aliqua est causa producens, vt ignis qui producit calorem, & aliqua conseruans, vt corpus lucidum, quod conseruat lumen. Patet igitur, quòd aliqua est causa efficiens, & quæ sit definitiuè, & hoc de primo.

Quantum ad secundum nota, quòd Aristoteles in littera enumerat quatuor modos causarum communes quatuor generibus causarum, vt puta, quædam est causa per se, quædam per accidens, quædam prior, quædam posterior; quædam in actu, quædam in potentia, quædam complexa, quædam in complexa; de quibus dictum est in textu, ideò ad præsens nihil de eis: sed ad præsens specialiter est dicendum de modis causæ efficientis, qui possunt reduci ad quinque modos. Primus modus est, quòd quædam est causa efficiens producens tantùm, quædam conseruans. Secundus modus, quoddam est efficiens totale, aliud partiale. Tertius modus, quoddam est efficiens mediatum, aliud immediatum. Quartus modus, quoddam est efficiens vniuersale. Quintus modus, quoddam est efficiens principale, aliud instrumentale, ad præsens dicam de primo, & de aliis in alia quæstione.

Causa efficientis quinque sunt modi.

6. Quantum ad primum modum notandum, quòd aliquid dicitur causa conseruans tripliciter, vno modo sicut locus dicitur causa conseruatiua locati, vt patet 4. huius, text. 48. propter hoc, quòd habet aliquam qualitatem similem qualitati locati. Secundo modo dicitur causa conseruans, quæ est occasio conseruandi, vt nauta dicitur causa conseruatiua nauis, & isti duo modi sunt improprij. Sed tertio modo dicitur

Causa conseruans dicitur tribus modis.

causa conseruans, & propria, quæ continuè influit in effectum, virtute cuius influentiæ ille effectus est, & manu tenetur: quia subtracta illa influentia causæ conseruantis ille effectus non esset, & sic effectus dependet à causa conseruante, non solùm in *fieri*, immò etiam in *facto esse*, & in *conseruari*. Sed causa producens tantùm est illa, à qua dependet res in *fieri*, licèt non in *conseruari*, vt calor dum manet remoto agente, à quo producebatur.

Nunc ponuntur aliquæ conclusiones. Prima est. Possibile est aliquem effectum æternaliter dependere à causa conseruante. Probatur, & accipiam lumen, quod est in orbe Lunæ, & lumen quod in orbe Solis; tunc ista duo lumina sunt eiusdem rationis; igitur vnum non minùs dependet à suo efficiente, scilicet Sole, quàm reliquum, sed vnum scilicet lumen orbis Lunæ dependet à Sole, igitur cùm corrumpitur per vmbram terræ, generatur simile à Sole remotâ vmbrâ, igitur lumen quod est in orbe Solis dependet à Sole, & illud est æternum, igitur possibile est, quòd aliquis effectus dependeat æternaliter à suo efficiente.

Secundò, quia à Deo dependet cœlum, & tota natura, vt patet in 1. Metaph. text. 38. non solùm in genere finis conseruantis, igitur in genere causæ efficientis, vt debet videri in 12. Metaph. text. 13. sed cœlum est æternum, vt patet 8. huius, tex. 38. igitur possibile est quòd aliquis effectus dependeat æternaliter à causa efficiente.

Tertiò per exemplum; nam si pes fuisset in puluere æternaliter, vestigium fuisset causatum à pede ab æterno, ergo, &c. Ex isto sequitur, quòd potest conuenienter saluari, mundum esse creatum à Deo, & tamen hoc non esse contra demonstrationem Aristotelis 8. huius, text. 10. & inde. Probatur, quia Aristoteles nititur ibi ostendere, quòd mundus est perpetuus, & tamen per conclusionem præsentem possibile est, quòd aliquid perpetuò dependeat à sua causa.

Secunda conclusio. Effectus causæ conseruantis non minùs dependet à causa sua, postquam factus est, quàm dependeat in *fieri*. Probatur, quia Sol non habet se aliter conseruando lumen productum, quàm producendo nouum; immò non cum maiori conatu producit, quàm cõseruet, immò omnino eodem modo dependet lumen in *conseruari*, sicut in *fieri*. Et sicut dicitur de lumine respectu luminosi; ita potest dici de istis inferioribus respectu Dei, scilicet quòd quodlibet istorum inferiorum tam dependet à Deo, quando productum est; sicut quando producitur, & ideò si *A* sit causa conseruans *B*, sequitur quòd si *A* non est, vel non conseruet *B*, quòd *B* non est. 7.

Effectus nedum in fieri, sed etiam in facto esse dependet à causa conseruante.

Sed contrà obiicitur: quia sicut patuit super primo in quæstion. de modo naturalis conseruationis, res naturalis potest conseruari sub minori dispositione, quàm produci potest; igitur res naturalis non tantum dependet ab efficiente in *conseruari*, quantum in *fieri*. 8.

Secundò, quia si Deus continuè influeret in istis inferioribus, sequeretur quòd quælibet res esset successiua, ex quo continuè per nouam influentiam fieret de nouo.

Ad primum istorum dico, quòd non est simile de causa prima conseruante, & aliis dispositionibus naturalibus, mediantibus quibus effectus conseruatur: nam prima causa conseruat, & agit sine conatu; sed dispositiones naturales,

vt caliditas, frigiditas, & huiusmodi, sæpè conseruant cum conatu, scilicet quando contrarium est applicatum.

Ad secundum, dico, quòd non debet intelligi, quòd quælibet res alia à Deo continuè nouiter producatur, sed debet intelligi, quòd continuè conseruatur per primam causam, ita vt si vellet non conseruare, illa res esset.

9. *Causa producens tantùm, & causa conseruans septem modis differunt.*

Ex quo possunt inferri quædam differentiæ inter causam producentem tantùm, & causam conseruantem. Differunt enim primò, quia causa conseruans est nobilior, & perfectior suo causato: vt luminosum est perfectius lumine, & prima causa est perfectior aliis: sed de causa producente, quæ non est conseruans, non oportet, vt argutum fuit ante oppositum. Secundò differunt, quòd causa conseruans non necessariò præcedit suum effectum: immò simul est cum effectu. Vnde si luminosum esset subitò præsentatum medio disposito ad receptionem luminis, subitò produceret lumen; sed causa producens necessariò præcedit suum effectum. Tertiò differunt ex parte motus: quia agens producens agit per verum motum, vel mutationem; sed conseruans non nisi impropriè. Quartò differunt, quia agens producens agit successiuè, sed conseruans agit subitò quantum est ex parte sui. Quintò differunt ex parte effectus: quia possibile est, quòd aliquis effectus dependeat æternaliter à causa conseruante; sed hoc est impossibile de causa producente tantùm. Sextò, quia effectus causæ conseruantis dependet à causa sua in *conseruari*, & in *fieri*, sed effectus causæ producentis dependet à causa sua in *fieri* solùm. Septimò, quia effectus causæ conseruantis non habet contrarium, vt patet de lumine, sed effectus causæ producentis habet; patet igitur, quid sit causa conseruans, & quæ producens, & quomodo differant ab inuicem, & hoc de primo modo.

10. Quantum ad secundum modum, notandum, quòd quando plures causæ concurrunt ad eundem effectum, vel illæ causæ sunt sibi inuicem causæ subordinatæ, vel non. Si non; tunc vel omnes concurrunt per modum vnius causæ, vel per modum diuersarum causarum. Exemplum primi, quia ad [d] generationem Socratis concurrunt pater suus, cœlum, Intelligentiæ, & Deus: & in talibus causis subordinatis nulla dicitur totalis, vel partialis: immò quælibet talis producit totum effectum. Vnde non est imaginandum, quòd de igne genito Deus producat vnam partem, & ignis generans aliam, immò quælibet causarum subordinatarum producit totum effectum, ad quem concurrunt. Exemplum secundi; vt si plures homines traherent nauem mediante vnâ chordâ, omnes illi concurrunt per modum vnius causæ, & in illis non inuenitur causa totalis, vel partialis, quia quilibet trahit totam nauem, & ex hoc non sequitur, quòd alij superfluant: quia nullus trahit totam nauem totaliter, vt ly *totaliter* designat totam virtutem trahentis. Exemplum tertij, vt si Socrates, & Plato applicentur ad leuandum vnum lapidem a diuersis partibus, quem neuter illorum sufficeret leuare solitariè, tunc ad leuationem lapidis isti duo concurrunt per modum diuersarum causarum, & ideò vterque eorum est causa partialis leuationis, & hoc de secundo modo.

11. *Causa dicitur vniuersalis tripliciter.*

Quantum ad tertium modum, notandum, quòd aliqua causa dicitur vniuersalis tripliciter, vno modo in prædicando, & sic terminus communior significans causam est vniuersalior, quàm terminus minùs communis, vt artifex est causa vniuersalior, quàm ædificator, & hoc dictum est in textu. Alio modo dicitur causa vniuersalis in causando, & tunc vniuersalitas causæ attenditur penes diuersitatem effectuum, quos illa causa potest producere. Secundò penes diuersitatem locorum, in quibus potest simul producere diuersos effectus; & tertiò penes diuersitatem temporum, in quibus potest producere diuersos effectus successiuè, ita quòd illa causa dicatur vniuersalior, quę potest simul producere effectus plures in pluribus locis, aut in pluribus temporibus potest plures effectus producere.

Ex quibus sequitur, quòd Deus est causa vniuersalior, quàm cœlum, & cœlum causa vniuersalior sole, & sol causa vniuersalior quàm ignis hic inferior, & ideò causa dicitur maximè particularis, quæ vnius solius effectus est productiua. Et sic patet quæ causa dicatur vniuersalis, & quę particularis, & hoc de tertio modo.

Quantum ad quartum, notandum, quòd aliqua causa potest dici mediata, vel [a] immediata alicuius effectus tripliciter, vno modo dicitur causa mediata, quia non est coniuncta effectui secundùm locum, & sic cœlum dicitur causa mediata huius effectus: scilicet ignis hic producti. sed isto modo Deus dicitur causa immediata; non quia propriè coniungatur effectui, sed quia cuilibet rei ipse est indistans. Secundo modo dicitur causa mediata: quia non influit in effectum: & isto modo agens consiliatiuum, vel occasionale potest dici causa mediata, & tunc illa causa dicitur immediata, quæ influit in effectum, & sic cœlum dicitur causa immediata effectus hic producti, quia licèt non attingat effectum, immediatè tamen in ipsum influit, vt patet *primo Meteororum*, & sic tangit ipsum secundùm influentiam. Tertio modo dicitur causa immediata, quæ non determinatur per aliud agens magis particulare ad producendum hoc, vel illud, sed dicitur causa mediata, quæ determinatur per vnum, vel plura agentia particularia, ad productionem istius effectus, magis quàm alterius. Verbi gratiâ, causæ vniuersales vt Deus, & cœlum dicitur causæ mediatæ effectus hic producti, eo quòd ad productionem illius effectus determinantur per agentia particularia, vt puta per ignem, & calorem, & per motum, & lumen: & sic ignis dicitur causa immediata, vel etiam calor, quia non determinatur per aliquod agens magis particulare ad producendum hoc, vel illud, & sic patet quæ causa dicatur mediata, & quæ immediata. 12. *Causa potest tripliciter dici immediata, vel mediata.*

De quinto notandum, quòd de causis concurrentibus ad eundem effectum semper causa principalior est perfectior, & nobilior, & è contra causa minùs principalis, seu instrumentalis est causa minùs perfecta, siue ignobilior, ita vt principalitas causæ sit per comparationem plurium effectuum ad inuicem respectu eiusdem effectus, quæ cognoscitur penes comparationem ipsarum ad inuicem in perfectione, & nobilitate. Et si quæratur penes quid attenditur perfectio, & nobilitas causæ. Respondetur, quòd perfectio & nobilitas causæ potest cognosci ex tribus, primò, supponendo, quòd in ordine causarũ sit vna causa prima independens ab aliquo alio, & à quo omnia alia dependent, vt patet 1. *Metaphysicæ*, quæ causa est perfectior, & nobilior omnibus aliis causis. 13. *Perfectio causæ ex tribus cognosci potest.*

Tunc dico primò quòd perfectio causæ cognoscitur per appropinquationem ad causam primam secundùm perfectionem, ita vt demonstratis duabus causis, quarum vna est propinquior causæ primæ, & alia remotior: tunc illa propinquior est perfectior remotiori. Secundò cognoscitur perfectio causæ per modum agendi; quia illa causa est perfectior, quæ agit conseruando, & cum hoc producendo, quàm illa quæ agit producendo tantùm. Similiter modus agendi subitò, est perfectior quàm modus agendi successiuè. Tertiò cognoscitur per nobilitatem effectuum, & ideò dicitur, quòd magnitudo effectus demonstrat omnipotentiam conditoris.

Ex quibus sequitur comparando causas ad inuicem, quòd dispositio accidentalis est causa minùs principalis, quàm forma substãtialis, & quòd omnium causarum concurrentium ad aliquem effectum causa prima est principalissima, nec potest ministerialiter concurrere ad aliquem effectum. Et sic patet quæ causa dicatur principalis, & quæ instrumentalis, & hæc de quinto modo.

14. Nunc ad rationes. Ad primam dico, quòd causa est efficiens, quando agit: nec obstat, quòd effectus non est; quia causa dicitur efficiens effectus, eo quòd est effectiua transmutationis ad effectũ.

Ad secundam, causa & effectus simul sunt, &c. Dico intelligitur maximè de causa conseruante, sed de producente exponitur sic, quòd dum effectus actu producitur, causa actu producit.

Ad tertiam dico, quòd in omni actione causa principalis, vt est Deus, est nobilior effectu producto, sed de minùs principalibus, & instrumentalibus non oportet.

Ad quartam, negatur consequentia, vt est propriè illa distantia. Ad probationem dico, quòd non fit ibi additio secũdùm proportiones [f] multiplices, sed præcisè secundùm proportiones superpartientes, vel superparticulares, & ideò producere totum est præcisè duplo difficilius, quàm producere medietatem. Ideò nego cõsequentiam.

Ad quintam dico, quòd nihil est in passo, quod priùs fuit in agente, nec actio fit per exitum alicuius ab agente; nec ex hoc sequitur, quòd solus contactus sufficiat ad actionem: immò requiritur, quòd agens habeat in se aliquod principium, mediante quod sufficiat transmutare passum.

Ad sextam nego consequentiam, & propter istud dico, quod nullis duobus ignibus determinatur, verum est de vno, quòd sit productus ab alio præcisè, sed semper ab alio mediante adminiculo partium prædictarum priùs, & hoc sufficit ad demonstrandum hoc esse agens illius, & hæc de quæstione.

ANNOTATIONES.

15. *Definitio causæ.* [a] *Causa efficiens est illud, per quod alterum est tanquam ab illo:* Nota causam esse ad cuius esse aliud sequitur emanatione reali, vbi ly *aliud* denotat effectum aliam naturam numero distinctam habere à causa, ex quo sequitur Theologicè, quòd Verbum diuinum non est effectus Patris æterni, nec Pater est eius causa: similiter Spiritus sanctus non est effectus Patris, & Filij, neque Pater, & Filius eius causa, quamuis enim Pater producat Filium, & Pater, & Filius, Spiritum sanctum, tamen eandem numero naturam diuinam habet Filius cum Patre, & Spiritus sanctus cum Patre, & Filio.

[b] *Dicerentur, quòd Deus producit illum calorem.* Nota quòd Gabriel Biel in 4. d. 1. quæst. 1. tenet solum Deum producere quotquot effectus hîc in inferioribus producuntur, causasque secundas nihil agere, sed solùm esse præsentes ad tales effectus producendos, ita quòd Deus ad pręsentiam ignis calefacit, & ad præsentiam aquæ frigefacit. Cæterũ hęc Gabrielis opinio est erronea, aduersatur enim sacræ Scripturæ. Nam Gen. 1. dicitur, *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Vbi datur virtus agendi rebus. Et Dam. 1. de fide Orthodoxa, cap. 9. inquit. Dedit Deus plantis virtutem altricem, auctricem, & generatricem, & D. Ambros. 3. Hexaëmeron, cap. 6. & 8. Dedit, inquit, Deus terræ virtutem generandi herbas ex semetipsa sine alterius adiutorio.

[c] *Res successiua si aliqua sit, &c.* Nota quòd ideò dicit Scotus, si aliqua sit: quia fuit aliquorum sententia, motum non distingui à mobili, & à termino *ad quem*; sed esse idem realiter, & formaliter cum mobili, & cum termino; quæ opinio est valde improbabilis: nam cùm in motu alterationis acquiratur accidens, & mobile sit substantia, idem formaliter erit substantia, & accidens. Aliorum sententia fuit, motum idem esse realiter cum mobili, distingui autem realiter à termino. Hæc opinio in hoc, quòd dicit motum esse idem realiter cum mobili, coincidit in idem ferè inconueniens, in quod prima opinio; in hoc autem quòd asserit motum distingui realiter à termino, videtur contradicere Aristoteli affirmanti motum non esse præter rem ad quam est. Propter ergo has duas opiniones locutus est hîc Scotus dubitatiuè; quæ autem sit eius sententia videbimus in 3. huius, quæst. 7. 16.

[d] *Ad generationem Socratis concurrunt pater suus, cœlum, Intelligentia, & Deus.* Nota quòd Deus immediatè concurrit cum omni causa particulari ad quemcumque effectum, quod non solùm est verum secundùm Philosophos, sed etiam est certum secundùm Theologos. Nam Iob 10. dicitur, *Manus tua Domine fecerunt me*, & Psal. 146. *Qui producis in montibus fœnum*, & Matth. 6. *Fœnum agri sic vestit Deus*, &c. & Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Patet etiã ex Proclo Philosopho in lib. de causis, c. 1. dicente, omnis causa primaria plus est influens, super causatum suum, quàm causa vniuersalis secunda: quia causa vniuersalis prima agit in causatum causæ secundæ, antequam agat in ipsum causa vniuersalis secunda; & parùm infrà dicit, omnem operationem, quam causa secunda efficit, prima etiam causa efficit. Vnde D. Augustinus 3. de Trinit. cap. 3. & 4. vocat creaturas proximas causas; Deum verò primam, quæ si suspenderet actionem suam, causæ inferiores non agerent, ergo Deus cum illis operatur. *Deus immediatè concurrit cum omni causa secunda.*

Ex hoc sequitur erroneam esse Durandi sententiam in 2. Sententiarum d. 1. asserentis ita causas particulares suos effectus producere, vt nulla superiori causâ, neque ipso Deo indigeant adiuuante: quia virtute (inquit) iam ab ipso traditâ Deo operantur. 17. *Durandi erronea sententia.*

[e] *Aliqua causa potest dici mediata, vel immediata, &c.* Nota quòd aliquam causam immediatè attingere effectum dupliciter contingit. Vno modo immediatione suppositi, altero verò modo immediatione virtutis. Agere immediatione suppositi est, quòd ipsum suppositum agens *Causam immediatè attingere effectum bifariam contingit.*

attin

attingat suppositum patiens, vt si ignis applicetur combustibili, & è contra, illud dicitur agere mediatè mediatione suppositi, quod applicat aliud suppositum ad agendum. Vt pictor penicillo attingit tabulam, in qua pingit, & faber lignarius per serram scindit lignum. Illud autem dicitur agere immediatè immediatione virtutis, quod agit virtute propria, non attingens per se ipsum recipiens; vt Sol virtute sua attingit hæc inferiora, quæ calefacit, ipsum verò suppositum Solis non iungitur ipsi terræ, quam calefacit, & è contra illud dicitur agere mediatè mediatione virtutis, quod agit virtute aliena, vt serra non propriâ virtute scindit lignum, sed quia mota est ab artifice. Causæ igitur particulares attingunt ad suos effectus producendos, aliquando immediatè immediatione suppositi, & semper immediatione virtutis. Causæ verò vniuersales secundæ, vt Sol, & cœlum attingunt immediatè immediatione virtutis tantùm: Deus autem qui est prima & vniuersalissima causa intimius, & immediatius, quàm omnes causæ vtroque modo immediationis attingit effectus: quia vt hîc dicit Scotus cuilibet rei est indistans, quia in omnibus est per essentiam.

18.
Deus quatuor modis causat in his inferioribus.

Obserua tamen, Deum quadrupliciter habere causalitatem in his inferioribus. Primò quia dat virtutem operandi aliis causis. Secundò: quia conseruat virtutem illarum causarum, earúmque *esse* vt operentur. Tertiò, quia mouentur à Deo, priùs enim naturâ Deus mouet orbes cœlestes, causásque particulares ad agendum, quamuis omnes simul concurrant ad operationem, neque datur instans, in quo Deus sine causis, aut è contra operetur. Quartò vt artifex operatur per instrumenta; sic Deus cum istis causis. Similitudo autem stat in hoc, quòd sicut artifex diuersis instrumentis diuersa operatur: sic Deus diuersis causis. Est autem dissimilitudo: quia Deus ex eo quòd essentia eius est infinita immediatissimè quacunque immediatione attingit effectum; artifex autem non nisi mediante instrumento. Secundò etiam sunt dissimiles, quòd instrumentum nullam à se actionem habet: quia nullam habet virtutem agendi in se ipso permanentem, sed tantùm motum recipit ab artifice; causæ verò secundæ receperunt à Deo virtutes, quibus verè operantur, quamuis à Deo dependenter.

19.
Proportio est multiplex.

f *Non fit ibi additio secundùm proportiones multiplices*, &c. Nota (vt diffusiùs videbimus lib. 7. Physic.) quòd proportio est multiplex, scilicet alia rationalis, alia irrationalis. Proportio rationalis alia æqualitatis, alia inæqualitatis. Proportio inæqualitatis alia est maioris, alia minoris inæqualitatis, quarum quælibet quid sit, videbimus vbi supra. Pro nunc obserua, quòd proportio maioris inæqualitatis alia est multiplex, alia superparticularis, & alia superpartiens. Proportio multiplex est habitudo duarum quantitatum, quarum vna continet aliam adæquatè aliquoties, qualis est quaternarij ad binarium. Proportio superparticularis est proportio duarum quantitatum, quarum maior semel minorem continet, & vnam eius partem aliquotam, qualis est proportio ternarij ad binarium. Ternarius enim continet binarium semel, & præterea vnum, quod est pars aliquota binarij. Proportio superpartiens est proportio duarum quantitatum, quarum maior continet semel minorem, & eius aliquot partes aliquotas, id est, quarum quælibet sit aliquota, dummodo non faciant simul coniunctæ vnam aliquotam: nam si faciant vnam aliquotam, erit proportio superparticularis supra dicta. Huiusmodi proportionem habet quinarius ad ternarium: quinarius enim continet semel ternarium, & duas vnitates, quarum quælibet est pars aliquota ternarij, ambo verò simul nullo modo sunt eius pars aliquota. Istarum autem proportionum sunt multæ species, vt videbimus loco suprà relato, applica ad propositum & speculare.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm finis sit causa.

Aristot. *cap. 3. text. 29. & 32. cap. 8. text. 77. & 1. de partibus animal. cap. 1. & 1. Metaph. cap. 3.* Simplic. Philopon. Themist. 2. *Physic. text. 29.* Auerroes *comm. 29.* Alber. 2. *Physic. tract. 2. cap. 5.* D. Thom. 2. *Physic. cap. 3. & 1 par. quæst. 6. art.* Mayron. 2. *Physic. part. 7.* Suarez *tom. 1. Met. disp. 23.* Fonseca *tom. 2. Metaph. lib. 5. cap. 2. quæst. 11.* Canonic. 2. *Physic. quæst. 3. art. 1.* Conimbr. 2. *Physic. cap. 7. quæst. 20.* Compluten. *disp. 14. quæst. 2.* Ruuius *tract. 5 q. 1.* Roccus *q. 7.* Fuentes 2. *Phys. q. 7. diffic. 2.* Faber *Theor. m. 56.*

ARGVITVR quòd non: quia principium, & causa sunt idem, sed finis non est principium: igitur non est causa. Maior patet per *quid nominis* istorum terminorum *causa*, & *principium*. Et minor est nota: quia principium, & finis ex opposito distinguuntur. 1.

Secundò: quia vel finis est causa, quando effectus est, & hoc non: quia quando est labor, nondum est sanitas propter quam homo laborat, vel quando effectus non est: & hoc non, quia benè sequitur, hoc non est, igitur hoc non est causatum, & si non est causatum, illius finis non est causa.

Tertiò, illud non est causa, quod sequitur ad aliud, sed finis est huiusmodi, cùm effectus sensibilis præcedat finem, ergo, &c.

Quartò, causa est prior, & nobilior causato, & hæc præcipuè intelligitur de causa finali, cùm finis sit causa causarum: sed finis non est prior, aut nobilior suo effectu, nam operatio rei est finis illius, cuius est operatio, & tamen est minùs nobilis, & posterior operante.

Quintò, vel accipitur finis pro intentione agentis, vel pro illo, quod intenditur ab agente; non primo modo: quia propter illud agens non agit; nec secundo modo: quia agens debet moueri à fine, & tamen res intenta non mouet cum fine, cùm adhuc non sit, ergo, &c.

Sextò, si finis esset causa, tunc esset nobilior ordinatis in finem, quod est falsum: cùm corpora cælestia sint nobiliora inferioribus, propter quæ tamen agunt. 2.

Diuisio quæstionis.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. huius cap. 1. tract. 3. text. 29. In quæstione Primò intelligendæ sunt diuersæ distinctiones de fine, quas posuit Aristoteles & Commentator in diuersis locis. Secundò respondebitur ad quæsitum.

Finis multipliciter sumitur.

Quantum ad primum, notandum, quòd finis accipitur multipliciter. Nam aliquando accipitur pro vltimo rei, sicut dicimus, quòd punctus est finis lineæ, instans finis vitæ. Alio modo accipitur finis pro vltimo bono, gratia cuius agens agit, & hoc innuit Aristoteles 2. huius: & tunc finis, vt est vltimum bonum, quandoque accipitur pro intentione agentis: quandoque pro re intenta ab agente. Exemplum primi, vt similitudo domus, quam domificator habet in mente, dicitur finis, qui est

in mente cognoscentis, & iste finis reducitur ad causam efficientem, eo quòd mouet agens ad executionem boni intenti: exemplum secundi. Domus est res intenta à domificante, & est finis, gratia cuius agit domificatur.

De quo fine notandum est, quòd res intenta ab agente, seu finis quandoque intenditur appetitu animali, qui est cognitio determinans agens, vt quando domificator intendit domum; quandoque intenditur appetitu naturali, vt locus deorsum intenditur à graui existente sursum appetitu naturali; quæ est inclinatio, seu impetus formæ substantialis grauis, seu grauitatis.

3. Tertiò est notandum de fine, qui est bonum intentum ab agente, quòd quidam est finis primaria intentione, & est ille, quem agens principaliter intendit. verbi gratiâ. priùs naturâ corpora cœlestia primariâ intentione cum Intelligentiis agunt propter Deum, & Deus propter se ipsum, sed secundariâ intentione propter ista inferiora. Exemplum secundi, quia agens naturale in agendo, vt ignis in agendo primariâ intentione intendit assimilationem passi, sed secundariâ intentione intendit corruptionem sui contrarij; & sic finis secundariâ intentione est ille, qui minùs principaliter intenditur ab agente.

Finis quomodo sit nobilior vel æquè nobilis his quæ sunt ad finē.

Differunt autem isti fines ab inuicem: quia finis primariâ intentione est æquè nobilis, vel nobilior ordinatis in finem; sed hoc non est verum de fine secundariæ intentionis; quia ista inferiora sunt minùs nobilia Deo, & Intelligentiis, qui tamen agunt secundariâ intentione propter ista inferiora.

Finis duplex gratiâ cuius, & quo.

Quartò notandum, quòd quidam est finis *gratia cuius*, & alius est finis *quo*; finis *gratia cuius* est finis principaliter intentus ab agente; finis *quo* est ille, mediante quo intenditur finis principaliter intẽtus; vt quando aliquis laborat propter sanitatem; labor est finis *quo* acquiritur sanitas, quæ est finis gratia cuius respectu prioris; & finis prior est finis *quo* respectu posterioris.

4. Sed obiicitur: quia omnis finis *gratia cuius* est finis *quo*, igitur diuisio non valet. Tenet consequentia, quia bonæ diuisionis membra debent ab inuicem separari saltem particulariter. Probatur antecedens: quia si esset aliquis finis *gratia cuius*, qui non esset *quo*, maximè esset Deus: modò est finis *quo* omnia sunt & fiunt. Ad istud, negatur antecedens. Ad probationem, quando dicitur, quòd Deus est *quo* omnia, &c. dico, quòd Deus est finis *gratia cuius*, & nullo modo finis *quo*, & tunc dico, quòd ista dictio *quo*, vel denotat causam efficientem principalem, & tunc conceditur, quòd Deus est id, quo omnia sunt, vel fiunt; vel denotat causam instrumentalem, quo acquiritur finis principaliter intentus; & tunc nego, quòd Deus est id, quo omnia sunt, & fiunt.

Finis est duplex, scilicet generationis, & rei genitæ.

Quintò notandum, quòd quidam est finis generationis, alter est finis rei genitæ. Finis generationis est forma substantialis rei genitæ. Sed finis rei genitæ est ipsa res generata, vt postea probabitur, vel operatio ipsius; vt fœlicitas est finis hominis, esse fœlicem, vel esse perfectum per operationem est finis generatæ, & hæc de primo.

Finis est causa.

Quantum ad secundum, sit prima conclusio ista, finis est causa. Probatur. Illud est causa propter quod alterum est, vt patet ex definitione causæ, sed propter finem alterum est: ergo, &c. Minor est nota: quia propter sanitatem est labor, & ita inducendo in aliis: quia sanitas non est causa laboris in genere causæ efficientis, quia efficiens præcedit tempore suum effectum, vel saltem simul est cum effectu, & tamen sanitas sequitur laborem, nec labor est propter sanitatem, tanquam propter materiam, vel formam, vt notum est; igitur est propter ipsam tanquam propter finem.

Secundò: quia illud est causa, per quod conuenienter respondetur ad quæstionem quærentem, quid est hoc; sed hoc fit per finem, igitur, &c. Maior est nota, quia quæstio propter quid quærit causam, & minor patet: quia si quæratur, propter quid Socrates laborat, respondetur, vt sanus efficiatur. 5.

Secunda conclusio. Quælibet res mundi agit naturaliter propter se ipsam tanquam propter finem principaliter intentum, & primaria intentione. Et dico notabiliter *naturaliter*, quia aliquis voluntariè potest eligere alium finem propter quem principaliter agat, vt puta Deum. Probatur conclusio, quòd quælibet res mundi agit naturaliter propter illud, quod est sibi maximè bonum, & summè dilectum, intelligendo de dilectione naturali, vel animali; sed cuilibet rei est ipsamet sibi summè bona, & maximè dilecta; ergo, &c. Maior est nota: quia propter hoc dicimus, quòd Deus agit propter se ipsum, eo quòd maximè diligit se ipsum; & minor patet, quia quælibet res diligit seipsam permanere, & esse inquantum potest, per Commentatorem in fine primi huius, comm. 81. igitur si aliquid aliud magis diligeret esse, quàm se ipsum, sequeretur quòd aliquid aliud magis diligeret quàm potest diligere, quod implicat contradictionem.

Secundò, quia in imminenti casu non esse alicuius rei, illa res plus fugeret suum non esse, quàm fugeret non esse alicuius alterius rei, igitur illa res plus se diligit esse, quàm aliquam aliam rem. Tenet consequentia, & antecedens apparet in his, quæ fugiunt contrarium applicatum. Contra conclusionem arguitur: quia de duobus bonis melius est eligendum; sed Deus est melior Socrate, igitur Deo, & Socrate positis, Socrates potiùs habet diligere Deum, quàm Socratem. Secundò si Socrates magis diligeret se quàm Deum, tunc sequeretur, quòd magis vellet Deum non esse, quàm Socratem non esse. Consequens est falsum: quia ad Deum non esse, sequitur Socratem non esse, & per consequens volendo Deum non esse, vult Socratem non esse.

Tertiò, quia manus diligit se non esse potiùs, quàm aliquod membrum principale non esse, igitur manus non agit propter se ipsam finaliter. Tenet consequentia ex prædictis, & antecedens apparet: quia manus exponit se pro aliis membris. 6.

Quartò, per experientiam de gallina, quæ exponit se miluo pro pullis, & de homine, qui exponit se periculo propter animata.

Ad ista; ad primum dico quòd de duobus bonis maius non est eligendum, nisi ambo sint æquè proxima eligenti, & ideò cùm quodlibet sit proximum sibi ipsi, quodlibet est magis eligibile sibi ipsi, quàm aliquod aliud.

Ad secundum, conceditur consequens, ad probationem falsitatis dico, quòd Socrates non vellet consequentiam esse bonam: immò in infinitum plus vellet Deum non esse, quàm vellet illam consequentiam esse bonam.

Ad tertium de manu dico, quòd si manus haberet inclinationem distinctam, ita quòd non

regere

regeretur à corpore, potiùs vellet omnia membra non esse, quàm ipsam non esse, sed quia homo habet vnam inclinationem quæ regit omnia membra, ideò per illam in casu necessitatis exponit membrum minùs nobile pro nobiliori.

De experientiis dico, quòd tales exponunt se spe euasionis, cuius signum, quòd gallina multum afflicta à miluo fugit & dimittit pullos. Nunc ad rationes. Ad primam, soluta est: quia ibi accipitur *principium* æquiuocè, & etiam *finis*.

7. Ad secundam, vel quando est, &c. Propter istam rationem notandum, quòd finis rei, quandoque est substantia, sicut probatum est, quòd quælibet res mundi est finis sui ipsius, similiter sicdicimus, quòd Deus est finis omnium, sic etiam dicit Aristoteles 2. huius, text. 24. quòd nos sumus quodammodo finis omnium: & isto modo causa finalis, & eius effectus sunt simul, immò aliquis finis præexistit effectui, sicut Deus. Alius est finis, qui est actus, vel operatio rei, sicut dicimus quòd felicitas est finis hominis, & tunc finis sequitur effectum, cuius est finis; & isto modo conceditur quòd finis est causa effectus, quando finis non est: quia hoc nomen *causa*, est nomen ampliatiuum, vt dictum fuit priùs, & ideò non sequitur, finis est causa, igitur finis est. Et si obiiciatur, quòd talis qualitas, vel operatio non potest esse finis: quia finis est perfectior, nobilior, & melior ordinatis ad finem, sed talis operatio, vel qualitas, cùm sit accidens, non est nobilior ordinato in finem, qui est substantia; igitur talis qualitas, vel operatio non est finis. Secundò, à verbo *est* tertio adiacente, ad verbum *est* secundum adiacens est bona consequentia, igitur sequitur, finis est causa, igitur finis est. Respondetur ad primum vno modo, quòd qualitas, vel operatio alicuius rei, & substantia, cuius est operatio illa, non possunt ad inuicem comparari in perfectione, bonitate, & nobilitate: quia bonum accipitur dupliciter; vno modo pro perfectione essentiali, & alio modo pro bono moris: modò si substantia, & qualitas, & operatio comparentur ad inuicem primo modo, tunc non est dubium, quin substantia est in infinitum perfectior qualitate, & operatione: sed si comparentur ad inuicem secundo modo, tunc est comparatio abusiua: quia comparatio non conuenit in illo, in quo comparatur; fœlicitas non est bona moraliter, sed est id, quo homo est bonus moraliter. Aliter dicitur, quòd fœlicitas circumscripto homine, non est melior homine, sed homo fœlix est melior, quàm homo sine fœlicitate, & ita homo agit finaliter non propter fœlicitatem, sed vt sit fœlix per fœlicitatem, & hoc patuit in tertio modo. Ad secundam instantiam dicitur, quòd illa regula intelligitur in terminis non ampliatiuis, & ideò non sequitur, *Antichristus est possibilis: ergo Antichristus est.* Tertio modo accipitur finis secundùm aliquos pro significato per vnum singulare complexè, & sic diceretur quòd fœlicitas non est finis hominis, sed hominem esse fœlicem est finis hominis.

Bonum est duplex.

Ad tertiam rationem dicitur sicut ad secundam.

8. Ad quartam dico, quòd hoc intelligitur de fine primariâ intentione, & hoc vltimato, quia talis est nobilior ordinato in finem; vel saltem æquè nobilis. Etsi exponatur de significato per singulare complexè, diceretur quòd hominem esse fœlicem est nobilius, & perfectius quàm hominem, & inquirere quid sit illud, pertinet ad Metaphysicū.

Ad quintam, dico quòd accipitur finis pro illo, quod intenditur ab agente, & quando dicitur, quòd finis mouet, hoc est verum de fine, qui est intentio agentis.

Ad sextam concedo eo modo, quo est expositum: modò cœlum non agit primariâ intentione propter ista inferiora, sed secundariâ intentione. Ideò non oportet, quòd cœlum sit minùs nobile istis inferioribus.

EXPOSITIO TEXTVS.

Dicitur autem 1 & fortuna & casus. Iste est quartus tractatus huius 2. in quo Philosophus determinat de casu, & fortuna, scilicet de causis per accidens rerum naturalium: & diuiditur in quatuor capita. In primo determinat de casu, & fortuna secundùm opiniones antiquorum: in secundo ostendit, quid sint casus & fortuna definitiuè: in tertio ostendit quomodo differunt casus & fortuna: & in quarto ostendit ad quod genus causæ reducuntur casus & fortuna. Secundum ibi, *Primum igitur cum videamus.* Tertium ibi, *Differunt autem quoniam casus in plus est.* Quartum ibi, *At de modis causarum.* Primum diuiditur: quia enim primò præmittit intentionem, secundò prosequitur, ibi, *Quidam enim etsi sint, an non.* Primò dicit, quòd casus, & fortuna dicuntur causæ multorum effectuum, & etiam dicuntur de genere causarum, & ideò considerandum est primò in quo genere sunt casus & fortuna: secundò vtrùm idem sint casus, & fortuna; & tertiò quid sit fortuna, & quid casus. 9. Text. 39.

Fortuna & casus quatenus causa.

Quidam enim etsi sint, an non dubitant. Hic exequitur intentum, & recitat tres opiniones. Secunda ibi, *Sunt autem quidam.* Tertia ibi, *Sunt autem.* Primò recitat primam opinionem, & rationes eorum. Secundò soluit ibi, *Sed & hoc mirabile.* Prima opinio fuit, quòd nihil fit à casu, vel fortuna. Probatur, quia illud non euenit à casu, & fortuna, cuius est aliqua determinata causa, sed cuiuslibet rei est aliqua determinata causa, ergo, &c. Maior est nota; & minor patet de isto effectu, quem dicimus à fortuna, vt si aliquis veniens ad forum reperiat debitorem, quem non est opinatus inuenire, à quo recipiat pecuniam, pro qua emat equum; emptio equi est à fortuna, sicut inuentio debitoris, & tamen huiusmodi inuentionis est aliqua determinata causa, scilicet *venisse ad forum.* Text. 40.

Quoniam 2 si aliquid esset fortuna. Ponitur secunda ratio: quia si casus, & fortuna essent aliquid, magnum inconueniens esset quòd nullus antiquorum sapientium considerantium causas generationis, & corruptionis determinasset aliquid de casu, & fortuna, quasi casus, & fortuna nihil essent. 10. Text. 41.

Sed & hoc 3 mirabile. Hic soluit istas rationes. Secundam ibi, *Quocirca & quodammodo.* Vnde Aristoteles dicit, quòd mirabile videtur, quòd casus & fortuna non essent, cùm multa sint, & fiant à casu, & fortuna, nec nos ignoramus, quòd effectus casualis, vel fortuiti sit aliqua determinata causa, sed non est determinata respectu illius effectus, verbi gratiâ, licèt transitus ad forum sit causa determinata, tamen non respectu huius effectus, qui est *inuenire debitorem*, non opinatum inueniri, eo quòd in paucioribus accidit, & præter intentionem agentis. Text. 42.

Quo 4 circa & quodammodo. Remouet secundam rationem, & ostendit Aristoteles quòd antiqui, Text. 43.

antiqui fecerunt mentionem de casu, & fortuna. Nam quidam, vt Empedocles, posuit entia naturalia quandoque congregari, & quandoque segregari à casu, & fortuna per litem, & amicitiam. Similiter posuerunt partes aliquando sic disponi à fortuna, qualiter disponuntur: & ideò antiquis fuit determinatè considerandum de casu & fortuna: & sic ratio eorum magis accusabat antiquus, quàm probet casum, & fortunam non esse.

11. Text.44. *Sunt autem 5 quidam, qui & cœli.* Recitat secundam opinionem, quæ erat, quòd omnia fiunt à casu, & fortuna, ita quòd casus & fortuna fuit essa motus cœli, & omnium mundanorum, ibi, *à casu enim fieri dicunt*, &c. Improbat illam opinionem tripliciter. Primò, quia si casus, & fortuna essent causæ cœli, sequeretur quòd omnia quæ sunt, essent à casu, & à fortuna. Consequens est falsum, & consequentia patet: quia omne illud est à casu, quod est ab illo, quod est à casu, sed omnia quæ sunt, sunt à cœlo, quod per te est à casu: igitur omnia quæ sunt, sunt à casu: & istam probationem ponit Commentator, & contra Aristotelem obiicitur, com. 44. quia in casu prædicto emptio equi est ab eo, quod est à casu, & tamen emptio equi non est à casu, cùm sit cum intentione ementis. Respondetur, quòd maior debet intelligi, quòd omne illud est à casu, quod fit ab eo, quod est à casu, si non potest euenire ab alio, quàm ab illo: modò impossibile est, quòd entia sint, quia fiunt à cœlo. Ideò probatio fuit bona.

Text.45. Tunc ibi, *Et valde*, hæc est 2. ratio, 6 quia istud est valde admirabile dicere, quòd animalia, & plantæ nec sunt, nec fiunt à fortuna, sed fiunt à natura, vel ab intellectu, vel ab alia causa; verbi gratiâ, oliua fit ex semine oliuæ, & homo ex semine hominis: & tamen cœlum, quod est multo diuinius

Text 46. animalibus, & plantis, fiat à casu, & non ab aliqua causa, sequitur, ibi, *Atqui si sic 7 se habeat.* Ponitur tertia ratio, quòd dignum non est aliqualiter insistere circa istam opinionem: quia in istis inferioribus videmus multa fieri à casu, & fortuna, & in cœlo videmus omnia vniformiter euenire, nec apparet aliquid euenire à casu, vel fortuna in cœlo: igitur potiùs debuissent dixisse è contrario, scilicet, quòd ista inferiora fiunt à casu & fortuna, sed corpora cœlestia non.

12. Text.47. *Sunt 8 autem quidam.* Recitat tertiam opinionem, & est quorundam, qui ponebant quòd fortuna est causa, sed tamen est immanifesta humano intellectui tanquam quoddam existens fœlicius & diuinum. Sed istam opinionem non improbat hic Aristoteles, sed eius improbatio patebit ex sequentibus, & ideò determinandum est, quid sit casus, & quid fortuna, & quomodo differunt, & ad quæ genera causarum reducuntur.

Text.48. *Fortuna & casus quatenus causæ.* *Primum igitur 7 cùm videamus.* Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus inquirit definitionem casus, & fortunæ. Et primò facit hoc. Secundò ostendit, quid veritatis contineant opiniones antiquorum. Tertiò mouet quoddam dubium. Et quartò ponit quasdam dispositiones fortunæ. Secundum ibi, *Indefinitas igitur causas.* Tertium ibi, *Quare cùm indefinita.* Quartum ibi, *Fortuna autem bona.* Primum diuiditur: quia primò ponit quasdam diuisiones. Secundò inquirit particulas ponendas in definitione: &

Vide digressionem Auer. super isto textu. Tertiò concludit definitionem fortunæ. Secundum ibi, *Nunc autem sit.* Tertium ibi, *Manifestum itaque.* Primò ponit quatuor diuisiones. Secunda ibi, *Eorum autem.* Tertia ibi, *Horum autem.* Quarta ibi, *Huiusmodi igitur.* Est igitur prima diuisio, quòd eorum quæ fiunt, quædam fiunt semper eodem modo; vt *ortus, occasus, & eclipsis stellarum*, & quòd homo fiat ab homine, & huiusmodi: alia sunt, quæ frequenter fiunt eodem modo; vt quòd in hyeme sit gelu, & in æstate calor: alia sunt quæ nec fiunt semper, nec frequenter, vt inuentio thesauri. Modò Aristoteles ponit istam propositionem, quòd casus & fortuna sunt eorum, quæ eueniunt extrà semper & frequenter: quia quòd istæ sint causæ Aristoteles supponit tanquam manifestum; quia multa scimus euenire à fortuna, tunc igitur vel sunt causæ eorum quæ semper, frequenter, & eodem modo veniunt, & hoc non; vt notum est: igitur oportet quòd sint causæ eorum, quæ veniunt in minori parte.

Eorum autem quæ fiunt. Secunda diuisio, quòd eorum quæ fiunt alia sunt *propter hoc*, id est, notabilis bonitatis, vel malitiæ, vt inuentio thesauri, qui dicitur effectus *propter hoc*, eo quòd si fuisset præscitus, dignû fuisset, vt egisset propter ipsum; sed alia sunt, quæ non sunt *propter hoc*, id est, quæ non sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, vt fricatio barbæ, disruptio festucæ, vel casus pilei, vel capilli. 13.

Horum autem a alia quidem. Tertia diuisio, quòd eorum quæ fiunt alia fiunt, secundùm propositum, id est, quædam fiunt secundùm intentionem agentis, vt illa, quæ intenduntur ab intellectu: alia fiunt: non secundùm propositum, id est, præter intentionem agentis, vt quod euenit cum intento, vel loco intenti: & in vtroque istorum effectuum inuenitur effectus notabilis bonitatis, vel malitiæ: quia propter illos effectus, qui non sunt notabiliter boni, vel mali, non dicitur aliquis fortunatus, vel infortunatus, & ideò manifestum est, quòd in his quæ eueniunt in minori parte, scilicet, nec necessariò, nec frequenter, inuenitur effectus *propter hoc*, id est, notabiliter bonus, vel malus, sed vniuersaliter, quæcunque aguntur ab intellectu, vel fortuna, aguntur *propter hoc*, id est, propter finem; & sic capitur ibi *propter hoc* aliter, quàm priùs. Text.49.

Huiusmodi 3 igitur, &c. Quarta diuisio, quòd sicut est quoddam ens a per se, & quoddam per accidens, vt patuit priùs, ita quædam est causa per se, & quædam per accidens, & differunt ab inuicem; quia causæ per se alicuius effectus sunt finitæ, sed causæ, per accidens sunt infinitæ, id est, indeterminatæ; quia infinita vni accidunt, id est, indeterminata sunt, quæ accidunt vni. Et ideò subdit Aristoteles quòd tunc aliquid dicitur fieri à casu, vel fortuna, quando illud quod fit præter intentionem agentis, est notabilis bonitatis, vel malitiæ, sed differentia istorum, scilicet casus, & fortunæ ab inuicem, postea patebit. Text.50. *Causæ per se sunt finitæ, sed causæ per accidens sunt infinitæ.*

Nunc verò 4 hoc sit manifestum. Hîc inquirit particulas ponendas in definitione fortunæ, & est prima conditio, quòd tam casus quàm fortuna sunt causæ in his, quæ fiunt *propter hoc*, id est, quæ sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, cuiusmodi est receptio argenti ab aliquo, quem non opinatus est inuenire, nec gratiâ illius iuit. Secunda conditio, quòd casus, & fortuna sunt causæ in his, quæ eueniunt in minori parte, ita vt non frequenter, nec de necessitate; patet de illo, qui reportauit pecuniam, cui non accidit frequenter, nec necessariò talis effectus. Tertia conditio Text.51.

ditio, quòd effectus fortuitus debet euenire præter propositum agentis,& ideò si reportans pecuniam,iuisset ad illum finem, quòd reportaret pecuniam,tunc non diceretur à fortuna.

15. Text. 52. Definitio fortunæ. *Manifestum 5. itaque.* Concludit definitionem fortunæ, quòd *fortuna est causa per accidens secundùm propositum extra semper, & frequenter eorum quæ propter hoc fiunt.* Et ponitur ibi, *causa* tanquam genus ad differentiam effectus. Et ponitur ibi *per accidens* ad differentiam causæ per se. Et ponitur *secundùm propositum*, ad denotandum, quòd licèt casus & fortuna sint agentium secundùm propositum, tamen non dicuntur casus & fortuna nisi respectu^a^ effectuum, qui eueniunt præter intentionem. Et ponitur *extra semper, & frequenter:* quia si effectus esset natus consequi de necessitate, vel frequenter ad illas causas, non diceretur fortuitus respectu illarum causarum. Et ponitur *eorum, quæ propter hoc fiunt:* quia propter effectus inutiles, qui non sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, non dicitur aliquis fortunatus, vel infortunatus. Et subdit Aristoteles quòd intellectus & fortuna sunt idem, sed dicitur fortuna respectu effectus, non intenti, & dicitur intellectus respectu effectus euenientis secundùm intentionem.

Text. 53. *Indefinitas 6. igitur causas.* Hìc ostendit, quid veritatis contineant opiniones antiquorum: & primò de tertia. Secundò de prima. Et tertiò regreditur ad tertiam. Dicit igitur, quòd fortuna est quodammodo immanifesta. Hanc probat, quia fortuna est causa per accidens; modò causæ per accidens sunt infinitæ, & infinitum, secundùm quòd est infinitum, est ignotum, vt patet primo huius. Nunc quantum ad primam opinionem dicit, quòd dicentes nihil fieri à fortuna, quodammodo rectè dicunt: quia fortuna est causa per accidens, & nullius rei fortuna est causa per se: modò illud quod non est per se, quodammodo non est. Et declarat Aristoteles quomodo sunt multæ causæ per accidens, vt reportationis pecuniæ causa potest esse, veniens, aut volens aliquid emi, vel quia voluit aliquod prosequi, vel fugere, vel quia fuit visurus aliquid. Nunc regreditur

Text. 55. 7 ad tertiam opinionem, probans istam conclusionem, quòd fortuna [b] est quodammodo immanifesta humano intellectui, quia per rationem practicam comprehendi non potest: nam ratio practica est eorum, quæ semper sunt, aut frequenter fiunt eodem modo.

16. *Attamen etiam in quibusdam dubitabit,* &c. Hìc mouet dubium, scilicet quòd quando eiusdem effectus fortuiti sunt plures causæ, quæ illarum causarum dicitur fortuna; vt si aliquis habens caput infirmum faciat radi caput non ex intentione sanandi, sed ex consuetudine, & vadat ad Solem etiam non ex intentione sanãdi, ita vt per ventum, vel calorem Solis extrahantur mali humores, & fiat sanus: quæritur quæ istarum causarum sit causa sanitatis, quæ debeat dici fortuna, vel casus, scilicet vel ventus, vel calor, vel depilatio. Et dicit Aristoteles quòd istarum causarum quædam sunt remotæ, quædam proximiores, & per hoc videtur innuere, quòd causa proximior potiùs debet dici causa, quàm remotior.

Text. 56. *Fortuna 8 autem bona quidem dicitur.* Hìc declarat quasdam dispositiones fortunæ, dicens, quòd quædam est fortuna bona, scilicet quando aliquod bonum euenit, & quædam mala, scilicet quando aliquod malum euenit; sed eufortunium, & infortunium dicuntur secundùm excellentiam, ita vt quando aliquod magnum bonum euenit, tunc dicitur eufortunium, vel etiam quando magnum malum euitatur. Sed tunc dicitur infortunium, quando aliquod magnum bonum amittitur, vel euenit magnum malum: & sicut ille dicitur fortunatus, qui acquirit vnum magnum bonum, ita similiter ille, qui est prope acquirere magnum bonum, dato quòd non acquirat; quia quod parum distat, nihil distare videtur. Et subdit Aristoteles quòd eufortunium est valde incertum: quia fortuna est valde incerta: modò eufortunium est quædam fortuna, & hoc dicit pro tanto secundùm Commentatorem, ne homo in ista vita humana nimis confidat de euentu fortuito alicuius magni boni; & ideò concludit quòd fortuna non est causa in his, quæ fiunt semper, vel frequenter, & tandem recapitolat, quòd ambæ istæ causæ secundùm accidens in his, quæ non fiont semper, vel freqoenter, & quæ sunt *propter hoc*, id est, notabilis bonitatis, vel malitiæ.

Differunt 1 autem. Istud est 3. cap. huius tractatus de differentia Casus & Fortunæ. Et primò ponit differentiam. Secundò declarat quoddam dictum. Tertiò ostendit in quibus maximè apparet illa differentia. Secundum ibi, *Signum autem est.* Tertium ibi, *Maximè autem.* Primò ponit duas differentias. Secunda ibi, *Quocirca & necesse est.* Prima differentia est, quòd casus se habet in plus, quàm fortuna. Nam quicquid euenit à fortuna, euenit etiam à casu. & non è contra: quia solùm illis euenit aliquid à fortuna, quibus potest benè contingere, vel malè. 14. Text. 57. Fortuna & casus quid differant.

Quocirca 2 & necesse est. Hìc ponit secundam differentiam; & est quòd fortuna semper est circa practica, id est, circa operationem voluntariam, cuius signum est quòd fortuna, [c] vel est fœlicitas, vel prope fœlicitatem: modò fœlicitas est quædam praxis, id est, operatio voluntatis, immò est eupraxia, id est, bona operatio voluntatis; & ideò quibus non conuenit aliquid agere voluntariè, non accidit aliquid à fortuna. Et ex hoc infert corollarium ibi. *ob 3 idque*, quòd nullum inanimatum, nec infans, nec bestia agit aliquid à fortuna. Probatur, quia nullum istorum agit aliquid à proposito, ex quo non habent vsum rationis, & ideò non accidit eis aliquid eufortunium, vel infortunium, sed similitudinariè solùm, quemadmodum Poëta dicebat lapides fortunatos, ex quibus fiebant statuæ, & aræ Deorum, quia tales honorantur, & illos infortunatos, qui conculcantur pedibus: sed iam animatis, 4 quàm inanimatis conuenit aliquid à casu, vt si equus fugiens ab exercitu veniat saluatus ad domum, dicimus quòd saluatus est à casu: exemplum de inanimatis; vt si tripes cadat deorsum super pedes, dicimus quòd cecidit à casu. Et ideò 5 dicit Aristoteles quòd vniuersaliter illa dicuntur fieri à casu, quæ eueniunt præter intentionem agentis, siue hoc sit in agentibus à proposito, vel sine proposito: & illa dicuntur à fortuna, quæ eueniunt præter intentionem agentis secundùm propositum, & ex ista parte patet in quibus inuenitur casus. & in quibus fortuna. Text. 58. Fœlicitas est quædã actio. Text. 59. Fortuna non est in rebus anima carentibus, neque in infantibus, neque in brutis, idem 1. eth. cap. 13. & 10. ethi. cap. 10. Text. 60. Text. 61.

Signum 6 autem est. Ponit istam conclusionem, quòd casus est causa à qua non euenit finis intentus. Probatur quia à causa inani & vacua non euenit finis intentus, sed casus est causa inanis, & vacua, igitur à casu non euenit finis intentus. 19. Text. 62.

Maior

Maior est nota; quia in rebur naturalibus est vniuersaliter verum, quòd quandoque causa deficit ab intento fine, quòd tunc causa illa dicitur frustra, vt verbi gratiâ; si aliquis laborat propter sanitatem, & non consequitur, dicimus quòd frustra laborauit; sed si finem illum non intendisset, non diceretur frustrari, dato quòd non eueniret; vt si dicatur, quòd ille frustra balneauerat se: quia Sol non eclipsatur, non esset nisi derisio: quia non intendebat illum finem. Et minor 7

Text. 63. patet ex *quid nominis* Casus: nam Casus dicitur in Græco *αὐτόματον*, id est, per se frustra, vt si lapis cadat proiectus ab aliquo ad percutiendum aliquem, & non percutiat, dicimus quòd lapis cecidit à casu.

Text. 64. *Vide contradictionē Zimara.* *Maximè 8 autem est separatum.* Ostendit in quibus patet differentia casus, & fortunæ, dicens, quòd in his, quæ eueniunt à natura, scilicet à non agente secundùm propositum, eueniunt multa à casu, scilicet illa, quæ eueniunt præter intentionem huiusmodi agentium: sed in agentibus voluntatis, quæ eueniunt præter intentionem, dicuntur fieri à fortuna: & videtur innuere differentiam inter actionem naturalem, & voluntariam: quia [d] actio voluntaria fit in extrinsecam materiam, vt domificator agit in lapides & ligna, sed naturalis fit in materiam intrinsecam, vt grauitas agit in proprium subiectum.

19. Text. 65. *Casus & fortuna sunt causæ agētes.* *At de modis 1 causarum.* Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit ad quod genus causæ reducuntur casus, & fortuna. & ponit tres conclusiones. Secundam ibi: *Quoniam autem.* Tertiam ibi: *Quare si quam maximè.* Prima conclusio. Casus & fortuna sunt causæ agentes. Probatur, quia intellectus & natura sunt causæ agentes; igitur casus, & fortuna. Antecedens patet, intelligendo per naturam agens naturale, & per intellectum agens voluntatium; & probatur consequentia, quia illa causa, quæ dicitur natura respectu effectus intenti, dicitur casus respectu effectus non intenti, euenientis tamen cum intento, vel cum loco intenti. Similiter illa causa, quæ dicitur intellectus, vel voluntas respectu effectus intenti, dicitur fortuna respectu effectus non intenti. Et ideò subdit Aristoteles quòd multitudo causarum per accidens est indeterminata, vt dictum fuit priùs.

Text. 66. *Quoniam autem 2 Casus atque Fortuna.* Ponitur secunda conclusio, intellectus & natura sunt causæ priores, quàm casus & fortuna. Probatur, quia illæ sunt causæ priores, quæ sunt causæ per se, quàm illæ quæ sunt causæ per accidens, sed intellectus & natura sunt causa per se, & casus & fortuna sunt causæ per accidens, vt patuit priùs: ergo, &c. Maior est nota: nam priùs est illa conditionalis vera, per quam denotatur habitudo causæ per se ad suum effectum, quàm per quam denotatur habitudo causæ per accidens ad suum effectum, vt per priùs ista est vera, *terra aratur, quia germinabit*, quàm ista *terra aratur: quia inuenietur thesaurus*, & minor patet ex præcedentibus.

Text. 67. *Casus & fortuna non sunt causæ cœli.* *Quare 3 si quam maximè.* Ponitur tertia conclusio quòd casus, & fortuna non sunt causæ cœli. Probatur primò: quia tunc sequeretur quòd causæ istorum inferiorum essent priores causis cœli, consequens est falsum, & consequentia tenet: quia casus & fortuna non dicuntur causæ cœli nisi quia sunt intellectus & natura, id est, causæ per se aliorum effectuum, & quia causæ per se sunt priores causis per accidens, sequitur quòd intellectus & natura, quæ sunt causæ per se istorum inferiorum, essent priores casu, & fortunâ, quæ essent causæ cœli.

ANNOTATIONES.

[a] *Sicut duplex est ens per se, & per accidens, &c.* Nota quòd causa per se est certa, & determinata, determinatum habens effectum, sed causa per accidens est indeterminata, quæ dupliciter dicitur indeterminata. Primò, quia vna causa non habet vnum, sed plures, & indeterminatos effectus. Secundò, quia vnus effectus per accidens, non vnam, sed multas causas indeterminatas potest habere: nam causa per accidens ædificij est Musicus, & Grammaticus, &c. Rursus causa per accidens adhuc est duplex, prior quæ coniungitur cum causa per se, vt Musicum respectu ædificij: quia Musica coniuncta est cum arte ædificandi in ædificatore. Secundo modo causa per accidens est illa eadem, quæ est per se, comparata ad id, quod per accidens coniungitur effectui, vt faciens per se sepulchrum, inuenit per accidens thesaurum. Et ex hac diuisione causæ sequitur diuisio effectus in effectum per se vt ædificium respectu ædificatoris, & in effectum per accidens, vt est inuentio thesauri ab ædificatore, dum intendit ædificare. Est autem effectus per accidens duplex; vno modo dicitur effectus per accidens, quia accidit effectui per se: quo pacto album statuæ est effectus per accidens statuarij. Secundo modo effectus per accidens est ipsemet effectus per se comparatus cum eo, quod accidit causæ per se, vt statua est effectus per accidens Musici ædificatoris, vt ædificator est Musicus. Vult ergo Aristoteles fortunam & casum esse causas per accidens & non per se, & effectus fortuitos, & casuales esse per accidens, & non per se. Vult insuper non quamlibet causam per accidens esse fortunam & casum, neque quemlibet effectum per accidens esse fortuitum, & casualem, sed causa ipsa, quæ est per se respectu effectus intenti, est fortuna, & casus, respectu effectus, qui per accidens coniungitur effectui per se, & huiusmodi effectus per accidens sunt fortuiti, & casuales. 20. *Definitio causæ per se, & per accidens.*

[b] *Fortuna est quodammodo immanifesta.* Nota quòd Aristoteles ponit quædam vulgaria dicta fortunæ accommodata. Primum est, Fortuna est causa indefinita, & incerta, hominúmque ingenio ignota. Secundum, fortuna est cæca & præter rationem: quia non est determinata ad aliquem effectum, ita vt ab ea ad effectum, aut è contra ratiocinari possimus. Tertiū dictum, Fortuna est inconstans, volubilis, & insana. Quartum dictum, fortuna est bona si effectus est bonus, & mala si malus, prospera si effectus est prosperus: dicitur etiam infortunata, seu infortunium cùm effectus est magnus, & malus. Cùm enim quis priuatur magno, ac imminenti bono proximo à se possidendo, dicitur infortunatus. Quando autem aliquis liberatur ab aliquo ingenti malo, dicitur fortunatus. 21. *Fortunæ qualitates.*

[c] *Fortuna vel est fœlicitas, vel prope fœlicitatem.* Nota, quòd fortuna idem est, quod fœlicitas, vt dicunt ponentes fœlicitatem in bonis fortunæ, aut prope fœlicitatem, vt dicunt asserentes bona fortunæ maximè ad fœlicitatem conducere. *Fortuna idē est quod fœlicitas.*

[d] *Actio voluntaria fit in extrinsecam materiam.* 22.
Nota

Causam esse extra suum effectum bifariam contingit.

Nota (vltra hanc Scoti explicationem quæ optima est) quòd aliquam causam esse extra suum effectum dupliciter contingit. Primò quantum ad intentionem: quando videlicet causa non intendit in sua intentione effectum, sed effectus sequitur præter intentionem agentis, & sub hac consideratione casus, & fortuna habent causam extrinsecam, & in hoc conueniunt. Secundò dicitur causa esse extra suum effectum, quo ad suum esse reale, & est quando causa non est intrinseca ipsi effectui, qui potiùs est extra compositionem effectus: & isto modo casus est causa intrinseca multoties, quia intrat, & manet in effectu, vt contingit in monstris (sunt enim monstra effectus casuales;) quæ propter malam dispositionem materiæ, quando producendum erat animal perfectum, præter intentionem generantis producuntur.

Ex his, quæ de fortuna dicta sunt, patet quàm incautè vulgus nonnunquam videtur loqui, & sentire de fortuna, existimans fortunam esse vnam causam intendentem effectus fortuitos agentem præter Dei intentionem, cùm nullus sit effectus extra Dei efficientiam, & intentionem.

QVÆSTIO X.

Vtrùm aliquid fiat à casu, vel à fortuna.

August 4. *de Ciuit. Dei. cap.* 18. *&* 3. *de Trinit c.* 4. Lactant. *lib* 3. *cap.* 28. *&* 29. Gregor. *hom.* 10. *Epiphan.* Aristot. *cap.* 9. *& interpretes, ibid.* Albert Magn. *tract.* 2. *cap* 10. D Thom. *lect* 8. Mayron. 2. *Phys. part.* 6 Canon *quæst* 4. *art* 2. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 19 *sect* 11. *&* 12. Conimbr. 2. *Phys. cap* 6. *quæst. vnica.* Complut. *disput.* 13. *quæst* 1. *& seq* Ruuius *tract* 6 *quæst.* 1. *& sequent.* Fuentes *quæst.* 10. *diffic.* 1. Roccus *quæst* 6.

1\. ARGVITVR, quòd non; quia nulla res fit præter intentionem naturæ; igitur nihil fit à casu, vel à fortuna. Tenet consequentia; quia casuale, & fortuitum eueniunt præter intentionem agentis. Antecedens patet per Commentatorem 12. Metaph. com. 44. vbi dicit, quòd natura non agit nisi rememorata Intelligentiis, quæ semper intendunt effectum, quem producunt.

Secundò, quia nihil fit à casu cuius est aliqua determinata causa, sed cuiuslibet effectus est aliqua determinata causa: igitur nullus effectus est à casu, vel à fortuna. Maior patet, text. 40. quia effectus qui est *recipere pecuniam in aliquo foro* est determinata causa, scilicet venisse ad forum.

Tertiò, quia nullum inordinatum fit à natura; sed casuale, vel fortuitum est inordinatum; ergo, &c. Maior est nota, quia inordinatio est mala, vt patet 12. Metaphysicæ, & tamen natura semper fertur in bonum verum existens, & non in bonum apparens solùm, vt patet 2. huius, text. 52.

Quartò, quia semper natura agit propter finem; sed casuale, vel fortuitum non fit propter finem: igitur nullum casuale, vel fortuitum fit à natura. Maior patet in fine huius secundi, text. 75. & minor est nota; quia casuale, vel fortuitum non intenditur ab agente, & tamen finis intenditur ab agente.

2\. Quintò, quia natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis: igitur à natura non fit aliquod casuale, vel fortuitum. Tenet consequentia, quia casuale, vel fortuitum prouenit ex superabundantia, vel ex defectu, vt patet de monstris.

Effectus dicitur casualis propter duo.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. huius tract. 4. text. 48. & inde. Notandum, quòd aliquis effectus dicitur casualis, vel fortuitus propter duo. Primò, quia prouenit præter intentionem agentis; siue capiatur intentio pro cognitione primaria determinante agens ad agendum, siue pro inclinatione rei naturalis ad agendum, quæ inclinatio non est cognitio, cuiusmodi est inclinatio grauis deorsum. Secundò dicitur effectus casualis, vel fortuitus, eo quòd raro, & contingenter natus est euenire ad huiusmodi causas, & ideò senectus, mors, cæcitas, & huiusmodi, licèt eueniant præter intentionem naturæ, tamen non sunt casualia, & fortuita; eo quòd *vt in pluribus*, vel necessariò nata sunt euenire cum effectibus intentis à natura: verbi gratiâ, natura intendit actionem de necessitate sequitur senectus & mors, si illud in quod fit actio debeat diu durare.

Ad effectum casualē quæ requirantur.

Secundò notandum, quòd ad effectum casualem, & fortuitum oportet, quòd diuersæ causæ agentes concurrant ad eundem effectum, quarum quælibet intendat vnum effectum per se; ex quarum agentium confluentia ad inuicem præter effectus intentos proueniat aliquis effectus inopinatus. Vt lapis sursum intendit locum deorsum; & Socrates intendit transire per vicum; & tunc ex confluentia lapidis, & Socratis ad inuicem præter duos effectus intentos, prouenit tertius inopinatus, scilicet fractio capitis Socratis: & ideò si ille effectus tertius sit inopinatus respectu vtriusque agentis, tunc dicitur simpliciter casualis, vel fortuitus; sed si intendatur per vnum, & non sit opinatus à reliquo, tunc dicitur casualis, vel fortuitus, non simpliciter, sed secundùm *quid*, scilicet respectu vnius illorum agentium, & non respectu alterius.

Aliquid fit à casu, & à fortuna.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Aliquid fit à casu vel à fortuna. Probatur; quia sicut in arte, ita in natura; sed in arte aliquid euenit à casu, vel à fortuna; igitur similiter in natura. Secunda patet ex quadam fama hominum: nam fama, quam omnis tenet, vt patet in lib. de Somno, & Vigilia. 3.

Ex conclusione sequitur, quòd illa opinio recitata in textu est falsa, quæ posuit nihil fieri à casu, vel à fortuna.

Non fiūt omnia à casu, vel à fortuna.

Secunda conclusio. Non omnia fiunt à casu, vel à fortuna. Probatur; quia aliqua fiunt ex intentione agentis, vt patet in naturalibus, & etiam in artificialibus; igitur non omnia fiunt à casu, vel à fortuna. Tenet consequentia, quia facta à casu, vel à fortuna eueniunt præter intentionem agentis.

Secundò, quia non est verisimile, nec rationabile, quòd cœlum, vel motus cœli fiant à casu, vel à fortuna, cùm sint valde ordinati.

Tertiò, quia aliqua semper necessariò, & frequenter eueniunt eodem modo; igitur illa à casu, vel à fortuna non eueniunt. Tenet consequentia; quia euenientia à casu, vel à fortuna nata sunt in paucioribus euenire ad huiusmodi causas. Antecedens apparet, quia ortus, & occasus stellarum semper, & necessariò fiunt eodem modo. Similiter semper accidit, quòd homo generatur cum quinque digitis, & quòd planta fiat ex semine, homo ab homine, & ita de aliis. Pro sequenti conclusione ponuntur aliquæ suppositiones.

Prima, quòd ad effectum casualem, vel fortuitum confluunt diuersæ causæ. Patet per Liconiésem in isto secundo, & notabile prius dictum.

4. Secunda, quòd si plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, illæ causæ sunt sibi inuicem subordinatæ, vel ambæ sunt sobordinatæ alicui tertiæ. Patet ex ordine causarum, quia si nó essent sibi inuicem subordinatæ, nec alicui tertiæ causæ; quælibet illarum esset causa prima, cùm esset independens ab aliqua alia, modò impossibile est, quòd plures sint causæ primæ.

Tertia suppositio, quòd causa prima, cui omnes aliæ subordinantur, cognoscit, & intendit omnem effectum, ad quem concurrit producendo; patet 12. Metaph. text. 37. quia causa prima per cognitionem dirigit causas secundas in actionibus earum; & ideò dicit Commentator in eodem 12. comm. 44. quòd natura non agit nisi rememorata Intelligentiis.

Nihil est simpliciter casuale, vel fortuitum.

Istis suppositis, sit tertia conclusio ista, quòd nihil est simpliciter casuale, vel fortuitum; immò de necessitate, si sit casuale, vel fortuitum respectu vnius causæ, est intentum per aliam causam, & per consequens non est casuale, vel fortuitum respectu ipsius. Probatur, quia per primam suppositionem ad omnem effectum casualem, vel fortuitum confluunt diuersæ causæ; igitur per secundam illæ sunt sibi inuicem subordinatæ, aut ambæ sunt subordinatæ causæ tertiæ, scilicet primæ, & per tertiam causa prima cognoscit, & intendit omnem effectum, ad quem concurrit; igitur nullus effectus est casualis, vel fortuitus respectu causæ primæ, cùm nullus eueniat præter intentionem ipsius.

5. Ex quo sequitur, quòd nullus effectus est simpliciter casualis, vel fortuitus respectu cuiuslibet causæ concurrentis ad eius productionem. Secundò declaratur per exemplum; vt si paterfamilias mittat Socratem, & Platonem per diuersas vias ad eundem locum, vbi iacet bos in puteo, & nec Socrates, nec Plato sciat aliquid de boue, nec vnus de alio, aut è contra: tunc obuiatio istorum duorum ad puteum, & extractio bouis de puteo, sunt à fortuna respectu Socratis, & Platonis; quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo illorum, & tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu patrisfamilias, qui intendebat illos effectus.

Ex quibus patet, quòd non omnia fiunt à casu. Secundò, quòd aliqua fiunt à casu. Tertiò, quòd quandocunque aliquid fiat à casu, vel à fortuna respectu causæ secundæ, tamen impossibile est aliquid esse casuale, vel fortuitum respectu causæ primæ.

Ad rationes ad primam concessum est, quòd respectu Intelligentiæ, quæ est causa prima, nullus euenit effectus casualis, vel fortuitus; immò quilibet effectus euenit ab intentione ipsius.

6. Secunda ratio soluitur in textu; quia non sequitur huius effectus est determinata causa: igitur non est a casu, vel à fortuna: quia possibile est, quòd ille effectus eueniat præter intentionem illius causæ determinatæ, & quòd raro, & contingenter natus sit euenire ad huiusmodi causas, licèt sint determinatæ causæ illius effectus.

Ad tertiam dico, quòd non est inconueniens; quia licèt aliquid eueniat inordinatè respectu vnius causæ, quin possit tamen euenire ordinatè respectu alterius, & per idem potest responderi ad sequentes.

QVÆSTIO XI.

Utrùm definitio fortunæ sit bona, in qua dicitur, Fortuna est causa per accidens extra semper & frequenter eorum, quæ propter hoc fiunt secundùm propositum.

Vide Authores citatos *quæst. antecedenti.* Auerroës *com.* 52. Picus Mirandulan. *lib* 4. *contra Astrologos.* Aulus Gellius 4. *noct. Atticar. cap.* 1. Boetius 1. *de Consolat. prosa* 4.

ARGVITVR, quòd non; quia cœlum 1.
est fortuna, & tamen cœlum non est causa per accidens. Maior est nota per Astrologos, qui per aspectus corporum cœlestium iudicant de fortuniis, & infortuniis istorum inferiorum, quod non esset nisi cœlum esset causa istorum fortuitorum, & per consequens fortuna. Minor nota est.

Secundò, illa definitio competit aliis à definito; ergo, &c. Tenet consequentia per Aristotelem 6. Topicorum, cap. 1. Antecedens patet, posito quòd domificator sit musicus, tunc musicum est causa per accidens, vt patet 2. huius, text. 33. *extra semper, & frequenter*; quia rarò contingit, quòd domificator sit musicus eorũ, quæ propter hoc sunt; quia musicus est causa domus, qui est effectus notabilis bonitatis. Similiter musicus agit secũdùm propositũ, & per consequens musicus est fortuna.

Tertiò, quia ponuntur per accidens, & extra semper, & frequenter: modò idem est *per accidens, & extra semper, & frequenter*, & per consequens frustrà ponuntur illæ duæ particulæ.

Quartò, quia illa definitio implicat contradictionem, igitur non est bona. Tenet consequentia, & probatur antecedens: quia ibi ponitur *per accidens*, & *secundùm propositum*, modò ille effectus qui est per accidens non est intentus, & qui est secundùm propositum est intentus, igitur idem effectus est intentus, & non est intentus, quod est contradictio.

Quintò, quia illud non est definibile, quod est 2.
ignotum, & immanifestum, sed fortuna est immanifesta; ergo, &c. Maior est nota; quia definitio notificat suum definitum; & minor patet: quia fortuna est immanifesta, & extra rationem, vt dicit Aristoteles in hoc secundo, text. 47.

Sextò, illud non est definibile, de quo non potest esse scientia, sed sic est de fortuna, cùm sit causa per accidens: nam de ente per accidens non est scientia, vt patet 6. Metaph. text. 6.

Septimò, contra illam partem *per accidens:* quia definitio debet prædicari per se de definito, vt patet 1. Poster. text. 9. & per consequens non per accidens. Secundò æquè per se fortuna est causa effectus fortuiti, sicut natura est causa effectus naturalis.

Dissolu.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. huius tract. 4. cap. 2. text. 52. In quæstione primò explicabo definitionem fortunæ. Secundò, quæ res sit fortuna, & de quibus dicitur.

Definitio fortunæ explicatur.

Quantum ad primum notandum, quòd ad quæstionem quærentem propter quid de effectu fortuito, conuenienter respondetur, quòd à fortuna, & ideò in definitione fortunæ conuenienter ponitur hoc nomen *causa*, ad exprimendum habitudinem fortunæ ad effectum fortuitum. Et si quæ-

ratur

ratur in quo genere causæ fortuna sit causa; respondetur per aliquas propositiones. Prima est, quòd fortuna non est causa in genere causæ finalis. Probatur quia semper finis intenditur ab agente, & tamen fortuna non intenditur ab effectu fortuito; nec è cõtra, immò ex hoc effectus dicitur fortuitus, quòd eueniat præter intẽtionem.

3. Contra hoc obiicitur, quia Deus est causa finalis omnium; igitur effectus fortuitus est propter Deum tanquam propter finem. Secundò: quia inuẽtio thesauri est à fortuna; & tamen est propter finem: quia ordinatur ad sustentationem vitæ.

Respondetur. Ad primum concedo, quòd effectus fortuitus finaliter ordinatur propter Deum, & ideò respectu Dei nullus effectus est fortuitus, immò quilibet est præordinatus, & euenit ex intentione, patet quinto de Consolatione. De secundo dico, quòd effectus fortuitus dum est in *fieri*, non est propter aliquem finem: quia nullus illorum agẽtium respectu quorum effectus dicitur fortuitus intendit illum effectum; sed postquã ille effectus fuerit, benè ordinatur ad finem.

Secunda propositio est, quòd fortuna non est materia. Probatur: quia causa dicitur fortuna propter aliquam innaturalitatem, vel extraneitatem, scilicet quia effectus non intenditur ab illa causa: modò materiæ nihil est innaturale, vel contrarium, immò vtriusque contrariorum receptio est materiæ naturalis, vt dicit Commentator. Similiter nihil recipitur in materia præter eius intentionem: immò ad cuiuslibet rei receptionem materia inclinatur saltem passiuè.

Tertia propositio, quòd fortuna non est forma. Probatur: quia totus effectus dicitur à fortuna, & per consequens forma eius dicitur à fortuna; modò idem non est à se ipso.

Quarta propositio est, quæ sequitur ex prædictis, quòd fortuna est causa efficiẽs, cuius signum est, quòd habitudo fortunæ ad effectum fortuitum, exprimitur per hanc propositionem *A*, quæ denotat habitudinem causæ efficientis.

4. Secundò notandum est, quòd quidam est effectus intentus ab agente, & respectu illius nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus: alter est effectus non intentus, & ideò in definitione fortunæ ponitur hæc dictio *per accidens*, ad denotandum, quòd effectus fortuitus non sit intentus ab agente, sed eueniat cum effectu intento, aut cum loco intenti. Et ex hoc potest exponi illa authoritas. Vbi maximus Intellectus, ibi minima fortuna, quia fortuna non dicitur, nisi respectu effectus non intenti, modò apud maximum intellectum, scilicet apud sapientem, paucissima eueniunt præter intentionem, vel saltem pauciora, quàm apud minùs prudentem, cùm plura præuideat. Ideò paucissima contingunt sibi à fortuna, eo quòd quasi omnia præmeditatur.

Vbi plurimũ de intellectu, ibi minimum de fortuna.

Vide Scotum d. 11 quol. sub littera I.

Tertiò notandum, quòd effectuum non intentorum ab agente, quidam nati sunt necessariò, vel frequenter euenire cum effectibus intentis, vt mors, & senectus sunt effectus non intenti per naturam, & tamen necessariò, vel frequenter eueniunt cum effectibus intentis, scilicet cum actione caloris in humidum. Ideò respectu istorum effectuum nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus, sed alij sunt effectus non intenti, qui, rarò, & in paucioribus nati sunt prouenire cum effectibus intẽtis, vt inuentio thesauri, fractio capitis, & huiusmodi: & ideò in definitione fortunæ ponitur *extra semper, & frequenter*, ad designandum, quòd effectus non intentus, respectu cuius agens dicitur fortuna, debet rarò, & in paucioribus euenire cum effectu intento illius agentis.

Sed obiicitur: quia Sol est rarò in Cancro, & tamen Solem esse in Cancro non est à fortuna. 5.
Respondetur, quòd Solem esse in Cancro non est à fortuna, eo quòd intenditur ab agente: secundò, quia necessariò euenit ad suas causas, & non contingenter. Tertiò, quia licèt rarò eueniat simpliciter loquendo, tamen euenit semper respectu suarum causarum.

Quartò notandum, quòd effectuum non intentorum, quæ eueniunt rarò, vel contingenter cum effectibus intentis, quidam sunt inanes, & superuacui, scilicet quia nullius sunt bonitatis, vel malitiæ, vel saltem non notabilis, vt casus pili propter fricationem barbæ, aut disruptio festucæ: & respectu istorum effectuum nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus; sed alij sunt effectus notabilis bonitatis, vel malitiæ, qui dicuntur *propter hoc*: non quia agens ex intentione agat propter illos effectus; sed quia dignum fuisset egisse propter ipsos si fuissent præsciti, & ideò in definitione Fortunæ ponitur hæc particula *propter hoc*: ad designandum, quòd effectus fortuitus sit notabilis bonitatis, vel malitiæ. Text. 38.

Quintò notandum, quòd tunc aliquis propriè dicitur fortunatus, vel infortunatus, quando per actionem suam propriam voluntariam præhabitâ deliberatione agit aliquem effectum intentum, cum quo euenit aliquis effectus inopinatus notabilis bonitatis, vel malitiæ; & ideò inanimata, & illa, quæ non habent vsum rationis, vt ebrius, infans, bestiæ, furiosus, & huiusmodi, non agunt aliquid à fortuna nisi similitudinariè; & ideò in definitione fortunæ ponitur *secundùm propositum*, ad designandum, quòd effectus fortuitus eueniat cum effectu intento agentis voluntariè per deliberationem.

6. Ex his sequitur ista conclusio ad quæsitum, quòd definitio fortunæ est bona. Probatur, illa definitio est bona, quæ significat explicitè, & conuenienter quicquid per definitum significatur, sed ista est huiusmodi; ergo, &c. Quòd ista sit huiusmodi, patet inducendo; quia ibi ponitur nomen *causa* loco generis. Secundò, ponitur ibi hoc nomen *per accidens*, ad denotandum, quòd effectus respectu cuius agens dicitur fortuna, non sit intentus. Tertiò ponitur *extra semper, & frequenter*, ad denotandum, quòd effectus fortuitus rarò eueniat cum effectu intento. Quartò ponitur *eorum quæ propter hoc sunt*, ad denotandum, quòd effectus fortuitus sit notabilis bonitatis, vel malitiæ. Quintò ponitur *secundùm propositum* ad denotandum, quòd agens agat liberè, & ex intentione per deliberationem effectum non fortuitum, scilicet illum cum quo euenit effectus fortuitus inopinatus.

Et notandum, quòd si ista particula *secundùm propositum* remoueatur à definitione, tunc manet definitio casus: nam per illam particulam differt fortuna à casu, & tunc per hanc particulam, *eorum quæ propter hoc sunt*, debet notari notabile bonum, vt apertio loci thesauri per graue descendens deorsum, aut notabile malum, vt fractio colli, aut aliquid aliud notabile admirationis, aut inconsuetudinis, vt casus tripedis super pedes deorsum. Patet igitur quid sit fortuna, & quid casus, & quomodo differunt ab inuicem, & hoc de primò.

Fortuna in quo differat à casu.

Quantum ad secundum, notandum, quòd fortuna [a] dicitur vno modo de causa principali remota, vt puta de cœlo, quod pro tanto dicitur fortuna, quia est causa fortuitorum in his inferioribus, & sic accipiendo fortunam, solet fortuna depingi per modum rotæ volubilis: & sic non accipit Aristoteles in proposito; quia cœlum intendit effectus, quorum est causa in istis inferioribus. Secundo modo dicitur fortuna de influentia cœli, & sic definit Albertus ipsam super 7. Ethicorum, dicens, quòd fortuna est qualitas causata à cœlo secundùm periodum natiuitatis, à qua aliquis redditur aptus, vel ineptus ad fœlices successus. Tertio modo dicitur fortuna de causa principali immediata, cuiusmodi est voluntas, vel intellectus, qui dicitur fortuna respectu effectus non intenti, & forma grauis dicitur casus, & sic capit Aristoteles fortunam, & casum in isto secundo. Et ideò dicit, quòd casus, & fortuna sunt intellectus, & natura Quarto modo dicitur fortuna de dispositione, mediante quâ agens principale immediatum agit, effectum intentum, mediante quo euenit effectus fortuitus inopinatus, & sic volitio, cognitio, desiderium, aut aliquid huiusmodi potest dici fortuna; sic etiam grauitas potest dici casus, quia grauitas est dispositio, mediante quâ forma grauis mouet deorsum. Quinto modo fortuna dicitur de effectu intento, cum quo immediatè euenit effectus non intentus: & sic patet, quòd de quolibet agente concurrente ad effectum fortuitum potest dici fortuna, licèt diuersimodè, tamen in proposito definitur fortuna, vt dicitur de agente principali immediatè, sicut est intellectus, aut forma substantialis. Et hoc de secundo.

Fortuna de quibus dicatur.

7. Ad rationes. Ad primam concedo, quòd cœlum potest dici quodammodo fortuna, ex eo, quòd concurrat ad effectum fortuitum, tamen non dicitur propriè fortuna, eo quòd fortunia, vel infortunia, quæ eueniunt in istis inferioribus intenduntur à cœlo.

Ad secundam negatur minor; quia per istũ terminũ *per accidens* differt fortuna à Musico: nam in proposito non accipitur *per accidens*, vt est determinatio propositionis, quandoque veræ, quandoque falsæ, quemadmodum dicimus, quòd musicum est causa per accidens domus: sed accipitur *per accidens*, eo quòd denotat effectum fortuitum non intentum esse ab agente.

Ad tertiam dico, quòd ista particula *extra semper, & frequenter* est determinatio huius particulæ *per accidens*; quia non quilibet effectus non intentus est fortuitus: sed ille qui rarò, & in paucioribus natus est euenire, cum effectu intento.

Ad quartam dico, quòd non Implicat: quia istæ particulæ *per accidens*, & *secundum propositum* referuntur ad diuersa: quia ly *per accidens* denotat, quòd effectus non sit intentus: sed ly *secundum propositum* denotat, quòd agens agat effectum intentum voluntariè, & per deliberationem: & sic hæc particula *per accidens* refertur ad effectum fortuitum, sed hæc particula *secundum propositum* refertur ad effectum intentum, cum quo euenit effectus fortuitus.

8. Ad quintã dico, quòd fortuna est ignota, quantum ad causales factas ex terminis specialibus; vt puta, quia fodiens terram, inuenies thesaurum: tamen quo ad multas alias proprietates, & passiones fortuna est nota, vt puta, quòd fortuna sit causa agens. Et sic de aliis, vt patet 2. huius.

Ad sextam dico, quòd debet intelligi de ente per accidens, id est, de propositione per accidens vera non est propriè scientia tanquam de conclusione demonstrata, licet benè tanquam de re significata per conclusionem: modò fortuna non est tale ens per accidens, sed prædicto modo.

Ad septimam dico, quòd non accipitur ibi *per accidens*, vt est determinatio propositionis, sed vt denotat effectum fortuitum non esse intentum ab agente respectu cuius dicitur fortuitus.

ANNOTATIONES.

[a] *Fortuna dicitur vno modo*, &c. Nota primò discrimen esse inter hæc omnia nomina. Videlicet *casum*, *fortunam*, *frustra*, *temerè*, *vanum*, & *Fatum*. Casus, & fortuna eo dicuntur causæ, quia ad earum per se effectus sequitur alius non ab illis intentus. Frustra dicitur causa, quæ suum non consequitur effectum, & in hoc solo stat eius ratio. Temerè dicitur actio, quæ in illum finem dirigitur, in quem de se non est ordinata; vt si infirmus propter valetudinem consequendam faciat aliquid, quod de se non ordinatur ad salutem, vt si pisces comedat, salus tunc ex tali comestione secuta fuit effectus temerarius. Vanum dicitur actio, quæ non ordinatur in finem, in quem ordinari posset. 9.

Quo ad Fatum nota secundò, quòd Picus Mirandulanus lib. 4. contra Astrologos, quatuor antiquas de Fato refert opiniones. Prima naturam ipsam Fatum dicebat, vnde effectus naturales non distinguebant contra eos, qui per electionem, & casum à Fato procedere dicuntur. Secunda opinio, quæ est Stoïcorum: quia ponit æternam seriem causarum necessariò connexarum. Hinc dicit, vt ait Aulus Gellius 4. Noct. Atticarum cap. 1. quòd *Fatum est sempiterna quadam, & indeclinabilis series rerum, & catena voluens semetipsam sese, atque implicans per æternos consequentia ordines, ex quibus apta nexáque est*. Tertia opinio dicit sydera esse Fata. Quarta opinio diuini consilij executionem Fatum appellat.

Ioan. Picus. Opinio quadruplex de Fato.

Cæterùm his opinionibus dimissis, nota tertiò, Deum optimum ab æterno antequam res crearet ordinasse omnes res in suos fines per media conuenientia, vt quælibet earum operaretur secundùm conuenientiam suæ naturæ: scilicet quòd ignis ascenderet per leuitatem, terra descenderet per grauitatem, ac denique suum sibi similem effectum vnumquodque produceret, quæ ordinatio actiua Dei, (vt existit in Deo) dicitur prouidentia, quæ ita definitur. *Prouidentia est ordinatio rerum in suos fines per media conuenientia in mente diuina*; vt autem huiusmodi ordinatio est passiua, & est in his inferioribus, dicitur Fatum. 10.

Definitio prouidentiæ.

Nota quartò Deum suam hanc ordinationem rerum obseruandam, & exequendam tradidisse causis secundis dominantibus his rebus corruptibilibus, vt rectoribus, & gubernatoribus, quæ quidem sunt Planetæ, & alia sydera, quæ vario situ, motu, coniunctione, atque aspectu in hæc inferiora influunt. Tradidit autem Deus causis secundis illam ordinationem exequendam, non quia ipse solus non posset prouidere, suæque prouidentiæ executionem facere; sed quia propter suam infinitam bonitatem voluit causis secundis communicare dignitatem gubernandi,

& cauſandi,& ita accepit cauſas ſecundas, non vt prouidentes ſuæ prouidentiæ. Fatum igitur non eſt aliud, quam illa ordinatio rerum in ſuos fines, vt exequenda, & ſeruanda per cauſas cœleſtes.

Definitio Fati.

Hoc poſito, ſic licet fatum definire: *Fatum eſt executio diuinæ ordinationis corporibus cœleſtibus indita, per quam inferiora mouentur in ſuos præordinatos fines*, vel ſic, vt ex Boëtio de Conſolatione colligitur. *Fatum eſt ordo cauſarum naturalium præordinatus, & præſcitus à Deo.* Quæ cauſæ ita influunt in hæc inferiora, vt nihilominus ex ſua natura poſſint deficere, & ex diuina libertate dependeant: nam quamuis conſtellationes cœleſtes agant aliquid ad mores hominum, id tamen faciunt diſponendo, & non neceſſitando, eóque poſſunt impediri tam per alias cauſas naturales, quàm per educationem, & conſuetudinem; & voluntatis libertatem.

II. Ex hac definitione fati infertur primò, fatum differre à caſu, & fortuna: quia fatum eſt cauſa per ſe intendens ſuum effectum fa lem; fortuna verò & caſus ſunt cauſæ per accidens. *Fatum differt à caſu, & fortuna.*

Cicero, & Stoici malè locuti ſunt de fato. Secundò, infertur Stoïcos, & Ciceronem malè locutos fuiſſe de fato. Stoicos quidem: quia dixerunt fatum eſſe ordinem cauſarum ex neceſſitate producentem omnes effectus horum inferiorum, etiam humanas actiones, quæ ſententia Fidei Catholicæ aduerſatur, cùm tollat liberum arbitrium, hominúmque libertatem. Ciceronem verò: quia, vt refert Diuus Auguſtinus 5. de Ciuitate Dei, cùm videret multas res fieri contingenter, hominéſque eſſe liberos ad operandum, dixit non ſolùm non eſſe fatum, verùm etiam Deum nullam habere rerum prouidentiam, nec ordinationem: nam ſi Deus haberet prouidentiam, & ſcientiam rerum, euenirent, inquit, omnes res neceſſariò; quæ poſitio etiam Fidei Catholicæ aduerſatur. Vnde Diuus Auguſtinus 5. de Ciuitate Dei, cap. 9. notauit, quòd Cicero, dum vellet facere homines liberos, fecit eos ſacrilegos.

Omnia quæ ſub cœlo ſunt ſubiacent fato. Tertiò infertur, quòd omnia quæ ſub cœlo ſunt fato ſubduntur, & ſubiacent, eóque motibus cœlorum aliis à cœlo, & elementis paſſionibus prouenientibus ſubduntur, exceptâ voluntate humanâ, quæ non ſubditur cœlis, ſed à ſolo Deo regitur, & ab vniuſcuiuſque intellectu, quamuis per accidens moueatur à cœlis: quia cùm influant in corpus humanum, in quo reſidet voluntas, inclinatur à talibus paſſionibus corporeis, vt amet, & velit, quæ corpori placent, iuxta illud Sapientiæ 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, præcipitque intellectui, vt vacet à conſideratione malorum, quæ proueniunt ex conſenſu talium corporearum paſſionum, tantúmque delectabile ſibi offert, vt ſub ratione illius boni, quod apparet, inclinetur ad talia amplectenda. Non ſunt autem quæcumque corporeæ paſſiones, & inclinationes ſufficientes ad libertatem voluntatis cogendam, ſi ipſemet homo nolit aſſentiri; ſed vt ſapientem Aſtris dominari, & ſic nullus propter has paſſiones impulſus ſufficienter à peccato excuſabitur.

***

Quæſtio XII.

Vtrùm in contingenti ad vtrumlibet poſſit reperiri caſus, & fortuna?

Vide Authores citatos *quæſt.* 10. *&* 11.

ARGVITVR quòd ſic: quia niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd determinatio Ariſtotelis in iſto 2. tract. de caſu, & fortuna text. 48. eſſet inſufficiens, quod eſt falſum. Probatur conſequentia, quia in cap. 2. huius tractatus ponit iſtam diuiſionem, quòd eorum quæ fiunt quædam fiunt ſemper, vel frequenter, & quædam extra ſemper, & frequenter: modò in iſto ſecundo membro ponit caſum, & fortunam, ſed in iſto ſecundo membro continetur tam contingens ad vtrumlibet, quàm contingens in paucioribus, quod non eſſet niſi in contingenti ad vtrumlibet reperiretur caſus. 1.

Secundò, quia per Ariſtotelem vltimo tractatu huius 2. omne quod fit, aut fit ex intentione agentis, ſcilicet propter finem, & tunc fit ſemper, aut frequenter, aut fit à caſu, vel fortuna; ſed aliquod contingens ad vtrumlibet fit præter intentionem agentis: igitur illud eueniet à caſu, vel fortuna. Et tenet conſequentia per prædictam diuiſionem Ariſtotelis.

Oppoſitum arguitur per Commentatorem in iſto ſecundo, text. 52. Et probatur ratione, quia ambulare, vel ſedere eſt contingens ad vtrumlibet, & tamen non dicimus aliquem ambulare à caſu, vel ſedere à caſu. In quæſtione primò recitabuntur dicta Commentatoris com. 48. contra Auicennam in iſta materia. Secundò reſpondebitur ad quæſitum. *Deciſio quæſtionis.*

Quantum ad primum notandum, vt recitat Commentator, quòd Auicenna poſuit, quòd caſus, & fortuna poſſunt reperiri in contingenti [a] ad vtrumlibet: & probatur per rationes ante oppoſitum. Secundò, ſoluebat rationes Commentatoris poſt oppoſitum: quia ambulare potentiæ motæ eſt contingens ad vtrumlibet, & ideo vt ſic poteſt fieri à caſu, ſuppoſito, quòd eueniat præter intentionem; ſed ambulare reſpectu deſiderij ambulandi, eſt contingens *vt in pluribus* quia *vt in pluribus*, quando homo appetit ambulare ambulat, ita poteſt dici conformiter de *ſedere*. Per hoc patet ſolutio rationis Commentatoris: quia ambulare, & ſedere eſt contingens, *vt in pluribus*, reſpectu deſiderij ambulandi, ſed eſt contingens ad vtrumlibet reſpectu potentiæ motæ, & ideò quia euenit cum intentione agentis, non dicitur à caſu, vel fortuna.

Et ex hoc infert Auicenna, quòd idem vel conſimile, quod eſt contingens ad vtrumlibet reſpectu vnius, eſt contingens *vt in pluribus* reſpectu alterius, & neceſſarium reſpectu tertij. Quartò, dicit quòd *neceſſarium* eſt cuius non eſt impedimentum extrinſecum: ſed *contingens* eſt cuius eſt impedimentum extrinſecum. 2.

Sed contra iſta dicta ponit Commentator quatuor concluſiones. Prima eſt, quòd idem, vel conſimile non eſt neceſſarium reſpectu vnius, & contingens reſpectu alterius. Probatur, quia ſi ita eſſet, ſequeretur quòd nihil eſſet naturaliter neceſſarium. Conſequens eſt falſum. Et probatur conſequentia, quia per ipſum nihil eſt neceſſarium, niſi in reſpectu ad alterū: modò neceſſarium *Idem non eſt neceſſarium reſpectu vnius, & contingens reſpectu alterius.*

naturaliter eſt neceſſarium per ſuam naturam intrinſecam, circumſcripto quocunque extrinſeco, ad quod habeat reſpectum: quia natura eſt principium intrinſecum, patet per definitionem naturæ.

Defi[n]itio neceſſarij tradita ab Auicē[n]na eſt inepta.

Secunda concluſio. Defiuitio neceſſarij eſt inepta. Probatur ſic, quia ſi eſſet bona, ſequeretur, quòd quodlibet eſſet naturaliter neceſſarium, quod eſt falſum. Probatur conſequentia, quia illud dicitur naturaliter neceſſarium, quod circumſcripto quocunque alio, eſt neceſſarium, ſed quodlibet eus, circumſcripto quocumque alio, eſt neceſſarium: igitur quodlibet ens eſt naturaliter neceſſarium. Maior nota eſt. Et minor patet per definitionem prædictam, quia quodlibet, circumſcripto quocumque alio, non haberet extrinſecum impedimentum, & per conſequens eſſet neceſſarium.

3. *In potentiis actiuis non eſt contingens ad vtrumlibet.*

Tertia concluſio. In potentiis actiuis non reperitur contingens ad vtrumlibet. Probatur, quia formæ eſt agere, & materiæ pati; modò forma eſt determinata, & non indifferens: igitur in iis, quibus attribuitur *agere*, non inuenitur potentia indifferens ad agendum, & non agendum; ſed ſemper determinata ad alterum. Secundò ſi potentia actiua eſſet contingens ad vtrumlibet, ſequeretur, quòd nunquam produceretur effectus. Conſequens eſt falſum. Et probatur conſequentia: quia ex quo agens eſt indifferens, & etiam materia indeterminata; quâ ratione produceretur vnum contrariorum, eadem ratione & reliquum: igitur vel ambo ſimul producerentur; quod eſt impoſſibile, vel neutrum, & habetur conſequens. Et ex hoc infert Commentator, quòd contingentia ad vtrumlibet reperitur in cauſa naturali, quæ de ſui natura eſt indifferés ad diuerſus, & oppoſitos effectus in diuerſis temporibus ſecundùm diuerſitatem alterationum agentium, vt iſta inferiora in æſtate nata ſunt recipere caliditatem, & ſiccitatem propter appropinquationem Solis; ſed in hyeme nata ſunt recipere frigiditatem, & humiditatem propter remotionem Solis.

Contingentia ad vtrumlibet in quo reperiatur.

Quarta concluſio. Caſus & fortuna non reperiuntur in contingenti ad vtrumlibet. Probatur, quia caſus, & fortuna ſunt cauſæ agentes; modò in cauſis agentibus non reperitur contingens ad vtrumlibet per præcedentem concluſionem; ergo, &c.

Caſus & fortuna nō ſunt in contingēti ad vtrūlibet.

Ad rationes Auicennæ reſpondens Commentator negat conſequentiam. Determinationem autem Ariſtotelis præhabitam, videlicet quòd caſus & fortuna ſunt cauſæ agentes: quia illa, quæ fiunt extra ſemper, & frequenter à cauſa agente, oportet, quòd fiant contingenter raro: quia in agentibus non reperitur contingens ad vtrumlibet, & hæc de primo.

4. Quantum ad aliud, videlicet quid veritatis contineant dicta Commentatoris. Primò videbitur vtrùm in potentiis actiuis poſſit reperiri contingens ad vtrumlibet. Secundò, vtrùm contingens ad vtrumlibet reperiatur in potentiis paſſiuis. Tertiò, vtrùm idem ſit neceſſarium reſpectu vnius, & contingens reſpectu alterius. Et quartò vtrùm caſus, & fortuna reperiantur in contingenti ad vtrumlibet.

Potentia eſt duplex rationalis, & irrationalis.

Quantum ad primum, notandum, quòd quædam eſt potentia rationalis, vt voluntas: quædam irrationalis, vt ignis. Secundò notandum, quòd potentiam actiuam eſſe contingentem ad vtrumlibet, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd agente approſimato paſſo ſufficienter diſpoſito ad actionis ſuæ receptionem, vtrùm tunc potentia actiua poteſt contingenter agere, vel non agere. Et dico notabiliter *approximato paſſo ſufficienter diſpoſito*, propter duo.

Primò, ſi agens non ſit approximatum, tunc contingit ipſum ad vtrumlibet approſimari, vel non approximari; & per conſequens contingit ad vtrumlibet ipſum agere, vel non agere.

Secundò, quia ſi paſſum fuerit indiſpoſitum; tunc contingit ipſum agere, vel non agere, ſecundùm quòd contingit paſſum diſponi, vel non diſponi. Alio modo intelligitur, quòd aliquis effectus producatur ab agente, à quo natus eſt contingenter ad vtrumlibet produci, vel non produci.

Nunc ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd potentia rationalis, vt voluntas, eſt de ſe indifferens ad agendum, & non agendum, ita vt contingenter ad vtrumlibet poſſit vnum actum elicere, vel ſuum oppoſitum poſitiuè, vel priuatiuè. Probatur, quia aliter ſequeretur, quòd voluntas non eliceret liberè ſuos actus, quod eſt falſum. Et patet conſequentia, quia ſi voluntas determinaretur, hoc eſſet per agens naturale, cuius actio non eſſet in poteſtate voluntatis, & per conſequens nec actio voluntatis dependens ex illa actione. 5.

Secundò patet, quia prioſquam per intellectum fuerit iudicatum de aliquo obiecto, ſufficit quòd voluntas poſſit elicere actum volendi, vel nolendi illud obiectum, tunc voluntas, iudicio ſtante, quòd eliciat, adhuc poteſt actum ſuum differre, vel eius oppoſitum elicere; igitur de agente libero quæſtio non eſt dubia.

Secunda concluſio. Agente naturali approximato paſſo ſufficienter diſpoſito ad receptionem ſuæ actionis, agens illud non eſt indifferens ad *agere*, vel *non agere*: immò determinatum eſt ad agendum. Probatur, quia per hoc differt potentia actiua naturalis à potentia libera.

Secundò, quia ſi agens ſit Indifferens ad producendum iſtum effectum, vel eius oppoſitum, cùm etiam paſſum ſit indifferens, quâ ratione producit vnum ipſorum, eâdem ratione reliquum, & per conſequens ambos effectus ſimul, vel neutrum, quod eſt impoſſibile.

Sed contrà obiicitur, quia ſi iſta ratio valeret, probaretur, quòd nunquam contingens rarum produceretur ab aliquo agente, quia ſit *A* contingens rarum, & *B*, contingens *vt in pluribus*, & quod agens determinetur, tunc ſi *A*, & *B* eſſent effectus contingentes ad vtrumlibet; ita vt agens eſſet indifferens æqualiter ad illos, numquam aliquem illorum produceret, per prædictam rationem; igitur, cùm agens ſit minùs determinatum ad agendum aliquid, quàm ſi eſſet indifferens æqualiter ad *A*, & ad *B*, ſequitur, quòd ſemper producet *B*, & nunquam *A*.

Reſpondetur concedendo, quòd ſi agens non impediretur, ſemper produceret effectū, ad quem magis determinatur, & quando impeditur, tunc producit effectum, ad quem determinatur in paucioribus; & ideò conſequentia non valet, niſi circumſcriberetur impedimentum. 6.

Tertia concluſio. Aliquis effectus poteſt produci ab aliquo agente, à quo natus eſt indifferenter produci, vel non produci, & potentia actiua eſt contingens ad vtrumlibet. Probatur, quia licèt agens

agens naturale sit determinatum ad effectum intentum, non tamen ad effectum, qui euenit præter intentionem; immò agens est indifferens, vt quilibet diuersorum, immò multorum effectuum eueniat præter eius intentionem.

Secundò, probatur de effectibus intentis: quia licèt [b] agens sit determinatum ad effectum secundariò intentum, v. g. Ludens ad taxillos primariâ intentione intendit ludere; & quantum ad secundariam intentionem est indifferens ad lucrum, vel perditionem.

Ex quibus patet, quòd cùm casus, & fortuna dicantur respectu effectuum, qui non intenduntur ab agente, & respectu illorum agens sit indifferens, & contingens ad vtrumlibet; sequitur, quòd in contingenti ad vtrumlibet potest inueniri casus, & fortuna, dummodo illud contingens eueniat præter intentionem.

7. Secundò patet, qualiter diuersimodè est contingentia in agentibus liberis, & in agentibus naturalibus: quia agens liberum est indifferens ad eius primarium effectum, & etiam secundarium; sed agens naturale est determinatum ad effectum primariò intentum; sed est indifferens ad effectum secundariò intentum euenientem præter intentionem. Et hoc de primo.

Potentia passiua est duplex.

Quantum ad secundum, scilicet de potentia passiua, est distinguendum, quòd quædam est potentia passiua receptiua, alia terminans. vt homo: & huiusmodi potentia receptiua est duplex, quædam purè receptiua, vt materia prima, & alia quæ est quodammodo actiua, vt visus, auditus, & aliæ potentiæ cognitiuæ.

Potentia purè passiua est indifferens ad vtrumque oppositum.

Nunc sit prima conclusio. Potentia purè passiua de sui natura est indifferens ad vtrumque oppositorum. Probatur, quia materia prima de sui natura est indeterminata ad vnum, vel alterum: ideò simul potest recipere vtrumque. Et si arguatur, si sit indifferens ad vtrumque quâ ratione recipiet vnum, eâdem ratione reliquum: igitur vel simul recipiet ambo, vel neutrum.

Respondetur negando consequentiam; quia licèt non sit determinatio ad receptionem vnius contrariorum, quantum est de natura materiæ; tamen est determinatio ex parte agentis, cuius est producere vnum, & non reliquum.

8. Et si obiiciatur; si materia potest simul recipere vtrumque, ponatur illa de possibili in esse, sequitur, quòd simul recipiet vtrũque. Dico, quòd non debet poni in esse per vnam positionem, sed per diuersas successiuè; & propter hoc hæc dictio *simul* determinat hoc verbum *potest*, & non hoc verbum *recipere*, quia tunc iam ipsa esset falsa. Eodem modo dicitur de virtute cognitiua, quòd ipsa est indifferens moueri ab vno obiecto, vel alio indifferenter, quantum ex parte sui, non obstante, quòd ipsa habeat maiorem inclinationem, vt moueatur ab vno, & non à reliquo, cuius inclinationis signum est delectatio, quam habet potentia cognitiua tam in apprehensione vnius obiecti, quàm alterius.

Sed potentia passiua resistente, vel terminante, cuiusmodi est mixtum, vel elementum, est distinguendum: quia vel huiusmodi passum est indifferens, vt patiatur ab hoc agente, vel illo, quod est sufficienter approximatum, & sufficiens agere in ipsum; vel quantum ad effectum, quem agens natum est producere ex illo passo tanquam ex termino *à quo*; tunc dico, quòd tale passum est contingens, & indifferens ad vtrumlibet primo modo. Sed secundo modo non; quia sæpè agens determinatur per passum, seu per dispositiones passi alias, & alias ad producendum vnum, & alium effectum: verbi gratiâ, calor Solis per dispositionem materiæ in vno loco determinatur ad producendum vermes, in vno loco ad desiccandum, & alibi ad dissoluendum, & ita diuersimodè per diuersas dispositiones passi. Et hoc de secundo.

9. Quantum ad tertium nota, quòd Commentator definit *necessarium* in isto secundo, dicens, quòd *necessarium est, in cuius natura non est potestas ad efficiendum*, & ex hoc Commentator reprehendit definitionem Auicennæ priùs datam malè; quia definitio Auicennæ, quam dat de *necessario*, sequitur ad definitionem Commentatoris. Quia si in natura necessarij non sit potestas ad efficiendum, sequitur, quòd necessarium non habet extrinsecum impedimentum.

Definitio necessarij secundùm Commentatorem.

Contingens accipitur dupliciter.

Secundò notandum, quòd contingens [c] accipitur dupliciter: vno modo communiter ad necessarium, & ad contingens ad vtrumlibet, vt patet *primo Priorum*. Alio modo vt distinguitur contra necessarium; & tunc diuiditur in contingens *vt in pluribus*, & in contingens *rarò*, & in contingens *æqualiter*, quod vocatur contingens *ad vtrumlibet*.

Nunc sit ista conclusio. Idem vel consimile, quod est necessarium respectu vnius est, contingens respectu alterius; vel quod est contingens vt in pluribus respectu alterius. Probatur primò, quia dies esse maiores noctibus est contingens, & quandoque ita est, & quandoque non, & tamen est simpliciter necessarium respectu æstatis: quia de necessitate dies sunt maiores noctibus in æstate.

Secundò, quia Deum creare est simpliciter contingens, accipiendo *creare* pro productione rei de *non esse* ad *esse* nullo subiecto præsupposito; & tamen Deum creare est necessarium respectu voluntatis diuinæ efficacis ad creandum: quia de necessitate Deus creat, quando vult efficaciter creare.

10. Tertiò, quia quoddam est necessarium simpliciter, & aliud est necessarium ex conditione, vt patet tractatu vltimo huius 2. text. 87. modò necessarium ex conditione est contingens simpliciter, & tamen est necessarium respectu alicuius: verbi gratiâ, Socratem habere oculum est contingens simpliciter, & tamen est necessarium ex conditione, videlicet, si Socrates debeat videre.

Quartò, quia diem esse est contingens æqualiter, quia toties est dies, quoties est nox; & tamen diem esse est necessarium respectu Solis eleuati super Horizontem nostrum.

Quintò, quia ambulare est contingens ad vtrumlibet respectu potentiæ motæ, & tamen non est contingens ad vtrumlibet respectu desiderij ad ambulandum.

Sextò, per Aristotelem in isto 2. text. 77. vbi dicit, quòd pluere est contingens rarò in æstate, Sole existente sub cane, & tamen est contingens *vt in pluribus* in hyeme.

Ex quibus sequitur, quòd Commentator malè reprehendebat Auicennam in hoc, quòd ponebat idem esse necessarium, & contingens respectu diuersorum. Secundò sequitur, quòd idem potest esse casuale respectu vnius, & fortuitum respectu alterius, & non casuale,

vel fortuitum respectu tertij. Et hoc de tertio.

Casus & fortuna contingunt in contingenti ad vtrumlibet.

Quantum ad quartum, videlicet an reperiatur casus & fortuna in contingenti ad vtrumlibet, respondetur, quòd sic: quia si effectus contingens ad vtrumlibet eueniat præter intentionem agentis; tunc per definitionem casus euenit à casu; quia euenit extra semper, & frequenter, &c. Verbi gratiâ dormire est effectus contingens ad vtrũlibet, id est, æqualiter: fortè toties, & tantum dormimus, quantum vigilamus; & ideò dicit Aristoteles 1. Ethicorum, quòd fœlix non differt à misero, nisi per dimidium vitæ, & ideò quando dormire euenit præter intentionem dormientis, vt patet in ebriis, tunc dicitur euenire à fortuna: quia euenit cum effectu intento, scilicet cum potatione.

Casus & fortuna tripliciter sumi possunt.

Tamen notandum est, quòd casus, vel fortuna possunt accipi tripliciter; vno modo propriissimè, & tunc solùm inuenitur in contingenti rarò, & quanto rarius inuenitur, tanto potius dicitur à fortuna. Secundo modo communiter, & tunc potest reperiri in contingenti ad vtrumlibet. Verbi gratiâ; sicut dicimus istum à fortuna habere pedes maculatos. Tertio modo magis improprie in tantum, quòd quando dicimus effectus intentos euenire à casu, vel fortuna, vt dicimus, quòd lusor ad taxillos lucratur à casu, & tamen intendebat.

11. Tunc circa hoc dubitatur de eclipsi Lunæ, an eueniat à fortuna, & videtur, quòd sic: quia eclipsis est quidam defectus luminis; igitur motor, scilicet Intelligentia non intendit ipsum, immò potiùs intendit perfectionem orbis, quem mouet, & tunc sequitur, cùm eueniat rarò præter intentionem agentis, quòd fiat à casu. Respondetur, quòd non fit à casu: quia licet simpliciter loquendo fiat rarò, tamen vt in pluribus: immò semper fit respectu suarum causarum: quia quotiescumque Sol, & Luna diametraliter opponuntur, ita vt vnum sit in capite Draconis, & aliud in cauda, fit eclipsis. Sed contrà: quia ita sequeretur, quòd inuentio thesauri non fiat à casu; quia vt in pluribus euenit respectu suarum causarum, immò semper: quia quotiescumque aliquis fodit terram, in qua est absconditus thesaurus, inuenit thesaurum. Respondetur, quòd non est simile: quia eclipsis euenit per motus regulares, & vniformes, & per media necessaria, quæ non possunt impediri, & per quæ præscitur eclipsis, priusquam eueniat, sic autem non est de inuentione thesauri: quia illa potest euenire per alias causas, etiam media ad illum effectum possunt impediri; nec per illa media potest præsciri ille effectus: immò quantum ad hoc fortuna est immanifesta homini, vt dicit Aristoteles 2. huius, text. 47. Ex quibus patet qualiter in contingentibus *ad vtrumlibet* inueniatur casus, & fortuna, & qualiter non. Et hoc de quarto. Rationes sunt solutæ.

ANNOTATIONES.

12. *Contingens est triplex.*

a *Casus & fortuna possunt reperiri in contingenti ad vtrumlibet.* Nota, quòd triplex est contingens, scilicet *ad vtrumlibet*, *vt in plurimum*, & *rarò*, quod magis determinatum est ad non esse, quàm ad esse. Contingentia primi modi sunt simpliciter contingentia, secundi autem modi vocantur à Physicis necessaria, vt hominem nasci cum quinque digitis in qualibet manu. Solem oriri, & Lunam eclipsari, quia habent causas naturaliter tales effectus producentes. Tertij verò generis iudicantur impossibilia, omnia tamen Logicè loquendo sunt contingentia: quia possunt euenire, vel non euenire.

Vnde obserua, quòd cùm non sit aliquod efficiens alicuius rei, illa talis res non est effectibilis, rarò autem contingentis causæ assignantur fortuna & casus, quæ sunt causæ per accidens, vt patet in hoc 2. text. 66. & 67. Causa ergo huiusmodi contingentis reduci debet ad causam per se: quia in nullo genere causæ, causa per accidens est prima causa. In contingentibus autem *vt in plurimum*, causæ etiam assignantur naturales, & per se: omne autem agens per se agit propter finem, aut est agens à proposito, vel saltem ordinatum ab agente à proposito. Tertij etiam generis contingentium, scilicet eorum, quæ sunt ad vtrumlibet, propriè loquendo, causa debet assignari libera: ex quo sequitur, quòd omnium contingentium causa sit libera immediatè, vel mediate, propinquè, aut remotè.

b *Quia licèt agens sit determinatum ad effectum secundariò intentum.* Nota, quòd hæc littera videtur corrupta, seu manca. Vnde debet sic corrigi: quia licèt agens sit determinatum ad effectum primariò intentum, est tamen indeterminatum ad effectum secundariò intentum, v.g. ludens, &c. vel sic tamen potest esse indifferens ad effectum secundariò intentum, verbi gratiâ, &c.

c *Contingens accipitur dupliciter, vno modo communiter, &c.* Nota, quòd *possibile* tripliciter capi potest; primò pro possibili Logico, & tale stat cum necessario, tunc enim solùm dicit non repugnantiam ad esse, siue necessariò sit, siue contingenter sit, & sic ipse Deus est possibilis. Secundo modo sumitur magis strictè pro re, quæ contingenter potest esse, quamuis non sit: & isto pacto in plus se extendit possibile, quàm contingens: quia omne contingens est possibile, non autem omne possibile est contingens: quia multa possunt fieri, quæ nunquam fient. Tertio modo sumitur possibile, vt conuertitur cum contingenti. Vnde Aristoteles 9. Metaph. text. 7. definit possibile in hunc modum: *Est autem possibile hoc, si extiterit actus, cuius dicitur habere potentiam nihil erit possibile*; & idem Aristoteles definit contingens eodem modo lib. 1. Priorum, cap. 12. Dico autem contingere, & contingens, quo non existente necessariò, posito autem in esse, vel non in esse, propter hoc nihil erit impossibile. Vnde apparet possibile, & contingens pro eodem accipi. 13.

Possibile potest fieri tripliciter.

Definitio possibilis & contingentis.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm omnia eueniant de necessitate.

Arist. *lib. 1 Prior c. 12. & 2. Phys text. 50. & 52 & 6. Metaph. text. 7. & 8* Auerr. *com* 48. Auic. *6 Met. c. 9.* Albert. Mag. *tract. 2. c. 10. & tract. 3. c. 5.* D. Thom. *6. Met lect. 3 & 1. p. q 116. art. 1. & 3. cont. Gent. c. 86.* Canon. *q. 4. art 2* Fonseca *tom. 8 Met lib. 5. c. 5. q 2.* Suar. *tom. 1. Met. disp. 29. per totum.* Conimbr. *2. Phys. cap. 7. q. 13.* Complut. *disp. 11. q. 2* Fuenter *q. 5 diffic. 2.* Rubius *in exposit. c. 9.*

ARGVITVR, quòd sic: quia omne futurum præscitur scientiâ infallibili: igitur omne futurum necessariò eueniet. Consequentia tenet, quia si *A* effectus sit præscitus ineuitabiliter euenire; vel de necessitate eueniet 1.

nier, & habetur propoſitum: vel poteſt oon euenire; tnoc ponatur in eſſe, quòd non eueniat, & tunc ſequitur, quòd hæc ſcientia eſt falſa, quæ ponebatur infallibilis, quod eſt contradictio.

Secuodò, omne corruptibile de oeceſſitate corrumpetur; ſed omne futurum eſt corruptibile: ergo omne futurum de neceſſitate corrumpetur, ſed non poteſt corrumpi niſi primò fuerit: igitur omne futurum de neceſſitate erit. Confirmatur, quia non apparet aliquid magis contingenter fieri, quàm corruptio Socratis: quia poteſt indifferenter fieri hodie, vel cras, & tamen corruptio Socratis de oeceſſitate eueniet: quia ex nunc poſitæ ſunt cauſæ ad quas neceſſariò ſequitur corruptio Socratis: igitur conſimiliter, ita videtur de quolibet alio futuro.

Tertiò, qoia altera iſtarum duarum, *Socrates curret cras*, *Socrates non curret cras*, nunc eſt vera, cùm ſint contradictoriæ; ſit igitur iſta: *Socrates curret cras*, quæ ſit vera, & tranſeat in præteritum; tunc iſta de præterito, *Socrates cucurrit*, eſt neceſſaria: quia omnis propoſitio vera de præterito eſt neceſſaria: igitur illa, *Socrates curret cras*, erit oeceſſaria. Teoet conſequentia: quia veritas illius de præterito dependet ex veritate eius de futuro; & per conſequens ad vnam ſequitur alia, & per conſequens ſequitur, quòd de neceſſitate Socrates curret cras.

2. Quartò, omne præſens de neceſſitate eſt præſens, & omne præteritum de neceſſitate eſt præteritum: igitur omne futurum de neceſſitate eſt futurum. Tenet conſequentia; quia multa ſunt de præſenti, ad quas ſequuntur illæ de futoro, ſicut ſequitur, *homo mouetur: igitur homo mouebitur*. Secundò patet, quia æquè neceſſaria eſt iſta, *futurum eſt futurum*, ſicut iſta, *præſens eſt præſens*, aut iſta, *præteritum eſt præteritum*. Tertiò patet, quia ſi iſta de præſenti ſit vera, *A* de neceſſitate eſt præſens: igitur priùs ſibi correſpondebat vna de futuro vera, ſcilicet, *A* de neceſſitate erit præſens. Antecedens patet pro prima parte, primo Perihermenias, vbi dicitur, quòd omne quod eſt, quando eſt, de neceſſitate eſt. Secunda patet in primo Cœli, text. 138. vbi dicitur qoòd potentia non eſt ad præteritum.

Quintò, niſi omne futurum de neceſſitate eueniret, ſequeretur, quòd poſſibile fieret impoſſibile, nullâ motatione factâ ex parte rei. Conſeqoens eſt falſum; quia mutatio contradictionis non poteſt fieri, niſi per mutationem rei ſignificatæ. Conſequentia patet, capiendo iſtam, *Socrates curret cras*, quia vel Socratem currere cras eueniet de neceſſitate, & habetur propoſitum; vel poterit non euenire; & ſi ſic, ponatur quòd non eueniat: tunc pro cras illud erit impoſſibile; qoia tempus non poteſt reiterari.

Sextò, quia de neceſſitate omne futurum eſt foturum; igitur omne futurum de neceſſitate eueniet. Tenet conſequentia, quia idem eſt futurum, & eueniet. Et antecedens apparet; quia iſta eſt neceſſaria, *omne futurum eſt futurum*. Confirmatur, quia ſi non omne futurum de neceſſitate eueniret, tunc aliquod futurum poteſt non euenire. Ponatur igitur in eſſe, quòd non eueniat, ſequitur contradictio, quòd futurum non eſt futurum.

3. Septimò, quia Socratem currere cras, vel non currere, eſt neceſſariom; ſed Socratem currere eſt Socratem currere, vel non currere cras: igitur Socratem currere cras eſt neceſſarium. Confirmatur, quia curſus Socratis primò ſignificatur per propoſitionem de futuro. Secundò, per propoſitionem de præſenti. Tertiò, per propoſitionem de futuro; igitur ſi vna illarum ſit neceſſaria, & reliqua. Tenet conſequentia, qoia ab eo quòd res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa, in Prædicamentis, cap. de Subſtantia, & c. de Priori; ſed illa de præterito eſt neceſſaria, igitur, & illa de futuro.

Octauò, quia vt patet 1. Cœli, text. 124. ſemper ens eſt neceſſarium, & ſemper non ens eſt impoſſibile: igitur contradictorium non entis ſemper eſt neceſſarium, ſcilicet, *aliquod ens*; ſed omoe futurum aliquando eſt; igitur omne futurum de neceſſitate eſt.

Nonò, quia poſſibile, & impoſſibile opponuntur euenire, & non euenire; ſed omne impoſſibile de neceſſitate non eueniet; igitur omne poſſibile de neceſſitate eueniet, per illam regulam, *ſi oppoſitum in oppoſito, & propoſitum in propoſito*.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto ſecundo, text. 50. & 52. vbi ponit aliqua euenire à caſu, & à fortuna. Et per conſequens contingenter: & Commentator dicit, quòd ſermo diceos omnia de neceſſitate euenire, eſt falſus.

Notandum, quòd aliquid dicitur futurum tripliciter: vno modo, quòd eſt, & erit ſine ſucceſſione temporis, ſicut dicimus: qoòd Deos eſt, & hoc eſt impropriè; quia in æternitate non eſt prius, nec poſterius, cùm æteroitas ſit interminabilis poſſeſſio vitæ tota ſimul, & perfecta, vt patet 1. de Conſolatione, & ideò omnia præterita, & futura ſunt æquè præſentia Deo; immò multo perfectiori modo, quàm aliqoid ſit præſens mihi, cùm Deus ſit indiſtans cuilibet moroſæ durationi. Alio modo dicitur aliquid futurum quod eſt, & erit cum temporis ſucceſſione, vt creaturæ præſentes circa Deum, vt cœlum, homo, & huiuſmodi. Alio modo dicitur futorum, quod nondum eſt, ſed erit, & de tali quæritur in propoſito. 4. *Aliquid dicitur futurum tripliciter.*

Secundò notandum, quòd tale futurum euenire de neceſſitate poteſt intelligi dupliciter; vno modo, quòd eius euentus per nullam potentiam poſſit impediri, & ſic nihil eſt futurum de neceſſitate: quia Deos de potentia abſoluta poſſet facere, qoòd nihil eſſet futurum, immò quòd nihil eſſet aliod à ſe ipſo. Alio modo dicitor euenire de neceſſitate: quia euentus eius non poteſt impediri ſtante concorſu naturæ, qui dicitur potentia Dei ordinata, & ſic multa euenirent de neceſſitate, vt ortus, & occaſus ſtellarum, & huiuſmodi, & ſic intelligitor in propoſito. *Futurũ euenire de neceſſitate poteſt intelligi dupliciter.*

Tertiò notandum, quòd aliquando neceſſitas attribuitur priori, ex ſuppoſitione poſteriorum, vt patet 1. huius: vt homo habet de neceſſitate oculum, ſuppoſito, qoòd debeat videre, ſed quandoque eſt è cõtra, quòd neceſſitas attribuitur poſteriori ex ſuppoſitione priorum; vt quia hodie eſt dies Sabbati, cras de neceſſitate erit dies Dominica. Similiter qui corpora cœleſtia interſecãt ſe in tali diſpoſitione, & mouentur vniformiter: igitur de neceſſitate tali tempore erit eclipſis. Similiter quia Socrates eſt compoſitus ex contrariis: igitur de neceſſitate corrumpetur, licèt tempus ſit indeterminatũ in quo fiet eius corruptio. *Neceſſitas diuerſo modo attribuitur rebus.*

Nunc ponuntur concluſiones. Prima concluſio. Aliquid euenit contingenter. Probatur; quia voluntas 5. *Aliquid euenit contingenter.*

voluntas nostra est libera libertate contradictionis: igitur aliquid euenit contingenter. Patet consequentia, quia aliter non diceretur libera, nisi quia potest contingenter elicere aliquem effectum, vel eius oppositum, vel vtrumque omittere. & ideò voluntas ex hoc est libera, quia potest elicere aliquem actum, vel eius oppositum positiuè, vel priuatiuè.

Secundò sequeretur, quòd mali iniustè punirentur, quia punirentur propter hoc, cuius oppositum non possunt facere, nec ipsum non facere.

Tertiò sequeretur, quòd nullus esset laudandus, nec vituperandus, cùm non esset in potestate sua facere, vel non facere illud propter quod meretur laudem, vel vituperium. Item frustra consiliaremur de eueniendis, cùm de necessitate euenirent.

Sublata libertate voluntatis omnia de necessitate euenirent.

Secunda conclusio. Si non esset [b] libertas voluntatis, omnia euenirent de necessitate, ita vt de facto res sunt taliter dispositæ, qualiter ad ipsas de necessitate sequerentur omnia futura, circumscripto libero arbitrio, quod potest impedire euentus aliquorum, & etiam prohibere, quæ euenirent aliter, si non esset libera voluntas. Probatur, supponendo primò, quòd ad productionem alicuius effectus requiruntur omnes causæ requisitæ ad productionem illius effectus, & eo modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere illum effectum.

6. Secundò supponitur, quòd positis causis necessariò requisitis, & sufficientibus ad productionem alicuius effectus, & eodem modo dispositis, qualiter sufficiunt illum effectum producere de necessitate producitur ille effectus: patet, quia si non produceretur, aut causæ non essent sufficientes, aut non essent dispositæ eo modo qualiter sufficerent. Istis suppositis, arguitur sic, & capiatur aliquis effectus futurus, vt puta Antichristus, vel Socrates, quia sicut arguitur de vno, ita potest argui de quocumque alio. Vel causæ necessariò requisitæ, & sufficientes ad productionem Socratis, nunc sunt eodem modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere, vel non. Si sic, tunc per secundam suppositionem Socrates de necessitate producetur. Si non, igitur Socrates nunquam producetur, nisi dicatur, quòd causæ sufficientes ad productionem Socratis nunc non sunt dispositæ, qualiter sufficiunt Socratem producere, sed postea poterunt disponi. Et tunc arguam de causis mediantibus, quibus producentur causæ productiuæ Socratis: quia vel causæ sufficientes ad producendum causas productiuas Socratis nunc sunt eo modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere, vel non. Si sic, igitur de necessitate producent causas productiuas Socratis per secundam suppositionem: igitur per eandem Socrates de necessitate producetur. Si non, sequitur, quòd illæ causæ productiuæ Socratis nunquam producerentur; nisi dicatur sicut priùs, quia licèt illæ causæ nunc non sint sufficienter dispositæ, tamen poterunt postea sufficienter disponi. Tunc arguam de causis illarum causarum sicut priùs, & ita per talem anticipationem tandem deuenietur ad tempus præsens, in quo causæ præsentes sint sufficienter dispositæ ad producendum causas causarum Socratis, vel non: si sic, illæ causæ de necessitate producerent, & per consequens Socrates de necessitate produceretur. Et si non, nunquam produceretur. Istam rationem facit Aristoteles 6. Metaph. text. 5. quæ non potest solui, nisi negando secundam suppositionem propter agens liberum: nam positis omnibus causis requisitis, & sufficienter dispositis eo modo, quo sufficiunt effectum illum producere, adhuc agens liberum potest illum effectum non producere.

Secundò probatur conclusio. Quia omnia ista inferiora reguntur secundùm inclinationem corporum cælestium: igitur omnia euenirent hîc tantâ necessitate, quantâ in corporibus eueniunt, circumscriptâ voluntate, quæ impedit, verum est tamen, quòd licèt omnia hîc inferiùs euenirent tantâ necessitate; tamen ordo illius necessitatis non posset ita faciliter percipi sicut in corporibus cælestibus, propter irregularitatem motuum, & mutationum, quibus fiunt hæc inferiora. 7.

Contra conclusionem arguitur. Primò, quia voluntas non est libera: igitur non impedit necessarium euentum futurorum. Consequentia tenet ex prædictis: probatur antecedens, quia Astrologi, & sublimatores præindicant de actibus voluntariis, respectu quorum voluntas dicitur maximè libera, quod non esset, si huiusmodi actus contingenter euenirent à voluntate.

Secundò, quia vel voluntas dicitur libera respectu actuum, quos elicit insequendo suam naturalem inclinationem, vt leue insequendo motum sursum, & graue insequendo motum deorsum: aut respectu illorum, quos elicit contra suam inclinationem. Non secundum, quia nullus est actus elicitus à voluntate, ad quem voluntas non inclinetur, licèt quandoque insensibiliter, vt patet in exemplo, vt gladius positus super cuspidem, apparet indifferens ad omnem situm, & tamen propter inclinationem insensibilem mouetur ad vnam partem, & non ad aliam.

Tertiò, quia circumscriptâ libertate voluntatis, adhuc si vnus canis famelicus poneretur æquè distanter inter duos panes, à quorum quolibet æquè moueretur æqualiter omnino, tunc non est ratio, quare magis vadit ad vnum, quàm ad reliquum, nisi determinat se contingenter ad eundum ad alterum illorum.

Quartò, quia circumscriptâ voluntate, adhuc aliquid fieret à casu, vt patet de casu tripedis super pedes; igitur circumscriptâ voluntate, adhuc aliquid fieret contingenter. 8.

Quintò, vt videtur, aliquid euenit de facto contingenter in centro terræ infra concauum orbis Lunæ, & in terra inhabitabili, & tamen in istis non apparet; quòd voluntas humana aliquid operetur: igitur præter humanam voluntatem aliquid euenit contingenter.

Ad ista respondetur. Ad primum, quòd Astrologi, & sublimatores meditantur de inclinationibus hominum, & quia vt in plurimum homines sequuntur suas naturales inclinationes; igitur quandoque accidit quòd illi iudicant verum; nihil tamen obstat, quin actus illi fiant liberè, quia voluntas potest in oppositum, immò sæpè voluntas hominis virtuosi agit oppositum suæ inclinationi, & ideò dicit Ptolemæus, quòd Sapiens dominabitur Astris.

Ad secundum dico, quòd respectu vtrorumque, quia vtrumlibet potest elicere, vel suum oppositum, vel saltem omittere, & actum suum suspendere, nec oportet dominare huiusmodi insensibilem inclinationem.

Ad tertium dico, quòd canis per motum phantasiæ statim determinatur ad alteram partem, &

& hoc de necessitate; & ideò non potest stare per tempus saltem diu indifferenter, quin determinetur ad vnum.

9. *Aliquid dicitur euenire contingenter dupliciter.* Ad quartum dico, quòd aliquid dicitur euenire contingenter dupliciter. Vno modo; quia quandoqoe est, & quandoque non est, & sic illud, quod fit à casu, fit contingenter; & ita saluaretur natura contingentis, posito, quòd omnia euenirent de necessitate. Alio modo dicitur euenire contingenter, quia cum hoc, quòd quandoque est, & quandoque non est, euentus potest impediri: & sic dico, quòd illud quod fieret à casu, non fieret contingenter, sed necessariò: sed diceretur casuale, eo quòd fieret præter intentionem agentis.

Ad quintum dico, quòd aliquid fieri contingenter potest intelligi tripliciter: vno modo, quod immediatè fit à voluntate, & sic in centro terræ, & in concauo orbis Lunæ, vel in terra inhabitabili nihil fiet contingenter. Alio modo, quia illud de sui natura est impedibile, & potest impediri si agens liberum sit approximatum, & sic in qoolibet illorum locorum fit aliquid contingenter; quia de facto aliter fit, quàm si non fuisset libera voluntas, & tunc supposito, quòd mundus fuisset ab æterno, & quòd sub qualibet portione materiæ primæ aliquando fuisset anima humana; tunc dico, quòd in istis inferioribus omnia fierent contingenter isto modo; immò de facto in illis partibus fiunt multæ variationes per liberum arbitrium. Verbi gratiâ in centro terræ accidit variatio per actualem inclinationem grauitatis ab vna parte potiùs, quàm ab alia, vt propter constructiones ciuitatum, & turrium, quæ fiunt per voluntatem, variatur centrum terræ. Similiter per combustionem ciuitatum, & nemorum propè terram inhabitabilem possunt turres fieri, & deferri ad terram inhabitabilem, vel ad superiorem regionem aëris, aut sphæram ignis, & per consequens ibi aliter accidere, quàm si nunquam fuisset libera voluntas.

10. Ad rationes. Ad primam, concedo [c] antecedens, & nego consequentiam; quia omne futurum præscitur à Deo scientiâ infallibili, seu ineuitabiliter, quòd contingenter eueniet. Tunc ad probationem concedo, quòd potest non euenire, & quando dicitur: ponatur igitur in esse, dico, quòd hoc non repugnat iam posito.

Ad secundam dico, quòd maior est falsa; quia significatur copulatiuè, quòd omne qnod est corruptibile de necessitate corrumpetur, & quòd omne quod potest esse corruptibile, de necessitate corrumpetur, quæ copulatiua est falsa pro secunda parte: sed Aristoteles intelligit eam in isto sensu, qnòd omne qnod est corruptibile, de necessitate corrumpetur, & tunc minor est falsa. Ad confirmationem dico, quòd corruptio Socratis de necessitate eueniet, quia ex nunc positæ sunt causæ, ad quas de necessitate sequitur corruptio Socratis, quæ per liberum arbitrium non potest impediri: nec constat quòd Socrates contingenter corrumpatur vno tempore, vel alio: & negatur consequentia, quòd ita fit de aliis, quia molta sunt futura, quorum causæ non sunt positæ in esse, ad quas de necessitate sequantur illa futura, immò possunt impediri, vt dictum est.

Ad tertiam admitto casum tactum, & dico, quòd illa de præterito est contingens, eo quòd eius veritas dependet ex veritate alterius de futuro contingenti.

Ad quartam negatur consequentia, pro quo notandum, quòd tripliciter potest inueniri immutatio contradictionis. Vno modo per mutationem rei significatæ per alterum extremum propositionis: alio modo per mutationem in aliquo alio, quod non significatur per aliquod extremum, & tertio modo per solum lapsum temporis. Exemplum primi: vt ista, *homo est albus*, quæ est vera, potest fieri falsa per mutationem, scilicet per corruptionem albedinis, quæ significatur per alterum extremum. Exemplum secundi, vt si quis sit iudicatus ad triremes per decem annos, illa potest falsificari per mutationem in alio, vt puta, per preces alterius. Exemplum tertij, vt si fiat edictum, quòd qui egreditur aulam Regis die Lunæ, condemnabitur ad mortem, & qui egreditur die Martis, salnabitur. Tunc per solum lapsum temporis est mutatio contradictionis, ita in proposito, quòd possibile potest fieri impossibile, nulla mutatione factâ ex parte rei aliâ à lapsu temporis. 11. *Immutatio contradictionis potest tripliciter inueniri.*

Ad quintam negatur consequentia. Vnde sciendum, quòd diuersimodè attribuitur necessitas præsentibus, futuris, & præteritis. Vnde præsens de necessitate est pro illa mensura pro qua est præsens, licèt possit non esse pro alia mensura. Sed præteritum de necessitate est præteritum pro omni mensura. Sed futurum nullo modo de necessitate est futurum; vnde pro eadem mensura pro qua Antichristus est futurus, pro illa eadem potest non esse futurus & ideò consequentia non valet. Ad probationem concedo, quòd æquè necessaria est ista in sensu composito de necessitate *futurum est futurum*, sicut ista, *præteritum est præteritum*; sed refertur in sensu diuiso. Ad aliam particulam, quia ad aliquas, &c. concedo, & ideò concedendum est, quòd aliqua futura de necessitate eueniant, scilicet quorum causæ sufficientes nunc sunt positæ, & taliter dispositæ, qualiter ad ipsas sequantur illa futura. Ad tertiam probationem negatur consequentia. 12. *Necessitas diuersimodè attribuitur.*

Ad sextam, concedo tam antecedens, quàm consequens in sensu composito: sed vtrumque est falsum in sensu diuiso. Ad confirmationem concedo, quòd aliquod futurum potest non esse futurum; & concedo quòd ponatur in esse quòd non eueniat, sed tunc non erat futurum; igitur, neganda est consequentia.

Ad septimam, negatur maior; nisi fuerit disiunctiua, & si sic, neganda est minor. Ad confirmationem negatur consequentia: quia aliter cursus Socratis significatur per propositionem de præterito; ideò non oportet, quòd si vna sit necessaria, & reliqua.

Ad octauam dico, quòd semper non ens non est impossibile: immò multa sunt impossibilia, quæ nunquam eueniant.

Ad nonam dico, quòd illa regula non tenet in verbis de necessario in sensu diuiso, sicut est in proposito.

ANNOTATIONES.

[a] ALiquid euenit contingenter. Nota, qnòd de hac re variæ sunt opiniones. Nam Auicenna relatus à S. Thom. 6. Metaph. text. 7. asserit in sua Metaph. nullam dari contingentiam, neque dari causam aliquam contingentem. Nam positâ causâ sufficienti necessariò sequitur effectus, 13.

fectus, aliàs non esset causa sufficiens. Vnde si aliquando contingat effectum non sequi positâ causâ, prouenit hoc ex insufficientia causæ, & non ex contingentia. Tum etiam, quia agens naturale agit ex necessitate naturæ: quod verò ex necessitate naturæ agit, non agit contingenter, atque adeò non datur agens naturale contingens.

Stoicorũ opinio de contingentia.

Secunda opinio Stoicorum est non dari contingentiam in rebus propter diuinam prouidentiam. Cùm enim Deus præuideat, & præcognoscat ab æterno quæcunque futura sunt, necessariò erunt: nam si Deus ab æterno præuidit, & prænouit me futurum Philosophum, necessitate quadam factum est, vt euadam Philosophus: quoniam aut hoc quod à Deo præcognitum est ab æterno, aliter euenire potest, aut non. Si primum, fallitur prouidentia Dei, & incurrimus in grauiorem errorem, tollimus namque prouidentiam, vt defendamus contingentiam. Si secundum, ergo necessariò eueniet, quoniam necessarium simpliciter est, quod non potest aliter euenire.

Academicorum opinio de contingentia.

Tertia opinio Academicorum in alium est prolapsa errorem: asserebant quidem contingentiam esse in rebus naturalibus, negabant autem prouidentiam diuinam, & dixerunt Deo non esse curam de nobis. Vnde D. August. ait: Stoici, vt nos facerent pios, fecerunt seruos, Academici, vt nos liberos facerent, fecerunt impios. Huius dementiæ fuit Cicero *primo de natura Deorum*, quam refert D. Augustinus 5. *de Ciuit. Dei, cap.* 9.

14.

Arist fundamenta de rerum contingentia.

Quarta sententia fuit Peripateticorum, quorum Princeps fuit Aristoteles qui admittit rerum contingentiam, & non omnia fieri ex necessitate, vt patet primo lib. Priorum, cap. 12. 6. Metaph. text 7. & 8. 1. Perihermenias, & in hoc 2. Physic. in tract. de casu & fortuna; vbi diuidit agens in necessarium, & in vt plurimum, & quod rarò & contingenter agit. Huius opinionis triplex potest assignari fundamentum. Primum desumptum est ab experientia, quæ docet quasdam res esse immutabiles, alias mutationi obnoxias. Considerabant enim motum corporum cœlestium, & aduertebant illum esse certum, regularem, & conformem, & nunquam in illo visum fuisse errorem. In rebus tamen sublunaribus aduertebant non semper res eodem modo agere, sed plerunque impediri. Videbant enim in hominis generatione aliquando fieri hominem perfectum; interdum verò monstruosum; hinc collegerunt dari contingentiam. Secundum fundamentum desumebant ex modo operandi: nam modus operandi sequitur modum essendi, modus autem operandi non est immutabilis in multis rebus, sed in multis mutatur, atque adeò natura aliquando agit necessariò, aliquando contingenter: agens enim naturale aliquando producit sibi similem, aliquando monstruosum effectum. Tertium fundamentum accipiebant ex materia, & contrarietate. Nam res naturales habent materiam, & habent contrarium, & ideò sunt contingentes: nam materia habet potentiam contradictionis ad esse, & ad non esse; similiter res naturales habent contrarium, vt ignis aquam, & per consequens hæc inferiora ratione materiæ, & ratione quâ sunt contraria, sunt contingentia. Vnde Aristoteles 9. Metaph. text. 17. inquit, in æternis nulla est potentia: quia omnis potentia est contradictionis; & subiungit corpora cœlestia tantùm habere potentiam ad *vbi:* quia Sol scilicet potest esse in hoc loco, & in illo, & 12. Metaph. text. 10. inquit, cuncta materiam habent, cœlestia verò corpora, vel non habent ad *vbi*, & 1. de Cœlo, text. 20. volens probare cœlum esse incorruptibile, probat sic; quia non habet contrarium, neque materiam ex qua factum sit.

His addi potest quartum fundamentum ex rebus moralibus desumptum; quia datur liberum arbitrium, & contingentia. Antecedens probatur 3. lib. Ethic. per totum. Consequentia patet; quia liberum arbitrium est potentia, quâ sponte nostra possumus velle, & nolle; ergo contingenter volumus, & nolumus. 15.

b *Si non esset libertas voluntatis, omnia euenirent de necessitate.* Nota, quòd non parua est controuersia inter D. Thomam, & Scotum, quænam sit prima radix contingentiæ. Nam S. Thomas 6. Metaph. text. 7. & 8. 1. part. quæst. 19. artic. 8. & quæst. 115. art. 6. & ibi Caiet. ad rerum contingentiam ponendam plura dicit, quæ paucis explicabo. Primum dictum S. Thomæ est, quòd triplex inuenitur causarum gradus: est enim prima causa vniuersalis, incorruptibilis, & immutabilis, nempe Deus Opt. Max. Sunt etiam causæ, quæ partim sunt vniuersales, partim verò particulares; cuiusmodi sunt corpora cœlestia, quæ sunt incorruptibilia, sed mutabilia. Sunt tandem causæ corruptibiles, & mutabiles, quales sunt causæ particulares, vt ignis, & homo. Istæ causæ tertij generis, dicuntur particulares; quia sunt limitatæ ad vnum certum, & determinatum effectum, vt ignis ad generandum ignem, & homo ad generandum hominem. Causæ verò mediæ sunt partim particulares, scilicet respectu Dei: quia effectus immateriales in Intelligentiis, & actiones humanæ, quæ sunt liberi arbitrij, non subiiciuntur efficientiæ cœli. Sunt etiam vniuersales, si comparentur cum causis particularibus; quia corpora cœlestia sunt causæ multorum effectuum: nam Sol & homo generant hominem, & Sol & planta generant plantam, & sic de aliis, & vniuersaliter omnes effectus, qui producuntur per motum naturalem cadunt sub efficientiam corporum cœlestium. Causa tandem primi gradus est simpliciter vniuersalis: eius enim effectus proprius est *esse*. Vnde quicquid est, & quomodocunque est, sub causalitate illius continetur.

Secundum dictum S. Thomæ, Ille effectus vocatur per accidens, & contingens respectu alicuius causæ, qui est extra efficientiam illius: verbi gratiâ sunt duæ herbæ, quæ simul florent; flores cuiusque habent causam propriam, quæ promouet illas ad florescendum; sed florere simul est per accidens: quoniam est extra efficientiam cuiusque causæ propriæ: vocatur igitur effectus per accidens ille, qui est extra efficientiam illius causæ. Et quia fieri potest quòd eadem res sit intra efficientiam alicuius causæ, & extra efficientiam alterius; hinc fit, vt eadem res dicatur per accidens respectu vnius causæ, & per se respectu alterius. Addit etiam sanctus Thomas non solùm illum effectum esse per accidens, qui est extra efficientiam illius causæ, sed etiam illum, qui quamuis sit intra efficientiam causæ, non est tamen intra efficientiam ordinariam, & constitutam. Ille autem effectus non producitur productione ordinariâ, & constitutâ; qui non producitur eo tempore, quo produci debet, neque eo modo, 16.

modo, & ordine, cuiusmodi sunt monstra: quæ ideò dicuntur effectus per accidens.

Tertium dictum S. Thomæ. Multi effectus possunt esse per accidens respectu causarum particularium, qui erunt per se respectu causarum cœlestium: quod patet in exemplo de floritione plantarum simul, quæ si ad plantas reducatur, est effectus per accidens. Si verò ad virtutem corporis cœlestis inuenitur esse per se, & ordinatum à superiori causâ mouente simul vtramque herbam ad floritionem.

17. Quartum dictum. Multi effectus possunt esse per accidens etiam in ordine ad causas cœlestes. Nam corpus cœleste agit mouendo: tale autem agens requirit materiam determinatam, & dispositam. Potest autem contingere, quòd materia sit indigentia, quo posito, virtus cœlestis non consequitur suum effectum intentum, atque ita effectus tunc productus erit contingens in ordine ad corpora cœlestia, modificatur enim actio cœli secundùm conditionem agẽtium particularium, quorum conditiones sunt posse deficere ab *agere*, pati, & habere contrarium, & ita quamuis defectus non sit à cœlo agente, impeditur tamen propter defectum causæ particularis, & ideò Aristoteles probat contingentiam propter materiam, & potentiam passiuam, ita quòd radix contingentiæ naturalium effectuum est natura potentiæ intenta in naturalibus, quæ possunt deficere, & sunt in potentia contradictionis, complementum verò contingentiæ, prouenit ex concursu accidentali causarum.

18. Quintum dictum. Effectus, qui procedunt ex libero arbitrio, si referantur in causas superiores, possunt esse contingentes; quia virtus cœlestis inclinat corpus ad hanc, vel illam actionem; sed vir sapiens reprimit talem inclinationem, iuxta illud, *Sapiens dominabitur astris*: ergo ea quæ subiiciuntur libero arbitrio, possunt esse per accidens respectu cœli.

Vltimum dictum S. Thomæ. Respectu Dei Opt. Max. nihil potest esse per accidens; quia ipse est causa prima, & maximè vniuersalis, quæ pro effectu habet ipsum ens: quicquid enim est ens, est sub potentia diuina, & si respectu Dei esset aliquod contingens, hoc esset, vel quia posset effugere cognitionem Dei, & sapientiam, & hoc est impium: Deus enim est sapientissimus, cuius sapientiâ conditi sumus, & prouidentiâ gubernamur. Vel quia non esset sub potentia Dei, quod etiam est plusquam falsum; cùm omnia à Deo dependeant. Concludit ergo aliqua posse esse per accidens respectu causarum particularium, & respectu liberi arbitrij, atque respectu cœli, tamen respectu Dei nihil potest esse per accidens; atque ita, inquit ipse D. Thom. secundùm Fidem Catholicam dicitur, quòd nihil fit temerè, siue fortuitò in mundo, & quòd omnia subduntur diuinæ prouidentiæ.

Et si quæratur à D. Thom. quomodo hæc duo possint stare simul, videlicet, quòd omnium contingentium detur causa per se, nempe Deus, eiúsque prouidentia, & quòd simul fiut contingentia: nam periret ratio Philosophi, quâ probat si omnes effectus habeant causam per se, omnia necessariò eueniunt, item, hæc duo sunt incompossibilia, quòd aliquid sit præuisum à Deo, & non fiat; at omnia sunt à Deo præuisa; ergo omnia necessariò fient.

19. Respondet, multum differre agere de particularibus causis, quæ propter sui defectum multoties frustrantur à suis effectibus. Corpora etiam cœlestia, & eorum motus, & influentiæ, quamuis quantum in se ipsis est, necessitatem habeant, tamen effectus eorum in istis inferioribus possunt deficere; vel propter indispositionem materiæ, vel propter liberam electionem, & sic frustrata à sua causatione contingenter producuntur eorum effectus. De prouidentia autem Dei altiùs sentiendum est: ipsa enim est causa prima efficacissima, & non impedibilis, à qua procedit omne ens, & omnes modi essendi, inter quos sunt necessarium, & contingens, ita vt & producit ens, & producit ipsum necessarium, vel contingens secundùm quod determinat: non solùm enim fiunt ea, quæ Deus vult fieri, sed eo modo quo vult: quædam autem vult fieri necessariò, & ideò præparat causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus sequuntur effectus. Vult etiam producere effectum contingentem, & ideò præparat causas defectibiles, ex quibus contingenter sequatur effectus, secundùm quòd eius prouidentia diuina ordinat. Quando ergo dicitur, omnia sunt præuisa à Deo; ergo necessariò euenient. Consequentia infertur ex mala antecedentis intelligentia; sic enim debet haberi; omnia sunt præuisa à Deo vt contingenter, vel necessariò sint, & tunc non sequitur illatum, sed quod sequitur est, quòd necessarium est, effectus esse contingentes, vel de necessitate, quod quidem singulare est in hac causa, reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed vtuntur suâ causandi lege, secundùm quòd constitutæ sunt à superiori causa, vnde solùm dant effectus, quòd sint. Hæc autem altior causa, quæ est causa entis in quantum ens, dat ordinem necessitatis, & contingentiæ.

Breuiter sententia Diui Thomæ est, quòd licèt Deus sit prima radix contingentiæ, & liberè, & contingenter agat ad extra, tamen sua contingentia, & libertas non est causa contingentiæ in rebus, sed efficacia suæ voluntatis, quâ voluit quasdam causas esse naturales, & necessarias, alias verò liberas: & ita quamuis Deus ageret necessariò ad extra, vt posuit Aristoteles, posset esse contingentia in rebus, vel propter defectibilitatem causarum, aut secundò propter libertatem hominis. 20.

Contingentia in rebus vnde proueniat.

Scotus autem omnem contingentiam reducit in primam causam contingenter agentem. Vnde dicit primò, quòd si in vniuerso non esset aliqua causa libera, sed omnes naturaliter de necessitate agerent, tunc non esset aliqua contingentia in rebus, sed omnia de necessitate fierent: quia si aliquid, quod fit nunc, potuit non fieri, vel causæ eius erant contingentes, vel non; si conceditur primum, patet esse causas contingentes. Si autem conceditur secundum, scilicet quòd sunt necessariæ, sed quia impeditæ sunt non fuit factum, quod potuit fieri, tunc quæro de causa impediente, an fuit contingens, vel non. Si primum, ergo datur causa contingens. Si secundum, ergo quod factum fuit non potuit non fieri, sed necessariò, & per consequens ablatâ causâ liberâ; nihil fit contingenter.

Secundò dicit, quòd ad saluandam contingentiam in rebus necessariò requiritur libertas in prima causa, scilicet Deo, neque libertas sola causæ secundæ sufficiens est ad saluandam con- 21.

tingentiam. Tum quia causa, quæ mouet in quantum mota, si necessariò mouetur, necessariò mouet, & causa secunda, etiam voluntas hominis mouet, seu agit in quantum mota à Deo; quia sine eo nihil agere potest, atque adeò si necessariò mouetur à Deo, necessariò mouet se ipsam, & operatur. Tum quia si causa secunda moueat libere, & contingenter, est quòd prima necessariò, & sufficienter moueat, vel fieret effectus necessariò, & habetur intentum, scilicet, quòd mouendo necessariò prima causa effectus fiet necessariò, vel si non fieret, frustraretur causa prima suo effectu, quod non est dicendum: est ergo necessariò ponenda libertas in prima causa ad saluandum contingentiam; & hoc, inquit Scotus, est maximè mirandum in Aristotele quòd concedendo contingentiam in rebus non concedat contingentiam in prima causa, sed dicat eam agere necessariò ad extrà, quem tamen nituntur defendere Thomistæ, quorum primus est Caiet. 1. part. quæst. 19. art. 8.

22. Tertiò dicit, quòd ex concursu diuinæ voluntatis liberè cum causis secundis naturalibus, prouenit contingentia in rebus, quod probat in 1. sent. dist. 8. q. 4. & d. 17. & in 2. d. 25. & in 3. d. 33. & in Quodl. q. 16. hac ratione: Si principium naturale concurrat cum libero, à quo in efficientia dependet, tota illa operatio erit libera, à qua omnis causa in causando dependet; ergo voluntas diuina cum causa secunda naturali producet operationem liberam. Ex quo sequitur quoddam valde notandum, quod habetur ab Scoto 1. sent. d. 8. q. vlt. in fine, quòd nulla causa secunda quantumcunque naturalis, causat simpliciter necessariò, sed tantùm secundùm quid. Patet, quia omnis causa secunda dependet in causando à prima, & per consequens simpliciter contingenter causat: at quia sunt multæ causæ naturales, quæ quantum est ex parte earum, non possunt non causare effectus, ideò necessariò causant; sed non causant simpliciter necessariò; ergo secundùm quid, scilicet ex parte earum, sicut ignis non potest non comburere apposito combustibili, id est, necesse est, quòd comburat, non necessitate simpliciter, sed secundùm quid; quia simpliciter potest non comburere Deo non cooperante, sicut patuit de tribus pueris in camino ignis. Deus autem cooperatur semper liberè, & contingenter; ergo absolutè effectus est liber, & contingens.

Nulla causa naturalis causat simpliciter necessariò.

23. Ex his facilè apparet falsitas opinionis Auicennæ. Nam falsum supponit, nempe, quòd non sit causa sufficiens, si ipsâ positâ non sequatur effectus: non enim prouenit ex insufficientia agentis, sed ex concursu impedientis. Sicut enim ad producendum effectum non sat est efficientia, & sufficientia causæ sola, sed ipsa cum omnibus circunstantiis requisitis ex parte subiecti, ita ipsâ solâ positâ non ponetur effectus, nisi ponantur requisitæ circunstantiæ, inter quas est liber concursus primæ causæ. Auicenna ergo non distinxit inter sufficientiam causæ, quæ attenditur penes ipsam solam, & inter sufficientiam circunstantiarum actualis causalitatis. Ad causam hoc secundo modo necessariò sequitur effectus, non autem ad causam primo modo. Ideò Aristoteles loquens de causis primo modo, dixit, quòd quædam sunt causæ per se, & sufficientes, quæ necessariò inferunt suos effectus non simpliciter, sed cum limitatione, nisi impediantur. Auicenna verò non sic limitauit; ideò errauit. Et quando dicit, quòd agens naturale agit de necessitate naturæ; distinguo, aut enim est sensus, quòd agens naturale non agit liberè, ita vt sit in manu illius agere & non agere; & hic sensus est verus, vel secundò est sensus, quòd non potest impediri eius effectus extrinsecus, & sic est falsus: immò quia potest impediri; ideò non semper eius effectus necessariò sequitur.

Ratio Stoicorum soluitur in sequenti annotatione. Error autem Academicorum cùm apertè sit contra fidem, eius falsitas conuincitur ex illo Matth. 10. vbi Christus ait, *Nonne duo passeres veneunt asse, & vnus ex illis non cadit in terram sine patre vestro?* etiam D. Paulus ad Hebræos 1. Portans omnia verbo virtutis suæ, &c.

c *Ad primam concedo antecedens, & nego consequentiam.* Nota duobus modis rem aliquam dici necessariam, aut simpliciter, & absolutè, quando spectatâ suâ naturâ, non potest aliter euenire; aut necessariam secundùm quid, & ratione habitâ alicuius alterius: quia scilicet, cùm ex natura sua sit contingens, & proinde possit aliter euenire, positâ tamen re aliquâ non possit: verbi gratiâ, Petrum currere simpliciter est contingens, sed si ponamus Petrum currere, huiusmodi res necessariæ dicuntur necessariæ necessitate consequentiæ, eo quòd tantùm sunt necessariæ, quia ex aliquo inferuntur, scilicet; quia factâ hypothesi, & posito in actu cursu Petri, sequitur necessariò necessitate consequentiæ Petrum currere. Res verò quæ priori modo appellantur necessariæ, dicuntur necessariæ necessitate consequentis: quia ideò sunt necessariæ non solùm quia necessariò inferuntur, sed quia per se consideratæ non possunt aliter se habere. Res ergo futuræ contingentes, quia Deus illas præcognoscit euenturas, dicuntur necessariæ necessitate consequentiæ; quia benè infertur, *Deus præcognoscit Petrum cursurum; ergo Petrus curret necessariò* necessitate consequentiæ. Hoc posito sic Scotus respondet ad argumentum: Omne id, quod Deus præcognoscit euenturum, necessariò eueniet necessitate consequentiæ; concedo, sed hæc necessitas non tollit à rebus contingentiam. Sed nego necessitate consequentia: quia si res futuræ, quas Deus præcognoscit euenturas, essent necessariæ necessitate consequentis, non essent contingentes. Quod verò dicitur in probatione, si potest non euenire, ponamus, quòd non eueniat. Non est admittendum stante scientiâ Dei, quòd res non sit euentura: repugnat enim scientiæ Dei, quòd aliter eueniat res, quàm Deus scit euenturum: & hoc est quod vult dicere Scotus cùm inquit: Dico quòd hoc repugnat iam posito. Illud autem axioma Aristotelis possibili posito in esse, &c. intelligendum est quando id, quod ponitur, non repugnat alicui rei antè iam positæ à nobis, sicut est scientia Dei, vel actus oppositus rei ponendæ; quia quamuis spectatâ contingentis rei naturâ in instanti, in quo est, possit non esse, tamen ex hypothesi: quia non simul se compatiuntur actus contradictorij, repugnat, quòd si sit in actu, etiam ponatur in actu quòd non sit: quia esse, & non esse, simul non compatiuntur. Et ideò neque Deus fallitur, neque falli potest in sua scientia: quia aliter quàm ipse scit non eueniet; quamuis futurum contingens aliter euenire potest.

24. *Res duobus modis dici potest necessaria.*

QVÆ

Qvæstio XIV.

Vtrum monstrum intendatur à natura.

[illegible] hic text. 82. & lib. 4. de generat. animal. cap. 4. [illegible] lib. [illegible] de placitu Philos. cap. 8. [illegible] alenus de hi-stor. [illegible] cap. 113. August lib. 83. quæst. [illegible] Albert Ma-[illegible] 2. Phys. tract. 3. cap. 3. quæst. 14. D. Thom. 2. Phys. [illegible] 14. & 3. cont. Gent. cap. 4. & 1. part. quæst. 103. artic. 7. & quæst. 11. art. 4. & de verit. quæst. 5. art. 5. [illegible] Bonauent. in 2. dist. 3. quæst. 2. [illegible] & in [illegible] dist. 45. [illegible] ard. ibid. quæst. 2. circa 4. principal. [illegible] 2. Phys. cap. 9. quæst. 6. Rousus ibid. quæst. vnica Roccus quæst. [illegible]

ARGVITVR quòd sic, quia demonstrato effectu monstruoso, vere dicitur natura est hoc monstrum, igitur non [illegible] intenditur a natura.

Secundò, quia nisi ita esset, sequeretur, quod [illegible] statim esset agere, quando non produ-[illegible]ctum, quod est contra experientiam. Tenet [illegible] [illegible], ex quo non intenderet aliud, [illegible] [illegible]tum.

T[illegible], quia illud intenditur a natura, quod natura producit ex determinato principio per [illegible] medium, & ad determinatum finem, [illegible] natura producit ex determinato principio, [illegible] igitur natura intendit monstrum. Maior [illegible], quia ille est modus procedendi naturæ [illegible] [illegible]ffectus intento: & minor patet, quòd hoc ex [illegible]terminato principio, quia ex semine. Item per determinata media, quia illud semen primò est [illegible] [illegible], & ind[illegible] sanguinem. Secundò, [illegible] in sanguinem, & tertiò consolidatur in [illegible], neruos, & ossa, & alia membra. Item, [illegible] determinatum finem; quia easdem, & consimi-[illegible] [illegible]tiones exercet monstrum, sicut & [illegible] [illegible], & per consequens ad eundem finem ordi-[illegible], ad quem ordinatur reliquum.

Quartò, [illegible] natura producit monstrum, nu-[illegible], & conseruat; igitur natura intendit mon-strum. Patet consequentia, quia hoc non facit ni-si circa eff[illegible] [illegible] intentos: & antecedens apparet ad experientiam.

Oppositum arguitur; quia nullum casuale, vel fortuitum intenditur à natura, sed monstrum est casuale, vt patet 2. huius, text. 77. ergo, &c. Secun-dò, quia nullum malum intenditur a natura, sed monstrum est malum, cùm sit peccatum naturæ, ergo, &c.

In quæstione primò videbitur propter quas causas eueniant monstra. Secundò, qualiter in-tendantur à natura.

2. Quantum ad primum notandum, secundùm Isidorum, quòd [b] monstrum est eueniens alicuius rei præter communem, & consuetum cursum na-turæ ad designandum aliquod futurum. Sed con-tra hoc obiicitur primò, quia monstrum non di-citur de euentu, sine de motu ad effectum, sed de effectu. Secundò, quia sicut in artibus artifex po-test errare sine hoc, quòd finis erroris sit præsa-gium futuri, ita videtur in naturalibus non opor-tere errorem verè designare aliquod futurum. Et ideò aliter definitur, quòd *monstrum est effectus eue-niens præter communem, & consuetum cursum naturæ deficiens, aut superabundans in aliquo, quod necessariò requiritur ad perfectum esse in sua specie*; & de causa finali dicetur postea.

Secundò notandum, quod quadruplici de causa proueniunt monstra. Primò ex superabundantia [illegible]. S[illegible] [illegible]. Tertiò ex [illegible] & quartò [illegible] [illegible] sula est su-[illegible]perabundantia [illegible] materia [illegible] [illegible] [illegible] proportione [illegible] membrum [illegible] & tunc [illegible] [illegible] ultra con-[illegible] cursum naturæ, vt [illegible]. Quandoque [illegible] [illegible] materia [illegible] & non in aliis, & tunc contingit aliquem [illegible] cum vno membro excedente aliud improportionabiliter, & quando contingit per abundantiam materiæ aliquod formam corporis obstrui, aut fieri [illegible] [illegible], vt introitus aurium, narium, & [illegible]modi.

Secundò proueniunt monstra propter defe-ctum materiæ, & tunc vel materia deficit pro-portionaliter, & accidit effectum nimis paruus, vt nani, quandoque improportionabiliter, & tunc accidit vnum membrum esse nimis paruum in respectu aliorum membrorum. Item, quandoque accidit superabundantia materiæ in quantitate discreta, & tunc contingit effectum fieri cum duobus membris, puta cum duobus pollicibus in eadem manu, aut huiusmodi, & quandoque ac-cidit defectus in quantitate discreta, & tunc con-tingit effectum nasci cum vna tibia solum, aut dimidio naso. 3

Tertiò proueniunt monstrum ex indispositione primarum qualitatum; quia quandoque contin-git materiam esse nimis calidam, & propter hoc quædam mulieres apparent viri hore & barbatæ propter abundantem calorem materiæ. Secundò accidit materiam esse nimis frigidam; propter hoc accidit aliquos esse frigidos, & maleficiatos, scilicet impotentes ad coeundum. Tertiò con-tingit materiam esse nimis siccam, & propter hoc homo est directæ staturæ in iuuentute, qui tamen statim post efficitur curuus, & hoc pro tanto; quia humiditas, quæ abundat in iuuentute, erat sufficiens, vt dilataretur materia. Quartò con-tingit materiam esse nimis humidam, & propter hoc aliqui sunt impotentes ad eundum propter defectum consolidationis membrorum, & ista est causa, quare aliqua animalia vadunt statim post partum, & alia non.

Quarta causa est indispositio continentis; vnde continens propinquum ipsius fœtus, est quædam subtilis pellicula, quam Albertus super isto se-cundo, vocat secundinam, & tunc quando con-tingit istam pellem esse adeò strictam, quòd pro-pter violentam compressionem quandoque con-tingit duo mébra fœtus coniungi in vnum mem-brum, vt brachium capiti, & tibiæ insimul, & quandoque contingit illam secundinam frangi, ita vt per fracturam exeat aliquid ipsius fœtus, & efficitur gibbus, & propter hoc aliqui fiunt gib-bosi: sed continens remotum est cœlum, ratione cuius proueniunt multa monstra & diuersa, se-cundùm diuersitatem qualitatum, & dispositio-num, quas influit in ista inferiora.

Item notandum, quòd non solùm accidunt monstra in corporibus animalium; immò etiam in plantis, vt quando aliqua planta portat fru-ctum inconsuetum. Similiter in corporibus ina-nimatis, vt quandoque contingit pluere sangui-neum humorem, & quandoque ignem, quorum causæ debent videri in libris Meteororum, & hoc de primo. 4.

Monstra non dum in animalibus, sed etiã accidunt in plantis.

Quantum ad secundum notandum, quòd du-plex est natura; quædam vniuersalis, & quædam parti-

Natura est duplex, vniuersalis, & particularis.

particularis. Vnde vniuersitas naturæ attenditur penes diuersitatem locorum, & temporum, quibus eadem natura contingitur ad diuersos effectus.

Res aliqua dupliciter intenditur à natura.

Secundò notandum, quod aliquid intenditur à natura dupliciter, vno modo primaria intentione, & sic natura producens monstrum intendit ipsum producere rectum, alio modo secundaria intentione, vt quando impeditur natura à fine primario intento, agit meliori modo, quo potest, & ideò natura agit de possibilibus, quod melius est.

Monstrũ duobus modis potest intendi à natura.

Tertiò notandum, quòd monstrum intendi à natura intelligitur dupliciter, vno ᶜ modo quòd res illa, quæ est monstrum, intendatur à natura. Alio modo quòd ipsa a natura intendatur sic esse disposita, qualiter denominatur monstrum.

Nunc sunt conclusiones. Prima est, monstrum intenditur à natura. Probatur expositoriè, hic homo intenditur a natura, demonstrato effectu monstruoso: hoc est monstrum, igitur monstrum intenditur à natura.

5. Secunda conclusio: A natura non intenditur monstrum, id est, non intenditur res sic esse disposita, qualiter denominatur monstrum. Probatur, quia sicut est in arte, sic est in natura; sed aliqua eueniunt in arte præter intentionem artificis; ita similiter & in natura, & ista conclusio intelligitur de primaria intentione. Et notandum, quòd diuersitas istarum conclusionum est propter connotationem huius termini *monstrum*, quod positum a parte prædicati appellat formam, scilicet dispositionem, à qua denominatur monstrum, & à parte subiecti non Sed obiicitur, quia in illis de præsenti æquè appellat formam subiectum sicut prædicatum. Respõdetur, quòd non: verbi gratiâ, possibile est quòd idem sit transmutatio, & motus, & tamen quòd sit velocior transmutatio, quàm motus: & ideò de præsenti est concedendum, quòd transmutatio sit velocior quàm transmutatio, quod potest probari expositoriè, patet practico.

Natura particularis intendit monstrum.

Tertia conclusio: Natura particularis intendit ᵈ monstrum secundariâ intentione. Probatur per similitudinem in arte; quia in artificialibus, quando aliquid euenit præter intentionem artificis, artifex corrigit meliori modo, quo potest; igitur ita videtur esse in naturalibus; vt patet in exemplo, quia graue naturaliter inclinatur ad moueri deorsum per lineam breuissimam, quæ est perpendicularis supra centrum, & cùm fuerit impeditum à descensu per illam lineam, tunc descendit per lineam obliquam meliori modo, quo potest, vt patet de graui descendente super ᵉ tabulam transuersaliter positam in aere.

6. Quarta conclusio: Natura vniuersalis intendit monstrum vtroque modo, scilicet, & primariâ intentione, & secondariâ. Probatur, quia monstrum est effectus casualis, ex quo euenit præter intentionem agentis: igitur fit ex confluentia plurium causarum, à quarum aliqua effectus ille est præintentus, & ab aliqua non; vt patuit ex præcedentibus quæstionibus. Et quandoque monstra, cum fuerint nimis inconsueta, & mirabilia, fiunt ad designationem alicuius futuri. Secundò, quia huiusmodi monstra ordinata sunt ad determinatum finem; igitur sunt intenta. Consequentia tenet, quia finis est ex intentione. Antecedens a[illegible] quia ordinata sunt ad pulchritudinem [illegible]. Vnde saepe facies redditur pulchrior

Natura vniuersalis intendit monstrum.

quandoque ex vna parua macula, & harmonia ex interpositione alicuius inconsonantiæ. Ita etiam & vniuersum est pulchrius ex hoc, quòd quandoque monstrum producitur. Rationes sunt solutæ ex præcedentibus.

ANNOTATIONES.

ᵃ IN *quæstione*, &c. Nota, quòd quæstio non mouetur de monstro in ordine ad primam causam, præter cuius intentionem certum est nihil euenire, neque in ordine ad causas vniuersales, vt coniunctas tali, vel tali signo; quia ipsæ vt sic necessariò causant talem, & talem effectum, quamuis, præcisè loquendo, respectu virtutis cœlorum productiuæ talis, vel talis speciei sit etiam monstrum; quia virtus data illis à Deo non est, nisi vt perfectos effectus producant: accidit autem, vt ex reuolutione eorum taliter sic iungantur, vt monstrum, & propter inclinationem propriam operentur, mouetur ergo quæstio principaliter respectu causæ secundę particularis, quæ est natura particularis. 7.

ᵇ *Monstrum est euentus alicuius rei*, &c. Nota, quòd monstrum est effectus casualis cum difformitate extranea suæ speciei, vt homo habens in fronte oculum dicitur monstrum, quia est casuale, & præter intentionem agentis, & habet deformitatem extraneam speciei humanæ. Potest autem (vt ex Aristotele in hoc lib. colligitur cap. 8.) sic definiri, *Monstrum est peccatum naturæ agentis ob aliquem finem à quo frustratur aliquo principio corrupto*; vel sic, *Monstrum est effectus naturalis à recta & solita secundum speciem dispositione degenerans*, ex quibus patet quàm sapienter Scotus impugnet definitionem traditam ab Isidoro.

Definitio monstri.

ᶜ *Monstrum intendi a natura intelligitur dupliciter.* Nota, monstrum dupliciter posse accipi, vno modo materialiter pro subiecto deformitatis, vt pro illo homine, qui habet deformitatem. Altero modo formaliter pro ipsa deformitate, quæ est priuatio, & carentia perfectionis. 8.

Monstrum [illegible] potest.

ᵈ *Natura particularis intendit monstrum.* Nota, in productione monstri duas causas particulares reperiri, quarum vna intendit perfectum effectum, & hæc dicitur causa particularis impedita: altera verò est quæ illam impedit, cuiusmodi est excessiuus humor, aut calor, aut quoduis aliud impedimentum. Monstrum autem per se intenditur à causa impediente, primò quidem quo ad esse materiale, secundariò quo ad esse formale, & quidem quòd intendat illud quo ad esse materiale, patet; quia calor excedens ex intentu efficit exilem effectum. Quòd verò secundariò intendat formale, ex eo patet; quia sicut ignis calefaciens lignum primò intendit producere ignem, secundariò autem corrumpere lignum: quia non potest aliter producere ignem, ita causa illa particularis impediens primò intendit illum effectum, secundariò verò ipsam deformitatem, quæ necessariò sequitur ad talem effectum. Causa verò impedita, neque quo ad formale, neque quo ad materiale simpliciter intendit monstrum. Quo ad formale, inde manifestum est, quòd cùm sit priuatio, nunquam talis primariò intenditur. Quòd autem neque quo ad materiale, ex eo probatur; quia agens naturale intendere effectum vt finem, est habere virtutem in ordine ad illum sicut sagittam intendere scopum, est habere virtute[illegible]

In generatione monstri [illegible] causæ particulares concurrunt.

dine a... Agens autem natur...e non habet virtute... ordine ad monstrum, ed in ordine ad effectum perfectum, & non similem, ac proinde ...ens naturale simpliciter non intendit mon... Hæc videtur sententia Aristotelis in hoc ... quens de monstro materialiter; (sic enim ...quebantur antiqui) dixit monstrum euenire præter intentionem naturæ, seu causæ impeditæ, quæ aliud intendebat. Potest tamen dici, quòd huiusmodi causa impedita etiam intendebat monstrum non simpliciter, eo quòd fuit causa na...lis ad illum effectum producendum attin...: causa enim impediens non ita proprie ap...atur causa naturalis respectu illius effectus; quia non habet causalitatem producendi, sed impediendi illum effectum. Ex his sequitur monstrum comparatum cum causa particulari, quæ impeditur, esse effectum casualem, cùm eueniat raro, & præter eius intentionem: quamuis non sit propriè casualis: quia non potest per se comparari cuio effectu per se intento, sicut comparantur effectus casuales cum effectibus per se intentis.

EXPOSITIO TEXTVS.

9. *Text. 68. Causarū consideratio quatenus ad Physicum.* Quæ autem sint causæ, & quòd tot numero, quot diximus, manifestum est, &c. Iste est quintus tractatus huius secundi, in quo Philosophus ostendit, quòd ad naturalem spectat determinare de omnibus causis, & diuiditur: quia primò ostendit quot sunt causæ. Secūdò ostendit, quòd de qualibet causarum habet determinare naturalis. Et tertiò determinat modum, quo naturalis habet determinare de prædictis causis. Secundum ibi: *Cum autem causæ quatuor sint.* Tertium ibi: *Et penitus reddendum est ipsum propter quid.* Est igitur prima conclusio. Omnis causa est materia, vel forma efficiens, vel finis. Probatur, quia tot sunt causæ, quot modis contingit respondere ad quæstionem propter quid, sed quatuor modis, & non pluribus contingit sic respondere; ergo, &c. Maior est nota, quia quæstio propter quid quærit causam. Minor probatur exemplariter, primò de causa formali: quia in Mathematica conclusiones resoluuntur vsque ad causam formalem, vt in definitiones terminorum mathematicalium, cuiusmodi sunt rectum, & curuum, commensurabile, & huiusmodi.

Text. 69. Secundò exemplificat a de efficiente; quia si quæratur propter quid isti certauerunt? Respondetur, quia furati sunt; ita vt furtum est causa mouens, quare certauerunt.

Tertiò exemplificat de causa finali, vt si quæratur propter quid ipsi bellauerunt? Respondetur finaliter, vt dominentur sibi inuicem. Sed de materia patet exemplariter, vt si quæratur propter quid homo est corruptibilis? Respondetur, quia habet materiam.

10. *Text. 70.* *Cùm 3 autem causæ quatuor sint.* Hìc ostendit, quod naturalis habet considerare de quolibet genere causarum; & probat hoc tripliciter. Secundò ibi: *Atque omnino quæcumque mota.* Tertiò ibi: *Quare ipsum propter quid.* Est igitur secunda conclusio. *Naturalis habet considerare quatuor genera causarum.* Naturalis habet considerare quatuor genera causarum. Probatur; quia naturalis habet cognoscere materiam, & formam: igitur habet cognoscere efficientem, & finem. Antecedens patet: quia materia, & forma sunt naturæ: modò naturalis habet considerare de natura: igitur, &c.

Consequentia tenet, quia efficiens [a], & finis multoties coincidunt cum forma. Nam forma, & finis coincidunt in idem numero; quia illud quod est forma rei genitæ, est finis generationis; sed efficiens & finis coincidunt in idem specie, vt quando homo generat hominem, tunc forma generans, & forma generata sunt eiusdem speciei. Et dicit Aristoteles *multoties* quia non semper efficiens, & forma coincidunt in idem specie, vt patet in illis, quæ generatur per putrefactionem.

Atque omnino 4 quæcumque mota. Ponitur secunda ratio, quòd quæcumque sunt mouentia mota sunt de consideratione naturalis: igitur quatuor causæ sunt de consideratione naturalis. Tenet consequentia; quia de mouentibus moti contingit quærere à quo mouentur, & per hoc innuitur causa efficiens. Cōtingit etiam quærere quid mouetur, & per hoc etiam tangitur causa materialis: & contingit quærere quid est id, quod per motum acquiritur, & per hoc innuitur causa formalis: & contingit quærere ad quem finem mouetur, & per hoc tangitur causa finalis. Et antecedens patet: quia tres sunt scientiæ speculatiuæ, quarum vna est circa immateriale, vt puta Metaphysica; alia circa mobile corporale, vt puta, Mathematica, & alia circa corporalia mouentia, & mota, vt puta, scientia naturalis; & qualiter hoc sit verùm apparebit in quæstione de scientia Mathematica. *Text. 71.* *Scientia speculatiuæ sunt tres.*

11. *Text. 72.* *Quare 5 ipsum propter quid.* Ponitur tertia ratio: quia ille habet cōsiderare quatuor causas, qui habet considerare de generatione; modò naturalis habet considerare de generatione: igitur, &c. Maior est nota: quia determinans de generatione habet considerare causam ipsius, vt puta à quo sit facta generatio, & quid sustinuit, id est, quid fuit subiectum generationis, & per hoc tangit causam efficientem, & materialem; & innuit Philosophus quòd duplicia sunt mouentia: quædam [b] immobilia, vt motor primus, qui non habet in se principium motus, & hoc passiuum, licèt habeat principium effectiuum: & de isto non est consideratio naturalis: & hoc est verum quantum ad prædicata generatio, quæ habent attributionem ad motum, & ideò si sit aliud tale mouens, quod non mouetur, illud est penitus immobile, & principium omniū aliorum entium. Et subdit Philosophus quòd naturalis habet considerare quod quid est, id est, formam, & hoc capit tanquam manifestum, ex eo quòd forma est natura, & postea probat, quòd consideratio de fine pertinet ad naturalem: quia de illo pertinet consideratio ad naturalem: propter quod venit necessitas in rebus naturalibus, sed in rebus naturalibus prouenit necessitas ex fine, vt postea probabitur: ergo, &c. *Text. 73.* *Vide contradictionē Zimara.*

Et penitus 6 reddendum est ipsum propter quid. Ostendit modum quo [c] naturalis debet demonstrare per istas causas: & primò de causa materiali, dicens, quòd ex causa materiali ostenditur effectus esse, vel de necessitate, vel frequenter: quemadmodū sequitur conclusio de necessitate ex præmissis: exemplum de necessitate, quia quando Sol est in signo Cancri, dies de necessitate sunt longiores habitantibus in Septentrione, quàm Sole existente in aliquo alio signo. Exemplum de *frequenter*: quia quando homo generatur ex spermate, frequenter solet euenire, quòd nascatur cum quinque digitis; sed per causam formalem demonstratur efficiens: nam si forma asini sit, sequitur de necessitate quòd asinus est. Sed per causam finalem sequitur effectus respectu huius *Text. 74.* *Vide Zimara in tab. litt. f. fol. 140 col. 1. & sub litt. n. fol. 190 col. 3.*

verbi *poteſt*, vt ſi finis ſit poſſibilis, & ordinatum in finem eſt poſſibile, & ideò medium ad aliquem finem debet ordinari meliori, & digniori modo, quo faciliùs natus eſt euenire finis ad huiuſmodi medium, & non debet ordinari, quod eſt ſimpliciter melius, ſed ſecundùm ordinationem naturæ vniuſcuiuſque.

ANNOTATIONES.

12. a *Efficiens & finis multoties coincidunt.* Nota, quòd Ariſtoteles hanc eandem propoſitionem habet, 2. de Anima, cap. 2. & primo de generatione animalium, cap. 5. idem habuit primo Phyſ. cap. 9. vbi dicit, quòd forma eſt quid diuinum, & iſto pacto eſt forma, quatenus verò eſt optimum, eſt finis. Vnde forma duplicem habet reſpectum, primum in ordine ad ſuppoſitum in quo eſt, quo pacto habet rationem cauſæ formalis: quia dat eſſe ſuppoſito, & ſic eſt quid diuinum. Secundum reſpectum habet in ordine ad efficientem, vt ſi forma equi conſideretur in ordine ad generantem; & ſub hac conſideratione forma habet rationem finis, & cauſæ finalis, & eſt quid optimum, ita vt eadem forma ſit finis reſpectu generantis, quæ eſt forma reſpectu ſuppoſiti geniti, atque adeò eadem forma numero eſt forma, & finis, eadémque ſpecie cum forma generantis, intellige de generante vniuoco.

Forma duplicem habet reſpectum.

b *Quædam immobilia vt motor primus*, &c. Nota, quòd ex hoc videtur ſequi ad Phyſicum non pertinere agere de primo motore; qui eſt mouens, & non mouetur; quod videtur falſum; quia Ariſtoteles ipſe in 8. Phyſic. agit de primo motore. Dicas, quòd dupliciter poteſt conſiderari primus motor: primò quoad eius quidditatem, & eſſentiam, quoad hoc ſcilicet, quòd ſit æternus, & immaterialis, & vt ſic, ad Metaphyſicum ſpectat talis diſputatio de primo motore, & iuxta hunc modum procedit præſens diuiſio Philoſophiæ. Secundo modo conſiderari valet, quo ad exiſtentiam: & hoc modo pertinet ad Phyſicum agere de primo motore; & ratio eſt, quia primus motor eſt cauſa cuiuſcumque motus. Poſſumus ergo probare per motum primum motorem exiſtere, & hoc probat Ariſtoteles 8. Phyſic. atque ita non eſt ſibi contrarius.

Primus motor bifariam conſiderari poteſt.

13. c *Oſtendit modum per quem naturalis debet demonſtrare per iſtas cauſas.* Nota, quòd Ariſtoteles declarat hoc; primò in cauſa efficienti, vt ſi quis petat propter quid ſit homo natus bipes? Reſpondebitur ei, quia generans illum eſt bipes. Secundò, oſtendit in cauſa materiali ſic; ſi quis petat propter quid orta ſit oliua? Reſpondetur, quòd emerſit ex ſemine oliuæ. Oſtendit etiam in cauſa formali; vt ſi quis petat propter quid homo eſt capax diſciplinæ? Reſpondetur, quia conſtat anima rationali. Tandem oſtendit in cauſa finali, vt ſi quis quærat, quare homo natus eſt cum duobus oculis? Reſpondetur quidem per cauſam finalem, vt meliùs dirigat motum; nam finis particularis, quem Phyſicus reddit, eſt ipſum bonum & optimum, non quidem ſimpliciter, ſed illi rei cuius eſt finis, vt homini eſt bonum habere duos oculos, non autem Angelo.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text. 75. *Dicendum 1 igitur primum quidem*, &c. Iſte eſt 6. tractatus huius ſecundi, cuius ſunt duo capitula; in primo oſtendit, quòd natura agit propter finem; & in ſecundo, quòd neceſſitas in naturalibus prouenit ex fine, ibi: *Quod autem ex neceſſitate.* Primum diuiditur, quia primò præmittit intentionem. Secundò proſequitur ibi: *Ad hanc enim cauſam.* Primò dicit, quòd nunc determinandum eſt, quòd natura agit propter finem; & hoc quantum ad iſtod capitulum, & poſtea vnde veniat neceſſitas in naturalibus; & hoc quantum ad ſecundum. *Ad hanc enim cauſam*, &c. Hîc proſequitur, & primò recitat opinionem ponentium naturam non agere propter finem. Secundò, ponitur opinio contraria eis. Et tertiò, reſpondet eorum rationibus. Secundum ibi: *Sed impoſſibile eſt iſta hoc ſe habere modo.* Tertium ibi: *Peccatum autem fit.* Item, primò punit opinionem ipſorum. Secundò, rationem. Et tertiò, reſponſiones ipſorum quibuſdam obiectionibus. Secundum ibi: *Habet autem dubitationem.* Et tertium ibi: *Quare quid prohibet.* Opinio antiquorum fuit, quòd natura non agit propter finem, ſed omnis neceſſitas in naturalibus proueniat ex cauſa materiali, ſcilicet ex parte quatuor elementorum, & ex parte qualitatum ſuarum: & ſic ponebant alias cauſas, vt puta concordiam, diſcordiam, vel intellectum; dimittebant illas cauſas gaudere, id eſt, non vtebantur eis in aſſignatione cauſarum naturalium.

Habet 2 autem dubitationem. Ponit rationem ipſorum: quia ſicut eſt de pluuia, ita videtur de aliis operationibus naturalibus; ſed pluuia fit de neceſſitate materiæ, & non propter finem; ergo, &c. Maior patet per ſimile. Et minor apparet: quia cùm vapor fuerit alleuiatus per calorem, tunc de neceſſitate leuitet aſcendit ſurſum, & cùm peruenerit ad mediam regionem aëris, quæ eſt frigida, de neceſſitate efficitur grauis per congelationem, & per conſequens tunc ex neceſſitate grauitatis deſcendit deorſum. Et ſi deſcenderet propter finem, maximè eſſet propter augmentum vegetabilium, vt frumenti, & hoc non: quia ſæpè contingit, quòd frumentum perditur per pluuiam. 14. Text. 76.

Quare quid prohibet. Ponit reſponſiones ipſorũ quibuſdam obiectionibus. Prima obiectio eſt, quòd dentes in parte anteriori ſunt acuti propter *diuidere* tanquam propter finem; ſed à parte poſteriori ſunt lati finaliter ad conterendum cibos. Reſpondent, quòd hoc nõ eſt ex neceſſitate finis, ſed ex neceſſitate materiæ: nam dentes ſunt acuti à parte anteriori, eo quòd materia eſt ſubtilis, & parua ibidem; ſed ſunt groſſi à parte poſteriori propter groſſitiem, & abundantiam materiæ.

Vbi igitur omnia acciderint, &c. Secunda obiectio eſt, quòd ſi diſpoſitiones rerum naturalium prouenirent ex parte materiæ, tunc aliquando contingeret, quòd caput eſſet ſub pedibus, & oculus in gutture, & huiuſmodi: quod eſt contra ſenſum. Reſpondetur concedendo, ſicut dixit Empedocles, quòd quandoque fuerunt bouigenæ, & viripata, id eſt, chimæræ factæ ex partibus diuerſorum animalium; & cùm quærebatur, quare non apparent nobis? Reſpondebant, quòd quando res naturales fiunt tali modo, ac ſi eſſent factæ propter finem, tunc augmentantur, & fiunt ſenſibiles, & apparent nobis; ſed quando contingit ipſas fieri aliter, ſtatim corrumpuntur priuſquam fiant ſenſibiles.

Sed 3 impoſſibile eſt eſſe hoc ſe habere modo. Hîc probat quòd natura agit propter finem quinque rationibus. Secunda ibi: *Amplius in quibuſcumque.* 15. Text. 77.

Tertia

Tertia ibi: *Omnino autem ars*. Quarta ibi: *Maximè autem manifestum*. Quinta ibi: *Et quoniam natura duplex est*. Est igitur conclusio ista: Natura agit propter finem. Probatur, quia illa, quæ fiunt à natura semper, vel frequenter, fiunt eodem modo; sed illa quæ fiunt à casu, vel fortuna, non fiunt semper, vel frequenter consimiliter: igitur actiones naturales non fiunt à casu, sed quod accidit materiam taliter, vel taliter disponi. Tenet consequentia, ex quo illa, quæ eueniunt à casu rarò eueniunt eodem modo. Et exemplificat Aristoteles sicut pluere in hyeme non est casuale; quia hoc sæpè euenit; sed pluere sub cane, id est, in diebus canicularibus, fortè est casuale. Ex quo sequitur, quòd si actiones naturales non fiunt à casu, vel fortuna, eo quòd fiant propter finem.

Natura agit propter finem.

Text. 78. *Amplius 4 in quibuscumque*. Secunda ratio, quia illæ actiones fiunt propter finem, quæ fiunt per media ordinata, quibus meliùs, & faciliùs potest attingi finis intentus; sed actiones naturæ aguntur per talia media, quibus faciliùs natus est euenire finis intentus; igitur actiones naturales fiunt propter finem, & per consequens natura agit propter finem. Maior est nota, quia vniuersaliter in omnibus, in quibus est aliquis finis intentus, signum est quòd illa aguntur propter finem, quæ aguntur per media ordinata ad illum finem. Et minor patet, quia ars, quæ agit propter finem, si faceret res naturales, faceret ipsas eodem modo, quo fiunt de facto, & econtra, si natura faceret res artificiales, vtique faceret res ipsas, sicut nunc fiunt, quod non esset, nisi ars, & natura agerent propter finem.

16. Text. 79. *Omnino 5 autē ars*. Tertia ratio, quia sicut se habet ars ad operationes artificiales, ita natura ad naturales; sed ars agit propter finem; igitur & natura. Maior patet, quia ars, & natura conueniunt in multis operationibus: nam natura aliqua incipit, quæ consummantur per artem, vt quando corpus sanatur per medicinam, & è contra, ars inchoat aliqua, quæ complentur per naturam; vt patet de sedationibus vegetabilium. Et minor est nota.

Text. 80. *Maximè 6 autem manifestum*. Quarta ratio, & est per inductionem: quia videmus, quòd araneæ faciunt telas propter capere muscas, & formicæ faciunt prouisiones in æstate, vt nutriantur in hyeme, & plantæ producunt folia ad cooperiendum fructus, & habent radices, vt per ipsas suscipiant nutrimentum; & hirundo facit nidum propter pullos; igitur omne ens naturale agit propter aliquem finem. Et subdit Aristoteles quòd de istis animalibus dubitauerunt aliqui, vtrùm faciant ista per intellectum, per artem, vel deliberationem, aut aliquo alio principio cognitiuo. Et dicit Commentator comm. 80. quòd non: quia si facerent ista per discursum, & deliberationem, tunc discurreret de vno inallud, & sic non omnes formicæ operarentur consimiliter, quod est falsum: vbi dicit Commentator quòd principium vniuersale in naturalibus, quod non est per se notum, accipitur notum per inductionem in aliquibus si nihilus, licet non inducantur in omnibus, & hoc est propter inclinationem naturalem intellectus ad veritatem.

17. Text. 81. *Et 7 quoniā natura duplex est*. Quinta ratio quia actiones naturales fiunt propter formam; & forma est finis; igitur actiones naturales fiunt propter finem. Et per consequens natura agit propter finem. Maior est nota, quia materia disponitur ab agente fin[illegible] propter formam. Et minor patuit priùs.

Peccatum 8 autem fit & in iis, quæ fiunt secundum artem. Hic Aristoteles remouet motiua, quibus antiqui mouebantur, quòd natura non ageret propter finem, & sunt quinque. Secundum ibi: *Et in iis, quæ à principio*. Tertium ibi: *Amplius necesse est*. Quartum ibi: *Id autem cuius gratia*. Quintum ibi: *Inconueniens autem est*. Primum motiuum erat, quòd videmus, quòd in actionibus naturæ accidit error, & monstrum, quod non esset si natura ageret propter finem. Et Aristoteles ponit istam conclusionem: Peccatum accidere in actionibus naturæ non tollit naturam agere propter finem. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus; sed in artificialibus peccatum accidere in actionibus artis non tollit artem agere propter finem; ergo, &c. Maior patet per simile. Et minor apparet; quia scriptor scribit propter finem, & tamen quandoque accidit ipsum non rectè scribere. Similiter Medicus dat potionem amaram propter finem, & tamen quandoque errat dando potionem. Secundò, quia ex hoc, quòd in actionibus naturæ accidit peccatum, sequitur quòd actiones naturæ fiunt propter finem. Probatur, quia tunc dicuntur actiones rectè fieri, quando euenit finis, ad quem ordinantur illæ actiones; sed quando ille finis non euenit propter impedimentum; tunc actiones illæ non rectè fiunt, & accidit peccatum; sicut patet in artificialibus. Text. 82.

Et in iis quæ à principio. Ponit secundum motiuum; & mouebantur propter opinionem Empedoclis, qui ponebat bouigenas, & huiusmodi mōstra. Tunc remouet istud motiuum: quia talia monstra fiunt non ex eo, quòd natura non agit propter finem; sed ex defectu alicuius principij concurrentis ad productionem eorum, cuiusmodi esset semen corruptum, aut abundantia, vel defectus seminis in qualitate, vel quantitate, vt patet in quæstionibus. 18.

Amplius 9 necesse est. Remouet tertium motiuum. Vnde dicebant omnia fieri à casu, & à fortuna, quod non esset si agerent propter finem. Tunc remouendo, ponit istam conclusionem: Res naturales non fiunt à casu. Probatur primò, quia illa non fiunt à casu, quæ fiunt ex determinatis principiis, & per determinata media; modò entia naturalia fiunt huiusmodi, vt animal, quod fit ex semine per determinata media; quia primò est molle, vt natura meliùs possit operari, deinde induratur, vt patet in generatione embryonis. Secundò, quia si animalibus acciderent tales bouigenæ, multo fortiùs fierent in plantis, quod est falsum, & contra experientiam. Et patet consequentia; quia plantæ sunt minùs dearticulatæ, quàm animalia, & etiam natura est magis sollicita in animalibus, quàm in plantis. Tertiò, quia 10 tunc non oporteret, quòd animalia, & plantæ fierent ex determinatis seminibus, cùm casuale esset, quòd fierent ex istis, vel ex illis, quod est contra experientiam. Text 83. *In hoc textu Arist. arguit ad hominem.* Text. 84.

Id autem cuius gratiā. Remouet 11 quartum dubium: quia dicebant quòd licèt natura ageret eo modo, quo nata esset agere, si ageret propter finem; tamen modò agit propter finem: verbi gratiā, si quis veniens ad socium suum in domo non putans illum balneari, & reueniat balneatus; tunc iste egit illo modo, ac si egisset propter finem, & tamen non egit propter finem. 19. Text. 85.

Contra iſtud obiicitur dupliciter. Primò, quia quæcunque ſunt continue mota à principio intrinſeco, mota ſunt ad aliquem finem; ſed entia naturalia ſunt huiuſmodi: igitur, &c. Maior eſt nota, quia ſi mouerentur indifferenter à quolibet, non oporteret, quòd agerent propter aliquem finem; ſed accideret caſualiter, quòd mouerentur ad hoc, vel ad illud; ſed ex quo mouentur ex determinato principio, mouentur ad determinatum finem, ad quem ſemper tendunt, niſi ſit impedimentum aliunde. Secundò; quia illa quæ eueniunt à natura, ſemper, & *vt in pluribus* eueniunt eodem modo, niſi fuerit impedimentum, quæ autem fiunt à caſu, rarò fiunt conſimiliter, igitur quæ fiunt à natura, non fiunt à caſu.

Text. 86. *Inconueniens 12 autem eſt.* Remouet ſecundum dubium; vnde dicebant quòd quia natura non cognoſcit finem, neque deliberat; igitur non agit propter finem. Dicit Ariſtoteles quòd hoc non valet; quia ars agit propter finem, quamuis non deliberat. Sed reſpondebant, quòd non eſt ſimile, cùm ars ſit principium extrinſecum, & natura principium intrinſecum. Dicit Ariſtoteles quòd hoc non valet, quia ſi ars factiua nauis eſſet intrinſeca lignis, eodem modo faceret nauem, qualiter nunc eſt facta. Similiter ars medicatiua eſt principium intrinſecum, quo Medicus ſanatur, cui natura maximè aſſimilatur, & ideò cum illa agit propter finem, ſequitur quòd natura agit propter finem.

20. Text. 87. *De neceſſitate in rebus naturalibus.* *Quod autem ex 1 neceſſitate eſt.* Hoc eſt ſecundum caput huius tractatus, in quo Philoſophus oſtendit, quòd neceſſitas diſpoſitionum naturalium in rebus naturalibus proueniat ex fine. Et primò proponit intentionem. Secundò oſtendit, quid ſuper hoc dixerunt antiqui. Et tertiò, determinat veritatem. Secundum ibi: *Nunc enim opinantur.* Tertium ibi: *Attamen non ſine his.* Pro prima parte notandum, quòd rebus naturalibus poteſt attribui neceſſitas dupliciter, ſcilicet ſimpliciter, vel conditionaliter. Vnde illæ diſpoſitiones dicuntur ſimpliciter neceſſariæ, ad quas res naturales determinantur per materiam, vt equus de neceſſitate morietur. Et hoc eſt, quia materia de neceſſitate eſt, & de neceſſitate præſupponitur tranſmutationibus naturalibus. Sed illæ diſpoſitiones ſunt neceſſariæ conditionaliter, ad quas res naturales determinantur per formam, & hoc eſt, quando forma non eſt neceſſaria in eſſendo. Et ideò tales diſpoſitiones ſunt neceſſariæ conditionaliter, vt ſi talis finis debeat euenire, neceſſe eſt hoc ſic eſſe diſpoſitum. Nunc igitur quærit Ariſtoteles iſtam quæſtionem, vtrùm res [a] naturales determinentur ad ſuas diſpoſitiones de neceſſitate ſimpliciter, ſcilicet per materiam, vel de neceſſitate ex ſuppoſitione, id eſt, per finem.

Neceſſitas duobus modis poteſt attribui rebus naturalibus.

21. *Nunc enim opinantur.* Hìc oſtendit opiniones antiquorum, dicens quòd antiqui opinabantur res naturales ſic, vel ſic eſſe diſpoſitas ex neceſſitate materiæ, & non propter finem; huius ſignum eſt, quòd in factione domus, illa quæ ſunt grauiora, ponuntur deorſum, vt lapides, deinde ponuntur ſurſum ligna, & ea quæ ſunt leuiora.

Text. 88. *Attamen 2 non ſine his quidem factum eſt.* Hic determinat veritatem, & ponit duas concluſiones, quas probat ſimul per tres rationes. Secunda ibi: *Eſt autem neceſſarium.* Tertia ibi: *Et finis is cuius gratia.* Prima concluſio eſt, quòd [b] materia eſt neceſſaria in diſpoſitionibus rerum naturalium. Secunda eſt: cauſa neceſſitatis rerum naturalium eſt finis, ita vt materiæ ſit attribuenda neceſſitas; & fini cauſa neceſſitatis. Primum patet: quia illud eſt neceſſarium in diſpoſitionibus naturalibus, ſine quo res naturales, aut earum diſpoſitiones non poſſunt fieri; ſed ſine materia non poſſunt fieri; ergo, &c. Secundum probatur, quia illud eſt cauſa neceſſitatis, & determinationis rerum naturalium, per quod conuenienter reſpondetur ad quæſtionem propter quid de neceſſitate, & de determinatione diſpoſitionum rerum naturalium; ſed hoc eſt per finem: igitur, &c. Maior eſt nota, quia quæſtio propter quid quærit cauſam. Et minor patet in exemplo, quod declarat vtramque concluſionem; quia ſerra de neceſſitate fit ex ferro, & ſi quæratur cauſa, quare ex neceſſitate fit ex ferro? Reſpondetur propter finem; quia per ipſam oportet ſecare dura. Notandum, quòd hìc Commentator comment. 87. probat valdè efficaciter, quòd cauſa neceſſitatis diſpoſitionum naturalium non proueniat ex materia, quia tunc ſequeretur, quòd in animalibus habentibus teſtas duras, illæ teſtæ deberent eſſe deorſum: quia illa teſta eſt pars grauior, & magis terreſtris inter alias. Et ideò cùm non ponatur deorſum, ſignum eſt, quòd illa diſpoſitio non accidit ex neceſſitate materiæ, ſed ex fine, ſcilicet vt conſeruetur animal. Secundò ſequeretur, quòd in animalibus omnia oſſa deberent eſſe inferiùs, deinde nerui, poſtea caro, deinde ſanguis, & vltimò ſpiritus.

Neceſſitas in rebus naturalibus vnde proueniat.

Eſt autem 3 neceſſarium. Ponitur ſecunda ratio; & ſecundò infert corollarium ibi: *Et vtraque quidem.* Secunda ratio eſt, quia ſicut [c] in doctrinis demonſtratiuis præmiſſæ ſe habent ad concluſionem, ita in rebus naturalibus finis ſe habet ad ordinata in finem; ſed in doctrinis demonſtratiuis tam præmiſſæ, quàm concluſio ſunt neceſſariæ, & concluſio eſt neceſſaria propter præmiſſas: igitur in rebus naturalibus tam finis, quàm ordinata in finem erunt neceſſaria; ſed ordinata in finem, erunt neceſſaria propter finem, & per conſequens finis eſt cauſa neceſſitatis. Maior eſt nota: quia ſicut in demonſtratiuis, ſi præmiſſæ ſunt veræ; igitur concluſio eſt vera, & non è contra, ita in naturalibus ſequitur, quòd ſi finis eſt, quòd ordinata in finem ſunt, vel fiunt, & non è contra. Secundò probatur 4 maior: quia in naturalibus finis eſt vltimum in executione operis, ſed eſt primum in diſcurſu rationis: vt volens facere domum, primò habet intentionem domus, qualem vult facere, & poſtea ordinat media; modò principium in demonſtratiuis habet ſimilitudinem finis. Tertiò patet exemplariter; quia ſicut non eſt ſerra, neque domus, niſi ſint lapides, & ferrum, ita concluſio non eſt neceſſaria, niſi propter neceſſitatem præmiſſarum. Et tunc ibi: *Et vtraque 5 quidem.* Infert corollarium, ſcilicet, quòd tam materia, quàm finis ſint dicendæ cauſæ à naturali. Probatur, quia ſine ipſis non poſſunt fieri diſpoſitiones naturales. 22. Text. 89. Text. 90. Text. 91.

Et finis is cuius gratia. Ponitur tertia ratio; quia demonſtrationes propter quid, quæ ſunt cauſales, fiunt per definitionem tanquam per medium: ideò talis definitio eſt cauſa, vel ſignificat cauſam rei naturalis, & ſuarum diſpoſitionũ, quæ per huiuſmodi definitionem notificantur: modò definitio potiſſima per cauſam finalem datur, vt patet primo Poſteriorum, text. 29. ideò cauſa finalis, quæ ſignificatur per præmiſſas eſt cauſa neceſſitatis diſpoſitionum rerum naturalium, quæ 23.

ſigni

[illegible] per concluſiones. [illegible] fo[illegible] [illegible] finitione naturali [illegible] Ariſtoteles [illegible] completior & per[illegible] [illegible] ſicut opus naturale fit ad determinatum finem, ita fit per determinatam materiam, & [illegible] definitione naturali oportet exprimere [illegible], ſcilicet, & finem, & materiam, &c. E[illegible] expoſitio 2. lib. Phyſicorum.

ANNOTATIONES.

24 Vtrùm res naturales determinentur, &c. Nota, quòd ſenſus quæſtionis eſt, Vtrùm diſpoſitiones, ordóque vniuerſi, & [illegible] eorum animalium, vt [illegible] ſunt dura, oculi molles, dentes anteriores acuti, maxillares lati, caput ſurſum, & pedes deorſum, proueniat ex materia duntaxat, ex qua eſt neceſſitas ſimpliciter, an ex fine ex quo eſt neceſſitas ex hypotheſi. Antiqui enim exiſtimabant [illegible] dictum eſt, ex ſola neceſſitate materiæ res naturales, earúmque diſpoſitiones prouenire, quod declarabant in artefactis. Domus enim [illegible] conſtructa, affirmabant, vt lapides deorſum, ligna verò ſurſum apponerentur; quia lapides ſunt natura graues, ligna verò leuia.

Materia eſt neceſſaria in diſpoſitionibus naturalibus. Nota, quòd Ariſtoteles non eſt ſibi contrarius. Nam licet aſſerat neceſſitatem ſimul ex parte materiæ, quod vt falſum contra Philoſophos antiquos refutauit; tamen eandem quam ipſe ponit neceſſitatem ex parte materiæ, non vt illi ponebant, Philoſophi enim omnimodam & vltimatam neceſſitatem ex parte materiæ eſſe affirmabant. Ariſtoteles verò non vltimam, quia talis à fine accipienda eſt.

Sicut in doctrinis demonſtratiuis, &c. Nota, quòd ſimilitudo ſtat in hoc, quòd ſicut principium eſt ratio ſciendi concluſioni in ſpeculabilibus, ita finis eſt ratio appetendi media ad finem. Eſt tamen diſcrimen inter concluſionem in ſcientiis, & ipſum finem. Nam præmiſſis in hac comparatione, correſpondent media, & concluſioni finis, eſt itaque diſcrimen inter finem Phyſicum, & finem ſpeculatiuum, videlicet concluſionem; quia in fine ſpeculatiuo à præmiſſis ad concluſionem valet conſequentia, & non è contra, vt *Petrus currit, ergo mouetur*, non tamen valet *mouetur, ergo currit*. In fine autem Phyſico contingit aliter, eſt enim à fine ad media valida conſequentia, non tamen à mediis ad finem. Vt benè valet conſequentia, *domus eſt, ergo lapides ſunt*, non tamen valet, *lapides ſunt, ergo domus eſt*.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm neceſſitas in rebus naturalibus proueniat ex materia, vel ex fine.

Ariſtot. *hic text.* 78. *&* 91. *&* 4. *de generat. animal. cap.* 2. Themiſt. *ad text.* 81. *&* 1. *de anima. ad text* 83. Simplic. *hoc in libro ad text.* 78. Auerroes *hic com.* 91. *&* 12. *Metaphyſ. com.* 18 Albert. Magn. *tract.* 3. *cap.* 2. *& ſequent.* Scotus 5. *Metaph. qu.* 1 Conimbr. 2 *Phyſic. cap.* 9. *qu* 1. Complut. *diſput.* 14. *quæſt.* 3. Ruuius *cap.* 9. *quæſt. vnica.* Roccus *quæſt.* 7.

1. ARGVITVR, quòd ex materia. Primò, quia ſicut eſt de pluuia, ita videtur de aliis rebus naturalibus, ſed pluuia fit ex neceſſitate materiæ: quia cùm vapor [illegible] eleuatus ſuperius ad locum frigidum, [illegible] frigiditatem condenſatur, & ſic ex neceſſitate [illegible] deſcendit deorſum, & non propter [illegible]. Confirmatur, quia ſi pluuia fieret propter [illegible], maximè eſſet propter augmentum frumentorum; ſed propter hoc non, quia ſæpe contingit frumentum corrumpi per pluuiam.

Secundò, ſicut eſt in artificialibus, ita in naturalibus, ſed in artificialibus neceſſitas prouenit ex materia, igitur etiam in naturalibus. Minor patet, quia ex neceſſitate materiæ eſt, quòd grauiora ſ[illegible]ciantur leuioribus. modò ita eſt in compoſitione domus, quia primò ponuntur lapides, ſecundò ligna, & ita de aliis.

Tertiò, quia ab illo prouenit neceſſitas in rebus naturalibus, per quod reſpondetur ad quæſtionem quærentem de neceſſitate in diſpoſitionibus naturalibus, ſed hoc eſt per materiam; ergo, &c. Minor patet, quia ſi quæratur propter quid Socrates de neceſſitate corrumpitur, reſpondetur: quia habet materiam, quæ eſt in potentia ad aliam formam.

Quartò, quia diſpoſitiones naturales, vel ſunt ſimpliciter neceſſariæ, & tunc dicit Ariſtoteles quòd proueniunt ex materia; vel ſunt contingentes, & tunc neceſſitas illarum à nullo prouenict, cùm ſint contingentes, & non neceſſariæ.

Quintò, quia natura non cognoſcit finem; igitur non agit propter finem. Tenet conſequentia, quia intendere finem, ſeu agere propter finem, eſt per cognitionem appetere finem. 2.

Sextò, quia finis ſemper habet rationem boni; ſed aliqua mala fiunt per naturam: igitur illa non fiunt propter finem, & per conſequens in illis operationibus natura agit propter finem.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem 2. huius, cap. vltimo, text. 91. In quæſtione primò videbitur, quòd natura agit propter finem. Secundò, qualiter neceſſitas diſpoſitionum naturalium dicitur ſimodè proueniat ex materia, & ex fine. *Diuiſio quæſtionis.*

Quantum ad primum, notandum quòd quoddam eſt agens liberum, & aliud eſt agens naturaliter. Hoc ſtante, ſit prima concluſio. Non ſemper agens liberum intendit finem. Probatur, vt quando homo diſrumpit feſtucam, aut fricat barbam, nullum finem intendit. *Agens eſt duplex, liberum, & naturale.*

Secunda concluſio: Omne agens naturaliter agit propter finem. Probatur, quia illa operatio naturaliter fit propter finem, ad quam media ſunt eo modo ordinata, & diſpoſita, qualiter per ipſa natus eſt conſequi finis intentus: ſed agens naturale ordinat media ſua illo modo ad effectum, qualiter per ipſa natus eſt conſequi effectus, ſeu finis intentus; ergo, &c.

Secundò, quia neceſſitas diſpoſitionum naturalium, vel proueniet ex materia, vel ex fine; non ex materia, vt patet in 4. art. igitur ex fine.

Tertiò, patet inductione, quia aranea facit telam propter *capere muſcas*, graue deſcendit propter *conſeruari*, & ita de aliis. 3.

Sed dubitatur, per quod principium aranea facit telam, aut formica colligit granum, aut huiuſmodi. Videtur quòd non per cognitionem, aut enim hoc eſſet per cognitionem ſenſuum exteriorum, vel interiorum; non exteriorum: quia fortè colligunt propter *euitare* pericula hyemis ſequentis, & tamen nunquam experti ſunt hyememnec per cognitionem ſenſuum interiorum; quia ſenſus interior præſupponit exteriorem. *Aranea per quod principium facit telam.*

Secundò

Secundo patet, quia nulla cognitio eſt indita nobis à natura; igitur nec huiuſmodi brutis. Tenet conſequentia, quia natura eſt magis ſollicita de nobis, quàm de brutis; & antecedens patet *primo poſteriorum.*

Propter iſtas rationes dico, quòd huiuſmodi animalia operantur ex quodam principio, qui eſt inſtinctus naturæ, & non eſt cognitio, ſed eſt quædam qualitas infuſa à cœlo, vel conſequens naturam huiuſmodi animalium a tota ſpecie, & etiam in his qualitatibus, vel diſpoſitionibus infuſis à cœlo aliquis dicitur fortunatus, vel infortunatus.

4. *Diſpoſitiones naturales sũt duplices.* Quantum ad ſecundam, notandum quòd duplices ſunt diſpoſitiones naturales, quædam ſunt vtiles; quædam inutiles, vt monſtruoſitas, corruptio, ſenectus, & huiuſmodi; & tales diſpoſitiones ſunt neceſſariæ propter materiam, ita vt in illis diſpoſitionibus materia ſit neceſſaria, & etiam cauſa neceſſitatis huiuſmodi diſpoſitionum. Sed de diſpoſitionibus dico, quòd determinatio ipſarum ad ſic eſſe, qualiter vtiles ſunt ad diſpoſitiones naturales, non eſt à materia, ſed à fine, quod patet exemplificando; quia quantum eſt ex parte materiæ, non eſſet ratio, quare oculus potiùs poneretur in capite, quàm in pede, aut quare palpebræ potiùs ponerentur ſuper oculum, quàm ſuper naſum. Et hoc probatur, quia in principio generationis, materia, ſcilicet ſemen eſt vniforme, & conſimilium partium; igitur quantum eſſet ex parte materiæ effectus genitus eſſet conſimilium partium; igitur determinatio ad diuerſas diſpoſitiones eſt ab agente, quod per huiuſmodi diſpoſitiones intendit diuerſos fines.

Et notandum, quòd diſpoſitiones, vt mors, ſenectus, & huiuſmodi, licèt ſint inutiles reſpectu præcedentium, tamen ſunt vtiles ad operationes ſequentes, hoc tamen non obſtante, neceſſitas eorum prouenit ex materia, & non ex illis operationibus ſequentibus; quia illæ operationes ſequentes non determinant materiam ad huiuſmodi diſpoſitiones. Ex hoc ponuntur concluſiones. Prima in rebus, & diſpoſitionibus naturalibus materia eſt neceſſaria. Secunda, cauſa neceſſitatis diſpoſitionum naturalium eſt attribuenda fini, & non materiæ. Probatur primum, quia illud eſt neceſſarium in diſpoſitionibus naturalium, per quod reſpondetur de rebus naturalibus, quod eſt neceſſarium in diſpoſitionibus ipſarum; modò hoc eſt per materiam, vt patet exemplificando in naturalibus, vt ſi quæratur, quid eſt neceſſarium ad hoc quòd fiat cultellus, reſpondetur ferrum.

Secunda concluſio probatur; quia illud eſt cauſa neceſſitatis in rebus naturalibus, per quod conuenienter reſpondetur ad quæſtionem quærentem propter quid eſt talis diſpoſitio neceſſaria, vel talis; ſed hoc eſt per finem; ergo, &c. Minor patet, quia ſi quæratur propter quid ferrum eſt neceſſarium ad cultellum, reſpõdetur per finem, vt poſſit ſecare dura: & ſi quæratur propter quid oculus eſt aqueus, reſpondetur per finem, vt poſſit videre. Confirmatur iſta concluſio, quia niſi cauſa neceſſitatis diſpoſitionum naturalium eſſet attribuẽda fini, ſequeretur in animalibus habentibus teſtas, quòd tota teſta poneretur inferiùs, & reſiduum ſuperiùs. Item ſequeretur, quòd in animalibus omnia oſſa deberent eſſe deorſum, conſequenter nerui, poſtea ſanguis, & vltimò ſpiritus, quod eſt contra experientiam. Et patet conſequentia, quia iſte eſt ordo membrorum, quantum eſt ex parte materiæ. Et hæc de ſecundo.

Ad rationes. Ad primam dico, quod pluuia fit propter finem, ſcilicet propter augmentum frumenti, & aliorum vegetabilium, & ſi quandoque frumentum corrumpatur per pluuiam, ex hoc non ſequitur, quin pluuia fiat propter finem; quia hoc contingit, vt *in paucioribus*. Similiter ad alium finem ordinatur pluuia, ſcilicet ad æquationem elementorum.

Ad ſecundam dico, quòd domus non fit propter materiam; ſed quia ſic poteſt meliùs durare ad finem, ad quem ordinata eſt. Similiter non eſt verum, quòd ſemper grauiora ponantur deorſum; quia tegulæ ſunt de partibus grauioribus.

Ad tertiam concedo, quòd aliquæ diſpoſitiones inutiles, & habentes rationem mali proueniunt ex neceſſitate materiæ. 6.

Ad quartam, negatur conſequentia: quia quidam [a] eſt appetitus naturalis ſine cognitione.

Ad quintam dico, quòd ſunt neceſſariæ ex ſuppoſitione, ſcilicet finis, vel operationis ſequentis, vt puta, ſi homo debeat videre neceſſe eſt, quòd habeat oculum taliter diſpoſitum.

Ad ſextam dico, quòd illæ diſpoſitiones, quæ habent rationem mali, fiunt ex neceſſitate materiæ, & non finis. Expliciunt quæſtiones 2. lib. Phyſicorum.

ANNOTATIONES.

[a] *QVidam eſt appetitus naturalis ſine cognitione.* Nota, quòd agentia naturalia inanimata non cognoſcant finem, propter quem operantur; quia carent potentia cognitiua. Et ſi dicas, nihil poteſt certò tendere in finem, quem non præcognoſcit, atque adeò naturalia inanimata non attingunt certò finem ſuum: immò potiùs finem ſuum cognoſcunt, quia certiſſimè illum attingunt, niſi impediantur. Dico verum eſſe nihil poſſe tendere in finem, niſi priùs cognitum; vel à ſe, ſi agit per cognitionem; vel ab alio illud dirigente, ſi non agit per cognitionem; atque adeò ſicut ſagitta dirigitur in ſcopum, quem non cognoſcit, ſed quia dirigitur à cognoſcente; ita etiam agentia naturalia dicuntur agere propter finem, & à fine moueri, quem non cognoſcunt, in quantum mouentur a Deo dirigente, & cognoſcente finem, dantéque vnicuique agenti inſtinctum naturalem, & virtutem ad ſuum finem conſequendum. Ex quo infertur aliquam eſſe cauſam vniuerſalem, omnes fines omnium rerum præuidentem, atque omnia in ſuos proprios fines inclinantem, præbentémque illis virtutem, eos aſſequendi; qualis eſt Beatiſſimus Deus, qui omnia diſponit, prouidet, gubernat, omniáque in ſuos dirigit fines. 7.

Agentia naturalia quomodo finem ſuum cognoſcant. Nota ſecundò, quòd quædam agentia naturalia cognoſcunt materialiter ſuum finem, non formaliter, id eſt, cognoſcunt rem particularem, quæ eſt finis, non tamen cognoſcunt ipſam ſub ratione finis, neque applicant media ad talem finem conſequendum, quamuis illum materialiter etiam cognoſcant. Talia ſunt bruta omnia. Cognoſcit enim, verbi gratia, equus famem, quam patitur, & herbam quam comedit, ſentitque ſe ſat-

vari, non tamen cognoſcit herbam ordinari ad famem ſedandam, vt ad finem, ſed comedir propter delectationem, quam ſentit, & ita ſedat famem. Vnde obſerua, quòd animalibus conceſſa eſt à natura quædam facultas cognitiua, quâ ſibi conuenientia appetant, & diſconuenientia fugiant, quæ facultas, (vt videbimus 2. de Anima) dicitur æſtimatiua: hæc potentia non eſt diſcurſiua, quapropter tantùm præſentia obiecta per illam cognoſcit animal brutum, de futuro autem nequit iudicare. Quando ergo dicimus, quòd bruta non cognoſcunt finem niſi materialiter, volumus ipſa non operari propter aliquem futurum euentum ab illis cognitum; ſed tantùm mouentur ab obiecto præſente, cuius conuenientiâ, ſeu diſconuenientiâ perceptâ proſequuntur ea, vel fugiant ab eis, ex qua actione naſcitor, quòd finem conſequantur, quem non nouerunt, neque perceperunt. Et ſic quando brutum videt aquam, cognoſcit ſibi eſſe conuenientem, & ideò illam appetit, & bibit, & ex hoc ſequuta eſt ſedatio ſitis, quam ipſum ignorabat ſecuturam, neque in his actionibus aliquo diſcurſu, conſultatione, aut deliberatione vtuntur, ſed tantùm naturali inclinatione illius potentiæ cognitiuæ feruntur in ipſa obiecta, vel ab eis refugiunt. Non eſt tamen negandum, quòd bruta perfecta, aliquando ex memoria præteritorum multa faciant, vt bos recordatur cibi, quem comedit, properat ad præſepe, iuxta illud, *Bos præſepe Domini ſui cognouit*. Finis tamen horum animalium formaliter eſt cognitus à Deo, ipſa animalia ad illum dirigente ſicut inanimata dirigit.

Nota tertiò quòd quædam agentia naturalia ſunt, quæ ipſum finem formaliter, & ſub ratione finis cognoſcunt, & ordinem mediorum ad ipſum finem; hæc autem agentia inter res naturales ſunt ſoli homines. Cognoſcit enim homo ſitim, quam patitur, applicátque aquam, quam cognoſcit tanquam medium aptum ad illam ſedandam. Eſt autem hoc de homine intelligendum in actionibus moralibus, ſeu humanis, vt cùm emit alimenta ad ſuſtentationem. In naturalibus enim operationibus, quales ſunt *generare ſibi ſimile, nutriri, & augeri*, & huiuſmodi, eodem modo ſe habet, ac reliqua agentia naturalia.

Agentia naturalia inanimata bruta & homines in quibus cõueniunt, & in quibus nõ.

Ex hoc ſequitur, quòd eſt conuenientia, & diſconuenientia inter inanimata, animalia bruta, & homines. Conueniunt ſiquidem in hoc, quòd omnia agunt propter finem. Secundò conueniunt, quòd in omnibus ſunt aliquæ operationes ita naturales, vt abſque præcognito fine illas operentur, quales ſunt operationes animæ vegetatiuæ, in his enim nulla eſt conſultatio, & hoc intelligendum eſt ſecundùm quòd operationes tales ſunt. Homo enim per potentiam vegetatiuam non cognoſcit finem ad quem dirigis illas operationes, quamuis per intellectum cognoſcat.

Differentia autem eſt; quia Inſenſibilia dicuntur agere propter finem; quia ex ſe, & ex natura ſua ad tales fines inclinantur, nullâ prorſus finis cognitione ducta. Bruta verò agunt propter finem in quem naturaliter feruntur, quémque materialiter cognoſcunt, quæ ſunt ad finem, quando illis præſentantur, quamuis, quòd talia media ad talem finem ordinentur, ignorent: quia hoc eſſet formaliter cognoſcere finem. Homo verò in operationibus humanis, vt homo eſt, præcognoſcit finem ſub ratione finis, & ſic per electionem ordinat media ad finem: quare inter alia agentia naturalia, quæ propter finem agunt, ſolus homo dicitur agere ſecundùm propoſitum.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 1. QVONIAM 1 *natura quidem est Principium motus*, &c. Iste est tertius liber Physicorum, in quo Aristoteles determinat de passionibus intrinsecis rei naturalis, seu mobilis, quæ dicuntur intrinsecæ, eo quòd non sunt extra rem naturalem; quæ sunt motus & infinitas. Et dicuntur intrinsecæ ad differentiam loci, vacui, & temporis; quæ sunt passiones extrinsecæ corporis naturalis, de quibus determinatur in quarto. Iste liber diuiditur in duos tractatus; in primo determinat de motu: in secundo de infinito, ibi, *Quoniam autem de natura scientia est*, &c. Primus tractatus continet tria capitula. Primum est de quibusdam, quæ præmittit ad definitionem motus. Secundum est de definitione, & tertium mouet quædam dubia de definitione motus. Secundum ibi, *Diuisio autem secundum*. Tertium ibi, *Et dubitatum autem*. In primo capitulo præmittit intentionem. Secundo prosequitur, ibi, *Est igitur*. Primò præmittit quinque conclusiones. Secunda ibi, *Cùm autem determinauerimus*. Tertia ibi, *Infinitum autem*. Quarta ibi, *Adhuc autem sine loco*. Quinta ibi, *Manifestum igitur est*.

Motus cognitio Physico necessaria.

Prima conclusio est. Naturalis habet determinare [a] de motu. Probatur, quia naturalis habet determinare de natura; igitur, & de motu. Tenet consequentia, quia motus ponitur in definitione naturæ, vt dicendo, Natura est principium motus, & mutationis; igitur necesse est ignorare naturam, scilicet definitiuè.

2. *Vide contradictionē Zimara.*

Secunda conclusio. Naturalis habet determinare de continuo. Probatur, quia naturalis habet determinare de motu; igitur & de continuo. Tenet consequentia; quia [b] motus est de numero continuorum; & antecedens patet ex præcedenti conclusione.

Naturalis habet determinare de infinito.

Tertia conclusio. Naturalis habet determinare [c] de infinito. Probatur, quia qui habet determinare de continuo, habet etiam determinare de infinito, per præcedentem conclusionem: igitur & de infinito. Maior patet, quia multoties infinitum ponitur in definitione continui, vt dicendo, continuum est in infinitum diuisibile: & dicit Aristoteles multoties, quia aliquando definitur aliter, vt dicendo, continuum est cuius partes copulantur ad terminum communem.

Text. 2. *Naturalis habet considerare de vacuo, loco, & tempore.*

Quarta conclusio. 2 Consideratio de vacuo, loco, & tempore pertinet ad naturalem. Probatur, quia consideratio de illis pertinet ad naturalem, sine quibus impossibile est fieri motum, sed sine istis impossibile est fieri motum; igitur, &c. Maior patet, quia naturalis habet considerare de motu: & minor est nota: nam secundùm opiniones antiquorum, motus non potest fieri sine vacuo, sed secundùm veritatem motus non potest fieri sine loco, & tempore, vt probabitur in quarto.

Quinta conclusio. Consideratio de omnibus istis pertinet ad istum librum. Probatur, quia istæ sunt communes passiones omnium corporum naturalium, & iste liber determinat de rebus naturalibus secundùm passiones communes ipsorum: igitur de ipsis determinare pertinet ad istum librum, cùm iste liber sit primus, & inter alios communior: quia semper speculatio de propriis passionibus est posterior consideratione de passionibus communibus. 3.

Text. 3. *Vide contradictionē Zimara.*

Est igitur 3 eorum quæ sunt. Hîc ponit quasdam diuisiones valentes ad definitionem motus. Prima diuisio est, quòd eorum, quæ [d] sunt, alia sunt in actu tantùm: & quædam in potentia tantùm; alia partim in actu, & partim in potentia: sicut album intensum dicitur album in actu, sed nigrum dicitur album in potentia, sed album remissum, quod est in via, vt intendatur, est partim in actu, & partim in potentia. Secunda diuisio, eorum, quæ sunt in actu quoddam est Substantia, aliud Quantitas, aliud Qualitas, aliud Ad aliquid, & sic de aliis Prædicamentis. Tertia diuisio, eorum, quæ dicuntur [e] *ad aliquid*, quædam dicuntur secundùm superabundantiam, & defectum, vt *duplum*, & *dimidium*, quædam actionem, & passionem, & omnino secundùm motum, & mobile: nam mobile est motiui mobile, & motiuum est mobilis motiuum.

4. Text. 4. *Vide digressionem Auer. super isto textu.*

Non est 4 autem motus præter res. Ponit vnam conclusionē, quòd omnis motus est in aliquo dictorū Prædicamentorum. Probatur, quia omne illud, ad quod est motus, vel mutatio, est in aliquo dictorū Generum; igitur omnis motus, vel mutatio est in aliquo dictorum Prædicamentorum. Tenet consequētia: quia motus non est aliud præter res, ad quas est mutatio: & antecedens patet, quia non est accipere aliquam rem communem ad ista Prædicamenta, ad quam possit fieri motus, vel mutatio, & ideò non inuenitur motus extra prædicta.

Text. 5. *Motus est duplex.* *Vide Zimarā in tab. lit. m. fol. 158. col. 3.*

Vnumquodque 5 autem dupliciter. Ponit quartam diuisionē, scilicet quòd in quolibet Prædicamento, in quo inuenitur motus, vel mutatio, inuenitur motus dupliciter. Nam quidā est motus acquisitiuus, & quidā deperditiuus, vt in Genere Substātiæ generatio, & corruptio, & in Genere Qualitatis acquisitio qualitatis perfectioris, vt albedinis dicitur mutatio perfecta, & acquisitio minùs perfectæ, vt nigredinis dicitur motus imperfectus. Similiter in motu locali motus sursum potest dici acquisitiuus, & motus deorsū deperditiuus; quia locus sursum est nobilior. Similiter in Genere Quantitatis inueniuntur augmētatio, & diminutio, & ita [f] de aliis Generibus. Ex quo infert Arist. quòd tot sunt species motus, & mutationis, quot

sunt

ſunt ſpecies entis,& hoc eſt, quia in quolibet genere entis inuenitur mutatio.

ANNOTATIONES.

[a] NAturalis habet determinare de motu. Nota quòd Ariſtoteles 2. Phyſicor. cap. 2. text. 11. dicit, ſupponendum eſt motum eſſe, & 6. Phyſicorum cap. 3. text. 26. dicit, quòd nullus eſt, qui ignoret motum eſſe. Videtur ergo Ariſtoteles his locis,& hîc, vbi docet naturalem diſſerere de motu tanquam de re ignota, & difficillima, ſibimet contrarius. Dicas quòd de motu poſſumus loqui dupliciter; primò per quæſtionem *ſi eſt*,& ſub hac conſideratione intelligendus eſt Ariſtoteles locis citatis. Secundo modo poſſumus loqui de motu per quæſtionem *quid eſt*, quærentes quid eſt eius quiditas, & ſub hac conſideratione tractat Ariſtoteles de motu in hoc tertio.

De motu duplex poteſt eſſe conſideratio.

[b] *Motus eſt de numero continuorum.* Nota, quòd Ariſtoteles 5. Metaph. text. 18. dicit, quòd motus eſt quantus per accidens: ergo de per ſe non ſpectat ad Phyſicum naturalem diſſerere de motu: quia ens per accidens excluditur à ſcientiis. Dicas, quòd ens per accidens dupliciter dicitur; primò ens per accidens dicitur illud, quod importat congregationem diuerſorum Prædicamentorum, vt *homo albus*; & huiuſmodi entia excluduntur à ſcientiis. Alio modo accipitur ens per accidens, vt idem eſt, quod ens per aliud,& hoc modo homo eſt ens per accidens: quia per ſuam formam eſt ens, & talia entia per accidens non excluduntur à ſcientiis. Et hoc modo intelligendus eſt Ariſtoteles loco citato, quando inquit, motum eſſe quantum per accidens, id eſt, per aliud, ratione ſcilicet continui.

Ens per accidens dupliciter dicitur.

6\. [c] *Naturalis habet determinare de infinito*, &c. Nota quòd Ariſtoteles in Prædicamentis agit de continuo, & tamen non definit continuum per infinitum: videtur ergo ſibi contrarius hîc & ibi. Dicas quòd, vt Ariſtoteles 5. Metaph. habet, continuum tripliciter accipitur. Primo modo à poſteriori & à ſigno, quando ſcilicet ſumit denominationem ab opere, quod exercetur, & hoc modo continuum eſt vna operatio: verbi gratiâ, lectio eſt continua ab hora octaua vſque ad nonam, quia eſt vna operatio continua, & hoc modo non loquimur de continuo hîc. Secundo modo accipitur in ordine ad partes ex quibus conſtituitur, vel per ordinem partium ad ipſum continuum, & ſub hac ratione loquitur in Prædicamento Quantitatis, dicens, *continuum eſt, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem*, & ſub hac ratione non loquitur hîc Ariſtoteles de continuo. Tertio modo accipitur in ordine ad partes in quas diuiditur, & ſecundùm hanc rationem loquitur hîc Ariſtoteles de continuo, dicens: *continuum eſt quod eſt diuiſibile in infinitas partes.*

Continuum ſumitur tripliciter.

[d] *Eorum quæ ſunt, alia ſunt in actu tantùm*, &c. Nota quòd ſub primo membro comprehenduntur Angeli, homines, & aliæ ſubſtantiæ, quo ad ſuum eſſe ſubſtantiale; ſi tamen entia conſiderentur in ratione entis, ſic quidem ſolus Deus eſt puriſſimus actus, & in puriſſimo actu, & nullo modo in potentia. Item ſi conſiderentur in ordine ad materiam, & potentiam Phyſicam, etiam Angeli ſunt in actu. Sub ſecundo membro continetur res, quæ cùm poſſit eſſe talis, nihil habet illius, vt res quæ poteſt eſſe calida, & nihil habet caloris; vel homo, qui cùm poſſit exiſtere, non exiſtit, vt Antichriſtus. Sub tertio autem membro continentur res, quæ quo ad aliquid ſui exiſtunt, & quo ad aliquid ſui non exiſtunt, vt res quæ poteſt eſſe calida, vt octo dicitur eſſe actu,& potentia, dum eſt calida, vt quinque: in actu quidem quo ad calorem, vt quinque, in potentia verò quo ad calorem vtteria, quem non habet,& poteſt habere.

[e] *Eorum quæ dicuntur ad aliquid*, &c. Nota, Ariſtotelem 5. Metaph. cap. de *ad aliquid* dicere, relationum quaſdam fundari in vnitate, ſiue quantitatum, ſiue qualitatum, ſiue eſſentiæ, quæ ſunt æqualitas, ſimilitudo, & identitas; ea enim, inquit, ſunt æqualia, quorum quantitas eſt vna ſecundùm ſpeciem; ea ſunt ſimilia quorum qualitas eſt vna ſecundùm ſpeciem; illa verò ſunt eadem quorum ſubſtantia eſt eadem. Quaſdam item fundari in Actione, & Paſſione, vt paternitatem, & filiationem, paternitas enim fundatur in actione generatiua, hoc eſt quòd paternitas fundatur in potentia generatiua, ratio autem fundandi,& ſine qua non fundatur, eſt quòd actu generet. 7.

[f] *Et ita de aliis generibus.* Nota, quòd Ariſtoteles docet motum in genere quadruplicem eſſe: quia motus non eſt præter res, ad quas tendit, res autem, ad quas tendit, ſunt tantùm quatuor, ſcilicet Subſtantia, Quantitas, Qualitas,& Vbi, quia in his tantùm quatuor Prædicamentis reperitur motus, vel mutatio: in ſpecie autem motum octo modis eſſe contingit, nam cùm motus ſit in quatuor Prædicamentis,& quoduis Prædicamentum contineat ſub ſe rem perfectam, & imperfectam, ſiue habitum,& priuationem, efficitur, vt motus qui eſt in illo Prædicamento, diuidatur in motum, qui eſt ad rem perfectam, qui dicitur acquiſitiuus, & in motum qui eſt ad rem imperfectam qui dicitur deperditiuus. Vnde colligit tot eſſe ſpecies, ſiue modos particulares motus, quot modi entis, id eſt, quot modi illius Prædicamenti ad quos eſt motus; diuerſitas enim ſpecifica motuum ex diuerſitate ſpecifica terminorum ad quos, ſumenda eſt.

Motus in genere eſt quadruplex.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ignorato motu neceſſe ſit ignorare naturam.

Ariſtot. 3 *Phyſic. text.* 1. Auerroës *comment.* 1. Themiſt. Simplic. D. Thom. *ibid.* Albert. *hic tract.* 1. *cap.* 1. Canonic. *quæſt.* 1. *art.* 1. Mayron *hic partis* 1. Conimb. *in expoſit. textus, & quæſt.* 1. Compluten. *diſp.* 16. Ruuius *tract.* 1. *q.* 1. Fuente *quæſt.* 1. *diffic.* 1. Roccus *ſumma* 1. *cap. vnico, & quæſt.* 1.

ARGVITVR quòd non: quia quod eſt per ſe manifeſtum, non ignoratur quocumque alio ignorato; ſed natura eſt per ſe manifeſta, & euidens: igitur quocumque alio ignorato, non ignoratur, & per conſequens ignorato motu, non eſt neceſſe ignorare naturam. Maior nota eſt, & minor patet: quia dicit Ariſtoteles 2. huius, text. 6. quòd naturam eſſe probare ridiculum eſt. 1.

Secundò: quia ignorato illo, quod de difficili eſt cognoſcibile, non eſt neceſſe illud ignorari, quod de facili cognoſcitur; ſed motus de difficili cognoſcitur, natura verò eſt de facili cognoſcibilis:

bilis: ergo, &c. Minor patet primò, difficile est cognoscere, quid sit motus, vt patet in isto tertio. Secundò, quia difficile est cognoscere motum esse; quia vna pars eius est præterita, & alia futura; & ita de modo cognoscendi est maxima difficultas. Item motus non potest sentiri à sensu; quia sensatio saltem visus fit in instanti, motus autem fit successiuè.

Tertiò: quia ignorato posteriori non est necesse ignorare prius; sed motus est posterior natura: igitur non est necesse ignorato motu, ignorare naturam. Maior patet, quia cognitio posterioris dependet ex cognitione prioris, & non è contra; & minor apparet, quia motus est accidens, & natura substantia; & modò substantia prior est accidente naturâ, cognitione, & tempore, vt patet 7. Metaph. text. 4.

Quartò: quia causæ sunt notiores suis effectibus, vt patet primo huius, text. 4. sed natura est causa motus: igitur natura est notior motu, & per consequens cognitio motus præsupponit cognitionem naturæ magis quàm è contra.

2. Quintò: si ita esset, sequeretur quòd determinatio de motu deberet præcedere determinationem de natura, cuius tamen oppositum fecit Aristoteles. Probatur consequentia, ex quo cognitio naturæ præsupponit cognitionem motus, & non è contra.

Sextò: quia motus, & natura sunt duæ res ab inuicem distinctæ: igitur non implicat contradictionem vnum illorum cognosci sine alio: igitur posito, quòd ignoretur motus, non est necesse ignorare naturam.

Septimò: quia tunc sequeretur quòd ignoratâ quiete necesse esset ignorare naturam; consequens est falsum: quia cognitio positiui non præsupponit cognitionem priuatiui, immò semper è contra; vt patet 1. *de Anima*, *text. 70.* Et patet consequentia: quia motus, & quies opponuntur: igitur eadem est cognitio quietis & motus. Nam idem est iudex recti, & obliqui, vt patet 1. *de Anima*, *text. 35.* ideò si ignoretur quies, necesse est ignorare motum, & per te ignorato motu necesse est ignorare naturam; ergo, &c.

Octauò: quia antiqui negauerunt motum esse, qui tamen non negauerunt naturam esse; quod non esset, si motum esse esset notius, quàm naturam esse.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in principio huius tertij, text. 1. qui ponit quòd ignorato motu, necesse est ignorare naturam. In quæstione ista primò præmittendæ sunt quædam distinctiones declarantes titulum quæstionis quantum ad sensum textualem. Secundò respondebitur physi-
3. cè ad quæsitum.

Natura est nomen connotatiuum. Quantum ad primum, notandum quòd hoc nomen *natura* est nomen connotatiuum de Genere *Ad aliquid*; cuius genus est hoc nomen *principium*; & ideò multum refert ponere istos terminos, *natura*, *principium*, & huiusmodi terminos connotatiuos à parte subiecti, vel prædicati respectu verbi de præterito, vel de futuro; vel respectu verbi de præsenti includentis præteritum, vel futurum: quia semper à parte prædicati huiusmodi termini appellant suam formam, ita vt restringantur ad tempus verbi, tam pro significato, quàm pro connotato, sed non est ita, quando ponuntur à parte subiecti.

Verba scio, cognosco, ignoro, faciunt propositionem in sensu composito, & diuiso. Secondò notandum, quòd ista verba *scio*, *cognosco*, *ignoro* faciunt propositionem in sensu composito, scilicet, quando præcedunt, vel sequuntur totam propositionem; seu in sensu diuiso, quando ponuntur inter partes propositionis; propriissimè tamen dicuntur de dicto, vt *cognosco hominem esse*, *cognosco hominem currere*, & sic de similibus: & multum refert quando aliquis terminus ponitur à parte antè respectu istorum verborum, & quando ponitur à parte pòst, & ideò Aristoteles in *primo Elenchorum* ponit differentiam inter istas, *venientem cognosco*, & *cognosco venientem*: quia ad veritatem primæ sufficit, quòd illa res, quæ est veniens cognoscatur, ignorato adhuc an sit veniens vel non; sed ad veritatem secundæ requiritur, quòd veniens cognoscatur, & cognoscatur esse veniens, ita est in proposito: quia ad veritatem istius, *cognosco naturam*, non sufficit illam rem cognoscere, quæ est natura, scilicet conceptu quiditatiuo, vt puta quòd est substantia, vel huiusmodi, immò cum hoc requiritur, quòd cognoscatur taliter se habere, qualiter connotatur per hoc nomen *natura*.

Tertiò notandum, quòd hoc participium *ignoratum*, & etiam verbum à quo descendit, includit negationem, & ideò confundit terminum immediatè sequentem distributiuè: sequitur enim *ignoro motum, igitur nullum motum cognosco*. 4.

Quartò notandum, quòd titulus quæstionis potest æquipollere vni temporali, videlicet isti: *Dum ignoratur motus, necesse est, quòd ignoretur natura*, quod est falsum: quia veritas temporalis præsupponit veritatem copulatiuæ factæ ex partibus illius temporalis.

Secundò potest æquipollere vni causali, & est sensus: *quia ignoratur motus, necesse est, quòd ignoretur natura*; & ista est falsa propter eandem causam.

Tertiò, potest æquipollere vni conditionali; vt isti, *si ignoratur motus, necesse est quòd ignoretur natura*: & tunc accipio quæstionem in isto sensu; dum tamen hæc dictio *necessariò* faciat propositionem in sensu composito, dicendo necessariò si ignoratur motus, ignoratur natura: & hæc de primo.

Quantum ad secundum notandum, quòd tam de motu, quàm de natura scitur quod est. Deinde quid est definitiuè, & tertiò, quia est quantum ad proprietates, & conditiones conuenientes motui, & naturæ, & hoc tam de proprietatibus communibus, quàm specialibus: vnde proprietates communes sunt, quòd omnis motus est diuisibilis in infinitum, omnis motus est in loco, & sic de aliis; proprietates verò speciales sunt, vt quòd motui circulari nihil est contrarium, quòd motus habet calefacere, & sic de aliis: sed proprietates communes naturæ sunt, quòd omnis natura est mota, vel mobilis; proprietates verò speciales sunt, vt quòd cœlum est ingenerabile, & incorruptibile, & sic de similibus. Quartò scitur *propter quid* tam de natura, quàm de motu, scilicet causa propter quid huiusmodi passiones insunt naturæ, & motui.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Impossibile est de aliqua re cognoscere, quòd sit natura, non cognoscendo motum. Probatur, quia impossibile est de aliqua re cognoscere quòd sit natura, non cognoscendo, quòd sit principium, & causa motus; igitur impossibile est de aliqua re cognoscere, quòd sit natura, non cognoscendo motum. Antecedens apparet: quia esse naturam, est esse principium mouendi, & quiescendi. 5.

quiescendi. Tenet consequentia, quia de nullo potest cognosci quòd sit principium motus, non cognoscendo motum.

Secundò: quia implicat contradictionem esse naturam, & non esse principium motus; igitur implicat contradictionem cognoscere naturam non cognoscendo motum; & propter hoc dicit Aristoteles 1. huius, text. 6. quòd negantes motum loquebantur innaturaliter.

Secunda conclusio. Necesse est ignorato motu, quantum ad *si est*, ignorare naturam, quantum ad *quid est*, & est sensus conclusionis, quòd ad cognoscendum naturam definitiuè, oportet præcognoscere motum esse. Probatur, quia natura definitur per motum: nam in conceptu huius termini *natura* includitur motus, vt dictum fuit priùs: igitur ad cognoscendum definitionem naturæ, oportet præsupponere motum esse. Et dico notabiliter quantum ad *si est*: quia dicit Aristoteles in 1. huius, text. 11. quòd in determinando de naturalibus, oportet præsupponere omnia, aut quædam moueri; & ideò oportet præsupponere, quòd motus est & aliqua moueri; sed non oportet præsupponere, quid sit motus definitiuè, quia habitâ definitione naturæ in secundo, inquiritur quid sit motus definitio in tertio.

6. Tertia conclusio. Ignorato motu quantum ad *quia est*, necesse est ignorare naturam quantum ad *quia est*. Hoc est dictu, quòd ad cognoscendum conditiones, & proprietates speciales naturæ, oportet præcognoscere conditiones, & proprietates motus. Probatur, quia ex proprietatibus motuum, & operationum rerum naturalium concludimus naturam earum, vt quia hoc calefacit, concludimus ipsum calidæ naturæ. Similiter ex proprietatibus motuum cœli concludimus cœlum ingenerabile, & incorruptibile: igitur, &c. Patet ergo, qualiter *si est* motus, & *si est* naturæ, simul cognoscuntur: quia non priùs cognoscitur, quòd motus est, quàm quòd natura est. Secundò, quia *si est* motus, præsupponitur ad cognoscendum definitiuè naturam: quia in conceptu naturæ includitur motus; sed *quid est* motus non præsupponitur *ad quid est* naturæ. Tertiò patet, quia tam *quia est*, quàm *quia est* motus præsupponitur ad cognoscendum proprietates naturæ: & istum ordinem seruauit Aristoteles in rebus naturalibus. Vnde in primo libro Physicorum præsupponit motum esse. Deinde isto præsupposito; in secundo inquirit quid est natura, & deinde in tertio inquirit quid sit motus, & in aliis quinque libris inquirit de passionibus motus, ex quibus passionibus inquirit proprietates naturarum in rebus naturalibus tam generales quàm speciales, scilicet in aliis libris naturalibus sequentibus, & hæc de secundo.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd motus est de difficili cognoscibilis, quantum ad *quid est*, sed de facili cognoscitur, quantum ad *si est*, scilicet per experientiam, & hoc præsupponitur definitioni naturæ.

7. Ad secundam dico, quòd naturam esse [a] est per se euidens; tamen quid sit natura non est adeò euidens; & ad hoc præsupponitur motus. Vel potest dici negando maiorem: quia possunt esse duo euidenter nota, & notitia vnius potest dependere ex notitia alterius; sicut est in proposito; & ideò necesse est, quòd ignorato motu, ignoretur aliquid per se & euidenter notum. Et quando dicitur, quòd motus non potest sentiri, dico quòd non solo sensu exteriori, sed à sensu exteriori mediante interiori, id est, mediante memoriâ, & virtute discursiuâ.

Ad tertiam, negatur maior: quia licèt motus sit posterior quantum ad *esse*, eo quòd est effectus naturæ, & loquor de posteriori secundùm naturam, & non secundùm tempus, tamen motus [b] est prior viâ cognitionis, quia per motum deuenimus in notitiam naturæ; & ideò authoritas Aristotelis verificatur indefinitè.

Ad quartam, Causæ sunt notiores, &c. Dico quòd causæ sunt notiores propter *quid*, sed effectus sunt notiores quantum ad *quia*. Sed simpliciter loquendo effectus sunt notiores causis, loquendo de notitia nostra: quia de notitia diuina non est ad propositum.

Ad quintam. Negatur consequentia: quia *quid est* motus non præsupponitur ad *quid est* naturæ, sed *si est* solùm. 8.

Ad sextam. Negatur consequentia: quia licèt sint res diuersæ, tamen cognitio definitiua vnius necessariò dependet ex cognitione alterius.

Ad septimam. Negatur consequentia, quia natura potest cognosci per motum, nullo modo cognoscendo quietem. Ad probationem. Idem est iudex recti & obliqui, id est, cognosco obliquum priuatiuè, per cognitionem recti, & habitus: sic cognitio quietis habetur per motum, licèt non è contra.

Ad octauam de antiquis, dico quòd erant inepti propter ignorantiam Logicæ, vt dicit Commentator, vel quòd pertinaciter hoc sustinebant.

ANNOTATIONES.

[a] *Naturam esse est per se euidens.* Nota naturam accipi dupliciter: primò secundùm suam essentiam; quo pacto essentialiter dicitur de materia, & forma. Altero modo accipitur secundùm suam proprietatem, quæ est *causare motum*. Si natura sumatur primo modo, non includit motum essentialiter, neque per illum definitur. Si accipiatur secundo modo respicit motum, & per illum definitur tanquam per passionem, cuius est principium & causa; ex hoc sequitur, quòd naturam esse est per se notum, quia sensu cognoscitur esse: quid autem natura sit non rectè cognoscitur, nisi per motum: quia causæ per suos effectus cognoscuntur. 9. *Natura bifariam sumitur.*

[b] *Motus est prior natura viâ cognitionis.* Nota quòd natura eo modo, quo est prior in esse, est etiam in cognitione, videlicet à priori; eo autem modo quo est posterior cognoscitur per motum, videlicet à posteriori, nostra autem cognitio oritur ab effectu, per cuius cognitionem cognoscimus eius causam, & talis est, quam habemus de natura per motum. Et si dicatur: sicut res se habet ad esse, sic se habet ad cognosci: sed natura est causa motus in esse: ergo est causa cognitionis motus, & non è contra. Dicas, concedendo quòd natura est causa motus: illa autem causa, quæ nullo modo est effectus, semper est prior, & causa cognitionis sui effectus; si verò vno modo est causa, & altero effectus, in eo quòd causa, est prior suo effectu, & causat eius cognitionem; in eo verò quo est effectus, & posterior, & cognoscitur per effectum: modò natura est causa motus, quia efficit motum, tamen motus est causa finalis naturæ, quo pacto sine motu neque definiri, neque intelligi potest. Aristoteles ergo

quia locutus est de natura secundùm hanc proprietatem optimè dixit, quòd ignorato motu, ignorabitur & natura.

EXPOSITIO TEXTVS.

10. Text.6. *Motus an actus, & qualis.* *Definitio motus.* Diuiso *autem secundùm 1 vnumquodque genus*,&c. Hoc est secundum cap. huius tract. in quo ponit duas definitiones motus. Secunda ibi: *Mouetur autem & mouens.* Item primò ponit definitionem. Secundò declarat partes definitionis. Tertiò concludit totam definitionem. Secundum ibi, *Quòd autem hoc sit motus.* Et tertium ibi, *Quod igitur est hic.* Dicit igitur, quòd cùm in vnoquoque genere aliquid dicitur secundùm actum, & aliquid secundùm potentiam. Motus est entelechia, id est, actus existentis in ª potentia, secundùm quòd huiusmodi, id est, secundùm, quòd in potentia: vt alteratio actus est alterabilis, secundùm quòd alterabile, & ita inducendo in aliis motibus, & mutationibus dicit Aristoteles quòd augmentationi, & diminutioni, non est aliquod nomen commune, sicut in aliis motibus. *Vide contradictionem Zimaræ.* Est notandum, quòd definitio est communis ad mutationem. Patet per Aristotelem, qui inducit de generatione, & corruptione. Secundò notandum, quòd in definitione motus ponitur *actus* tanquam genus ad differentiam illius, quod solùm est in potentia ad aliquam dispositionem, & ponitur *existentis in potentia* ad differentiam illius, quod habet aliquam dispositionem completè in actu, quia illud, quod aliquo istorum modorum se habet ad aliquam mutationem, non mouetur ad illam, sed ponitur ibi, *secundùm quòd huiusmodi*, ad designandum continuationem motus; & ideò si aliquid moueatur ad caliditatem, & definat moueri, cùm fuerit tepidum, tunc illud est in actu per aliquid caloris, esset in potentia ad vlteriùs acquirendum: igitur illud non mouetur.

11. Text.7. *Quòd autem 2 hoc sit motus.* Hìc declarat partes definitionis; & primò quòd sit actus; secundò, quòd sit entis in potentia; & tertiò, quòd secundùm quòd in potentia. Secundum ibi, *Quoniam autem quædam eadem & potentia.* Tertium ibi, *Dico autem quatenus.* Primò probat, quòd motus sit actus; quia illud est actus per quod aliquid dicitur in actu; quod priùs erat in potentia solùm: sed per motum aliquid est in actu, quod erat in potentia solùm: igitur motus est actus. Maior patet per descriptionem actus: & minor apparet exemplificando. *Vide digressionem Auer. super isto tex.* Nam ædificabile, quod priùs erat in potentia mobile tantùm, per ædificationem est actu motum, & per consequens ædificatio est motus. Hoc exemplum est de motu locali; & ponit aliud exemplum de motu alterationis, vt *doctrinatio, medicatio, adolescentia, senectus*, & huiusmodi, & per adolescentiam intelligit augmentationem, & per senectutem diminutionem.

Text.8. *Res potest dici in actu, vel in potentia tripliciter.* *Quoniam 3 autem quædam eadem*,&c. Hìc probat secundam particulam, scilicet quòd motus est actus existentis in potentia; præmittit vnam diuisionem quòd aliquid potest dici in actu, & in potentia tripliciter: vno modo respectu eiusdem, sed successiuè, vt quod est in actu calidum, & in potentia, quòd sit non calidum, scilicet in alio tempore. Alio modo dicitur in actu, & in potentia simul, licèt non secundùm idem, vt aliquid dicitur in actu calidum, & in potentia frigidum. Tertio modo dicit aliquid in actu & in potentia respectu eiusdem, & in eodem tempore, licèt non eodem modo, vt illud, quod agit in aliud, & patitur ab eodem. Isto præmisso probat conclusionem, quia omnis motus est actus corporis naturalis, quod simul est mouens, & mobile; & mobile est existens in potentia: igitur motus est actus existentis in potentia. Et licèt aliqui dubitauerint, verùm omne mouens esset mobile, tamen postea manifestum erit, scilicet in 8. huius, text. 45. quòd aliquod est mouens immobile; & sic patet quòd motus est actus entis in potentia.

12. Text.9. *Dico autem 4 quatenus sic.* Probat quòd motus sit actus existentis in potentia secundùm quòd in potentia. Probat exemplariter, quia æs est mobile ad formam statuæ, secundùm quòd est actu æs, vel secundùm quòd est in potentia ad illam formam; si moueatur ad illam formam, vt est actu æs, tunc semper moueretur ad illam formam: si vt est in potentia ad illam formam, tunc sequitur, quòd motus est actus existentis in potentia, secundùm quòd in potentia. Et subdit Philosophus, quòd non 5 est idem æs esse in actu, & ipsum esse in potentia; & hoc est verum secundùm rationem. Text.10. Similiter, dicit, quòd posse sanari, & posse laborare, licèt sit eadem res, tamen differunt secundùm rationem: & similiter licèt sit idem color, & visibile: tamen secundùm aliam rationem dicitur color, & secundùm aliam visibile. Ita in proposito licèt sit idem mobile, quod est in actu per illud, quod est acquisitum, & in potentia per illud, quod est acquirendum, tamen hoc est secundùm diuersas rationes.

Text.11. *Quod 6 igitur est hic.* Concludit totam definitionem motus: quia illud est motus, quo præsente in mobili, mobile mouetur, & quo non præsente non mouetur; sed actu existentis in potentia secundùm quòd in potentia, existente in mobili mobile mouetur, & non prius, nec posterius, vt exemplificat de ædificatione & ædificabili: igitur motus est actus existentis in potentia secundùm quòd in potentia.

13. Text.12. *Quòd autem 7 benè dictum sit.* Hìc declarat definitionem motus per dicta antiquorum; & secundò infert vnam conclusionem, ibi: *Et motus quidem.* Primò dicit quòd ex dictis antiquorum manifestum est, quòd non est facile definire motum, aliter quàm prædicto modo. Quia vel motus est definiendus modo prædicto, vel sicut antiqui dixerunt, quorum aliqui dixerunt motum esse alteritatem; alij inæqualitatem, & alij, quòd motus est non ens; sed nullo istorum modorum debet motus definiri; igitur definitio motus data fuit bona. Minor patet, quia per illos terminos non debet definiri motus, quibus nun plus conuenit motus quàm quies, vel quomodo. Sed 8 vt contingit altera, vel inæqualia moueri, ita contingit ipsa quiescere. Text.13. Et causa 9 quare posuerunt motum esse non ens, erat ista, quia motus est ens indeterminatum, ita vt non sit actus in aliquo genere, nec etiam potentia: igitur non debet poni de aliquo Prædicamento entium, sed de coordinatione priuatiuorum. Text.14.

Text.15. *Motus est actus imperfectus.* *Et motus 10 quidem.* Infert conclusionem, quòd motus est actus imperfectus. Probatur: quia illud quod medio modo se habet inter actum perfectum, & puram potentiam, est actus imperfectus; sed motus est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: quia tale nec est actus completus, nec pura potentia: & minor apparet; quia si illud, quod mouetur, esset

esset in actu completo, iam cessaret moueri, & si esset iu pura potentia, adhuc nondum mouecetur.

Text. 16. *Mouetur* c *autem & mouens.* Ponit aliam definitionem motus, & primò præmittit suppositionem, quòd idem aliquando mouet, & mouetur. Probatur, quia mouens quandoque est in potentia, vt moueatur, & per consequens quandoque actu mouetur. Secundò, quia mouens quandoque quiescit: igitur quandoque mouetur: quia motùs, & quies sunt priuatiua opposita, & ideò cui inest vnum, natum est inesse reliquum. Tertiò, quia in his, quæ agunt, & patiuntur ad inuicem per contactum; idem simul agit, & patitur, qood non esset, nisi quandoque simul idem moueret, & moueretur. Ex istis infert aliam definitionem, quòd Motus est c actus mobilis secundùm quòd mobile. Et probatur ex prima definitione: quia illud quod est actus entis in potentia secundùm quòd in potentia, est actus mobilis secundùm quòd mobile; sed motus est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: quia mobile est ens in potentia; & minor est nota per primam definitionem. Et subdit Aristoteles quòd in omni motu est aliqua species mouens, id est, aliquod principium effectiuum motus, vt in generatione hominis, homo est principium effectiuum.

Vide contradictionem Zenari.

Definitio motus.

ANNOTATIONES.

15. *Definitio motus explicatur.* a MOtus *est actus entis in potentia*, &c. Nota, quòd illa dictio *entis in potentia* accipitur hîc vno ex illis tribos modis suprà capitulo præcedenti citatis in diuisione prima, nempe pro ente partim in actu, & partim in potentia; ita vt definitio hunc habeat sensum, Motus est actus ad differentiam illius, quod est in mera potentia entis in potentia, ad differentiam illius, quod est in vltimo actu: aqua enim quæ potest esse calida, vt decem, & calefit vt quinque, est quidem in actu respectu illorum quinque graduum caloris, éstque in potentia respectu aliorum graduum, quos adhuc non acquisiuit, ideò dicitur *entis in potentia*, & additur *secundùm quòd est in potentia*, id est, ea ratione, quâ tale ens est in potentia, non enim aqua calefit in quantum est in actu, sed in quantum est in potentia.

16. b *Antiqui dixerunt motum esse vel alterationem*, &c. Nota quòd hæc fuit sententia Pythagoreorum, quorum quidam dicebant motum esse diuersitatem: quia quod mouetur, semper se habet alio, & alio modo: alij dicebant motum esse inæqualitatem, aut quia procedit ab inæqualitate; aut quia tendit ad inæqualitatem. Alij tandem dicebant motum esse non ens: quia quod mouetur, nondum est perfectè sub illa forma, ad quam mouetur. Cæterum hæc sententia absurdissima est, quia ex illa sequeretur, quòd id moueretur, quod habet diuersitatem, aut inæqualitatem, aut non ens, quod est plusquam falsum.

17. c *Motus est actus mobilis secundùm quòd mobile.* Nota pro plena intelligentia definitionis motus, quòd subiectum in ordine ad suam formam habet triplicem statum, & respectum. Primus est in pura potentia, quando videlicet est expoliatum omni forma: verbi gratiâ aqua, quando est in summa frigiditate, est in pura potentia ad calorem, & sub hac consideratione nullus est motus naturalis. Secundus status est in ordine ad formam, quando, scilicet est in actu perfecto. Et completo: verbi gratiâ quando aqua habet calorem in summo, & sub hoc statu etiam nullus est motns. Tertius status quando haber formam imperfectam, & incompletam. Quãdo ergo in definitione dicitur, quod est actus entis in potentia, vel mobilis, est idem, ac si diceretur, motus est actus subiecti, quod partim est in actu, partim in potentia, quia motus est actus illius, in quo necessariò & semper est, sed semper est motus in ente in potentia, hoc est, in mobili: ergo est actus entis in potentia, vel mobilis. Maior patet in anima, quæ ideò est actus corporis animati, quia semper reperitur in corpore alato: & minor patet; quia in ente in pura potentia non est motus, & in ente in actu completo finitur motus: ergo necessariò reperitur motus in ente in potentia, quod partim est in actu.

Secundò nota, quòd subiectum habens formam potest considerari, vel in esse quieto, vt quando aqua acquirit duos gradus caloris, & ibi sistit, ita vt non ampliùs calefiat. Secundo modo prout est in continua tendentia ad formam, vt in aqua, quæ acquirit duos gradus caloris, & progreditur vlteriùs quousque habeat perfectum calorem; quando ergo subiectum est in hac continua tendentia, est motus in eo: & hoc innuit Aristoteles illa particula, *quatenus est in potentia*, vel quatenus mobile; ac si dixisset, quatenus est in continuo processu ad perfectam formam.

QVÆSTIO II.

Vtrùm motus possit percipi à sensu visus.

Auerroës 8. *Physic. comment* 22. D. Thomas 2. *de An. cap.* 6. *lect.* 13 & 1. *part. quæst* 78. *art.* 3. Scotus *in* 4. *distinct.* 12. *quæst* 3. Ægidius 2. *de An. cap* 6. Simon Portius *cap.* 5. *de dolore* Iandun. *in libros de An. quæst.* 18. Conimbr. 2. *de An. cap.* 6. *quæst.* 5.

ARGVITVR quòd non, quia vel percipitur super partem spacij pertransitam, vel super pertranseundam, vel super partem supra quam actu existit: non super partem pertransitam, quia super illam non est motus, sed iam factus est motus: nec super partem pertranseundam eâdem ratione, quia super illam non fit motus, sed fiet, nec in spacio in quo est mobile, quia in illo mobile non mouetur. 1.

Secundò, quia illud non percipitur à visu, cuius nulla pars percipitur à visu; sed nulla pars motus percipitur à visu: ergo, &c. Maior est nota, quia impossibile est totum videri sine hoc, quòd partes videantur; & minor patet: quia partes motus sunt præteritum, & futurum, quorum neutrum illorum est, & per consequens neutrum illorum mouet sensum.

Tertiò, si motus videretur, vel hoc esset visione intuitiuâ, vel abstractiuâ; non abstractiuâ: quia nulla potest fieri visio nisi in præsentia obiecti, & ideò omnis visio est intuitiua; nec intuitiua, quia sequeretur, *motus est, ideò motus fuit*: modò non video intuitiuè, quòd motus fuit: quia iam transiit in præteritum, & ampliùs non est.

Quartò, quia omnis visio fit in instanti; nullus motus fit in instanti; igitur nullus motus est visio. Maior patet in 2. de Anima, text. 70. & in de Sensu, & Sensato: & probatur ratione; quia si inter visum, & astrum ponatur manus, non citiùs remota est manus, quàm videatur astrum, 2.

quod non esset nisi visio fieret subitò. Minor apparet in 6. huius, text. 37. & in 7. text. 38. scilicet quòd omnis motus fit in tempore.

Quintò, quia ista, *mobile mouetur*, æquipollet isti, *mobile mouebatur, mobile mouetur, & immediatè post mouebitur*; sed visus non potest percipere, qualiter illa copulatiua significat, ideò non potest percipere, quòd mobile mouetur.

Sextò, non potest videri, quòd hoc mouebitur: igitur non potest videri, quòd hoc mouetur. Tenet consequentia, quia ad istam, *hoc mouetur*: sequitur hoc mouebitur: modò qui cognoscit consequentiam esse bonam, & non cognoscit consequens, non cognoscit antecedens. Probatur antecedens, quia hoc mouebitur est futurum contingens: igitur de illo quod mouebitur possibile est quòd non mouebitur, & tunc ponatur in esse, quòd nō mouebitur, sequitur quòd de aliquo iudicat ipsum moueri, & tamen non mouebitur, & per consequens iudicium totum erit falsum, quia sequitur non mouebitur; igitur non mouetur. Confirmatur: quia possibile est quòd mobile, quod mouetur, sit mouens voluntarium: igitur supposito, quòd nunc moueatur, possibile est, quòd postea non mouebitur: igitur de illo nunquam potest iudicari euidenter, quòd ipsum mouetur.

3. *Diuisio quæstionis.* Oppositum arguitur per experientiam. In quæstione Primò videbitur de perceptione motus. Secundò videbitur de erroribus contingentibus circa motum.

Quæ percipiuntur à sensu sunt in triplici differentia. Quantum ad primum, notandum quòd illa, quæ percipiuntur à sensu, sunt in triplici differentia, quædam enim percipiuntur à sensu exteriori solo, sine adminiculo interiorum, vt luces, & colores, quantum ad *si est* percipiuntur solo visu. Alia sunt quæ percipiuntur à sensu exteriori mediante adiutorio memoriæ; sicut luces, & colores non percipiuntur à visu solo, quantum ad *quid est*: vnde de luce nullus iudicat per visum an sit lux Solis, vel ignis, nisi per memoriam lucis aliàs visæ, faciendo comparationem lucis, quam nunc videt ad luces, quas aliàs vidit. Alia sunt quæ percipiuntur à sensu exteriori mediante adiutorio sensus interioris, scilicet tam memoriæ, quàm imaginatiuæ ad discurrendum, & ratiocinādum; & sic percipitur situs, corporeitas, proportio vnius rei ad aliam rem, & quies, vt postea dicetur.

4. *Quid, sit percipere motum per sensum.* Secundò notandum, quòd percipere motum per visum, aut alium sensum, loquendo de motu locali, non est aliud, quàm percipere mobile in duobus sitibus diuersis successiuè, & in duobus instantibus diuersis, inter quæ cadit tempus sensibile medium: & dico in duobus sitibus diuersis, & non in duobus locis, propter motum circularem: quia quod mouetur circulariter, non mouetur de loco ad locum, sed mutat situm secundùm partes. Secundò dico, inter quæ cadit tempus sensibile medium; quia si tempus medium esset insensibile, tunc mobile non iudicaretur moueri: sed occupare totum spatium continuè, vt patet de baculo, cuius extremum est ignitum velociter circunductо.

Motus non potest percipi solo sensu exteriori. Ex isto sequitur, quòd motus non potest percipi solo sensu exteriori sine adiutorio memoriæ. Probatur, quia oportet recordari: quia mobile priùs fuit in alio situ. Secundò sequitur virtus distincta scilicet cogitatiua, vel imaginatiua, quæ distinguit inter situm in quo priùs fuit mobile, & inter situm in quo nunc est mobile. Tertiò sequitur, quòd oportet esse aliquod quiescens, vel aliquod motum diuerso motu, ad quod sensus comparet illud, quod iudicat moueri: & ideò si totus mundus moueretur motu recto, à nullo posset percipi ille motus, quia nihil esset respectu cuius posset fieri comparatio vnius ad alterum, scilicet moti ad quiescens, vel ad aliud alio modo motum.

Tertiò notādum de aliis motibus à motu locali qualiter percipiuntur: vnde alteratio, quæ est de vna qualitate ad aliam alterius speciei percipitur per hoc, quòd mobile priùs mouebat seipsum sub vna qualitate, & postea in alio tēpore sub alia, inter quæ tēpora cadit tempus sensibile medium: & dico hoc pro tanto: quia si tempus medium non est sensibile, non benè percipimus motum, vt patet de illuminatione, de qua propter insensibilitatem mensuræ nescimus, an fiat subitò, vel successiuè: sed intensio qualitatis percipitur per hoc, quòd mobile priùs mouetur intensiùs, & postea remissiùs sub eadem qualitate, & remissio per oppositum. Ex quo patet quòd in perceptione intensionis potest accidere error: Primò propter meliorem dispositionem organi. Secundò propter meliorationē dispositionis medij. Et Tertiò propter meliorem applicationem mobilis, quod videtur: quia in quolibet istorum trium casuum mobile apparebit intendi, nullâ tamen eius qualitate intensâ. Istos tamen errores expertus benè potest deprehendere. Item condensatio percipitur per hoc, quòd visibile terminat visum, quod primò non terminabat; & rarefactio per hoc, quòd per aliquod visibile tanquam per medium videtur aliud, quod priùs non poterat videri, & eodem modo percipitur diaphaneitas. 5. *Motus alij à motu locali, quomodo percipiantur à sensu.*

Nunc ponitur ista conclusio. Motus percipitur à sensu, & non solùm à visu, immò cum hoc ab aliis sensibus. Ista conclusio est per se nota, nec indiget probatione: & ideò dicit Aristoteles 1. huius, quòd in naturalibus oportet supponere omnia, aut quædam moueri. Item Commētator in 8. huius, comm. 22. dicit, quòd sermo dicens omnia quiescere est falsus, & repugnat experientiæ. Patet igitur, quòd motus percipitur à sensu, & per quod medium, & hoc de primo. 6. *Motus percipitur à sensu.*

Quantum ad secundum, vt videatur qualiter ad perceptionem motus requiritur memoria: notandum quòd motus est in triplici differentia, quidā enim est motus quo in quolibet tempore sensibili pertrāsitur ad spaciū sensibile; vt quando equus currit, & ad perceptionē talis motus non requiritur reseruatio memoriæ; sed sufficit reseruatio per phantasiam, aut per sensum exteriorem, si sensus exterior aliquo modo reseruat. Alter est motus, quo non in quolibet tēpore sensibili pertransitur spatiū sensibile, sed in quatuor, vel quinque temporibus sensibilibus pertransitur vnū spatiū sensibile, & ad perceptionem talis motus requiritur memoria ad reseruandū, quod mobile priùs fuit in alio situ, sicut patet de motu Solis. Vnde aspicientes ad Solem non statim percipiunt, quòd mouetur, nisi continuent visionem per tempus aliqualiter magnum. Sed alius est motus, quo in multis temporibus sensibilibus non pertransitur spatium sensibile: immò vix infra spacium vnius horæ pertransitur spacium sensibile, sicut est de motu octauæ sphæræ: & ad perceptionem talis motus non sufficit memoria, sed requiritur magna reseruatio, & obseruātia per libros, & sic patet qualiter ad diuersitatem motus in velocitate, *Motus est in triplici differentia.*

&

& tarditate diuersimodè requiritur virtus cognitiua ad percipiendum motum.

7\. Deinde de erroribus contingentibus notandum, quòd multiplex contingit error in perceptione motus. Primò propter nimiam velocitatem, & ideò tractus velocior apparet nobis quiescere.

Error multiplex contingit in perceptione motus.

Secundò propter nimiam distantiam: quia licèt motus sit sufficienter velox, vt percipiatur, tamen propter nimiam distantiam, aut elongationem non percipitur, vt de motu Solis.

Tertiò propter nimiam tarditatem: vt de motu octauæ sphæræ, & de motu augmenti, & decrementi in animalibus, & in plantis, qui propter nimiam tarditatem non percipitur in modico tempore.

Quartò propter paruitatem mobilis, & ideò atomi, qui mouentur in aëre, non percipiuntur moueri propter paruitatem.

Quintò propter imaginationem, vt equitanti iuxta murum propè, apparet murus moueri, eo quòd non cogitat de motu proprio.

Sextò propter hoc, quòd oculus simul mouetur cum illo quod mouetur, & ideò existens in naui non percipit nauem moueri.

8\. Septimò iudicatur aliquid quiescere, quod tamen mouetur, eo quòd videns, & visum consimili motu mouentur: verbi gratiâ, existenti in naui apparet alia nauis mota tanta velocitate quiescere, posito quòd non videat aliud quàm aliam nauem.

Octauò propter indispositionem organi quandoque accidit error in iudicando de motu.

Nonò propter motum speciei in oculo, & hoc de secundo.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd motus percipitur super partem spatij, super quam mobile est, tamen memoriâ quod priùs fuit alibi, & tamen æstimatione, quod postea erit alibi; & ideò potest concedi, quòd visus non percipit motum, saltem solus, sed mediante visu, memoriâ, & æstimatione, vel imaginatione percipit motum. Vel sub alio modo loquendi dicitur, quòd percipitur supra partem spatij, supra quam mobile est, dimittendo partem spatij, supra quam priùs fuerat, & acquirendo partem, super quam postea erit.

Ad secundam, conceditur maior, & negatur minor: quia per visum percipimus, quòd nunc est in hoc loco, & per memoriam recordamur, quòd priùs fuit in alio loco.

9\. Ad tertiam dico, quòd maior debet intelligi, quòd omne quod videtur est lux, vt color, aut videtur per lucem, vel colorem.

Ad quartam, concedo modo dicto, quòd mediante visu habeo certam cognitionem de qualibet parte illius copulatiuæ, scilicet per visum mediantibus aliis virtutibus interioribus.

Ad quintam, quia omnis visio fit in instanti, &c. Negatur consequentia, quia supposito visionem fieri subitò, tamen continuatur successiuè: propter quam continuationem successiuam potest percipere motum.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd necessariò si mouetur, mouebitur: & quando dicitur de agente voluntario dico, quòd non obstante, quòd agens sit voluntarium, necessariò si ipsum mouetur, mouebitur.

Quæstio [illegible]

Vtrum in alter[illegible] subito tota forma[illegible] post partem[illegible]

Auerroës 3. *Phys. com* 4. Gotf[illegible] 3. *Phys. tract.* 3. *cap.* 4 & 5. D. [illegible] 2. D Bon. *in* 1. *dist.* 17. *quæst* 2. [illegible] briel, Capreolus, & Gregorius *ibid. quæst* [illegible] *quæst.* 6. Conimbric. *cap.* 2. *quæst.* 2. *&* [illegible] *quæst* 2. Complutens. *disp.* 16. *quæst* 2. [illegible] *quæst.* 2. Faber *Theorem.* 40.

ARGVITVR primò, quòd tota [illegible] quia vel proueniret successio propter partes quantitatiuas subiecti, vel propter partes formæ graduales: non primo modo, quia alteratio luminis fit subitò, vt patet 1. *de Anima*, text. 70. Item contingit aliquod totum simul alterari, & non dimidium priùs, vt tota aqua congelatur, vt patet lib. de Sensu, & sensato. Nec secundo modo: quia cùm illæ partes sint eiusdem rationis, quâ ratione vna produceretur, eâdem ratione alia: ideò vel omnes simul producerentur, & habetur propositum; vel nulla produceretur, quod est contra experientiam.

Secundò: quia vel illæ partes formæ essent eiusdem rationis, vel diuersarum rationum, quia solius substantiæ compositæ est proprium habere partes diuersarum rationum. Nec eiusdem rationis, quia omnis multitudo est rerum differentiarum secundùm speciem, vel secundùm quantitatem, vt dicit Commentator primo huius, comm. 13. modò illæ partes formæ non differunt secundùm quantitatem, quòd patet ex duobus: Primò, quia plures gradus formæ sunt simul in eadem. Secundò, quia multæ sunt qualitates in subiectis indiuisibilibus, vt patet de actibus animæ, qui sunt in intellectu.

Tertiò sequeretur, quòd quodlibet alterans aliquod passum, esset infinitæ virtutis intensiuæ; consequens est falsum, 3. huius, text. 37. Consequentia tenet, quia omnis effectus, scilicet qualitas producta, esset infinitè intensa: quia in qualibet parte temporis, secundùm quòd est successio in alteratione, produceretur aliquis gradus qualitatis; & cùm sint infinitæ partes temporis, sequitur, quòd in fine horæ essent infinitæ qualitates productæ, & per consequens illa qualitas esset infinita, præcipuè cùm in parte posteriori temporis plus acquiritur de qualitate: verbi gratiâ, de caliditate, quàm in priori, cùm in parte posteriori minor sit resistentia in passo. 2.

Quartò, forma gradualis, vt caliditas, non deperditur successiuè: igitur non acquiritur successiuè. Tenet consequentia, quia idem est modus acquisitionis, & deperditionis. Probatur antecedens, quia ex quo quilibet gradus caliditatis est æquè præsens, & æquè approximatus corrumpenti, quâ ratione corrumperetur vnus gradus, eâdem ratione alter: igitur vel nullus corrumpetur, vel omnes simul, & habetur propositum.

Quintò sequeretur, quòd alteratio non esset vnus motus, consequens est falsum, vt patet 5. huius. Probatur consequentia, quia ad vnitatem motus requiritur vnitas termini *ad quem*, vt patet ibidem; modò in alteratione non est vnus terminus, immò continuè alter, & alter, scilicet alia, & alia

alia pars formæ: igitur continuè est alia, & alia operatio, & per consequens alteratio non est verus motus.

3. Sextò. Nullum indiuisibile acquiritur successiuè; sed omnis forma est indiuisibilis, vt patet per definitionem formæ, scilicet, quòd *forma est compositioni contingens simplici, & inuariabili essentia consistens*, vt patet in lib. 6. Principiorum.

Septimò, de qualitatibus non habentibus contrarium. Vnde non apparet, vnde in generationibus huiusmodi qualitatum proueniat successio.

Oppositum arguitur per Commentatorem 3. huius, comm. 4. & 3. Physic. 4. & 5 48. vbi ponit, quòd motus est acquisitio partis post partem eius perfectionis ad quem mobile tendit, donec perficiatur; & sic in actu, quam definitionem intelligit de motu alterationis acquisitiuo.

Secundò, nisi fieret successio in alteratione secundùm partes formæ, sequeretur, quòd alteratio non esset verus motus, quod est falsum; vt patet. Et patet consequentia, quia de ratione veri motus est, quòd fiat successiuè de affirmato in affirmatum in subiecto in actu.

4. Tertiò, sicut est in motu locali, & augmentationis; ita videtur esse in motu alterationis: sed tam motus localis, quàm augmentationis fiunt successiuè, ergo, &c.

Quartò aliter sequeretur, quòd agens in alteratione esset infinitæ virtutis; quia ageret in infinitum modica mensura; modò agens in mensura diuisibili, est aliquantæ virtutis, & agens, in minori mensura, est maioris virtutis: igitur quæ est proportio mensuræ ad mensuram, est proportio agentis ad agens.

Notandum, quòd quædam sunt qualitates habentes contrarium, vt caliditas, frigiditas, & consimiles: aliæ sunt quæ non habent contrarium, vt lumen, species coloris, & aliqui actus animæ.

In alteratione ex tribus prouenire potest successio. Secundò notandum, quòd in alteratione tripliciter potest prouenire successio; vno modo quantum ad partes quantitatiuas subiecti; vt ignis successiuè calefacit lignum, primò partem propinquiorem; secundò remotiorem. Secundò prouenit successio ex parte graduum formæ; vt ignis calefaciens lignum, primò introducit caliditatem remissam; postea intensam, & hoc in eandem partem ligni. Tertiò prouenit successio vtroque modo: vt quando agens non est sufficienter approximatum ad omnes partes passi: tunc primò calefacit partem propinquam, deinde remotam. Item partem propinquam primò alterat remissiùs, postea intensiùs.

5. Tertiò notandum, quòd aliqui posuerunt, quòd gradus formæ distinguitur à forma; ita vt gradus caliditatis non est caliditas. Tunc dixerunt, quòd forma, verbigratiâ, caliditas acquiritur subitò tota simul, quantum ad suam essentiam. Quod probant per aliquas rationes antè oppositum: sed tamen forma acquiritur successiuè, quantum ad gradus formæ. Sed istud non valet: quia gradus caliditatis non est aliud, quàm pars integralis caliditatis, & ideò quilibet gradus caliditatis est caliditas. Item ille gradus, qui ponitur acquiri successiuè, est quædam forma; igitur de illo gradu adhuc staret dubitatio, vtrùm quantum ad suam essentiam acquireretur subitò, vel successiuè, & tunc vel procederetur in infinitum, vel aliqua forma quantum ad suam essentiam acquireretur successiuè, quod est propositum.

Totum potest intelligi diuidi dupliciter. Quartò notandum, quòd quando Aristoteles dicit quòd contingit aliquod totum simul alterari, quòd totum potest imaginari diuidi dupliciter: vno modo in partes, quarum quælibet non est æquè præsens alteranti; sed vna propinquior, & alia remotior; & sic non contingit totum alterari simul quo ad tales partes: immò de necessitate successiuè. Alio modo quo ad partes quarum neutra est remotior, vel propinquior ab agente; verbi gratiâ, si imaginetur diuidi secundùm superficiem alteranti applicatam; & sic contingit aliquod totum simul alterari.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio: In alteratione ad qualitatem, quæ non habet contrarium, est successio secundùm partes quantitatiuas subiecti. Probatur, quia omnis talis alteratio, aut fit per nouam generationem agentis, vel passi, aut vtriusque, vel per applicationem alterius eorum, aut vtriusque, vel per remotionem obstaculi; sed necesse est quolibet istorum modorum fieri successiuè; ergo, &c. Et ista cõclusio potest similiter poni de qualitatibus habẽtibus contrarium: sed pono eam de non habentibus, quia de eis minùs videtur, quòd in illis fiat successio. Sed obiicitur de lumine, posito quòd sit vnum luminosum quadratæ figuræ, cui sic obstaculum corpus opacum quadratum maius, & moueatur luminosum versùs extremum opaci: tunc capio primum instans, in quo superficies luminosi, & superficies opaci sunt æqualiter cõiunctæ. Tunc arguitur immediatè post hoc; aliqua pars luminosi est præsens toti superficiei corporis opaci; igitur tota illa superficies est subitò illuminata. Respondetur negando consequentiam; quia ante quamcumque partem luminosi præsentem illi superficiei, priùs erat vna pars minor præsens, quæ ad minorem distantiam sufficiebat illuminare, & ante illam adhuc vna minor, & sic in infinitum; igitur ante quamcumque partem illius superficiei illuminatam, priùs erat alia pars illuminata. 6. *In alteratione ad qualitatem non habentem contrarium est successio secundùm partes quantitatiuas subiecti.*

7. Secundò dubitatur, vtrùm possibile esset, quòd fieret alteratio sine tali successione. Respondetur quòd non naturaliter, tamen conditionaliter, si aliquod luminosum esset subitò præsentatum medio sufficienter disposito ad susceptionem sui luminis, subitò illuminaret illud medium. Et illud idem potest probabiliter sustineri de igne; quòd si ignis esset subitò approximatus alicui passo, in quod sufficeret agere, in primo instanti ageret ad tantam distantiam, ad quantam vnquam postea, licèt non æquè intensè, supposito, quòd agens intendatur, aut passum meliùs disponatur, nec quòd aliunde fiat agenti auxilium. Et si contrarium appareat, vel oppositum, hoc est eo, quòd actio agentis est remissior in remoto, quàm in propinquo.

In alteratione ad qualitatem non habentẽ contrarium non est successio secundũ gradus formæ. Secunda conclusio. In alteratione ad qualitatem non habentem contrarium, non est successio secundùm gradus formæ. Probatur per experientiam, supposito quòd aliquod susceptiuum luminis, vt pura crystallum, apponatur radiis Solis, videmus, quòd in principio applicationis efficitur ita luminosum, sicut vnquam postea. Et debet conclusio intelligi de agente, & passo eodem modo se habentibus, ita vt non fiat melior applicatio, nec vnum in virtute augeatur, nec aliud in dispositione melioretur.

Secun

Secundò, quia ſi agens non producat in principio tantum, quantum poteſt quâ ratione eſt per vnum tempus, eâdem ratione per infinitum tempus; cùm uon habet reſiſtentiam, nec impedimentum.

8. Tertia concluſio. In alteratione ad qualitatem habeﬅtem contrarium, eſt ſucceſſio ſecundùm gradus formæ. Probatur per experientiam. Vnde aqua approximata igni calefit remiſſiuè: deinde eius caliditas continuè intenditur: nec valet dicere, quòd priùs per magnum tempus abiiciatur contrarium, & poſtea ſubitò inducitur caliditas, ad quam eſt alteratio, quia in nobis experimur oppoſitum. Nam primò ſumus calidi, poſtea non ſolùm per abiectionem præſtinæ caliditatis, immò per nouæ frigiditatis inductionem, cuius ſignum eſt, quòd efficit frigiditatem. Patet igitur, quòd in alteratione eſt ſucceſſio ſecundùm gradus formæ.

In alteratione ad qualitatem habentem contrarium, eſt ſucceſſio ſecundùm gradus formæ.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd neutro modo: quia in babentibus contrarium eſt ſucceſſio ſecundùm gradus formæ, & etiam ſecundùm partes quantitatiuas ſubiecti: ſed in non habentibus contrarium uon eſt ſucceſſio niſi ſecundùm partes quantitatiuas ſubiecti. Ad probationem de aqua dictum eſt in quarto notabili. De lumine Ariſtoteles intelligit quòd ſi luminoſum eſſet ſubitò præſentatum medio, ſubitò cauſaret lumen. Ad probationem de gradibus formæ dicitur vno modo, quòd agens naturale magis determinat ad productionem vnius gradus, quàm ad productionem alterius. Aliter dicitur, quòd licet ſit ex intentione agentis producere caliditatem; tamen connaturale eſt, quòd vnus gradus primò producatur, quàm alter.

9. Ad ſecundam dico, quòd illæ partes ſunt eiuſdem rationis. Ad probationem dico, quòd licèt non differant quantitate extenſionis, tamen benè differunt quantitate intenſionis.

Ad tertiam, negatur conſequentia, quia aliqua qualitas, vel pars qualitatis producetur ſubitò.

Ad quartam, negatur antecedens. Ad probationem dico, quòd licèt illæ partes ſint ſimul, tamen eſt [b] ibi ordo; ita vt ille gradus primò generatus vltimò corrumpitur. Et de cauſa imaginantur aliqui, quòd gradus primò introductus maiorem habet fixionem in materia, & hoc propter maiorem appetitum materiæ, quando materia omnino caruit, quàm quando habuit partem formæ. Tamen dicitur aliter, quòd determinatio ad corruptionem vnius gradus priùs quàm ad corruptionem alterius, eſt ab agente vniuerſali.

Ad quintam, negatur conſequentia: quia licèt continuè acquiratur alia, & alia caliditas; tamen quia ex omnibus illis fit [c] vna caliditas, ſicut ex partibus totum, propter hoc motus eſt vnus, & ad vnum terminum.

Ad ſextam, conceditur maior, ſi ſit ſimpliciter indiuiſibile, tam intenſiuè, quàm extenſiuè; & negatur minor. Ad probationem: Author intelligit, quòd forma [d] eſt ſimplex, & indiuiſibilis per priuationem compoſitionis ex partibus diuerſarum rationum. Ad aliam dictum eſt.

ANNOTATIONES.

10. [a] VTrum in alteratione qualitas acquiratur ſubitò, &c. Nota, quòd quæſtio eſt, an alteratio ſit motus continuus, quæ poteſt habere triplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, vtrùm alteratio ſit motus continuus, & perpetuus, vt motus cœlorum; & de hoc non eſt quæſtio. Secundus ſenſus eſt, vtrùm alteratio ſit continua, id eſt, abſque vlla interpolatione in toto tempore, quo mobile alteratur, neque etiam de hoc quæritur: nam certum eſt, quòd propter aliquod impedimentum mobile non ſic ſemper alteratur. Tertius ſenſus eſt, vtrùm alteratio ſit continuè ſucceſſiua, ſaltem pro illo tempore quo durat; ita vt mobile ſucceſſiuè, id eſt, per partem poſt partem acquirat formam, ad quam mouetur: & in hoc ſenſu excitatur quæſtio, & habet difficultatem.

Secundò nota, quòd Gotfredus, quodl. 7. quæſt. 7. tenet in augmentatione formæ non dari gradus, ſed forma tota ſimul acquiritur, cuius oppoſitum ſentit Scotus hîc, & in 1. diſt. 17. Pro cuius intelligentia obſerua, quòd gradus eſt portio perfectionabilis formæ ſpecificæ extra conceptum quiditatiuum eius, ipſam formam ſpecificam intra ſuum conceptum quiditatiuum includens, & incluſus realiter intra conceptum indiuidui. Nam forma ſpecifica bifariam conſiderari poteſt; vno modo eſſentialiter, & quiditatiuè tantùm. Altero modo materialiter, id eſt, ſecundùm eſſe, quod habet in ſuis inferioribus, ſeu indiuiduis. Priori modo forma ſpecifica conſiſtit in indiuiſibili, at poſteriori modo, ſcilicet materialiter habet latitudinem graduum. Dicitur autem quòd gradus includit formam ſpecificam in ſuo conceptu quiditatiuo, quia caliditas decem graduum eſt caliditas formaliter, & quiditatiuè, quia quælibet talis cuiuſcumque gradus includit formaliter, & quiditatiuè caliditatem, licèt caliditas non includat quiditatiuè decem gradus. Dicitur item, quòd ipſa realiter includitur in conceptu indiuidui, ſumendo indiuiduum per accidens, id eſt, pro aggregato ex natura, differentia indiuiduali, & gradu: quia caliditas decem graduum eſt realiter albedo.

Forma ſpecifica bifariam conſiderari poteſt.

11. [b] *Tamen eſt ibi ordo.* Nota quòd inter iſtos gradus nullus eſt ordo eſſentialis, ſed tantùm accidentalis, ſicut, & inter partes lineæ. Vnde ſicut prima pars lineæ poſſet eſſe vltima, ita primus gradus poſſet eſſe medius, & vltimus: quare inter iſtos gradus ſimpliciter non eſt ordo, ſed ſolùm habent ordinem quatenus induunt modum numeri: qui tamen modus non eſt ibi ex natura rei, ſed ad placitum; ſignare enim huiuſmodi gradus eſt ad placitum.

Inter gradus formæ non eſt ordo eſſentialis.

[c] *Ex omnibus illis fit vna caliditas.* Nota, quòd in forma habente plures gradus duplex eſt vnitas prima eſt vnitas indiuiſionis. Secunda eſt vnitas compoſitionis: nam omnis forma componitur ex ſuis gradibus, licèt non ſit talis compoſitio, qualis eſt inter ens in actu, & ens in potentia: eſt ibi etiam vnitas continuationis non extenſiuè, ſed intenſiuè. Et ſi dicatur; ergo aliqua forma erit diuiſibilis ſeclusâ quantitate. Dicas, quòd eſt diuiſibilis ſeclusâ quantitate intenſiuè, non extenſiuè.

Forma habens plures gradus eſt duplex vnitas.

[d] *Forma eſt ſimplex, & indiuiſibilis, &c.* Nota quòd compoſitio eſt multiplex: quædam ex partibus eſſentialibus, puta ex materia, & forma; quædam ex partibus quantitatiuis, vel integralibus, quædam ex ſubiecto, & accidente, quædam ex gradibus eiuſdem formæ. Exemplum primæ, vt homo, ignis. Exemplum ſecundæ, linea corpus. Exemplum tertiæ, lignum album. Exemplum

Compoſitio eſt multiplex.

plum quartæ, albedo intensa: & quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot & reliquum
Simplex est quadruplex. ex 1. Topicorum. Ideò simplex potest accipi quadrupliciter per oppositum ad prædictos modos. Est ergo forma simplex simplicitate opposità compositioni essentiali, quia non componitur ex materia & forma. Item est simplex simplicitate opposità compositioni quantitatiuæ; si sit sermo de forma, quæ est de genere Qualitatis; secus est de Quantitate.

11. Est etiam omnis forma simplex simplicitate opposità compositiuni ex subiecto, & accidente. Non est tamen omnis forma simplex simplicitate opposità compositioni ex gradibus: quia multæ formæ intenduntur, & remittuntur, quod fit secundùm gradum eiusdem formæ. Intentio ergo Authoris est formam esse simplicem simplicitate tantùm opposità compositioni essentiali, & ex subiecto, & accidente. In aliqua enim forma sunt partes quantitatiuæ, in aliqua etiam forma sunt diuersi gradus perfectionis, & virtutis, quæ compositio non repugnat simplicitati in essentia formæ.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm in intensione formæ pars priùs acquisita maneat cum parte secundò acquisita?

Vide Doctores citatos *in quæst. antecedenti.* Anton. Andr. 8. *Metaph. quæst.* 6. Tolet. 1. *de generat. cap.* 3. *quæst.* 4. Fonseca 5 *Metaph. cap.* 10. *q* 1. Suarez *tom.* 2. *disp.* 46. *sect.* 1. & 3. Ruuius 1. *de generat. cap.* 4 *tract* 3. *quæst.* 5. Lorca 2. 2. *quæst.* 24. *art* 5. Vasqoez 1. 2. *disp.* 82. *cap.* 3. & 4. Granado *ibid. controu.* 4. *disp.* 19. *num.* 1. Caietan. 3. *par. quæst* 7. *art.* 12. & 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 4. *ad* 3. & 1. 2. *quæst.* 52. *artic.* 2.

1. ARGVITVR quòd non: primò quia si illæ partes manerent simul, hoc esset pro tanto, quòd per huiusmodi additionem gradus ad gradum fieret intensio formæ; modò consequens est falsum, quia velocitas descensus grauis continuè intenditur, & tamen nulla pars velocitatis priùs acquisita manet cum aliqua parte, quæ secundò acquiritur.

Secundò, quia per appropinquationem Solis ad meridianum radius lucis intrant domum per fenestram continuè intenditur, vt patet ad experientiam, & tamen nullus gradus lucis priùs acquisitus manet cum aliquo gradu, qui secundò acquiritur præcisè, posito quòd totus aër existens in domo continuè ingrediatur ab vna parte, & expellatur per ventum ab alia parte: tunc si aliquod lumen priùs acquisitum maneret cum aliquo, quod secundò acquiritur, iam illud lumen, vel cucurrisset cum aëre extra dominium Solis, quod est impossibile; vel dimitteret aërem, in quo priùs fuit, ingrediendo alium aërem, quod non potest fieri: quia accidens non potest migrare de subiecto in subiectum.

2. Tertiò, quia si qualitas intenditur per additionem gradus ad gradum, vtroque remanente simul; tunc vel pars priùs acquisita intenderetur, vel pars qualitatis superuenieus, aut aggregatum ex illo quod præerat, & ex superaddito: non qualitas præexistens, quia illa nunquam est maior, quàm sit de facto, verbi gratià, linea pedalis non efficitur maior per additionem alterius lineæ pedalis, quia adhuc remanet pedalis sicut antè; ita similiter qualitas præexistens, si priùs fuerat trium graduum, semper erit trium graduum; & tamen illud quod intenditur, debet esse primò minus, & postea maius. Nec pars sequens, nec etiam aggregatum; quia quod intenditur priùs erat remissius, & tamen nec aggregatum, nec pars sequens erat remissius, quia neutrum priùs erat.

Quartò, sequeretur quòd quodlibet intensè calidum esset intensè calidum, & etiam remissè calidum: consequens est impossibile, quia idem non est simul intensum, & remissum in eadem qualitate. Consequentia tenet, quia per te, habens caliditatem intensam: habet etiam medietatem illius, diuidendo non per extensionem, sed per intensionem, quarum quælibet sufficit denominare subiectum: igitur ab vna denominabitur intensè calidum, & ab alia remissè calidum, & habetur propositum.

Quintò, sequeretur quòd quælibet caliditas, quantumcumque remissa, posset producere caliditatem infinitam intensiuè, vel saltem caliditatem summam: consequens est falsum propter duo: primò, quia nihil agit vltra gradum proprium. Secundò, quia agens naturale finaliter agit ad assimilandum sibi passum; & per consequens cùm passum fuerit sibi assimilatum, cessabit agere. Probatur consequentia; quia caliditas quantumcunque remissa, sufficit aliquem gradum frigiditatis expellere, & aliquem caliditatis inducere; igitur cùm aliter gradus caliditatis sibi æqualis sit eiusdem rationis cum illo, quâ ratione potuit primum producere, eâdem ratione secundum. Et sicut arguitur de secundo, ita de tertio, & quarto, & sic in infinitum; igitur cùm caliditas infinita, si esset, resultaret ea huiusmodi infinitis gradibus, sequitur quòd illa caliditas remissa potest producere caliditatem simpliciter infinitam. 3.

Sextò, quòd lumen productum in medio esset infinitum intensiuè. Probatur consequentia supponendo duo: primò, quòd generatio luminis sit instantanea, sicut patet 2. *de Anima* s. *text.* 70. quòd per approximationem luminosi ad medium susceptiuum luminis intendatur lumen, vt patet ad experientiam. Tunc arguitur sic; in primo instanti, quo luminosum est approximatum susceptiuo luminis sufficienter disposito, luminosum producit lumen certæ intensionis. & in quolibet instanti temporis sequentis, est æque potens, vel potentius, quia magis approximatum ad producendum lumen, quàm in primo: igitur cùm in illo tempore sint partes, vel instantia infinita, sequitur quòd in illo tempore producit lumina infinita, quorum quodlibet est æquè intensum, vel intensius lumine priùs dato. Tunc igitur vel lumen primò acquisitum manet cum illo quod secundò acquiritur, vel non; si sic, habetur consequens: scilicet, quòd lumen illud productum est infinitum intensiuè: quia ex infinitis æqualibus resultat infinitum. Si non, tunc sequitur, quòd intensio qualitatis non fiat per additionem gradus ad gradum vtroque manente simul, & habetur propositum. 4.

Septimò sequeretur, quòd aliqua qualitas, vt albedo, esset in infinitum perfecta; consequens est falsum; & probatur consequentia supponendo, quòd quælibet albedo sit perfectior nigredine.

dine. Quod patet, quia impossibile est duas species esse æquè perfectas essentialiter; ideò de necessitate vna excedit aliam, vel exceditur ab alia: modò albedo excedit nigredinem, quia habet se per motum habitus, & nigredo per modum priuationis, vt patet lib. de Sensu, & Sensato, & 2. *Meteororum*. Tunc arguitur, albedo est in duplo perfectior sua medietate, in triplo perfectior sua tertia parte, & sic in infinitum; sed medietas albedinis est perfectior nigredine, & tertia pars albedinis est perfectior nigredine, & sic in infinitum perfectior nigredine, & per consequens albedo est in infinitum perfecta.

5. Octauò sequeretur, quòd in alteratione de summa frigiditate ad summam caliditatem alterans esset infinitæ virtutis intensiuæ. Consequens est falsú: quia nullus ignis est infinitæ virtutis. Probatur consequentia, quia si fiat alteratio in aliquo tempore de summè frigida ad summè calidum; tũc in prima medietate tẽporis deperdita est medietas resistentiæ; scilicet medietas frigiditatis: igitur in alia parte proportionali ignis alterans habet in duplo maiorem proportionem supe resistentiam passi, quàm habuit in prima: igitur si secunda pars proportionalis esset æqualis primæ, corrumperetur duplum de resistentia in secunda ad hoc, quod corrumpebat de prima, & cum hoc duplum de caliditate induceretur; igitur cùm de facto secunda pars proportionalis horæ sit præcisè subdupla ad primam præcisè tantùm producit in secunda sicut in prima; & ita argueretur, quòd in tertia tantùm corrumpet de contrario, quantum in secunda, & tantum induceret de caliditate, quantum in secunda: & sic in infinitum: igitur cùm illius horæ sint infinitæ partes proportionales, in quarum qualibet tantùm inducitur de caliditate, quantum in prima parte horæ inducebatur. Sequitur quòd in fine erit caliditas infinita, & per consequens agens in illa alteratione causaret infinitum, quod erat consequens.

Nonò. Quia in remissione qualitatis non corrumpitur vnus gradus aliis manentibus; igitur in intensione qualitatis cum gradu secundò acquisito non manet gradus primò acquisitus. Tenet consequentia, quia idem est modus intensionis, & remissionis. Probatur antecedens, quia in remissione qualitatis omnes partes secundùm intensionem sunt æqualiter approximatæ agenti: igitur quà ratione agens corrumpit vnum illorum graduum, eàdem ratione alium, & per consequens vel simul corrumpit omnes, vel nullum.

6. Decimò. Termini motus alterationis non possunt stare simul: igitur conclusio falsa. Tenet consequentia, & antecedens probatur, quia impossibile est, quòd idem sit simul summè calidum, & summè frigidum.

Vndecimò. Quia sicut est de motu locali, ita videtur de motu alterationis; sed in motu locali pars primò acquisita non manet cum parte secundò acquisita: quia impossibile est, quòd mobile simul sit in duobus locis: ergo, &c.

Duodecimò. Quia vel illi gradus manerent distincti, vel indistincti: non indistincti, quia illa sunt distincta, quæ sunt simul, & vnum priùs fuit, quàm reliquum, & quorum vnum corrumpitur priùs quàm reliquum corrumpatur. Nec distincti, quia vel specie, vel numero; non specie, quia in calefactione gradus primò acquisitus est caliditas, & etiam gradus secundò acquisitus est caliditas: modò omnis caliditas omni caliditati est eiusdem speciei specialissimæ; non numero propter duas authoritates 5. *Metaph. text.* 25. Vna est, quòd illa sunt vnum numero, quorum materia est vna; modò illorum graduum materia est vna. Secunda authoritas: Quæcumque in eodem subiecto differentiam habent, differunt secundùm speciem: modò illi gradus sunt in eodem subiecto, & per te habent differentiam; igitur differunt secundùm speciem.

Oppositum arguitur per experientiam; quia videmus quòd ex aggregatione luminis ad lumen, lumen redditur intensius, vt si duæ candelæ ponantur simul. Secundò, nisi intensione qualitatis primus gradus maneret cum secundo, sequeretur quòd qualitas symbola non remaneret eadem in generato, & corrupto; consequens est falsum, vt patet *secundo de Generatione*, *text.* 25. Probatur consequentia, quia si aër debet fieri ignis, tunc caliditas aëris continuè intenditur, & tunc in illa intensione, vel gradus præcedens manet cum sequenti, & habeo propositum: vel corrumpitur in aduentu sequentis, & habetur consequens. 7.

Opinio quadruplex de intensione formarum.

Notandum, quòd de ista quæstione sunt quatuor viæ respondendi. Prima via est, quòd intensio [a] qualitatis fit solùm per deputationem à contrario; verbi gratiâ, si ignis agat in aquam, caliditas in aqua non intenditur per additionem caliditatis ad caliditatem, sed per corruptionem frigiditatis apparet caliditas intensior, quàm priùs fuit. Et sic dicentes ponunt, quòd quilibet gradus alicuius qualitatis est summus; sed tamen apparet remissus propter commixtionem contrarij. Et probatur vnica ratione: quia si in aliquo subiecto sit tantum præcisè de caliditate, quantum de frigiditate; illud non diceretur calidum, neque frigidum; sed si remitteretur vnus gradus frigiditatis, supposito quòd nulla caliditas introducatur, illud subiectum esset calidum; igitur caliditas intenditur ibi non per additionem alicuius gradus caliditatis, sed per remotionem frigiditatis. Secundò per Aristotelem, qui ponit quòd albius est, quod est nigro impermixtius. Tertiò, *Topicorum tertio*, *cap.* 4. quia remissio vnius contrarij fit per alterius intensionem.

Secunda via est, quòd intensio qualitatis fit per additionem maioris gradus, [b] & tamen in aduentu illius maioris tota præcedens corrumpitur, & pro ista via sunt omnes rationes ante oppositum. 8.

Tertia via est, quòd intensio fit [c] per additionem gradus ad gradum vtroque gradu remanente simul, & ista probabitur per conclusiones.

Quarta via est (quæ non differt à præcedenti, nisi in modo loquendi) quòd nulla [d] qualitas intenditur, vel remittitur secundùm formam; dicitur tamen intendi, vel remitti secundùm qualitatem, & hoc propter vnam rationem ante oppositum: quia vel gradus præcedens intenditur, vel sequens, vel aggregatum.

Qualitates sunt duplices.

Secundò notandum, quòd duplices sunt qualitates; quædam quæ dependent in *fieri*, & in *conseruari* ab agentibus, non simpliciter loquendo, sed ab agentibus sic, vel sic se habentibus; vt lumen, & species coloris. Aliæ sunt quæ dependent ab agentibus in *fieri*, & non *conseruari*, vt frigiditas, caliditas, & huiusmodi qualitates habentes contrarium. Modò in conclusionibus sequenti

quentibus ſolùm intelligam de qualitatibus, quæ non dependent à ſuis agentibus in *conſeruari*: ideò de intenſione aliarum qualitatum.

9. *Lumen multis modis poteſt intendi.*

Notandum tertiò, quòd lumen poteſt intendi quolibet diuerſorum modorum. Primò, per augmentationem virtutis agentis, medio ſuſceptiuo, & agente quieſcentibus; & tunc dico, quòd intenſio luminis fit per additionem gradus ad gradum, vtroque manente ſimul, vt poſtea probabitur de aliis qualitatibus; ita vt tunc non ſit differentia, quo ad hoc, inter lumen, & alias qualitates; & ſic lumen primò poteſt intendi iſto modo.

Secundò intenditur lumen per approximationem luminoſi, medio quieſcente.

Tertiò per applicationem medij ſuſceptiui medio quieſcente.

Quartò per motum vtriuſque, ſcilicet tam medij, quàm luminoſi; & quolibet iſtorum trium modorum intenditur lumen, nullo gradu lucis priùs acquiſito manente, cum aliquo qui ſecundò acquiritur.

10. Quintò, intenditur lumen per reflexionem, vt quando radius reuerberatur à ſpeculo, in aëre propinquo ſpeculo eſt lumen intenſius, quàm ſi non fuiſſet ſpeculum reflectens.

Sextò, per aggregationem luminoſorum ad inuicem, vt lumen intenſius redditur quando cauſatur à duobus luminoſis, quàm ſi ab altero illorum tantùm, cæteris paribus, ſcilicet quòd conſideretur æqualis diſtantia.

Et in iſtis caſibus dico, quòd ſi luminoſum, & medium quieſcant, lumen redditur intenſius per hoc, quòd primus gradus manet cum ſecundo: ſed ſi non quieſcant, tunc lumen ſecundum productum ſemper eſt diuerſum omnino ab illo, quod primò producebatur.

Contra tamen iſtos duos modos vltimos allegant Perſpectiui vnam experientiam: quia ſi à duabus partibus vnius foraminis ponantur duæ candelæ, & tunc vltimum foramen à reliqua parte ponatur, reflectens lumen vnius candelæ reflecteret ad vnam partem, & lumen alterius ad aliam, quod non eſſet, niſi lumina cauſata ab iſtis candelis tranſiſſent diſtincta in foramine medio; & per conſequens vnum illorum non intendebat reliquum, ſed ſolùm erat aggregatio duorum luminum ad inuicem.

11. Reſpondetur, quòd iſta experientia non probat, quòd vnum lumen non intendatur per reliquum; ſed probat quòd lumen non poteſt multiplicari niſi in directo [e] corporis luminoſi.

Nunc ponuntur concluſiones. Prima concluſio. Intenſio in qualitatibus primis, & ſecundis conſequentibus primas, non fit præcisè per depurationem à contrario. Probatur, quia ſi ſic eſſet, ſequeretur quòd ſumma caliditas, & ſumma frigiditas poſſent ſtare ſimul. Conſequens eſt falſum: quia ad ſummam caliditatem conſequitur ignis, & ad ſummam frigiditatem aqua, & ſic idem eſſet ignis, & aqua. Conſequentia probatur, & fiat ex ſummè frigido ſummè calidum; tunc in iſta calefactione, vel producitur aliqua caliditas de nouo, vel nulla; ſic quòd ſolùm remouetur frigiditas: ſi aliqua, igitur intenſio qualitatis non fit per ſolam remotionem frigiditatis, ſed per additionem caliditatis ad caliditatem. Si nulla caliditas acquiratur, ſed ſolùm remouatur frigiditas, tunc cùm in fine eſſet ſumma caliditas, ſequeretur quòd illa fuit cum ſumma frigiditate, quæ erat in principio. Tunc ad rationem, quæ erat contra hoc; ſi eſſet aliquod æqualiter habens de caliditate, & frigiditate; dico quòd illud nec eſſet calidum, nec frigidum; & ſi per aliquam potentiam remoueretur vnus gradus frigiditatis, ſine hoc quòd induceretur aliquis caliditatis, quod fortè non eſt poſſibile, de quo videbitur in ſequenti quæſtione; attamen hoc conceſſo, dico quòd caliditas non intenderetur, ſed intenderetur denominatio ſecundùm caliditatem.

Secunda concluſio. In intenſione qualitatis pars priùs acquiſita manet cum parte, quæ poſteriùs acquiritur, ita vt in alteratione ad ſummam caliditatem, ſumma caliditas, quæ manet in termino motus, eſt integra ex omnibus caliditatibus particularibus, quæ erant acquiſitæ tempore alterationis à principio, vſque ad finem. Probatur, quia niſi ita eſſet, ſequeretur quòd ſumma caliditas ſecundùm ſe, & quamlibet partem ſui corrumperetur ſubitò tota ſimul. Conſequens eſt impoſſibile pro tanto, quia ſumma caliditas eſt aliquantæ virtutis ad reſiſtendum contrario corrumpenti: igitur à nullo finito poteſt ſubitò corrumpi. Probatur conſequentia, & fiat alteratio de ſummè calido ad ſummum frigidum. Tunc in principio alterationis eſt ſumma caliditas, & immediatè pòſt non eſt ſumma caliditas. Tunc immediatè pòſt, vel aliquid ipſius eſt, vel non. Si non, habetur conſequens; ſi ſic, igitur in remiſſione caliditatis, remiſſo vno gradu manet adhuc reſiduum; & per conſequens in intenſione, acquiſito vno gradu, manet ille, qui præerat. 12.

Secundò, ſequeretur quòd ſumma caliditas ſecundùm quam mobile quieſcit in termino alterationis, fuiſſet tota acquiſita ſubitò; conſequens eſt falſum, & conſequentia patet de ſe.

Tertiò, quia ſi gradus primò acquiſitus corrumpitur in aduentu ſecundi. Tunc quæro à quo corrumpitur: non ab alterante, quia alterans produxit primum gradum; igitur potiùs natum eſt ipſum conſeruare. Nec à gradu ſecundo; quia gradu primo exiſtente in ſubiecto, nondum eſt gradus ſecundus: quia per te ſunt incompoſſibiles: modò nihil corrumpitur, ab eo, quod non eſt. 13.

Quartò ſequeretur, quòd ſumma frigiditas produceret caliditatem valde intenſam, conſequens eſt falſum: quia cuilibet caliditati, ſumma frigiditas eſt contraria, & per conſequens potiùs eſt nata ipſam corrumpere, quàm producere. Conſequentia probatur, poſito quòd ſummè frigidum agat in ſummè calidum, tunc per te, quando remittitur vnus gradus caliditatis, tota caliditas corrumpitur, & vna alia de nouo generatur, remiſſior tamen prima, tunc illa caliditas de nouo generata eſt adhuc valde intenſa, & non generatur ab alio quàm à ſumma frigiditate; ergo, &c.

Quintò, ſequeretur quòd in alteratione ad ſummam caliditatem, quælibet caliditas ſub quà mobile potuit quieſcere, & non quieſcit, de facto fuiſſet inſtantaneæ durationis, quod eſt falſum; cùm quælibet huiuſmodi caliditas ſit permanentis naturæ. Patet igitur ex iſtis rationibus, quòd intenſio formæ gradualis fit per additionem gradus ad gradum, vtroque gradu remanente ſimul, & per oppoſitum de remiſſione, quòd remiſſa vna parte caliditatis adhuc poſſet remanere alia pars. 14.

Ad

Ad rationes. Ad primam, concedo quòd per huiusmodi additionem gradus ad gradum fit intensio formæ. Ad probationem de intensione velocitatis descensus, dicu quòd non est simile de motu locali; & de mutu alterationis: quia in motu locali est continuè alia,& alia velocitas secundùm se totam, sed in motu alterationis non est continuè alia, & alia forma, nisi secundùm partem.

Ad secundam dictum est.

Ad tertiam. Vel pars, &c. Propter istam rationem dicunt aliqui, quòd nulla forma intenditur, nec remittitur, sed subiectum, eo quòd subiectum denominatur intensius, vel remissius per formam, seu per qualitatem. Contra istud obiicitur: quia si per imaginationem, vel potentiam Dei, esset qualitas aliqua separata, quæ intenderetur, ita vt sibi apponerentur plures gradus, quàm priùs, non esset dubium, quin illa qualitas esset intensior quàm antè; & tamen non subiectum. Ideò dicendum est aliter altero duorum modorum. Vno modo quòd forma intenditur, id est, qualitas aggregata ex præexistente, & superueniente est intensior, quàm fuerit qualitas præexistens, solùm circomscribendo superuenientem. Alio modo dicitur, quòd qualitas præcedens intenditur:& quando dicitur;non est pòst maior, quàm antè; nego, immò qualitas, quæ nunc est trium graduum,potest esse,& est septem graduum,sicut puer qui nunc est duorum pedum, potest esse,& erit septem pedum.

15. Ad quartam, negatur consequentia:quia subiectum debet denominari à tota qualitate, quam habet, & non solùm à parte ipsius.Item alia causa negandi consequentiam est ista:quia ista dictio *remissè* significat qualitatem paruam,connotando carentiam qualitatis intensioris. Et ideò licèt ista concedatur, *intensè calidum est medicè calidum*, tamen ista esset neganda,*intensè calidum est remissè calidum*, propter connotationem huius termini *remissè*.

Ad quintam,negatur ennsequentia: quia cùm caliditas [f] remissa produxit gradum sibi ęqualem, ampliùs non producit aliquid: quia passum est sibi assimilatum, & quando dicitur,alter gradus est eiusdem rationis, concedo; igitur quâ ratione potuit primum producere, eâdem ratione secundum: negatur consequentia; quia in producendo primum, iam produxit, quod potuit.Ideò passo sic disposito, impossibile est, quòd plns producat.

Ad sextam, negatur consequentia.Ad probationem dico,quòd quando luminosum approximatur, tunc continuè est lumen intensius (cæteris se habentibus eodem modo;)sed nunquam lumen primò acquisitum manet cum illo, quod secundò acquiritur;sed si luminosum quiesceret in primo instanti,produceret tantum quantum potest producere, vt patuit in alia responsione; & ideò si staret in æternum (cæteris eodem modo se habentibus) nunquam plus produceret.

16. . Ad septimam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd ista consequentia non valet [g], *albedo est in infinitum perfectior nigredine: igitur albedo est in infinitum perfecta*; quia in illis in quibus fit comparatio, non est certa proportio dabilis secundùm quam fit comparatio; & ideò non oportet vt de quo dicitur comparatiuum cum huiusmodi syncategorematе addito, quòd de eodem dicatur positiuum cum eodem syncategorematе addito. Item multi negant, quòd albedo sit perfectior essentialiter sua medietate.

Ad octauam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd quando medietas resistentiæ est corrupta in prima medietate horæ, tunc in secunda medietate est in duplo maior proportio. Ita etiam est duplo minor contrarietas; & ideò quia agens agit propter contrarietatem, quam habet passum, tantum præcisè producit in secunda medietate, quantum in prima.

Ad nonam de remissione,negatur antecedens. Ad probationem dico, quòd licèt illi gradus sint æquè propinqui corrumpenti, tamen determinatur ad corruptionem vnius potiùs, quàm ad corruptionem alterius ab agente vniuersali.Nec valet dicere, quòd hoc est,pro tanto, quia gradus priùs acquisiti fortiùs adhærent materiæ, eo, quòd materia magis appetebat, quando omnino caruit. Quia lumen quantum ad intensionem producitur totum simul in medio, & tamen si medium incipiat condensari, tunc primò remittetur vnus gradus luminis, quàm alter, & tamen vnus illorum non fortiùs adhæret materiæ, quàm alter.

Ad decimam, dico quòd hoc est verum de ter- 17.
minis,qui [h] sunt qualitates contrarię in summo; sicut summa caliditas, & summa frigiditas, inter quas fit alteratio,sunt incõpossibiles ad inuicem.

De motu locali non est simile. Vel dicitur, quòd [i] termini motus localis sunt simul, quia illa duo loca sunt simul, licèt mobile non sit simul in vtroque illorum.

Ad vltimam, dico quòd manent distincti numero solùm. Et ad illas authoritates dico, quòd debent exponi de terminis. Vnde illa sunt idem numero, quorum subiectum est idem, id est, illi termini dicuntur vnum numero, quorum subiectum, id est, quorum res significata est eadem.Et quando dicitur in alia authoritate,quòd quæcunque in eodem subiecto existentia differentiam habent, differunt secundùm speciem,id est, quicunque termini supponunt pro eadem re, & habent differentiam, id est,quòd diuersimodè connotent, vel quòd vnus sit connotatiuus, & alter quiditatiuus, tunc illi termini sunt diuersæ speciei, vel de diuersis Prædicamentis.

ANNOTATIONES.

[a] P*Rima via est quòd intensio qualitatis,&c.* No- 18.
ta quòd hæc sententia fundatur authoritatibus Aristotelis, & Cõmentatoris. Authoritas Aristotelis habetur 3. Topicorum, cap. 4. quam hîc adducit Scotus,sed eam non explicat. Secunda est Commentatoris 5.Physic.com. 19. vbi habet hæc verba: Album non fit minùs album, nisi ex mixtione contrarij, & in alio Commentatio eiusdem libri com.51.dicit, quòd diminutum in omni genere est diminutum per mixtionem contrarij. Tertia est eiusdem Commentatoris secundo de Generatione, com. 49. vbi volens probare quatuor elementa esse in mixto, dicit quòd si calidum non esset in composito,non esset in eo frigidum nisi in fine,id est,in summo. Ex quo videtur secundùm ipsum, quòd purum frigidum est frigidum in summo,& pura frigiditas est summa frigiditas; & per consequens frigiditas non summa, sed remissa est frigiditas admixta caliditati. Ad primas duas authoritates dicas,quòd per mixtioné contrarij potest intelligi vel cõposito cum

contrario, vel approximatio ad contrarium. Primo modo non sunt intelligendi Philosophus & Commentator, & maximè in gradibus intensis; sed secundo modo: & sensus primæ authoritatis est, quòd quæ contrariis sunt impermiatiora, id est, minùs proaima, & magis accedentia ad contraria, sed talis accessus non fit nisi per additionem gradus formę ad gradum. Ad illam Commentatoris 2. *de Generatione* dicas, quòd Cómentator loquitur ibi de compositis genitis ea miatione elementorum, & postquam probauit illa esse mixta ex terra, & aqua infert quòd reliqua duo elementa, scilicet aër, & ignis etiam eqncurtunt ad miationem; alioquin tale compositum esset frigidum in summo.

b *Secunda via est, quòd intensio fit per additionem maioris gradus, &c.* Nota, quòd est opinio Gotfredi de fontibus, quodl. 7. quæst. 7. quam refert Scotus in 1. d. 17. hic Doctor credidit, in augmento formæ totum præexistens corrumpi, & similiter in decremento: verbi gratiâ, esto quòd albedu sit intensa, vt quatuor, & quòd intendatur vt sex; dicit Gotfredus, quòd quando intenditur vt sex, corrumpitur tota illa vt quatuor, & de nouo generatur vt sex; similiter in decremento, quando albedo vt sex fit remissa vt quatuor, tota illa vt sea corrumpitur, & producitur noua vt quatuor.

19. *Gradus formæ quomodo sint intra, vel extra essentiam formæ, & an sint finiti, vel infiniti.*

c *Tertia via est, quòd intensio fit per additionem gradus ad gradum, &c.* Nota, quòd licèt huiusmodi gradus sint extra essentiam formæ: tamen non faciunt vnum aggregatum cum forma: quia non sunt alterius generis, & licèt quilibet gradus signatus accidat formæ tam specificæ, quàm numerali, vagè tamen accepti sunt de essentia formæ indiuidualis, etsi non speeificæ: quia forma specifica non potest esse quo ad esse materiale, & subiectiuum sine indiuiduis, & per consequens forma specifica non potest separari à quocunque gradu, nec etiam indiuidualis. Et si quæras, an huiusmodi gradus in forma sint finiti, vel infiniti. Dico, quòd sicut in continuo, quædam sunt partes eiusdem proportionis, potentiales, & infinitæ, & quædam actuales eiusdem quantitatis, & finitæ. Ita dicendum est de gradibus in forma, scilicet quòd in ea sunt quidam gradus potentiales, & illi sunt infiniti: & secundùm istos vna forma non est intensior aliâ, quoniam in qualibet forma sunt infiniti; alij verò sunt gradus actuales, & sicut in continuo partes actuales sunt finitæ, & secundùm illas vnum continuum est maius alio; ita similiter isti gradus actuales in forma sunt finiti, & secundùm istos vna forma est intensior alia.

20. Et si quæras quâ possibilitate isti gradus sunt potentiales, & illi actuales, cùm quælibet pars in suo toto sit potentialis, & inpræcisa, & indiuisa a suo toto. Dico, quòd sicut in continuo partes eiusdem proportionis dicuntur potentiales, quia continentur in partibus actualibus eiusdem quantitatis: & dicuntur etiam potentiales, quia secundùm illas non crescit, nec minoratur continuum. Partes verò eiusdem quantitatis dicuntur actuales: quia secundùm ipsas crescit, & minoratur continuum, & distinguunt continua secundùm excessum. Et quia distinctio est per ens in actu, & esse causam maioritatis, & minoritatis, videtur quædam actualitas: ideò tales partes eiusdem quantitatis dicuntur actuales. Ita in proposito de gradibus formæ isti dicuntur actuales, quia fortè continuant gradus potentiales, & secundùm istos vna forma est intensior aliâ: & quia ista omnia videntur notare quandam actualitatem; ideò dicuntur isti actuales, & illi potentiales. Nota demum, quòd gradus actuales sunt diuisibiles, non quidem in actuales, sed in potentiales, potentiales verò sunt omnino indiuisibiles. Vel dicas, quòd gradus isti sunt indiuisibiles secundùm perfectionem, ita vt quilibet gradus actualis sit vna simplex perfectio indiuisibilis; sunt tamen diuisibiles secundùm extensionem.

d *Quarta via est, quòd nulla qualitas intenditur* 21. *Forma in abstracto an suscipiat magis, & minùs.*
secundùm formam, &c. Nota, quòd Scotus tangit hîc vnum modum dicendi, quem ipsemet docet in Prædicamentis cap. de Qualitate, iuxta secundam proprietatem qualitatis, quæ est suscipere magis, & minùs, vbi dicit, quòd essentia qualitatis, quæ significatur in abstracto, non suscipit magis, & minùs, quia iustitia non dicitur magis iustitia, nec Grammatica magis Grammatica; & hoc quia essentia qualitatis, sicut cuiuslibet formæ est indiuisibilis per Authorem sex Principiorum; & indiuisibile non suscipit magis, & minùs, sed denominatiuè dicta à quibusdam qualitatibus suis suscipiunt magis, & minùs, Vnde alius dicitur iustior, & alius Grammaticior alio, & ita ipsa forma in informando subiectum suscipit magis, & minùs, quia vnum subiectum plus participat formam quàm aliud, licèt non in essentia. Vnde nota, quòd essentia speciei in se considerata, abstrahendo à suppositis, non habet in se magis, & minùs, quia ipsa sic considerata est indifferens ad omnem gradum; sed ipsa vt in supposito, id est, in proprio singulari existens, est perfectior se ipsâ in alio supposito, & vt est in supposito sic denominat subiectum, quia per se suppositum eius non est subiectum; sed qualitas in hoc subiecto: non igitur iusticia, abstractè intelligendo, sed iustum, id est, hæc iustitia, vt denominat istud subiectum, est maior alia. Nam sicut forma non habet esse indiuiduale, nisi in subiecto, ita non suscipit magis, & minùs, nisi secundùm esse indiuiduale, quod habet in subiecto. Vnde sicut similitudo est relatio fundata super essentiam qualitatis, ita & magis, & minùs: fundamentum autem *magis* est essentia speciei sub perfecto gradu, qui gradus est aliquid absolutum de genere Qualitatis; licèt ipsum consequatur relatio *magis* ad alium imperfectum in eadem specie, quem consequitur relatio *minus*.

e *Non potest multiplicari, nisi in.* Adeò corruptus, & deprauatus est in exemplari locus iste, quòd eum legere non potuimus; posset tamen (vt reor) ita legi: Non potest multiplicari, nisi in directo corporis luminosi.

f *Quia caliditas remissa produxit gradum,* 22.
&c. Posset etiam concedi consequens, & nullum esset inconueniens. Cæterùm Scotus, & Gregorius de Arimino negant consequentiam: & ad probationem dicit Gregorius, quòd cùm dicitur, agens potens potest producere formam in passo minùs disposito, potest etiam in passo magis disposito; hoc verum esset, si passum illud magis dispositum, sit aptum pati ab illo agente; sed tale non est calidum remissum respectu intensi.

g *Ista consequentia non valet, albedo est in infinitum*

tum perfectior, &c. Dicas etiam, quòd eſto, vnum indiuiduum excederet aliud in infinitum gradualiter, non excederet tamen in perfectione eſſentiali, & quidditatiua, & tale indiuiduum ſecundùm Scotum in 1. dist. 8. quæſt. 2. eſſet in genere; quoniam non ſequitur infinitum tale, ergo infinitum ens.

23. *Termini motus ſunt duplices.*

h *Hoc verum eſt de terminis, qui ſunt qualitates contrariæ in ſummo.* Nota, quòd termini motus ſunt duplices, ſcilicet formales, & concomitantes: primi ſi ſit motus acquiſitiuus, ſunt priuatio, & habitus, & iſti ſunt incompoſſibiles. Secundi ſunt, quando aliqua forma, vt quatuor mouetur vt à termino *a quo*, ad formam, vt ſex, tanquam ad terminum *ad quem*, & ſic forma intenſa, vt quatuor, & forma intenſa vt ſex ſunt compoſſibiles. Termini etiam motus ſunt incompoſſibiles, qui ſunt qualitates contrariæ in ſummo, vt hic dicit Scotus.

i *De motu locali non eſt ſimile, &c.* Nota, quòd non eſt ſimile in motu locali, & in motu alterationis, quia in motu locali terminus totus acquiritur, non autem eſt ſic in motu alterationis. Vel dicas, quòd ſicut in motu locali mobile eſt ſemper ſub alio, & alio *vbi*, ita in motu alterationis eſt continuè ſub alio, & alio gradu, ſed non ſub alia, & alia natura ſpecifica, quia talia non intenditur, nec remittitur.

Qvæstio V.

Vtrùm formæ contrariæ poſſint eſſe ſimul?

Ariſtot. 10. *Metaph. text.* 13. & 14. D. Thom. 1. *par. quæſt.* 76. *art.* 4. Caietanus *ibid.* Gandauen. *quodl.* 12. *quæſt.* 12. Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. Capreol. *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 2. Marſil. *in* 3. *diſt.* 15. *art.* 2. Maior, *diſt.* 15. *quæſt.* 2. Sotus. *Phyſic. quæſt.* 1. Iauellus, 10. *Metaph. quæſt.* 13. Suarez *tom.* 2. *Metaph. diſp.* 45. *ſect.* 4. Conimbric. 2. *de generat. cap.* 3. *quæſt.* 8.

1. DE hac re ſunt tres viæ dicendi. Prima eſt, quòd in alteratione de ſummè calido ad ſummè frigidum impoſſibile eſt aliquem gradum vnius ſtare cum aliquo gradu alterius, immò continuè in alteratione eſt qualitas totaliter noua, ita vt non ſit additio alicuius gradus ad alium de eadem qualitate; nec etiam ad ſuum contrarium, & iſta via improbata eſt in præcedenti quæſtione.

Secunda via eſt, quòd nunquam gradus vnius contrariorum poteſt ſtare cum aliquo gradu alterius, & in hoc conuenit cum præcedenti: ſed differt in modo ponendi, quia ponit, quòd in alteratione de frigido ad calidum primò expellitur tota frigiditas ſucceſſiuè, priùs quàm inducatur aliquis gradus caliditatis, ita vt remittendo frigiditatem continuò habilitetur ſubiectum ad caliditatem, & tunc expulſa tota frigiditate introducatur caliditas, & iſta via improbabitur in concluſionibus.

Tertia via eſt, quod aliqui gradus caliditatis poſſunt ſtare cum aliquibus gradibus frigiditatis: ſed ſumma caliditas nunquam poteſt ſtare cum ſumma frigiditate, quilibet tamen gradus citra ſummum poteſt ſtare cum aliquo caliditatis, & è cõtra; & ideò in alteratione de ſummè frigido ad ſummè calidũ ſtatim quando corrumpitur vnus gradus frigiditatis, inducitur alius caliditatis, & ſic conſequenter, quam viam tenebo ad præſens. Ideò contra ipſam arguitur inducendo in multis qualitatibus, in quibus fit remiſſio, & non per additionem alicuius gradus de qualitate contraria, & etiam intenſio non per remotionem alicuius gradus de qualitate contraria: verbi gratiâ, aliquid fit magis ſimile, quàm priùs, & non per remotionem alicuius gradus de qualitate cõtraria.

Item, aliquid fit magis curuum, vel minùs curuum ſine hoc, quòd addatur, vel remoueatur aliqua rectitudo. 2.

Item de velocitate, quæ remittitur non addendo tarditatem. Item de grauitate, & acutie ſoni, & de multis aliis.

Secundò, quia quilibet gradus caliditatis eſt contrarius alicui gradui frigiditatis; igitur eſt cõtrarius cuilibet. Antecedens patet, quia cuilibet gradui caliditatis contrariatur ſumma frigiditas. Item aliquis gradus caliditatis ſufficit corrumpere aliquem gradum frigiditatis: igitur ſaltem illi contrariatur, quia corruptio fit à contrario. Probatur conſequentia principalis multipliciter. Primò, quia omnes gradus frigiditatis ſunt eiuſdem rationis; igitur, quâ ratione contrariatur vni, eâdem ratione cõtrariatur alteri. Et per conſequens, vel nulli, quod eſt contra antecedẽs, vel cuilibet, & habetur propoſitum. Secundò, ſi aliquis gradus caliditatis contrariatur alicui frigiditatis; ſit igitur, quòd decimus gradus caliditatis contrarietur decimo frigiditatis: tunc arguitur eadem eſt proportio decimi caliditatis ad decimum frigiditatis, quæ eſt noni caliditatis ad nonum frigiditatis, aut quæ eſt octaui, & ſic de aliis; ſed decimus non poteſt ſtare cum decimo: igitur, nec nonus cum nono, & ſic de aliis. Tertiò, quia contrarietas non eſt ſecũdùm diuerſitatem indiuiduorum; ſed eſt repugnantia ſecundùm ſpeciem. Nam Ariſtoteles dicit 10. *Metaphyſica*, text. 24. quòd contrarietas eſt ſecundùm formam repugnantia. Item dicit, quòd cõtrarietas eſt diſtantia perfecta, quod non eſſet, niſi eſſet repugnantia ſecundùm ſpeciẽ. Quartò, quia plus diſtant ab inuicem formaliter, ſcilicet, quælibet albedo à qualibet nigredine, quã aliqua albedo ab aliqua viriditate: igitur ſi cum aliqua nigredine poteſt ſtare aliqua albedo, ſequitur quòd cum qualibet rubedine poteſt ſtare quælibet viriditas, quod eſt contra experientiam.

Tertiò ad principale ſequeretur, quòd motus contrarij eſſent ſimul in eodem; conſequens eſt falſum, quia impoſſibile eſt, quòd idem ſimul moueatur cõtrariis motibus; vt puta, motu aſcẽſus, & deſcenſus, motu caliditatis, & frigiditatis. Probatur cõſequentia dupliciter. Primò, quia motus nõ habet contrarietatem, niſi ratione formarum, ſecundùm quas eſt motus: ſed illæ formæ poterunt ſtare ſimul ſecundùm aliquos gradus: igitur motus contrarij ſecundùm aliquos gradus poterunt ſtare ſimul. Secundò, quia quolibet motu dato contingit dato velociorem, & tardiorem, ſicut de forma contingit dare gradum intenſiorem, & remiſſiorem: igitur ſicut aliquis gradus de vna forma poteſt ſtare cum aliquo gradu formæ contrariæ, ita etiam aliquis gradus motus poterit ſtare cum aliquo gradu motus contrarij. 3.

Quartò, ſequeretur quòd aqua intenſè frigida ſtatim frigeſaceret ſe ipſam ſummè; immò ſtatim ſeipſam congelaret; conſequens eſt falſum, per experientiam. Conſequentia probatur, quia aqua intenſè frigida agit corrumpendo caliditatem valde intenſam applicatam ſibi: igitur multò fortius agit in illam caliditatem remiſſam coniunctam ſibi. Conſequentia tenet propter tria. Pri-

mò, quia frigiditas aquæ minùs domiuatur super caliditatem intensam sibi applicatam. Secundò, quia caliditas remissa coniuncta minùs resistit. Tertiò, quia est mellùs applicata.

4. Quintò, sequeretur quòd tepidum simul calefaceret, & frigefaceret passum sibi approximatum; consequens est falsum, quia tunc illud passum simul moueretur motibus contrariis. Consequentia probatur, quia tepidum simul habet in se caliditatem, & frigiditatem, & secundùm vtramque est applicatum passo; igitur secundùm vtramque simul aget in passum, immò sequeretur, quòd tepidum simul calefaceret se ipsum, & frigefaceret se ipsum, quia habet in se caliditatem: igitur illa aget in frigiditatem, & eàdem ratione e contra frigiditas in caliditatem, & habetur propositum.

Sextò, sequeretur quòd idem simul esset calidum, & frigidum; consequens est falsum: & probatur consequentia, quia idem simul haberet caliditatem, & frigiditatem; igitur per definitionem Qualitatis idem est simul calidom, & frigidum.

Septimò, si ad corroptionem vnius gradus frigiditatis induceretur *vnus* gradus caliditatis, qui simul maneat cum residua frigiditate; tunc sequitur, quòd statim acquireretur termious *ad quem* motus; consequens est falsum: quia priùs quàm deueoiatur ad terminnm *ad quem* motus, oportet transire, per intermedia inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*. Probatur consequentia, quia in calefactione terminus *ad quem* est caliditas, modò in calefactione alicuius frigidi statim corrũpitur frigiditas, & per te ad corruptionem frigiditatis indueitur caliditas: igitur statim acquiritur caliditas, qoæ est terminos motus.

5. Octauò sequeretur, quòd in alteratione de albedine in rubedinem priùs acquireretur nigredo, quàm rubedo. Consequens est falsum: quia rubedo est medium inter albedinem, & nigredinem; modò priùs pertransitur medium, quàm deueniatur ad extremũ. Probatur conseqoentia, quia in mutatione de albedine in rubedinem statim corrumpitur albedo: igitur per te cùm ad corruptionem vnius contrariorum statim generabitur reliquum, sequitur quòd statim iotroducetur nigredo, qoæ est contraria albedini, & per consequens priùs quàm rubedo.

Nonò, qnia in generatione ignis ex aëre continuè caliditas intenditur, & tamen non corrumpitur frigiditas: nam caliditati aëris non est admixta frigiditas: quia si sic, iam aër non esset purom elementum.

6. Oppositum arguitur per experientism: nam si duæ aquæ, vna calida, & alia frigida fundantur in inuicem, non statim deperditur tota caliditas vnius, aut tota frigiditas alterius, immò successiuè, quod non esset nisi aliqui gradus vnius manerent cum aliquibos gradibus alterius. Secundò per Aristotelem 5. buius, text. 19. vbi dicit, maius aut minus est, in quo plos, aut minùs contrarij miscetur, & ad quod non. Notandum, quòd triplex inuenitur contrarietas. Vna scilicet terminorum, quæ consistit penes boc, quòd non possunt simul vere prædicari de eodem subiecto. Secunda est propositionum contrariarum: quarum repugnantia cõsistit in hoc, quòd nõ possunt esse simul veræ. Et tertia est formarum, scilicet, caliditatis, & frigiditatis; quarum repugnantia est in essendo simul in eodem subiecto, & ista contrarietas vltima est ad prupositum. Vnde ad hoc quòd aliquæ formæ sint contrariæ isto modo, requiritur qoòd natæ sint fieri circa idem sobiectum, scilicet ipsæ vel sibi consimiles, quia dato quòd essent duæ formæ incompossibiles esse in eodem subiecto, quæ non essent natæ fieri in eodem subiecto, illæ non essent contrariæ, sed disparatæ; vt forma hominis, & forma equi. Et dico notabiliter, *illa*, vel *sibi consimiles*; quia per hoc soluitur argumentum istud, vel albedo contrariatur nigredini, quæ est, vel quæ non est; non primo modo: quia illæ noo sunt natæ fieri circa idem subiectum: nec secuudo modo, quia ei quod non est, nibil est contrarium.

Contrarietas est triplex.

Ad contrarietatẽ quid requiratur.

Secundò notandum, quòd sicut duæ propositiones contrariæ maximè distant quantum ad esse simul veras: quia quicquid vna affirmat, quantum ad omnia supposita termini communis, alia negat quantum ad eadem supposita eiusdem termini; tamen quantom ad esse simul falsas quantum ad omnia supposita simul sumpta, repugnant ad inuicem; verbi gratiâ, supposito quòd non essent nisi decem homines in mundo, tunc impossibile esset, quòd istæ essent simul falsæ: Omnis homo currit: Nullus homo corrit; quælibet scilicet illarum pro quolibet supposito; tamen possunt esse simul falsæ, vna scilicet pro aliquibus suppositis, & alia pro aliis: verbi gratiâ, nouem supposita falsa vnius compatiuntur secum vnam singularem veram alterius, octo compatiuntur duas, septem tres, & ita de aliis. Ita similiter de qualitatibus contrariis: nam posito quòd caliditas summa signaretur per decem gradus, & frigiditas summa per totidem; tunc dico, quòd repugnantia caliditatis, & frigiditatis, quantum ad esse simul, non prouenit ex ratione absoluta formarum, secundùm quam dicitur caliditas, & frigiditas: quia sub aliquibus gradibus se compatiuntur, vt postea probabitur; & ideò earum repugnantia prouenies ex nimia quantitate graduum. Et ideò dicit Aristoteles 10. Metaph. text. 24. quòd contrarietas est distantia perfecta; & ideò dico, quòd caliditas summa contrariatur frigiditati summæ; sed quilibet gradus caliditatis circa summum secum compatitur aliqoem gradũ frigiditatis citra summũ, licèt non quemlibet: verbi gratiâ, in casu prędicto, decimus caliditatis contrariatur decem gradibus frigiditatis, & impossibile est ipsas stare simul, sed nouem caliditatis possont stare cum vno frigiditatis; nec aliquo modo habent contrarietatem ad inuicem; octo cum duobus, & ita de aliis, cuius causa est: qoia semper ad remissionem vnius gradus alicuius contrariorũ, inducitur vnus gradus alterius, nec est cura ad propositum sub quanto numero graduum signetur summa caliditas. 7. *Contraria quomodo possint stare simul.*

Ex qoibus sequitur, qoòd impossibile est caliditatem, & frigiditatem stare simul sub gradibus contrariis; ita quòd præcisè tantum sit de caliditate, quantum de frigiditate; nisi sub gradibus mediis totius latitudinis caliditatis à summo ad non gradum: verbi gratiâ, in casu prædicto, quinque gradus caliditatis poterunt stare simul cum quinque frigiditatis, sed sex non possunt stare cum sex, nec in aliquo alio numeso. Secundò seqoitur, quòd ista consequentia non valet: caliditas stat cum frigiditate aliquot graduum, puta quatuor: igitur poterit stare cum frigiditate remissiori, puta duorum graduum. Tertiò sequitur, quòd si caliditas aëris sit eiusdem speciei cum caliditate ignis, quòd caliditas aëris non est 8.

quali

qualitas simpliciter per priuationem admixtionis frigiditatis, immò quantum distat a summa caliditate, quam determinat sibi ignis, tantum habet de frigiditate sibi admixta. Nec ex hoc sequitur, quòd aër non sit purum elementum: quia ad hoc quòd sit purum elementum, sufficit quòd determinet sibi vnam de qualitatibus primis in summo, & per hoc differt à mixtis, modò aër determinat sibi humiditatem in summo.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est ista. Impossibile est formas contrarias stare simul, immò hoc implicat contradictionem, quia contrarietas formarum attenditur penes non posse stare simul in eodem subiecto, & ideò si starent simul, iam non essent contrariæ, itaque probatio huius conclusionis stat in quid nominis huius termini *contrarium*.

9. Secunda conclusio. Caliditas, quæ fuit pars caliditatis summæ, stat simul cum frigiditate, quæ est pars frigiditatis summæ contrariæ caliditati, vt in calefactione ad summè calidum, vel etiam in frigefactione de summè calido. Probatur: quia nisi ita esset, tunc sequeretur, quando summè frigidum deberet fieri summè calidum, tota frigiditas per prius esset expulsa, quàm aliquid caliditatis esset inductum; consequens est falsum, quia tunc illa caliditas esset subitò acquisita, quod fuerat priùs improbatum.

Secundò, sequeretur quòd remissè calidum nullo modo resisteret intensè calido, quod est contra experientiam, quia magnum tempus est postquam intensè calidum posset de remissè calido facere intensè calidum. Probatur consequentia: quia illud remissè calidum non haberet frigiditatem sibi admixtam, per quam resisteret intensè calido, & ideò sicut lumen remissum non resistit intensiori; ita nec calor remissus calori intensiori.

10. Tertiò, sequeretur quòd tepidum, scilicet redactum ad medium inter contraria, nullam haberet actiuitatem, quod est contra experientiam. Et probatur consequentia: quia in motu de calidissimo ad frigidissimum, illud tepidum non habet frigiditatem, quia nondum expulsa est tota caliditas; nec aget per caliditatem, quia caliditas tunc est tam paruæ intensionis, quòd non sufficeret ad actionem.

Quartò, sequeretur quòd aliquid appareret sensui benè disposito valde intensè calidum, in quo tamen nulla esset caliditas. Probatur consequentia, quia ad alterationem de frigido ad caliditatem per te est magnum tempus, in quo expellitur frigiditas sine inductione caliditatis, & in tempore illo remissionis frigiditatis, apparet nobis caliditas valde intensa. Patet igitur qualiter non est concedendum, quòd formæ contrariæ stent simul, sed benè est concedendum, quòd qualitates stant simul: quarum vna fuit pars vnius contrariorum, & alia est pars alterius.

Ad rationes. Ad primam concedendum est de qualitatibus non habentibus contrarium, quòd ad intensionem illarum qualitatum non sequitur concomitanter remissio alicuius alterius qualitatis, ita etiam conceditur de velocitate, & tarditate, & de illis de quibus arguitur in primo argumento.

11. Ad secundam, concedo antecedens, & nego consequentiam; & ad probationem, quia omnes sunt eiusdem rationis: igitur qua ratione, &c. Negatur consequentia: quia per idem probaretur, quòd omnes homines mundi possent esse in istis scholis, quia duo homines possunt esse in istis scholis, & omnes homines sunt eiusdem speciei: igitur qua ratione duo, eadem ratione omnes. Ideò est argumentum à simili, & negatur consequentia: quia capacitas domus non est tanta, quòd possit omnes recipere: ita in proposito dico, quòd non est simile, quia frigiditas non contrariatur caliditati propter hoc, quòd est caliditas, quia cum aliqua caliditate potest stare; sed contrariatur sibi propter nimiã quantitatem graduum caliditatis. Ad secundũ negatur cõsequentia: quia non fit subsumptio *sub*. Vnde in minori deberet dici, sed decem ad decem est proportio æqualitatis. Ad tertium dico, immò contrarietas est secundùm indiuiduum, & non secundùm speciem, nisi cum prædicta quantitate graduum: & propter hoc dicit Aristoteles, quòd cõtrarietas est distantia. Et si obiiciatur, quòd tunc vnum contrariaretur pluribus, quod est falsum: quia tantùm vnum vni opponitur 10. Metaph. text. 17. Respondetur, quòd Aristoteles ibi capit omnia similia pro vno. Ad quartum, negatur maior, si intelligas de distantia graduum, quæ faceret repugnantiam; sed si intelligas, quòd minùs conueniunt essentialiter, concedo.

Ad tertiam principalem negatur consequentia: quia nec motus contrarij sunt simul, nec etiam formæ contrariæ, secundùm quas sunt illi motus, sed duæ qualitates benè sunt simul, quarum vna fuit pars calefactionis, & alia est pars frigefactionis: quia motus illi non sunt aliud ab illis qualitatibus. 12.

Ad quartam, negatur consequentia: quia licèt frigiditas stet ibi cum remissa caliditate, tamen hoc non est secundùm gradus, secundùm quos caliditas, & frigiditas contrariantur: igitur non valent illæ tres probationes, quia ad frigidum approximatum benè haberet contrarietatem; sed cum illo sibi adiuncto non.

Ad quintam, negatur consequentia: quia passum approximatum tepido, si est æqualiter tepidum, tunc nullo modo patietur: quia agẽs agit propter assimilationem passi, & passum est iam sibi assimilatum. Si verò passum approximatum non sit æqualiter tepidum, sed magis frigidum quàm calidum, tunc aget remittendo frigiditatem, & non caliditatem; quia cum caliditate non habet contrarietatem; & ideò negatur consequentia; quòd idem calefaceret, & frigefaceret se ipsum: quia illi gradus non habent ad inuicem contrarietatem, qui sunt simul in tepido.

Ad sextam, negatur consequentia: quia subiectum non denominatur nisi à totali qualitate: modò totalis qualitas tepidi non est caliditas, neque frigiditas, sed est medium inter ista per participationem, à quo medio debet fieri denominatio, & non ab aliqua parte eius. Verum est tamen, quòd aliquando impropriè, & secundùm *quid* subiectum denominatur ab illo medio secundùm vnum extremum: verbi gratiâ dicit Aristoteles 5. huius, text. 19. quòd fuscum dicitur album respectu nigri, & nigrum respectu albi. 13.

Ad septimam, negatur consequentia de termino totali, sed de termino partiali est concedendum, & ideò dicit Aristoteles partim haber de termino *à quo*, & partim de termino *ad quem*.

Ad octauam conceditur consequens, nec est inconueniens, quòd requiratur remissa nigredo.

Ad nonam dictum est in vno corollario.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm ista sit concedenda, motus localis est.

Aristot. *hic, text.* 1. *& lib.* 4. *text.* 99. *&* 5. *Metaph. cap.* 13. *text.* 18. Auerroës 4. *Phys. comm.* 119. Simplicius, Themist. *lib.* 3. *Physic. cap.* 2. Albertus *tract. de quantitate cap.* 4 *&* 8 D. Thom. 3. *Phys. lect* 7. *& lib. . text.* 7. Capreol. *quæst.* 1. *art.* 5. Fonseca 5. *Metaph ad cap.* 13. *quæst.* 8. *sect.* 3. Pererius *lib.* 14. *sua Philosophia cap.* 8. Iandunus 3. *Physic. cap.* 2. Suarez *in Metaph. tom.* 2. *disp* 40. *sect.* 8. Sotus 3. *Phys. quæst.* 1. Ruuius *ibid. cap.* 3. *quæst.* 1. Roccus *quæst.* 4.

1\. ARGVITVR quòd non: quia tunc mobile moueretur; vel igitur super partem spatij pertransitam, & hoc non: quia iam motum est, vel super pertranseundam, & hoc non; quia super illam mouendum est.

Secundò, quia mobile est continuè in loco sibi æquali: igitur non mouetur. Tenet consequentia, quia super æquale sibi non potest transmutari; & antecedens apparet, quia mobile est corpus; & omne corpus est in loco sibi æquali; ergo, &c.

Tertiò, quia si mobile mouetur; vel mouetur in loco in quo est, & hoc non: quia ad illum consimiliter se habet; vel in loco, in quo non est, & hoc non; quia nullus existẽs hic mouetur Romæ.

Quartò, quia motus fit: igitur motus non est, quia quod fit non est, *primo Perihermenias*.

Quintò, sequeretur quòd aliquid simul fieret, & corrumperetur; quod est impossibile: quia tunc aliquid simul esset, & non esset. Probatur consequentia: quia per te motus est, & non est, nisi dum fit: igitur simul fit & est; sed continuè sicut fit, ita desinit esse: igitur non est; igitur motus simul est, & non est, quod est impossibile.

2\. Sextò, si motus est, sequitur quòd non fiet; quod est falsum: quia esse eius consistit in *fieri*. Consequentia probatur, quia factio est mutatio ad *esse*; ideò statim quando est, cessat factio, quia vt patet 6. *huius*, text. 44. impossibile est aliquid mutari ad aliquid, ad quod iam mutatum est.

Septimò, quia ista, *motus est*, significat, quòd mobile fuit alibi, & postea erit alibi; sed ista non significat; igitur motus non est, vel formetur sic ratio: Illud causatum non est, cuius partes non sunt; sed partes motus non sunt: igitur motus non est. Maior patet: quia causatum, vel est suæ partes, vel non est sine suis partibus; & minor apparet, quia partes motus sunt *præteritum*, & *futurum*, quæ non sunt.

Opinio triplex de identitate motus. Oppositum arguitur: quia motus est actus entis per definitionem motus: igitur motus est.

De ista quæstione sunt tres viæ dicendi. Prima, nullus motus est, nec possibile est esse, vt patet 1. huius.

Secunda, quòd ista nunquam est vera; *motus est*, nec ista, *aliquid mouetur*, sed benè ista est vera, *aliquid est motum*: similiter ista, *aliquid mouebitur*: similiter ista, *motus fuit*, tamen per sensum quandoque iudicamus motum esse per hoc, quòd videmus motum fuisse propter propinquitatem temporis præteriti ad præsens, modò quod propè est, nihil deesse videtur, vt patet 2. huius.

Tertia via est (& concordat sensui) quòd motus est, & non curando ad præsens, an motus sit mobile, vel fluxus inhærens mobili, tenebo ad præsens istam viam.

Secundò, notandum quòd motus ponitur communiter [a] ens successiuum. Ideò sciendum, quòd pluribus modis aliquid dicitur permanens, & successiuum. Nam primo modo, & propriissimè aliquid dicitur permanens, quod secundùm se totum manet idem sine additione, vel remotione partis, vel dispositionis; & sic Deus est ens simpliciter permanens. Secundo modo dicitur permanens, quod manet idem secundùm se, & quamlibet partem sui, tamen aliqualis est successio secundùm receptionem dispositionis, & sic cœlum dicitur permanens; quia manet idem secundùm partes; attamen recipit lumen successiuè, & secũdùm aliquos motum. Tertio modo dicitur permanens, quia secundùm aliquas partes sui manet idẽ, & secundùm aliquas non: immò aliquæ adueniũt, & aliquæ receduot, & ista sunt quodammodò successiua; sicut sunt corpora naturalia; quæ sunt in continua successione. Quarto modo dicitur aliquid successiuum, cuius nulla pars manet simul cum alia parte, immò continuè est alia, & alia pars; & hoc dupliciter, quia quædam sunt quorum quælibet pars de sui natura nata est esse permanentis naturæ, attamen nulla manet per tempus propter defectum conseruantis; vt patet de lumine producto à luminoso in medium continuè motum, quia continuè est alius, & alius radius secundùm alium, & alium aspectum, & ideò continuè est aliud, & aliud lumen. Alio modo dicitur successiuum, cuius nulla pars nata est esse permanentis naturæ, immò sibi repugnat, quòd aliqua pars eius maneat per tempus, vt multi imaginantur de motu, & tempore, qui ponunt, quòd motus est fluxus distinctus à mobili. 3.

Motus est ens successiuum.

Permanens dicitur aliquid multis modis.

Nunc ponuntur conclusiones: prima est. Hæc est concedenda [b] *motus est*. Probatur sic, quia non minùs est ista concedenda, *motus est*, quàm ista, *tempus est*, sed ista est concedenda, *tempus est*: nam ab omni gente cõciuetur in Grammatica tempus diuidi in præsens, præteritum, & futurum; ergo, &c. Secundò, quia omne productiuum caloris est, sed motus est productiuus caloris: vt patet *primo Meteororum, text.* 11. Tertiò patet ad experiẽtiam, & ideò dicit Aristoteles 1. huius, text. 1. quòd oportet supponere omnia, aut quædam moueri. Item dicit in isto tertio, quòd ignorato motu, necesse est ignorare naturam. Quartò, quia eâdem ratione quâ negaretur motus esse, negaretur etiam lumen esse: quia est continuè aliud, & aliud lumen; sed certum est, quòd tunc lumen est; ergo & motus est; & potest etiam exemplificari de proportione, quia in alteratione est continuè alia, & alia proportio agentis super passum, ita vt sit ibi vna proportio successiua composita ex multis proportionibus partialibus. 4.

Motus est.

Secunda conclusio. In instanti [c] motus est, ita vt in instanti ista sit cõcedenda, *motus est*. Probatur: quia nisi ita esset, sequeretur quòd ista esset falsa; *continuè post hoc erit motus*, quod est falsum. Et patet consequentia, quia in instanti esset verum dicere, quòd motus cœli non est, & per consequens esset interruptus.

Motus est in instanti.

Contra primam conclusionem arguitur; quia si ita esset, sequeretur quòd aliquid moueretur, & tamen nec vniformiter, nec difformiter; consequens est impossibile. Probatur consequentia, posito quòd Socrates moueatur per vnam horam vniformiter aliquâ velocitate, deinde in secunda hora immediatè sequente moueatur difformiter velocitate duplâ ad primam velocitatem; 5.

tunc

tunc in instanti medio Socrates mouetur pro tanto, quia aliquando immediatè mouebatur, & immediatè pôst mouebitur: igitur nunc mouetur; vel igitur vniformiter, vel difformiter: quia immediatè ante mouebatur vniformiter, & immediatè post mouebitur difformiter; igitur nunc mouetur vniformiter: nec difformiter, quia vel moueretur velocitate primæ horæ, vel secundæ, aut velocitate intermediâ, quorum nullum apparet possibile.

Secundò, sequeretur quòd aliquid moueretur, & tamen non ab aliquo, nec ab aliquibus; consequens est impossibile, vt patet septimo huius text.1. Consequentia probatur, posito quòd, *A* mobile in prima medietate horæ moueatur à Socrate, & in secunda à Platone; tunc in instanti medio *A* mouetur; vel igitur mouetur à Socrate, & hoc non: quia iam Socrates desinit mouere, vel à Platone, & hoc non; quia Plato nondum mouet, sed incipit mouere; ergo, &c.

6. Tertiò, sequeretur quòd aliquid moueret quando non haberet potentiam ad mouendum; consequens est falsum: quia omnis motus prouenit à proportione maioris inæqualitatis potentię motoris super resistentia moti. Consequentia probatur; & moueatur *A* per vnum medium continuè densius, & densius, quousque ad aliquem gradum densitatis, seu resistentiæ æqualem potentiæ motoris ipsius *A*, & sit *B* punctus, ad quem terminatur illa resistentia, & volo quòd statim quando *A* est in puncto *B*, quòd tunc *B*, incipiat rarefieri, isto posito, probatur consequentia, quia quando *A* est in puncto *B*, *A* mouetur pro tanto, quia immediatè aliquando mouebatur, & immediatè pôst mouebitur: igitur tunc mouetur, & tamen tunc non habet potentiam ad mouendum: quia per casum resistentia medij est æqualis potentiæ motoris; ergo, &c.

Quartò, contra secundam conclusionem: quia si in instanti est motus, sequitur quòd motus fiet in instanti, & quòd instans esset mensura motus; consequens est impossibile, vt probatur 6. huius, text. 55. & probatur consequentia: quia motus non est nisi dum fit: igitur in instanti est motus, sequitur quòd motus fit in instanti.

Secundò, quia acquisitio partis post partem non est in instanti: igitur nec motus. Tenet consequentia per locum à definitione: & antecedens patet, quia ista dictio *post*, denotat ordinem temporis.

7. Ad ista respondetur. Ad primum, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd Socrates mouetur difformiter. Sed contrà, quia tunc aliquid mouetur difformiter, & in eodem instanti, quo inciperet moueri difformiter, desineret moueri difformiter, quod videtur implicare. Respondetur, quòd in tota hora composita ex illis duabus horis partialibus, in quarum vna Socrates mouetur vnâ velocitate, & in alia, alia; dico quòd in illa hora tota mouetur difformiter, quia in prima medietate horæ mouetur vnâ velocitate, & in secūda aliâ, licèt medium sit vniforme; ideò concedendum est, quòd in medio instanti horæ Socrates incipit moueri difformiter, & in eodem instanti Socrates desinit moueri difformiter; sed hoc est diuersimodè, exponendo ista verba, *incipit*, & *desinit*; igitur nulla sequitur repugnantia: verbi gratiâ incipit Socrates moueri difformiter. Socrates nunc mouetur difformiter, & immediatè ante non mouebatur difformiter. Et ista, Socrates desinit moueri difformiter, exponitur sic. Socrates nunc mouetur difformiter, & immediatè pôst non mouebitur difformiter: modò istæ stant simul sine repugnantia.

Ad secundum dico, quòd *A* mouetur à Platone in instanti intermedio: quia illud idem instans, quod est primum in quo Plato mouet, est etiam primum in quo Socrates non mouet.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd ista consequentia non valet, 8. *A* antè mouebatur, & immediatè pôst mouebitur: igitur *A* mouetur, sed oportet addere, *A* immediatè ante mouebatur, & immediatè post mouebitur, & nunc eius potentia excedit resistentiam mobilis; igitur nunc mouebitur; & ideò si esset aliquod agens liberum, quod subitò posset desinere motum suum, & subitò inchoare, ita vt sine medio post, quam desinit, posset iterum inchoare, tunc adhuc prædicta consequentia non valeret, sed oporteret addere, & nunc potentia motoris excedit resistentiam mobilis, & non impeditur per agens liberum: ergo, &c.

Ad quartam dico quòd acquisitio partis post partem non est in instanti, ita vt instans sit mensura huiusmodi acquisitionis, sed hoc non obstante, hæc est vera in instanti, seu acquisitio partis post partem est, & hoc est manifestum suppositis illis, quæ dicentur in alia quæstione. Per idem ad sequentem.

Ad rationes principales. Ad primam dico, quòd mouetur super partem spatij super quam est; quia istud non significat aliud, nisi quòd nunc est super illam partem, & eius potentia excedit resistentiam, & immediatè antè erat alibi, & immediatè pôst erit alibi. Alij dicunt, quòd sicut motus dicitur esse propter continuam successionem partium ad inuicem, ita mobile dicitur moueri ex eo, quòd continuè in tempore motus est in alia, & alia parte spatij illius: prima melior.

Ad secundam, conceditur antecedens, & negatur consequentia: quia licèt sit continuè in loco sibi æquali, tamen priùs fuit alibi, & postea erit alibi, & hoc denotat moueri.

Ad tertiam dico quòd in loco in quo est, quia 9. nunc est in loco in quo est, & priùs non fuit: igitur & postea erit alibi, & hoc denotatur per hoc, quod est moueri localiter. Aliter dicitur, quòd sicut motus dicitur esse propter continuam successionem partium, quarum vna non manet simul cum alia, ita etiam mobile dicitur moueri, quia dum mouetur, est in aliquo toto loco, eo quòd successiuè est in partibus eius.

Ad quartam, negatur consequentia, quia illa regula solùm habet veritatem in iis, quæ sunt permanentis naturæ; vel dicitur, quòd *fieri* non attribuitur motui nisi in vltimo instanti non esse motus: verbi gratiâ, si Socrates nunc mouetur, & immediatè pôst mouebitur, tunc motus Socratis fit, vel Socrates incipit moueri, & continuè postea motui attribuitur *esse*, & non *fieri*.

Ad quintam dico, quòd non est inconueniens de illis, quæ non sunt permanentis durationis: verbi gratiâ lumen productum à Sole quando incipit esse, etiam desinit esse, diuersimodè exponendo.

Ad sextam, negatur consequentia: quia illa authoritas, 6. huius, intelligenda est de illis, quorum esse non consistit in *fieri*. Vel dicitur negando istam, quòd motus fit, quando est, quia motus non fit nisi in vltimo instanti non esse motus.

Ad septimam, quia ista *motus significat*, &c. concedo: modò dico, quòd sicut ista *motus est*, est concedenda, ita illa copulatiua, quæ significatur, per istam *motus est*. Ad aliam. Illud totum non est, &c. Negatur maior de successiuis. Aliter dicitur, concedendo de copulato extremo quòd præsens, præteritum, & futurum est.

ANNOTATIONES.

10. *Diuisibilitas motus est quadruplex.* [a] *Motus ponitur communiter ens successiuum*, &c. Nota, in motu quadruplicem inueniri diuisibilitatem. Prima dicitur subiectiua, quam habet motus ratione subiecti in quo est: quod cùm sit diuisibile, etiam accidens materiale qualis est motus, in ipso existens diuisibile est; hæc diuisibilitas accidentaliter competit motui. Secunda diuisibilitas, quam habet motus, prouenit sibi à spatio; & ita prima pars motus, verbi gratiâ, localis, correspondet primæ parti spatij, & posterior posteriori, & similiter quando qualitas intenditur per motum, motus est diuisibilis per diuisionem illorum graduum: cùm autem illa qualitas in esse quieto maneat, sic diuisibilis, & similiter spatium, satis liquet diuisibilitatem motus, hac ex parte prouenientem etiam accidentaliter sibi conuenire: & quia motus in hac secunda acceptione dicit imperfectam acquisitionem termini, imperfectámque entitatem, ad nullum pertinet Prædicamentum, sed reductiuè ad illud, in quo eius terminus est: quia, vt Aristoteles ait, non est præter res, ad quas est motus. Tertia diuisibilitas est successio motus penes moram, & hæc est tempus: quia tempus est prius, & posterius motus, quod quidem est mora ipsius motus; & sic motus diuiditur in partes succedentes sibi inuicem. Quarta diuisibilitas motus prouenit à successione, vel acquisitione successiua diuersorum terminorum, & hæc est propria motus, vt motus est, quia motus est illa successio, & fluxus atque tendentia ad terminum, & motus vt sic est vna species quantitatis continuæ: quia est de genere continuorum, vt ait Aristoteles in hoc 3.

11. Ex quo sequitur, quòd quando Aristoteles dicit in Prædicamentis, motum esse speciem Quantitatis, accipit motum in hac quarta acceptione; quando verò in Postprædicamentis illum collocat, accipit illum in secunda acceptione vt est ens incompletum, qui non est præter res ad quas est: & quando in Metaphysica dicit motum esse quantum per accidens, accipit motum etiam in secunda acceptione: quasi diceret, quòd motus ille, vt sic est imperfectum ens, per accidens est quantum, id est, ratione continuitatis, & successionis, quæ ibi dicitur accidens motui, non quia non sit eius formalis ratio; sed quia rei acquisitæ per motum accidit, quòd per talem acquiratur successionem.

12. *Motus bifariam sumitur.* [b] *Hac est concedenda, motus est.* Nota, motum dupliciter accipi, primò impropriè, vt significat actionem voluntatis, & intelligentiæ, & sic dici solet, quòd intellectus mouet voluntatem, & è contra; & quod obiectum mouet potentiam. Secundò sumitur pro mutatione Physica, quæ fit in materia, & corpore, & hoc secundo modo sumitur in hac conclusione. Dixi notabiliter, *quæ fit in materia, & corpore*: quia motus Physicus in communi sumptus, diuiditur in mutationem, & motum; mutatio, quæ diuiditur in generationem, & corruptionem, fit in materia; itaque illud, quod generatur, & corrumpitur subiectiuè est materia. Motus verò, qui diuiditur in alterationem, augmentationem, & loci mutationem, fit in corpore: nam id quod alteratur, augetur, & mutat locum, est corpus. Conueniuntque mutatio, & motus in hoc, quòd vtrumque est via ad terminum; differunt autem essentialiter, quia mutatio est instantanea, & ferè semper per illam acquiritur substantia, quæ vel tota simul acquiritur, vel tota simul deperditur; motus verò intrinsecè est successiuus, quia accidentia quæ successiuè acquiruntur, acquiruntur per partes, & de motu propriè sumpto loquitur Scotus in hac quæstione.

[c] *In instanti motus est.* Nota, quòd quidam dicunt, quòd instans sumitur hîc pro aliquo tempore determinato, & non prout consignificat aliquod indiuisibile, illo enim modo partes motus sunt; & per consequens motus est. Sed Scotus hîc videtur dicere, quòd quamuis quælibet pars motus sit facta, vel fienda, tamen motus est in instanti indiuisibili, eo quòd ad existentiam rei successiuæ sufficit existentia alicuius indiuisibilis, ad quod eius partes copulantur, & ita est de motu.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm motus localis sit res distincta à mobili.

Aristoteles *hic text.* 4. *& lib.* 8. *text.* 55. Themist. Simplic. Alexand *hic in cap.* 1. Auerroës *comm.* 4. D. Thom. *lect.* 4. *& in* 2. *dist.* 12. *art.* 1. *ad* 5. Aureol. apud Capr. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. *& dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Capreol. *ibid.* Hispalen. *ibid. notabil.* 1. Argentin. *dist.* 19. *quæst.* 1. Alb. à Saxonia 3. *Physic. quæst.* 4. *&* 5. Burlæus *ibid. text.* 11. Ferrar. *quæst.* 2. Sotus *quæst.* 1. *&* 2. Toletus *quæst.* 3. Pererius *lib.* 10. *cap.* 10. Conimbr. *cap.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. Fuente q. 1. *diffic.* 3. *art.* 2. Ruuius *tractat.* 1. *de motu quæst.* 4. *num.* 29. Roccus *quæst.* 5.

ARGVITVR quòd sic, per Aristotelem 3. huius, text. 70. tractatu de *infinito*, vbi dicit, quòd diuersimodè inuenitur infinitas in motu, & in magnitudine, quia licèt in vtroque attendatur infinitas partes semper posse accipere vltimum, tamen in motu semper partes priùs acceptæ, non possunt manere cum partibus posteriùs acceptis, sed tantùm possunt in magnitudine, quod non esset, si motus esset magnitudo mobilis. 1.

Secundò per Aristotelem 4. huius, text. 99. vbi ponit, quòd *esse* motus consistit in *semper fieri* aliud, & aliud; igitur motus non est mobile.

Tertiò, sequeretur quòd Aristoteles 6. huius, probans motum diuidi ad diuisionem magnitudinis, nihil probasset; consequens est falsum. Probatur consequentia: quia per te motus est magnitudo mobilis, & ideò non probasset aliud, nisi quòd magnitudo mobilis est diuisibilis ad diuisionem magnitudinis, modò hoc nihil fuisset probare: quia iam est manifestum.

Quartò, sequeretur quòd motus moueretur, & ad motum esset motus, quod est impossibile: quia tunc rationes Aristotelis in quinto huius, text. 1. 2. & 3. quibus probat ad motum non esse motum, non valerent: & patet consequentia, ex quo motus esset mobile.

Quintò, per Commentatorem 12. Metaph. comment. 41. vbi dicit, quòd nullum corruptibile 2.

potest

potest perpetuari nisi motus cœli. Tunc quæro, quid intelligis per motum cœli: non cœlum, quia cœlum non est corruptibile: si fluxum superadditum cœlo, habeo propositum.

Sexto, si motus Socratis esset Socrates, sequeretur quòd quicunque faceret Socratem moueri, faceret Socratem, & qui cessare motum Socratis, faceret corrumpi Socratem, quod est falsum. Et patet consequentia, ex quo motus Socratis, & Socrates sunt idem.

Septimò, quia motus est sensibile commune, & mobile non: igitur motus non est mobile. Antecedens apparet 2. *de Anima, text*.64. Nec valet dicere, quòd motus est sensibile commune, ex eo quòd magnitudo est sensibile commune: quia tunc motus, & magnitudo non essent sensibilia communia distincta, quod patet esse falsum in eodem secundo.

Octauò, quia quando ad veritatem alicuius propositionis non sufficiunt duæ res, vel tres, oportet addere quartam, ad hoc quòd sit vera; sed hæc est vera, *motus est*, & ad eius veritatem non sufficiunt *motor, mobile, & spacium*; quia tunc quandocunque ista essent, esset motus, quod est falsum: igitur præter ista oportet addere aliam rem, scilicet fluxum, quem voco motum localem.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 3. text.4. vbi dicit: non est autem motus præter res, ad quas est motus: & per hoc probat in quot generibus potest reperiri motus. Secundò per Aristotelem 8. huius, text.55. vbi probat quòd in motu locali nulla res acquiritur intrinsecè mobili, & ideò solus motus localis potest esse perpetuus.

3. De ista quæstione est quædam via, quòd [a] in motu locali acquiritur quidam fluxus, seu dispositio inhærens mobili, secundùm quam mobile dicitur localiter moueri; sicut albedo est dispositio inhærens mobili, secundùm quam mobile dicitur album, & istam conclusionem probant vna ratione, quæ apparet eis demonstratiua, pro qua supponitur primò, quòd omnis motus est mutatio, & omne *moueri*, est *mutari*, & quòd *mutari* est aliter se habere secundùm prius, & posterius, vel saltem aliqualiter se habere, & non taliter se habere priùs. Secunda suppositio, quòd ex omnibus corporibus mundi potest fieri vnum corpus. Probatur, quia talem casum ponit Aristoteles 2. huius 2. text.38. quia hoc non repugnat potentiæ diuinæ. Tertiò, quia dato quòd hoc non esset possibile, tamen hoc non repugnat quantum est ex ratione generali corporum, & mobilium, vt debet videri septimo huius. Tertia suppositio, quòd illud corpus continuum ex omnibus corporibus mundi, Deus potest mouere motu recto, vel etiam circulari, vel quo motu placet sibi, & dato quòd non posset, tamen hoc est imaginabile, vel non repugnat tali corpori, quòd moueatur. Istis suppositis formetur ratio sic: Nisi motus localis esset res distincta à mobili, & à spacio, sequeretur quòd aliquid posset moueri localiter, & tamen se haberet aliter priùs, & posteriùs, quod est impossibile, & contra primam suppositionem. Consequentia probatur, posito per secundam suppositionem, quòd ex omnibus corporibus mundi fiat vnum continuum, ita quòd nullum sit mobile aliud ab illo, & à suis partibus. Tunc moueat Deus per tertiam suppositionem illud mobile, scilicet totum mundum localiter motu recto, tunc totus mundus mouetur localiter; igitur per primam suppositionem se habet aliter quàm priùs, & non ad aliud extrinsecum: quia positum est in casu, quòd nullum sit ibi extrinsecum aliud: igitur se habet aliter intrinsecè per receptionem alicuius in eo, quod est dispositio secundùm quam illud mobile dicitur moueri localiter, & habetur propositum.

4. Secundò, confirmatur quòd non sint nisi duo corpora mobilia, *A* & *B*, tunc per vnam horam moueatur *A* circa *B*, & per aliam *A*, tanta velocitate moueatur *B* circa *A*, tunc nisi motum localiter se haberet aliter quàm priùs, & non solùm ad extrinsecum; tunc sequeretur quòd *A* & *B*, omnino consimiliter se haberent in prima hora, & in secunda: igitur qua ratione in prima hora mouebatur *A*, eâdem ratione in secunda, quod est contra casum.

Tertiò. Non sint sicut priùs nisi duo corpora, scilicet *A* & *B*, & moueatur *A*, *B* quiescente, tunc in illo medio motus ponatur quòd Deus annihilet *B*, quo posito, tunc adhuc *A* mouetur, & non se habet aliter ad aliquod extrinsecum: quia quodlibet extrinsecum iam est corruptum: igitur se habet aliter extrinsecè per dispositionem sibi additam, secundùm quam dicitur moueri localiter, quam dispositionem voco motum localem. Quòd autem *A* moueatur corrupto *B*, probo. Quia potentia motiua ipsius *A*, est æquè potens sicut antè, & nulla accreuit sibi resistentia: igitur si priùs mouebatur; ergo adhuc mouetur: quia non apparet vnde proueniat illa quies.

Secunda via est, quòd motus localis est spatium, supra quod mobile mouetur. Probatur per Aristotelem in 3. huius, text.4. vbi dicit quòd motus non est præter res ad quas est motus, sed motus localis est, ad spatium: igitur non est aliqua res præter spatium. Secundò sicut est de motu alterationis, ita videtur esse de motu locali; sed alteratio non est res distincta à forma, quam alterabile acquirit: igitur motus localis non est res distincta à spatio, quod per motum acquiritur.

5. Tertia via est, quòd motus localis est ipsum quod mouetur localiter, ita quòd mobile localiter, quod actu mouetur, non se habet intrinsecè aliter quàm priùs, nisi fuerit aliqua additio, vel subtractio partium, vel aliunde alteratio, quàm per motum localem. Pro ista opinione sunt aliquæ rationes. Prima est, quòd si motus localis esset fluxus, vel dispositio superaddita: tunc sequeretur quòd eadem res simul esset, & fieret; consequens est impossibile: quia *fieri* est mutari de non esse ad esse. Nec valet si dicatur, quòd hoc non est inconueniens in successiuis: quia Aristoteles in 5. huius, text.13. volens probare, quòd generatio non generatur, ducit ad hoc, quòd tunc generatio generaretur quando esset, & sic habet pro impossibili, quòd generatio, quæ secundùm aduersarios est de genere successiuorum, sit & generetur. Hoc idem patet per Commentatorem ibidem *commento* 13. Probatur consequentia: quia motus est dum mobile mouetur, & etiam fit: quia si priùs factus esset, tunc esset permanentis naturæ: quia maneret idem prius, & posterius.

6. Secundò, sequeretur quòd aliqua res in eodem tempore primò generaretur, & corrumperetur: consequens est impossibile, quia si alicui subiecto acquiratur aliqua dispositio, vt albedo, & corrumpatur alia, vtraque scilicet primò in eodem tempore, tunc albedo est, & dulcedo non est, igitur si eadem res eodem tempore primò generatur,

retur,& corrumperetur, illa res simul esset, & non esset, quod est contradictio. Idem patet per Aristotelem 6. huius, text. 74. vbi habet pro impossibili, quòd aliqua res simul incipiat esse, & desinat esse; immò quòd inter tempus generationis, & corruptionis necesse est cadere tempus medium. Probatur consequentia principalis, & moueatur aliqua res in tempore *A, B*, quia tunc cùm mobile moueatur in secunda parte; tunc motus quo moueretur in secunda parte, maneret per tempus, postquam fuisset generatus: & per consequens non esset res distincta ab omni re permanente; vel fieret post *A, B* tempus, aut in secunda parte: & hoc non; quia tunc mobile moueretur priùs quàm fieret motus, quo moueretur, quod est impossibile. Eodem modo probabitur, quòd in tempore *A, B* corrumpitur primò: quia si maneret pòst, iam esset naturæ permanentis; si corrumperetur antè, tunc mobile moueretur, & nullo motu moueretur: igitur cùm nec ante *A* tempus corrumpatur, nec pòst, nec in prima parte, nec in secunda, sequitur quòd in *A, B* tempore corrumpitur primo.

7. Tertiò, si motus esset talis res distincta ab omni re permanenti, sequeretur quòd vna res haberet in se simul infinitos motus æquales vni motui, dato secundùm durationem, vel quòd successiuè haberet infinitos motus æquales, secundùm durationem; vtrumque consequens est impossibile. Probatur consequentia, supponendo quòd illud, quod actu habet aliquam entitatem, quam priùs habuit in potentia solùm, sit mutatum ad illam: patet ex *quid nominis* mutationis: quia ex quo nunc aliqua res habet vnam entitatem quam priùs non habuit, se habet aliter secundùm illam entitatem, quàm priùs se habuit, & per consequens mutata est ad illam rem. Tunc arguitur res, quæ mouetur, habet motum, quem priùs non habuit; igitur per suppositionem mutata est ad illum motum. Tunc quæro de mutatione illa, an simul est cum motu primò dato, vel fuit priùs, quia impossibile est, quòd sit posterius. Si dicatur quòd simul, tunc res quæ mouetur, habet illam mutationem secundò datam, quam priùs non habuit: igitur per suppositionem ad illam est mutata: & per consequens illa mutatio esset simul cum motu primò dato, & tunc mutaretur ad illum motum, & ita similiter arguitur de mutatione tertiò data, & sic in infinitum, & habetur consequens primum. Si priùs, tunc similiter arguitur, quòd mutatio ad illum motum secundum fuit ante illum motum: & sic in infinitum, & habetur secundum consequens. Falsitas consequentis probatur: quia non videtur possibile naturaliter quòd infinitæ res æquales alicui tertiæ datæ, sint simul in eodem similiter. Secundum est impossibile; quia tunc nihil posset moueri nisi per tempus æternum fuisset mutatum antè.

8. Quartò, sequeretur quòd esset aliqua res composita ex partibus, quæ non sunt, immò quas impossibile est esse: consequens implicat, quia ita diceretur, quòd esset aliquod compositum, ex chimera, & Tragelapho, quę continuarentur ad inuicem, quemadmodum tu dicis quòd partes motus, scilicet præteritum, & futurum continuantur ad inuicem per *mutatum esse* intermedium.

Quintò, si motus esset talis fluxus distinctus ab omni permanenti, scilicet à loco, & à mobili, tunc sequeretur quòd Deus posset ipsum separare à mobili. Et è contra, mobile à tali motu vtroque existente, & dato quòd hoc non concedatur possibile, est tamen imaginabile, ex quo sunt res distinctæ. Sed ex hoc sequitur inimaginabile, scilicet quòd mobile mouetur sine motu, quòd sit ascensus sine mutatione locali, & descensus sine hoc, quòd acquiratur locus deorsum, quod videtur inimaginabile.

Sextò, sequeretur quòd motus non esset actus entis in potentia secundùm quòd in potentia. Consequens est impossibile, quia tunc motus non esset motus, cùm in definitione prædicentur de definito. Consequentia probatur, quia pars præterita motus non est actus mobilis, nec etiam pars futura, nec etiam præsens; quia si esset aliqua præsens, iam esset *mutatum esse*, quod non est motus. Ex quibus patet, quòd motus non est aliqua res successiua inhærens mobili, ab omni re permanenti distincta.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Motus localis non est spatium, quod per motum localem acquiritur. Probatur, quia si esset spatium, sequeretur, quòd aliquid quiescens moueretur, & quòd quies esset motus, quod est impossibile: nam isti termini *motus*, & *quies* sunt oppositi priuatiuè: & ideò non possunt dici de se inuicem affirmatiuè mediante hoc verbo *est*. Probatur consequentia: quia spatium super quod est motus, quiescit. 9.

Motus localis non est spatium per quod mobile mouetur.

Secunda conclusio: Motus localis non est fluxus, vel dispositio, vel res successiua inhærens mobili ab omni re permanenti distincta. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd omne motum localiter moueretur secundùm aliquod esse; consequens est falsum, & impossibile, vt patet 8. huius, text. 55. vbi vult Aristoteles quòd in motu locali nulla res acquiratur mobili, & ex hoc probat solum motum localem posse esse perpetuum. Probatur consequentia: quia omne motum localiter haberet illud accidens in actu, quod priùs habuit in potentia tantùm: & quod mutatum est ad eius esse. Secundò probatur per sex rationes priùs positas.

Motus localis non est fluxus.

Tertia conclusio: Motus localis est mobile quod mouetur localiter. Probatur, quia motus est, vt patuit in alia quæstione; vel igitur est mobile, vel spatium, vel fluxus superadditus mobili, quia non apparet aliud, quod esset motus; sed neutrum est aliorum; ergo est mobile. Ad rationes alterius opinionis posset rationabiliter negari secunda suppositio, & tertia; tamen illis admissis concedo, quòd totus mundus moueretur motu recto; & concedo consequens, quòd illo casu posito, illud quod mouetur localiter, non se habet aliter quàm priùs, sed sufficit ad hoc quòd aliquid moueatur localiter, quòd se habeat aliter, quàm priùs ad aliquod quiescens, si aliquod quiescens esset. Sed contra hoc obiicitur dupliciter. Primò, quia iam Aristoteles insufficienter definiuisset mutationem, quia non sufficit dicere *mutari* est aliter, & aliter se habere: prius, & posterius, sed oportet addere conditionaliter: quòd illud mutatur, quòd se habet aliter ad aliquod quiescens, si aliquod quiescens esset. Secundò quia isti termini, *motus* & *quies*, sunt priuatiuè oppositi, modò terminorum qui priuatiuè opponũtur, terminus qui significat formã, notior est termino significante priuationem; igitur iste terminus *motus* notior est, quàm iste terminus; *quies*, & per consequens motus non debet definiri per quietem, sed potius è contra quies per motum. 10.

Motus localis est mobile, quod mouetur localiter.

Ad

11. Ad ista respondetur. Ad primum, dico quòd defioitio Aristotelis est sufficiens stantibus rebus naturalibus eo modo, quo possibile est ipsas esse per naturam; & hoc supposito, dabat suas definitiones: modò impossibile est naturaliter, quin sit aliquod quiescens, vel aliquod diuersimodè motum, ad quod motú localiter se habeat aliter, quàm priùs. Et ideò quia tu ponis casum impossibilem secundùm naturam, ideò oportet corrigere definitionem, quæ data erat supposito illo casu, verbi gratià in aliis: Arist. in 2. de Anima, text. 67. definit animam sic: *Anima est actus corporis Physici*, &c. eo quòd credidit impossibile esse, quòd anima separaretur à corpore, nisi per corruptionem: sed quia nos concedimus per potentiam supernaturalem, quòd anima potest separari, ideò de anima separata illa definitio est falsa. Item Aristoteles sic definiuisset albedinem; *albedo est qualitas disgregatiua visus, secundum quam aliquid dicitur album*; & tamen ista definitio est falsa de albedine, quæ est in Sacramento altaris. Ideò non mirum, si posito casu impossibili per naturam, varientur definitiones, quæ datæ sunt supposito cursu naturæ.

Ad secundum, concedo quòd aliquando terminus positiuus potest definiri per priuatiuum, præcipuè vbi terminus priuatiuus est notior, ita vt res sit notior sub conceptu termini positiui; modò sic est in proposito, quia notius est aliquid quiescere, quàm aliquid moueri. Quod patet per antiquos, qui negauerunt motum esse, & tamen non negauerunt quietem esse.

12. Ad secundam rationem opinionis illorum sint *A*. & *B*, & *C*. concedo casum; & negatur consequentia: quia licèt in vna hora *A*, & *B* se habeant consimiliter, sicut in alia, tamen *A* se habet in vna hora aliter, quàm priùs respectu *B*, quiescentis, & in secunda hora *B* se habet aliter quàm priùs respectu *A*, quiescentis; igitur *A* mouetur in vna hora, & *B* non, & è contra in alia.

Ad tertium admissu casu, dico quòd corrupto *B*, *A* mouebitur sicut priùs; & non sequitur, igitur aliter se habet quàm priùs; sed sufficit, quòd aliter se haberet, si esset aliquod quiescens. Aliter dicunt quidam, qui propter istas rationes ponunt, quòd locus sit spatium separatum: & ideò ponunt quòd extra cœlum est locus, seu spatium infinitum; & ideò si Deus moueret totum mundum motu recto, vel circulari, ille se haberet aliter ad locum, siue ad spatium separatum in quo esset, & ideò concedunt quòd respectu illius quod nihil est motum localiter, se habet aliter, quàm priùs: sed prima solutio est melior.

13. Ad rationes principales. Ad primam, dico quòd debet sic intelligi, quòd mobile secundùm diuersas rationes dicitur infinitum in magnitudine, & infinitus motus: quia dicitur infinitum in magnitudine, eo quòd est quantum extensum sine termino, sed dicitur infinitus motus, dato quòd mobile sit finitum ex eo quòd tempore infinito mouetur.

Ad secundam, *esse* motus semper consistit in *fieri* aliud post aliud, hoc est dictu, mobile quod mouetur semper est in alio, & alio loco.

Ad tertiam, dico quòd Aristoteles in 6. huius noluit aliud probare, nisi quòd mobile quia mouetur secundùm vnam partem ipsius, priùs pertransit aliam partem spatij, quàm secundùm aliam, & ita scilicet per ordinem partium mobilis.

Ad quartam, concedo quòd aliquis motus mouetur: quia motus est mobile, & mobile mouetur. Ad Commentatorem, dico quòd ipse intelligit, quòd nullum mobile potest perpetuò moueri, nisi cœlum.

Ad sextam, negatur consequentia. Quia si Plato sit nunc sinister Socrati, & Socrate non mutato vadat, quòd sit sibi dexter; tunc argueretur quòd dexterum non esset Socratis, quia Plato fecit Socratem esse dexterum, & tamen Plato non fecit Socratem; & ideò ista consequentia non valet, *ego facio A, & non facio B, igitur B non est A*, & hoc propter connotationem alicuius terminorú.

14. Ad septimam dico quòd sensibile commune non est aliud quàm compositum substantiale habens in se multa sensibilia propria; & ideò illud sensibile potest sentiri à quolibet diuersorum sensuum; & ideò concedo quòd motus est sensibile commune; & ideò licèt motus sit magnitudo, tamen aliunde res percipitur esse motus, & aliunde magnitudo: & ideò propter diuersum modum concipiendi eandem rem sub diuersis conceptibus, ponit illa esse sensibilia communia diuersa.

Ad octauam, concedo quòd quando ad veritatem alicuius propositionis non sufficiunt duæ res qualitercunque se habentes, oportet eas taliter disponere donec se habeant taliter, qualiter se habentes sufficiunt ad veritatem illius propositionis; & ideò si motor & mobile non sufficiant ad hoc, quòd hæc sit vera, *motus est* scilicet qualitercunque se habentes, oportet quòd motor moueat, & mobile moueatur; nec ad hoc requiritur dispositio superaddita. Et si arguatur, sic motus est actus mobilis; sed mobile non est actus mobilis: ergo, &c.

Respődetur, quòd ista, *motus est actus mobilis*, &c. sic intelligitur, mobile, quòd mouetur actu pertransiuit aliquid de spatio, super quod mouetur, & est in potentia ad pertranseundum aliud, secundùm quòd in potentia, id est, cum continua tendentia sine interruptione, ad aliquid pertranseundum.

15. Item, si arguatur sic, motus est subiectiuè in mobili, & tamen mobile non est in mobili; igitur motus non est mobile. Secundò, motus est res successiua, mobile verò res permanens; ergo, &c. Item motus non est acquisitio partis post partem eius perfectionis, ad quam mobile tendit, donec perficiatur, & sic in actu; sed mobile non est talis acquisitio: igitur, &c. Item, sequeretur quòd reuolutio hodierna esset reuolutio hesterna, arguendo sic expositoriè; hoc mobile (demonstrato Sole) est reuolutio hodierna; hoc mobile est reuolutio, hesterna; ergo, &c.

Respondetur. Ad primum dico, quòd ibi sumitur *esse* pro *prædicari*, & ideò sensus est, motus est in mobili, id est, iste terminus *motus* prædicatur de mobili; & sic solet capi *esse in*, quando dicitur superius esse in suo inferiori.

Et si arguatur sic; motus cœli est causa generationis, & corruptionis istorum inferiorum, debet sic intelligi: Cœlum, quod mouetur, est caussa generationis, & corruptionis istorum inferiorum.

Ad aliam; motus est res successiua, &c. id est, mobile quod mouetur, priùs est super vnam partem spatij, pòst super aliam; itaque est successiuè super diuersas partes spatij. Ad aliam; motus est acquisitio, id est, mobile quod mouetur acquirit partem spatij post aliam partem: quia de aliis motibus

motibus dicetur postea. Ad aliam; negatur consequentia: quia iste terminus *reuolutio hodierna*, supponit pro Sole, connotando ipsum esse in signo, & in determinata parte alicuius signi, & iste terminus *reuolutio hesterna*, suppouit pro Sole, connotando ipsom esse in alia parte; & ideò illa de præsenti nunquam est concedenda, sicut nec ista de præsenti est concedenda; *motus sursum est motus deorsum*, sed ista benè est concedenda, *motus sursum fuit motus deorsum*, & ita etiam ista, *reuolutio hodierna fuit reuolutio hesterna*.

ANNOTATIONES.

16. [a] Q*Vedam via est, quòd in motu locali acquiritur quidam fluxus*, &c. Nota quòd, sicut refert Albertus, quinque fuerunt notabiles opiniones de quiditate, & essentia motus, loquendo de motu in genere. Prima dixit motum esse actionem de genere Actionis, & illa considerabat motum, vt est actus mouentis; & huios opinionis videtur fuisse Simplicius super Prædicamenta, quærens, quare ponitur prædicamentum Actionis, & non factionis; & respondet, quia factio dicitur de actione, & de effectu actionis, atque ita est aliqua factio facta: & de tali loquitur Philosophus 2. de Anima, vbi dicit, quòd illud quod imprimitur in sensu, est actio; ponit tamen differentiam inter actionem absolutè, & actionem actam: dicitur enim actio acta secundùm quòd continuè recipitur in subiecto.

Opiniones quinque de quiditate, & essentia motus.

Alia fuit opinio considerans motum in quantum abiicit à mobili; & illa dixit quòd motus est passio, siue in genere Passionis: & huiusmodi opinionis fuit Commentator 5. huius, comm. 9. dicens, quòd motus secundùm materiam suam, est in eodem genere cum suo termino; secundùm autem formam est in genere Passionis: & hoc idem Philosophus 5. Physicorum dicit, quòd motus habet duplicem considerationem: quoniam secundùm suam materiam est in genere eius ad quod est, & secundùm suam formam est in genere Passionis.

17. Alij verò considerauerunt motum in quantum est fluxus quidam de termino *à quo*, in terminum *ad quem*, & isti tripartiti sunt. Quidam enim diaerunt ipsum esse distinctum per essentiam ab ipsa forma, quæ fluit; dicebant tamen quòd ille fluxus non est in aliquo Prædicamento, eo quòd non est ens perfectum; & huius opinionis fuit Auicenna in 2. tractatu suæ sufficientiæ; vbi dicit absurdum esse dicere, quòd nigrescere sit nigredo, & alibi dicit: Abhorreo dicere, quòd nigrescere sit nigredo. Alij verò dixerunt huiusmodi fluxum esse vnum genus Prædicamentale, & distinctum à termino *à quo*, & *ad quem*; sed illorum opinio videtur esse contra Aristotelem. Commentator autem dicit motum secundùm aliam considerationem non esse distinctum à perfectione, ad quam tendit; sed solùm secundùm magis, & minùs. Vnde dicit quòd necesse est, quòd motus hoc modo sit de genere illius, ad quod tendit, nihil aliud est nisi generatio vnius partis post aliam partem illius perfectionis, ad quam tendit motus, donec perficiatur, & fit in actu.

18. Nota secundò, quòd, loquendo de motu in communi, pro vt tamen distinguitur à mutatione, multiplex fuit opinio, an distinguatur à mobili, & à termino motus. Nam quidam diaerunt motom esse idem realiter, & formaliter cum mobili, & cum termino; & hæc opinio valde improbabilis est; cùm enim in motu alterationis acquiratur accidens, & mobile sit substantia, idem formaliter erit substantia & accidens. Secunda opinio asserit motom idem esse realiter cum mobili, distingui autem realiter à termino. Hæc opinio in hoc, quòd dicit motum esse idem realiter cum mobili, coincidit ferè in idem inconueniens, in quod prima opinio; in hoc autem quòd asserit motum distingui realiter à termino, videtur contradicere Aristoteli affirmanti motum non esse præter rem ad quam est. Tertia opinio, quæ est Pauli Veneti, firmat, quòd motus & à mobili, & à termino distinguitur realiter: quod in hunc modum probat: Mobile, & terminus motus sunt entia permanentia, motus autem quid successiuum; sed vna, & eadem res nequit esse simul permanens, & successiua: ergo, &c. Item, quando non est motus, est mobile & terminus motus; ergo distinguuntur realiter à motu. Patet, quia quando res est in suo termino, cessat motus: ergo quando est terminus, non est motus. Consequentia tenet: quia idem non potest simul esse, & non esse.

Opinio quadruplex de distinctione motus à mobili.

Vide Scotum q. 2. 3. Physic.

Quarta opinio, quæ est tenenda cum Scoto, & aliis, sequentibus conclusionibus explicabitur. Sed primò obserua, quòd motus accipitur dupliciter; vno modo materialiter: alio modo formaliter: motus materialiter acceptus non est nisi forma, quæ successiuè acquiritur in subiecto: sed motus formaliter acceptus est via, per quam acquiritur talis forma; & hoc est quod dicitur *quinto Physicorum, text. 18. cap. 9. &* 10. quòd motus habet duplicem considerationem, quoniam secundùm suam materiam est in genere eius ad quod est, secundùm suam formam est in genere Passionis. Hoc stante sit

Motus bifariam sumitur.

Prima conclusio; Motus generationis, corruptionis, alterationis & augmentationis distinguuntur realiter à subiecto mobili. Probatur, termini horum motuum distinguuntur realiter à mobili: ergo & motus. Probatur consequentia, quia motus est idem realiter cum termino motus; ergo si terminus distinguitur, & motus distinguitur. 19.

Secunda conclusio; Motus generationis, corruptionis, alterationis & augmentationis sunt idem realiter cum suis terminis, distinguuntur tamen formaliter ab illis. Probatur, si motus calefactionis distingueretur realiter à calore, sequeretur quòd quando aqua calefit, reciperet in se duas realitates, scilicet calorem, & motum; hoc autem est absurdum: ergo, &c. Minor probatur, quia non sunt ponenda plura sine necessitate: & patet per Aristotelem in hoc libro dicentem motum non esse præter rem ad quam est. Et si dicas, generatio, & corruptio sunt relationes; ergo non sunt idem realiter cum termino, quæ est forma substantialis. Dico quòd generatio, & corruptio formaliter acceptæ non sunt substantia, sed accidens respectiuum: sed generatio, & corruptio fundamentaliter acceptæ sunt forma acquisita, vel deperdita per transmutationem substantialem.

Tertia conclusio. Motus materialiter sumptus est einsdem essentiæ cum suo termino *ad quem*; est enim forma fluens de imperfecto ad perfectum, vel è contra. 20.

Quarta conclusio. Motus formaliter acceptus est

est quidditatiuè & essentialiter in Prædicamento Passionis. Patet; quia quo passum refertur ad agens, est passio; sed mobile, quod est patiens, refertur ad agens per motum: ergo, &c. Maior patet 5. Metaph. cap. de Relatione, text. 10. vbi dicitur quòd secundus modus relatiuorum fundatur super actionem, & passionem, & super potentiam actiuam, & passiuam.

b *Motus localis non est fluxus*, &c. Nota, quòd hæc conclusio, & sequens non sunt ad aures Doctoris Subtilis: nam oppositum ipse docet in quodlib. quæstione vndecima, articulo 4 & tu vide Leuchetum in 2. distinctione 2. quæstione 4. ad rationes Gregorij de Arimino. Sed hæc sententia est potiùs aliquorum Thomistarum, qui tenent sex vltima Prædicamenta esse relationes *secundùm dici*, & relationem non distingui realiter à fundamento, & ex consequenti dicunt nihil aliud esse me acquirere *Vbi*, quàm me ipsum cum respectu quodam.

21. Nos verò Scotum sequentes, & talia sex vltima Prædicamenta relationes *secundùm esse* affirmamus, & à fundamentis realiter distinctas, quarum vna est Prædicamentum *Vbi*, quod per motum localem acquiritur, quomodo autem successiuè, vide Leuchetum vbi suprà.

Sit ergo ad aures Scoti hæc conclusio: Motus localis distinguitur realiter à mobili, & à termino motus. Prima pars probatur, tum quia motus localis est accidens mobilis; mobile verò substantia, tum quia *esse* motus localis consistit in *fieri*, non autem *esse* mobilis, eo quòd in quolibet instanti est mobile, non autem motus: tum, quia motus localis est subiectiuè in mobili, atque ita actus mobilis, idem autem non est actus sui ipsius. Et tandem motus terræ sursum est violentus terræ; terra autem sibi ipsi non est violenta: ergo, &c. Secunda pars ex eo patet, quia reliqui motus sunt idem realiter cum suis terminis; quia sunt formæ absolutæ, quæ successiuè per partes acquiruntur; sed *Vbi* est relatio, quæ in instanti, & non per partes acquiritur, loquendo de *Vbi*, quod est terminus motus; ergo distinguitur realiter à motu.

EXPOSITIO TEXTVS.

22. Text. 18. ET *dubitatum autem 1 manifestum est*, &c. Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo Philos. mouet dubia circa definitionem motus, & est primum dubium, vtrùm motus sit actus moti, vel mobilis. Secūdum, vtrùm moti, & mobilis sit idem actus. Tertium, vtrùm actio & passio sint idem motus. Et quartum, vtrùm actio, & passio sint in agente, vel in patiente. Et primò soluit primum dubium. Secundò secundum, & tertiò alia duo simul. Secundum ibi, *Motiui autem actus*. Tertium ibi, *Habet autem dubitationem*. Primò ponit istam conclusionem, quòd motus est in mobili. Probatur, quia in illo est motus, cuius motus est actus, sed motus est actus mobilis, sed causatus à mouente; igitur motus est actus mobilis, siue motus est in mobili.

Motus autem actus. Soluit secundam dubitationem, & ponit istam conclusionem, quòd motus est idem actus motiui, & mobilis. Probatur, quia ille est idem actus motiui & mobilis, per quem mobile est in potentia, vt moueatur, & per quem mouēs actu agit, vel operatur; sed per motum est mobile in potentia vt moueatur, & mouens actu agit motum; igitur motus est vtriusque actus. Et declarat per duo exēpla, quorum aliqui primum sic exponunt, quòd eadem est proportio vnius ad duo, & duorum ad vnum, quod est impossibile, cū vna sit proportio maioris inæqualitatis; & alia sit proportio minoris inæqualitatis; & ideò debet sic intelligi, quòd eadem est proportio, id est, distantia vnius ad duo, quæ est duorum ad vnum. Secundum exemplum, quia eadem est via ascendentis, & descendentis, licèt hoc sit diuersimode; ita similiter idem est actus mouentis, scilicet secundùm quòd fit à mouente; & moti, id est, secundùm quòd recipitur in moto.

23. *Habet 2 autem dubitationem*, &c. Soluit tertiam, & quartam dubitationes simul, & primò probat, quòd actio & passio non sint diuersa, secundò quòd non sint vnum; & tertiò soluit. Secundum ibi: *Sed vnus erit actus*. Tertium ibi: *An neque alterius*, &c. Est igitur prima suppositio, quòd actio est actus actiui, & passio est actus passiui. Probatur, quia vniuscuiusque opus & finis est actio ipsius: modò actio est finis & opus agentis, & passio finis & opus patientis. Hoc supposito, probatur quòd actio & passio non sunt motus distincti, quia vel ambo essent in agēte, vel in patiente, vel actio in agente, & passio in patiēte: quia è conuerso dicere, non esset nisi abuti nominibus. Si ambo in agente, hoc est impossibile, quia tunc vel habens motum non moueretur, vel omne mouens moueretur. Quod probabitur falsum in octauo huius, tex. 54 & inde Si ambo sunt in patiente; tunc sequuntur duo inconuenientia; primum, quòd non vniuscuiusque est in illo, cuius est actio. Secūdum, quòd duo motus distincti secundùm speciem, erūt ad vnam, & eandem rem secundùm speciē. Si dicatur, quòd actio sit in agēte, & passio in patiente; tunc sequitur sicut priùs, quòd omne mouens mouebitur, quod est falsum.

Text. 19. *Actio an sit in agente, vel in passo.*

24. *Sed vnus erit actus*. Hic ostendit, quòd ista sunt eadem: quia irrationabile videtur, quòd idem sit actus, seu motus diuersorum secundùm speciem, scilicet mouentis & moti. Secundò, sequeretur quòd doctio & doctrina essent idem, quod est falsum: quia doctio est Doctoris, & doctrina discipuli. Tertiò, sequeretur quòd idem esset agere, & pati, quod est falsum: quia aliqua agunt, quę non patiuntur: & quartò, sequeretur quòd omne docens addisceret, quod est falsum.

An neque 3 alterius actum, &c. Hic soluit dictam dubitationem; & primò rationes. Vnde non est inconueniens, quòd actus alicuius sit in alio, ab eo cuius est actus, vt doctio, quę est actus docentis non decisus, id est, continuè dependens à docente in *fieri*, est in discipulo, qui docetur. Secūdò dicit, quòd doctio, & disciplina sint idem, non est inconueniens; sed dicitur doctio, in quantū fit à doctore, & disciplina, in quantū recipitur in discipulo. Tertiò, quòd non sequitur, quòd omne agens patiatur: & quartò, quòd non sequitur, quòd idem sit agere, & pati. Et dicunt aliqui quòd *agere* supponit pro eodem, pro quo iste terminus *actio*, & sic sunt idē agere & pati. Alij dicūt quòd iste terminus *agere* supponit pro aggregato ex agente & actione, & *pati* pro aggregato ex passione & passo; & tunc non est idem agere, & pati. Ex istis patet, quòd Aristoteles intendit très conclusiones soluendo istas dubitationes. Prima est, quòd actio & passio sunt idem motus. Secunda, quòd actio & passio sunt in patiente: & Tertia, quòd actio & passio differunt secundùm rationem, &

Text. 20.

Vide Zimarã in tab. lit. a. & lit. m. fol. 265. col. 2.

Actio, & passio sunt idem motus.

Actio, & passio sunt in patiente.

Actio, & passio differunt ratione.

& tunc recapitulando dicit, quòd sicut data est definitio motus in generali; ita potest accipi proportionaliter cuiuslibet specierum eius, vt alteratio est actus alterabilis secundùm quòd alterabile, eodem modo de ædificatione, & medicatione, & singulis aliis motibus.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnis actio sit in agente.

Aristot. hic text. 22 & 9. Metaph. c 9. D Thom. *ibid. & lib 2. cont Gent. c. 2 & Opusc 48* Scotus *in 4. dist. 13. q. 2. & in quodl 13* Ant And *lib. de sex princ c. de actione.* Canon. *q 2. art. 3.* Ægidius *de mensura Angelor. q. 10.* Heruæus *quodl. 9. q. 8* Ferrarien. *1. de Anima. q. 22. & 2. cont Gent c. 82.* Soncinas *5. Met. q 37.* Caiet. *1 par. q. 25 art 1.* Iauelius *9. Met. q. 15* Conimbr *3 Phys cap. 3 q 2.* Suar. *tom 2. disp 48. sect. 4.* Complut. *disp. 17. q. 4.* Ruuius *3. Phys tractat. 1. q 6.* Auersa *tom. 1. quæst. 26 sect. 4.* Fuentes *q 2. diffic. 2.* Fabet *Theorem. 41.* Roccus *quæst 7.*

1. ARGVITVR quòd sic: quia impossibile est effectum causæ formalis inueniri sine illa forma; sed agens est effectus formalis actionis: ergo, &c.

Secundò, quia perfectio alicuius non potest inueniri nisi in illo, cuius est perfectio; sed actio est perfectio agentis; tunc enim agens est in sua vltimata perfectione quando agit; igitur actio non est nisi in agente.

Tertiò, actio & passio sunt mutationes oppositæ, & passio est in patiente; igitur actio non est in patiente, & per consequens est in agente.

Quartò, quia omnis dispositio est in illo subiectiuè, quod denominat; sed actio denominat agens: igitur actio est in agente. Maior patet inductione: quia anima est in illo, quod denominatur animatum, iustitia in illo, quod denominatur iustum; & sic de aliis.

Quintò, quia cuius est potentia, eius est actus, vt patet in libro de Somno & Vigilia; sed in agente est potentia actiua: igitur & actio.

Sextò, per Aristotelem 8. huius, text. 6. & inde, vbi dicit, quòd si Deus ageret aliquid de nouo, mutaretur, & non nisi recipiendo actionem: igitur actio ipsius Dei, si de nouo ageret, esset in ipso Deo; quia aliter non sequeretur, quòd mutaretur, & per consequens multo fortiùs cuiuslibet alterius agentis actio est in ipso agente.

2. Septimò, agat ignis in duo calefactibilia; tunc huius ignis est vna actio, vel plures; non plures, quia vnius agentis vnica debet esse actio; si vna, tunc vel est subiectiuè in agente, & habetur propositum, vel in passo, & hoc non; quia quâ ratione esset in altero illorum passorum, eâdem ratione in reliquo.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto tertio, text. 22. vbi ponit quòd actio, & passio sunt idem motus, qui est in passo, & non in agente; sed denominatur actio pro tanto, quia fit ab agente effectiuè.

Actio multis modis accipitur.

Notandum est, quòd hoc nomen *actio* multoties accipitur æquiuocè. Nam vno modo dicitur actio operatio rei, siue sit cum motu, siue sine motu, immò adhuc in re immateriali; & sic dicit Commentator 12. Metaph. comm. 39. quòd Deus est actus purus. Item in 2. Metaph. comm. 39. dicit, quòd actio in rebus immaterialibus dicitur illud quod significatur per modum actus, vt *intellectio, volitio, & delectatio.* Secundo modo restringitur hoc nomen *actio*, vel *actus* ad actiones elicitas, scilicet quæ proueniunt ab electione. & sic in moralibus, scilicet in 6. Ethicorum, actio distinguitur contra factionem, & scientiæ factiuæ contra actiuas. Tertio modo dicitur actio operatio agentis, & sic dicit Aristoteles in isto tertio, tex. 19. quòd actio est actus actiui, secundùm quòd actiuum; ita quòd est finis & operatio agentis; & sic accipitur in proposito.

3. Secundò, notandum quòd hoc nomen *passio* est æquiuocum. Vno modo dicitur passio de omni qualitate, vel dispositione respectu sui subiecti, & sic *sanitas, scientia, albedo*, & huiusmodi dicuntur passiones. Secundo modo dicitur passio appropriatè de quolibet sensibili; & sic dicimus, quòd tertia species Qualitatis est Passio, vel Passibilis qualitas. Tertio modo restringitur hoc nomen *passio* ad operationes appetitus, & præcipuè appetitus sensitiui. Et sic accipitur passio in secundo Rhetoricæ. Quarto modo accipitur passio, vt hoc nomen *passio* restringitur ad corruptiones, & actiones nociuas. Et sic dicimus læsum passum, & non illum, qui accipit alterationes salutiferas. Quinto modo accipitur passio pro termino connotatiuo conuertibili cum termino absoluto, vel minùs connotatiuo. Et sic dicimus, quòd risibile est passio hominis. Sexto modo dicitur passio operatio passi recepta ab agente; & sic dicit Aristoteles in isto tertio, quòd passio est actus passiui secundùm quòd passiuum, ita quòd passio est finis & operatio illius passi; & isto modo accipitur in proposito.

Passio est nomen æquiuocum.

Tertiò, notandum est, vt probabitur postea, & patet per Aristotelem in litera, quòd actio & passio sunt eadem res numero, quæ est in patiente, & denominatur passio eâ ratione, quâ recipitur in passo, & denominatur actio, eo quòd fit ab agēte.

4. Ideò ad videndum quòd ista sunt ab inuicem indistincta, & quòd sunt in eodem, ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Omnis actio est res distincta ab agente. Probatur, quia omnis actus, & operatio alicuius rei est distincta ab illo, cuius est operatio; sed actio est actus agentis: ergo, &c. Maior patet; quia actus & operatio agentis dependet, & producitur ab agente: igitur si esset eadem agenti, iam idem dependeret, & produceretur à seipso.

Actio est distincta ab agente.

Secunda conclusio: omnis [a] passio est actio. Probatur sic; omne illud est actio, quod est actus actiui, scilicet finis, & operatio ipsius, secundùm quòd actiuum; igitur omnis passio est actio. Consequentia tenet per definitionem actionis. Et antecedens probatur, quia si esset aliqua passio, quæ non esset actus actiui, iam illa passio fieret, & non ab aliquo agente, quod est impossibile.

Passio est actio.

Sed contra conclusionem obiicitur. Primò, per Authorem [b] Principiorum, qui dicit, quòd passio est effectus illatióque actionis; modò effectus cùm sit idem cum sua causa. Secundò dubitatur, an omnis actio sit passio. Respondetur ad primum, quòd illa [c] definitio est falsa, & Author loquitur impropriè, sicut fecit per totum illum librum; sed potest sic intelligi, ex quo actio, & passio sunt eadem res, tamen dicitur actio, eo quòd fit ab agente, sed dicitur passio in quantum fit in passo; & ideò in accidentibus naturalibus, vbi passio omnis est actio, & è contra, ista causalis est vera: *quia actio est, passio est*; & è contra, licèt quodlibet sequatur ad reliquum, & ideò propter

vo

veritatem illius causalis ponit Author, quòd actio sit causa passionis.

5. Ad secundum, dico quòd omnis actio naturalis est passio, quia semper talis fit præsupposito subiecto; sed non oportet de actione supernaturali. Nam si Deus crearet vnam Intelligentiam, aut vnam portionem materiæ primæ, illa creatura esset actio, & non passio.

Tertia conclusio. Actio agentis non est res distincta à re, quam producit in passo: verbi gratiâ, quòd calefactio facta ab igne in aqua non est alia res à calore, qui in aqua producitur. Probatur, quia omnis effectus productus ab agente in passo est actio: igitur etiam quilibet qui producitur est actio. Consequentia tenet, quia non est maior ratio de vno effectu, quòd sit actio, quàm de alio: & antecedens probatur per definitionem actionis: nam calor, dum producitur ab igne, est actus actiui, scilicet ignis secundùm quòd ab igne. Secundò, quia si calefactio esset actio media distincta à calore; tunc sequeretur, quòd agens simul haberet actiones infinitas æquales vni actioni datæ, quod est impossibile: & consequentia probatur, quia sicut ad actionem caliditatis indiget actione distincta à caliditate, ita etiam ad productionem illius actionis indiget secunda actione, & ad productionem secundæ indiget tertia, & sic in infinitum: quia quâ ratione aliqua produceretur sine actione superaddita, eâdem ratione & caliditas potest produci sine superaddita calefactione. Tertiò si caliditas, dum producitur, & calefactio sint res distinctæ, tunc Deus poterit vnam istarum conseruare isto modo, quòd concurrat agenti ad calefactionem, sine hoc quòd concurrat ad producendum calorem, & è contra; tunc sequitur, quòd aliquid fiet summè calidum sine calefactione, & quòd aliquid calefiat sine caliditate, quod non est imaginabile.

6. Quartò, quia si actio sit res distincta à re producta ab agente, tunc capio aliquod agens, quod indiuisibiliter producit suam actionem; scilicet voluntatem, quæ subitò elicit actum suum; si actio sua sit res distincta à qualitate, quam producit, sequitur quòd aliqua res duret præcise per instans, quod est impossibile, vt allegatum fuit in alia quæstione ex 8. huius.

Contra conclusionem arguitur; quia illa sunt distincta ab inuicem, quorum vnum transit, reliquo manente; sed manente effectu producto ab agente, transit actio; ergo, &c. Secundò, quia radius luminis nunc de facto agitur, & dependet à Sole; nunc ponn (sicut possibile est) quòd Deus suppleat actiuitatem Solis; ita quòd omnino ille radius non dependeat à Sole, sed præcisè à Deo. Tunc arguitur sic; priùs iste radius dependebat à Sole, & nunc non dependet à Sole; igitur habitudo ipsius ad Solem, quæ significatur per hoc, quòd dicitur esse à Sole, iam corrupta est. Item, si per istam radius dependet à Sole, nulla res importaretur nisi Sol, & radius fuit vt priùs, sequitur, sicut radius priùs dependebat à Sole, ita de facto dependeat, nisi dicatur, quòd actio Solis sit corrupta & habetur propositum, quòd actio sit distincta ab effectu producto.

7. Respondetur ad primum, concedendo maiorem, & negando minorem. Vnde dum caliditas producitur, concedo quòd actio, seu calefactio durabat tandiu, sicut & caliditas, sed non est tandiu calefactio. Ideò propter connotationem huius termini *calefactio*, qui connotat caliditatem acquiri, concedendum est, quòd calefactio est, quando non est calefactio.

Ad secundum, concedo casum, & dico, quòd nec aliqua dependentia, nec actio corrumpitur, sed ille idem radius sine aliqua mutatione, qui priùs dependebat à Sole, nunc dependet à Deo. Nec etiam erat priùs actio media, qua priùs dependebat à Sole, sicut nunc non est actio media, quâ radius dependet à Deo.

Quarta conclusio; Omnis [c] actio, & omnis passio est in patiente, loquendo de actione naturali, cui supponitur subiectum. Probatur, quia in illo est actio, in quo est effectus productus ab agente; sed hoc est in patiente; ergo, &c. Secundò arguitur ratione Aristotelis, quia nisi omnis actio esset in patiente, sequeretur quòd omne agens pateretur, vel habens motum, vel mutationem non moueretur, quod est impossibile; quia si primum esset verum, iam esset processus in infinitum in causis. Similiter, si secundum esset verum, iam esset aliquis motus, quo nihil moueretur, quod est impossibile. *Omnis actio & omnis passio est in patiente.*

Ad rationes. Ad primam dico, quòd effectus causæ formalis accipitur dupliciter: vno modo pro causato formæ, & sic non est aliud, quàm materia, vel compositum. Alio modo accipitur impropriè pro illo, quòd denominatur ab aliqua forma, siue intrinsecè, siue extrinsecè, & hoc modo agens est causatum à forma scilicet actionis, quia denominatur ab actione, & non primo modo. 8. *Effectus causæ formalis sumitur dupliciter.*

Ad secundum dico, quòd operatio agentis non est perfectio agentis saltem [d] de agente; sed est perfectio recipientis: verbi gratiâ, calefactio non est perfectio Solis calefacientis; sed illius, quod calefit: verum est tamen, quòd nos dicimus, quòd operatio agentis est sua perfectio, eo quòd est signum suæ perfectionis.

Ad tertium, negatur maior. Ad quartum dico, quòd dispositio existens in aliquo subiecto denominat illud subiectum, sed non oportet, quòd denominet ipsum secundùm quodlibet nomen illius dispositionis: verbi gratiâ, secundùm Aristotelem in isto 3. text. 19. doctrina est in discipulo, & tamen secundùm istud nomen *doctrina* non denominat discipulum, sed secundùm istud nomen *disciplina*; ita in proposito actio denominat passum in quo est, non secundùm istud nomen *actio*, eo quòd non dicitur actio nisi in quantum fit ab agente; sed denominat ipsum secundùm hoc nomen *passio*, & secundùm hoc nomen *caliditas*, si sit actio ad caliditatem.

Ad quintum, concedo, sed non oportet quòd in eo sit passio subiectiuè, sed sufficit quòd sit ab illo, ita vt cuius est potentia ad agendum, eius est actus, id est, actio tanquam ab illo, non tanquam in illo. 9.

Ad sextum, dico quòd Aristoteles non dicit, quòd Deus mutaretur propter nouam actionem, quam in se reciperet; sed propter hoc quòd credidit Deum non posse agere de nouo sine noua voluntate, vel noua dispositione in voluntate mediante quâ ageret, quia super hoc fundatur eius processus. Ad septimum, dico quòd ipsius sūt duæ actiones: immò quòd essent passa diuersa approximata, in quibus ignis ageret, tot essent actiones distinctæ: immò quod plus est, si plura agentia vt plures ignes, agerent in idem passum, ab omnibus illis in illud passum fieret vna actio, & esset tanquam ab vno totali agente.

ANNOTATIONES.

10. *Actio sumitur dupliciter atque etiam passio.*

a OMnis passio est actio. Nota primò, quòd dupliciter accipitur actio, & passio, materialiter scilicet, aut formaliter: materialiter sumitur pro illa forma, quæ fluit, & pro motu, quo peruenitur ad formam, quæ ab aliis dicitur *actio acta*, & sic caliditas in aqua, quando producitur, dicitur calefactio; & de hac est verum dicere, quòd idem motus est actio, & passio: & dicitur actio forma; quia est effectus agentis, & dicitur passio, quia non est in potestate recipientis illam non recipere, si seruanda seruentur: actiuo enim & passiuo debitè approximatis necessariò sequitur actio; & de actione, & passione in hac significatione loquitur Scotus in hac quæstione. Si verò actio, & passio accipiantur formaliter, dicunt relationes primò diuersas constituentes diuersa Prædicamenta, quarum actio est subiectiuè in agente, & passio in patiente, de quibus, vt sic, non est verum dicere, quòd sunt vnus motus, neque motus, quia Prædicamenta Actionis & Passionis sunt primò diuersa, sed actio, & passio, quæ sunt idem motus, sunt eædem prorsus realiter.

11. *Actio relatio non est principium productiuum, sed est principium denominandi agens.*

Nota secundò, quòd actio relatio non est principium productiuum, licèt sit principium denominandi agens: quâ actione agens formaliter dicitur agens; nullum enim aliud est principium productiuum, nisi agens cum virtute producendi. Et quando dicitur, quòd generatio terminatur ad genitum, verbi gratiâ generatio ignis ad ignem genitum, debet sanè intelligi: si enim accipiatur generatio, vt prior genito, tunc generatio formaliter nihil aliud est in se nisi causa generans, & præcisè ipsum absolutum causæ, quæ nihil aliud facit nisi ponere in *esse* genitum, quod habebat in virtute, quo posito, sequitur relatio causati ad causam, & è contra. Si verò accipiatur formaliter actio, vel generatio, pro relatione, quâ generans dicitur agens, talis non est prior genito, neque mediat inter genitum, & generans; tantùm enim absolutum causæ ponit in *esse* absolutum effectus, & statim quasi posterior sequitur relatio, quæ dicitur actio.

12. *Ordo causandi.*

Nota tertiò, quòd ordo causandi est huiusmodi. In agente & patiente, quæ sunt naturæ absolutæ, fundantur duæ relationes antequam agens inducat effectum in passo. Prima relatio est inclinati ad rem, cui inclinatur: quæ duobus modis contingit, vno ex parte agentis, altero ex parte patientis: agens verò inclinatur, vt perfectiuum ad passum, vt ad suum perfectibile, quod perficit; è conuerso passum vt perfectibile inclinatur ad duplex perfectiuum, intrinsecum scilicet, & extrinsecum. Perfectiuum intrinsecum est forma quam in se recipit productum ab agente, ipsum verò agens est perfectiuum extrinsecum. Secunda relatio est approximationis, (debent enim approximari actiuum, & passiuum;) istæ relationes fundantur in absoluto agentis, & patientis, ante actionem, & passionem. His relationibus positis, statim absolutum in causa, id est, ipsa causa causat effectum in suo esse, & in esse absoluto: & tunc agens dicitur referri ad patiens per relationem, quæ in ipso resultat, quæ dicitur actio de Prædicamento Actionis: & similiter in passo oritur relatio passionis, quâ dicitur pati, & quâ refertur ad agens. & dicit Scotus quòd huiusmodi relationes sunt præuiæ ad relationes effectus ad causam, & causæ ad effectum:

Vnde ex hac causatione primò resultat in effectu relatio ad causam, & relatio causæ ad effectum. Quod Leucherus in quol. quæst. 13. sic explicat. Priùs forma inducitur in materia, & pòst immediatè resultat relatio passio in ipsa materia, quæ terminatur ad agens: agens enim habet respectum ad formam productam, & habet alium respectum agentis ad passum, & sic passio est prior formâ productâ; quia est respectus fundatus in materia, scilicet quòd materia recipit formam ab agente. Atque ita dicitur, quòd passiu est dispositio præuia ad relationem geniti ad generans, quâ dicitur genitum dependere ad generans, & ista relatio est posterior. Hæc Leucherus. Verbi gratiâ, vt ignis producat calorem in ligno, debet ignis habere principium quo agat, à quo dicitur actiuus & effectiuus: in quo igne vt sic, fundatur relatio perfectiui, id est, potentis producere perfectionem, seu formam, & in recipiente, vt in ligno debet correspondere principium passiuum, quo possit recipere actionem ignis, in quo, vt sic, insurgit duplex relatio perfectibilis, vna ad formam, quæ debet recipere, quæ forma dicitur perfectiuum intrinsecum talis ligni; & altera ad ignem producentem talem formam, qui ignis dicitur perfectiuum extrinsecum ligni. Rursus debent ignis & lignum approximari, id est, poni in debita distantia ad hoc, quòd ignis possit operari in ligno, & statim ignis suâ formâ, vt principio formali agit in ligno, producendo calorem: in hac productione resultat in igne relatio, quæ dicitur actio, & à qua ignis denominatur agens: & hac relatione refertur ad lignum, vt ad passum, & hæc relatio constituit Prædicamentum Actionis. In ligno etiam correspondet alia relatio ad ignem, quæ dicitur passio, à qua formaliter lignum dicitur pati, & hæc relatio constituit Prædicamentum Passionis. Resultat etiam in calore producto relatio effectus ad ignem, vt ad causam, & in igne correspondet alia relatio causæ ad calorem, vt ad effectum, & istæ relationes sunt de genere Relationis. 13.

14. *In qualibet actione physica tres relationes possunt considerari.*

Ex huc sequitur primò, quòd in qualibet actione physica possumus tres relationes considerare. Prima est agentis ad terminum totalem productum, qui est effectus agentis. Secunda ad terminum formalem; & hæ duæ relationes, cùm sint intrinsecus aduenientes, sunt quidem in Prædicaméto Relationis. Tertia relatio est quam habet agens in ordine ad patiens, & hæc tertia relatio est extrinsecus adueniens, quia non consurgit necessariò positis fundamento & termino; vt si aqua, & ignis essent, non sequitur talis relatio quousque ignis agat in aquam. Vnde hoc nomen *actio* potest accipi pro qualibet harum trium relationum, & etiam accipitur pro motu, vt procedit ab agente; aliquando etiam accipitur pro actione immanente, quæ verè est qualitas, vt est intellectio & volitio.

Quomodo actio & passio sunt idem motus.

Secundò sequitur, quomodo sit verum dicere, quòd idem motus est actio & passio, qui vt procedit ab agente dicitur actio, & vt recipitur in patiente, passio; hoc enim verum est tantùm de actione acta, vel de motu, materialiter accepto: nam actio, & passio vt sic, non constituunt illa duo ex sex vltimis Prædicamentis: nam vt talia Prædicamenta constituunt, dicunt relationes

nes non quascunque, sed relationes inter agens & patiens.

15. Tertiò, sequitur quòd motus essentialiter, & realiter distinguitur ab actione, quæ est relatio. Tum quia distinguuntur prædicamentaliter, tum quia motus est subiectiuè in mobili, & actio in agente. Et si inueniatur aliqua authoritas, dicens, quòd actio sit motus, hoc debet intelligi terminatiuè, quia scilicet terminatur ad motum: vel concomitanter, quia ipsam concomitatur motus: vel debet accipi actio pro actione acta, quæ est motus saltem materialiter acceptus.

Motus realiter distinguitur ab actione quæ est relatio.

b *Illa definitio est falsa*, &c. Nota, quòd illa definitio Authoris sic explicatur ab Antonio Andrea in lib. 6. Principiorum, quæst. 8. passio est effectus actionis, sic quòd actio efficit ipsam, non vt *quod*, nec vt principium formale *quo*: sed sicut actus productiuus, quo agens transmutat passum, & transmutatio passiua est ipsa passio illata. Nam principium productiuum est duplex, scilicet vt *quod*, & *vt quo*, & hoc secundum est etiam duplex; vel vt principium formale productiuum, vel vt actus productiuus. Exemplum primi, ignis calefaciens respectu caloris geniti in ligno. Exemplum secundi, calor in igne respectu termini eiusdem. Exemplum tertij, calefactio respectu eiusdem termini: passio ergo est effectus & illatio actionis, sicut respectus oppositus consequens formam, ad quam transmutatur. Vnde in tali transmutatione oportet imaginari tria instantia, vel signa naturæ, licèt totum possit esse simul tempore & duratione. In primo signo est agens, & passum, vt duo absoluta ante omnem actum, puta ignis, & aqua. In secundo signo forma caloris inducitur in aqua ab igne. In tertio signo consurgit respectus passionis in passo, & respectus actionis in agente; quia simul sunt respectus oppositi, & non sunt. Fortè in eodem signo innascuntur respectus producentis, & producti, inducentis & inducti, qui sunt de genere Relationis. Hæc expositio est Logica, sumendo actionem & passionem pro respectibus, prout constituunt duo Prædicamenta diuersa. Expositio autem, quam hîc tangit Scotus, est merè physica, sumendo actionem & passionem pro forma absoluta, quæ realiter est actio, & passio, diuersimodè tamen considerata.

Definitio actionis explicatur.

16. c *Omnis actio & omnis passio est in patiente.* Nota, quòd actio est duplex, scilicet immanens & transiens; & hæc diuisio potest esse generis in species, aut vocis in significationes. Nam actio transiens non dicitur, quia quæ verè est actio de genere Relationis transeat; talis est enim in agente, vt in subiecto: sed dicitur transiens, quia forma inducta per actionem transit in passum, sicut calor transit in aquam, quando aqua calefit ab igne; sed actio de genere Actionis, non solùm est terminus forma quæ sic transit, sed etiam forma inducta per mutationem manens in ipsomet agente, vt productio intellectionis est actio, quæ terminatur ad intellectionem, quæ est forma absoluta manens in intellectu, atque adeò actio vniuocè dicitur de actione transeunte, & immanente sic intellectis. Si verò actio transiens accipiatur pro vera actione de genere Actionis, cuius terminus formalis, scilicet forma, quæ inducitur de nouo, transit in passum; & actio immanens accipiatur pro forma, quæ manet in agente inducta per actionem, quæ forma est vera qualitas, talis acceptio est vocis in significationes.

Actio alia immanens, alia transiens.

Ex hoc sequitur primò, quòd propriè loquendo, omnis actio est immanens: quia actio propriè cùm sit relatio de genere Actionis, est in agente subiectiuè; dicitur autem transiens: non quia ipsa actio transeat, sed quia terminus productus per ipsam transit in passum, & dicitur immanens, quia terminus productus per ipsam manet in agente.

Secundò, sequitur quòd operationes intellectus, voluntatis, & sensuum, quas vocant actiones immanentes, cùm veræ qualitates sint, dicuntur tamen actiones, quia duas conditiones ex tribus, quas actioni assignamus, habeant: videlicet *esse in continuo fieri*, hoc est, cessare cessante agente ab operatione, & esse in subiecto sicut actio; intellectio quippe est in intellectu, sicut actio, quæ est relatio, est in agente. Tertiam autem conditionem, quæ est completiua ratio actionis, scilicet quòd actio transit in terminum, qui accipit esse per eam, non habent, sed tantùm in hac conditione assimilantur actioni; sicut enim actio transit in terminum, qui habet esse per actionem, sic operatio transit in obiectum, licèt obiectum non habeat esse per ipsam operationem, immò præsupponitur suo *esse*, quia per tales operationes nihil fit, vt patet per Aristotelem 1. Ethicorum, cap. 1. & 4. Metaphysicæ, cap. 9. vbi dicit, quòd visio & speculatio nullum aliud opus habent præter se ipsas. 17.

Tertiò, sequitur quòd Scotus in hac conclusione quarta loquitur de actione, quæ habetur per motum & transmutationem; omnis enim talis (quæ quatenus est ab agente, dicitur actio, & quatenus in passum recipitur, appellatur passio) est subiectiuè in passo.

d *Siue intrinsecè, siue extrinsecè.* Intrinsecè, id est, denominatione intrinsecâ, quæ fit per formam formaliter existentem in subiecto. Siue extrinsecè, id est, denominatione extrinsecâ, quæ fit per formam, quæ non est in denominato, quemadmodum lapis appellatur visus visione non in lapide, sed in oculo existente; & hoc modo (inquit Scotus) ignis denominatur agens ab actione non in ipso agente, sed in passo existente, quod vtique verum est, (loquendo de actione acta,) cæterùm ignis denominatur agens formaliter, & intrinsecè ab actione, relatione in ipso formaliter existente. 18.

e *Saltem de agente.* Propter deprauationem literæ non potuimus adiunctum intelligere, & diuinare noluimus; sed fortè adiunctum est intrinsecè, ita vt actio sit saltem de agente intrinseco. Obserua tamen, quòd qando aliquid incipit de nouo, aut incipit per productionem, aut est ipsa productio formaliter, vt videre est in productione caloris, qui incipit per productionem ipsius, scilicet per calefactionem, calefactio verò incipit de nouo non per productionem terminatam ad ipsam, aliàs enim esset processus in infinitum, inuestigando vnam actionem, quâ producitur calefactio, & aliam quâ producitur illa actio; sed calefactio incipit de nouo se ipsâ, quia est productio caloris, quæ cùm sit actio de Prædicaméto Actionis, non potest esse terminus productionis: quia actionis nó est actio; & si actio inciperet per actionem aliam, esset processus in infinitum. Nam quando aliquid est denominatiuè

tale, & aliquid formaliter tale, standum in eo, quod est formaliter tale; modò calor est denominatiuè talis, scilicet productus, calefactio verò actio est formaliter talis, nempe productio, atque adeò ipsa non producitur. Et per hoc soluuntur rationes ad tertiam conclusionem, quatenus improbare videntur actionem de genere Actionis.

EXPOSITIO TEXTVS.

19. Text. 24. *Infiniti considerationē ad Physicum pertinere.*

QVoniam autem 1 de natura sciētia est circa magnitudines, motum, & tempus, &c. Iste est secundus tractatus huius 3. in quo Philosoph. determinat de infinito; & diuiditur in sex capita. In primo recitat opiniones antiquorum. In secundo disputat an infinitum sit, vel non sit. In tertio ostendit, quòd nullum est corpus sensibile actu infinitum. In quarto ostendit, qualiter infinitum est, & qualiter non est. In quinto, quid sit infinitum definitiuè. In sexto ostēdit, quæ sit causa finitatis, & infinitatis in rebus naturalibus: & in septimo soluit rationes, quibus probatur infinitum esse. Secundum ibi, *Esse autem aliquid infinitum.* Tertium ibi, *Physice autem magis speculantibus.* Quartum ibi, *Quòd autem igitur actu non sit corpus infinitum.* Quintum ibi, *Accidit autem contra esse infinitum.* Sextum ibi, *Secundum autem rationem accidit.* Septimum ibi, *Reliquum est autem aggredi.* Primum capitulum diuiditur; quia primò ostendit, quòd ad naturalem spectat determinare de infinito. Secundò recitat opiniones antiquorum, ibi, *Atque omnes tanquam principium.* Est igitur conclusio ista, quòd ad Naturalem spectat determinare de infinito. Probatur, quia ad illum spectat determinare de infinito, qui debet determinare de magnitudine, tempore, & motu: sed Naturalis debet determinare de istis; igitur & de infinito. Maior patet, quia necesse est magnitudinem, motum, & tempus esse finitum, vel infinitum: nam finitum, & infinitum se habent per modum passionum respectu istorum terminorum *magnitudo, tempus, & motus*; modò qui considerat de subiectis, habet considerare de propriis passionibus: & innuit Aristoteles quòd omnis res est finita, vel infinita, nisi fortè sint punctus, vel passio, scilicet qualitas, quæ per se, nec est finita, nec infinita, sed secundùm finitatem, vel infinitatem sui subiecti. Secundò patet

Text. 25. conclusio per signum: nam 2 omnes, qui rationabiliter determinauerunt de naturalibus, fecerunt mentionem de infinito.

20. *Veterum de infinito opiniones.*

Atque omnes tanquam principium, &c. Hîc recitat opiniones antiquorum; & primò non naturaliter loquentium. Secundò naturaliter loquentium, ibi, *Qui autem de natura.* Primò recitat opiniones eorum, quo ad conuenientiam. Vnde omnes antiqui in hoc conuenerunt, quòd infinitum est principium aliorum & non principiatum. Tūc ibi, *Alij quidem.* Ponit conuenientiam Pythagoræ, & Platonis: vterque enim dicebat, quòd infinitum est substantia per se existens, & alteri

Text. 26. non inhærens. Tunc ibi, *Verum 3 Pythagorei*, recitat differentias istorum. Vnde Pythagoras, & Plato in hoc differunt: quia Pythagoras posuit infinitum in sensibilibus, sed Plato posuit infinitum in insensibilibus, vt puta numerum infinitum, Ideam infinitam. Secundò differunt, quia Pythagoras posuit extra cœlum spatium infinitum. Plato verò nihil posuit extra cœlum, nec ideas, nec aliquid aliud. Tertiò differunt, quia Plato posuit duo infinita, vnum à parte magnitudinis, vt in numeris; quia numerus est augmentabilis in infinitum; aliud à parte paruitatis, vt in continuis; quia cōtinuum est diuisibile in infinitum. Sed Pythagoras posuit vnum solum infinitum, quia ponebat, quòd numerus impar est causa finitatis, & numerus par causa infinitatis. Vt verbi gratiâ, si primus numerus impar, scilicet ternarius, addatur vnitati, resultat primus quadratus, scilicet *quatuor*, & per appositionem secundi numeri imparis, scilicet *quinque* primo quadrato, resultat secundus quadratus, scilicet *nouem*, & per additionem tertij imparis, scilicet *septem* secundo quadrato, resultat tertius quadratus sexdecim, & sic in infinitum per additionem numeri imparis, resultant semper consimiles species gnomonis, ad similitudinem gnomonis in magnitudinibus: sed per additionem numerorum parium resultarent diuersæ species numerorum, vt patet intuenti.

Qui autem 4 de natura. Hic recitat opiniones antiquorum naturaliter loquentium de infinito, & primò quoad conuenientiam; secundò quoad differentiam, ibi, *Atque ille quidem.* Primò dicit, quòd omnes antiqui naturaliter loquentes de infinito ponunt infinitum esse accidens de genere Quantitatis, cui pro subiecto attribuunt aliquod quatuor elementorum, aut medium inter aliqua elementa, exceptis Anaxagora, & Democrito, qui posuerunt principia rerum esse infinita. 21. Text. 2

Atque ille 5 quidem. Ponit differentiam inter Anaxagoram, & Democritum, dicens, quòd Anaxagoras posuit principia rerum esse infinitas partes homogeneas, vt os, carnem, & huiusmodi. Secundò dicebat, quòd quælibet pars mixti est consimiliter mixta, sicut & totum, ex quo quodlibet debet generari ex quolibet. Tertiò dicebat, quòd omnia ista principia quandoque congregabantur in vno chaos confuso, ex quo omnia deberent fieri, scilicet per segregationem. Quartò dicebat, quòd erat quidam intellectus, qui segregabat ista entia ab inuicem, & quando ipse incipiebat segregare, tunc omnia incipiebant de nouo, scilicet & motus, & tempus. Sed Democritus 6 ponebat principia rerum naturalium esse infinita corpora atoma, differentia ab inuicem secundùm magnitudinem, & figuram, ex quibus fierent res naturales secundum quòd diuersimodè se haberent huiusmodi corpora atoma in figura, positione, & ordine. Text. 28. Text. 29.

Rationabiliter 6 autem, &c. Hic approbat dicta antiquorum [a] per aliquas cōclusiones. Prima est, quòd si infinitum est, rationabiliter posuerunt infinitum esse principium. Probatur, quia non haberet potētiam, quâ extenderetur, & per quam fieret principiatum. Secunda conclusio est, quòd infinitum est ingenitum, & incorruptibile, intelligendo conditionaliter sicut priùs. Probatur, quia si esset genitū, oporteret ponere aliud principium excedens ipsum, à quo generaretur, & corrumperetur, & per consequens esset finitum cùm excederetur ab alio. Tertia conclusio est, quod rationabiliter affirmant infinitum gubernare omnia. Probatur, quia ex quo infinitum non esset principiatum, oporteret quòd esset principium omnium aliorum, & per consequens gubernat alia. Quarta conclusio est, quòd infinitum est quoddam diuinum & [illegible] sicut affirmant 22. Text. 30. *Infinitum ingenitum, & incorruptibile.* *Infinitū cuncta gubernat.*

affirmant Anaximander, & alij Philosophorum sequentium.

ANNOTATIO.

23. Infinitu habet quatuor proprietates. a *Hic approbat dicta antiquorum*, &c. Nota, quod in hoc 30. textu approbat quatuor proprietates ex antiquorum assignatione ipsi infinito conuenientes. Prima est, infinitum necessariò debet esse principium rei, & nullo modo principiatum, quia si esset principiatum, esset ex principio. omnia enim entia, vel principia sunt, vel ex principio; sed infinitum non potest esse ex principio, quia si haberet principium, eadem ratione haberet finem; & per consequens non esset infinitum: Infinitum ergo est principium, neque enim frustrà possibile est ipsum esse. Secunda proprietas est, quòd infinitum est ingenerabile, & incorruptibile, si enim esset corruptibile, tenderet ad finem: nam omne quod corrumpitur, habet finem; & si generabile, fieret ex principio: nam quod generatur, habet principium, & eadem ratione finem: haberet ergo principium & finem, quæ opponuntur rationi infiniti. Tertia conditio, quòd tale infinitum omnia gubernaret, & contineret. Hæc autem proprietas ponentibus tantùm principium materiale, & non efficiens, malè assignabatur: quia gubernare efficientem causam pertinet. Quarta proprietas est, quòd infinitum est quid diuinum, quod enim neque principium, neque finem habet, aliorumque omnium est causa, necesse est vt sit diuinum.

EXPOSITIO TEXTVS.

24. Text. 31. Infinitum an in ratione rerum. *Esse autem aliquod infinitum*, &c. Hoc est secundum caput huius tractatus, quo Philosophus disputat an infinitum sit, vel non; & primò probat quinque rationibus, quòd infinitum sit. Secundò ponit acceptiones huius nominis *infinitum*. Tertiò probat, quòd infinitum non est. Secundum ibi, *Habet autem dubitationem*. Tertium ibi, *Separabile igitur à sensibilibus*. Prima ratio est, quòd tempus est infinitum, vt patet 8. huius, text. 48. & inde. Secundò, quia magnitudo est diuisibilis in infinitum, secundùm quòd Mathematici vtuntur infinito. Tertiò nisi infinitum esset, sequeretur, quòd tandem generatio deficeret; consequens est falsum, vt patet *secundo de Generatione*. Probatur consequentia, quia quodlibet ens naturale accipit sibi vnam portionem materiæ primæ: modò tandem deficeret generatio, nisi materia esset infinita. Quartò, accepto a aliquo finito, si est infinitum, habetur propositum; si finitum, tunc finitur ad aliquid aliud, de quo quæritur sicut priùs: & per consequens totum aggregatum est infinitum. Quintò, & est 2 ratio maximè inducens dubitationem; quia semper potentia cognitiua mouetur ab aliquo; modò intellectus noster intelligit infinitum; igitur mouetur ab infinito, & per consequens infinitum est. Minor patet; quia Mathematici imaginantur magnitudines infinitas. Similiter aliqui imaginantur extra cœlum, spatium infinitum, & locum infinitum, corpus infinitum, & mundos infinitos; quia quâ ratione in vna parte illius spatij esset mundus, vel corpus, eadem ratione in alia. Et subdit Aristoteles quòd si aliquis dicit, quòd in Text. 32. illo spatio non sunt mundi infiniti, tamen bene possunt esse. Dicit Aristoteles, quòd hoc non valet, quia in perpetuis b non differt *esse*, & *posse*, id est, res perpetuæ non priùs possunt esse quam sint, immò simul possunt esse, & sunt.

25. In perpetuis non differunt posse ab esse. Text. 33. *Habet 3 autem dubitationem*. Hic ponit acceptiones huius nominis *infinitum*, & primò mouet difficultatem considerationis, dicens, quòd de infinito est magna dubitatio, quia negantes infinitum esse, habent contra se prædictas rationes; sed ponentes infinitum esse, habent difficultatem, vtrum sit substantia, vel accidens; vtrum sit per se existens, vel alteri inhærens, sed tamen ad Philosophum naturalem pertinet præcise considerare, vtrùm sit aliqua magnitudo sensibilis infinita; & ideò primò considerandum est quot modis dicitur infinitum. Vno modo infinitum accipitur negatiuè, vt punctus dicitur infinitus, quia non finitus; quemadmodum dicimus, quod vox est inuisibilis. Secundo modo dicitur infinitum, quod non potest pertransiri: quia est quantum extra eum fine termino. Tertio modo, quia potest pertransiri, licèt cum difficultate, vt via longa. Quarto modo dicitur infinitum, quod de sui natura est pertransibile, sed non potest pertransiri propter impedimentum aliquod. Quinto modo dicitur infinitum secundum augmentationem, vt numerus est in infinitum augmentabilis. Sexto modo secundùm diuisionem, vt continuum est in infinitum diuisibile. & Septimo modo vtroque modo, scilicet tam secundum diuisionem, quàm secundùm appositionem, vt tempus. Quot modis dicitur infinitum.

26. Text. 35. Infinitū actu an sit. *Separabile 4 igitur esse a sensibilibus*. Hic Aristoteles probat, quòd infinitum non sit. Et primò probat, quòd nullum sit infinitum separatum à sensibilibus. Secundò, quòd nullum est corpus infinitum. Et tertio, quòd nullus est numerus infinitus. Secundum ibi, *Logicè igitur speculantibus*. Tertium ibi: *At verò neque numerus sic*. Primo, ponit sex rationes, quarum duæ probant, quòd infinitum non sit accidens, & aliæ duæ, quòd infinitum non sit substantia. Prima ratio, quia si esset infinitum separatum, tunc illud non haberet magnitudinem, aliter non esset separatum à magnitudine. Consequens est falsum: quia tale nō esset infinitum nisi negatiuè, sicut punctus; quemadmodum dicimus, quòd vox est inuisibilis: modò ista acceptio infiniti non quæritur in proposito; sed quæritur de infinito, quod est intransibile, eo quòd est quantum extensum sine termino. Secunda ratio est ibi, *Si verò 5 secundum accidens*. Text. 36. Quia si infinitum sit accidens, sequitur quòd non est elementum, & principium aliorum; consequens est falsum per antiquos; & consequentia probatur; quia principium substantiæ est substantia. Tertia ratio ibi, *Amplius quando contingit*; quia non est numerus infinitus, neque aliqua magnitudo infinita, igitur nulla substantia est infinita. Tenet consequentia; quia infinitum est passio numeri, & magnitudinis; & antecedens patet per antiquos, qui non posuerunt aliquod infinitum nisi separatum à numero, & magnitudine. Principium substantiæ est substantia. Quarta ratio ibi, *Manifestum 6 autem*, & probat quòd nullum infinitum sit principium: quia de ratione principij est, quòd habeat consimilem denominationem, sicut causatū, vt quælibet pars aëris, & aër; igitur quælibet c pars illius infiniti esset infinita, quod est falsum; quia impossibile est multa infinita esse. Quinta ratio ibi, *at esse tale nequit*. Quia impossibile est infinitum esse im- Text. 37.

partibile, & indiuisibile; ergo impossibile est infinitum esse. Probatur antecedens, quia nihil est finitum, vel infinitum nisi secundùm accidens, scilicet per quantitatem; sed quantitas non est indiuisibilis; ergo, &c. Et consequentia tenet; quia impossibile est aliquam quantitatem esse infinitam.

27. Sexta ratio ibi, *Sed 7 si sic*, quæ est omnino
Text.38. eadem cum secunda: & subdit ibi, *Sed fortassis 8*
Text. 39. *hæc quidem*, excusat se ab vlteriori determinatione de infinito separato: quia in proposito intendimus, vtrùm sit aliquod corpus sensibile actu infinitum.

Text.40. *Logicè igitur 9 speculantibus.* Hic ostendit quòd nullum est corpus actu infinitum; quia de ratione corporis est, quòd sit figuratum, scilicet clausum termino, vel terminis; igitur nullum corpus est infinitum.

Text.41. *At verò 10 neque numerus sic.* Probat, quòd nullus numerus est infinitus, quia omnis numerus est numeratus, vel numerabilis: modò nullum infinitum est numeratum, vel numerabile; igitur nullus numerus est infinitus, & quomodo, & quantum valeant istæ rationes, videbitur in quæstionibus.

Quòd numerus non sit infinitus actu.

ANNOTATIONES.

28. a *ACcepto aliquo finito*, &c. Nota, quòd sensus huius rationis est talis: omne corpus finitum clauditur alio corpore superiore, aut igitur debet dari processus in infinitum in corporibus, aut deueniendum est ad aliquod corpus infinitum, cuius magnitudo non claudatur: quare cùm primum non sit dandum, dabitur secundum, atque ita dabitur infinitum.

b *In perpetuis non differt esse & posse.* Nota, quòd Commentator 3. huius, comm. 32. dicit, quòd possibile in rebus, quas non continet tempus, est necessarium: quod autem est possibile vt sit, & non sit in indiuiduis specierum, quæ continet tempus, est contingens. Ex quo dicto patet, quòd si possint esse infiniti mundi extra cœlum, quòd sunt de facto infiniti, eo quòd extra cœlum non est tempus. Sed hoc est contra fidem, nisi sic intelligatur, quòd in perpetuis non differt esse substantiale à posse substantiali, hoc est à potentia ad esse substantiale. Vnde secundùm intentionem Philosophi, & Commentatoris quæcunque substantia potest esse æterna, ipsa est æterna: omnis enim substantia intransmutabilis substantialiter, quæ potest esse, iam est in actu: nam secundùm Comm. 12. Metaph. & 1. de Cœlo, impossibile est esse aliquam substantiam de se possibilem, & tamen perpetuam ab alio, sed non est sic de accidentibus: nam tempus futurum, cuius principium est instans dici crastinæ, potest esse æternum, & tamen non est nunc æternum. Et si dicatur, quòd motor cœli est substantia æterna, & tamen potest ponere Solem in oriente, qui nunc non est ibi. Dicas, quòd in substantiis æternis non differunt *esse*, & *posse esse*, tamen benè differunt *facere*, & *posse facere*: non enim sequitur, quòd substantia æterna potest facere hoc; ergo facit hoc: benè tamen sequitur substantia æterna potest esse, ergo est, secundùm intentionem Commentatoris. Vel dicas, & meliùs, quòd prædicta propositio non debet allegari à Philosopho, tanquam concessa & vera, siue authentica, ex eo quòd ipse non loquitur secundùm opinionem propriam, sed solùm refert opinionem antiquorum, qui posuerunt infinitos esse mundos extra cœlum.

c *Qualibet pars illius infiniti esset infinita.* Nota, quòd hoc potest tripliciter intelligi. Vno modo loquendo de infinito secundùm quòd antiqui Philosophi loquebantur, contra quos arguit Aristoteles sic, scilicet quòd sit substantia separata diuisibilis, quæ sit principium omnium aliorum: & sic quælibet pars infiniti, est infinita. Secundo modo, per infinitum possunt intelligi partes aliquotæ, quæ scilicet aliquoties sumptæ reddunt totum, & sic iterum quælibet pars infiniti est infinita; quia ex partibus finitis finities sumptis nunquam redditur infinitum. Si ergo ponatur infinitum, quælibet eius medietas erit infinita, & quælibet eius tertia, & quælibet eius quarta: & sic de omnibus eius partibus aliquotis: sed non debet intelligi de partibus non aliquotis; quia secundùm Philosophum tempus est infinitum, & tamen non quælibet pars temporis est infinita.

Aliter respondent alij, quòd infinitum nullam habet partem finitam, quia sicut puncti ad lineam nulla est proportio, sic etiam finiti ad infinitum: & sicut punctus non est pars lineæ, sic etiam finitum non est pars infiniti. Ista opinio non est vera, nisi fiat sermo de partibus aliquotis, quæ solùm dicuntur esse partes apud Mathematicos: intelligunt enim idem per partem, & partem aliquotam. Manifestum est enim quòd si aër esset infinitus, quilibet aer finitus est pars eius, & etiam quælibet pars finita temporis est pars temporis, quamuis secundùm Philos. tempus sit infinitum: tamen aër finitus non est pars aliquota aëris infiniti, de qua parte Mathematici loquuntur, sed benè est pars non aliquota, quam etiam ipsi dicunt esse partem: nam secundùm eos quidquid intrinsecè constituit aliquod totum, est pars eius.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm possibile sit esse aliquam magnitudinem actu infinitam.

Aristot. *hic text.* 35. *vsque ad* 56 *&* 1. *de Cœlo, cap.* 5. *text.* 33. *vsque ad* 76. Albert. Magn. *tract.* 2 *cap.* 1 *& sequent.* Scholastici *in* 1. *dist.* 34. D. Bonau. *ibid. dist.* 43. Richard. *ibid. quæst.* 5. *&* 6. D. Thom. 1. *part. quæst.* 7. *art.* 3. *&* 4. Scotus 11. *Metaph. summa* 4. *cap.* 2. *&* 2. *Metaphys. qu.* 6. Occham *quodl* 2. *quæst.* 5. Canonic. *quæst* 3. *art.* 2. Argentina *dispu* 1. *quæst.* 2. *art* 4. Almain. *in* 3. *dist. quæst. vnica.* Gabriel *in* 2. *dist.* 1. Vasquez 1. *part. disp.* 26. Hurtado *in Physic. disp.* 13. *sect.* 2. *&* 3. Conimbr. 3. *Physic. cap.* 8. *quæst* 1. Complut *disp* 15. *quæst.* 1. Rubius *tract.* 2. *quæst.* 1. Fuente *quæst.* 3 *difficult.* 1. Roccus *summa* 3. *quæst.* 1. *&* 2.

ARGVITVR quòd sic: primò, de linea gyratiua partiū proportionalium continui. Et imagineiur vnum corpus pedale diuidi secūdùm partes proportionales proportionalitate duplâ, & circundet vna linea primam partem proportionalem, & illa eadem secundam, & tertiam, & sic in infinitum; tunc illa linea est simpliciter infinita, quia est composita ex partibus æqualibus, vel maioribus aliqua parte data. 1.

Secundò, quia tanta est superficies curua de facto, vel saltem cōposita ex pluribus rectis, quanta esset si esset rectificata, sed de facto est aliqua superficies composita ex pluribus superficiebus, quę si esset rectificata, esset infinita, igitur illa de facto est infinita. Maior patet; quia ex quo per solam

rectificationem fieret infinita; sequitur quòd nunc de facto est infinita, cùm per rectificationem nihil sit sibi additum; & minor apparet de superficie circundante primam partem proportionalem, secunda secundam, & sic in infinitum.

Tertiò, possibile est, quòd in prima parte proportionali horæ, Deos erect vnum lapidem, & in secunda altum, & in tertia tertium, & sic in ioſinitum; tunc in fine horæ, vel illud erit infinitum, & habetur propositum: vel finitum, & hoc non; quia est compositum ex Iofinitis partibus æqualibus. Sed quòd antecedens sit possibile, probatur; quia in generatione lapidis successiua ageos naturale producit in qualiber parte proportionali horæ vnam partem lapidis; aliter enim generatio non esset continua; igitur, cùm quælibet pars lapidis sit lapis, sequitur quòd in qualibet parte proportionali horæ agens naturale producit vnum lapidem: modò, vt videtur, vbi agens naturale producit minorem, Deus potest producere maiorem: & per consequens in qualibet parte proportionali horæ Deus potest producere vnum lapidem bipedalis quantitatis.

2. Quartò, quia possibile est aliquod corpus aogeri ad duplum, & possibile est aliud corpus augeri ad triplum, & sic in infinitum; igitur possibile est aliquod corpus esse actu infinitum. Consequentia tenet, quia non potest esse plus quàm duplum, plus quàm triplum, & sic vlterius ad aliquod certum quantum datum, nisi ipsum esset infinitum simpliciter. Probatur antecedens, quia esset vna copulatiua, cuius quælibet pars est possibilis, & vna non repugnat alteri.

Quintò, quia in continuo sunt Infinitæ partes eiusdem quantitatis; igitur continuum est infinitum. Tenet consequentia; quia impossibile est aliquod compositum ex Infinitis partibus æqualibus, aut eiusdem quantitatis esse, nisi ipsum sit simpliciter infinitum. Antecedens probatur; quia in continuo sunt duæ medietates eiusdem quantitatis, tres tertiæ, quæ sunt eiusdem quantitatis, quatuor quartæ, quæ sont eiusdem quantitatis, & sic in infinitum. Et confirmatur; quia in continuo sunt infinitæ partes; igitur continuum est infioitum: quia maiorem extensionem faciunt tres, quàm duæ, & quatuor maiorem extensionem, quàm tres, & sic vltrà; igitur infinitæ partes faciunt infinitam extensionem.

3. Sextò, quia extra cœlum est distantia infinita; igitur aliqua est magnitudo infioita. Tenet consequentia: quia distantia est magnitudo, vel non est sine magnitudine. Antecedens probatur; quia si io conuexo esset vna faba, Deus posset illam mouere elongando à cœlo, quo facto, faba distabit à cœlo, & priùs non distabat, & non nisi per distantiam intermediam; igitur extra cœlum est aliqua distantia, & non est ratio quare aliquanta plusquam infinita; igitur extra cœlum est distantia infinita. Vltimò potest argui rationibus Aristotelis quas ponit in littera. Item, cœlum est infinitum, quia infinitum est quod est interminatum; modò cœlum est tale, & per consequens infinitum.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 3. tractat. 2. text. 35. In quæstiooe primò videbitur quibus modis imaginabile est infinitum in magnitudine, & quòd impossibile est infinitum esse aliquo dictorum modorum. Secundò videbitur an illæ rationes concludant demonstratiuè, ita vt infinitum esse implicet contradictionem, vel non, & per hoc patebit ad quæsitum.

Quantum ad primum notandum, quòd aliquid potest [a] imaginari infinitum dupliciter. Vno modo secundùm omnem dimensiooem, ita vt totum occupet: & hoc dupliciter, vno modo, quòd omoia quæ sunt, sunt partes ipsius: alio modo quòd in ipso sit vnum foramen, in quo ponuntur alia entia, quæ non sunt partes ipsius: sicut si imaginaretur, quòd extra cœlum esset corpus infinitum, & quòd iste muodus esset in quodam foramine ipsius. Secundo modo est imaginabile infinitum secundùm vnam dimensionem tantùm, vel plures, ita quòd non totum occupet; & hoc etiam dupliciter. Vno modo, quòd illud corpus sit finitum, licet sit infinitè longum. verbi gratiâ: si primò sit aliquod corpus vndique pedale, deinde addatur sibi medietas vnius pedis, quæ sit in duplo longior primo pedali accepto, & proportionaliter minùs profunda, & sic in infinitum secundùm longitudinem, tunc illud corpus esset infinitè longum; & tamen esset solùm finitum, quia vndique pedale.

4. Alio modo, quòd sit infioitum, & quòd sit extensum secundùm vnam dimensionem sine termino, & hoc est imaginabile tripliciter. Primò, quòd sit vnum corpus pedaliter latum, & pedaliter profundum extensum sine termino secuodùm longitudinem; & hoc dupliciter, quia vel ab vna parte tantùm, vel ab vtraque. Secundo modo, quòd primò esset vnum corpus pedaliter latum, & pedaliter profundum, & etiam pedaliter longum. Secuodò vnum aliud æquale secundùm longitudioem & profunditatem, qood esset duplo magis latum, & tertiò vnum aliud magis latum, quòd esset in duplo magis latum quàm secundum, & sic in infinitum ad modum graduum. Alio modo, quod primò esset vnum pedale secundùm quamlibet dimẽsionum trium. Secundò vnum æquale, quod esset in duplo magis longum, & sub duplo minùs profuodum, vel minùs latum, & sic in infinitum.

Præmissâ hac distinctione, oune ponendæ sunt rationes, quibus probatur, quòd impossibile est esse magnitudinem infinitam. Prima ratio, quia si esset possibile: sit igitur, quòd Deus faciat in vna parte proportionali huius horæ vnum corpus isti mundo æquale, quod circumdet cœlum, & in secunda parte proportionali horæ faciat vnum aliud sibi æquale, quod circunder primum, & sic de singulis partibus proportionalibus horæ; tunc si hoc sit possibile, sequitur, quòd in instanti terminante horam, illud corpus sit infinitum vndique occupans totum; quia esset corpus sphæricum compositum ex infinitis æqualibus isti mundo dato, & tamen ante instans terminaos horam, nunqoam fuit infinitum; quia semper antè solùm erant pertransitæ partes proportionales finitæ; & tamen in illo instanti nihil acquiritur, quod videtur imaginabile, videlicet quòd aliquid nunc sit infinitum, & semper antè erat finitum, & tamen tunc nihil sibi acquiritur.

5. Confirmatur, retento eodem casu: quia in instanti terminante horam illud corpus desinit esse figuratum: quia nunc noo est figuratum, ex quo est in infinitum vndique & immediatè antè fuit figuratum; igitur desiuit esse figuratum, &

tamen

tamen nulla figura deſinit eſſe; quia nec illa, quæ ſuit in prima parte proportionali horæ, nec illa quæ ſuit in ſecunda, & ſic de aliis; igitur ſequitur contradictio, quòd nulla figura deſinit eſſe, & aliqua figura deſinit eſſe; quia illud corpus deſinit eſſe figuratum.

Secunda ratio; quia ſi ſit poſſibile eſſe infinitum, ſit igitur vnum corpus infinitum ſecundùm dimenſionem vnam tantùm, ſcilicet ſecundùm longitudinem, & quòd ſit vndique pedaliter latum, & pedaliter profundum; tunc ſequitur quòd ex iſto corpore infinito ſecundùm vnam dimenſionem tantùm, fieret infinitum vndique occupans totum, quod eſt impoſſibile; quia ex minori fieret maius ſine aliqua quantitate addita. Probatur conſequentia, quia amoueat Deus ab iſto corpore vnum pedale, & fiat ſeparatum; deinde in ſecunda parte proportionali horæ amoueat aliud pedale, & addatur primo, & ita totum fiat ſeparatum, deinde in tertia addatur iterum pedale, & ſic in ſingulis partibus proportionalibus horæ; tunc in fine horæ iſtud eſſet infinitum vndique, occupans totum, & tamen aliunde non habuit quantitatem, quàm ab illo corpore infinito ſecundùm longitudinem tantùm; ergo, &c.

6. Confirmatur retento eodem caſu; poſito tamen, quòd illud infinitum ſecundùm vnam dimenſionem terminetur ad centrum terræ ab vna parte, & ab alia parte protendatur in infinitum versùs Orientem; tunc ſequitur, quòd ab iſto corpore poterit reſecari vnum aliud corpus ſibi æquale, & tamen ipſum eſſet tantum, quantum erat priùs; conſequens eſt inimaginabile. Conſequentia probatur, poſito quòd vnum pedale, quod terminatur ad centrum, remoueatur, & ponatur ab alia parte centri versùs Occidentem, deinde trahatur illud corpus ad centrum, & ſic in infinitum; tunc ſequitur propoſitum, quòd illud corpus eſt tantum, quantum erat priùs, & tamen ab ipſo reſecatum eſt vnum aliud corpus infinitum tantum, quantum ipſum.

Tertia ratio, ſequeretur quòd pars, & totum eſſent ad inuicem æquales; quia corpus infinitum occupans totum, vndique, & infinitum ſecundùm vnam dimenſionem tantùm eſſent ad inuicem æqualia, qui ex illo infinito ſecundùm vnam dimenſionem tantùm fieret, reliquum ſine aliqua additione quantitatis, & tamen eſſet pars ipſius; ergo, &c.

Confirmatur, imaginando quòd ſint duæ lineæ infinitæ protenſæ versùs Orientem, vna *A*, quæ terminetur ad centrum terræ, & alia *B*, quæ terminetur per pedale circa centrum ad Orientem; tunc linea *B* eſt minor *A*, ſcilicet per pedalem quantitatem: tunc ponatur per imaginationem, quòd fixo puncto *B*, linea *B*, imaginetur circunduci ad Occidentem, tunc efficietur maior *A*, de illo pedali, & tamen nihil eſt ſibi additum, quod eſt impoſſibile.

7. Quarta ratio, ſi eſſet infinitum vndique, ſequeretur quòd ipſum haberet centrum, & quòd nullum haberet centrum; conſequens implicat contradictionem. Probatur conſequentia: quia imaginabile eſſet, quòd illud corpus eſſet motum circulariter, vt ſic ponentes concedunt; igitur illud corpus tunc haberet centrum, circa quod volueretur: ſed quòd non haberet, probatur; quia ex quo eſſet infinitum vndique, quâ ratione ſignaretur centrum in vno puncto, eâdem ratione in quolibet.

Quintò, ſequeretur quòd infinitum eſſet figuratum; conſequens eſt impoſſibile: quia tunc eſſet terminatum. Probatur conſequentia, quia ſicut imaginamur in tertio modo, ſi eſſet vnum corpus pedaliter latum, & pedaliter profundum.

Sexta ratio, imaginetur linea *A*, ſicut priùs exiens à centro terræ in infinitum versùs Orientem: & linea *B*, æquè diſtans, tunc imaginetur linea *A*, circumuolui ſucceſſiuè, tunc ſequitur quòd ſubitò pertranſibit ſpatium inter *A* & *B*, quia ex quo nunc eſt æquè diſtans, & immediatè pòſt non eſt æquè diſtans, cùm ambæ ſint in infinitum protenſæ, ſequitur quòd immediatè poſt hoc ambæ concurrent.

Quantum ad ſecundum, notandum, quòd quædam eſt magnitudo recta, quædam curua, vel circularis, ſiue compoſita ex pluribus rectis: & licèt aliquando impropriè ſumantur dimenſio, penes lineam curuam, verbi gratiâ, dicimus quòd arcus eſt longior chordâ, tamen propriè cuiuſlibet magnitudinis dimenſio ſumenda eſt penes lineam rectam, ita vt quodlibet eſt ita longum ſicut linea recta protenſa de termino eius ad terminum illius, & ideò dicit Ariſtoteles 2. Cœli, text. 14. quòd longitudo cœli eſt axis corporis mundi. Ex quo patet, cùm dimenſio corporis ſphærici ſumenda ſit penes lineam rectam, & non per circularem, multo fortiùs in aliis corporibus. 8.

Nunc ponuntur concluſiones. Prima concluſio: de facto eſt aliqua linea curua infinita. Probatur, quia in qualibet ſuperficie ſunt infinitæ lineæ æquales alicui lineæ tertiæ datæ; igitur cùm ex eis per incuruationem poſſit fieri vna linea curua, immò de facto ſit vna linea curua; ſequitur quòd illa de facto ſit infinita. Tenet conſequentia; quia infinitum eſt, quod eſt compoſitum ex infinitis æqualibus alicui tertio dato; & antecedens patet, imaginando ſuperficiem diuidi in infinitum per partes [b] proportionales, & patet per primum argumentum ante oppoſitum. Ex quo patet, quòd eſt aliqua linea curua, quæ ſi eſſet rectificata, eſſet actu infinita. *De facto eſt aliqua linea curua infinita.*

Contrà obiicitur, ponatur igitur quòd ſint duæ tales lineæ *A*, *B*, ſibi inuicem ſuprapoſitæ terminatæ ab vna parte æqualiter, & ab alia parte protenſæ in infinitum, tunc à linea *B*, abſcindatur vnum pedale, tunc per illud principium, *Quæcunque ſunt ſibi inuicem ſuprapoſita, ſunt* [c] *æqualia*, *A* eſt maior *B*, tunc trahatur *B*, æqualiter ad punctum *A*, per idem principium ſequitur, quòd ſunt æquales; igitur ſequitur impoſſibile: quia quæ primò erant inæqualia, erunt æqualia ſine additione nouæ quantitatis, vel etiam remotione. Reſpondetur, quòd illud principium, quæcunque ſunt ſibi inuicem ſuprapoſita, &c. ſolùm intelligitur in quantitatibus finitis, & non in infinitis: quia vnum infinitum non eſt æquale alteri. 9.

Secunda concluſio. De facto eſt aliqua ſuperficies infinita. Probatur imaginando aliquam ſuperficiem circundare aliquas partes proportionales continui, eo modo quo priùs imaginabatur de linea. *De facto eſt aliqua ſuperficies infinita.*

Tertia concluſio, poſſibile eſt eſſe aliquod corpus actu infinitum: & licèt Ariſtoteles non poſuiſſet iſtam, hoc fuit, quia non percepit potentiam actiuâ infinitam, qualem eſſe nos credimus ex fide: & iſta concluſio non poteſt probari, niſi quia ad iſtam poſitionem nõ ſequitur impoſſibile, vel contradictio; vt patebit ſoluendo rationes, & hoc iſto modo; quia de qualibet oſtẽditur, *Poſſibile eſt eſſe aliquod corpus infinitum.*

vel

vel quòd non valet consequentia, vel quòd consequens non sit impossibile. Verùm autem de facto sit aliquod corpus infinitum, vel non, vel verùm possit esse per agens naturale, videbitur in alia quæstione.

10. Ad rationes. Ad primam, concedo consequentiam, & dico, quòd consequens non est inconueniens, scilicet quòd nunc illud corpus sit infinitum, & nunquam antè fuit infinitum; & tamen nunc nihil acquirit: verbi gratiâ, in consimili, imaginetur aliquod continuum diuidi in partes proportionales in infinitum, supra quod moueatur aliquod mobile per horam; tunc in fine horæ verum est dicere quòd infinitæ partes proportionales sunt pertransitæ ab isto mobili, & semper antè solùm erant finitæ pertransitæ, & tamen in fine horæ nulla pars pertransitur.

Ad confirmationem concedo, quòd illud corpus definit esse figuratum, & tamen nulla figura definit esse. Nec ista consequentia valet, *hoc corpus definit esse figuratum; ergo aliqua figura definit esse.*

Ad secundam, dico quòd consequens non est inconueniens, immò ex quolibet infinito possent fieri infinities infinita, & tali modo possent replicari partes, quòd ex eis fieret infinitum vndique, sicut in illo casu. Item aliter possent fieri infinities infinita, & apponi simul, ex quibus tamen nunquam resultaret infinitum vndique: verbi gratiâ, si esset vna columna infinita, deinde sumeretur alia tanta, & superponeretur primæ, & tertia secundæ, & sic infinitum. Et consimiliter conceditur consequens, confirmationis: verbi gratia in exemplo priùs posito, si continuum diuidatur in infinitum per imaginationem, tunc sunt ibi infinitæ partes sic computando, *vna, dua, tres, quatuor*, & sic in infinitum. Item dimissis omnibus imparibus, & computatis partibus solùm, vt *duo, quatuor, sex, octo*, &c. resultat numerus infinitus. Item ex imparibus dimissis paribus, & sic ex vno numero infinito possunt resultare infinities infiniti numeri. Et eodem modo ex vna magnitudine infinita possunt resultare infinities infinitæ magnitudines.

11. Ad tertium, dico quod in infinito non est totum, & pars, sed benè in finito. Vnde vno modo dicitur totum, quòd continet aliquid, & plus; & isto modo vnum infinitum benè est totum respectu alterius, vel meliùs loquendo illud dicitur totum respectu alterius quod continet illud & aliud, sic in infinito benè inueniuntur totû & pars. Alio modo, quòd totum contineat aliquod, quod excedat in quantitate, & ad quod habeat proportionem maioris inæqualitatis, & sic totum & pars inueniuntur solùm in quantitatibus finitis, & de talibus ponitur illud principium, *omne totum est maius sua parte.*

Ad quartum dico quòd si esset vnum corpus infinitum vndique, vbique esset centrum eius. Et ideo quidam definientes Deum dixerunt, quòd Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, circumferentia verò nusquam.

Figuratum dicitur aliquid dupliciter. Ad quintum, responderetur quòd aliquid dicitur figuratum dupliciter, vno modo impropriè, quod est terminatum ab aliqua, vel aliquibus partibus, licèt non à qualibet, & isto modo diceremus, quòd superficies contenta inter duas lineas egredientes à centro circuli, ad circumferentiam protensa in infinitum est figurata: sic etiam diceremus, quòd columna protensa in infinitum haberet figuram columnarem. Alio modo dicitur figuratum propriè, quod à qualibet parte est terminatum: & sic capit Euclides, quando dicit nullas duas lineas rectas superficiem concludere, & etiam in definitione figuræ, quòd figura est quæ termino, vel terminis clauditur: tunc dico, quòd nullum infinitum est figuratum propriè: tamen infinitum secundùm vnam dimensionem potest esse figuratum primo modo.

Ad sextum, concedo casum, & negatur consequentia, quòd aliqua distantia subitò pertransitur. Vnde notandum, quòd distantia inter *A*, & *B*, accipitur dupliciter: vno modo pro linea recta protracta inter *A*, & *B*, quæ perpendiculariter cadit super vtramque, ex quo sunt æquè distantes; & tunc certum est, quòd talis linea pertransitur successiuè. Alio modo pro totali spatio inter *A*, & *B*, lineas, scilicet pro illa superficie protensa in infinitum: & tunc dico, quòd illa tota superficies, & quælibet pars eius pertransitur successiuè. Cum hoc etiam concedo, quòd immediatè post initium motus est pertransitum spatium infinitum, nullum tamen subitò, sed successiuè: verbi gratiâ, in exemplo imaginato continuum diuidi infinitum per partes proportionales, & incipit aliquid mobile moueri à partibus minoribus versùs maiores, tunc in principio motus verum est dicere immediatè post hoc infinitæ partes proportionales erunt pertransitæ, & tamen quælibet pertransibitur successiuè. 12. *Distantia bifariam sumitur.*

De rationibus ante oppositum, quæ probant veritatem, & quæ non, dicetur in alia quæstione.

ANNOTATIONES.

a **A**Liquid potest imaginari infinitum dupliciter. Nota, quòd Scotus in hac quæstione loquitur secundùm Mathematicorum imaginationem, & non realiter & physicè: nam multa quæ in hac quæstione tanquam certa supponuntur, Physicus non admitteret, quæ tamen admittit Mathematicus. 13.

b *Superficies potest diuidi in infinitum in partes proportionales.* Nota, quòd in continuo duplices possunt imaginari partes, quædam eiusdem proportionis; quædam verò eiusdem quantitatis. Partes eiusdē proportionis sunt partes sic se habentes, quòd eadem est proportio primæ ad secundam, quæ est secundæ ad tertiam, & sic in infinitum; secundùm enim has partes potest continuum in infinitum secari, & nunquam consumabitur per talium partium ablationem: verbi gratiâ, si quoddam cõtinuum bipedale diuidatur in duas medietates pedales, & aliquam illarum diuidas in alias duas medietates, & ex illis alteram in alias duas, & sic in infinitum; hæc diuisio fit secundùm proportionem: quia partes semper seruant duplam proportionem. Partes eiusdem quantitatis adhuc sunt duplices: aliæ sunt eiusdem quantitatis non communicantes; aliæ eiusdem quantitatis communicantes. Partes æquales non communicantes eiusdem quantitatis sunt, quarū vna nihil habet alterius, vt si detur quoddam continuum decupedale, & diuidatur in decem partes pedales; erunt quidem æquales, neutraque aliquid alterius participabit. Partes huiusmodi non possunt infinitæ reperiri in aliquo creato, quia tales erunt necessariò finitæ, & tandem per ablationem talium partium consumetur. Partes æquales communicantes sunt, qua *In continuo duplices sunt partes.* *Partes eiusdē quantitatis sunt duplices.*

quarum vna recipit aliquid alterius, vt, verbi gratia, si detur continuum bipedale vltra duas partes pedales non communicantes, quas habet, dabuntur aliæ quamplurimæ, immò infinitæ partes æquales communicantes; dabitur enim vna medietas, & ex parte istius, & residuo alterius alia pars æqualis, & rursus ex parte istius, & alterius residuo alia pars æqualis, & sic in infinitum; & huiusmodi partes possunt inueniri infinitæ in continuo.

14. [c] *Quæcumque sunt sibi inuicem suprapoſita*, &c. Hæc litera nobis visa est manca, & imperfecta, ideò ita indicauimus supplendum esse, vt in hunc modum legatur. Quæcumque sunt sibi inuicem suprapoſita sunt æqualia, *A*, & *B* sunt æquales, & per casum, *A* est maior *B*, eo quòd à *B* abscissum est vnum pedale, modò trahatur *B* æqualiter ad punctum, tunc per idem principium sequitur, quòd *A*, & *B* sunt æquales, igitur sequitur impossibile, &c.

QVÆSTIO X.

Vtrùm de facto sit aliquod corpus naturale [a] actu infinitum.

Vide Authores citatos *q. anteced.* Albert. *ibid. citatus, q. 5. & seq.* Roccus *cap. 4.*

1. ARGVITVR quòd sic: quia de facto est aliqua linea infinita, & aliqua superficies infinita, vt probatum fuit in alia quæstione: igitur de facto est aliquod corpus actu infinitum.

Secundò, quia de facto est tantum corpus curuum, quantum ipsummet esset, si esset rectificatum sine additione alicuius quantitatis; sed in aliquo corpore nunc de facto est corpus curuum, vel factum ex pluribus corporibus rectis, quod si esset rectificatum, esset infinitum, & extensum sine termino; igitur de facto est aliquod corpus actu infinitum. Maior nota est, sicut dicebatur de linea gyratiua. Et minor probatur, imaginando aliquod corpus diuidi secundùm partes proportionales in infinitum, tunc capiatur secunda pars proportionalis, & fiat duplo longior primâ, & proportionaliter minùs lata, & tertia duplo longior, quàm secunda, & proportionaliter minus lata, & sic in infinitum: igitur tale corpus, si esset rectificatum, esset actu infinitum, & nunc non est minus quam tunc esset, ergo, &c.

Tertiò, quia quodlibet corpus finitur: igitur quocumque dato illud finitur ad aliud corpus; & sic in infinitum: Igitur aggregatum ex omnibus est simpliciter infinitum.

Quartò, potest argui de infinitis partibus eiusdem quantitatis: quia duæ faciunt maiorem extensionem, quàm vna, quatuor, quàm tres, & sic in infinitum; igitur infinitæ partes faciunt infinitam extensionem; sed in quolibet corpore sunt infinitæ partes; ergo, &c.

2. *Diuiſio quæstionis.* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 3. text. 40. In quæstione primò videbitur positio Aristotelis. Secundò, videbitur an eius rationes concludant euidenter. Tertiò, respondebitur ad quæsitum.

Corpus naturale est duplex. Quantum ad primum, notandum quòd corpus naturale est corpus mobile, & tale quoddam est tangibile, scilicet, quod est calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum; & de isto intelligit Aristoteles in isto tertio. Aliud est mobile localiter solùm, vt corpus cœleste, de quo intendit Aristoteles 1. Cœli, text. 35. Tunc ponit Aristoteles quatuor conclusiones, duas scilicet in isto tertio; quarum prima est, quòd nullum est corpus tangibile simplex actu infinitum. *Nullum tangibile simplex est infinitum.* Probatur, quia si sic, sequeretur quòd statim omnia alia corrumperet. Consequens est falsum, & contra experientiam. Et consequentia probatur, quia in infinitum excederet, & haberet proportionem infinitam, ad quodlibet aliud. Nec valet si dicatur, quòd illud infinitum est remissæ virtutis, sicut aer est minoris virtutis ad agendum, dato quòd sit sub maiori quantitate, quàm ignis. Istud non valet, quia ex quo illud elementum est infinitum possumus accipere de eius virtute quantumlibet, ita vt excedat quodlibet finitum.

Secunda conclusio. Nullum est mixtum tangibile actu infinitum. 3. *Nullum mixtum tangibile est actu infinitum.* Probatur, quia si esset infinitum, vel esset ex eo, quòd eius principia sunt infinita secundùm multitudinem, vel finita, vno vel pluribus existentibus infinitis secundùm magnitudinem. Non primo modo, quia probatum est primo huius, quòd principia rerum naturalium non sunt infinita; nec secundo modo, quia tunc illud elementum simplex infinitum, vel plura, si essent infinita, corrumperent omnia alia.

Tertia conclusio, quam ponit primo Cœli, est, quòd nullum est corpus mobile localiter motu circulari actu infinitum. *Nullum corpus mobile circulariter est actu infinitum.* Probatur, imaginando vnam lineam egredi à centro protensam in infinitum; deinde imaginentur centum, vel mille lineæ ordinatæ secundùm prius, & posterius, quarum quælibet est æquè distans primæ, & inter quarum quamlibet ad aliam esset tanta distantia, sicut hinc ad cœlum. Tunc si hoc esset possibile, sequeretur quòd cētum, vel mille spatia, quorum quodlibet est tantum, sicut hinc ad cœlum, essent subitò pertransita. Consequens est impossibile, quia ex quo illa spatia sunt ordinata secundùm prius, & posterius respectu mobilis, & mobile mouetur successiuè, non apparet quare debeant subitò pertransiri. Consequentia probatur, quia ex quo illa linea est æquè distans illis lineis sic ordinatis, ponatur quòd mobile moueatur versùs illas, tunc immediatè post hoc tanget aliquam illarum, & non citiùs aliquam earum, quàm quamlibet: quia nunc quælibet earum est æquè distans, & immediatè post hoc non est æquè distans; igitur cùm omnes illæ sint in infinitum pertransitæ, sequitur, quòd hæc cum qualibet concurret.

Secundò, sequeretur quòd inter duos terminos [b] esset distantia infinita imaginando, quòd à centro illius corporis exeant duæ lineæ rectæ protensæ in infinitum; cùm inter illas duas lineas est aliquanta distantia, & distantia dupla maior, & tripla maior ad illam, & sic in infinitum; & sic inter illas duas lineas est distantia infinita. 4.

Tertiò, sequeretur quòd in tempore finito pertransiretur spatium infinitum. Consequens improbatur sexto huius, imaginando illud corpus infinitum motum circulariter in vna hora, tunc æquè citò illud corpus pertransit totum spatium infinitum, sicut paruus circulus circa centrum complet suam reuolutionem, sed illius reuolutio completur tempore finito: ergo, &c. Aliæ rationes, quas adducit, possunt recipi ex præcedenti quæstione.

Quarta

Nullum corpus mobile motu recto est actu infinitum.

Quarta conclusio. Nullum corpus mobile localiter motu recto, scilicet graue, vel leue, est actu infinitum. Probatur primò, quia tunc moueretur subitò ad suum locum, ex quo haberet grauitatem, vel leuitatem infinitam.

5. Secundò, quia oporteret assignare diuersa loca naturalia infinita. Ex istis infert Aristoteles quòd nullum est corpus naturale actu infinitum; & hoc de primo.

Quantum ad secundum: & primò de duabus conclusionibus primis, ad videndum, an rationes suæ valeant, suppono primò, quòd agens naturale, quod habet in se aliquam virtutem, non agit in quodlibet passum, in quod agit secundùm totam virtutem. Probatur primò experientiis, secundò ratione: prima experientia est, quia si ferrum ignitum poneretur in mari, non citiùs extingueretur, quàm si poneretur in Sequana, & tamen mare habet multo maiorem virtutem.

Agens naturale non agit secundùm totam suam virtutem.

Secundò, quia videmus quòd vnum vitrum plenum aqua diu conseruatur in aëre adhuc benè superiùs, quod non esset, si aër secundùm totam suam virtutem ageret in aquam. Tertiò, quia posito quòd vna modica scintilla ignis ponatur in cumulo palearum, statim combureret omnes paleas, quæ tamen habent maiorem frigiditatem, quàm ille ignis caliditatem; igitur illæ paleæ non agunt secundùm totam suam virtutem frigiditatis in ignem.

6. Deinde, probatur ratione; pro qua supponuntur duo. Primò, quòd elementum ignis est multo maioris actiuitatis, quàm aliquod aliud elementum, vel mixtum, supposità æquali quantitate vtrobique, vt patet ad experientiam. Secundò supponitur quòd sphæra ignis excedit totum aggregatum ex aliis tribus elementis, immò plusquam in decuplo, vt patet per omnes tractantes de proportionibus elementorum. Tunc arguitur sic: Si agens naturale ageret secundùm totam suam virtutem, sequeretur quòd ignis statim corrumperet omnia ista inferiora; consequens est contra experientiam; & consequentiam probo: quia in magna proportione excedit aggregatum ex aliis elementis, & mixtis, & cùm hoc est actiuior aliis: igitur cùm agat secundùm totam sui virtutem, sequitur quòd statim debeat corrumpere omnia alia. Ex ista suppositione probabiliter sequitur, quòd si totum cœlum esset ignis intensissimè calidus, non plus calefierent inferiora per ignem, quàm de facto calefiant, immò, si à sphæra ignis totus esset ignis protensus in infinitum sursum, non plus ageret in ista inferiora, quàm nunc de facto facit; quia agens naturale non agit secundùm totam suam virtutem, sed secundùm partes applicatas tantùm.

7. Ex quibus sequitur, quòd consequentia Aristotelis non valet, quòd si esset aliquod corpus simplex actu infinitum, statim corrumperet omnia alia, & hoc quantum ad duas primas rationes.

Quantum ad tertiam de mobili circulariter, potest imaginari duplex modus ponendi corpus circulare actu infinitum. Vno modo, quòd extra nonam sphæram sit vna sphæra, infinitè quiescens, quam Theologi vocant cœlum Empyreum, quam etiam Aristoteles primo Cœli, text. 22. & 96. & 100. & 2. Cœli text. 2. & 74. & 8. Physic. comm. 84. vocat *locum Deorum*. Alio modo, quòd ᶜ extra cœlum sit terra alterius mundi circundans cœlum vndique, postea aqua, deinde aër, ita vt essent infiniti mundi vnus continuè continens alium: & neuter istorum modorum potest demonstratiuè improbari. Tunc ad rationes Aristotelis patet solutio ex præcedenti quæstione. Nam ad primam, negatur consequentia, & conceditur, quòd immediatè post hoc pertransit quamlibet illatum linearum, & non sequitur, quòd propter hoc subitò, sed successiuè aliam post aliam, sicut dicebatur de partibus proportionalibus cōtinui.

Ad secundam dicitur, sicut dicebatur ad illam rationem; sequeretur, quòd aliquod infinitum esset figuratum.

Ad tertiam, conceditur consequens de corpore infinito, si esset, quòd moueretur.

Ad quartam rationem, potest concedi, quòd haberet grauitatem infinitam, & quòd esset omnino immobile localiter secundùm se totum, licèt esset mobile secundùm partes, sicut dicimus nunc de tota massa terræ. Patet igitur, quòd rationes prædictæ, quibus probatur non esse infinitum, non sunt demonstratiuæ, sed probabiles, & meliores, quàm possint fieri ad oppositum. 8.

Quantum ad tertium, sit prima conclusio ista. De facto est aliquod corpus curuum, siue cōpositum ex infinitis rectis actu infinitum longum: & potest magis propriè vocari tortuosum. Probatur sic, imaginando diuidi continuum per partes proportionales, cuius prima pars sit duorum pedum, tunc de eadem parte imaginetur vnum corpus curuum spissitudinis sextæ vnius pedis circundare illam partem, & illud idem circundet secundam partem proportionalem; sit tamen minus secundùm spissitudinem in secunda parte proportionali, quàm in prima in eadem proportione, in qua secunda pars proportionalis est maior prima, & sic in infinitum de omnibus partibus proportionalibus continui; tunc sequitur sicut arguebatur de linea gyratiua, quòd illud corpus est simpliciter infinitum secundùm longitudinem.

Secundò, accipiantur duo corpora quadrata, quorū superficies vnius sit vnius pedis, & superficies alterius sit duorum pedum, & sit primum *B*, & secundum *A*, tunc sequitur quòd *A*, est octuplum ad *B*, quia proportio corporum est proportio diametrorum triplicata, modò diameter ipsius *A*, est duplum ad diametrum *B*, igitur proportio *A* ad *B*, est tripla ad illam. Sed illa est octupla; igitur *A* est octuplum ad *B*. Tunc imaginetur *B* diuidi in duas medietates secundùm profundum, in prima parte proportionali, & medietas inferior ponatur secundùm longitudinem ad terminum medietatis superioris, tunc adhuc *B* est tantum, sicut erat priùs: quia de quanto est augmentatum secundùm longitudinem, de tanto est diminutum secundùm latitudinem; tunc in secunda parte proportionali horæ *B* est quadruplum sicut fuit priùs. Iterum diuidatur in duas medietates secundùm profundum: & medietas inferior apponatur secundùm longum ad terminum medietatis superioris, & sic fiat in singulis partibus proportionalibus horæ, tunc in fine horæ, *B* erit infinitè longum, & tamen *A* solùm est subduplum ad ipsum, sicut priùs; igitur cùm ante diuisionem ex omnibus istis medietatibus potuit imaginari vnum corpus curuum, seu tortuosum, sequitur, quòd in *B* quanto de facto est corpus infinitè longum; & ita argueretur de quocunque alio. Ex isto sequitur, quòd ista consequentia non valet, *B est infinitè longum, igitur B est infinitum*, sed debet addi, *B est infinitè longum,* & 9.

& quodlibet finitum excedit sine proportione, igitur B est infinitum.

De facto nullum est corpus actu infinitum.

10. Secunda conclusio; de facto nullum est corpus actu infinitum, & licèt ipsa non possit demonstrari, tamen magis concordat sensui: quia quodlibet est infinitum quod sentimus, nec aliqua ratio cogit ad ponendum infinitum: ergo, &c. Nec ista contradicit primæ, ex eo quòd ista consequentia non valet, *hoc est infinitè longum, igitur est infinitum,* sed debet addi quòd *excedat quodcunque finitum sine proportione.*

Ad rationes. Ad primam potest dici, quòd sicut est linea infinita, & etiam superficies curua, ita etiam infinitum corpus curuum, vel tortuosum, quoad longitudinem. Et per idem ad secundam. Ad tertiam, illam soluit Aristoteles in littera. Ad quartam, negatur consequentia: quia non sequitur, habet infinitas partes; igitur est infinitum, nisi addatur, quòd quælibet illarum sit æqualis alicui tertiæ datæ.

Expliciunt quæstiones tertij libri Physicorum.

ANNOTATIONES.

Finitum & infinitum quantitati competunt.

11. [a] V*Trùm detur aliquod corpus naturale actu infinitum.* Nota primò, quòd, vt habetur ex Aristotele 1. *Physic. text.* 15. finitum, & infinitum quantitati conueniunt, quod rursus in hoc 3. *text.* 26. repetit; quod etiam inde patet: quia cùm æquale & inæquale quantitati competant, infinitum autem, vt habetur 1. *Cœli text.* 47. sit inæquale finito, nascitur quòd infinitum competat quantitati: ex quo sequitur non omne ens esse finitum, aut infinitum, nisi sit quantum; punctum enim neque finitum, neque infinitum est (propriè loquendo,) quia quantitate caret.

Infinitum potest sumi bifariam.

Nota secundò, quòd hoc nomen *infinitum* potest capi bifariam, nimirum syncategorematicè, & categorematicè. Priori modo est infinitum aduerbialiter, id est, res infinitè accepta aliqua ex occasione, scilicet diuisione, vel additione, & tunc tantum valet, sicut *aliquot*, & non tot quin plura, & sic additur multitudini, vel non tantum quin maius; vel valet tantum, sicut *aliquantum*, & quodlibet maius, & sic additur magnitudini.

Infinitum in actu duplex.

Alio modo, scilicet categorematicè, idem est quod infinitum nominaliter, id est, res ipsa, quę denominatur infinitum, siue extensione in quantis continuis, siue multitudine, vt in quantis discretis: quia ideo habet hoc nomen, quia actu habet infinitatem, vnde infinitum priori modo est infinitum in potentia; posteriori autem modo est infinitum in actu; & hoc secundo modo sumitur dupliciter: vno modo est modus intrinsecus entis, & vocatur infinitum extra genus: alio modo est infinitum in genere. Vnde infinitum extra genus est, quod secundùm se, & quodlibet sui est infinitum.

Infinitum in genere est triplex.

12. Nota tertiò, quòd infinitum in genere est triplex: nam quoddam est infinitum negatiuè, id est, quod non est aptum pertransiri, de quo loquitur Philosophus cùm dicit, quòd punctus est infinitus negatiuè, sicut vox est inuisibilis, quia non est apta videri. Aliud est infinitum priuatiuè, quod neget finem in apto nato finiri, videlicet aliquod quantum habens magnitudinem, siue multitudinem in actu sine principio & fine; & hoc sonat vocabulum. Tertiò modo est infinitum contrariè, quod negat finitatem, & eius oppositum ponit, iuxta modum loquendi Boëtij super Prædicamenta capite de Qualitate in illa verba Aristotelis, habere contrarium inest qualitati, sicut iniustitia contraria est iustitiæ. Iniustus enim contrariè (inquit Boëtius) dicitur ille, qui habet habitum contrarium habitui iustitiæ ex actibus contrariis, actibus iustitiæ generatum. Ita pari modo infinitum negat finitatem cum positione contrarij, & hoc modo loquitur Philosophus primo Physicorum de infinito contra Parmenidem, & Melissum, & dicit Commentator ibi, quòd infinitum est quantum sine termino. Est autem triplex infinitum hoc modo acceptum; quoddam est extensiuum, vt si Deus faceret lineam in infinitum extensam. Aliud est intensiuum, vt si Deus faceret vnam qualitatem habentem infinitos gradus perfectionales. Tertiò est infinitum in multitudine, vt si Deus faceret aliquam multitudinem infinitam, vel aliquem numerum infinitum. Potest quarto modo addi infinitum secundùm essentiam, quod videlicet habet omnimodam perfectionem, & nequit aliqua ex parte terminari, neque ad speciem, neque ad genus, siue per se, siue reductiuè, & hoc modo propriissimè dicitur infinitum solus Deus. Dicitur etiam infinitum appositione, vt numerus; vel diuisione, vt continuum; vel appositione & diuisione, vt tempus. Item dicitur infinitum, quod vix & cum difficultate potest pertransiri, quo pacto iter longum infinitum dicitur, quia quamuis aptum sit pertransiri, propter impedimentum tamen non pertransitur, & ita profunditas maris infinita, & immensa dici solet. Hæ diuisiones colliguntur ex Aristotele in hoc 3. *Physic. textu* 34. *&* 11. *Metaph. &* 6. *Physic. text.* 19. In hac quæstione Scotus loquitur tantùm de infinito in actu secundùm magnitudinem.

Infinitum contrarie est triplex.

Nota quartò, quòd sunt aliqui Doctores, quibus assentiri videtur Scotus in hac quæstione, loquentes de infinito, secundùm quòd antiqui loquebantur; & dicunt non inuoluere contradictionem infinitum esse, atque ideò propter argumenta in oppositum dicunt primò, quòd si Deus produceret corpus infinitum, ipsum propriè non haberet partes, eo quòd pars non potest esse nisi respectu totius; tale autem infinitum propriè non esset totum: atque adeò datâ quacunque quantitate in illo infinito, non esset pars illius infiniti; sed alicuius quantitatis acceptæ in illo infinito, atque ita dicunt, quòd multa sunt quibus conuenit esse partem: quia ibi sunt multa tota. Dico secundò, quòd illud infinitum non esset figuratum: quia figura est passio quantitatis finitæ. Tertiò dicunt, quòd illud corpus ex sui natura esset mobile secundùm quodlibet sui, non autem ratione infinitatis: quia de facto apparet, quòd nulla sit repugnantia, quin Deus posset causare infinitum spacium extra cœlum, in quo benè posset moueri corpus infinitum. Et cùm quæritur, vtrùm causatâ aquâ infinitâ, posset Deus aliam aquam causare, & illi coniungere; dicunt quòd non posset eam coniungere, eo quòd rationi infiniti repugnat, quòd sibi fiat additio. Vnde non esset repugnantia ex parte Dei; quia posset adhuc infinities infinitas aquas causare, & illi coniungere, sed est repugnantia ex parte effectus. Dicunt quartò, quòd Deus posset infinitas animas creare, & 13.

cuilibet

[illegible] infundere, & iſtas qualitates [illegible] ab ipſis animabus ſeparare, & inter ſe vnire, quo facto poſſet eſſe qualitas infinita intenſiuè, & alia accidentia infinita extenſiuè. Neque hoc videtur eſſe contra Philoſophum, qui loquitur de potentia naturali, & vtitur hoc nomine *infinitum* ſecundùm rationem ſucceſſiuam, & illo modo verum eſt, quòd ipſum non poteſt eſſe.

14. Nota quintò, quòd aliqui doctiſſimi viri, maximè Ocham Nominalium Princeps *in 2. Sent. diſt.* 1. Gregor. Arim. *in 1. diſt.* 43. *quæſt.* 2. & ante illos Auicenna & Algazel relati à D. Thoma 1. *p. quæſt. 7. artic. 3. & 4. quolib. 9.* ſuſtinent, atque defendunt poſſe dari infinitum in actu categorematice. Quod potiſſimùm probant de infinito in multitudine, vt puta de infinitis animabus, quas Deus poteſt producere ſucceſſiuè, & per conſequens ſimul; non enim potentia Dei limitata eſt ad producendum hoc poſt hoc; ſed quæcunque poteſt ſucceſſiuè producere, poteſt etiam ſimul producere. Eandem ſententiam probabilem exiſtimauit Durandus *in 1. diſt. 43. quæſt.* 2. quamuis oppoſitam probabiliorem iudicet. Vide Scotum 8. *huius. q. 1. & in 2. Sent. d. 1. quæſt.* 3. ad Arg. Henrici.

b *Inter duos terminos eſſet diſtantia infinita.* Nota, quòd ſi duæ lineæ producantur infinitæ, altera quidem verſus Orientem, & altera versùs Occidentem, huiuſmodi lineæ diſtabunt quidem per ſpatium infinitum, eo namque quo longiùs protrahuntur, plus diſtant, & ſi in infinitum protrahuntur, vt modò ſupponitur, in infinitum diſtabunt; tunc ergo ſequeretur tale ſpatium eſſe infinitum, & non eſſe infinitum, quod eſt contradictio; eſſet infinitum, quia diſtant infinitè; non eſſet infinitum, quia clauditur principio & fine, quod infinito repugnat, quia clauditur inter illas duas lineas.

15. c *Quòd extra cœlum ſit terra alterius mundi.* Nota, quòd iſta imaginatio intelligitur ponendo plures mundos concentricos, velut ſi ſupra vltimum cœlum noſtri mundi eſſet cœlum terreum, & vltra illud cœlum aqueum, & poſtea cœlum aëreum, & deinde cœlum igneum, & poſtea alia corpora cœleſtia, ita vt eſſent infiniti mundi, &c.

d *Vt ſic fiat in ſingulis partibus proportionalibus hora.* Nota, quòd tenens quòd Deus non poteſt facere infinitum in actu, habet negare quòd in qualibet parte proportionali vnius horæ Deus poſſit producere, verbi gratiâ, vnum lapidem, eo quòd tales partes non ſunt ſeparatim à ſe inuicem aſſignabiles, eo quòd non ſunt partes actuales, ſed ſolùm potentiales, ſicut etiam de partibus proportionalibus rei permanentis: & cùm dicitur, quòd non eſt aſſignabilis parti proportionabilis alicuius horæ, in qua Deus non poſſit producere lapidem; concedendum eſt: & dicendum vlterius, quòd in vna hora non poſſunt infinitæ partes ſignari, cùm vna non ſit extra aliam, ſed ſemper in alia contineatur. Nam in continuo nulla pars poteſt ſignari, de qua ſit verum dicere, quòd in eodem continuo ſunt infinitæ partes illi parti æquales non communicantes: omnes enim quæ illi aſſignabuntur æquales non communicantes erunt finitæ. Sed vide Scotum in 2. *Sent.* loco ſuprà relato, & Sotum *in 3. Phyſic. quæſt.* 3.

EXPOSITIO TEXTVS.

Phyſice autem i magis ſpeculantibus ex hiſce manifeſtum erit. Hoc eſt tertium capitulum, in quo Philoſophus oſtendit, quòd nullum eſt corpus ſenſibile actu infinitum. Quod probat ſex rationibus. Secunda ibi: *Quòd autem omnino impoſſibile ſit.* Tertia ibi: *Omnino autem manifeſtum eſt.* Quarta ibi: *Amplius omne corpus.* Quinta ibi: *Simpliciter autem ſi impoſſibile eſt.* Sexta ibi: *At verò quod alicubi eſt.* Prima ratio eſt, quòd ſi eſſet aliquod corpus ſenſibile actu infinitum, vel illod eſſet ſimplex, vel compoſitum; quòd non ſit ſimplex, probatur ibi: *At verò neque vnum ac ſimplex.* Primò probatur iſta concluſio, quòd nullum eſt corpus ſenſibile compoſitum actu infinitum: quia vel eſſet, quia ſimplicia componentia eſſent infinita in multitudine, & hoc non; vt probatum eſt primo huius; vel quia ſunt finita in multitudine; ſed vnum eſt infinitum in magnitudine, & hoc non, quia tunc illud elementum ſimplex infinitum ſtatim corrumperet omnia alia, cùm haberet contrarietatem cum aliis. Et ſi aliquis cauillando dicat, quòd non ſequitur: quia poſſibile eſt, quòd illud corpus infinitum ſit remiſſæ actiuitatis, vt aër; & elementa ſicca ſunt magnæ actiuitatis; ideò non oportet, quòd ſi illud elementum remiſſæ actiuitatis eſſet infinitum, quòd corrumperet omnia alia. Contra hoc obiicit Ariſtoteles, quia ex quo ille aër eſt infinitus, eſt accipere aliquam portionem eius æqualem in virtute cum igne finito dato; & tunc ad illam portionem aëris contingit dare duplam, triplam, & ſic in infinitum; ex quo aër eſt infinitus. Sequitur etiam quòd habebit infinitam virtutem ſuper omnia alia, & per conſequens ſtatim omnia alia corrumpet. 16. Text. 42.

17. Ad iſtam rationem Ariſtotelis, poteſt reſponderi, quòd agens maius extenſiuè non agit fortius, quam minus agens; quod patet. Nam totum mare non velociùs, aut intenſiùs frigefacit manum tuam, quàm vnus fons, vel vna ſcutella plena aqua. Secundò patet idem, quia ſi agens ageret ſecundùm ſe totum, tunc ſcintilla ignis non poſſet durare in aëre, quod eſt contra experientiam. Et patet conſequentia: quia totus aër haberet valde magnam proportionem ſuper illam ſcintillam. Ideò dico, quòd agens non agit niſi ſecundùm partes applicatas; verbi gratiâ, aër circundans nos tantum agit de facto alterando nos, quantum ſi eſſet infinitus extenſiuè, & ideò non ſequitur, quòd ſi aër eſſet infinitus, quòd corrumperet omnia alia.

Vnumquodque a autem infinitum eſſe, &c. Hîc oſtendit, quòd nullum eſt compoſitum ſimplex actu infinitum, ex eo quòd plura componentia eius ſunt infinita. Probatur: quia corpus eſt, quod facit vndique diſtare; igitur corpus infinitum eſt quod facit in infinitum vndique diſtare, igitur impoſſibile eſt eſſe plura corpora infinita, cùm vnum infinitum totum occuparet. Text. 43.

Ad iſtud poteſt reſponderi dupliciter; primò, quòd licèt impoſſibile eſſet, eſſe duo infinita ſecundùm omnem dimenſionem, quorum vnum non informaret reliquum; tamen poſſibile eſſet eſſe duo infinita ſecundùm vnam dimenſionem protenſam ad diuerſas partes. Verbi gratiâ, ſi eſſet vna columna finitè lata, & finitè profunda, & in infinitum protenſa ad Orientem; & vna alia in infinitum protenſa ad Occidentem; tunc

non sequitur quòd vnum infinitum totum occuparet, vel quòd impossibile esset esse plura infinita. Secundò aliter respondetur, quòd potest imaginari vnum mixtum infinitum, vt lapis, cuius componentia simplicia sint finita in multitudine, & infinita in magnitudine; & tunc ratio non habet locum. Ideò quicquid sit de istis rationibus, visum est in quæstione.

18. Text 44. *At verò neque 3 vnum ac simplex.* Hic probatur secunda conclusio, scilicet, quòd nullum est corpus sensibile simplex actu infinitum, sicut posuerunt antiqui, qui dixerunt, quòd esset quoddam medium inter duo elementa actu infinitum, & ponebant ipsum esse principium, ex quo omnia alia generantur. Hoc improbatur dupliciter. Primò, quia omne quod componitur ex aliquo per corruptionem resoluitur in illud, ex quo componitur: ideò sic entia naturalia componuntur ex illo principio, sequitur quòd debet resolui in illud principium, quod tamen non apparet no-

Text. 45 46. 47. bis. Secundò 4 quia omne illud quod habet transmutationem cum aliquo, habet contrarietatem cum eodem, sed entia naturalia habent transmutationem cum illo medio inter illa elementa, vel cum illo elemento, quod tu ponis infinitum; igitur entia naturalia habent contrarietatem cum illo, & per consequens, cùm illud sit infinitum, sequitur quòd statim corrumperet omnia alia. Maior patet, quia omnis transmutatio fit ratione contrarietatis; & minor est nota, quia entia naturalia generantur ex illo simplici elemento tanquam ex principio; quod non esset nisi cum illo haberent transmutationem.

Omne resoluitur in id ex quo est.

19. Text 48. *Quòd autem 5 omnino impossibile sit.* Hic ponit secundam rationem ad principale, & primò facit hoc; secundò remouet quendam errorem Anaxagoræ, ibi: *Anaxagoras autem.* Ratio est ista, quia si esset aliquod corpus actu infinitum, vel hoc esset similium partium, quod est, sicut visum est sæpe in quæstionibus, corpus homogeneum; vel dissimilium partium, quod est, vt etiam sæpe visum est, corpus heterogeneum; & primò probat primum. Secundò secundum ibi: *Si verò dissimile sit totum.* Primò probat, quòd impossibile est aliquod sensibile homogeneum esse actu infinitum, supponendo duo. Primò, quòd cuiuslibet corporis sensibilis est aliquis locus determinatus. Secundò, quòd idem sit locus totius, & partis; vt centrum mundi est locus totius terræ, & etiam locus ad quem inclinatur vna gleba. Similiter idem est locus totius ignis, & vnius scintillæ, vt concauum orbis Lunæ. Tunc formetur ratio, si esset aliquod corpus homogeneum infinitum, tunc sequeretur quòd ipsum & quælibet pars eius esset immobilis, vel quòd vbique moueretur, & vbique quiesceret naturaliter, consequens est falsum, quia si aliquod quiescat naturaliter in vno loco, violenter mouetur ab illo, & per consequens non vbique mouetur naturaliter. Consequentia tenet; quia corpus infinitum occupat locum infinitum; tunc igitur accipiatur vna portio illius corporis, tunc quilibet locus est locus naturalis istius partis per secundam suppositionem: igitur ista pars quiescet naturaliter in quolibet loco: igitur similiter mouebitur naturaliter ad quemlibet locum; igitur cùm vbique sit suus locus naturalis, sequitur quòd vbique mouebitur, & vbique quiescet: vel oportet dicere, quòd quælibet pars eius est omnino immobilis, & etiam totum omnino immobile,

Impossibile est sensibile homogeneum esse infinitum.

cùm totum & pars sint eiusdem rationis.

Si verò 6 dissimile sit totum. Hic probat quòd impossibile est corpus heterogeneum, id est, dissimilium partium, esse actu infinitum; primò, quia tunc sequeretur quòd totus mundus non esset vnum corpus nisi in tangendo, id est, nisi per modum cumuli, & aggregationis; consequens est falsum: quia est aliquod corpus continens mundum per modum locantis. Et patet consequentia: quia non esset nisi aggregatio partium dissimilium in infinitum sine locante aliquo, vel termino. Secundò, quia vel illæ partes sunt finitæ, vel infinitæ; non finitæ: quia tunc oporteret aliquam illarum partium esse infinitam, quæ, cùm habeat contrarietatem ad alias partes, sequitur quòd statim corrumperet omnes alias partes, vt argutum fuit priùs; & propter hoc nullus antiquorum posuit illud corpus infinitum esse ignem, vel terram: quia in ipsis sunt contrarietates determinatæ, & valde manifestæ, scilicet *caliditas, frigiditas, sursum & deorsum,* quæ sunt contraria secundùm locum. Nec potest dici, quòd partes illæ sint infinitæ, propter duo; Primò, quia tunc principia rerum naturalium essent infinita in multitudine, cuius oppositum est probatum primo huius. Secundò, sicut essent corpora infinita, quæ essent partes illius infiniti, ita oporteret loca naturalia esse infinita, ex quo nullum est corpus sine loco, nec locus sine corpore. 20. Text. 49.

Corpus heterogeneum non potest esse infinitum.

Anaxagoras 7 autem, &c. Hic remouet quendam errorem Anaxagoræ. Vnde Anaxagoras posuit, quòd infinitum est locus sui ipsius, ita vt infinitum sit in se ipso; nec est aliquid aliud continens ipsum, & ideo, ex quo est in se ipso tanquam in loco, quiescit in se ipso naturaliter. Istud improbat tripliciter. Secundum ibi: *Si igitur quàm maximè.* Tertium ibi: *Similiter & infinitum.* Prima ratio est ista, quia ista consequentia non valet, *infinitum est in se ipso naturaliter:* quia multa sunt alicubi tanquam in loco, vbi quiescunt, & tamen non naturaliter: immò per violentiam; sicut patet de lapide detento sursum violenter. Text. 50.

Si igitur 8 maximè, &c. Ponitur secunda ratio, quia si terra esset infinita in magnitudine, quiesceret propter eandem causam, propter quam de facto quiescit: sed terra nunc non quiescit ex eo quòd infinita: igitur tunc non quiesceret ex eo quòd est infinita: & per consequens non est verum, quòd infinitum quiesceret in se ipso, propter hoc quod est infinitum. Maior probatur: quia terra nunc quiescit propter eius grauitatem, scilicet in medio mundi, eo quòd omnes partes eius æqualiter inclinantur ad centrum: & minor patet: quia de facto terra est finita: & per consequens non quiescit de facto ex eo quòd est infinita. 21. Text. 51.

Similiter 9 & infinitum, &c. Ponitur tertia ratio contra eundem: quia licèt corpus infinitum quiesceret in se ipso propter infinitatem, tanquam propter causam; tamen ista ratio non sufficit ad dandam causam quietis partium corporis infiniti, ita vt arguatur sic; pars corporis infiniti non quiescit naturaliter, eo quòd est infinita; igitur corpus infinitum non quiescit, eo quòd est infinitum. Tenet consequentia: quia sicut in corporibus homogeneis idem est locus totius, & partis, ita eadem est causa quietis totius, & partis, vt totius terræ, & vnius glebæ. Text. 52.

Omnino 10 autem manifestum est. Ponitur tertia ratio ad principale: quia si esset corpus aliquod sensibile 22. Text. 53.

[illegible] finitum, vel illud esset graue; & hoc non, quia tunc nullum esset leue: vel esset leue, & hoc non, quia tunc periret natura grauis; vel haberet partim grauitatem, & partim leuitatem, & tunc quæritur, secundùm quam proportionem diuiditur in graue, vel leue, aut secundùm quam proportionem esset sursum, & secundùm quam deorsum, & non apparet quomodo.

Text. 54. *Amplius omne 11 corpus sensibile.* Ponitur quarta ratio: quia nullus est locus infinitus: igitur nullum est corpus infinitum. Tenet consequentia, quia sicut dictum est, nullus est locus sine corpore, nec corpus sine loco. Antecedens patet, quia species locorum sunt finitæ; scilicet *sursum, deorsum, antè, & retrò, dextrum, & sinistrum*, quę non solùm dicuntur in comparatione quo ad nos, sed simpliciter ad totum vniuersum, vt habet videri *secundo Cœli*.

Loci species & differentia. Text. 13. & 14.

Text. 51. *Simpliciter 12 autem si impossibile est.* Ponitur quinta ratio, quæ est consimilis præcedenti: quia impossibile est aliquem locum esse infinitum, & impossibile est corpus infinitum esse sine loco; igitur impossibile est aliquod corpus esse infinitum.

Text. 58. Antecedens potest probari aliter quàm priùs: quia motus simplices sunt finiti, & in numero certo, vt patet *secundo Cœli*, igitur per consequens loca sunt finita, ad quæ sunt huiusmodi motus.

23. *At verò quod alicubi est*, &c. Ponitur sexta ratio; quia videmus quòd omne corpus est finitum, & secundùm quantitatem, & secundum locum; igitur nullum corpus est infinitum. Tenet cōsequentia: quia ex quo quodlibet corpus terminatur per locum, & in quantitatem, sequitur quòd cuiuslibet corporis est aliquis terminus, & per consequens nullum corpus est infinitum. Antecedens patet, quia videmus quòd omne quantum est bicubitum, vel tricubitum, & sic de aliis. Similiter omne quod est in loco est alicubi, puta sursum, vel deorsum, & sic de aliis differentiis positionis; ex quibus patet quòd nullum est corpus sensibile actu infinitum.

Text. 56. *De infinito potentia.* *Quòd igitur 1 actu non sit corpus infinitum, manifestum est ex his*, &c. Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostēdit, qualiter infinitum est, & qualiter non est: & primò ostendit, quòd infinitum aliquo modo est, & aliquo modo non. Secundò ostendit, qualiter est, & qualiter non, ibi.

24. *Dicitur autem ipsum esse.* Primum probatur sic: quia corpus sensibile est esse actu infinitum: igitur aliquo modo infinitum non est; sed quòd aliquo modo infinitum sit, patet ex tribus. Primò quia tempus non habet principium, neque finem. Secundò quia magnitudo est in infinitum diuisibilis.

Et tertiò, quia numero in infinitum potest fieri additio.

Dicitur autem ipsum esse. Hìc ostendit qualiter infinitum est, & qualiter non; & primò ostendit quòd [a] infinitum est in potentia.

Secundò, qualiter in potentia.

Tertiò, quia omnis potentia est reducibilis ad actum; ostendit qualiter infinitum est in actu: & quartò ostendit qualiter in magnitudine, & numero est diuersimodè infinitum. Secundum

Infinitum est in potentia. ibi: *Non oportet autem quòd potentia est.* Tertium ibi: *Quod autem est secundùm appositionem.* Primò probatur quòd infinitum est in potentia, quia infinitum aliquo modo est per primam conclusionem; tunc igitur vel est in potentia, vel in actu: non in actu per præcedens capitulum; igitur relinquitur quòd sit in potentia.

Non oportet 2 autem quòd potentia est. Hìc ostendit qualiter infinitum est in potentia. Vbi notandum, [b] quòd duplex est potentia, quædam priuata actu; sicut dicimus quòd lapis est in potentia Regis, eo quòd aliquando erit statua Regis: alia est in potentia coniuncta cum aliquo alio actu, licèt non completo; sicut dicimus quòd dies non potest esse, eo quòd est actu secundùm vnam partem, & potest esse secundùm aliam, & ita de aliis, quorum *esse*, consistit in *fieri*, vt *Agon*, qui est quidam ludus, qui fiebat antiquitus in monte Olympo. Modò intendit Aristoteles quòd infinitum sit in potentia secundo modo, non primo, & qualiter hoc sit probat in alia parte. Text. 57. *Potentia est duplex.*

Aliter autem 3 & in tempore. Hìc ostendit qualiter infinitum est in actu, & permittit primò, quòd differenter est infinitum in permanentibus, & successiuis. Nam diuisio continui in permanentibus priùs facta manet cum diuisione posteriùs facta; sed non manet in successiuis, & hoc dupliciter. Primò, quia vtrumque, scilicet tam permanens, quàm successiuum est diuisibile in infinitum. Secundò quia semper acceptum in vtraque diuisione est finitum. Tunc ostendens, qualiter infinitum est in actu, distinguit de actu: nam quædam potentia reducitur ad actum completum, vt potentia ad hominem reducitur ad actum; quando homo est completè generatus; sed alia est potentia, quæ reducitur ad actum, non completum, sed semper permixtum potentiæ ad aliquid vlterius; modo diuisio continui in infinitum reducitur ad actum diuisionis in aliquot partes, sed nunquam in tot, quin semper restent aliquæ vlteriùs diuidendæ, & hoc innuit differentiam de infinitate permanentis, & successiui, quæ iam dicta est. 25. Text. 58. *Infinitum in permanentibus & successiuis est indifferenter.*

Quod autem 4 est secundùm appositionem. Hìc ostendit qualiter est infinitas secundùm appositionem, & diuisionem. Secundò ostendit qualiter est infinitas in magnitudine secundùm diuisionem. Tertiò qualiter secundùm appositionem; & quartò reprobat Platonem. Secundum ibi: *In magnitudine infinita.* Tertium ibi: *Et secundum appositionem.* Quartum ibi: *Quoniam & Plato.* Primò probat, quòd quodammodo est simile de infinitate magnitudinis secundùm appositionem, & secundùm diuisionem: quia si illud, quod remouetur ab vno continuo per diuisionem, addatur alteri per appositionem, tunc sicut vnius est diuisio in infinitum, ita alteri fit appositio in infinitum; & per consequens quodammodo est simile de istis. 26. Text. 59.

In magnitudine enim finita. Hìc ostendit qualiter magnitudo est infinita secundùm diuisionem per duas conclusiones. Prima est, quòd magnitudo non est diuisibilis in infinitum secundùm partes eiusdem quantitatis, ita vt partes posterioris diuisionis sint æquales partibus prioris diuisionis. Secunda conclusio, quòd magnitudo est in infinitum diuisibilis secundùm partes eiusdem proportionis. Probantur ambæ simul, quia illo modo est diuisibilis magnitudo in infinitum, qualiter semper restat aliquid diuidendum, & non illo modo qualiter per diuisionem magnitudo tandem consumitur; sed magnitudo si diuidatur in infinitum in partes eiusdem proportionis, semper restat aliquid diuidendum de magnitudine, *Magnitudo est infinita secundùm diuisionem.*

& per diuisionem in partes eiusdem quantitatis in infinitum tandem consumitur magnitudo, ita vt non tester ampliùs diuidendum: igitur magnitudo est diuisibilis in infinitum, non in partes eiusdem quantitatis, sed in partes eiusdem proportionis.

27. Text. 60. *Vide digressionem Auerrois.* *Et secundùm 5. appositionem.* Hic ostendit, qualiter est infinitas magnitudinis secundùm appositionem; & probatur ista conclusio, quòd magnitudini potest fieri appositio in infinitum per partes eiusdem quantitatis. Probatur, quia simile est de infinitate magnitudinis secundùm appositionem, & diuisionem, vt probatum fuit priùs; sed magnitudo est in infinitum diuisibilis secundùm partes eiusdem proportionis, & non secundùm partes eiusdem quantitatis: igitur magnitudo est in infinitum augmentabilis secundùm partes eiusdem proportionis, & non secundùm partes eiusdem quantitatis. Secundò arguitur, supponendo, quòd non omni magnitudine datâ, dare est maiorem, sed omni magnitudine datâ, dare est minorem. Hoc probabitur postea. Tunc arguitur eo modo. Magnitudo est augmentabilis in infinitum, quomodo non potest excedere omnem magnitudinem datam: sed faciendo additionem secundùm partes eiusdem quantitatis, excederet omnem magnitudinem datam; sed faciendo additionem secundùm partes eiusdem proportionis non excederet omnem magnitudinem datam: igitur magnitudo est in infinitum augmentabilis, non secundùm partes eiusdem quantitatis, sed secundùm partes eiusdem proportionis.

Text 61. *Quoniam 6 & Plato.* Hic improbat Platonem [c] ex prædictis, quantum ad duo. Primò, quia dicebat Plato, quòd augmentatio quantitatis vadit in infinitum, quod est falsum: quia non omni magnitudine data est dare maiorem. Secundò dicebat, quòd numerus est finitus, & secundùm appositionem, & secundùm diuisionem; nam ab vna parte est vnitas, quæ est indiuisibilis, & à parte magnitudinis terminantur species numerorum ad decem: quia vltra decem non fit nisi retractatio specierum numeri. Modò hoc est falsum: quia semper per appositionem vnius speciei numerorum ad aliam, resultant diuersæ species.

ANNOTATIONES.

28. *Infinitum tripliciter considerari potest.* [a] **O***Stendit quòd infinitum est in potentia.* Nota infinitum tripliciter considerari posse; primo modo, quo ad durationem, & perpetuitatem, & æternitatem; & hoc modo agit Aristoteles de infinito 8. *Physicorum.* Secundo modo quoad indeterminationem, ita vt illud sit infinitum, quod est indeterminabile; & hoc modo agit Aristoteles de infinito 1. *Physic. cap vlt.* vbi appellat materiam infinitam, id est, indeterminatam. Tertio modo accipitur magis Physicè, quoad carentiam terminorum, & ita agit hic de infinito.

Esse in potentia dupliciter. [b] *Duplex est potentia.* Nota quòd aliquid esse in potentia dupliciter contingit: vno modo, quòd totum potest reduci ad actum completum, sicut æs est in potentia statua, & hoc secundùm omnes suas partes, quia æs secundùm omnes suas partes potest esse actu statua, & hoc modo non est possibile infinitum reduci ad actum. Alio modo aliquid potest esse in potentia, quod incompletè, & successiuè reducitur ad actum, & quod nunquam reducetur completè ad actum, cuius scilicet nunquam omnes partes simul erunt, sicut dies *Agon*, & *Olympia*: dies enim & *Agon* est semper in aliud, & aliud *fieri*; & hoc modo continuum potest diuidi in partes, & rursus quælibet illarum in alias partes, & sic in infinitum sine termino. Hæc diuisio potentiæ sequitur *esse* rei: aliquæ enim res sunt, quarum totum esse est simul, vt domus in artificialibus, homo, vel leo in naturalibus. Aliæ sunt quarum *esse* est in *fieri*, & successione, sicut motus, & res successiuæ, & cùm potentia sit ad *esse*, si potentia sit ad *esse* rei permanentis, tunc tota res potest ad actum reduci; si verò potentia sit respectu rerum successiuarum, non reducitur ad actum, ita vt tota res sit simul, sed sic, quòd semper sit aliud post aliud accipere.

Ex hac doctrina elicitur verus sensus huius pertritæ Maximæ: *frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum*; sensus enim est, quòd frustra 29. *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, quomodo intelligitur.* est potentia actiua naturaliter ad aliquem actum ordinata, quæ ad actum non possit reduci: quia sicut, verbi gratià, ignis habet potentiam combutendi lignum, si lignum habet potentiam ad comburi, frustra esset potentia ignis, si nunquam quibuscunque positis, posset reduci ad actum. Item, frustra est potentia ad esse permanens, quæ non potest reduci ad actum, tamen si potentia sit respectu entis successiui, etiam est vera in hoc sensu, quòd frustra est potentia, quæ ad illum actum vt sic, non potest reduci; eius autem actus est, quòd semper sit in *fieri*, & in successione, ita vt potentia continui ad diuidi, est vt semper sit diuisibilis, & esset frustra si daretur non diuisibile, quapropter quantumcumque diuidatur: semper est diuisibile in potentia; & sic datur infinitum in potentia incompleta, nunquam enim in acto completo dabitur actu infinitum.

[c] *Improbat Platonem.* Nota quòd Plato posuit infinitum reperiri in magnitudinibus nedum secundùm diuisionem, sed etiam secundùm appositionem: ita vt sicut omni magnitudine data, contingit dare minorem; ita secundùm eum omni magnitudine datâ, contingit dare maiorem. At in numeris Plato non posuit infinitum, nec secundùm diuisionem, quia est status ad vnitatem; nec secundùm appositionem, quia secundùm eum est status ad decem, & numeri qui sunt vltra, sunt eiusdem speciei cum prioribus, nec sunt nisi priores reiterati.

EXPOSITIO TEXTVS.

A*Ccidit autem 1 contra esse infinitum.* Hoc est 30. quintum capitulum huius tractatus in quo Text. 62. Philosophus ostendit quid sit infinitum definitiuè; & primò, recitando quandam definitionem antiquorum de infinito, ponit definitionem veram infiniti. Secundò improbat illam definitionem antiquorum; & tertiò remouet motiuum ipsorum. Secundum ibi: *cuius autem nihil est extra.* Tertium ibi: *Quoniam hinc quidem.* Vnde [a] antiqui definiuerunt infinitum sic: Infinitum est extra quod nihil est, quod est falsum, immò potiùs *Infinitum non rectè à veteribus definitum.* debuissent dixisse oppositum, scilicet, quòd *infinitum est, cuius quantitatē accipientibus semper contingit accipere vltra*, cuius signũ est, quòd vulgus tempore Aristotelis vocauit circulum infinitum propter eius similitudinem ad infinitũ: quia quantacumque parte circuli acceptà, contingit vlteriùs

accipere

Text. 63. *Infinitum quid.*

accipere aliam partem, ſed non eſt omnino ſimile. Quia [b] infinitum 2 eſt cuius quantitatem accipientibus ſemper contingit accipere aliquid vltra, ita quòd pars poſterioris accepta non continuatur cum aliqua prius accepta, immò in acceptione partium circuli partes poſteriùs acceptæ continuantor cum prioribus; ideò non oportet, quòd circulus ſit infinitus.

31. Text. 64.

Cuius 3 autem nihil eſt extra. Improbat definitionem antiquorum de infinito: quia ſi eſſet bona, tunc ſequeretur quòd totum, [c] & perfectum eſſent infinitum. Conſequens eſt falſum; quia totum perfectum iam eſt finitum. Et patet conſequentia. Primò, loquendo ſimpliciter, quia cœlum eſt extra quod nihil eſt, & tamen cœlum non eſt infinitum, vt patet *primo Cœli*. Secundò patet, loquendo ſecundùm *quid*: quia quodlibet totum eſt, extra quod non eſt aliqua pars eius, & per conſequens quodlibet totum eſſet infinitum. Ex hoc refert Ariſtoteles, quòd melius dixerat Parmenides, quàm Meliſſus. Vnde Meliſſus dixit, quòd totum eſſet infinitum; ſed Parmenides dixit quòd totum eſſet infinitum per circumferentiam continentem æquè diſtantem à centro.

Text. 37. vſque ad 75. *Totum quid.* *Vide pro hoc 1. cœli, text. 3. & 12.*

32. Text. 65.

Quoniam hunc 4 quidem. Hic remouet motiuum ipſorum dicens, quòd antiqui mouebantur propter hoc, quòd dicebant infinitum continere omnia in ſe; & ideò in hoc habet quandam ſimilitudinem cum toto, quod continet in ſe omnes ſuas partes. Hoc improbat: quia magnitudo non eſt infinita niſi in potentia ſecundùm diuiſionem ipſius in partes in infinitum: ſed ſecundùm quòd eſt in potentia non continet partes ſuas, ſed ſecundùm quòd eſt in actu: igitur magnitudo non eſt continens ſecundùm quòd eſt infinita: immò potiùs continet, quia partes, in quas totum eſt diuiſibile in infinitum, continentur in toto, & non continent totum. Ex quibus infert duo corollaria. Primum eſt, quòd infinitum eſt ignotum: quia infinitum non eſt niſi ratione materiæ quæ eſt ignota. Vnde notandum, ſicut patuit in ſecundo, quòd vno modo materia dicitur de partibus integralibus totius, & forma de vnione illarum partium; & ideò dicit in propoſito, quòd partes ſunt materia totius, ſicut æs eſt materia ſtatuæ, & ly *ſicut* non denotat conſimilem modum materiæ; ſed conſimilem modum vocandi. Secundum corollarium, 5 quòd Plato inconuenienter dixit infinitum continere omnia ſenſibilia, & intelligibilia: quia irrationabile eſt, quòd ignotum, & indeterminatum contineat, & determinet omnia alia.

Definitum ſecundum quòd infinitum, ignotum eſt. Text. 76.

ANNOTATIONES.

33. *Definitiones tres de infinito.*

[a] A*Ntiqui definierunt infinitum, &c.* Nota, quòd tres aſſignantur definitiones de infinito. Prima eſt. *Infinitum eſt cuius nihil entitatis deeſt, eo modo quo poſſibile eſt illud haberi in aliquo vno.* Alia definitio eſt. *Infinitum eſt quod excedit omne ens finitum non ſecundùm aliquam determinatam portionem, ſed vltra omnem portionem determinatam, vel determinabilem.* Tertia definitio eſt. *Infinitum eſt magnitudo, vel multitudo, quâ nihil eſt maius.* Et iſtæ definitiones dantur per oppoſitum ad illam, quæ eſt Ariſtotelis, quâ dicitur. *Infinitum eſt cuius quantitatem accipientibus, ſemper eſt aliquid extra accipere.*

Infinitum bifariam ſumi poteſt.

[b] *Infinitum eſt cuius quantitatem, &c.* Nota primò, quòd infinitum poteſt duobus modis accipi; vno modo pro per ſe ſignificato, ſiue pro formali, & ſic eſt quædam ratio ſucceſſiua, de qua dictum eſt ſupra: alio modo pro denominato, ſeu pro materiali, & ſic eſt res, quæ eſt infinita. Vnde definitio infiniti non datur de infinito pro denominato, ſed per ſe ſignificato. Et ſic debet intelligi, *infinitum eſt cuius eſt ſemper aliquid extra accipere*, id eſt, infinitum eſt illud, de quo ſi auferatur quodcumque finitum, adhuc reſtat aliquid accipiendum extrà præter illud finitum acceptum: quantumcunque enim tempus accipias, dum tamen finitum accipias, ſemper reſtat aliquid accipiendum. Similiter quaſcunque diuiſiones magnitudinis accipias, dum tamen finitas, adhuc potes aliquid extrà accipere.

Nota ſecundò, quòd infinitum, de quo loquitur Philoſophus, conſiſtit formaliter in ſucceſſione, eo quòd ratio eius eſt formaliter ſucceſſiua; quod ſic declaratur. Omnis ratio permixta intrinſecè ex actu, & potentia eſt ſucceſſiua: quia ratione actus aliquid eſt in actu, ratione potentiæ includit aliquid quod non eſt: & per conſequens conſtat ex partibus quæ non ſunt; ſed ratio infiniti partibilis (ſecundùm quòd infinitum) eſt permixta intrinſecè ex actu, & potentia; ſi enim aliquis imaginetur aliquod partibile in infinitum, neceſſariò figit aſpectum ſuper aliquid in actu, deinde ſuper aliquid aliud, & ſic ſemper procedendum, ita vt intellectus nunquam attingat totum ſimul in actu; quia ſi ſic iam finiret; ergo ratio infiniti eſt ſucceſſiua, & hoc voluit Ariſtoteles quando dixit quòd ratio infiniti non reducitur ad actum perfectum, ſed actum imperfectum, ſicut dies, & *Agon*; ſequitur ergo, quòd ratio infiniti partibilis eſt ſucceſſiua. Quod etiam manifeſtè patet ex conditionibus, quas attribuunt infinito. Prima eſt, infinitum eſt, cuius quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid extra accipere, hoc conuenit rationi ſucceſſiuæ non permanenti. Secunda, quòd non habet rationem totius, ſed partis, quia de infinito non eſt niſi pars in actu, quod iterum non conuenit niſi ſucceſſiuo. Tertia, quòd habet rationem incompleti, & imperfecti. Quarta, quòd non continet, ſed continetur, quæ conueniunt rationi ſucceſſiuè. Quinta, quòd eſt ignotum: quia pars quæ ſumitur eſt in actu, & ſemper eſt aliqua pars ſumenda, quæ eſt in potentia, & etiam pars actualis ſumpta eſt ad aliud, quod eſt in potentia: quod enim caret actu, eſt ignotum, quia intellectus ſemper actuat, & finit illud, quod intelligit, & hoc iterum conuenit rationi ſucceſſiuæ non permanenti, vt permanens eſt.

34. *Infinitum conſiſtit formaliter in ſucceſſione.*

Infiniti conditiones.

[c] *Totum, & perfectum eſſent infinitum, &c.* Nota, quòd definitio conueniens toti, & perfecto non eſt bona definitio infiniti; quia nullum infinitum eſt perfectum, caret enim fine, qui eſt perfectio rei, perfectum autem nullum eſt non habens finem: ſi autem infinito repugnat ratio perfecti, ei etiam repugnat ratio totius, quia totum & perfectum idem ſunt, vel propinqua. Vnde Ariſtoteles 5. *Metaphyſica*, text. 31. & 4. Phyſic. 45. dicit totum eſſe, cuius nihil eſt extrà accipere, id eſt, quod habet omnia neceſſaria ad ſui perfectionem: atque adeò totum, & perfectum, aut idem penitus ſunt, aut proxima ſecundùm naturam. Et hîc, inquit Ariſtoteles, quòd totum eſt, cui nihil deeſt, vel ſimpliciter nihil, ſicut patet de mundo, cui propriè ratio totius conuenit, vel nihil deeſt de his, quæ pertinent ad complementum rei; ſicut dicimus hominem totum,

35. *Definitio totius, & perfecti non conuenit vllo infinito.*

vel arcam totam. Ex quibus patet quàm poſitio Parmenidis eſt rationabilior poſitione Meliſſi. Dicit enim Meliſſus totum ens, ſiue vniuerſum eſſe infinitum, ſecundùm quòd dicit mundo continuati infinitum, quod eſt extra cœlum, ſicut lignum continuatur ligno. Sed Parmenides dicit totum mundum eſſe infinitum, & ſphæricum, per æquam diſtantiam circumferentiæ à centro.

EXPOSITIO TEXTVS.

36. Text. 67. SEcundùm rationem 1 autem accidit, &c. Hoc eſt ſextum capitulum, in quo Ariſtoteles determinat de cauſis finitatis, & infinitatis in rebus naturalibus; & diuiditur: quia primò oſtendit quæ ſit finitas, & infinitas in magnitudine. Secundò qualiter in numero. Tertiò qualiter in motu, & tempore. Quartò remouet dubium. Et quintò oſtendit ad quod genus cauſæ reducuntur finitas, & infinitas. Secundum ibi, *Rationabiliter autem, & hoc*. Tertium ibi, *Infinitum autem non eſt idem in motu*. Quartum ibi, *Non remouet autem ratio*. Quintum ibi, *Quoniam autem cauſa diuiſa ſunt*. Primò ponit duas concluſiones de magnitudine, quarum prima eſt, quòd magnitudo non eſt infinita ſecundùm appoſitionem. Secunda, quòd magnitudo eſt infinita ſecundùm diuiſionem. Probantur ſimul; quia totum habet ſe per modum actus, & formæ, cuius eſt determinare, & finire; & partes ſe habent per modum materiæ, & potentiæ, quæ de ſe eſt indeterminata; ideò proceſſus ad totum, ſcilicet appoſitio, eſt finitus, & determinatus, & proceſſus ad partes eſt infinitus, & determinatus, ſcilicet diuiſio; & per conſequens magnitudo eſt infinita ſecundùm diuiſionem, & non ſecundùm appoſitionem.

Magnitudo non eſt infinita ſecundùm appoſitionem, ſed ſecundùm diuiſionem.

Text. 68. *Rationabiliter 2 autem & hoc.* Hic oſtendit qualiter eſt finitas, & infinitas in numero; & ponit tres concluſiones. Prima eſt, quòd numerus non eſt diuiſibilis in infinitum. Secunda, quòd numerus eſt infinitus ſecundùm appoſitionem. Et tertia, quòd de contrario eſt infinitas in numeris, & in magnitudinibus. Prima probatur ibi, *cauſa enim eſt*, quia [a] numerus componitur ex vnitatibus: modò vnitas eſt indiuiſibilis, primò, quando dicimus quòd indiuiſibile eſt vnum, vt punctus, vel Intelligentia. Secundò, quando dicimus, *homo eſt vnus*: quia adhuc vnitas eſt diuiſibilis in plura ſimilia ſubiecta, quia vnus homo non eſt plures homines. Tertiò, quia ſicut termini materiales ſunt connotatiui diuiſionis, ita hoc nomen *vnum* connotat indiuiſionem.

37. *Verſus autem plus, &c.* Probat ſecundam concluſionem: quia numerus eſt augmentabilis, ſecundùm quòd magnitudo eſt diuiſibilis: ſed magnitudo eſt diuiſibilis in infinitum: igitur numerus eſt augmentabilis in infinitum. Et ex hoc infert ibi: *Quare potentia*; quòd nullus numerus eſt actu infinitus, ſed in potentia tantùm ad iſtum ſenſum, quòd quantocunque numero accepto, adhuc poteſt accipi vnus alius numerus maior; ſicut quantâcumque diuiſione continui acceptâ, adhuc reſtat diuiſio vlterior accipienda.

Text. 69. *In magnitudinibus 3 autem.* Probat tertiam concluſionem, & ſequitur ex prædictis: quia magnitudo eſt diuiſibilis in infinitum, ſed non augmentabilis in infinitum. Numerus verò eſt augmentabilis in infinitum; ſed non diuiſibilis in infinitum; igitur è contrario eſt finitas, & infinitas, in numeris, & magnitudinibus. Et tunc opponit quandam rationem ad primam concluſionem capituli, quę fuit, quòd magnitudo non eſt augmentabilis in infinitum: quod quantamcumque contingit eſſe magnitudinem in potentia, tantam contingit eſſe in actu, ſed per te contingit magnitudinem eſſe infinitam in potentia: igitur contingit magnitudinem infinitam eſſe in actu, quod eſt falſum; vt patet ex 3. capitulo. Secundò, quia ſi magnitudo eſſet augmentabilis in infinitum, iam contingeret dare aliquod corpus maius cœlo, quod eſt impoſſibile.

Vide digreſſionem Auct. ſuper iſto textu.

Infinitum autem 4 non eſt idem in motu. Hîc oſtendit qualiter eſt finitas, & infinitas in motu, & tempore; & ponit iſtam concluſionem, quòd finitas, & infinitas inueniuntur in magnitudine, motu, & tempore; per prius tamen in magnitudine, quàm in motu, vel tempore. Probatur, quia finitas [b] & infinitas magnitudinis eſt cauſa finitatis, vel infinitatis motus, ſcilicet propter quam motus eſt finitus, vel infinitus: igitur per prius inueniuntur finitas, vel infinitas in magnitudine quàm in motu; & per prius in motu, quàm in tempore, & etiam de magnitudine, & motu, & præciſè ſecundùm rationem, ſuppoſito quòd motus non ſit aliud, quàm mobile motum, & tempus non ſit aliud à motu. 38. Text. 70.

Ex iſto textu elicitur analogum non ſignificare naturam vnam.

Non remouet 5 autem ratio. Hîc remouet dubium, quia Mathematici imaginantur magnitudines infinitas in demonſtrationibus ſuarum concluſionum; vel igitur conſideratio ipſorum eſt falſa, vel ipſa determinatio de infinito eſt falſa. Reſpondet Ariſtoteles, quòd Mathematici [c] non ponunt aliquas magnitudines actu infinitas, nec indigent vti magnitudinibus infinitis: quia omnis proportio reperibilis inter magnitudines maiores, poteſt etiam inueniri in magnitudinibus minoribus; & ideò Mathematici ſemper vtuntur magnitudine finitâ, licèt quanta voluerunt. Et ſuper iſtam partem dicit Commentator, quòd propoſitiones Mathematicæ ſunt in capitulo propoſitionum imaginabilium, ita quòd illud, quod imaginatur Mathematicus, ſiue ita ſit in re, qualiter imaginatur, ſiue non; tamen non minùs concluſiones ſuæ ſunt veræ, vt patuit in quæſtione de differentiis Mathematicæ à Naturali. Text. 71.

Quoniam autem 6 cauſa diuiſa ſunt. Hîc oſtendit ad quod genus cauſæ reducitur infinitum; & dicit quòd reducitur ad cauſam materialem: nam infinitum ſe habet per modum potentiæ, & priuationis; modò potentia eſt indeterminata, & ſe tenet ex parte materiæ. Secundò, quia infinitum eſt ratione materiæ, id eſt, ratione partium integralium, in quas continuum eſt diuiſibile in infinitum: immò illæ partes ſe habent per modum materiæ, vt patet ſecundo huius; igitur infinitū 7 reducitur ad materiam. Tertiò patet per antiquos, qui poſuerunt, quòd infinitum eſt materia. Et tunc infert vnam aliam concluſionem priùs poſitam, ſcilicet quòd inconueniens eſt; quòd infinitum ſit continens alia: immò potiùs debet eſſe contentum, cùm ſit præciſè ratione partium integralium, quæ continentur in toto. 39. Text. 72 ... Text. 73.

ANNOTATIONES.

[a] NVmerus componitur ex vnitatibus, &c. Nota, quòd tota vis huius rationis eſt, quia nullum 40.

[illegible] [illegible]um e[illegible]libus est diuisibile in in[illegible], at[illegible] et huiusmodi, componitur [illegible] ex [illegible]ibus, numerus enim est vno plura, & quælibet quædam, id est, duo, vel tria; & ita de cæteris speciebus numerorum; vnit[as] autem [se]cundùm quod huiusmodi, indiuisibi[lis] est; vnum enim est indiuisibile, quod[[illegible]] vnum sit, vt *homo, vnus homo, & non multi.* [illegible] vid[e]tur quòd homo sit diuisibilis in [illegible], similiter, & integrales, & [illegible]. Respondetur, quòd dictum [illegible] non debet intelligi quòd quodlibet [illegible] simpliciter indiuisibile, ita quòd nullo [modo] [diui]sibile, quia tunc nihil esset diuisibile [illegible] quodlibet, quod est, sit vnum & per consequens magnitudo non e[sse]t diuisibilis in infinitum, quod [e]st contra Philosophum. Sed debet [intelligi] quòd quodlibet vnum est indiuisibile, [illegible] est indiuisum in sua natura diuisione opposita vnitati, quâ dicitur vnum, vt vnus homo non est multi homines, nec vnum animal multa animalia.

b *Finitas, & infinitas magnitudinis est causa, &c.* Nota, quòd propter magnitudinem esse diuisibilem, motus est diuisibilis, & propter motum esse [diui]sibilem tempus est diuisibile: mod[o] propter quod aliquid dicitur tale, illud est priùs tale; & per consequens magnitudo per prius est diuisibilis in infinitum, & tempus pòst quàm motus, atque adeò infinitum non est idem, tanquam vna quædam natura in motu, magnitudine, & tempore, sed secundum priùs, & posterius dicitur de [illegible]s.

41 *Mathematici non ponunt aliquas magnitudines actu infinitas.* Nota, quòd di[uerso] mode determinatur de infinito in hac scientia, quæ est naturalis, in Mathematica, & Metaphysica. Nam, vt inquit Commentator [illegible] quatenus sunt intel[lec]t[a], & abstracta à mensuris, & quantitatibus, pertinent ad scientiam diuinam, sed perscrutatio de infinito & mensuris, & magnitudinibus, secundùm quòd sunt abstracta à materia, est perscrutatio Mathematici. Infinitum enim esse in tribus mensuris est principium, quod ponit Mathematicus. Possibile est enim apud eum lineam exire in infinitum, quòd similiter est de superficiebus, & corporibus. Scientia verò naturalis perscrutatur de infinito, quod accidit in mensuris secundùm quòd sunt in materia. Scientia ergo diuina secundùm Commentatorem, si scrutatur de infinito, quod accidit mensuris, reperitur in substantiis separatis, & abstractis. Mathematica verò considerat de infinito in magnitudinibus secundùm quòd intelligentur abstractæ à materia sensibili; sed naturalis considerat de infinito in corporibus sensibilibus, perscrutando an aliquod corpus sit actu definitum.

EXPOSITIO TEXTVS.

Reliquum 1 est autem aggredi. Hoc est septimum caput huius tractatus in quo Philosophus soluit rationes, per quas probabatur priùs infinitum esse, & primò præmittit intentionem; secundò prosequitur ibi, *Neque enim vt generatio non deficiat.* Primò dicit, quòd tunc soluendæ sunt rationes, per quas probatum est infinitum esse non solùm in potentia, immò etiam in actu, quarum rationum aliquæ non sunt necessariæ, aut veræ. Sumunt enim propositiones quasdam, quarum contrariæ, scilicet contradictoriæ sunt veræ. 42. Text. 73. Solutiones rationum positarum à veteribus de infinito.

Neque enim vt generatio non deficiat. Hic prosequitur, & diuiditur in quinque, secundùm quinque rationes quas soluit. Secunda ibi: *Amplius tangere, & infinitum esse.* Tertia ibi, *Intellectione autem.* Quarta ibi, *Tempus autem, & motus.* Quinta ibi, *Magnitudo autem.* Primò soluit primam rationem, quâ arguebant, quòd tandem deficeret generatio, nisi materia esset actu infinita, negando consequentiam; quia generatum sumit eandem portionem materiæ, quam priùs habuit corruptum; igitur non oportet materiam esse infinitam, nec etiam deficere generationem.

Amplius 2 tangere, & infinitum esse. Soluit secundam, quâ arguebant quòd omnino finitum finitur ad aliquod, & per consequens aggregatum ex omnibus esset infinitum. Dicit Aristoteles, quòd non est simile, de tactu, & finito: quia omne quod tangit, tangit aliquid, & omne quod tangitur, tangitur ab aliquo; sed non omne quod finitur, finitur ab aliquo, immò aliquod est finitum seipso, vt vltimum corpus, scilicet cœlum. 43. Text 74. Vide documentum Auer.

Intellectione 3 autem. Soluit illam, quâ arguebant de imaginatione, quod semper mouetur ab aliquo. Respondet, quòd non semper credendum est imaginationi, quia licèt aliquis imaginetur se ipsum augmentari vsque ad nubes, non propter hoc sequitur, quòd sit augmentatus vsque ad nubes. Text. 7[illegible].

Tempus autem, & motus. Soluit illam quâ arguebant de tempore, & motu, dicens quòd ista non sunt infinita in actu permanenter, sed præcisè secundùm successionem, sicut dictum fuit priùs.

Magnitudo autem. Soluit quintam rationem quâ arguebant de magnitudine, dicens, quòd magnitudo non est infinita in augmentatione, sed benè secundùm diuisionem, vt dictum fuit priùs; & ideò concludit recapitulando quod dictum est, quomodo infinitum sit, & quomodo non, & quid sit infinitum.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 1.

SIMILITER 1 *autem necesse est naturalem, & de Loco, &c.* Iste est quartus liber, in quo Philosophus determinat de passionibus extrinsecis rerũ naturaliũ; & diuiditur in tres tractatus In primo determinat de Loco, in secundo de Vacuo; in tertio de Tempore. Secundus ibi: *Eodem autem modo existimandum est, &c.* Tertius ibi: *Consequens autem est ad ea, quæ dicta sunt, &c.* Primus tractatus diuiditur in septem capitula. In primo determinat an Locus sit. In secundo quid Locus sit. In tertio distinguit modos essendi in Luco. In quarto, præmittuntur suppositiones ad inuestigandum definitionem Loci. In quinto ostenditur quid sit Locus. In sexto ostendit qualiter diuersa entia sunt diuersimodè in Loco, & in septimo soluit rationes probantes Locum non esse. Secundum ibi: *Quoniam autem aliud quidem.* Tertium ibi: *Post hæc autem accipiendum est.* Quartum ibi: *Quoniam igitur de ipso.* Quintum ibi: *Iam igitur manifestum ex his.* Sextum ibi: *Cui igitur corpori.* Septimum ibi: *Manifestum autem ex his.*

Loci consideratio ad Physicum pertinet.

Item, primò præmittit intentionem, secundò prosequitur ibi: *Quòd igitur locus sit.* Primò ponit duas conclusiones. Prima conclusio est ista, Ad naturalem spectat determinare de Loco. Probatur, quia de passionibus communibus omni enti habet determinare naturalis, sed locus est passio communis omni enti; ergo, &c Maior nota est, quia habet determinare de omnibus entibus ipse naturalis. Et minor apparet per antiquos, qui arguebant sic: quia quod non est, nusquam est, igitur quod non est alicubi, non est, & per consequens omne ens est in loco. Hîc dicit Commentator, quòd ista ratio est famosa, sed est falsa; primò enim maior est falsa: quia de rationibus communibus omni enti determinare non pertinet ad naturalem, sed ad Metaphysicum Secundò, minor est falsa: quia multa sunt entia; quæ non sunt in aliquo loco, vt Deus, & substantiæ separatæ. Tertiò, consequentia [a] per quam probat minorem, non valet, immò peccat per fallaciam: & ideò Aristoteles ponit aliam rationem veram. Quia ad naturalem spectat determinare de motu; igitur etiam de loco. Tenet consequentia: quia [b] motus localis est primus motuũ, vt patet 8 huius, text. 55. vsque ad 61. qui non potest fieri sine loco; & antecedens patuit in tertio.

2. Text. 2. *Consideratio est difficilis.*

Secunda conclusio est, quòd determinatio 2 de Luco est difficilis. Probatur: quia Locus non videtur habere eamdem naturam propter diuersas proprietates, quæ insunt sibi: modò difficile est assignare diuersitatem naturæ propter diuersitatem illarum proprietatum: secundò, quia illud est difficile, quod est dubitabile, & non exquisitum per alios: modò sic est de Loco: igitur consideratio de Loco est difficilis.

Text. 3.

Quòd 3 igitur locus sit. Hîc prosequitur, & primò probat quatuor rationibus Locum esse. Secundò probat locum non esse ibi: *At vero dubitationem habet.* Prima ratio est: quia illud est, in quo diuersa corpora naturalia sibi inuicem succedũt, sed diuersa corpora naturalia sibi inuicem succedunt in loco; igitur, &c. Maior est nota, & minor apparet: quia videmus, quòd vbi priùs fuit aqua, quòd ibi postea est aer. Et ista ratio non solùm probat quòd Locus est, sed etiam probat, quòd Locus est aliquid distinctum à corpore locato.

Text. 4. *Idem 3 de Cœlo, text. 2 & 2 de Cœlo text. 5.*

Amplius 4 autem lationes. Hæc est secunda ratio. Illud est, ad quod corpora naturalia mouentur naturaliter, sed ad lucum corpora naturalia mouentur naturaliter, igitur, &c. Maior patet de se, & etiam minor: quia vnumquodque corpus naturale existens extra suum lucum naturalem non prohibitum mouetur ad suum locum, vt leue sursum, & graue deorsum, quæ naturali desiderio suæ conseruationis mouentur ad illas partes, quæ sunt differentiæ Loci. Et ista ratio non solùm probat quòd Locus est: immò quòd Locus habet quandam virtutem conseruatiuam locati.

3. Text. 5. *Sex sunt loci differentia.*

Sunt autem 5 talia, &c Hîc demonstrat, quòd *sursum, & deorsum* sunt partes Loci, & quod huiusmodi differentiæ non sunt determinatæ solùm quo ad nos: immò etiã sunt determinatæ in toto vniuerso: quia locus leuiũ est naturaliter *sursum*, & grauium naturaliter *deorsum*. Et subdit Philosophus, quòd etiam si esset [c] aliqua magnitudo Mathematica, adhuc in ea essent istæ differentiæ Loci, saltem quo ad nos, & diceretur magnitudo Mathematica, quæ imaginaretur immobilis, videlicet habens qualitatem specialem.

Text. 6. *Vacuum est locus priuatus corpore.*

Amplius 6 vacuum affirmante. Hîc ponit tertiam rationem: quia vacuum est, vt concedebant antiqui, sed vacuum est locus, per definitionem Loci. Vnde *Vacuum est locus non repletus corpore*; igitur locus est.

Videtur autem. Hîc ponitur quarta ratio, quæ est authoritas Hesiodi, qui posuit quoddam Chaos confusum, qui est locus omnium aliorum entium, quod posset esse sine aliis, & nullum aliud est sine ipso. Et ex hoc infert Aristoteles, quòd 7 si ita est, imaginabilis est natura Loci, Text. 7. quia iam esset prima causa, seu primum entium, ex quo posset esse sine alio, & nihil sine ipso.

4. Text. 8. *Negantium Locum rationes.*

At verò 8 dubitationem habet. Hîc probat Locum non esse, sex rationibus. Secunda ibi: *Amplius si est corporis locus.* Tertia ibi: *Quid enim tandem.* Quarta ibi: *Amplius autem.* Quinta ibi: *Amplius autem, & ipse.* Sexta ibi: *Amplius si vt omne.* Prima ratio est: quia vel locus est corpus, vel aliqua substantia incorporea; non corpus, quia tunc

cùm

cùm locus, & locatum sint simul, sequeretur quòd duo corpora essent simul, quod est impossibile. Nec substantia incorporea: quia non apparet, quæ esset locus, & quærendum est de genere, sub quo poneretur.

Text. 9. *Omne quod habet tres dimensiones, est corpus. Idem 1 cæli, text. 2.*

Amplius 9 si est corporis locus. Secunda ratio. Si locus esset, tunc quâ ratione corpus esset locus, eâdem ratione esset aliquis superficiei, & alius puncti; consequens est falsum: quia non apparet, quomodo esset locus puncti nisi punctus; & patet consequentia; quia sicut aqua est in loco, vel aër, ita superficies aëris, vel superficies aquæ est in loco: & etiam punctus ipsius.

Text. 10. *Quid enim 10 tandem.* Tertia ratio, quia vel locus est de numero intelligibilium solùm, vel sensibilium: non de primo, quia tunc non haberet magnitudinem, & tamen locus debet habere magnitudinem, cùm debeat esse æqualis locato. Si de numero sensibilium, tunc non potest esse nisi elementum, aut compositum ex elementis, & quodcumque detur, locus esset corpus, & sic duo corpora erunt simul, quod est impossibile.

5\.
Text. 11. *Amplius 11 autem.* Hîc ponit quartam rationem: quia si locus esset, tunc haberet aliquem modum causandi supra locatum: modò hoc est falsum, vt patet inducendo in quatuor generibus causarum. Primò, locus non est materia, nec forma, quia ex istis immediatè componitur res naturalis: modò locus est extrinsecus: nec finis: quia forma & finis coincidunt, vt patet secundo huius; & tamen locus non coincidit cum forma. Nec locus est efficiens, quia locus non est principium motiuum corporis locati. Et dicit Commentator text. 70. quòd locus est finis extrinsecus, & non apparet, quòd ille finis coincidat cum forma.

Text. 12. *Amplius 12 autem & ipse.* Hîc ponit quintam rationem; quia si locus est, oportet, quòd ille sit alicubi; & ita sequitur de illo alio loco, iterum ille esset alicubi, & sic in locis esset processus in infinitum.

Text. 13. *Amplius 13 vt si omne.* Ponit sextam rationem: quia si locus esset, sequeretur, quòd quando corpus augmentaretur, quòd locus augeretur; consequens est falsum: quia locus est immobilis. Et probatur consequentia: quia locus debet esse æqualis locato, & per consequés ad augmentum vnius, sequeretur augmentatio alterius.

ANNOTATIONES.

6\. a *Consequentia, per quam probat minorem, non valet.* Nota, quòd ex eo hæc consequentia est insufficiens, quia est argumentatio ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis; vel, quod idem est, à destructione antecedentis ad destructionem consequentis; vel à positione consequentis ad positionem antecedentis; quæ omnes argumentationes gratia formæ sunt inualidæ: est ergo huiusmodi argumentatio, *quod non est, nullibi est, ergo quod est, alicubi est*: quæ potiùs sic deberet formari. *Quidquid est, alicubi est, ergo quidquid non est, nullibi est*, & si antecedens esset verum, consequentia esset optima; est tamen similis argumentatio huic, *quidquid non est animal, non est homo, ergo quidquid est animal, est homo*, quæ mala est consequentia, esset tamen bona si dicerem, *quidquid est animal est homo, ergo quidquid non est animal, non est homo*, & si antecedens esset verum, benè colligerem, est tamen falsum, & idem est etiam, ac si diceres; *est animal, ergo est homo*, ponendo consequens pro antecedente, & antecedens pro consequente. Vel sic, *non est homo, ergo non est animal*, quæ argumentationes vitiosæ sunt. Posset tamen dici, quòd antiqui omne ens corporeum esse existimabant, vnde idem sibi videbantur dicere, *omne quod est, in loco est*, ac si dicerent, *omne corporeum est in loco*. Si igitur quidquid est corporeum, est in loco, quidquid est, in loco est, secundùm illos, & tunc quod non est, non est in loco, id est, quod non est corporeum, non est in loco, & tunc bona est argumentatio ratione materiæ: quia termini sunt conuertibiles: nam *esse in loco* est passio corporis, & sicut benè arguitur, *est homo, ergo risibilis*, & è contra: & similiter, *non est homo, ergo neque risibilis*, & è contra; ita etiam benè arguitur, *Non est*, scilicet *corporeum, ergo non est in loco, est* scilicet *corporeum, ergo in loco est.*

b *Motus localis est primus motuum.* Nota motum localem ideò omnibus motibus communiorem dici: quia inter motus magis cognoscitur motus localis. Secundò, quia omnibus corporibus inest, etiam si alij motus non insint, vt patet in cœlis, qui localiter tantùm mouentur. Tertiò, quia est primus, eo quòd motus, quo mouentur cœli, est primus motus, ille autem est localis; & etiam primus: quia reliqua mobilia mouentur aliis motibus præsupposito loco acquisito per motum localem. Quartò dicitur proprior, id est, principaliter, & dignior, quia est in cœlis. 7. *Motus localis quare omnibus motibus communior.*

c *Etiam si esset aliqua magnitudo Mathematica in ea essent, &c.* Nota, quòd differentiæ Loci possunt accipi duobus modis, Mathematicè scilicet, & Physicè, seu naturaliter. Nam tres sunt dimensiones Mathematicæ, & vnicuique dimensioni duæ correspondent differentiæ: atque adeò sex sunt differentiæ locales Mathematicæ: verbi gratiâ, longitudini correspondent *sursum*, & *deorsum*, latitudini *dextrum*, & *sinistrum*, profunditati *antè*, & *retrò*. Physicè autem sic pensantur hæ differentiæ, prima quæ est *sursum* est in animali secundùm illam partem quæ est superior; ea verò est, quâ accipit alimentum, sicut os in homine, & radices in plantis; illa pars est *deorsum*, siue inferior, quâ decurrunt superflua in animali. Tertia est *antè*, & pars anterior, vnde incipit principium sensationis, vt facies vbi sunt oculi, & alij sensus. Quarta est *retrò*, & pars posterior, vbi terminatur sensatio, vt in occipite. Quinta est *dextrum*, & pars illa est dextra, vbi incipit principium motus, vt in manu dextera, vltima est *sinistrum*, & pars sinistra, in qua terminatur motus. *Differentia Loci bifariâ sumi possunt.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm Locus sit?

Aristot. 4. *Physic. cap. 1. & sequen.* Themist Simplic. Alexand. *ibid.* Auicenna 2. *suffic. cap. 6.* Albert. Mag *in 4. Phys. tract. 1. cap. 1.* D Thom *lect. 1 in 4. Physic. & opusc. 52.* Mayron *in 4. Physic in princip.* Canonic. *ibid. quæst. 1. art. 1.* Conimbric. & Ruuius *ibid. in exposit. cap. 1.* Compluten. *disp. 19. quæst. 1. §. 5.* Roccus 4. *Physic. summa 1. cap. 1.*

ARGVITVR quòd non: quia vel esset causa, vel effectus; sed nullo modo; ergo, &c. Non effectus, quia quæro vbi est suum efficiens, & vbicumque detur, sequitur, quòd suum efficiens est in loco, & per consequens 1.

sequens locus est priùs quàm sit productus, quod est impossibile. Et si dicatur, quòd suum efficiens est in vno loco producto ab efficiente; tunc sequitur quòd in causis efficientibus essentialiter ordinatis esset processus in infinitum, quod est impossibile, vt patet 2. Metaph. text. 6.

Secondò arguitur, quòd non sit causa. Primò non est efficiens: quia Locus est quantitas, vt patet in Prædicamentis; modò quantitates non sunt de potentiis actiuis, vel passiuis, vt dicit Commentator super isto quartu, com. 48. Item, non est finis: quia finis acquiritur per agens, & tamen Locus non acquiritur per agens, immò præsupponitur actioni. Item, non est materia, vel forma: quia materia, & forma sunt intrinsecæ rei naturali, & locus est extrinsecus.

Tertiò, si locus ponatur esse, hoc est, propter recipere corpora locata; sed locus non potest recipere corpora locata; ergo, &c. Maior patet: quia non apparet ad quem finem aliter ordinaretur. Minor apparet; quia si Locus sit, locus esset dimensio, vel dimensiones: modò cùm locatum sit dimensio; sequitur quòd vna dimensio reciperet aliam, & esset penetratio, quod est impossibile.

2. Quartò, si locus est, Locus esset corpus; sed hoc est impossibile propter duo, primò quia Locus debet esse immobilis; sed omne corpus est mobile. Secundò, quia tunc duo corpora, scilicet locus, & locatum essent simul, quod est impossibile. Et consequentia principalis probatur; quia locatum est corpus, modò de ratione loci est, quòd sit æqualis locato; igitur locus esset corpus.

Quintò, si locus sit, vel locus est materia, vel forma, vel spatium separatum, aut terminus continentis corpus: non materia, neque forma, vt probatum fuit, quia ista sunt intrinseca corpori locato, & locus est extrinsecus. Nec spatium separatum: quia locus debet esse conseruans locati, & tamen illud spatium nullomodo esset conseruatiuum, cùm sit non ens, & nullam habeat dispositionem; ergo, &c. Nec terminus corporis continentis: quia ille terminus est mobilis ad locum continentis.

Sextò, sequitur quòd ille terminus esset augmentabilis, & diminuibilis; consequens est falsum. Probatur, quia quando locatum augmentatur, tunc nisi in tantum locus augmentaretur, sequeretur quòd aliqua pars locati esset sine loco. Item quoniam locatum diminuitur, nisi conformiter locus diminueretur, sequeretur, quòd aliqua pars loci maneret sine corpore locato, quod est impossibile.

Septimò, quia si locus esset, locus esset alicubi: & si sic; esset processus in infinitum. Antecedens probatur: quia quod non est, nusquam est; igitur quod est, alicubi est.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto quarto, text.* 4.

Diuisio quæstionis. In hac quæstione Primò videbitur *quid nominis* huius nominis *Locus*, & de conditionibus generalibus, quas quilibet concedit in loco esse. Secundò ex illis conditionibus probabitur locus esse, & inuestigabitur, quæ res sit locus. Et tertiò, inquiretur de veritate proprietatum Loci.

3. Quantum ad primum, notandum quòd ille terminus *Locus* significat idem, quod illi termini, per quos conuenienter respondetur ad quæstionem quærentem, *vbi est hoc*, & ideò significatum huius termini *Locus* circumloquitur, & declaratur per aduerbia localia. Nunc enumerandæ sunt conditiones generales Loci. Prima proprietas est, quòd locus continet aliquod locatum; quia quilibet concedit, quòd locatum est in loco tanquam in continente. Secunda proprietas est, quòd locus non est inseparabilis à locato: quia per motum localem, locatum mouetur de vno loco ad alium. Tertia proprietas, quòd locus non est aliquid locati, scilicet, nec pars, nec accidens; quod patet: quia motum localiter dimittit locum in quo priùs fuit, & tamen non dimittit partem, aut accidens, quod priùs habuit. Quarta, quòd locus proprius alicuius locati est præcisè æqualis illi locato, quia continet locatum, & nihil plus. Quinta, quòd omne corpus habet locum naturalem, à quo nunquam mouetur naturaliter, immò in eo naturaliter quiescit, & si fuerit extra illum locum, ad ipsum naturaliter redibit, si non fuerit impeditum. Sexta, quòd *sursum & deorsum,* [a] *dextrum*, & *sinistrum*, *antè*, & *retrò* sunt differentiæ Loci. Septima, quòd sicut transmutatio [b] substantialis facit scire materiam; ita motus localis facit scire locum: quia sicut ex transmutatione substantiali concludimus materiam esse, ita ex motu locali concludimus locum esse. Octaua, quòd in eodem loco succedunt sibi inuicem diuersa corpora, & hoc est notum. Nona, quòd maius corpus maiorem locum occupat, & minus minorem. Decima, quòd omne motum localiter est alicubi, & mutat locum: quia motus localis est loci mutatio. Vndecima, quòd nullum quiescens localiter mutat locum, quia si sic; iam moueretur localiter. Duodecima, quòd impossibile est plura corpora esse simul in eodem loco, quorum vnum non est natum informare reliquum, nec ambo tertium: quia quâ ratione plura possunt esse in eodem loco, eâdem ratione infinita. Decima tertia, quòd idem locatum non potest esse in diuersis locis. Decima quarta, & vltima, quòd locus est immobilis per se localiter: quia quod per se mouetur localiter, per se est in loco, & tamen locus non est in loco: quia iam esset processus in infinitum in locis. Patet igitur de *quid nominis* huius termini *Locus*, & de proprietatibus, quæ secundùm communem opinionem conueniunt Loco. Et hoc de primo.

Quantum ad secundum, notandum, quòd hoc nomen *Locus* aliquando accipitur æquiuocè, quia aliquando accipitur pro illo, respectu cuius fit motus localis, siue respectu cuius cognoscitur velocitas motus, & sic centrum terræ, seu tota terra dicitur esse locus cœli: cuius signum est, quòd ad quæstionē factam, vbi mouetur cœlum, respondetur quòd circa terram. Alio modo accipitur [c] locus pro patria, seu magno corpore continente aliquod infra se: & sic solemus dicere, quòd secundùm diuersitates locorum proueniunt diuersitates proprietatum in rebus naturalibus: & sic dicit Aristoteles in isto 4. text. 4. quòd Locus est conseruatiuus locati. Tertio modo accipitur Locus pro continente locatum immediatè: & isto modo accipitur in isto quarto, & tunc quæ res sit Locus, sunt diuersæ opiniones. Prima est, quòd Locus nihil est, & mouebantur propter rationes ante oppositum. Secunda opinio fuit, quòd locus est materia; & mouebantur pro tanto, quia sicut in eadem materia succedunt sibi inuicem diuersæ formæ, ita in eodem loco succedent 4. *Locus quandoque æquiuocè sumitur.* *Opiniones de essentia loci.*

dent

dunt sibi inuicem diuersa corpora, vnum post aliud. Tertia opinio, quòd locus est forma; & hoc pro tanto, quia sicut forma est terminus, & finis illius, cuius est forma, ita locus est terminus, & finis corporis locati. Quarta opinio, quòd locus est corpus; & hoc pro tanto, quia locus est superficies corporis continentis, modò superficies non est aliqua res indiuisibilis existens in continuo, immò superficies est corpus consideratum, vt est mensurabile per duas diuisiones tantùm. Quinta, quòd locus est spatium separatum interceptum inter latera continentis. Sexta, quòd locus est vltima superficies indiuisibilis corporis continentis, quæ est versùs locatum. De istis duabus vltimis, & de 3. art. dicetur in aliis quæstionibus.

5. *Locus est ens.* Ex his sequuntur conclusiones. Prima conclusio. Locus est ens. Probatur, quia omne illud est ens, ad quod corpora naturalia mouentur naturaliter; sed ad locum corpora naturalia mouentur naturaliter; ergo, &c. Maior patet, quia propter illud, quod nihil est, nullo modo inclinatur ad mouendum: & minor est nota ad experientiam. Secundò probatur principaliter, discurrendo per conditiones priùs positas.

Locus non est materia, vel forma. Secunda conclusio. Locus non est materia, vel forma. Probatur, quia nullum extrinsecum locato est materia, vel forma locati, quia determinantur à locato per motum localem, & tamen non determinatur eius materia, vel forma; igitur locus non est materia, vel forma. Secundò, quia, si ita esset, sequeretur quòd de necessitate ad motum locati moueretur eius locus; consequens est falsum: quia de ratione loci est, quòd sit immobilis, vt patet ex eius definitione; patet consequentia, quia ad motum locati necesse est, tam eius materiam, quàm formam moueri, & ista potest etiam probari per conditiones priùs positas.

Locus non est corpus continens locatum. Tertia conclusio. Locus non est corpus continens locatum. Probatur, quia diuersimode est aliquid in aliquo tanquam in loco, & tanquam in vase, vt probat Aristoteles in isto 4. text. 41. Sed locatum est in corpore continenti tanquam in vase; igitur non est in eo tanquam in loco: & per consequens non est locus contenti. Secundò sequeretur, quòd locus non esset æqualis locato, quia corpus continens est multo maius corpore contento. Tertiò sequeretur, quòd idem esset locus proprius, & communis; consequens est falsum, vt patet in isto quarto, text. 14. Et patet consequentia, quia corpus locans est locus communis, & per te locus proprius est corpus continens; ergo sequitur propositum. Et impugnatio huius opinionis magis patebit, quando disputabitur, an linea, superficies, & punctus sint res distinctæ à corpore.

6. Nunc ad rationes. Ad primam, dico quòd locus potest esse effectus, & etiam causa, sed non est necesse, quòd sit effectus, vel causa locati: immò est terminus extrinsecus continens locatum. Et per idem patet ad secundam.

Ad tertiam, cùm dicitur, Hoc esset propter recipere corpora, &c. Concedo; & etiam concedo, quòd tam locus, quàm locatum est dimensio, vel dimensiones; & non sequitur, quòd dimensiones penetrent se, quia non sunt simul positiuè, sed priuatiuè, per priuationem alicuius intermedij.

Ad quartam, negatur consequentia, quòd locus sit corpus, sed est superficies corporis immediata locato. Ad probationem, locus est æqualis, &c. exponetur postea; dico tamen, quòd locus; & locatum, sic sunt æquales, quòd locus nihil plus continet, quàm locatum, nec locatum continetur ab aliquo maiori suo loco. Ad confirmationem dicitur sicut ad tertiam.

Ad quintam, dico quòd locus est terminus corporis continentis. Ad improbationem. Ille est mobilis ad motum continentis, concedo quòd est mobilis per accidens ad motum continentis: tamen de ista immobilitate per se non intellexit Aristoteles in definitione loci; sed de immobilitate per æquiualentiam situs respectu corporis cœlestis, & respectu corporum circumiacentium, quæ quiescunt.

Ad sextam, potest concedi, quòd locus est augmentabilis, quia eadem superficies est benè primò minor, & postea maior, nec est inconueniens. Vel dicitur, quòd quando locatum augmentatur, tunc non augmentatur eius locus, sed locatum acquirit vnum nouum locum maiorem, quàm erat locus, in quo priùs fuit.

Ad septimam, quia si locus esset, &c. Negatur consequentia, quia locus non est in aliquo tanquam in loco, sed est in corpore continente, cuius locus est terminus, tanquam pars in suo toto, vel accidens in suo subiecto.

ANNOTATIONES.

[a] *Sursum, & deorsum, dextrum, & sinistrum*, &c. Nota, quòd istæ differentiæ loci sunt differentiæ corporum; corpus autem accipitur dupliciter, scilicet Mathematicè, & Physicè. Corpus Mathematicum solùm dicit corpus quantum, vt abstrahit à materia, & motu, non considerando an sit graue, vel leue: quocirca huiusmodi corpora non habent ex natura *sursum, & deorsum*, sed idem omnino corpus modò est sursum, quando est supra caput nostrum: modò deorsum, modò sinistrorsum, sicut nos mouemur. Vnde cùm ego ambulo, columnam quam modò habeo dexteram, postea habeo sinistram, & hoc est, quod ait Aristoteles, text. 5. *Nobis enim non semper idem, sed secundùm positionem, vt conuertimur, fiunt*, id est, secundùm dispositionem nostram. Ex quo sequitur, quòd si nullum esset animal in mundo, inanimata non essent hoc modo sursum, & deorsum, nec in aliis differentiis positionis. Corpus verò Physicum, quia naturâ suâ graue est, aut leue, habet ex natura *sursum, & deorsum*. Et hoc est, quod ait Aristoteles, *Non quodcunque contingit, sed cohærentia grauitatem, & terrea*, &c. id est, *sursum, & deorsum* non est locus, vt accidit se habere respectu hominis, sed quo mouentur leuia, est locus sursum, & quo grauia deorsum. Hoc patet in Mathematicis: nam si triangulum in pariete depingas, vnus angulus dicitur sursum, & alius deorsum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum solùm respectu hominis: quia natura trianguli non vendicat sibi potius locum sursum, quam deorsum; si autem triangulus esset ferreus in quantum graue, appeteret locum deorsum, & si esset igneus, appeteret locum sursum. 7. *Corpus sumitur dupliciter.*

[b] *Sicut transmutatio naturalis facit scire materiam*, &c. Nota, quòd Aristoteles, text. 3. probat hac ratione locum esse. Experimur quòd in eodem 8.

eodem vase, in quo nunc est aqua, egressâ aquâ, succedit aër; ergo idem erat locus distinctus & ab aqua, & ab aëre, qui priùs continebat aquam, & deinde continet aërem: quæ ratio notanda est: nam sicut lib. 1. argumentabatur ex diuersarum formarum in eodem subiecto successione materiam esse, quia scilicet vbi nunc est forma ignis, fuit priùs forma ligni, quod est indicium subesse illic materiam receptaculum vtriusque formæ: simili modo arguit de loco: & hoc est quod dicit Scotus in hac septima loci proprietate. Quòd si quis inficiari contendat, hanc rationem non procedere ex experientia; quia, cùm aër sit inuisibilis non experimur in vase aquâ vacuo, succedere aërem. Respondetur, quòd in phiala plena aqua habente in fundo minuta foramina, experimur quòd quandiu occlusum fuerit orificium superius, aqua non cadit solùm, quia non potest intrare aër ad replendam phialam, ne detur vacuum; sed quamprimum discoopertum fuerit orificium, intrante aëre, cadit aqua.

9. c *Alio modo accipitur locus pro patria*, &c. Nota, quòd, cùm locus sit superficies corporis continentis intra se aliud corpus, fit vt quemadmodum corpus vno modo accipitur Mathematicè, vt præcisè dicit quantitatem; & alio modo Physicè, vt dicit compositum alicuius certæ naturæ; ita locus vno modo accipitur simpliciter pro superficie ambiente aliud corpus trinæ dimensionis, abstrahendo à quacunque qualitate naturali conseruatiua locati. Alio modo accipitur pro loco naturali, nempe vt supponit pro superficie continente, connotando formam, & proprietatem naturalem conseruatiuam locati: verbi gratiâ, superficies aëris me circundantis, siue locus sit mihi salubris, siue nociuus, siue in illo sim naturaliter, siue violenter, eo solo quòd ambit quantitatem meam, est mihi locus: cum hoc tamen requireretur ad locum naturalem, vt meaptè natura essem in illo propter qualitates loci mihi conuenientes, siue in quantum sum graue, siue in quantum animal. Concauum enim Lunæ dupliciter est locus ignis: nam quâ ratione ipsum adæquatè ambit, est simpliciter locus, & quia naturaliter conseruat, est locus naturalis, idémque dicendum est de centro mundi respectu terræ, neque elementis solùm, verùm & mixtis, in quantum mixta sunt conueniunt loca propria: vinum enim conseruatur in vase ligneo, potius quàm in vitreo, & in cauernis terræ potiùs, quàm super aëre, & locus propriæ patriæ est cuiuscunque suaptè natura salubris, atque adeò corpus naturale suapte naturâ mouetur ad proprium locum, quia in ipso est vis conseruatiua locati. Obserua tamen, quòd locus naturalis non habet vim attractiuam, & motiuam in genere causæ efficientis, sicut magnes attrahit ferrum alterando ipsum, sed solùm in genere causæ finalis, vt enim animal mouetur ad pastum; ita graue naturali impetu mouetur deorsum.

Concauum Lunæ dupliciter est locus ignis.

10. d *Nunc ad rationes*, &c. Nota, quòd Scotus in responsionibus istis loquitur semper de loco pro fundamento, seu pro materiali. Vnde obserua, quòd locus potest accipi dupliciter. Vno modo fundamentaliter, & sic non est aliud, quàm superficies circumscribens locatum. Alio modo formaliter, & sic est relatio actualis, vel aptitudinalis realiter existens in superficie circumscribente locatum. Hæc autem distinctio declarari potest considerando tres entitates ex parte superficiei circumscribentis. Prima est ipsa superficies absolutè considerata, quæ vt sic non dicitur locans, sed magis locatiua, & sic est ibi aptitudinalis relatio, quæ potest dici locatiuitas, & fundatur in entitate ipsius superficiei, & terminatur ad ipsum locatum, & distinguitur ab ipsa superficie locante solùm ex natura rei, & formaliter, sicut aliæ relationes aptitudinales; sed quando corpus actualiter ponitur in ipsa superficie locante, tunc ipsa dicitur actualiter locans, & circumscribens locatum; & ideò ibi est vna relatio actualis, quæ dicitur locatio & circumscriptio actiua, quâ ipsa superficies dicitur formaliter, & actualiter locans, & circumscribens locatum: & fundatur in tali superficie locante, & terminatur ad corpus locatum, & realiter distinguitur ab vtroque. Similiter ex parte locati sunt considerandæ aliæ tres entitates, scilicet entitas corporis locati, locabilitas passiua, & locatio passiua, à qua ipsum corpus dicitur actualiter locatum. Vnde prima entitas dicitur locus fundamentaliter. Secunda locus formalis aptitudinalis. Tertia locus formalis actualis. Quarta locatum fundamentaliter. Quinta locatum formale aptitudinale. Sexta locatum formale actuale. Ex his sequitur, quòd locus pro formali, vel pro per se significato, non est aliud quam vbi actiuum; fundamentaliter verò est species Quantitatis eadem realiter cum ipsa superficie. Sed hæc fusiùs infrà explicabuntur.

Locus bifariam sumi potest.

EXPOSITIO TEXTVS.

QVoniam 1 *autem aliud quidem secundum se*, &c. 11.
Hoc est secundum a capitulum huius tractatus, in quo Philosophus disputat de quiditate loci; & primò præmittit quandam diuisionem. Secundò prosequitur ibi, *Sic igitur considerantibus*. Diuisio est ista, quòd quidam est locus proprius, scilicet qui continet locatum, & nihil plus, vt aër circundans te, dicitur locus proprius tui, & vocatur locus secundùm se. Alter est locus communis, qui scilicet continet locatum, & plus, vt cœlum est locus communis tui, & b vocatur locus secundùm aliud.

Text. 14.

Sic igitur 2 considerantibus locus vniuscuiusque species est. Hic prosequitur, & primò probat, quòd locus sit materia, vel forma. Secundò, quòd nec sit materia, nec forma, ibi: *At verò quod impossibile*, &c. Primò probat quòd locus sit forma. Secundò, quòd sit materia: & tertiò concludit corollarium. Secundum ibi, *Quatenus autem*. Tertium ibi, *Meritò autem*. Primò igitur probat, quòd locus sit forma: quia c primum continens alicuius corporis est locus ipsius, & per consequens locus est terminus: sed forma est terminus; igitur forma est locus. Sed dicit Commentator, quòd ista ratio non valet: quia est ex duabus affirmatiuis in secunda figura. Secundò, quia æquiuocat de termino: quia locus est terminus extrinsecus, sed forma est terminus intrinsecus.

Text. 15.

Quatenus autem. Hîc probat, quòd locus sit materia triplici ratione: quia locus videtur esse distantia, id est, dimensio contenta plano, & termino, id est, contenta infra locum corporis; modò materia eisdem terminis continetur; igitur materia est locus. Secundò, quia si per imaginationem termini, id est, quantitates, & qualitates 12.

remouebantur à corpore locato, nihil maneret nisi materia, & tamen adhuc manet locus, igitur locus est materia. Tertiò, authoritate Platonis in Timæo, qui posuit idem [illegible], & etiam in suis dogmatibus non scriptis propter istam [d] causam: quia idem est [illegible], & receptiuum: modò materia est receptiua: igitur materia est locus.

Text. 16. *Meritò 3 autem ex his considerare* [illegible], &c. Concludit corollarium, quòd merito consideratio de loco est difficilis: quia antiqui posuerunt locum esse materiam, vel formam, de quibus est difficillimum considerare, & vnum istorum non potest cognosci sine reliquo.

Text. 17. *At verò 4 quod impossibile est*, &c. Hic probat, quòd locus non sit materia, vel forma, & hoc quatuor rationibus. Secunda ibi: *Amplius quomodo*. Tertia ibi: *Si verò in ipso*. Quarta ibi: *Amplius quando ex aere*. Primò ponit primam rationem. Secundò increpat Platonem ibi; *Platoni tamen dicendum erat*. Prima ratio continet multa. Primum est, quòd corpus locatum vnà cum materia, & forma, separatum secundùm se totum de vno loco ad alium; igitur locus non est materia, vel forma. Secundò, quia locus non est pars, vel qualitas corporis locati, sed est separabilis à locato, & tamen nec materia, nec forma est separabilis ab eo, cuius est: igitur nec materia, nec forma est locus. Tertiò, quia locus est ad modum vasis, & non est aliquid ipsius rei locatæ. igitur locus non est materia, nec forma. Item, ex 5 quo locus est separabilis, sequitur quòd locus non sit forma; quia separatio formæ à materia est eius corruptio, vt dicit hic Commentator com. 17. & 18. & locus secundùm quòd est continens, non est materia, quia materia continetur. Item, quia locus est extra ipsum, quod locatur, & tamen materia, & forma sunt intrinseca sibi, igitur, &c.

Text. 18.

13. *Platoni tamen dicendum erat.* Hic improbat Platonem [e], qui dicebat Ideas, & numeros Mathematicos non esse in loco; cuius tamen oppositum sequitur ex dictis: dicebat enim locum esse materiam, quam vocabat magnum, & paruum: & dicebat, quòd locus participat de illis Ideis, & numeris Mathematicis: modò participatum debet esse in participante. Et per consequens huiusmodi Ideæ, & numeri erunt in loco.

Text. 19. *Amplius 6 quomodo.* Ponitur secunda ratio, & continet duplex medium. Primum est, quòd corpora naturalia mouentur naturaliter ad sua loca, vt patuit priùs, & tamen non mouentur ad suam materiam, vel formam; cùm de facto illas habeant: igitur. Secundum, quia *sursum* & *deorsum* sunt differentiæ loci, & tamen *sursum*, & *deorsum* non sunt differentiæ materiæ, vel formæ: igitur locus non est materia, vel forma.

Text. 20. *Si verò 7 in ipso.* Ponitur tertia ratio: quia si locus esset materia, vel forma, sequeretur quòd locus esset in corpore locato, & sic loci esset locus in infinitum. Item, quia locus non transmutatur cum locato, & tamen materia, & forma, simul mouentur cum locato: igitur locus non est materia, vel forma.

Text. 21. *Amplius 8 quando ex aere.* Ponitur quarta ratio, quia [f] si locus esset forma, sequeretur quòd cùm ex aëre fit aqua, quòd locus corrumperetur. Consequens est falsum, quia dicimus aquam esse in eodem loco, in quo priùs fuit aër. Et probatur consequentia: quia forma aëris corrumpitur.

ANNOTATIONES.

[a] HOc est [illegible] *undum capitulum*, &c. Miro artificio Aristoteles in hac de loco disputatione procedit. Primò enim præcedenti capitulo inquirens, an locus esset, non solùm rationibus suum intentum probantibus contentus est, verùm & rationibus non paucis ad oppositum est argumentatus. Modo in hoc capitulo inquirere incipiens, quidnam locus sit, in vtramque partem disputans procedit, ita vt primò duas rationes argumentatiuas, quibus aut materiam, aut formam censeri poterat locum esse, sumet, deinde alias plures neutrum esse probantes, quæ & rectæ sunt, proponit. Quod quidem non otiosè, aut fortuitò, sed ad eius infinitudinem ingenium, & aliorum quorundam Philosophorum defectuosam de hac re speculationem, & tandem ad veritatem meliùs indagandam necessariò, & consultò fecisse intelligere debemus. 14.

[b] *Et vocatur locus secundùm aliud.* Nota hic Aristotelis locutionem, dicit in aliud secundùm se, aliud secundùm aliud dicitur, appellans locum communem *secundùm aliud*, quia continet per aliud, hoc est, per locum proprium. Locus autem propriùs dicitur *secundùm se*, hoc autem *secundum se*, hic non opponitur *secundùm accidens*; locus enim proprius per se, id est, immediatè continet locatum, vt ly *per se*, opponitur ly *per accidens*, non autem *per se*, vt opponitur *per aliud*: quia *per aliud*, id est, mediante medio, scilicet proprio loco continet, vii sensibile conuenit homini per se, vt ly *per se* opponitur ly *per accidens*, non autem per se, vt ly *per se* opponitur ly *per aliud*: quia potius competit sibi per aliud, id est, per animal.

Per se bifariã sumitur.

[c] *Primum continens alicuius corporis*, &c. Nota, quòd hæc prima ratio tenet ex hoc, quòd forma est terminus continens materiam: quia forma reducit materiam, & terminat eam ad certam speciem; sed locus proprius primò, & per se est terminus adæquatè continens locatum: ergo locus est forma locati. Cæterùm hæc ratio est argumentatiua, neque illã intendit Aristoteles probare illatum: quia confecta est (vt hic dicit Scotus ex Auerroë) ex puris affirmatiuis in secunda figura; si enim locus esset forma locati, vt ipse est argumẽtatus, locatum haberet speciem à loco; & tunc omnia, quæ in eodem loco succederent, eo casu fierent eiusdem speciei. Formauit autem hanc rationem, vt quorundam ostenderet errorem, existimantium locum esse formam, eo quòd non distinguebant inter terminum intrinsecum, & extrinsecum; terminus enim intrinsecus est forma, extrinsecus verò est locus. 15.

[d] *Propter istam causam, quia idem est locus & receptiuum.* Nota primò, quòd hæc ratio, quæ probat locũ esse materiam, videtur colligi ex Platone, vt Themistio & reliquis antiquis placet. Estque huiusmodi, sicut materia recipit formam, sic locus locatum; ergo locus est materia locati: sicut enim in materia qualibet potest recipi forma, ita in loco quolibet locatum. Formetur ergo sic ratio; omnis materia recipit formam; omnis locus recipit locatum: ergo omnis locus est materia. Quæ ratio eundem habet defectum cum priori; est siquidem in secunda figura ex affirmatiuis procedens: peccatũque in hoc cognoscitur, quòd non distinguit inter receptiuum intrinsecum, & extrinsecum,

& maior quidem vera est de receptiuo intrinseco: quia tale est materia; minorem verò de receptiuo extrinseco oportet intelligi. Quare syllogismus est in quatuor terminis sicut prior.

16. Secundò nota, vt etiam annotauit Philoponus, & est probabile; quòd Plato nunquam docuit locum omnino idem esse cum materia, sed locum per analogiam, & metaphoram appellabat materiam: quia sicut locus successiue suscipit diuersa locata, ita & materia diuersas formas. At quia Aristoteles voluit hîc reprobare opinionem, quâ quis posset dicere locum esse materiam, citauit Platonem, locum materiam appellantem, (solet namque hoc assidue facere.)

[e] *Hic improbat Platonem*, &c. Nota quòd Plato posuit Ideas separatas à loco, & rursus asseruit, (vt hîc illi imponitur ab Aristotele) materiam esse locum receptiuum formarum; hæc autem duo inter se pugnant. Si enim formæ, & Ideæ recipiuntur in materia, & materia est locus; ergo & Ideæ sunt in loco, contra primum dictũ. Nã si Ideæ separatæ participantur in materia, seu (quod idem est) locus est particeps illarum, (sicut Petrus, & quodcunque indiuiduum est particeps speciei) sequitur Ideas illas, & numeros esse in loco: atque adeò redditurus erat rationem Plato, cur non essent in loco.

17. *Materia prima quomodo sit incorruptibilis.* [f] *Quia si locus esset forma sequeretur*, &c. Nota, quòd materia prima est incorruptibilis, tamen materia hæc cum his dispositionibus ad hanc formam corrumpitur, quia non manet cum illis. Ita declarat hác rationem S. Thomas, quem sequitur Soto, idem sentit Tartaretus. Toletus aliter format hanc rationem, dicítque sic Arist. argumentari; locus corrũpitur in aliqua locati abiectione; sed materia incorruptibilis est; ergo materia non est locus. Maior probatur, quando enim ex aëre fit aqua, perit locus, quia minor locus est aquæ, quam aëris, & item alius est locus naturalis aquæ, & alius aëris. Minor est euidens. Vnde dicit hac ratione probari solùm materiam non esse locum. Scotus verò dicit Aristotelem hac ratione probare solùm formam non esse locum; formátque sic Aristotelis rationem: Si forma esset locus, quando ex aëre fit aqua, locus corrumperetur; sed locus non corrumpitur: ergo locus non est forma. Maior sic probatur: forma aëris deperditur ad corruptionem aëris: ergo si forma est locus, periit forma; similiter & locus. Et hanc maiorem videtur Aristoteles probasse in textu: dicit enim, *non enim in eodem loco fit corpus*: quasi dicat, non in eadem forma, quæ per te dicitur locus, fit corpus, scilicet quod generatur, supple in quo est corpus corruptum. Quasi dicat, si forma est locus, periit locus: quia periit forma; quod videtur in hoc: quia corpus non est cum eadem forma in corrupto, & genito; sed corruptum, & genitum sunt in eodem loco: ergo forma non est locus. Et addit Aristoteles: *Quæ igitur corruptio?* quasi dicat, quæ corruptio loci? ac si dixisset nulla; quia in loco vbi erat corruptum, succedit & genitum. Hunc modum exponendi hanc rationem seruat etiam Vilalpandus.

EXPOSITIO TEXTVS.

18. Text. 23. **P**Ost hæc [1] *autem accipiendum est, quot modis aliud in alio est*, &c. Hoc est tertium capitulum [a] huius tractatus, in quo Philosophus determinat de modis *essendi in*, vt per hoc ostendat quomodo locatum sit in loco. Et primò facit hoc. Secundò mouet dubitationem. Tertiò soluit quandam factam rationem Zenonis. Et quartò concludit corollarium. Secundum ibi: *Dubitauit autem aliquis.* Tertium ibi: *Quod autem Zeno.* Quartum ibi: *Illud autem manifestum.* Primò ponit modos *essendi in*, dicens, quòd vno modo aliquid dicitur in aliquo tanquam pars in toto, vt digitus in manu. *Modi essendi in.* Secundò, vt totum est in partibus, & tunc capitur *in*, valde impropriè pro *ex*, & sic totum est in partibus, quia est ex partibus, vel quia non est sine partibus. Tertio modo aliquid dicitur in alio, sicut Species in Genere, id est, sub Genere secundùm prædicationem quidditatiuam. Quartò, sicut Genus in Specie, id est, in definitione Speciei, vel Genus dicitur in Specie, quia prædicatur de Specie; sicut dicimus prædicatum inesse subiecto. Quintò, sicut forma accidentalis, vel substantialis est in materia, scilicet per realem inhærentiam. Sextò, sicut effectus in sua causa efficiente, id est, in potestate efficientis, quia secundùm eius impetum, aut voluntatẽ fit, aut producitur effectus. Septimò, sicut ordinatum in finem est in suo fine, id est, ordinatur secundùm exigentiam finis. Octauò, vt locatũ est in loco, vt aqua in vase: & iste modus est maximè proprius ad propositum. Et notandum, quòd præter istos modos *essendi in*, sunt quidam alii modi; sicut dicimus aliquod esse in motu, vel quiete, in gaudio, vel tristitia, & ita de aliis. Item notandum, quòd diuersitas ista modorum *essendi in*, fuit magis apparens in idiomate Græco, quam in nostro.

Dubitabit a *autem aliquis.* Hîc mouet dubitationem. Et primò mouet. Secundò, soluit per tres conclusiones. Secundum ibi: *Primò autem non contingit.* Tertium ibi: *At verò neque secundum accidens.* Item primò mouet. Secundò, ponit primam conclusionem ibi: *Dupliciter autem.* Dubitatio est ista: Vtrùm aliquid possit esse in se ipso, scilicet, aliquo dictorum modorum. 19. Text. 24.

Dupliciter autem. Hîc soluit dubitationem priùs motam, & distinguit quòd aliquid [b] potest dici in se ipso dupliciter: vno modo secundùm se, & alio modo secundùm aliud. *Aliquid potest dici esse in se ipso dupliciter.* Tunc est prima conclusio, quòd idem potest esse in se ipso secundùm alterum, vt totum est in se ipso ratione partium. Probatur, quia totum [c] habet denominationem à suis partibus: igitur cùm partes sint in toto, sequitur quòd quodammodo totum est in se ipso, cùm denominetur à suis partibus. Et antecedens patet in multis, quia dicimus corpus esse album, eo quòd superficies est alba. Similiter homo dicitur sciens, eo quòd anima est sciens; & secundùm istam locutionem, quod idem est in se ipso ratione partium, dicimus quòd dolium vini est in dolio.

Primò; *autem non contingit.* Secunda conclusio est, quòd idem non est in se ipso secundùm se totum, primò. Text. 25. & 26. Et primò recolligit qualiter totum diuersimodè nominatur propter partes. Secundò probat conclusionem inductiuè: quia inducendo in omnibus modis *essendi in* priùs dictis, nun inuenies quòd aliquid sit in se ipso primò. Et probatur ratione: quia si idem secundùm se esset in se ipso, vt puta vinum in vino, sequeretur quòd vinum esset amphora, & amphora vinũ. Consequens est falsum. Consequentia probatur, quia amphora dicitur eâ ratione quâ continet vinum;

vi[illegible] [illegible]

Tex. 27 A[illegible] cl[illegible] [illegible] q[illegible] eff. [illegible] fine penetratione.

Tex. 28. *Quod autem [illegible] Zeno.* [illegible] tionem Zenonis [illegible] aliquid, sequeretur quod [illegible] loco, & ille in alio, & [illegible] Aristoteles dicit, quòd non [illegible] rationem, quia [illegible] in loco, [illegible] tantum [illegible] ut sicut passio, vel [illegible] non oportet, quod procedatur in infinitum.

Tex. 29. *[illegible]od autem est manifestum.* Hic [illegible] quia ex quo locus est ad modum vasis [illegible] tis, & non est aliquid corporis con[illegible] tur quod locus non est materia, nec forma [illegible] locus est quid extrinsecum corpori locato, & tamen materia, & forma sunt intrinseca.

ANNOTATIONES.

21. ª HOc est tertium capitulum, &c. Nota quòd Aristoteles in hoc capitulo quærit, utrùm idem possit esse in se ipso, mouetque hoc dubium, vt appareat, an necesse sit ponere locum, nec ne: si enim in se ipso res esse potest, locus quidem superflueret. Huic autem satis obscurus quæstioni, octo assendi modos, quibus aliquid in alio esse dicitur, præmittit; quos breuiter, & doctè explicat hîc Doctor Subtilis.

Aliquid potest dici tale tripliciter. ᵇ *Aliquid potest dici esse in se ipso dupliciter,* &c. Nota, tripliciter aliquid esse tale, videlicet *secundum se*, id est, immediate, *secundum aliud*, scilicet secundùm partem, & *secundum accidens*. Exemplum primi, vt superficies secundùm se est alba, quia immediatè est alba. Exemplum secundi, vt Petrus dicitur crispus, quia in parte, scilicet in capite est crispus. Exemplum tertij, sicuti anima mouetur per accidens, quia est in homine, qui per se mouetur: est enim per accidens tale, id est, quod est in eo, quod secundùm se est tale. Similiter aliquid est in aliquo tripliciter; *secundum se*, *secundum aliud*, & *secundum accidens*. Secundùm se, vt quod est proximè in loco, vt corpus, cui secundùm se competit esse in loco. Secundùm aliud, quod secundùm aliquam sui partem est in alio, vt arbor est in fluuio, quia radices sunt in eo. Secundùm accidens est in aliquo, quod est in eo, quod secundùm se est in illo; vt nauta est in mari, quia est in naui, quæ secundùm se est in mari.

Aliquid est in aliquo tripliciter.

22. Proportionabiliter id dicitur esse secundùm se primò in se ipso, quod secundùm se totum est in se ipso, & hoc est impossibile. Alio modo secundùm aliud, scilicet secundùm partem, vt si totum consideretur ratione vnius partis, & illa pars sit in alia; tunc etiam totum dicitur esse in illa parte, in qua est alia, vt amphora vini est in se ipsa considerato enim hoc toto, scilicet, am-

[illegible] vinum [illegible] est [illegible] in [illegible] ta[illegible] Pro[illegible] phor[illegible] o [illegible] amphoræ, [illegible] ma[illegible] ipsa [illegible] quod magis [illegible] est amphora [illegible] cum ea fa[illegible] impossibile.

ᶜ *[illegible] habet denominationem à suis partibus,* &c. Nota quod duplicia sunt denominantia aliquod subiectum, quædam denominant sibi certam partem in subiecto, ita vt solum illi possint inesse, sicut simus determinat sibi nasum. Alia non determinant sibi certam partem, sed indifferenter possunt inesse pluribus; & talia sunt in duplici differentia. Alia enim sunt, quæ, etsi inhæreant solum aliquibus partibus, virtute eorum relinquitur aliquid in aliis partibus: quamuis enim infirmitas possit esse in omnibus partibus animalis, tamen si insit in aliquibus partibus aliquis dolor, dolere relinquitur in aliis partibus. Alia vero sunt, quæ si insunt in aliquibus partibus, virtute eorum non derelinquitur aliquid in aliis; sicut sunt *albedo*, *nigredo*, & similia. Ex istis patet, quòd denominatio partis infert denominationem totius in his, quæ determinant sibi certam partem, & in his, quæ si insunt vni parti eorum, derelinquitur aliquid in aliis, sed in aliis non infert. Vnde benè sequitur, nasus Petri est simus; ergo Petrus est simus. Item, sequitur, caput Ioannis est crispum: ergo Ioannes est crispus. Similiter thorax Francisci est infirmus; ergo Franciscus est infirmus. Sed non sequitur, manus illius est alba: ergo ipse est albus, ad hoc enim quòd ista accidentia denominent, oportet quòd insint maiori, & principaliori secundùm quamlibet suam partem. 23. *Denominantia sunt in duplici differentia.*

ᵈ *Si vinum contineret se ipsum, vinum diceretur amphora.* Nota quòd si amphora vini ex consuetudine vulgarium stet pro vino tantùm, licèt ex significatione vocabulorum deberet stare pro cótinente vinum; tunc illa potest concedi, *amphora vini*, id est, contentum *est in amphora vini*, id est, in continente. Nam consuetus modus loquendi est, quòd ille bibit amphoram vini, esto quòd tales propositiones ex impositione vocabulorum sint tales, ita tamen soliti sumus vti, & ita est secundus modus amphibologiæ. Sed ista propositio, *amphora est in se ipsa primo, & secundum se*, simpliciter est neganda, eo quòd relatiuum substantiæ identitatis præcisè supponit pro eo, pro quo suum antecedens. 24.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text. 30. *Accipiamus 1 autem de* [illegible]. Hic [illegible] lum quartum huius tractatus, in quo [illegible] quædam necessaria ad definitionem loci, [illegible] diuiditur: quia primo ponit quasdam conditiones loci. Secundo, [illegible] definitionem loci, ponit quasdam [illegible] definitionis. Tertiò, ostendit, ex quibus deuenimus in notitiam loci. Et quartò concludit [illegible] dam conclusiones. Secundum ibi [illegible] *tem.* Tertium ibi: *Primum igitur* [illegible]. Quartum ibi *Quoniam autem dicimus.* Primò [a] ponit conditiones loci. Prima, locus est continens immediatum corporis locati. Secunda, locus non est aliquid rei locatæ. Tertia, locus est æqualis locato, [illegible] secundum continentiam. Quarta, nulli corpori [illegible] locus. Quinta, locatum est [illegible] a loco. Sexta, omnis locus habet *sursum*, & *deorsum*, & hoc maxime est verum de toto [illegible] vniuersi, in quo istæ differentiæ sunt naturaliter distinctæ, vt patet secundo Cœli, text. 5. & 9. Septima, quodlibet corpus naturale est natum ferri, id est, moueri ad suum locum naturalem, & manere in suo loco naturali; & hoc est propter diuersitatem virtutum, quas habent loca naturalia, scilicet in conseruatione corporum locatorum.

25. Text. 31. Conditiones bonæ definitionis. *Suppositis 2 autem.* Hic ponuntur quatuor [b] conditiones bonæ definitionis. Prima est, quod definitio debeat sic fieri, quod per ipsam appareat, quæ res sit illa, de qua datur definitio. Secunda, quòd per illam possint solui quæstiones contingentes, circa quid est definiti. Tertia, quòd per ipsam appareant causæ omnium per se accidentium definiti, & causa est: quia bona definitio non solùm debet exprimere, quæ res est, sed etiam debet exprimere causas definiti, quæ sunt causæ omnium per se accidentium eius. Quarta, conditio, quòd per definitionem appareat causa diuersitatis opinionum de definito: causa huius est, quia per bonam definitionem debent exprimi omnia significata, & connotata partium definiti, ex quorum ignorantia accidit fieri diuersas opiniones.

Text. 32. Vide contradictionem Zimaræ. *Primum igitur 3 considerasse oportet.* Hic ostendit ex quibus deuenimus in notitiam loci. Dicit primò, quòd [c] motus localis, augmentatio, & diminutio maximè fecerunt nos cognoscere locum, præcipuè tamen motus localis; & ratio, quia cœlum maximè mouetur, opinamur ipsum maximè esse in loco, & ly *maximè* debet determinare hoc verbum *opinamur*, & non hoc verbum *esse*. Vnde per istos motus maximè cognoscimus locum, eo quòd per quemlibet ipsorum transmutatur mobile de loco, ad locum; sed Philosophus distinguit de eo, quod mouetur localiter: quia quoddam mouetur per se ipsum, scilicet non ad motum alterius: aliud mouetur per accidens, scilicet, ad motum alterius: & hoc dupliciter. Vno modo mouetur per accidens; quia natum est esse mobile per se, vt pars existens in toto. Alio modo quod non est natum esse mobile per se, vt qualitas inhærens mobili, vt albedo, & scientia: & hanc distinctionem [d] posuit Aristoteles ad denotandum, quid [illegible] ex motu mobilis, quod per se mouetur, maxime de terminis in notitiam loci.

Aliquid mouetur aliter quàm aliud contingat.

26. Text. 35. *Quoniam autem 4 di imus esse.* Hic concludit quasdam conclusiones, & sunt tres. Prima est. [illegible] non est [illegible] quod continet. [illegible] & [illegible], ipse mouetur in illo tanquam in toto. [illegible], cum continens est [illegible] [illegible] tanquam in loco. [illegible] conclusio probatur, quia [illegible] corpus [illegible] totum esse [illegible] per locus [illegible] conditione [illegible] plus, quam [illegible] locatum; [illegible] corpus [illegible] continens secundum [illegible] vltimum [illegible] verus [illegible] locus.

Cum 5 igitur. Probat secundam conclusionem: quia corpus locatum potest moueri in suo loco; sed corpus [illegible] non potest moueri in illo, quod est sibi continuum; igitur illud, quod [illegible] continuum, non est locus [illegible]. Secundo, quia locatum non est in illo, quod est indiuisum ab ipso, sicut pars in toto, vt visus in oculo, & manus in corpore; & per consequens non est in ipso, sicut in loco. In textu eodem ibi: *Cum autem diuisum est.* Probat tertiam conclusionem: quia cùm aliquid est in aliquo separato ab ipso, illud separatum est locus eius. Quod probatur ex duobus. Primò; quia locatum est in illo tanquam in vase, vt, verbi gratiâ, vinum in scypho, vel aqua in dolio; & per consequens est in illo tanquam in loco. Secundò, quia contentum potest moueri in illo, vt aqua mouetur in eado. Et notandum, quod ex isto capite non habetur determinatè, quid sit locus, tamen in isto capite habentur conditiones loci, per quas possunt solui omnes dubitationes priùs motæ de loco. Text. 34.

ANNOTATIONES.

[a] *Primò præmittit conditiones loci.* Nota, quòd prima conditio intelligenda est de loco proprio primo, & immediato locatum continente; non enim esset proprius, si cum locato contineret alia; debet ergo locus continere locatū immediatè, id est, debet proximè tangere locatum, locus namque vini existentis in dolio non tam propriè dicitur, vbi est dolium, nimirum cella vinaria, quàm ipsum dolium: nam, vt in nutationibus ad tertiam quæstionem dicemus, *Locus est superficies vltima concaua continentis locatum.* Secunda conditio intelligitur, quòd locus non est aliquid ipsius locati sicut pars; cùm locus distinguatur a locato, & à qualibet eius parte, & cùm totum locatum possit à loco exire. Tertia intelligitur sicut prima de loco proprio: nam locus proprius cùm propinquissimè attingat locatum, nec maior, nec minor est, sed æqualis locato; atque adeò inquit Aristoteles primum locum neque minorem esse, neque maiorem: quia locus materialiter acceptus, hoc est, pro toto corpore continente (qualis est amphora respectu vini) maior est locato. Quarta conditio, quā Aristoteles dicit locum non deferi ab vnoquoque; non est ita intelligenda, quòd in eodem loco esse non possit nisi vnum, [illegible] Constat enim in eodem loco sucedere diuersa locata, sed in hunc modum [illegible] vnumquodque locus semper habet [illegible], sicut quodcumque locatum est in aliquo loco, ita 27. Conditiones loci explicatæ.

[illegible] *locus est, ergo l[illegible] cati locus est. Locatum est, ergo loco locatum est*, non tamen sequitur, *corpus est, ergo in loco est*; vt patet de supremo cœlo. Sexta conditio intelligitur solùm de locis naturalibus grauium, & leuium: quia enim de cœlo nihil hactenus definierit, loquitur secundùm famosam antiquorum opinionem, qui putabant cœlos etiam constare ex natura grauium, vel leui, cùm tamen in rei veritate cœlum neque [illegible] deorsum, nec prorsus ad locum, sed præcise in loco moueatur.

28\. *Conditiones definitionis explicantur.* b *Hic ponuntur quatuor conditiones definitionis.* Nota, quòd prima conditio patet ex his quæ tradit Aristoteles 7. Topicorum, cap. [illegible]. vbi scribit quòd definitio est oratio explicans *quod quid est*, id est, rei naturam. Secunda patet ex his quæ scribit 3. Metaph. text. 1. vbi habet, quòd veritatis cognitio est dubiorum solutio. Tertia conditio patet ex prima: nam cum definitio explicet naturam rei, & naturam accidentia propria subsequantur, per definitionem cognoscunt accidentia propria.

Motus localis est triplex. c *Dicit primò, quòd motus localis, augmentatio, & diminutio*, &c. Nota, quòd triplex est motus localis; alius enim est totius loci mutatio, qui dicitur motus ad locum. Et hic per se primò dicitur motus localis: quia terminus talis motus non est alius, quàm locus. Alij duo sunt motus non ad alium distinctum locum, sed ad maiorem, vel minorem, vt augmentatio, & diminutio. Et isti non sunt per se primò motus locales: nam augmentatio non est ad locum, sed ad quantitatem: & pariter diminutio, sed de per accidens, & consecutiue aucta, vel diminuta quantitate, augetur, vel diminuitur locus. Nec sine causa adiecit Philosophus hanc distinctionem; quia locus non tam manifestè cognoscitur per augmentum, vel decrementum locati: vbi non mutatur totus locus, sed fit mutatio a parte ad totum locum, vel à toto ad partem, quàm cognoscitur per motum localem, qui est per se primò motus ad locum.

29\. d *Et hanc distinctionem posuit Aristoteles*, &c. Nota, quòd hanc distinctionem subiecit Aristoteles. Primò, quia quot modis contingit moueri localiter, tot modis contingit esse in loco, scilicet per se, & per accidens. Secundò, vt notat Scotus, quia locus non tam innotescit ex his, quæ mouentur per accidens, quàm ex his, quæ per se mouentur.

e *Corpus continens secundùm se totum*, &c. Nota, quòd locus (vt dictum est suprà) alius est communis, qui non est æqualis locato, sed est locus, aut quia est loci locus, vt cœlum est locus meus, quia est locus aëris, in quo ego sum, similiter totum corpus, in cuius parte ego sum, vt elementum aëris est materialiter locus meus, quia sum in aliqua eius particula, & quia per motum non mutatur locus communis. Sed locus proprius, puta superficies quæ me tangens circundat: per talem motum non cognoscemus locum communem; sed proprium: & hanc superficiem appellat vltimum continentis vers[illegible] locatum: vbi ait, quod non est homo in toto aëre, *sed propter vltimum, & fuit continens.* E[illegible] [illegible] appellat primum locum: nam [illegible] descendendo ab aëre versùs me, [illegible] vltimum, incipiendo à me, est mihi primum.

f *Et [illegible] primus continens secundùm vltimum sibi*, &c. Nota, quòd illud vltimum continentis de-

b[illegible] [illegible] Illud [illegible] cuius, [illegible] vero [illegible] vltimum [illegible] [illegible] gutur [illegible] gratia, [illegible] continet partem, vt humerus continet brachium, [illegible] locus [illegible], sed [illegible] continens, [illegible] adeo [illegible] non est locus brachij [illegible] non habet vltimum actu versus brachium, & eadem ratione [illegible] les, qui est contenti [illegible] cerebro, non est in illo tanquam in loco. Si autem esset discontinuus, illa superficies cerebri circuntangens [illegible] esset proprius locus eius, etenim quia esset vltimum actu continentis, esset primus locus oculi.

EXPOSITIO TEXTVS.

IAm igitur 1 *manifestum ex his*, &c. Hoc est quintum capitulum, in quo Philosophus inquirit definitionem loci. Et diuiditur: quia primò inquirit particulam ponendam in definitione loci. Secundò, particulam ponendam per modum differentiæ. Et tertio concludit definitionem loci. Secundum ibi: *Vt autem vas*. Tertium ibi: *Quare continentis terminus*. Item, primo ponit conclusionem, & probat. Secundo, probat minorem suæ rationis, ibi: *Sed propterea quod*. Est igitur conclusio ista: Locus est terminus corporis continentis. Probatur; quia vel locus est materia, vel forma, vel spatium separatum inter latera corporis continentis, vel terminus corporis continentis: sed non est aliquod prædictorum trium; igitur relinquitur quartum. Maior patet: quia non est aliquid aliud, per quod possint saluari conditiones loci priùs positæ. 30. Text. 35. *Loci genus.*

Sed propterea quod. Hic probat minorem. Et primò ostendit, quòd locus non sit forma. Secundò, quòd non sit spatium separatum. Tertiò, quòd non sit materia. Quartò, concludit definitionem suam. Et quintò, infert considerationem de loco esse difficilem. Secundum ibi: *Ex eo autem*. Tertium ibi: *Et materia etiam*. Quartum ibi: *Si igitur nihil horum trium*. Quintum ibi: *Videtur autem*. Primò, præmittit quare forma videtur esse locus; & intelligit per formam vltimam superficiem corporis contenti, quæ videtur esse locus. Primò, quia continet locatum. Secundò, quia ipsa, & verus locus, scilicet terminus corporis continentis, sunt æqualia. Tertio, quia locus verus, & eius superficies sunt simul: igitur propter istas conuenientias extrema superficies corporis contenti videtur esse locus, quod tamen est falsum: quia illæ superficies sunt termini diuersorum corporum: vna enim est terminus corporis contenti, & altera est terminus corporis continentis; modò locus debet esse terminus illius, quod est separatum à locato: igitur impossibile est, quòd extrema superficies locati sit eius locus.

Ex 2 eo autem. Hic probat, quòd locus non sit a spatium separatum. Et primò præmittit; quare locus videtur esse [illegible] spatium, & est b motiuum istud, quod videtur, quòd in eodem vase primò est vnum corpus, postea aliud manente continentis distantia laterum corporis: quod non esset, nisi spatium interceptum inter huiusmodi latera, esset receptiuum, & locus. Hoc autem probat tripliciter. Secundò ibi: *Si autem*. 31. Text. 36. *Locus non est spatium separatum.*

Tertio ibi *Non est autem.* Prima ratio est, quia si ... ponitur talis dimensio separata ad retinendum partes continentis distare ab inuicem, cùm aliud corpus succedens potest facere partes distare, sicut prius distabant per corpus, quod transfertur de illo loco.

Text. 5.. *Si autem 3 esset aliquod spatium.* Secunda ratio: quia si esset tale spatium separatum, sequeretur quòd essent infinita loca, quod est impossibile: quia tunc esset loci locus, & sic in infinitum. Et patet consequentia: quia c cuiuslibet totius sunt infinitæ partes, quarum quælibet haberet locum sibi proprium, scilicet partem spatij separati, quod est locus totius.

Non est autem. Ponitur tertia ratio: quia ad prædictam rationem potest responderi, negando consequentiam: quia totum benè est in loco per se; sed pars esset in loco per accidens, scilicet ad locationem totius. Hoc non valet: quia sequeretur, quòd nihil esset per se in loco, nisi totus mundus: quia nihil aliud à mundo esset in loco, nisi sicut pars mundi in parte loci totius mundi, & sic quodlibet aliud à mundo esset in loco per accidens.

32. Text. 38. *Locus videtur esse materia.* *Et materia 4 etiam.* Hic ostendit, quòd locus sit materia. Vnde antiqui mouebantur ad ponendum locum esse materiam. Primò propter hoc, quòd, sicut in loco sibi inuicem succedunt diuersi motus, ita etiam in materia fiunt successiuè diuersæ transmutationes. Secundò propter hoc, quòd sicut locus manet, remoto locato, ita etiam manet materia factâ transmutatione. Tertiò sicut locus est inseparabilis à locato ad istum sensum; quòd sicut locus non potest esse sine locato, ita materia non potest esse sine forma. Vnde propter istas similitudines accipiebant phantasiam, quòd locus est materia.

Locus non est materia. *Verùm illud quidem.* Improbat istud dupliciter. Primò, quia multùm differunt ab inuicem transmutatio facta in materia, & transmutatio facta in loco. Vnde transmutatio d materiæ est substantialis, & propter hoc dicimus, quòd illud est aqua, quod priùs fuit aër, id est, illud quod nunc est informatum formâ aquæ, priùs fuit informatum formâ aëris: sed transmutatio facta in loco, est mutatio localis solùm, & ideò ab ista mutatione habemus alium modum loquendi, vt dicendo, vbi priùs fuit aqua, nunc est aër. Secunda ratio est ista: quia materia est indiuisa ab eo cuius est materia, & non continet ipsum, immò materia continetur loco, locus autem est separatus ab eo, cuius est locus: igitur locus non est materia.

33. Text. 39. *Si igitur 5 nihil horum trium locus est.* Hic concludit prædictam conclusionem, scilicet, quòd locus non est materia, nec forma, nec spatium separatum interceptum inter latera corporis continentis; sed est terminus corporis e continentis.

Text. 40. *Videtur 6 autem aliquid, &c.* Infert corollarium, quòd consideratio de loco apparet difficilis: quia propter rationes prædictas in principio, quæ faciebant difficultatem de loco, adhuc prædictæ similitudines mouent ad ponendum, quòd locus sit materia, vel forma. Similiter insensibilitas aëris mouet ad ponendum, quòd spatium separatum sit locus: quia ex quo in vase non apparet corpus sensibile, vulgus credit, quòd nihil facit distare latera vasis, nisi præcisè dimensio separata.

Text. 41. *Vt autem 7 vas.* Hic inquirit particulam ponendam in definitione loci, per modum differentiæ, & vult probare, quòd locus est immobilis. Vnde per hoc est differentia vasis a loco: quia locatum in vase simul mouetur vase moto & quiescit ad quietem vasis. De ista immobilitate dimitto vsque ad quæstiones. *Locus differentia.*

Quare continentis terminus immobilis primus, locus est. Hic concludit definitionem loci. Secundò, declarat illam, ibi: *Definitio loci.*

Atque propter hoc medium. Definitio est ista, *Locus est terminus continentis immobilis primus*: & ponitur *terminus* per modum generis, quia locus est terminus, quæ est superficies: ponitur *continentis*, ad differentiam vltimæ superficiei corporis contenti, quæ non est locus, eo quòd non est separata a locato: & ponitur *immobilis* ad differentiam vasis, quod mouetur cum locato; & ponitur *primus*, id est, immediatus, ad denotandum, quod locus est superficies, & superficies continentis immediata locato, ad differentiam superficiei conuexæ corporis locantis. 34.

Atque 8 propter hoc medium. Hic declarat definitionem. Primò, quòd locus est immobilis. Secundò, infert corollarium. Et tertiò, declarat, quòd locus sit terminus corporis continentis. Secundum ibi: *Quare cùm leue.* Et tertium ibi: *Propter hoc.* Dicit primò, quòd medium cœli, & vltimum, id est, vltima superficies cœli versùs nos, est locus simpliciter sursum, sed medium cœli, id est, superficies continens corpus in medio cœli, id est, terra, est locus simpliciter deorsum: modò ista duo semper manent immobilia, quia licèt circa medium moueatur, tamen immobile est ratione distantiæ ab istis inferioribus; & ideò cùm *sursum*, & *deorsum*, quæ sunt differentiæ loci, sint immobiles, sequitur quòd f locus sit immobilis. *Locus est immobilis.*

Quare cùm leue. Infert corollarium, quòd leue naturaliter mouetur sursum, & graue deorsum naturaliter, & ideò locus deorsum est medium, scilicet locus terræ, & ad medium, id est, locus aquæ, sed locus sursum est ipsum vltimum, id est, vltima superficies cœli versùs nos, vel ad vltimum, id est, locus aëris. 35.

Et propter hoc. Hic declarat, quòd locus est terminus corporis continentis propter duo. Primò, quia ille terminus *corporis continentis* continet locatum ad modum vasis. Secundò, quia ille terminus *est simul cum corpore locato*, exponendo l *simul* priuatiuè, scilicet, per priuationem corporis intermedij. *Locus est terminus ... continentis.*

ANNOTATIONES.

a Locus non est spatium separatum. Nota, quòd antiqui diuersimodè ponebant locum esse spatium separatum. Quidam enim dicebant tale spatium esse corpus animatum indiuisibile, immobile, & immateriale. Alij dicebant non esse quid reale, sed secundum se quoddam vacuum, cuius esse ... carentia corporis, vt repleri posset. Alij putabant inter extremitates, seu latera superficiei ... continentis esse spatium, & interuallum interceptum, quod quidem erat dimensiones quædam ... prædicamento Quantitatis in quibus corpus ... recipi batur; quas dimensiones ... immobiles, vt sic succedentia corpora ... loca ... : quæ ... dim ... nter ... um con... ue... , ... m p... uodit ... & c 36. *Locus ... spatium ... antiqui.*

[illegible]

rotum locatum erat in loco secundum quamlibet dimensionem.

b *Et est motiuum illud.* Nota, quòd istorum opinio (vt dicitur ex Commentatore) sumpta est ab æstimatione vulgi. Cùm enim in dolium vacuum infunditur vinum, vulgares non putant vinum recipi in dolio, sed in spatio illo, vbi enim aërem non experiuntur, existimant esse simpliciter vacuum: ob idque aliqui antiqui, aut Platonici, aut alij, dicebant esse in illo inani quasdam dimensiones interminatas, quæ erant quantitates separatæ ab aëre inde exeunte, & à vino subintrante, quæ quidem se penetrabant priùs cum aëre, & postea cum vino, eo modo (vt opinor) quo Christiani credimus corpora gloriosa cum quantitate cœli se penetrare. Dicitque Aristoteles hanc opinionem aliquam habere apparentiam: quia si ibi non esset aliud præter corpus continens, & corpus contentum, sequeretur, vel quòd locus non esset aliud à locato, vel à corpore continente, quorum vtrumque est falsum. Consequentia est nota. quia ibi nihil aliud est intelligere. Minor probatur, quia manente eodem loco, mutatum locatur: ergo distinctum quid est locus à locato. Similiter manente eodem loco, non manet idem corpus continens: ergo locus aliud est à corpore continente: sed nihil aliud intelligi potest esse præter corpus continens, & contentum, nisi dimensiones spatij in nullo corpore existentis: ergo tales dimensiones, vel spatium sunt locus.

37. c *Patet consequentia, quia cuiuslibet totius, &c.* Nota, quòd pars non est per se in loco, quia non potest vndique ambiri à loco. Si enim per se ambiretur à loco, singulæ partes per se essent in loco; sed ideò pars est in loco, quia est in toto, quod est per se in loco. Ex hoc patet consequentia, nam si datur interuallum, quod se penetret cum locato, omnes partes, & particulæ locati vndique ambirentur, atque per se essent in loco, sed tales particulæ sunt infinitæ: ergo loca erút infinita simul.

Pars non est per se in loco.

d *Vnde transmutatio materiæ est substantialis.* Nota, quòd Aristoteles excludit materiam esse locum triplici constitutâ differentiâ. Prima, quòd materia ita recipit successiuè formas, vt virtute illius idem subiectum recipiat in recto diuersa prædicata successiuè: nam propter materiam, quæ manet eadem, concedimus aliquo modo id quod erat aër, nunc esse aquam, & propriè id quod erat album, nunc esse nigrum. De loco autem non ita: sed in obliquo concedimus, quòd in eodem loco vbi erat aër, nunc est aqua. Secunda differentia est, quòd materia recipit formam tanquam subiectum; & ideò materia, & forma non separantur, sed sunt vnum subiecto: omnia enim quæ sunt in Petro, sunt idem subiecto: locus autem non isto modo recipit locatum, sed tanquam res diuersa. Tertia differentia est, quòd locus continet locatum: materia verò non continet formam, sed suo modo continetur.

Materia quare non sit locus.

38. e *Est terminus corporis continentis.* Nota, quòd antiqui, vt infrà text. 61. copiosiùs patebit, dimensiones illas, & spatium separatum censebant esse accidens per se subsistens sine subiecto: quæ cùm recipiunt corpus Physicum, exercent vicem loci: cùm verò carent illo, censebant esse vacuum. Et propterea appellabant illud spatium vacuum separatum, scilicet à corpore Physico, atque adeò, ne quis putet locum continere illas dimensiones immobiles suprà impugnatas, subdit Aristoteles in text. 39. quòd per contentum nihil aliud intelligi, quam corpus ipsum mobile secundum locum.

f *Sequitur, quod locus sit immobilis.* Nota, quòd Aristoteles probat locum esse immobilem per differentiam vasis, & loci. Quamuis enim vas, & locus multùm conueniant (vtrumque enim est continens extrinsecum, & diuisum à re) differunt tamen, quia tale continens dicitur vas, secundùm quòd eo defertur, & mouetur contentum; sed continens dicitur locus secundùm quòd ab ipso, & ad ipsum natum est moueri locatum, ipso manente; cuius signum est, quia si continens moueatur cum contento, vt pars fluuij cum naui, vtimur continente vt vase, & non vt loco, & magis vtimur in tali motu locali fluuio, & ripis tanquam loco, quàm ipsa aqua deferente. Vnde totus fluuius magis locus est, quia immobilis omnis. Nam illud dicitur immobile, vt ad præsens spectat, ad quod corpora naturaliter mouentur, quæ cùm ad *sursum*, & *deorsum* moueantur: & illud quod est vltimum in corporibus circulariter motus versùs nos semper manet in eadem distantia, & elongatione ad nos, & dicitur *sursum*; quia est vltima superficies corporis cœlestis versùs nos, & similiter medium vniuersi, id est, centrum est locus deorsum, quæ *sursum*, & *deorsum* semper manent; ideò locus immobilis dicitur: quapropter terra, quæ simpliciter grauis est, ad medium tendit, qui est locus *deorsum*, ignis, quia leuissimus sursum tendit, & ad vltimum; aqua verò, quia non tam grauis, eius locus est circa medium, & similiter aër, quia non leuissimus, eius locus est circa vltimum.

Locus & vas differunt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm locus sit spatium separatum, siue spatium contentum inter latera continentis?

Arist. c. 5. Themist & Simpl. *ibid.* Auer. *com.* 35. Auic. 2. *suffic.* c. 6. Alb. Mag. *tract.* 1. c. 8. & 9 D. Thom. *lect.* 11. & *opusc.* 52. Scotus *quodl.* 11. Canon q. 1 *art* 2 Suar. *tom.* 2. *Metaph. disp.* 51 *sect.* 2 Fonseca 5 *Met.* c. 5 *sect.* 2. Conimb. 4. *Physic.* c. 5. q. 1. Rubius *ibid* q. 1. & 2. Complut. *disp.* 19. q. 1. §. 2. Fuentes q. 1 *diffic.* 1.

ARGVITVR quòd sic: quia nisi locus esset spatium separatum, sequeretur, quòd aliquod corpus esset sine loco. Consequens est inimaginabile: quia inimaginabile est, vt videtur quòd sit aliquod corpus, quin sit alicubi. Probatur consequentia, quia totus mundus categorematicè loquendo, est in loco, & tamen non potest imaginari locus eius, nisi ponatur esse spatium separatum, ergo, &c. 1.

Secundò, illud est locus, in quo diuersa corpora sibi inuicem succedunt; sed in spatio separato diuersa corpora sibi inuicem succedunt. Exemplum, si ad imaginationem, vna columna annihilaretur, aëre circumdante non moto localiter, tunc in illud spatium, quod nunc occupat columna, potest succedere aliud corpus: ergo, &c.

Tertiò, illud est locus, qnod continet locatum; & est æquale locato; sed spatium separatum continet locatum, & est æquale locato; igitur, &c. Maior patet: quia soli loco conueniunt illæ proprietates. Et minor probatur, quia spatium continens

continens aliquod corpus est præcisè tantum secundùm omnem dimensionem, quantum est illud corpus.

2. Quartò, vel locus est vltimum corporis continentis, vel spatium contentum inter latera corporis continentis: quia probatum est prius, quòd non sit materia, vel forma; non potest dici, quòd sit vltimum corporis continentis: quia nullius corporis est date vltimum, & quocumque datu, conuenit date alterius.

Quintò sequeretur, quòd nullum corpus posset redire in eundem locum, in quo priùs fuit. Consequens est falsum: quia de multis corporibus dicitur, quòd sunt vbi priùs fuerunt. Probatur consequentia, quia non apparet impossibile, quòd corpus possit ingredi in eandem superficiem, in qua priùs fuit; ideò si debet redire in eundem locum, hoc est in idem spatium.

Sextò, sequeretur quòd aliquod corpus moueretur localiter, quod tamen non esset in loco. Consequens est impossibile, & contra Commentatorem in isto quarto, comm. 41. qui ponit differentiam inter esse in loco corporum circulariter motorum, & illorum quæ mouentur motu recto; quia quando aliquod mouetur motu recto, necesse est, quòd propriè, & per se sit in loco. Consequentia patet, quia posito quòd totus mundus moueatur motu recto, tunc non esset in loco, nisi spatium separatum ponatur eius locus.

3. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto, text. 36. & 37. & inde. Et probatur ex alio; quia tunc sequeretur, quòd dimensiones penetrarent se: quia dimensio spatij separati esset æquè longa, æquè lata, & æquè profunda, sicut corpus contentum infra ipsum, & per consequens illæ penetrarent dimensiones corporis, & è contra.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò videbitur, an sit aliquod spatium separatum, vel aliqua distantia separata. Secundò videbitur, posito quòd tale spatium esset, an esset locus.

Impossibile est secundum Aristotelem aliquod corpus creari extra cœlum. Quantum ad primum, notandum est secundùm Aristotelem, quòd impossibile est aliquod corpus creari extra cœlum, aut etiam aliquod vacuum fieri infra cœlum: & ideò apud ipsum nulla potest fieri ratio ad probandum spatium separatum esse. Sed quia nos concedimus ex fide, quòd Deus potest vtrumque facere; ideò ex illa possibilitate, & imaginatione arguitur, quòd de facto sit aliquod spatium separatum, vel saltem possit esse; quia Deus potest creare vnam fabam, vel vnum lapidem supra conuexum vltimæ sphæræ, & illum mouere motu recto elongando à cœlo, *Secundū fidem datur de facto spatium separatum.* tunc ille lapis plus distabit à cœlo, quam priùs; quia priùs tangebat cœlum, & nunc non tangit, & non distat nisi per spatium separatum intermedium: igitur de facto est aliquod spatium separatum.

4. Secundò, quia extra istum mundum Deus potest creare vnum alterum mundum; & non in indiuisibili; igitur in diuisibili, & non in alio diuisibili, quàm in spatio separato: igitur de facto est illud spatium separatum.

Tertiò, creet Deus extra mundum istum tres mundos tangentes se inuicem secundùm puncta eo modo, quo sphæræ se tangunt; tunc latera istorum mundorum distant ab inuicem, & non nisi per spatium separatum: ergo, &c.

Quartò, sint *A* & *B*, duo lapides, quorum vnus sit Parisiis, & alter Romæ, & sint *C*, *D*, duo alij lapides, qui tantùm distent per pedale; tunc annihilet Deus omne medium inter istos lapides; tunc quæro vtrùm isti lapides distent ab inuicem, vel non? Si sic, h betur propositum, quòd spatium separatum est distantia. Si non: contrà, quia isti lapides non tangunt se: ergo distant.

Item, non potest assignari ratio, quomodo se haberent ad inuicem lapides *A*, *B*, quam lapides *C*, *D*, quod est impossibile; quia inter lapides *A*, *B*, patet esse spatium longitudinis centum leucarum, & inter lapides *C*, *D*, non potest esse corpus vnius pedis.

Ad omnes istas rationes faciliter responderet Arist. negando casum, in quolibet. Cùm arguitur; dico admittendo casus, & pono istam conclusionem. Nullum est spatium separatum. Probatur: quia ista est falsa *aliquod est spatium*: igitur ista negatiua est vera, *nullum est spatium separatum*. Tenet consequentia per locum à contradictoriis; & antecedens apparet: quia propositio affirmatiua est falsa, cuius alter terminus pro nullo supponit: modò iste terminus *spatium separatum* pro nullo supponit: quia spatium separatum nihil est; quia si esset aliquid, iam non esset spatium separatum; ergo, &c. 5. *Nullū est spatium separatum.*

Ad rationes. Ad primam dico, quòd propter motum localem rectum non oportet ponere aliquod spatium separatum circundans mobile, quod mouetur; & ideò admisso casu, Deus moueret fabam, dico, quòd faba nec tangeret cœlum, nec distaret à cœlo, sed potest distare, posito quòd Deus crearet intermedium corpus. Ex quo patet, quòd nunc de facto null m est spatium, nec distantia extra cœlum, immò iste mundus, siue in isto mundo est totum spatium, seu distantia tota, quod est in rerum natura.

Ad secundam, concedo quòd Deus potest creare vnum alium mundum; & non oportet quòd creet ipsum in diuisibili, vel in indiuisibili, quia in nihilo potest eum creare. 6.

Ad tertiam, dico quòd illi mundi sic se tangentes non distarent nisi secundùm lineas circulares, secundùm quas est corpus intermedium.

Ad quartam, dico quòd illo casu posito, lapides non distarent ab inuicem, nec se tangerent. Et sic patet, quòd nulla est distantia, nec spatium, nec potest esse quin sit aliqua quantitas faciens distare, vt corpus, linea, superficies. Et hæc de primo.

Quoad secundum, notandum quòd aliqui imaginantur [a], quòd contentum spatium infra latera continentis, quod est præcisè æquale corpori locato, & contento, est locus ipsius: & tale spatium est quandoque cum alio corpore circundante, vt columna, & spatium suum continetur aëre; & quandoque huiusmodi spatium est sine corpore extrinseco continente, cuiusmodi est spatium continens totùm mundum: & tunc isto secundo modo dicunr spatium esse locum, & istam opinionem probant rationibus ante oppositum: & ista opinio est multùm probabilis, nec potest euidenter impugnari. Attamen pono conclusionem contrariam. Locus non est spatium separatum. Probatur; quia si sic; sequeretur quòd corpora naturalia non mouerentur ad sua loca. Consequens est falsum, vt patet 4. huius, text. 36. Et probatur consequentia: quia illud spatium nihil est, vt patet ex primo articulo: modò ad illud, quod nihil est, non mouetur aliquid naturaliter. Secundò, sequeretur quòd non esset ratio, quare graue magis descenderet deorsum, quàm ascenderet sursum, aut quòd 7. *Locus non est spatium separatum.*

quòd moueretur ad aliam differentiam positionis; consequens est falsum: quia semper videmus ipsum ascendere. Consequentia patet, quia in illo spatio separato non est diuersitas partium, propter quam graue debeat potiùs moueri ad vnam partem, quàm ad aliam. Tertiò sequeretur, quòd essent loca actu infinita; consequens est falsum, & impossibile: & consequentia probatur, quia in quolibet corpore sunt infinitæ partes, quarum quælibet est æquè per se in spatio separato imaginato sicut & totum; igitur si illud spatium sit locus, sequitur quòd erunt loca infinita.

8. Nunc ad rationes. Ad primam, conceditur consequens, quòd mundus totus categorematicè sumptus non est in loco: quia non habet superficiem extrinsecam circundantem ipsum.

Ad secundam, dico quòd est vltima superficies corporis circundantis, quæ est versùs locatum, nec ex hoc sequitur quòd sit dare vltimam partem proportionalem: quia superficies non est pars proportionalis corporis.

Ad tertiam, negatur maior; sed debet plus addi, quòd illius corporis in quo diuersa corpora naturalia sibi inuicem succedunt, locus sit superficies terminata ad corpus succedens, seu locatum.

Ad quartam, negatur antecedens: quia tale spatium nec est æquale, nec inæquale. Item, non cõtinet; quia nihil est, ideò nullo modo est locus.

Ad quintam, potest vniuersaliter concedi consequens. Et quando aliquoties dicimus quòd corpus est in eodem loco, vbi priùs, verum est æquiualenter: quia eundem situm, & ordinem habet nunc ad corpora quiescentia, sicut antè.

Ad sextam, concedo quòd Commentator ponit differentiam illam: quia credit impossibile esse fieri vacuum infra mundum, vel aliquod corpus moueri extra mundum motu recto.

ANNOTATIONES.

9. a *Aliqui imaginantur quòd spatium contentum*, &c. Nota, quòd Philoponus præcipuus Aristotelicus in hac re deserens Aristotelis sententiam, existimat locum esse interuallum quoddam finibus conclusum trinà dimensione præditum. Quod antequam probet, supponit, quòd huiusmodi spatium est trina illa dimensio absque substantia longitudinis, latitudinis, & profunditatis; cui spatio diuersa succedunt corpora, & quòd spatium quodlibet corpus occupat; vt si imaginemur vas omni corpore carens, illud spatium, & interuallum quod est inter latera vasis, est huiusmodi trina dimensio, in qua recipitur corpus ab illa distinctum; quod spatium, & trina dimensio est locus. Hoc supposito, sic probat intentum: Proprietates, quæ conueniunt loco, potiùs apparent conuenire interuallo, quàm superficiei; ergo potiùs interuallum est locus, quàm superficies. Probatur antecedens, si huiusmodi interuallum est locus, tunc facilè apparet, quomodo locus est æqualis locato omnino, quandoquidem trinam habet dimensionem sicut corpus locatum. Insuper huiusmodi interuallum est immobile quod loco tribuitur, neque mouetur per accidens, sicut superficies: manet enim illud interuallum perpetuò corporibus variis in eo succedentibus. Et quòd immobile maneat probatur, non enim moueri potest secundùm substantiam, quia non est substantia; neque secundùm qualitatem, quia non est qualitas; neque secundùm quantitatem, quia nequit augeri, aut minui; neque secundùm locum, quia loci non est locus; ergo omnino manet immobilis, atque adeò est locus.

Secundò probatur. Illud ponendum est pro loco, quo meliùs soluuntur dubitationes, quæ habentur de loco; sed posito interuallo pro loco, meliùs hoc consequitur, quàm positâ superficie; ergo, &c. Maior est Aristotelis *cap. 4. huius libri*; & minor inductione probatur per omnes dubitationes, quæ accidunt circa locum; hoc enim posito, facilè est saluare quomodo locus contineat locatum, quomodo maneat immobilis, &c. Tertiò probatur; faciliùs soluuntur dubia, quæ circa spatium, quàm ea, quæ circa superficiem contingunt; ergo potiùs spatium est locus, quàm superficies. Probatur antecedens: difficilè enim est soluere quomodo superficies contineat locatum, & sit immobilis, &c. Non autem est difficile soluere instantias circa spatium: si enim ponere interuallum dubites, ne inde vacuum concedas, quod est inconueniens in natura, eo quòd illud tale interuallum, quod præter corpus locatum ponitur, est suapte naturâ vacuum, facilè respondebis non cum Epicuro, (cuius est etiam hæc opinio) dicente non esse inconueniens dare vacuum in natura; sed cum Philopono dicente, quòd quamuis suâ naturâ tale spatium sit vacuum, quia distinctum quid est à corpore, non tamen datur sine corpore, sicut materia, quæ distincta est à forma, nunquam datur sine forma. Et rursus, si secundò dubites ponere spatium pro loco, quia eo posito, daretur infinitum, illud scilicet quod est extra cœlum, potéstque suscipere corpus; quia cùm non habeat finem, eo quòd neque superficiem: superficies enim est in corpore, interuallum autem corpus non est, quare infinitè extenditur. Quod quàm falsum sit dari actu infinitum, tertio libro ostensum est. Respondetur quidem tale spatium non esse infinitum, quantum ad corpora suscipienda necesse fuerit: neque fatendum est superficie carere, quæ finis sit illius trinæ dimensionis.

Ad rationes autem Aristotelis, quibus probabat spatium tale dabile non esse: quia inquit Aristoteles ex eo sequeretur dari infinitum, respondet Philoponus negando sequelam: interuallum enim huiusmodi, cùm non corpus, sed trina dimensio sit, quando corpus tale replet spatium, indiuisibile est; quia incorporeum; corpus autem diuidere, quod incorporeum est, minimè potest. 11.

Ad aliam rationem, quæ probabat, si spatium esset locus, tunc esse plura loca simul: Respondet non esse inconueniens dari simul plura loca huiusmodi; eo quòd interuallum est incorporeum, quare vnum alterum non impediet, sicut in melle; verbi gratiâ, sunt plura incorporea, scilicet color, dulcedo, &c.

Nota secundò, quòd licèt hæc opinio contra Aristotelem militet, à multis tamen probabilis reputatur: quia tamen eam respuit hic Doctor Subtilis, ideò à nobis amplectenda non est, atque adeò, ad eius rationes in hunc modum respondeo: & ad primam cum Scoto in responsione ad quartum, quòd tale spatium non est æquale, nec inæquale. Item non continet, quia nihil est: si enim aliquid esset, duo quàm maxima sequerentur absurda. Primum, quòd daretur accidens

accidens sine subiecto, hoc autem maius absurdum est, quàm dicere superficiem esse locum. Quòd autem daretur accidens sine subiecto, patet, quia tale spatium ponitur à subiecto separatum, & diuisum. Secundum absurdum est, quòd dun corpora se penerrarent, quod naturaliter est impossibile. Probatur sequela, quia tales dimensiones quantitatis penetrantur cum dimensionibus locati, ergo datur penetratio corporum. Probatur consequentia: quia penetratio non inconuenit in substantiis, quia absque inconueniente materia penetratur cum forma: neque in qualitatibus, siquidem experientia docet qualitates esse simul in eodem subiecto, vt dulcedo, & albedo in lacte; ergo inconueniens penetrationis corporum est de quantitatibus intelligendum; maximum ergo absurdum est dicere, tales dimensiones se penetrare cum dimensionibus locati, siquidem absolutè sequitur penetratio corporum.

12. Ad secundum respondens, suppono cum Diuo Thoma immobilitatem loci pensandam esse secundùm distantiam quandam à partibus mundi, & secundùm situm, quà immobilia sunt, vt distantia, quá modò disto à cœlo, semper hîc manet. Et si hinc aliò moueor, manet hîc distantia, & aliam acquiro; cùm ergo locus non solùm superficies sit, sed superficies cum distantia certa & situ, & ratione huius distantiæ sit immobilis, verum est locum esse immobilem, quamuis sola superficies mutetur, quia superficies cum tali distantia nonquam mutatur: atque adeò meliùs saluatur immobilitas loci, ponendo locum esse superficiem, quàm spatium separatum. Suppono secundò, quòd superficies non tantùm vt latitudo sine profunditate considerari debet; sed vt terminus ipsius profunditatis: cui superficiei vt sic, quod conuenit ipsi corpori, conuenire dicimus. Sicut quando duo corpora se tangere dicimus, non quidem quòd penetratio corporum detur, hoc affirmatur; sed quia in superficie se tangunt. Similiter totum locatum continetur à superficie, quia est terminus corporis, & cuiuslibet alterius superficiei, & pariformiter dicimus superficiem, quæ locus est, æqualem esse locato, quia superficies concaua continentis est æqualis locato, id est, superficiei conuexæ locati. Si enim superficies concaua loci, quæ distinguitur à corpore, extenderetur; & similiter superficies conuexa locati, illæ duæ superficies essent omnino æquales secundum longitudinem & latitudinem, nam profunditatem non haberent: nam superficies indiuisibilis est secundùm profunditatem, & indiuisibile additum indiuisibili non facit maius: atque adeò superficies conuexa locati potest circumferri super superficiem concauam corporis locantis, & nihilominus vna non erit alterâ maior: & ex hac doctrina patet solutio ad rationes, quibus Philoponus probat locum esse illud spatium.

13 Nota tertiò, quòd Auicenna *secundo librò sua sufficientia, cap. 6.* citat quorundam sententiam affirmantium locum non esse quid reale; sed secundùm se quoddam vacuum, cuius esse est carentia corporis, ita vt repleri possit: verbi gratiâ, spatium, quod intra vas consideramus, si ibi non sit aër, aut aliud corpus, illud tale spatium est vacuum, aptúmque ad qoodlibet recipiendum corpus; non tamen concedit hæc opinio dari acto vacuom: qoia, inquit, tale sic spatium semper vno, vel altero corpore repletur. Hanc opiniooem videtur amplecti Valesius, eandem Toletus probabilem reputat. Sed contra hanc opinionem sic arguitor: vel illud spatium secundùm se est aliquid, vel nihil: si nihil; ergo non est locus. Si aliquid; ergo substantia, vel accidens; si substantia, ergo corporea, vel incorporea; si incorporea, non poterit esse extensa & profunda eum locato: quia hoc est munus rei corporeæ. Si corporea; ergo habet quantitatem, & tunc dabitur penetratio corporum. Si accidens; ergo, vel quantitas, vel qualitas: si quantitas, secundùm omnes dimẽsiones dabitur penetratio corporum: si qualitas, erit accidens sine subiecto, & non erit extensum, ita vt in ipso extendi possit corpus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm locus sit vltima superficies corporis continentis.

Vide authores *quæst. antecedenti* citatos.

ARGVITVR, quòd non: quia illud non est locus, in quo non possunt sibi inuicem succedere diuersa corpora; sed in superficie non possunt sibi inuicem succedere diuersa corpora; igitur locus non est superficies. Maior patet per Aristotelem in isto quarto, text. 3. & 34. vbi probans locum esse, arguit sic; illud est locus, in quo diuersa corpora sibi inuicem succedunt. Minor probatur, quia non videtur verisimile naturaliter, quòd aër consimiliter diuidatur per corpus succedens, sicut erat priùs diuisus per aliud corpus. 1.

Secundò. Illud non est locus, qood non habet virtutem conseruatiuam locati; sed superficies non habet virtutem conseruatiuam locati; ergo, &c. Maior patet, quia est vna proprietas loci: & minor probatur; quia superficies est quantitas, quæ non est de potentiis actiuis, vel passiuis, vt dicit Commentator super isto quarto, comm. 48. modò conseruare est agere; igitur si soperficies non potest conseruare, superficies non est locus.

Tertiò, si locus esset superficies, sequeretur, quòd duæ superficies essent immediatæ; consequens est impossibile, vt patet 6. huius, text. 2. & 3. Consequentia probatur: quia superficies vltima continentis esset immediata superficiei contenti.

Quartò, sequeretor quòd aliquid continuè mutaret locum, & non moueretur localiter; consequens implicat contradictionem: quia moueri localiter non est aliud, quàm mutare locum. Consequentia probatur, posito quòd stante columnâ non motâ, aër continuè deferatur per ventum; certum est, quòd columna est continuè in alia, & alia superficie aëris; si igitur superficies sit locus, sequitur quòd illa columna continuè mutaret locum, & tamen per casum non moueretur localiter. Confirmatur, quia arcem stantem fixam in campis dicimus esse in eodem loco, in quo priùs fuit, iam est annus, & tamen certum est, quòd non est in eadem superficie; igitur locus non est superficies. 2.

Quintò, sequeretur quòd aliquid moueretur localiter, & tamen non mutaret locum; consequens est falsum: quia moueri localiter non est aliud, quàm esse continuè alibi, & alibi: igitur si

aliquod

aliquod non motet locum ipsum, non mouetur localiter. Consequentia probatur, posito quòd aliquod corpus vna cum aëre circundante ipsum moueatur localiter; ita vt æquè velocitet tunc illud corpus continuè manet in eodem loco, quia in eadem superficie, & tamen ipsum mouetur localiter per casum; ergo, &c.

Sextò, quia locus & superficies sunt distinctæ species Quantitatis, vt patet in Prædicamentis; igitur locus non est superficies. Conseqoentia tenet; qoia si essent eadem res, iam non ponerentur species distinctæ.

3. Septimò, quia parrieulæ loci copulantur ad alium terminum communem, quàm partieulæ superficiei; igitor lueus nun est superficies. Consequentia nota est; & antecedens patet in Prædicameotis; vbi dicit Aristoteles quòd partes superficiei copulantur ad lineam; sed partes loci copulantur ad eundem terminum, ad quem partes corporis.

Octauò, si locus esset superficies, seqneretur quòd idem esset in diuersis locis; eonsequens est falsum. Consequentia probatur; quia terra non est in aliqua voa superficie, sed in superficie aëris & aquæ; Igitor si locus est superficies, sequitur, quòd terra simul est in diuersis locis.

Nonò, quia locus debet esse omnino immobilis, vt patet in isto quarto, text. 41. & 42. sed superficies est mobilis; igitur talis superficies non est locus. Minor patet, quia moto corpore mouentur omnia, quæ sunt in corpore; igitur cùm superficies sit in corpore, sequitur, quòd mouetur ad motum corporis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto quarto, text. 35. & 41.

4. *Opinio nominalium.* Notandum, quòd de ista quæstione est duplex opinio; vna ponit, quòd [a] superficies non est aliqua res secundùm profundum distincta à corpore, sed superficies est ipsum consideratum, tamen vt est mensurabile secundùm dimensiones duas tantùm; & tunc dicunt, qnòd locus est corpus locans secundùm partes propinquas corpori locato; & ideò dicunt, quòd locus est vltimus terminus corporis cootinentis, id est, vltima pars, quæ est versùs locatum. Ex quibus inferunt, qoòd eiusdem loci suot iofinita loca; quia eiusdem locati vltima tertia continentis est locus. Item vltima quarta, vltima centesima, & sic in infinitum. Secundò inferoot, quòd locus est maior corpore locato. Tertiò, quòd locus est mobilis per se, & ita de aliis proprietatibus, quæ sunt cootraria dictis Aristotelis.

Opinio realium. Alia opinio ponit, quòd superficies est res iodiuisibilis secundùm profundum, habens longitudinem, & latitudinem tantùm, & sic linea, & superficies sunt res distinctæ à corpore, & istam credo veriorem; quia magis concordat cum dictis Mathematicorum, & cum dictis Philosophi in 6. huius, text. 2. & deinceps, & ideò non est ponendum, quòd locus sit corpus, sed superficies corporis, & qualiter hoc sit, declarabitur in sequẽtibus.

5. *Diuisio quæstionis.* In quæstione primò videbitur, vnde aliquid dicatur moueri localiter; quia de hoc fit difficultas in arguendo. Secundò, videbitor vnde locus dicatur immobilis, & tertiò respondebitur ad quæsitum.

Moueri localiter vnde aliquid dicatur. Quantum ad primum notandum, quòd aliqui respondent per tres propositiones; quarum prima est, quòd aliquid ex hoc dicitur moueri localiter, quod mutat locum. Secunda est, posito quòd locus alicuius corporis simul moueatur cum illo corpore; tunc illud corpus non mutat locum: quia continuè manet in eodem loco. Ex quibus seqnitur tertia, quòd cœleste corpus non mouetur localiter. Et quando obiicitur, quòd omnes iudicant illud corpus moueri localiter. Respondeot, quòd hoc est secundùm opinionem famosam, quæ ponit, quòd locus sit spatium separatum: quia sic certum est, quòd corpus est in alio spatio, quàm priùs, tamen hoc non est verum secundùm opinionem veram de loco.

Contra istam opinionem arguitur; quia illod mobile, quod mouetur simul cum loco suo, plus distat ab aliquo quiescente, quàm priùs distabat, & non plus distat per motum illius quiescentis: quia iam ponitur ipsum quiescere; igitur plus distat per motũ illius mobilis, quod mouetur cum suo loco; igitur tale mobile mouetur non obstante, quòd non mutet superficiem in qua est. 6.

Ideò, quantom ad istum articulum dico, quòd ex hoc aliquid dicitur moueri localiter, quia aliter se habet, quàm priùs respectu alicuius quiescentis; & hoc secundùm se totum, vel secundùm partem; vel saltem quòd aliter se haberet respectu alicuius quiescentis; si aliquod quiescens esset. Et dico notabiliter *secundum partem:* quia cœlũ mouetur localiter, & tamen non se habet taliter secundùm totum ad aliquod quiescens, quàm priùs, sed secundùm partem tantum: quia aliqua pars cœli modò plus distat ab aliquo quiescẽte, quàm priùs. Verum est tamen, quòd si omne motum localiter haberet extra se locum quiescentem, tunc ex hoc posset dici, aliquid moueri localiter, quod mutaret lucum, & hoc de primo.

Quoad secundum, scilicet, quomodo locus sit immobilis, ponit Commentator duas conclusiones. Prima est, quòd locus est immobilis per se. Probatur, quia quælibet pars inexistens toti, aut inexistens mobili est immobilis per se. Secunda conclusio est, quòd locus est mobilis per accidens. Probatur, quia moto aliquo corpore per se, mouentur per accidens omnia illa, quæ sunt in illo; sed corpus continens est mobile per se; igitur locus, quæ est superficies, consequenter est mobilis per accidens. Contra istam responsionem arguitur: quia si immobilitas loci non intelligeretur aliter, seqoeretur quòd locus non esset alio modo immobilis, quàm materia, vel forma; consequens est falsum: quia Aristoteles arguit locum noo esse materiam ex eo, quòd locus est immobilis: modò ista consequentia non valeret, si locus & materia essent consimiliter immobiles. Consequentia probatur, quia tam locus, quàm materia est immobilis per se, & aliter non. Ideò contra primam causam primæ conclusionis: quia pars inexistens toti benè est mobilis per se; quod patet. Primò, quia vna pars maris mouetur, sine hoc quòd totum mare moueatur. Secundò, quia vnius virgæ vna pars flectitur sine hoc, quòd reliqua moueatur, & hoc est verum de corporibus, quæ non sunt dura, & compacta in tantum, quòd vna pars non potest flecti, aut moueri aliâ non motâ. 7. *Locus quomodo sit immobilis secundum Commentatorem.* *Opinio Commentatoris reiicitur.*

Ideò istis dimissis, dico quòd altero duorum modorum locus potest dici immobilis. Primus [b] modus est, quòd locus est immobilis, id est, non est de necessitate mobilis ad motum locati; & in hoc differt immobilitas loci ab immobilitate materiæ: quia ad motum locati necesse est materiam, & omnia, quæ sunt in locato, moueri. Alius modus est, pro quo notandum, quòd iste terminus 8. *Locus quomodo immobilis secundum Scotum.*

locus, ſupponit pro ſuperficie, connotando continentiam locati, & cum hoc connotat ſitum, & ordinem locati reſpectu vniuerſi, ſcilicet in comparatione ad cœlum, & corpora quieſcentia mundi. Ex quo patet, quòd aliquis locus poteſt dici idem dupliciter; vno modo ſimpliciter; alio modo ſecundùm æquiualentiam. Ille locus dicitur idem ſimpliciter, qui priùs fuit, quæ eſt eadem ſuperficies, & cum hoc in eodem ſitu reſpectu vniuerſi, in quo priùs fuit, ita vt tantum diſtet à lateribus cœli, & à corporibus quieſcentibus mundi, quantum priùs. Sed ille locus dicitur idem ſecundùm æquiualentiam, quia priùs fuit, qui eſt in eodem ſitu reſpectu vniuerſi, licèt ſuperficies varietur: verbi gratiâ, arbor fixa in campis eſt in eodem loco ſecundùm æquiualentiam, in quo priùs fuit, licèt ſit in alia ſuperficie, propter hoc, quia ipſius arboris ad latera cœli, & ad corpora quieſcentia mundi eſt tanta diſtantia, quanta erat priùs. Et quòd huiuſmodi ordo, vel ſitus locati reſpectu aliorum corporum mundi connotetur per hoc nomen *locus*, patet ex hoc quòd huiuſmodi ordo, vel ſitus locati, vel loci ſignificatur, & denotatur per aduerbia & ſyncategoremata deſignantia locum, vt *hic*, vel *ibi*, quemadmodum dicimus, quòd Ioannes eſt in eodem loco, in quo priùs fuit, vel Ioannes eſt vbi priùs fuit; dato quòd non ſit in eadem ſuperficie, ſed propter hoc ſolùm, quòd eodem modo ſe habet ad quieſcentia, quæ circumſtant, ſicut priùs.

Locus biſariam dicitur idem.

9. Ex iſtis poteſt inferri probabiliter, quòd ſicut idem corpus eſt alia, & alia proportio, ſecundùm quòd refertur ad alia, & alia corpora, ita eadem ſuperficies poteſt dici aliter, & aliter locus ſecundùm quòd eſt in alio, & alio ſitu reſpectu vniuerſi. Iſtis præmiſſis dico, quòd locus eſt mobilis ᶜ ſimpliciter: quia mouetur ad motum continentis, cuius eſt ſuperficies; ſed tamen eſt immobilis ſecundùm æquiualentiam, quia dato quòd in eodem ſitu ſuccedant ſuperficies diuerſorum corporum circa aliquod corpus, propter hoc non mouetur locus eius; ſed ſemper manet idem locus æquiualenter. Patet igitur qualiter locus dicitur immobilis: quia vel æquiualenter ſemper eſt in eodem ſitu idem locus, non obſtante motu corporum, quæ ſuccedunt in illo ſitu; vel dicitur immobilis ex eo quòd non eſt de neceſſitate mobilis ad motum locati. Et hoc de ſecundo.

Locus eſt ſimpliciter mobilis, & immobilis per æquiualentiam.

10. Quo ad tertium, notandum eſt quòd iſti duo termini *ſuperficies*, & *locus* ſe habent ſicut ſubiectum & paſſio: quia vltra ſignificationem huius termini *ſuperficies* iſte terminus *locus* connotat continentiam locati. Secundò notandum eſt, ſicut apparet 7 text. 17. Metaph. & 1 huius, text. 14. quòd in definitione propriæ paſſionis debet poni ſuum ſubiectum loco Generis vna cum differentiis ſubiecti explicantibus connotationes, & ſignificationes, quas propria paſſio addit vltra ſignificationem ſui ſubiecti. Tertiò notandum, quæ ſunt illa, quæ iſte terminus *locus* connotat, vltra ſignificationem huius termini *ſuperficies*, & dico primò, quòd connotat continentiam locati. Secundò connotat ſeparationem à locato, quia locus debet eſſe ſuperficies continentis diuiſa à locato, & immediata locato. Tertiò, connotat immobilitatem, & propter hoc additur iſta particula *immobilis primum*, id eſt, non de neceſſitate mobilis ad modum locati. Ex quibus ſequitur, quòd iſta eſt definitio completa loci, *Locus eſt ſuperficies corporis continentis diuiſi à locato, & immediata ſibi immobilis a locato*: & forte debet remoueri hæc particula *primum*, quia per eam denotatur idem, quod per hanc particulam *immediata*.

Nunc ponuntur concluſiones. Prima concluſio, locus eſt ſuperficies. Probatur, quia locus eſt, ex prima quæſtione, vel igitur eſt materia, vel forma, vel ſpatium ſeparatum, vel corpus, vel ſuperficies continentis; ſed non eſt aliquod prædictorum, vt probatum eſt; ergo, &c.

Locus eſt ſuperficies.

Secunda concluſio, locus eſt immobilis. Probatur ratione Commentatoris, quia niſi ita eſſet, ſequeretur quòd corpora naturalia fruſtra mouerentur ad ſua loca; conſequens eſt falſum, vt patet 2. huius: quia natura nihil facit fruſtra. Conſequentia probatur: quia ſi ad motum locati de neceſſitate moueretur locus, vel hoc eſſet recedendo à locato, vel appropinquando ad locatum: non primo modo, quia tunc locatum nunquam poſſet attingere; & per conſequens non moueretur. Nec ſecundo modo: quia fruſtra moueretur ad locum, cùm locus debeat moueri ad ipſum. 11.

Locus eſt immobilis.

Tertia concluſio. Prædicta definitio loci eſt bona definitio *quid nominis*. Probatur, quia illa eſt bona definitio *quid nominis*, per quam ſignificatur explicitè, quidquid per definitum ſignificatur implicitè; ſed ſic eſt in prædicta definitione: nam ibi ponitur ſuperficies loco Generis: quia in definitione paſſionis loco Generis debet poni ſubiectum. Secundò, ponitur *continentis*, ad deſignandum continentiam locati. Tertiò, ponitur *diuiſi à locato*, ad differentiam ſuperficiei continuæ locato, per quam terminatur. Quartò, ponitur *immediata* ſine hac dictione *primum*, ad differentiam ſuperficiei conuexæ locantis, quæ non eſt locus proprius illius, quod locatur. Et vltimò ponitur *immobilis* ad deſignandum, quòd locus non de neceſſitate mouetur ad motum locati.

Definitio loci eſt bona.

Nunc ad rationes. Ad primam, conceditur maior, & negatur minor: quia in eadem ſuperficie, ſiue in eodem loco ſecundùm æquiualentiam ſuccedunt ſibi inuicem diuerſa corpora. 12.

Ad ſecundam, negatur minor: quia locus, ſcilicet illa ſuperficies, habet virtutem conſeruatiuam locati virtute corporis continentis, cuius ipſa eſt ſuperficies.

Ad tertiam, concedo conſequens, ſcilicet, quòd duæ ſuperficies diuerſorum corporum ſunt immediatæ, hoc tamen eſt impoſſibile in eodem corpore.

Ad quartam, negatur conſequentia: quia non debet propriè dici alius locus, niſi cum hoc mutetur ſitus reſpectu corporum quieſcentium mundi; & ideò licèt mutetur de vna ſuperficie in aliam, tamen ſemper eſt idem locus ſecundùm æquiualentiam.

Ad quintam, negatur conſequentia: quia ex hoc, quòd ſuperficies mouetur ſecum, non ſequitur quòd mutet locum: quia illa ſuperficies eſt alter ſitus ſecundùm æquiualentiam, quam priùs fuit propter hoc, quod eſt in alio ſitu.

Ad ſextam, reſpondetur ſicut ad quartam.

Ad ſeptimam, dico quòd ᶠ particulæ loci copulantur ad eundem terminum, ſcilicet ad lineam, ad quam copulantur partes ſuperficiei. Et quando Ariſtoteles dicit, quòd partes loci, &c. dico quòd ibi loquitur ſecundùm famoſitatem, ſicut dicit Commentator 7. Metaph. com. 8. quòd famoſum erat, quòd locus ſit ſpatium ſeparatum. 13.

Ad

Ad octauam, negator consequcotia. Ad probationem dico, quòd rerta est in vno loco composito ex duobus locis diuersis per aggregationem: quia vna pars eius est superficies aëris, & alia superficies aquæ.

Ad nonam dico, quòd sicut locus est immobilis, sic & superficies, quia omnino idem sunt: vnde non est necesse superficiem extrinsecam locato moueri ad motum locati. Item, si argueretur, diuersa loca sunt ad inuicem contraria; verbi gratia, locus sursum loco deorsum; sed omnis superficies est quantitas, & quantitati nihil est contrarium, vt patet io Prædicamentis. Et confirmatur: quia superficies siue ponatur sursum, siue deorsum, est eiusdem rationis: igitur si non contrariatur actu, quando est deorsum, nec etiam quando erit sursum; sed locus sursum contrariatur loco deorsum: igitur locus non est superficies. Ad ista dico, quòd loca [g] non sunt contraria, nisi ratione dispositionum, quæ sunt in illis lucis, & sic illæ quantitates sunt contrariæ.

ANNOTATIONES.

14. *Ocham.* [a] V*Na ponit, quòd superficies non est aliqua rei, &c.* Nota quòd Ocham, eiúsque sequaces negantes superficiem esse rem distinctam à corpore, dicunt corpus & superficiem esse terminos supponentes pro eodem, diuersis connotationibus: aiunt enim, quòd pars extremalis corporis est superficiea; de hac autem controuersia non est hîc disputandi locus. Conuincuntur verò falsitatis, quia hîc Aristoteles vehementer suadet locum esse superficiem realiter distinctam à corpore. Nam ex professo negat hîc textu 8. locum esse corpus; asserit verò locum esse terminum continentis; distinguit ergo inter corpus, & terminum continentis, & per consequens inter superficiem & corpus.

Opinio multiplex de immobilitate loci. [b] *Primus modus est, quod locus est immobilis,* &c. Nota, quòd circa loci immobilitatem tam antiqui, quàm moderni Philosophantes diuersas habuerunt opiniones. Quidam enim antiqui dixerunt, quòd licèt Aristoteles in libris Physicorum tractet de motu vniuersaliter, specialiter tamen tractat de motu primi mobilis, ostendendo eius per se passiones, vt quòd sit *vniformis, regularissimus, infinitus, communis*; & sic de aliis eius passionibus. Similiter de tempore, quod est quædam passio: quia est passio motus primi mobilis, & non aliorum motuum; nec curat determinare de tempore, vt est passio aliorum motuum. Ita consimiliter definit locum primi mobilis, non autem locum in vniuersali; cùm dicit, quòd locus est vltimum corporis continentis immobile primum: definit locum, prout est superficies corporis, id est, alterius cœli continentis: quoniam primum mobile habet aliud cœlum ipsum continens, & ambiens, & illius cœli ambientis superficies est omnino immobilis, sicut & illud cœlum est immobile; *primum*, id est, immediatè ipsum primum mobile continens. Illa ergo vltima superficies corporis omnino est immobilis, subiectiuè & obiectiuè; cùm illud cœlum sit omnino incorruptibile, & æternum. & iste est primus modus explicandi loci immobilitatem.

15. Alij verò dicunt, loca elementorum naturaliter esse distincta, ita quòd concauum vnius elementi est locus immobilis alterius elementi, ita vt vltra illud concauum nunquam naturaliter vlteriùs moueatur, nec etiam continens vltra superficiem contenti naturaliter possit moueri. Hinc est, quòd vltima elementorum naturaliter sunt immobilia. Explico hanc sententiam exemplo; Accipiamus centrum mundi, quod est vltimum inferius, & accipiamus vltimum superius, quod est concauum Lunæ; quatuor elementa, quæ continentur infra ista duo vltima, habent loca sua determinata, & omnino immobilia, & superius & inferius: & pono exemplum de igne elementari; & dico, quòd concauum orbis Lunæ sic est immobile, non quòd non moueatur circulariter, sed sic est immobile, quòd semper est permanens in eadem dispositione, id est, quòd non potest transferri, nec ad inferius, nec ad superius; & per consequens locus vltimæ superficiei ignis est immobilis; immò dato per impossibile, quòd totum corpus lunare annihilaretur, nunquam ignis ascenderet vltra locum, in quo nunc est: quia habet locum suum vltra quem ascendere non potest. Ideò superficies imaginata, ambiens vltimam superficiem ipsius sphæræ ignis, est locus eius immobilis in sursum, & deorsum: & quod dixi de igne, intelligendum est de omnibus elementis; & hæc videtur esse intentio Aristotelis & Commentatoris in quarto Physicorum textu comm. quadragesimi primi, & quadragesimi secundi. Nam distinguunt locum à vase per immobilitatem: quoniam vas secundùm eos est locus mobilis, & pars fluuij ambiens nauem, non est locus nauis, sed habet rationem vasis, ac totus fluuius dicitur locus.

Tertius dicendi modus antiquorum est, quòd speculatio de loco est duplex, vna Mathematica, & altera naturalis: consideratio de loco Mathematica est, quando Aristoteles definit locum dicens, locus est superficies corporis continentis, &c. Naturalis enim vt naturalis non considerat propriè rationem loci, sed rationem vasis. Omnis autem locus, qui habet rationem vasis, mobilis est. Vnde obseruandum est, quòd Mathematica consideratio de loco, est consideratio superficiei corporis continentis absque hoc, quòd consideretur corpus naturale, cuius est illa superficies. Vnde Mathematica considerat superficiem aëris ambientem, & continentem immediatè, non curando in quo corpore existat; sed præcisè illam considerat ab omni corpore naturali absolutam, atque ita est immobilis quia entia Mathematicalia sunt immobilia, quia abstrahunt à motu, & à materia sensibili; nec est in tali abstractione mendacium, quia considerant hæc præter hæc, non sine istis. Quare locus, vt de eo considerat Mathematicus, est omnino immobilis. Cæterùm secundùm naturalem considerationem mobilis est, & habet rationem vasis: quia loci naturalis consideratio, nimirum quatenus superficies est in corpore naturali hoc, vel illo, illa superficies est benè mobilis, & subiectiuè, & obiectiuè; sicut & corpus naturale cuius est. Et hæc opinio videtur esse Commentatoris *in hoc 4. comm.* 131. vbi dicit, quòd consideratio loci est magis Mathematica, quàm naturalis. 16. *Speculatio de loco est duplex.*

17. *Opinio neotericorum Philosophantium de immobilitate loci.* Moderni autem Philosophantes, aliâ viâ saluant loci immobilitatem. Quidam enim dicunt, quòd locus dicitur immobilis propter immobilitatem situs, quantumcumque enim

aër circonstans mntetnr, vel moueatur: quia tamen locatum eumdem situm semper retinet, dicitur babere locum immobilem; est enim situs omnino immobilis, quia non mutatur, nisi ad mutationem situati, & non ad mutationem continentis, cùm sit in ipso situato subiectiuè, & non in ipso continense; atque adeò mutatnr, & mouetur ad motionem, & mutationem contenti, siue situati, & continentis. Scd hæc positio stare non potest: quia ant per situm intelligit aliquid extra animam, aut aliquid existens in anima obiectiuè. Si secundum; patet quòd non est ad propositum. Si primum, aut situs dicit aliquod relatiuum, vel aliquod absolutum. Si dicit aliquod relatiuum, cuius fundamentum sit situatum, & terminus sit continens, sequitur necessariò, quòd ad variationem continentis variatur situs, quia ad variationem termini variatur respectus. Si verò situs dicat aliquod reale absolutum, & hoc de genere Quantitatis, sequitur quòd situs erit mobilis, quia omnis quantitas continua videtur esse mobilis.

18. Ideò alij dicunt, quòd locus est immobilis per respectum ad primam Intelligentiam, quæ est omnino immobilis; dicunt autem sic loquentes, quòd locatum babet alium, & alium respectum ad primam Intelligentiam, nunc in Oriente, Meridie, & Occidente: talis autem respectus ad primam Intelligentiam, licèt sit corruptibilis obiectiuè, non est tamen mutabilis subiectiuè. Sed nec ista positio stare potest. Tum quia dubium supponit, quòd varietur respectus præsentiæ ad primam Intelligentiam secundùm variationem locorum, cùm prima Intelligentia sit omnibus in quocunque loco existentibus æqualiter indistans, seu præsens. Vnde aliquis existens in Occidente est tam præsens primæ Intelligentiæ, sicut si esset in Meridie, vel in Oriente in quacumque parte vniuersi: tum etiam, quia tantùm assignat immobilitatem loci formaliter accepti, nibil autem dicit de immobilitate loci fundamentaliter.

Est etiam quidam alius dicendi modus, quòd locus est immobilis per respectum ad centrum, quod est omnino immobile: sed neque hîc modus dicendi saluat loci immobilitatem: quoniam locus, qui dicitur immobilis, est ipsa superficies continens, vt patet ex ratione loci. Centrum autem mundi nihil continet, sed ab alio continetur, cùm sit indiuisibile.

19. *Opinio Thomistarum de immobilitate loci.* Thomistæ alium dicendi modum imaginati sunt, qui in duobus consistit. Primum est, quòd ratio immobilitatis loci consistit in respectu, vel in ordine locati, quem habet ad totum corpus sphæricum cœli, & ad fixionem polorum, & centri. Secundum est, quòd ad vnitatem numeralem loci sufficit, quòd ex parte locatorum seruetur idem ordo in specie ad totum cœlum; ex parte autem cœli potest seruari idem ordo secundùm numerum. Primum declarant ex comparatione, quam facit Philosophus in *hoc quarto, textu quadragesimo primo*, vbi dicit. Quapropter cùm in eo quod mouetur, quippiam moueatur, mouetúrque id, quod intus est, vt in flumine nauis, vt vase magis quàm loco vtitur continente; vult autem immobilis esse locus. Quocirca totus magis fluuius locus est: quia immobilis totus est. Quibus verbis intendit Philosophus quòd in flumine duo videmus. Primum, quòd quælibet pars fluuij decurrit, eo quòd nulla pars aquæ signatæ permanet. Secundum, quòd totus fluuius in quantum seruat eundem situm permanet immobilis. Ex bis duobus sequitur, quòd si nauis ligetur in flumine per anchoram, vel ad lignum, & comparetur ad partes aquæ, quæ subterfluunt, dicitur esse in alio, & alio loco materialiter; sicut in alio, & alio vase. Si autem comparetur ad totum fluuium, dicitur esse semper in eodem loco: quia licèt semper alia, & alia aqua subterfluat, tamen nauis semper retinet eumdem ordinem ad totum fluuium; & vt sic locus nauis habet immobilitatem, scilicet per ordinem ad totum fluuium.

Et quod dictum est de naui locata in flumine, 20.
applicant ad res locatas in vniuerso. Nam licèt quælibet pars vniuersi sit mobilis, totum tamen vniuersum non mutat locum subiecto: atque adeò locus sursum dicitur immobilis: quia concauum orbis Lunæ semper est in eadem distantia ad centrum. Similiter locus deorsum est immobilis: quia semper stat eadem distantia centri ad concauum Lunæ. Vnde si locus sursum, & deorsum deberent mutari, oportet totum vniuersum transferri: veluti si locus nauis ligatæ in flumine mutari deberet, oportet totum fluuium transferri. Et addunt, quòd non solùm locus sortitur immobilitatem ex ordine ad vniuersum, quod non mutatur secundùm substantiam, sed etiam ex fixione polorum, & centri: nam semper locatum est in eadem distantia non solùm ad centrum, sed etiam ad polos.

Secundum autem, scilicet de vnitate loci, in hunc modum declarant. Nam sicut Padus dicitur continuè manere idem flumen propter eundem ordinem secundùm speciem ad vnicum fontem principium ipsius; non quòd aqua, quæ est hodie in hac parte, sit illa, quæ fuit heri; nec ordo, qui est bodie huius aquæ, sit ille ordo idem numero, quem aqua prior habuit ad eundem fontem; sed est consimilis in specie ad eundem terminum numero, scilicet ad eundem fontem numero. Ita in proposito ad vnitatem numeralem loci sufficit, quòd seruetur idem ordo distantiæ secundùm speciem in omnibus superficiebus aëris, & aquæ circundantis locatum ad primum continens, quod manet idem numero, & quod non mutatur secundùm subiectum. Et licèt ordo superficierum aëris successiuè locantium (vt puta turrim) ad primum continens sit tantum vnus specie, & alius, & alius numero per variationem subiecti, & fundamenti; tamen ordo primi continentis ad huiusmodi superficies manet idem numero, & non tantùm idem specie.

c *Locus est mobilis simpliciter: quia mouetur ad motum continentis, &c.* Nota, quòd immobilitas 21. *Opinio Thomistarum refellitur.*
loci non prouenit, eo quòd locus distet à polis mundi, & à centro terræ, vt dicebant Thomistæ: quia nihil dicitur simpliciter immobile respectu alicuius mobilis, & variabilis; sed respectus distantiæ est variabilis; ergo locus respectu illius non est immobilis, & inuariabilis. Probatur minor: quia variato subiecto, variatur quodcumque accidens ipsius, siue absolutum, siue respectiuum; sed possibile est, immò de facto contingit, quòd varietur localiter subiectum continens locatum; ergo & respectus in illo fundatus. Nam detur, verbi gratiâ, quòd manus mea sit in aëre actu faciens distare latera ipsius aëris;

tunc

[illegible] m ad [illegible] [illegible] ariat; [illegible] manus [illegible] m [illegible] aer non est [illegible] superficies manet [illegible] sic distantia, aut si [illegible] m est corpus [illegible] & ibidem [illegible] [illegible] bi ecto eodem [illegible] accidens manet [illegible] numero [illegible] [illegible] Non [illegible] suffi[illegible] [illegible] quia [illegible] istæ [illegible] quamuis superficies [illegible] est [illegible] nen[illegible] [illegible] tamen [illegible] est [illegible] [illegible] quod est [illegible] hæc numero superfi[illegible] [illegible] tur, alia [illegible] succedit, quæ est i[illegible] [illegible] &c. Et sic non [illegible] variatur [illegible] [illegible] [illegible] variat [illegible] quod [illegible] ex primo [illegible] locus [illegible] [illegible] neque [illegible] Scotus [illegible] *secundo* [illegible] *secunda, quæ* [illegible] *ta*, sufficit di[illegible] [illegible] a cont[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] a parti[illegible] [illegible] respectu [illegible] [illegible] est, [illegible] continent[illegible] superficies [illegible] quæ etiam variatur, [illegible] & [illegible] [illegible] partis vniuersi, qu[illegible] [illegible] respectu [illegible] par[illegible] quæ [illegible] di[illegible]s. Probatur à [illegible] sint in a[illegible] [illegible] par[illegible] [illegible] per vnam partem [illegible] præcise, & postea per aliam præcisè, non est idem [illegible] numero, verbi gratia, si modò mihi contingit esse claudum per dexterum pedem, & postea sanum contingat esse claudum per sinistrum præcisè, non est eadem numero claudicatio, quamuis per partes ei[illegible] dem totius hoc mihi adueniat. Sin[illegible] [illegible] si distare modò à centro, & à polis mundi per decem dietas contingat mihi per hanc superficiem, quæ modò me circumscribit, & ea[illegible] distantia contingat per aliam, quæ superficies sunt partes vniuersi, tamen alia quidem, & alia distantia est, & immobilitas respectu vniuersi, siquidem alia, & alia respectu partis vniuersi, scilicet alterius, & alterius superficiei. non ergo sumenda est huiusmodi immobilitas loci penes talem distantiam, si quidem est multiplex, & simpliciter mobilis; quia subiectum est multiplex, & simpliciter mobile.

22 *Optime Scoti de* [illegible] *tate* [illegible]

d *Sed tamen est immobilis, secundum æquivalentiam.* Nota, quòd Scotus in 2. vbi supra dicit, quòd locus habet immobilitatem oppositam omnino motui locali, & incorruptibilitatem secundùm æquiualentiam, per comparationem ad motum localem. Primum probatur: quia si locus, qui dicatur *A*, moueretur localiter, recederet ab vno loco, & accederet ad alium: ergo si *A* recedit à loco, erat in loco; & tunc quæro de illo loco, à quo recedit locus *A*, moueatúrne, an non localiter, si non: ergo neque *A*, scilicet, primus locus mouetur localiter: quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Si sic: ergo erat in loco & tunc de alio loco, & sic in infinitum. Ne ergo detur huiusmodi processus in infinitum in [illegible] *ti per* [illegible] *om.* [illegible] [illegible] loci, dicendum est, quod locus non mouetur localiter, & casus [illegible] formari possit de loco ad quem accederet locus *A*, si moueretur localiter. Secundò probatur, quod [illegible] per accidens possit locus moueri, quia tunc similiter esset in infinitum processus, sicut prius. Probatur sequela, quia si locus mouetur per accidens, per accidens est in loco sicut moti nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis: & sicut [illegible] moue[illegible] mouetur etiam per accidens superficies mea, & [illegible] mea, & similitudo mea. sicut ergo ego sum per [illegible] alio, & alio loco [illegible] etiam accidentia mea sunt per accidens in alio, & alio loco. Similiter dicendum est de loco, quod si mouetur per accidens, est per accidens in alio, & alio loco; aliàs non moueretur localiter, [illegible] de illo alio, & alio loco, quod si moueretur per accidens, daretur processus in infinitum. Probatur tertiò esse [illegible] locum moueri per accidens; inde enim sequeretur, quod fixum moueretur, id est, [illegible] quem oportet esse fixum, moueretur; in quantum enim locus locat, quiescit: quia locus non mouetur ad locabile, sed potiùs locabile mouetur ad locum acquirendo aliam, & aliam superficiem loci.

Secundum probatur, scilicet incorruptibilitas loci, licet enim corrumpatur locus moto eius subiecto [illegible] localiter, ita vt moto aëre localiter nō manet in eodem ratio loci, quæ priùs, sicut probatum est, neque eadem ratio loci potest manere in aqua succedente: quia idem accidens numero non potest manere in duobus subiectis: tamen illa ratio loci succedens, quæ est alia a ratione præcedenti secundùm varietatem, est eadem præcedenti per æquiualentiam quantum ad motum localem: nam ita incompossibile est motum localem esse ab hoc loco in hunc locum, sicut si esset omnino idem numero locus: nullus autem idem motus localis potest esse ab vno *vbi*, ad aliud *vbi*, quæ duo *vbi* non correspondeant duobus locis differentibus specie propter spatium interceptum: quia talia loca habent alium respectum non tantùm numero; sed etiam specie ad totum vniuersum; loca autem specie distincta à respectu vniuersi sunt, *sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, ante, & retro*, quæ sunt species loci positæ ab Aristotele in hoc quarto, & huiusmodi loca sic specie differentia sunt diuersæ superficies, quæ differunt specie, non quia superficies; quia vt sic, sunt eiusdem speciei, sed quia superficies, in quibus sunt respectus innuentes diuersam differentiam constitutiuam diuersi loci: & ex hoc illi respectus, qui sunt tantùm numero alij, videntur vnus numero: quia ita sunt indistincti respectu motus localis, sicut si tantùm esset vnus respectu numero, sicut, verbi gratia, hæc vox *homo*, quotiescunque prolata dicitur vna vox numero, & distingui numero ab hac voce *lapis*, & tamen impossibile est, eandem vocem numero bis proferri, quot enim sint prolationes, tot sunt voces numero distinctæ, atque ita hæc vox *homo*, & hæc, *lapis*, non tantùm numero, sed etiam specie distinguuntur; tamen quia respectu conceptus significari per hanc vocem *homo*, semel prolatam æquiualet huic voci *homo*, iterum prolatæ per æquiualentiam respectu significati, dicuntur esse vna vox numero *homo*, & *homo*, *lapis*, & *lapis* bis, & millies prolatæ. Sic in proposito locus dicitur [illegible]

23

per se, & per accidens localiter, & est corruptibilis moto subiecto localiter: quia tunc non manet amplius eo illa relatio, est tamen incorruptibilis secundum æquiualentiam: quia necessariò succedit illi corpori, in quo fuit ista ratio loci aliud corpus, in quo est alia ratio loci numero à præcedenti, eadem tamen præcedenti secundùm æquiualentiam per comparationem ad motum localem.

14. * *Locus est superficies.* Nota, quòd in explicatione huius conclusionis (in qua grauissimi Theologi, & Philosophi conueniunt) maximè dissentiunt philosophantes, ita vt non solum Sancti Thomæ Scholæ Scoticæ aduersetur, sed etiam inter se & ipsi Thomistæ, & Scotistæ non consentiant. Ideò vt exactè hæc conclusio explicetur, definitionem loci traditam ab Aristotele, quomodo Thomistæ, & alij exponant, indicabo, deinde quæ sit germana Doctoris Subtilis intentio circa loci quiditatem, aperiam.

Definitio loci explicatur.

Quo ad primum, Sotus, quæstione prima huius libri, definitionem loci sic declarat, prænotando quid inuenire sit in loco: est siquidem superficies corporis, est & duplex respectus, quorum alter est loci ad locatum, vt continentis ad contentum; alter verò distantiæ à centro, & à polis mundi; est etiam qualitas conseruatiua locati. Huiusmodi autem qualitas inuenitur in loco, secundùm quòd locus accipitur pro locu naturali conseruatiuo locati, de quo postea dicturi sumus: modò solùm de loco præcipuo, qui vt sic dicit superficiem, & illos respectus, ponit hanc conclusionem: Locus dicit superficiem corporis continentis, & duplicem respectum; supponit tamen pro superficie de genere Quantitatis, & connotat duplicem relationem, quarum altera est relatio continentiæ loci ad locatum; altera distantiæ loci à centro, & à polis mundi. Probat primam partem conclusionis ex Aristotele ponente locum in genere Quantitatis: ergo aliqua species Quantitatis est locus, at esse non potest trina dimensio, nec vna tantùm sufficit, ergo est superficies. Secundò probatur; locus est æqualis locato; sed ex his, quæ dicit locus, sola superficies est æqualis locato, & non aliqua relatio: ergo locus est superficies. Secundam partem sic probat; sicut se habet genus ad sua significata, sic locus ad sua, sed genus licèt dicat naturam, & secundam intentionem, supponit pro natura connotando secundam intentionem: ergo locus supponit pro superficie, connotando illas duas relationes. Confirmatur ex Aristotelis definitione, vbi dicit, Locus est superficies corporis continentis immobilis, denotans in verbo *continentis* relationem continentiæ: non enim quæcumque superficies, sed quæ est vltima corporis continentis versùs locatum, est locus: ergo talem superficiem concomitatur respectus continentiæ loci ad locatum, vt locus sit superficies.

15. Ex hoc infert Sotus hanc relationem continentiæ, quam habet locus ad locatum, & quam dicit superficies, quæ est locus, illa connotando, esse passionem, effectúmque formalem loci. Secundò, infert definitionem loci descriptiuam esse, quia per passionem datur, scilicet per hanc relationem. Tertiò, infert locum esse ens [illegible] secundùm *esse*, & relatiuum secundùm [illegible]

[illegible] con[illegible] relat[illegible] d[illegible]otat [illegible]

verbo *immobilis* per hoc enim [illegible] Aristoteles respectum distantiæ ad centrum, & ad polos mundi.

Toletus fer[illegible] idem dicit, [illegible] Locus, inquit, formaliter est superficies, [illegible] quælibet, sed habentis relationem ad locatum, scilicet corporis continentis [illegible], quod [illegible] habet relationem ad locatum, [illegible] ipsum [illegible] & continet: essentia igitur loci est [illegible] esse, quia est quantitas, [illegible] superficies est genus proximum [illegible]: differentia [illegible] subiectum eius, scilicet corpus continens. Modus iste definiendi probatissimus est, & [illegible] pluries repetitur, & ab Aristotele [illegible] Accidentia enim definiuntur per [illegible], quod est differentia contrahens genus [illegible] tas nasi facit simitatem. Sim[illegible] superficies corporis continentis facit locum, & [illegible] illæ continentiæ, & distantiæ, sunt immobilis [illegible], non inuenitur, inquit, in entitate loci [illegible] prim. scilicet continentiæ in corpore est [illegible] bitiene, quod vt sic est eius differentia [illegible]. Per aliam autem, quam dicit *immobilis*, denotatur modus sic se habendi immobilis, quòd superficies sic [illegible] habeat, quòd [illegible] modum sic se habeat non habeat. Dicitur [illegible] tamen locus immobilis: quia quamuis superficies mutentur, & corpora continentia, simul [illegible] cum illis relationes continentiæ, & distantiæ in indiuiduo, quia mutatis subiectis mutantur & accidentia; tamen manent in specie, quia omnes relationes sunt ad eundem terminum distantiæ, & sufficit ad vnitatem loci numeralem, quòd relationes distantiæ sint eiusdem speciei, & ad eundem terminum.

Scotus in secundo, distinctione secunda, quæstione quinta, & in Quodlibeto, quæstione vndecima, eandem sequitur opinionem, diuerso tamen modo explicatam, cuius doctrinam tam à Thomistis illam referentibus, & refutantibus, quàm à quibusdam Scotistis illam sequentibus, ita explanatur: Locus est superficies corporis continentis immobilis, qui supponit materialiter pro superficie, & formaliter pro relatione distantiæ, & continentiæ. Locum autem supponere pro superficie ex ipsa Aristotelis definitione eliciunt: nam dicit, quòd locus est superficies, &c. Tum quia ea, quæ ponuntur in aliqua definitione, vel sunt æquè essentialia, vel æquè accidentalia; at superficies, & relatio distantiæ, & continentiæ ponuntur in hac definitione, ergo sunt æquè essentialia loco; & per consequens locus supponit formaliter pro illis respectibus. Et confirmatur, quia illud est de essentia alicuius, quo variato variatur eius essentia, & quo non variato essentia non variatur; sed variata relatione distantiæ, & manente eadem superficie, variatur locus: & non variata relatione variatis superficiebus non variatur locus; ergo illa duplex relatio est formaliter locus. 26. Tertiò probatur à Toleto: locus est superficies cum tali duplici relatione, sed superficies contrahitur per talem relationem, vt sit locus: ergo locus formaliter est relatio. Probatur consequentia, quia constituens, & determinans habet formæ locum.

Hæc expositio [illegible] est [illegible] doctrinæ Scoti [illegible] S[illegible]

[illegible]

[illegible] eſt, habet poſt [illegible] quant[illegible] eſt, ordin[illegible] [illegible] ta vt [illegible] habeat ad illum [illegible] s, vel ſuperiori. Rom[illegible] ſecun [illegible] em corporeita [illegible] le corpus lo- [illegible] quo [illegible] o, quæ loc[illegible] tas & [illegible] eſt ei[illegible] paſſio, quod quidem [illegible] aliter moueri, tranſit ab vno [illegible] termini etiam *a quo*, & *ad quem*, [illegible] loc[illegible] ſunt duo *vbi*.

[illegible] ſeruandum eſt, qu[illegible] c[illegible] [illegible] eſſe in loco; & h[illegible] eſt [illegible] perfi ie [illegible] ens [illegible] ad [illegible] m quæ [illegible] itur ſtat[illegible] [illegible] cus [illegible] quæ ſt ſi [illegible] m ſt re- latio or[illegible] m [illegible] locus [illegible] vel lo[illegible] [illegible] pa[illegible] [illegible] rum [illegible] c[illegible] tur [illegible], in [illegible] *vbi*.

28\. [illegible] b[illegible] nd[illegible] eſt, quòd in ſuperfici- [illegible] te, & [illegible] vel [illegible] te [illegible] s eſt [illegible] per[illegible] ies, [illegible] on[illegible] vn[illegible], quæ [illegible] ur *vbi* acti[illegible] m, ex h[illegible] q[illegible] net & [illegible] ndat locatum [illegible] x [illegible] locat[illegible] vl[illegible] rpu[illegible] locatum, [illegible] um [illegible] nen [illegible] nem [illegible] c[illegible] num: [illegible] [illegible] ctionum, & lo[illegible] uans [illegible] arum [illegible] ondens in loco [illegible], quæ [illegible] quòd p[illegible] es lo- c[illegible] habe[illegible] a, e[illegible] q[illegible] in [illegible] S[illegible] q[illegible] & circum[illegible] lo[illegible] ex quo [illegible] eſt *vbi* a[illegible] num, quæ eſt [illegible] tiæ, [illegible] quidem & ſitus actiuus, [illegible] licet à qua loco [illegible] etur ſi[illegible] loca- tum, hoc eſt, quòd part[illegible] ordinem habeant [illegible] locati, ſecundum quòd partes locati re- [illegible] nt pa[illegible] bus l[illegible] i. Inuenitur [illegible] tiam relatio [illegible] à qua locus eſt immobilis, cuius differentiæ ſunt ſurſum, & deorſum, quæ propor tionabiliter inueniuntur etiam in locato paſſiuè, ſicut in loco actiuè: ita vt locus locet immobi-liter ſurſum vel de[illegible] um, & locatum locetur ſurſum, vel deorſum.

29\. Ex his dico primo, qu[illegible] non eſt de [illegible] tione loci, quòd locus qui eſt [illegible] per[illegible] ies, ſit corporis continenti ſuperficies. Si enim ſeparata eſſet talis ſuperficies, ita vt non eſſet vltimum illius corporis, adhuc eſſet locus, & præciſè continens. Probatur concluſio. Locus circumſcribere debet locatum ſecundùm ſuperficiem indiuiſibilem in profundum, eo quòd cùm debeat æquari locato tantum ſecundùm latitudinem, & longitudinem, dimenſio profunditatis impertinens ſit ad locum, ergo non eſt de ratione loci, niſi quòd ſit ſuperficies continens, non autem quòd ſit corporis continentis.

[illegible] ſententia de quiditate loci explicatur.

Dico ſecundò, quòd locus non c[illegible] mponitur intrinſecè ex ſuperficie, & reſpectibus. Probatur concluſio: abſolutum & reſpectus nõ faciunt per ſe vnum conceptum: ſed locus eſt quid abſolu- [illegible] m: ergo non componitur ex ſup[illegible] ficie, quæ eſt quid abſ[illegible] lutum, & reſpectibus. Conſequentia eſt l[illegible] gitima, & minor eſt euidens: & maior eſt Scoti Quodlibeto vndecimo, improbantis, quòd *vbi* per ſe importet [illegible] ſolutu[illegible] re[illegible] ectum: abſolutum et [illegible] n[illegible] q[illegible], & [illegible] vnum per ſe concep[illegible] eſt con- c[illegible] tus per ſe vnu[illegible], neque ab[illegible] trahit reſpectum, neque è contra. H[illegible] ap- paret, [illegible] m[illegible] [illegible] lectu[illegible] S[illegible] tum, quan[illegible] o [illegible] format [illegible], [illegible] ùd reſpectus con[illegible] ſu[illegible] m[illegible] tionem loci locus e[illegible] eſt v[illegible] [illegible] abſoluto autem & reſpectiuo [illegible] per ſe, ſed vnum duntaxat p[illegible] r[illegible] dens.

Toletus malè intellexit Scotum.

D[illegible], quòd locus eſt form[illegible] [illegible] eſt, [illegible] ſuperficie[illegible] [illegible] per [illegible]. In h[illegible] c co[illegible] o di- cer[illegible] loci eſt [illegible], differentia au- tem c[illegible] ahens Genu[illegible] na contrahit ſuperficiem, vt in [illegible] ntur tales relationes ſupradictæ, & [illegible] talis [illegible], & ex tali differentia [illegible] a, niſi per h[illegible] relationes, hæc ſpecies, ſcilicet, locus. Hæc [illegible] ſio habet [illegible] Ariſtotelis doctri- na, doc[illegible] d[illegible] paſſiones magis rei naturam indicantes: quia fere nulla differentiã nobis cognita [illegible] eſt Inſuper & in hoc quatto libro aſſe[illegible] Ariſt[illegible] s loci naturam per eius proprietates indaga[illegible] dam eſſe. Quòd autem locus natura[illegible] harum relationum in ſua quiditate includat, probatur, & primò de reſpectu continentiæ. Nam Ariſtoteles in hoc libro aſſerit, quòd idem locus manet ſuccedentibus ſibi inuicem corporibus, ergo relatio continentiæ, quam hic locus ad hoc corpus contentum habebat, non erat de ratione loci. Probatur conſequentia, quia relatio perit perempto eius termino: ergo ablato locatò à loco aufertur relatio loci continentiæ ad locatum & adhuc non perit locus, ſi eadem maneat ſuperficies; ergo io ratione loci non erit talis relatio. 30.

Confirmatur ratione Scoti Quodlibeto v[illegible] decimo ſic dicentis: Variato cont[illegible] nto, variatur relatio ipſi correſpondens, ſcilicet in loco, & ita eſt al[illegible] d, & aliud continere reſpectu alterius, & alterius contenti, ſed non variatur c[illegible] tinens in relatum: quia idem eſt continens, atque ita id[illegible] locus, ergo locus præciſe eſt continens abſque relatione: & ponit exemplum. Corpus habens albedinem ſi ſecundùm eam eſt ſimile mul[illegible], multas habent ſimilitudines: quia ſimi[illegible] numeratur, termino numerato, ſed tamen ipſum non eſt multa ſimilia, ſed vnum ſimile; ſicut habens multas ſcientias eſt vnum ſciens: quia concretum non numeratur ad ſolam formæ numerationem, ſed oportet, quòd cum hoc ſit n[illegible] meratio ſuppoſiti habentis formam; ergo ſimiliter quando in ea[illegible] m ſuperficie ſuccedunt multa cor[illegible] circumſcribenda, variatur relatio continentiæ, & tamen manet idem locus, ergo locus qui[illegible] liud eſt à relatione. 31.

Secundò probatur. Corpus per diuinam [illegible] o tentiam p[illegible] ſt eſſe io loco definitiuè ſine *vbi* p[illegible] ſiuo c[illegible] um[illegible] riptiuo: ergo locus lo[illegible] ans corpus definitiuè ſine *vbi* acti[illegible] o circ[illegible] tiuo. Antecedens probatur, ſic ſe habent corpus [illegible] l[illegible] us ad *vbi*, ſicut ſe habent acti[illegible] um, & paſſi[illegible] um ad actionem, & paſſionem: ſed Deus poteſt fac[illegible] e quòd manente actiuo, & paſſiu[illegible], non ſit inter [illegible] a actio, & paſſio; ergo etiam poteſt facere, qu[illegible] d manentibus corpor[illegible], & loco non ſit inter [illegible] a relatio *vbi*. Maior probatur: quia ita vide[illegible] h[illegible] tend[illegible] med[illegible] a inter l[illegible] um, & c[illegible] rp[illegible] s, ſicut [illegible] paſſio inter agens, & patiens. Minor [illegible] ſt de[illegible] 32.

Danielis tertio, vbi dicitur ignem non combussisse tres pueros missos in furnace in [illegible] sicut manente actiuo, & passiuo, non fuit actio & passio, ita etiam manente loco, & locato, non erit *vbi* actiuum, neque *vbi* passiuum.

Tertiò probatur, non est contradictio absolutum numero absque respectu [illegible] sibi adueniente [illegible] tam *vbi* passiuum [illegible] corporis locati, quàm *vbi* [illegible] superficiei locantis sunt [illegible] aduenientes; ergo nulla est implicatio manere sine talibus respectibus. Consequentia est bona, & minor certissima in doctrina Scoti. Maior autem probatur, natura talium relationum est, vt posito fundamento, & termino adhuc non nec [illegible] ponantur; vt probat ipse Scotus *quodlib.* 11. sed tunc vltra implicatio est manere sine pertinentibus ad eius essentiam; ergo respectu *vbi* non est de essentia loci.

33. Quartò probatur verbis Scoti, sic dicentis: Non apparet contradictio superficiem concauam esse sine respectu ad aliud corpus, vt continentis; sicut enim argutum est de locatione passiua, sic potest argui de locatione actiua.

Quintò probatur ex eodem sic dicente: Potest Deus conseruare idem locabile & eundem locum, & tamen non manebit eadem [illegible] ptio: quia corpus est [illegible] ab illo loco, & hoc etiam potest natura facere ponendo aliud corpus [illegible] illo loco: non [illegible] ista extrema locati, & locabile necessariò consequitur ipsum *vbi*: tunc vltra, eadem est ratio de *vbi* actiuo, quæ de passiuo; ergo sicut datur corpus locabile sine *vbi* passiuo, dabilis est etiam sine loco, vel actiuo, ergo *vbi* actiuum est extra rationem loci: *vbi* autem actiuum nihil aliud est, quàm respectus, siue relatio fundata in vltima superficie continentis circumscriptiuè & terminata ad corpus contentum, siue circumscriptum; ergo talis respectus non est de eius ratione.

Probatur etiam hoc ipsum de relatione immobilitatis. Locus est incorruptibilis per æquiualentiam; ergo relatio immobilitatis non est de eius definitione. Probatur consequentia, incorruptibilitas per æquiualentiam nihil aliud est, nisi quòd nequeat locabile per motum localem acquirere illud aliud *vbi*, sicut neque existens in primo *vbi* moueri ad ipsummet *vbi*, quod habet, & quòd in eodem instanti, quo corpus, verbi gratia, *A*, recedit ab aëre, subintret aliud corpus [illegible] latera continentis distare eadem specie distinctè cum præcedente, quo præcedens locus distabat, hoc autem non est nisi habere similem respectum continenti ad idem corpus locatum, & per consequens illam succedentem superficiem [illegible] in esse præcedenti, vel potius proportionari ad illam, eo quòd [illegible] ut se habet vna ad locatum, [illegible] immobilitas minùs est de ratione loci. Probatur consequentia: quia vnam rem habere proportionem ad aliam, est supponere ipsam rem iam in suo esse constitutam, & referri ad aliam, ergo iste locus numero in eodem instanti succedens alteri loco numero, qui ad ipsum habet proportionem, est priùs in suo esse constitutus, & per consequens immobilitas non est de [illegible].

14 Ex his definitionibus loci traditæ ab Aristotele [illegible] rer [illegible] bat [illegible] etiam [illegible] um & sim [illegible] mala Scoti inte [illegible] m Scotum tenuisse locum

componi ex absoluto, & [illegible], & hæc quæ [illegible] imus concordanda sunt, quæ [illegible] n hac quæstione.

Particulæ loci copulantur ad eundem terminum, &c. Nota, in quantitatibus continuis [illegible] esse genera partium, quædam sunt integrales, siue materiales: quædam verò sunt formales. Materiales sunt, quæ copulantur terminis communibus, vt duo palmi in linea, vel quatuor pedes in ligno, & hæ partes sunt eiusdem naturæ cum [illegible] toto; quæuis enim pars est quantitas. Partes verò formales sunt ipsi termini, quibus copulantur partes materiales. Et vocantur formales, quia vniunt quantitatem: & huiusmodi partes sunt indiuisibiles diuisione, quà est diuisibile illud, quod copulant, vt punctum, quod copulat partes lineæ, est omnino indiuisibile, [illegible] verò est indiuisibilis secundùm latitudinem: & [illegible] copulat partes superficiei. Rursus [illegible] pars [illegible] modis diuiditur, superficies [illegible], non nisi duobus modis diuiditur & [illegible] partes temporis diuiduntur [illegible] instans, quo copulantur [illegible] indiuisibile secundum [illegible] partes formales [illegible] palmi.

Quantitatis duæ partes, materiales & formales

N[illegible] ex [illegible] *capitulo primo*, [illegible] quan[illegible] & [illegible] falsum est [illegible] ex partibus [illegible] solidus. [illegible] probatur [illegible] duorum palmorum *A B C*, punctum *B*, quod est [illegible] eius copulans partes [illegible] diuisibile: quia [illegible] palmo [illegible] ex duobus [illegible] & ex illis [illegible] punctum *B*, quod est contra [illegible]. Cum ergo locus sit quantitas continua, quæ extrinsecè continet locatum, & eius partes copulantur eodem tempore, quo copulantur partes locati, intellige, non eodem termino numero, sed proportione, & per correspondentiam; vt sicut pars loci correspondet parti locati, sic etiam terminus partium loci correspondet termino communi partium locati. Scotus tamen, vt vides, dicit quòd copulantur ad eundem terminum communem, scilicet ad lineam, ad quam copulantur partes superficiei. Dicitque Aristotelem in Prædicamentis loqui de loco secundùm famositatem. Nam opinio antiquorum de loco, fuit quòd locus esset spatium trina dimensione præditum, & capax locandorum. Quod cum corpore est occupatum dicitur plenum, & cùm corpore caret, dicitur vacuum, vt vidimus suprà. 3

Loca non sunt contraria nisi ratione dispositionum, &c. Nota quòd posset etiam dici, quòd locus sursum in ratione supremi, & locus deorsum in ratione infimi, non sunt quantitates, sed potiùs *ad aliquid*. Vel dici posset, quòd locus sursum, & locus deorsum non sunt contrarij quia eadem res respectu diuersorum est suprema, & infima: nam media regio aëris respectu nostri, est suprema, & respectu cœlorum est infima.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

Vtrùm locus sit æqualis locato.

Aristot. *cap* 4. *text.* 33. Simplic. Themist. Auerroes *ibidem.* D. Thom. *lect* 5. Albert. Magn. *tract.* 1. *cap.* 7 Canonic. *quæst.* 1. *art* 2. Conimbric. & Ruuius *in exposit. cap.* 4. *quæst.* 19. § 3. *num.* 9. Roccus *in paraphrasi cap.* 6.

1. ARGVITVR quòd non: quia illæ quantitates non sunt ad inuicem comparabiles in magnitudine, quæ sunt diuersorum generum; sed locus, & corpus locatum sunt diuersorum generum: ergo, &c. Maior patet per definitionem proportionis: quia *proportio est duarum quantitatum eiusdem generis vnius ad aliam certa relatio in quantitate.* Item, patet maior per Commentatorem quarto huius, comm. 3. vbi dicit, quòd comparabilia ad inuicem debent esse eiusdem speciei specialissimæ. Et minor probatur, quia vel locus est de alio genere generalissimo, vel saltem alterius speciei specialissimæ à corpore: nam superficies est alterius speciei specialissimæ à corpore.

Definitio proportionis.

Item, nullum continens est æquale contento per ipsum; sed locus est continens locatum: igitur locus est maior locato.

Tertiò, quia aqua est locus proprius terræ, aër locus proprius aquæ, ignis locus proprius aëris, & cœlum proprius locus ignis, & cœlum est maius igne, ignis maior aëre, aër maior aquâ, & aqua maior terra: igitur locus est maior locato: & per consequens non æqualis. Prima pars antecedentis apparet in isto quarto text. 33. Et secunda apparet in secundo Meteororum; vbi dicitur, quòd cœlum est multo maius quàm tota massa elementorum.

2. Item, quòd elementum superius sit maius inferiori, & contento, patet per loquentes de proportione elementorum; qui omnes concedunt, quòd elementum superius est maius inferiori exceptâ aquâ, quam aliqui dicunt esse minorem terra, & hoc posito, adhuc habetur propositum: quia si aqua, quæ est locus terræ, sit minor terrâ, sequitur quòd locus non est æqualis locato, sed minor.

Quartò, nulla superficies est æqualis corpori; sed locus est superficies, & locatum corpus; ergo, &c. Maior patet: quia æqualitas magnitudinum attenditur penes ipsarum dimensiones; modò corpus habet tres dimensiones; & superficies vnam solam: ergo, &c.

Quintò, quia idem est locus naturalis totius, & partis; vt totius terræ, & vnius glebæ, vt patet tertio huius, text. 52. & 1. Cœli. 19. 58. 73. 80. igitur si locus est æqualis locato, sequitur quòd sit æqualis toti, & parti, quod est impossibile.

Sextò, quia locus vltimæ sphæræ, non est æqualis vltimæ sphæræ, & tamen ipsius est aliquis locus: igitur non est omnis locus æqualis locato suo. Maior patet: quia impossibile est esse tantum corpus, quantum est vltima sphæra, quia ipsum est maximum, eo quòd continet omnia alia. Minor probatur: quia vltima sphæra mouetur localiter, quod non potest esse nisi sit in loco. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 4. text. 33.

3. Notandum, quòd quidam est locus proprius, qui continet locatum, & nihil plus; vt superficies aëris immediata columnæ continet columnam, & nihil plus; igitur est locus proprius columnæ. Alius est locus communis alicuius locati, scilicet qui continet locatum, & aliquid vltra. Ex quibus definitionibus sequitur, quòd vltima sphæra non habet locum proprium, nec communem: quia non habet aliquod continens ipsam præcisè, aut continens ipsam cum aliquo alio. Secundò sequitur quòd nunquam pars inexistens toti habet locum proprium. Probatur, quia quælibet superficies separata, & discontinua ab illa parte continet illam partem; & cum hoc aliquid aliud. Tertiò, sequitur quòd superficies concaua cœli versus nos, non est locus proprius ignis: quia cum hoc, quòd continet ignem, continet aliquid aliud, scilicet aërem, aquam, & terram. Eodem modo probaretur quòd concaua superficies sphæræ ignis non est locus proprius aëris; quia cum hoc continet terram, & aquam. Verum est tamen, quòd concauum cœli est proprius locus totius massæ elementorum, & concauum sphæræ ignis non est locus proprius aggregati ex tribus elementis, & mixtis infrà contentis.

Locus est duplex, proprius & communis.

Secundò, notandum quòd locus potest dici æqualis locato dupliciter. Vno modo secundùm continentiam; alio modo secundùm dimensiones. Item si intelligatur esse æqualis secundùm dimensiones; tunc hoc est tripliciter, vel quòd sint æquales secundùm vnam dimensionem, vt quòd locus sit æquè longus, sicut locatum, aut secundùm duas, vel secundùm tres.

Locus bifariam potest dici æqualis locato.

Tertiò, notandum quòd profunditas corporis potest accipi dupliciter: vno modo secundùm vnam lineam, vel superficiem; verbi gratiâ, si sit vnum corpus cubum, cuius duæ superficies oppositæ sint albæ, & aliæ duæ oppositæ sint rubeæ; & iterum aliæ duæ nigræ. Tunc longitudo corporis est sumenda secundùm lineam, vel superficiem protractam à superficie alba, ad superficiem albam, sed latitudo, est sumenda secundùm lineam, vel superficiem protractam inter superficies nigras; & tunc sumenda est profunditas secundùm lineam, vel superficiem protractam inter superficies rubeas. Alio modo sumitur profunditas pro tota capacitate corporis. 4.

Profunditas corporis dupliciter accipitur.

Ex his ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Locus est [a] æqualis locato secundùm continentiam. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur quòd esset aliquis locus sine corpore, vel aliquod corpus vltra cœlum sine loco; consequens est impossibile: quia tunc esset dare vacuum. Consequentia probatur: quia si locus plus contineat, siue sit maior quàm locatum; tunc de tanto est locus vacuus, de quanto locatum est minus loco. Si verò locus est minor, de tanto locatum non circundatur alio corpore, & per consequens circa illud est vacuum.

Locus est æqualis locato secundum continentiam.

Secunda conclusio. Locus est æqualis locato secundùm duas dimensiones, ita quòd superficies, quæ est locus, & superficies extrinseca locati sunt ad inuicem æquales. Probatur sic: quia illæ magnitudines sunt ad inuicem æquales, quarum vna superposita alteri neutra excedit reliquam; sed sic est de illis duabus superficiebus: ergo, &c. Maior patet: quia est principium in Geometria. Minor probatur, quia locus superponitur superficiei locati, & neutra excedit reliquam; quia si altera reliquam excederet, iam non essent æquales secundùm continentiam. 5.

Locus est æqualis locato secundùm duas dimensiones.

Tertia conclusio. Accipiendo dimensiones corporis secundùm lineas rectas, vel superficies, locus est

est æqualis locato. Probatur, quia locus est æqualis omnibus superficiebus circumstantis locati simul sumptis; sed secundùm vnam istarum superficierum est sumenda longitudo, secundùm aliam latitudo, & secundùm aliam profunditas, vt patet de corpore quadrato; igitur, sic sumendo dimensiones, sequitur quòd locus sit æqualis locato.

Quarta conclusio: Sumendo profunditatem corporis pro tota capacitate corporis, impossibile est, quòd locus sit æqualis locato, immò in infinitum exceditur à locato, vt ly *in infinitum* denotat proportionem, sicut patet ex vna quæstione secundi.

6. Ex istis conclusionibus inferuntur aliqua corollaria. Primum corollarium est istud, quòd *A*, & *B*, sunt duo corpora æqualia, & tamen ipsorum sunt loca inæqualia. Probatur: quia sint *A*, & *B*, duo corpora cubica, & vtrumque habeat in qualibet superficie quatuor pedes; tunc sequitur quòd aggregatum ex omnibus superficiebus ipsius *A*, secundùm longitudinem est duorum pedum: tunc pono quòd *B* diuidatur in octo cubos æquales, quorum vnus superponatur alteri, & sic de quolibet ad modum columnæ quadrilateræ, tunc ista columna *B*, habet quatuor superficies secundùm profundum, quarum quælibet est octo pedum: igitur aggregatum ex illis quatuor superficiebus secundùm longum esset trium pedum, & tamen in duobus extremis habeat duos pedes; igitur totum aggregatum ex superficiebus ipsius *B*, secundùm longitudinem est trium pedum: igitur per secundam suppositionem locus ipsius *B*, esset præcisè trium pedum; sed locus ipsius *A*, est præcisè duorum pedum; vt probatum fuit: igitur *A*, & *B*, sunt duo corpora æqualia & tamen ipsorum sunt inæqualia loca.

Secundum corollarium est, quòd inæqualium corporum sunt æqualia loca. Probatur, retento casu eodem, & posito vltrà, quòd *A*, augmentetur, donec occupet locum præcisè, quantum omne occupat *B*, tunc *A*, & *B*, essent inæqualia: quia *A* priùs fuit æquale *B*, & iam est augmentatum, & tamen *A*, & *B*, habent æqualia loca.

Tertium corollarium, quòd *A* & *B*, sunt duo
7. corpora æqualia, & tamen *A* potest in infinitum maiorem locum occupare, quàm de facto occupet *B*, & tamen non potest occupare maiorem locum, quàm possit occupare *B*. Probatur, posito quòd *A*, & *B*, sint duo quanta corporea æqualia, & *B* remanente indiuiso, imaginetur *A* diuidi in duas medietates, quarum vna ponatur ad extremum alterius; & sic in infinitum, sicut dicebatur priùs in vna imaginatione de infinito.

Nunc ad rationes. Ad primam dico, quòd quantitates diuersorum generum, seu diuersarum specierum possunt comparari ad inuicem secundùm vnam, vel duas dimensiones, in quarum vna, vel duabus conueniunt.

ᵃ Ad secundam dico, quòd superficies non est comparabilis corpori secundùm capacitatem corporis: modò nos comparamus superficiem ad corpus non secundùm capacitatem corporis; sed secundùm superficiem extrinsecam ipsius.

8. Ad tertiam, dico quòd superficies concaua cœli est æqualis superficiei conuexæ ignis; & sic de aliis.

Ad quartam, dico quòd non oportet quòd continens sit maius contento: quia de facto continens, scilicet superficies, superposita locato non excedit superficiem extrinsecam locati.

Ad quintam, dico quòd debet intelligi de loco communi. Ad aliam, dictum est, quòd vltima sphæra non habet locum; nec sequitur, *mouetur localiter, igitur habet locum*. Sed sufficit, quòd aliter se habeat secundùm se totam, vel partes eius ad aliquod quiescens; vt dictum fuit in præcedenti quæstione.

ANNOTATIONES.

ᵃ *Locus est æqualis locato secundùm continentiam.* 9.
Nota quòd quidam dicunt, quòd aliquis locus proprius est multò maior locato: nam secundùm illos nihil prohibet eiusdem locati esse infinita loca, quorum vnus est maior, & alter minor, & alter æqualis. Et ratio huius est, quia locus non distinguitur à corpore: quia ergo locus est superficies corporis continentis, ideò corpus continens est locus; & quia quælibet superficies est diuisibilis secundùm profunditatem, ideò non potest assignari prima superficies, qua primò continet locatum: assignatâ enim quâcumque, ipsa est diuisibilis in infinitas superficies, quarum quælibet est corpus, & locus proprius ipsius locati. Dicunt vlteriùs, quòd locus proprius est æqualis locato tribus modis, scilicet secundùm continentiam, secundùm mensuras superficiales, & secundùm diametros. Secundùm continentiam: quia quantumcunque est locatum, tantum locus continet; & è contra quantumcumque locus continet, tantum est locatum. Secundùm mensuras superficiales; quia si aliqua mensura circumuoluatur loco extrinsecè, tangendo corpus locatum, & alia circumuoluatur loco, intrinsecè tangendo semper corpus locans, illæ duæ mensuræ, si in rectitudinem reducantur, erunt sibi inuicem æquales: & tandem secundùm diametrum: quia quanta esset linea diametralis ducta per locatum de vno puncto extremo ad alterum punctum extremum, terminata per illa puncta inclusiuè, tanta esset linea diametralis ducta inter puncta loci correspondentia illis punctis locati, terminata ad illa puncta loci exclusiuè. Cæterùm hæc sententia est contra Philosophum probantem locum non esse corpus.

Opinio aliquorum de æqualitate loci cum locato.

Nota secundò, quòd locum esse æqualem locato bifariam intelligi potest: priori modo quantum ad numerum dimensionum; altero modo quantum ad extensionem ipsarum, vel quantum ad extensionem vnius, vel duarum, vel trium. 10.

Locus duobus modis potest esse æqualis locato.

Nota tertiò, quòd duplex est locans, quoddam est locans *quo*, & proximum, & est ipsa superficies corporis locantis, quæ vocatur locus. Aliud est locans *quod*, & vltimum; & illud est corpus continens locatum.

Locans est duplex, similiter & locatum.

Nota quartò, quòd duplex est locatum, quoddam enim est locatum *quo*, & immediatum; & est superficies conuexa corporis locati. Aliud est locatum *quod*, & mediatum, & est ipsum corpus contentum.

Ex his dico primò, quòd locus & locatum sunt æqualia, quantum ad multitudinem dimensionum, & eandem extensionem: vtrumque enim habet duas dimensiones, scilicet longitudinem, & latitudinem, & vtraque earum est æqualiter extensa.

Locus quomodo sit æqualis locato.

Dico secundò, quòd corpus locans, & corpus locatum non sunt æqualia quantum ad extensionem dimensionum.

Dico

Dico tertiò, quòd locus & corpus locatum sunt æqualia, quantum ad longitudinem, & latitudinem; sed non sunt æqualia quantum ad dimensiones: cùm locus non habeat profunditatem, quam tamen habet corpus locatum: & hoc vult habere Philosophus in textu. Quod patet etiam per rationem: quia nisi ita esset, vel daretur vacuum, vel esset corpus sine loco. Et hoc voluit intelligere Commentator com. 43. huius 4. dicens, quòd æqualitas dicitur duobus modis; vno modo secundùm continentiam: & hoc modo dicitur, quòd circulus est æqualis figura rectorum laterum. Altero modo, quando duo æqualem habent mensuram communem, quá mensurantur; & secundùm hoc dicitur corpus æquale corpori, & superficies superficiei, & ista æqualitas non est vera de loco, nisi esset inane.

Et si dicatur, continens est maius contento; ergo locus non est æqualis locato. Dico quòd quamuis continens *quod* sit maius contento *quod*, tamen continens *quo*, non est maius contento *quo*.

Et si iterum dicatur, quòd est impossibile duas superficies esse simul: quia aliàs esset possibile duo puncta, & duas lineas, & duo corpora esse simul. Dico quòd quamuis sit impossibile duas superficies esse simul eá parte, quá sunt diuisibiles, non tamen eá parte, quá sunt indiuisibiles; & eo modo est de lineis; sed quia corpus est vndiquaque diuisibile, ideò non est possibile naturaliter duo corpora esse simul.

EXPOSITIO TEXTVS.

12 *Corpora sunt loco diuersimodè.* *Cvi igitur corpori*, &c. Hoc est sextum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit, qualiter diuersa corpora sunt diuersimodè in loco, & ponit septem conclusiones. Prima conclusio est, quòd illud corpus est in loco, cui est aliud corpus extra continens ipsum, & separatum ab eo, & cui non est aliud corpus extra separatum, illud non est in loco. Patet per definitionem loci: quia locus est terminus continentis separati.

Quocirca etiam si aqua fuerit huiusmodi, &c. Secunda conclusio, quòd totum [a] vniuersum non est in loco secundùm se totum; licèt benè secundùm partes. Probatur, quia totum vniuersum non habet aliud corpus extra se cótinens ipsum. Et exemplificat, vt si totū vniuersum esset aqua, tunc aqua secundùm se totam non posset moueri, nec haberent partes locum: sed tamen secundùm partes haberet locum; quia vnius potest esse locus sursum, & alterius deorsum præter cœlum, quod circulariter mouetur.

Text. 44. *Vt autem 2 dictum est*, &c. Tertia conclusio, quòd totum vniuersum à se, & separatum à quocumque alio habens extra se aliud corpus, est in loco in actu; sed partes totius, dum inexistunt in toto, sunt in loco in potentia, & cùm fuerint separatæ à toto, sunt in loco in actu.

13. Text. 45. *Atque alia 3 quidem per se sunt*, &c. Quarta conclusio est, quòd omne mobile localiter, vel secundùm augmentum, vel secundùm decrementum est per se in loco; & debet intelligi, quòd habet aliud corpus extra se separatum ab illo. Patet, quia per istos motus deuenimus in notitiá loci.

Cœlum autem, &c. Repetit conclusionem priùs positam, scilicet, quòd vniuersum non est in loco nisi ratione partium.

Alia verò secundùm accidens. Ponitur quinta conclusio, quòd anima, & cœlum sunt in loco per accidens. Patet de anima, quia anima non mouetur nisi ad motum corporis, in quo existit, & sicut dicit de anima, ita debet dici de qualibet forma corporea. De cœlo patet; quia cœlum est aliquo modo in loco, & non per se; quia non habet corpus extra continens ipsum; igitur per accidens, & habetur propositum. *Anima & cœlum sunt in loco per accidens.*

Et propter 4 hoc, &c. Sexta conclusio est, quòd omnia sunt in cœlo, supple, tanquam in loco communi; sed fortasse cœlum non est in loco, & dicit *fortasse*; quia nondum est determinatum, quòd extra cœlum non sit aliud corpus; sed hoc probabitur in libro Cœli: & non debet intelligi, quòd cœlum sit locus, sed vltima superficies, seu terminus ipsius cœli. Text. 46.

Et ob hoc terra, &c. Septima conclusio est, quòd terra est in aqua, id est, in vltimo aquæ tanquam in loco, & aqua in aëre, & aër in igne, & ignis in cœlo; sed cœlum non est amplius in aliquo. Sed dubitatur de primo; quia tota terra non est in aqua. Respondetur, quòd si omnia elementa essent redacta æqualiter, tunc tota terra esset cooperta aquis, sed nunc de facto propter salutem animantium, terræ pars est discooperta.

ANNOTATIONES.

[a] *Totum vniuersum non est in loco secundùm se totum*, &c. Nota, quòd partes vniuersi possunt moueri tribus modis. Quædam enim mouentur circulari motu; quædam motu recto in sursum, sicut illæ quæ habent raritatem: & quædam motu recto in deorsum, sicut illæ quæ habent densitatem. 14. *Partes vniuersi tribus modis moueri possunt.*

Secundò nota, quòd quando corpus mouetur motu recto, totum mobile deserit locum in quo antea erat, & ingreditur alium nouum locum. Quando verò mouetur circulariter, totum mobile non deserit locum in quo antea erat, sed manet in eodem; eius tamen partes omnes mutant locum: quia vbi nunc est prima, succedit secunda, & sic de cæteris. Cùm ergo cœlum supremum moueatur circulariter, totum erit in eodem loco, eiúsque tantùm partes mutabuntur. Et ex hoc sequitur, quòd si supremum cœlum non mouetur nisi per partes, non erit in loco, nisi per partes.

Nota tertiò, quòd Commentator, quem sequitur hic Scotus, illud exemplum de aqua non refert ad supremam sphæram, sed ad totum vniuersum; nempe quòd sicut in toto elemento aquæ aliquæ partes mouentur sursum, & aliquæ deorsum, & aliæ circulariter; ita in toto vniuerso. Cæterùm Diuus Thomas, & Sotus dicunt, illud exemplum positum esse, vt intelligatur quomodo stet, vltimam sphæram moueri secundùm partes, & non secundùm totum; tu verò teneas cum Doctore subtili.

EXPOSITIO TEXTVS.

Manifestum 1 autem ex his, &c. Hoc est septimum capitulum, in quo soluuntur rationes, quibus probabatur locum esse. Et primò soluit illas. Secundò, ponit proprietates loci ibi, *Et fertur igitur.* Primò dicit, quòd ex prædictis soluuntur rationes priùs factæ de loco. Vnde, quando argumentabatur, tunc locus augmentaretur. 15. Text. 47.

retur. Negatur consequentia, quia cùm locatum augmentatur, acquirit aliquem locum, qoem priùs uon habuit, scilicet maiorem priùs habito. Ad aliam de puncto respondetur, quòd punctum non habet locum distinctum à loco totius, cuius est punctum: quia punctum non est separatum à suo toto. Ad aliam, quando arguitur, quòd duo corpora essent simul. Negatur consequentia, quia locus non est corpus, sed terminus & superficies corporis; & supposito, quòd locus esset corpus, tunc non esset simul cum locato, scilicet positiuè in eodem situ, sed priuatiue secundùm priuationem corporis intermedij. Ad aliam rationem Zenonis dicitur, quòd locus non est in aliquo tanquam in loco; sed sicut pars in toto: & ideò non omne, quod est, est in loco.

16. Text 48. *Et fertur a igitur ad ipsum ipsius locum*, &c. Hic ponit quasdam proprietates loci, & sont duæ. Secunda ibi, *Et manet igitur punctum.* Primò ponit istam conclusionem, quòd omne corpus [a] naturale naturaliter mouetur ad suum locum, si fuerit extra. Probatur, quia quodlibet corpus naturale naturaliter inclinatur ad sui conseruationem; sed quodlibet corpus naturale conseruatur in suo loco naturali, propter similitudinem loci ad locatum in vna qualitate, licèt sint dissimilia in alia qoalitate, propter quam similitudinem sunt ad inuicem actiua, & passiua.

Et manet igitur, &c. Ponit secundam proprietatem; & ponit istam conclusionem, quòd omne corpus [b] naturale existens in suo loco naturali, quiescit naturaliter, & manet in illo loco. Probatur, primò propter conseruationem. Secundò,
Text. 49. quia 3 pars naturaliter habet fixionem, & permanentiam; quietem, & conseruationem in suo toto; modò locatum est quodammodo pars locantis; ergo, &c. Tertiò, quia aër est in potentia ad aquam, & è contra aqua ad aërem; principaliùs tamen aqua est in potentia ad aërem, quàm è contra, eo quòd aqua est minùs perfecta aëre: modò natura principaliùs intendit formam elementi perfectioris, vt aëris, quàm formam minùs perfecti elementi, vt aquæ: & ideò aqua se habet ad aërem qnodammodo sicut materia ad formam; & sicut pars ad totum: modò materia transmutatur naturaliter ad formam, & stat sub forma, & pars naturaliter habet quietem in toto: ideò aqua, quæ est locatum, habet naturaliter quietem in aëre, qui est locus eius; & sicut arguitur de aqua respectu aëris, ita potest argui de terra respectu aquæ, & aëre respectu ignis.

ANNOTATIONES.

17. *Corpus naturale quare fertur naturaliter ad suum locum.* [a] O*Mne corpus naturale naturaliter mouetur*, &c. Nota, quòd ratio quare corpus naturaliter fertur ad suum locum, est, quia cùm locus sit terminus continentis locatum, illud corpus continens, ad quod consequenter, & contiguè se habet locatum, quia se tangunt terminis, id est, superficiebus simul existentibus; & hoc non per violentiam, est proximum secundùm naturam locato. Hoc inde apparet, quòd ordo situs in partibus vniuersi attendi debet secundùm ordinem naturæ: ergo corpus illud, quod non vi, id est, non violenter se habet, consequenter secundùm situm ad aliud corpus est secundùm ordinem naturæ sibi proximum. Vnde, cùm corpus cœleste, quod est supremum, atque nobilissimum omnium, quod sequitur secundùm ignobilitatem ignis, & ignem aër, & aërem aqua, & aquam terra naturaliter; fatendum est, quòd locus proprius ignis est cœlum, & locus proprius aëris est ignis, & locus aquæ est aër, & terræ aqua.

Et ex hoc apparet, quare proiectus sursum lapis soper aërem, vel super aquam, non ibi sistat nisi violenter. Ratio est, quia sibi non est proprius locos: hæc enim proximitas naturalis, quæ est inter corpus continens & contentum, est causa, quare corpus naturaliter mouetur ad suum locum; quia oportet, quòd gradus naturalium locorum respondeant gradoi naturalium locatorum; & quamuis sic se tangant naturaliter, tamen qoia aliunde habent oppositionem ratione contrariarum qualitatum, ideò mutuò in se agunt, & se corrumpunt.

[b] *Omne corpus naturale existens in loco*, &c. Nota, 18. *Corpus naturale quare quiescit, naturaliter in suo loco naturali.*
quòd ex eo corpus naturaliter quiescit in suo loco naturali, quia locus est terminus continentis, eo quòd locatum se habet ad corpus continens, sicut pars ad suum totum, quamuis diuisa, & sicut materia ad formam, atque adeò sicut pars quiescit in suo toto, ita locatum in loco proprio. Quare autem se habeat sicut pars ad totum, & sicut materia ad formam, declarat in aëre, & in aqua. In his enim aqua est in potentia ad aërem, sicut materia ad formam, & aër est veluti actos aquæ, sicut forma materia. Hoc dicit, quia aqua est in potentia, vt eà corruptâ, generetur aër; & quamuis etiam ex aëre fiat aqua, tamen quia principalior forma est aëris, quàm aquæ, ideò quando ex aqua fit aër, est simpliciter generatio, quando verò ex aëre fit aqua, est generatio secundùm *quid*, quia est ad ignobiliorem formam.

QVÆSTIO V.

Vtrùm aqua sit locus naturalis terræ?

Aristot. *cap.6. text* 45. Plato *in Timæo.* & apud Alcinoum *cap.* 12. Philo Iudæus *lib. de plantatione Noë.* Nemesius *lib. de Nat hominis, cap. de elementis.* Nyssen. *de opere sex dierum.* Damasc. 2. *de fide orthodoxa, cap.6.* Ambr. *lib.3. Hexaem. cap.4.* Albert. Mago. *tract.1. cap.11.* D.Thom. *lect 7. in 4 Physic. & opusc.52.* Richard *in 2. dist.14. qu.5. circa 3 princ.* Conimbr. *4. Phys. cap.5. quæst.3.* Runius *in exposit. cap.5. num.14.* Roccus *in paraphrasi, cap.9.*

ARGVITVR quòd non: illud non est locus terræ, quod non continet terram, vt patet de terra habitabili; ergo, &c. 1.

Secundò, arguitur quòd non sit proprius locus terræ, eo quòd continet terram, & aliqua alia, vt lapides, radices plantarum, & huiusmodi mixta.

Tertiò, illud non est locus naturalis terræ, ad quod terra non mouetur, si sit extra ipsum; sed terra non mouetur ad aquam, posito quòd sit extra aquam; ergo, &c. Maior patet, quia omne corpus naturale natum est moueri ad suum locum naturalem, si fuerit extra ipsum. Et minor probatur; quia terra in littore non descendit ad aquam.

Quartò, illud non est locus naturalis terræ, in quo terra non quiescit, si fuerit circundata ipso; sed terra non quiescit in aqua, cùm fuerit circundata aqua; ergo, &c. Maior probatur, quia quodlibet corpus naturale natum est quiescere in suo loco naturali. Et minur patet, quia terra descendens in aqua non quiescit, cùm circa ipsam

ipsam vndique fuerit aqua, sed descendit vsque ad fundum.

Quintò, terra est locus naturalis aquæ; igitur aqua non est locus naturalis terræ. Tenet consequentia, quia quidquid est locus loci, est locus locati; & sic idem esset locus sui ipsius. Antecedens probatur, quia aqua continetur in concauitatibus terræ. Item, aqua expansa super terram descendit infra terram, quod non esset, nisi terra esset locus, ad quem aqua naturaliter mouetur. Item, illud est locus aquæ, in quo aqua generatur, & in sua naturali dispositione maximè conseruatur; sed hoc est in terra, quia, vt patet secundo Meteororum, fontes generantur infra viscera terræ, & tamen fontes sunt in dispositione conuenientiori aquæ, quàm sit mare, aut aliæ aquæ.

2. Sextò, quia centrum mundi est locus naturalis terræ, igitur aqua non est locus naturalis terræ, quia idem locatum non potest habere diuersa loca. Antecedens patet, quia ad centrum mundi mouetur naturaliter terra, & ad nihil aliud. Quod patet, si tota massa terræ esset perforata vsque ad centrum, & vltrà. Secundò patet antecedens per Aristotelem *primo Meteororum*, vbi dicit, quòd locus terræ est medium circularis lationis, scilicet medium mundi. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto quarto, text.46. Et probatur ratione, quia loca naturalia elementorum debét ordinari secundùm exigentiã grauitatis, vel leuitatis ipsorum, sed terra est elemẽtum maximè graue: igitur secundùm exigentiam suæ grauitatis corpus circundans ipsam immediatè est corpus maximè graue præter terram, modò inter elementa aqua præter terram est grauius.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò videbitur, quare aliqua pars terræ est cooperta aquis, & alia discooperta, quia propter hoc est difficultas quæstionis præsentis. Secundò videbitur de quæsito.

Opinio multiplex quare terra sit discooperta aquis. De primo, dixerunt aliqui quòd causa est ista; quia aliquando circundabat sphæricè terram, sed postea per actiuitatem Solis ista pars, quæ est discooperta aquis, dissecabatur propter consumptionem aquæ; & tunc residuum non sufficiebat ad cooperiendum totam terram: & istam opinionem improbat Aristoteles *2. Meteororum*.

3. Alij dixerunt, quòd causa est propter salutem animãtium, quæ non possunt viuere infra aquam. Ideò propter ipsa natura ordinauit vnam partem terræ desiccatam. Sed ista via benè assignat finalem causam, sed non assignat causam efficientem illius desiccationis, aut modum desiccandi. Modò hîc quæritur de efficiente, & difficultas huius est, quia ex quo tam aqua, quàm terra sunt sphæricæ figuræ, vt patet *secundo Cæli*, text.26. & 30. & aqua nata est superstare terræ; igitur non est ratio, quare plus circundet vnam partem terræ, quàm aliam.

Et tertia via respondens ad hoc ponit isto modo, quòd terra, & aqua se intersecant ad inuicem, ita vt ipsarum non sit idem centrum, sed centrum terræ est magis sursum versùs partem discoopertam aquis; immò quanta pars terræ intersecatur per sphæram aquæ, tanta pars remanet desiccata. Contra istam viam arguitur: quia idem est centrum grauitatis mundi; igitur idem est centrum eius aquæ, & totius terræ. Secundò, sequeretur quòd terra habitabilis, vel saltem non cooperta aquis, esset figuræ circularis; consequens est falsum, vt patet *secundo Meteororum*; quia terra habitabilis est magis longa, quàm lata: immò eius longitudo se habet ad latitudinem, sicut quinque ad tria. Consequentia probatur, quia omnino sphærarum se inuicem intersecantium sectio fit secundum circulum, vt patet *ex primo Theodosij de Sphæris*.

Quarta via est, quam ponit Campanus in tractatu suo de Sphæra; pro qua supponitur, quòd terra quantum ad omnes partes sui non est eiusdem grauitatis, immò aliquæ sunt grauiores, & aliæ minùs graues, vt patet ad experientiam. Et ideò Seneca, in libro de naturalibus quæstionibus, distinguit triplicem speciem terræ secundùm grauitatem, ita vt grauior pars sit deorsum, & super illam pars minùs grauis, & iterum pars minùs grauis, in qua scilicet generantur plantæ, & infra quam descendit aqua pluuialis. Ex istis sequitur secunda suppositio, quòd non est idem centrum [b] grauitatis terræ, & magnitudinis eius; & istis suppositis ipse imaginatur de terra, quòd stat infra aquam ad modum vnius columnæ, cuius pars inferior est vndique circundata aqua, sed supereminet aliqua pars, quæ vocatur facies terræ; verbi gratiã, in exemplo illo, si imaginetur, quòd vnus clauus equi poneretur in centro terræ, tunc modicum de magnitudine esset ab aliqua parte centri, à qua esset caput claui, propter grauitatem capitis infra alias partes; ita consimiliter imaginetur de terra infra aquam, & in cẽtro. 4.

Contra istam viam arguitur vnico medio; quia si ita esset, quòd terra sic supereemineret, sequeretur quòd omnis aqua infra terram discooperiam aquis, continuè moueretur ad alias aquas, scilicet ad illas, quibus terra supereemineret; consequens est contra experientiam, quia maria non mouentur alicubi, sed quiescunt infra concauitates terræ. Consequentia probatur, quia omnis aqua infra terram supereemineret illis aquis; modò de natura aquæ est, quòd vadat ad locum decliuiorem.

Quinta via est, quòd aqua est multo maior, quàm sit terra: nec est alicubi nisi infra concauitates terræ. Et istud patet ex hoc: quia habita quantitate terræ, & eius diametro, per Astrologiam potest inueniri quantam vmbram causaret terra sola in eclipsi Lunæ; & modò de facto non potest inueniri, quia non causatur maior vmbra in eclipsi Lunæ ab aggregato ex terra, & aqua, quàm fieret solùm à terra; quod nõ esset nisi aqua contineretur infra terram, & esset minor terra. 5.

Ex istis sequitur, quòd quatuor elementa non sunt continuè proportionalia, quia aqua est multo minor quàm terra, quæ tamen in illa continua proportionalitate ponitur maior. Et si dicatur, ponatur tunc, quòd aqua sit minor terminus illius proportionalitatis. Dico adhuc, quòd non essent continuè proportionalia, quia in multo maiori proportione excederet aër terram, quàm terra aquam. Istæ sunt viæ quibus saluatur vnam partem terræ esse coopertam aquis, & aliam discoopertam, & fortè potest probari istam vltimam viam esse aliquo modo contra fidem: ideò eligatur quæ via magis placet: & hoc de primo.

Quantum ad secundum notandum quòd terra [a] accipitur dupliciter: vno modo pro illo elemento circumscribendo mixta; & sic terrum est quòd nec aër, nec aqua, nec alterius ipsorum superficies, aut amborum est locus proprius terræ quia semper continet terram, & aliquid aliud scilicet illa mixta. Alio modo accipitur terra pro aggre- 6. *Terra bifariam sumitur.*

aggregato ex huiusmodi mixtis, & elemento, & sic accipitur in proposito.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Nullum corpus, nec alicuius corporis superficies est locus proprius terræ; & ex hoc sequitur, quòd nec aqua, nec superficies aquæ est locus proprius terræ. Probatur conclusio: quia nullum corpus circundat terram, sed vna pars eius circundatur vno corpore, & alia alio; ergo, &c.

Secunda conclusio. Superficies [c] aggregata, ex superficie aquæ immediatâ terræ, & ex superficie aëris immediata terræ est locus proprius, & naturalis terræ. Probatur ex definitione loci: quia talis superficies aggregata est superficies continentis diuisi à terra immediata terræ; igitur est eius locus. Ex quo patet, quòd nulla vna superficies simpliciter loquendo, est locus terræ; sed vna per aggregationem diuersarum specierum ad inuicem. Sed dubitatur, quare Aristoteles dicebat aquam esse locum terræ, & non aërem, ex quo tam continetur ab aëre, sicut ab aqua. Respondetur altero duorum modorum. Primus modus, quòd hoc est pro tanto, quòd terra magis est nata conseruari, cùm fuerit locata in aqua, quàm cùm fuerit locata in aëre; eo quòd terra, & aqua conueniunt in vna qualitate, scilicet in frigiditate; sed terra & aër disconueniunt in vtraque. Secundo modo, quòd hoc dicit pro tanto, quia si omnia elementa essent reducta ad perfectam puritatem, tunc terra locaretur per aquam, & non per aërem.

Alias sphæricitatem.

7. Secundò dubitatur, quomodo aër potest esse locus terræ, ex quo in vtraque qualitate habet disconuenientiam cum terra. Respondet Commentator quòd elementa habent duplices virtutes, quasdam elementares, & alias cœlestes, vnde cœlum influit in ista inferiora diuersimodè, vnde secundùm propinquitatem, & remotionem rerum ab ipso cœlo, in quas influit: quia propè se influit dispositiones conuenientes cum elementis calidis, & remotè à se dispositiones conuenientes cum elementis frigidis: modò aër licèt secundùm dispositionem elementarem non habeat conuenientiam cum terra, attamen conuenit secum, & conseruat eam secundùm dispositionem, quam recipit à cœlo.

Elementa duplicem habẽt virtutem.

Ad rationes. Prima, & secunda solutæ sunt. Ad tertiam negatur maior: quia terra non intendit principaliter esse sub aqua, sed intendit principaliter esse deorsum, & subesse elementis leuibus, & minùs grauibus, ita vt principalis intentio in motibus grauium deorsum, & leuium sursum, sit leuium superesse grauibus, & grauium subesse leuibus.

8. Ad quartam, dicitur quòd nec graue intendit quiescere infra aquam; sed intendit principaliter in motu suo subesse aquæ, aut alteri corpori leuiori, si per ipsam moueatur.

Ad quintam, negatur antecedens, licèt aliquando superficies composita ex superficie aëris, & aquæ sit locus aquæ. Tunc de descensu aquarum per terram dico, quòd hoc est per concauitates interclusas infra terram, quas terra non potest replere, eo quòd non est fluxibilis, sed replentur per aërem, per quem nata est descendere aqua, eo quòd leuioribus nata sunt subesse grauiora.

Ad confirmationem de generatione fontium, videtur *secundo Meteororum*. Ad aliam, negatur quòd centrum sit locus terræ, nisi capiendo locum æquiuocè, pro illo, respectu cuius cognoscitur motus localis, vt dictum fuit aliàs.

ANNOTATIONES.

[a] TErra *accipitur dupliciter*, &c. Nota primò, quòd cùm quatuor sint elementa, quatuor etiam sunt loca naturalia, vnde terræ locus inferior est, & sic deinceps vsque ad supremum elementum; iste autem ordo superioris, & inferioris, quem habent elementa, & ipsi cœli, non est illis accidentalis, aut casualis, sed nascitur ex natura ipsorum corporum: nam hæc dispositio non solùm pertinet ad essentialem ordinem ipsius vniuersi, sed etiam ad essentialem perfectionem cuiuscumque partis; quod videtur Aristoteles insinuare hoc libro, dicens, aërem esse veluti aquæ formam, & aquam veluti aëris materiam. 9.

Loca naturalia sunt quatuor.

Nota secundò, quòd cùm hîc Scotus loquatur de loco naturali, vt est scilicet locati conseruatiuus, magnum emergit dubium: addâtne locus vltra superficiem Mathematicam aliquam qualitatem conseruatiuam locati, vt quidam sentiunt, vel Influentiam cœli, quâ trahat corpora ad sua loca, vt alij existimant, vel ipse locus habeat virtutem tractiuam, quâ suum ad se trahat locatum, quapropter res moueantur, vt meliùs in suis locis conseruentur.

Ex his dico primò, nullum elementum magis hunc, quàm illum locum appetit, propter aliquam vim in loco existentem: si enim talis virtus esset, deberet esse in corpore, & in qualibet parte corporis: eadem namque ratio est totius, & partis. Si ergo in toto elemento est illa virtus, erit & in qualibet illius particula, quia virtus conseruatiua nihil aliud est, quàm qualitates naturam elementi consequentes; hæ autem einsdem rationis sunt in toto, & in parte. Vnde partes aëris meliùs conseruantur in aëris regione, quàm alibi; in proprio enim elemento non habent corrumpens, quod extrà habent. 10.

Corpora quare mouentur ad sua loca naturalia.

Dico secundò. Probabile est, quòd res naturales magis hunc, quàm illum locum appetunt, nullâ ex prædictis rationibus, sed propter ordinem, quem inter se habent partes vniuersi. Est namque hic ordo familiarissimus omnibus rebus naturalibus; vt corpora grauia, & crassa sub raris, & leuibus appetant esse; & quando contingit aliquâ violentiâ hunc perire ordinem, leuiáque sub grauibus manere, sublato impedimento res ad sua naturalia loca redeunt propter ordinem: atque ita grauia descendunt, leuia verò ascendunt. Quod ex eo apparet, quia totius terræ, & vnius glebæ, & totius aquæ, & riuuli, & sic de alijs locus. At si detur casus, quòd quis contineat elementorum quatuor particulas in aliquo vase, ita vt ignis sit sub aëre, & aër sub aqua, & aqua sub terra, mouebuntur omnia, ascendéntque corpora leuia per crassa, hæcque descendent per leuia, donec locata sint disposita ordine, quem naturaliter amant: ergo terram deorsum moueri, & ignem sursum, non est nisi propter ordinem naturalem. Secundò apparet: quia hoc ipsum facient in quacunque parte. Fingamus tales partes elementorum esse siue in regione terræ, siue aliorum; si enim talia corpora non propter ordinem, sed propter aliud peterent loca, non eodem modo vbicunque 11.

locata

locata essent, mouerentur [illegible] propria fruerentur [illegible]tione. Vt si, verbi gratia, illa particularum mia[illegible] heret in elemento ignis, particula ignis non moueretur vltra ascendendo, mouentur igitur propter ordinem naturalem. Et sic veniunt intelligenda illa Aristotelis verba, locis videlicet magnam vim inesse, respectu locatorum: vult enim docere, quòd ille naturalis ordo tantam vim habet, vt res naturalis moueatur naturali impetu ad illum comparandum. Nam propter comparandum illum ordinem omnia mouentur sursum, aut deorsum, in illoque ordine conseruantur. Vis igitur conseruatiua corporum non est in loco, sed in ipsis locatis corporibus, dum seruant ordinem, quem appetunt.

12 Dico tertiò, probabile etiam esse, quòd loci naturalitas sumatur ex ipsa essentia corporis locati, & ex influentia cœlesti. Prima pars probatur exemplo animalis: quod enim pedes se habeant optimè in infimo loco, & caput in supremo, & cor in medio corporis, hoc nascitur ex naturali [illegible]ine ipsarum partium. Similiter ergo quòd terra sit in infimo loco, & ignis in supremo, nascitur ex naturali essentia eorum, ea qua prouenit, vt terra conseruetur in solo loco, cupiátque illic esse. Ex hoc sequitur haud necesse esse aliquam potentiæ virtutem in superficie vt locus sit naturalis, sed ex natura ipsorum nascitur quòd optime se habeant in suis locis.

Secunda pars conclusionis probatur. Agens perfectiori modo in propinquum quàm in remotum agit: ergo cœli quando influunt in hæc inferiora, partes propinquæ magis gaudent eorum influentiis, remotiores verò minùs: ergo terra, quæ est remotior & imperfectissimum elementum, recipit influentiam minùs perfectam.

Ex hac conclusione sequitur primò, quòd duo infima elementa perfectiùs conseruantur, quanto magis inferiùs in suo loco collocantur. Vnde terra perfectiùs conseruatur, quo magis accedit ad centrum, & aqua quo magis appropinquat ad superficiem terræ, elementa verò superiora è conuerso eo perfectiùs se habent, & conseruantur, quo propiùs accedunt ad superiorem partem sui loci: & ratio est: quia illa influentia, quam exigunt ista corpora, est perfectior in istis partibus: influentia enim quam exigit terra, perfectior est in centro, quàm sursum.

13. Secundò, sequitur quòd quando dicimus corpora moueri naturaliter ad sua naturalia loca, non est sic intelligendum, (vt aliqui existimant, quos Aristoteles refutat,) quòd ipsamet loca in genere causæ efficientis attrahant ad se ipsa corpora; sed sic, quòd omne corpus appetat naturaliter esse in illo loco, vel illa distantia, vbi recipiat talem, aut talem influentiam sibi conuenientem, & se conseruantem, & ideò naturaliter ibi quiescit.

Tertiò, sequitur quòd si Deus per miraculum destrueret sphæram ignis, aut terram, neque aër ascenderet naturaliter ad supplendum vacuum ignis, neque aqua descenderet ad supplendum vacuum terræ. Ratio est, quia dum sunt in suis locis naturalibus ab illis nequeunt naturaliter dimoueri: descendunt autem elementa superiora, & ascendunt inferiora appetitu communi naturæ, & impulsu communi, ne detur vacuum.

14. Sequitur etiam, quòd elementa sunt in suis locis naturalibus, à quibus continentur, vt ait Aristoteles text.46. quia quodammodo natura vnius tangit alterius naturam, eo quòd sunt symbola, siue congenea, hoc est, conueniunt in vna qualitate, in aliáque disconueniunt: terra enim est sicca, & frigida, aqua frigida, & humida, & in frigiditate conuenit cum terra. Aër est humidus, & calidus, in humiditate conuenit cum aqua, & in calore cum igne: superius ergo elementum inferioris est locus.

b *Non est idem centrum grauitatis terræ, & magnitudinis eius.* Nota quòd centrum grauitatis est centrum mundi, quod est multo propinquius superficiei terræ coopertæ aquis, quàm superficiei nostræ; centrum verò magnitudinis terræ est medium terræ, quemadmodum punctus est centrum circuli. Vnde cùm centrum grauitatis sit centrum mundi, quo terra descendit, & sphæra aquæ debeat æquè distare ab illo centro, fit vt si aqua ab illo centro versùs mare distat: verbi gratia per centum millia passuum, etiam versùs nos vsque ad centum millia passuum, à centro grauitatis sit etiam locus naturalis aquæ, quare residuum terræ versùs nos penetrat multum de sphæra aquæ. Immò & multi montes attingunt sphæram aëris, & ideò in illis cauernis naturaliter generantur fontes, qui sunt altiores superficie maris, quà mare tangit terram, quandoquidem flumina à suis fontibus vsque ad mare semper descendunt. *Centrum grauitatis quid sit.*

c *Superficies aggregata ex superficie aquæ.* &c. Nota quòd si terra consideretur vt purum elementum, eius locus est superficies vltima aquæ, & isto modo loquitur hic Aristoteles de terra, considerata tamen vt discooperta, aptáque generationibus animalium, respiratione aëris viuentium, eius locus naturalis partim est aëris, partim aquæ superficies; quæ quidem duæ superficies licèt sint duæ res in genere Quantitatis, censentur tamen vnus locus, quia conseruant vnicam massam terræ, & mixtorum. Aliqui etiam dicunt, quòd illæ superficies terram ambientes non duo, sed vnus locus censeri debent, eo quòd doctrina est Aristotelis, quæ in vno genere sunt plures, in alio tamen vnam esse rem, veluti domus in genere Qualitatis est vna, in genere autem Substantiæ sunt plures: quia plures lapides, & ligna. Nullum tamen reputo inconueniens, si dicamus plura esse loca partialia: esset tamen inconueniens si essent diuersa loca totalia. 15. *Terra bifariam considerari potest.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm ignis sit in concauo orbis Lunæ tanquam in suo loco naturali?

Vide authores citatos quæstione antecedenti.

ARGVITVR quòd non: quia cuiuslibet corporis naturalis locus naturalis debet esse conseruatiuus ipsius, scilicet locati; sed orbis Lunæ non est conseruatiuus ignis; igitur concauum eius non est locus naturalis ignis. Maior patet in 4. huius; & minor probatur, quia Luna est frigida, & humida virtualiter, & stella est eiusdem naturæ, vt patet 2. Cœli: text.41. & 42. igitur orbis Lunæ est naturæ frigidæ, & humidæ, quæ sunt dispositiones contrariæ dispositionibus ignis. 1.

Secundò, quia si sic, sequeretur quòd nunquam ignis quiesceret alibi non detentus; consequens est contra experientiam: quia videmus, quòd ignis quiescit in istis inferioribus. Consequentia probatur, quia corpus naturale non impeditum non quiescit extra suum locum naturalem, vt patet de terra, & aqua.

Tertiò, omne corpus naturale quiescit naturaliter in suo loco naturali; sed ignis non quiescit in concauo orbis Lunæ, immò moueretur circulariter, vt patet primo Meteororum.

Quartò, si ignis esset in concauo orbis Lunæ, tunc sequeretur quòd non possemus videre astra; consequens est contra experientiam; & consequentia probatur, quia videmus, quòd ignis in istis inferioribus positus inter visum, & aliquod visibile, prohibet eius visionem.

2. Quintò, quia elemento nobilissimo debetur locus nobilissimus; sed ignis est elementum nobilissimum, & medium mundi est locus nobilissimus; igitur debet locari in medio mundi. Maior patet; quia locus & locatum debent ad inuicem proportionari: & minor apparet in 2. de Generat. vbi ponit, quòd ignis est nobilissimum elementum; igitur generatio ipsius est generatio simpliciter.

Sextò, confirmatur per similitudinem: quia sicut est in homine, qui est minor mundus; quòd membrum nobilissimum, scilicet *cor* ponitur in medio, ita elementum nobilissimum debet poni in medio mundi, præcipuè cùm locus ille sit exemptus à contrariis. Item potest argui, quòd locus ille debet esse immobilis, & tamen concauum cœli semper mouetur.

Diuisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 4. text. 45. In quæstione primò videbitur, vtrùm in concauo orbis Lunæ sit aliquis ignis: & secundò videbitur vtrùm ignis sit ibi tanquam in loco naturali.

Quantum ad primum, posuit vna opinio, quòd ab aëre sursum totum cœlum esset [a] ignis, & etiam quodlibet astrum, & tunc virtutes frigidas, &c. quas dicimus cœlum influere in ista inferiora, nitebantur saluare, per priuationem, & recessum Solis; sed ista improbatur per Aristotelem 1. *Cœli*, text. 41. & 1. Meteororum, cap. 3.

3. Secunda via, quòd cœlum est alterius naturæ à natura istorum inferiorum, tamen ponunt, quòd inter nos, & cœlum nullus sit ignis. Et quidam mouentur propter istam rationem, quia non possemus videre astra. Alij propter istam: quia si esset ignis inter nos, & cœlum, tunc sequeretur, quòd aliquando videremus stellas, quando essent longè sub horizonte; & aliquando non possemus eas videre quando essent longè supra horizontem, stante cum hoc bonâ dispositione medij; consequens est impossibile. Et consequentia probatur: quia radius visualis transiens per media diuersarum diaphaneitatum frangitur in occursu illorum mediorum; modò inter nos, & cœlum sunt media diuersarum diaphaneitatum per se, scilicet aër & ignis; igitur radius visualis veniens ab astro frangitur in occursu sphæræ aëris, & per consequens omnis stella visa, quæ non est directè supra Zenith capitis, videtur per lineam fractam; & per consequens alibi, quàm vbi est. Tertiò, quia ignis de sui natura est lucidus, vt patet ad experientiam; igitur si inter nos, & cœlum sit ignis, ille debet esse lucidus, quod est falsum; vt notum est ad sensum.

Istis rationibus non obstantibus, pono istam conclusionem. Inter nos & cœlum est elementum ignis. Pro quo supponitur primò, quòd aër non potest stare sub quantacunque caliditate, nec sub quantacunque raritate, immò in tantum potest fieri calidus & rarus, quòd conuertetur in ignem. Secundò, supponitur quòd motus localis est causa caloris, & quòd illud, quod mouetur localiter, calefit, vt patet ad experientiam. Tertiò supponitur, quòd corpus immediatum orbi Lunæ mouetur localiter circulariter ad motum cœli, siue sit ignis, siue aër. Probatur ratione Aristotelis 1. *Meteororum*. quia superior regio aëris mouetur circulariter, vt apparet primo Cœli, tex. 15 & per experientiam: igitur illud corpus intermedium mouetur circulariter, quia non apparet naturaliter possibile, quòd ab vtraque parte corpus moueatur motu diurno; & tamen intermedium non moueatur. Et antecedens probatur per experientiam de motu stellæ comatæ, quæ mouetur non diuidendo aërem, quia tunc derelinqueret caudam sicut aliæ impressiones ignitæ. *Inter nos & cœlum est elementum ignis.*

Istis suppositis, arguitur sic: corpus immediatum orbi Lunæ mouetur localiter motu diurno per tertiam suppositionem: igitur illud corpus calefit per secundam suppositionem, & hoc multum intensè, quia motus est valde velox; igitur illud corpus non est aër: quia aër non potest stare sub tanta caliditate: igitur est ignis, & per consequens in concauo orbis Lunæ est ignis. Et debet imaginari de isto igne in concauo orbis Lunæ, sicut de igne in fornace, vbi vitra fiunt, quia si vitrum ponatur ad flammam, vel ad carbones, non potest liquefieri; sed statim quando ponitur in illo aëre propinquo liquefit; & ideò licèt appareat aër, est tamen ignis purus qualis est in sphæra ignis. 4.

Tunc ad argumenta alterius partis dico, quòd ignis non prohibet visionem, immò multo minus, quàm aër purus; vt patet de illo igne in fornace. Ad secundum dicitur, quòd radius visualis non frangitur in occursu medij densioris, nisi illud medium sit notabiliter densius, sicut aqua est densior notabiliter aëre: modò inter ignem, & aërem non est tanta diuersitas in raritate, & densitate. Ad tertium dico, quòd ignis purus non est plus lucidus, quàm aër, nisi sit ab extrinseco; & dato quòd lux ignis in istis inferioribus est quædam qualitas secunda consequens inflammatam vnctuositatem, cuiusmodi vnctuositas non est in igne puro, immò est purè siccus. Et si quæras de causa motus circularis sphæræ ignis. Respondetur, quòd cœlum mediante motu suo attrahit ignem secum motu diurno. Sed contrà, quia non apparet verisimile, quòd quando sunt duo corpora leuia sine asperitate, quòd vnum rapiatur ad motum alterius. Dico quòd immò, & hoc propter fortem adhæsionem, seu adhærentiam sphæræ ignis ad orbem Lunæ, quæ prouenit ex summa leuitate ignis inclinante sursum. Patet igitur, quòd est elementum, seu sphæra ignis inter nos, & cœlum. Et hæc de primo.

Quantum ad secundum, ponitur ista conclusio, quòd superficies concaua [b] orbis Lunæ est locus naturalis ignis. Probatur: quia elemento leuissimo, debetur locus maximè sursum, ad quem possunt attingere corpora rectè mota; sed concauum cœli est huiusmodi locus, & ignis est leuissimum elementum: ergo, &c. 5. *Locus naturalis ignis est superficies concaua orbis Lunæ.*

Secundò, quia concauum cœli est locus nobilissimus

lissimus, quem potest habere corpus rectè motum, & ignis est nobilissimum elementum: ergo, &c. Prima pars antecedentis patet 1. Cœli, text. 15. quia corpora quanto sunt nobis remotiora, tanto sunt nobiliora; igitur Aristoteles concludit corpus cœleste esse nobilissimum. Et secunda pars antecedentis patet, 1. de Generatione.

Tertiò, quia ad experientiam videmus, quòd semper ignis appetit ascendere sursum, quod non esset nisi ibi esset aliquod corpus consimilis naturæ, cui ignis inclinaretur coniungi.

Quartò, quia ignis est quoddam corpus naturale: igitur habet aliquem locum naturalem, & non alium, quàm concauum cœli: nam alia loca regionis elementorum reliquis elementis sunt deputata.

6. Sed contra conclusionem obiicitur: quia videmus quòd omne elementum decoratur aliquo viuente, vt patet inducendo de terra, aqua, aëre; tamen non apparet, quòd viuentia possint esse in igne: igitur non apparet ad quem finem ordinaretur ibi ignis. Respondetur, quòd ignis propter nimiam suam actiuitatem non compatitur secum aliquid; & etiam in terra non sunt aliqua viuentia, sed supra terram, nisi quatenus infra terram est aër, vel aqua. Propter istam rationem mouebantur aliqui ad ponendum Dæmones inhabitare regionem ignis.

Vide Philonē in libro de Gigantibus.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd licèt orbis Lunæ agat [c] virtualiter qualitates contrarias ignis, attamen mediante motu est conseruatiuus ignis secundùm prædictum modum.

Ad secundam, concedo consequens; quòd ignis in istis inferioribus detinetur per grauitatem suæ materiæ.

Ad tertiam, dico quòd ignis quiescit in suo loco naturali, quiete [d] opposità motui, quo mouetur ad suum locum; & hoc sufficit.

7. Ad quartam, negatur consequentia, quia, vt dictum est, ignis in istis inferioribus non est purus, & ideò propter densitatem suæ materiæ prohibet visionem visibilium, quæ sunt ab alia parte; sed ignis in sua sphæra est purus sine densitate materiæ, vt exemplificatum fuit de igne in fornace vitrorum, qui non prohibet visionem illorum, quibus interponitur ad visum.

Ad quintam negatur, quod medium mundi sit locus nobilissimus. Ad probationem: quia est exemptus à contrariis, dico quòd non, immò est maximè coniunctus cùm contrariis. Vnde licèt maximè distet à cœlo, ex hoc non sequitur, quòd maximè distet à contrariis: quia cœlum non est contrarium sibi, immò magis conseruat ipsum.

Ad sextam, dicitur quòd cor in homine non ponitur directè in medio per æquidistantiam ab extremis, sed magis prope sursum, & sic ignis est in mundo.

ANNOTATIONES.

8. [a] *AB aëre sursum totum cœlum esset ignis*, &c. Nota, quòd hæc fuit opinio Anaxagoræ, qui dicebat, quòd cœlum vocabatur æther, eo quòd esset de natura ignis, & hoc idem credidit Macrobius dicens inter cœlum, & nos vnum solum elementum mediare, quam opinionem reprobat Aristoteles 1. Meteororum, cap. 3. hac ratione, si intermedium inter cœlum, & terram esset plenum solo igne, iamdiu omnia essent annihilata.

[b] *Superficies concaua orbis Lunæ est locus naturalis ignis.* Nota secundùm Commentatorem in hoc 4. commentato 43. quòd locus aquæ non est aër propter naturam aëris, nec locus aëris est ignis propter naturam ignis, nec locus ignis est concauum orbis Lunæ, eo quòd illic sit orbis Lunæ; sed propter distantiam a centro, & propinquitatem, quam habent huiusmodi loca ad concauum Lunæ. Itaque si imaginetur linea recta ducta à centro terræ vsque ad concauum Lunæ, per aliquam portionem illius lineæ vsque ad certum punctum est purum elementum terræ frigidum, & siccum, altius vsque ad alium punctum est elementum aquæ, licèt terra, & aqua in aliquibus partibus commisceantur, altiùs vsque ad alium punctum est elementum aëris, & inde vsque ad concauum Lunæ est elementum ignis. Vnde non est imaginandum, quòd locus ignis sit præcisè superficies concaua orbis Lunæ, sed locus eius adæquatus est interstitium inter conuexum aëris, & concauum Lunæ, & pari modo si volueris designare locum circumscribentem totum aërem, erit spatium illud intermedium inter concauam superficiem ignis, & conuexam aquæ, & terræ: nam aggregatum ex terra, & aqua (vt dicitur in libris de Cœlo) reputatur vnus globus, & vna sphæra. Nec te moueat, quòd Aristoteles dicat aërem esse in igne, tanquam in loco proprio: intelligit enim assignare locum aëris præcisè quantum ad eius conuexam superficiem, cuius mensura est concaua ignis. Nam loca naturalia elementorum designat Aristoteles solùm quantum ad superficiem conuexam locati.

Quomodo concauum orbis Lunæ sit locus ignis.

9. Nota secundò, quòd res est valdè dubia de naturalibus locis elementorum. Nam si propter talem elongationem à centro, aut propinquitatem ad orbem Lunæ elementa essent in suis naturalibus locis, ita vt naturaliter in suis sitibus manerent, & conseruarentur non propter naturam circumstantis, sed propter talem elongationem à centro, aut propinquitatem ad orbem Lunæ, sequi videtur, quòd quodlibet elementum seclusis quibuscumque aliis circumstantibus, naturaliter maneret in suo loco, in quo est, atque corruptâ per impossibile sphærâ ignis, & aquæ, aër maneret vbi est; & corruptâ sphærâ terræ, & aëris aqua maneret vbi est: quod videtur falsum: nam aquam naturaliter videmus descendere per terram, atque adeò si foderetur puteus vsque ad centrum terræ, aqua naturaliter illuc vsque descenderet, & per consequens, corrupto per impossibile elemento terræ, aqua ad centrum conflueret. Solutio huius difficultatis spectat ad 2. & 4. librum de Cœlo. Sed pro nunc dico, quòd res profectò est dubia, quid sentiret Aristoteles. De igne namque, & terra inter omnes Philosophos conuenit, quòd demptis omnibus aliis creaturis, naturaliter manerent in locis, in quibus sunt, quia vnum est elementum grauissimum, & alterum leuissimum, sed tamen de aqua, & aëre non omnes consentiunt: nam aqua non est simpliciter grauis, sed respectu aëris, & ignis, nec simpliciter leuis, sed respectu terræ, nec aër est simpliciter leuis; sed respectu terræ & aquæ, nec simpliciter grauis, sed respectu ignis, vt docet Aristoteles 4. de cœlo text. 27. & Commentator illic, & 3. huius, tex. 49. Quem Paulus Venetus hic super text. 49. imitatus, ait quòd aër, si poneretur in concauo Lunæ, descéderet per ignem vsque ad

Dubium est maximum de naturalibus locis elementorum.

locum, in quo modò est, & aqua, si poneretur in centro terræ, ascenderet vsque ad locum in quo est. Quod certè verum est, quia terra necesse habet esse sub aqua; vnde si profundissimum puteum aquæ impleas terrâ, aqua ascendit, vt cedat terræ.

10. Cæterùm nondum est compertum, vtrùm, si corrumperetur modò terra[b], aqua particulari appetitu descenderet ad centrum, nam ex vna parte ait Aristoteles 2. de Cœlo text. 79. quòd aqua non potest manere suspensa, sed habet sustentari super aliquod corpus, & ideò naturaliter descendit per viscera terræ, si meatus inueniat; & per consequens demptâ terrâ videtur, quòd descenderet ad centrum. Ex altera verò parte videtur, quòd si aqua est modò in suo loco naturali, demptâ terrâ adhuc maneret vbi est, quod mihi pro nunc est verisimilius, nam aër corruptâ sphærâ ignis non ascendit altiùs quàm modò est; ergo simili proportione non descenderet aqua particulari appetitu demptâ terrâ. Et quod ait Aristoteles terram non posse esse suspensam, intelligit naturaliter, nec tunc demptâ terrâ, propriè esset suspensa, cùm esset in loco naturali. Vnde si fodiatur terra vsque ad punctum sphæræ aquæ, aqua descendet naturaliter, si tamen profundiùs procederet puteus, aqua non descenderet ex particulari appetitu naturali, sed appetitu vniuersali, ne daretur vacuum, sicut descenderet aër, si non esset illic aqua.

Nota tertiò, quòd quando dicit Scotus quòd *elemento leuissimo deberetur locus maximè sursum*: intelligendum est infra latitudinem loci elementorum, & quia locus elementorum terminatur in concauo Lunæ, illic est locus naturalis ignis; nec sursum ascenderet, quamuis non impediretur cœlo, & hoc fortè voluit indicare Scotus, cùm dixit, *ad quem possunt attingere corpora rectè mota.*

11. c *Licèt orbis Lunæ agat virtualiter qualitates contrarias ignis*, &c. Nota, quòd inter Lunam & ignem nulla est contrarietas, sicut inter ignem, & aërem, quia cœlum non habet aliquam particularem contrarietatem cum aliquo elementorum, sed generali influxu agit concurrendo cum singulis. Si autem propter humiditatem aliquam alterationem agat in ignem, erit vsque ad certam distantiam eo modo, quo concedimus ignem in sua sphæra ignire proximum aërem vsque ad certam distantiam semper remissiùs, & remissiùs, atque adeò per aliquod spatium propè ignem est calidior, quàm sua exigat natura, sicuti terra propè aquam humidior est, sed propè centrum est sua naturali dispositione. Horum autem omnium constituti sunt termini, qui præteriri non possunt.

d *Ignis quiescit in suo loco naturali quiete opposita*, &c. Nota (quicquid sit de motu circulari ignis, an scilicet sicut primum mobile rapit secum orbes planetarum, ita moueat sphæram ignis) quòd nihil obstat illud interstitium inter concauum Lunæ, & conuexum aëris esse locum naturalem ignis. Nam sufficit, vt hìc docet Scotus, quòd ignis quiescat in illo, quiete oppositâ motui naturali elementi leuis, qui est ascendere. Sicuti mare quamuis moueatur motu fluxus, & refluxus, nihilominus quiescit quiete elementi: quia nec ascendit, nec descendit.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm omne ens sit in loco?

Arist. c. 5 *tex.* 45. Themist. Simpl. Auer. *ibid.* D. Thom. *lect.* 7. *& opusc.* 52. *& quodl.* 6. *art* 8. Alb. *tract.* 1. *c.* 13. Herueus *quodl.* 10. *q.* 7. Ferrar. *q.* 2. Capreol *in* 2. *dist.* 2 *q.* 1. *ad* 6 *arg.* Aureolus *ibid.* Canon *q.* 2 Iauel. *in* 4. *Phys. q.* 14 Sotus *q.* 2. Iandunus *q.* 9. Pererra *lib.* 11. *c.* 9. Conimb 4 *Phys. c.* 5 *q.* 3. Complut. *disp.* 19 *q.* 6. Ruuius *q.* 4 Roccus *in Paraphrasi, cap.* 9 Fuente *diffic.* 2.

ARGVITVR quòd sic: quia omne mouens, vel mobile est in loco; sed omne ens est mouens, vel mobile: igitur omne ens est in loco. Maior patet, quia omne mobile est mobile localiter, & omne mobile localiter, est mobile de loco ad locum; & per consequens est in loco; modò omne mouens est simul cum moto, vt patet 7. huius, text. 10. igitur omne mouens, & omne mobile est in loco. 1.

Secundò, quia omne ens est corporeum, & omne tale est in loco. Primò, de corporibus notum est. Item, de incorporeis: quia ista non distant localiter à corporeis: igitur si corporea sunt in loco, & incorporea erunt in loco.

Tertiò, quia omne ens est in tempore: igitur omne ens est in loco. Antecedens apparet, quia hoc verbum *est*, consignificat tempus. Et tenet consequentia per simile: quia sicut illud, quod nunquam est, non est; sic etiam illud, quod nusquam est, non est; igitur omne quod est, alicubi est; & per consequens in loco est.

Quartò, quia *motus, finitas, infinitas, locus, non esse vacuum* sunt communes passiones entium, igitur enti conueniunt. Tenet consequentia: quia aliter non essent communes. Consequentia probatur per communes expositores, qui dicunt, quòd tertius, & quartus liber Physicorum sunt de communibus passionibus entium.

Quintò, si aliquod ens non esset in loco hoc maximè esset vltima sphæra; sed vltima sphæra est in loco, quia mouetur localiter; igitur, &c. Item, quia est corpus. Item, quia est alicubi: nam de ipsa conuenienter quæritur, vbi est, quod non esset, nisi esset in loco. 2.

Oppositum arguitur; quia tunc sequeretur, quòd in locis esset processus in infinitum: quia vnius loci esset alter, & illius alter, & sic in infinitum; quod est falsum. Et patet consequentia, ex quo locus est ens.

De ista quæstione solet fieri magna difficultas de vltima sphæra, an sit in loco, vel non; & de hoc dixerunt [a] quidam ponentes locum esse separatum, quòd vltima sphæra est in loco, sicut aliquod aliud corpus mundi: quia occupat spatium sibi æquale præcisè. *Vltima sphæra an sit in loco.*

Alia opinio posuit, quòd vltima sphæra [b] est in loco secundùm partes eius, sed non secundùm se totam. Tertia posuit [c], quòd vltima sphæra nullo modo est in loco, & ex hoc inferebat, quòd vltima sphæra nullo modo mouetur localiter. Sed quantum ad corollarium, hæc opinio est falsa; quia certum est respectu alicuius puncti fixi in terra vltima sphæra secundùm quamlibet partem sui se habet aliter, quàm priùs se habuit, & de facto pòst aliter se habebit, quàm nunc se habet: igitur vltima sphæra mouetur localiter.

Quarta

3. Quarta opinio ponit tres concluſiones ; & eſt opinio Commentatoris [d]. Prima concluſio eſt, quòd vltima ſphæra non eſt per ſe in loco. Probatur : quia non habet corpus circundans ipſam. Secunda eſt, quòd vltima ſphæra eſt in loco. Probatur, quia mouetur localiter. Ex quibus ſequitur tertia, quòd vltima ſphæra eſt in loco per accidens, ſcilicet per ſuum centrum, ita quòd centrum mundi eſt locus vltimæ ſphæræ, ſed iſta opinio non ſufficit : quia eàdem ratione diceretur, quòd cor hominis eſſet locus hominis, ſicut, quòd centrum eſt locus vltimæ ſphæræ. Item, de ratione loci eſt, quòd contineat locatum, & tamen centrum mundi non continet vltimam ſphæram; ergo, &c.

Quinta opinio ponit, quòd nulla eſt vltima ſphæra, immò extra octauam ſphæram, vel extra nonam, ſi ponatur, eſt vna ſphæra infinita quieſcens.

Sexta opinio ponit imaginationem, quòd ſint ſphæræ infinitæ ſecundùm numerum iſto modo, quòd nona ſphæra imaginetur diuidi in duas medietates, & exterior medietas in duas alias, & ſic in infinitum ; tunc in iſta diuiſione nulla eſt vltima ; igitur quælibet ſphæra infra aliam continebitur.

Iſta non valet : quia adhuc ſtaret dubitatio eadem de aggregato ex omnibus illis ſphæris.

4. *Aliquid dicitur eſſe in loco dupliciter.* Iſtis dimiſſis, ſuppoſito quòd ſit aliqua vltima ſphæra. Reſpondeo ad quæſtionem. Pro quo notandum, quòd aliquid [e] poteſt dici eſſe in loco dupliciter ; vno modo occupatiuè, & propriè, ſicut homo, vel lapis eſt in aëre. Alio [f] modo impropriè, & vocatur appropriatè, ſicut dicimus, quòd Deus eſt vbique, Angelus eſt in cœlo, & ſic de aliis : & talia dicuntur eſſe alicubi, eo quòd ibi ſunt, & apparent ſuæ operationes. Sed aliquid poteſt dici eſſe in loco occupatiuè, ſiue circumſcriptiuè multipliciter. Primo modo per ſe. Secundo modo per accidens. Tertio modo in potentia ſolùm. Quarto modo in actu. Quinto modo ſecundùm partes, vel ratione partis.

Corpora ſunt in duplici differentia. Secundò notandum, quòd aliqua ſunt corpora, quæ de ſui natura determinant ſibi certam figuram, vt corpora cœleſtia quæ determinant ſibi figuram ſphæricam, & talia propter ſui perfectionem non indigent, quòd habeant aliquod corpus extrinſecũ eis propter ſui cõſeruationem, ſaltem non omnia requirunt, quia vltima ſphæra non habet aliquid aliud circundans ipſam. Alia ſunt, quæ non determinant ſibi certam figuram, ſed figurantur per figuram continentis, ſicut elementa ſimplicia.

5. *Deus & Intelligentia ſunt in loco appropriatè.* Nunc ponuntur concluſiones, diſcurrendo per diuerſa genera entium. Prima concluſio. Deus, Intelligentiæ, & quæcumque ſubſtantiæ ſeparatæ aliæ ab intellectibus humanis, qui coniuncti ſunt corpori, ſunt in loco appropriatè. Patet, quia talia non ſunt corpora, nec inhærent corporibus ; ſed ex eo ſolo dicuntur eſſe in loco, quòd eorum operationes ibidem apparent, & quanto aliqua ſubſtantia ſeparata agit in pluribus, & diuerſis locis, tanto maiori loco appropriatur. Et ideò quia Deus agit vbique, Deus eſt vbique appropriatè.

Anima rationalis eſt in loco occupatiuè per accidens. Secunda concluſio. Intellectus noſter non ſolùm eſt in loco appropriatè, immò occupatiuè, & per accidens. Patet, quia intellectus noſter non eſt forma ſolùm, ſed inhærens.

Tertia concluſio. Aggregatum ex omnibus corporibus mundi non eſt in loco niſi ratione partis. Patet, quia illud aggregatum non habet corpus extrinſecum circundans ipſum ; ſed aliquæ partes eius ſunt, quarum quælibet circundatur corpore extrinſeco : igitur aggregatum illud eſt in loco ratione partis, & non aliter. *Totum vniuerſum eſt in loco per partes.*

Quarta concluſio. Vltima [g] ſphæra cœleſtis non eſt in loco nec per ſe, nec per accidens, nec ratione partis, nec totius ; immò nullo modo eſt in loco. Probatur : quia vltima ſphæra non habet corpus, nec aliquod extrinſecum ſibi continens ipſam, nec aliqua pars eius eſt in aliquo ſeparato ab ea ; igitur nullo modo eſt in loco. Probatur conſequentia per definitionem loci ; & antecedens apparet : quia hoc intelligimus per vltimam ſphæram, extra quam nihil eſt, & cuius nulla pars eſt ab alia diſcontinua. Ex hoc ſequitur, quòd iſta conſequentia non valet, *vltima ſphæra non eſt in loco ; igitur non eſt alicubi*, quia eſſe in loco eſt vna ſpecies de genere *vbi*, ſed aliæ ſpecies circumloquuntur per alias poſitiones, vt *circa*, *iuxta*, & huiuſmodi ; & ideò, ſi quæratur vbi eſt vltima ſphæra, conuenienter poteſt reſponderi, quòd eſt circa octauam ſphæram, vel eſt circa centrum. 6. *Vltima ſphæra non eſt in loco nec per ſe, nec per accidens.*

Quarta concluſio. Omne corpus diuiſum ab alio citra vltimam ſphæram eſt in loco. Probatur : quia quodlibet tale habet corpus extrinſecum ſibi continens ipſum cuius ſuperficies eſt locus eius proprius, & naturalis. *Omne corpus circa vltimã ſphæram eſt in loco.*

Sexta concluſio. Partes eſſentiales totius, & accidentia extenſa per totum ſubiectum, ſunt in loco per accidens ; ſed partes integrales totius exiſtentis in loco ſunt in loco in potentia, & quædam ſunt in loco per ſe in potentia; vt partes ſubſtantiæ compoſitæ exiſtentis in loco alia ſunt in loco per accidens in potentia, vt partes accidentium, & partium eſſentialium. Patet igitur qualiter diuerſimodè aliquid dicitur eſſe in loco, & qualiter diuerſa entia ſunt diuerſimodè in loco. 7.

Ad rationes : ad primam dicitur, quòd non omne mobile eſt in loco: quia vltima ſphæra nullo modo eſt in loco, nec ratione totius, nec ratione partis.

Ad ſecundam : quòd non eſt proprium corpori eſſe in loco, ſed ſolùm eſt proprium corpori habenti aliquod extrinſecum continens ſeparatum ab eo.

Ad tertiam, negatur conſequentia, nec eſt ſimile; quia hoc verbum *eſt*, connotat eſſe in tempore, vel ſaltem in inſtanti ſub diſtinctione, ſic, quòd connotat eſſe in tempore, vel in inſtanti, & debet hoc poni ſub diſiunctione propter multa, quibus diuerſimodè attribuitur eſſe, ſed hoc verbum *eſt*, non connotat eſſe in loco, ideò non eſt ſimile.

Ad quartam, dico quòd iſtæ ſunt paſſiones communes omnibus entibus, id eſt, ſunt paſſiones communiores, quæ conueniunt entibus naturalibus, ſed ex hoc non ſequitur, quòd quælibet illorum conueniat.

Ad quintam, concedo quòd vltima ſphæra non eſt in loco. Ad probationem dico, quòd non ſequitur, *hoc mouetur localiter, igitur eſt in loco*; ſed ſufficit, quòd aliter ſe habeat ad aliquod quieſcens, quàm ſe habuit ; vel ſaltem, quòd aliter ſe haberet ad aliquod quieſcens, ſi aliquod quieſcens eſſet. Et hoc dico pro tanto, ſi poneretur totus mundus moueri vno motu recto, vel circulari.

ANNOTATIONES.

8\. [a] *De hoc dixerunt quidam ponentes locum esse separatum*, &c. Nota, quòd hæc opinio est Philoponi dicentis primam sphæram esse in vacuo circunstante illam, tanquam in loco. Hæc tamen opinio est expressè contra Aristotelem, qui in primo [c] huius libri ex professo probat locum esse qoid positiuum, nam esse in aliquo, dicit esse in illo tanquam in receptiuo.

[b] *Alia opinio ponit, quòd vltima sphæra*, &c. Nota, quòd hæc est opinio Themistij, quam Diuus Thomas, & Ægidius sunt secuti: & ratio eorum est: quia eo modo primum mobile est in loco, quo mouetur localiter; & quia non mutat locum secundùm se totum, sed secundùm partes, vt ea, quæ nunc est in Oriente, postea fit in Occidente; fit vt non sit in loco secundùm se totum, sed secundùm partes. Quòd si quæratur de locis partium, respondent ex Aristotele à text. 43. vsque ad 46. quòd vna pars continui est locus alterius, non locus in actu, quia non est actu diuisa ab illa; sed in potentia: quia scilicet si diuideretur ab illa, manente vbi est, esset in ea tanquam in loco in actu. Vnde si diuidas primum mobile secundùm circulum, sicut radij plaustri diuidunt rotam, intelliges quòd in loco, vbi nunc est vna pars, postea succedit alia, sicuti in rota, vbi nunc est radius vnus, deinceps succedit alius, nisi quòd illic partes non sunt discontinuæ. Sed hæc opinio stare non potest, tum quia primum mobile non esset in loco nisi in potentia: cùm enim non sit in loco secundùm se totum, sed præcisè secundùm partes; & partes non sunt in loco nisi in potentia secundùm istos: ergo primum mobile non erit in loco nisi in potentia. Tum, quia supponit falsum: quia locus est separatus à loco, & non sunt continua 4. huius; vna autem pars est alteri continua, & non separata; ergo vna non potest esse alterius locus. Neque fauent huic sententiæ verba Aristotelis in text. 47. quia per cœlum, vt exponunt Commentator, & Scotus, Aristoteles intelligit vniuersum, quod benè est in loco per partes, & vna continet aliam, vt optimè hîc docet Scotus.

9\. [c] *Tertia ponit, quòd vltima sphæra nullo modo est in loco.* Nota, quòd hæc fuit opinio Alexandri, & Auicennæ dicentium, quòd vltima sphæra nullo modo est in loco, scilicet nec per se, nec per accidens, nec secundùm totum, nec secundùm partes, nec etiam mouetur secundùm locum, nec per se, nec per accidens, nec per suas partes; sed mouetur solùm secundùm situm. Prima pars huius opinionis probari potest ex definitione loci, & ex text. 43. vbi dicit Aristoteles: *Cui igitur corpori est aliquod corpus extra continens ipsum, hoc in loco est; cui vero non, minimè.* Vbi habetur secundùm antiquam translationem. Illud quod habet aliquod corpus extra continens ipsum est in loco, & quodlibet corpus extra quod non est aliud corpus, non est in loco. Patet etiam ex text. 46. vbi ista scribit. *Terra quidem in aqua est, hæc verò in aere, hic autem in æthere, & æther in cœlo; cœlum autem non ampliùs in loco est.* Et quoad istam partem, hanc opinionem sequitur Scotus, & secundam improbat: non enim stare potest, quod dicit Auicenna, nempe quòd motus primæ sphæræ non est ad locum, sed ad situm partium, quia cùm situs importet ordinem partium in loco, vt vna pars sit ad vnam differentiam positionis, & aliam ad aliam, fit, vt non possint partes mutare situm, nisi mutent locum, vt pars quæ modò est in Oriente, sit postea in Occidente.

[d] *Quarta opinio*, &c. Nota, quòd Commentator mouet hanc dubitationem, quia suprema sphæra mouetur secundùm locum: aut ergo est in loco, vel non; si detur quòd non sit in loco, tunc aliquid motum localiter non est in loco. Si verò detur, quòd sit in loco, cùm non sit corpus extra continens, sequitur quòd suprema sphæra erit in vacuo, & sic locus erit vacuum, & dimensio separata. Et dicit Commentator quòd Ioannes Grammaticus propter hoc obedit huic, ponendo locum esse dimensionem, & vacuum, & non finem, vel terminum continentis; sicut dixit Aristoteles: atque adeò ipse Commentator dicit vltimam sphæram esse in loco per accidens, id est, per suum centrum. Vnde dicit, quòd definitio loci non competit cœlo. Impossibile est enim exponere ista verba Philosophi, ita quòd definitio, quam inducit de loco, sit communis simplici corpori recto & rotundo. Nos autem dicimus quantumcumque sit fixum secundùm se totum, necesse est vt hoc modo sit quiescens; & quia quies inest ei propter aliquod quiescens, quod est terra, quæ est in loco per se; & ideò cœlum non dicitur esse in eodem loco, & non transmutatur per accidens: quia centrum semper est in loco essentialiter; & hæc est intentio sermonis Aristotelis dicentis, quòd cœlum est in loco suo per accidens. Et postea subdit: Est ergo motum, & quiescens in suo loco per accidens, scilicet propter centrum, quod est in loco essentialiter: hoc enim quod inuenitur in alio per accidés, inuenitur in illo propter aliud habens illud, per se. Et sequitur secundùm hoc opinio Aristotelis quòd omne corpus est in loco, & quòd omne motum est in loco; sed istorum quoddam est in loco per accidens, & aliud per se. Ex hoc apparet, quòd corpus dicitur esse in loco duobus modis, scilicet per se, & per accidens. Vnde definitio loci neque per se, neque per accidens conuenit cœlo, sed cœlum esse in loco per accidens non est aliud, quàm ipsum continere aliquod quiescens, quod est in loco per se tanquam in continente ipsum. Hæc Auerroës. 10.

Cæterùm hæc sententia Commentatoris est primò contra definitionem loci traditam ab Aristotele, dicente, locum esse vltimum continentis. Secundò, orbes cœlestes non habent à centro terræ, vt nec plus, nec minùs distent; sed natura sua vt sint, vbi sunt. Et esto quòd cœli dicantur fixi per respectum ad centrum, illud tamen nihil facit ad rationem loci; aliàs dici posset quòd axis plaustri esset locus rotæ, & quòd cor hominis esset locus hominis; vt hic dicit Scotus. Et præterea, nunquam dixit Aristoteles rem vnam esse in loco per accidens ratione alterius, nisi quando est in altera, & altera est in loco, sicut anima ratione corporis est in loco; cœli verò non sunt in centro, cùm cœlum sit à centro prorsus alienum. 11. *Opinio Auer. reiicitur.*

Nota, quòd communiter Scotistæ dicunt, vltimam sphæram esse in loco, eo quòd mouetur localiter, non solùm per accidens, sed etiam per se, non quidem passiuè, sed actiuè, & mouetur ad *vbi* non passiuum, id est, ad *locari*, sed actiuum, id est, ad *locare*; quare non est in loco passiuè, quia non locatur, sed actiuè, quia locat, & ambit. Vnde dicunt quòd duplex est *vbi*, sicut & circum *Opinio Scotistarum quomodo vltima sphæra sit in loco.*

cum[illegible] enim est duplex circumscriptio, scilicet actiua & passiua. Prima est corporis circumscribentis. Secunda est corporis circumscripti, & contenti. Ita etiam est duplex *vbi*, [illegible] et passiuum; & illud est ipsius corporis locati, seu locabilis: & actiuum, & hoc est ipsius corporis locantis. Secundò, dicunt quòd motus localis est duplex, vnus qui terminatur ad *vbi* passiuum; & alter qui terminatur ad *vbi* actiuum. Vnde motus localis corporis contenti, & circumscripti terminatur ad *vbi* passiuum: sed motus localis corporis continentis, & locantis terminatur ad *vbi* actiuum. Et tale corpus non dicitur propriè esse in loco, vel moueri de loco ad locum; sed magis circa locum, vel circa corpus, quod locat.

12. Locus ergo vltimæ sphæræ non est aliquod *vbi* passiuum, eo quòd ipsa non continetur in aliquo loco; sed est *vbi* actiuum: quia est circa locatum; quod per se est in loco, ita vt acquirat locato *vbi* passiuum: & acquirit sibi *vbi* actiuum; atque ita vltima sphæra non est in loco, nec per se, nec per accidens, nec partes suas, nec aliquo modo, nec mouetur in loco, sed tantùm circa locatum modo prædicto. Et fortè ita intellexit Auempace; quando dixit quòd locus primæ sphæræ est superficies conuexa sphæræ inferioris sibi proximæ super quam mouetur: non enim mouetur ad *locari*, sed ad *locare*: atque adeò non est conuexa superficies sphæræ inferioris locus primæ sphæræ, eo quòd contineat ipsam, sed quia a prima sphæra continetur, & circa quam prima sphæra mouetur.

Locus est necessariò in rerum natura.

e *Aliquid potest dici esse in loco dupliciter, &c.* Nota, locum necessariò supponendum esse in rerum natura; pertinet enim ad ordinem vniuersi, eiusque perfectionem, in quo omnia habent proprium situm & locum. Est autem locus multiplex, alter quidem spiritualium rerum: alter verò corporearum. Locus rerum spiritualium impropriè est locus; sicut enim Angeli impropriè localiter mouentur, ita & impropriè sunt in loco. Locus rerum corporalium adhuc est duplex, Mathematicus videlicet, & Physicus, qui quidem est superficies illa, quam in superioribus diximus locum, secundùm quòd in ipsu conseruantur, seu destruuntur locata; de quo præsens quæstio exagitatur.

13. *Modus existendi in loco rerum creatarum est duplex.*

f *Alio modo potest dici esse in loco dupliciter.* Nota duplicem esse modum existendi in loco rebus creatis conuenientem. Alter circumscriptiuè dicitur, vel vt dicit hîc Scotus occupatiuè; & hic modus est circumscribi, & circumambiri à locante corpore, quomodo sola corpora sunt in loco. Alter est definitiuè, & est nihil aliud, quàm taliter hîc esse, quòd non alibi; qui modus existendi in loco competit tam creaturis corporalibus, quàm spiritualibus; taliter enim hoc corpus est in hoc loco, & anima Beati Petri est in cœlo; & Angelus taliter erat super lapidem sepulchri, quòd non erat in cœlo, sicut neque anima B. Petri in terra, & neque hoc corpus alibi, quàm in hoc loco. Habent ergo se isti duo modi sicut superius, & inferius: quod enim est in loco circumscriptiuè, similiter est & definitiuè, & non è contra. Parúmque modò ad rem attinet, sintne Angeli in loco per essentiam suam, vt placet Scoto in 2. *d.* 2. *quæst.* 6. aut per operationem, vt placet D. Thomæ 1. *par. quæst.* 51. *art.* 1. & 2.

14. Si verò loquamur de Deo, aliter dicendum est. Primò enim cùm ipse sit vniuersalissima causa omnium rerum, omnibus inest, tanquam causa in suis effectibus. Dicitur etiam e[illegible] in loco non circumscriptiuè, quia non est corporeus; non definitiuè, quia est infinitus; sed dicitur potius esse vbique incircumscriptiuè, indefinitiuè, & immensiuè. Est quidem vbique per potentiam sicut Rex in regno est. Est vbique per præsentiam, sicuti ego vobis sum præsens, qui estis co[illegible] me, quia omnia sunt in prospectu Dei, nu[illegible]que, & oculis suis aperta. Est etiam vbique [illegible], sicuti ego in hoc, quem occupo, loco. Deus quidem vbique est non occupans sicut res corporea locum; sed sic, quòd omnia replet, & implet: quia in omnibus rebus eius essentia reperitur: ex immensitate namque diuina nascitur nullo posse claudi loco, dum illud Hierem. 22. *Nunquid non cœlum, & terram ego impleo?* De hoc latè est disputatio apud Theologos *in* 1. *d.* 37. d[illegible] & de hoc S. Thomas 1. *par. quæst.* 8. *art.* 1. & 3. Alius etiam modus existendi in loco reperitur, scilicet, Sacramentaliter, qui tantùm Christo Domino in Eucharistia existenti competit, qui, vt est de fide, taliter est in vna consecrata hostia, quod in quamplurimis existit sacramentaliter, de quo Theologi, atque etiam nos in 4. *d.* 10 diffusè egimus.

g *Vltima sphæra cœlestis non est in loco, &c.* Nota, quòd corpora cœlestia, excepto cœlo Empyreo, sunt in sibi proximo, inferius videlicet in superiori, vt in loco suæ naturæ debito, vt cœlum Lunæ intra superficiem cœli Mercurij, & istud sub Venere; Venus autem sub cœlo Solis, & Solis sub Marte, & Martis sub Ioue, & Iouis sub Saturno, & Saturni sub firmamento, in quo sunt stellæ, & istud sub cœlo Crystallino, hoc autem sub primo mobili, primum verò mobile, quod decimum est cœlum, est sub Empyreo, quod est beatorum sedes. Istud autem cœlum, cùm non moueatur, non oportet quòd sit in loco; & si ita crederet Aristoteles, non fuisset anxius de loco primæ sphæræ: sed quia prima sphæra secundùm ipsum mouetur, & motus intelligi nequeat sine loci mutatione, sollicitus fuit quærere locum primi mobilis. 15.

Nota secundò, quòd cœli non sic sunt in loco, vt à locis conseruentur: quia ipsa incorruptibilia, & perpetua sunt, sed quia ad perfectionem vniuersi pertinet, vt vnumquodque corpus sit in loco naturali.

Nota tertiò, quòd corpora mixta ex elementis sunt in loco secundùm elementum in illis prædominans, quamuis in animalibus præter motum secundùm elementum prædominans, quo mouentur ad locum naturalem sibi ex tali compositione elementali debitum, reperitur alius proprius motus progressiuus, de quo postea erit sermo. Ex quo sequitur, quòd locus quorundam mixtorum sit terra, vt lapidum: quia in lapidibus prædominatur terra. Aliorum est terra, & aqua, vt metallorum, quia in illis hæc elementa prędominantur. Quædam habent tantùm aquam, vt pisces, eo quòd in eis viget humor aqueus; alia animalia habent terram, & aërem, vt aues, & reptilia, in quibus terra, & aër propter respirationem prædominantur. 16.

EXPOSITIO TEXTVS.

EOdem autem modo existimandum est, &c. Iste 17.
est secundus [a] tractatus huius quarti libri, Text. 30.
in

in quo Philosophus determinat de vacuo; & diuiditur in sex capitula. In primo ponit rationes antiquorum; quibus probabant vacuum non esse, & etiam qoibus probabant vacuum esse. In secundo ostendit vacuum nun esse per omnes descriptiones datas de vacuo. In tertio ostendit vacuum non esse per rationes sumptas ex parte motus. In quarto ostendit vacuum non esse ex parte velocitatis, & tarditatis. In quinto ostendit vacuum non esse per naturam, & conditionem, quæ competeret vacuo, si vacuum esset. In sexto ostendit, quòd vacuum non est immixtum, seu imbibitum corporibus. Secundum ibi: *Vt autem sciamus*. Tertium ibi: *Quod autem non est*. Quartum ibi: *Amplius autem & ex his*. Quintum ibi: *At verò per se considerantibus*. Sextum ibi: *Sunt autem quidam*. Primò præmittit intentionem. Secundò prosequitur ibi: *Alij igitur*. Primò ponit istam conclusionem: Ad naturalem spectat determinare de vacuo. Probatur, quia ad illum spectat determinare de vacuo, ad quem spectat determinare de loco; sed ad naturalem spectat determinare de loco; igitur, &c. Minor patuit priùs, & maior probatur: quia per eandem causam, per quam deuenimus ad cognoscendum, quòd locus est, alij capiunt rationem, & fidem, quòd vacuum est, scilicet propter motum localem. Secundò patet per vulgum, qui ponit illud esse vacuum in quo non est corpus tangibile, vt vas in quo solùm est aër. Tertiò patet, quia si vacuum [b] esset, idem esset locus, & vacuum, sed diceretur locus eâ ratione, quâ repletus, & vacuum eâ ratione, quâ priuatum corpore. Et tunc tangit ordinem procedendi, quòd primò ponendæ sunt rationes, quibus probatur vacuum esse. Secundò ponendæ sunt rationes, quibus probatur vacuum non esse; & tertiò dicentur communes opiniones de ipsis.

Consideratio de vacuo ad Physicum spectat.

18. Text. 51. *Alij igitur a monstrare tentantes*. Hìc prosequitur, & primò ponit rationes antiquorum probantes vacuum non esse. Secundò rationes probantes vacuum esse, ibi, *Existimantes autem*. Pro prima parte notandum, quòd antiqui ponentes vacuum non esse probabant [c] quòd corpora repleta aëre non sunt vacua, immò etiam aër est corpus natum resistere, & facere distare alia corpora; & hoc posito, crediderunt sufficienter probasse vacuum non esse. Sed dicit Aristoteles, quòd hoc non valet: qoia ploribus aliis modis alij posuerunt vacuum. Aliqui [d] enim imaginabantur vacuum infinitum extra cœlom. Item, alij dicebant vacuum esse imbibitum corporibus mixtis: modò neutra istarum positionum improbatur per prædictum modum. Quòd autem corpora repleta aëre non sint vacua, probant dupliciter. Primò, quia vtres, & vesicæ repletæ aëre sine fractione non possunt comprimi. Secundò per clepsydras, vnde [e] clepsydra est instrumentum habens vnum paruum foramen suprà, & multa foramina subtus, tunc obstructo foramine superiori, si vas illud ponatur in aqua, non potest ingredi propter resistentiam quam habet ab aëre: sed aperto foramine superiori statim ingreditur aqua, eo quòd aër inclusus in vase cedit per foramen superius.

19. Text. 52. & 53. *Existimantes 3 autem*. In ista parte ponit rationes antiquorum ad probandum vacuum esse: quia si vacuum non esset, sequeretur, quòd nullus posset fieri motus localis; consequens est contra experientiam. Et consequentia probatur; quia mobile, vel reciperetur in pleno, vel in vacuo. Si in vacuo, habetur propositum. Si in pleno, hoc est impossibile: quia duo corpora essent simul; & quâ ratione duo, eâdem ratione tria; & sic infinita corpora possent esse simul. Item, quâ ratione magnum corpus potest recipere paruum, eâdem ratione paruum potest recipere magnum, scilicet recipiendo successiuè partes eius: igitur possibile esset, quòd totus mundus esset in vno grano milij, quod est falsum. Et conuertendo istam rationem, probat [f] Melissus, quòd 4 omnia essent immobilia: quia si aliquid moueretur, iam esset dare vacuum, qood est impossibile. Secunda ratio: 5 quia si vacuum esset, sequeretur, quòd nulla posset fieri condensatio; consequens est falsum, vt quando ex aëre generatur aqua. Consequentia probatur, quia pars, quæ cederet ad minorem locum, vel reciperetur in vacuo, & habetur propositum, vel in pleno, & tunc duo corpora essent simul, quod est improbatum. Confirmatur per experientiam; quia videmus quòd dolium continet tantum de vino cum vtribus, quantum contineret sine vtribus; quòd non esset nisi vtres reciperentur in vacuitatibus inclusis in vino. Text. 54. Text. 55.

Rationes probantes dari vacuum.

Amplius 6 autem. Est tertia ratio, quia nisi esset vacuum, sequeretur, quòd nulla posset fieri augmentatio; consequens est falsom, & consequentia probatur: quia augmentatio fit per aduentum alimenti, quod si reciperetur in vacuo, habetur propositum. Si in pleno, tunc duo corpora erunt simul. *Testimonium autem*. Est quarta ratio per experientiam; quia videmus, quòd [g] vas plenum cineribus, tantum cootinet de aqua, quantom si non essent cineres, qood non esset, nisi inter cineres esset vacuitas, in qoa reciperetur aqua. *Esse autem affirmarunt*. Est quinta ratio, quia nisi [h] vacuum esset, sequeretur, quòd in istis inferioribus nulla essent discontinua; consequens est falsum. Et consequentia probatur, quia non apparet vnde proueniret discontinuatio, nisi propter vacuum intermedium. Ideò dicebant Pythagorici, quòd de vacuo infinito extra cœlum, quandoque inspiratur vacuum per cœlum ad faciendum discontinuationem in corporibus huius mundi. Text. 56.

ANNOTATIONES.

[a] *ISte est secundus tractatus, &c.* Absolutâ primâ parte huius libri, iam secundam aggreditur Aristoteles, in qua disputat de vacuo, de qua re primum probat ad Physicum tractationem de vacuo pertinere, quia cum loco habet affinitatem; deinde quandam opinionem refert vacuum impugnantem: refert & aliam vacuom esse affirmantem; his tamen peractis multis probat rationibus non posse dari vacuum, neque separatum à rebus, vt quidam dixerunt, neque rebus ipsis immersum, vt alij existimarunt. 20.

[b] *Si vacuum esset, idem esset locus, & vacuum, &c.* Nota, quòd locus, & vacuum idem sunt subiecto, sed solâ ratione, & definitione differunt, & hoc est quod dicit Aristoteles: *Vacuum, & plenum & locus, esse autem ipsis non idem est.* Obserua tamen Aristotelem non intelligere rationibus eisdem reuera comprobari vacuum esse, quibus comprobatur locum esse: nam primum est falsum; & secundum verum: neque subinde apparenter argui locum non esse, & vacuum non esse,

Locus, & vacuum sunt idem, subiecto.

sed

[illegible], quod non [illegible] vacuum sola ratione [illegible], [illegible] onibus persuadebant sibi [illegible], & vacuum esse, scilicet ad [illegible]ndum motum localem.

e *Probabant quòd corpora repleta aere*,&c. Nota, quò[d] vacuum (si esset) deberet esse locus nullo prorsus sensibili corpore repletos, & in hoc omnes ponentes vacuum, conueniebant. Verùm nonnulli propter insensibilitatem aëris crediderunt aërem nihil esse, atque adeò crediderunt locum, in quo non est nisi aër, esse vacuum. Contra quos Anaxagoras credidit sufficienter ostendere vacuum non esse, si ostenderet aërem aliquid esse, atque adeò vbi est aër non esse vacuum. Quod probahat duplici experientia: primò in vtre pleno aëre, cui licèt grauem lapidem superponas, non cedit, sed resistit; & tamen si vter esset vacuus, non resisteret, sed comprimerentur latera. Altera experientia est de clepsydra.

21 f *Aliqui imaginabantur vacuum infinitum extra cœlum*. Nota, quòd Pythagoras ponebat vacuum extra vniuersum, nempe extra vltimum cœlum, idque infinitum, materiale, & separatum, cuius meminit Philos. lib. 3. text. 25. & 35. & Philoponus dicit hanc opinionem Pythagoræ esse solùm metaphorice intelligendam, nempe quòd distinctionem numeralem rerum appellaret vacuum, veluti cùm flatu pulueres secernimus, videntur vacuitates mediæ inter eos restare. Alij ponebant vacuum in rebus istis mobilibus, & hoc duplici modo: aut extra corpora sensibilia, vt in aula, & in campo; vbi in rei veritate est aër: aut immixtum corporibus, vt Democritus, & Leucippus. Hi namque astruebant res ex insectilibus atomis componi, & quia non intelligebant quomodo res distinctæ, & discontinuæ essent, nisi inter illas vacuum esset, ponebant inter atomum, & atomum porum vacuum, ita vt mixtum ex atomis per poros disiunctis esset compositum, ob idque qui sufficienter vult impugnare vacuum esse, attendere debet, vt vniuersaliter probet, nec intra corpora, nec in corporibus aliquem esse locum, qui non sit corpore plenus, quod non faciebat Anaxagoras. Nam ratio eius solùm procedit contra eos, qui existimantes omne ens esse corpus, scilicet perceptibile sensibus, putabant aërem nihil esse, & per consequens, quod plenum est tantùm aëre esse vacuum.

22 e *Vnde clepsydra*, &c. Nota, quòd clepsydra, vt inquit Albertus, est nomen Græcum, & dicitur a κλέπτω quod idem est, quod *fur*, & ὕδωρ, quod est *aqua*. Vnde clepsydra quasi furatiua, siue abstractiua aquæ. Vel dicitur clepsydra à κλέπτω, quod est *furor*, & ὕδωρ quod est *aqua*, id est, vas ad furandum, & surripiendum aquam. Est enim instrumentum habens collum paruum sursum, stríctúmque desuper orificium, & ventrem latum deorsum cum paruis foraminibus, & cùm obstruitur foramen sursum, quáuis fundum clepsydræ per aquam ponas, non intrabit aqua, resistente aëre; ne detur penetratio dimensionum, neque exit aqua recepta ne detur vacuum: aperto autem orificio quo exeat, aut ingrediatur aër, subintrat, vel egreditur aqua, éstque instrumentum aptum hortulanis.

[Clep]sydra [quid] [sit].

f *Et conuertendo istam rationem probat Melissus*, &c. Nota, quòd Melissus arguebat hac ratione à destructione consequentis, motum non esse, in hunc modum; si aliquid moueretur, iam esset dare vacuum, at vacuum dari non potest: ergo non datur motus. Dicit autem Scotus, quòd Melissus conuertendo rationem, probabat omnia esse immobilia, quia vt illi arguebant à positione antecedentis ad positionem consequentis, vacuum esse in hunc modum, *Si motus est, vacuum est, sed motus est, ergo vacuum est*. Ita Melissus recipiens eandem maiorem, arguebat ex opposito consequentis ad oppositum antecedentis, *Si motus est, vacuum est; sed vacuum non est. ergo motus non est*.

g *Vas plenum cineribus tantum continet de aqua*, &c. Nota, quòd hoc prouenit propter quatuor. Primum, quia partes cinerum includunt multas partes aëris, quæ expelluntur in infusione aquæ. Secundum, quia humidum aquæ est benè terminabile termino alieno, & male terminatur termino proprio; ideò maiorem locum occupat. Tertium, quia contraria nota sunt se inuicem corrumpere; sed aqua, & cineres secundum suas qualitates contrariantur, atque ita aqua corrumpit cineres, & cineres aquam, & propter hoc videtur manifesta euaporatio vnius, & alterius: sicut etiam patet in calce. Quartum est, quia in cineribus sunt multi pori recti, & patentes, &c. 23.

Vas plenum cineribus quomodo contineat tantum aquæ, quantum absque cineribus continebat.

h *Quia nisi vacuum esset, sequeretur*, &c. Nota, quòd fuit opinio Pythagoræ dicentis infinitum esse vacuum extra cœlum, & ipsum egredi in hunc mundum per modum respirationis, distinguens naturas rerum, scilicet, primò numeros, & consequenter alia. Nam intelligere non poterat, quomodo esset rerum numerica distinctio, & discontinuatio inter duo corpora indiuidua, nisi aliquod esset medium, quod non esset corpus, ob idque ponebat extra corpora vacuum, quo indiuidua, vt Petrus a Paulo, numero distinguerentur, & hoc vacuum ponebat extra vniuersum; aiebátque cœlum foraminibus quibusdam paruis inspirare intra se vacuum illud ad faciendam huiusmodi distinctionem materialem, & indiuidualem rerum. Et ne videretur hæc sententia contradictionem inuoluere, ex eo quòd vacuum, cùm nihil sit, non potest egredi, neque intrare, dicebant aliqui Pythagorici, illud vacuum non esse simpliciter nihil; sed esse spiritum quendam tenuissimum, sicut pulueres. Et sicut pulueres tenui flatu respirantes diuidimus, ita cœlum inspirando intra se illud vacuum faciebat distinctionem numericam rerum, & ad hanc metaphoram videtur hîc Philoponus alludere.

Opinio Pythagoræ de vacuo.

EXPOSITIO TEXTVS.

VT *autem* 1 *sciamus*, &c. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit vacuum non esse, discurrendo per descriptiones vacui: & primò facit hoc. Secundò soluit rationes adductas in primo capitulo, ad probandum vacuum esse. Secundum ibi, *Nulla autem necessitas est*. Primò præmittit intentionem. Secundò prosequitur, ibi, *Videtur igitur*. Primò dicit, quòd in determinando de vacuo, oportet accipere quid hoc [a] nomen *vacuum* significet. Vbi dicit Commentator quòd oportet describere terminum per aliquam orationem compositam ex aliquo, 24. Text. 57.

quod

quod se habet per modum generis, & tunc videre an differentia conueniat generi, vel non: cuius causa est, quia si significatum per terminum descriptum sit ens in rerum natura, tunc differentia conueniet generi; & si non sit, tunc non conueniet.

25. *Videtur igitur*. Hic prosequitur; & primò probat, & reprobat falsas descriptiones vacui. Secundò ponit veram descriptionem eius; ex qua probat vacuum non esse, ibi, *Quoniam autem de loco*. Vnde antiqui dabant quatuor descriptiones vacui. Vna erat [b], quòd *vacuum est, in quo non est corpus*. Secunda erat, quòd *vacuum est, in quo nihil est*, & hoc est pro tanto, quia putabant omne ens esse corpus, & dicebant in illo nihil esse, in quo non erat corpus. Tertia, quòd *vacuum est, in quo non est corpus graue, vel leue*. Quarta, quod *vacuum est in quo non est substantia, quæ est hoc aliquid in actu*: & ideo ponebant, locum esse materiam. Contra primam & secundam, arguitur simul; quia ex illis sequitur, quòd punctus esset vacuum: consequens est falsum, quia de natura vacui est, quòd sit susceptiuum corporis, si esset; & tamen punctus non est susceptiuus corporis. Consequentia patet, quia punctus est in quo nihil est, nec corpus, nec aliquid aliud. Contra tertiam

Text. 58. 2 arguitur, quia ex illa sequitur, quòd si esset [c] aliquod corpus sonorum, quod non esset graue, vel leue, quòd locus repletus illo corpore esset vacuus; quod est falsum. Et patet consequentia: quia non haberet in se grauitatem, vel leuitatem. Et Aristoteles arguit hic conditionaliter, non asserendo, quòd cœlum sit tale corpus; & hoc facit pro tanto, quia nondum est probatum quomodo cœlum habeat grauitatem, vel leuitatem; sed hoc probabitur in libro Cœli. Contra quar-

Text. 59. tum obiicitur: 3 quia si vacuum esset materia corporis, sequeretur quòd locus esset materia, quod est improbatum prius, quia materia non est separabilis ab illo cuius est materia; sed vacuum est separabile, sicut sic ponentes confitentur; igitur vacuum non est materia.

26. *Quoniam autem 4 de loco*, &c. Hic ponit veram

Text. 60. descriptionem vacui, scilicet quòd *vacuum est lo-*

Definitio vacui. *cus priuatus corpore*: & ex hoc infertur secundum, quòd vacuum non est. Primum patet ex *quid nominis* vacui. Vnde per vacuum omnes intelligunt, susceptiuum corporis, in quo natum est esse corpus; & tamen in illo nullum est corpus. Secun-

Text. 61. dum 5 patet, quia si [e] vacuum esset, sequeretur, quòd esset aliqua dimensio separata; consequens est falsum secundùm Commentatorem, quia talis dimensio esset accidens, & impossibile * est esse accidens separatum à subiecto.

* Vide com fortè in princ. huius libri.

Text. 62. *Nulla autem 6 necessitas est*, &c. Hic soluit rationes priùs positas probantes vacuum esse: & soluit quatuor, tacendo de quinta: quia reputat nullius valoris. Secunda ibi, *Contingit autem*. Tertia ibi, *Et augmentari*. Quarta ibi, *Omnino autem*. Ad primam rationem. Si motus localis [f] est, vacuum est: negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd motum localiter recipitur in pleno: & negatur consequentia, quòd duo corpora sint simul; & causa est, quia corpus in quo recipitur, cedit sibi per condensationem, ita vt vsque ad aliquam certam partem omnes partes medij in quo fit motus propinquius iacent quàm antè, vt

Text. 63. patebit postea. Ad secundam 7 negatur consequentia: quia adhuc potest fieri condensatio per compressionem, expellendo partes subtiliores, vt patet in compressione spongiæ, & Aristoteles tacet de alio modo condensationis, qui fit per præuiam alterationem; vt quando ex aëre fit aqua: & hoc pro tanto, quia de ea facit mentionem in fine huius tractatus. Ad tertium, negatur consequẽtia, quia adhuc potest fieri augmentatio, vt si ex aqua fiat aër: tamen ista non est propriè dicta augmentatio: quia de augmẽtatione propriè dicta viuentis, fit mentio in libro de Generatione. Ad quartam rationem dicit Aristoteles, quòd illa de cineribus interimit se ipsam: quia siue ponatur vacuum, siue non, æqualiter debet solui illa ratio: & ideò respondetur, quòd hoc est propter siccitatem cinerum, quæ multum consumit de aqua, & cum hoc aqua multum consumit de cineribus.

ANNOTATIONES.

[a] O*Portet accipere quid hoc nomen* vacuum *significet*. Nota, quod quemadmodum ad demonstrandam passionem de subiecto oportet supponere quid est subiectum, ita ad ostendendum an res significata per subiectum sit, oportet supponere, quid nomen significet. 27

[b] *Antiqui dabant quatuor descriptiones vacui*, &c. Nota, quòd aliqui antiqui ex eo supponebant vacuum esse locum, in quo nihil est, quia Intelligentias spirituales nondum cognoscentes, nihil putabant esse nisi corpus, & cùm in rei veritate vacuum sit locus, vbi non est corpus, pro eodem accipiebant *corpus*, & *ens*, & in loco non esse corpus, & esse nihil; & ex hoc in alium labebantur errorem, putantes nullum esse corpus nisi tantùm tangibile; omne autem corpus tangibile aut graue est, aut leue; & ex hoc colligebant vacui definitionem, *Vacuum est locus, in quo non est corpus graue, aut leue*.

Antiqui vnde moti ad ponendum vacuum.

[c] *Si vacuum esset materia*, &c. Nota, quòd, cùm vacuum nihil aliud sit, quàm locus non repletus corpore, sequitur iuxta sententiam Platonicorum, qui ponebant locum esse materiam, & quatenus recipit formam, per quam res fit hoc aliquid, id est, constituitur in hac specie, materiam (quatenus consideratur non determinata ad certam speciem substantiæ per formam) esse vacuum. Hos autem reprehendit Aristoteles, quia sicut non rectè dixerunt materiam esse locum, ita nec rectè dicunt materiam esse vacuum: materia enim non est separabilis, id est, subiecto distincta ab eo, cuius est materia: locum verò atque adeò vacuum omnes concedunt rem esse distinctam à corpore, quo locus aut repletur, aut caret.

[d] *Si vacuum esset, sequeretur quòd esset*, &c. Nota, quòd, cùm vacuum idem sit quòd locus non repletus corpore, & determinatum sit text. 37. locum non esse spatium inter latera loci, nempe dimensiones distinctas à corpore locato, sequitur vt neque vacuum detur extra corpus, quod localiter mouetur, vt dicebat prima opinio; neque intra corpora, vt dicebat Democritus. Hic autem insinuat Aristoteles hos assertores vacui eosdem esse, qui suprà posuerant locum esse illas dimensiones insensibiles distinctas a corporibus, quas text. 37. reprobauerat; hasque cùm carerent corpore sensibili, vacuum appellabant. Et ideò dicitur vacuum extra corpora, id est, distinctum à corporibus: sunt enim accidentia sine subiecto, & quantitates per se subsistentes. Quoad sequentium intelligentiam notandum est. Et hoc est, quod subiungit: vacuum enim non cor[...]: 28.

sed

[illegible] um esse vult, vel, vt alibi legitur, [illegible] vnde si legatur *vult*, referri debet ad vacuum [illegible] vacuum vult, id est, natura vacui expos[illegible], vt non sit corpus, sed corporis spatium; si vero legatur *volunt*, referri debet ad opinionis authores, vt sit sensus: opinantes vacuum esse, volunt vacuum non esse corpus, sed corporis [spat]ium.

29 *Si motus localis est, vacuum est*, &c. Nota, quòd hæc consequentia, vt manifestum est, non va[le]t de motu alterationis. Nulla enim est apparentia de motu alterationis, vt requirat vacuum, quo se mouens conferat: nam alteratio non fit per mutationem loci, sed per receptionem qua[li]tati in subiecto corpore, & in hoc, vt dicit hic Aristoteles, fuit deceptus Melissos, qui ex negatione vacui sustulit omne genus motus. Nec etiam [v]alet de motu locali, quia potest fieri per hoc quòd [c]orpora subintrant se inuicem per modum [co]ndensationis; vt si aliquid moueatur in [p]leno, sicut apparet in circulationibus aquarum, [vbi v]na pars pariter cædit aliam, & vnus circulus pellit alium.

[illegible] *[S]i esset aliquod corpus sonorum*, &c. Nota, quòd al[iq]ui ex antiquis putabant cœlum esse nec graue, nec leue, affectum tamen colore, & sono: (colore quidem propter lucem, & sono propter motum.) Ex hoc Aristoteles deducit eos in contradictionem. Nam cùm dicant solùm eum locum, qui est susceptiuus corporis tangibilis, cùm tali corpore caruerit, esse vacuum; dicere tunc co[g]untur locum repletum corpore cœlesti, aut [illegible] quæ illi putabant non esse grauia, aut leuia, esse tamen colorata) vacuum esse. Si verò non fuerit nec[ess]arium, vt locus non sit vacuus, corpus illud quo repletur, esse tangibile, sed satis est [e]sse corpus, sequitur, vt talis locus non sit vacuus, atque ita est in veritate. Contradictionem ergo implicant dicentes priùs vacuum esse locum, vbi nullum est corpus: & subiungentes postea vacuum esse, vbi non est corpus tangibile: cum detur locus, qui secundùm primam definitionem non est vacuus, & tamen secundùm alteram sit vacuus.

EXPOSITIO TEXTVS.

30. Text. 64. [Q] mait vacuum non esse ex parte motus.

QVoniam autem 1 *non est vacuum, sic separatum.* Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit vacuum non esse, per rationes sumptas ex parte motus. Et diuiditur, quia primò ponit vnam rationem, quæ est ex parte naturæ loci. Secundò ponit aliam, quæ est ex parte motus in generali. Et tertiò probat specialiter de quibusdam motibus, quòd non possunt fieri in vacuo. Secūda ibi, *Accidit autem*. Tertia ibi, *Amplius nunc quidem* Prima ratio est, quia si vacuum est, vacuum est locus, sed vacuum non est locus, igitur vacuum non est. Maior patet ex *quid nominis* vacui: & minor probatur, quia locus, ad quem aliquod simplicium corporum mouetur naturaliter, vt ignis sursum, & terra deorsum, habet aliquam potentiam, & virtutem, propter quam corpus simplex mouetur ad ipsum: sed vacuum non habet huiusmodi potentiam, vel virtutem: igitur vacuum non est locus. Secundò confirmatur; quia vacuum non habet aliquam virtutem in vna parte sui, magis quàm in alia; igitur quā ratione corpus mobile simplex moueretur ad vnam partem, eâdem ratione ad aliam; & per consequens moueretur ad omnem partem simul, quod est impossibile; vel ad nullam, & habetur consequens.

Eadem 2 autem ratio, &c. In[fer]t corollarium, quòd locus non est spatium separatum. Probat dupliciter. Primò, quia locus est causa motus naturalis per hoc quòd habet quandam potentiam, & virtutem, scilicet con[s]eruatiuam locati: sed spatium separatum non habet huiusmodi potentiam, & virtutem; qui[a] quantum est e[x] parte spatij, nulla est differentia partium eius, ergo, &c. Secundò, quia si [a] spatium separatum esset locus, tunc sicut totum esset in loco per se, ita etiam quælibet pars eius. Consequens est falsum; quia pars non habet motum per se; & per consequens neque locum: & tunc in fine ponit maiorem primæ rationis, & patet in litera. 31. Text. 65.

Accidit 3 autem. Ponit secundam rationem: deinde confirmationem, ibi: *Primum igitur quoniam*. Ratio est ista: quia si vacuum esset, vacuum poneretur propter motum localem; sed propter motum localem non debet poni vacuum: vacuum igitur non est. Maior patet per antiquos: & minor probatur, quia in vacuo [b] si esset, non fieret motus localis, quia cùm omnes partes vacui sint eiusdem rationis ad istum sensum, quòd non est diuersitas potentiæ, aut virtutis in vna parte, quàm in alia, sequitur, quòd quā ratione fiet motus ad vnam partem, eâdem ratione ad aliam: & per consequens vel ad omnem partem simul fiet motus, vel ad nullam, quod est propositum. Text. 66.

Primum 4 igitur quoniam, &c. Ponitur tertia ratio; quia si vacuum poneretur propter motum localem, tunc in ipso [c] vel fieret motus naturalis, vel violentus: non violentus, quia nullus est motus violentus alicuius mobilis ad aliquam partem, nisi quia eiusdem mobilis est motus naturalis ad oppositam partem: & ideò cùm motus violentus sit posterior motu secundùm naturam, sequitur, quòd si in vacuo non potest esse motus naturalis, quòd nec etiam fiet motus violentus. Sed quòd non possit fieri motus naturalis, patet: quia in vacuo nulla est differentia loci secundùm potentiam, aut virtutem: quia vacuum non est ens, ideò in ipso nihil mouetur naturaliter ad vnam partem potiùs, quàm ad aliam. Item, quia differentia mutationum naturalium sumitur ex differentia naturalium locorum; sed in vacuo nulla est differentia loci: igitur etiam in vacuo nulla est mutatio naturalis. 32. Text. 67.

Amplius 5 nunc quidem. Hic probat specialiter de quibusdam motibus, quòd non possunt fieri in vacuo. Primò, de motibus proiectorum, quia omnis motus fit ab aliquo mouente: sed in vacuo non esset aliquod mouens separatum à primo proiecto, tamen in pleno est benè mouens, sicut [d] per antiperistasim, aut per aërem impellentem; & hoc videbitur in octauo huius. Item, in vacuo non potest fieri motus volationis, aut natationis: quia in illis semper requiritur aliquid sustentans alas, & pennas, quæ se habent per modum vehentis. Text. 68.

Amplius 6 nullus. Probat, quòd in vacuo non fiet motus; quia in vacuo non potest fieri quies: igitur nec motus. Tenet consequentia, quia in eodem habent fieri quies, & motus. Et antecedens apparet, quia non esset ratio quare mobile magis quiesceret in vna parte spatij, quàm in alia, nisi 33. Text. 69.

nisi esset aliquod impediens, quod determinet mobile.

Text.70. *Amplius 7 autem.* Probat, quòd propter motum localem non oportet ponere vacuum; quia si vacuum esset, & possibile esset, quòd in eo fieret motus, adhuc non fieret motus eodem modo in vacuo, sicut in pleno; quia dispositio, & figura confert ad motum in pleno propter facilius descendere in medio: & tamen nullo modo confert in vacuo.

ANNOTATIONES.

34. [a] *SI spatium separatum esset locus*, &c. Nota authores vacui opinari locum esse dimensiones illas, & spatium separatum à sensibilibus corporibus, id est, quantitates sine subiecto. Nota secundò, quòd in rei veritate, id quod est in aliquo tanquam in loco, debet esse in illo tanquam in aliquo separato continente, taliter, vt nulla pars locati sit in loco sibi adæquato. Modò secundùm ponentes illas dimensiones penetrantes se cum singulis partibus interioribus locati, quælibet pars locati est per se in loco, atque adeò si spatium separatum esset locus, totum penetratiuè erit cum toto, & quælibet etiam pars cum suo proprio loco, quod est contra rationem existendi in loco; nam pars continui non est per se in loco, sed est sicut pars in toto.

[b] *In vacuo, si esset, non fieret motus localis*, &c. Nota, quòd non solùm ex motu non infertur vacuum esse, verùm ex positione vacui sequitur motum non esse. Nam quemadmodum dicunt nonnulli, (quos 2. de Cœlo, text. 90. citat Philosophus) terram esse immobilem propter similitudinem, & vniformitatem superficiei continentis, vel propter similitudinem, & æqualitatem, quam habet in toto vniuerso, ratione cuius non huc magis, quàm illuc propendet: pari ratione, si aliquid ponas in vacuo, nihil erit causæ cur ad hanc, quàm ad illam differentiam potiùs feratur; & per consequens manebit immobile.

35. [c] *Tunc in ipso vel fieret motus naturalis*, &c. Nota, quòd in hac ratione Aristoteles duo supponit. Primum, quòd omnis motus est naturalis, vel violentus, inter quos apud Aristotelem, qui motum Angelorum non cognouit, non est dare medium, secundùm quòd violentus est posterior naturali, ex quibus sic arguitur In vacuo nihil mouetur naturaliter: ergo nec violenter, quia destructo priori destruitur posterius. Quòd autem motus violentus sit posterior naturali, ex eo patet: quia motus violẽtus, aut præter naturam, non dicitur, nisi per respectũ ad naturalem, & quod est ex naturali inclinatione rei, prius est eo, quod est contra naturam: ergo vbi naturalis motus non est possibilis, nec violentus possibilis est esse. Antecedens patet, quia omnis motus naturalis est sursum, vel deorsum; sed in vacuo non est sursum, neque deorsum. Tum, quia ponentes vacuum separatum dicunt ipsum esse infinitum, in infinito autem non potest signari sursum, nec deorsum, cùm ibi non sit vltimum, nec medium, vt dictum est suprà, lib. 3. text. 53. Tum etiam, quia vacuum nihil est, & nihil nullam habet differentiam specificam positionis, sursum autem, & deorsum dicunt virtutes positiuas contrarias.

36. [d] *Sicut per antiperistasim*, &c. Nota, quòd causa motus proiectorum post recessum à primo proiiciente, secundùm aliquos, est antiperistasis, id est, repercussio medij à medio, quia medium primò percussum a primo proiiciente pellit medium sibi propinquum, & illud pellit aliud, & sic consequenter quousque cesset virtus violenter impressa medio. Secundum verò alios causa illius motus est medium primò percussum à proiiciente, in quo est impressa virtus ab ipso proiiciente, quod quidem medium continuè assistit percusso, deferendo ipsum per quendam fluxum motu velociori, quàm sit natum moueri secundùm naturam; & ideò impedit motum naturalem percussi. Proiecta quidem mouẽtur proiectore non tangente. Sed de hoc latior erit sermo infrà, libro 8. cap. 10. text. 82. vbi est proprius locus.

Motus proiectorum quomodo fiat.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text.71. *AMplius 1 autem, & ex his*, &c. Sequitur quartum capitulum, in quo ostendit, quòd vacuum non est, rationibus sumptis ex parte velocitatis, & tarditatis; & primò præmittit quandam distinctionem. Secundò facit rationes ibi, *Idem autem in quo est A.* Distinctio, aut suppositio, quàm *A* præmittit, est ista, quòd idem mobile, vt idem graue, vel leue, quandoque mouetur velociùs, & quandoque tardiùs, propter alteram duarum causarum, scilicet, aut propter maiorem, vel minorem grauitatem, vel leuitatem: quia cæteris paribus grauius velociùs descendit, aut propter diuersitatem mediorum, per quæ fit motus in grossitie, & subtilitate: nam idem mobile mouetur velociùs per medium subtilius, quàm per medium densius.

Causa duplex velocitatis, & tarditatis in motu.

Idem autem in quo est A, &c. Hic format rationes, & sunt tres. Secunda ibi, *Sed si per subtilissimum.* Tertia ibi, *Quatenus igitur.* Prima ratio est; quia si vacuum esset, sequeretur, quòd in ipso fieret motus localis in instanti; consequens est impossibile: quia tunc idem esset in diuersis locis: & impossibilitas consequentis magis probabitur in 6. huius, text. 14. & inde. Consequentia probatur, quia talis est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & mensuræ vnius motus, ad mensuram alterius in longitudine, & breuitate, qualis est proportio medij, per quod fit vnus motus, ad medium, per quod fit alter, in grossitie, & subtilitate; sed medij pleni ad medium vacuum, nulla est proportio in grossitie, & subtilitate: igitur motus factus in medio pleno ad motum factum in medio vacuo, nulla est proportio in velocitate, & tarditate, nec mensuræ vnius ad mensuram alterius, in longitudine & breuitate; sed omnis motus factus in pleno fit successiuè, & in tempore, & omnis temporis ad aliud tempus est certa proportio, sequitur quòd motus factus in vacuo fiet in non tempore, & per consequens in instanti. Et interponit Aristoteles probationem minoris, scilicet, quòd medij pleni ad medium vacuum nulla est proportio in grossitie, & subtilitate, quia tunc medium plenum diuideretur in vacuum, & in illud quo excederet vacuum, quod est impossibile; quia nihil potest diuidi in aliquid, & in nihil. Et patet consequentia, quia omne excedens diuiditur in id quod exceditur, & in id, quo excedit. Et ponit Aristoteles istam rationem in litteris, & sit *A* mobile, quod mouetur per medium plenum, quod sit *B*, & sit tempus quo mouetur *C*, & sit *D* mobile, quod mouetur in vacuo, & *E* mensura in qua mouetur. 37.

Vide digressionẽ Auer.

Excedens quomodo diuidatur.

Sed

Text. 72. *Sed 2 si per subtilissimum.* Ponit secundam rationem, quia si vacuum esset, sequeretur quòd idem mobile æquè velociter moueretur in pleno, sicut in vacuo. Consequens est impossibile, quia medium plenum aliquo modo resistit mobili, & medium vacuum nullo modo resistit. Probatur consequentia, supposito quòd motus localis non possit fieri in instanti, vt probabitur 6. huius; & tunc moueretur idem mobile per plenum, & postea per vacuum; tunc per suppositionem vterque motus fit successiuè, tamen motus factus in vacuo fit in multo minori tempore, quàm motus factus in pleno. Ponatur 3 igitur quòd in aliqua proportione, tempus in quo fit motus in vacuo se habeat ad tempus in quo fit motus in pleno, quòd in eadem proportione medium plenum subtilietur; tunc sequitur, ex quo velocitas motus sequitur diuersitatem mediorum in grossitie, & subtilitate, quòd motus factus in pleno fiat æquè velox, sicut ille qui factus erat in vacuo, ex quo in eadem proportione medium plenum est subtilius, in qua tempus mensurans motum in vacuo erat breuius, quàm tempus mensurans motum in pleno.

Differentia in motu naturali ex quibus proueniat.

Text. 73.

Text. 74. *Quatenus 4 igitur.* Hic ponit tertiam rationem, quæ se tenet ex parte mobilium: quia duæ primæ se tenebant ex parte mediorum: quia si vacuum esset, sequeretur quòd [b] illud, quod esset grauius, vel aptiùs figuratum ad motum, non moueretur velociùs, quàm minùs graue, vel minùs aptum ad motum. Consequens est contra experientiam; etiam frustra poneretur huiusmodi intensio grauitatis, vel aptitudo in figura. Consequentia probatur, quia melior dispositio in figura, aut maior grauitas non ponitur nisi ad diuidendum facilius; modò in vacuo nulla esset difficultas diuidendi, æquè enim velociter leuius, & grauius mouerentur, & latum sicut acutum.

ANNOTATIONES.

38. [a] *Suppositio, quā præmittit, est ista,* &c. Nota, quòd duæ sunt causæ velocitatis, & tarditatis in motu. Prima causa quare grauia aliquando mouentur velociùs, & aliquando tardiùs, est diuersitas medij secundùm raritatem, & densitatem; qualis enim est proportio medij ad medium in raritate, & densitate, talis est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus in breuitate, & longitudine: vt si aër sit rarior, aliquis motus factus per aërem erit velocior motu facto per aquam; & si in duplo sit rarior, motus erit in duplo velocior, & tempus minùs longum, & hoc debet intelligi cæteris paribus. Medium enim impedit motum, quia resistit mobili; resistit autem quandoque magis, & quandoque minùs; magis autem resistit quando mouetur contra ipsum mobile, & minùs quando quiescit; sed cæteris paribus medium densius magis resistit, eo quòd non ista faciliter diuiditur. Secunda causa est diuersitas mobilis in grauitate, & leuitate; nam cæteris paribus, mobile grauius velociùs descendit, & in minori tempore, quàm mobile minùs graue.

Causæ velocitatis, & tarditatis in motu, sunt duæ.

[b] *Illud quod esset grauius, vel aptius,* &c. Nota, quòd cæteris paribus, mobile maioris virtutis velociùs, & citiùs mouetur, quàm minoris virtutis: vt pondus maioris grauitatis, puta plumbum, velociùs descendit, quàm stupa, & ignis leuior velociùs ascendit, quàm aër. Dixi *cæteris paribus ex parte figuræ:* nam plana aut quadrata, quia plus aëris sub se comprehendunt, tardiùs descendunt, quàm acuta aëri scindendo aptiora.

EXPOSITIO TEXTVS.

AT verò 1 per se considerantibus, &c. Hoc est quintum capitulum huius tractatus, in quo ostendit vacuum non esse per naturam, & conditionem, quam vacuum haberet si esset. Et primò ponit conclusionem. Secundò probat, ibi: *Vt enim in aqua.* Primò ponit istam conclusionem. Vacuum non est; & hoc sub istis verbis, *Manifestum est considerantibus,* id est, ex propria natura, & conditione vacui, quod benè dicitur vacuum: quia verè vacuum est ab entitate, id est, nihil est. 39. Text. 76.

Vacuum non est.

Vt enim in aqua. Probat dictam conclusionem triplici ratione. Secunda ibi: *Ampliùs autem.* Tertia ibi: *Ampliùs manifestum esse oportet.* Pro prima ratione supponitur primò, quòd impossibile est duo corpora esse simul. Probatur primò: quia videmus, quòd cubus ligneus positus in aqua tantum facit distare, quantus est cubus. Secundò, quia omni corpori, quod mouetur localiter, cedit aliud corpus in quo mouetur, quod non esset, si illa duo possent esse simul. Et dicit Philosophus, quòd sicut cubus facit de aqua tantum distare, quantus est cubus, ita etiam facit de aëre, licèt hoc non appareat nobis propter insensibilitatem aëris.

Secunda suppositio, quòd in vacuo non est ita distensio vacui, & diuisio corporis, quod poneretur in vacuo, si essent simul, nec vacuum cederet sibi, quemadmodum si aqua, vel aër, non cederet cubo ligneo posito in eo. Patet, quia quod non est, nullo modo potest cedere.

Tertia suppositio, quòd cubus vacui habet tantam dimensionem, seu magnitudinem, quantam habet cubus ligni, & inter ea non est differentia quantum ad dimensionem, licèt benè, quantum ad alia: quia scilicet dimensio vnius coniuncta est cum passionibus, & qualitatibus; & dimensio alterius non. 40.

Quarta suppositio, quòd corporibus naturalibus non repugnat esse simul ex parte qualitatum, aut etiam ex parte formæ substantialis, vel materiæ, sed præcisè ex parte dimensionis: quia tam forma, quàm materia, quàm etiam qualitates possunt esse sub minori loco, & sub minori quantitate sine corruptione.

Ex quibus sequitur quinta suppositio, quòd tota incompossibilitas, vnde corpora naturalia non possunt esse simul, prouenit ex parte dimensionis. Istis suppositis, formatur ratio; quia si vacuum esset, sequeretur quòd plures dimensiones essent simul, & penetrarent se. Consequens est impossibile per primam suppositionem. Consequentia probatur: quia corpus cum suis dimensionibus positum in vacuo, esset simul cum dimensionibus vacui per secundam suppositionem. Et si dicatur, quòd consequens esset benè inconueniens de dimensionibus, quarum vtraque esset dimensio pleni; sed illis quarum vna esset dimensio pleni, & alia vacui, non esset inconueniens; hoc non valet; quia repugnantia dimensionum ad essendum simul non prouenit ex parte substantiæ, vel qualitatum, sed præcisè ex parte dimensionis per quartam, & quintam suppositiones; sed eadem est ratio, quoad hoc de dimensione vacui, & de dimensione pleni, per tertiam suppositionem: igitur si impossibile est aliquod

corpus esse simul cum alio, impossibile est aliquod corpus esse simul cum vacuo, & habetur propositum.

41. Tex. 77. *Amplius 2 autem.* Ponit secundam rationem: quia si vacuum esset, tunc frustra poneretur. Consequens est falsum: quia in naturalibus nihil debet poni frustra. Consequentia probatur, quia si poneretur, vel hoc esset ad recipiendum alia corpora, & hoc est impossibile per praecedentem rationem, vel ad dandum aliis corporibus dimensiones; & hoc non: quia cubus de se est dimensionatus sine dimensionibus vacui. Vnde secundùm Commentatorem sequitur, quòd dimensiones vacui essent magis substantiae per se existentes, quàm substantiae compositae, quae actu per se subsistunt.


Tex. 78. *Amplius 3 manifestum esse oportet.* Ponitur tertia ratio: quia illud non debet poni à Philosopho naturali, quod non est sensatum, vel expertum, aut deducibile ex sensatis; sed vacuum non sentitur, nec potest deduci ex sensatis; vt patet inducendo in corporibus mundi.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm graue simplex habeat resistentiam intrinsecam, per quam possit fieri successio in eius motu circumscriptá resistentiá extrinsecá.

Arist. *hic c. 8 text. 71 & seq.* Themist. Simpl. *ibid.* Auer. *com.* 71. & 72. Alb. *tract.* 2. *c.* 6 D. Thom. *lect.* 12 *& in 4. dist.* 44. *q.* 2. *art.* 3 *quaestiunc.* 2. Scot. *in* 2 *dist.* 2. *q.* 9 *& in 4. dist.* 43. *q.* 5 *art.* 2. Greg. *dist.* 6. *q.* 3 *ar.* 2 Conimbr. *in expos.t. c.* 8 *& q.* 4. Complut. *disp.* 20 *quaest.* 4 Ruccus *in paraphrasi, cap.* 3. *text.* 71.

1. ARGVITVR primò quòd sic: quia in graui simplici vna pars nititur contra inclinationem alterius partis in motu deorsum: igitur in graui simplici est resistentia intrinseca. Consequentia tenet: quia illa resistentia est intrinseca graui, quae prouenit ratione partium eius. Antecedens probatur: quia in descensu grauis ad centrum quaelibet pars ipsius nititur descendere secundùm lineam perpendicularem ad centrum: sed de facto nulla pars descendit secundùm lineam perpendicularem, nisi pars media: igitur illa pars media expellit partes extremas à via secundùm quam naturaliter descendunt; & per consequens ex quo est ibi violentia, sequitur quòd est resistentia, & etiam successio in motu, & declaratur in litteris; & sit centrum mundi *A*, & graue, quod debet descendere, sit *B, C, D*: tunc ipsius grauis pars *B*, si non esset violentata, descenderet per lineã *A*, & similiter *B*, sed nulla illarum partium



de facto descendit per talem lineam, immò para *B* descendit per lineam *B*, *C*, & pars *D*, descendit per lineam *D*, *F*, ex quo sequitur, quòd nulla pars ipsius grauis descendit naturaliter, nisi pars *C*, quae descendit per lineam *D*, *A* perpendicularem ad centrum.

Secundò, quia nisi ita esset, sequeretur quòd circumscripto medio extrinseco graue simplex moueretur subitò. Consequens est falsum, & impossibile. Quod probatur multipliciter. Primò, quia tunc graue simplex esset virtutis infinitae, quia magnitudo virtutis cognoscitur per magnitudinem effectus, quem producit, modò effectus, scilicet velocitas, est infinita; ergo, &c. 2.

Tertiò, quia circumscripto medio extrinseco, adhuc est incompossibilitas terminorum: quia impossibile est graue simul, & semel esse sursum, & deorsum.

Quartò, quia graue est agens limitatum, & virtutis finitae; igitur circumscripto quocunque extrinseco, semper aget effectum finitum: igitur supposito, quòd non sit resistentia extrinseca, adhuc velocitas, quam faceret, non esset infinita.

Quintò, sequeretur quòd illud graue modicae virtutis faceret velocitatem tantam, quantam esset possibile fieri per Deum, quod videtur inconueniens.

Sextò, sequeretur quòd circumscriptâ resistentiâ extrinsecâ, subitò moueretur graue simplex de termino ad terminum; & quòd simul, & semel esset per totum intermedium, & quòd quaelibet pars eius penetraret aliam partem, & quòd quaelibet pars eius esset simul in eodem situ cum alia parte, quod est impossibile. 3.

Oppositum arguitur per Aristotelem, & Commentatorem in lib. 4. tractatu de Vacuo, text. comment. 71. Notandum, quòd resistentia est illud, quo retardatur motus, vel quo impeditur motor, ne velociùs moueat, secundùm cuius augmentationem diminuitur velocitas motus, & secundùm cuius diminutionem augmentatur; & sic resistentia est quodammodo contraria virtuti mouentis, vel quia inclinatur ad modum contrarium, vel ad quietem.

Resistentia quid sit. Secundò notandum, quòd duplex est resistentia, quaedam intrinseca, & quaedam extrinseca. Resistentia imaginatur esse extrinseca mobili multipliciter. Primo modo, vt in motu grauis deorsum est resistentia intrinseca ex eo, quòd aliqui gradus grauitatis stant simul cum aliquibus leuitatis. Secundo modo, quando intra poros corporis grauis includitur corpus leue. Tertio modo, quando in eodem sunt diuersae formae inclinantes ad diuersos motus, vt in animali anima, & grauitas. Quarto modo imaginatur resistentia ex tensio partium, scilicet ex eo quòd in motu grauis deorsum vna pars impedit aliam. Quintò, prouenit resistentia, vel saltem aliqua imaginatur resistentia prouenire ab intrinseco ex limitatione agentis, videlicet ex eo quòd agens est limitatum, & finitae virtutis; ideò non potest nisi limitatum, & finitum effectum producere. Sexto modo voluntas dicitur resistentia, quae determinat se ad mouendum tanto gradu velocitatis; quae tamen potest mouere velociùs, sicut est in motibus voluntariis. Septimo modo figura dicitur quodammodò resistentia, ex eo quòd secundùm figuram latam idem graue non potest aequè velociter descendere sicut sub figura acuta.

Tertiò,

4. *Resistentia extrinseca ex quibus prouenit.* Tertiò, notandum quòd multipliciter etiam si in motu prouenit resistentia extrinseca. Primo modo, quando aliquod leue est colligatum graui, tunc tardius descendit, quam si non esset leue colligatum sibi. Secundo modo, quando aliquod graue latæ figuræ colligatur alteri graui, tunc propter ineptam figuram est motus tardior, quam prius. Tertio modo prouenit ab extrinseco resistentia per aliquod attrahens ad oppositum. sicut descensus ferri est tardior si adamas trahit ad oppositum. Quarto modo prouenit resistentia ab aliquo contra appenso, vt æquilibra pondus contra appensum retardat motum grauioris appensi. Quinto modo prouenit ex densitate medij. Et sexto modo ex clausione medij: quia difficiliùs idem mobile mouetur per medium clausum, vt in puteo, quàm per medium liberum: nam faciliùs cedit mobili medium liberum quàm non liberum. Septimo modo prouenit resistentia ex aliquo contra pellente, aut ex medio contra moto; & ita diuersis modis.

Modò ad propositum non pertinet de resistentia extrinseca, nec etiam de intrinseca aliquo trium primorum modorum: quia in quolibet istorum modorum sic habens resistentiam intrinsecam est mixtum, & non simplex: modò in proposito loquimur de purè simplici per priuationem alicuius qualitatis, quæ potest retardare suum motum localem.

5. *In motu elementi simplicis non est violentia intrinseca.* Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd in motu elementi simplicis, vt grauis deorsum, non est resistentia intrinseca, ex eo quòd vna pars impedit aliam descendendo secundùm longitudinem, vel latitudinem, vt argutum fuit ante oppositum. Primò, quia non quælibet pars grauis moti deorsum appetit esse in centro; igitur non est huiusmodi violentia partium, quâ vna expellat aliam. Tenet consequentia, quia ex eo solo ponitur talis tensus partium, seu violentia, quia quælibet pars secundùm lineam, quæ est pars diametri mundi, inclinatur ad centrum. Probatur antecedens, quia impossibile est quamlibet partem esse in centro: modò si hoc appeteret, iam appeteret sibi impossibile, quod est falsum: quia desiderium naturale non est frustrà, vt patet 1. Physicorum.

Secundò, quia totum graue motum deorsum, mouetur ad hoc, quòd eius centrum sit centrum mundi, vel quòd coniungatur toti grauitati, cuius centrum est centrum mundi; igitur non est talis violentia partium grauis ad inuicem. Tenet consequentia: quia ad executionem inclinationis grauis requiritur, quòd linea transiens per centrum ipsius sit pars diametri mundi. Et antecedens apparet: quia statim, quando graue coniungitur tantæ grauitati, cuius centrum est centrum mundi, quiescit naturaliter, quod non esset nisi ad hoc naturaliter inclinaretur.

6. Tertiò, sequitur quòd maius graue mouetur tardiùs, quàm minùs graue. Consequens est contra experientiam. Et consequentia probatur, quia semper partes maioris grauis distarent per lineam maiorem à linea perpendiculari ad centrum, quàm partes minoris grauis, vt patet in figura priùs posità.

Secunda conclusio. In graui simplici non est resistentia intrinseca propter violentiam partium grauis, imaginando graue diuidi secundùm profundum. Pro quo notandum, quòd aliqui sic imaginantur, quòd graue descendens per aliquod medium imaginetur diuidi in duas partes secundum profundum, quarum inferior sit tenuis, & superior spissa; tunc pars inferior si per se esset, moueretur tardius, quam de facto moueatur: igitur pars superior pellit ipsam, & per consequens est ibi violentia ex pulsu partium. Vel sic imaginetur è conuerso, quòd pars tenuis sit superior, & spissa inferior, tunc pars tenuis si per se esset, moueretur tardiùs, quam nunc mouetur; igitur de facto trahitur per partem spissam inferiorem; & per consequens inter partes grauis est tractus, & violentia. Probatur conclusio, improbando istam viam: quia si graue simplex poneretur in vacuo, pars tenuis non moueretur velociùs, nec tardiùs, quàm pars spissa, vel maior: igitur non est ibi tractus, vel pulsus vnius partis per aliam partem. Secundò, graue descendit per totam suam grauitatem, ita vt tota sua grauitas inclinet per modum vnius motoris: igitur non est ibi huiusmodi tractus, vel pulsus partium. Tertiò, hoc est contra experientiam: quia stans in fundo aquæ habet maiorem partem aquæ secundùm profundum supra, quam infrà; & tamen non sentit grauitatem partis superioris: igitur eiusdem grauis pars minor nullo modo trahitur, aut pellitur à maiori.

Tertia conclusio. In motu elementi simplicis nulla est resistentia intrinseca ex limitatione agentis. 7. Probatur: quia si ita esset, sequeretur quòd non semper in æquilibra fieret descensus à parte ponderis grauioris circumscripto impedimento extrinseco. Consequens est contra experientiam, & contra vnam positionem tractatus de Ponderibus. Consequentia probatur, & sint duo grauia appensa, vnum vt quatuor, & aliud vt quinque, & limitatio illius, quod est vt quinque vnum; tunc graue vt quinque est appensum grauius; & tamen probo quòd non descendet: quia potentia est æqualis resistentiæ: nam graue, vt quatuor vnà cum limitatione agentis sunt resistentia vt quinque, & tanta est præcisè potentia mota. Secundò, sequeretur quòd est aliquod graue simplex extra suum locum naturalem non impeditum extrinsecè, quod non potest moueri ad suum locum naturalem. Consequens est falsum, & contra principium scientiæ naturalis. Consequentia probatur, & sit *B* tertia pars huius corporis grauis, cuius grauitas sit, vt duo, residuum sit *C*, cuius grauitas est vt quatuor; tunc ponatur quòd in medio inter *B*, & *C* sit medium terræ, circumscripto quocumque medio extrinseco, & sit limitatio virtutis ipsius *C* mutuò: tunc istud graue est extra suum locum naturalem: quia centrum suæ grauitatis non est centrum mundi, & tamen non impeditur extrinsecè per casum, & tamen non potest moueri ad suum locum: quia virtus mota ad descendendum, est æqualis resistentiæ: nam grauitas vt duo ipsius *B*, & limitatio virtutis ipsius *C*, sunt resistentiæ æquales præcisæ grauitati *C*. Tertiò, quia omnis resistentia in motu, est aliquo modo contraria inclinationi motoris; sed in elemento simplici non sunt inclinationes contrariæ: quia tam non esset elementũ simplex. Quartò, quia omnia motus cum resistentia est ex eo, quòd resistentia inclinat ad alium motum, vel quietem; sed graue simplex non inclinatur ad alium motum, quàm deorsum, nec ad quietem oppositam illi motui. Quintò, sequeretur quòd elementum simplex esset diuisibile in partem per se mouentem, & in

partem per se motam. Consequens est falsum, vt patet 8. huius, text. 30. Consequentia probatur, quia ibi est forma grauis mediante grauitate, quæ esset pars per se mouens, & limitatio agentis, quæ esset pars per se mota. Sextò, quia ista limitatio grauis, vel est materia ipsius elementi simplicis; & hoc non, quia ipsa non promouet, nec impedit motum actiue. Vel forma, aut grauitas ipsius grauis; & hoc non, quia inclinatur ad agendum motum, & non ad impediendum: & non apparet aliquid aliud, nisi sit qualitas contraria, vel aliquod extrinsecum, quæ sunt circumscripta. Septimò, arguitur per similitudinem in aliis motibus à motu locali: quia non apparet, quòd caliditas habeat talem limitationem, vel quòd sic sit limitata, vt impediat calefactionem, & ita inducendo in aliis motibus: igitur nec in motu locali. Rationes ante oppositum tangunt difficultatem sequentis quæstionis; ideò ibi soluentur.

Qvæstio IX.

Vtrùm in motibus grauium, & leuium simplicium, necessariò requiratur medium extrinsecum.

Vide Authores citatos quæstione anteced. Canon. *q. 4. art. 2.* Ruuius *tract. de Vacuo, quæst. 3* Roccus 4. *Physic. quæst. 9.*

1. Argvitvr quòd non: primò, quia tunc sequeretur quòd resistentia esset causa motus, quod est falsum, quia totus motus fit à motore tanquam à causa. Consequentia probatur; quia propter aliud non requiritur medium extrinsecum, nisi propter causationem successionis; modò successio est idem quod motus.

Secundò sequeretur quòd omnis motus grauiũ, & leuium esset violentus. Consequens est falsum. Consequentia probatur: quia illud est violentum, cuius est principium extrà, vt patet 3. Ethicorum, cap. 1. modò principium motus esset à medio, quod est extrinsecum: ergo, &c.

Tertiò, sequeretur quòd in æquilibra non semper grauius descenderet. Consequens est falsum, & contra principium tractatus de Ponderibus. Consequentia probatur, & sit vnum graue appensum vt quatuor, & aliud vt sex, & sit resistentia medij vt duo: tunc probo, quòd grauius non descenderet, quia habet de resistentia grauitatem vt quatuor, & resistentiam medij sicut duo, quia in quolibet appendiculo est sicut vnum; igitur resistentia est æqualis virtuti motæ, & per consequens non fiet motus.

2. Quartò, quia ad motum requiruntur motor, mobile, & termini motus; & præter ista, non requiritur aliud, vt patet 5. huius, text. 1. igitur ad motum grauium, & leuium non necessariò requiritur medium extrinsecum.

Quintò, quia in aliis motibus, vt in motu circulari, & alterationis, non requiritur medium extrinsecum: igitur nec in motu locali recto. Tenet consequentia, quia de istis videtur idẽ iudicium; & antecedens apparet de motu circulari cœli.

Sextò, in medio densiori minùs benè fit, quàm in rariori, & quanto medium est rarius, tanto meliùs fit motus: igitur si nullum esset medium, sequeretur quòd optimè fieret motus.

Septimò, potest argui rationibus alterius quæstionis, & per omnia, quæ probant, quòd in elemento simplici sit resistentia intrinseca.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 4. text. 71. & inde: quia in hoc fundantur suæ rationes probantes non esse vacuum. Notandum, quòd ad motum successiuum naturalem necessariò requiritur resistentia, nõ tanquam effectiua motus, sed tanquam causa necessariò requisita, & concurrens ad motum; & ideò si in motibus grauium, & leuium simplicium aliunde sit resistentia, quàm à medio extrinseco, vt puta ab intrinseco, tunc non est necessarium ponere medium extrinsecum in motibus grauium, & leuium; ideò recipiendi sunt modi, & improbandi, quibus imaginabile est ponere resistentiam intrinsecam in graui simplici, vel leui. Primus modus est, quòd incompossibilitas terminorum est sufficiens resistentia ad causandum successionem in motu locali, ita quòd impossibile est mobile simul esse in diuersis locis: igitur necesse est ipsum moueri successiuè ex eo solo; posito adhuc quòd nullum esset medium extrinsecum.

Motum successiuum requirit necessariò resistentiam.

Contra istam viam arguitur primò, quòd tunc sequeretur quòd non esset ratio, quare vnum moueretur velociùs quàm reliquum. Consequens est falsum: quia in illis, mouentur successiuè respectu eiusdem resistentiæ, quorum vnum est maioris virtutis, & aliud minoris, necesse est, vnum moueri velociùs, & aliud tardiùs. Consequentia probatur: quia nullà velocitate potest aliquid moueri, quin adhuc cum maiori velocitate staret illa incompossibilitas terminorum. Secundò, sequeretur ex eodem, quòd omnia mouerentur æqualiter. Consequens est impossibile. Probatur consequentia; quia ex quo cum qualibet velocitate stat incompossibilitas terminorum, non apparet ratio, quin omnia moueantur æqualiter. Tertiò, sequeretur, quòd quodlibet moueretur infinità velocitate: quia ex quo non esset alia resistentia, quàm ex incompossibilitate terminorum, quæ non determinat mobile ad certam velocitatem: quia quantacumque velocitate data, adhuc mouetur maiori, & sic in infinitum. Quartò, sequeretur quòd velocitas non attenderetur penes proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti. Consequens est falsum. Consequentia probatur: quia cum resistentia moti deberet signari incompossibilitas terminorum, quæ non potest signari, quantum resistit. 3.

Secunda via est, quòd in motu grauis, vel leuis simplicis est resistentia mobilis ad motorem, circumscripto medio extrinseco: pro cuius probatione supponitur primò, quòd graue simplex cõponitur ex pluribus naturis. Primò ex materia, & forma, & ex grauitate, secundùm quam graue natum est moueri. Secundò supponitur, quòd illud mouetur cum violentia de aliquo loco, quod de sui natura conquiescit in illo loco. Tertiò supponitur, quòd componitur ex materia, & forma substantiali grauis simplicis, circumscriptà grauitate, quiesceret vbicumque poneretur. Probatur, quia non haberet mediante quo moueretur alicubi. Istis suppositis, arguitur quòd graue simplex positum in vacuo habeat resistentiam intrinsecam. Probatur; quia compositum ex materia & forma substantiali quiesceret vbique vbi moueretur, & per grauitatem moueretur deorsum versùs illum locum: igitur violenter per primam suppositionem, & per consequens in motu grauis simplicis est resistentia intrinseca. 4.

Contra

Contra istam viam arguitur: quia si esset aliqua resistentia, vel proueniret ex parte materiæ, & hoc non, quia illa est indifferens ad omnem motum, nec alicui resistit: vel ex parte formæ grauis, & hoc non, quia ipsa est principale principium effectiuum motus deorsum, & grauitas non est nisi eius instrumentum, mediante quo mouetur. Tunc ad rationem in contrarium, concedo primam suppositionem; & nego secundam: quia oporteret addere, quòd si aliquid quiesceret naturaliter in aliquo loco, hoc esset per violentiam, modò sic non est de composito ex materia, & forma substantiali grauis: quia licèt vbicumque quiesceret, attamen non naturaliter: quia haberet inclinationem, si poneretur sursum ad motum deorsum, licèt non posset propter defectum instrumenti.

5. Tertia via est, quòd Deus, & Intelligentiæ determinant graue simplex positum in vacuo, ad certam velocitatem, quà potest moueri, vt sibi consimili, si poneretur in pleno. Contra istam viam arguitur: quia agens vniuersale non determinat agens particulare effectum, sed è contra agens vniuersale determinatur per particulare ad talem effectum, vel talem: quia Deus & Intelligentiæ determinantur per caliditatem ad productionem caloris, & non è contra; & sic patet inducendo in aliis qualitatibus; & hoc ponit Aristoteles expresè in 2. de Generatione.

Quarta via, quòd graue positum in vacuo trahitur per cœlum, aut aliquod aliud agens eo modo, quo ferrum trahitur, & impeditur per adamátem, & in hoc causatur successio in motu grauis. Contra istam viá arguitur primò, quia graue nun potest attrahi, nisi mediáte aliquá virtute influxâ sibi; sed impossibile est aliquam talem virtutém diffundi per vacuum: ergo, &c. Secundò, quia in illis, quæ taliter trahuntur, videmus, quòd possunt fieri tam paruæ quantitatis, quòd mouebuntur ad illa, per quæ trahuntur, sicut acus mouetur ad adamantem; sed nunquam graue simplex mouetur ad aliquid sic attrahens ipsum, quantumcumque fiat modicæ quantitatis; ergo, &c.

6. Quinta via, quòd figura grauis est resistentia; cuius signum est, quòd idem graue tardiùs mouetur sub vna figura, quàm sub alia. Contra istud arguitur: figura non est de potentiis actiuis, nec resistit inclinando ad quietem, vel motum oppositum graui; immò solùm est diminutio pontentiæ, non quòd per figuram essentialiter diminuatur potentia, sed quia minùs potest sub vna figura, quàm sub alia.

Sexta via est, quòd tarditas est resistentia in motibus grauium, & leuium simplicium: quia magis graue velociùs descendit per idem medium, quàm minùs graue. Ista positio non valet: quia tarditas mobilis non est resistentia, sed est præcisè minor potentia, aut diminutio potentiæ, & ideò in idem, vel consimile resistens minùs potest, quàm in magis resistens. Aliæ viæ recitatæ fuerunt in parte in præcedenti quæstione.

Motus simplicium elementi requirunt necessariò medium.

Ex quibus omnibus sequitur conclusio principalis, quòd in motibus grauium, & leuium simplicium necessariò requiritur medium extrinsecum. Probatur sic, quia omnis motus alicuius grauis, vel leuis, est successiuus: igitur cùm sit naturalis, fit cum aliqua resistentia; & non cum resistentia intrinseca, vt notum est; igitur necessariò requiritur resistentia extrinseca; & habetur propositum. Et dixi notabiliter *cùm sit motus naturalis*, vt *naturale* distinguitur præcisè contra *voluntarium*, quia motus volútarius potest esse successiuus sine resistentia, ex eo quòd motor cum tanto conatu potest velle mouere ad quantú conatum sequitur tanta velocitas, vel tanta, & talis est motus cœli.

Ad rationes, & primò præcedentis quæstionis. Ad primam dictum fuit. Ad secundam concedo, vel quòd non moueretur, vel quòd moueretur subitò, & quod istorum contingeret, videbimus postea. Ad tertiam dico, quòd nulla resistentia prouenit ex incompossibilitate terminorum; vt probatum fuit in quæstione. Ad quartam graue est agens limitatum, concedo, & ideò cum resistentia non potest agere nisi limitatum effectum; sed sine resistentia potest facere effectum infinitum, nec est inconueniens. Et concedo vltrà, quòd nec maius graue, nec aliqua virtus mundi, siue sit Deus, vel alter, potest maiorem velocitatem facere, quàm vnum aliud graue simplex circumscriptâ resistentiâ extrinseca, & supposito quòd moueretur. Ad quintam sicut ad istam. Ad sextam concedo consequens. 7.

Ad rationes huius quæstionis. Ad primam dico, quòd non est causa effectiua, sed tantùm necessariò requisita, & concomitans, & magis se tenet ex parte mobilis, quàm motoris; quia in assignando proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti, debet connumerari resistentia medij extrinseci ex parte mobilis, & non motoris.

Ad secundam, negatur consequentia, quia motus non dicitur violentus ex eo, quòd aliquod extrinsecum requiratur ad motum, sed ex eo, quòd eius principium effectiuum est ab extrinseco, passo non conferente vim agenti; sed sic non est in proposito.

Ad tertiam, concedo consequens: quia non semper grauius descendit, nisi habeat proportionem maioris inæqualitatis super graue minus, & cum hoc super resistentiam extrinsecam. 8.

Ad quartam, dico quòd ibi sunt, quæ de necessitate requiruntur ad omnem motum; sed cum hoc ad motum grauium, & leuium simplicium requiritur medium extrinsecum.

Ad quintam, non est simile, quia motus rectus fit per medium, & non oportet alios motus fieri per medium.

Ad sextam, dico quòd licèt medium densius impediat, ne motus sit ita velox sicut esset in medio rariori, attamen sine medio non diceretur motus in grauibus, & leuibus simplicibus, sed mutatio solùm.

QVÆSTIO X.

Vtrùm in motibus grauium, & leuium simplicium talis sit proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, qualis est proportio medij ad medium in raritate, & densitate.

Arist. *hic c.* 8. *text.* 72 *& seq* Themist. *n.* 71. Simpl. *c.* 9 *comm.* 79. Auerr. *com.* 72. Alb Magn. *tract.* 2. *c.* 6. D. Thom. *lect.* 12. Richard. *in* 2 *dist* 14 *ar.* 2 *q* 7 Mayron. *ibid q.* 6 Abulens. *Matth.* 22. *q.* 224 Zamarra 2. *de Anima, text.* 54. Iandunus, Nyphus, Saxon. 8. *Physicorum.*

ARGVITVR primò quòd sic: per Aristotelem in isto 4. tractatu de vacuo, text. 71. qui super hoc fundat ratio- 1.

 nem,

nem, per quam probat vacuum non esse.

Secundo, per Aristotelem 7. huius, text. 35. qui ponit istam regulam: Si aliqua potentia moueat aliquod mobile, per aliquod spatium in aliquo tempore, eadem potentia mouebit subduplum mobile duplo velocius, quod non esset, nisi proportio velocitatum esset sicut proportio mobilium, vel resistentiarum.

Tertiò, quia quanto medium est rarius, tanto ab eadem potentia in illo medio proueniet motus velocior: igitur proportio motuum in velocitate, est sicut proportio mediorum in raritate. Consequentia tenet: quia istæ dictiones *tanto*, *quanto*, denotant proportionem: & antecedens patet, quia densitas maior impedit motum; igitur quanto medium est rarius, tanto motus est velocior.

Oppositum arguitur, quia si ita esset, sequeretur, quòd a proportione minoris inæqualitatis possit fieri motus; consequens est impossibile: quia si resistentia potest plus resistendo, quàm motor in mouendo, nullo modo fiet motus. Consequentia probatur, supposito, quòd quocunque motu dato, posset dari motus tardior in duplo, in triplo, & sic in infinitum; vt potest probari euidenter de motu sphæræ cœlestis super polos immobiles; quia quacunque parte acceptâ, quæ mouetur aliquâ tarditate, vna alia adhuc magis propè polum mouetur duplâ tarditate, & sic de quacunque proportione. Hoc sic posito, probatur consequentia, & sit potentia motoris vt *sex*: & mobile, vt *quatuor*; tunc per suppositionem, *sex* potest mouere aliquod mobile duplo tardiùs, quàm moueat *quatuor*; sed *octo* est duplum ad *quatuor*; igitur potentia vt *sex* mouebit resistentiam vt *octo*, quod est impossibile.

2. Ista quæstio tangit difficultatem, scilicet, penes quid attenditur velocitas motus, scilicet, quid est illud cuius augmentum sequitur proportionaliter diminutio velocitatis. De hoc sunt quatuor viæ. Vna, quòd velocitas sequitur excessum potentiæ motoris super resistentiam moti.

Secunda, quòd velocitas sequitur potentiam motoris, ita vt proportio motuum in velocitate est sicut proportio potentiarum, quæ mouent respectu eiusdem, vel æqualis mobilis.

Tertia ponit, quòd velocitas sequitur proportionaliter resistentiam mobilis; ita vt proportio velocitatum sit sicut proportio mobilium respectu eiusdem, vel æqualis potentiæ, & ista via est quæstio mota.

Quarta via est, quòd velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti.

Velocitas motus vnde proueniat.

Istis præmissis, in quæstione præsenti ponentur conclusiones negatiuæ: deinde in quæstione sequenti declarabitur cōclusio affirmatiua de quæsito. Prima conclusio est, quòd velocitas motus nō sequitur excessum potentiæ motoris ad resistentiam moti, nec proportio velocitatum est sicut proportio excessuum, ita vt non sequatur si excessus sint æquales, quòd motus sint æquales. Probatur primò sic: quia si ita esset, sequeretur quòd medietas motoris non posset mouere medietatem mobilis tanta velocitate, quantâ totus motor mouet totum mobile. Consequens est falsum, vt patet ex duobus. Primò per Aristotelem 7. huius, text. 36. qui ponit illam regulam. Secundò, quia sicut se habet totus motor ad medietatem motoris, ita se habet totum mobile ad medietatem mobilis: igitur permutatim per 16. quinti; sicut se habet totus motor ad totum mobile; ita se habet medietas motoris ad medietatem mobilis. Consequentia principalis probatur: quia maior est excessus totius motoris ad totum mobile, quàm medietatis motoris ad medietatem mobilis, sicut maior est excessus quatuor super duo, quàm duorum super vnum.

Secundò, si ita esset, sequeretur quòd illa regula esset falsa, si aliqui motores moueant aliqua mobilia per aliquod spatium in aliquo tempore aggregatum ex motoribus, moueret aggregatum ex mobilibus per idem spatium in æquali tempore. Consequens est falsum per Aristotelem 7. huius, text. 38. qui ponit illam regulam. Secundò, patet falsitas consequentis per primam Quinti, quæ dicit, si fuerint quotlibet quantitates aliarum, totidem æquimultiplices, aut singulæ singulis sunt æquales, aut quemadmodum vna illarum ad sui comparem, ita aggregatum ex omnibus his ad illas simul sumptas pariter se habebent: igitur si sint multi motores, quorum quilibet est æquimultiplex ad suum mobile, aggregatum ex motoribus, se habebit ad aggregatum ex mobilibus modo quo vnus motor ad vnum mobile. 3.

Tertiò, velocitas sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti: igitur non sequitur excessum potentiæ motoris supra resistentiam moti, Antecedens apparet per Aristotelem, & Commentatorem in isto 4. text cap. 71. & in 7. huius, text. cap. 35. Consequentia probatur: quia cum æqualitate proportionum stat inæqualitas excessuum, vt æqualis est proportio *sex* ad *tria* proportioni *quatuor* ad *duo*, quia vtraque est dupla, & tamen excessus sunt inæquales.

Quartò, sequeretur quòd aliquod mobile moueretur velociùs in pleno, quàm in vacuo, cum eadem potentia, & resistentia intrinsecis. Consequens est impossibile: quia medium plenum plus resistit, quàm vacuum. Consequentia probatur, quia sit *A* vnum graue mixtum habens resistentiam intrinsecam, ratione cuius moueatur in vacuo certa velocitate, & sit *B* vnum graue simplex potentiæ minoris ad mouendum, quàm sit excessus ipsius *A* super suam resistentiam, & sit *C* vnū medium plenum, vt aër, quod continuè subtilietur quovsque *B* moueatur per ipsum certâ velocitate tantâ, quantâ *A* mouetur per vacuum: quo posito ponatur *A* in medio *C*; tunc *A* non mouebitur tardiùs quàm *B*, neque æquè velociter: quia eius potentia plus excedit totam resistentiam tam intrinsecam, quàm extrinsecam, quàm potentia ipsius *B*: igitur *A* mouetur velociùs, quàm *B*, & tamen priùs mouebatur æquè velociter in vacuo: igitur aliquid mouetur velociùs in pleno, quàm in vacuo. 4.

Quintò, arguitur per experientiam: quia si sint mille trahentes magnam nauem, quam toto conatu vix sufficiunt trahere, & sit alia nauis parua, quam duo trahant: tunc si vtrisque addatur vnus homo ad trahendum, tunc excessus additi vtrobique sunt æquales, tamen velocitates prouenientes sunt inæquales, quia multo plus velocitatur motus paruæ nauis, quàm magnæ, vt patet per experientiam.

Vltimò, si sic; tunc aliquis motor moueret tantâ velocitate, quod non potest mouere duplâ velocitate. Consequens est falsum, vt patet 4. huius. Consequentia probatur, & sit motor vt *quatuor*, & mobile vt *duo*: igitur si *quatuor* potest adhuc 5.

hoc velocius mouere, c... ipsum in duplo plus, quàm excederet *vnum*, ... hoc est impossibile: quia quamtamcunque resistentiam datam, vel dabilem excederet minùs quàm in duplo: ergo, &c. Contra conclusionem dubitatur primò per Aristotelem 1. Cœli, vbi dicit, *oportet autem secundum excellentias mouere.*

Secundò, per Commentatorem in isto 4. com. 71. vbi dicit, quòd omnis motus est secundùm excessum potentiæ motoris super resistentiam moti.

Tertiò, quia quanto excessus potentiæ motoris est maior, tanto motus est velocior: igitur proportionem excessuum sequitur proportio velocitatū. Tenet consequentia: quia isti termini *tanto, quanto* denotant proportionem. Ad ista. Ad primū dico, quòd Aristoteles intelligit, quòd oportet secundùm excellentias mouere, id est, oportet mouere secundùm proportionem maioris inæqualitatis potētiæ motoris super resistentiā moti.

6. Ad secundum; omnis motus est secundùm excessum, id est, secundùm proportionem maioris inæqualitatis, quā potentia motoris excedit resistentiam moti.

Ad tertium, negatur antecedens: quia possibile est, quòd excessus sit in duplo maior, & tamen motus non esset velocior, immò præcisè æquè velox, vt si *quatuor* moueat *duo*, & *vnū* moueat *vnum*, motus sunt æquè veloces: quia proueniunt ab æqualibus proportionibus, & tamen excessus *quatuor* ad *duo*, est duplus ad excessum duorū ad vnū.

Velocitas non sequitur potentiam motoris.

Secunda conclusio. Velocitas non sequitur potentiam motoris, ita vt proportio velocitatum non sit, sicut proportio potentiarum mouentium. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd subduplatā potentiā, subduplaretur velocitas. Consequens est falsum: quia subduplatā potentiā tota velocitas tollitur, & per consequens non subduplatur, vt, verbi gratiā, si *sex* moueat *quatuor*, tunc si subduplетur potentiā vt *sex*, potentia mota esset sicut *tria*, & resistentia sicut *quatuor*: igitur tota velocitas tollitur, quia à proportione minoris inæqualitatis non fit motus.

7. Secondò, per experientiam, quia si vnus homo trahat nauem, quam vix sufficit trahere toto conatu, & addatur sibi vnus alter æqualis in virtute, tunc potentia esset dúplata, & tamen velocitas proueniens est multo maior, quàm dupla. Contra conclusionem arguitur: quia proportio effectuum est sicut proportio causarum agentiū; sed velocitas est effectus motoris: quia velocitas est idem quod motus, qui fit à motore; igitur proportio velocitatum est sicut proportio motorum. Secondò, quia quanto est fortior, tanto motus est velocior: igitur penes proportionem virtutum attendenda est proportio velocitatum.

Ad ista respondetur. Ad primum, negatur maior: immò proportio effectuum est sicut proportio proportionum, quas habent agentia ad suas resistentias, in quas producunt suos effectus. Vnde, quòd maior sit falsa, patet; posito quòd sint duo ignes æquales, agentes in resistentias æquales inæqualiter distantes, tunc proportio agentium est proportio æqualitatis, & tamen proportio effectuum est proportio inæqualitatis; quia maior est effectus productus propè, quàm longè. Ad secundum, negatur maior si ly *quando* denotet proportionem, sed si denotet sic, quòd ad augmentum potentiæ sequatur augmentum velocitatis, licèt non proportionaliter, tunc conceditur.

8. Tertia conclusio, proportio velocitatum non est sicut resistentiarum, vel mobilium, aut mediorum per quæ fit motus. Probatur sic; quia si ita esset, sequeretur quòd quilibet motor posset mouere quodlibet mobile quantumcunque magnū. Consequens est impossibile, & contra experientiam. Consequentia probatur, supponendo quòd aliquis motor moueat aliquid mobile aliquā velocitate, quòd possit mouere aliquid aliud duplo tardiùs, & aliquid aliud triplo tardiùs, & sic in infinitum, vt probatum fuit post oppositum. Hoc supposito, patet consequentia: quia si *A* moueat *B* aliquā velocitate, quòd mouebit *C* duplum, licèt duplo tardiùs, & sic de quocunque mobili quantumcunque magno, & habetur consequens.

Velocitas non sequitur resistentiam mobiliū, vel mediorū per quæ fit motus.

Secundò, quia si potentia vt sex moueat quatuor: igitur potest mouere aliquid aliud subduplo velocius; igitur illud esset minus, quàm sex: aliter sex non potest illud mouere, etsi sit minus, quàm sex; igitur non esset duplum ad quatuor: igitur sex non mouebit ipsum subduplo velocius, quod est contra positum. Patet igitur quòd tres de prædictis opinionibus sunt falsæ. Et per consequens patet ad quæsitum per vltimam conclusionem, quòd in motibus grauium, & leuium simplicium non est talis proportio motus ad motum in velocitate, qualis est in mediis ad medium in raritate; immò quandoque est maior, quandoque minor, & quandoque æqualis; vt quando velocitas prouenit à proportione dupla, aut multiplici ad duplam.

Ad rationes. Ad primam: ad authoritatem Aristotelis dico, quòd intelligitur, quòd tanta est velocitas, quanta est proportio potentiæ motæ grauis simplicis ad medium. Et dico notabiliter *simplicis*: quia si esset graue mixtum, tunc vnà cum medio oporteret coniungere resistentiam intrinsecam. 9.

Ad secundam; si aliqua potentia, &c. eadem potentia mouebit subduplum mobile, id est, mobile ad quod potentia mota habet duplo minorem proportionem.

Ad tertiam, negatur minor, si ly *quanto* denotet proportionem, sicut priùs dicebatur.

QVÆSTIO XI.

Utrùm velocitas motus sequatur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti, ita vt ad augmentationem proportionis, augmentetur proportionabiliter velocitas motus, & ad diminutionem diminuatur.

Arist. 8. *Phys. c.* 4. 4. *de cœlo c.* 1. *&* 1. *de Anima, t.* 1. Auerr. 4. *Phys. c.* 10 *com.* 71. D. Thom. 8 *Phys à text.* 19. *&* 1. *p. q.* 18. *art.* 1. *&* 1. *cont. Gent. c.* 97. Catet & Ferrar *ibid.* Ægidius *quodl.* 5. *q.* 18. Capreol. 2 *dist.* 6 *art.* 3. Sonc. 9. *Metaph. q.* 8. Paul. Venet *summa de cœlo, c.* 14.

ARGVITVR quòd non: quia tunc sequeretur, si continuè esset alia proportio potentiæ motoris ad resistentiam, quòd continuè esset alia, & alia velocitas. Consequens est impossibile: quia nulla velocitas est instantaneæ durationis nisi per instans. Probatur consequentia: quia aliter ad proportionem non sequeretur velocitas. 1.

Secundò

Secundò, sequeretur quòd Socrates non posset intermittere suam velocitatem sine diminutione suæ virtutis. Consequens est contra experientiam. Consequentia probatur, quia si manet virtus eadem non diminuta, manebit eadem proportio virtutis motæ ad resistentiam; igitur manebit eadem velocitas, & per consequens non esset remissa, quod est contra positum.

Tertiò, sequeretur quòd ad diminutionem mobilis, seu resistentiæ in infinitum, augmentaretur velocitas in infinitum manente eadem potentiâ. Consequens est falsum: quia videmus, quòd non semper potest homo paruum lapidem proiicere ita velociter, sicut magnū. Consequentia probatur: quia ad diminutionem resistentiæ in infinitum, sequitur augmentatio potentiæ motoris ad resistentiam mobilis: igitur cùm proportionem sequatur velocitas, sequitur quòd in infinitum augmentabitur velocitas.

2. Quartò, quia proportio non est aliud, quàm termini proportionis vt proportio potentiæ motoris ad resistentiam mobilis, non est aliud, quàm potentia motoris, & resistentia mobilis; sed nullum istorum terminorum, nec etiam ambos simul sequitur velocitas; igitur nec sequitur proportionem. Maior patet, quia proportio est quædam relatio, seu similitudo, quæ non est aliud à rebus relatis, seu similibus. Et minor probatur, quia possibile est illos terminos augmentari, & velocitatem diminui: verbi gratiâ, posito quòd tam potentia Socratis, quàm resistentia mobilis augmētetur, & resistentia mobilis augmentetur magis; tunc certum est, quòd velocitas diminuitur, & tamen vterque terminus augmentatur.

Item, impossibile est, quòd è conuerso vterque terminus diminuatur, & velocitas augmentetur: verbi gratia, posito quòd tam potentia, quàm resistentia diminuatur, magis tamen resistentia, quàm potentia, tunc velocitas augmentabitur, & tamen vterque terminus diminuitur.

3. Quintò, sequeretur quòd figura non conferret iuuamentum ad motum. Consequens est contra experientiam: quia videmus aliquod mobile sub figura acuta, vel sphærica velociùs descendere, quam ipsummet faceret, si esset sub figura lata. Probatur consequentia, quia sub quacumque figura fuerit mobile, semper est eadem potentia mota. Et per consequens eadem proportio potentiæ motæ ad resistentiam: igitur non obstante diuersitate figurarum, manebit eadem velocitas.

Sextò, sequeretur quòd graue descendens deorsum per medium vniforme non velocitaret motum suum in fine. Consequens est contra experientiam. Et consequentia probatur: quia ex quo potentia est eadem, & resistentia est vniformis, manet eadem proportio potentiæ ad resistentiam: igitur proueniet eadem, vel æqualis velocitas.

Septimò, ponatur quòd Socrates moueatur in naui quiescente, deinde moueatur nauis; tunc ex motu nauis velocitatur, aut retardatur motus Socratis, & tamen manet eadem proportio potentiæ Socratis ad resistentiam per quam mouetur, scilicet ad grauitatem propriam, & ad medium, igitur non semper ad proportionem eandem, vel æqualem sequitur eadem, vel æqualis velocitas.

Oppositum arguitur per Commentatorem in isto 4. vbi dicit quòd diuersitas motuum in velocitate, & tarditate, est secundùm diuersitatem proportionis potentiæ motoris ad resistentiam moti.

In hac quæstione ponenda est conclusio ad quæsitum. Secundò, mouenda sunt aliqua dubia contra conclusionem. Quantum ad primum, ponitur ista conclusio. Velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti; & vniuersaliter proportio motuum ad inuicem est sicut proportio potentiarum ad suas resistentias. Probatur: quia tanto velocitas est maior, quanto motor plus obtinet super resistentiam mobilis; igitur quanto motor plus obtinet super resistentiam mobilis, tanto motus est velocior. Maior patet, quia ex eo solo, quòd motor obtinet super mobile, mouet; igitur quanto in maiori proportione obtinet, tanto maiori velocitate mouebit. Et minor probatur; quia non ex eo plus obtinet, quia plus excedat resistentiam mobilis; quia aliquando ab excessu maiori proueniet motus tardior, & à minori velocior; nec ex hoc obtinet plus, quòd resistentia est minor: quia quandoque vna resistentia est dupla ad aliam respectu eiusdem potentiæ, & tamen motus aliquando est minor, quam duplus, & aliquando est maior: igitur relinquitur, quòd ex eo motor plus obtinet super mobile: quia habet maiorem proportionem, scilicet maioris inæqualitatis super resistentiam mobilis. 4. *Diuisio quæstionis.* *Velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti.*

Secundò, quia vel attenditur velocitas penes excessum potentiæ motoris, aut propter communem excessum, aut penes proportionem resistentiarum, vel penes proportionem resistentiæ motoris ad resistētiam moti. Sed neutro aliorum modorum, vt probatum fuit in præcedenti quæstione: igitur relinquitur, quòd attendatur penes proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti.

Tertiò, per Aristotelem 7. huius, text. 35. & 36. qui ponit duas regulas fundatas super isto principio, quorum prima est: *Si aliquis motor moueat aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, medietas motoris mouebit medietatem mobilis per idem spatium in æquali tempore.* Secunda regula; *quòd si plures motores moueant plura mobilia æquâ velocitate, aggregatum ex motoribus mouebit aggregatum ex mobilibus eâdem velocitate.* 5.

Quartò, patet per Commentatorem 7. huius, 1. Cœli, & in isto 4. comment. 31. 63. 71. & hoc de primo.

Quantum ad secundum, restat mouere dubia, ad videndum quid intelligamus per potentiam, & quid per resistentiam, & qualiter proportionem earum sequatur velocitas. Primò arguitur sic; si velocitas sequatur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti, tunc sequeretur quòd si Socrates proiiceret lapidem, & lapis diminuatur in infinitum, quòd velocitas augmentabitur in infinitum, vel saltem, quòd semper remotiùs, & velociùs proiiciat paruum lapidem, quàm magnum. Consequens est contra experientiam, quia lapis potest ita diminui, quòd ad nullam, vel modicam distantiam potest proiici, vt patet de pluuia. Et patet consequentia: quia semper potentiæ motoris ad minorem lapidem, est proportio maior, quàm ad maiorem.

6. Secundò, quia potentiæ æquales inæqualiter agunt in resistentias æquales; ergo, &c. Tenet consequentia: quia æqualium potentiarū ad æquales resistentias sunt æquales proportiones; ideò si proportionem sequitur velocitas, sequitur quòd

q[illegible] velocitates erunt æquales. Probatur antecedens tr[illegible]iter. Primò, quia graue appenſum in æquilibra per idem medium quandoque mouetur velociùs & quandoque tardiùs. Secundò, quia de duobus ferris æqualibus adamas attrahit vnum [illegible]elociùs quàm aliud, vt ſi vnum plus diſtet, quàm aliud. Tertiò, quia ignis calefacit duo calefactibilia æqualis reſiſtentiæ inæqualiter, vt ſi ill[illegible] duo calefactibilia ſint inæqualiter approximata, & tamen potentia eſt eadem, & reſiſtentiæ ſunt æquales.

Tertiò, ad principale, ſequeretur, quòd graue deſcendens per medium vniforme nunquam velocitaret motum ſuum. Probatur conſequentia, quia medio ſemper manet eadem proportio grauitatis ad reſiſtentiam.

Quartò, quia ſi Socrates portaret aliquod pondus aliquâ velocitate, quòd portaret medium ponderis duplâ velocitate; quod eſt falſum: quia dato, quòd remoueretur totum pondus, non poſſet moueri in ſeſquialtero velociùs, quàm antè. Conſequentia probatur, quia duplo maiorem proportionem habet Socrates ad medietatem ponderis, quam ad totum pondus.

7. Quintò, ſequeretur, quòd grauius per idem medium non velociùs deſcenderet, conſequens eſt falſum. Conſequentia probatur; quia capiantur duo ferra inæqualia, quorum quodlibet ſufficit adamas attrahere, tunc aggregatum ex ferro maiori, ſeu grauiori, & adamante, eſt grauius quàm aggregatum ex adamante, & ferro minùs graui; & tamen vnum non velociùs deſcendit reliquo, immò vtrumque æquè velociter, vt patet per experientiam, ſi vtrumque poneretur in æquilibra, aut ſi deſcendant per aliquod medium ſine æquilibra.

Sextò, aliqua portio aëris, & aliqua portio terræ ſunt eiuſdem reſiſtentiæ: igitur potentiæ moræ æquales æquè velociter mouebuntur per illas portiones aëris & terræ. Antecedens probatur, quia aliqua eſt portio aëris, quæ aliquâ portione terræ plus reſiſtit: igitur eſt aliqua, quæ æqualiter reſiſtit. Conſequentia principalis probatur ex concluſiune: quia ex quo potentiæ ſunt æquales, & reſiſtentiæ ſunt æquales, proportio vnius reſiſtentis, ad vnam potentiam eſt æqualis proportioni alterius potentiæ ad reliquam reſiſtentiam; ideò velocitates erunt æquales. Sed quòd conſequens ſit falſum, probatur: quia potentia æqualis in eodem tempore pertranſit plus de aëre quàm de terra, propter maiorem denſitatem materiæ: igitur ſi illi motus ſint æquales, ſequitur, quòd per motus æquales in eodem tempore pertranſeantur ſpatia inæqualia, quod eſt impoſſibile.

8. Septimò, ſint *A* & *B*, duo motores, *A* maior, & *B* minor, & *C*, & *D* ſint duæ reſiſtentiæ, *C* maior, & *D* minor; & ſit æqualis proportio *A* ad *C* proportioni *B* ad *D*; tunc ſequitur quòd ſpatia *C*, & *D*, æquè citò, & motu æquali erunt pertranſita: quia motus proueniunt ab æquali proportione: & *C* eſt maius *D* per caſum: igitur aliqui motus ſunt æquè veloces, quorum vno pertranſibitur maius ſpatium in eodem tempore, quàm reliquo, quod eſt impoſſibile, & contra definitionem velocioris.

Octauò, arguitur, retento eodem caſu, quia vel *A* pertranſit [a] totum *C* in tempore quo *B* pertranſit totum *D*, aut minus; ſi in eodem, ſequitur conſequens, vt priùs, quòd motibus æqualibus inæquali tempore pertranſibuntur inæqualia ſpatia ſi minus, ponatur igitur quod pertranſeat ſpatium *E* partem ſpatij *C*, igitur eadem eſt proportio *B* ad *E*, & *A* ad *C*, ſed proportio *A* ad *C*, ponebatur æqualis proportioni *A* ad *E*, quod eſt impoſſibile: quia tunc *A* haberet eandem proportionem ad totum, & ad partem, & per conſequẽs pars, & totum eſſent ad inuicem æqualia.

Nonò, aliqua eſt velocitas, quæ à null[illegible] proportione prouenit: igitur non ſemper velocitas ſequitur proportionem potentiæ motoris ad reſiſtentiam moti. Conſequentia nota eſt. Probatur antecedens de aſcenſu aquæ per canalem: quia illa velocitas non attenditur penes proportionem alicuius diſpoſitionis aquæ: quia aqua ſecundùm quamlibet ſui diſpoſitionem inclinatur ad motum deorſum, nec ſecundùm proportionem aëris attrahentis; quia aqua non eſt continua aëri: igitur non ſequitur ad tractum aëris. 9.

Decimò, quia potentia motiua & reſiſtentia mobilis ſunt diuerſarum ratiunum; igitur ipſarum non eſt aliqua proportio. Tenet conſequentia, quia *proportio eſt duarum quantitatum eiuſdem generis vnius ad alteram certa relatio.*

Ad iſta reſpondetur. Pro quibus notandum eſt, quòd potentia motiua & reſiſtentia poſſunt adinuicem comparari quadrupliciter. Primò, quantum ad extenſionem; & ſic certum eſt, quòd velocitas non ſequitur proportionem potentiæ motiuæ ad reſiſtentiam, quia difficilius eſt eidem potentiæ mouere per modicam terram, quàm per multum aërem. Alio modo quantum ad intenſionem: & adhuc ſic non attenditur velocitas, quia à proportione æqualitatis non poteſt fieri motus; & tamen ſumma caliditas, & ſumma frigiditas, quæ ſunt æquè intenſæ, agunt in inuicem. Tertio modu poſſunt comparari adinuicem ſecundùm vtrumque, ſcilicet tam ſecundùm intenſionem, quàm extenſionem. Et quarto modo poſſunt comparari penes poſſe mouere, & poſſe reſiſtere, non abſolutè, ſed cum aliquibus circumſtantiis, vt à tanta diſtantia, cum tanta applicatione, vel tanto conatu, vt in motibus voluntariis, & ſic de aliis circunſtantiis: & ideò ex parte potentiæ motiuæ oon debet numerari pro maiori termino ſolùm potentia principalis motiuæ, ſed cum hoc applicatio ipſius ad mobile, figura mobilis, quod mouetur, ſi iuuat ad motum; & vniuerſaliter ex parte potentiæ motiuæ debet numerari omne illud, quod iuuat, & promouet motum; & ſimiliter ex parte reſiſtentiæ debet numerari omne illud quod impedit motum.

Potentia motiua quatuor modis poteſt comparari ad reſiſtentiam.

Nunc ad argumenta. Ad primum, negatur conſequentia; quia velocitas ſequitur proportionem potentiæ motiuæ ad totalem reſiſtentiam, numeratam cum omnibus illis, quæ impediunt motum; modò non ſolùm lapis reſiſtit proiicienti, immò etiam medium per quod proiicitur. Et quando dicitur, ad minorem lapidem eſt maior proportio; dico quòd non, immò aliquando potentia motiua habet proportionem maiorem ad lapidem maiorem, quam ad minorem; cuius cauſa eſt, quia lapis poteſt eſſe ita paruus, quòd applicatio agentis non poteſt eſſe tanta minori lapidi, ſicut maiori. 10.

Ad ſecundum, negatur antecedens, ſi ſit æqualis applicatio. Ad proportionem de æquilibra, dico quòd licèt grauitas eſſentialis maneat ibi æqualis, tamen ibi acquiritur grauitas accidentalis ex ſitu; ex eo quòd graue detentum diutiùs appetit

appetir centtum quàm antè; & ista grauitas accidentalis vocatur grauitas secundùm situm, vt patet in tractatu de Ponderibus.

Ad ambas confitmationes dicitur, quòd non sunt ad propositum, quia licèt potentiæ sint æquales, & etiam resistentiæ, tamen non est æqualis applicatio.

Ad tertium, negatur consequentia; quia licèt maneat eadem grauitas essentialis in descendendo, tamen illa continuè potest plus mouere propter grauitatem accidentalem acquisitam ex impetu, sicut habet videri, *secundo Cœli*.

Ad quartum de portatione lapidis, dicitur, sicut ad primum.

11. Ad quintum, dico quòd aggregatum ex adamante, & ferro maiori quod sufficit attrahere, non est grauius, id est, non habet maius centrum grauitatis, quàm aggregatum ex adamante, & ferro minori, immò aggregatum ex adamante, & ferro, quod adamas sufficit attrahere, non habent maius centrum grauitatis, quàm adamas solùm; & hoc pro tanto, quia ferrum per dispositionem receptam ab adamante, plus appetit coniungi cum adamante, quàm descendere deorsum.

Ad sextum, dico quòd impossibile est aëre, & terra existentibus in suis naturalibus dispositionibus, quòd aliqua portio aëris & terræ sint æqualis resistentiæ: tamen hoc est benè possibile quantumcunque ducatur extra suam naturalem dispositionem, vt quòd terra sit per modum exhalationis, & aër per modum vaporis inspissati; tunc dico quòd potentia æqualis non plus pertransibit de aëre, quam de terra in æquali tépore.

Ad septimum, concedo casum, & dico quòd *A* non pertransibit de *C*, nisi partem æqualem ipsi *D* in eodem tempore tunc.

12. Ad octauum, quo arguitur contra hoc conceditur consequens, scilicet, quòd pars & totum sint æqualis resistentiæ intensiuè, licèt non extensiue, vt de aëre vniformi, pedale tantum resistit intensiuè, quantum bipedale, licèt minùs extensiuè.

Ad nonum, negatur antecedens. Ad probationem, dico quòd velocitas ascensus aquæ per canalem attenditur penes proportionem potentiæ attrahentis aërem; cuius signum est, quòd si illa potentia est maior, velociùs attraheret, & si minor tardiùs.

Ad decimum, dico quòd hoc pertinet ad 7. huius, scilicet an inter aliqua quæ sunt diuersarum rationum, possit esse proportio, & de hoc videbitur ibi.

Ad rationes principales. Ad primam, dico quòd licèt sit continuè alia, & alia proportio, tamen correspondenter est vna proportio per totam horam, & ita correspondenter est vna velocitas difformis per totam horam æqualis vniformi, à qua per eandem horam tantum spatium pertransiretur.

Ad secundam, negatur consequentia, quia sine diminutione virtutis essentialis Socrates potest diminuere suum conatum, modò penes proportionem potentiæ absolutè non attenditur velocitas, sed penes proportionem potentiæ cum tanto conatu, cum tanta applicatione, & tanta figura iuuante ad motum; & sic de aliis circumstantiis.

13. Ad tertiam dictum est in solutione primæ rationis.

Ad quartam, proportio non est aliud, &c. Dico, quòd siue [b] sit idem quod termini, siue aliud in proposito, non est cura; sed sufficit, quòd ad maiorem proportionem potentiæ motoris ad resistentiam mobilis, sequatur proportionaliter maior velocitas.

Ad quintam de figura, dicitur, quòd si figura iuuat ad motum, debet numerari ex parte potentiæ motiuæ; sed si impediat, debet numerari ex parte resistentiæ.

Ad sextam, negatur consequentia; vt solutum est in quæstione.

Ad septimam, dico quòd si motus nauis iuuet motum Socratis, tunc motus nauis debet numerari ex parte potentiæ motiuæ, sed si impediat, debet numerari ex parte resistentiæ.

ANNOTATIONES.

[a] O*Ctauò arguitur, retento eodem casu*, &c. Nota, quòd hic textus est corruptus & mancus. Ideò in hunc modum est corrigendus: quia, vel *A* pertransit totum *C*, in tempore quo *B* pertransit totum *B*, aut minus; si in eodem tempore pertransit totum, sequitur consequens vt priùs, quòd motibus æqualibus in æquali tempore pertransibuntur inæqualia spatia. Si minus, ponatur igitur quòd *A* pertranseat spatium *B* partem spatij, id est, quòd *E* est pars spatij *C*; igitur eadem est proportio *B* ad *D*, & *A* ad *E*, sed proportio *A* ad *C*, ponebatur æqualis proportioni *B* ad *D*, ergo proportio *A* ad *E*, est æqualis proportioni *A* ad *C*, quod est impossibile; quia tunc, &c. 14.

[b] *Dico quòd siue sit idem quod termini*, &c. Nota, Henricus de Gandauo *Quodl. 9. q. 3. quodl. 5. q. 6. & 7. & quodl 7. q. 1.* asserit, quòd omnis relatio est eadem realiter cum fundamento: quam sententiam secuti sunt Nominales, & Sotus *in Prædicamentis, cap. de Relatione, q. 2* Oppositam sententiam docet Scotus *in 2. d. 1. q. 5.* quæ consistit in duabus conclusionibus. Prima conclusio Relationes, quarum fundamenta possunt esse sine termino & relatione, distinguuntur realiter à suis fundamentis, vt paternitas, similitudo, proportio, &c Secunda conclusio. Relationes quarum fundamenta non possunt esse sine termino, & relatione, sunt idem realiter cum fundamentis, vt creatio passiua, &c.

QVÆSTIO XII.

Utrùm in vacuo, si esset, posset fieri motus.

Aristot. 4. *Physic. text. 71.* Commentator *ibid.* Themist. Simplic Ægidius, Burleos. Iandun. & Saxon. *text. 7. 75 & 76.* Albert. Magn. *tract 1. cap. 6. & 7.* D. Thom. *lect. 12. & in 4 dist 44 qu. 2. art 3* Gandauen. *quodl. 3.* Scotus *quodl. 11 & in 2. dist 2. qu 9* Gregor. *dist 6 quæst. 3. art. 2* Sotus *4. Phys qu. 3 art. 3.* Toletus *quæst 9.* Conimbr. *cap. 9. qu. 4.* Complut. *disp 20 qu. 3* Ruuius *quæst. 3.* Roccus *quæst. 9.* Auersa *tom. 1. quæst 27. sect. 9.*

ARGVITVR quòd sic, de graui simplici, de quo minùs videtur; quia omne corpus naturale extra suum locum non impeditum mouetur naturaliter ad suum locum, sed in vacuo (si esset) potest esse graue simplex extra suum locum, & tamen non impediretur: igitur moueretur ad suum locum. 1.

Secundò, quia appetens aliquem finem, si non impediatur, exequitur illum finem, sed graue simplex appetit locum deorsum; igitur.

Tertiò,

Tertiò, graue simplex mouetur per aquam, & per aërem, & meliùs per aërem, quàm per aquam, igitur, optime moueretur per vacuum.

Quartò, per Aristotelem 1. *Cæli.text.*77. si essent plures mundi, terra vnius moueretur ad terram alterius; sed inter illos mundos esset vacuum intermedium; igitur moueretur per vacuum.

Quintò, si per vacuum non moueretur graue simplex, hoc esset pro tanto, quòd non haberet resistentiam ad faciendum successionem in motu, sed non propter hoc; quia cœlum mouetur, & tamen nulla est resistentia faciens successionem in motu cœli. Item illuminatio medij est successiua, vt patet de illuminatione diurna, quæ consequitur motum successiuum vmbræ terræ, & tamen illuminatio fit sine resistentia: igitur ad causandum successionem nullo modo requiritur resistentia.

2. Sextò arguitur de graui mixto; quia quodlibet mixtum habet resistentiam intrinsecam sufficientem ad causandum successionem in motu: igitur quodlibet tale potest moueri in vacuo. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto* 4.*text.*71. *& inde.*

Diuisio quæstionis. In quæstione, primò videbitur de elemento simplici, an moueretur in vacuo si esset, vel non. Secundò, de elemento mixto, vtrùm possit moueri in vacuo.

Quantum ad primum, ponit vna opinio, quòd si vacuum esset, motus fieret in vacuo, & nullus motus fieret in vacuo. Quod probatur: quia vacuum esse est impossibile, modò ad impossibile sequitur quodlibet: igitur ad impossibile sequuntur ambo contradictoria.

Secunda via: posito quòd vacuum esset, vt posito, quòd totus aër istius domus esset annihilatus, tunc ponit ista via, quòd latera domus, siue corpora lateralia circumstantia vacuum, subitò concurrerent ad replendum vacuum, & hoc est propter appetitum infinitum, quem habent corpora naturalia, vt coniungantur cum aliis corporibus, cuius signum est, quòd corpora naturalia patiuntur quantamcumque violentiam ne fiat vacuum; & sic intelligitur illud commune dictum, *quod natura abhorret vacuum.* Ex isto inferunt sic punentes, quòd annihilato aëre huius domus, si in medio poneretur vnum graue simplex, & Deus saluaret latera domus ne concurrerent, & cum hoc saluaret graue simplex, moueretur successiuè in vacuo, & hoc propter inclinationem grauis quà tenderet ad replendum partes superiores, & laterales vacui.

3. Contra ista dicta ponuntur tres conclusiones. Prima est. Ad vacuum esse non sequitur contradictio, & ideò non sequitur, *vacuum est, igitur motus est, & nullus motus est.* Probatur, quia ad nullum impossibile sequitur quodlibet, nisi formaliter implicet contradictionem, sed vacuum non impliceat contradictionem: ergo, &c.

Ad vacuum esse non sequitur contradictio.

Secundò, quia de facto ponimus per fidem, quòd Deus potest facere vacuum, ita vt possit annihilare aërem huius domus aliis corporibus non mutatis: sed nullus ponit, quòd Deus potest facere duo contradictoria esse simul vera: igitur si ad vacuum esse sequatur contradictio, sequitur quòd possibile est, quòd in bona consequentia antecedens sit verum, & consequens impossibile.

Secunda conclusio. Posito quòd vacuum esset, corpora circumstantia non dilatarent se, nec concurrerent subitò ad replendum vacuum. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quod cœlum iam esset rarefactum in infinitum, consequens est impossibile, 1. *Cæ.* 1.*text.* ... *& inde.* Consequentia probatur, quia extra cœlum non est aliquod corpus, cui coniungatur cœlum, igitur de facto cœlum rarefieret per totum spatium, in quo extra cœlum potest esse corpus.

Secundò, quia quodlibet ens naturale plus appetit sui permanentiam, quàm coniungi cum alio corpore: igitur si esset vacuum, non esset necesse corpora circumstantia concurrere ad replendum vacuum. Consequentia probatur, quia multa sunt corpora, quæ per rarefactionem; & dilatationem tendunt ad non esse, vt patet de corporibus, quæ sibi determinant certum gradum densitatis; ideò si plus appetant permanere, quàm sic rarefieri propter replere vacuum, sequitur quòd non rarefient. Antecedens probatur, quia quodlibet diligit se permanere quantum potest, vt patet per Commentatorem 1.*huius, comm.*81. igitur si plus appeterent rarefieri, quàm permanere, iam appeterent plus, quàm possent appetere, quod est impossibile. 4.

Tertiò, quia multa sunt corpora, quæ non sunt rarefactibilia, igitur si inter latera huiusmodi corporum fieret vacuum, illa corpora lateralia non concurrerent per rarefactionem. Ex isto sequitur, quòd si in vacuo ponerentur vnum graue simplex, quòd ipsum non moueretur successiuè ex eo, quòd tenderet per rarefactionem ad replendum vacuum. Patet: quia multa sunt grauia, quæ propter quancumque potentiam vacui nullo modo rarefiunt, verum [a] est tamen quòd aliqua sunt fluxibilis naturæ, vt aër, & aqua, quæ rarefierent vsque ad certum gradum, ne fieret vacuum.

Tertia conclusio, posito quòd vacuum esset, si graue simplex moueretur in eo, ipsum moueretur subitò, exceptis aliquibus casibus, qui dicentur. Probatur conclusio, quia omnis [b] motus est secundùm proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti: igitur vbi est aliqua potentia sine resistentia, potentia in infinitum potest mouere suum mobile; sed in vacuo nulla est resistentia, igitur infinita velocitate mouebit, & per consequens subitò. Minor patet ex præcedentibus, quia nulla est resistentia mobilis ad motorem, nec ex renisu partium, aut ex limitatione agentis, & ita de aliis modis, qui tacti fuerunt priùs.

Graue simplex non moueretur in vacuo successiuè.

Et quia ista conclusio ponitur compositè, scilicet si graue moueretur in vacuo, ipsum moueretur subitò, ideò ponitur ista conclusio quarta: Si vacuum esset nullum graue [c] simplex positum in ipso moueretur, immò vbicumque poneretur, ibi quiesceret. Probatur, quia omnis motus alicuius grauis est vt subsit leuiori, & leuis, vt supersit grauiori: sed in vacuo nullum esset leue, cui subesset graue appeteret, nec aliquod graue, cui leue appeteret superesse; igitur in vacuo, si esset, nullus fieret motus alicuius grauis, vel leuis. Maior patet per experientiam, quia graue non quiescit, aut descendit ex eo, quòd est in tali situ respectu cœli, scilicet ex eo quòd tantum distat, vel tantum propinquatur ad cœlum, quia aqua descendens quiescit in aliquo situ, in quo nunc est aqua, per quem tamen situm moueretur, si in illo esset aer, & ista maior potest probari per plures experientias: & minor nota est, quia hoc intelligimus per vacuum. [d] Patet igitur, 5.

si vacuum esset, quòd in illo nullus fieret motus naturalis grauis, vel leuis. Et notandum, quòd quia nunquam expertum est, quòd fieret in vacuo, ideò posito quòd esset vacuum, nullus scit quid sequatur, ideò prædictæ quæstiones positæ sunt verisimiliter coniecturando.

Sed circa prædicta dubitatur, concesso, quòd per vacuum potest moueri graue, vel leue; vtrùm semper subitò mouerentur. Respondetur, quòd non semper. Vnde posito quòd esset vnum graue, cuius vna pars esset ab vna parte centri, & altera ab alia, tunc illud graue descenderet successiuè, quia vna pars esset resistentia alterius. Item, in alio casu, vt si esset aliquod compositum ex terra, & aëre, & poneretur in loco sphæræ ignis vacuo, tunc descenderet vsque ad locum aëris subitò, sed de loco aëris deorsum successiuè.

6. Secundum dubium est, posito quòd Deus suppleret differentias locorum in vacuo, tunc posito quòd vna sphæra terræ simplicis poneretur in centro terræ, vtrùm ibi moueretur circulariter. Arguitur quòd non: quia vndique est æqualiter de grauitate, ideo quâ ratione moueretur ad vnam partem, eâdem ratione ad aliam. Respondetur, quòd talis sphæra non moueretur ex se sine motore extrinseco: quia si sic; iam moueretur subitò, & partes ipsius penetrarent se; sed talis sphæra potest moueri à motore extrinseco, quantæcunque esset modicæ virtutis.

Tertiò dubitatur, posito quòd super aliquam superficiem planam æquè distantem à centro ponerentur duæ sphæræ terræ simplicis in vacuo, quarum vna esset maior, scilicet *A*, & alia minor, scilicet *B*, vtrùm æquè facile esset mouere vnam, sicut & reliquam. Respondetur quòd sic: quia quælibet earum à quantacunque potentia mota, potest moueri, sed tamen à nulla potentia possunt ambæ moueri æquè velociter. Primum probatur: quia ex quo quælibet illarum terrarum est sphærica; igitur quælibet tangit planum in puncto: igitur ab vna parte illius puncti est tantum de grauitate, quantum ab alia parte; & per consequens potentia est æqualis resistentiæ: igitur quilibet excessus additus potest mouere. Secundum probatur, quia in maiori sphæra signetur grauitatis mora in vna medietate, vt *duo*, & grauitas resistiua, vt *duo*, & potentia, seu excessus additus, vt *vnum*; tunc tota potentia mota se habet ad resistentiam in sesquialtera proportione. Tunc de minori sphæra signetur vna medietas, vt *vnum*, & medietas resistiua vt *vnum*, item excessus additus ab extrinseco vt *vnum*. igitur excessus minoris sphæræ proueniet à proportione dupla, quæ est maior sesquialtera, igitur velocitates erunt inæquales.

7. Ex istis patet, quòd si in vacuo graue simplex poneretur in æquilibria, ipsum haberet resistentiam ex contra appenso, differenter tamen quàm in pleno: quia in vacuo quilibet excessus vnius super alterum sufficeret ad faciendum motum; sed in pleno non quilibet sufficeret propter resistentiam medij: & hoc de primo.

Graue mixtum an moueretur in vacuo. Quantum ad secundum, de motu mixti in vacuo. Dico quòd in proposito intelligimus per mixtum illud quod determinat sibi omnes qualitates primas in gradu citra summum, & cum hoc determinat sibi qualitates motiuas remissas per contrarium, vt grauitatem remissam per aliquos gradus leuitatis, & è contra: vel saltem per mixtum intelligitur aggregatum ex graui, & leui, vt si infra partes grauis contineatur aliquod corpus leue. Tunc dicitur primò de motu locali, quód mixtum ex omnibus elementis si moueretur in vacuo, moueretur successiuè, quia tunc haberet resistentiam intrinsecam. Secundò, quòd si esset mixtum ex aliquibus tantùm, tunc in aliquo loco moueretur subitò, vt mixtum ex terra, & aëre moueretur subitò in loco ignis. Deinde de motu alterationis dico, quòd in vacuo nulla potest fieri alteratio ab extrinseco remoto, quia non esset medium susceptiuum actionis; & ideò in vacuo non posset fieri visio. Et dico notabiliter *remoto*, quia ab extrinseco immediato benè potest fieri alteratio. Similiter ab intrinseco potest fieri alteratio. Ex quibus sequitur, quòd in vacuo possunt fieri motus consequentes alterationem intrinsecam, vt nutritio, augmentatio, rarefactio, condensatio, & consimiles motus. Item in vacuo potest fieri motus progressiuus animalium, motus proiectorum, & hoc per impetum tantùm in protracto ab impellente. Et per ista potest iudicari de alijs motibus.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd graue existens in vacuo, nec est in loco naturali, nec innaturali: quia non est in loco, tamen tenendo quòd Deus suppleat differentias locorum in vacuo, tunc dico quòd graue simplex mouebitur subitò, si non detineatur aliunde. 8.

Ad secundam dicitur, quòd motus non est finis grauis, sed locus deorsum; ideò graue positum in vacuo, subitò acquireret illum locum.

Ad tertiam, si intelligamus per *optimè*, *velocius*, concedo, quòd per vacuum in infinitum velociter moueretur.

Ad quartam dico, quòd Aristoteli sufficit, quòd terra illius mundi inclinaretur ad terram istius, sed non oportet, quòd moueretur ad istam terram.

Ad quintam, concedo quòd illuminatio fit cum resistentia non immediatè, sed mediatè, quia consequitur motum, qui est cum resistentia.

Ad sextam, de motu cœli dico, quòd ille motus est voluntarius, nec ibi requiritur resistentia ad successionem.

Ad vltimam, dictum est in secundo articulo.

ANNOTATIONES.

[a] V*Erum est tamen, quòd aliqua sunt fluxibilis natura*, &c. Nota quòd si esset vacuum, nullo posito miraculo alio, quàm vacuo in concauo Lunæ, cœli nullo modo concurrerent ad replendum illud, quia suâpte naturâ sunt incorruptibiles: & tamen concurrere non possent sine rarefactione, ne relinquerent vacuum locum suum, quod esset miraculum maius quàm illud de vacuo. Cæterùm cùm aër, & aqua sint mobiles, & rarefactibiles, minùs repugnat naturæ, quòd ascendant, quàm vt dent vacuum; atque adeò, posito vacuo, rarefierent vsque ad summam raritatem, sub qua possunt conseruari, vt repleant quàm maximum possunt vacuum, non tamen (vt hîc dicit Scotus) adeò rarefierent, quousque corrumpantur: nam si corrumperentur, plus vacui maneret; nisi dicas quòd conuerterentur in rarissimum ignem, qui posset maiorem locum replere: sed profectò propter vacuum non est admittendum, quòd vnum totum elementum 9. *Cœli non rarefierent ad replendum vacuum.*

[illegible] qui per solam [illegible] & inflammatione [illegible] aqua conuertatur [illegible] in aerem.

Controuersia de sue effirmu causa inter Auerroem, & Auempacem.

b *Omnis motus est [illegible] proportionem potentiæ motoris*, &c. Nota quòd de causa successionis in motu fuit altercatio, atque contentio inter Auerroem, & Auempacem, vt patet *in isto 4. cap. de vacuo.* Nam, Auempaces vir doctissimus, & Auerrois præceptor, credidit successionem in motu prouenire non ex resistentia medij [illegible] ex [illegible] mobilis ad motorem, [illegible] ex virtute mouente maiori, vel minori: & si ex [illegible] medij resistentia sumatur in motu successio, hoc est tantùm per accidens, [illegible] ideò dicebat rationem illam Aristotelis [illegible] esse & fallacem, quia propositio illa, *qualis est proportio [illegible] ad medium in spissitudine, & subtilitate, talis est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate*, est falsa, quia aliàs non esset motus in tempore, nisi ex resistentia medij: atque adeò si [illegible] medium resistens, motus esset in instanti; quod constat [illegible] falsum: quia corpora cælestia [illegible] mouerentur in instanti, cùm in eorum motibus non sit medium resistens in quo, vel per quod mouentur.

10. Auerroes autem vult rationem Aristotelis de [illegible] rationem esse efficacissimam, & contra Auempacem dicit, quòd omnis motus est continuus, & quòd hæc continuatio non potest esse ex [illegible] mouente, vt Auempaces sensit; [illegible] fuerit [illegible] virtus [illegible] superet, [illegible] secundum [illegible] rationem proportionis, secundùm quam virtus mouentis [illegible] superat, motus quoque fiat [illegible] atque adeò in his motibus, in quibus est maior proportio resistentiæ, est etiam maior velocitas, [illegible] proportio resistentiæ minor, etiam [illegible] minor: & vbi virtus mouentis resistentiam non superat, aut secundùm certum excessum à natura statutum eandem non excedit, motus nullus efficitur. Vnde tribus tantùm modis ex ipso Aristotele ostendit Auerroës resistentiam inueniri posse, aut ex parte mobilis & medij, vt in animalibus, quæ in pleno mouentur, in quibus corpus, quod est actu, & medium quod est plenum, animæ mouenti resistit. Aut ex parte mobilis tantùm, vt in animalibus, si mouerentur in vacuo, in quibus non medium, quod est inane, sed solum animalis corpus animæ mouenti resistit; & in corporibus cælestibus, in quibus ipsum cœlum motum sine medio animæ mouenti resistit ratione situs contrarij, quem habet ad motum intentum à motore: nam primum mobile non mouetur in Instanti ab Intelligentia: quia partem, quam modò habet in Oriente, intendit Intelligentia mouere ad Occidentem: & propter continuitatem partium orbis, non potest fieri in instanti. Tertiò, ex parte medij tantùm, vt in elementis, quæ mouentur in pleno, quorum materia, quæ actu non est, sed facultate tantùm, formæ mouenti resistere non potest; sed medium solùm est illud, quod resistit.

11. *Scotus de causa successionis in motu.*

Scotus verò *in 2. dist. 2. quæst. 9.* ad quartum principale, & *in 4. dist. 43. quæst. 5. artic. 2.* dicit quòd successio in motu causatur propter resistentiam mobilis ad motorem, & ipsius mobilis ad medium inter ipsum, & terminum: verbi gratia, virtus motiua lapidis mouet ipsum lapidem deorsum, lapis ipse est mobile, & facit resistentiam virtuti motiuæ lapidis, [illegible] corpus lapidis, vt comparatur virtuti [illegible], non potest esse in instanti à [illegible] sursum in locum deorsum, atque [illegible] vt comparatur tali virtuti, transit [illegible] per omnia media vsque ad centrum, [illegible] omnia illa media inter terminum *a quo*, [illegible] *ad quem*, faciunt sibi [illegible] inter se ordinata, vt tale mobile [illegible] tali virtuti, non possit [illegible] transire omnia illa media, [illegible] successio in tali motu causatur ex [illegible] mobilis ad motorem, & ex resistentia [illegible] ad mobile. Et in quarto loco [illegible] sub litera *B*, inquit, quòd omnes illæ [illegible] à Commentatore *quarto Physicorum cap. de vacuo* [illegible] mobilis ad motorem, & mobilis ad medium, & medij ad mouentem reducuntur finaliter, sicut [illegible] (scilicet in 2. vbi suprà) ad imperfectionem virtutis agentis, propter quam imperfectionem potest sibi mobile resistere non [illegible], sed vt respicit terminos, & medium per quod transferendum est à termino in terminum.

12. *Vacui significationes sunt tres.*

c *Si vacuum esset, nullum graue simplex*, &c. Nota quòd secundùm Philosophum *in isto quarto cap. de vacuo*, tres sunt vacui significationes. Vno modo vacuum significat illud, quod nihil est. Secundo modo significat, in quo non est corpus sensibile: & istis duobus modis accipitur vacuum transumptiuè: quia verum vacuum non est illud, in quo nihil est, quia sic punctum esset vacuum: nec verum vacuum est illud, in quo non est corpus sensibile, quia sic locus in quo est aër, esset vacuum. Tertio modo accipitur vacuum pro spatio receptiuo corporis naturalis, priuato tamen corpore naturali, & hoc potest dupliciter intelligi: vno modo, quòd in illo spatio nec sit corpus naturale, nec quantitas separata. Secundò, quòd in illo spatio sit quantitas separata, sed esset quemadmodum erat ante mundi creationem; vel nunc extra cœlum: & isto modo nunc Doctores disputant de vacuo. Sed iste intellectus contradictionem inuoluit, scilicet quòd sit aliquod receptiuum corporis carens omni quantitate, quia esset ponere quantum sine quantitate: nihil enim potest recipere quantum nisi quantum: atque adeò, vt coniicio ex ipso Aristotele nullus antiquorum ita posuit vacuum intra vniuersum, tametsi aliquæ eius rationes militent quoque aduersùs hoc genus vacui. Secundus intellectus est minùs impossibilis, scilicet quòd sit aliqua quantitas lata, longa, & profunda, & ab omni substantia, & sensibili qualitate separata, vt fides Catholica ponit quantitatem in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sine omni substantia corporea, in qua sit vt in subiecto, ita Deus efficere posset quantitatem sine omni qualitate, & substantia. Et huiusmodi quantitatem separatam receptiuam corporis aliqui antiquorum dixerunt esse vacuum.

13. *Quantitas separata dupliciter intelligi potest, quod sit receptiua corporis.*

Nota secundò, quòd talis quantitas separata duobus modis potest intelligi, quòd esset receptiua corporis; vno modo quòd cederet corpori naturali, sed ingrediente naturali corpore, staret simul adæquate cum illo, atque immobiliter maneret; & in hunc modum posuerunt antiqui quantitatem separatam esse vacuum. Alio modo potest intelligi, quòd illa quantitas cederet corpori naturali; & ita loquitur Aristoteles *in hoc quarto text. 76. de quantitate positiua,* quando

quando dicit, quòd sola quantitas facit distare, vt si corpus cubum separatum ab omni substantia, & ab omni qualitate, sensibili, poneretur in aqua, faceret tantum de aqua distare, quantum est corpus cubum.

Nota tertiò, quòd (ponendo vacuum esse spatium non repletum corpore, sed in eo esse tantùm quantitatem separatam, sicut ponebant antiqui, sic tamen quòd illæ dimensiones non cederent corpori, vel mobili,) tunc in vacuo nullo modo posset esse motus: quia non potest dari penetratio dimensionum. Modò antiqui dicebant corpora physica penetratiuè moueri per illas, sicut corpora gloriosa mouebuntur per cœlum: hasque dimensiones dicebant esse locum, vt suprà exposuimus: quæ cùm haberent in se corpus Physicum, penetratiuè erant locus plenus; cùm autem omni corpore carerent, erant vacuum; sed esto quòd illæ dimensiones cederent, & cum hoc aliquam resistentiam mobili facerent, tunc etiam Philosophus concederet in vacuo posse fieri motum; negando verò dimensiones facere resistentiam, sed tantùm cedere mobili, vt ponebant antiqui, dubium est, an in vacuo possit esse motus? & Aristoteles contra antiquos probat quòd non.

14. *Motus dupliciter habet successionem.* Nota quartò, quòd motus duplicem habet successionem; vna est successio essentialis; altera est successio accidentalis. Successio essentialis competit motui ex diuisibilitate spatij seu medij, per quod mobile mouetur; sed successio accidentalis competit motui ex aliqua qualitate superaddita spatio, siue medio, quæ est raritas, vel densitas, quæ sunt qualitates consequentes calidum, & frigidum, vt dicit Commentator 7. *Physic. comm.* 15. & penes istas qualitates medium est promotiuum, vel impeditiuum motus, id est, penes subtilitatem medium promouet, & penes densitatem impedit ipsum motum, & ratione istarum qualitatum, seu conditionum accidentalium, quæ superadduntur spatio, seu medio, motus habet successionem accidentalem, scilicet velocitatem, & tarditatem; licèt à spatio, & medio habeat successionem essentialem, & essentialem velocitatem, prout hæc sunt quanta, scilicet *spatium*, & *medium*.

Nota quintò, quòd motus factus in pleno habet vtramque successionem; essentialem, quatenus spatium est diuisibile: & accidentalem, quatenus spatium est rarum, vel densum. At motus factus in vacuo, si vacuum cedere posset, idest, si illæ dimensiones separatæ cederent mobili, vt ponebant antiqui ex diuisibilitate spatij, haberet diuisibilitatem, & successionem essentialem, sed nullam velocitatem, vel tarditatem superadditam haberet; quia in vacuo nulla est qualitas: ideò in vacuo non causatur motus nec velox nec tardus, quia amotà causà, amouetur effectus: & causa velocitatis, & tarditatis, est raritas, & densitas, quæ non sunt in vacuo. Nam successio accidentalis, vt iam diximus, quæ est velocitas, vel tarditas in motu, non causatur ex diuisibilitate spatij, quia si spatia essent æqualia, motus facti in ipsis essent æquè veloces, vel æquè tardi, quod est falsum; vt patet de motibus factis per aërem, & aquam; causatur ergo velocitas accidentalis ex subtilitate pleni; & tarditas ex ipsius densitate, atque adeò motu, factus in vacuo non est neque tardus, neque velox.

15. Ex his sequitur primò, quòd (cùm successio essentialis possit esse æquè in vacuo, sicut in pleno, cùm vacuum sit æquè diuisibile in partes, sicut plenum) motus factus in vacuo esset proportionabilis motui facto in pleno, loquendo de successione essentiali: sed loquendo de successione accidentali, hoc est, de velocitate, & tarditate superaddita, cùm nulla talis sit in vacuo, motus factus in vacuo non potest proportionari motui facto in pleno, quia *nihil* ad *aliquid* nulla est proportio.

Secundò, sequitur quòd si antiqui posuerunt motum causari in vacuo, & non velocitatem motus, Aristoteles nihil haberet contra eos, quod esset inconueniens, quia non haberet, nisi quòd motus factus in vacuo non proportionaretur motui facto in pleno in velocitate, & tarditate, quod vtique verum est. Sed non probaret contra eos, quòd motus factus in vacuo non proportionaretur motui facto in pleno in successione essentiali. Verùm, si antiqui nedum posuissent motum fieri in vacuo quantum ad essentialem successionem, sed etiam quantum ad successionem accidentalem, tunc ratio Aristotelis concludit contra eos, quòd illi motus facti, vnus in vacuo, & alter in pleno, essent proportionabiles in velocitate, & tamen vacuum, & plenum non essent proportionabilia in subtilitate, & densitate, quæ sunt causæ velocitatis, & tarditatis in motu. Modò impossibile est, quòd proportionentur motus in velocitate, & spatia non proportionentur in subtilitate: quia impossibile est, quòd proportionentur effectus, nisi proportionentur, & causæ.

Tertiò, sequitur quòd antiquis ponentibus in vacuo motum præcisè in ratione quà motus, non est impossibile motum in vacuo esse æqualem motui facto in pleno, hoc est, fieri in æquali tempore cum motu, qui fit in pleno; quia medium vacuum potest æquari medio pleno in quantum est ratio, seu causa successionis essentialis in motu. Si ambo media sint, verbi gratià, decem cubitorum, atque adeò si aliquod plenum acciperetur in tali proportione, in quali accipit Philosophus ad motum factum in vacuo, stando semper in successione essentiali, illud plenum acceptum esset omnino neutrum, id est, nec rarum, nec densum, saltem vt sic nullam daret qualitatem accidentalem motui, sicut nec vacuum, atque ita illi motus non essent neque tardi, neque veloces. Philosophus ergo contra antiquos habet, quòd cùm vacuum nullam habeat qualitatem accidentalem, vltra successionem essentialem non tribuit motui velocitatem; quia si sic, posset aliquod medium plenum dari æquale, & tunc per medium plenum, & vacuum fieret motus in tanto tempore, quantum tempus correspondent illi conditioni accidentali motus, quod est impossibile: quia secundùm hoc media essent improportionabilia, hoc est, si illi motus essent proportionabiles in velocitate, etiam media, id est, vacuum & plenum essent proportionabilia in subtilitate, quod est impossibile. Quia ergo antiqui dicebant motum in vacuo esse tardum, & velocem, ideò rationes Aristotelis concludunt contra illos, de tarditate, & velocitate motus; & probat quòd talis motus non possit esse neque tardus, neque velox. Cæterùm, eius rationes non concludunt simpliciter motum non posse esse in vacuo sub ea ratione, quà motus, & hæc dicta sunt, ponendo vacuum esse spatium separatum. 16.

Sed dubium est, ponendo vacuum esse concauitatem 17.

cauitatem alicuius loci, in qua prorsus nullum sit corpus neque Physicum, neque Mathematicum, vt si Deus destrueret elementa omnia, nihilque remaneret intra orbes cœlestes, vtrùm per illud spatium inane posset fieri motus. Pro cuius solutione obseruandum est, tarditatem, seu velocitatem motus triplici ex causa prouenire posse. Primò, ex parte ipsius mobilis, quando scilicet mobilia diuersa sunt, ita vt vnum altero sit grauius, vel leuius; velociùs enim mouebitur sursum, quod leuius est, quàm quod minùs leue: & deorsum, quod est grauius, quàm quod minùs graue. Secundò, ex parte spatij resistentis; minus enim resistit aër, quàm aqua; quare motus per aërem, cæteris partibus, velocior est, quàm motus per aquam. Tertiò, ratione situs; pars enim orbis, quæ est in Oriente, resistit parti, quæ est in Occidente, vt non possit esse simul in eodem situ, & sic non potest in instanti moueri orbis Lunæ.

Tarditas, & velocitas in motu ex triplici causa prouenire possunt.

18. Hoc stante, dico quòd motus per vacuum necessariò fieret in tempore. Quod patet primò, ex parte mobilis; sit enim corpus mobile in vacuo tripedale, tertia pedalitas non posset deuenire ad locum primæ, nisi priùs esset in loco mediæ; sed hoc priùs & posterius non potest esse sine tempore: ergo, &c. Item, suppono quòd esset vna hasta magna affixa in terra; & suppono, quòd, stante vacuo à cœlo vsque ad terram, aliquis lapis moueretur sic à capite lanceæ, & aliquis alius lapis eiusdem quantitatis, & grauitatis, & figuræ inciperet etiam simul moueri à medio istius hastæ. Tunc quæro an ille lapis, qui mouetur à medio lanceæ sit priùs in terra, quàm ille, qui mouetur à capite, vel simul. Non simul, quoniam, quando lapis, qui mouetur à capite, est vbi erat lapis alter, puta in medio; lapis qui erat in medio, vel aliquid transiuit, vel nihil; si nihil, ergo non simul inceperunt moueri, quod est contra suppositum: ergo aliquid transiuit: ergo priùs est in terra, quàm alter. Sed vbi est prius & posterius, ibi est successio; ergo, &c. Secundò probatur, citiùs ascendit leuius, & citiùs descendit grauius; sed si in vacuo esset motus in instanti, tum æquè citò descenderet lana, quàm plumbum, & æquè citò ascenderet terra, quàm ignis. Tertiò, probatur sic: Si in hac aula, verbi gratia, æqualis est distantia à tecto ad pauimentum, si sit plenum tale spatium, ac si sit vacuum; sed si motus in vacuo fieret in instanti, non esset talis æqualis distantia: impossibile enim est naturaliter, quòd talis distantia in instanti transeatur; ergo motus in vacuo non potest fieri in instanti.

Motus in vacuo potest fieri in tempore.

19. Ex his patet ad primam rationem Aristotelis Concedo enim nullam esse proportionem inter vacuum & plenum, neque inter resistentiam vacui, & pleni; nego tamen quòd fiat motus in instanti: quamuis enim in spatio vacuo non sit corpus, quod resistat, est tamen aliunde ratio, vt suprà diximus, quæ facit motum esse successiuum. Et si dicas: ergo ratio Aristotelis non valet contra antiquos. Siquidem & ipsi potuissent respondere alia ex parte motum esse successiuum, quamuis daretur vacuum, vt ipsi asserebant: atque ita malè inferebat pro inconuenienti ex vacuo dato motum per ipsum fieri in instanti. Respondeo Aristotelem optimè procedere contra antiquos putantes in ipsomet vacuo esse resistentiam: quia illi ponebant vacuum illud dimensionatum, asserebántque ex parte dimensionum esse resistentiam; ita vt motus per tale vacuum fieret in tempore: Aristoteles autem illâ ratione, & aliis hanc sententiam reiecit. Vnde nec illo vacuo dimensionato, nec in isto, quod ex casu ponimus, aliqua est resistentia ad motum; sed aliunde prouenit resistentia, vt suprà diximus, antiqui autem Philosophi solam, quam ex parte dimensionum falsò existimabant esse, ponebant, & sic optimè contra illos sequebatur motum fieri in instanti, quod falsum est. Vel dicas, & meliùs, sicut annotatum est suprà, annotatione quarta, & quinta.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm possibile sit esse vacuum.

Aristot. 4 *Physic. cap.8. & 9.* Auerroës & reliqui interpretes *ibid* D Thom. *lect.9 & sequen.* Alber Magn *tract.2. quæst 5. & sequen.* Scotus *in 4 dist 43. quæst 5 art.2. & quodl.* 11. *art.2.* Canonic 4. *Physic. quæst* 4. Conimbric. *cap.9. quæst* 1. & 2. Compluten. *disput.20 quæst* 1. & 2. Ruuius *quæst.2.* Roccus *q* 8 Auersa *tom.1.quæst.27.sect.8.*

ARGVITVR primò quòd sic, per experientias aliquas. Primò, quia vitrum plenum aquâ, aut vino, tantum continet de moneta nouiter facta, quantum contineret si non esset vinum, aut aqua; quod non esset nisi in vino, aut aqua essent vacuitates in quibus reciperetur. 1.

Secundò, quia vas plenum cineribus tantum recipiet de aqua, quantum faceret si non essent cineres; quod non esset nisi intra cineres essent vacuitates receptiuæ aquæ.

Tertiò, quia dolium continet tantum de vino cum vtribus, quantum contineret sine vtribus; quod non esset nisi vtres reciperentur in vacuo.

Quartò, arguitur ratione: & sint duo corpora perfectè plana sibi inuicem immediata; & sic superius *A*, & inferius *B*, tunc per chordam affixam centro ipsius *A* separetur *A* à *B*, tunc æquè citò, sicut vna pars *A* separabitur à *B*, æquè citò & reliqua. Tunc igitur immediatè post hoc *A*, secundùm se, & quamlibet partem sui distabit à *B*, tunc igitur vel immediatè post hoc, aër ingrediens replebit totum spatium inter *A*, & *B*, vel non; si non, habetur propositum, si sic; igitur motus localis ipsius aëris factus est subitò, quod est impossibile, vt patet 6. *huius*.

Quintò, quia condensatio, & rarefactio sunt possibiles: igitur possibile est vacuum esse. Antecedens patet ad experientiam. Consequentia probatur; quia in condensatione partes circumferentiales appropinquantur partibus centralibus, & è contra in rarefactione elongantur à centralibus; tunc igitur in rarefactione partes circumferentiales, vel recipiuntur in pleno, vel in vacuo: si in pleno, tunc corpora penetrabunt se, quod est impossibile; si in vacuo, habetur propositum.

Sextò, vacuum intelligitur; igitur vacuum est. Antecedens patet, quia de ipso est scientia. Consequentia probatur; quia intellectus est virtus passiua, & non potest moueri nisi ab ente. 2.

Septimò, arguitur per locum à parte totius, in modo ad suum totum; quia sequitur *aliquid est vacuum vino; igitur aliquid est vacuum*: quia ista determinatio *vinum* non est diminuens.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto quarto tractatu à text.64. vsque ad text.86.* Primò

notandum, quòd per easdem rationes, quibus probatur vacuum esse, potest probari plura corpora esse simul, vel saltem per aliquas illarum, vt patet de illis rationibus, quæ ducunt ad hoc inconueniens; scilicet quòd vel vacuum est, vel plura corpora sunt simul.

An plura corpora possint esse in eodem loco.

Ideò notandum, quòd corporum quædam sunt quorum vnum natum est informare reliquum, vel ambo tertium; vt materia, & forma, albedo, & caliditas. Alia sunt quorum nullum natum est informare reliquum, nec ambo nata sunt informare tertium; vt homo, & asinus. Modò plura corpora, quorum vnum natum est informare reliquum, vel ambo tertium, benè possunt esse simul; sed de aliis corporibus, quorum neutrum natum est informare reliquum, nec ambo tertium, hoc est impossibile.

3. Secundò notandum, quòd hoc nomen *vacuum* est nomen priuatiuum, & significat tantum, quantum hæc oratio, *locus non repletus corpore*; & ideò quando dicitur, vacuum est locus non repletus corpore, ibi sumitur *esse* pro *significare*.

Imaginatio duplex de vacuo.

Tertiò notandum, quòd secundùm duplicem imaginationem de loco, est etiam duplex imaginatio de vacuo: nam vt patuit in principio huius quarti, aliqui imaginantur locum esse spatium separatum; ideò si imaginetur totus mundus annihilari, totum spatium, quod isti imaginantur mundum occupare, diceretur esse locus mundi. Sed alij ponunt locum esse terminum continentis. Et ita proportionaliter est duplex imaginatio de vacuo; vna ponit, quòd vacuum sit spatium separatum; & sic vacuum esse aliquid, implicat contradictionem. Alio modo imaginatur vacuum esse superficiem corporis continentis priuatam contento, sicut si totus aër huius domus esset annihilatus, lateribus domus manentibus vt nunc, tunc superficies interior huius domus diceretur esse vacuum.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Impossibile est aliquod vacuum separatum esse. Probatur, quia si esset aliquod vacuum separatum, tunc sequeretur, quòd aliquod esset perpetuum, seu coæternum ipsi Deo; quòd Deus non posset augmentare, nec annihilare, nec diminuere, nec alio modo variare; consequens est falsum, & impossibile, quia omne aliud à Deo est causatum ab ipso, & ab ipso dependens, & per consequens mutabile ab ipso Deo.

4. Secundò, sequeretur quòd plura corpora essent simul; consequens est impossibile de illis corporibus, quorum vnum non est natum informare reliquum, nec ambo tertium. Consequentia probatur, quia illud spatium separatum est æquè longum, æquè latum, & æquè profundum, sicut corpus, quod in ipso recipitur: & per consequens ipsum est corpus, & non cedit corpori recepto, immò stat simul cum ipso; igitur plura corpora stant simul.

Tertiò, sequeretur quòd esset aliqua dimensio separata: consequens est impossibile, quia apud cognoscentem esse accidentis implicat contradictionem *, accidens esse sine subiecto, vt patuit *primo huius, text. 36.* Consequentia probatur, quia in vacuo separato essent dimensiones quemadmodum in corporibus naturalibus.

* Vide censuram in princ. huius libri.

Quartò, si esset aliquod vacuum separatum, hoc esset præcipuè propter motum localem: sed propter hoc non, quia in vacuo separato, si esset, nullus fieret motus localis, ex quo nulla esset differentia partium situs, ratione cuius fieret motus, de vna parte illius spatij ad aliam partem.

Quartò, si sit aliquod tale spatium separatum; tunc verum est dicere, quòd spatium separatum est, & non est aliquid, nec aliqua, nec substantia, nec accidens. Item, concedere quòd huiusmodi vacuum est quantum, & æquale corpori, quod recipitur, & tamen ipsum nec est ens, nec entia, quod est impossibile, quia *quantum*, & *æquale* non dicitur nisi de entibus. 5.

Secunda conclusio. Nulla superficies corporis continentis, [a] nec aliquod corpus continens est vacuum, immò quilibet locus est repletus corpore. Probatur, (inducendo in corporibus mundi: nam in cœlo non est vacuum inter stellas, nam stellæ vniformiter mouentur,) quod non est benè possibile saluare vniformitatem motus, nisi stellæ sint fixæ in aliquo corpore solido, & per consequens ibi non est vacuum. Eodem modo potest induci in sphæris Planetarum, in quibus nullum est vacuum. Et si obiiciatur de epicyclis, quia medietas epicycli supra deferentem, quando mouetur, vel recipitur in pleno, vel in vacuo: si in vacuo, habetur propositum; si in pleno, tunc corpus cæleste cedit sibi, & est fluxibile, vel plura corpora erunt simul, quorum vtrumque est impossibile. Respondetur, quòd illa imaginatio est falsa, quæ ponit vnam partem epicycli super deferentem, immò totus epicyclus debet imaginari infra orbem, in quo est epicyclus.

Item, potest induci in elementis, & in istis inferioribus, quia vbi dicimus esse aërem, ibi est plenum, de quo tamen antiqui magis dubitauerunt, vt patet per vesicas repletas aëre, & declaratur in textu.

Secundò, probatur per experientias, quæ ponuntur *in tractatu de inani, & vacuo*: quia corpora naturalia mouentur contra naturales inclinationes suas, ne fiat vacuum. Prima experientia [b] est de aqua ascendente ad extinguendum candelam coopertam vrinali. Secunda experientia; si fiat vas habens duas tibias, vnam longiorem alterâ, & breuior ponatur in aqua, tunc per brachium longius extrahatur aër, aqua ascendet per tibiam breuiorem: quod tamen non faceret nisi ad prohibendum ne fiat vacuum. Tertia experientia est, quòd graue existens sursum non impeditum, non descendet ne fiat vacuum; igitur in istis inferioribus per agens naturale non est possibile vacuum esse. Antecedens probatur, quia si sit vnum vas habens multa foramina parua subtus, & vnum foramen magnum suprà, tunc si illud vas repleatur aqua, & foramen superius sit obstructum, non descendet aqua per foramina inferiora; quod non esset nisi ad prohibendum vacuum. Quartò, videmus quòd elementa leuia descendunt deorsum, vt patet de aëre, qui descendit in fossione puteorum. 6.

Contra istam conclusionem arguitur, & sit vnum corpus concauum perfectè sphæricum vndique vniforme grossitie & robore, vt esset de chalybe; & sit illud corpus repletum aëre; tunc ponatur illud corpus sic repletum in aqua, vel in aliquo, quod intensè frigefacit; tunc aër inclusus in isto vase, condensabitur: quia frigefiet, & ad frigefactionem consequitur condensatio: igitur occupabit minorem locum quàm antè, & per consequens manebit vacuum. Respondetur,

quòd

quòd impossibile est aërem in illo corpore condensari a frigido, quantumcumque intenso, nisi frangatur illud vas, aut in ipso sit aliquod foramen, per quod in ipso sit introitus alterius corporis.

7. Tertia conclusio. Licèt per potentiam naturalem [c] non sit possibile vacuum esse, tamen per potentiam supernaturalem, vt per diuinam, hoc est possibile, quia si Deus faceret vacuum, nesciremus quid inde sequeretur, quia non est expertum, vt dictum fuit priùs.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd hoc est pro tanto, quia moneta noua habet in se caliditatem, & valde intensam siccitatem, virtute quarum resoluit aquam.

Ad secundam consimiliter; quia cineres consumunt aquam, & è contra aqua consumit cineres; & ideò stant in minori loco quàm priùs.

Ad tertiam, de dolio cum viribus, credo, quòd hoc sit falsum, nisi vires sint de tali materia, quòd multum consumant de vino.

Ad quartam, respondetur, quòd impossibile est duo corpora perfectè plana esse sibi inuicem coniuncta, & ideò dicit Aristoteles *in 2. de Anima*, text. 113. quòd impossibile est duo corpora se inuicem tangere in aëre, nisi sit aër intermedius, nec etiam in aqua; nisi sit aqua intermedia; & ideò casus non est possibilis naturaliter; sed si admittatur casus, tunc dico quòd [d] impossibile est superficiem vnius leuari à superficie alterius, nisi obliquè; & ideò superius corpus non posset trahi æqualiter ab inferiori.

8. Ad quintam, conceditur antecedens, & negatur consequentia. De modo condensationis, & rarefactionis dicetur in alia quæstione.

Ad sextam, consequentia non valet, quia ex cognitionibus rerum, quæ sunt, intellectus potest elicere cognitiones non entium, immò etiam impossibilium esse, scilicet per discursum, & ratiocinationem, vt habet videri 3. *de Anima*.

Ad septimam; negatur consequentia, nec est ibi locus à parte in modo affirmatiuè, sed negatiuè: quia, vt dicebam priùs, hoc nomen *vacuum* est nomen priuatiuum: modò ille locus non valet negatiuè.

ANNOTATIONES.

9. [a] N*Vlla superficies corporis continentis, nec aliquod corpus continens est vacuum.* Nota, quòd Aristoteles 1. *Meteororum cap. 2.* dicit, quòd oportet hunc mundum inferiorem contiguum esse lationibus superioribus, vt inde tota eius virtus gubernetur. Ex quo sequitur per naturalem potentiam, vacuum dari non posse: nam contiguitas partium vniuersi est maximè necessaria ad naturalem rerum inferiorum conseruationem; si autem daretur vacuum, non esset huiusmodi contiguitas, atque adeò nec rerum inferiorum conseruatio: & ratio stat in hoc, quòd cùm agens, & patiens in natura, vel per se, vel per aliud sint approximata, sequitur quòd si aliquid debeat inferiùs conseruari virtute alicuius Planetæ, oportet quòd Planeta primò disponat, & alteret, aërem, quod fieri haud posset, si daretur vacuum.

10. [b] *Prima experientia est de aqua ascendente, &c.* Nota, quòd ex istis experientiis apparet, quòd non potest corpus ingredi, nisi aliud egrediatur, & è contra: quare si extrema vasis, seu loci sint debilia, statim iunguntur, ne detur vacuum; quod apparet in vtre, & in aëre. Si verò extrema sint fortia, corpus nequit egredi, nisi alia ingrediantur, & è contra; & ad egressum fit magnus impetus, & rumpitur aliquando continens: quare sæpè rumpuntur bombardæ: quia non ita facilè ab aëre repleri possunt igne fortissimè egrediente. Hinc etiam apparet, quare si detur vas aquâ plenum, cuius supremum foramen clausum sit, inferiúsque aperiatur, aqua non descendet per illud: quia tunc daretur vacuum iuxta latera vasis superiora, eo quòd difficulter potest ibi aliud corpus intrare aquâ effusâ. Apparet etiam, quòd motus rei grauis sorsum, leuisque deorsum ad euitandum vacuum, non violentus, sed naturalis est, non solùm vt aliqui dicunt secundùm naturam vniuersalem, & communem: quia bonum commune præponderat particulari; sed etiam secundùm particularem naturam huius grauis, vel huius leuis: cuius ratio est; quia Deus ad rerum conseruationem contulit illis appetitum ad mutuam coniunctionem, ne detur vacuum; éstque huiusmodi appetitus in omnibus rebus ita vigens, quòd nullâ aliâ vi naturali prorsus impediri valet: & hoc intendit Aristoteles illis verbis: *Oportet mundum inferiorem esse contiguum, &c.* Si enim res non essent contiguæ, cœlorum influxum non reciperent. Quamuis ergo grauitas sit quantitas inclinans rem grauem ad motum deorsum, & leuitas ad motum sursum: fortior tamen est huiusmodi appetitus ad euitandum vacuum, & ad contiguitatem: quando ergo res sic mouentur, secundùm particularem earum naturam mouentur, & sic motus non violentus, sed naturalis est.

[c] *Licèt per potentiam naturalem, &c.* Nota, quòd 11. haec conclusio non intelligitur de vacuo secundùm antiquorum sensum, asserentium vacuum esse spatium illud dimensionatum, quem locum appellabant corpore non repletum; sed intelligitur de vacuo, quod est spatium interceptum inter aliquas superficies nullo prorsus corpore repletum; vt si Deus destrueret elementa omnia, nihílque remaneret intra orbes cœlestes, spatium illud vacuum esset, & quòd tale vacuum per absolutam Dei potentiam dabile sit, patet. Quia sicut Deus creauit cœlos, intra quos posuit elementa, potuit etiam illos creare vacuos sine elementis; & modò quodcumque corpus intra illos existens annihilare valet, cùm Deus possit quæcunque creat absoluta, & essentialiter distincta, quorum vnum non dependet ab alio, separare, & separatim conseruare, & vnum conseruare omnibus aliis annihilatis, & corruptis: sed cœlum & ista inferiora sic se habent, quòd sunt essentialiter distincta, & cœlum ab istis inferioribus non dependet; non videtur ergo impossibile, quin Deus posset facere, quòd à terra vsque ad cœlum non esset aër, nec ignis, nec aliquod aliud corpus, & si Deus hoc faceret, remaneret vacuum infra cœlum, cùm remaneret spatium non repletum corpore, aptum natum repleri.

[d] *Dico quòd impossibile est superficiem vnius leuari, &c.* Nota, quòd casu illo admisso, quia, etsi 12. naturaliter non potest fieri tanta copulatio, quin aqua, vel aër mediet: nihilominus nulla est repugnantia, quin Deus id possit facere. Idcirco admisso casu, respondet Paulus Venetus, quòd si tabula illa incipit eleuari per vltimum non esse,

immediatè poſt illud aër ſubitò motus replebit totum ſpatium. Sed ſaluâ reuerentiâ grauiſſimi Doctoris, crederem hoc fieri non poſſe, aliàs daretur motus ſubitus aëris per magnum ſpatium, quod repugnat naturæ rerum, vt videbimus *in 6. huius*. Ideò inquit Ioannes Canonicus, quòd naturaliter non poſſet tabula ſuperior dimoueri ab inferiori, ſi æqualiter vndique eleuaretur, ſed ſuperior traheret ſibi affixam inferiorem, quemadmodum aërem attractum à fiſtula ſequitur surſum aqua. Et huius rei teſtimonium eſt, quòd ſi quadratum corpus planiſſimũ ſuperponas aquæ, non poteris vniformiſſimè eleuare ſine aliqua violentia, & ſi eleuetur, partes centrales corporis plani inſequetur aqua per tantum ſpatium, per quantum poteſt aër locum illum attingere, & replere; & volenti experiri hoc erit manifeſtum. Si verò ea vna parte incipias eleuare, nulla eſt difficultas, quia tunc celerrimè penetrat velociſſimus aër.

EXPOSITIO TEXTVS.

13. Text. 79. SVnt autem 1 quidam. Hoc eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo Philoſophus oſtendit vacuum non eſſe imbibitum, ſeu immixtum corporibus, & diuiditur; quia primò recitat opinionem antiquorum cum ratione ipſorum. Secundò improbat poſitionem ipſorum: & tertiò ſoluit ſuam rationem. Secunda ibi: *Si igitur rarum*. Tertia ibi: *Quoniam autem*. Poſitio antiquorum [a] erat, quòd in corporibus naturalibus eſſent quædam vacuitates, vt pori omni corpore priuati; quia niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd non poſſet fieri condenſatio; conſequens eſt falſum. Et conſequentia probatur: quia in condenſatione partes circumferentiales approximantur centralibus partibus; tunc igitur, vel recipiuntur in pleno, & tunc penetrant ſe inuicem: vel in vacuo, & habetur propoſitum. Falſitas conſequentis probatur dupliciter. Primò, quia niſi eſſet condenſatio non poſſet fieri motus localis, quia illud in quo fit motus cedit mobili; tunc vel alicubi fit condenſatio; vel tandem oportet cœlum expelli. Secundò, quia ſi ex aëre fiat aqua, tunc materia, quæ priùs erat ſub forma aëris, iam eſt condenſata ſub minori quantitate, niſi dicatur, quòd alibi tantùm de aëre generatur aqua; quod non apparet neceſſarium; ideò oportet concedere fieri condenſationem.

Text. 80. *Si igitur 2 rarum* Hic improbat: vnde ſciendum, quòd ſic ponentes erant bipartiti: vnde quidam [b] poſuerunt poros vacuos in corporibus; alij autem poſuerunt [c] corpora eſſe commixta ex pleno, & vacuo. Primò, improbat primum modum. Secundò, ſecundum ibi.

14. *Si verò non ſeparabile*. Contra primum arguitur, quia ſi ita eſſet, ſequeretur, quòd vacuum eſſet dimenſio ſeparata, quæ reciperet aliam dimenſionem in ſe; quod eſt falſum; quia tunc dimenſiones penetrarent ſe. Similiter etiam tunc dimenſio ſeparata eſſet locus, quod eſt improbatum priùs.

Text. 81. *Si verò 3 non ſeparabile*. Improbat ſecundum modum quinque rationibus. Secunda ibi: *Deinde cauſam motus*. Tertia ibi: *Atqui qualiter*. Quarta ibi: *Amplius*. Quinta ibi: *Et manifeſtum*. Prima ratio, quia ſi ita eſſet, tunc ſequeretur, quòd vacuum non eſſet cauſa omnis motus localis; conſequens eſt falſum, vt ipſi ponebant, quia dicebant ſi vacuum non eſt, motus localis non eſt. Conſequentia probatur: quia per eos vacuũ eſſet cauſa raritatis, & raritas cauſa leuitatis, & leuitas cauſa motus ſurſum, & per conſequens vacuum eſſet cauſa ſolius motus ſurſum. Secundò, ſequeretur [d] quòd vacuum non eſſet cauſa motus localis tanquam illud, in quo fieret motus, ſed tanquam illud, quod ſimul ferretur cum mobili, & eſſet cauſa motus. Tertiò, ſequeretur, quòd vacuum moueretur localiter, quod eſt falſum: quia tunc vacui eſſet locus. Item, cùm vacuum non ſit corpus, non apparet qualiter moueretur. Conſequentia probatur, quia moto corpore, mouentur omnia ex quibus eſt corpus; modò per te corpus componitur ex vacuo tanquam ex parte: ergo. Quartò, 4 ſequeretur quòd nulla eſſet cauſa motus deorſum: quia ſi eſſet aliqua, maximè eſſet plenum, ex quo vacuum eſt cauſa motus ſurſum; ſed hoc non, quia tunc nihil eſſet ſimplex leue, niſi purum vacuum. Text. 82. Quintò, ſequeretur quòd vacuum moueretur ſubitò localiter, quod eſt impoſſibile. Et conſequentia probatur; quia nulla eſt proportio vacui ad plenum in raritate, & denſitate: igitur nec motus vnius ad motum alterius: ſed motus pleni ſurſum fit ſucceſſiuè: igitur motus vacui fit ſubitò.

15. Text. 83. *Quoniam 5 autem*. Hic ſoluit rationem priùs adductam; & primò repetit eam. Secundò ſoluit ibi: *Nos autem dicimus*. Prima pars legenda eſt de verbo ad verbum, ſicut prima pars capituli.

Text. 84. *Nos autem 6 dicimus*. Hic ſoluit dictam rationem; & primò præmittit quatuor ſuppoſitiones. Secundò applicat eas ad ſolutionem dictæ rationis; & tertiò declarat ſuam ſolutionem per exempla. Secunda ibi: *Eſt autem*. Tertia ibi: *Manifeſtum autem eſt*. Prima ſuppoſitio eſt, quòd eadem eſt materia contrariorum, vt eadem eſt materia quæ primò eſt calida, & poſtea frigida. Secunda ſuppoſitio, quòd ex eo quòd eſt in potentia tale, vel tantum, fit actu tale, vel tantum ſine aduentu alicuius ab extrinſeco, quod actu eſt tale, vel tantum. Patet, quia formæ, & diſpoſitiones non eueniunt paſſo ab extrinſeco, ſed educuntur de potentia materiæ per agens. Tertia ſuppoſitio, quòd materia non eſt ſeparabilis à diſpoſitionibus eductis de potentia materiæ. Et quarta, quòd materia eſt altera natura ab huiuſmodi diſpoſitionibus; tunc repetit primam ſuppoſitionem, & patet in littera.

16. *Opinio duplex antiquorum de condenſatione.* *Eſt autem*. Hic ſoluit dictam rationem. Vbi notandum, quòd antiqui ponebant duplicem modum, quo poſſibile eſt fieri condenſationem. Prima opinio [e] poſuit, quòd in corpore condenſabili, ſunt quidam pori vacui, in quos cedunt partes circumferentiales corporis, quod condenſatur: & ideò ponebant, quòd in aëre eſſent duplices partes, quarum quædam eſſent quarum quælibet pars eſt aër, ſed eſt vacuum. Alia opinio poſuit, quòd in rarefactione eſt elongatio partium corporis per aduentum vacui ab extrinſeco, ſed in condenſatione eſt approximatio partium per receſſum vacui ab illo corpore. *Tunc ponit Ariſtoteles ſolutionem*, quæ eſt contraria iſtis duabus opinionibus, dicens, quòd nec eſt ibi vacuum interclusum, nec vacuum adueniens ab extrinſeco, ſed materia, quæ priùs erat actu magna, & in potentia parua, ſit poſtea actu parua, ſine aduentu alicuius vacuitatis ab extrinſeco, ſine etiam vacuo intercluſo inter partes mobilis: quia totum corpus eſt continuum

nuum per priuationem vacuitatis.

17 *Manifestum autem est.* Hic declarat solutionem per exempla, & sunt quatuor: & quintò repetit tertium, & sexto recapitulat. Secundum ibi: *Sic & ex calido.* Tertium ibi: *Sicut neque maioris.* Quartum ibi: *Neque est accipere.* Quintum ibi: *Quare magnitudo, & paruitas.* Sextum ibi: *Ex dictis.* Primum exemplum est, quando ex aqua fiet aër, eadem materia, quæ priùs fuit sub forma aquæ, & sub magnitudine aquæ, illa eadem non accipiens aliquid ab extrinseco iam est facta aër, & ideò illud idem quod materia prius erat in potentia, nunc facta est in actu. Secundum exemplum: quia sicut ex minùs calido debet fieri magis calidum, eâdem ratione materia, quæ priùs in potentia fuit magis calida, fit actu magis calida sine aduentu alicuius maioris caliditatis ab extrinseco. Tertium exemplum: quia portio maioris circuli per incuruationem, potest fieri portio minoris circuli sine incuruatione addita ab extrinseco. Quartum exemplum: quia in scintilla non est accipere aliquam partem, in qua

Id est lux. non est caliditas & albedo, sicut etiam non est accipere aliquam partem quæ est vacua: quia iam illa non est calida, & alba, & sicut est in omnibus istis exemplis, ita etiam est de raro, & denso; quod densum potest fieri rarum sine aduentu vacuitatis ab extrinseco, & è contra sine expulsio-

Text. 5. ne vacuitatis. *Quare 7 & magnitudo*, recolligit tertium exemplum applicando ad propositum.

Text. 86. Et tunc ibi: *Ex 8 dictis*, recapitulat quòd ex dictis manifestum est, quòd vacuum non est aliquod corpus separatum, nec etiam commixtum corporibus, nisi aliquis velit abuti hoc nomine *vacuum*.

ANNOTATIONES.

18. a *Positio antiquorum erat, &c.* Nota, quòd præter Anaxagoram dicentem vacuum esse, & præter opinionem Pythagoræ ponentem vacuum spatium separatum à corporibus; fuit ter-

Opinio Democriti de vacuo. tia opinio Democriti, & quorundam aliorum dicentium vacuum esse corporibus imbibitum, & huc propter rarefactionem, & condensationem; putabant enim quòd secundùm quòd vacui plus, minúsve esset in corpore, rarius esset, aut densius, vt spongia, aut pumex esset rarior, quia plus habet vacui; lignum verò aut lapis minus, quia minus habet vacui. Sublatâ autem raritate, & densitate rerum, duo inferebant absurda. Primum inferebat Xuthus Philosophus, ex motu locali, nempè, quòd non contingeret aliquid moueri localiter motu recto, nisi totum vniuersum moueretur: corpus enim, quod mouetur motu recto, pellit aliud corpus sibi æquale extra suum locum, & sic deinceps, quousque cœlum pellatur sursum. Nam si aër à loco, quem corpus motum intrat, non condensaretur cum circumstanti, necesse est vt ille moueat alium aërem, & ille alium vsque ad cœlum, quòd proinde motu illo fluctuabit, vt terra commouetur aëre intus moto. Alterum incommodum inferebant ex generatione: quia nisi fiat condensatio, non erit generatio nisi æqualis, videlicet, quòd quoties ex aqua, verbi gratiâ, generatur aër, necessarium esset ex alio tanto aëre, quantus hîc gignitur, tantundem aquæ alibi generari, quantum hîc corrumpitur. Quando enim ex aqua generatur aër, ille aër maiorem locum occupat, quàm aqua, ex qua genitus est: nam ex vno pugillo aquæ fiunt decem aëris: ergo vel totum vniuersum occupat maiorem locum, quàm priùs; vel oportet quod tantundem de aëre conuertatur alibi in aquam, & ista vocatur generatio æqualis. Ad euitandum ergo huiusmodi incommoda, necesse est ponere condensationem, & rarefactionem circumstantium locorum, atque adeò vacuum.

b *Vnde quidam posuerunt poros vacuos in corporibus, &c.* Nota, quòd quidam ponebant vacuum intra corpora commixtum, quemadmodum ponebat Pythagoras vacuum extra corpora, nempè quòd inter singulas particulas corporis (quas Democritus appellabat atomos) intercipientur spatia situ separata ab ipsis particulis, puta dimensiones insensibiles vacuas corpore physico, & hic sensus, vt ex textu Aristotelis colligitur, erat intentus à Democrito. 19.

c *Alij autem posuerunt corpora esse commixta, &c.* Nota, quòd hic modus dicendi variè explicatur. Nam Philoponus vult, quòd intelligeret vacuitates istas in cumulo, verbi gratiâ, granorum milij orbicularium, quæ sunt sibi contigua, & se tangentia in punctis, vt sphæra tangit sphæram; sed sunt nihilominus vacuitates in aliis partibus, quibus non se tangunt; & hic modus dicendi differt à primo: quia secundùm primum, essent talia spatia, quæ possent recipere alios atomos similes, sed penes secundùm non possunt huiusmodi spatia similes atomos recipere, vt si tres, aut quatuor globos se tangentes disponas, non posset in vacuitate intercepta alius globus recipi. Verùm non videtur ista esse mens Aristotelis. Nam hic modus dicendi coincideret cùm superiori, siquidem admittit vacuum separatum, id est, dimensiones vacuas corpore physico. Atque adeò secundus modus sic fortè venit intelligendus, quòd illæ dimensiones essent simul conspersæ cum atomis, & penetratiuè se habentes cum illis; ita quòd in corporibus nullum vacuum sit separatum secundùm locum à pleno; sed quælibet pars quidditatiua corporis sit mixta ex pleno, & vacuo, dicerentúrque dimensiones illæ vacuæ respectiuè; vt vbi plus esset illatum, & minus atomorum, corpus esset rarius: vbi verò minus illatum, & plures atomi, esset densius.

d *Secundò, sequeretur quòd vacuum non esset causa motus localis, &c.* Nota, quòd Aristoteles deducit adhoc, quòd vacuum non esset causa motus tanquam locus, sed tanquam vas, nam locus in rei veritate est causa quodammodo finalis motus naturalis, tanquam quid immobile fixum in aliquo puncto, in quo conseruantur res naturales: at dimensiones istæ non essent locus immobilis, sed quæ mouerentur simul cum corpore, quasi corpus ipsum deferentes, sicuti vtres sursum sublati deferunt secum vinum. 20.

e *Prima opinio posuit, &c.* Nota, quòd antiqui censebant (vt hîc insinuat Aristoteles) rarefactionem fieri per hoc, quòd rei, quæ rarefit, aliquid ab extrinseco adueniret, quo fit maior: & condensationem per hoc, quòd aliquid ei adimitur, quo fit minor. Quod dupliciter exponitur: nam S. Thom. & Paulus Venetus. & alij iuniores intelligunt, densitatem fieri secundùm antiquos per hoc, quòd aliquæ partes corporis ab extrinseco aduenirent ad replendum vacua, quæ erant in corpore; & raritatem per hoc, quòd illa corpora expellerentur. Ita quòd imaginabantur, rarefactionem fieri per aduentum vacui ab extrinseco,

trinseco, quod commiscetur corpori, atque ita corpus fieri maius, grauius, & plenius. Densationem verò fieri per exitum talis vacui ab illo corpore. Et hæc expositio est secundus modus dicendi, quem notat hîc Scotus. Sed fortè non intelligebant (vt ait Philoponus) nisi quòd raritas fieret per hoc, quòd corpus, quod rarefit, imbiberet ab extrinseco plures vacuitates; appellabant enim vacuum dimensiones illas Mathematicas abstractas à corpore; & quanto plus illarum erat in corpore, minusque de corporeitate, erat rarius; & e conuerso in densitate pellebantur illæ dimensiones, & constringebantur partes corporis. Imaginabantur enim rarefactionem fieri per elongationem partium corporis naturalis aduenientibus inter eas quibusdam vacuitatibus: & condensationem fieri per appropinquationem partium in dictas vacuitates receptarum, veluti, cum spongia bibit aquam tumescit, quâ pulsâ, constringitur; & hic est primus modus dicendi hîc ab Scoto assignatus.

21. f *Secundum exemplum, &c.* Nota, quòd exemplum hoc sic est intelligendum; quòd sicut cùm frigidum fit calidum, nihil additur substantiæ, vel materiæ subiecti; sed idem subiectum, quod priùs erat sub vna forma, fit sub alia ad quam erat in potentia; ita calidum fit magis calidum per solam intensionem formæ in eodem subiecto, atque eodem modo rarum fit magis rarum per hoc, quòd idem subiectum acquirit maiorem extensionem; non quæ venit ab extrinseco, sed quæ educitur de potentia sui subiecti. Cùm enim ex minùs calido fit magis calidum, nulla pars est calida in magis calido, quæ non est calida in minùs calido, immò ex calido fit magis calidum, nullo facto calido in materia, quod non esset calidum, quando erat minùs calidum.

g *Quia portio maioris circuli, &c.* Nota, quòd hoc exemplum potest bifariam intelligi. Primo modo, si sphæra solida lignea magna arte tornatili, fiat minor; tunc tenendo quantitatem distingui à se quanta noua superficies producitur in actu, quæ educitur de potentia materiæ. Alio modo si virga curua faciens magnum circulum, contrahatur in minorem circulum, tunc nulla superficies producitur noua; sed solùm fit minor figura: vtrouis modo fiat, nulla pars circuli incuruatur, quæ antea non erat curua, neque aliqua pars incuruatur, alia verò non, sed cùm omnes essent curuæ efficiuntur magis curuæ.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm possibile sit aliquid rarefieri, vel condensari?

Aristot. *cap. 11. text.* 84 Simplic. Themist. Auerroës *ibid.* Augustin. *in categoriis cap.* 12. D. Damascen. *in suis Physic. cap* 12 D. Thom. *lect* 14 *&* 3 *par. quæst.* 77. *art* 2. *&* 1. 2. *quæst.* 52. *art* 2. *&* 2. 2 *quæst.* 2. *art.* 5 Alber. *tract.* 2. *cap* 10 Gotfredus *quodl.* 12. *quæst.* 3. Scotus *in* 4 *dist.* 12 *quæst.* 4. Marsil *quæst* 9. *art.* 2 Bassol. *quæst* 3. *art.* 2. Hispalen. *in* 2. *dist.* 18. *quæst.* 1. Durandus *quæst.* 1. Capreolus *dist.* 18. *quæst.* 1. Argent. *quæst vnica art.* 4. Soncinas 8 *Metaph. quæst* 27 Conimbric. 1. *de generat. cap.* 1. *quæst.* 17. Compluten. *ibid. disp.* 7. *quæst.* 2. Roccus 4. *Physic. quæst.* 20. *&* 21.

1. ARGVITVR primo quòd non; quia si aliquid potest condensari, sequitur quòd ex vno pugillo terræ possunt fieri centum aquæ; consequens est falsum, vt patet *secundo de Generatione, text.* 37. quia ibidem dicit Philosophus quòd ex vno pugillo terræ solum possunt fieri decem aquæ, & ex vno aquæ decem aëris. Consequentia probatur, posito, quod decem pugilli terræ condensentur ad vnum: quia cùm ex quolibet illorum decem per se sumptorum possint fieri decem pugilli aquæ, sequitur quòd ex eo generabuntur centum pugilli aquæ.

Secundò, sequeretur quod subitò posset fieri motus localis; consequens est impossibile, vt patet in *isto quarto, text.* 71. *&* 6. *huius, text.* 26. Consequentia probatur, quia quando tota alteratio præuia ad condensationem, est completa; tunc in instanti terminante alterationem fit condensatio, modò condensatio est cum motu locali partium circumferentialium ad centrales.

Tertiò, sequeretur quòd in condensatione partes propinquius iacerent, quàm priùs; consequens est impossibile, quia ante condensationem partes erant sibi inuicem immediatæ; modò nihil potest esse propinquiùs alteri, quam si esset sibi immediatum. Consequentia probatur, quia condensatio est appropinquatio partium corporis condensati, quia illæ partes iacent in minori loco, quàm priùs.

Quartò, sequeretur quòd aliquod per se totum simul rarefieret, & condensaretur; consequens est impossibile, quia rarefactio, & condensatio sunt motus contrarij, modò impossibile est idem per se totum moueri motibus contrariis. 2.

Quintò, si aliquid posset rarefieri secundùm se, & quamlibet partem sui; tunc sequeretur quòd omnes partes corporis rarefacti ab inuicem discontinuarentur; consequens est impossibile, quia tunc continuum esset diuisum in infinitum. Consequentia probatur, quia tunc partes illæ elongarentur ab inuicem.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto* 4. *in fine tractatus de vacuo, text.* 84. De ista quæstione sunt multæ viæ respondendi. Vna opinio posuit, quòd condensatio fit per ingressum partium corporis condensabilis in quasdam vacuitates interclusas intra partes corporis condensabilis; sed rarefactio fit per generationem huiusmodi vacuitatum. Contra istam opinionem possunt adduci omnes rationes, quibus probatum est impossibile esse vacuum.

Opiniones de condensatione, & rarefactione.

Secunda via ponit, quòd condensatio fit per exitum corporis subtilioris à corpore condensabili, & rarefactio per introitum huiusmodi corporis subtilioris; sicut apparet de spongia, quæ condensatur per expulsionem aëris, & rarefit per introitum aëris, vel aquæ. Contra istam opinionem arguitur: quia si omnis condensatio, & rarefactio fierent per istum modum, tunc sequeretur, quòd nullum esset corpus vniforme, nisi corpus simplicissimum, vel subtilissimum; consequens est falsum: quia multi lapides, & metalla sunt corpora vniformia. Consequentia probatur; quia tunc tale corpus non posset condensari per exitum subtilioris corporis: quia in ipso non est corpus subtilius, cùm sit vniforme per totum. 3.

Tertia opinio est, quòd condensatio fit per penetrationem partium corporis, ac per ingressum corporum circumferentialium in eodem situ cum partibus centralibus, & cùm non contingat corpus quodlibet condensari; ita in qualibet specie est dare certum gradum, vltra quòd non potest condensari aliquod indiuiduum in

illa

illa specie; ita similiter contingit corpora se inuicem penetrare, sed non quælibet, sed quantum contingit fieri condensationem; & è conuerso rarefactio fit per exitum vnius partis corporis condensati ab alia parte. Sed contra istam opinionem arguitur, quia tunc sequeretur, quòd aër non posset rarefieri, cuius nulla pars penetraret aliam partem; consequens est falsum: quia ex illo aëre potest fieri ignis. Consequentia probatur: quia rarefactio fit solùm per exitum vnius partis rarefactibilis corporis ab alia parte, quæ se inuicem penetrabant priùs. Secundò, quia si duo corpora possent se inuicem penetrare sic per condensationem, sequeretur quòd eàdem ratione tria, vel quatuor, immò infinita, vt probat Aristoteles *in isto 4. text.* 55.

4\. *Condensatio & rarefactio quid sit.* Istis dimissis, notandum, quòd *condensatio* [a] dicitur, *quando aliquod corpus fit minus sine recessu alicuius partis ab eo*; & *rarefactio* dicitur, *quando aliquod corpus fit maius non adueniente aliquo alio ab extrinseco*, & in hoc differunt ab augmentatione, & diminutione: nam augmentatio fit adueniente aliquo corporeo, & diminutio recedente, vt patet 2. *de Generatione*, text. 38.

Condensatio est triplex. Secundò, notandum, quòd tripliciter inuenitur condensatio; quædam violenta, quæ fit per solam compressionem corporis condensari; vt si comprimatur terra. Alio modo fit condensatio mediante alteratione præuia sine generatione. Et tertio modo mediante generatione.

Condensationum quomodo fieri contingat. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est ista. Possibile est aliquid condensari per solam compressionem, nullà alià mutatione factà, quæ scilicet sit præuia ad illam condensationem. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur quòd nullus posset fieri motus localis rectus; consequens est contra experientiam: & consequentia probatur: quia medium, in quo fit huiusmodi motus, cedit mobili, aliter esset penetratio corporum. Tunc igitur vel cedit condensando per compressionem mobilis, & habetur propositum, aut vnum aliud corpus cedit illi, & tertium illi, & sic vsque ad cælum, quod est impossibile; quia vel cælum cederet, aut illud corpus cedens penetraret corpus cæli, quorum vtrumque est impossibile.

5\. Secunda conclusio. Possibile est aliquod corpus condensari per alterationem sine generatione. Probatur, quia si capiatur phiala vitrea, & calefiat in igne; deinde ponatur statim os phialæ in aqua, cum culo sursum, apparebit manifestè, quòd aër condensatur per alterationem à frigido, & quantum aër condensatur, tantum ascendit aqua, ne fiat vacuum. Secunda experientia est, si supra puteum bullientem, à quo eleuantur fumi, ponatur vnum corpus frigidum, vt lapis, vel metallum, illi fumi conuertentur in aquam. Tertiò patet *in* 1. *&* 2. *Meteororum, text.* 26. *&* 27. vbi per hoc, quòd aër inspissatur à frigiditate, dantur causæ plurium impressionum.

Tertia conclusio. Possibile est fieri condensationem mediante alteratione præuia, & generatione. Probatur; quia aliter sequeretur, quòd ex elemento rariori non posset fieri elementum densius, quod est falsum, vt patet 2. de Generatione. Sed dubitatur primò de modo condensationis, qualiter fiat, scilicet per corporum penetrationem, aut alio modo. Respondetur quòd [b] condensatio fit per hoc, quòd partes propinquiùs iacent, quàm priùs; & hoc non est verum de partibus immediatis; sed quælibet partes mediatæ propinquiùs iacent, quàm antè, & ideò quibuscumque duobus punctis signatis in corpore condensato, illa sunt ad inuicem propinquiora, quàm erant priùs ante condensationem.

Secundò dubitatur: an per condensationem aliquid deperditur, vel non; (& eodem modo dubitaretur, an per rarefactionem aliquid acquiratur.) Respondetur diuersimode secundùm diuersitatem opinantium de quantitate. Quòd si quantitas ponatur res distincta à substantia, & qualitate, ita vt quantitas sit dimensio, mediante quà aliquid est extensum, sicut albedo est qualitas, mediante quâ aliquid est album, tunc dicendum est, quòd in rarefactione acquiritur noua quantitas, & in condensatione deperditur. Sed si ponatur quòd omnis quantitas sit substantia, vel qualitas, tunc non est necesse quòd in condensatione aliquid deperdatur, aut quòd in rarefactione aliquid acquiratur. 6.

Et si obiiciatur, supposito, quòd quantitas sit res distincta, & aliquod corpus rarefiat ad duplum; sequitur quòd duo corpora erunt simul, scilicet, quantitas præexistens, & quantitas de nouo adueniens: quia si alicubi esset quantitas præexistens, vbi non esset superueniens, iam illud corpus secundùm se totum non fuisset rarefactum. Respondetur altero [c] duorum modorum, scilicet, quòd vel in rarefactione est continuè alia, & alia quantitas: vel concedendo, quòd illæ quantitates simul manent: & tunc dicitur, quòd impossibile est plura corpora esse simul, quæ non faciant maiorem extensionem, quàm antè; sed si faciant maiorem extensionem, non est inconueniens.

Ad rationes. Ad primam dicitur, quòd Aristoteles in 2. *de Generatione*, *text.* 37. intelligit quòd ex vno pugillo terræ existentis in sua naturali dispositione, fiant decem aquæ: & potest dici, quòd terra non potest in tantum condensari. 7.

Ad secundam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd non fit condensatio solùm in instanti terminante alterationem, sed successiuè fit condensatio, quemadmodum & successiuè fit alteratio, quam consequitur.

Ad tertiam, concedo de partibus mediatis, & non immediatis.

Ad quartam, negatur consequentia. Vnde si aliqua columna in tantum rarefieret secundùm longum, in quantum contraheretur secundùm latum, & profundum, non diceretur propriè rarefieri, nec etiam condensari; sed continuè maneret tantum quantum erat antè, & ideò dicitur quòd casus est impossibilis.

Ad quintam, negatur consequentia; sed corpus rarefit ex eo, quòd corporis immediatæ partes plus distant quàm priùs.

ANNOTATIONES.

[a] *Condensatio dicitur quando aliquod corpus, &c.* Nota primò, quòd quidam sunt opinati condensationem, & rarefactionem non distingui à densitate & raritate; & quòd raritas, & densitas non distinguuntur à corpore raro, & denso. Quod sic probabant; si raritas distinguatur à corpore raro, & densitas à corpore denso, oportet quòd sint qualitates, vel quantitates; non sunt quantitates, quia tunc quantitas de genere Quantitatis reciperet aliam quantitatem; 8. *Condensatio & rarefactio secundùm aliquos non distinguuntur à densitate, & raritate.*

tem; quod sic opinantes, negant, nec sunt qualitates totaliter distinctæ: quia impossibile est aliquid idem numero transire de minori quantitate in maiorem, nisi aliquid rarefiat, & non potest rarefieri, nisi per raritatem: & tamen aliquid benè de minori potest fieri maius, sine hoc quòd recipiat aliquam qualitatem omnino distinctá ab eo cuius est. Sed contra hanc sententiá sic arguo: impossibile est duo contraria esse eadem; rarum, & densum sunt contraria: ergo non sunt eadem. Maior patet: quia alias sequeretur, quòd terminus *a quo*, & terminus *ad quem* motus in eodem se compaterentur, & per consequens idem posset simul esse in termino *a quo*, & in termino *ad quem*. Et si dicatur, quòd rarum, & densum non sunt contraria rerum, sed benè sunt contraria terminorum: hæc est fuga ficta: quia terminis nulla proprietas contrariorum conuenit, nisi ex sua impositione, seu significatione, quæ est à voluntate nostra. Absurdum autem videtur, quòd inter rarum & densum nulla sit contrarietas, nisi à voluntate nostra: & ficta est illa contrarietas vocum, vel rationum significandi, cui non correspondet fundamentum in re. Vnde in vanum laborassent antiqui Philosophi, ponentes raritatem, & densitatem medij esse causam velocitatis, vel tarditatis motus; si non sint realiter nisi ipsum medium, vel termini contrarij.

9. *Condensatio bifariam sumitur.* Ideò dico primò, quòd condensatio potest bifariam accipi; vno modo communiter pro omni motu, qui est à magis extenso ad minùs extensum, siue fiat per deperditionem materiæ, siue non: & sic diminutio est condensatio. Altero modo accipitur pro motu, qui est à magis extenso ad minus extensum sine deperditione materiæ; & hoc siue præcedat alteratio, siue non. Tertiò accipitur propriissimè pro motu, qui est à magis extenso ad minùs extensum, sine deperditione materiæ & præcedente alteratione, quæ est frigefactio. *Rarefactio sumitur tripliciter.* Et similiter rarefactio potest accipi tripliciter: vno modo communiter pro omni motu, qui est à minùs extenso ad magis extensum, siue addatur noua materia, siue non. Secundò modo propriè pro tali motu sine additione nouæ materiæ, & hoc siue præcedente alteratione, siue non. Tertiò propriissimè, pro motu à minùs extenso ad magis extensum, sine additione nouæ materiæ, & mediante alteratione, quæ est calefactio.

In rarefactione sunt tres mutationes. Dico secundò, quòd in rarefactione propriè dicta considerandæ sunt tres mutationes. Prima est mutatio localis partium aëris, vel alterius corporis rarefactibilis. Secunda est mutatio localis, quæ est elongatio partium rarefactibilium ab inuicem. Tertia est per quam acquiritur maior extensio corporis rarefactibilis.

10. Dico tertiò, quòd in rarefactione propriissimè dicta concurrunt quatuor mutationes. Prima est calefactio rarefactibilis, quæ pro termino habet caliditatem. Secunda est rarefactio, quæ pro termino habet raritatem. Tertia est augmentatio communiter dicta, quæ habet pro termino maiorem quantitatem, vel maiorem extensionem quantitatis. Quarta est motatio localis, partes enim rarefactibilis acquirunt alium, & alium situm.

Ex his sequitur primò, quòd condensatio est motus ad densitatem, & rarefactio ad raritatem, raritas autem, & densitas qualitates sunt; diciturque *rarum quod parum materia sub quantitate multum extensa continet: densum* verò *quod multum de materia, sub quantitate parùm extensa continet.* Maior autem extensio, quæ inuenitur in rarefactione vtrum sit quantitas de nouo acquisita necne, est maxima dubitatio.

Secundò, sequitur quòd rarefactio prouenit à calore, calefactio enim est causa rarefactionis, & frigefactio densationis, motus etiam localis est causa condensationis, ex nimia enim partium compressione fit aliquando densatio, atque ita aër, ex ventorum motu condensatur, quo cessante rarefit.

b *Condensatio fit per hoc, quòd partes propinquiùs iacent, &c.* Nota, quòd per condensationem partes non efficiuntur sibi propinquiores, quàm antè, in ordine ad se inuicem: quia semper sunt continuæ; sed in ordine ad locum, & similiter per rarefactionem partes efficiuntur distantiores in ordine ad locum, & non in ordine ad se. Nam in rarefactione non acquiritur noua quantitas, neque in condensatione deperditur, sed acquiritur nouus modus quantitatis, hoc est, nouus ordo partium ad partes loci. Et ex hoc sequitur primò, quòd rarefactio non est augmentatio, neque condensatio est diminutio: quia augmentatio est per se motus ad quantitatem, vt vult Aristoteles 5. *Physicorum*, *text.* 18. Rarefactio autem non est per se motus ad quantitatem, sed per accidens, vt docet Scotus in 4. *d.* 12 *quæst* 4. in fine. Motus autem specificantur à termino per se ad quem, & non à termino per accidens. Secundò, sequitur quòd rarefactio, & densatio sunt motus ad raritatem, & densitatem, quæ sunt qualitates & secundariò ad diuersum modum quantitatis. Prima pars huius consectarij est Scoti loco proximè relato; & secunda est etiam de eius mente. 11.

c *Respondetur altero duorum modorum, &c.* Nota quòd Scotus hìc tangit duplicem modum dicendi de rarefactione, quorum vnus est Henrici Gandauen. & Marsilij, qui opinati sunt, quòd in rarefactione acquiritur vna totalis quantitas, & corrumpitur tota præcedens, & per consequens in rarefactione est continuè alia, & alia quantitas. Altera est opinio Buridani, quam aliqui dicunt esse etiam Scoti, quæ affirmat, quòd in rarefactione acquiritur noua pars quantitatis sine corruptione præcedentis: & certè Scotus hìc, & suprà *lib.* 1. *quæst.* 8. videtur eam sequi. Cæterùm quæ sit Scoti sententia circa hanc materiam annotaui *in quæst.* 8 *huius primi, & in 4. sent. tom.* 1. *distinct.* 12. *quæst.* 4. *art.* 4. vide ibi.

EXPOSITIO TEXTVS.

COnsequens autem est ad ea, quæ dicta sunt, &c. Iste est tertius tractatus huius quarti libri, in quo Philosophus determinat de tempore: 12. Text. 87.
& diuiditur in sex capitula. In primo disputat de *esse*, & quiditate temporis, & ipsius *nunc*. In secundo inquirit definitionem, quid sit tempus. In tertio assignat proprietates temporis. In quarto determinat de tempore per comparationem ad illa, quæ sunt in tempore. In quinto completur determinatio de quantitate temporis. Et in sexto ostendit, qualiter tempus est, & qualiter tempus est vnum. Secundum ibi: *Accipiendum est autem.* Tertium ibi: *Manifestum est autem.* Quartum ibi: *Quoniam autem tempus est mensura.* Quintum ibi: *Ipsum autem nunc.* Et sextum ibi, *Dignum autem*

considera

considerationem est. Primò præmittit intentum: secundò prosequitur ibi: *Quòd igitur omnino non sit.* Dicit quòd consequenter postquam determinatum est de loco, & de vacuo, nunc determinandum est de tempore: & subiungit ordinem, quòd primò determinandum est de ipso secundùm rationes extraueas, id est, dialecticas, & probabiles, & postea inquiretur veritas, scilicet quæ sit natura temporis.

13. Text. 88. *Quòd igitur 2 omnino non sit.* Hic prosequitur, & primò disputat de *esse* ipsius temporis, & ipsius *nunc.* Secundò de quantitate temporis, ibi: *Quid autem est tempus.* Item, primò disputat de *esse* temporis. Secundò de *esse* ipsius *nunc*, ibi: *Amplius autem.* Primò probat dupliciter, quòd tempus non sit; secundò ibi: *ad hoc autem.* Prima ratio est, quia illud totum non est, cuius partes non sunt; sed partes temporis non sunt, quia præteritum iam transiit, & futurum non-

Text. 89. dum est; ergo, &c. Secundò, quia 3 omne totum est diuisibile in aliquas partes, quatum omnes, aut quasdam necesse est esse, si illud totum sit; sed nulla pars temporis est: quia si aliqua maximè esset *nunc*: modò *nunc* est pars temporis, quia [a] pars mensurat, & componit suum totum; tempus verò non componitur ex *nunc*: ergo, &c.

Text. 90. *Amplius autem 4 & ipsum nunc.* Hic disputat de *esse nunc*; & primò mouet quæstionem; secundò soluit ibi: *Siquidem semper.* Quæstio, quam mouet, est ista: Vtrùm *nunc* quòd est finis præteriti, & initium futuri, maneant idem per totum tempus, vel continuè sit aliud, & aliud: & dicit Aristoteles quòd istud non est facile scire.

14. *Siquidem semper.* Hic arguit; & primò probat, quòd *nunc* non sit continuè aliud, & aliud. Secundò, quòd non maneat idem per totum tempus, ibi: *At verò.* Prima ratio est ista, quòd si continuè esset aliud, & aliud *nunc*, tunc impossibile esset duo *nunc* esse simul, nisi vnum tempus accipiatur pro parte alterius; modò consequens est falsum: quia tunc, vel corrumperetur *nunc* in eodem *nunc*, in quo est, vel in præcedenti, vel in sequenti; non in eodem, quia tunc simul esset, & non esset, quod est impossibile: nec in præcedenti, quia non potest retorqueri ad præcedens: nec in sequenti, quia vel in *nunc* sequenti mediato, vel immediato: non immediato, quia instantia non sunt immediata; si mediato; igitur *nunc* illud durabat per tempus intermedium, & per consequens non continuè erat aliud, & aliud.

Text. 91. *At verò neque 5 semper.* Probat quòd non [b] maneat idem *nunc*, dupliciter. Secundò, ibi: *Amplius si simul.* Prima ratio: quia cuiuslibet temporis sunt duo termini, scilicet duo *nunc*, siue duo instantia; sed quælibet pars temporis est tempus; igitur cuiuslibet pars temporis erunt duo instantia, & per consequens per nullum tempus manebit idem *nunc*, siue idem instans.

Text. 92. Secundò si 6 per totum tempus maneret idem *nunc*, sequeretur, quòd illa, quæ fuerunt decem millia annis, simul essent cum illis, quæ nunc sunt, vel cum illis, quæ futura erunt: verbi gratiâ, quod Aristoteles, & Antichristus essent simul, quod est impossibile; & consequentia probatur, quia illa sunt simul, quæ sunt in eodem instanti.

15. Text. 93. *Quid 7 autem est tempus.* Hic disputat de quiditate temporis. Vbi sciendum quòd antiqui erant tripartiti de tempore. Quidam posuerunt, quòd tempus esset circulatio cœli; alij autem posuerunt, quòd tempus est vltima sphæra; & alij, quòd tempus est motus. Et primò improbat primam. Secundò secundam. Et tertiò tertiam. Secunda ibi: *Vniuersi autem.* Tertia ibi: *Postquam autem.* Primò dicit, quòd ab antiquis nihil fuit manifestum, quid esset tempus. Vnde quidam posuerunt, quòd tempus est circulatio totius cœli; alij, quòd tempus est motus; & alij quòd tempus est vltima sphæra. Tunc improbat primam dupliciter; primò, quia quælibet pars [c] temporis est tempus, sed non quælibet pars circulationis est circulatio: igitur tempus non est circulatio. Secunda ratio, quia si tempus esset circulatio cœli; sequeretur, quòd si plures essent [d] cœli, quòd plura essent tempora, quod est inimaginabile. Sed contra primam rationem obiicitur: quia non sequitur: *Qualibet pars substantiæ est substantia, & non qualibet pars hominis est homo; igitur homo non est substantia.* Ideò dico, quòd consequentia non valet ad probandum, quòd tempus non sit circulatio, sed benè probat, quòd tempus & circulatio non sunt conuertibilia.

Opinio triplex antiquorum de tempore.

16. Text. 94. *Vniuersi 8 autem sphæra.* Improbat secundam, quæ posuit, quòd tempus est sphæra: quia omnia sunt in vltima sphæra, & omnia sunt in tempore: igitur vltima sphæra est tempus. Dicit Aristoteles, quòd isti [e] sunt fatui: & debet intelligi non propter conclusionem, quam ponunt: quia illa est probabilis, vel fortè vera, vt patebit posteriùs, sed propter modum, per quem afferunt conclusioni: quia arguitur ex puris affirmatiuis in secunda figura.

Text. 95. *Postquam 9 autem.* Improbat tertiam, quæ ponit, quòd tempus sit motus: & primò improbat. Secundò, ostendit quòd tempus non sit sine motu, ibi: *At verò.* Primum probat dupliciter. Secundò ibi: *Amplius autem.* Prima ratio est, quòd vniuscuiusque motus, vel mutatio est in illo, cuius est motus, vel mutatio; sed tempus est idem apud omnes; igitur tempus non est motus, vel mutatio. Secundò, quia 10 omnis motus est velox, vel

Text. 96. tardus; sed nullum tempus est velox, vel tardum: igitur nullum tempus est motus. Maior patet: quia velox, vel tardum est passio motus; & minor apparet: quia velox, vel tardum definiuntur tempore, tempus autem [f] non definitur tempore.

17. Text. 97. *At verò neque 11 sine motione tempus est.* Hic probat, quòd tempus non est sine motu. Probatur: quia sine illo non est tempus, quo percepto percipitur tempus, & quo non percepto non percipitur tempus; sed percepto motu percipitur successio, scilicet tempus, & non percepto motu non percipitur tempus; igitur tempus non est sine motu. Maior, & minor patent ad experientiam; quia quando homo non percipit motum sensus, vel imaginationis, nullo modo percipit successionem; quod patet ex duobus. Primò de illis, de quibus narratur fabulosè; quòd dormiuiunt in Sardo, id est, ibi in illa Ciuitate, vel Insula 60. annis apud Heroas, id est, apud illos Deos, qui quando expergefacti fuerunt, copulabant instans expergefactionis ad instans in quo inceperant dormire, propter hoc quòd non senserunt intermedium: & ideò, dum anima non percipit motum, non percipit successionem, immò ita est ac si maneret in indiuisibili. Secundum patet: quia existentes in ve-

hementi delectatione non percipiunt successionem, quanta est propter vehementiam delectationis; sed existentes in tormentis optimè percipiunt.

ANNOTATIONES.

18. *Pars duas habet conditiones.*

a *PArs mensurat, & componit suum totum, &c.* Nota, quòd pars habet duas conditiones; prior est, quòd est mensura totius, vt binarius est mensura, id est, pars aliqua senarij, vel pars constans ex aliquotis, vt quaternarius est pars senarij. Secunda est, quòd pars componit totum. Instans autem non est mensura temporis; non enim tempus est magnum, vel paruum, quia habet plura, vel pauciora instantia; cùm quodlibet habeat infinita, nec tempus, cùm sit diuisibile, componitur ex instantibus, quæ sunt indiuisibilia.

Nunc idem est quod instans.

b *Probat, quòd non maneat idem nunc.* Nota, quòd *nunc* idem est quod instans; & quamuis instans videatur esse aliquid superius ad *nunc*, quod solùm videtur designare tempus; nihilominus accipit *nunc* generaliter pro instanti ea ratione, quâ est, vel fuit præsens.

c *Qualibet pars temporis est tempus, &c.* Nota, quòd hæc ratio est tantùm probabilis. Posset enim responderi satis esse ad rationem temporis, quòd sit pars circulationis.

19. d *Si plures essent cœli, quòd plura essent tempora, &c.* Nota, quòd Aristoteles per cœlum intelligit vniuersum; & est sensus, si plures essent cœli, hoc est, si plures essent mundi, plura essent tempora: quo supposito videtur in hac ratione Aristoteles accipere vnum impossibile, videlicet plures esse cœlos, & ex illo refert aliud impossibile, scilicet, plura esse tempora, atque adeò non videtur inconueniens concludere vnum impossibile ex alio. Ad hoc respondet Commentator *comm.* 83. dicens, quòd illa declaratio est alterius modi: quoniam cùm fuerint duo completè se consequentia, hoc est conuertibiliter, & posuerimus aliud esse, ipsum præcedens, aut dispositum per præcedens, necessariò sequitur consequens, licèt sit impossibile consequens ad illam dispositionem per præcedens. verbi gratiâ; si dies sequitur ortum Solis, manifestum est, quòd in quacumque hora ponimus Solem oriri, sequitur tunc diem esse, licèt Solem oriri in prima hora sit impossibile. Similiter, ad volare sequitur habere alas, licèt illud positum, nempè *volare* sit impossibile. Quoniam ergo tempus, & motus se consequuntur, & aduersarius ponit tempus esse motum cœli, necesse est, si posuerimus plures cœlos esse, plura tempora esse; sed plura tempora esse, est impossibile: ergo plures esse cœlos est impossibile, atque adeò non est necesse tempus esse motum cœli. Vult ergo Commentator, quòd quando aliqua sic se habent, quod euidenter, & conuertibiliter vnum sequitur ad aliud, sicut habentia eandem definitionem, quantumcumque accipiatur aliquod impossibile, & postea deducatur ad aliquod impossibile, tunc consequens non sequitur ex impossibili accepto, aut oportet concludere, quòd in hoc sequitur impossibile ex antecedenti, aut quòd impossibile est illa habere eandem definitionem, sicut patet in exemplo Commentatoris: & ideò si ex isto impossibili non sequatur euidenter plura esse tempora, & tamen sequitur euidenter ex isto, & vno alio posito, scilicet, quòd tempus & motus cœli sunt idem, sicut habentia eandem definitionem, & ideò sequitur, quòd tempus & motus cœli erunt idem, quod est impossibile: & ideò benè, & subtiliter arguit Aristoteles. Et si dicatur, quòd ex tali modo arguendi 20.
non contingit inferre pluralitatem ex pluralitate; sicut non sequitur, *homo est albus; ergo si sint plura alba, sunt plures homines*, nec sequitur, *Intelligentia prima est ens; ergo si sint plura entia, sunt plures Intelligentiæ primæ.* Respondetur, quòd ille processus non valet, nisi supponendo vnum, videlicet, quòd illa sint vnum conuertibiliter, & sint habentia eandem definitionem: nam hoc posito, semper continget inferre pluralitatem ex pluralitate. Vnde sequitur, *Homo est rationalis; ergo si sint plura rationalia, sunt plures homines.* Ideò non sequitur formaliter, *motus cœli est tempus, ergo si essent plures cœli, essent plura tempora*; nisi posito, quòd motus cœli, & tempus sint idem conuertibiliter, habeántque eandem definitionem.

e *Dicit Aristoteles quòd isti sunt fatui, &c.* Nota, quòd, vt ait Themistius, ex eo est manifestè stulta illa opinio, quia sphæra vniuersi est res permanens, tempus verò ens successiuum: tum etiam, quia dupliciter paralogizabant, probando tempus esse sphæram vniuersi; primò laborabant in æquiuoco: æquiuocè enim sunt corporalia in sphæra, & in tempore: in illa enim sunt tanquam in loco; in hoc verò tanquam in mensura durationis. Secundò, quia vt hîc dicit Scotus, concludebant in secunda figura ex puris affirmatiuis, vbi medium non distribuitur.

21. *Tempus nec dicitur tardum, nec velox.*

f *Tempus non definitur tempore.* Nota, quòd tempus nec tardum dicitur, nec velox: quia tardum, & velox definiuntur tempore: velociter enim id mouetur, quod paruo tempore longum spatium percurrit: tardè verò, quod longo tempore transit paruum, atque adeò tempus est vniforme vbique, aliàs non esset mensura velocitatis, & tarditatis: tempus verò definitur tempore, non enim dicimus dies vernos longiores esse hiemalibus, quia maiori tempore durant; quoniam idem est prorsus esse maiores dies, & esse maiora tempora, atque esset idem per idem definire.

g *De quibus narratur fabulosè quòd dormierunt in Sardo.* Nota, quòd referente Simplicio, cum capta fuit à Græcis Sardus Insula, inuenta ibi fuere cadauera nouem filiorum Herculis, balsamo, aliísque aromatibus sic condita, vt non mortuorum, sed dormientium prorsus imaginem exhiberent: hos incolæ Heroës dormientes appellabant, colebántque vt Deos; horum autem hîc Aristoteles meminisse ait. Philoponus verò commemorat ad huiusmodi Heroës in more fuisse deferri infirmos sanitatis gratiâ, qui cùm Dæmonum incantationibus tres, aut quatuor dies sopore velut dormientes attoniti essent, postea excitati putabant nullum prorsus tempus transisse, sed eadem hora cœpisse, & finisse somnum. Alij nescio quos homines tredecim millia annorum dormisse. Scotus verò hîc dicit dormisse annos 60.

QVÆ

QVÆSTIO XV.

Vtrùm tempus sit motus?

Aristot. hic cap. 13. *text.* 99. Auerroes, & interpretes, *ibid.* Albert. *tract.* 3. *cap* 4. Sotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. *Respondeo* 4 *dist.* 48. *quæst.* 2. §. *ad Primum dicitur.* Bassol. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 1. Capreol. & Gratianus *ibid. quæst* 2. Richardus *quæst.* 1. *art* 1. Occhamus *quæst.* 12 Ariminen. *quæst.* 1. Heruæus *ibid.* Iandunus 4. *Physic. quæst.* 18. Burleus *in expofit. textus* 102. Canonic. 4. *Physic. quæst.* 5. *art.* 3. *dubio* 3. Orbellis *in epitom.* 4. *Physic.* Tartaretus *quæst.* 3. *art.* 1. *dub* 2. Sotus *quæst* 4. *concl.* 4. Roccus *quæst.* 13. Ruuius *quæst* 4. Conimbric. *cap.* 14. *quæst.* 2.

1\. ARGVITVR quòd non; quia quod non est, non est motus; sed tempus non est; ergo non est motus. Maior patet per locum [a] à toto in modo negatiuè ad suam partem; & minor probatur; quia partes temporis non sunt; igitur nec tempus.

Secundò, quia si tempus est; vel igitur est aliquando, vel nunquam; si aliquando: igitur tempus est in aliquo tempore, & eadem ratione illud aliud tempus est in alio tempore; & per consequens in temporibus esset processus in infinitum.

Tertiò, omne quod est, est præsens: quia hoc denotat *est* de suo modo significandi, sed tempus non est præsens; ergo, &c.

Quartò, quia Aristoteles in *isto quarto, text.* 95. ponit quòd tempus non est motus.

Quintò, omnis motus est velox, vel tardus, nullum tempus est velox, vel tardum: ergo tempus non est motus. Maior patet *in sexto huius, text.* 11. *& inde, & in* 4. *text.* 69. & minor probatur, quia velox, & tardum definiuntur tempore, patet etiam ibi; ergo.

2\. Sextò, si tempus esset motus, tunc sequeretur, quòd si nihil moueretur, nullum esset tempus; consequens est falsum: quia dato, quòd nihil moueretur, adhuc quies illorum, quæ quiescerent, mensuraretur tempore, quod non esset nisi tempus esset. Consequentia probatur, quia ex quo omne tempus est motus, sequitur ex opposito consequentis, quòd si nullus motus est, nullum est tempus.

Septimò, quia illud non est tempus, quo multiplicato, non multiplicatur tempus; sed multiplicato motu, non multiplicatur tempus; ergo, &c. Maior est nota; & minor probatur, quia multi sunt motus, & tamen impossibile est plura esse tempora.

Oppositum arguitur, illud est tempus, quod est mensura motus, secundùm prius, & posterius; sed motus est mensura alicuius motus, vt per motum cœli mensuramus omnes alios motus; igitur tempus est motus.

Diuisio quæstionis. In quæstione, primò exponendum est *quid nominis* temporis, & videnda sunt illa, quæ secundùm omnes conueniunt tempori.

Secundò præmittendæ sunt suppositiones; & tertiò ponendæ sunt conclusiones ad quæsitum.

3\. *Quid per tempus intelligatur.* Quantum ad primum, nota quòd per tempus intelligimus illud quod conuenienter respondet ad quæstionem quærentem, quando, aut quantum durabit, vel quantum durauit; vt si quæratur, quando venisti? respondetur hodie, vel heri; vel si quæratur, quantum durauit iste morbus? respondetur per duos menses; tunc patet, quòd isti termini, *heri, hodie, mensis, annus*, & huiusmodi, sunt termini significantes tempus, quemadmodum dicebatur de loco, quòd illi termini significant locum, per quos conuenienter respondetur ad quæstionem quærentem vbi; ita illi termini significant tempus, per quos conuenienter respondetur ad quæstionem quærentem, quando. Ex quibus patet, quòd *tempus est duratio rei, vel mensura durationis.* *Tempus est duratio rei cum successione.* Secundò, quòd prius & posterius inueniuntur in tempore. Tertiò, quòd præsens, præteritum, & futurum sunt partes temporis. Quartò, quòd tempus est [a] successio, siue consistit in successione: quia non inueniuntur prius, & posterius secundùm durationem in aliquo nisi in successiuis, vel in illis, quæ aliquo modo se habent successiuè, licèt ipsa sint verè permanentia; & ista sunt, quæ non possunt probari de tempore, sed conceduntur ab omnibus conuenire tempus, tanquam per se manifesta de tempore; & hæc de primo.

4\. *Res sunt in duplici differentia.* Quantum ad secundum, notandum, quòd quædam sunt res mutabiles, vt cœlum, & corpora naturalia, & dispositiones corporum naturalium in istis inferioribus. Aliæ sunt res immutabiles, vt Deus est omnino immutabilis; modò duratio rei immutabilis, est ipsa res immutabilis, & eum hoc mensura suæ durationis, vt Deus est æternitas, quæ est mensura durationis ipsius Dei; sed mensura durationis ipsius rei mutabilis, est alia ab ipsa re mutabili, licèt eius duratio sit eadem sibi. Hoc præmisso, sunt aliquæ suppositiones. Prima est, quòd tempus est successio, vel non est sine successione; & potest poni categoricè sine disiunctione, quòd tempus est successio. *Tempus est successio, vel non est sine successione.* Probatur per *quid nominis*, quia tempus est mensura durationis secundùm prius, & posterius, modò impossibile est quòd in aliquo sit prius, & posterius secundùm durationem: nisi ipsum sit successio, vel successionis; ergo, &c.

Secunda suppositio, quòd nulla est successio sine mutatione. *Successio non est sine mutatione.* Probatur, quia impossibile est, quòd sit aliqua successio, nisi altero duorum modorum, vel quòd vna res succedat alteri, vel quòd eadem res habeat successiuè diuersimodè secundùm diuersas dispositiones: & vtroque modo sit mutatio per *quid nominis* mutationis datum *quinto huius, text.* 71. igitur impossibile est successionem esse sine mutatione. Secundò, quia eadem res omnino immutabiliter se habens in se, & respectu aliarum rerum non est prior, nec posterior secundùm durationem, quia nec est ante, nec post aliam rem: igitur ad hoc quòd sit successio, necessariò requiritur mutatio.

5\. *Duratio rei omnino immutabilis nõ est successiua.* Tertia suppositio, quòd rei omnino immutabilis duratio non est successiua. Probatur, quia impossibile est successionem esse sine mutatione; sed res immutabilis non potest mutari: igitur non potest durare successiuè. Tunc sit prima conclusio ista, tempus est successiua duratio rei mutabilis, siue mensura durationis. Probatur ex *quid nominis* temporis, & ex prima suppositione apparet, quòd tempus est mensura successiuæ durationis alicuius rei, & non rei immutabilis: quia impossibile est esse successionem sine mutatione: igitur est mensura successiuæ durationis rei mutabilis; & habetur propositum.

Sed dubitatur, posito quòd res mutabilis de facto non mutetur, vtrùm eius successiua duratio possit dici tempus. *Tempus quid sit.* Videtur quòd non, per secundam suppositionem: quia successio non potest esse sine mutatione. Respondetur, quòd immò: quia licèt duratio illius rei mutabilis pro tunc

tunc, sit sine mutatione, tamen quia nata est mutari, ideò adhuc eius duratio successiua potest dici tempus ex eo, quòd potest esse cum mutatione. Item alia causa est, quia licèt res illa non mutetur in se, attamen quia ipsa aliter se habet propter mutationem in aliis rebus: igitur eius duratio successiua potest dici tempus; sed sic non est de re omnino immutabili, vt de Deo. Et sic patet, quòd tempus est successiua duratio rei mutabilis, aut mensura huiusmodi durationis.

Sed adhuc restat difficultas, quæ res sit huiusmodi successiua duratio, vel successiuæ durationis mensura, & hoc videbitur partim in ista quæstione, & partim in sequentibus: & hoc de secundo.

Tempus est motus. Quantum ad tertium, sit prima conclusio. Tempus est motus [b]. Pro cuius probatione, supponitur primò, quòd mensura, & mensuratum debent esse vnigenea, & conformia. Probatur inducendo in mensuris, & mensuratis: quia longitudo temporis non mensuratur longitudine lineæ, eo quòd istæ longitudines non sunt eiusdem generis. Item pondus mensuratur pondere; quia sunt vnigenea, & ita de aliis, & ista suppositio patet 10. *Metaph. text.* 4.

Secundò supponitur, quòd mensura debet esse nota, vt patet in eodem 10. & patet inducendo: nam mensura longitudinis in quantitatibus est nota, & famosa, vt vlna; & eodem modo in ponderibus, vt libra, & sic de aliis. Istis suppositis, probatur conclusio: quia illud est tempus, quod est mensura successiuæ durationis rei mutabilis; sed motus est mensura successiuæ durationis rei mutabilis: ergo, &c. Maior patet per præcedentem conclusionem; & minor apparet ex præcedentibus suppositionibus: quia motus, & huiusmodi duratio successiua sunt vnigenea, scilicet in successione, quia tam motus est successiuus, quàm huiusmodi duratio. Item motus est mensura nota, vt patet de motu cœli, & præcipuè de motu Solis: quia ille motus est magis famosus apud multos.

7. Sed obiicitur: quia, vt patuit super 3. *quæst.* 7. motus est res permanens; modò res permanens, & successiua non sunt vnigenea: ergo, &c. Secundò, quia duratio successiua rei mutabilis est substantia, quia est idem cum re mutabili; sed motus est accidens, vt patet de albificatione, quæ est albedo: modò substantia, & accidens non sunt vnigenea: igitur motus non est successiua duratio rei mutabilis. Respondetur, quòd res permanens, & successiua benè sunt vnigenea in aliquo, scilicet in successione secundùm durationem, vt, verbi gratiâ, mobile non dicitur motus, nisi ex eo, quòd successiuè se habet aliter, quàm priùs, & tamen mobile est res permanens; ideò res permanens, & successiua benè conueniunt in hoc, quòd est *successiuè durare.* Et eodem modo dicitur ad secundum, quòd substantia, & accidens benè conueniunt in hoc, quod est *successiuè durare,* vel *successiuè aliter se habere*; & ideò secundùm hoc vnum potest dici mensura alterius, vt accidens substantiæ, vel è contra.

Tempus est mobile quod mouetur. Quæst. 7. Secunda conclusio. Tempus est [c] mobile, quod mouetur. Probatur ex conclusione præcedenti, & vna quæst. 3. quia tempus est motus, vt patet per præcedentem conclusionem; sed omnis motus est mobile, vel dispositio secundùm quam est motus, vt in motu alterationis, & ideò tam motus localis, quàm etiam alteratio potest esse tempus, tamen potiùs debet dici motus localis, quia est notior; igitur cùm motus localis sit mobile; sequitur quòd tempus sit mobile: qualis motus sit tempus, & quale mobile, & quomodo, & de conditionibus temporis videbitur postea.

Ad rationes. Ad primam [d] dicitur, sicut dicebatur in 3. Ad secundam, dico quòd est aliquando. Ad probationem, tunc esset processus in infinitum: negatur consequentia; sed est ibi circulatio: nam esse in tempore non est aliud, quàm mensurari tempore; modò vnum tempus benè mensuratur alio tempore; sicut motus alterationis mensuratur motu Solis; & etiam è contra duratio motus Solis mensuratur quanta est, per quantitatem operationis. 8.

Ad tertiam, quia tunc tempus esset præsens. Concedo; quia mobile, quod mouetur, est præsens; & adhuc supposito quòd motus sit res successiua, cuius nulla pars potest esse simul cum alia parte, adhuc conceditur, quòd motus esset præsens, & etiam quòd tempus esset præsens: quia esse præsens non consignificat instans, sed tempus diuisibile.

Ad quartam, dico quòd Aristoteles intelligit, quòd tempus, & motus non sunt idem conuertibiliter.

Ad quintam, concedo maiorem, & nego minorem: nam sicut motus est velox, vel tardus; sic etiam tempus; nam motus cœli, qui est tempus, est velox. Ad probationem, negatur consequentia: quia sic probaretur, quòd nullus homo esset albus: quia album definitur per habens albedinem; sed nullus homo definitur per habens albedinem; igitur nullus homo est albus. 9.

Ad sextam, negatur consequentia; quia dato, quòd de facto nihil moueretur, attamen possibile esset, quòd fieret motus: & ideò adhuc mobile, quod natum esset moueri, benè esset tempus, & ideò dicit Aristoteles in *isto* 4. *text.* 98. quòd dato quòd non sit motus, non sequitur quòd non sit tempus; sed si impossibile est esse motum, impossibile est esse tempus.

Ad septimam respondetur, quòd sicut motus multiplicatur, ita tempus potest multiplicari, nec est inconueniens plura tempora esse simul; tamen quia omnes illi motus, qui dicuntur tempora, possunt mensurari vno motu, ideò sufficit ponere vnum tempus, quod est mẽsura omnium aliorum.

ANNOTATIONES.

[a] T*Empus est successio, siue consistit in successione.* 10.
Nota, quòd tempus propter sui minimam entitatem, est nobis valde immanifestum. Vnde D. August. 11. Confes. cap. 11. dicit, *Domine vsque nunc nescio quid sit tempus.* Ideò vt hæc perdifficilis difficultas elucescat. Dico primò, quòd tempus non est sine motu: quod Aristoteles *text* 97. probat: quia tempus non cognoscimus sine motu; cùm enim partes temporis non sint permanentes, sed solùm habeamus *nunc* præsens, instans videlicet, quod partes temporis continuat, & tempus non possit cognosci, nisi huiusmodi instans transeat; nescimus autem tale instans transisse nisi per motum: ergo non cognoscimus tempus sine motu, neque est sine motu. Quòd autem ignoremus tempus transisse nisi per motum, patet in dormiente, qui ignorans motum, ignorat & tẽpus transisse. Item, neque motus est sine tẽpore, quia non cognoscitur sine tẽpore; dato enim casu,

Tempus est valde immanifestum.

Tempus non est sine motu.

Motus non est sine tempore.

quòd

quòd quis magnâ delectatione studeat, transit quidem tempus, existimatque nullum transisse, cùm autem audit horologium, cognoscit tunc motum fuisse plusquam putârat, quia tot horas studuit; nunquam ergo tempus est sine motu, neque motus sine tempore, atque adeò tempus est successio, vel in successione consistit.

Tempus est quid continuum.

Dico secundò, quòd tempus est quid continuum: quia quod mouetur priùs est præsens vni loco secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam, quod enim mouetur à quodam, in quoddam mouetur; omnis autem magnitudo mouetur: ergo priùs est præsens vni loco secundùm vnam partem, quàm secundùm aliam. Tunc vltrà, omnis magnitudo est continua; ergo in magnitudine continua, quando mouetur, priùs est vna pars præsens vni loco, quàm alia: ergo etiam motus, quo mouetur, est quid continuum: quia mobile mouetur per spatium continuum: ergo etiam tempus est quid continuum: quia tempus non est sine motu.

Tempus est per se quantitas continua.

Ex hoc sequitur, quòd tempus est per se quantitas; tum quia habet partem extra partem, vt præteritum, præsens, & futurum; tum quia habet propriam extensionem, tum quia tempori conueniunt per se propriæ passiones quantitatis, vt *longum*, & *breue*, & ratio mensuræ tempori conuenit, quæ est ratio quantitatis. Sequitur secundò, quòd tempus est per se quantitas continua: quia eius partes copulantur ad vnum terminum communem, nempè ad *nunc*, vt patet 4. *huius*, text. 99.

12. *Tempus potest sumi quadrupliciter.*

b *Tempus est motus.* Nota primò, quòd tempus quadrupliciter potest capi, scilicet communiter; & est duratio cuiuscumque entis durabilis ingenerabilis, siue incorruptibilis, & sic æuum, & æternitas sunt tempora. Secundò, propriè, & est duratio cuiuslibet durabilis generabilis, & corruptibilis; & sic omnia generabilia sunt in tempore, & solùm illa. Tertiò, magis propriè, & est duratio entis successiui. Quartò, proprissimè, & est duratio primi mobilis, quod est mensura omnium aliorum motuum.

Motus accipitur quinque modis.

Nota secundò, motum quinque modis posse accipi. Primò, vt idem realiter cum eo, quod acquiritur; hoc est, pro forma diminuta fluente de imperfecto ad perfectum; & sic est in eodem Prædicamento cum termino *ad quem*: nam calefactio idem est quod calor; & augmentatio idem est quod quantitas, quia, vt dicitur 3. *Physic.* Motus nihil est præter res, ad quas est motus. Secundo modo accipitur vt procedit ab agente, & sic appellatur actio, & ponitur in Prædicamento Actionis. Tertio modo pro transmutatione, per quam terminus acquiritur, quæ transmutatio recipitur in patiente, & sic dicitur passio, & ponitur in Prædicamento Passionis. Quartò, accipitur quatenus est imperfecta acquisitio termini, quæ est propria consideratio motus, vt motus est, & *sic* 3. *Physic.* definitur, *Motus est actus entis in potentia secundùm quòd huiusmodi*; & hoc modo motus non ponitur in aliquo Prædicamento: quia est ens imperfectum, & sic pertinet ad Postprædicamenta. Quinto, & vltimo modo potest accipi motus, vt est per se extensus & diuisibilis, cuius partes copulantur quodam termino communi, quod 6. *huius*, text. 24. appellatur mutatum esse, & in hac quinta acceptione motus est species Quantitatis continuæ: nam, vt dicit Aristoteles 3. *huius*, text. 37. motus est de genere continuorum, & 6. *Physic.* docet esse diuisibilem in infinitum, quæ diuisibilitas, quæ est passio quantitatis, si consideretur vt est successio quædam motus penes moram est tempus: quia tempus est prius & posterius motus, quod quidem est mora ipsius motus.

13. *Motus est duplex atque etiam tempus.*

Nota tertiò, quòd motus quidam est communis & primus; & iste est motus primi mobilis, qui regulat omnem alium motum: alius est motus secundus particularis, vt motus particularium mobilium; & cùm tempus consequatur motum, est etiam duplex tempus: quoddam commune, & generale, cuiuscumque motus particularis per assistentiam mensura, & motus primi mobilis mensura per inhærentiam: quia solùm ei inest tamquam subiecto, & nulli alteri, & istud est tempus correspondens primo motui primi mobilis. Aliud est tempus speciale, & particulare, quasi specialiter, & particulariter sumptum, & istud correspondet motui particulari, & sibi existenter inhæret. Ex his

Tempus non est formaliter motus.

Dico primò, quòd tempus non est formaliter motus: quia motus est solùm in eo, quod mouetur, & vbi mouetur, & quando mouetur; tempus autem vbique est in omnibus, quæ mobilia sunt; ergo tempus non est motus formaliter. Item motus aut est velox, aut tardus; sed tempus neque est velox, neque tardum; ergo non est motus. Minor probatur, quia velox dicitur, quod multum loci exiguo pertransit tempore: tardum quod magno tempore percurrit parum loci; sed tempus semper se habet vniformiter, cùm sit mensura regularissima, nullam varietatem admittens; atque adeò non est velox, neque tardum, & per consequens non est formaliter motus. Præterea, passio distinguitur formaliter à subiecto; sed tempus est passio motus. Vnde tempus addit supra motum, respectum aptitudinalem, nempè numerabilitatem. Vnde dicit Aristoteles in hoc 4. quòd tempus non est nisi prius & posterius in motu, secundùm quòd ipsa numerabilia sunt numerata. Item, Aristoteles text. 99. ait, *Tempus id quidem quod est motus est, esse autem*, id est, *ratio & quiditas alterum est*, & non motus. Et text. 131. ait, *Quòd si non est possibilis intellectus, qui numeret prius & posterius, non est completa ratio formalis temporis a parte rei*, sequitur, *Licèt esset hoc quod aliquando est existens tempus, vt si contingit motum esse*, id est, esse motus, qui est idem realiter quod tempus; non ergo distinguit tempus à motu, nisi quidditatiuâ ratione. Et Commentator inquit, quòd tempus & motus sunt idem subiecto, sed differunt ratione dicente, quod quid erat esse.

14. *Tempus quod est in motu primi mobilis, distinguitur realiter à motibus inferioribus.*

Dico secundò, quòd tempus quod est in motu primi mobilis subiectiuè distinguitur realiter à motibus inferioribus, quos mensurat. Patet, quia quæcumque ab inuicem separabilia sunt, non sunt idem realiter; sed tempus primum, & motus inferiores sunt huiusmodi: quia si nullus esset motus hîc inferiùs, adhuc posset cœlum moueri, & per consequens esset tempus. Similiter, cessante motu primi mobilis, & per consequens eius tempore, adhuc esset hîc inferiùs motus, vt patet Iosue 10. quia ipse pugnauit stante Sole, & Luna, & per consequens toto cœlo. Vnde D. August. 11. *Confess.* inquit; stante cœlo mouetur rota figuli, & hoc idem probat Scotus in 4. *distinct.* 49. *quæst.* 2. & confirmatur: quia quandocumque duo accidentia sunt in distinctis

ſubiectis, ſunt diſtincta realiter, tempus primi mobilis, & motus inferiorum ſunt huiuſmodi; ergo, &c.

Tempus eſt idem realiter cum motu.

Dico tertiò, quòd tempus eſt idem realiter cum motu, diſtinctum tamen ab eo formaliter. Ita vt tempus, quod eſt in motu primi mobilis, non diſtinguatur realiter à motu, in quo eſt ſubiectiuè: & ſimiliter tempus ſpeciale non diſtinguatur realiter à motu, in quo eſt. Hæc concluſio eſt communis conſenſus Phyſicorum, & eam docet Scotus in 4. *diſt.* 48. *quæſt.* 5. *ſub litt H.* §. *Ad primum dicitur*, licèt in 2. *d.* 2. *quæſt.* 5. ſub litt. *F.* §. *Reſpondeo*, videatur aliter ſentire. Vnde obſeruandum eſt, quòd de identitate temporis cum motu diuerſimodè ſentiunt philoſophantes. Nam Iandunus 4. *Phyſic. quæſt.* 18. & Burleus in expoſitione textus 102. ex Auer. dicunt abſolutè tempus realiter diſtingui à motu: quam ſententiam Capreolus in 2. *Sentent. diſtinct.* 5. *quæſt.* 2. & Heruæus in 2. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. & quidam alij Thomiſtarum ſequuntur, atque etiam ex Scotiſtis, Baſſolus in 2. *diſtinct.* 5. *quæſt.* 1. & Ioannes de Magiſtris 5. *Phyſic quæſt.* 6. *dub.* 3. cui ſententiæ videntur etiam fauere Leucherus, & Gratianus in 2. *d.* 21. *quæſt.* 5. Alij verò, vt Ioannes Canonicus, 4. *Phyſic. quæſt.* 5. *art.* 3. *dub.* 3. & Nicolaus Orbellus *in Epitome* 4. *Phyſic.* tenent, quòd ſint idem realiter, & quòd diſtinguantur formaliter; quam ſententiam ex Thomiſtis ſequitur Scotus 4. *Phyſic. quæſt.* 4. *concl.* 4. Tataretus verò 4. *Phyſic. quæſt.* 3. *art.* 1. *dub.* 5. credit vtramque viam eſſe probabilem, quem ſecutus eſt Iauellus 4. *Phyſic. quæſt.* 20. Cæterùm, ſumendo tempus quarto modo, ſcilicet vt eſt duratio ſucceſſiua tranſmutationis, & motum quinto modo; tempus eſt realiter motus, quia tempus non eſt aliud, quàm quantitas ſucceſſiua, vel duratio tranſmutationis ſucceſſiuæ.

15. c *Tempus eſt mobile, quod mouetur.* Nota, quòd hæc opinio non eſt Scoti, ſed Nominalium, vt videre eſt apud Ocham in 2. *Sentent. quæſtion.* 2. Nam ſicut tenet tempus eſſe motum primi mobilis, & motum non diſtingui à re mobilita, colligit, quòd tempus ſit ipſum mobile: & hanc opinionem ſequitur Gregorius Ariminenſis 2. *Sentent. d.* 2. *quæſt.* 1. vbi expreſſiùs ait, quòd non ſolùm primum mobile, ſed corpus quodcumque continuè, & regulariter motum, eſt tempus. Eſt autem hæc opinio expreſsè contra Philoſophum in *iſto* 4 *textu* 94. vbi ait, quòd dicere ſphæram eſſe tempus, ſtultius eſt, quàm vt de eo impoſſibilia conſideremus; eſt etiam contra Scotum in 2. & 4 *ſent.* locis ſuprà relatis; vide Scotum in 2. *d.* 1. *quæſt.* 5. *ad quæſt. ſub litt. N.* §. *Reſpondeo.*

d *Ad primum dicitur ſicut dicebatur in* 3. Nota, quòd natura cuiuſlibet continui, ſiue permanentis, ſiue ſucceſſiui, in hoc conſiſtit, quòd eius partes ad aliquod indiuiſibile intrinſecè copulantur, propter quod habent vnitatem, & continuitatem, quo facto in actu, vel præciſo, ipſa non habent vltra continuitatem. Hoc patet, duæ enim partes lineæ copulantur ad punctum, & per ipſum habent vnitatem, quo præciſo, vel facto in actu, iam eſſent diſcontinuæ; hoc etiam patet per Ariſtotelem in Prædicamentis.

Secundò nota, quòd aliter habent eſſe permanentia, & aliter ſucceſſiua. Nam permanentia ad eorum actualem exiſtentiam requirunt ſimul omnes partes actualiter exiſtentes, non ſic autem ſucceſſiua; ſed eſt ſatis ad eorum eſſe, quòd partes eorum ſint ad aliquod indiuiſibile copulatæ, & ex connexione ad illud habeant exiſtentiam: non enim requirunt, quòd ſint eorum partes ſimul exiſtentes.

Tertiò nota, quòd licèt inſtans non ſit tempus, nec pars temporis per exiſtentiam; tamen per inſtans actuale tempus dicitur eſſe in actu. Vnde non requiritur ad hoc, quòd tempus ſit in actu, niſi quòd ſit in actu aliquod indiuiſibile continuans partem priorem cum poſteriori. Ex his ſequitur, quòd licèt partes temporis non ſint actualitate permanentiæ, & præſentialitatis, ſunt tamen actualitate cuiuſdam continuationis, & actualitate ſucceſſiuâ; & hoc ſufficit in ſucceſſiuis. Vnde licèt neutra pars temporis ſit præſens, quia, cùm omnis pars temporis ſit prior, vel poſterior, præterita, vel futura; tamen tempus dicitur præſens eſſe ſic, quòd iſta propoſitio, *tempus nunc eſt*, eſt vera: quia actu eſt continuatio vnius partis cum alia, ratione cuius continuationis tempus dicitur habere eſſe. Vnde ſicut illa eſt vera, *motus eſt nunc*, licèt vtraque pars motus ſit facta, vel fienda; tamen ratione realis continuationis vnius partis cum alia ad *mutatum eſſe*, motus dicitur nunc eſſe. Obſeruandum eſt tamen, quòd iſta propoſitio, *tempus eſt nunc*, vel *motus eſt nunc*, habet duplicem intellectum: vnum, quòd *nunc* ſit menſura actus deſignati, & illo modo eſt falſa: quia motus non menſuratur inſtanti. Alium intellectum poteſt habere, quòd *nunc* dicat menſuram compoſitionis prædicati cum ſubiecto, vel huius veritatis ſubiecti ad prædicatum; & iſto modo eſt vera: nam in omni propoſitione vera de præſenti prædicatum vnitur ſubiecto pro inſtanti indiuiſibili, ita vt eius veritas menſuretur inſtanti indiuiſibili: non tamen oportet quòd actus deſignatus per prædicatum menſuretur indiuiſibili; ſed iſta ſtant ſimul, quòd actus deſignatus menſuretur tempore, & tamen, quòd in inſtanti prædicatum vniatur ſubiecto. Patet ergo, quòd ad eſſe temporis ſufficit, quòd ſit aliquod indiuiſibile continuans vnam partem cum alia; ita quòd per *eſſe* inſtantis denotetur tempus eſſe. 16.

Quid requiratur ad eſſe temporis.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm tempus ſit motus cœli?

Ariſtot *cap.* 13. *text.* 97. Auerroës & interpretes *ibid.* Albert *tract.* 3. *cap* 3 D. Thom. *lect.* 11. & *opuſc.* 44. Arimin 2. *diſt* 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. Capreol. *ibid. quæſt.* 2. *art.* 3. Ferrarien. *quæſt.* 5. Sotus *quæſt.* 4. Toletus *quæſt.* 13. Pererius *lib.* 12. *cap.* 2. Coaimbric. *in expoſit. cap.* 11. Compluten *diſp.* 22. *quæſt.* 4. & 6.

ARGVITVR quòd non: quia tempus eſt menſura motus cœli; igitur tempus non eſt motus cœli. Tenet conſequentia, quia idem non eſt menſura ſui ipſius. Antecedens apparet in *iſto* 4. *text.* 75. & *in* 6 *huius, text.* 29. vbi probatur, quòd omnis motus menſuratur tempore. 1.

Secundò. Non cuilibet motui motus cœli eſt eiuſdem generis: igitur motus cœli non eſt tempus. Antecedens apparet, quia motus localis, & alterationis ſunt diuerſorum generum, immò ſunt ad inuicem incompatabiles; vt dicit Commentator *ſeptimo huius*, *comm.* 30. Conſequentia probatur ex hoc: quia quilibet motus eſt menſurabilis

ſurabilis tempore; & menſura, & menſuratum debent eſſe eiuſdem generis.

Tertiò, aliqui percipiunt tempus, qui non percipiunt motum cœli: ergo, &c. Antecedens patet de exiſtentibus in tenebris, vel in carcere. Conſequentia probatur: quia ex quo motus cœli eſſet tempus, qui perciperent tempus, perciperent motum cœli.

Quartò, quia tempus eſt idem cœlo, terræ, mari, & vbique, vt dicit Ariſtoteles 4 *huius, text.* 111. ſed motus cœli non eſt idem vbique, quia quando aliquibus eſt ortus Solis, aliis eſt occaſus, & aliquibus hyems, quando aliis eſt æſtas, quod non eſſet ſi motus cœli eſſet idem apud omnes.

2. Quartò, ſequeretur quòd ſi cœlum non moueretur nullum eſſet tempus; conſequens eſt falſum, quia adhuc diceretur, quòd cœlum quieuit per menſem, aut per ſpatium duorum dierum, aut aliquid huiuſmodi; modò dies, & menſis ſignificant tempus, ergo, &c. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem *in iſto* 4. *text.* 97.

Diuiſio quæſtionis. In quæſtione præcedenti viſum eſt, quòd tempus eſt menſura durationis ſucceſſiuæ rei mutabilis; & quòd tempus eſt motus, & quia motus eſt idem quod mobile, concludebatur, quòd tempus eſſet mobile, ſcilicet continuè motum, in cuius motu anima conſiderat prius, & poſterius; & ideò quia motus eſt mobile; primò videbitur, quantum ad quid mobile eſt menſurabile tempore. Secundò, quid ſit menſura, & quid de ratione menſuræ. Tertiò, de quæſito, ſcilicet quis motus poteſt dici tempus, & quis non.

Opinio aliquorum de entitate temporis. Quantum ad primum, notandum quòd aliqui imaginabantur tempus eſſe quandam ſucceſſionem, vnde ſicut putabant locum eſſe ſpatium ſeparatum interceptum inter latera continentis, & illud ſpatium nihil eſſe; & ideò iſta conſequentia non valet, *locus eſt: igitur locus eſt aliquid*, ſecundùm ipſos; ita ſimiliter ponunt de tempore, quòd tempus ſit quædam ſucceſſio, quæ omnino nihil eſt; & ideò non ſequitur, *tempus eſt; igitur tempus eſt aliquid*, vel *aliqua*; & ex hoc inferunt quòd per illud, quod nihil eſt, menſuramus motus, & ſucceſſiones eorum; quæ ſunt. Improbatio iſtius opinionis patebit in ſequentibus, & per totum iſtum tractatum: quia ipſa eſt ſimpliciter falſa.

3. *Menſura quid ſit, & quid de eius ratione.* Secundò, notandum quòd mobile poteſt imaginari menſurari tempore quantum ad tria. Primò, quantum ad partes quantitatiuas mobilis; & ſic mobile non menſuratur tempore; ſed quantum ad hoc, menſuratur per aliquam menſuram notam, & famoſam, vt vlna, aut aliquod conſimile. Secundo modo poteſt imaginari mobile menſurari tempore quantum ad diſpoſitionem, ſecundùm quam eſt motus, ſicut in motu alterationis, quia per tempus cognoſcimus, quanta qualitas eſt acquiſita, vel deperdita; & ſic adhuc non intelligitur. Tertio modo intelligitur, quòd mobile menſuretur tempore, ita vt per tempus cognoſcatur quandiu mobile mouebatur: quia tempus eſt menſura durationis ſucceſſiuæ rei mutabilis; & hoc de primo.

Quantum ad ſecundum, notandum quòd per menſuram non intelligitur aliud, niſi illud mediante quo cognoſcimus alterum quantum eſt, vt vlna eſt menſura: quia per ipſam cognoſcimus quantus eſt pannus, aut alia longitudo. Ex quo patet, quòd tempus eſſe menſuram motus, non eſt aliud, quàm per tempus cognoſcere, quantus eſt motus ſecundùm durationem.

Secundò notandum, quòd de ratione menſuræ eſt, quòd ſit [a] eiuſdem generis cum menſurato, vt patet 10. *Metaph. text.* 4. & hoc quantum poſſibile eſt; vel quòd ſimpliciter ſint eiuſdem generis menſura, vel menſuratum: vel quòd ſaltem habeant conditiones eiuſdem generis, ſecundùm quas vnum eſt menſura alterius; vt quòd vtrumque habeat longitudinem, vel ſucceſſionem, vel intenſionem, taliter quòd ſecundùm longitudinem, ſucceſſionem, vel intenſionem vnius poterit menſurari longitudo, ſucceſſio, & intenſio alterius. 4. *Menſura quid ſit, & quid de eius ratione.*

Secundò requiritur, quòd menſura ſit nota: quia aliter per ipſam non poſſemus cognoſcere de aliquo quantum eſſet. Tertiò requiritur, quòd ſit famoſa, aliter vnus non poſſet certificare alteri quanta eſſet aliqua res per eius menſuram, niſi ſcilicet vtrique menſura eſſet famoſa, & nota. Quartò requiritur, quòd ſit inuariabilis, quantum poſſibile eſt: quia ſi eſſet variabilis, ſtatim eſſet deceptio, iudicando de quantitate alterius rei per talem menſuram. Ex quo ſequitur, quòd non habetur certa, & euidens notitia, quantum eſt ſpatium terræ ſuppoſitum vni gradui cœli: quia non ſcitur an pedes hominis eſſent maiores, quàm eſſent tempore, quo menſurabatur, vel minores, vel æquales. Quintò requiritur, quòd talis menſura ſit minima non ſimpliciter, ſed ſecundùm ſenſum, vt granum, vel ſecundùm conſuetudinem, vt vncia, in ponderibus; vel metreta in liquoribus. Ex quo patet, quòd aliquid eſſe menſuratum non eſt aliud, quàm cognoſcere proportionem ipſius ad menſuram; qua menſuratur; & ſic patet quid ſit de ratione menſuræ: & hoc de ſecundo.

Quantum ad tertium, ponuntur concluſiones. 5. *Motus cœli eſt tempus.*
Prima eſt iſta. Motus cœli eſt tempus. Probatur, quia ille motus eſt tempus, per quem propriſſimè menſuratur duratio ſucceſſiua; ſed huc ſit per motum cœli: ergo, &c. Maior patet: quia per tempus non intelligitur aliud, quàm menſura ſucceſſiuæ durationis; & minor probatur per conditiones menſuræ conuenientes motui cœli: primò enim motus cœli eſt vnigeneus cuilibet ſucceſſiuæ durationi, & hoc in ſucceſſione. Secundò, quia motus cœli eſt maximè notus, famoſus, & magis communis omnibus, quàm aliquis alter motus. Tertiò, quia motus cœli eſt primus motuum, vt patet 8. *huius, text.* 75. *& inde.* modò rationabile eſt, quòd primum in aliquo genere ſit menſura aliorum eiuſdem generis. Quartò, quia motus cœli eſt inuariabilis: quia non poteſt velocitari, aut retardari: modò de ratione menſuræ eſt, quòd ſit inuariabilis, vt dictum fuit priùs. Quintò, motus cœli eſt minimus, vt patet *ſecundo Cœli, tex.* 28. *&* 4. *Phyſic. tit.* 33. *&* 10. *Metaph. tex.* 3. *&* 4. quia eſt velociſſimus; & ſic patet, quòd motui cœli conueniunt plures conditiones menſuræ, quàm alicui alteri motui, & per conſequens motus cœli eſt tempus.

Secunda concluſio. Non cognoſcentibus motum cœli, motus cœli non eſt tempus. Probatur, quia de ratione temporis & menſuræ eſt, quòd ſit notum: igitur quibus aliquid non eſt notum, illud non eſt eis tempus, vel menſura. Ex quo patet, quòd exiſtentibus in carcere, vel in tenebris, motus cœli non eſt tempus. Secundò, ſequitur quòd, cùm tales percipiant menſuram durationis ſucceſſiuè, quòd aliquis alter motus à motu cœli eſt eis tempus, & ideo ſit 6. *Motus cœli non eſt tempus ipſum non cognoſcentibus.*

Motus omnis potest esse tempus. Tertia conclusio: omnis motus [b] alicui cognoscibilis, potest esse tempus. Probatur; omne illud potest esse tempus, per quod aliquis potest certificari de duratione successiua, quanta est; sed per quemlibet motum alicui cognoscibilem potest aliquis certificari de duratione successiua, quanta est; igitur quilibet motus alicui cognoscibilis, potest esse tempus. Maior patet ex *quid nominis* temporis, & probatur, inducendo in diuersis motibus, vt si quæratur, quantum durauit lectio, vnus respondebit per spatium eundi duas leucades; & sic motus progressiuus est mensura illius durationis. Item, alter potest respondere, quòd per tempus decoctionis panis in furno, & sic per motum alterationis iudicat de quantitate successiuæ durationis; & per consequens motus alterationis est tempus. Item, alij certificantur, quanta sit duratio successiua, per ea, quæ consequuntur motum, vt per sonum; vt si quæratur, quamdiu legisti; respondetur, per horam dicendi vnum nocturnum, aut vnum Pater noster. Similiter per motum horologij; & aliquando per quantitatem operationis mensurationis motum cœli, de quo minùs videtur, quod sit mensurabilis alio motu. Et sic patet, quòd quilibet motus alicui cognoscibilis potest esse tempus, cuiuscumque generis fuerit ille motus; attamen inter omnes motus, motus cœli propriissimè dicitur tempus, eo quòd sibi conueniunt plures, & principaliores conditiones mensuræ, quàm alicui alteri motui.

7. *Motus nonæ sphæræ non est tempus.* Nunc ad videndum, quis motus cœli, vel cuius sphæræ motus dicatur propriè tempus, & cuius non; ponuntur aliæ conclusiones. Prima est. Motus nonæ sphæræ, quam ponunt Astrologi, non est tempus. Probatur, quia ille motus non est tempus qui considerantibus durationes successiuas, quantæ sunt, est minimè notus; sed inter omnes motus, motus nonæ sphæræ est minimè notus: quia à multis negatur aliquam talem esse, nec de ipsa potest haberi experientia sensus: ergo, &c.

Sed obiicitur: quia primum in vnoquoque genere debet esse mensura aliorum eiusdem generis; sed motus vltimæ sphæræ est primus motuum: igitur motus vltimæ sphæræ debet esse tempus. Respondetur, quòd motus vltimæ sphæræ non est primus motuum, sed motus totalis diurnus cœli, est primus motuum; & ille totalis motus principaliter est tempus secundùm partes, vel sphæras, quæ sunt maximè notæ, vt patebit per conclusiones sequentes.

Tempus est motus sphæra Solis. Secunda conclusio. Motus [c] sphæræ Solis inter omnes motus cælestes est propriissimè tempus. Probatur: quia motus sphæræ Solis est maximè notus omnibus; & est causa generationis in istis inferioribus; vt patet. 2. *de Generatione*, *text.* 58. ergo, &c. Et huius signum est, quòd per motum Solis mensuramus ætates rerum, & quòd nomina significantia motum Solis sunt nomina temporis, vt annus, mensis, dies; igitur, &c.

Tertia conclusio. Præter motum Solis, motus Lunæ propriissimè dicitur tempus: quia præter Solem, Luna inter cætera astra cœli est maximè nota, & ideò aliqui mensurant ætates; & durationes rerum temporalium per annos, & menses Lunares; & propter hoc dicitur alibi, quòd Sol, & Luna sunt duo luminaria magna, *Gen* 1.

8. Ex istis sequitur primò, quòd illud quod est tempus vni, non est tempus alteri, & ideò sicut mensura dicitur ad aliquid, ita etiam tempus dicitur alicui tempus. Secundò, sequitur quòd plura tempora possunt esse simul, immò de facto plura tempora sunt simul. Tertiò, sequitur quòd præter motus Solis, & Lunæ, alij motus cælestes dicuntur tempora, secundùm quòd sunt magis, vel minùs noti.

Ad rationes. Ad primam, negatur consequentia, quia [d] per vnam partem motus cœli minorem, potest numerari, & mensurari alia pars maior, vt per diem potest mensurari mensis, & per mensem annus.

Ad secundam & tertiam dictum est in quæstione. Ad quartam tempus est idem in cœlo, & in terra, &c. hæc est impropria locutio, sed debet intelligi, quòd omnis motus, siue sit in cœlo, siue in terra, est mensurabilis vno, & eodem motu, scilicet motu cœli.

Ad quintam respondetur, quòd [e] si cœlum non moueretur, dum tamen aliud moueretur, esset tempus; sed si nullus esset motus, concedendum esset nullum esse tempus.

ANNOTATIONES.

[a] *De ratione mensura est, quòd sit*, &c. Nota quòd conditiones mensuræ sunt sex. Prima est, quòd de ratione mensuræ est prioritas: quia nullum prius dependet à posteriori, sed potius è contra: mensuratum autem dependet à mensura. Secunda conditio est, quod de ratione mensuræ est notoritas. Nam illud, per quod aliquid cognoscitur, est notius illo quod cognoscitur; sed per mensuram res mensurata cognoscitur. Tertia conditio est, quòd de ratione mensuræ est simplicitas: quoniam quanto plus aliquid accedit ad simplicitatem, tanto plus habet rationem mensuræ. Quarta conditio est, quòd de ratione mensuræ est vniformitas, & regularitas: quoniam nihil potest mensurari per illud, quod est irregulare, & difforme. Quinta conditio est, quòd de ratione mensuræ est independentia: quoniam de ratione prioris vt prius, est independentia; sed mensura est prior mensurato, ex prima conditione: ergo, &c. Hanc tamen independentiam intelligas non absolutè, ita vt nullo modo dependeat, quia sic nullum creatum esset mensura, sed intelligas respectu mensurati. Sexta conditio est, quòd de ratione mensuræ est vnigeneitas, quoniam, vt ait Philosophus 10. *Metaph. text.* 4. quodlibet mensuratur per aliquod sui generis: & hoc non solùm secundùm rationem analogiæ, vt ponit Alexander. 9. *Metaph.* sed etiam vniuocationis. 9. *Mensura conditiones sunt sex.*

[b] *Omnis motus alicui cognoscibilis potest esse tempus.* 10. *Motus & tempus duplex.* Nota, quòd cùm tempus consequatur motum, sicut distinguitur motus, ita & tempus; atque adeò sicut motus est duplex, scilicet generalis, qui est motus primi mobilis; & specialis, qui est motus istorum inferiorum; ita duplex est tempus, scilicet generale, & est propria passio primi motus, scilicet primi mobilis: & speciale, quæ est passio motuum inferiorum: atque adeò sicut omnium mobilium est vnus motus generalis, scilicet motus diurnus primi mobilis, ita est vnum tempus generale mensurans intrinsecè illum motum, & extrinsecè omnes motus istorum inferiorum, & de isto tempore dicit Aristoteles quòd impossibile est ipsum plurificari, sicut nec mobilia

bilia prima, nec motus primi. In omni enim genere eorum eſt dare vnum primum, ad quod omnia alia reducuntur. Et ſicut cuilibet rei temporali eſt vnus proprius motus, ita etiam eſt vnum proprium tempus ipſum menſurans, & hoc tempus particulare, vel ſpeciale neceſſariò plurificatur, ita vt ad multiplicationem motuum talium, neceſſariò ſequatur plurificatio temporum, & hoc non poteſt faciliùs probari, quàm per hoc, quòd tempus iſtorum inferiorum poteſt eſſe realiter, non exiſtente tempore primo, ſicut patet Ioſue 10. & per articulum Pariſienſem dicentem, *Dicere quod ceſſante motu cœli ignis non combureret ſtupam, error eſt.* Et ſi dicatur, ſi eſſent plura tempora, ita vt cuilibet motui correſponderet proprium tempus, ſequeretur primò, quòd etiam eſſent plura *nunc* ſimul, plures horæ ſimul, atque etiam plures dies; cùm omne tempus habeat proprium *nunc* continuans ſuas partes ad inuicem; & eſſent plures motus vniformes, qui durarent per horam, diem, vel menſem, &c. Sed hoc eſt impoſſibile, quia aliàs duo homines, non poſſent ſimul currere, nec etiam duæ actiones poſſent ſimul fieri, eo quòd non eſſent factæ in eodem inſtanti, vel in eadem hora, ſed in diuerſis.

11. Ad hoc dico, quòd mutationes, & motus non dicuntur fieri ſimul, quia fiunt in eodem inſtanti temporis, vel in eadem hora temporis particularis, vel quia intrinſecè menſurantur eâdem parte motus, ſed dicuntur fieri ſimul, quia fiunt in eodem *nunc*, vel in eadem hora temporis vniuerſalis, & menſurantur eâdem parte ipſius, non quidem intrinſecè, ſed extrinſecè: quando ergo duæ aliquæ actiones ſimul exiſtunt, & menſurantur eâdem parte temporis primi, tunc dicuntur factæ ſimul: quando verò factæ ſunt in alia, & alia parte temporis primi, tunc dicuntur non eſſe factæ ſimul. Quare non inconuenit, vt docet hîc Scotus in ſecundo corollario tertiæ concluſionis, eſſe ſimul plura *nunc*, & plures horas, atque dies particularis motus, & temporis. Nam aliud *nunc* numero eſt illud, quo menſuratur *mutatum eſſe* huius mobilis, ab illo *nunc* quo menſuratur *mutatum eſſe* alterius mobilis; & alia hora eſt, qua menſuratur curſus horarius Franciſci ab illa, quâ menſuratur curſus horarius Antonij; & alius eſt dies numero, quo menſuratur motus diurnus Petri, atque adeò illa *nunc*, illæ horæ, & illi dies ſunt ſimul, eſto quòd illa mobilia ſimul mutentur, vel moueantur, neque hoc eſt contra Ariſtotelem ponentem tantùm vnum tempus omnium, quæ ſunt in cœlo, terra, & mari, quia, ſicut dixi, Philoſophus loquitur de tempore primo, quod eſt menſura intrinſeca primi motus, & extrinſeca omnium aliorum motuum.

12. c *Motus ſphæræ Solis inter omnes motus cœleſtes, eſt propriiſſimè tempus.* Nota, quòd ideò ponitur potiùs tempus in motu primi mobilis, quàm in motu alterius orbis: quia orbes proprij planetarum ſunt ab Occidente in Orientem, quæ non ſunt ita veloces, nam Luna mouetur in menſe, Sol in anno, & alij aliis temporibus, vt Aſtrologia docet: nec ſunt ita vniformes, neque per illos diſtinguuntur dies, & noctes. Sed primum mobile, quotidie facit integrum circulum ſecum rapiens omnes orbes, & ideò motus ille Solis, quo diſtinguimus dies, & noctes, eſt peculiaris primi mobilis; & idcirco illic eſt tempus. In hac ergo concluſione non loquitur Scotus de motu proprio, & naturali ſphæræ Solis, ſed de motu quo rapitur à primo mobili, eo quòd motus primi mobilis maximè innoteſcit nobis per motum raptum Solis, & ideò Sol, ſiue curſus eius eſt nobis, vt temporis ſignum.

d *Per vnam partem cœli minorem poteſt numerari, & menſurari alia pars maior.* Nota quòd tempus, eo quòd quantitas eſt, eſt ſui menſura paſſiua, id eſt, eſt menſurabile, & menſura actiua illius eſt iſta pars indiuiſibilis, quæ realiter idem eſt cum tempore menſurato, ſola intellectus abſtractione ſeparata ad ipſummet tempus menſurandum: ſicut, verbi gratiâ, in quantitate iſtius continuæ tabulæ poſſumus intellectu partem, quæ vnius ſit palmi, abſtrahere, & intellectu hanc retinentes, quantitatem tabulæ tali palmo menſurare, ſecundùm quòd cæteris partibus tabulæ correſpondet; & hoc fortè eſt quod Ariſtoteles ait tempus ſine intellectu non eſſe. Quaſi dicat, quòd, cùm tempus ſe ipſo menſuretur, ad hoc neceſſe eſt, quòd intellectus aliquam partem temporis abſtrahat, vt cæteras illâ menſuret. Intelligendum eſt tamen quòd illa pars eſt temporis menſura intrinſeca, aliorum autem extrinſeca. Quemadmodum in vlna lignea ſignantur tres pedes, quæ ſunt tres tertiæ: illa pars tertia eſt intrinſeca menſura illius ligneæ binæ, extrinſeca autem panni, & aliorum, quæ illâ tertiâ menſurantur; ita vna hora eſt intrinſeca menſura illius motus cœli (nam vicies quater multiplicata metitur totum circulum diurnum) ſed extrinſeca menſura noſtrarum actionum.

e *Quòd ſi cœlum non moueretur*, &c. Nota quòd iuxta verba Philoſophi *in hoc* 4. quies per accidens menſuratur tempore; quod ſic imaginor, quia eo quòd tantus motus poſſet fieri in tanto tempore, ideò per hoc quòd auferimur motus per tantum tempus, ſecundùm menſuram motus, qui poſſet fieri in tanto tempore, iudicamus tantam quantitatem eſſe quietis, & dicimus durare quietem per vnum diem: quia igitur motum illum, ſi eſſet tempus, menſuraret per ſe, ideò & quies, cuius quantitas menſuratur ex quantitate motus, qui poſſet fieri in tanto tempore, dicitur menſurari tanto tempore, & hoc eſt per accidens: ſicut ſi imaginaretur vacuum, ita vt nullum corpus eſſet infra latera domus, certè tunc diceremus vacuum eſſe tantæ quantitatis, puta decem pedum in longitudine, non quòd ſecundùm veritatem illud illam quantitatem haberet, cùm nihil ſit, ſed per accidens; quia corpus tantæ quantitatis natum eſt in tali loco recipi. Cæterùm non poſſet tempus menſurare quietem per accidens, niſi per ſe menſuraret aliquem motum, quia nullo exiſtente motu, nullum eſſet tempus, vt ſcitè hîc docet Scotus. 13. *Quies menſuratur tempore per accidens.*

EXPOSITIO TEXTVS.

ACcipiendum 1 *eſt autem*, &c. Hic eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo inquiritur definitio temporis; & primò facit hoc. 14. Text. 98.
Secundò ſoluit rationes, quibus probabatur in alio capitulo, tempus, & *nunc* non eſſe. Ibi: *Et motus ſemper.* Item, primò probat duas concluſiones. Secundò infert definitionem temporis, ibi: *Hoc eſt enim tempus.* Primò ponit duas concluſiones. Secundam ibi: *At verò & tempus.*

Prima

Tempus est aliquid motus. Prima conclusio est ista, quòd tempus est aliquid ipsius motus. Probatur, quia illud est motus, vel aliquid ipsius motus, quod non potest percipi sine perceptione motus, sed tempus [a] non potest percipi sine motu, & non est motus; quorum vtrumque probabatur in alio capitulo: igitur tempus est aliquid ipsius motus.

15. Text. 99. *Cùm autem 2 quod mouetur.* Hic ponit secundam conclusionem: & primò præmittit tres suppositiones. Secundò, ponit secundam conclusionem, ibi: *At verò, & tempus.* Prima suppositio est, [b] quòd tam magnitudo, quàm motus, quàm tempus sunt continua, tamen continuitas magnitudinis prior est continuitate motus, & continuitas temporis posterior est continuitate motus. *Continuitas temporis est posterior continuitate motus, & magnitudinis.* Secunda suppositio est, quòd in tempore [c] est prius, & posterius. Probatur, in magnitudine & in motu est prius, & posterius; igitur & in tempore, quia ista se inuicem consequuntur. Notandum [d] circa hoc, quòd dicit, quòd continuitas posteriùs est in tempore, quàm in motu, vel in magnitudine; quòd hoc non debet intelligi, quantum ad rem: quia secundùm multos eadem res est magnitudo, motus, & tempus; sed intelligitur quantum ad rationes, à quibus sumuntur ista nomina, *motus* & *tempus*: quia ratio, secundùm quam aliqua res dicitur tempus, præsupponit rationem, secundùm quam eadem res dicitur motus, & vna est posterior alia. *Vide contradictionem Zimaræ.* Tertia suppositio, quòd prius & posterius in motu, sunt idem ens, quod motus, differunt tamen à motu secundùm rationem, & dicit Aristoteles quòd motus est in quantitate, & prius, & posterius in numero. Ad quod intelligendum, notandum, quòd ad intelligendum prius, & posterius in motu, oportet vti ratione distinctiuâ vnius partis ab alia, secundùm autem intellectionem motus non oportet vti tali ratione distinctionis. Ideò propter illam rationem dicit Commentator quòd prius & posterius est in numero.

16. Text. 100. *At verò 3 tempus.* Hîc ponit secundam conclusionem, quòd tempus est aliquid ipsius motus secundùm prius & posterius. *Tempus est aliquid motus secundùm prius & posterius.* Probatur, quia secundùm illud tempus est aliquid ipsius motus, per cuius perceptionem in motu, percipitur tempus, & quod si non percipiatur, tempus non potest percipi; sed percipiendo prius, & posterius in motu, percipitur tempus; & si non [e] percipiatur priùs, & posteriùs, non percipitur tempus; igitur tempus est aliquid ipsius motus secundùm prius & posterius. Maior nota est, & minor apparet: quia in motu vehementis delectationis benè percipimus motum, tamen propter delectationem non attendimus ad distinguendum inter prius, & posterius in illo motu; & ideò non percipimus tempus nisi valde modicum, dato adhuc quòd sit magnum; & sic patet, quòd quando percipitur differentia prioris, & posterioris, quòd tunc percipitur tempus, & quando non, non percipitur.

Text. 101. *Hoc enim 4 est tempus.* Hîc infert definitionem temporis; & primò ponit definitionem. Secundò infert corollarium. Tertiò declarat definitionem. Secundum ibi: *Non ergo motus.* Tertium ibi: *Signum autem.* *Definitio temporis.* Definitio est ista, quòd *tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Et potest sic declarari ex prædictis, quòd tempus est aliquid motus secundùm prius, & posterius, vt probatum est: & manifestum est, quòd omnis motus est mensurabilis tempore, vel secundùm totum, vt si motus sit finitus, vel secundùm partem, vt si motus sit infinitus: ideò patet, quòd tempus est mensura motus secundùm prius, & posterius. Sed dubitatur, quare Aristoteles non definit tempus per mensuram, sed per numerum? Respondetur, quòd causa est, quia solemus communiter mensurare alios motus per motum corporis cælestis; & hoc non potest esse secundùm totum motum eius, & secundùm aliquam partem, cui motus mensuratos æquamus, vel proportionamus; & ideò in definitione temporis ponitur numerus, & non mensura.

17. *Non ergo motus.* Infert corollarium, quòd tempus non est motus, sed numerus motus; & debet intelligi, quòd ista non est definitio temporis, tempus est motus; & videtur hoc explicare in particula sequenti, quãdo dicit, *sed est motus secundùm numerum*, id est, est motus secundùm quòd motus est numerus, vel mensura alterius motus. *Tempus non est motus, sed numerus motus.*

Text. 102. *Signum 5 autem.* Hîc declarat definitionem, videlicet, quòd tempus debeat esse motus, signum est, quòd sicut numerus dicitur multus, vel paucus, ita tempore cognoscimus motum esse maiorem, vel minorem. Et tunc ad ostendendum qualis numerus est tempus, distinguit quòd duplex est numerus; quidam est numerus numeratus, & alius numerus, quo numeramus; & ille quo numeramus, accipitur aliquando solùm pro actu animæ, & aliquando pro re numerata, mediante qua mensuramus aliam rem, connotando cum hoc actum animæ: modò tempus est talis numerus numeratus per animam, mediante quo mensuramus alia, id est, alios motus. *Numerus est duplex.*

Text. 103. *Et vt 6 motus semper.* Hîc soluit rationes adductas in alio capitulo ad probandum *nunc*, & tempus non esse; & primò soluit illas de tempore. Secundò, illas de *nunc*, ibi: *Ipsum autem nunc.* Vnde in alio capitulo factæ fuerunt duæ rationes ad probandum tempus non esse, quarum prima erat: illud totum non est, cuius partes non sunt, &c. & secunda, illud totum diuisibile, quod habet aliquas partes non est, nisi illæ partes sint, &c. Respondetur negando maiorem vtriusque; quia [f] sicut motus consistit in hoc, quòd semper est aliud, & aliud ipsius motus, ita etiam *esse* temporis consistit in hoc, quòd continuè est alia & alia pars temporis; & qualiter hoc debeat intelligi, tenendo quòd motus sit mobile, videbitur in quæstione de motu locali.

18. Text. 104. *Ipsum 7 autem nunc.* Hîc soluit rationes, quæ probant *nunc* non esse, & ponit duas conclusiones. Secunda ibi: *Sequitur enim vt dictum est.* Prima conclusio est, quòd *nunc* aliquo modo manet idem per totum tempus, quia secundùm quod *nunc* est ipsum mobile, secundùm hoc manet idem. Secunda conclusio est, quòd *nunc* secundùm rationem non manet idem, id est, secundùm denominationem extrinsecam.

Sequitur enim vt dictum est. Hîc probat dictas conclusiones: [g] quia sicut se habet mobile ad motum, ita *nunc* ad tempus; sed mobile manet idem per totum tempus secundùm rem, & est continuè aliud, & aliud secundùm extrinsecam denominationem: igitur similiter *nunc* manet idem per totum tempus secundùm rem, & est continuè aliud, & aliud, secundùm extrinsecam denominationem. *Vide contradictionem Zimaræ.* Maior patet: quia sicut per mobile cognoscimus prius, & posterius in motu, ita per *nunc* cognoscimus prius, & posterius in tempore. Minor etiam patet, quia denominatione extrinsecâ,

Cotiscus

Coriſcus denominatur alter, quandu eſt in theatro, & alter quando eſt in foro, & ideò ita ſimiliter mobile, quod dicitur *nunc*, manet idem per totum tempus, ſed continuè dicitur aliud, & aliud extrinſecà denominatione.

ANNOTATIONES.

19. *Tempus cognoſcimus per motum, & è conuerſo.*

[a] *TEmpus non poteſt percipi ſine motu.* Nota quòd non ſolùm tempus per motum cognoſcimus, verùm & è conuerſo per tempus motum cognoſcimus. Quemadmodum enim qui aliqua dulci contemplatione, aut ſtudio delectatur, eo quòd non ſentit laborem motus, non cognoſcit quantum tempus ſtuduit: ita è contrario infirmi, qui grauiter ferunt motum febris, putant maius tempus tranſiſſe, quàm tranſiuit, & ideò neutri benè iudicant tempus per motum, ſed vtrique è contrario per tempus cognoſcunt quantum motum paſſi ſunt; vt cùm hora pulſat, qui dulciter ſtudet, intelligit plus ſtuduiſſe, quàm putarat; & febricitans minorem motum febris tranſiſſe, quàm crediderat: atque adeò, cùm adeò ſint coniuncta tempus, & motus, vel tempus erit motus, vel aliquid eius, & cùm non ſit motus, nempe formaliter, ſequitur vt ſit aliquid eius, nimirum aut pars, aut paſſio eius.

Continuorũ tria ſunt genera.

[b] *Tam magnitudo, quàm motus, quàm tempus ſunt continua.* Nota quòd tria ſunt continuorum genera, ſcilicet magnitudo, motus, & tempus; verùm ſicut continuitas magnitudinis eſt cauſa continuitatis motus, ita continuitas motus eſt cauſa continuitatis temporis. verbi gratia: motus non eſt niſi tranſitus ab vno termino in alium, & ideò motus ſequitur magnitudinem, id eſt, ex eo, quòd mobile attingit priorem partem ſpacij, nempe ſibi propinquiorem, quàm poſteriorem illi continuam, motus ipſe habet partes continuas; & quia motus eſt continuus, & tempus eſt continuum, nam quantus eſt motus, tantum eſt tempus. Primò ergo conuenit continuitas magnitudini; ſecundò, motui, tertiò, tempori.

20. *Prius & poſterius ſunt primò in magnitudine, deinde in motu, poſtremò in tempore.*

[c] *In tempore eſt prius, & poſterius.* Nota quòd ſicut non aliunde eſt actio continua, niſi quia magnitudo eſt continua, & quia actio eſt continua; aggregatum ex priori, & poſteriori, in quo ratio temporis conſiſtit, eſt etiam continuum; ita prius & poſterius in loco, per quem mobile mouetur, eſt cauſa prioris & poſterioris in motu, & prius & poſterius in motu eſt cauſa prioris, & poſterioris in tempore; ita vt prius & poſterius reperiantur primò in magnitudine; ſecundò in motu, & tertiò in tempore: eſt tamen prius & poſterius in magnitudine per quam mobile mouetur ſecundùm poſitionem & ſitum partium. In magnitudine enim, quam habes ante pedes iacentem, prius & poſterius accipitur reſpectu tui; vt quod tibi eſt propinquius ſit prius, quod verò magis diſtat, ſit poſterius. In motu verò, quia non eſt res permanens, non eſt per ſe prius, & poſterius, poſitione; ſed per reſpectum ad magnitudinem, vt illa pars motus ſit prior, quâ tranſitur prima pars magnitudinis; & illa poſterior, quâ tranſitur poſterior; in tempore autem eſt prius & poſterius propterea, quia alterum ſequitur alterum, id eſt, quia tempus inſequitur motum, & è conuerſo.

[d] *Notandum circa hoc*, &c. Nota quòd Scotus dat hic modum ſuſtinendi opinionem Nominalium affirmantium tempus, & motum idem eſſe quod mobile, quam tamen in libris Sententiarum ſequitur, vt diximus ſupra.

[e] *Si non percipiatur prius & poſterius, non percipietur tempus.* Nota quòd Themiſtius & Philoponus in hunc textum dicunt, quòd dupliciter cognoſcimus tempus; ſcilicet aut cognoſcendo duo *nunc* tanquam extrema vnius ſucceſſionis; aut cognoſcendo vnum *nunc* tanquam terminum prioris, & initium poſterioris; nam etiam iſto modo cognoſcimus tempus, vtpote præteritum, & futurum, adeò quòd ſenſus litteræ eſt, quòd ſi non cognoſcamus vel medium inter duo *nunc*, vel vnum *nunc* tanquam continuatiuum prioris, & poſterioris, non cognoſcimus tempus; ſi tamen cognoſcamus vel medium inter duo *nunc*, vel duo extrema eiuſdem ſucceſſionis, tunc cognoſcimus tempus. Cæterùm, ſi ſentiamus ſolùm *nunc* præſens abſolutè, non conſiderando, quòd eſt terminus præteriti, & initium futuri, non cognoſcimus tempus. 21.

[f] *Quia ſicut motus conſiſtit in hoc*, &c. Nota quòd *eſſe* temporis non eſt ſecundùm permanentiam partium eius ſimul, ſed eſſe eius conſiſtit in eſſendo aliud poſt aliud: nam, vt dictum eſt, *eſſe* temporis ſequitur *eſſe* motus, tam ſecundùm continuitatem, quàm ſecundùm prioritatem, & poſterioritatem; *eſſe* autem motus & ſpecialiter motus localis, non eſt ſecundùm permanentiam partium ſimul, ſed in eſſe aliud poſt aliud; non eſt tamen totaliter ſimile de motu, & tempore: eſt enim differentia in hoc, quòd apud diuerſa mota non eſt idem motus, ſed benè idem tempus.

22. *Nunc idem quomodo ſit in toto tempore.*

[g] *Sicut ſe habet mobile ad motum*, &c. Nota quòd ſiue quantitas & punctum diſtinguantur à re quanta, ſiue non, imaginandum eſt, quòd ſi punctus trahatur per aliquam planiciem, veſtigium eius eſt linea: & ideò ad imaginationem ex puncto eodem numero indiuiſibili fit magnitudo. Et quia continuitas motus reſultat ex continuitate magnitudinis, per quam res mouetur, ex priori, & poſteriori in magnitudine cognoſcimus prius, & poſterius in motu; eſtò ergo quòd id, quod mouetur, quod fingitur eſſe punctum, ſit lapis; cognoſcimus tunc prius, & poſterius in motu, propterea quòd eadem res aliter, & aliter ſe habet in diuerſis partibus ſpacij: vt exiſtentia mobilis in priori parte ſpacij ſit prius in motu, exiſtentia verò in poſteriori parte ſit poſterius. Illud autem prius, & poſterius in ſucceſſione motus eſt tempus: atque adeò ſicut punctum vnum fluens facit magnitudinem, ita ad imaginationem, vnum *nunc*, puta vna eademque exiſtentia mobilis, quatenus fluens ſecundùm prius, & poſterius, facit tempus. Sicut ergo tempus ſequitur motum, ita *nunc* ſequitur mobile: & ſicut ipſo *nunc* diſtinguimus præteritum à futuro, ita ipſo mobili diſtinguimus ſpacium pertranſitum à tranſeundo. Vnde ſpacium, quod eſt à principio ſui vſque ad mobile, dicimus eſſe pertranſitum, & quod eſt à mobili vſque ad finem, eſſe pertranſeundum. Vnde conſtat, quòd ſicut per totum motum ipſum mobile, ſiue illud, quod mouetur eſt idem, differens ſolùm ſecundùm *eſſe*, ſcilicet, ſecundùm quod ipſum eſt in alio, & alio ſitu; ita eſt idem *nunc* in toto tempore ſecundùm ſubſtantiam; diuerſum autem ſecundùm

ſecundùm *eſſe*, quod quomodo debeat intelligi, eaplicandum eſt.

23. *Nunc eſt minimæ entitatis.* Vnde obſeruandum eſt primò, quòd *nunc* eſt minimæ entitatis, & non permanens, ideò cum ſumma difficultate pôteſt manifeſtari quid ſit;& an vnum, vel plura, niſi comparetor ad aliquod iodiuiſibile permanens.puta,ad punctum, vel ad mobile:& propter huiuſmodi difficultatem Philoſophus *in hoc* 4.*text*.121.loquitur proportionaliter de puncto,& inſtanti.

Secundò obſeruandum eſt, quòd inſtans (vt docet Ioan. Can.4. *Phyſic. quæſt*.6. *artic*.3. *dub*.1.) quantum ad *quid nominis* vno modo dicitur idem quod non ſtaos; ideò dicitur de aliquo homine, quod eſt inſtabilis. Alio modo idem eſt, quod imminens vel appropinquans, vode dicitur de aliquo feſto, quod imminet, vel appropinquat, vel inſtat; & vtroque modo accipitur inſtans: eſt enim primo modo non ſtans, ſed raptim tranſiens, & eſt ſecundo modo imminens, vel appropinquans, quia de tempore non habemus niſi *nunc*.

Tertiò obſeruandum eſt, quòd ſicut ſe habet punctum in lioea,& *mutatum eſſe* in motu, ita inſtans in tempore; horum autem quodlibet habet eſſe reale.incompletum tamen.

Quartò obſeruandum eſt, quòd inter inſtans & inſtans debet tempus mediare: ratio eſt, quia duo inſtantia cùm ſint indiuiſibilia, non faciunt extenſionem: nec vnum inſtans additum inſtanti facit illud maius, ſicut punctum in linea alteri additum,non extendit lioeam,aut facit illam maiorem; vnde ſicut inter quælibet duo puncta io linea datur linea, ita inter quælibet duo inſtantia,datur tempus.

24. *Inſtans quid ſit.* Quintò obſeruandum eſt, quòd *inſtans eſt quædam mora indiuiſibilis partes temporis continuans inter ſeſe*: idem enim inſtans eſt huius horæ finis, & ſequentis principium, ita Ariſtoteles *in hoc* 4. & probatur, inſtans eſt aliquid temporis; ergo aliqua mora: ſed non eſtenſa, quia non eſt tempus; ergo indiuiſibilis. Et quòd ſit continuans partes temporis, patet: quia ſicut ſe habet punctum in linea.ita inſtans in tempore; ſed punctum continuat partes lineæ; ergo & inſtans partes temporis.

Inſtans non eſt pars temporis. Sextò obſeruandum eſt, quòd inſtans non eſt pars temporis: quia ſicut ſe habet *mutatum eſſe* in motu,& punctum in linea, ita inſtans io tempore; ſed *mutatum eſſe* non eſt pars motus, nec punctum eſt pars lineæ; ergo oec inſtans eſt pars temporis: ergo motus eſt pars motus,& linea pars lineæ: & ſimiliter tempus pars temporis. Nam linea addita parti lineæ, facit maiorem lineam,& pars motus addita parti motus,facit maiorem motum,& temporis pars parti temporis addita maius tempus conſtituit; ſed *mutatum eſſe* additum alteri *mutato eſſe* non facit maiorem motum; & punctum alteri puncto additom non facit maiorem lineam; & ioſtans alteri inſtanti additum non facit maius tempus; ergo nec *mutatum eſſe* eſt pars motus, nec punctum eſt pars lineæ, neque inſtans eſt pars temporis; tuoc vltra motus additus motui, facit illum maiorem,& linea addita lineæ illam extendit; & ſi-

25. *Opinio Nominalium quomodo idem nunc eſt in toto tempore.* militer tempus tempori additum: ergo & motus eſt pars motus, & lioea lineæ,& tempus temporis eſt pars.

His obſeruatis, quidam dicunt, quòd ſicut motus non importat niſi mobile, & tempus importat motum, ita hoc nomen *inſtans*,ſiue hoc aduerbium *nunc*, non importat aliquam rem diſtinctam ſecundùm ſe totam ab ipſo mobili; hoc tamen oon obſtante, ipſi mobili conueniunt diuerſæ intentiones,ſiue diuerſa prædicata; & hoc eſt quod dicit hic Philoſophus, *nunc* eſſe idem ſecundùm *eſſe*, & diuerſum ſecundùm rationem: hæc eſt opinio Nominalium, quam hîc defendit Scotus. Cæterùm,hæc ſententia eſt contra Philoſophum & Commentatorem eius. *Opinio Nominalium rejicitur.* Tum quia dicit Ariſtoteles motum eſſe actum mobilis, & eſſe in mobili ſicut in ſubiecto; & ſimiliter motum *eſſe* mobilis paſſionem, & contradicit Commentatori 3. *Phyſic. comment*.3. vbi dicit, quòd motus eſt actio motoris in motore, & non habet eſſe niſi io moto.Tom qoia contradicit Philoſopbo in textu præſenti; vbi dicit, quòd ſicut motus ſemper eſt alius, & alius, ſic & tempus. Vbi expreſsè vult, quòd tempus & motus ſunt ſucceſſiua, & continua; non ſunt ergo res permanentes,ſicut illi ſinguot, & Commentator dicit, quòd partes temporis veniunt quædam poſt alias,& non ſimul ſunt;ſicut eſt diſpoſitio in partibus motus: quoniam quædam inueoiuntur poſt alias: non ſunt ergo res permanentes. Quòd etiam ſit falſum, quòd ioſtans non ſit niſi mobile, ex eo apparet: quia ſecundùm Philoſophum,inſtans eſt numerus eius, quod fertur, id eſt, ipſius mobilis; ſed mobile non eſt oumerus ſui ipſius.Item,dicit Ariſtoteles quòd inſtans continuat partes temporis, & diſcootinuat; ita vt ſit ibi continuatio partium temporis, & diuiſio; ſed iſta non conueniuot mobili.Similiter dicit Philoſophus quòd non contingit vti vno *nunc* pro duobus: quia *nunc* non permanet, ſed ſi *nunc* eſſet ipſum mobile,ſequeretur quòd nunc permaneret,& poſſemus vti voo *nunc* pro duobus. Scotus etiam *in ſecundo diſt*.2.*quæſt*.3. oppoſitum ſentit,vt ſtatim videbimos.

Aureolus *in* 2. *ſentent. diſt*.2. dicit, quòd cùm tempus oon habeat eſſe præter animam, imaginatur Ariſtoteles continuationem temporis eſſe ab aoima, eo modo quo imaginatur Mathematicus punctum per fluxum ſuum caoſare lineam; nam ſicut apud Mathematicos punctum fluens cauſat lineam, ſic quòd idem punctus ſecundùm ſubſtantiam manet idem in toto fluxu, & ſolùm variatur ſecundùm *eſſe*, prout intelligitur eſſe in alio,& alio ſitu: ita nunc fluens cauſat tempus, & eſt idem in toto fluxu ſecundùm ſubſtantiam, differens ſecundùm *eſſe*.Nam ſicut Mathematicus volens imagioari lioeam rectam, imaginatur fluxum vnius puncti in rectum: & volens imaginari lineam circularem, apprehendit fluxum puncti circularem; ſic ſecundùm Ariſtotelem eſt de inſtanti: quoniam ſi velim facere tempus præteritum in actu, imaginabor *nunc* fluere vſque ad iſtum præſens ſignatum:& ſi velim facere tempus futurum in actu, imaginabor quoddam indiuiſibile fluere ab iſto *mutato eſſe* ſemper in poſterius, ille fluxus eſt ipſum tempus. 26.

Opinio Aureol. improbatur. Sed hæc poſitio ſtare non poteſt: dicit enim tria falſa. Primum, quòd tempus ſit ab anima: hoc enim præterquam quòd contradicit Ariſtoteli *in hoc* 4. *text*.108. vt probant ſubtiliter Albertus de Saxonia, & Ioan. Canon.4. *Phyſic. quæſt*.6. eſt etiam articulus excommunicatus Pariſiis ab Epiſcopo Pariſienſi, & à tota vniuerſitate, & ponitur ſub 94. errore. Secundum falſum eſt,

quòd

quòd instans fluat, quia indiuisibile non potest fluere, nec moueri, vt patet 6. Physic. text. 86. & inde: & imaginationem Mathematicorum credo esse falsam, nec Aristoteles in hoc 4. loquitur de mente sua; sed fortè hoc dixit iuxta opinionem Mathematicorum. Tertium etiam falsum est, quòd instans per fluxum causat tempus, quia quod est terminus rei, non potest esse causa eius; instans est terminus temporis; ergo, &c.

17. Ægidius in 4. Physic. in expositione text. 104. quem sequitur Tartaretus 4. Physic. 5. dicit quòd Philosoph. per instans secundùm substantiam intellexit mobile: & certum est, quòd primum mobile manet idem in toto tempore. Et appellat primum mobile instans extrinsecum, quia primum mobile motu suo, & suo fluxu causat tempus. Per instans verò secundùm esse, intellexit indiuisibile in tempore, quod indiuisibile continuat partes temporis ad inuicem: & tale instans non manet idem in toto tempore, sed plura debent esse in tempore huiusmodi indiuisibilia. Hanc opinionem explicans Sotus 4. Physic. quæstione 4. vltima dubitatione principali, inquit, quòd planus sensus Aristotelis est, quòd quemadmodum punctum motum per aliquam planiciem à Mathematicis fingitur facere lineam, ita existentia mobilis continuò fluens per omnes morulas, quas mobile facit in spatio, intelligitur facere tempus. Itaque ipsamet existentia mobilis, quæ in se considerata realiter est vna, & eadem numero, considerata vt in diuersis morulis est, & dicitur plura instantia solà ratione diuersa: igitur si teneatur, tempus esse accidens numero distinctum à mobili, & motu, solùm sunt ponenda infinita instantia numero distincta, quæ continent partes temporis, & instans permanens solùm appellanda est existentia mobilis, non quòd continuet partes temporis, sed quòd suo fluxu ad imaginationem intelligitur facere tempus. Addit tamen ipse, quòd si tempus (vt ipse opinatur, & defendit 3. Physic. quæst. 2.) non distinguitur numero à motu, & mobili, sed solùm ad hunc sensum realiter, quod est res alterius Prædicamenti à mobili, quam vocat distinctionem formalem, & quiditatiuam; tunc non est opus ponere infinita instantia numero distincta; sed ipsamet existentia mobilis sub illa ratione, quâ *nunc* est in aliqua morula, & momento, in qua immediatè ante hoc non fuit, nec immediatè post hoc erit, est *nunc* indiuisibile præsens, atque illa ratio primi mobilis, quæ nunquam perseuerat in eodem loco, & motula, sed semper succedit, ac fluit à præterito in præsens, & à præsenti in futurum, est tempus.

28. Et hic (inquit) est planus sensus verborum Aristotelis in text. 104. quòd ipsum *nunc* sequitur id, quod fertur, vt tempus motum, id est, quemadmodum tempus se habet ad motum, ita *nunc* ad mobile, quod est dicere, quemadmodum mobile vnum & idem, illà ratione, quà est successiuè, & continuè in alia parte spatij, quæ sunt positiune, & situ priores, & posteriores, habet rationem motus; ita existentia ipsius mobilis vna & eadem in alio momento, & morula, quæ sunt priores, & posteriores duratiune, & ordine præteriti, & futuri, est *nunc*, ex cuius fluxu fit tempus.

Ianellus 4. Physic. quæst. 15. alio modo respondet, quem dicendi modum tangit etiam Burleus 4. Physic. in expositione text. 107. Isti dicunt primò, quòd duplex est instans in tempore, scilicet extrinsecum; & intrinsecum: extrinsecum est, quod suo fluxu imaginario causat tempus, sicut apud Geometram punctus extrinsecus causat lineam, & hoc instans extrinsecum non est pars temporis, nec terminus, nec continuans tempus: instans autem intrinsecum est illud, quod terminat, continuat, & diuidit tempus, & est de intrinseca ratione temporis. Secundò dicunt, quòd mobile, vt est sub motu, potest bifariam considerari. Primò, quoad substantiam, vel quoad suum esse substantiale præcisè. Secundò quoad esse accidentale, quod sibi accidit, quatenus est sub motu, prout aliter, & aliter se habet in toto motu, vt, verbi gratiâ, in prima parte motus, est in hoc *vbi*, & in alia parte in alio *vbi*. Si mobile consideretur primo modo, sic est vnum, & idem in toto motu, nam motus habet vnitatem ab vnitate mobilis, vt dicitur quinto Physic. at si consideretur secundo modo, sic est diuersa, & accidentaliter plura, secundùm illa diuersa esse sibi accidentalia, quæ solemus appellare momenta, vel mutata esse.

Mobile vt est sub motu bifariam considerari potest.

Tertiò, dicunt quòd illud instans extrinsecum temporis non est substantia primi mobilis, nec pura negatio, vt aliqui opinantur: sed est vnitas de genere Quantitatis ipsius mobilis, non secundùm substantiam immediatè, & simpliciter, sed vnitas mobilis accidentalis prout est sub forma, secundùm quam est motus, puta sub *vbi* fluente. Instantia autem intrinseca sunt diuersa esse instantis extrinseci, quia sicut se habent *mutata esse* ad ipsum mobile, ita instantia intrinseca ad extrinsecum; sed *mutata esse* sunt diuersa esse, quæ accidunt mobili, vt aliter, & aliter se habet in motu; ita & instantia intrinseca sunt diuersa esse instantis extrinseci, prout suo fluxu imaginario causat tempus. 29.

Ex his dicunt ad difficultatem, quòd si fiat sermo de instanti extrinseco, sic est tantùm vnum secundùm substantiam in toto tempore; si autem loquamur de instanti intrinseco terminante, & continuante tempus, sic non est vnum tantùm; sed plura realiter, duo quidem realiter terminantia omnem signatam temporis partem: verbi gratiâ, in vna hora est primum, & vltimum instans; & alia sunt infinita in potentia, prout hora est diuisibilis in partes infinitas.

Iandunus 4. Physic. quæstione 21. alio modo. 30. Imaginatus est esse vnum instans secundùm substantiam in toto tempore, & diuersum secundùm esse. Dicit namque quòd mobile bifariam considerari potest, vno modo secundùm se, alio modo quantum ad suum *mutatum esse*. Mobilis secundùm se sumpti est aliqua mensura, quæ non potest esse tempus, quia tempus est mensura motus. Vnde relinquitur, quòd illa mensura sit instans secundùm substantiam, & per instans secundùm substantiam intelligit mensuram mobilis secundùm se; & per instans secundùm esse intelligit *mutatum esse* ipsius mobilis secundùm actum: sicut enim idem fluxus realiter est motus, & tempus; sic vnum & idem indiuisibile est terminus motus, & temporis. Vnde *mutatum esse* actu existens in mobili, dum mouetur est idem quod instans secundùm esse: sed dicitur instans in habitudine ad tempus, & in habitudine ad motum, *mutatum esse*. Et subdit, quòd mobilis est duplex esse. Vnum est *esse* primum, & substantiale, & aliud est *esse* accidentale;

Mobilis est duplex esse.

modò constat, quòd mobile per totum manet vnum, & idem secundùm *esse* substantiale primum, sed non manet vnum, & idem secundùm *esse* accidentale: immò diuersificatur secundùm talia *esse*. Sic etiam ipsum instans habet vnum *esse* substantiale, & aliud esse accidentale; *esse* quidem substantiale ipsius instantis secundùm substantiam, est ipsum esse id, quod est mensura ipsius mobilis secundùm se: *esse* verò accidentale, est mutatum esse hoc, vel illud, vel aliquid huiusmodi. Ita vt secundùm istum virum idem instans quatenus est mensura mobilis, secundùm esse mobilis substantiale manet idem secundùm substantiam in toto tempore, sicut substantiale esse mobilis idem manet in toto motu; sed non manet idem secundùm *esse*, quoniam cùm diuersa sint *esse* accidentalia mobilis, hoc est, diuersa *mutata esse*; sunt etiam diuersa instantia secundùm *esse*. Istæ opiniones præter quam, quòd multa falsa dicunt, quæ non est hîc locus impugnandi, non saluant quomodo idem *nunc* sit idem secundùm substantiam, & diuersum secundùm *esse*, vt vult hîc Aristoteles.

31. Ideò Burleus loco suprà relato induxit alios tres dicendi modos. Primus est, quòd idem instans numero manet realiter] in omni differentia temporis successiuè, quoniam illud idem instans, quod priùs fuit futurum, postea est præsens, & deinde est præteritum; atque ita instans manet idem secundùm substantiam in omni differentia temporis; sed variatur secundùm *esse*, quia aliud *esse* habet, cùm est futurum, quia tunc habet *esse* in potentia, & aliud *esse* cùm est præsens; quia tunc habet *esse* in actu, & aliud *esse* habet cùm est præteritum. Hic modus dicendi potest sic explicari, quòd sicut motus est alius, & alius secundùm prius & posterius; & tamen est idem secundùm omnes suas partes; ita instans est aliud, & aliud secundùm prius, & posterius; est tamen idem secundùm se totum, id est, quòd instans, vt est in alio, & alio tempore, scilicet in præterito, vel futuro, est diuersum; manet tamen semper idem in toto tempore sublatâ consideratione prioris, & posterioris.

32. Secundus modus dicendi est, quòd idem Instans manet idem secundùm substantiam, id est, secundùm subiectum: quia omnia instantia temporis sunt in eodem subiecto successiuè; sed tamen instans variatur secundùm *esse*, hoc est in entitate: quia vnū instans non est idem ens, quod aliud instans, quamuis succedat sibi in eodem subiecto. Et potest hic modus dicendi ita explicari, scilicet quòd in tempore sunt plura instantia formalia; realiter tamen, & subiectiuè est vnicum instans in toto tempore: nam sicut in motu sunt plura *mutata esse* formalia: quia aliud *mutatum esse* est, quo nunc moueor, & aliud quo postea mouebor, ita in tempore aliud instans formaliter est, quo nunc dicor esse in tempore, & aliud, quo postea; ergo formaliter in tempore sunt plura instantia. Tunc vltrà, sicut in motu est vnum *mutatum esse* ratione subiecti, quia illud aliud, & aliud *mutatum esse* habet idem subiectum; ita in tempore, quamuis primum *nunc*, siue instans sit formaliter diuersum ab alio *nunc*, subiectiuè tamen, id est, ratione subiecti, sunt vnum *nunc* realiter: & ratio est, quia sicut in tempore sunt multæ partes, & tamen tempus est vnum ratione motus; ita instantia formaliter sunt plura, ratione tamen subiecti vnum.

Tertius modus dicendi est, quòd sicut punctum ductum per planum facit lineam, ita instans, quod dicitur primum *nunc* in tempore, ductum facit tempus: est tamen aliud, & aliud, vt est prius, & posterius, præteritum, & futurum: & hic modus dicendi est modus Aureoli, quem suprà improbauimus.

Ioannes de Magistris 4. Physic. quæst. 7. art. 1. in primo sciendum, difficultate quinta, supponit duo. Primum, quòd quælibet pars temporis componitur ex duabus partibus, inter quas est vnum instans reale, realiter continuans illas partes ad inuicem, quia quælibet pars temporis est tempus. Secundò supponit, quòd in distinctis partibus temporis sunt instantia realiter, & entitatiuè distincta. Patet, quia instantia corrumpuntur ad corruptionem partium in quibus sunt; sed vna pars temporis potest corrumpi aliâ non corruptâ: ergo vnum instans potest corrumpi alio non corrupto; & per consequens distinguitur realiter. Dicit insuper, quòd totum potest bifariam sumi. Primò, categorematicè, & valet tantum sicut perfectum. Secundò syncategorematicè, & valet idem, quod quælibet pars. Ex his tria dicit ad difficultatem; primum, quòd ista est vera: *In toto tempore est vnum, & idem instans realiter, & entitatiue*: accipiendo *totum* syncategorematicè. Patet, quia illa æquipollet huic vniuersali, *in qualibet parte temporis est vnum, & idem instans realiter, & entitatiuè continuans partes temporis*; cuius quælibet singularis est vera. Secundò, dicit quòd ista est falsa: *vnum & idem instans est in qualibet tempore*, quia ly *instans* supponit determinatè, modò nullum determinatum instans est in toto tempore. Tertiò, dicit quòd vtraque illarum est falsa, accipiendo *totum* categorematicè; nam sensus esset, quòd in vno tempore, quod est ens completum, & perfectum, non est nisi vnum instans, quod est falsum. 33.

Totum bifariam sumitur.

Bonetus 6. suæ Physicæ, cap. 1. dicit, quòd est idem *nunc* secundùm substantiam in toto tempore, accipiendo substantiam pro ratione definitiua, seu pro quiditate specifica, diuersum tamen secundùm esse, id est, secundùm singularia, & indiuisibilia.

Scotus verò In 2. sentent. dist. 2. quæst. 2. sub litt. *D*. §. Ad Philosoph. dico, dicit quòd, considerando quodcunque *nunc* in tempore, illud potest considerari, vel secundùm se, id est, quantum ad suam entitatem, & rationem formalem; & sic non comparando ipsum, nec ad futurum, nec ad præteritum est vnum in se, secundùm substantiam, nec à se ipso diuersum secundùm entitatem: si verò comparetur idem *nunc* ad præteritum, & futurum, sic diuersificatur secundùm diuersa *esse*, quia vt sic dicitur finis præteriti, & principium futuri. Hoc declaratur per simile ad mobile existens sub mutatione; nam mobile existens sub mutatione (si absolutè consideretur, non comparando ipsum ad aliquid aliud) est vtique in aliquo ibi acquisito per motum localem, & est vnum secundùm substantiam, sine quacunque distinctione. Si verò comparetur ad præteritum motum, & ad futurum dicitur esse in priori, & posteriori *vbi*, atque ita alibi, & alibi: & ratio est quia, *mutari* est aliquid vtriusque extremi, nam quod mouetur est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: extrema autem sunt præteritum *vbi*, & futurum *vbi*, per respectum ad *vbi* præsens, quo mobile 34.

esse

eſſe intelligitur;atque ita mobile ſecundùm ſubſtantiam dicitur eſſe diuerſum,ſeu aliud, & aliud ſecundùm diuerſa *eſſe*. Sicut ergo ſe habet mobile ad motum, ita inſtans ad tempus; ſed motus ideò eſt vnus, quia mobile vt eſt ſub motu, eſt vnum & idem, & non mutatur ſecundùm ſubſtantiam in aliud,& aliud mobile in quauis parte ſpatij, aliàs deficeret vnitas motus; ita ſi inſtans, vel *nunc* in tempore non eſſet idem ſecundùm rem, quod continuat partes temporis, præteritam ſcilicet cum futura, illáſque non diſtingueret, tempus non eſſet vnum: ergo ſicut mobile manet idem ſecundùm ſubſtantiam in toto motu, & differt ratione,vt eſt in hoc & illo *vbi*, atque ita facit vnum motum,quia *vbi* medium terminat motum ſecundùm *vbi* prius,& partes eius diſtinguit;ita temporis *nunc* idem manens ſecundùm ſubſtantiam per omne tempus, & differens tantùm ratione, vt eſt in hac, & illa parte temporis, facit vnum tempus, & diſtinguit partem præteritam à futura.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm tempus ſit numerus motus ſecundùm prius, & poſterius.

Ariſtot *cap.*13. *text.*102. Auerroës, Mayron,& interpretes *ibid.* Albertus *tract.*3 *cap* 6. D.Thom. *lect.*17. Canonic. 4. *Phyſic.quæſt* 5. *art* 1. Conimbr. *cap.*14 *quæſt.*1. Complut. *diſp* 21. *quæſt.*4. Ruuius *tract.*1. *de tempore qu.*1. Roccus *quæſt.*12.

1. ARGVITVR primò quod non; quia numerus eſt ab anima; ſed tempus non eſt ab anima; igitur tempus non eſt numerus. Maior patet per Ariſtotelem In iſto 4. text. 131. vbi ponit quòd ſi numerans non eſt, numerus non eſt. Et minor probatur, quia tempus eſt motus cœli, qui nullo modo dependet ab anima.

Secundò, quia tempus eſt quantitas continua; ſed omnis numerus eſt quantitas diſcreta; Igitur tempus non eſt numerus. Et tenet conſequentia, quia aliter quantitas continua, eſſet quantitas diſcreta.

Tertiò, quia omne tempus eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia: ſed numerus non eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia, immò in indiuiſibilia, ſcilicet in vnitates: igitur tempus non eſt numerus.

Quartò, aliquod tempus eſt infinitum, vt patet 8. huius, text.11. ſed nullus numerus eſt infinitus, vt probatum eſt in tertio; igitur nullum tempus eſt numerus.

Quintò, ſequeretur quòd par, & impar eſſent paſſiones tẽporis,& prius,& poſterius eſſent paſſiones numeri. Conſequens eſt falſum, quia nos non dicimus tempus eſt par, vel impar, ſed æquale, vel inæquale: & patet conſequentia ex quo tempus, & numerus ſunt idem.

Sextò, vel tempus eſt numerus numeratus, vel numerus, quo numeramus; non numerus, quo numeramus, quia ille eſt actus animæ: modò cùm tempus ſit motus cœli, non eſt actus animæ, nec numerus numeratus, quia dicit Commentator, com.20. quòd numerus eſt comprehenſio numerati motus; modò huiuſmodi comprehenſio non eſt aliud, quàm numerus, quo numeramus.

2. Septimò, contra illam particulam, *ſecundùm prius,& poſterius*: quia partes quantatiuæ non debent poni in definitione totius; ſed prius,& poſterius ſunt partes quantitatiuæ temporis: ideò non debent poni in definitione temporis. Maior patet 7. Metaph. text.33. & inde. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto 4.

In quæſtione, propter primam rationem, primò videbitur qualiter tempus & numerus dicuntur eſſe ab anima. Secundò videbitur de quæſito. Quantum ad primum, notandum, quòd iſte terminus *numerus* ſupponit pro multitudine connotando ipſam eſſe numerabilem ab anima. Similiter iſte terminus *tempus* ſupponit pro motu, connotando motum eſſe menſuram durationis ſucceſſiuæ, ſcilicet connotando animam numerare motum ſecundùm prius, & poſterius, & per motum ſic numeratum menſurare aliquam durationem ſucceſſiuam. Vnde iſti termini *numerus*, & *tempus* non connotant actum animæ: quia iſte terminus non connotat, quòd multitudo pro qua ſupponit, ſit actu numerata, ſed quòd ſit numerabilis. Similiter iſte terminus *tempus* non connotat motum eſſe actu menſuratum, ſed quòd ſit menſurabilis ab anima; & ideò dicit Ariſtoteles 4. huius, text. 131. quòd ſi nulla eſſet anima, adhuc benè eſſet tempus; ſed ſi nulla poteſt eſſe anima, nullum poteſt eſſe tempus; innuens quòd numerus notat menſurabilitatem, & non actum menſuratum.

Ex quibus ſequitur, quòd, quando dicitur tempus dependere ab [a] anima, non intelligitur, quòd illa res, quæ eſt tempus, aliquo modo dependeat anima noſtra, ſed quòd iſte terminus *tempus* connotat actum animæ: quia ſupponit pro motu, connotando animam poſſe per ipſum ſucceſſiuam durationem menſurare. 3. *Tempus quomodo dependeat ab anima.*

Secundò, ſequitur quòd nunquam percipitur tempus ſine adiutorio [b] virtutis interioris. Patet, quia nunquam percipitur tempus, niſi anima conſideret prius, & poſterius in motu, ſcilicet primò aliud, & poſtea aliud: modò hoc non poteſt facere anima ſine virtute memoratiua, nec etiam ſine cogitatiua. *Tempus non percipitur ſine ſenſu interiori.*

Tertiò, ſequitur quòd ſi eſſet aliquod animal ita imperfectum, quod non haberet aliquo modo virtutem memoratiuam, illud animal non poſſet percipere tempus, aut motum, tunc quantum ad longitudinem, & breuitatem, quas anima percipit in tempore diuerſimodè propter diuerſas paſſiones animæ, ſunt duæ concluſiones.

Prima concluſio eſt iſta, quòd propter delectationem, & vniformitatem imaginationis, anima iudicat tempus eſſe breuius. Et cauſa huius eſt: quia quanto eſt maior delectatio, tanto maior eſt quietatio imaginationis, & propter maiorem quietationem minùs percipitur ſucceſſio. Secundò, quia nunquam percipimr tempus niſi percipiatur motus imaginationis, vt declarat Ariſtoteles de dormientibus: igitur quanto minùs percipitur motus imaginationis, breuius apparebit tempus. *Delectatio facit animã iudicare tẽpus eſſe breuius.*

Ex quo ſequitur, quòd, cùm anima exiſtens in delectatione iudicat tempus eſſe breuius, & non iudicat ſpatium pertranſitum eſſe minus, ſequitur quòd iudicat motum, quo ſpatium pertranſitur, eſſe velocitatum. 4.

Secundò, ſequitur quòd motus vniformis poteſt apparere alicui difformis, & continuè velocitari propter ſolum motum delectationis.

Tertiò, ſequitur quòd, cùm habens maiorem delectationem iudicet tempus eſſe breuius, &

& motum velociorem; sequitur, quòd qui haberet infinitam delectationem, quòd iudicaret motum fieri subitò; & hoc si cognosceret per eundem modum cognoscendi, quo nos cognoscimus. Et dico notabiliter istud propter Deum, qui licet infinitè delectetur, attamen non iudicat motum fieri subitò.

Tristitia facit animã iudicare tẽpus esse longius.

Secunda conclusio. Tristitia facit animam iudicare tempus esse longius: quia propter imaginationis inquietationem percipitur maior successio quàm sit in rei veritate.

Ex prædictis apparet, quòd tempus non dependet ab anima nostra, nisi solùm in quantum iste terminus, *tempus* connotat actum animæ. Secundò patet, qualiter tempus percipitur ab anima, quia mediante adiutorio virtutis interioris. Tertiò, qualiter tempus percipitur diuersimodè secundùm longitudinem, & breuitatem propter aliquas passiones animæ, scilicet propter delectationem, & tristitiam. Et hæc de primo.

5\.

Aliquid mensuratur aliquo dupliciter.

Quantum ad secundum, notandum primò de modo, quo mensuramus motum tempore; quòd aliquid mensuratur alio dupliciter. Vno modo, sicut totum mensuratur per partem suam, verbi gratiâ, per vlnam panni replicatam, sæpiùs mensuramus totum pannum, & sic tempus [c] mensuratur tempore, vt dies mensuratur per horam, mensis per diem, annus per mensem, licèt hoc non sit per replicationem eiusdem mensuræ, sicut est in magnitudinibus. Secundo modo mensuramus aliquid alio correspondenter: verbi gratiâ, per gradus cœli mensuramus spatium in terra; scilicet inquirendo quantum spatium in terra correspondet vni gradui cœli: & isto modo mensuramus motum per tempus: verbi gratiâ, si aliqua operatio duret per quatuor dies, & volumus scire quantum duret, consideramus quantum illius operationis correspondet vni parti temporis, vt vni diei: deinde quantum alteri parti correspondet, & sic consequenter de omnibus partibus temporis, quibus durat illa operatio, & tunc notâ quantitate partium temporis, iudicamus de quantitate durationis illius operationis.

Ex quo sequitur, quòd diuersimodè iudicamus, seu mensuramus longitudinem magnitudinis, & longitudinem temporis; quia in mensurando longitudinem magnitudinis, vt pannum, non aduertimus ad discretionem partium mensuræ, vt vlnæ, sed benè aduertimus ad discretionem mensurati, scilicet panni; sed in mensurando motum quantum durat, distinguimus inter partes mensuræ, scilicet temporis, inquirendo quantum ipsius motus correspondet cuilibet parti temporis.

6\.

Tempus dicitur numerus propter duas causas.

Secundò, notandum, & sequitur ex prædictis, quòd tempus notabiliter dicitur numerus propter duas causas. Prima causa est, quòd illa mensura conuenienter dicitur [d] numerus, secundùm quam in mensurando, exigitur discretio partium mensuræ; sed in mensurando motum tempore exigitur discretio partium temporis, vt declaratum est: igitur tempus est numerus. Secunda causa est, quòd motus cœli principaliter est tempus, vt patuit priùs: modò cùm infinitum tempus sit, vt patet 8. huius, text. 45. per totum illud tempus non potest mensurari motus paruus, & finitus: ideò oportet accipere aliquam partem illius temporis, per quam mensuremus motus mensurabiles, & finitos; & ideò ad denotandum huiusmodi discretionem conuenienter tempus dicitur esse numerus.

Numerus est triplex.

Tertiò, notandum ad videndum quis numerus sit tempus, quòd [e] triplex dicitur esse numerus. Quidam est actus animæ, quo numeramus. Alter qui est numerus quo numeramus tanquam instrumento, vt numero fabarum numeramus homines: & tertius est numerus numeratus, vt homines numerati per animam.

7\.

Tempus est numerus quo numeramus tanquam instrumento.

Tunc est prima conclusio, quòd tempus est numerus, quo numeramus tanquam instrumento. Probatur primò, quia tẽpus est numerus, vt patet ex præcedentibus per duas causas assignatas; aut igitur est numerus quo numeramus, aut numerus numeratus, sic quòd ipso non numeramus aliud: non secundo modo, quia tempore mensuramus motum: si primo modo, cùm tempus non sit actus animæ, quo numeramus, sequitur quòd tempus est numerus, quo numeramus tanquam instrumento.

Numerus numeratus est duplex.

Pro secunda conclusione notandum, quòd duplex est numerus numeratus. Quidam est [f] rerum indiuisibilium, vt Intelligentiarum. Alter est numerus rerum diuisibilium separatarum ab inuicem loco, vt numerus lapidum: sed tertius est rerum diuisibilium continuarum ad inuicem, vt verbi gratiâ, sicut numerus graduũm cœli. Tunc secunda conclusio est ista, quòd tempus est numerus isto tertio modo, quia omnis numerus, quo numeratus tanquam instrumento, est etiam numerus numeratus, & non rerum discontinuatarum ab inuicem, quia est numerus partium motus continui, mediante quo mensuramus durationem successiuam.

8\.

Definitio temporis explicatur.

Tertia conclusio. *Tempus est* [g] *numerus motus secundùm prius, & posterius.* Et dicitur esse *numerus* ad differentiam mensuræ, secundùm quam in mensurando non exigitur discretio; huiusmodi mensuræ sunt vlna, libra, & consimiles. Et ponitur, ibi *numerus* loco generis: & ponitur ibi *motus* tam pro motu, quàm pro illo, quod consequitur motum: quia omnis duratio successiua est mensurabilis tempore. Deinde ponitur ibi *secundùm prius, & posterius*; quia si alio modo mensuramus motus, dicendo, illi motus sunt duo, vel illi motus sunt tres; tunc ille numerus non diceretur tempus. Et sic patet ex prædictis qualiter tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.

Nunc ad rationes. Ad primam dico, quòd numerus non est ab anima plusquam motus, sed intelligitur, quòd isti termini *numerus* & *tempus* connotant rem, pro qua supponunt, esse mensurabilem, siue numerabilem per animam.

Ad secundam, concedo, [h] quòd quantitas continua est discreta tertio modo; & ideò quantitas continua est numerus suarum partium, capiendo numerum pro numero numerato tertio modo.

Vnitas quomodo sit indiuisibilis.

Ad tertiam, concedo, quòd tempus est diuisibile in semper diuisibilia. Et quando dicitur, quòd numerus est diuisibilis in indiuisibilia. Respondetur, quòd vnitas non est indiuisibilis; & ideò quando solet sic dici, intelligitur isto modo, quòd vnitas, scilicet res vna non est diuisibilis in plura, quorum quodlibet sit tantum, quantum alterum illorum est.

Ad quartam, ista potest negari; *Aliquod tempus est infinitum*; sed ista benè potest concedi: *infinitum tempus est*; quia non tantùm tempus est, quin maius tempus sit. Et eodem modo conceditur

de

de numero, quòd infinitus numetus est, licèt nullus numerus sit infinitus.

9. Ad quintam, negatur consequentia, quia non nou oportet, quòd ptoptia passio superiorum sit propria passio inferiorum: & quòd rempus est par, potest concedi, quia est suæ quatuor quattæ; & quòd tempus est impar, quia est suæ tres rertiæ.

Ad sextam, dico quòd tempus est uumerus numeratus, quo numeramus successiouem tanquam instrumento, sicut nume ro fabarum tanquam instrumento mensuramus homines.

Ad septimam, dico quòd licèt eadem res sit tempus & motus, & eædem sint pattes temporis, & motus: attamen secundùm aliam rationem illa res dicitur esse motus, & secundùm aliam tempus: modò dico, quòd prius, & posterius ponuntur in definitione temporis non eâ ratione quâ sunt partes temporis, sed secundùm illam rationem, quâ sunt partes motus.

ANNOTATIONES.

10. *Tpus potest accipi dupliciter.*

a *QVando dicitur tempus dependere ab anima, &c.* Nota, quòd tempus potest accipi dupliciter. Primo modo, vt est duratio successiua motus. Secundo modo, vt est duratio eerta, & ab intellectu perscripta, quomodo diuidimus tempus in annum, vel mensem. Primo modo, est ens reale, quia sublata omni operatione intellectus, habet esse. Secundo modo, est ens rationis formaliter, quia vt sic pendet ab intellectu, & hoc modo locutus est Aristoteles de tempore in hoc 4. quando dixit tempus non esse sine anima. Primo modo intelligitur hîc Scotus, cùm dicit, quòd illa res quæ est tempus non dependet ab anima nostra. Vel dicas, quòd quando Aristoteles dicit tempus non esse sine anima, non intelligit, quòd tempus sit ens rationis, sed quòd intellectus est causa sine qua tempus non esset mensura motus: quia enim motus est entitas successiua diuisibilis solùm in partem, quæ præcessit, & quæ futura est: nisi illæ pattes intellectu retineantur secundùm considerationem, ita vt vna consideretur vt prior, altera vt posterior, non poterunt mensurari: hoc tamen non est causa entitatis temporis, sicut finis mouet agens ad operandum secundùm esse reale, non quòd existat à parte rei, sed vt apprehensum per intellectum. Similiter dicitur de tempore, quòd ipsum secundùm esse reale est mensura motus: tamen partes quas mensurat necesse est, vt intellectus illas, ac si essent præsentes consideret: & hoc est, quod hîc dicit Scotus, quòd tempus connotat actum animæ, quo anima potest successiuam durationem mensurare.

11. *Tpus potest sumi dupliciter.*

b *Nunquam percipitur tempus sine adiutorio virtutis interioris.* Nota, quòd tempus potest considerari, vel sumi dupliciter. Vno modo, quantum ad eius continuitatem, siue pro illa continua extensione in fluxu, & sic circa eius continuationem nihil facit anima. Alio modo quantum ad eius discretionem, præscindendo scilicet, & distinguendo illud, quod præteriit, quasi iam acquisitum, & perrransitum, ab illo quod futurum est, & vnumquodque istorum considerando inter terminos proprios præteriti, vt præteriti, & futuri vt futuri, non considerando ipsnrum connexionem in præsenti indiuisibili; & sic habet naturam discretorum, & isto modo anima se habet ad ista non solùm vt cognita sunt ab ea, sed quasi in tali esse cognoscibili præciso, & discreto posita: talem enim discretionem, & præcisionem non habet nisi ab anima. Nam cuicunque ex natura rei non inest continuitas, eidem ex natura rei non inest discretio, cùm sint oppositæ differentiæ quantitatis; tempori autem ex natura rei inest continuitas; ergo impossibile est, quòd ex natura rei insit discretio, atque adeò discretio accidit tempori ab anima, & per consequens sine animæ adiutorio non percipitur rempus.

c *Et sic tempus mensuratur tempore.* Nota, quòd prius, & posterius sunt in tempore, vt habet rationem mensuræ, & vt tempus mensurat omnes motus, & durationes omnium rerum corporalium: quia enim res mensurare non possumus, nisi per aliquam quantitatem, quâ vtimur, vt indiuisibili, & vt regulâ, sicut triticum modio metimur, ita illud prius, & posterius, quod rempus vocamus, partimur per annos, & annos per menses, & menses per dies, & diem per horas; & horâ vtimur tanquam mensurâ indiuisibili; quamuis enim vt continuum est, sit in semper diuisibilia diuisibilis, tamen vt eâ vtimur ad mensurandum, mensura est regularis & indiuisibilis, quâ mensuramus quemlibet motum cuiuslibet rei temporalis, atque successionem; vt cognoscamus quot horas durauit; & similiter die vtimur vt mensurâ indiuisibili, & regulari ad mensurandum durationem dierum: & idem dicendum est de mensibus & annis. 12. *Prius & posterius quomodo sunt in tempore.*

d *Tempus notabiliter dicitur numerus.* Nota primò, quòd idem est dicere, rempus est numerus motus, & dicere quòd est mensura motus: quia metimur motum per prius, & posterius: tempus enim est duratio successiua motus primi mobilis, vt dicitur in hoc 4. cuius *esse* consistit in *fieri*, quare partes non sunt simul, sed vna post aliam: atque ira realitas motus, quæ præteriit, & quæ futura est, vt est in potentia passiua, vt accipiatur ab intellectu ad mensurandum durationem prioris & posterioris motus, est formaliter tempus; quare realitas illa motus, quæ præcessit, & quæ futura est, apprehensa ab intellectu, mensurat durationem prioris, & posterioris motus, & hoc est, vt diximus, formaliter tempus; vnde apparet, quòd tempus est entitas realis, & est realiter mensura motus, vel numerus motus, quod idem est. 13. *Tempus est entitas realis.*

Nota secundò, quòd realitas, quæ est motus, & tempus, est diuisibilis secundùm prius, & posterius: quapropter in se habet, quòd potest accipi ab intellectu vt numerus, vel vt mensura talis prioris, & posterioris: entia enim successiua solùm habent durationem secundùm prius, & posterius; quare talis duratio nec erit aliter diuisibilis, nec mensurabilis, nisi secundùm prius, & posterius. Numerus ergo, quæ est quantitas discreta, est mensura numerabilium vnitate; sed tempus dicitur numerus motus, quia est mensura rei, quæ est mensurabilis, vel numerabilis secundùm prius, & posterius; dicitur ergo tempus conuenienter numerus, quia in mensurando motum tempore exigitur discretio partium temporis, vt docet hîc Scotus.

Nota tertiò, quòd tempus, cùm sit quantitas continua, & non discreta, oportet explicare quomodo sit numerus, qui est quantitas discreta. Ideò aduerte, quòd duplex est quantitas continua; quædam indeterminata, vt quantitas non reducta ad certum numerum, & men- *Quantitas continua est duplex.*

suram; vt cùm dico lineam absolutè, vel superficiem: alia verò est quantitas determinata, vt quantitas reducta ad certum numerum & mensuram; vt cùm dico bicubitum, tricubitum, vel lineam trium palmorum, vel quatuor, & sic de aliis. Et quia secundùm Philosophum 10. Metaph. text. 2. Prima ratio mensuræ inuenitur in quantitate discreta, & transfertur ad quantitatem continuam, hinc est, quòd nunquam quantitas continua potest aliquid mensurare, nisi vt reducta ad certum numerum, vel mensuram; sicut linea absolutè non dicitur mensurare, sed linea duorum palmorum, vel trium, &c. quæ est reducta ad certum numerum, dicitur mensurare.

14. *Tempus consideratur, vel vt quantitas indeterminata, vel vt determinata.*

Ita proportionabiliter dicitur de tempore, quòd potest sumi dupliciter. Vno modo, vt est quantitas indeterminata: alio modo vt est quantitas determinata. Primo modo est absolutè ipsa successio, adhuc tamen non reducta ad certum numerum, & mensuram. Secundo modo, est quantitas reducta ad certum numerum, & mensuram; & isto modo tempus est prius & posterius, vt numerantur in motu, vel est ipsa successio sic numerata: & vt tempus est sic quantitas numerata, dicitur annus, vel mensis, vel dies. Ex his sequitur, quòd tempus, vt est quantitas indeterminata, non est aliud, quàm successio, & quantitas continua, cuius partes, quæ sunt prioritas, & posterioritas, vel præteritum, & futurum copulantur ad instans, vt ad terminum communem. Secundò sequitur, quòd tempus acceptum per medium quantitatis determinatæ, & mensuratæ, vltra hoc quod est quantitas continua, induit modum quantitatis discretæ: quia impossibile est quantitatem certificari, & determinari, nisi reducatur ad certum numerum; nam impossibile est de linea certificari quanta sit, nisi reducta ad certum numerum, vel mensuram: vt dicamus lineam duorum palmorum: ita in proposito, impossibile est recipere annum, vt est quantitas determinata, nisi reducendo ad certum numerum & mensuram. Et aduerte, quòd notanter dixi, quòd tempus acceptum per modum quantitatis determinatæ induit modum quantitatis discretæ, & non dixi, quòd sit quantitas composita ex continua & discreta, vt aliqui dixerunt: quia impossibile est vni speciei determinati generis inesse duas oppositas differentias eiusdem generis diuisiuas: modò continuitas, & discretio sunt differentiæ oppositæ quantitatem diuidentes, vt patet in Prædicamentis capitulo de Quantitate. Immò possibile est quòd tempus sit formaliter & essentialiter continuum & discretum, sed benè tempus, quod est essentialiter quantitas continua, induit modum quantitatis discretæ, quia inest sibi accidentaliter discretio, in quantum scilicet, anima intelligit vnam partem, vt præcisam ab alia, modo supra explicato.

15. *Numerus est triplex.*

e *Triplex dicitur esse numerus.* Nota, triplicem esse numerum. Primus est numerus numerans, & est intellectus. Secundus est res numeratæ, in quibus est numerus; & dicuntur numerus materialis. Tertius est numerus formalis, qui dicitur numerus numerabilis, & est quantitas illa, quæ tres homines, vel quatuor lapides denominat, & numerat formaliter. Nam in numero inueniuntur vnitates, ex quibus componitur, & ordo inter ipsas, quia non sunt sicut aceruus lapidum. Tertiò, forma, quæ vt sic resultat, quæ dicitur numerus: ex quo sequitur, quòd numerus formalis est species Quantitatis, vt docet Aristoteles *in Prædicamentis capitulo de Quantitate*, & 5. *Metaph. text.* 18. Secundò, sequitur, quòd numerus dicit aliquod accidens supra vnitates materiales, ex quibus componitur. Tertiò, sequitur, quòd numerus est ratio partium discretarum permanentium, vel successiuarum, cuius peculiaris passio est numerabilitas ordine quodam. Probatur, quia numerus est quantitas discreta, quâ formaliter quæcunque res quantæ numerantur: ergo est ratio partium discretarum permanentium, vel successiuarum. Probo consequentiam, quia tam res permanentes quantæ, quàm res successiuæ quantæ possunt numerari. Secunda pars probatur, quia numerus est ratio formalis, quâ res numerantur ordine quodam: ergo numerabilitas, vt dicit potentiam passiuam ad *numerari*, hoc ordine est eius passio.

f *Duplex est numerus numeratus*, &c. Nota, quòd sicut duplex est quantitas, scilicet quantitas virtutis, & quantitas molis: ita duplex est numerus, qui consequitur ad quantitatem virtutis, qui fit ad diuisionem secundùm diuersas rationes formales, & dicitur numerus transcendentalis. Est etiam numerus, qui sequitur quantitatem molis, & fit ad diuisionem materiæ; quando enim diuiditur continuum fit multitudo, in qua consistit numerus prædicamentalis. 16.

Definitio temporis explicatur.

g *Tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Nota primò, quòd hæc definitio temporis non debet sic exponi, tempus est numerus motus, id est, motus numeratus, secundùm prius, & posterius, sicut aliqui exponunt: sed sic, tempus est numerus motus, id est, mensura ipsius motus. Nec debet intelligi, quòd tempus sit numerus materialiter captus, vt puta res numeratæ, nec numerus quo primo, & per se numeramus, sed est numerus, quo numerato, alia numeramus, vt in hac quæstione docet Scotus: velut per vlnas numeratas numeramus alia, ita per tempus numeratum numeramus motum. Sensus ergo definitionis est: tempus est numerus, quo plus vel minùs discernimus motum: & quia motus est alius, & alius secundùm prius & posterius, ideò tempus quo motum numeramus, est numerus motus secundùm prius, & posterius.

17. *Motus bifariam considerari valet.*

Nota secundò, quòd motus dupliciter considerari valet, vno modo vt habet prius, & posterius respectu spatij: sicut est motus localis, vel respectu formæ, si est alteratio, vel augmentatio: & sic est sola ratio motus. Alio modo consideratur motus, vt habet prius, & posterius in duratione; & sic est tempus: quatenus ergo tempus mensuratur secundùm quòd durat in prius, & posterius, est tempus. Vnde tempus essentialiter est duratio motus, & mensura ipsius motus secundùm prius, & posterius, & sic intelligitur Scotus *in* 4. *d.*48. *q.*2. quando dicit. Tempus vltra motum, (vt motus includit propriam successionem) non addit nisi rationem mensuræ formaliter, & fundamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum, quæ sunt vniformitas, seu regularitas, & velocitas, eo quòd mensura est quid certissimum quantum ad regularitatem, & minimum, quantum ad velocitatem.

h *Concedo quòd quantitas continua est discreta*, &c. Nota, quòd Scotus *in Prædicamentis, quæst.* 10. soluendo 3. *argumentum* dicit, quòd numerus aliquando transumitur, vt generaliter sumatur pro mensura, fortè propter hoc, quòd ratio mensuræ

in quantitatibus primò conuenit numero, & ita ponitur in definitione temporis, non autem vt est quantitas discreta, & est æquiuocatio penes secundum modum.

EXPOSITIO TEXTVS.

18. Text.105. E*T notum maximè* 1 *hoc est*,&c. Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo Philosophus proprietates temporis assignat. Et diuiditur, quia primò assignat proprietates ipsius *nunc*. *Conditiones nunc.* Secundò, proprietates temporis, ibi: *Quòd igitur tempus*. Primum diuiditur in sex, secundùm sex conditiones. Secunda ibi: *manifestum autem*. Tertia ibi: *Et continuum*. Quarta ibi: *Sed cùm sit*. Quinta ibi: *Et adhuc*. Sexta ibi: *Secundum quidem*. *Vide contradictionẽ Zimaræ.* Prima conditio, quòd *nunc* est notius, quàm sit motus. Probatur, quia illud est notius motu, per quod motus cognoscitur; sed per *nunc*, scilicet per mobile, cui est idem ipsum *nunc*, cognoscimus motum; igitur *nunc* est notius motu. Maior nota est: & minor patet, quia per hoc, quòd mobile prius, & posterius est alibi, & alibi, cognoscimus motum. Et tunc concludit conclusionem vltimam alterius capituli, scilicet, quòd *nunc* manet idem secundùm essentiam per totum tempus, licèt sit aliud, & aliud secundùm extrinsecam denominationem.

Manifestum est autem. Hic ponit secundam proprietatem, scilicet, quòd si tempus [a] non sit, *nunc* non est. Et è contra, si *nunc* non sit, tempus non erit. Probatur, quia *nunc* se habet ad tempus, sicut mobile ad motum, & vnitas ad numerum: modò mobile non potest esse sine motu, nec è contra, & numerus non potest esse sine vnitate, & per consequens si tempus non est, *nunc* non est, & si *nunc* non est, tempus non est.

19. *Et continuum tempus est*. Tertia proprietas, quòd [b] simile est de *nunc* ad tempus, sicut de puncto ad lineam: quia sicut linea continuatur per puncta, ita etiam tempus continuatur per *nunc*, scilicet per instantia, & diuisio temporis fit per instans.

Text.106. *Sed cùm* 2 *sic quidem*. Quarta proprietas est differentia inter punctum, & *nunc*, quia ex quo dictum est iam, quòd simile sit de puncto, & *nunc*. Et ideò ne credatur, quòd sit omnino simile, dicit Aristoteles quòd punctus, & *nunc* differunt in hoc, quòd propter sui permanentiam potest bis sumi idem numero punctus, & pluries numerari; sed idem *nunc* non potest bis sumi, quia mobile continuè motum non est pluries in eodem loco præcisè, scilicet æquali: modò iste terminus *nunc* supponit pro mobili continuè moto, connotando ipsum esse in loco sibi æquali præcisè.

Text.107. *Et adhuc* 3 *manifestum est*. Quinta proprietas, quòd *nunc* non est pars temporis. Probatur, quia punctus non est pars lineæ, nec *mutatum esse* pars motus: quia iam linea componeretur ex punctis; igitur *nunc* non est pars temporis.

20. *Secundum quidem terminus*. Sexta proprietas, quòd ipsi *nunc* [c] non conuenit ratio temporis, scilicet mensurare, secundùm quòd est terminus temporis; sed sibi conuenit ratio mensuræ, secundùm quòd aliquid numeratur per ipsum, sicut tempus est mensura omnium temporalium, ita *nunc* est mensura omnium momentorum.

Proprietates temporis. *Quòd igitur tempus*. Hic assignat proprietates temporis; & sunt sex. Prima est, quòd tempus est continuum. Probatur, quia tempus est mensura motus secundùm prius, & posterius; igitur tempus est continuum. Tenet consequentia, quia motus est continuus; igitur non potest mensurari, nisi per continuum.

Minimus 4 *autem numerus*. Secunda proprietas Text.108. est, quòd in tempore est quodammodo dare minimum, & quodammodo non; quia ea ratione, quà tempus est numerus, in tempore est dare minimum, quia minor numerus est binarius, & minimum simpliciter in numero est vnitas, vt in *Vide contradictionẽ Zimaræ.* numero annorum vnus annus; sed secundùm quòd tempus est continuum, non est dare minimum in tempore, immò est diuisibile in semper diuisibilia.

Manifestum 5 *autem est*. Tertia proprietas, quòd 21. tempus non [d] est velox, neque tardum. Probatur, Text.109. quia velox, & tardum, non attribuuntur motui nisi eâ ratione quâ motus est mensurabilis tempore, modò eâ ratione, quâ motus est tempus, motus non est mensurabilis, sed mensura; igitur tempus non est velox, vel tardum, sed tempus benè dicitur multum, vel paruum, eo quòd est numerus; & dicitur longum, vel breue, eo quòd est continuum.

Et idem 6 *etiam vbique*. Quarta proprietas, quòd Text.110. eorum [e] quæ simul sunt, est idem tempus; & eorum quæ non sunt simul, non est idem tempus: sicut illorum quæ pertransita sunt, & eorum quæ sunt, non est idem tempus, sed omnium simul existentium est idem tempus: quia tempus est mensura extrinseca: modò diuersorum benè potest esse eadem mensura extrinseca.

Amplius 7 *autem vt contingit*. Quinta proprie- Text.111. tas, quòd [f] sicut contingit motum iterari, ita etiam contingit idem tempus iterari, vt autumnum, ver, hyemem, & æstatem; & debet intelligi vere, id est consimile, quantum ad proprietates, & conditiones rerum existentium in tempore; vt si vno vere contingat elementa esse ventosa, & sicca, possibile est quòd iterum alio vere sint consimiles dispositiones; & hoc est pro tanto, quia tempus est motus cœli, quem contingit redire consimilem.

Non solùm 8 *autem*. Sexta proprietas, quòd 22. non solùm tempore mensuramus motum: immò Text.112. etiam motu quandoque mensuramus tempus. Probatur, quia motu mensurare tempus non est aliud, nisi per cognitionem motus, quantus est, cognoscere, quantum est tempus; sed sic accidit: *Vide contradictionẽ Zimaræ.* ergo, &c. Probatur, quia sicut numero equorum cognoscimus quot sunt equi, ita è conuerso primò per vnum equum, deinde per alium, & sic consequenter deuenimus in rationem distinctam multitudinis, cognoscendo quanta multitudo est. Secundò 9 patet, quia motus [g] magnitudo, & Text.113. tempus se inuicem consequuntur quantum ad magnitudinem, & diuisionem: igitur notâ quantitate vnius, scilicet temporis, cognoscetur quantitas alterius, & è contra. Tertiò, patet ad experientiam, quia motu horologij cognoscimus quantitatem temporis, vt quota hora est. Quartò, quia operarij cognoscentes per visum, quantitatem suæ operationis, quando non vident Solem, ex quantitate suæ operationis, arguunt quantitatem temporis, & iudicant quantum tempus est transactum.

ANNOTATIONES.

23. [a] *SI tempus non sit*, ounc *non est*. Nota, quòd ratio huius est, quia *nunc* & tempus dicuntur ad conuertentiam, sicut mobile, & motus: vt enim sequitur, *motus est: ergo mobile mouetur*; & è conuerso, *est mobile in quantum mobile, ergo motus est*; (nam ratio mobilis exercetur in motu) ita sequitur, *tempus est; ergo nunc temporis est*, coniungens præteritum cum futuro; & è conuerso sequitur, *Instans est, ergo tempus est*: nam *nunc* connotat continuationem præteriti cum futuro.

Nūc & tempus dicuntur ad conuertentiam.

[b] *Simile est de* nonc *ad tempus, sicut de puncto ad lineam.* Nota, quòd in qoatuor comparantur *nunc* temporis, & mobile. Primum est, quòd *nunc* se habet in tempore, sicot mobile in motu: nam sicut fluxus mobilis est motus, ita fluxus instantis est tempus. Secundom est, quòd *nunc* se habet sicut vnitas numeri; nam licèt prius, & posterius in motu, quæ sunt tempus, sint continua, numerantur tamen per modum plurium: quoniam vnum *nunc*, puta existentia in hac parte spatij (iuxta opinionem quàm hîc defendit Scotus) habet se sicut vna vnitas, & existentia in alia parte, sicut alia vnitas. Tertium est, quòd partes temporis continuantur ipso *nunc*; & prætetea quartò, diuiduntur ipso *nunc*, quemadmodum & partes motus continuantur, & diuiduntur quodammodo ratione mobilis: si enim non esset voum numero mobile quod mouetur, non esset idem motus, ita si idem instans noo coniungeret præteritum cum futuro, non esset idem tempus. Et rursns, sicut idem mobile existens in hoc puncto spatij determinat, & seiungit præteritam, & fututam pattem motus, ita & idem *nunc* discernit elapsum tempus à futuro: quatenus ergo est finis vnius & principium alterius, habet vtrumque, scilicet quod distinguat inter præteritum, & futurum; & rursus ex ambobus faciat vnum tempus continuum, quemadmodum punctum medium magnitudinis vtrumque facit, scilicet distinguit inter partem priorem, & posteriorem, & copulat ambas.

Nunc temporis & mobile in quatuor comparātur.

24. [c] *Ipsi* ounc *conuenit ratio temporis, scilicet mensurare.* Nota, quòd, cùm instans sit terminus temporis, & sit subiectiuè in ipso tempure, quod est in primo mobili; videtur quòd non possit esse mensura motuum ioferiotum. Ideò dicit Aristoteles quòd quatenos instans est terminus durationis, aut continuatiuum partium eius, non est tempus, sed accidens temporis; sicuti punctus est accidens lineæ: quatenus autem numerat (id est, quatenus duratione, & successione motus illius primi mobilis metimur durationem motuum inferiorum) illa duratio, & successio est numerus. Quòd si quis dubitet, quòd *nunc* indiuisibile nullatenus sit numerus, & mensura, sed duratio ipsa motns. Dicitur, quòd illam durationem causaliter appellat *nunc* fluens & numerans: quia fingitur resultare ex eodem *nunc* fluente, sicut linea ex ductu puncti. Vel, vt hîc dicit Scotus, quòd *nunc* aliud mensurat à tempore: mensurat enim omnia momenta simul existentia.

25. [d] *Tempus non est velox, neque tardum.* Nota, quòd tempns consideratur secundùm duplicem rationem. Primò, vt est quantitas continua. Secundò, vt per intellectum induit modum quantitatis discretæ; quâ ratione dicitur numerus. Secundùm priorem rationem dicitur longum, & breue: quæ sunt accidentia quantitatis continuæ; secundùm verò posteriorem dicitur multum, & paucum, quæ sunt accidentia quantitatis discretæ. Velox autem, aut tardum non dicitur nisi illud, quod numeratur aliqua mensura. Dicitur enim velox motus, quo in paruo tempore percurritur magnum spatium: tempus autem non mensuratur, sed est aliorum mensura, & ideò noo est velos, neque tardum.

[e] *Eorum quæ simul sunt, est idem tempus.* Nota, quòd tempus præsens, vt dies præsens, mensis præsens, &c. est vnum continuum; sicut vnum lignum, aut vous homo; sed præteritum, & futurum sunt altera; id est, sunt partes distinctæ: atque adeò eorum, quæ simul existunt, est vnum tempus: eorum autem, quæ pertransierunt, & quæ modò suot, vel quæ sunt futura, non est idem tempus; quia præteritum tempus, & præsens, vel futurum sunt tempora diuersa. Sed quia posset quis obiicere, quòd quemadmodum numerus denarius in genere Quantitatis, est idem, quo numeramus decem equos, aut decem lapides: ideóque, cùm tempus sit numerus, idem tempus est præteritum, & futurum. Respondet, quòd tempus non est vt numerus formalis abstractus per intellectum, quo numeramus, sed est numerus numeratus, qui accipitur secundùm prius, & posterius: quæ quidem partes sunt diuersæ; quia instantia initiatiua, & terminatioa præteritæ partis alia sunt ab instantibus futuris: atque adeò, etsi numerus formalis, quo numeramus, est idem centum eqootum, & centum hominum: oihilominus, cùm numeri numerati sint diuersi, puta, equi, & homines, fit, vt prius, & posterius etiam sint diuersa. Nomine numeri formalis non intelligas animam numerantem, sed obiectiuam illam rationem numeri per intellectum abstractam ab his, & illis rebus numeratis. Vide Ioannem Canoo. 4. *Physic. quæst.* 7. *artic.* 2.

Quorum sit idem tempus.

[f] *Sicut contingit motum iterari, ita & tempus.* 26.
Nota, quòd sicut motus, ita & tempus redit idem in specie, non tamen idem numero; sicut enim anno elapso Sol motus sub Zodiaco ab vno certo signo, verbi gratiâ, ab initio arietis, quoadusque rediret ad idem punctum, facit vnum annum; ita modò incipiens ab eodem puncto, rediénsque in idem, sicut facit eundem motum in specie, facit annum specie eundem, numero verò diuersum. Et eodem modo, vt anno præterito fecit quatuor tempora, vec, æstatem, autumnum, & hyemem, factutus est isto anno eadem tempora: portionibus motus per eadem signa Zodiaci distinctis, nempe ab initio Arietis, vsque ad initium Cancri describitur ver, & inde vsque ad initium Libræ æstas, indéque vsque ad initium Capricorni autumnus, & inde vsque ad Arietem hyems, vt in tractatu sphæræ est videre.

Tempus redit idem sicut & motus.

[g] *Quia magnitudo & motus, & tempus*, &c. Nam, cognito motu, faciliter cognoscimus quantitatem viæ; & è coutra si cognoscamus quanta est via, faciliter cognoscemus quantus est motus.

EXPOSITIO TEXTVS.

QVoniam 1 *autem tempus.* Hoc est quartum 27.
Capitulum huius tractatus, io quo Philo- Text. 114.
sophus determinat de tempore per comparationem ad ea, quæ sunt iu tempore. Et primò osteodit, qualiter motus est io tempore. Secundò, qualiter

liter quies. Tertiò, quæ entia ſunt in tempore,& quæ non. Secundum ibi: *Quoniam autem tempus.* Tertium ibi: *Quare quæcunque.* Primò præmittit ſuppoſitionem. Secundò, proſequitur, ibi: *Et eſt motũ in tempore eſſe.* Suppoſitio eſt iſta, quòd tempus eſt [a] menſura motus: & hoc per iſtum modum, quia de tempore oportet accipere aliquam partem denominatam, & notam, cuiuſmodi eſt vna hora, quæ eſt ortus vigeſimæ quartæ partis æquinoctialis:& tunc per illam partem ſæpiùs replicatam menſurabimus totum motum, quemadmodum per cubitum ſæpiùs replicatum menſuramus magnitudinem.

Vide contradictione Zimare.

Et eſt motum in tempore eſſe. Proſequitur,& primò oſtendit,qualiter motus, & res permanentes ſunt in tempore. Et primò facit hoc.Secundò infert corollarium ibi: *Quoniam autem numerus tempus eſt.* Primò ponit concluſiones.Secundò determinat, ibi: *In tempore enim eſſe.* Prima concluſio eſt iſta. Motum eſſe [2] in tempore non eſt aliud, quàm motum menſurari tempore. Secunda eſt, quòd alias res à motu eſſe in tempore, non eſt aliud, quàm *eſſe* ipſarum menſurari tempore, ita vt per tempora cognoſcatur, quantum illa ſunt, vel quantum durant.

Text.115.

Vide contradictione Zimare.

28\. *In tempore enim eſſe.* Hic declarat diſtinguendo, dicens, quòd aliquid poteſt dici eſſe in tempore tripliciter: vno modo quia eſt, quando tempus eſt. Alio modo, quia dicimus ipſum eſſe in tempore, quemadmodum dicimus aliquid eſſe in numero: & hoc dupliciter. Vno modo, quia eſt in numero tanquam pars numeri,vel paſſio attributa numero: & ſecundo modo dicitur aliquid eſſe in numero,quia menſuratur numero.

Aliquid dicitur eſſe in tempore tripliciter.

Quoniam autem numerus. Declarat iſta membra, dicens, quòd ſicut [b] vnitas eſt in numero tanquam pars, ita *nunc* eſt in tempore tanquam pars in toto, quemadmodum dicimus, quòd dies eſt in anno; ſed aliæ res ſunt in tempore tanquam in illo, quo menſurantur.

Text.116. *Manifeſtum 3 autem.* Oſtendit, quòd nihil eſt in tempore primo modo, ſcilicet quòd nihil eſt in tempore, ex eo quòd eſt, quando tempus eſt. Probatur,primò dupliciter,quia nihil eſt in loco, ex eo quòd eſt, quando locus eſt, nec in motu,ex eo quòd eſt,quando motus eſt; igitur nihil eſt in tempore ex eo quòd eſt,quando tempus eſt. Conſequentia tenet per ſimile; & antecedens apparet: quia ſic omnia eſſent in motu, & in loco. Secundò, ſi ſic,ſequeretur, quòd quælibet res eſſet in quolibet, & quòd cœlum eſſet in grano milij, quod eſt falſum. Et patet conſequentia; quia aliquid dicitur eſſe in alio, ex eo quòd eſt, quando illud aliud eſt, modò quodlibet eſt,quando quodlibet aliud eſt.

29 *Quoniam 4 autem eſt in numero.* Infert tria corollaria. Primum eſt, quòd omne illud, quod eſt in tempore, exceditur à tempore, ſcilicet à duobus extremis, antè & pòſt. Probatur,quia omnia exiſtentia in tempore,neceſſe eſt contineri ſub tempore, ſicut omnia exiſtentia in loco neceſſe eſt contineri ſub loco; & ſicut locus excedit locatum, capiendo locum pro corpore locante, ita etiam tempus excedit illud,quod eſt in tempore. Secundum corollarium eſt, quòd entia, quæ ſunt ſub tempore,patiuntur à tempore. Probatur primò, ex vſu loquendi. Vnde conſueuimus dicere, quòd tempus facit tabeſcere,& ſeneſcere omnia, quæ ſunt ſub tempore, & eſt cauſa obliuionis; ideò [c] potiùs ſolemus dicere, quòd tempus eſt

Text.117.

Vide contradictione Zimare.

cauſa mali, quàm boni. Secundò, patet corollarium,quia illud, quod eſt per ſe cauſa corruptionis illorum,quæ ſunt ſub tempore,eſt cauſa quare entia ſub tempore patiuntur: ſed tempus eſt per ſe cauſa corruptionis,quia tempus eſt cœlum continuè motum, quod alterat res naturales à diſpoſitionibus ſibi conuenientibus, ſecundùm naturam,& tandem facit corruptionem.Tertium corollarium, quòd illa,quæ ſemper [d] ſunt,ſecundùm quòd ſemper ſunt, non ſunt in tempore. Probatur, quia tempus non excedit *eſſe* ipſorum, nec *eſſe* ipſorum eſt ſub tempore ſicut menſuratum ſub menſura: cuius ſignum eſt quòd huiuſmodi nunquam patiuntur à tempore plus, quàm ſi non eſſent in tempore.

Quoniam autem 5 tempus. Hic oſtendit qualiter quies eſt in tempore; & eſt iſta concluſio, quòd quies eſt in tempore ſic, quòd menſuratur tempore, eo modo quo motus,& res permanentes: & primò præmittit, quòd non omne immobile quieſcit; ſed illud,quod priuatum eſt motu, & aptum natum eſt moueri. Tunc arguitur ſic; motus menſuratur tempore; igitur & quies. Antecedens patuit priùs; conſequentia probatur, quia menſurari tempore non eſt aliud, quàm cognoſci per tempus, quantum eſt: modò motus,& quies ſunt priuatiuè oppoſita; & priuatio cognoſcitur per habitum, ſed motus cognoſcitur quantus eſt, per tempus;quia menſuratur tempore; igitur ſimiliter quies menſuratur tempore. 30.

Text.118.

Menſurabit autem tempus id, &c. Infert quòd motus, & quies ſecundùm ſuas [e] rationes abſolutas non menſurantur tempore; quia per tempus non cognoſcitur, quòd motus eſt, & quæ ſit ratio motus; ſed per tempus cognoſcimus quantus fuit, ſcilicet motus, & quies, ita vt tempore cognoſcatur quantitas durationis motus, & quietis.

Quare 6 quæcunque neque mouentur. Infert, quæ ſunt in tempore, & quæ non: & eſt primum dictum, quòd illa, quæ neque mouentur, neque quieſcunt, non ſunt in tempore. Probatur, quia eſſe in tempore, eſt menſurari tempore: modò tempus eſt menſura motus & quietis.Secundò infert, quòd illud,quod [f] nunquam eſt,non menſuratur tempore: quia non eſſe ipſius non poteſt excedi à tempore, eo quòd ſemper non eſt. Tertiò, quòd ex quo tempus eſt menſura aliquorum per ſe vt motus, & aliorum per accidens, ſcilicet quietis;manifeſtum eſt,quòd omnia illa,quorum eſſe menſuratur tempore, nata ſunt moueri, vel quieſcere. Quartò, quòd omnia generabilia, & corruptibilia, & vniuerſaliter omnia, quæ aliquando ſunt, & aliquando non ſunt, neceſſe eſt *eſſe* ipſorum menſurari tempore. Probatur, quia tẽpus excedit eſſe ipſorum:ideò menſurat ipſum. Quintò, quòd tempus eſt menſura eorum, quæ non ſunt: verbi gratiâ, eorum, quæ non ſunt, quædam ſunt futura, & quædam ſunt præterita, & iſtarum *non eſſe* menſuramus, poſt quàm fuerunt: verbi gratiâ,dicimus, mille anni ſunt, quòd Ariſtoteles fuit. Sextò,quòd illorum,quæ ſemper ſunt,non eſt menſura: & patet pro tanto,quia *eſſe* ipſorum non poteſt menſurari tempore. 31.

Text.119.

Immobilia nõ ſunt in tempore.

ANNOTATIONES.

[a] T*Empus eſt menſura motus.* Nota, quòd dupliciter aliqua mẽſurantur tempore: quædam enim ſunt quæ tempore menſurantur, non ſolùm 32.

Tempore mẽſurantur aliqua dupliciter.

solùm quantum ad suam existentiam, & durationem, sed etiam quantum ad id quod sunt, secundùm suam essentiam, & quiditatem. Quædam verò quæ mensurantur non quo ad quiditatem, sed quoad durationem. Alia sunt, quæ neutro modo mensurantur tempore, vt Deus & Intelligentiæ. Primi generis sunt motus; tempus enim est mensura motus, id est, eius quiditatis, & ipsius *moueri*, id est, durationis motus. Et ratio est, quia quiditas, & essentia motus est esse ens successiuum. Est autem tempus mensura motus, quemadmodum cubitus est mensura panni, vel stadij: metitur enim vnam partem aliquotam, quæ aliquoties sumpta facit totum: ita tempus mensurat motum, determinando vnam particulam motus, quæ aliquoties sumpta reddit totum: velut vna hora temporis mensurat vigesimam quartam partem motus vnius diei, quæ vicies quater multiplicata facit motum totius circuli diurni. Secundi generis sunt, quæ non mensurantur tempore secundùm quiditatem, quia non sunt entia successiua, sed permanentia, vt homo, lapis, & similia, nec etiam secundùm eorum quantitatem. Nam, quamuis sit homo non mensuratur tempore, sed palmo, aut cubito, sed quantum ad durationem. Tempus ergo primò & per se est mensura motus, aliorum autem ratione motus, id est, quatenus mobilia sunt. Vnde quia quiditas hominis, aut lapidis non est successio, existentia autem, & duratio illorum consistit in motu, & successione, ratione illius sunt in tempore.

33. b *Sicut vnitas in numero tanquam pars.* Nota, quòd *vnum* repertũ in numero est duplex, quoddam est quod consequitur generaliter omnem numerum, sicut propria passio sequitur suum subiectum. Ita enim quamlibet speciem numeri consequitur sua propria vnitas, sicut propria passio suum proprium subiectum. Vnde sicut vnitas in generali consequitur ens in generali; ita determinata vnitas determinatum numerum, & etiam ipsum numerum in generali: & hæc vnitas non est principium numeri, sed magis è conuerso: quia numerus est subiectum talis passionis; modò nulla passio est principium sui subiecti, cùm sit posterior, sed potiùs è conuerso. Alia est vnitas, quæ non consequitur sic numerum; sed præcedit omnem numerum naturaliter; & hæc est duplex. Altera est alicuius diuisibilis, ex cuius diuisione aliquo modo causatur numerus; & ista non est per se principium numeri, sed per accidens: quia huiusmodi vnitas corrumpitur ad generationem numeri: nam secundùm quòd continuè crescit numerus, sic continuè decrescit, vel corrumpitur illud vnum, ex cuius diuisione fit numerus. Altera verò est vnitas abstrahens à diuisione, & indiuisione, licèt virumque possit sibi accidere, ad quam terminatur diuisio præcedentis vnitatis: & ista est per se. Hæc etiam vnitas est aliquo modo numerus, & aliquo modo non; potest dici numerus quatenus numerus sumitur generaliter pro omni mensura discreta permanente: nam hoc pacto prima vnitas est primus numerus: at non potest dici numerus, quatenus numerus sumitur specialiter pro mensura permanente diuisibili, & discreta: quia hoc modo accipiendo numerum, primus numerus est numerus binarius; & ex hoc intelligitur id quod Philosophi antiqui loquentes de numero, dicebant, primum numerum esse vnitatem, & alij dualitatem; vtrique enim verum dixerunt, accipiendo numerum diuersimodè, vt dictum est.

Vnum in numero est duplex.

Vide Zamarã in tab. lit. H. fol. 295. col 3.

Ex his dico, quòd sicut aliud est subiectum accidentis, aliud ipsum accidens; ita aliud est esse inrrinsecum subiecto, & aliud accidenti; vel aliud est esse partem subiecti, & aliud est esse partem accidentis; & aliud huius, & aliud illius vnitas; atque adeò vnitas, quæ est principium numeri, non est pars numeri, vt numerus est accidens de genere Quantitatis, sed est aliquid subiecti numeri: numerus enim est quoddam accidens fundatum super vnitates, sicut vnitas fundatur super quantitatem continuam. Quòd autem vnitas non sit pars numeri, probatur, quia pars intrinseca rei semper est eiusdem generis cum suo toto, cuius est pars; sed vnitas, quæ est principium numeri, non semper est eiusdem generis cum ipso numero: quia vnitas lapidis non est eiusdem generis cum numero; ergo, &c. 34.

c *Potius solemus dicere, quòd tempus est causa mali.* Nota, quòd tempore res tabefiunt, id est, putrefiunt, aut marcescunt, & senescunt, & homines rerum obliuiscuntur: tabefiunt quidem res inanimatæ, senescunt res omnes animatæ, & homines rerum obliuiscuntur. Et quamuis tempus vetnum videatur esse causa germinationis; & nouitatis contra senectutem, ac floriditatis arborum contra tabem; cùm enim pulchriores sint adolescentes, quàm infantes, & pueri, videtur tempus esse in causa; sapientia etiam atque scientia maior est in sene, quàm in iuuene, atque adeò tempus est scientiæ causa contra obliuionem, tamen nón est tempus causa per se nisi corruptionis: quia se solo ex natura sua est directè illius causa, nam eo ipso, quòd est mensura motus, facit res elongari à suis principiis: & per hunc modum est per se causa corruptionis, non obstante, quòd sunt etiam aliæ corruptionis causæ, quas Aristoteles non negat. Cæterùm tempus non est directè se solo, & ex natura sua causa perfectionis, sed concomitanter. Nam causa scientiæ non est cerrè tempus, sed magister, ingenium, & experientia, quæ sunt in tempore; & in hoc sensu vulgo fertur tempus multa docere, & pariter generationis, & augmenti rerum, & pulchritudinis, non tempus, sed Sol cum causis secundis, quæ sunt in tempore, sunt directè causa.

d *Illa, quæ semper sunt secundùm quòd semper sunt,* &c. Nota, quòd contra hoc dictum Aristotelis videtur esse, quòd motus cœli, quamuis sit perpetuus, nihilominus est in tempore, vtpote, cùm sit eius mensura, immò tempus propriè est accidens illius regulatissimi motus, vel saltem propria passio eius. Huic obiectioni respondet Aristoteles dicens, *Sempiterna non esse in tempore, quatenus semper sunt*, id est, quantum ad eorum *esse*, & durationem, cui non obstat eorum accidens, id est, motum cœlorum esse in tempore: nam quamuis ex natura sua sit perpetuus, vt tempus, nihilominus quia sua essentia consistit in successione prioris, & posterioris, potest numerari per horas, & dies. 35.

e *Motus, & quies secundùm suas rationes absolutas non mensurantur tempore.* Nota, quòd mobile non mensuratur simpliciter tempore secundùm quantitatem mobilis, sed secundùm quantitatem & durationem motus: non enim tempore mensuratur quiditas, aut quantitas, aut qualitas

qualitas hominis, ſed menſuratur quantus ſit eorum motus, aut quies, aut exiſtentia, & duratio. Cùm ergo inquit Ariſtoteles quòd motus, & quies non menſurantur tempore ſecundùm ſuas rationes abſolutas; vult dicere, quòd tempus non menſurat illud, quod mouetur, vel quieſcit, quantum ad id, quod eſt, neque quantum ad ſuam quantitatem, ſed quantum ad quan-
36. titatem ſui motus, vel quietis.

f *Illud quod nunquam eſt, menſuratur tempore.* Nota quòd per ea, quæ nunquam ſunt, intelligit Ariſtoteles impoſſibilia, vt diametrum eſſe commenſurabilem coſtæ: hæc autem impoſſibilia non poſſunt tempore menſurari, quia nihil eſt in tempore, niſi cui aliquando ineſt *moueri*, & huiuſmodi. Vnde notanter dictum eſt, *quæ ſunt impoſſibilia.* Quia non entium quædam ſunt, quæ aliquando fuerunt, vt Homerus; & talia quidem menſurantur tempore; aliqua erunt, quæ nec ſunt, nec fuerunt; vt Antichriſtus, & ipſa etiam tempore menſurantur. Alia verò ſunt quæ nunquam ſunt, & quorum oppoſita per ſemper ſunt. Diametrum enim eſſe commenſurabilem coſtæ nunquam eſt, ſed ſuum oppoſitum ſemper eſt, ſcilicet diametrum eſſe coſtæ commenſurabilem. Aſymmetrum enim eſſe diametrum ſemper eſt, & non erit hoc in tempore: quia veritates propoſitionum vbi prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel proprium eius, hoc eſt, veritates primi, & ſecundi modi, ſunt ſempiternæ, adeóque, ſi nullus fuiſſet mundus, & tempus, adhuc fuiſſent veræ, atque ita non ſunt in tempore, ſed ſemper ex neceſſitate: & etiam ſymmetrum eſſe coſtæ nunquam erit in tempore, quia non eſt factu poſſibile. Alia verò quorum contraria non ſunt ſemper, ſunt in tempore, ſicut ſua contraria; vt Antichriſtum non eſſe, Lunam non eclipſari, hominem dormire, contingunt in tempore, quia eorum contraria non ſemper ſunt.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm omne ens ſit in tempore.

Ariſt. *c.* 14. *text.* 120. Themiſt. Simpl. Auerr. *ibid.* Alb. *tract.* 3. *c.* 11. D. Thom. *lect.* 20. *& opuſc.* 44. Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 4. Durand. *ibid. q.* 6. Capreol. *in* 4 *diſt.* 43. *art.* 3. Canon. *q.* 5. *ar.* 3. Fonſeca 5. *Met. c.* 13. *q* 12 *ſect* 3. Conimb. 4. *Phyſ. c.* 14. *q.* 3. Complut. *diſp.* 21 *q.* 7. Rubius *tract.* 2. *de tempore, q.* 5. Roccus 4. *Phyſic. q.* 15.

1. ARGVITVR quòd ſic: quia omne quod eſt, eſt in præſenti *nunc*, ſiue in præſenti inſtanti: igitur omne quod eſt, eſt in tempore. Tenet conſequenia: quia hoc verbum *eſt* connotat tempus, aliter non eſſet verum dicere, quòd motus eſt, vel quòd tempus eſt.

Secundò, omne quod eſt, vel eſt aliquando, vel nunquam; ſed non eſt dicendum de aliquo quòd ſit, & quòd nunquam ſit: igitur quodlibet, quod eſt, eſt aliquando; & per conſequens omne quod eſt, eſt in tempore.

Tertiò, omne quod eſt, vel eſt corporeum, vel incorporeum; ſi incorporeum, igitur eſt mobile: igitur vel mouetur, vel quieſcit; ſed omnis motus, vel quies eſt menſurabilis tempore: igitur omne tale corporeum eſt menſurabile tempore. Si incorporeum, igitur tale ens eſt motor, ſed omnis motor eſt ſimul cum mobili, vt patet 7. huius, text. 4. igitur ſicut mobile eſt in tẽpore, ita & motor.

Quartò, ſi aliquod ens non eſſet in tempore, maximè eſſet ens æternum, ſicut eſſet cœlum, vel Deus, vel Intelligentia; ſed quodlibet tale eſt in tempore, licèt *eſſe* ipſorum non ſit menſurabile tempore, ſecundùm totam ſuam durationem; benè tamen eſt menſurabile ſecundùm partem ſuæ durationis; quemadmodum dicimus, quòd motus cœli infinitus ſecundùm ſe totum, non eſt menſurabilis tempore, ſed benè ſecundùm partem eius.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto quarto, tex. 120. vbi ponit quòd non omnia entia ſunt in tempore, & patet per ſimile: quia ſicut eſt de loco, ita & de tempore; ſed non omne ens eſt in loco: igitur nec in tempore. Tertiò, quia non omne ens ſeneſcit in tempore: igitur non omne ens eſt in tempore. Tenet conſequentia: quia tempus eſt cauſa ſenectutis, & corruptionis. Antecedens patet de Deo, & Intelligentiis.

In quæſtione, primò videbitur de diuerſitate entium, & nominum ſignificantium durationes. Secundò, videbitur qualiter illa entia ſunt in tempore, & qualiter non. Et tertiò, ſpecialiter dicetur de motu, & quiete. 2. *Diuiſio quæſtionis.*

Quantum ad primum, notandum primò, quòd ſunt aliqua entia corporalia, & corruptibilia, quæ mouentur, vt homines. Secundò, ſunt aliqua perpetua, quæ mouentur, vt cœlum. Tertiò, ſunt aliqua corruptibilia, quæ quieſcunt, & talia poſſunt imaginari quieſcere quiete infinita, aut finita, quamuis ſecundùm Ariſtotelem nulla poſſit eſſe quies infinita. Quartò, ſunt entia perpetua immutabilia, vt Deus, & Intelligentiæ, ſecundùm Ariſtotelem; ſed ſecundùm rei veritatem nihil eſt ſimpliciter immutabile, niſi ſolus Deus: quia omnia alia ſunt mutabilia, & ſunt annihilabilia, & ſunt perpetua ſolùm à parte poſt. *Entia ſunt in quadruplici differentia.*

Secundò, notandum quòd iſta nomina *tempus, æuum, æternitas* ſunt nomina ſignificantia durationes; & poſſunt diſtingui iſto modo; quòd tempus [a] ſignificat durationem rei corruptibilis, vt hominis, ſed æuum [b] ſignificat durationem rei perpetuæ, quæ mouetur, vt durationem cœli; ſed æternitas [c] ſignificat durationem rei ſimpliciter immobilis, cuiuſmodi eſt duratio ipſius Dei: tamen ſecundùm Ariſtotelem ſolùm ſunt duo genera durationum, ſcilicet tempus, & æternitas; ita vt duratio rei mutabilis ſit temporalis, & duratio rei immutabilis ſit æterna. Et hæc de primo. *Tempus, æuũ & æternitas durationem ſignificant.*

Quantum ad ſecundum, diſcurrendo per iſta entia, dico primò, quòd omne ens mutabile, quod non eſt perpetuum, eſt in tempore. Probatur, quia *eſſe* ipſius menſuratur tempore, & exceditur à tempore in vtroque extremo. 3. *Quæ entia ſunt in tempore.*

Secundò, dico quòd omne ens mutabile, licèt ſit perpetuum, eſt in tempore; ſed hoc tamen non eſt ita propriè eſſe in tempore, ſicut res corporalis eſt in tempore.

Tertiò, dico quòd res ſimpliciter immutabilis non eſt in tempore, niſi valdè impropriè, ſcilicet capiendo *eſſe* in tempore, pro *eſſe*, quoniam tempus eſt. Patet, quia *æternitas eſt duratio ſemper manens tota ſimul interminabilis*, vt dicit Boëtius, & ideò vocatur momentum, vel inſtans æternitatis, & ideò non debet dici, fuit & erit, ſed debet dici, quod eſt. Ex quo ſequitur, quòd quando hoc verbũ *eſt* dicitur de Deo, propriè loquendo, non connotat tempus: verum eſt tamen quòd iſte modus durandi eſt ſatis difficilis ad apprehẽdendum: quia difficile eſt apprehendere, quòd aliquid

ſit

sit perpetuò, & tamen sit solùm indiuisibiliter: & hæc de secundo.

Quantum ad tertium de motu, & quiete no-
4. *Motus est in tempore dupliciter.* tandum, quòd motus potest dici esse in tempore dupliciter: vno modo, quia est proportionaliter diuisibilis tempori; & isto modo omnis motus est in tempore, & sic intelligitur Aristoteles in isto 4. quòd omne quod mouetur in tempore. Alio modo dicitur esse in tempore ex eo, quòd est mensurabile tempore, sic quòd per quantitatem temporis nobis notam deuenimus in notitiam quantitatis motus, quoniam priùs erat nobis ignota. Et tunc de isto modo sciendum, quòd *Motus tripliciter potest mensurari tempore.* motus potest mensurari [d] tempore tripliciter: vno modo intrinsecè, sicut totum mensuratur per partem. Alio modo extrinsecè per mensuram extrinsecam adæquatam, seu per adæquationem mensuræ extrinsecæ, vt pannus mensuratur per adæquationem, & replicationem vlnæ. Tertio modo per mensuram extrinsecam, non per adæquationem, sed per correspondentiam, sicut declaratum fuit, quòd spatium terræ mensuratur per gradus cœli.

Tunc, prima conclusio est, omnis motus est in tempore, primo modo: quia omnis motus est proportionaliter diuisibilis tempori; igitur omnis motus est in tempore. Tenet consequentia ex descriptione; & antecedens apparet sexto huius, text. 57.

Secunda conclusio. Non omnis motus est in tempore secundo modo, quia non omnis motus est mensurabilis tempore: ergo, &c. Tenet consequentia ex *quid nominis*. Et antecedens apparet: quia aliquis est motus ita paruus, quòd propter eius paruitatem impossibile est per aliquam mensuram certificari de eius quantitate; & propter hoc mensura debet esse minima quantitas, aut minima duratio, secundùm quam alia debent mensurari, scilicet, vel minima [e] simpliciter, vel minima secundùm humanam institutionem, vel consuetudinem, vt dictum fuit aliàs.

5. *Quies mensuratur sicut mobile quiescens.* Tertia conclusio: quies non mensuratur alio modo, quàm esse rei quiescentis: verbi gratia, mensurare quietem mobilis non est aliud, quàm cognoscere quantitatem temporis, quo illa res durat.

Sed dubitatur, posito per imaginationem, quòd Deus ante creationem mundi, creet vnum Angelum, & postea vnum alium, & vocetur primus *A*, & secundus *B*; deinde creet alios duos simul, scilicet *C*, & *D*; tunc quæro vtrùm *A* fuit prius quàm *B*, vel non; si sic; cùm prius sit differentia temporis, sequitur quòd antequam crearet motus, crearet tempus: igitur tempus non est motus, quod est contra totam determinationem præcedentem. Item, quæratur vtrùm *C*, & *D* fuerunt simul; & si sic: igitur idem erat tempus in quo *C*, & *D* fuerunt; & tamen nullus erat motus: igitur tempus erat antequam esset motus. Ad istud respondetur dupliciter [f], vno modo, sicut duratio ipsius *A* fuit maior, & prior duratione ipsius *B*, in certa proportione, posito casu, quòd Deus annihilaret ambos simul: quia si aliquod tempus coexitisset *esse* istorum Angelorum, quod & exititisset esse ipsius *A*, fuisset duplum, vel triplum; aut in alia certa proportione ad tempus, quod coexititisset *B*, si aliquod tempus ei coexititisset: & eodem modo diceretur de *C*, & *D*, quòd æqualiter durauerunt; & oportet sic in proposito loqui conditionaliter, eo quòd priorem casum aliqui non admitterent secundùm naturam, sicut dicebatur de motu locali super 3.

Aliter respondetur, quòd *A* fuit prius, quàm 6.
Vide Scotum in 2. d. 3. q. 3. ad primum principale. *B*, non quòd fuerit in tempore priori; sed quia *A* fuit, *B* non existente; eodem modo dicitur de *C*, & *D*, quòd fuerunt simul: quia nullus istorum fuit alio non existente. Prima tamen solutio est melior: quia si poneretur, quòd Deus primò crearet *A*, & postea ipsum annihilaret, deinde annihilato *A* crearet *B*, & postea ipsum annihilaret; tunc quà ratione *A* esset ante *B*, eàdem ratione *B* fuisset ante *A*; quia sicut *A* fuit, *B* non existente, ita *B* fuit, *A* non existente, & sic si propter hoc vnum diceretur prius altero, vnum esset prius altero, & è contra. Rationes sunt solutæ per prædicta.

Expliciunt quæstiones 4. libri Physicorum.

ANNOTATIONES.

a TEmpus significat durationem rei corruptibilis. 7.
Tempus est mensura mobilis, & motus, & quietis. Nota, quòd tempus est mensura mobilis, & motus, & per accidens quietis, vt habetur 4. huius tex. c. 108. & inde. Vnde tempus solùm est mensura successiuorum, de quo dicit Dionysius lib. de Diuinis nominibus, cap. 13. tempus vocant aliquid, quod in generatione, & corruptione, & variatione aliter se habet. Vnde sequitur primò, quòd tempus non est per se mensura alicuius entitatis permanentis, quia nulla entitas permanens potest mensurari mensurà formaliter successiuà, tum quia mensura duratiua non debet habere modum oppositum suo mensurato, mensura autem successiua habet modum oppositum enti permanenti, quia successiuum, & permanens sunt opposita; tum etiam, quia omnis entitas essentialiter eadem cum aliqua entitate permanente, est necessariò permanens: quia idem non potest esse successiuum, & permanens; modò mensura duratiua, & duratio sunt eadem essentialiter cum quolibet duratiuo, cùm per eius durationem fit extra nihil, & per annihilationem durationis est nihil; nam quantum res durat, tantum est ens. Secundò, sequitur quòd tempus potest esse mensura permanentis per accidens, hoc est, ratione motus.

b *Æuum significat durationem rei perpetuæ.* No- 8.
Æuū est mensura permanentis. ta quòd æuum est mensura cuiuslibet permanentis, siue sit substantia, siue sit accidens, dummodò præscindat à mutatione quacumque: ita quòd suum subiectum est æuiternum, de quo dicit Boëtius 3. de Consolatione.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens, das cuncta moueri.

Ex hoc sequitur primò, quòd omnis substantia mensuratur æuo. Patet, quia non est ab æterno; tum quia æternitas propriè debetur Deo: nec etiam tempore, quia tempus est solùm mensura successiuorum: nec etiam instanti, quia instanti mensurantur solùm durationia per instans: ergo omnis substantia quatenus permanens, & vt abstrahit à quiete & motu, mensuratur æuo. Secundò, sequitur quòd operationes immanentes Angelorum mensurantur æuo. Patet, quia habent eundem modum essendi cum eorum substantia; quia vtrumque est permanens: ergo habent eandem mensuram. Item operatio beatifica Angeli mensuratur æuo: ergo & quælibet eius operatio immanens, cùm habeant eundem modum essendi

&

& vnigenea sint. Antecedens est D. Augustiui, & notaoier dixi *operatio immanens*, ad remouendum operationes transeuntes, vt motos localis eius, & omoes operationes successionem habentes: quia huiusmodi mensurantur tempore.

9. c *Æternitas significat durationem rei simpliciter immobilis.* Nota quòd æternitas est mensura diuinæ essentiæ, vbi nec est principium, nec est finis, de qua loqoitur Boëtius, *quinto de Consolatione*, dicens. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*; & subdit, quòd nec æternitas, nec aliquid in æternitate præteriit, nullúmque in tempore reperire contingit; & ideò solus Deus secundùm Theologos est æternus. Verum est tamen quòd æternitas non habet propriè rationem mensuræ respectu Dei: quia mensura habet rationem perfectionis & independentis. Vnde obserua, quòd quintuplex est genus mensuræ: vna est mensura perfectionis, de qua habetur. 4. *Metaph.* quòd species sunt sicut numeri: qoia sicut vnus numerus est perfectior altero, ita vna species est alterà perfectior, atque ita perfectius io vniuerso est mensura aliorum, vt patet per Commentatorem 12. *Metaph. tex.* 5. & per Auctorem de causis. Secunda est mensura causationis, de qua dicitur 9. *Metaph.* quòd scibile est mensura scientiæ, quia scibile causat scientiam. Tertia est mensura coordinatioois, de qua dicitur 10. *Metaph. text.* 7. quòd primum in vnoquoque genere est mensura aliorum, velut vnitas omnium, quæ ordinatur in genere quantitatis; & ista addit aliquid supra mensuram perfectionis, quia ista potest dicere imperfectionem aliquam, quia vnitas dicit priuationem. Quarta est mensura innotescentiæ, vt vlna, vel cubitus, vel canna, quæ est mensura innotescentiæ, quia per quantitatem vlnæ, vel cubiti cognosco quantitatem panni. Quinta est mensura durationis, sicut tempus mensurat motum, & æuum est mensura Angelorum, & omnium permanentium.

Mensura quintuplex est genus.

10. d *Motus potest mensurari tempore tripliciter.* Nota primò, quòd in generali triplex est genus mensurarum, secundùm modum triplicem mensurandi: quia aliquando aliquid mensuratur replicatiuè; aliquando explicatiuè, & aliquando explicatiuè, & replicatiuè: quia interdum mensuratum excedit mensuram, vt pannus excedit vlnam, & ideò mensuratur per replicationem: interdum excedit & exceditur, & aliquando æquatur mensura mensurato.

Secundò nota, quòd Aristoteles 5. & 10. *Metaph. text.* 2. ratio mensuræ primò competit vni, quod est principium numeri, & ea hoc transfertur ad alia genera, vt illud scilicet sit mensura in quolibet genere, quod habet rationem primi & vnius in illo genere; modò vnum in comparatione ad numerum habet duplicem rationem, scilicet rationem mensurantis per replicationem, & rationem declarantis, & causantis cognitionem de numero, eo quòd habet rationem principij, quo ipsum numerum cognoscimus: vnitas enim aliquoties sumpta adæquat omnem datum numerum, & mensurat ipsum per vnitatem, & sic cognoscitur numerus; nam per vnitatem habet definiti; ea ipso ergo vno transfertur ratio mensuræ vt sit io quolibet genere.

Tertiò nota, quòd ea quæ sunt in tempore mensurantur à tempore, & vincuntur à tempore, id est, minùs habent durationis, quàm tempus, & patiuntur à tempore, id est, alterantur, & corrumpuntur tempore. Vnde omnis motus successiuus est in tempore, id est, mensuratur tempore; sed non per adæquationem mensuræ extrinsecæ, vt hîc dicit Scotus.

11. e *Vel minima simpliciter*, &c. Nota quòd mensura est duplex; quædam ex natura rei, quædam à nobis. Mensura, quæ est ea natura rei, est quæ est ab ipsa natura, & non ea aliqua alia institutione humana; mensura à nobis dicitur, quæ non mensurat ex natura rei, sed ex institutione humana: & per quamcumque mensuram accipitur notitia de mensurato, nam per illud accipitur notitia de mensurato per quod intellectus veridicè certificatur de mensurato; hoc autem fit per quamcumque mensuram. Ex quo sequitur primò, quòd mensurare nihil aliud est, quàm aliquid secundùm quantitatem minùs ootam, per aliquam magis notam certificare & notificare. Secundò, sequitur quòd mensura nihil est aliud, quàm intellectus de quantitate rei determinata certificatio. Tertiò sequitur, quòd mensura importat triplicem respectum, vnum ad intellectum, ad rem mensuratam, & alium ad mensuram. Quartò, sequitur quòd non omnis motus mensuratur tempore, tanquam per mensuram adæquatam, vt hîc dicit Scotus, & ratio patet in littera.

Mensura est duplex.

f *Ad istud respondetur dupliciter.* Nota, quòd prius, & posterius possunt sumi dupliciter. Vno modo realiter, formaliter, & positiuè; & isto modo sunt tempus, & arguunt tempus. Alio modo, quasi modo imaginario, & priuatino, & quasi per quaodam coexistentiam tempori possibili, si esset; & isto modo non arguunt tempus. Vnde imaginor sic, quòd ante mundi initium non fuit prius, & posterius, nisi solùm modo imaginatiuo, & priuatiuo; sicut dicimus de spatio vacuo, quod dicitur tantum quantum esset istud, quod reciperetur; cùm tamen nulla sit ibi quantitas positiuè. Dicimus etiam quòd illud prius, & posterius sunt in æternitate, non tamen formaliter, cùm indiuisibilis sit, sed quasi virtualiter, & per quaodam coexistentiam temporis, si esset, quę si esset, coexisteret sibi.

Prius, & posterius possunt bifariam sumi.

EXPOSITIO TEXTVS.

Ipsum autem ı nunc *est continuatio temporis.* Hoc est quintum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles complet determinationem quorundam, de quibus prædixerat: & primò de *nunc*, & tempore. Secundò, quantum ad hoc, quòd dixit tempus esse causam corruptioois: & tertiò, quantum ad hoc, quòd dixit omnem motum fieri in tempore. Secundum ibi: *Mutatio autem omnis.* Tertiom ibi: *His autem nobis.* Primum diuiditur: quia primò determinat de *nunc*, secundò, de aliis dictionibus significantibus tempus, ibi: *Ipsum autem nunc.* Primò dicit, quòd ipsum *nunc* [a] secundùm propriam significationem est continuatio, & diuisio temporis; sed hoc diuersimodè: quia secundùm quòd intelligitur *nunc* esse idē præteriti, & futuri, secūdùm hoc est continuatio tēporis; sed secundùm quòd intelligitur esse finis præteriti, & initium futuri, secundùm hoc est diuisio temporis; non quòd per ipsum fiat actualis separatio partis temporis à parte, sed secundùm imaginationem tantùm; & in hoc est simile de *nunc* ad punctum: quia sicut per punctum 12. Text. 21.

continuatur linea, & super ipsum fit diuisio lineæ, ita est de *nunc* ad tempus; differunt tamen, quia punctus est res permanens in linea, & *nunc*
Text.122. non est res permanens in tempore. Alio 2 modo intelligitur hæc dictio *nunc* impropriè pro paruo tempore, quod est prope *nunc* propriè acceptum; & isto modo dicimus, quòd Socrates nunc veniet, quia satis citò veniet; sed non dicimus, quòd nunc est facta *Ilion*, id est, destructio Troiæ, eo quòd iam diu est, quòd fuit facta.

13. *Ipsum 3 autem tunc.* Hic determinat de aliis [b]
Text. 123. dictionibus significantibus tempus; & primò de ista dictione *tunc*. Secundò de aliis ibi: *Ipsum autem iam.* Item, primò describit. Secundò, remouet dubium, ibi: *Si verò nullum tempus.* Primò dicit, quòd *tunc* significat tempus determinatum, cuiusmodi est certa distantia ad præsens *nunc*. Vnde ad hoc, quòd dicatur *tunc*, oportet loqui de aliquo tempore, cuius distantia ad præsens est nota, & determinata: & tunc ista dictio *tunc*, est relatiuum identitatis illius temporis: verbi gratiâ, si dicatur, iam sunt duo anni, quòd Socrates fuit Parisiis, & tunc Plato fuit Romæ.

Text.124. *Si verò 4 nullum tempus est.* Remouet dubium: quia si *tunc* describatur per certam distantiam ad præsens, tunc sequitur, quòd omne tempus est finitum, cùm de omni tempore dicatur *tunc*: quia omne illud tempus est finitum, cuius ad præsens est determinata distantia. Respondetur ibi: *Si quidem semper est motus.* Primò conditionaliter, quòd si motus sit infinitus, ita vt semper fuerit aliquis motus, semper fuit tempus; & si non, non; quia vel tempus est motus, vel consequitur motum. Secundò soluit catego-
Text.125. ricè ibi: *Quoniam 5 autem nunc*: quòd tempus nunquam incepit, ita vt ante illud non fuerit aliquod tempus. Est igitur prima conclusio talis. Probatur: quia omne tempus finitum terminatur ad *nunc*, & de ratione ipsius *nunc* est, quòd sit finis præteriti, & initium futuri; & ista ratio debet tractari *in 8 huius*.

14. *Ipsum 6 autem iam.* Hic determinat de aliis di-
Text.126. ctionibus significantibus tempus; & primò de ista dictione *iam*, dicens, quòd iam significat idem, quod *nunc* impropriè acceptum, de quo dictum
Text.127. est priùs. Item, iste 7 terminus *modò* significat tempus propinquum præsenti, & iste terminus *aliquando* significat tempus præteritum remotum à præsente, & iste terminus *repentè* significat tempus ita paruum, quòd est insensibile propter paruitatem.

Vide contradictionem Zimara. *Mutatio 8 autem omnis.* Hic complet determinationem illius quod prædixerat, entia naturalia pati à tempore. Primò facit hoc. Secundò,
Text.128. remouet dubium, ibi: *At verò neque hanc.* Pro conclusione principali supponitur, quòd omnis mutatio est remotiua rei à sua natura, id est, quando res naturalis est in dispositione perfectissima sibi conueniente secundùm naturam; omnis mutatio adueniens sibi remouet ipsam ab
Vide contradictionem Zimara. illa dispositione. Secunda suppositio, quòd omnia quæ fiunt, corrumpuntur, & mutantur, fiunt, corrumpuntur, & mutantur in tempore. Et ideò quidam [c] antiquorum dicebant, tempus esse sapientissimum, eo quòd per studium temporale acquiritur cognitio, & scientia; sed alij dicebant esse stultissimum, & indisciplinabile, eo quòd in tempore fit obliuio eorum, quæ priùs fuerunt scita: quasi dicerent, quòd tempus potiùs est causa obliuionis, & ignorantiæ, quàm scientiæ.

Tunc ponitur ista conclusio, quòd tempus 15.
est magis per se causa corruptionis, quàm generationis. Probatur: quia in tempore est mutatio rei naturalis à dispositione, quam habet, & non potest mutari ad generationem, quia iam genita est; sed benè potest mutari ad corruptionem: igitur tempus potiùs debet dici causa corruptionis, quàm generationis; nisi dicatur, quòd per accidens est causa generationis illius, quod sequi debet ex corrupto. Secundò, declaratur conclusio per signum, quia nunquam videmus ad aliquam rem naturalem generari sine mouente manifesto distincto à tempore, sed videmus ipsas corrumpi per solam vetustatem in tempore sine extrinseco corrumpente; ergo, &c. Vnde propter hoc non attribuimus corruptiones illas tempori, in quibus apparet corrumpens manifestum aliud à tempore, cuiusmodi est interfectio, combustio, & huiusmodi.

At verò neque hanc tempus facit. Remouet dubium: quia dictum est, quòd tempus sit causa corruptionis, crederet aliquis, quòd tempus ageret huiusmodi corruptiones. Respondet quòd non; sed accidit istas corruptiones fieri in tempore per agentia naturalia, quorum aliqua habent in se principium suæ corruptionis, vt heterogenea: aliqua autem alterantur à continente, vt elementa simplicia, & mixta homogenea, tandem recapitulat, & patet littera.

His autem 9 nobis. Hic probat, quòd omnis 16.
motus sit in tempore dupliciter. Primò, omne Text.129.
velocius, vel tardius fit in tempore; sed omnis motus aliquo alio est velocior, vel tardior: igitur omnis motus fit in tempore. Maior patet per definitiones velocioris, & tardioris: nam *velocius* [d] *est, quod motu uniformi in eodem tempore pertransit maius spatium*, & tardius è contra; & minor apparebit *in 6. huius, text.* 12. *&* 13.

At verò prius in tempore est. Secunda ratio, omne prius & posterius est in tempore, loquendo secundùm successionem; sed in omni motu est prius, & posterius: igitur omnis motus est in tempore. Maior patet: quia prius & posterius definiuntur secundùm distantiam ad præsens *nunc*, quod est terminus temporis; modò illa quæ definiuntur per distantiam ad terminum temporis, sunt in tempore, vel secundùm quòd partes sunt in toto, vel secundùm quòd mensuratum per tempus est in tempore. Minor est nota per *quid nominis* motus, & mutationis: nam mutari, est aliter, & aliter se habere secundùm prius, & posterius.

ANNOTATIONES.

[a] *Ipsum* nunc *secundùm propriam significationem*. 17.
Nota quòd *nunc* bifariam sumitur. Vno modo propriè, & sic *nunc* significat indiuisibile temporis, & est ipsum præsens, quod est continuatio præteriti temporis cum futuro, quia finis præteriti, & initium futuri, sicut terminus vtriusque communis, copulans actu temporis partes, atque illa diuidens in potentia, copulátque vt idem, & vnum: diuidit autem vt duo, id est, quòd quatenus diuidit consideratur vt duo; quatenus autem copulat, est idem & vnum. Et dicit Philosophus quòd *nunc* differat à puncto, quod continuat partes lineæ; tum quia punctum est nec permanens, vt linea ipsa: instans verò

est


est semper fluens, & indiuisibiliter durans; tum etiam quia punctum non solùm in potentia diuidit partes, quas actu copulat, sed cùm actu diuiduntur, est etiam finis in actu, tanquam extremum lineæ, sed *nunc* temporis non potest esse finis temporis, actu diuisi, sed diuidit in potentia per hoc, quòd consideratur, vt finis vnius, & principium alterius. Et ideò licèt idem *nunc* sit continuatiuum, & diuisiuum, hoc tamen est sub diuersis rationibus: nam quatenus diuidit, alterum est, id est, consideratur vt duo, nempe vt finis vnius, & initium alterius; sed quatenus copulat, consideratur vt vnum, scilicet, vt vnus terminus communis vtrique. Secundo modo sumitur *nunc*, quatenus significat tempus tam præteritum, quàm futurum, sicut quando dicimus de aliquo, quòd veniet nunc, quia veniet hodie, & de aliquo quòd nunc discessit, id est, tempore proximo præterito: at non dicimus bellum Troianum, aut diluuium Thessalicum, quod magnam partem Græciæ inundauit, factum esse nunc, quia licèt tempus belli Troiani sit continuum præsenti, tamen non est proximum.

18. [b] *Hic determinat de aliis dictionibus*, &c. Nota primò, quòd antiqua translatio habet alias dictiones, vbi enim translatio, quam sequitur Scotus, habet *nunc*, antiqua habet *instans*, & vbi *tunc*, habet *quando*, & vbi *iam*, habet *esse*, vbi verò *modo*, *paulo ante*, & vbi *olim*, *pridem*, & *antiquitus*, & vbi *repentè*, *subitò*.

Nota secundò, quòd *olim*, aut *aliquando* significat tempus terminatum ad aliquod *nunc* præteritum, aut futurum; vt si dicamus, olim fuit diluuium, olim erit vniuersale iudicium. Sed hæc dictio *iam* significat idem, quod *nunc* in secunda significatione: accipitur etiam pro tempore longè præterito; vt iam Troia fuit combusta, multis retrò temporibus. Hæc autem dictio *nuper* significat tempus præteritum, non tamen longè ab hoc præsenti, vt nuper veni, id est, non multò antè. Hoc verò aduerbium *quondam* significat tempus valde præteritum, at *repente* significat tempus insensibiliter transactum, vt fulgur repentè transit.

Opiniones duæ fuerunt de tempore. [c] *Et ideò quidam antiquorum dicebant*. Nota quòd de tempore fuerunt duæ opiniones. Vna dicebat, quòd tempus esset causa generationis & disciplinæ: altera quæ fuit cuiusdam Philosophi Pythagorici dicti Pharon, dicebat, quòd tempus est magis causa obliuionis, quàm scientiæ, & corruptionis, quàm generationis; & quamuis vtraque istarum opinionum habeat apparentiam, eo quòd omnia & generantur, & corrumpuntur in tempore, tamen secunda est verior; & ratio patet in littera.

19. d *Velocius est quod motu vniformi in eodem tempore*, &c. Nota quòd notanter dictum est *motu vniformi*, hoc est, comparando motum rectum ad motum rectum, & circularem ad circularem; nam si vnum mobile moueretur per chordam ab *A* ad *B*, & alterum per arcum semicirculi, licèt quod mouetur per chordam, citiùs veniat ad idem punctum: non tamen velociùs mouetur, quàm quod mouetur per arcum: immò, si in eodem tempore,



quo vnum transit chordam, aliud transiret arcum, velociùs moueretur per arcum, sicut suprema sphæra velociùs mouetur, quàm infima, licèt ambæ quolibet die faciant circulum ab Oriente in Orientem, quia suprema maiorem circulum describit.

EXPOSITIO TEXTVS.

Dignum autem 1 *consideratione*. Hoc est sextum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit qualiter tempus est, & qualiter est vnum; & diuiditur, quia primò mouet duas dubitationes: [a] secunda ibi: *Dubitauerit autem aliquis*. Primò, mouet dubitationes; secundò soluit, ibi: *Aut quia ipsius motus*. Primò, soluit primam. Secundò, secundam, ibi: *Vtrum autem cùm*. Pro solutione secundæ ponit conclusionem, quòd in omnibus rebus naturalibus inuenitur tempus: quia in omnibus [b] mobilibus inuenitur tempus; sed omnes res naturales sunt mobiles: ergo, &c. Maior patet, quia omne mobile aut semper mouetur; & tunc motus ipsius tempus potest esse mensura saltem quantum ad partem, si quandoque mouetur, & quandoque quiescit, tunc tam motus ipsius, quàm eius quietis tempus potest esse mensura secundùm se totum; & minor nota est *ex secundo huius, text.4*. 20. Text. 130.

Vtrum autem cùm 2 *non sit anima*. Soluit primam dubitationem per duas conclusiones. Prima est, si impossibile esset animam esse, impossibile esset tempus esse. Probatur: quia si [c] impossibile esset numerantem esse, impossibile esset numerum, aut numerabile esse; sed omne numerans est anima. Secunda conclusio: licèt anima non sit, adhuc tempus est, dum tamen sit possibile animam esse. Probatur, quia dato quòd anima non sit, & possit esse, adhuc motus ille, qui est tempus, vel qui consequitur tempus, est mensurabilis ab anima: verbi gratiâ, dato quòd nullum comburens esset, attamen benè esset aliquod combustibile; sed posito quòd nullum comburens possit esse, tunc nullum combustibile posset esse, & sic est in proposito: quia tempus, licèt [d] actu non numeretur ab anima, tamen numerabile est, & ex eo quòd est numerabile, dicitur tempus. Text. 131. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Dubitauerit 3 *autem aliquis*. Hic mouet secundam dubitationem. Secundò, recurritur ad declarandum quoddam dictum ibi; *Dicitur autem rectè*. dubitatio est ista, cuius & qualis motus tempus est numerus, vtrùm cuiuslibet, vel alicuius sic, & alicuius non! & ponit duas solutiones: secundam ibi: *Quoniam autem est loci mutatio*. Item, primò ponit solutionem. Secundò replicat; & tertiò soluit dubitationem. Secundum ibi: *Alterum igitur tempus erit*. Tertium ibi: *Si enim simul hi canes*: est conclusio ista, quòd cuiuslibet motus tempus est numerus. Probatur, omnis motus mensuratur tempore, vt probatum est prius: igitur cuiuslibet motus tempus est numerus, seu mensura: quia non intelligimus aliud per tempus esse numerum motus, quàm quòd motus sit in tempore, & mensuretur tempore. 21. Text. 132. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Alterum igitur tempus erit. Hic replicat, quòd non cuiuslibet motus tempus est numerus, cùm simul sint multi motus, & numerus sit idem rebus numeratis, sequitur quòd simul erunt diuersa tempora,

tempora, quod est falsom: quia idem est annus mihi,& tibi.

Si enim sint hi canes. Hic dictam dubitationem soloit per duas conclusiones. Prima est, quòd omnium [c] motuum simul existentium, & æqualium secundùm durationem est idem tempus. Probatur, quia diuersorum secundùm speciem,& separatorum ab inuicem, benè est idem numerus: igitur & motuum simul existentium benè est idem tempus, non obstante quòd vnus illorum motuum sit velocior alio, vel quòd vnus sit motus augmentationis, vel alterationis; & alter motus localis. Et antecedens patet: quia idem est numerus decem canum, & decem equorum. Et tenet consequentia: quia sicut numerus est mensura illorum, quæ numerantur, ita tempus est mensura motuum.

22. Secunda conclusio est ista. Motuum non simul existentium non est idem tempus. Probatur: quia non est idem tempus prius, & posterius; sed motuum non simul existentium vnus est prior, & alter posterior: ergo, &c. Notandum circa hoc, quòd Aristoteles dicit eundem esse numerum decem canum, & decem equorum, quòd ibi non accipitur numerus pro actu animæ: quia alio actu animæ numeramus canes, & alio equos. Similiter non accipitur pro rebus numeratis, qui sunt canes & equi, quia certum est quòd nulli canes sunt equi; ideò accipitur ibi numerus pro numero numerato, quo numeramus canes, & equos, vt si numeremus eos per digitos, aut fabas.

Text. 133. *Tempus est motus cœli. vide contradictionem Zimara.* *Quoniam 4 autem est loci mutatio.* Hic ponit secundam solutionem, quæ specificat primam; & ponitur ista conclusio: Tempus est primus motus, scilicet motus circularis cœli; & primò eam probat ratione. Secundò, signis, & authoritatibus. ibi: *Quapropter & videtur.* Conclusio probatur sic: quia illud est tempus, quo mensurantur omnes motus; sed motu cœli mensurantur omnes motus; igitur motus cœli est tempus. Maior est nota: quia hoc fuit probatum priùs esse proprium tempori, vt patet per definitionem temporis; & minor patet, quia motus cœli saltem secundùm partem minorem, vt annus mensuratur per diem, dies per horam, & sic de aliis. Similiter patet de aliis motibus, quia per hoc, quòd cognoscitur quantitas temporis motus cœli, cognoscitur quantitas durationis aliorum motuum.

23. *Si igitur primum mensura.* Probat secundò conclusionem per tria, in quibus motus cœli conuenit cum mensura. Vnde de ratione mensuræ est, quòd sit proxima, id est, eiusdem generis cum rebus mensuratis: verbi gratiâ, longitudo mensuratur longitudine, pondus pondere, & ita de aliis. Ideò dicit [f] Aristoteles 10. *Metaph. text.* 4. quòd vnum mensuratum est plures mensuræ. Secundò, de ratione mensuræ est, quòd sit regularis. Et tertiò, quòd sit nota. aliàs enim per ipsam non posset cognosci mensuratum: modò ista tria conueniunt motui cœli. Prima, quia motus cœli est primus in genere motuum: modò rationabile est, quòd primum in vnoquoque genere sit mensura aliorum eiusdem generis. Secundò, quia motus cœli est regularissimus: quia nec augmentatio, nec alteratio est adeò regularis sicut motus localis, & tamen motus cœli omnium motuum localium est regularissimus. Tertiò, motus cœli est notissimus, scilicet apud omnes, licèt apud aliquos aliquis motus alicui homini sit magis motus, tamen apud omnes homines nullus est adeò notus. Ex quibus sequitur, quòd motus cœli est mensura aliorum motuum, & per consequens motus cœli est tempus.

Propter hoc autem. Hic declarat dictam conclusionem authoritatibus antiquorum. Primò, huic conclusioni concordant dicentes, quòd tempus est motus sphæræ, quia tempus est motus sphæræ cælestis, quo alij motus mensurantur: & tempus mensuratur illo motu, secundùm signum, quia propter hoc quòd tempus est motus circularis cœli, dicunt populares res humanas, id est, temporales, venire secundùm circulum, eo quòd mensuratur tempore, oportet quòd tempus sit circulus, seu motus circularis. Et subdit, quòd metra, seu multæ mensuræ sunt vnum mensuratum, eo quòd totum est suæ partes: verbi gratia, multæ partes vnius reuolutionis sunt vna reuolutio tota, & multæ vlnæ sunt vna tota longitudo.

Dicitur 5 autem rectè. Hic declarat quoddam dictum, scilicet, quòd idem sit numerus equorum, & canum, scilicet decem; & totum stat in hoc, quòd equi, & canes [g] conueniunt specie, & licèt non conueniant specie de genere Substantiæ, tamen benè conueniunt specie de genere Quantitatis discretæ. Explicit expositio 4. libri Physicorum, Deo gratias. Text. 134.

ANNOTATIONES.

[a] PRimò mouet duas dubitationes. Nota quòd prima dubitatio est, quomodo tempus se habeat ad animam. Secunda, propter quid tempus est vbique, scilicet in terra, mari, & in cœlo. Et nomine terræ intelligit omnia terrestria, & cuncta quæ nos experimur moueri; aëris autem & sphæræ ignis, quorum motus non experimur, non facit mentionem, quia adhuc non tractauit de eorum motu. 25.

[b] *In omnibus mobilibus inuenitur tempus.* Nota quòd huic dicto non obstat, quòd suprà dixerat *text.* 117. *Sempiterna*; & per consequens cœlum non esse in tempore, quia intelligit illic, quantum ad suum esse, & durationem, hic verò quantum ad suum motum.

[c] *Si impossibile esset numeratum esse, impossibile esset esse numerum.* Nota quòd hoc argumentum procedit à *posse* ad *esse* in hunc modum. Si nulla esset possibilis potentia numerans, nullus esset possibilis numerus, quia numerus dicit respectum ad numerantem (est enim numerus id, quod vel actu numeratur, vel in potentia est numerabile.) ergo si de facto nulla esset potentia numerans, nullus esset numerus. Potentia autem numerans esse nequit, nisi intellectus, cuius est comparare mensuram ad mensuratum, & congerere vnitates numeri; & tempus est numerus numeratus; ergo si nullus esset intellectus, nullum esset tempus.

[d] *Quia tempus, licèt actu non numeretur ab anima.* Nota quòd solutio Aristotelis videtur in hoc consistere, quòd tempus accipiendo formaliter, vt dicit numerum, non esset, nisi intellectus esset: accipiendo autem materialiter pro re quæ est tempus, potest esse sine anima, nam motus qui est res, quæ est tempus, est sine anima, & hoc est, quod ait: *Nisi hoc quod aliquando existens tempus est, vt si contingat motum esse,* &c. Id est, conceditur tempus formaliter non esse sine anima, nisi materialiter *hoc*, id est, illa res, quæ 26.

aliquando

aliquando existit tempus, puta motus, qui est realiter idem quod tempus, vt diximus suprà.

* *Omnium motuum æqualium, & simul existentium est idem tempus.* Nota, quòd hæc consequentia non tenet, si tempus esset mensura cuiuslibet motus: ergo simul essent duo tempora æqualia: quia ad multiplicationem motuum non sequitur multitudo temporum. Nec oportet quòd duo motus habeant duo tempora: nam diuersorum numerabilium, & inuicem æqualium secundùm multitudinem, est idem numerus, sicut decem canum, & decem equorum; nam & si hi sint canes, & illi sint equi, tamen numerus denarius est idem, supple secundùm speciem, in canibus, & equis. Ita est de tempore, quia tempus est numerus, atque adeò licèt in motibus sit diuersitas ex eo, quòd vnus sit velox, & alius tardus, vel quòd vnus sit loci mutatio, & alius alteratio, vel quòd vnus fiat in vno loco, & alius in alio loco multum distanti; tamen omnium motuum æqualium & simul existentium est idem tempus, quod intelligas de tempore, quod est mensura intrinseca primi motus, & extrinseca omnium motuum inferiorum. Nam sicut omnium mobilium est vnus motus generalis, nempe motus diurnus primi mobilis, ita est vnum tempus generale mensurans intrinsecè illum motum, & extrinsecè motus istorum inferiorum: & sicut cuiuslibet rei temporalis est vnus proprius motus, ita etiam vnum proprium tempus ipsum mensurans: de primo tempore intelligit hic Philosophus quando ait, quòd impossibile est ipsum multiplicari, non de secundo, vt diximus suprà.

27. *Tempus habet omnes conditiones mensuræ.*

f *Ideo dicit Aristoteles 10. Metaph.* Nota quòd, vt docet Aristoteles 10. *Metaph. text. 3.* mensura debet esse congenea, id est, eiusdem rationis cum mensurato, simplicissima, atque notissima sui generis, quæ conditiones optimè congruunt tempori, quod mensurat motum primi mobilis (est enim idem realiter illi motui, atque adeò interdum tempus mensuratur motu, & motus tempore: nam accepto aliquo motu determinato, siue aliqua parte motus, per ipsam mensuratur quantitas ipsius motus, & totius talis.) sicut ergo motus primi mobilis est eiusdem generis, id est, eiusdem Prædicamenti cum aliis omnibus motibus, éstque omnium primus, simplicissimus, atque notissimus, ita & tempus; atque adeò sicut ille motus est omnium aliorum mensura, ita omnium motuum numerus, & mensura est tempus illius primi mobilis. Quòd autem ille motus sit omnium primus, manifestum est, cùm sit omnium causa. Quòd autem sit simplicissimus, patet, quia numeri irregulares, & difformes sunt veluti compositi ex dissimilibus partibus; motus verò cæli propter suam vniformitatem est simplicissimus, & ideò habet se inter motus, sicut vnitas in numero. Et quòd sit notissimus, patet ex motu Solis, per quem iudicamus de duratione nostrarum operationum, ex quo sequitur primò, quòd neque alteratio, neque augmentatio, neque generatio, erit tempus, quia nullus istorum motuum (eo quòd sunt rerum corruptibilium) esse potest ita continuus, aut ita vniformis, & regularis: & idem est iudicium de motu locali recto, quia est manifestè irregularis: si enim est naturalis, velocior est in fine quàm in principio, si verò violentus è conuerso. Secundò, sequitur quòd tempus conuenit primò motui vltimæ sphæræ, immò ipsum est talis motus, modo suprà explicato.

28. *Genus remotum prædicatur de speciebus remotis cum nota vnitatis, vel identitatis.*

g *Equi & canes conueniunt in specie.* Nota quòd genus remotum prædicatur de speciebus remotis, quæ sunt sub genere inferiori cum nota vnitatis, vel identitatis, de quibus tamen genus proximum cum tali signo vnitatis, aut identitatis haud prædicatur. Exemplum ponit Aristoteles in Mathematicis de duobus triangulis, quorum alter est æquilaterus, alter verò scalenus, id est, inæqualium omnium laterum, affirmans, quòd sunt eadem figura: & ratio est, quia figurarum alia circularis, alia quadrangularis, alia triangularis, &c. atque adeò figura non diuiditur immediatè per has differentias *æquilaterus*, & *scalenus*, & ideò ratio figuræ manet eadem in ambabus speciebus: atque ita illi duo trianguli non differunt ab inuicem in ratione figuræ; sunt ergo eadem figura. Negamus tamen quòd sint idem triangulus, propterea quòd triangulus immediatè diuiditur in æquilaterum, qui appellatur *isosceles*, & alium trium laterum inæqualium, qui dicitur *gradatus*, & alium duorum inæqualium, qui vocatur *scalenus*, atque adeò ratio trianguli non manet eadem in illis vt contracta per illas differentias; & hoc est, quod dicit Aristoteles quòd illud est idem illi, à quo non differt differentia, & non est idem illi à quo differt differentia: sed isosceles differt differentiâ trianguli à gradato, & non differt ab eo differentiâ figuræ. Et ex hoc sequitur, quòd genus quandoque prædicabitur de indiuiduis eiusdem speciei, quæ sub illo continentur: nam duo æquilateri non solùm sunt eadem figura, sed idem etiam triangulus, non tamen sunt idem æquilaterus, quia Species materialiter diuiditur per diuersa indiuidua, sicut Genus formaliter per suas differentias. Eodem modo possumus dicere, quòd Petrus, & Paulus sunt idem animal, non tamen sunt idem homo: Petrus tamen, & Brunellus non sunt idem animal, tametsi dici possint idem corpus. Eodem ergo modo motus omnes, scilicet alteratio, generatio, augmentatio, & motus localis eodem tempore conueniunt, quod est omnium mensura, licèt non sint idem motus.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text.1. TRANSMVTATVR 1 *autem quod transfertur omne.* Iste est quintus liber, in quo Philosophus determinat de motu ipso, quantum ad eius diuisionem in partes subiectiuas: & diuiditur in tres tractatus. Primus tractatus est de speciebus mutatiooia, & motus. Secundus est de vnitate motus. Et tertius de contrarietate motuuoi. Secundus ibi: *Post hac autem dicamus.* Tertius ibi: *Amplius autem determinandum est.* Primi tractatus sunt tria capitula: in primo ostendit, quæ requiruntur ad motum; in secundo determinat de speciebus. Secundum ibi: *Quoniam autem omnis transmutatio.* Tertium ibi: *Si igitur Prædicamenta.* Primum capitulum diuiditur: quia primò præmittit quandam distinctionem tam de mobili, quàm de mouente. Secundò, ostendit quæ requiruntur ad motum. Tertiò, mouet dubitationem. Quartò, abiicit vnum membrum diuisionis à sua consideratione. Secundum ibi: *Quoniam autem est quidem.* Tertium ibi: *Attamen dubitabit aliquis.* Quartum ibi: *Quæ igitur secundùm accidens est.* Diuisio quam ponit, est ista, quòd illorum, quæ [a] transmutantur, id est, mobilium, quoddam est mobile secundùm accidens, scilicet, quod non inhæret mobili per se, vt albedo, vel Musica, inhærens mobili, aliud est mobile secundùm partem; scilicet, quod dicitur moueri ex eo, quòd pars sua mouetur: vt dicimus hominem sanari, eo quòd digitus suos sanatur: aliud est mobile per se, & primò, quod secundùm se, & quodlibet sui mouetur, & differunt ab inuicem mobile per se, & mobile per accidens, quia mobile secundùm partem potest esse mobile per se, & primò; sed mobile secundùm accidens nunquam.

Text.2. Eodem 2 modo distinguitur de mouente: nam quoddam est mouens secundùm accidens, vt si diceremus: Musicus sanat; aliud est mouens secundùm partem, vt homo percutit, quia manus sua percutit: & aliud est mouens per se, & primò, vt dicendo, medicus sanat.

2. Text.3. Motus quot requirat. *Quoniam 3 autem est quidem.* Hîc ostendit, quot requiruntur ad motum. Secundò, ponit differentiam inter illa, ibi: *Sed est mouens.* Primò dicit, quòd ad omnem motum requiruntur mouens, vt patet 7. *huius.* Secundò, mobile, vt patet per definitionem motus datam in tertio. Tertiò, tempus, in quo fit motus, vt probatum est in *quarto.* Quartò requiritur terminus *à quo,* & Quintò terminus *ad quem:* nam omnis motus est à termino in terminum, vt calefactio à frigiditate in caliditatem.

Sed est 4 mouens. Ponit differentiam inter ista; Text.4.
primò inter mobile, & terminos: quia mobile denominatur motum, nullus autem terminorum denominatur motus, sed est illud à quo, vel in quod fit motus. Secundò ponit differentiam inter terminos motus; vnde motus determinatur à termino *ad quem,* & non à termino *à quo,* vt motatio, quæ est à caliditate in frigiditatem, denominatur frigefactio & non calefactio: tunc recapitulando, subdit Philosophus quòd [b] passiones, scilicet qualitates, sunt immobiles, vt calor; & hoc est verum, nisi ad motum suorum subiectorum.

Attamen 5 dubitabit aliquis. Hîc mouet dubi- 3.
tationem. Secundò, ostendit qualiter dicta di- Text.5.
stinctio inuenitur in terminis motus, ibi: *Est autem & in illis.* Dubitatio est verùm aliqua passio sit motus: verbi gratià, vt albedo. Respondet Philosophus quòd non; quia dicit quòd albedo non est motus, sed albatio; sed per hoc non vult negare, quin motus ad albedinem sit motus; sed intendit, quòd ista non est quidditatiua, *albedo est motus.*

Est autem & in illis. Applicat distinctionem positam terminis motus: vnde quidam est terminus motus secundùm partem, vt quando dicimus albificatio est mutatio ad colorem, eo quòd est mutatio ad partem subiectiuam coloris, scilicet ad albedinem. Alius est terminus per se: quemadmodum dicimus albificatio est mutatio ad albedinem. Sed alter est terminus secundùm accidens, vt quemadmodum dicimus, quòd albificatio est mutatio ad illud, quod Socrates intelligit, quia accidit, quòd albedo ad quam est motus, intelligatur à Socrate.

Quæ igitur 6 secundùm accidens est. Hîc abiicit Text.6.
primum membrum prædictæ distinctionis à sua consideratione; & ponit duas conclusiones. Prima est, quòd non est determinandum de motu secundùm conditiones, quæ conueniunt sibi per accidens. Probatur, quia in scientia demonstratiua non est determinandum de aliquo secundùm propositiones contingentes, sed propositiones secundùm tales conditiones per accidens, sunt contingentes: ergo, &c. Secunda conclusio est. Determinandum est de motu secundùm conditiones, quæ per se competunt sibi. Probatur, quia tales propositiones sunt necessariæ, vt quòd omnis motus est de contrario in contrarium; vel de contradictorio in contradictorium, & hoc est manifestum per inductionem, accipiendo contradictionem, vel contrarietatem largè, prout se extendit ad repugnantiam, quæ est mediorum ad extrema: quia medium comparatum ad aliquod extremorum habet vicem alterius extremi, vt fuscum comparatum ad album habet vicem nigri, & è contra.

ANNO

ANNOTATIONES
Patris Arretini.

4. *Mobilia tripliciter mouentur.*

a *Liberum quæ transmutantur*, &c. Nota primò, ea quæ mouentur, tripliciter moueri. Per accidens, secundùm partem, & per se primò. Primò, & per se aliquid alicui conuenit, quia habet causam propriam, & principium, cur primò illud sibi conueniat; vt habere tres angulos æquales duobus rectis, conuenit primò ipsi triangulo, quia triangulos habet in se causam, quare hæc affectio sibi conueniat. Per accidens autem illud conuenit alicui, quod conuenit propter illud, cui primò, & per se competit: hoc autem dupliciter contingit; aut quia est coniunctum illi, cui primò, & per se competit; aut quia etiam competit illi, tamen propter illud, cui primò, & per se competit: vt sanari competit homini per accidens, quia sanari primò, & per se competit eius parti; & hæc est diuisio quam hîc intendit Aristoteles dicens, moueri tribus modis posse contingere. Vno modo per accidens; vt si Musicus moueatur, accidit enim mobili, quòd sit Musicus, quia mobili coniuncta est Musica. Secundo modo, quia est pars illius quod mouetur. Tertio modo, vt ipsum totum, cui primò, & per se competit moueri, quia habet in se principium motus.

Totum quomodo dicatur moueri ad motum partis?

Sed dubium est, quomodo totum dicatur moueri ad motum partis; nam ex hoc sequeretur, quòd idem simul posset moueri, & quiescere, eâdem enim ratione, quâ dicitur moueri ad motum vnius partis, dicitur quiescere ad quietem alterius; atque ita sequi videtur idem simul moueri contrariis motibus, vt calefieri, & frigefieri: & ex hoc vltrà, cùm omne quod calefit in termino calefactionis sit calidum, & omne quod frigefit in termino frigefactionis sit frigidum: sequitur idem simul posse esse frigidum, & calidum, quod tamen est impossibile.

5. *Dispositio secundùm quã fit motus, est duplex.*

Pro solutione nota, quòd duplex est dispositio, secundùm quam fit motus. Quædam est quæ solùm nata est inesse vni parti determinatæ, vt simitas: & talis dispositio ratione partis denominat totum; atque adeò si pars moueatur ad talem dispositionem, totum etiam dicitur ad eam moueri: nec sequitur, si vna pars non moueatur ad illam, totam quiescere ad quietem illius, quia illa pars non quiescit quiete oppositâ tali motui, cùm tali motu non sit nata moueri.

Alia est dispositio, quæ potest indifferenter inesse pluribus partibus: & talis dispositio non semper denominat totum, ex hoc quòd denominat alteram partem, ideò non oportet, quòd si pars alicuius totius moueatur ad talem dispositionem, concedere, quòd totum simpliciter ad eam moueatur, sed solùm cum hac determinatione, *quæ est secundùm partem*; non enim sequitur, si aliquis dealbatur secundùm manum, quòd dealbetur simpliciter; sed solùm secundùm quid, scilicet secundùm partem. Patet ergo ex his, quòd non est necessarium idem simpliciter posse calefieri, & simul frigefieri; nec idem posse esse simul calidum, & frigidum; nec idem moueri simpliciter, & quiescere quiete oppositâ tali motui. Sunt etiam & aliæ dispositiones, quæ si insunt vni parti, relinquunt dispositionem aliquam in aliis partibus, vt infirmitas, & sanitas: & in talibus, si pars alicuius totius moueatur ad talem dispositionem, conceditur totum simpliciter moueri; vnde corpus dicitur sanari, quia oculus, aut thorax sanatur, vt patet in textu. Similiter sequitur, *caput hominis est infirmum, ergo homo est infirmus.*

b *Passiones, scilicet qualitates sunt immobiles.* Nota quòd Aristoteles 1. *Physic. text.* 6. docuit, in transmutatione quacumque subiectum propriè enunciari in recto, vt homo fit niger; sed terminus *à quo* propriùs explicatur in ablatiuo: vt dicimus ex albo fit nigrum potiùs, quàm album fit nigrum: cuius ratio est, quia subiectum manet sub termino *ad quem*; priuatio autem quæ est terminus *à quo* non manet; & ideò hîc dicit, quòd motus est in mobili subiectiuè, & non in specie, id est, in forma ad quam est motus: nam id quod mouetur alterum est, & à termino *à quo*, & à termino *ad quem*, vt in aquæ calefactione tria consideramus, scilicet frigidum, & calidum, & aquam, quæ successiuè subiicitur vtrique qualitati, dum aqua ex frigida fit calida. Et non solùm aqua realiter distinguitur à frigiditate, & caliditate, sed aqua in quantum aqua distinguitur ab aqua in quantum frigida, aut in quantum calida, & hoc est quod concludit: *Manifestum est, quòd motus in ligno est, non in specie*, id est, id quod propriè calefit, neque est frigidum, neque calidum sub tali ratione, sed lignum. Speciem autem appellat formam, & eam, quæ acquiritur, & eam, quæ corrumpitur, vel subiectum sub tali forma. 6.

EXPOSITIO TEXTVS.

QVoniam autem t omni transmutatio. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo determinat de speciebus mutationis: & primò præmittit quandam suppositionem, cum vna diuisione. Secundò ostendit, quot sunt species mutationis. Et tertiò, ostendit quæ illarum specierum sit motus. Secunda ibi: *Quare necesse est ex iis.* Tertia ibi: *Quæ igitur ex non subiecto est.* Suppositio est ista, quòd omnis mutatio est à quodam in quoddam. Istud patet per *quid nominis* mutationis: nam mutari est aliter se habere priùs quàm posteriùs. Tunc est diuisio ista, quòd omnis [a] mutatio, aut est de subiecto in subiectum, aut est ex subiecto in non subiectum, aut est de non subiecto in subiectum, aut est de non subiecto in non subiectum: & explicat quid intelligat per subiectum. Vnde per subiectum non intelligitur illud quod subiicitur mutationi, sed debet intelligi dispositio affirmatiua, vt albedo, vel nigredo, à qua, vel ad quam fit mutatio; & per non subiectum intelligitur priuatio huius dispositionis. 7. Text. 7.

Mutatio ex subiecto in subiectum, ex subiecto in nõ subiectum, ex nõ subiecto in subiectum, & ex non subiecto in non subiectum.

Quare necesse est ex iis. Hic infert quot sunt species mutationis: & ponitur prima conclusio capituli, quòd solùm sunt species mutationis, ad istum sensum, quòd sunt tres species transmutationis, & non plures. Probatur, quia non est imaginabile fieri mutationem, nisi aliquo dictorum modorum quatuor; sed impossibile est, quòd quarto modo fit aliqua mutatio: igitur omnis mutatio est aliquo dictorum trium modorum; & per consequens sunt tres species mutationis, & non plures. Maior patet, quia mutatio debet fieri inter opposita saltem contrariè, priuatiuè, vel contradictoriè; modò illa mutatio, quæ fieret ex non subiecto in non subiectum, nullo modo fieret inter opposita, quia de necessitate

Vide contradictionem Zimara.

oppoſita requiruut alterum extremum affirmatiuum.

8. *Quæ igitur ex non ſubiecto eſt.* Hîc oſtendit, quæ illarum ſpecierum ſit motus: & diuiditur, quia primò præmittit duas ſuppoſitiones. Secundò, oſtendit quæ illarum ſpecierum non ſit motus. Et tertiò, quæ illarum ſpecierum ſit motus. Secunda ibi: *Quod autem ſimpliciter non eſt hoc.* Tertia ibi: *Quoniam autem omnis motus.* Prima ſuppoſitio eſt, qualiter vocentur illæ duæ mutationes, quarum vna eſt ex ſubiectu in non ſubiectum; & alia ea non ſubiecto in ſubiectum: & dicit, quòd mutatio quæ eſt de non ſubiecto in ſubiectum, vocatur generatio; quæ verò eſt de *eſſe* ad *non eſſe*, corruptio; & vtraque [b] eſt duplex; quia quædam eſt generatio ſubſtantiæ, & corruptio ſubſtantiæ: alia ſecundùm *quid*, vt generatio, & corruptio accidentis. Secunda ſuppoſitio, quòd non ens dicitur multipliciter: vno modo accipitur non ens pro falſo, vt patet 6. *Metaph. text.* 4. Alio modo pro illo, quod eſt pura potentia, ſic quòd non eſt in actu; & ſic dicimus, quòd materia prima eſt non ens, ſcilicet actu. Tertio modo accipitur non ens non ſimpliciter, ſed cum additione; ſicut dicendo non album, non bonum: modò contingit aliquid eſſe ens ſimpliciter, & tamen eſſe non ens iſto modo: quia homo eſt ens, & tamen eſt non albus.

Generatio alia ſimpliciter, alia ſecũdùm quid.

Non ens ſumitur multipliciter.

9. Text. 8. *Quòd 2 autem ſimpliciter non eſt hoc.* Concludit quæ ſpecies mutationis non ſint motus; & ponit duas concluſiones, quæ ſunt ſecunda, & tertia capituli. Prima eſt iſta, quòd generatio [c] non eſt motus. Probatur, quia illud quod generatur non mouetur; igitur generatio non eſt motus. Tenet conſequentia per locum à coniugatis. Antecedens probatur, quia omne quod mouetur eſt ens; ſed nullum quod generatur eſt ens; igitur nullum quod generatur mouetur. Tenet conſequentia in Cameſtres: & maior probatur, quia motus eſt actus entis, &c. Et minor patet, quia quod generatur mutatur ad *eſſe*: modò ſi eſſet, fruſtra mutaretur ad *eſſe*, quia vt patebit 6. *huius*, impoſſibile eſt aliquid mutari ad hoc, ad quod iam actu mutatum eſt, & quod actu habet. Secunda concluſio; corruptio non eſt motus. Probatur, quia corruptio opponitur generationi, modò omne quod eſt contrarium alicui mutationi. vel motui, illud eſt mutatio, motus, vel quies; ſed corruptio non eſt quies, nec generatio eſt motus: igitur corruptio non eſt motus.

Generatio non eſt motus.

Subiectum motus eſt in actu.

Corruptio nõ eſt motus.

Text. 9. *Quoniam 3 autem omnis motus.* Hîc oſtendit, quæ ſpecierum mutationis ſit motus; & oſtendit quòd illa ſola mutatio eſt motus, quæ eſt de ſubiecto in ſubiectum. Probatur, quia mutationis ſolùm ſunt tres ſpecies: vna quæ eſt de ſubiecto in ſubiectum; & alia quæ eſt generatio; & alia, quæ eſt corruptio; ſed nec generatio; nec corruptio eſt motus, vt probatum eſt: igitur ſola illa mutatio eſt motus, quæ eſt de ſubiecto in ſubiectum. Et exponit ſicut priùs, quòd per ſubiecta ſolùm intelligit diſpoſitiones, aut media inter contraria; & ideò illa mutatio, quæ eſt de priuatione in habitum, vel è contra, ita quòd non ſit de vna diſpoſitione affirmatiua ad aliam diſpoſitionem affirmatiuam, non eſt motus.

ANNOTATIONES.

10. [a] *Omnis mutatio, aut eſt de ſubiecto in ſubiectum.* Nota quadrupliciter aliquid poſſe moueri. Primò, de ſubiecto in ſubiectum, id eſt, à termino poſitiuo, ad terminum poſitiuum: nam per ſubiectum intelligitur terminus finitus, hoc eſt, affirmatiuè monſtratus, & non id quod vtrique termino ſubiicitur: & per non ſubiectum intelligitur terminus negatus, quem 1. *Perihermenias*, appellauit terminum infinitum: per ſubiectum ergo debet intelligi diſpoſitio poſitiua, & per non ſubiectum priuatio illius diſpoſitionis. Prima ergo mutationis ſpecies eſt à termino poſitiuo ad terminum poſitiuum, vt quando aliquid mouetur ab albedine ad nigredinem. Secunda, de non ſubiecto in non ſubiectum: & hæc non eſt propriè mutatio: quia omnis mutatio debet eſſe inter terminos aliquo modo oppoſitos, vel contrariè, vel contradictoriè, vel priuatiuè: omnis námque mutatio, aut eſt ex contrariis, vt cùm ea albo fit nigrum; aut ex contradictoriis, vt cùm ex non albo fit album, aut è conuerſo; aut inter priuationem, & habitum; termini autem huiuſmodi non opponuntur contrariè: quia inter duo extrema infinita non eſt contrarietas: quia poſſunt ambo eidem ſimul conuenire: lapis enim eſt ſimul non ſanus, & non æger: quia, cùm non habeat aptitudinem ad tales qualitates, nec eſt ſanus, nec æger: & eádem ratione non opponuntur contradictoriè, nec priuatiuè: quia ex duobus contradictoriis ſemper vnum eſt verum, & alterum falſum, & de quo dicitur habitus, & ab eodem negatur oppoſita priuatio, & è contra. Tertia, de non ſubiecto in ſubiectum, & hæc eſt generatio, quæ non eſt motus, ſed ſubſtantialis mutatio. Et nota, quòd non appellat non ſubiectum propterea, quòd nihil ſubiiciatur formæ, quæ per generationem acquiritur (aliàs eſſet creatio,) ſed appellat non ſubiectum illud, quod ſignificatur ſub negatione formæ. Quarta, de ſubiecto in non ſubiectum, quæ eſt corruptio, quæ ſicut generatio eſt inter terminos contradictorios.

Mobile poteſt quadrupliciter moueri.

[b] *Et vtraque eſt duplex.* Nota, quòd duplex eſt generatio; quædam eſt generatio ſimpliciter, quæ eſt ad ſubſtantiã, & procedit ea non eſſe ſimpliciter, id eſt, ſubſtantiali, ad eſſe ſubſtantiale. Et dicitur generatio ſimpliciter; vel quia fit ex non ente ſimpliciter, nimirum ex non ſubſtantia in actu formali, vt cùm ex aëre generatur aqua: aut ex ſemine animal; id quod ibi manet ſub vtroque termino eſt ſola materia prima, quæ non eſt ens in actu formali, ſed præcisè in potentia ſubiectiua: aut quia ſecundùm eam aliquid dicitur fieri ſimpliciter, hoc eſt, ſine addito. Alia eſt generatio ſecundùm *quid*, quæ eſt ad accidens, & procedit de non eſſe ſecundùm *quid*, ad eſſe ſecundùm *quid*, ſcilicet ea non eſſe tale ad eſſe tale; vt cùm ex non albo fit album. In hac mutatione non producitur ens ſimpliciter, id eſt, ſubſtantia, quæ eſt ens in actu formali: immò ſubſtantia perfecta, quæ erat ſub termino *à quo*, manet ſub termino *ad quem*, atque adeò vocatur generatio ſecundùm *quid*, quia per eam non dicitur aliquid fieri niſi cum addito, vt puta, quale, vel quantum, vel aliquid huiuſmodi. Similiter duplex eſt corruptio; quædam eſt ſubſtantialis, quæ dicitur corruptio ſimpliciter, quia id quod manet ſub vtroque termino eſt ſola materia prima: vt quando aqua corrumpitur in aërem, quia generatio vnius eſt corruptio alterius: & quædam accidentalis, quæ dicitur corruptio ſecundùm *quid*, vt cùm ex albo fit non album, manente eadem 11.

Generatio eſt duplex.

Corruptio eſt duplex.

dem

dem substantiæ. Et oota, quòd aliod est dicere in generatione substantiæ, quòd aqua fiat ex non ente simpliciter, vt negatio feratur in totam; & aliud, quòd fiat ex simpliciter noo ente: nam primus sensus est verus: quia aqua fit ea materia, quæ oon est ens simpliciter secundùm speciem, sed ens in potentia, puta aqua in potentia: sed tamen falsum est, quòd materia sit simpliciter non ens: quia est ens existens extra causam, & intellectum.

12. *Motus bifariam sumi potest.* c *Generatio non est motus.* Nota, quòd motus bifariam sumi potest: voo modo generaliter, vt se extendit ad mutationem quameomqoe, & hoc modo definitur *tertio huius*. Alio modo sumitur specialiter pro mutatione successiua, quæ est de subiecto io subiectum, id est, de forma positiua in formam positiuam: & sic accipit motum Aristoteles in *hoc quinto*: & hoc modo generatio, & corruptio non sunt motos, eo quòd oon sunt de subiecto in subiectum, ita vt subiectom sit vnom indiuiduum demonstratom io vtrisque extremis eiusdem motus, in qoo sibi inuicem succedunt contraria, qoomodo fit in motu alterationis. Vnde, si Deus crearet aliquid successiuè, quamuis illa creatio esset mutatio successiua, tamen non esset motus propriè dictus ex eo, quòd non esset ex aliquo subiecto præsupposito. Ex qoo sequitur, quòd de ratione motus est, qoòd habeat pro subiecto ens completum, & quòd sit inter terminos positiuos oppositos contrariè, vt album, & nigrum: & tandem, quòd fiat successiuè, & in tempore: modò generationi deficit primum; quia subiectum generationis est materia prima: deficit etiam secundum, quia terminus *à quo* generationis est priuatio: deficit & tertium, quia generatio fit in instanti; est ergo generatio mutatio habens per se terminum *ad quem*, à quo specificatur.

EXPOSITIO TEXTVS.

13. Text. 10. SI *igitur* 1 *Prædicamenta diuisa sunt.* Hoc est tertium capitulum, in qoo Philosophus determinat de speciebus motus: & primò proponit in quibus est motus. Secundò ostendit in quibus noo est motus: & tertiò regreditur ad osteodendum, quòd in illis est motos, de qoibus proposuit antè. Secundum ibi: *Secundum Substantiam autem*. Tertium ibi: *Quoniam autem neque substantiæ.* Primò dicit, quòd ea quo sunt plura Prædicameota, vt dictum est in 3. *lib. Physic. text.* 3. & 5. *Metaph. text.* 14. de qoibus enumerat aliqua in litera, oecesse est, quòd io tribus Prædicamentis inueniatur motus, scilicet in Quantitate, Qualitate, & Vbi.

Text. 11. *Secundùm* 2 *substantiam autem.* Hîc ostendit in quibus non est motus: & primò ostendit, quòd ad Substantiam oon est motus. Secundò, quòd oec ad *Ad aliquid*. Tertiò, quòd nec in Actiooe, oec in Passione. Secundum ibi: *Neque ei quod ad aliquid.* Tertium ibi: *Neque agentis, aut patientis.* Prima conclusio est, quòd ad Substantiam non est motus.

Motus non est ad substantiam. Probatur: quia omois motus est de cootrario in contrarium, vt patuit io præcedanti capitulo; sed Substantiæ othil est contrarium; igitur ad Substantiam non est motus. Sed obiicitur, primò de motu cœli, qui est ab eodem in idem. Secundò, quia io Prædicamentis dicitur, quòd quantitati oihil est contrarium: igitur si ad Substantiam non fit motus, eo quòd Substantiæ nihil est contrarium, sequitur quòd ad quantitatem noo est motus: quia quantitati nihil est contrarium. De istis, & aliis difficultatibus circa istam rationem videbitor io quæstionibus.

Neque ei quod ad aliquid. Ponit secundam cooclusionem, quòd in *Ad* a *aliquid* non est motus. 14. *Motus non est in ad aliquid.* Probatur, quia ad illud non est motus quod acquiritur in aliquo quiescente; sed *Ad aliquid*, seu relatio acquiritur io aliquo, ipso quiescente; igitur in *ad aliquid* non est motus. Maior patet, quia illa dispositio, ad quam est motus, si acquiratur in aliquo, oecesse est illud, io quo acquiritur moueri secuodùm illam dispositionem. Et minor probatur. Nam si Socrates nunc sit dexter Platoni, & Plato moueatur quiescente Socrate, tunc Socrates efficitur sinister, ipso non moto.

Neque agentis, aut patientis. Ponit tertiam conclusionem. *Motus non est ad actionem, & passionem.* Secundò declarat maiorem suæ probationis ibi: *Primum quidem.* Tertia conclusio est ista. Ad actionem, & passionem b non est motus. Probatur, qoia ad oullum motum est motus; sed omois actio est motus, vel mutatio: igitur ad nullam actionem, vel passionem est motus; & huius rationis Aristoteles supponit minorem.

Primum quidem. Hîc probat maiorem dictæ rationis: & primò ostendit qualiter ad aliquid, vel io aliquo potest esse motus diuersimodè. Secundò de vnoquoque ponit conclusiones ibi: *Sed neque hoc possibile est.* *Motus quomodo esse possit ad motū.* Dicit igitur, quòd ad motum esse motum potest intelligi dupliciter: vno modo quòd motus sit subiectum motus, vt quemadmodum mouetur de albo in nigrum, aut calefit, vel frigefit; ita etiam motus moueatur, aut calefiat, aut frigefiat. Alio modo, quòd ad motum sit motus tanquam ad terminum, ita vt vnus motos sit terminus alterius.

Sed neque 3 *hoc possibile est.* Hîc ponit conclusiones; & primò ostendit, quòd ad motum non c est motus tanquam ad terminum: secundò ostendit, quòd ad motum non est motos tanquam ad subiectum: & tertiò ostendit, qualiter ad motum sit motus. 15. Text. 12. Secundum ibi: *Amplius eiusdem est.* Tertium ibi: *Omnino autem, quoniam mouetur omne.* Est igitur conclusio quarta. Ad motum non est motus tanquam ad terminum. Probatur quadrupliciter. Primò, inductiooe: quia generatio oon est ad motum aliquem tanquam ad terminum, immò est ad rem permanentem, scilicet ad *esse* alicuius rei: & similiter corruptio est ad *non esse* alicuius rei, & ita inducendo in aliis motibus, & mutationibus.

Similiter autem. Secuoda ratio est. Si motus esset motus tanquam termini, tunc esset processus in infinitum in mutationibus: nam si sanatio esset ad aliam, eàdem ratione, illa alia ad aliam; & sic in infinitum: & per consequens quæ mutarentur vnicâ mutatione, mutarentur ad quamlibet, quod est impossibile; quia aliquando contingit mobile quiescere.

16. *Et amplius.* Tertia ratio, quia si vna mutatio sit ad aliam mutationem tanquam ad terminum, tunc non posset esse ad quamlibet indifferenter, sed determinatè ad suam oppositam, vt sanatio ad ægritudinem, igitur cùm sanatio sit ad sanitatem tanquam ad terminum, & eam hoc per se est ad ægrotationem, cuius terminus est ægritudo, igitor sanatio simul est ad sanitatem, & ægritudinem, sicut ad terminos cootrarios, quod est impossibile.

Amplius 4 *autem.* Pooit quartam rationem; Text. 13.
quia

quia si mutatio esset ad mutationem, [d] & illa ad aliam, sequeretur quòd nulla esset mutatio; consequens implicat, scilicet quòd aliqua sit mutatio ad aliam mutationem, & tamen quòd nulla sit mutatio. Consequentia probatur: quia si vna sit mutatio ad aliam, & illa ad aliam, & sic in infinitum, tunc sunt illæ infinitæ mutationes ordinatæ ad inuicem: igitur cùm infinitis non sit dare primum, neque vltimum, sequitur quòd non est dare aliquod intermedium.

17. Text. 14. *Amplius 5 eiusdem est motus.* Hìc probat quintam conclusionem, scilicet, quòd ad motum non sit motus, nec ad mutationem mutatio tanquam ad subiectum. Probatur quinque rationibus. Secunda ibi: *Amplius oportet.* Tertia ibi: *Et rursus aliquid.* Quarta ibi; *Simul autem, & quomodo erit?* Quinta ibi: *Amplius sit res species motus.* Prima ratio est: quia si motus esset subiectum motus, sequeretur quòd motus esset subiectum corruptionis; consequens est falsum: quia tunc motum quiesceret, & illud quod generatur corrumperetur, quod est falsum. Consequentia probatur, quia motus, & quies opponuntur priuatiuè, & per consequens habent fieri circa idem.

Text. 15. *Amplius 6 oportet.* Secunda ratio, quia videmus in omni motu, quod est subiectum motus, esse alterum à motu, vt homo, qui mouetur, aut corpus, aut aliquid huiusmodi.

Text. 16. *Et rursus 7 aliquid.* Tertia ratio, quia si motus esset subiectum motus, eàdem ratione illius alterius motus esset aliud subiectum, & sic in infinitum, quod est impossibile: quia tunc essent motus infiniti ad inuicem ordinati.

Simul autem, & quomodo erit Quarta ratio, sequeretur quòd doctrinatio esset subiectum doctrinationis, & generatio subiectum generationis; consequens est falsum, quia idem non est subiectum sui ipsius, etiam quia anima est subiectum doctrinationis. Et consequentia probatur, quia non videtur cuius alterius motus doctrinatio possit esse subiectum, quàm doctrinationis.

18. Text. 17. *Amplius si 8 tres species motus.* Quinta ratio, quia tres sunt species motus, vt dictum fuit priùs; tunc quæro vtrùm quilibet illorum indifferenter possit esse subiectum alterius: vel vnus motus determinatus alterius motus determinati, & vtrunque apparet impossibile.

Omnino autem quoniam mouetur omne. Hìc ostendit qualiter possit concedi, quòd ad motum sit motus, dicens, quòd tripliciter dicitur aliquid moueri, vt dictum fuit in principio *huius quinti.* Vno modo, secundùm partem. Secundo modo secundùm accidens. Tertio modo per se, & primò. Tunc dicit, quòd si aliquo modo debeat concedi, quòd mutatio sit subiectum mutationis, hoc est secundùm accidens; modò de illis, quæ competunt mobili secundùm accidens, non est nostra consideratio: ideò dimissa erant priùs.

19. Text. 18. *Quoniam autem 9 neque substantia.* Hìc ostendit in quibus generibus inuenitur motus: & primò facit hoc. Secundò, ostendit qualiter in vnoquoque illorum generum motus inuenitur. Tertiò, reducit motum, qui est de minùs ad magis, vel è contra in eadem specie ad motum, qui est de contrario in contrarium: & quartò, determinat de immobili, quod opponitur motui. Secundum ibi: *Motus igitur secundùm qualitatem.* Tertium ibi: *Quæ autem in specie.* Quartum ibi: *Immobile autem est.* Est igitur sexta conclusio ista, quòd solùm in Quantitate, Qualitate, & Vbi inuenitur motus. Probatur, quia in istis generibus est perfecta contrarietas: igitur cùm omnis motus sit de contrario in contrarium, sequitur quòd in quolibet istorum generum inueniatur motus, & non inuenitur in aliis Prædicamentis, vt probatum est priùs: igitur solùm inuenitur in istis. Sed [e] dubitatur, quare non facit mentionem de Situ, Habitu, & *Quando?* Respondetur de Situ, quòd pro tanto non facit mentionem de Situ, eo quòd Situs non acquiritur, vel deperditur, nisi consecutiuè ad aliquem motum localem; & ideò licèt in illis tribus generibus reperiatur motus, tamen motus reperti in istis tribus generibus sunt consecuti ad alia genera. Item de Habitu, quia Habitus est eorum, quæ sunt adiacentia circa corpus, aut circa partes corporis, qui non acquiritur nisi consecutione ad aliquem motum localem; nec etiam deperditur. Item, *Quando* est tempus; modò tempus est motus, vt patet 4. *huius*, & ad motum non est motus, vt iam probatum est.

Motus est tantùm ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi.

Motus igitur secundùm qualitatem. Hìc [f] ostendit qualiter in quolibet dictorum trium generum inuenitur motus, dicens, quòd motus ad qualitatem appropriato nomine vocatur alteratio; & dico notanter, *appropriato*, quia quilibet motus dicitur ab aliter se habere, & sic est nomen commune cuilibet motui, licèt approprietur motui ad Qualitatem. Sed motus ad Quantitatem non nominatur vno nomine, sed denominatur augmentatio, vel diminutio. Motus autem secundùm locum, non habet aliquod nomen commune; vocatur tamen latio, sed hoc est impropriè: quia propriè loquendo latio solùm dicitur de illo, quod mouetur motu vehitionis, sicut quando homo mouetur in naui. 20.

Quæ 10 autem in eadem specie. Hìc reducit motum, qui est de minùs ad magis, vel è contra in eadem specie, ad motum de contrario in contrarium: & ponitur ista conclusio, quòd omnis motus, qui est de minùs ad magis, vel è contra, est de contrario in contrarium. Probatur, quia illud dicitur minùs tale, quod magis habet de contrario; & magis tale, quod minùs habet de contrario; igitur omnis motus, qui est de minùs ad magis, vel è contra in eadem specie est de contrario in contrarium. Text. 19.

Immobile autem est. Hìc determinat de immobili, dicens, quòd aliquid dicitur immobile tripliciter: vno modo, quia omnino impossibile est ipsum moueri, vel mutari; & sic Deus est omnino immobilis. Alio modo dicitur immobile, quod vix mouetur, vel in multo tempore parùm mouetur, aut quod incipit moueri; & tale non dicitur propriè immobile, sed grauiter mobile. Tertio modo dicitur immobile, quod aptum natum est moueri, & de facto non mouetur, scilicet in mensura, quâ natum est moueri; & hoc tangit per hoc, quod dicit. Tunc cùm aptum natura est, & vbi, & quomodo, & dicit *tunc* pro tanto: quia licèt cœlum non moueatur in instanti, eo quòd instans non est mensura, quâ cœlum natum est moueri, & quia terra non est locus, in quo cœlum natum est moueri: & dicit *sic* ad denotandum qualitatem motus, & ideò licèt cœlum non moueatur motu recto, propter hoc tamen non sequitur quòd quiescat à motu recto: quia non est natum moueri tali motu. 21. *Immobile dicitur tripliciter.*

ANNO

ANNOTATIONES.

22. *Motum esse in aliquo Prædicamento bifariam intelligi potest.* a IN *ad aliquid non est motus*. Nota primò, quòd in aliquo Prædicamento esse per se motum potest intelligi dupliciter; vno modo, vt hæc determinatio *per se*, determinet motum, & sic in omni Prædicamento est per se motus, cuius entitas est successiuè acquisibilis. Alio modo sic, quòd determinet *esse*, & ita in illo Prædicamento est per se motus, cuius entitas gratia sui, & non alicuius alterius, terminat motum. Secundò, nota quòd *Terminare motum dupliciter contingit.* aliquid dicitur per se terminare motum dupliciter; vno modo per se primò, adeò quòd non præsupponit necessariò aliquid aliud terminare illum motum, vel alterum. Alio modo per se secundò; & sic illud terminat aliquem motum, quod nihil aliud quàm ipsum terminat, tamen necessariò præsupponit aliquid aliud terminare illum motum: sicut similitudo per se secundò terminat assimilationem, nihil enim terminat assimilationem, nisi similitudo; tamen ipsa non potest eam terminare, nisi aliqua qualitas priùs terminauerit aliquam alterationem: cùm enim similitudo sit relatio, necessariò præsupponit suum fundamentum, quod est qualitas.

Nota tertiò, quòd ad hoc, quòd aliquid per se primò terminet motum, tria requiruntur. Primò, quòd terminet illum motum intrinsecè, & ideò locus non terminat motum localem per se primò, sed vbi. Secundò requiritur, quòd ratione sui, & non ratione cuiuscumque sibi accidentis, terminet motum, aliter enim terminaret per accidens, & non per se. Tertiò requiritur, quòd non necessariò præsupponat aliquam aliam mutationem terminari ad aliquem terminum.

23. Ex his sequitur primò, quòd cùm relatio non suscipiat magis, & minùs, nec habeat contrarium, nisi gratiâ fundamenti, vel termini, quòd nec etiam terminat per se motum, gratiâ sui, sed solùm ratione fundamenti, vel termini; cùm ipsa non possit in aliquo de nouo acquiri, nisi priùs aliqua forma absoluta terminet aliquem motum.

Secundò sequitur, quòd licèt ad relationem non sit per se primò motus, vt ex dictis iam patet, est tamen benè per accidens: accidit enim, quòd mouetur de albo in nigrum, quòd ipsum fiat simile, vel dissimile alteri. Et si dicas, quòd Scotus hîc dicit, quòd illud quod mouetur ad relationem transmutatur se quiescente, ergo quod acquirit relationem de nouo quiescit, & non mutatur, nec per se, nec per accidens. Dico, quòd Scotus, & Commentator, cuius sunt verba, non intelligunt aliquid simpliciter quiescere, & cum hoc ad relationem transmutari (quia hoc contradictionem inuoluit) sed intelligunt, quòd illud, quod transmutatur ad relationem, quiescit, id est, non mouetur de necessitate, mutatione, quæ est ad formam absolutam, id est, non mouetur ad se, licèt moueatur ad alterum, de quo infrà.

24. *Ad actionem, & passionem non est motus.* b *Ad Actionem & Passionem non est motus*. Nota, quòd non videtur bona consequentia. *Ad motum non est per se motus: ergo ad actionem, & passionem non est per se motus.* nam hæc consequentia ex hoc videtur tenere, quòd actio & passio sunt motus, quod est contra Aristotelem in 3. *huius*. Dicunt aliqui, quòd hęc consequentia tenet ex hoc, quòd actio, & passio sunt motus saltem materialiter, licèt non sint motus formaliter. Sed hoc non valet, quia actio, & passio materialiter nihil aliud est, quàm forma fluens, & ad illam benè est motus: sed si accipiantur formaliter, manifestum est, quòd ipsa non sunt motus. Ideò dicunt alij, quòd prædicta consequentia tenet per locum à simili: nam eadem est ratio, quare ad actionem, & passionem non est motus, & quare ad motum non est motus; ad hoc enim quòd aliquid sit subiectum, & terminus motus, requiritur, quòd in se sit quoddam permanens potens esse sub quiete, quantum est ex parte sui: modò sicut motus non est permanens, sed quoddam successiuum, ita nec actio, nec passio; consistunt enim in quadam successione. Posset etiam dici, quòd prædicta consequentia tenet per locum à maiori, si enim motus non est motus, nec à fortiori actionis, & passionis erit motus, eo quòd per quemlibet motum consequitur actio & passio; si ergo ad actionem, & passionem esset motus, etiam motus esset motus.

c *Ad motum non est motus tanquam ad terminum.* 25.
Nota, quòd sensus huius conclusionis est, quòd motus non acquiritur per motum, neque mutatio per mutationem: & ratio est, quia omnis mutatio procedit in suis terminis per se, atque adeò, posito termino ad quem est motus per se, non requiritur alia mutatio habens alios terminos; & si dabitur, hoc erit per accidens. Hæc deductio patet, quia tali termino vnius motus, vel mutationis acquisito, potest quiescere mobile, atque ita non est per se motus, neque mutatio ad motum, & ad mutationem.

d *Si mutatio esset ad mutationem, nulla esset mutatio.* Nota, quòd hæc consequentia ex eo tenet: quia res dum fit, nondum est; si ergo motus fit per motum: ergo dum fit, nondum est. Tunc vltrà, ille alius motus quo fiebat, si per alium fit, nondum est, dum fit, & pariter de infinitis; quare nullus est, quia non datur primus motus, quo motus fiat, cùm quilibet fiat per motum: nullus ergo erit motus.

Nota secundò, quòd sequentes rationes, quæ habentur *à text.* 14. *vsque ad* 17. communiter adducuntur ab expositoribus ad probandum, quòd ad motum non sit motus, vt ad terminum: Scotus autem vtitur eis ad probandum, quòd non sit motus ad motum tanquam ad subiectum, id est, quòd motus non possit esse subiectum motus, nec mutatio mutationis, & est satis subtilis deductio, & vt credo magis ad aures Aristotelis. 26.

e *Sed dubitatur, quare non facit mentionem de Situ, &c.* Nota, quòd ex eo Aristoteles non probat motum non esse ad *quando*, quia *quando* acquiritur in aliquo sine sui mutatione ex sola adiacentia temporis; nam tempus est mensura motus, motus autem in actione, & passione consistit, atque adeò ostenso, quòd ad actionem, & passionem non est motus, facilè ostenditur, quòd ad ipsum *quando* non est motus. Similiter, non probat Philosophus, quòd ad Habitum non sit motus, quia sicut relatio potest acquiri in aliquo sine sui mutatione, ita & Habitus; probato ergo, quòd ad relationem non est motus, facilè probatur, quòd ad habitum non sit motus. Et quia situs non acquiritur de nouo, nisi per motum localem, certum est autem, quod motus localis non est per se ad situm, sed solùm per accidens, ideò certum est, quòd ad situm non est per se motus. Nec valet dicere, quòd *vbi* acquiritur in aliquo, ex sola adiacentia alterius, & alterius

tiut superficiel, sine sui mutatione: ergo nec ad *vbi* erit per se motus. Antecedens patet, supposito, quòd superficiem turris B. Virginis circundet alia, & alia superficies aëris, ipsâ immobili permanente, acquiritur alius, & alius respectus vbicantis, ad vbicatum, seu locantis ad locatum, cùm fundamentum eius, scilicet superficies aëris locantis sit aliud, & aliud. Hoc, inquam, non obstat: quia non est simile de *Vbi*, & aliis Prædicamentis respectiuis: nam *Vbi* non potest acquiri in aliquo sine mutatione locali sui, vel alterius, & est terminus per se primus ipsius mutationis, non est autem sic de aliis Prædicamentis.

27. f *Hic ostendit, qualiter in quolibet dictorum trium generum, &c.* Nota, quòd, si sumamus motum in communi, in quantum comprehendit sub se tam motus, quàm instantaneas mutationes, quatuor habet sub se species, scilicet generationem, & corruptionem ad substantiam, augmentationem, & diminutionem ad quantitatem, alterationem ad qualitatem, & motum localem ad *vbi*: nam motus sumit denominationem à termino *ad quem*: modò quatuor sunt Prædicamenta, quæ sunt termini motus, seu mutationis, scilicet Substantia, Quantitas, Qualitas, & *Vbi*. Si autem sumatur motus presè, quatenus habet tres illas conditiones, quas assignat Philosophus in *hoc* 5. *text.* 3. & quas nos suprà retulimus in 3. *annotatione ad secundum cap.* solùm habet tres species, ad quas est per se motus, videlicet Quantitatem, Qualitatem, & *Vbi*.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad substantiam sit motus?

Arist. *hic text* 10. D. Thom. 5. *Physic. cap* 2. Auerroës, & omnes interpretes *ibidem* Ægidius Romanus *in* 5. *Phys. lect* 3. Handiua *in* 11. *Metaph. q. vltima art.* 1. Conimbric. *in* 5. *Physic. q* 1. Compluten *disp.* 22. *Physic. q.* 3. Hurtado *disp.* 11. *Physic. sect.* 11. Auersa *tom.* 1. *Philosoph. quæst.* 16. *sect.* 1. Fuentes 5. *Physic. quæst.* 2. *diffic.* 1. *art.* 1. Rubius *ibid. cap.* 2 *quæst. vnica par.* 2.

1. ARGVITVR quòd sic, per Aristotelem in Postprædicamentis, qui enumerando species motus numerat generationem.

Secundò, patet per Aristotelem 3. *huius*, qui declarans definitionem motus per inductionem in diuersis generibus motum, inducit de generatione, quæ est motus ad substantiam.

Tertiò, quia *motus est generatio partis post partem eius perfectionis, ad quam mobile tendit donec perficiatur; & fit in actu*; igitur motus est generatio. Antecedens apparet per Commentatorem 3. *huius*, qui sic definit motum. Tenet consequentia, quia genus positum in definitione alicuius debet prædicari de definito; modò ad istam: *motus est generatio*, sequitur per conuersionem, *igitur generatio est motus*.

2. Quartò, omnis mutatio successiua, quâ subiectum se habet aliter quàm priùs, est motus; sed generatio est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: quia *moueri* est aliter, & aliter se habere, quàm priùs, & ideò quod priùs, & posteriùs aliter se habet, mouetur; & minor probatur: quia in generatione substantiali prouenit successio propter partes q[illegible]ntitatiuas subiecti.

Quintò, arguitur per definitionem motus, quia *motus est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia*, sed generatio est actus, &c. quia est actus generabilis, secundùm quòd generabile; sed generatio est motus ad substantiam: ergo, &c.

Sextò, nisi sic, hoc esset in proposito: quia substantiæ nihil esset contrarium; sed propter hoc non, quia in vnoquoque genere est vna prima contrarietas, vt patet 10. *Metaph. text.* 12. modò Substantia est quoddam Genus, igitur Substantiæ aliquid est contrarium.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto quinto, text.* 10. & probatur ratione, quia omnis motus est de [a] affirmato in affirmatum; sed nulla mutatio ad substantiam, est de affirmato in affirmatum, nam generatio est ad affirmatum, sed non de affirmato, & è contra de corruptione; ergo, &c.

Secundò, illud quod mouetur, est; sed illud quod generatur non est: igitur quod generatur non mouetur, & per consequens generatio non est motus; modò si ad substantiam esset aliquis motus, maximè esset generatio: igitur ad substantiam non est aliquis motus.

Notandum, quòd motus accipitur tripliciter: 3.
Motus accipitur tripliciter.
vno modo pro omni mutatione, siue sit subita, siue successiua, siue sit in subiecto in actu, siue sit in subiecto in potentia: & isto modo isti termini *motus*, & *mutatio* conuertuntur. Alio modo accipitur motus pro omni mutatione successiua; siue sit in subiecto in actu, siue in potentia: & isto modo definit Aristoteles motum in 3. *huius*, & etiam isto modo sumit motum in Postprædicamentis, vbi distinguit species motus. Tertio modo, sumitur motus propriissimè, pro mutatione successiua facta in subiecto in actu de termino *à quo* positiuo, ad terminum *ad quem* positiuum, & sic capit Aristoteles motum in *isto quinto, text.* 18. quando probat, quòd solùm in tribus Generibus inuenitur motus, scilicet in Quantitate, Qualitate, & Vbi: & sic isti termini *motus* & *mutatio* se habent sicut superius, & inferius: nam omnis motus, est mutatio, & non è contra.

Secundò notandum, quòd mutatio ad substantiam, vt generatio, & [b] corruptio differunt ab aliis motibus: nam per generationem *mutari* respondetur ad interrogationem factam per *quid est*: sed per alios motus, vel mutationes *mutari* respondetur non ad *quid est*, sed solùm ad *quale*, vel ad *quantum*, aut ad *vbi*, vel ad aliquid huiusmodi. Secundò per generationem mutatur nomen & definitio, sed per alios motus non, sed solùm mutatur prædicatum accidentale, quod priùs verificabatur. Tertiò, quòd de ratione generationis est, quòd sit ad terminum *ad quem*, nihil connotando de termino *à quo*, & è contra, de ratione corruptionis est, quòd sit à termino *à quo*, nihil connotando de termino *ad quem*; sed de ratione aliorum motuum, vt alterationis, & augmentationis est, quòd sint à terminis *à quibus*, ad terminos *ad quos*. Quartò differunt, quòd in mutatione substantiali non est aliquod subiectum in actu manens idem ante mutationem, & post, sed solùm in potentia, vt materia prima; sed in aliis motibus manet idem subiectum in actu pòst, & antè. 4.
Generatio & corruptio differunt ab aliis motibus.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est: Nulla mutatio, in qua solùm est successio propter partes quantitatiuas subiecti, est motus. Probatur: quia omni motu aliquid mouetur primò; sed in tali mutatione, in qua tota successio prouenit propter partes quantitatiuas subiecti, nihil mouetur primò: igitur talis mutatio non est motus. Maior probatur, quia omne quod mouetur, aut 5.

mouetur

mouetur primò, vel non primò: si non primò moueatur, hoc est, pro tanto, quòd aliqua pars eius mouetur primò, à qua totum denominatur moueri non primò. Et minor patet, quia illud subiectum, in quo est successio propter partes quantitatiuas, vel ipsum totum mouetur primò, vel aliqua pars eius: non ipsum totum, quia iam esset completa mutatio, vel nondum inciperet: si aliqua pars eius, tunc vel pars illa, in qua dispositio secundùm quam est motus, esset introducta, vel alia pars, in qua est introducenda. Non primo modo, quia illa pars non mouetur, sed iam mota est, quia habet terminum *ad quem* motus: nec secundo modo, quia illa pars non mutatur, sed est mutanda; & per consequens sequitur, quòd tali mutatione, in qua prouenit successio propter partes quantitatiuas subiecti nihil mouetur; sed omni motu aliquid mouetur: igitur nulla talis mutatio est motus.

Secundò, quia si per aliquod tale subiectum continuè induceretur caliditas summa tota simul in eadem parte subiecti, successiuè tamen secundùm partes quantitatiuas subiecti; tunc illud subiectum mutaretur, & tamen non moueretur; quia si sic, moueretur secundùm caliditatem, sed hoc est falsum; quia nulla pars illius subiecti est prius minùs calida, & postea magis.

6. Tertiò sequeretur, quòd illuminatio consequens vmbram terræ esset verus motus; sed hoc est falsum, quia omnis verus motus de sui natura est successiuus, & tamen illa mutatio, scilicet illuminationis, quantum est ex natura sua, esset subita. Secunda consequentia probatur, quia in illa mutatione est successio propter partes quantitatiuas subiecti. Contra primam rationem obiicitur, quia per eandem rationem potest probari, quòd nihil moueretur: quia non totum mobile, per quod fit mutatio: quia vna pars eius est mutata, & alia mutanda, & per consequens, cùm nulla pars eius de facto mutetur, sequitur quòd illud subiectum non mutatur, vel saltem illa ratio probat euidenter, quòd nihil mutatur primò. Respondetur, quòd non est simile de motu, & mutatione: quia non est inconueniens concedere, quòd nihil mouetur primò. Tamen aliter potest dici, quòd in toto tempore, in quo fit mutatio, illud subiectum mutatur primò: quia secundùm se, & quamlibet partem sui, licèt secundùm nullam eius partem mutetur simul, immò successiuè per partem post partem.

7. *In mutatione ad substantiam non est successio secundùm gradus formæ.* Secunda conclusio. In mutatione ad substantiam non est successio, [c] secundùm gradus formæ, sed solùm secundùm partes quantitatiuas subiecti. Probatur, quia nulla forma substantialis, secundùm quam est mutatio, suscipit magis, & minùs: igitur in nulla mutatione secundùm substantiam prouenit successio propter gradus formæ. Consequentia tenet; & probatur antecedens, quia si substantia susciperet magis, & minùs, hoc esset consecutiuè ad intensionem, & remissionem primarum qualitatum; sed propter hoc non, vt potest induci per experientiam in multis: quia aër in hyeme est multo frigidior, quàm calidus, & per consequens potiùs esset aqua, quàm aër. Item, ferrum ignitum potiùs esset ignis, quàm ferrum, & ita de aliis.

Motus nō est ad substantiam. Tertia conclusio. Ad substantiam non est motus. Probatur, quia in mutatione ad substantiam tota successio prouenit propter partes quantitatiuas subiecti: igitur nulla mutatio ad substantiam est motus. Antecedens apparet per præcedentem conclusionem; & consequentia tenet per primam. Secundò, quia illa mutatio non est motus, quæ de sui natura non est successiua, sed tota eius successio prouenit consecutiuè ad alios motus; sed mutatio ad substantiam de sui natura non est successiua, sed ex eo solo est successiua, quia consequitur motum successiuum; ergo, &c. Maior patet, quia de ratione motus est, quòd sit successiuus. Et minor probatur, quia si caliditas summa esset simul introducta in totum subiectum, ita quòd non priùs in vna parte, quàm in alia, tunc subitò introduceretur forma substantialis ignis: sed ex quo nunc de facto introducitur caliditas successiuè secundùm partes subiecti, ita etiam successiuè introducitur forma substantialis ignis. Et sic patet, quòd ad substantiam non est motus, scilicet accipiendo motum tertio modo priùs dicto.

Ad rationes, omnes solutæ sunt per distinctionem. Ad vltimam dico, quòd Aristoteles 10. Metaph. text. 12. accipit contrarietatem largè, prout se extendit ad oppositionem, quæ est inter priuationem, & habitum.

ANNOTATIONES.

[a] *Omnis motus est de affirmato in affirmatum.* 8. *Contrarietas requiritur inter terminos motus.*
Nota, contrarietatem requiri inter terminos motus propriè dicti, quæ non inuenitur in substantia: requiritur enim esse duo extrema affirmatiua, quæ inter se ita distent, vt habeant per se, & ex natura sua latitudinem quandam, ratione cuius ab vno ad alterum possit esse successio; cùmque substantiæ non sint diuisibiles, quia quantum de se est, in instanti introduci possunt, ideò carent tali latitudine, ratione cuius ab vna in aliam transitus successiuus fieri possit.

[b] *Generatio & corruptio differunt ab aliis motibus.* *Alteratio quid sit.*
Nota, quòd *alteratio est mutatio subiecti sensibilis permanentis in suis affectibus*: verbi gratiâ, quando homo transit de sano in ægrum, manet idem homo, mutatur verò secundùm affectus, id est, à sanitate in ægritudinem. Ex quo duo colliguntur: primum, quòd alteratio fit in qualitatibus accidentalibus: quod insinuat Aristoteles *in Postprædicamentis, cap. de motu*, vbi dicit, secundùm omnes affectiones accidit nobis alterari, & *in hoc 5. cap. 2.* vbi loquitur de huiusmodi qualitatibus, & *5. Metaphys. text. 18. cap. de Qualit.* Secundum, quod sequitur, est quòd subiectum alterationis dicitur sensibile, ad differentiam materiæ primæ, quæ quamuis sit subiectum, non tamen est sensibile: quod docuit Aristoteles *1. Physic. cap. 7. & 2. de Anima, cap. 6. text. 63.* numerans vniuersa sensibilia, asserens in triplici esse differentia; videlicet, sensibilia propria, quæ vnico sentiuntur sensu, vt sonus, qui solo auditu sentitur; sensibilia communia, quæ pluribus sensibus cognoscuntur, vt magnitudo & motus: & sensibilia per accidens, vt quælibet substantia, quæ ratione accidentium sensibilis est: materia autem prima nullo istorum modorum sensibilis est.

9. *Generationis definitio.* Nota secundò, quòd *Generatio est mutatio huius totius in hoc totum eodem subiecto permanēte.* Nomine *totius* intelligitur perfecta substantia, quæ mutatur in aliam totam primâ corruptâ; manente eodem subiecto, id est, eadem materiâ prima

manente sub vtraque forma: estque sensus, Generatio est transmutatio vnius perfectæ substantiæ in alteram perfectam substantiam, nullâ substantiâ manente eâdem numero sub vtroque extremo transmutationis, licèt maneat aliqua imperfecta substantia in vtroque extremo. Hæc definitio generationis desumitur ab Aristotele *in hoc cap. text. 7.* vbi dicit quòd *Generatio est mutatio de non esse ad esse*, & corruptio è contra: sed omne quod generatur, ex aliquo corrupto generatur, quia generatio vnius est corruptio alterius, vt dicitur *primo de Generatione*: ergo impossibile est, quòd in generatione permaneat idem subiectum sensibile, & eadem perfecta substantia; & hoc est, quod dicit hîc Scotus, quòd per generationem mutatur nomen, & definitio, & quòd in mutatione substantiali non est aliquod subiectum in actu manens idem ante mutationem, & post.

Ex hoc sequitur primò, quòd alteratio differt à generatione ex parte subiecti, quia subiectum alterationis est ens in actu, & substantia completa; subiectum verò generationis est ens in potentia, vt materia prima.

10. Secundò, sequitur quòd generatio differt ab alteratione ex parte termini *ad quem*, quia terminus *ad quem* generationis est ens simpliciter, & substantia completa; terminus autem *ad quem* alterationis est ens secundùm *quid*, vt docet Aristoteles 7. Metaph. text. 7. & deinde, vbi dicit, quòd ipsum *quid est*, id est, prima substantia, est ens in actu, atque simpliciter, cætera verò ex eo dicuntur entia, quia entis entia sunt, id est, qualitates, aut quantitates.

Tertiò, sequitur quòd generatio, & alteratio differunt ex parte mutationum: quia generationem immediatè præcedit aliqua alteratio, quæ disponat subiectum ad generationem, sed secus est in alteratione: quia aliqua alteratio fit sine dispositione.

In mutatione ad substantiam non est successio secundum gradus formæ Nota, quòd præter discrimen, quod est inter generationem, & alterationem, causans differentiam essentialem inter illas, vt scilicet termini *ad quos* sint diuersi, inter generationem, & alios motus datur aliud discrimen, videlicet, quòd cæteri denominant subiectum; generatio verò denominat terminum. Item, quòd terminus *à quo* in motibus, est positiuus, & contrarius, vt ex nigro fit album; in generatione verò est priuatiuus, & contradictorius, vt ex non homine generatur homo, & ex non leone leo. Assignatur etiam aliud discrimen, videlicet, quòd motus fiunt in tempore, generatio verò in instanti; & hoc discrimen verène assignetur examinandum venit: quàm difficultatem explicat Scotus in sequenti quæstione, & etiam nos ibidem eam explicabimus.

11. *Substātia bifariam sumi pot.* Pro nunc, nota secundò, quòd substantia potest accipi dupliciter: vno modo quantum ad proprium modum essendi, qui est esse per se, & non in alio, qui quidem modus non est positiuus, sed negatiuus; & quantum ad hoc substantia non suscipit magis, & minus, nec infra eandem speciem, nec in diuersis: & hoc modo potest intelligi Philosophus in Prædicamētis, qui dicit substantiam non suscipere magis, & minus. Alio modo potest accipi substantia quantum ad entitatem substratam huic modo essendi: & isto modo est dubium, vtrùm substantia infra eandem speciem habeat latitudinem graduum, secundùm quos suscipiat magis, & minus.

Nota tertiò, quòd gradus idem est, quod gressus: dicitur enim à *gradior graderis*, & ex hoc transsumitur ad plura alia; quia secundùm istos gressus itur de vno loco ad alium; ita etiam quodammodò per istos gradus mobile, siue forma graditur quodammodo de vno gradu in alium: dubium est ergo an forma substantialis habeat huiusmodi gradus secundùm quos successiuè acquiratur. *Gradus sumitur quid sit.*

Nota quartò, quòd comparationum quædam est abusiua; vt cùm dicitur, lux est clarior tenebris: quædam est excessiua, vt cùm dicitur, infinitum est maius finito: quædam est æquiuoca, vt cùm dicitur, sonus est acutior sapore: quædam analoga, vt cùm dicitur, quòd substantia est perfectius ens, quàm accidens: & ista analogia non tollit omnino vniuocationem Metaphysicam: quædam est vniuoca, vt cùm dicitur, vnum ens est albius alio, & hæc est propriè comparatio secundùm formam vnius speciei, de qua dicitur 7. huius, text. 31. quòd comparatio fit in specie specialissima. Propriè ergo *magis*, & *minus* accipiuntur in forma eiusdem speciei. *Cōparatio est multiplex.*

Nota quintò, quòd *maius*, & *minus*, & *magis*, & *minus*, differunt & conueniunt. Conueniunt quidem dupliciter. Primò, quia vtrumque est comparatio quædam. Secundò, quia vtrobique est comparatio disquiparantiæ, quæ oritur ex disquiparantia & difformitate terminorum. Sed differunt quintupliciter. Primò, quia *maius*, & *minus* important comparationem vnius ad vnum præcisè in se; sed *magis*, & *minus* important comparationem vnius ad vnum, non præcisè in se, sed in comparatione alicuius tertij, quod participant, puta alicuius formæ. Secundò, quia *magis*, & *minus* sunt aduerbia: & ideò distinguuntur sicut modi; sed *maius*, & *minus* sunt nomina; ideò accipiuntur non modaliter, sed nominaliter, & significant formas, & non modos formæ. Tertiò, quia *magis*, & *minus* non dicuntur de forma participata; sed magis de ipsis participantibus; sed *maius*, & *minus* è contra. Quartò, quia *magis*, & *minus* sumuntur penes intensionem, & remissionem formæ; sed *maius*, & *minus* penes extensionem, & intensionem. Quintò, quia *magis* semper præsupponit *maius* in forma, & non è conuerso; sicut patet de quantitate. Ex his facilè colligi potest, quòd substantia non habet in entitate sua gradus, secundùm quos suscipiat *magis*, & *minus*; atque adeò productio formæ substantialis est in instanti, nam aliàs generatio non distingueretur à motu propriè dicto, quod est contra Philosophum in hoc 5. 12. *Maius, & minus, & magis, & minus differunt & conueniunt.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm omnis mutatio ad substantiam sit successiua.

Vide Suarem *disp. 49. Met. sect. 4.* Flandr. *11. Metaph. qu. 11. art.* ... Item authores citatos *quæst. 1. & 5. huius libri.*

ARGVITVR quòd non; quia omnis mutatio, quæ est terminus mutationis diuisibilis, & successiuæ, est indiuisibilis, & subita; sed mutatio ad substantiam est terminus mutationis diuisibilis, & successiuæ: igitur mutatio ad substantiam est subita, & indiuisibilis. I.

uisibilis. Maior probatur, quia si mutationis diuisibilis terminus esset diuisibilis, iam illius termini esset alter terminus, & sic in infinitum. Et minor patet, quia omnis mutatio ad substantiam est terminus alterationis, quæ est diuisibilis mutatio.

Secundò, omnis mutatio inter contradictoria est subita, & indiuisibilis; sed omnis mutatio ad substantiam est mutatio inter contradictoria: ergo, &c. Maior probatur: quia contradictio est oppositio, cuius secundùm se non est dare medium, vt patet primo Posteriorum, text. 13. & 5. Physic. text. 26. & 4. Metaph. text. 12. Et minor patet: quia mutatio ad substantiam est generatio, vel corruptio, & vtraque est contradictoria, scilicet inter *esse*, & *non esse*.

Tertiò, quia cuiuslibet rei, quæ de nouo generatur, est dare primum instans sui *esse*; vt in generatione Socratis est dare vnum instans, in quo verum est dicere; *nunc Socrates est, & nunquam ante hoc fuit*: vt patet 8. huius, text. 63. igitur mutatio ad substantiam est subita. Tenet consequentia: quia ex quo substantia nunc est, & nunquam ante hoc fuit, sequitur quòd subitò sit facta mutatio de *non esse* ad *esse*.

2. Quartò, quia in substantiis est dare minimum naturale, vt patet primo huius, text. 36 igitur illud minimum generatur subitò: quia si generaretur successiuè, priùs esset genita medietas, quàm totum; & per consequens esset dare minus minimo, quod est impossibile.

Quintò, nulla substantia suscipit magis, & minùs; nec alicui substantiæ est aliquod contrarium: igitur nulla mutatio ad substantiam est successiua. Tenet consequentia: quia tota causa successionis est contrarietas, vel susceptio magis, & minùs. Antecedens patet in Prædicamentis.

Oppositum arguitur per experientiam: quia successiuè generatur ignis in ligno, vel in candela, quia primò in vna parte, & cõsequẽter in alia.

Notandum, quòd omnis mutatio ad substantiam vel est generatio, vel corruptio, & istæ sunt naturales; vel creatio, & ista est supernaturalis, & miraculosa: vnde creatio si sit rei indiuisibilis, tunc est subita; si rei diuisibilis, tunc est subita, vel successiua, secundùm quòd placet creatori; & ideò de ipsa non plus ad præsens.

3. *Successio in mutatione ad substantiã ex tribus prouenire potest.* Secundò, notandum quòd in mutatione ad substantiam [a] potest imaginari successio prouenire tripliciter. Primò, propter gradus formæ, secundùm quam est mutatio, vt primò introducatur in subiecto remissus gradus albedinis, quàm intensus. Secundò, propter partes quantitatiuas subiecti; vt primò introducatur caliditas in partem propinquam passi, quàm in remotam ab agente. Et tertio modo potest prouenire successio vtroque modo.

In mutatione ad substantiã non prouenit successio propter gradus formæ. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est: In mutatione ad [b] substantiam non prouenit successio propter gradus formæ. Probatur, quia nulla substantia suscipit magis, & minùs: igitur in mutatione ad substantiam non prouenit successio propter gradus formæ, secundùm quam est mutatio. Consequentia nota est, & antecedens probatur: quia termini de Prædicamento Substantiæ, quæ sunt substantiæ specialissimæ, non ponuntur cum istis aduerbiis *magis*, & *minùs*, (& loquor de terminis concretis, vt homo, equus, & huiusmodi) quia nec etiam abstracta aliorum generum ponuntur cum huiusmodi aduerbiis: verbi gratiâ, vt patet de istis terminis *albedo*, *nigredo*. Dico etiam notabiliter *species specialissimæ*, quia concreta aliorum generum, quæ non sunt species specialissimæ, non ponuntur cum huiusmodi aduerbiis: verbi gratiâ, non dicimus, quòd aliquid sit magis quale, quam aliud, nec etiam conuenienter dicitur aliquid esse magis coloratum alio.

Secunda conclusio. Nulla qualitas conueniens, [c] & naturalis alicui subiecto agit in illud subiectum, nisi reducendo ipsum ad qualitatem propriam, & naturalem: & ista conclusio ponitur propter sequentem. Probatur, quia frigiditas aquæ nunquam agit in aquam, nisi aqua fuerit extra suam dispositionem naturalem: quia si sic; tunc agit in ipsam, vt reducatur ad qualitatem conuenientem, & naturalem. Nec valet instantia, quæ fieret de heterogeneis, quæ habent in se principium intrinsecum suæ alterationis: quia vt patet 2. huius, text. 3. heterogeneum non agit in se primò, sed vna pars agit in aliam partem, vt cor in cerebrum, vel è contra. Ex quo patet, quòd omnis corruptio est ab extrinseco, & ideò cum omnis corruptio [d] vnius sit generatio alterius, sequitur quòd omnis generatio fiat ab extrinseco. Et tenet consequentia per hoc, quia ab eodem desinit esse corruptio, à quo fit generatum. 4.

Tertia conclusio. Omnis mutatio ad substantiam est successiua, scilicet propter partes quantitatiuas subiecti, siue illius, quod generatur. Probatur: quia omnis generatio fit à principio extrinseco, & etiam omnis corruptio, scilicet substantiæ: igitur omnis mutatio ad substantiam fit successiuè. Consequentia probatur: quia agens extrinsecum priùs disponit partem sibi propinquam passi, quàm remotam; & per consequens priùs introducit formam in partem propinquam, quàm remotam: quia nunquam introducitur forma, nisi in subiecto disposito. Et antecedens apparet ex præcedenti conclusione. *Mutatio ad substantiã est successiua propter partes quantitatiuas subiecti.*

Contra primam conclusionem arguitur. Primò, authoritate Commentatoris 3. Cæli, comm. 67. vbi ex intentione probat, quòd in generatione elementorum prouenit successio propter gradus formæ. Probatur: quia nisi ita esset, sequeretur quòd ignis posset stare sine caliditate. Consequens est impossibile. Probatur consequentia: quia remisso vno gradu caliditatis ignis, quæro an remittatur aliquid formæ substantialis ignis, vel nihil: si aliquid, habetur propositum: si nihil, contrà; quia eâdem ratione potest remitti alter gradus sibi æqualis sine hoc, quòd aliquid formæ remittatur, & eâdem ratione tertius, & quartus; cùm omnes sint eiusdem rationis: igitur stabit forma ignis totâ caliditate remissâ, & habetur consequens. 5.

Secundò, sequeretur quòd mixtum non esset plus mixtum, quàm simplex elementum. Consequens est impossibile: quia iam non diceretur mixtum. Probatur consequentia: quia in mixto, vel manent formæ elementorum, vel non: si sic, & non maneant sub *esse* intenso: quia iam mixtum esset formaliter ignis, & formaliter aqua; igitur oportet, quòd manent sub *esse* remisso. Si dicatur, quòd non maneant in mixto; tunc sequitur, quòd mixtum non esset plus mixtum, quàm simplex elementum, & habetur consequens. Istæ sunt rationes Commentatoris.

Tertiò, propriæ passiones elementorum intenduntur, & remittuntur: igitur & formæ substantiales eorum. Tenet consequentia: quia sicut 6.

forma substantialis hominis non suscipit magis, & minùs, nec etiam propria passio hominis consequens formam hominis. Vnde non dicimus, quòd vnus homo sit magis risibilis, quàm alter. Antecedens patet: quia propriæ passiones elementorum sunt *calefacere*, & *frigefacere*; modò aliquid calefit magis, & aliquid minùs, & ita de *frigefacere*.

Ad ista respondetur. Ad primum, negatur consequentia; ad probationem dico, quòd, remisso vno gradu caliditatis, non remittitur forma substantialis ignis; nec adhuc remisso vno alio; sed sic remittendo [a] est deuenire ad vnam caliditatem ita paruam in intensione, quòd sub ipsa non potest stare forma ignis, licèt benè sub qualibet maiori: & quando dicitur, illi gradus sunt eiusdem rationis, concedo; sed propter hoc non sequitur, quòd si remissu vno gradu, maneat forma substantialis ignis, quòd etiam remisso alio, maneat: verum est tamen, quòd si ille, qui secundò remittitur, fuisset primò remissus, primo manente gradu, adhuc staret forma ignis sicut priùs.

7. Ad secundum, concedo consequens; quòd mixtum non est [f] substantialiter mixtum, ex eo quòd in eo maneant formæ substantiales elementorum; sed ex eo, quòd determinet sibi quamlibet primarum qualitatum in gradu circa summum.

Ad tertium, negatur antecedens. Ad probationem dico, quòd propriæ passiones [g] elementorum non sunt *calefacere*, & *frigefacere*, absolutè loquendo; sed propria passio ignis est intensissimè calefacere; aquæ summè frigefacere, & ita de aliis. Ad authoritatem Commentatoris in proposito non est credendum sibi, quia alibi contradicit.

Contra secundam & tertiam conclusiones obiicitur, quia aliquod subiectum subitò, & totum simul alteratur: igitur per aliquod subiectum totum simul potest introduci forma substantialis. Tenet consequentia: quia alterationem consequitur generatio, & corruptio substantialis. Et antecedens probatur per Aristotelem in lib. de Sensu, & Sensato.

Secundò, quia aliqua est generatio ab intrinseco: ergo, &c. Antecedens probatur in illis, quæ generantur ex semine: quia in semine est virtus generatiua, quæ vocatur seminalis virtus.

Tertiò, patet per Aristotelem 1. Meteororũ, qui ponit, quòd generatio seminalis fit ab intrinseco.

8. Respondetur, ad primum negatur antecedens; videlicet, quòd aliquod subiectum alteretur subitò, & totum simul; sed Aristoteles intelligit, quòd in alteratione subiecti ab extrinseco non est successio secundùm partes approximatas æquè agenti.

Ad secundum, & tertium similiter, dicitur quòd aliqua generatio fit ab intrinseco; sed illud principium intrinsecum non sufficit ad generandum sine adiutorio principij extrinseci; vt virtus in semine non sufficit ad producendum fœtum sine calore extrinseco matris; & illud principium extrinsecum plus iuuat in vna parte, quàm in alia; & ideò dicit Aristoteles de Partibus animalium, quòd cor inter partes animalis, primò viuit, & vltimò corrumpitur.

Ad rationes principales. Ad primam negatur maior. Sed Commentator ponens eam sic intelligit, non quòd sit simpliciter indiuisibilis, sed cum additione, scilicet indiuisibilis secundùm rationes formæ: quia in mutatione substantiali non prouenit successio per huiusmodi gradus.

Ad secundam, negatur maior: quia per idem probaretur, quòd alteratio esset subita: quia est mutatio inter album, & non album, inter quæ non cadit medium. 9.

Ad tertiam, conceditur antecedens in rebus permanentibus; & negatur consequentia: quia licèt sit dare primum instans esse rei permanentis, tamen res illa priùs acquirebatur per partem ante partem.

Ad quartam, negatur antecedens; sed benè est dare minimum potens per se subsistere longo tempore, & hoc dicebatur super primum.

Ad quintam, dico quòd licèt substantia non suscipiat magis, & minùs, nec substantiæ sit aliquid contrarium; attamen in mutatione substantiali prouenit successio propter partes subiecti, licèt non propter gradus formæ.

ANNOTATIONES.

[a] *AD substantiam potest assignari successio prouenire tripliciter.* Nota, quòd generatio potest dupliciter considerari: vno modo pro alteratione præuia disponente subiectum ad formæ substantialis susceptionem, atque ita est motus propriè dictus. Alio modo pro introductione formæ substantialis in materia; & sic non est motus, sed subita mutatio, & eodem modo potest dici de corruptione. 10. *Generatio potest considerari dupliciter.*

Nota secundò, quòd in generationibus substantiarum potest reperiri triplex successio. Prima est in qualitatibus formæ corrumpendæ. Secunda in generatione alicuius compositi ex diuersis membris, in animali enim priùs generatur cor, quàm alia membra minùs principalia. Tertia, quando forma substantialis priùs introducitur in parte propinqua agenti, quàm remota; & hoc modo quædam sunt formæ substantiales, quæ partibiliter acquiruntur, sic quòd vna pars priùs acquiritur, quàm alia; sicut patet in generatione ignis in materia aëris: nam quando ex aëre generatur ignis; primò inducitur forma ignis in vna parte materiæ, deinde in alia, & sic successiuè: nam in illa parte materiæ primò inducitur forma ignis, quæ priùs disponitur ad susceptionem formæ, & quæ est ad formam ignis magis disposita; illa autem pars, quæ est propinquior igni generanti, priùs naturaliter disponitur, quàm pars remotior, atque adeò in illa priùs naturaliter introducitur forma ignis. Hoc tamen non obstante, quælibet eius pars acquiritur in instanti, & ideò licèt aliquæ generationes, vel corruptiones substantiales possint fieri successiuè, modo præexposito, tamen propter hoc non sunt motus propriè dicti, eo quòd non sunt de subiecto in subiectum, vel ab affirmato in affirmatum; cùm nullum sit indiuiduum demonstratum sub vtrisque terminis eiusdem motus: & hæc annotatio facit etiam pro secunda conclusione. *In generatione potest reperiri triplex successio.*

11. b *In mutatione ad substantiam non prouenit successio propter gradus formæ.* Nota, quòd inter Philosophos dubium est de formis substantialibus, vtrùm possint intendi, vel remitti: nam Commentator sustinet, quòd saltem formæ substantiales imperfectæ, sicut sunt formæ elementorum, possunt benè intendi, & remitti. Alij verò sustinent hoc idem in aliis formis,

vt

ve Canonicus 5. Physic. quæstione 2. articulo 1. & Tartaretus in Prædicamentis, cap. de Substantia, & alij Scotistæ, immò Scotus ipse de hoc copiose disputat 8. Metaph. 9. Vnde quidam modernus, scilicet Ludouicus Lemosius in Commentariis super librum primum de morbis medendis Galeni, quæst. 7. tenet hanc conclusionem. Generatio fit in tempore, & non instanti; cuius sensus est, forma substantialis acquiritur, aut deperditur successu temporis, habétque quosdam gradus, qui successiuè acquiruntur sicut qualitates, quæ per motum acquiruntur.

Probatur hæc sententia primò ex Aristotele lib. 4. Physic. cap. 14. dicente, omnis mutatio, in quâ cadit comparatio celeritatis, aut tarditatis, fit in tempore; sed in generatione cadit huiusmodi cōparatio ex eodē Aristotele 7. Phys. c. 4. ergo, &c.

Secundò, probatur ex 6. Phys. cap. 5. & 6. vbi Aristoteles demonstrans motus diuisibilitatem, ostendit diuisionem nominatim in generatione, & corruptione ratione temporis, in quo fiunt: ergo generatio, & corruptio in tempore fiunt.

12. Tertiò, probatur ex Aristotele lib. 2. de Generatione animalium, capit. 3. vbi dicit, quòd partes animæ non simul acquiruntur, sed primò pars vegetatiua, deinde sensitiua, & demum rationalis: ergo hominis generatio fit acquirendo successiuè formam propriam.

Quartò probatur, si forma substantialis non acquiratur successiuè, non fiet mutatio ad formam substantialem nisi per accidens; & per consequens generatio non erit mutatio per se; hoc autem est contra Aristotelem in 5. Physic. cap. 1. Et sequela probatur, non fit mutatio per se ad illam rem, ad quam fluxus antecedens terminum *ad quem* primò, & per se non pertinet; sed nulla alteratio potest primò, & per se pertinere ad formam substantialem, sed ad qualitatem est omnis alteratio primò, & per se: ergo si vniuersus fluxus antecedens formam substantialem est tantùm alteratio, talis fluxus antecedens formam substantialem non pertinet primò, & per se, ad formam substantialem; & per consequens pertinebit per accidens ad talem formam, atque adeò ad illam non erit mutatio per se, sed per accidens.

Vltimò probatur, Aristoteles lib. 1. de Generatione, cap. 4. docet differre generationem ab alteratione in hoc, quòd in alteratione manet subiectum sensibile, & idem mutatur in suis effectibus, in generatione autem, præparatione scilicet materiæ, quæ formam substantialem antecedit, non permanet subiectum sensibile idem, sed necessarium est corrumpi; sed illa præparatio materiæ, quæ in tempore fit, est generatio, & non alteratio: ergo generatio fit in tempore. Minor probatur: quando ex semine fit animal, necesse est corrumpatur semen in aliam rem: ergo illa mutatio seminis non est alteratio, sed generatio respectu formæ substantialis, quæ acquiritur. Et quòd illa præparatio materiæ non sit alteratio, sed generatio, inde patet, quia quando natura aliquid generat, aut intendit generare formam substantialem, aut non: si intendit; ergo dato, quòd præparatio materiæ sit alteratio, impudenter facit, siquidem tantùm quærit mutationes, ex quibus primò, & per se formæ accidentales emergere possint, ex quibus forma substantialis non possit nisi per accidens nasci.

13. Ex his elicit, quòd mutatio, quâ disponitur materia ad formam substantialem, est generatio simpliciter, habens propter se terminū formam substantialem. Secundò, elicit mutationem illam instantaneam, quâ forma substantialis in materiam introducitur, siue introductionem ipsius formæ, dici potius vltimum generatum esse, quàm generationem, sicut in fine motus dicitur mutatum esse. Et si contra illum obiicias ex octauo Metaph. capitulo tertio, rerum essentias in indiuisibili consistere sicuti numerum, cui si addas vnitatem, vel demas, speciem varias; si ergo rei substantia fieret successiuè, illi aliquid adderetur, & non consisteret in indiuisibili. Respondet, in hoc esse verum, rerum essentias in indiuisibili positas esse, quòd scilicet, neque vnus homo est magis homo, quàm alter, neque vna albedo, est magis albedo, quàm altera; si tamen magis, & minùs dicat plures, seu pauciores habere numeros, tunc non consistunt in indiuisibili, non solùm accidentia, sed & substantiæ. verbi gratiâ, homo in primo mense suæ generationis est minùs homo, quàm in secundo, & in quarto est magis, quàm in tertio. Vnde distinguit inter acquirere formam, & generationem: forma enim, inquit, in instanti acquiritur, generatio verò in tempore, & successiuè fit.

Opposita sententia est doctrina Peripatetica, & communis in omni schola doctissimorum virorum, scilicet, quòd generatio sit mutatio instantanea, & non successiua. Et probatur ex Aristotele in isto 5. text. 8. & 9. vbi dicit, quòd impossibile est, quòd generatio, & corruptio sint motus, sed sunt mutationes: quia secundùm contradictionem fiunt, scilicet ex non subiecto in subiectum: ex qua authoritate sic arguitur: Impossibile est quòd generatio sit motus, ergo impossibile est, quòd sit id, quod est de essentia motus; sed de ratione & essentia motus est successio: ergo impossibile est, quòd generatio sit successiua. Restat modò rationes eius diluere. 14.

Ad authoritatem 7. Phys. c. 4. tex. 34. vbi Aristoteles comparat in velocitate, & tarditate, &c. Dico, quòd generatio dupliciter accipi potest. Primo modo propriissimè, pro acquisitione scilicet formæ substantialis, & sic, cùm sit instantanea mutatio, vna non est velocior aliâ. Secundo modo, pro alteratione præuia ad generationem simul cum generatione: & in hoc sensu accipit Aristoteles, velociùs enim generatur masculus, quàm fœmina in hominibus, nam homo generatur 40 diebus, fœmina verò 60. propter maiorem calorem in masculo, & id ipsum apparet in aliis seminibus arborum, quia propter diuersas temperies potest huiusmodi præuia alteratio velociùs fieri, & sic substantialis forma citiùs introduci.

Ad secundam authoritatem 6. Physic. cap. 6. text. 59. quæ clariùs videtur loqui contra nos. Sic enim ait Aristoteles: *Necesse est id, quod fit, factum esse, & id quod factum est, necesse est fieri priùs.* & ait, *semper enim est ipso corrumpi corruptum esse priùs, ipso autem corruptum esse corrumpi.* Respondetur secundùm S. Thomam, Toletum, & alios, quòd Aristoteles accipit hîc generationem pro præuiis mutationibus, & alterationibus, quæ continuātur cum generatione; Scotus verò ibidem dicit, quòd in generatione formæ substantialis non est successio, secundùm gradus formæ; sed solùm secundùm partes quantitatiuas subiecti: quia priùs in vna parte subiecti introducitur forma, quàm in alia, & eodem modo exponit illud de 7. Physic. 15.

Posset etiam dici, notando verba Aristotelis,

quæ ibi in 6.interponit,ſcilicet,quæcunque diuiſibilia, & continua ſunt, vt alia ſit conſideratio generationis ſubſtantiæ in homogeneis, & alia in heterogeneis; in illis id quod generatur,tempore, quo forma extenditur per materiam, ſecundum eandem rationem generatum eſt ſecundùm partem; & ſic quando forma ignis extenditur per materiam ante quemlibet ignem genitum, generabatur ignis,& ante quodlibet *generari* erat ignis genitus atteurà ſucceſſione penes partes quantitatiuas materiæ. In heterogeneis autem ſecus: quia ſecundùm partes generatur: priùs enim generatur cor, quam cæteræ partes, & ſic in iſtis partibus, cùm non ſint infinitæ, aliqua priùs generatur, antequam nulla generabatur. Sed nihilominus dicendum eſt, qoòd ſemper præcedit alteratio quamlibet etiam partialem generationem, & ſic accipiendo generationem, eſt diuiſibilis, non autem accepta pro ipſa formæ introductione: quamuis enim extrinſecè alteratio non terminetur ad ſubſtantiam, ſed ad qualitatem,ſatis eſt quòd extrinſecè terminetur ad illam,vt nomine generationis potiatur.

16. Ad authoritatem de Generatione animalium, reſpondetur, quòd generatio animalis totalis fit præcedentibus partialibus generationibus partium heterogenearum, quæ quidem, vt ſuprà dicebamus,ſuas habent partiales formas ſubſtantiales miſtionis: quælibet autem illarum in inſtanti introducitur in materia priùs diſpoſita per alterationem, atque ita nunquam datur, qoòd generatio ſit ſucceſſiua.

Ad rationem reſpondetur, concedendo quòd primò & per ſe alteratio non habet pro termino formam ſubſtantialem,ſed accidentalem;concedendo etiam, quòd vniuerſus fluxus ſucceſſiuus antecedens formam ſubſtantialem, eſt tantùm alteratio; non tamen inde ſequitur, quòd per accidens acquiratur forma ſubſtantialis. Sequeretur quidem, ſi nulla alia eſſet mutatio per ſe ad formam ſubſtantialem, & hoc ſibi reſtabat probandum; eſt tamen mutatio per ſe ad illam,videlicet generatio, quæ eſt mutatio inſtantanea, per quam acquiritur per ſe forma ſubſtantialis.

17. Ad vltimam rationem, reſpondetur quòd illa præparatio materiæ eſt alteratio, & quidem natura per alterationem intrinſecè non intendit formam ſubſtantialem, ſed accidentalem; per generationem autem per ſe intendit formam ſubſtantialem: præmittit autem illas diſpoſitiones per accidens, vt tantùm diſponat materiam, quâ diſpoſitâ, pòſſit introducere formam. Si enim agens naturale diſpoſitam inueniret materiam, priùs produceret formam ſubſtantialem, & ſic ignis priùs igniret, quàm calefaceret.

Actio eſt duplex.

c *Nulla qualitas conueniens, & naturalis agit in proprium ſubiectum.* Nota primò, quòd duplex eſt actio: quædam eſt vniuoca, & quædam eſt æquiuoca. Actio vniuoca eſt, quâ agens producit formam ſibi ſimilem in ſpecie, cum forma ſua, quâ agit: vt cùm homo generat hominem, & calidum generat calidum. Actio verò æquiuoca eſt, quâ agens generat formam ſpecificè diſtinctam à forma, per quam agit.

Agens,& patiens dupliciter ſumi poſſunt.

Nota ſecundò, quòd agens, & patiens poſſunt bifariam ſumi: vno modo formaliter, & ſic non ſolùm ſunt diſſimilia ſpecie, ſed etiam genere; & hoc modo non intelligit Philoſoph. 1. de Generatione, quando dicit, quòd agens,& patiens ſub eodem genere reponuntur, quia ſunt contraria. Alio modo poſſunt ſumi pro materiali, ſeu pro denominatis: & ſic es differre ſpecie poteſt intelligi dupliciter vno modo ſpecie eſſentiali, ſicut homo, & equus: & hoc modo non oportet quòd differant ſpecie. Secundo modo, ſpecie accidentali, vt corpus calidum, & corpus frigidum. Tertiò, quia ſunt diſſimilia in gradibus eiuſdem ſpeciei, vt corpus habens tres grados, & corpus habens ſex: talia enim quodammodò contrariantur, quia vnum ſe habet, vt magis perfectum, quàm aliud.

Nota tertiò, quòd non eſt inconueniens ali- 18.
qua eſſe ſimilia ſecundùm aliquas qualitates, & diſſimilia ſecundùm alias. Ideò, cùm quæritur, vtrùm qualitas ſimilis agat in aliam qualitatem ſibi ſimilem, vel vtrùm ſubiectum alicui ſimile, agat in ſuum ſimile ſecundùm ſuam qualitatem, ſecundùm quam eſt ei ſimile: non debet intelligi, quòd ſecundùm qualitatem diſſimilem fiat actio, de hoc enim non eſt dubium, ſed ſuppoſito, quòd aliquæ ſint diſſimiles, & aliæ ſimiles; quæritur vtrùm actio fiat ſecundùm qualitates ſimiles.

Aliquid dicitur eſſe in actu triplicìter.

Nota quartò, quòd agens naturale agit in quantum eſt in actu. Quod tripliciter intelligi poteſt. Primò in actu formali, vt quando id qood formaliter eſt calidom, calefacit. Secundo modo, virtualiter, vt quando aliquid habet virtutem ad producendum id, quod formaliter non habet, vt Sol virtualiter eſt calidus, quia poteſt producere calorem, quo formaliter caret. Tertio modo dicitur aliquid in actu eminentiæ, quo pacto Deus continet omnia, nulláque eſt perfectio in creatis, quæ eminentiùs non ſit in Deo.

Agere multifariam contingit.

Nota quintò, quòd multis modis contingit 19.
agere. Primo modo id dicitur agere, quod mouet localiter. Secundò, quod generat, & corrumpit. Tertiò, quod alterat ſecundùm qualitates ſenſibiles ſiue primas, ſiue ſecundas. Quartò, quod auget, ſeu mouet motu augmentationis. Vltimò, quod ſecundùm animam operatur, ſentiendo, & intelligendo.

Nota ſextò, aliquid poſſe tripliciter moueri, & mouere, ſcilicet, per accidens, per partem, & ſecundùm ſe totum, quæ diuiſio in ſuperioribus expoſita eſt.

Ex his dico primò, quòd in motu locali aliquid poteſt ſe mouere per accidens, per partem, & ſecundùm ſe totum. Per accidens, patet de anima, quia in animalibus mouet ſe per accidens, dum mouet per ſe corpus: de ſecundo, patet de animalibus, quæ dicuntur mouere ſe ipſa ſecundùm animam tanquam per partem, quæ mouet corpus: tertiò, patet de graui, & leui, quæ ſecundùm ſe totum mouentur à ſeipſis; vt docet Scotus in 2.Sent.diſt.2.q.10.

Dico ſecundò, in generatione nihil ſe per acci- 20.
dens, aut ſecundùm ſe totum generat, quamuis per partes ſe generet. Prima pars probatur: quia generatione acquiritur ſimpliciter *eſſe*, & quod generat debet habere eſſe ſimpliciter, nihil autem poteſt eſſe, & non eſſe ſimpliciter. Secunda pars patet in nutritione, quæ dicitur partialis generatio. Idem de corruptione dicendum eſt: nihil enim poteſt agere per ſe, & directè in ſe ipſum, actione corruptiuâ; ſed benè per accidens, & gratiâ partis.

Dico tertiò, quòd idem poteſt ſe ipſum per accidens alterare: quia videlicet, alterat per ſe id,

ad

ad cuius alterationem alteramr. Huc patet in anima, quæ dum corpus alterat calefaciendo, & infrigidando,per accidens ipsa alteratur.

Dico quartò, quòd idem secundùm se totum non alterat se ipsum: idem enim prorsus non calefacit, & calefit: quia, quod alterat, debet habere furmam actu, & quod alteratur, debet carere illa; sed impossibile est, quòd idem sic habeat, & non habeat eandem formam. Oppositum huius conclusionis quibusdam probabilissimum videtur, atque etiam mihi; quia satis est habere calorem: verbi gratiâ, virtualiter, carereque illo formaliter, atque ita ipsum totum calefieri à se toto.

21. Dico quintò, quòd simile potest agere in sibi simile secundùm aliam qualitatem sibi dissimilé, vel in specie, vel in gradu intensionis; idem tamen nó potest agere in sibi simile secundùm gradum, & qualitatem sibi similem, & hoc loquendo de actione propriè dicta & reali, quæ est secundùm qualitates primas contrarias, & etiam loquendo de actione directa, & non reflexâ: & in hoc sensu intelligitur conclusio Scoti.

Dico sextò; In augmentatione idem se auget secundùm partem: quia anima auget, & virtus augmentatiua, & corpus augetur. Potest etiam dici, quòd idem secundùm se totum augetor, id est, secundùm omnes suas partes formales: scilicet, quia in omnibus est virtus augendi, & receptiua augmenti.

Dico septimò, quòd idem potest agere in se ipsum actione perfectiuâ, & directâ, & de per se: nam intellectus in se ipso producit actum intelligendi, & voluntas actum volendi.

22. *Generatio vnius quomodo sit corruptio alterius.*

d *Corruptio vnius est generatio alterius.* Nota primò, quòd generatio substantialis est forma substantialis genita, & corruptio substantialis est forma substantialis, quæ corrumpitur; modò non est possibile materiam esse sine forma substantiali, atque adeò recedente vnâ formâ substantiali, necesse est aliam produci: nam duæ formæ nequeunt eandem informare materiam: igitur quando vna forma acquiritur, alia deperditur. Vnde sequitur, quòd corruptio vnius formæ, alterius est generatio, licèt non semper è contra. Primum patet: quia si vnâ formâ à materia expulsâ, alia non generaretur, & introduceretur, maneret materia sine forma, quod est naturaliter impossibile. Secundum probatur: quia quando homo moritur, introducitur in materia forma cadaueris, & tamen non corrumpitur forma hominis, scilicet anima rationalis, quia incorruptibilis, & immortalis est.

Nota secundò, quòd in hac propositione, *generatio vnius est corruptio alterius*, potest esse duplex prædicatio, scilicet formalis, itavt propositio significet illud esse, pro quo supponit subiectum, & pro quo supponit prædicatum: & prædicatio consecutiua, itavt propositio significet illud, pro quo supponit subiectum, sequi ad illud pro quo supponit prædicatum. In primo sensu hæc propositio negatiua est vera, *nulla generatio vnius est corruptio alterius.* Et in secundo sensu generatio substantialis vnius est vniuersaliter corruptio alterius, scilicet consecutiuè, & concomitanter, quia oportet quòd generationem substantialem concomitetur corruptio, & oportet corruptionem substantialem generationem sequi. Nam si quando corrumpitur forma substantialis, quam nunc habet materia, non generaretur alia, talis materia maneret sine forma substantiali: & si quando generatur forma substantialis in materia, forma substãtialis non corrũperetur, sub qua modò est, essent simul plures formæ substantiales in materia, quod est impossibile. Vide Scotum in 2.d.1.q.3.ad tertium principale.

23. *Secundùm Aristotelem non datur prima, nec vltima generatio.*

Ex hoc sequitur, in sententia Aristotelis generationes esse perpetuas, quia datâ quacumque generatione, fuit præcedens corruptio; & per consequens iam aliud primò genitum, & alia prior generatio, & sic in infinitum: & similiter in posterum quamlibet corruptionem subsecuturam esse generationem in perpetuum, adeóque secundùm eius opinionem non est dabilis prima, nec vltima generatio.

Accidentia sunt in duplici differentia.

Nota tertiò, quòd in accidentibus non est propositio vniuersaliter vera. Nam duplicia sunt accidentia; quædam enim sunt accidentia successiua, sicut sunt motus, & tempus, quorum *esse* consistit in continuo fieri aliud, & aliud. Alia sunt accidentia naturæ permanentis; & istorum quædam non habent contrarium, sicut lux, visio, actus intelligendi, & multa talia. Quædam sunt, quæ habent contrarium, vt sanitas, & ægritudo, albedo, & nigredo, dulcedo, & amaritudo, &c. & hæc sunt duplicia: nam quædam sunt à quibus subiectum non potest denudari; alia verò sunt à quorum vtroque potest subiectum denudari.

Ex hoc, dico primò quòd loquendo de accidentibus, sicut *esse* talium est in continuo *fieri*, ita & in continuo *corrumpi*; & ita videtur quòd in talibus idem sunt *esse*, *fieri*, & *corrumpi*; atque ita verum est, quòd in eis generatio sit corruptio; nec tamen in eis verum est in prædicatione formali, quòd generatio vnius sit corruptio alterius: immò generatio vnius est corruptio eiusdem, cùm in talibus vniuersaliter generatio vnius sit corruptio alterius concomitanter, quia non est dabile primum, aut vltimum in ipsis. 24.

Dico secundò, quòd in accidentibus permanentibus, quæ non habent contrarium, non est necesse quòd generatio vnius sit corruptio alterius, vt productio luminis nullius est corruptio.

Dico tertiò, quòd in accidentibus, à quorum vtroque potest subiectum denudari (itaque neutrum neque eius medium necesse inest subiecto, vt scientia, & error) generatio vnius non est corruptio alterius, potest homo esse neque sic sciens, neque sic ignorans, neque aliquo medio modo se habens, conflato ex his extremis: atque adeò quando fit sciens non corrumpitur aliud.

Dico quartò, quòd in accidentibus habentibus contrarium, à quibus subiectum non potest denudari, generatio vnius est corruptio alterius, & è contra; vt genitâ sanitate, corrumpitur ægritudo, & è contra, & ad generationẽ albedinis sequitur corruptio nigredinis, vel alicuius medij coloris.

Dico quintò, quòd in generatione accidentium, quando comproducuntur simul cum substantia, tunc quia ad generationem mixti generantur, eorum generatio nullius est corruptio; vt quando cum mixto producuntur colores, & odores. Ex dictis colligere licet, quare quædam dicantur simpliciter generari, aut corrumpi; quædam verò secundùm *quid*, quia secundùm omnes, motus denominantur à termino, & terminorum quidam sunt substantiæ, quidam accidentia; substantiæ autem sunt simpliciter entia; ideò earum productio est simpliciter generatio; 25.

accidentia verò sunt entia secundùm quid, ideò eorum generatio est secundùm quid. Obserua tamen ex Scoto in 1. dist. 3. quæst. 6. quòd accidens est terminus mutationis, & alterationis; non tamen productionis: & ratio est, quia mutatio est per se mutabilis, & alteratio est per se alterabilis, & motus mobilis: illud autem propriè alteratur, & mutatur, quod de non tali fit tale; vt quod de non albo, fit album: forma ergo, quâ fit tale, non mutatur, sed subiectum; ipsa verò forma est terminus mutationis, productio autem est solius termini, qui per productionem acquiritur. Cùm ergo forma non habeat propriè *esse*, sed sit illud, quo compositum habet *esse*: igitur ipsa non dicitur produci, neque terminus productionis, sed tantùm compositum, quod habet *esse* per productionem: & hoc de rigore, & propriè loquendo.

26. e *Sed sic remittendo, est deuenire ad vnam caliditatem ita paruam*, &c. Nota, quòd corpora non viuentia, vià corruptionis, terminantur terminis extrinsecis in qualitatibus: quia aliàs res substantiales desinerent esse per vltimũ sui *esse*, quod est absurdum. Corrumpatur enim, verbi gratiâ, aër per diminutionem humiditatis; non dabitur minima humiditas, quæ sit minimum temperamentum, sub quo aër conseruari potest, quia tunc talis minima humiditas esset vltimum *esse* aëris, si amplius diminuatur talis humiditas: erit enim verum dicere, *nunc est minima humiditas, & post hoc non erit*: & similiter, *nunc est aer, & post hoc non erit*: quod est desinere esse per vltimum sui *esse*, quod non est dicendum: datur ergo maxima humiditas sub qua non aër conseruatur, vt sic via corruptionis terminetur aër, & reliqua corpora viuentia terminis extrinsecis, quod est desinere esse per primum non esse, illud instans enim medium transmutationis, quod est primum esse rei, quæ generatur, est primum non esse rei, quæ corrumpitur. Hæc sunt diffusiùs explicata in primo huius, in annotationibus quæst. 12. & 13. vide ibi.

27. f *Mixtum non est substantialiter mixtum ex eo*, &c. Nota, quòd Auicenna opinatus est elementa formaliter manere in mixto, quamuis diuisa in minutissimas partes, qualitates tamen elementorum sunt in ipso mixto remissæ, & temperatæ. Quam sententiam secuti sunt Albertus magnus tract. 6. cap. 5. Iandunus 4. Physic. quæstione 4. & alij, qui diuersimodè eam explicant, vt vide e est apud Toletum, de Generatione, lib. 2. Eandem sententiam defendit Auerroës, qui ab Auicenna differt in hoc, quòd putat formas elementorum substantiales remitti, & intendi posse, sicut & qualitates: quare confitetur elementa in mixto formaliter manere, eorum autem formæ sunt remissæ.

Mixtio quomodo fiat.

Scotus verò in 2. distinct. 15. quæst. 1. sic explicat mixtionem, & modum, quo elementa sunt in mixto; dicitque quòd in omni genere est inuenire medium, quod cum extremis conueniat, vt in coloribus rubor inter albedinem, & nigredinem; non quidem taliter, quòd albedo & nigredo sint partes actuales ruboris; quia rubor est simplex qualitas sicut albedo, atque ita ista compositio non est nisi conuenientia naturalis medij cum extremis, non extremi ad extremum: ita similiter forma mixti dicitur continere elementorum formas: non quia illas contineat actu, sed quia naturaliter habet conuenientiam cum illis. Secundò, hoc ipsum explicat Aristoteles, dicit formam mixti esse perfectiorem formis elementorum; omne autem imperfectum continetur virtualiter in suo perfectiori; formæ ergo elementorum continentur virtualiter in forma mixti: sicut enim forma animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ eminenter, & virtualiter continentur in intellectiua, taliter quòd intellectiua exerceat operationes aliarum; ita etiam formæ elementorum sunt virtualiter in forma mixti quia habet operationes consimiles operationibus elementorum; ideò postquam Aristoteles dixit quòd elementa manent in mixto, subiunxit; saluatur enim virtus eorum: quia virtutes elementorum sunt virtualiter in forma mixti. Hæc sententia Scoti est etiam D. Thomæ lib. 2. de Generat. text. 94. & 1. part. quæst. 76. art. 4. quam secuti sunt Ægidius, Marsilius, & Albertus de Saxonia.

Obserua tamen, quòd est discrimen inter Thomistas, & Scotum, an dispositio qualitatiua ad mixti formam necessaria, (quam vocant temperiem, seu complexionem) sit forma composita, videlicet quatuor qualitates elementorum ad temperiem redactæ, an vnica simplex qualitas ex illis resultans, aliàque quatuor eminenter continens, & ab ipsis distincta, vt rubedo, quæ est distincta qualitas ab albedine, & nigredine, quas quodammodo continet. Nam Thomistæ asserunt, quòd temperies illa est combinatio quatuor qualitatum primarum, ita scilicet, quòd quatuor qualitates elementorum sint formaliter in mixto, quamuis temperatæ, & remissæ. Et hæc sententia partitur in duas; nam quidam eorum asserunt, quòd qualitates eædem numero, quæ erant in elementis cum eorum formis, corruptæ sunt, aliæque eiusdem speciei in mixto cum eius forma introductæ. Huius sententiæ est Iauellus. Alij autem, vt Marsilius, & Toletus, tenent quòd ipsæmet qualitates quæ erant in elementis, postea manent in mixto, quamuis in gradu remisso, ita vt temperies illa sit composita ex quatuor qualitatibus remissis. 28.

Scotus verò in 2. dist. 15. quæst. 1. asserit temperamentum esse vnam simplicem qualitatem, quæ virtualiter, & eminenter continet quatuor primas qualitates; & quòd ipsæ primæ qualitates non formaliter, sed virtualiter tantùm manent in mixto. Ex his intelligere facilè potes, quomodo mixtum determinat sibi quamlibet primarum qualitatum citra summum, vt hîc dicit Scotus. 29.

g *Propria passiones elementorum non sunt calefacere*, &c. Nota, quòd hæc responsio non est vera, nec ad aures Doctoris: non est quidem vera, quia gradus non variat rationem formæ; ergo si *calefacere* non est passio ignis, nec summè calefacere; tum etiam, quia, vt dicit Scotus quæstione vltima Vniuersalium, in responsione ad primum principale, qualitates elementorum non sunt eorum passiones. Et ratio est, quia impossibile est subiectum esse sine proprio, vel sub opposito proprij, vel etiam intelligi sub eius opposito; modò elementa nedum intelligi possunt sine repugnantia intellectus sub oppositis qualitatum primarum, sed realiter esse sub oppositis earum, vt patet in transmutationibus elementorum ad inuicem: nam cùm generatur ignis ex aqua, priùs alteratur aqua ad caliditatem, remouendo successiuè eius frigiditatem, manente adhuc aquæ substantiâ, in quam ab agente naturali

caliditas

caliditas inducitur, quæ est opposita suæ qualitati primæ, cuiusmodi est frigiditas, quæ generetur ignis, cùm generatio sit terminus alterationis secundùm Philosophum, & Commentatorem in pluribus locis. Ex hoc igitur manifestè apparet, quòd frigiditas non sit proprium ipsius aquæ, & similiter dicendum est de aliis. Vide Scotum in Postprædicamentis, cap. de oppositione, quæst. 4. qua quærit, vtrùm possibile sit aliquod contrariorum determinatè inesse à natura, in solutione tertij principalis.

QVÆSTIO III.

Utrùm in quantitate sit motus.

Arist. *hic tex.* 18 Auer. *com.* 19. D. Thom. *lect.* 4 Plato *in Dialogo Eutisipho, & in Tarteto*. Gal. *lib.* 1. *Met c.* 6. Alb. Mag. 5. *Physic. tract.* 1 c 8. Vales. *controu.* 29 *ad Tyron*. Complut. *disp.* 22. *Phys. q.* 2. § 2. Rub. *lib.* 5. *Phys. c.* 2. *q. vnica*. Fucutes 5. *Phys. q.* 2. *diffic.* 1. *art.* 1.

1\. ARGVITVR quòd non: quia in motu aliquid mouetur primò; sed mutatione ad quantitatem nihil mouetur primò: igitur mutatio ad quantitatem non est motus. Maior patuit priùs. Et minor probatur, quia vel augmentatur præexistens, vel superueniens: non præexistens, quia illud non est maius post augmentationem, quàm antè: nec superueniens, quia illud antè non erat.

Secundò, quantitas non suscipit magis, & minùs; igitur ad ipsam non est motus. Tenet consequentia: quia in illis, quæ non suscipiunt magis, & minùs, tota successio prouenit propter partes quantitatiuas; modò successio propter partes quantitatiuas non sufficit ad motum, vt probatum fuit priùs.

Tertiò, omnis mutatio est de contrario in contrarium; sed quantitati nihil est contrarium; ergo, &c.

Quartò, nullum aggregatum ex diuersis motibus est aliquis motus simplex, & vnus; sed augmentatio est huiusmodi: ergo, &c. Maior nota est. Et minor probatur, quia ad augmentationem requiruntur motus localis nutrimenti, eius decoctio, consequenter extensio quædam, siue rarefactio; & per consequens nullus vnus motus est augmentatio, sed aggregatum ex diuersis; & per consequens augmentatio non est motus.

2\. Quintò, augmentatio est idem, quod motus localis; igitur præter motus, qui sunt ad *vbi*, & ad qualitatem, non oportet ponere motum distinctum, qui sit ad quantitatem. Antecedens probatur, quia illud, quod augmentatur, mutat locum, & occupat maiorem locum, quàm antè: igitur nutrimentum mouetur localiter.

Sextò, arguitur de diminutione, quia omnis motus est acquisitiuus; sed diminutio non est acquisitiua: igitur non est motus. Maior patet: quia in hoc est differentia inter mutationem, & motum; quia omnis motus ad qualitatem est acquisitiuus vnius qualitatis, licèt sit deperditiuus alterius: & similiter motus localis est acquisitiuus, vt notum est. Et confirmatur, quia in diminutione non apparet aliqua mutatio, nisi corruptio, aut remotio alicuius paruæ partis; modò corruptio, cùm sit à substantia, non est motus, nec reactio est motus distinctus à motu locali.

Septimò, quantitas est æterna, vt dicit Commentator in libro de Substantia orbis: igitur ad quantitatem non est motus, alius à motu locali; quia in æternis non potest esse acquisitio, nec deperditio.

Octauò, potest quæri an auctum maneat idem, vel non, & pòst etiam similiter inquirendo, an quælibet pars aucti sit aucta. Item qualiter potest saluari augmentatio sine penetratione? sed ista pertinent ad librum de Generatione. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto quinto, text. 18. qui ponit motum esse in tribus generibus. 3.

Notandum, quòd ad motum propriè dictum requiruntur aliquæ conditiones. Prima est, quòd acquisibile per motum, per se & de natura sua sit acquisibile successiuè, & non subitò, ita quòd non possit totum simul acquiri. Secunda conditio, quòd illud cui fit acquisitio, vel deperditio, maneat idem antè, & pòst, ita quòd acquisitio, vel deperditio fiat alicui manenti idem. Tertia conditio vt illud sit acquisibile sibi per motum sui ipsius, & non ad motum alterius; & propter hoc ponit Aristoteles quòd in *ad aliquid* non est motus, quia prædicata de *ad aliquid* mutantur de aliquo non propter mutationem sui ipsius, sed propter mutationem factam in aliquo alio. Quarta conditio, quòd motus ille sit de termino positiuo ad terminum positiuum, inter quos terminos est distantia media; & ista sequitur ex præcedenti conditione: quia nisi sit distantia, secundùm quam posset fieri successio, tunc nō repugnaret motui, quòd posset fieri subitò, & in instanti; & talis distantia terminorum vocatur contrarietas, quæ in qualitatibus non est distantia secundùm situm, sed secundùm gradus qualitatis.

Cōditio quadruplex requisita ad motum.

Secundò, notandum quòd augmentatio accipitur multipliciter. Vno modo pro quacumque maioratione quantitatis, siue fiat adueniente aliquo, siue non: & sic rarefactio dicitur augmentatio, & talis non est ad quantitatem, imò ad qualitatem; cuius signum est, quòd per rarefactionem mutantur prædicta de genere Qualitatis, vt rarum, densum de illo, quod sic augmentatur. Alio modo accipitur augmentatio pro maioratione quantitatis mediante aliquo adueniente: & hoc multipliciter; vno modo per aggregationem, vt cumulus lapidum dicitur augmentari per appositionem lapidum. Tertio modo, per continuationem, vt quando aqua apponitur aquæ. Quarto modo, per generationem, vt quando ignis augmentatur per appositionem combustibiliū. Quintò, quando auctum est continuè aliud, & aliud, vt quando propter augmentum potentiæ, vel diminutionem resistentiæ, continuè est alia, & alia proportio, & continuè maior, & maior. Et istis modis non accipitur augmentatio in proposito: quia sic augmentatio non est aliud, quàm motus localis, vel alteratio; aut generatio, vel corruptio. Sexto modo accipitur [a] augmentatio pro maioratione quantitatis viuentis facta, adueniente aliquo, scilicet nutrimento, virtute animæ, mediante calore naturali; & sic accipitur in proposito. Et ad talem augmentationem requiruntur aliqui motus, vel mutationes. Primò, enim requiritur alteratio, scilicet decoctio nutrimenti decocti ad membra. Tertiò, corruptio substantialis nutrimenti. Et quartò illam [b] corruptionem sequitur partialis generatio animæ viuentis. Et quintò, requiritur facta generatione extensio quædam totius corporis; & hoc fit virtute caloris naturalis. 4.

Augmentatio accipitur multis modis.

5. Nunc ponuntur conclusiones. Prima est Ad quantitatem est [c] motus. Probatur; ad illud est motus, quod de sui natura est acquisibile successiuè alicui manenti eidem per mutationem sui ipsius, & non per mutationem alterius; sed quantitas est de sui natura acquisibilis successiuè alicui, scilicet, viuenti manenti eidem per mutationem viuentis, & non alicuius alterius: igitur ad quantitatem est motus. Maior patet per conditiones priùs positas. Et minor probatur, quia impossibile est aliquid subitò mutari de minori quantitate ad maiorem.

Motus est ad quantitatem.

Secunda conclusio: huiusmodi augmentatio potest fieri secundùm quodlibet genus Quantitatis; quia potest fieri tam secundùm longum, quàm latum, vel profundum.

Augmentatio potest fieri secundùm quodlibet genus quantitatis.

Contra ista arguitur primò: quia ad illud non est motus, quod non acquiritur nisi consecutione, & ex consequenti ad alios motus; sed quantitas non acquiritur nisi ex consequenti ad alios motus: igitur ad quantitatem non est motus. Maior patet: quia per eandem maiorem probat Aristoteles in littera, quòd in *ad aliquid* non est motus. Et minor probatur, quia augmentatio non fit nisi consequutiuè ad alterationem, ad motum localem, & generationem & corruptionem.

6. Secundò, quia non minùs esset augmentatio motus, si tantum deperditur ab vna parte viuentis, quantum acquiritur ab alia, quæ nunc fit de facto, quoniam nihil deperditur, sed si tantum deperditur ab vna parte, quantum acquiritur ab alia, non esset augmentatio, eo quòd nihil augmentaretur: quia maneret tantum pòst, quantum erat antè: igitur nunc de facto augmentatio non est motus.

Tertiò, sequeretur quòd illuminatio esset motus. Consequens est falsum: quia est de priuatione in habitum. Consequentia probatur per eandem rationem, per quam probatur de augmentatione, quia lumen est acquisibile successiuè alicui subiecto manenti eidem per mutationem illius subiecti, & non alterius.

Quartò, dicatur quis istorum motuum debeat dici augmentatio, scilicet decoctio nutrimenti, vel motus localis ipsius ad membra, vel generatio, vel corruptio, vel extensio consequens generationem: & quodcumque istorum motuum ponatur, tunc augmentatio non est motus, vel non est motus distinctus à motu ad qualitatem, vel à motu ad *vbi*.

7. Ad ista respondetur. Ad primum negatur maior: quia dealbatio est motus, & tamen non fit nisi consecutione ad alterationem secundùm primas qualitates: & quando Aristoteles ponit illam maiorem, dico quòd sic intelligit, quòd ad illud non est motus, quod solùm acquiritur alicui consecutione ad alios motus, & non solùm per motum sui ipsius, sed etiam per motum alterius, ipso non mutato; & ideò in *ad aliquid* non est motus.

Ad secundum, negatur maior: quia in augmentatione necessariù requiritur quòd non fiat tanta diminutio ab vna parte, quanta augmentatio in alia; Immò semper requiritur, quòd fiat maior additio, quàm resecatio.

Ad tertium, negatur consequentia; quia lumen de natura sui est acquisibile subitò: quia si luminosus esset subitò præsentatus medio, in quo sufficeret agere, tunc subitò produceret lumen: modò dictum est, quòd illud, ad quod est motus, de sui natura est acquisibile successiuè, & non totum simul.

Ad quartum, dicunt aliqui quòd augmentatio non est aliquis istorum motuum, vel mutationum; sed omnes istos consequitur. Sed istud non valet, quia præter motus enumeratos, non apparet aliquis motus, vel mutatio consequens. Alij dicunt, quòd augmentatio non est aliquis vnus motus; sed est aggregatum ex omnibus motibus prædictis. Aliter dicitur quòd illa extensio, [d] quæ vltimatè consequitur, est augmentatio; & si fiat consimilis extensio in inanimatis, non oportet quòd illa sit augmentatio, eo quòd non prouenit à consimilibus causis; ideò hoc nomen *augmentatio* supponit pro illa extensione, connotando illos motus esse antecedentes. 8.

Ad rationes principales: ad primam dico, quòd præexistens [e] augmentatur, & ipsum manet idem antè, & pòst, vt patuit suprà, primo huius: & etiam illud idem est primò minus, & postea maius, vt dicebatur de intensione qualitatis super tertio, quæ est omnino similis, quantum ad hoc.

Ad secundam, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Ad probationem, quando dicitur, quòd successio secundùm partes quantitatiuas non sufficit ad motum, vt probatum fuit. Respondetur, quòd dupliciter potest esse motus secundùm partes quantitatiuas. Vno modo, quòd totum mobile simul moueatur, & sic successio secundùm partes quantitatiuas sufficit ad motum, cuiusmodi est in proposito: quia quod augmentatur, totum simul mouetur de minori quantitate ad maiorem. Alio modo est successio secundùm partes quantitatiuas, ita vt nunquam simul totũ mobile moueatur, sed primò vna pars, postea alia, & sic consequenter; & tunc successio talis non sufficit ad motum, vt probatum fuit priùs.

Ad tertiam de contrarietate, videbitur postea. 9.

Ad quartam, respondetur sicut ad quartum contra conclusionem.

Ad quintam, negatur antecedens. Vnde, licèt augmentatio præsupponat motum localem antecedentem, attamen ex hoc non sequitur, quòd augmentatio sit motus localis.

Ad sextam de diminutione, negatur maior; & potest concedi, quòd diminutio non est ita propriè motus sicut augmentatio. Ad confirmationem dicitur consimiliter. De aliis [f] non pertinet ad propositum.

ANNOTATIONES.

SExto modo accipitur augmentatio, &c. Nota primò, quòd augmentatio hoc sexto modo accepta sic definiri solet: *Augmentatio est noua quantitatis additio præexistenti quantitati per intus susceptionem alimenti conuersi in maiorem carnem, quàm fuerat deperdita.* Et ideò augmentatio propriè dicta non fit sine nutritione, & alicuius generatione. *Nutritio enim est reparatio humidi radicalis consumpti à calore naturali per humidum cibale conuersum in substantiam viuentis*; & augmentatio addit ad hoc plus reparari, quàm fuerit deperditum, atque adeò non fit augmentatio sine nutritione; nec per consequens sine generatione: quia corruptio vnius est generatio alterius: cibus antè corrũpitur in stomacho, & eius forma substantialis deperditur, & multipliciter transmutatur materia: nam ex cibo in stomacho fit chylus, & rursus in hepate corrũpitur chylus, 10.

Definitio augmentationis.

&

& generatur chymus, seu massa sanguinaria, & hæc adhuc corrumpitur, & fit caro, nerui, & ossa, atque ita augmentatio non fit sine generatione.

Nota secundò, quòd licèt ad augmentationem requiratur motus localis, corruptio, generatio, & etiam vera nutritio, ipsa tamen realiter distinguitur ab omnibus illis: quia illi motus sunt realiter distincti, qui sunt ad terminos realiter distinctos: modò generatio est ad substantiam, & augmentatio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, & motus localis ad *vbi*, quæ realiter distinguuntur à se inuicem.

11. b *Et quartò, illam corruptionem sequitur partialis generatio animæ viuentis.* Nota primò, quòd augmentatio propria dicitur partialis generatio, seu generatio secundùm *quid*, quia in augmentatione conuertitur alimentum in substantiam aliti; sed omnis conuersio in substantiam est generatio. Rursus suppositum, quod augetur, non fit simpliciter, sed fit maius: ergo non est simpliciter generatio; sed secundùm *quid*; & hoc est quod dicit Scotus *in dist. 44. quæst.* 1. videlicet quòd in nutritione est aliqua generatio, extendendo generationem ad omnem inductionem formæ substantialis in materiam post priuationem; quia alimentum non manet sub forma alimenti, neque sub aliqua alia, quàm sub forma nutriti; & addit Scotus, quòd, cùm non sit generatio per se entis, prout dicitur illud per se esse, quod non est pars alterius, non est generatio simpliciter, sed potest dici aggeneratio, id est, alicuius generatio, quòd per generationem fit idem alicui præexistenti, cui aggeneratur. Vel potest dici ingeneratio: quia est generatio partis in toto, cuius antè non fuit pars. Dicit insuper Scotus, quòd pars adueniens per nutritionem est aliquo modo similis parti præexistenti, quæ infuit per generationem, & aliquo modo dissimilis: similis in forma specifica, & corporeitatis: dissimilis, quia impurior. Nam quia omne naturale in agendo repatitur, quanto agens naturale magis continuat actionem, magis eius virtus debilitatur; cùm ergo virtus nutritiua semper continuet actionem, agendo in nutrimentum, tanto magis debilitatur eius virtus, & per consequens, generat carnem imperfectiorem illâ, quæ fuit acquisita per generationem in principio: immò eademmet manens in toto, erit imperfectior se ipsâ, quàm priùs fuit in principio, & per consequens generabit carnem imperfectiorem: qualitates enim consequentes, quæ sunt principium alterandi ex mutua reactione erunt imperfectiores: quod exemplo manifestat Aristoteles 1. *de Gen. text.* 42. sicut vinum, quanto plus aquæ illi admiscetur, tanto magis debilitatur, & eius actiones sunt imperfectiores, ita hîc.

Quod augmentatio non generatur simpliciter, sed secundùm quid.

12. Ex hoc sequitur, quòd primi parentes in paradiso existentes, licèt ederent de ligno illo vitæ, quo humidum radicale restauraretur, si Deus derelinqueret eos actioni naturali, ex conditione suæ naturæ mouerentur, quia calor naturalis, agendo repateretur, & tandem ex continua actione, & repassione deficeret: verum tamen est, quòd mors non sequeretur actu, quia antequam fieret totalis consumptio caloris, Deus assumeret eos ad beatitudinem. Hæc docet Scotus *in 2. distinct.* 19. contra Bonauent. *ibid. artic.* 2. vide quæ diximus in Commentariis nostris super *Gen. cap.* 3. *fol.* 189.

Nota secundò, quòd formæ specificæ viuentium, quæ sunt animæ, sunt in multiplici differentia. Aliæ namque sunt indiuisibiles; aliæ verò diuisibiles secundùm aliquos. Primi ordinis est anima rationalis, de qua non est dubium, quòd sit omnino indiuisibilis, & independens à materia; quare quando homo augetur non acquiritur noua pars animæ, sed eademmet de nouo informat nouas partes materiæ ex nutrimento acquisitas: & similiter in diminutione non deperditur pars animæ cum parte materiæ. Aliæ sunt animæ, quæ taliter informant materiam, quòd dependent ab ea *fieri*, & *conseruari*, vt animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; & de istis sintne indiuisibiles, an non, disputatio est ad 2. *lib. de Anima* pertinens. Modò opinio est S. Thomæ, 1. *part. quæst.* 76. *artic.* 8. quòd animalium perfectorum, cuiusmodi sunt leones, & equi, & huiusmodi animæ sunt indiuisibiles: imperfectorum verò, vt anguium, & lacertorum, & plantarum sunt diuisibiles.

Formæ specificæ viuentium sunt in multiplici differentia.

Vnde iuxta doctrinam, dicere licebit, quòd 13.
in augmentatione in animalibus perfectis eadem manens forma extenditur ad informandas nouas partes materiæ. In animalibus verò imperfectis simul cum materia acquiritur noua pars formæ: & iuxta hanc sententiam locutus est fortè Scotus hîc, dicens, quòd corruptionem sequitur partialis generatio animæ viuentis; & secundùm hanc sententiam dicitur etiam fieri augmentatio secundùm formam manentem: quia manet idem modus, & figura ipsarum formarum: & hæc permanentia sufficit ad affirmandum, quòd secundùm tales formas fiat augmentatio. Et si contrà arguas, quòd etiam in materia manet idem situs; ergo etiam in materia fit augmentatio. Respondetur secundùm hanc doctrinam, quòd non est eadem ratio: quia licèt materia maneat eadem hoc modo, hoc non habet à se, & quatenus materia: quia quatenus materia, effluit, sed hoc habet à se, & ratione ipsius; ideò etiam in imperfectis viuentibus augmentatio fit secundùm formam, & non secundùm materiam.

Cæterùm nobis, qui cum Scoto ponimus for- 14.
mam corporeitatis, aliâ viâ incedendum est: atque primò dicendum est, quòd omnes animæ viuentium sunt indiuisibiles, vt *in secunda de Anima* examinauimus, forma autem corporeitatis, quæ & mistionis est, & extensa, & quanta, & secundùm ipsam fiunt organa: quare dicendum, quòd in augmentatione acquiritur noua pars formæ corporeitatis cum noua parte materiæ: quia huiusmodi forma corporeitatis est diuisibilis, & extensa. Secundò, dicendum est, quòd quando augentur viuentia sensibilia, & vegetabilia perfecta, siue imperfecta; non autem requiritur noua pars animæ cum noua parte materiæ. Et hoc est, quòd dicit Aristoteles 1. *de Generat.* quòd augmentatio fit secundùm formam, quæ semper manet eadem. Et probatur hoc, quia aliàs non esset discrimen inter augmentum viuentium, & non viuentium; ignis enim augetur per hoc, quòd cum noua parte materiæ acquiritur noua pars formæ; si ergo & viuens hoc modo augeretur, non esset discrimen inter illa. Adde, quòd vnitas subiecti sumitur ab vnitate formæ, à qua & entitas; si ergo formæ viuentium crescunt, & decrescunt, ita vt cum noua parte materiæ noua pars formæ acquiratur, & deperdatur, poterit dari status, in quo viuens habeat aliam formam

numero

numero distinctam ab illa qoam priùs babuit. Dicendum est tertiò, quòd augmentario fit secundùm formam, & non secundùm materiam, pro quanto augmentatio in viuente fit per aduenientem sibi nouam partem materiæ cum noua parte formæ corporeitatis, manente eâdem formâ viuentis; & hoc secundùm illas partes, quæ habent virtutem, & efficaciam, & debitam quantitatem ad propriam actionem, ad conuertendum scilicet substantiam alimenti, quæ appellantur partes secundùm formam, vt subtiliter explicat Scotus *in 4. dist. 44. quæst. 1.* at non fit secundùm materiam, id est, secundùm illas partes, quæ propter sui defectum huiusmodi actionem nequeunt habere.

15. c *Ad quantitatem est motus.* Nota, quòd Toletus *primo de Generatione* tenet, augmentationem non esse motum continuum, sed instaneam mutationem, quam dicit esse Commentatoris, 8. *Physic. comm.* 23. & S. Thomæ ibidèm, & Alberti Magni. Pro cuius intelligentia, notat Toletus, quòd cibus quando disponitur, & alteratur, non est continuus, sed contiguus, & iuxtà positus carni, & dum, verbi gratiâ, vna pars sanguinis conuertitur in carnem, discontinuatur ab alia parte, quæ adhuc conuersa non est, sed manet sanguis. Secundò notat, quòd datur minimum substantiæ productæ naturalis, ita vt, cùm caro producitur, sit sub certa quantitate, sub qua primò producitur: si ergo datur minimum substantiæ, dabitur etiam minimum secundùm extensionem in accidentibus disponentibus ad substantiam; & per consequens in quantitate; aliàs daretur pars minor minimâ dispositâ, in qua introduceretur forma substantialis. Hoc posito, sic probat suam sententiam: aut pars sanguinis sic apposita carni nutriendæ disponitur, & alteratur successiuè, aut non; non successiuè, quia tunc datâ quacunque parte dispositâ, adhuc minor dabilis esset, quòd est contra secundum notabile; datur namque primum, vel minimum in substantia; ergo disponitur instantaneè, & per consequens augmentum non fit successiuè, sed in instanti. Probatur consequentia, quia non potest disponi nisi in determinata quantitate ad minimum: cuiusque autem minimi conuersio supponit alterationem, & dispositionem distinctam à dispositione alterius; ergo cuiusque minimi conuersio fit in instanti, & per consequens augmentatio est discontinua, quia residuum cibi non conuersum, quod manet, est discontinuum, vt dictum est in primo notabili. Secundò probatur; augmentatio non habet vnum subiectum: ergo non est continua. Antecedens patet, quia aliud subiectum est caro, aliud neruus, aliud os, & aliud caput, & aliud manus: hæc autem continua non sunt; ergo augmentatio non est continua. Probatur consequentia, quia augmentatio vnius partis non est eadem numero cum augmentatione alterius, sicut hæc pars est illa.

16. Tertiò probatur; augmentatin supponit generationem, & fit simul cum generatione; sed generatio est instantanea: ergo & augmentatio: & cónfirmatur ex Aristutele 8. *Physic. text.* 23. vbi probat augmentationem non esse continuam. Fit ergo secundùm hanc opinionem, augmentatio sic: disponitur cibus, & alteratur in tempore, & in fine dispositionis conuertitur in instanti in substantiam aliti, & similiter augmentum; & rursus iterum disponitur alia pars cibi sicut prior in tempore, & disposita in alio instanti post tempus dispositionis, conuertitur in substantiam, quæ, cùm sit quanta, simul nutrit, & auget: est ergo augmentum interpolatum, & ex pluribus augmentis congregatum.

Oppositam sententiam tenet hîc Scotus, & in 4. loco suprà relato, sub lit. L. §. *sed ex istis*, quam secuti sunt Marsilius *lib. 1. de Generat. quæst.* 14. Albertus de Saxonia, *qu.* 13. & Iandunus 8. *Physic. quæst.* 7. & probatur ex Aristotele *in hoc 5. text.* 18. docente, ad tria Prædicamenta esse per se motum, videlicet ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi; sed augmentatio est ad quantitatem; ergo est per se motus.

Ad primum in oppositum, respondetur quòd dubium est, an detur minimum substantiæ, immò ipsemet Toletus, *quæst. 4. conclusione* 2. asserit oppositum esse probabilius. Secundò, dico quòd esto, quòd hoc sit verum in generatione substantiæ, non tamen in nutritione, & in augmentatione, nutritio enim quamuis sit partialis generatio; quia tamen non est simpliciter generatio, sed potiùs aggeneratio, vel ingeneratio, ideò etiam fit successiuè; alteratur ergo successiuè alimentum, & successiuè conuertitur in substantiam viuentis, & successiuè ipsum viuens augetur. Ratio autem diuersitatis in nutritione, & generatione substantiæ completæ, hæc est, quòd substantia completa indiget determinatis accidentibus, & determinata quantitate; substantia autem, quæ est pars alterius, qualis est, quæ in nutritione acquiritur, non indiget quantitate certâ, & determinatâ, in qua generetur, & ideò non generatur in tam parua, quin in minori generetur. 17. *Opinio Toleti reiicitur.*

Ad secundum dico, solùm probare augmentationem, quæ fit in capite, non continuari cum augmentatione, quæ fit in manu; de hoc tamen non est quæstio: sed vtrùm augmentatio, quæ fit in manu, verbi gratiâ, sit continua, & rursus sicut omnes partes sunt continuæ etiam distantes aliis intermediis partibus, ita etiam accidens extensum per omnes partes dicitur continuari ad continuationem subiecti, quamuis non sic fit augmentatio per partes successiuè, quòd augmentatio suceedat augmentationi alterius, quia omnes simul augentur secundùm exigentiam cuiusque virtutis,

Ad tertium, dico quòd generatio substantiæ per se existentis, est instantanea; generatio verò partis substantiæ in alio existentis est successiua. Ad authoritatem Philosophi, dico quòd Aristoteles loquitur ibi contra Heraclitum asserentem omnia esse in continuo motu, & fluxu: probátque ibi Aristoteles in motu augmentationis, & alterationis illud non esse verum; nam in quolibet augmentabili datur terminus, vltra quem amplius non augetur viuens, immò sæpè augmentatio impeditur propter infirmitates; at non negat ibi Aristoteles augmentationem quamdiu durat, non esse motum continuum, cùm ex professo hoc docuerit *in hoc 5. Physic.* 18.

d *Aliter dicitur, quòd illa extensio*, &c. Nota primò, quòd sicut in generatione præter materiam compositionis, est etiam materia alterationis, scilicet terminus *à quo*, & aër est terminus *à quo*, & materia alterationis aquæ, quando aër conuertitur in aquam, & materia quæ erat sub forma aëris, est materia compositionis aquæ: ita in augmentatione, materia alterationis est cibus *Materia est duplex compositionis, & alterationis.*

extrin

esttinsecus sumptus, qui corrumpitur; & in hac materia alterationis conueniunt generatio, & augmentatio: & talis materia in vtraque est corpus compositum; materia tamen compositionis in generatione, differt à materia compositionis in augmentatione, quia materia generationis non est corpus, sed materia prima: at in augmentatione materia compositionis est corpus in actu nam cibus, qui est materia alterationis, conuertitur in propriam substantiam rei viuentis; & sic conuersus, & factus actu caro, auget; in augmentatione ergo, tam materia alterationis, quàm compositionis est corpus in actu. Vnde pro maiori luce.

19. Nota secundò, ex Scoto vbi suprà, quòd si detur in toto aliqua pars, quæ sit pars secundùm formam, & dicatur *A*, & hæc pars habeat decem partes, quarum quælibet habeat æqualem virtutem ad conuertendum cibum in sui substantiam, postquam nutrimentum fuerit deductum per quascumque depurationes, ita vt iam sit sub forma proxima formæ introducendæ; tunc istud tale alimentum sub illa forma, verbi gratiâ, sanguinis, approximatum parti nutriendæ, & receptum in quibusdam poris dimissis ex flusu quarundam partium secundùm materiam, quæ præfuerunt ibi, & nunc ex fluxu suo reliquerunt poros repletos aliquo humore subtiliori, ex quo ipsum totum caruit densitate in partibus requisita ad benè esse eius ibi existens; tunc, inquam, alimentum conuertitur in ipsum nutriendum, vt scilicet reparetur illa densitas in toto requisita ad benè esse eius ibi existens: & ex hoc sicut ante conuersionem, iuxtaponebatur alimentum contiguè partibus nutriendi, ita post conuersionem iuxtaponitur continuè aliquibus partibus permanentibus; in poris enim partis augendæ recipiuntur partes nutrimenti, & ibi existentes aggenerantur partibus illius partis nutriendæ. Vnde parti, quæ propriè augetur, & nutritur, non est iustapositio alimenti tantùm, sed in tali parte alia pars fluxit, & alia de nouo restauratur, & fit quædam ingeneratio, id est, intrinseca generatio partis nouæ loco partis antiquæ quæ fluxit; in partibus verò illis, quæ propter defectum suæ virtutis propriè non nutriuntur, est iuxtapositio. Recepto ergo nutrimento in poris, virtus viuentis alterat, & resoluit vaporem, qui resultat ex concoctione; & ille vapor faciens nouum porum, propellit partes viuentis, quæ extenduntur, & dilatantur versùs exteriorem locum, & tunc cibus conuertitur, & alimentum fit pars viuentis, & tunc viuens fit maius, & augetur; & hoc est augmentum, & noui loci occupatio: quia vbi erat nutrimentum, est iam viuens.

20. e *Præexistens augmentatur, & ipsum manet idem.*

In augmentatione manet idem subiectum.

Nota, quòd in augmentatione manet idem subiectum. Quoniam, etsi in viuente omnes partes materiales successu temporis fluant, & varientur, vnde idem subiectum non potest dici manere omnino inuariabile; tamen dicitur manere idem, quia manet eadem forma specifica inuariata, à qua sumitur identitas, & insuper: quia quamuis partes materiales fluant, & refluant, fluunt tamen imperceptibiliter, quasi eo modo, quo vnus populus dicitur idem semper manere, aliis, aliisque hominibus succedentibus, & similiter vnus fluuius aliâ, & aliâ decurrente aquâ. Adde quòd, quia totum non est suæ partes, sed dicit tertiam entitatem realiter distinctam à suis partibus simul sumptis, ideò quamuis in augmentatione adueniant nouæ partes, tamen manet idem totum ante augmentationem, & post.

f *De aliis, non pertinet ad propositum.* Ad primum, iam dictum est quomodo auctum maneat idem. Ad secundum, dico quòd in augmentatione viuentis quælibet pars augetur propriè: & quando Aristoteles dicit, quòd quælibet pars augetur, intelligitur de parte formali, quæ propriè & proportionabiliter augetur; propriè, inquam, quia habet virtutem ad conuertendum nutrimentum in sui substantiam; proportionabiliter autem, quia quanta est proportio capitis ad digitum ante augmentationem, tanta est post augmentationem: partes verò materiales non augentur propriè per huiusmodi conuersionem nutrimenti, sed per iustapositionem: vide Scotum vbi suprà. Ad tertium, dico quòd non datur penetratio dimensionum, quia in augmentatione non acquiritur noua quantitas, sed præexistens extenditur, quæ extensio nihil aliud dicit, quàm alium, & alium ordinem partium ad partes loci. Vel dicas cum Canonico, *libro quinto, quæstione 4. ad secundum principale.* 21.

Quæstio IV.

Vtrùm omnis motus sit de contrario in contrarium?

Arist. *hic text.* 10. D. Thom. *lect.* 3. Albert. Magn. *lib. Physic. tract.* 1. *c.* 5 Ægid Rom. *ibid. text. comm* 54 *&* 59 Mayr. *expos. lib.* 5 *Physic.* Rub. 5. *Physic. cap.* 4 *quæst.* 1. Ant. Rocc. *in text. citato huius* 5. *libri.*

Argvitvr quòd non: quia aliquis motus est de priuatione in habitum: igitur non omnis motus est de contrario in contrarium. Tenet consequentia, quia sunt diuersæ species oppositionis. Antecedens probatur, quia in omni transmutatione naturali priuatio est principium motus requisitum necessariò, vt patet primo huius: igitur omnis transmutatio naturalis est de priuatione in habitum, vel saltem è contra. 1.

Secundò, quia aliquis est motus inter relatiuè opposita: igitur non omnis motus est de contrario in contrarium. Probatur antecedens, quia ad quantitatem est motus, vt patet in isto quinto. Similiter de minùs ad magis in eadem specie est motus, vel è contra; modò magis & minùs sunt relatiuè opposita. Similiter motus ad quantitatem est inter magnum, & paruum; modò magnum & paruum sunt ad aliquid.

Tertiò, motus est de minùs ad magis in eadem specie, vel è contra, vt patet in isto quinto, & hîc non est de contrario in contrarium, quia magis, & minùs non differunt specie, & tamen contraria differunt specie, vt patet 10. Metaph. text. 58.

Quartò, si motus de minùs ad magis in eadem specie esset de contrario in contrarium, sequeretur quòd vnum contrariaretur pluribus. Consequens est falsum: quia tantùm vnum vni est contrarium, vt patet 10. Met. text. 19. Consequentia probatur, quia si fiat motus de remisso calido, ad summè calidum, & mobile quiescerat in medio 2.

motus, tunc gradus caliditatis, sub quo quiesceret, esset contrarius termino *a quo* motus: Similiter esset contrarius summæ caliditati, si fieret vlterius ad summam caliditatem; aliter enim non esset vterque illorum motuum de contrario in contrarium Oppositum arguitur per Aristotelem in isto quinto, text. 10.

Diuisio quæstionis.

In quæstione, primò videbitur in generali, an omnis motus sit de contrario in contrarium. Secundò, inquiretur specialiter de motu, qui est de minùs ad magis in eadem specie, qualiter sit de contrario in contrarium.

Quantum ad primum, recolligenda est distinctio de motu, quòd motus accipitur dupliciter. Vno modo, pro omni mutatione subita, vel successiua, facta in subiecto in actu, vel in potentia. Alio modo pro mutatione successiua facta, in subiecto in actu; & sic accipitur in proposito.

Contrarietas sumitur dupliciter.

Secundò, est notandum, quòd contrarietas accipitur dupliciter. Vnò [a] modo propriè, & sic ad contrarietatem requiritur maxima distantia, vt patet 10. Metaph. text. 51. cuiusmodi est repugnantia inter summam caliditatem, & summam frigiditatem. Alio modo contrarietas accipitur pro incompossibilitate terminorum, inter quos est distantia media, secundùm quam proceditur; & in sic procedendo fit successio propter distantiam mediam: & isto modo capitur contrarietas in proposito, licèt hoc sit impropriè.

3. *Terminorum incompossibilitas est triplex.*

Tertiò notandum, quòd huiusmodi incompossibilitas terminorum, inter quos est distantia, est triplex, quædam secundùm locum; quædam secundùm formam; & quædam secundùm quantitatem. Contrarietas secundùm locum, quædam maior, & quædam minor, secundùm maiorem, vel minorem distantiam localem, propter quam causatur successio in motu locali. Et si quæratur, qualiter attenditur huiusmodi distantia in motu circulari, ex quo est de eodem in idem. Respondetur, quòd hoc est secundùm diuersitatem partium mobilis secundùm situm: quia mobile nunc est in vno situ, & impossibile est ipsum secundùm eandem partem, secundùm quam est in vno situ, esse pro tunc in alio situ: igitur secundùm diuersitatem situum respectu eiusdem partis, motum circulariter mouetur successiuè; & hæc est repugnantia, secundùm quam causatur successio in motu locali. Alia est incompossibilitas terminorum, inter quos est distantia secundùm formam; & ista incompossibilitas facit prouenire successionem in motu alterationis, cuiusmodi est distantia inter caliditatem, & frigiditatem, vel etiam distantia gradualis inter magis calidum, & minùs calidum.

4. Tertia est incompossibilitas terminorum, inter quos est quantitas intermedia, & propter incompossibilitatem istorum terminorum quantitatis prouenit successio in motu ad quantitatem. Vnde quia impossibile est aliquod totum esse sub minori quantitate, & esse sub maiori totaliter: igitur necesse est, quòd procedendo ab vno ad reliquum, fiat successio.

Mutatio de contradictorio in contradictorium nõ est motus.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est Nulla mutatio facta de priuatione in habitum, vel è contra, vel de contradictorio in contradictorium, in quantum huiusmodi, est motus. Probatur, quia omnis talis mutatio fit subitò; sed nullus motus fit subitò: igitur nullus motus est huiusmodi mutatio, scilicet de contradictorio in contradictorium, aut de priuatione in habitum, vel è contra. Maior probatur: quia inter priuationem, & habitum non est distantia media, nec etiam inter contradictoria, secundùm quam, procedendo ab vno ad reliquum, possit fieri successio. Et minor patet per *quid nominis* motus, quia de ratione motus est, quòd fiat successiuè.

Motus est de contrario in contrarium.

Secunda conclusio. Omnis motus est de contrario in contrarium: quia omnis motus fit successiuè, aut secundùm quantitatem, aut secundùm qualitatem, vel secundùm *vbi*; sed quocunque istorum modorum fiat, est inter contraria: ergo, &c. Maior patet in isto quinto, text. 10. Et minor probatur; quia in quolibet illorum generum est incompossibilitas terminorũ, inter quos est distantia intermedia, quia si per ipsam procedatur, facit successionem in motu. Secundò, patet conclusio ista ex prima conclusione.

Tertia conclusio. Hæc consequentia non valet, *hæc mutatio fit consecutiuè ad motum; hæc igitur mutatio non est motus.* Pro qua conclusione est sciendum, quòd repugnantia secundùm formam subdiuiditur; quia quædam est inter qualitates in inuicem actiuas, vt inter caliditatem, & frigiditatem: alia est inter qualitates contrarias, quæ non sunt aptæ natæ in inuicem agere, sed sunt natæ sibi inuicem succedere in eodem subiecto, non per actiones proprias, sed concomitanter ad actiones aliarum qualitatum. Nunc probatur conclusio; quia albefactio est motus, & tamen fit consecutiuè ad alium motum: igitur, &c. Maior patet; quia albefactio est de contrario in contrarium, facta successiuè in subiecto in actu. Minor probatur, quia fit consecutiuè ad actiones qualitatum primarum. Et sic patet, quòd omnis motus est de contrario in contrarium, accipiendo scilicet contrarietatem largè pro incompossibilitate terminorum, inter quos est distantia intermedia, secundùm quam proceditur successiuè de vno termino ad alterum. Et hæc de primo. 5.

Repugnantia secũdùm formam est duplex.

Quantùm ad secundum. Dubitatur primò, vnde proueniant magis, & minùs in eadem specie, vel etiam in diuersis speciebus. Secundò, dubitatur, an magis, & minùs sint in eadem specie. Tertiò, dubitatur, vtrùm includat repugnantiam, quòd aliquis motus sit de minùs ad magis in eadem specie; vel è contra, & tamen sit de contrario in contrarium.

Ad primum dubiũ videtur Aristoteles respondere, in isto quinto, text. 19. [b] quòd magis & minùs proueniant ex admixtione contrarij, ita vt illud dicatur magis tale, cui minùs miscetur de contrario, & illud minùs tale, cui plus miscetur de contrario; sicut illud dicitur magis calidum, cui minùs de frigiditate est admixtum, & illud minùs, cui plus mixtum est de frigiditate. Et hoc videtur etiã dicere Aristoteles 3. Topic. vbi dicit, quòd albius est, quod est nigro impermixtius. Isto tamen non obstante, Respondetur ad primum dubium, quòd magis, & minùs non proueniunt ex admixtione contrarij, sed essentialiter, & intrinsecè proueniunt ex additione, vel remotione plurium graduum de eadem specie in eodem subiecto, sicut manifestè patet de lumine, quia illud dicitur magis luminosum, in quo sunt plures gradus luminis, & illud minùs in quo sunt pauciores; & ita similiter de qualitatibus habentibus contrarium, quia si à caliditate esset omnino separata frigiditas, adhuc illud esset magis calidum, in quo essent plures gradus caliditatis, & illud minùs, in quo essent pauciores; verum est 6.

tamen

tamen, quòd iu qualitatibus, secundùm quas propriè est alteratio, semper pluralitatem graduum in eadem specie consequitur maior, vel minor admixtio contrarij: quia semper quot gradus adduntur de vno contrariorum, tot remouentur de reliquo, & è contra.

7. Ad secundum dubium respondetur. Pro quo sciendum, quòd res quæ non sunt [c] termini, non dicuntur eiusdem speciei, vel diuersarum specierum, vel diuersæ species, nisi eâ ratione quâ significantur per terminos, quæ non sunt diuersarum specierum, vel diuersæ species; modò isti termini *magis*, & *minùs* sunt diuersæ species in genere Relationis, sed tamẽ *magis*, & *minùs* dicuntur de eadem specie, quando termini, quibus applicamus istos terminos *magis*, & *minùs*, in comparando, sunt eiusdem speciei, vt dicendo magis album, minùs album: vnde quia isti termini *album*, & *album* sunt eiusdem speciei, ideò dicimus, quòd isti termini *magis*, & *minùs* sunt in eadem specie.

Ad tertium dubium, dico quòd repugnat, quòd motus sit de magis ad minus in eadem specie, & cùm hoc sit de contrario in contrarium secundùm eandem rationem; sed secundùm diuersas rationes hoc est benè possibile, quia in motu secundùm qualitatem, considerando præcisè qualitatem, quæ abiicitur, tunc est mutatio de magis ad minùs, & est sola corruptio: sed considerando, & attendendo solùm de qualitate, quæ acquiritur, tunc est mutatio de minori ad maius, & est sola generatio; sed attendendo ad vtramque simul, scilicet ad illam, quæ acquiritur, & ad illam quæ abiicitur, tunc est alteratio, & est de contrario in contrarium: & sic motus alterationis componitur ex generatione, & corruptione. Et secundùm prædicta procedunt rationes ante oppositum.

ANNOTATIONES.

8. *Contrarietas non eodẽ modo est in Prædicamentis ad quæ est motus.*

[a] C*ontrarietas accipitur dupliciter*, &c. Nota, in illis tribus Prædicamentis, ad quæ est per se motus, dari contrarietatem, alio tamen, & alio modo. In qualitatibus enim aliquæ dantur, quæ propriissimè sunt contrariæ, inter quas est maxima distantia, non quidem localis, sed formalis, vt inter albedinem, & nigredinem: quia cùm subiectum ab vna istarum recedit, nec vlterius pergere, quàm ad alteram contrariam, potest, adeò vt repugnet dari aliquid remotius, aut distantius in quod tendat. In quantitate tamen non est distantia maxima simpliciter, sed est distantia, & contrarietas secundùm quantitatem magnam, & paruam, habito respectu ad entia naturalia, quæ naturaliter ad magnitudinem, & paruitatem sunt determinata. In vbicationibus item non est simpliciter maxima latitudo, & distantia: si qua esset, esset inter *vbi sursum*, & *vbi deorsum*, hæc autem distantia non est maxima: quoniam non repugnat rationi existentiæ in loco, esse alias existentias in loco magis inter se distantes, maioremque latitudinem habentes.

Opinio multiplex de causa suscipiendi magis, & minùs.

[b] *Magis, & minùs proueniunt ex admixtione contrarij.* Nota quòd de causa suscipiendi magis, & minùs fuit multiplex opinio. Quidam dixerunt, quòd augmentum, & decrementum subiecti, vel accidentis, id est, maior, vel minor extensio subiecti, vel formæ est causa suscipiendis magis, & minùs. Alij dixerunt, quòd accessus, & recessus ad impositionem vocis. Alij, quòd forma suscipit magis, & minùs secundùm dispositionem in subiecto; vel secundùm *esse* in subiecto remanente eius essentiâ immutatâ. Alij, quòd radicatio formæ in materia est causa suscipiendi magis, & minùs. Alij verò, quòd approximatio, & remotio à suo contrario est causa, quare forma suscipiat magis, & minùs.

Prima opinio stare non potest: quia tunc sequeretur, quòd equus albus esset albior, quàm margarita, quod est falsum; & quòd quantò aliquis homo esset maior, tantò esset magis, quod est etiam falsum. 9.

Secunda etiam opinio, quæ est Gilberti Porretani in libello de sex Principiis, est falsa: quia ex ea sequeretur, quòd nihil est albedine album, nisi esset albissimum, quod est falsum, quia tunc album remissum non esset album. Et probatur consequentia: cui enim non conuenit significatum nominis, non conuenit ipsum nomen: si ergo album imponitur ad significandum albedinem in vltimo gradu, nihil erit album nisi sit albissimum.

Tertia opinio, quæ videtur esse Aristotelis, & Boëtij in Prædicamentis, cap. de Qualitate, vbi dicunt quòd iustitia non dicitur magis, vel minùs alia iustitia; sed aliquis dicitur iustior altero. Est etiã falsa, quia illud *esse* in subiecto, vel illa dispositio formæ, aut est idem cum *esse* formæ, vel non: si idem, habetur propositũ; quia cùm illa dispositio sit maior, vel minor: ergo & *esse* formæ, cui ponitur *esse* idem: si non est idem, quæro de illo, vtrùm secundùm suam essentiam suscipiat magis, & minùs, vel non; si sic, habetur propositum; si non: ergo erit processus in infinitum. Item, habito termino secundùm rationem, quâ terminus, cessat motus, quoniam habitibus præsentibus in materia cessat motus, ex primo de Gener. text. 55. sed per te in principio calefactionis habetur caliditas secundùm rationem, quâ est terminus calefactionis: ergo in principio cessabit motus ille, quod est impossibile. Minor probatur: quia omne quod mouetur habet aliquid de termino *à quo*, & aliquid de termino *ad quem*, ex 6. huius, text. 7. & 87. ergo in principio calefactionis in ipso calefactibili est aliquid de *esse* caloris: si ergo essentia caloris non suscipit magis, & minùs, sequitur quòd in principio est calor perfectus, secundùm quem modum est terminus motus.

10. Ad Aristotelem, & Boëtium dico, quòd essentia speciei in se considerata abstrahendo à suppositis, est indifferens ad omnem gradum, sed ipsa in vno supposito est perfectior se ipsa in alio supposito, & vt est in supposito sic denominat subiectum, quia per se suppositum eius non est subiectum, sed qualitas in hoc subiecto; non igitur iustitia abstractè intelligendo, sed iustum, id est, hæc iustitia, vt denominat istud subiectum, est maior aliâ. Et si quæras; aut iste gradus, & ille sunt intra essentiam huius qualitatis, aut non; si sic, & iste gradus est diuersus ab illo: ergo hæc essentia est diuersa ab illa per aliquid, quod est intra essentiam: igitur *magis* differt à *minùs* specie, tum quia omnis diuersitas essentialis diuersificat speciem. Tum quia essentia primò est speciei, non indiuidui, alioquin indiuiduum posset habere definitionem specialiorem definitione speciei: igitur differentia in essentia non est solùm differentia numero, sed specie. Dico quòd gradus isti sunt intra essentiam non speciei,

ſed indiuidui, quia natura ſpecifica abſtrahit ab omni gradu, & eſt indifferens ad omnem gradum; & ideò non ſequitur tales gradus differre ſpecie, ſed numero tantùm, quia per ſolam differentiam indiuidualem, & non ſpecificam ad inuicem diſtinguuntur.

Quarta opinio de radicatione formæ in ſubiecto ex eo reiicitur: quoniam iſta radicatio, vel eſt aliud à forma radicata, vel non; ſi non, habetur propoſitum, quoniam, cùm illa radicatio ſit maior, vel minor: ergo & forma. Si eſt aliud, vel eſt forma abſoluta, vel reſpectiua: ſi abſoluta, habetur propoſitum; ſi reſpectiua ſimiliter, quia magis, & minùs in forma reſpectiua oritur ex magis, & minùs in forma abſoluta. Adde, quòd ſi maior radicatio formæ eſſet cauſa ſuſcipiendi magis, & minùs, ſequeretur quòd vbi forma eſſet magis radicata, ibi ſubiectum eſſet magis tale; quod tamen eſt falſum: quia ſecundùm Medicos, febris hectica eſt magis radicata, quam tertiana, & tamen tertiana eſt intenſior, & ideò tertianarius eſt magis febricitans. Similiter verecundus eſt aliquando rubicundior, & tamen rubor eſt in eo minùs radicatus, quàm in aliquo alio minùs rubeo, qui eſt ſanguineus naturaliter.

11. Vltima opinio optimè impugnatur hîc à Scoto: ideò dicendum eſt cum Scoto, quòd præciſa ratio ſuſcipiendi magis, & minùs eſt latitudo graduum in forma, ſiue, quod idem eſt, illimitatio formæ, quæ participatur: quia impoſſibile eſt formam participari ſecundùm magis, & minùs, niſi in ſe ſit ad aliqualiter illimitata: nam oppoſitum prædicati infert oppoſitum ſubiecti; da enim, quòd non ſit illimitata, quomodo participabitur ſecundùm alium, & alium gradum? Et hanc ſententiam docuit etiam Simplicius in Prædicamentis, cap. de Qualitate, vbi referens multas opiniones de cauſa ſuſcipiendi magis, & minùs, & improbando præfert, & commendat opinionem Archytæ, dicens ſic; Archytas breui ſermone cauſam eius, quod eſt magis, & minùs, mirabiliter inſinuat, dicens: *Qualitas enim quoniam infinitatem quandam participat, ideò ſecundùm eius rationem habet, quod ſuſcipiat magis, & minùs, & non ex participantibus.* Hæc ille.

c *Res, quæ non ſunt termini, non dicuntur eiuſdem ſpeciei*, &c. Nota, quòd propriâ appellatione illi dicuntur termini, qui ſunt per ſe ſignificatiui, vt ſunt termini categorematici, qui poſſunt per ſe eſſe ſubiectum, & prædicatum in propoſitione; termini verò qui non ſunt per ſe ſignificatiui, vt ſunt termini Syncategorematici, magis appellantur terminorum modi, quàm termini, velut ſunt adiectiua adiectiuè tenta, ſigna vniuerſalia, vel particularia, & in propoſito aduerbia. Vnde *magis*, & *minùs*, vt ſunt de Prædicamento Relationis, ſunt termini, quia ſumuntur nominaliter, & vt ſic, diſtinguuntur ſpecie: vt autem ſunt aduerbia, non ſunt propriè termini, ſed terminorum modi; & ſunt eiuſdem, vel alterius ſpeciei, prout termini, quorum ſunt modi, ſunt eiuſdem, vel alterius ſpeciei. Vnde, ſicut ſimilitudo eſt relatio propriè fundata ſuper eſſentiam qualitatis, ita *magis*, & *minùs*; fundamentum autem *magis* eſt eſſentia ſpeciei ſub perfecto gradu; qui gradus eſt aliquid abſolutum de genere Qualitatis, licèt ipſum conſequatur reſpectus *magis* ad alium imperfectum in eadem ſpecie, quem ſequitur relatio *minùs*. Et ideò, licèt iſtæ relationes *maioritas*, & *minoritas* opponantur ſpecie; quia tamen fundamenta ſunt eiuſdem ſpeciei, dicuntur eſſe in eadem ſpecie, ſicut iſtæ relationes *ſimile*, & *diſſimile* ſecundùm ſe conſideratæ, diſtinguuntur ſpecie, & tamen prout fundantur in eadem qualitate ſpecie, dicuntur eſſe in eadem ſpecie.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in tribus Prædicamentis ſit motus, & non in aliis, ſcilicet Quantitate, Qualitate, & Vbi?

Ariſt. 3. *Phyſ. text. com.* 4. Eudem. Alex. apud Simplic. & ipſe Simpl. 3. *Phyſ. com.* 5. & 15. & *lib.* 5. *com.* 20. Alb. 5 *Phyſic. tract.* 1. *c.* 8 D. Thom. *lect.* 3 & 11. *Metaph. lect.* 12. Mayr. *paſſu* 24. *diffic.* 5. Compl. *diſp.* 22 *Phyſ. q.* 3 § 2. Maioret. *in expoſ. prædic. Quantitatis. text.* 7. Hurt. *diſp.* 21. *Phyſic. ſect.* 10. Rub. *lib.* 5. *Phyſ. c.* 2. *q. vnica, p.* 5. Auerſ. *tom.* 1. *Philoſ. q.* 26. *ſect.* 10 Fab. *Theoremate* 45. *c. vlt.* Vide citandos *infra lib.* 7. *q.* 4.

ARGVITVR primò quòd non: immò quòd in *Ad aliquid* ſit motus; quia omnis mutatio ſucceſſiua, quæ non eſt generatio, nec corruptio, eſt motus; ſed in *Ad aliquid* eſt mutatio ſucceſſiua quæ non eſt generatio; nec corruptio: igitur in *Ad aliquid* eſt motus. Maior patet in iſto quinto, text. 9. Et minor probatur, poſito, quòd Socrates ſit albus, & Plato niger; tunc mutetur Plato de nigredine ad albedinem; tunc mutatio iſta, ſcilicet, aſſimilatio, eſt ſucceſſiua, & non eſt generatio, nec corruptio, ſed eſt de affirmato in affirmatum, ſcilicet de diſſimili ad ſimile; igitur cùm ſimile, & diſſimile ſint ad aliquid; igitur in *Ad aliquid* eſt motus. 1.

Secundò, quia in *Ad aliquid* eſt contrarietas, & ſuſceptio magis, & minùs; igitur in *Ad aliquid* eſt motus. Tenet conſequentia, quia per iſtud mediũ probat Ariſtoteles quòd in tribus generibus eſt motus: quia in ipſis inuenitur contrarietas. Et antecedens patet in Prædicamentis.

Tertiò, arguitur expoſitoriè, poſito quòd de nigro fiat album: ad hanc albedinem eſt motus, hæc albedo eſt ad aliquid: igitur in Ad aliquid eſt motus. Minor patet, quia hæc albedo eſt ſimilitudo, modò omnis ſimilitudo eſt ad aliquid ſimilitudo.

Quartò, ſanatio eſt quidam motus, vt ſæpè exemplificat Ariſtoteles in iſto quinto, text. 11. & tamen ſanatio eſt motus in *Ad aliquid*: igitur in *Ad aliquid* eſt motus. Minor probatur: quia ſanitas eſt proportio primarum qualitatum, & omnis proportio eſt ad aliud proportio.

Quintò, arguitur quòd in *Vbi* nõ ſit motus: quia omne vbi, ſiue locus eſt quantitas; igitur præter motum, qui eſt ad quantitatẽ, non debet poni motus diſtinctus ad *vbi*. Et ſi dicatur, quòd licèt *vbi*, ſiue locus ſit quantitas, attamen aliud connotatur per hoc nomen *vbi*, quod nõ connotatur per hoc nomen *quantitas*; hoc non valet; quia illud, quod connotatur per hoc nomen *locus*, ſeu per hanc dictionem *vbi*, eſt ad aliquid: quia per ipſum denotatur habitudo ad locatum; igitur ſi ratione connotati ſit motus ad *vbi*, ſequitur quòd in *Ad aliquid* eſt motus. 2.

Sextò, arguitur quòd in qualitate non ſit motus, quia quâ ratione in vna ſpecie qualitatis reperiretur motus, eadem ratione in alia; ſed certum eſt,

est, quòd in aliquibus non inuenitur: igitur nec in aliis. Maior probatur per simile; quia ad *vbi* dicitur esse motus ex eo, quòd ad quamlibet eius speciem potest esse motus. Minor probatur, quia ad qualitates de prima specie non est motus, vt patet *septimo huius*, *text.* 17. nec ad alias de tertia specie, nec de quarta.

Septimò, quia *agere*, & *pati* est motus; igitur in aliis, quàm in illis tribus inuenitur motus. Consequentia nota est: & antecedens patet, quia in actione, & passione inuenitur contrarietas. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto quinto*, *text.* 10.

Motus vnde habet, quod sit in aliquo genere.

3. Notandum, quòd motus [a] non dicitur esse in aliquo genere ex eo, quòd per motum acquiritur, vel deperditur res illius generis. Probatur dupliciter: primò, quia si sic, sequeretur, quòd omnis motus esset motus ad aliquid, quod est falsum: vt patet *in isto quinto*. Consequentia probatur, quia omnis res mundi est eadem, vel diuersa causa, vel causatum: igitur omnis res mundi est ad aliquid. Tenet consequentia; quia omnis res eadem dicitur ad aliud esse eadem, & omne diuersum ab aliquo diuersum, & omnis causa dicitur ad aliud causa, & sic de aliis. Ex quo patet, quòd omnis res mundi est ad aliquid: igitur si in aliquo genere sit motus ex eo, quòd acquiritur, vel deperditur res illius generis, sequitur quòd omnis motus sit ad aliquid.

Secundò, supposito quòd quantitas non sit res distincta à re quanta, tunc sequitur quòd omnis motus esset motus ad quātitatem: consequens est falsum. Et consequentia probatur, quia quælibet res, seu dispositio, secundùm quam est motus, est diuisibilis: igitur per suppositum, quælibet talis est quantitas; & per consequens omnis motus est in genere Quantitatis.

4. Secundò, notandum quòd ex eo motus dicitur esse in aliquo genere, quòd mutatur responsio ad quæsitum illius generis de mobili post motum & ante: verbi gratiâ, ex hoc dicitur motus, vel mutatio ad substantiam, quia mutatur responsio ad quæstionem quærentem, quid est hoc; vt quia hoc nunc est aër, & priùs fuit aqua: iudicamus ipsum esse mutatum substantialiter. Similiter dicitur motus ad quantitatem ex eo, quòd per illum motum mutatur responsio ad *quantum est hoc*, quia post augmentationem respondetur, quòd est bipedale, & tamen antè erat pedale solum. Ex quo patet, quòd si per aliquem motum mutetur responsio de mobili per prædicata de *Ad aliquid*, tunc ille motus potest dici ad aliquid: verbi gratiâ, si per aliquem motum sit verum dicere, quòd hoc est simile, & pòst non erit simile, immò dissimile, tunc ille motus est ad aliquid.

Motus potest esse in aliquo genere dupliciter.

Sed dubitatur, qualiter est hoc, quòd tu ponis in *Ad aliquid* esse motum, & tamen Aristoteles hoc negat. Respondetur, quòd in aliquo genere potest esse motus dupliciter. Vno modo, per se, scilicet quando per talem motum, & omnem consimilem de necessitate mutatur responsio ad quæsitum illius Prædicamenti; & sic calefactio dicitur motus per se ad qualitatem, quia necessarium est, quòd per calefactionem mutentur de mobili prædicata de genere Qualitatis. Eodem modo ambulatio est motus per se ad locum, quia necesse est, quòd per omnem ambulationem mutetur locus. Alio modo dicitur esse motus in aliquo genere per accidens, ex eo quòd contingit quandoque per illum motum mutari prædicata illius generis de mobili, sed non de necessitate: verbi gratiâ, per motum ambulationis contingit aliquando variari prædicata de genere *Ad aliquid* de ipso mobili, vt mobile ante ambulationem est ægrum, & post sanum, & sic ambulatio est quodammodò ad aliquid, licèt per accidens, eo quòd non necessariò per ambulationem mutantur prædicata de mobili de *Ad aliquid*. Et sic patet, quòd in *Ad aliquid* non est per se motus, sed benè per accidens.

5. Tertiò, notandum, vt patuit priùs, quòd ad motum propriè dictum requiritur, quòd fiat secundùm dispositionem, quæ de sui natura est acquisibilis successiuè alicui subiecto in actu per motum illius subiecti, & nullo modo per motum alterius illo subiecto quiescente.

Motus nō est per se in ad aliquid.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio est, in *Ad aliquid* [b] non est per se motus. Probatur, quia secundùm illud, genus non est per se motus, cuius prædicata variantur de mobili per mutationem factam in aliquo alio, ipso mobili non moto; sed prædicata generis *Ad aliquid* variantur de mobili per solam mutationem factam in aliquo alio: igitur in *Ad aliquid* non est per se motus. Maior patet per conditiones requisitas ad motum: & minor probatur, quia si Socrates nunc sit dexter Platoni, ipse potest fieri sinister, moto Platone sine motu sui ipsius. Secundò, quia nulla est mutatio, vel motus, quem de necessitate sequitur mutatio prædicatorum generis *Ad aliquid* de ipso mobili: igitur nullus est motus per se ad aliquid. Consequentia tenet per descriptionem motus per se, & antecedens apparet inducendo, vt dictum fuit priùs de ambulatione. Similiter per albefactionem contingit aliquando variari prædicata de *Ad aliquid*, vt simile, vel dissimile; sed hoc non est de necessitate, quia potest fieri albefactio sine hoc, quòd huiusmodi prædicata varientur.

Motus nō est ad omnē speciem Quantitatis.

6. Secunda conclusio. Non ad omnem speciem Quantitatis est motus. Probatur, quia potest fieri mutatio de minori numero ad maiorem, sine motu: igitur non ad omnem speciem Quantitatis est motus. Tenet consequentia, quia Numerus est species Quantitatis: & antecedens apparet, quia potest fieri maior numerus Intelligentiarum, aut aliorum indiuisibilium sine motu, quia nullum indiuisibile mouetur.

Motus nō est ad actionem, & passionem.

Tertia conclusio. Secundùm *agere*, & *pati* non est per se motus. Probatur, quia nulla est mutatio, quam de necessitate consequatur variatio prædicatorum de genere *Agere*, vel *Pati*; igitur secundùm nullum illorum generum est per se motus. Et istam conclusionem diffusè probat Aristoteles in littera: & per idem probatur, quòd in *Quando*, Situ, & Habitu non est motus.

Motus est tātùm ad tria genera.

Quarta conclusio: In tribus generibus solùm inuenitur motus, scilicet in Quantitate, Qualitate, & Vbi. Probatur, quia solùm in illis tribus reperiuntur conditiones requisitæ ad motum; igitur in illis tribus solùm inuenitur motus. Antecedens apparet, quoniam in quolibet illorum generū est dispositio acquisibilis successiuè in subiecto in actu per motum illius subiecti, & non per motum alterius; sed quòd in aliis non reperiantur, patet ex quæstionibus præcedentibus.

7. Ad rationes. Ad primam, concedo maiorem, & nego minorem. Vnde, licèt dealbatio sit motus successiuus, attamen non est motus per se ad aliquid, ex eo quòd solùm per accidens contingit

tingit prædicata de genere *Ad aliquid* variari de mobili ante dealbationem,& post.

Ad secundam, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd Aristoteles ponit illud medium, sed non sufficit, nisi in illis, in quibus reperiuntur aliæ conditiones requisitæ ad motum.

Ad tertiam, concedo quòd ad illam rem, quæ est ad aliquid, est motus; immò sic potest concedi, quòd omnis motus est ad aliquid, vt dictum fuit in primo ootabili.

Ad quartam, dico quòd ad sanationem non est motus, nisi per accidens, scilicet in quantum contingit sanationem esse ambulationem, vel alterationem aliquam, quæ est inter qualitates, quæ suor de tertia specie.

Ad quintam, dico quòd licèt omne [c] *vbi* sit quantitas, attamen secundùm quantitatem, & *vbi* sunt diuersi motus, eo quòd alius est motus secundùm quem variantur prædicata de genere Quantitatis, & alius est secundùm quem variantur prædicata de genere *Vbi*, per quem tamen non variantur prædicata de genere Quantitatis.

Ad sextam, de qualitate videbitur in 7. Ad aliam *in agere*, &c. dico [d] quòd non; nec ad motum sufficit contrarietas, nisi cum hoc sint aliæ conditiones requisitæ ad motum. Et hoc de quæstione.

ANNOTATIONES.

8. [a] *MOtus non dicitur esse in aliquo genere ex eo,* &c. Nota, quòd Scotus ponit hoc notabile, vt doceat modum sustinendi quantitatem non distingui à se quanta, & relationem omnem esse eandem rem cum fundamento, quam tamen sententiam ipse non tenet, vt annotauimus suprà. Et quando dicit, quòd omnis res mundi est ad aliquid, concedi potest realiter, & denominatiuè, sed falsum est formaliter, & quiditatiuè, vt ipse ostendit *in 1.d.3.q.5.* contra Henricum, & *in 2.d.9.5. ad primum principale.*

[b] *In ad aliquid non est per se motus.* Nota, quòd differentia est inter actionem, mutationem, & motum: quoniam mutatio & motus continent duos terminos, *à quo*, & *ad quem*, vt patet *in hoc 5.text.7.* Actio autem per se, non cõtinet nisi terminum *ad quem*; & si continet terminum *à quo*, hoc est per accidens; quatenus scilicet coocurrit cum mutatione, quæ duos terminos concernit; quod autem est per se, potest absolui ab eo, quod est per accidens, atque ita potest actio reperiri sine mutatione, & motu, quod patet ex D. Aug. *6. de Trinit. cap.* 1. vbi inquit, quòd si ignis esset æternus, & splendor, qui ab igne diffunditur, esset æternus, atque adeò splendor ignis esset per se terminus actionis ab æterno; & tamen non esset terminus mutationis nec per se, nec per accidens, quia non transisset positiuè de *non esse* ad *esse*. Idem patet per aliud exemplum D. August. 10. *de Trinit. cap.* 31. Si pes esset ab æterno, in puluere semper ei subesset vestigium, quod quidem esset causatum à pede, atque adeò si ita esset, vestigium esset per se terminus actionis, & non esset per se terminus mutationis. Ex quo sequitur, quòd omnis forma coæua suo subiecto, & realiter distincta ab ipso est per se terminus actionis, & tamen non est per se terminus mutationis: quoniam aliàs subiectum esset simul sub vtroque extremorum, scilicet sub *non esse*, & *esse* formæ, nam, cùm mutatio sit habitudo inter extrema, & habitudo esse nequeat sine extremis, & fiat mutatio in instanti, in eodem instanti temporis esset subiectum sub vtroque extremorum.

Ex hoc sequitur primò, quòd res cuiuscumque Prædicamenti potest esse per se terminus actionis distinctæ ab actione alterius Prædicamenti, exceptis actione, & passione. Tum, quia res vnius Prædicamenti est essentialiter, & realiter distincta à re alterius Prædicamenti, & per consequens res vnius Prædicamenti non accipit *esse* per actionem terminatam ad rem alterius Prædicamenti, sed per propriam actionem, exceptâ actione, quæ non est terminus actionis, quia tunc esset processus in infinitum. Tum, quia omne quod accipit *esse* de nouo, accipit *esse* per actionem immediatè terminatam ad ipsum, res autem cuiuslibet Prædicamenti accipit *esse* de nouo. 9.

Secundò, sequitur quòd relatio accipit *esse*, per propriam actionem, hoc est, per actionem terminatam ad ipsammet relationem, quia cùm relatio accipit *esse*: vel ergo per actionem terminatam ad absolutum, hoc est, ad fundamentum, vel terminum; non per actionem terminatam ad terminum; quia actio, quæ non attingit subiectum alicuius formæ, non attingit illam formam, sed actio, quæ est ad terminum, non attingit subiectum relationis oppositæ: ergo non attingit relationem oppositam. Tum, quia actio cuiuscumque agentis limitati concernit certam distantiam agentis ad effectum; sed vnum correlatiuum non concernit certam distantiam alterius correlatiui: ergo non accipit *esse* per productionem ipsius. Nec per actionem terminatam ad fundamentum. Tum, quia relatio accipit *esse* de nouo post generationem fundamenti. Tum, quia formæ contrariæ non accipiunt *esse* per eandem actionem numero; sed idem fundamentum refertur ad diuersos terminos contrariis respectibus, sicut eadem quantitas est æqualis respectu vnius, & inæqualis respectu alterius, qui suot duo respectus contrarij. Similiter eadem qualitas est similis, & dissimilis respectu diuersorum; sequitur ergo quòd relatio non accipit esse immediatè per actionem fundamenti, nec termini; sed per propriam actionem.

Tertiò, sequitur quòd fundamentum cui nouiter aduenit relatio, necessariò mutatur in aduentu relationis. Et ad Aristotelem qui *in hoc 5.* 10. videtur dicere oppositum, scilicet quòd sine mutatione fundamenti, ipsum fundamentum factum est simile alteri. Dico, quòd *mutari* est dupliciter. Vno modo, ad se: alio modo ad alterum. Primo modo, est in absolutis. Secundo modo, in respectiuis; & primo modo intelligit Aristoteles quòd secundùm relationem non est mutatio in subiecto, vel fundamento.

[c] *Omne vbi est quantitas*, &c. Nota primò, quòd *vbi est circumscriptio corporis locati à circumscriptione loci procedens.* Per hanc autem circumscriptionem possumus intelligere tria. Primò ipsam circumscriptionem actiuam loci quatenus intelligitur actiuè à loco procedere. Secundò, possumus intelligere ipsam circumscriptionem passiuam, vt passiuè est actus corporis circumscripti. Tertiò, possumus intelligere quoddam esse relictum in corpore à loco circundante, nec vt est actus effectiuè procedens à loco, nec vt est passio locati; sed vt est quidam actus inhærens mobili, capiens diuersitatem & distinctionem à loco circundante Definitio vbi.

cundante locatum, non tamen consideratur, vt est effectiuè ab illo, & vt sic est genus.

Motus localis terminus est duplex.

Nota secundò, quòd terminus motus localis est duplex: quidam intrinsecus, qui acquiritur mobili tanquam sobiecto: & quidam extrinsecus, & ille est ipse locus: locus enim non acquiritur mobili, nisi sicut mensura extrinseca: quia locus est in locante, non in locato: tamen ipse motus denominatur à loco, communiter enim appellamos istum motum, motum localem: & vna causa est, quia locus est nobis notior quàm *vbi*. Alia causa est, quia locus est vndique corpori locato adæquatus, sicut si esset forma sibi inhærens.

Differentia inter motū locali & alios motus.

11. Nota tertiò, quòd aliter est in motu locali, & aliter in aliis motibus: quoniam in aliis motibus terminus acquiritur quantum ad suum *esse* formale partibiliter: quoniam terminus habet partem, & partem, licèt *acquisitum esse* cuiuslibet partis sit in instanti. In motu autem locali, licèt terminus extrinsecus, scilicet locus, acquiratur partibiliter; quia habet partem & partem, cùm sit vltima superficies corporis continentis, quæ diuisibilis est, cùm sit quantitas: tamen terminus intrinsecus motus localis, scilicet ipsum *vbi*, cùm non sit, nisi quidam respectus extrinsecus adueniens causatus à loci circumscriptione actina, acquiritur in instanti, non quòd eius acquisitio, seu eius via acquisitiua, qui est motus, sit in instanti; quia motus est in tempore: sed ipsum *vbi* acquiritur in instanti; hoc est, suum acquisitum esse sit in instanti. Quod patet, quia variatur ad variationem ipsius loci, atque adeò cùm mobile in quolibet instanti sit in alio, & alio loco, adeò quòd non est dare instans in quo mobile, nec aliqua pars mobilis sit in eodem loco, sicut priùs, aliter quiesceret in tempore intermedio: sequitur quòd sicut in quolibet instanti locus est alius, & alius: ita in quolibet instanti fit aliud, & aliud *vbi*. *Vbi* ergo quantum ad suum *esse* formale impartibiliter acquiritur; tamen quantum ad *esse* fundamentale, scilicet quantum ad ipsum locum partibiliter acquiritur; nec oportet quòd in omni motu terminus intrinsecus partibiliter acquiratur. Quod dico, propter motum localem, quoniam in aliis est benè dare terminum intrinsecum partibiliter acquisitum, via tamen ad *vbi* partibilis est; quam partibilitatem habet ex spatio, super quod est motus, vt patet 6. *huius*. Et si dicas: nullum in instanti acquisitum, est terminus motus. Dico, quòd verum est, sumendo ly *acquisitum* pro acquisitione primaria; vt si dicamus, cuius acquisitio est in instanti, ipsum non est terminus motus, hoc est verum; sumendo autem acquisitionem pro *acquisito esse*, non est verum.

12. Et si iterum dicas: ergo motus localis non differt à mutatione, quoniam per se terminus motus acquiritur in instanti, licèt eius via sit in tempore, ita dicam de generatione, quòd via acquisitiua formæ substantialis est in tempore; eius autem introductio, & *acquisitum esse* est in instanti. Dico, quòd quantum ad hoc non est differentia, sed in hoc, quòd motus est à subiecto in subiectum, mutatio autem à non subiecto in subiectum, vt generatio, vel à subiecto in non subiectum, vt corruptio. Vel dicas, quòd differentia est quantum ad aliquos terminos motus, quoniam in motu terminus acquiritur partibiliter, vel quoad terminum intrinsecum, vel saltem quoad terminum extrinsecum, vt in motu locali. Forma autem substantialis, quæ est terminus generationis non sic, sed impartibiliter acquiritur. Et etiam est differentia, quia generationem, & corruptionem semper præcedit alteratio, non sic autem oportet in quolibet motu, licèt aliquando contingat in quibusdam.

Ad [d] aliam in agere, &c. *Dico, quòd non*, &c. Nota, quòd ita dici posset de *situ* & *habere*, quòd etsi in eis inueniatur contrarietas; hæc tamen non est conditio sufficiens ad motum, præterquam quòd contrarietas, quæ inuenitur in Prædicamentis Situs, & Habere prouenit ratione locorum, atque adeò huiusmodi positiones, scilicet iacere, & stare. Item, & illis modis esse vestitum, vel nudum, non acquiruntur per se per motum, sed omnes illæ diuersitates consequuntur loci mutationem; quod sic videre licet. Nam si quæratur, quo pacto ex iacente aliquis factus est stans, non alia dabilis est ratio, quàm quòd aut totum corpus, aut partes corporis locum mutauere, ex qua mutatione sequuta est diuersitas situs, & idem proportionabiliter dicendum est de modis Habere.

EXPOSITIO TEXTVS.

POst 1 *hæc autem dicamus*. Iste est secundus tractatus huius quinti, in quo Philosophus determinat de vnitate motus: & diuiditur in duo capitula. In primo describit quosdam terminos, quibus vtetur postea: & in secundo determinat de vnitate motus, ibi: *Vnus autem motus*. Primum capitulum diuiditur: quia primò describit terminos. Secundò, ostendit in quibus reperiuntur aliqui illorum, & comparat eos ad inuicem, ibi: *Quoniam autem omnis mutatio*. Primò, præmittit intentionem, & patet in littera. Prima definitio, quòd 2 *Illa dicuntur [a] simul, quæcunque sunt in eodem loco, primò*; vt materia, & forma eiusdem speciei, substantia, & sua accidentia. Secunda definitio, *Illa dicuntur separatim, quæcunque sunt in diuersis locis*; præcipuè si loca sua propria in nullo conueniant. Tertia definitio, *Illa se [b] tangunt, quorum vltima sunt simul*, scilicet simul per priuationem corporis intermedij. Quarta definitio, *Medium est in quod continuè mutans natum est prius attingere, quàm vltima, secundùm [c] naturam continuè mutans*: & dicit *continuè mutans* ad differentiam mutationis instantaneæ, in qua non est medium secundùm motum. Et subdit, quòd ad hoc, quòd dicatur medium, oportet quòd sint duo extrema, inter quæ sit illud medium; & illa extrema sint contraria. Quinta definitio 3 *Illud continuè mouetur, cuius motus non interrumpitur per quietem mediam*; & quandoque [d] apparet nobis motus continuus, qui non est continuus propter hoc, quia interruptio quietis est insensibilis. Sexta definitio, *Contraria 4 secundùm locum sunt illa, quæ maximè distant secundùm [e] lineam rectam*, quia, vt patet 10. Metaph. contrarietas est distantia perfecta. Et quòd illa est sumenda secundùm lineam rectam, patet, quia linea recta est mensura, quæ potest duci inter duo puncta: modò istæ sunt proprietates conuenientes mensuræ. Septima definitio; quòd 5 *Illa dicuntur consequenter, inter quæ [f] nullum est medium eiusdem generis*; sicut duo homines sunt consequenter se habentes, inter quos nullus est alter homo, & dato quòd aliquid sit intermedium alterius generis, non propter hoc oportet, quòd

13. Text. 21.

Text. 22.

Text. 23.

Text. 24.

Text. 25.

illa non se habeant consequenter: quia dicit Aristoteles quòd duæ domus dicuntur consequenter se habere, inter quas non est domus media. Octa-
Text. 16. ua 6 definitio. g *Habitum est, quod non solùm consequenter se habet ad aliquid, immò cùm hoc tangit ipsum, ita vt vltra rationem consequentis, habitum addat tangere.*

Quoniam autem omnis mutatio. Hîc ostendit in quibus inueniuntur prædicti termini: & primò, ostendit in quibus inuenitur medium mutationis. Secundò, in quibus inuenitur continuum. Tertiò, comparat ad inuicem *tangere, consequenter, & continuum*: & quartò, infert corollarium, text. 13. & 4 Metaph. Secundum ibi, *Continuum quidem est.* Tertium ibi, *Manifestum autem est.* Quartum ibi: *Quare si est punctum.* Primò, ponit istam conclusionem. Medium mutationis inuenitur in contrariis. Probatur, quia omnis mutatio est inter opposita; tunc igitur medium mutationis, vel inuenitur in contradictoriis, & hoc non: quia inter contradictoria non est dare medium, vt patet 1. Post. text. 17. vel inter contraria; & habetur propositum. Et accipitur contrarietas largè, prout se extendit inter priuationem, & habitum, quia inter puram priuationem, & habitum perfectum benè est medium.

15.
Text. 17. *Continuum 7 quidem est.* Hîc ostendit in quibus h inueniunt continuum, dicens, quòd in illis inuenitur continuatio, quæ nata sunt se inuicem tangere, & tangendo vniuntur, ita vt ex eis fiat vnum extremum, quia quamdiu remanent duo extrema, non sunt continua, & eo modo, quo nata sunt vniri, siue naturaliter, siue artificialiter, siue propriè, siue impropriè, illo modo nata sunt ad inuicem continuari

Text. 18. *Manifestum 8 autem est.* Hîc comparat ad inuicem *consequenter, tangere, & continuum*; & est conclusio ista. *Consequenter* est prius, quàm *tangere*, & *tangere* prius quàm *continuum*. Probatur, quia illud est prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia; sed à *consequenter* ad *tangere* non conuertitur subsistendi consequentia, nec à *tangere* ad *continuum*, ergo, &c. Maior patet 5. Metaph. text. 16. & minor probatur; quia sequitur, *ista tangunt se; igitur consequenter se habent*: & non sequitur è conuerso. Similiter sequitur, *Ista sunt continua, igitur se inuicem tangunt*, i & non sequitur è conuerso.

Text. 29. *Quare si 9 est punctum.* Infert corollarium, quòd si vnitas, & punctus sint res separatæ à sensibilibus, sicut posuit Plato, impossibile est, quòd eadem res sit vnitas, & punctus: quia puncta nata sunt se tangere, & vnitates consequenter se habere, non autem tangere. Et tunc 10 in fine re-
Text. 30. capitulat, & patet in littera.

ANNOTATIONES.


16. Quæ dicitur esse simul. a *Illa dicuntur simul, quæ sunt in eodem loco.* Hoc intelligitur de loco proprio, & non communi: nam ad esse simul non est satis esse in eodem loco communi, aliàs Mantua, Florentia, & Roma essent simul, cùm sint in eodem orbe; requiritur ergo, quòd sint in eodem loco adæquato, quemadmodum exemplificat Scotus de materia, & forma, substantia, & accidente.

Quæ se tangunt. b *Illa se tangunt quorum vltima sunt simul.* Nota, quòd extremum lineæ est punctum, extremum superficiei est linea, & extremum corporis est superficies. Si ergo in plano duas deducas lineas, quarum altera incipiat, vbi altera desinit, postrema puncta sunt simul, eo quòd ambobus idem respondet punctus in plano: nam cùm punctum additum puncto non reddat maius, possunt duo eidem respondere puncto. Proportionabiliter duæ superficies se tangunt, quando lineæ extremæ correspondent eidem lineæ loci, ac denique duo corpora se tangunt, quando extremæ superficies respondent eidem lineæ circumstantis loci; vt si manus iungas, videbis internas superficies eidem lineæ circumstantis aëris in circulum respondere.

c *Secundùm naturam continuè mutans.* Nota, quòd ideò hæc verba addit Aristoteles, quia si esset Angelus, qui non dependet à loco, posset ab extremo ad extremum mutari sine medio sicut cogitatione ego possum de cœlo ad terram mutare non cogitando de medio. Medium ergo est, ad quod priùs natum est peruenire id, quod mouetur, quàm ad terminum: verbi gratiâ, ignis est medium inter Lunam & aërem: quia quod continuè descenderet à concauo Lunæ, priùs transiret per ignem quàm per aërem. Et notanter dixi, *ad quod priùs natum est peruenire*, & non *peruenit*: quia omni motu cessante, ignis nihilominus mediat inter cœlum & terram. 17. Mediū quid sit.

d *Quandoque apparet nobis motus continuus.* Nota, quòd ad hoc, quòd motus sit continuus, oportet, quòd nulla sit interruptio in tempore; potest tamen esse modica interruptio in magnitudine, super quam fit motus: vt qui per lapides, qui in transitu torrentis propinquè eriguntur, transit, facit continuum motum, licèt pedem non figat in medio spatio inter lapidem & lapidem. Aristoteles autem dat exemplum de pulsante citharam: cùm enim citharœdus post hypatem, hoc est, firmam & grauissimam chordam, continuò tangit netem, id est, primam acutissimam, sonus fit continuus, tametsi mediæ chordæ non tangantur: quia non interrumpitur tempus, quamuis interrumpatur magnitudo. Continuitas motus quid requirat.

e *Quæ maximè distant secundùm lineam rectam.* 18.
Nota, quòd mensura debet esse finita, id est, determinata & certa: minima autem linea, id est, linea recta, est finita, id est, certa & inuariabilis. Vnde minima distantia, quæ est inter duo puncta signata, est linea recta; quàm contingit esse vnam tantùm inter duo puncta. Lineas autem curuas contingit interdum in infinitum multiplicari secundùm quòd accipiuntur, vt arcus aliorum maiorum, vel minorum circulorum; atque adeò distantia, quæ est inter duo puncta, siue inter duo vltima magnitudinis supra quam fit motus, debet mensurari per lineam rectam: verbi gratiâ, distantia inter duo puncta *A*, & *B* indicanda est secùndùm lineā rectam ab vno in aliud: quæ quidem esse nō potest nisi vna: circulares verò, quæ protrahūtur per modum arcus, non sunt certa mensura: quia illæ sunt, vel esse possunt maiores, vel minores in infinitum secundùm quòd aliud semper circulus potest super alium describi. Mensura debet esse terminata, & certa.



f *Illa dicuntur consequenter*, &c. Nota, quòd ad

Qua conſequenter dicantur. ad hoc, quòd aliqua ſint conſequenter, duo requiruntur. Primum, quòd inter ea non ſit medium, vel ſi ſit, quòd ſit alterius generis; vt in phalange militum, illi ſe conſequenter habent, inter quos non mediat alius miles; nihil tamen obſtat ſi mediet haſta, vel aliquid aliud; ſed tamen tertius miles conſequenter ſe habet ad primum, eo quòd intercedit ſecundus. Secundum, quòd conſequenter ſe habens ſit poſterius eo, cui dicitur conſequenter ſe habere; & ideò vnum non ſe habet conſequenter ad duo, neque noua linea ad ſecundam lineam.

19. *Habitū idem eſt quod contiguum.* 8 *Habitum eſt*, &c. Nota, quòd habitum idem eſt in propoſito quòd contiguum. Boëtius verò pro *contiguum* vertit *habitum*, ſed non attingit, vt quidam dicunt, Ariſtotelis intentionem: nam Græcè eſt ἐχόμενον, quod ſignificat & id quod habetur, & id quod alteri hæret, quod eſt eſſe contiguum: in qua ſignificatione accipitur hîc. Ideò Themiſtius ſignificantiùs vertit *adhibitum*, vel *hærens*, quod idem pollet, quod contiguum.

Continuū vnde dicatur? *In illis inuenitur continuum*, &c. Nota quòd nomen *continui* dicitur à *continendo*: dicitur enim aliquid continuum, quia multæ partes continentur in vno, & quaſi ſimul ſe tenent; ſed hoc non poſſet eſſe, ſi vltima ſolùm eſſent ſimul: ergo oportet quòd ſit vnum. Vnde, in illis, in quibus non eſt natum fieri vnum, niſi ſecundùm contactum, non poteſt eſſe continuatio. Ideò, vt hic benè notat Commentator, triplex eſt continuatio. Alia eſt artificialis, vt duo ligna clauo, aut glutine, & duo lapides in pariete cæmento calcis, & arte continentur, id eſt, ſimul tenentur: & hæc, vt inquit Themiſtius, non eſt propria continuatio, niſi fortè tempore longo cæmentum vertatur in lapidem, tunc enim ex duobus lapidibus fit verè vnus. Alia eſt continuatio naturalis, vt quando arbor arbori inſeritur. Alia eſt continuatio Mathematica, vt partes lineæ continuantur puncto, partes verò ſuperficiei lineâ, & partes corporis ſuperficie.

20. 1 *Et non ſequitur è conuerſo.* Nota, quòd non quorumcunque ſe tangentium neceſſe eſt extrema eſſe vnum, ſed ſatis eſt extrema eſſe ſimul, vt patet in cœlo, & igne; & in equo, & ſella; at quorumcunque extrema ſunt vnum, neceſſe eſt à fortiori, quòd ſint ſimul, vt patet de ſurculo, qui ramo inſeritur; vt enim coaleſcat, & continuetur arbori, neceſſe eſt vt tangat arborem, non tamen ſi tangat, ſtatim ſequitur, vt recipiat humorem, & coaleſcat, quia non quæcumque arbor apta eſt cuiuis conſeri.

1 *Puncta nata ſunt ſe tangere.* Nota, quòd Ariſtoteles duplici ratione probat, quòd ſi punctus, & vnitas eſſent res à corporibus ſeparatæ (vt erat in opinione Pythagoræorum) non eſſent eadem res. Prima ratio eſt, quia puncta contingit ſe tangere, id eſt, ſunt in his, quæ nata ſunt ſe tangere ſecundùm puncta, vt patet in duobus punctis extremis duarum linearum, quæ ſibi eſſent contiguæ. In vnitatibus verò non inuenitur contactus; nam licèt vnitatibus contingat conſequenter ſe habere, non tamen ſe tangere. Secunda ratio eſt: quia inter quæcumque duo puncta eſt medium, ſcilicet linea: ſed non oportet, quòd inter duas vnitates ſit medium, nam inter primam vnitatem binarij, & ſecundam non eſt medium.

EXPOSITIO TEXTVS.

VNus autem 1 *motus dicitur multipliciter.* Hoc eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo Ariſtoteles determinat de vnitate motus: & diuiditur; quia primò, diſtinguit triplicem modum vnitatis motus. Secundò, agit de vnitate materiali motus: ibi, *Quoniam autem continuus omnis motus eſt.* Primò, determinat de vnitate generica motus. Secundò, de vnitate ſpecifica. Tertiò, de vnitate numerali. Secunda ibi; *Specie autem vnus eſt.* Tertia ibi: *Simpliciter autem vnus motus eſt.* Primò, dicit quòd illi motus ſunt idem genere, qui ſunt ad res eiuſdem generis; vt omnis motus localis cuilibet alteri motui locali eſt eiuſdem generis, & omnis alteratio omni alterationi. 21. Text. 30. *Motus qui ſint eiuſdem generis.*

Specie autem 2 *vnus eſt.* Hîc determinat de identitate ſpecifica motus. Et primò, de ſpecie ſpecialiſſima. Secundò, de ſpecie ſubalterna. Et tertiò, mouet dubium. Secunda ibi: *Si autem ſunt quædam.* Tertia ibi: *Dubitabit autem aliquis.* Primò, dicit quòd illi motus ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, qui ſunt ad res eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ; vt quia omnis albedo omni albedini eſt eiuſdem ſpeciei; ideò omnes dealbationes ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Text. 31. *Motus eiuſdem ſpeciei qui ſint.*

Si autem ſunt quædam. Hîc oſtendit, qui motus ſint eiuſdem ſpeciei ſubalternæ, dicens quòd illi motus ſunt eiuſdem ſpeciei ſubalternæ; qui ſunt ad res eiuſdem ſpeciei ſubalternæ: & ſic albatio, & denigratio ſunt eiuſdem ſpeciei ſubalternæ. 22.

Dubitabit 3 *autem aliquis.* Hîc ponit dubium; poſito quòd aliquis moueatur de vno loco ad alium, motu vectionis, deinde ab eodem loco moueatur ad eundem locum, motu deambulationis, vtrùm iſti duo motus ſint eiuſdem ſpeciei? Videtur quòd ſic; quia identitas motus eſt ab identitate termini *ad quem*, vt iam dictum eſt, & in illis duobus motibus eſt idem terminus *ad quem*: ergo, &c. Text. 32.

Aut determinatum 4 *eſt.* Reſpondetur, quòd iſti motus [a] non ſunt idem ſecundùm ſpeciem quia non ſolùm eſt attendendum ad terminum motus; immò etiam ad modum mouendi, vt ſi vnus ſit motus rectus, & alter circularis. Text. 33.

Simpliciter 5 *autem vnus motus eſt.* Hîc determinat de vnitate motus ſimpliciter. Et primò facit hoc. Secundò, mouet dubitationes, ibi: *Socratem autem.* Notandum, quòd identitas ſpecifica, vel generica non dicitur identitas ſimpliciter, ſed extrinſecâ denominatione, quia ipſorum eſt idem genus, vel eadem ſpecies; ſed illa quæ ſunt eadem ſecundùm numerum dicuntur idem ſimpliciter. Vnde, ad identitatem numeralem motus, requiruntur tria. Primò, vnitas mobilis, quia motus quo Socrates mouetur, eſt alter à motu Platonis. Secundò, requiritur vnitas termini *ad quem*: quia licèt Socrates in eodem tempore albefiat, & calefiat, propter hoc tamen non oportet, quòd albatio ſit calefactio; propter hoc, quòd iſti motus ſint ad diuerſos terminos. Tertiò, requiritur vnitas temporis, in quo fit motus; nam motus facti in diuerſis temporibus per interruptionem quietis mediæ, non dicuntur vnus motus, ſed benè 6 poſſunt dici motus habiti; vel meliùs poſſunt dici motus conſequenter ſe habentes. Text. 34. *Motus numeralis identitas tria poſtulat.* Text. 35.

Socratem

23. Text. 37. *Socratem 7 autem.* Hic mouet duas dubitationes. Secunda ibi: *Habet autem.* Prima est. Posito quòd Socrates nunc altereretur ad aliquam qualitatem, postea in alio tempore altereiur ad qualitatem eandem secundùm speciem; vtrùm isti duo motus sint idem. Respondet Aristoteles quòd non, nisi [b] contingat idem in numero corruptum reparari, & respondet conditionaliter: quia nondum manifestum est, sed manifestabitur in 2. de Generatione, quòd impossibile est corruptum regenerari.

Text. 38. *Habet 8 autem.* Secundum dubium est: vtrùm sit eadem sanitas de manè, & de vesperi, & mouetur propter opinionem Heracliti, qui ponebat, quòd omnia sunt in continuo fluxu, & si maneat eadem sanitas, non est ratio, quin reuertatur idem motus. Respondetur, quòd propter continuam resolutionem adæquatæ complexionis, in qua consistit sanitas, non manet eadem sanitas secundùm se totam; potest tamen dici eadem propter continuam successionem partium illius sanitatis ad inuicem.

24. Text. 39. *Quoniam autem 9 continuus omnis motus est.* Hîc determinat de vnitate motus simpliciter; & dicit quòd motus dicitur vnus, ex eo quòd est continuus. Secundò, quòd dicitur vnus ex eo, quòd est perfectus. Tertiò, quòd dicitur vnus ex eo, quòd est regularis. Secundum ibi: *Amplius autem dicitur vnus.* Tertium ibi: *Amplius autem præter dictos.* Primum diuiditur, quia primò, ostendit quòd ad vnitatem motus requiritur, quòd motus sit continuus. Secundò, quòd requiritur identitas specifica dispositionis secundùm quam est motus. Tertiò, quòd requiritur identitas mobilis. Et quartò, quòd requiritur continuitas temporis. Secundum ibi: *Non enim fiet.* Tertium ibi: *Et veluti lampas.* Quartum ibi: *Quapropter necesse est.* Ita quòd sunt quatuor conclusiones.

Quæ requiruntur ad vnitatem numeralem motus.

Prima conclusio est ista: Ad vnitatem motus requiritur, quòd motus sit continuus. Probatur, quia [c] omnis motus est diuisibilis: igitur partes eius non dicuntur vnus motus, nisi quia ad inuicem continuantur.

Secunda conclusio: Ad vnitatem motus requiritur identitas specifica dispositionis, secundùm quòd est motus. Probatur, quia motos, qui sunt ad dispositiones diuersas secundùm speciem, non possunt ad inuicem continuari: igitur ex ipsis non potest esse vnus motus. Tenet consequentia per præcedentem conclusionem; & antecedens probatur: nam dealbatio non potest esse continua ambulationi, quia istorum vltima non possunt esse simul; tamen isti motus benè possunt esse habiti, id est, consequenter se habentes.

Text. 40. Tertia conclusio: Ad 10 vnitatem motus requiritur identitas mobilis. Probatur, quia si de lampade [d] effundatur oleum in aliam lampadem, itavt continuè fiat intensio, & alterius materiæ, tunc licèt isti motus sint ad eandem dispositionem secundùm speciem, & etiam tempus illius intensionis sit continuum, tamen non est idem motus, ex eo quòd non est identitas mobilis.

Text. 41. Quarta conclusio est: Ad vnitatem 11 motus requiritur vnitas temporis, in quo fit motus. Probatur, quia ille motus non est vnus, qui interrumpitur per quietem mediam: sed si motus non fieret in eodem tempore continuo, iam interrumperetur per quietem mediam: ergo, &c.

Amplius 12 autem dicitur vnus. Hic ostendit, 25. Text. 42.
quòd [e] motus dicitur vnus ex eo, quòd est perfectus. Probatur, quia sicut est de aliis rebus, ita est de motu; sed in aliis rebus aliquid dicitur vnum, quando est perfectum; & non esse vnum, quando non est perfectum: igitur ita debet dici de motu.

Amplius autem 13 præter dictos. Hîc ostendit, Text. 43.
quòd motus ex eo dicitur vnus, quòd est regularis. Secundò, ostendit in quibus inuenitur regularitas. Tertiò, distinguit modos irregularitatis. Et quartò, concludit corollarium. Secundum ibi: *Est autem in omni motu.* Tertium ibi: *Irregularitatis autem differentia.* Quartum ibi: *Quare neque grauitas,* &c. Primò, ponit istam conclusionem: Motus dicitur [f] vnus ex eo, quòd est regularis. Probatur, quia motus dicuntur diuersi propter hoc, quòd ex ipsis resultat vnus motus irregularis: igitur motus dicitur vnus, ex eo quòd est regularis.

Est autem in omni motu. Ostendit in quibus reperitur regularitas, & irregularitas, dicens, quòd in omni motu reperiuntur tam regularitas, quàm irregularitas, vt in motu locali tam recto, quàm circulari, etiam in augmentatione, & diminutione, & in motu alterationis.

Irregularitatis 14 autem differentia. Hîc ostendit Text. 44.
modos, quibus prouenit irregularitas, dicens, quòd irregularitas motus prouenit primò ex difformitate illius, supple medij, in quo fit motus. Secundò, ex augmento potentiæ, remanente resistentiâ, vel etiam diminutione. Et tertiò, ex augmento, vel diminutione resistentiæ, remanente potentiâ: & isti tres modi reducuntur ad vnum, qui prouenit ex velocitate, & tarditate: nam ille dicitur irregularis, cuius in vna parte temporis motus est velocior, quàm in alia.

Quare neque grauitas. Hîc infert corollarium. 26.
Et primò, infert vnum corollarium. Secundò, remouet dubium. Tertiò, infert duo alia corollaria. Primum corollarium est istud; quòd velocitas, & tarditas non sunt species motus: quia tunc [h] omnis motus differret specie: quia omnem motum contingit esse velociorem, aut tardiorem aliquo alio. Secundum corollarium, quòd velocitas, & tarditas non sunt idem, quod grauitas, & leuitas. Probatur: quia [g] iam idem esset graue, & leue: nam omnis motus aliquo motu est velocior, & aliquo alio tardior.

Vnus igitur 15 irregularis est. Hîc remouet du- Text. 45.
bium: quia dictum fuit priùs, quòd motus irregularis non est vnus, immò ex irregularitate prouenit diuersitas motus: immò crederet aliquis, quòd motus irregularis nullo modo esset vnus. Dicit Aristoteles quòd immò: quia motus irregularis potest esse continuus secundùm tempus, attamen est minùs vnus, quàm motus regularis. Tunc infert tertiũ corollarium, ibi: *Si autem omnem,* quòd motus secundùm dispositiones diuersas secundùm speciem non possunt esse vnus motus, & continuus. Probatur, quia omnem motum, & continuum contingit esse regularem, & irregularem; sed non contingit motus, qui sunt ad dispositiones diuersas secundùm speciem, esse vnum motum regularem: igitur non contingit illos motus esse vnum motum, & continuum; tamen illi motus possunt esse consequenter se habentes, vt dictum fuit priùs. Sed dubitatur de maiori huius rationis: quia motus cœli est vnus, & continuus, & tamen non contingit ipsum esse irregularem.

Respondetur, vt dicit Commentator, quòd non

repugnat

repugnat motui esse regularem, vel irregularem, quantum est ex ratione generali motus, sed quantum est ex ratione speciali corporum, quorum sunt illi motus.

ANNOTATIONES.

27. *Motus circularis, & rectus differunt specie.*

a *Isti motus non sunt idem secundum speciem.* Nota, quòd ad identitatem motus specificam requiritur identitas termini *ad quem* secundùm speciem, & etiam identitas medij, per quod fit motus; linea autem circularis, & linea recta differunt specie, & ideò etiam motus circularis, & rectus differunt specie; quantumcunque sint ad eundem terminum.

b *Respondet Aristoteles quòd non.* Nota quòd quidam hoc, quod est *corruptum redire* referunt ad terminum, scilicet sanitatem, inter quos est Diuus Thomas, & Scotus hic, atque ita respondent ex Aristotele ad dubium; quòd si contingat id quod est corruptum fieri vnum numero; videtur quòd sanitas, quæ secundò acquiritur, sit eadem cum sanitate priùs acquisita, & per consequens, quòd illa alteratio erat eadem numero; at si corruptum non potest reparari, nec sanitas secundò acquisita sit eadem numero cum sanitate priùs genitâ, & corruptâ, alteratio non est vna secundùm numerum.

28. Cæterùm, quòd non sit eadem alteratio secundùm numerum, esto etiam quòd esset eadem sanitas, probat Aristoteles ex eo, quia ad vnitatem motus, vel alterationis sequitur vnitas termini, & qualitatis; sed ad vnitatem termini, & qualitatis non sequitur vnitas motus: quod patet de motu locali. Si enim aliquis ambulet ad aliquem locum, & factâ quiete iterum incipiat moueri ad eundem; ambulatio erit alia, & alia; & terminus erit idem in natura: aliter contingeret idem multoties corrumpi, & esse, quod est impossibile. Themistius verò hoc, quod est *corruptum redire* refert ad subiectum; quod verisimilius est: nam de termino statim mouet similem dubitationem: quia ergo dixerat ad vnitatem motus requiri vnitatem subiecti per se, & singulariter, subiicit dubitationem ex opinione antiquorum, nimirum Heracliti, & Cratilli, quos 4. Metaphys. text. 22. opinatos esse inquit omnia esse in continuo motu, & per consequens, Socratem qui modo sanatur, & qui hinc ad horam sanatur, non esse eundem, sed iam priorem esse corruptum, & alterum succedere. Deinde in text. 37. consimilem mouet dubitationem ex parte termini, an scilicet vna & eadem numero sanitas duret per tempus in homine sano. Ex istis autem propositis duabus dubitationibus primam, quæ est ex parte subiecti, non curat hîc soluere: quia non est hîc locus disputandi, an omnia sint in continuo fluxu. Secundam verò soluit modo suprà exposito.

29. *Vnum dicitur aliquid dupliciter.*

c *Omnis motus est diuisibilis*, &c. Nota, quòd dupliciter aliquid est vnum: aut quia non est diuisibile in plura, vt Angelus, vel punctus; aut quia est vnum continuum, motus autem non est vnus primo modo, cùm sit diuisibilis; sed solùm secundo modo. Ex quo sequitur, quòd, cùm illud sit continuum, cuius vltima sunt vnum, duplici de causa duæ res continuæ esse non possunt; nempe, aut quia non habent vltima, vt duo puncta, & duo Angeli: aut quia, licèt habeant vltima, sunt tamen specie differentia, & diuersarum rationum; vt linea, & ambulatio non possunt esse continua, quia sunt diuersorum generum, sicut neque qualitas, & relatio: cursus etiam, & fabricatio non possunt ad inuicem continuari.

d *Quia si de lampade effundatur oleum*, &c. Nota, quòd Themistius ait Aristotelē hoc exemplo alludere ad Cerealia, quæ erant Cereris sacra, vbi lampadem accensam vnusquisque proximo tradebat in circulum; & quia in illo puncto, quo quis ab alio accipiebat, fieri nequibat quo minùs tantisper cessaret motus lampadis, ait, quòd lationes illæ non faciebant vnum continuum motum. Alij referunt ad illam impressionem meteorologicam, quæ dicitur lancea cadens, vbi flamma non cadit continua, sed interpolatim, inflammando grossiores partes exhalationis; sed reuera neuter istorum videtur esse sensus exempli: tum quia Aristoteles intendit exemplum ponere motuum diuersarum specierum: tum etiam, quia isti motus nec continui sunt, nec contigui, siquidem interpolantur. Sanctus Thomas intelligit de motu olei sursum per lychnum, quo nutritur flamma lampadis, qui est continuus flammæ lampadis: exemplum tamen Scoti videtur satis ad propositum.

e *Motus dicitur vnus ex eo, quòd est perfectus.* Nota, quòd tripliciter motus dicitur vnus. Primo modo simpliciter: quia est continuus. Secundo modo, vnus numero, quia est perfectus: nam perfectum, & totum sunt de ratione *vnius*, non enim dicimus rem esse vnam, nisi sit tota, & perfecta, perfectum verò, & totum idem est. Tertio modo dicitur motus vnus: quia regularis: non enim videtur motus irregularis esse vnus, quia est diuisibilis in partes dissimiles: cùm ergo ostensum sit motum esse vnum, quia continuum, ostendit secundò motum esse vnum, quia est perfectus: nam totum idem est quod perfectum, & perfectum est, cui nihil deest. Cæterùm, cùm perfectum recipiat magis, & minùs; ita & vnum, aut secundùm genus, aut secundùm speciem, aut secundùm substantiam, id est, secundùm numerum. Exempla ponit Commentator, vt inter motus, localis est genus perfectius, atque adeò ille est magis vnus, quàm alij motus. In hoc verò genere circularis est perfectior species, quàm motus rectus; sed in hac specie motus cœli est præcipuum indiuiduum: & hoc, inquit, contingit in moribus, sicuti in aliis rebus. Homo enim dicitur vnus, quia perfectus est omnibus suis membris, & pariter domus est vna, quia est absoluta, & consummata: nihilominùs dicitur vnus homo, licèt sit mancus, aut oculis orbus, per continuitatem partium. Eodem modo in motu vnitas, quæ prouenit ex continuitate motus, sufficit vt dicatur simpliciter vnus, nihilominùs tamen qui perfectior est, magis vnus est: quia, vt inquit Themistius, propiùs accedit ad finem, & vnitas motus sumitur à fine; imperfectum verò videtur habere rationem partis, & partes ad pluralitatem spectant. 30. *Motus tripliciter dicitur vnus.*

f *Motus dicitur vnus, ex eo quòd regularis.* 31. *Motus bifariam dicitur regularis.*

Nota, quòd dupliciter aliquis motus dicitur irregularis. Primò, ex parte magnitudinis super quam fit; & hoc est verum de motu locali; vt quando magnitudo est difformis, scilicet partim recta, partim curua. Secundo modo dicitur motus irregularis ex parte velocitatis, & tardi-

tatis

tatis in motu; ita quòd ille motus dicitur regularis, cuius est eadem velocitas per totum, & irregularis cuius non.

M sin difformitas ex quatuor prouenire potest.

g *Ostendit modos, quibus prouenit irregularitas.* Nota (vt Commentator hic admonet) quòd quatuor de causis difformitas velocitatis; & tarditatis motus prouenire potest, scilicet ratione spatij difformiter resistentis; aut ratione motoris, sicut in motibus liberis, vt cùm figulus rotam, vt vult, circummouet; aut ratione termini *ad quem*, vt qualitas spiritualis velociùs producitur, quàm corporalis, & calor velociùs, quàm frigus; aut ratione virtutis intrinsecæ ipsius mobilis, vt grauius velociùs descenderet, etiam per vacuum, quàm leuius: sed hic modus ad secundum reducitur.

h *Omnis motus differret specie.* Nota, quòd differentiæ essentiales non possunt eidem speciei simul conuenire; vt homo non est simul rationalis, & irrationalis; velocitas autem, & tarditas cuicunque speciei motus conueniunt, scilicet alterationi, motui locali, tam circulari, quàm recto; atque adeò non sunt species essentiales; aliàs omnis motus à seipso differret specie.

i *Iam idem esset graue, & leue.* Nota, quòd leuitas determinatur ad motum sursum, & grauitas ad motum deorsum; cùm ergo velocitas, & tarditas in omni moto reperiantur, tam motus sursum, quàm deorsum potest esse & velox, & tardus: si ergo leuitas, & grauitas essent idem, quod tarditas, & velocitas, iam idem esset graue, & leue.

QVÆSTIO VI.

Utrùm ad vnitatem numeralem motus requiratur vnitas mobilis, vnitas temporis, & vnitas termini ad quem.

Arist. *hic c.4.text.*31.*&* 34 D.Thom.*ibid.lect.*7 *&* 8.Maior. *in exposit.lib.*5.*Physic.* Alb *tract.*3.*c.*1.Ianel.*cum D.Thom. suprà q* 7.Soto *q* 3. Astudillo *ibid q.propria super hoc.*Vetactux *sec.*4. Tolet.*q.*4.Bruxel.*q* 1.*art.*4.Perer.*lib.*13.*c.*9.*q.*8. Mas.& Conimbr 5 *Phys.c* 4 *q* 5.*art.*2 Ruuı.*ibid q.*2. Hurt. *disp.*11.*Phys.sect.*8. Auerla *tom.*1.*Phil q.*26.*sect.*13.

1. ARGVITVR primò quòd non requiritur vnitas mobilis: quia si aliquod animal caderet ab aliquo loco valdè alto, ita vt in medietate viæ moreretur, tunc ille motus esset vnus, & continuus, & tamen mobile non esset idem: quia non est idem mobile viuum, & mortuum.

Secundò, quia si vna virga descendat à sursum vsque ad deorsum, cuius vna medietas est virens, & alia arida, tunc motus est continuus; & tamen mobile non est idem: ergo, &c.

Tertiò, quia si aliqua aqua fluat super spatium calefactum, ille motus fluxus esset vnus, & tamen mobile non est vnum, & idem: immò continuè aliud, & aliud propter continuam resolutionem aquæ factam à caliditate spatij, super quo fluit.

Quartò, arguitur quòd non requiritur vnitas temporis; quia si aliquod mobile continuè moueatur per vnam diem, & in tertia, & quinta partibus diei nulla anima numeret motum, tunc per definitionem temporis, in tertia. & quinta partibus nullum est tempus. Tunc arguitur sic, iste motus factus per diem est vnus, & tamen tempus in quo fit non est vnum: quia tempus circumscriptis tertiâ, & quintâ partibus non est tempus continuum.

Quintò, tunc sequeretur quòd calefactio, & frigefactio non possent esse vnus motus. Consequens est falsum, per definitionem continui, quia *continua sunt quorum vltima sunt vnum*: modò calefactionis, & frigefactionis vltima sunt vnum, scilicet caliditas ad quam terminatur calefactio, & incipit frigefactio, & tamen non sunt in eodem tempore: igitur ad vnitatem motus non requiritur vnitas temporis.

Sextò, quia motus cœli est continuus, & tamen fit in diuersis temporibus eiusdem diei: ergo, &c. 2.

Septimò, arguitur quòd non requiritur vnitas termini *ad quem*: quia motus cœli est motus continuus, & vnus, & tamen nullus est terminus signabilis, ad quem sit ille motus; igitur ad vnitatem motus non requiritur vnitas termini *ad quem*.

Octauò, quando fit motus ab vno contradictoriorum ad reliquum, tunc iste motus est vnus, & continuus, & tamen nullus est vnus terminus ad quem est ille motus: igitur ad vnitatem motus non requiritur vnitas termini *ad quem*. Minor patet, quia si in medio motus mobile quieuisset, tunc gradus sub quo quieuisset, fuisset terminus *ad quem*, & modò non est minùs terminus *ad quem*, quàm tunc fuisset: igitur istius motus plures sunt termini *ad quem*; & per consequens ad vnitatem numeralem motus non requiritur vnitas termini *ad quem*.

Nonò, quia si motor nullum terminum intenderet, non minùs ille motus esset vnus: igitur ad vnitatem numeralem motus non requiritur vnitas termini *ad quem*. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto quinto, text.31.

Notandum, quòd ista quæstio intelligitur solùm secundùm potentias naturales: quia non est dubium, quin motus possit esse vnus sine aliquo mobili per potentiam supernaturalem; vt patet de alteratione, vel de motu locali in Sacramento Eucharistiæ. Secundò, notandum quòd aliqua dicuntur vnum genere, vel numero, vel specie, vt patet 5. Metaph. vnde illi motus dicuntur iidem genere, qui sunt secundùm dispositiones eiusdem generis, vt omnis alteratio omni alterationi est eiusdem generis, eo quòd omnis alteratio est secundùm qualitatem. Sed illi motus dicuntur idem specie, qui sunt secundùm dispositiones ad eandem speciem, & præcipuè tunc dicuntur motus idem speciei, quando dispositiones secundùm quas sunt, sunt in eadem specie specialissima; sed ad vnitatem numeralem motus requiritur omne illud quod requiritur ad esse motum. Vnde aliquid dicitur vnum numero dupliciter: vno modo, quia est, & non est plura; & sic solùm indiuisibile dicitur vnum. Alio modo, quia est vnum, licèt sit plures partes; & hoc dupliciter: quia vel partes suæ sunt simul existentes secundùm permanentiam, quemadmodum dicimus Solem esse vnum; aut partes sibi inuicem succedunt, & sic vocatur vnum numero secundùm continuationem partium in successione. Et isti modi identitatis, scilicet, quibus aliqua dicuntur idem numero, differunt à duobus præcedentibus dupliciter: quia de illis quæ sunt vnum genere, vel specie solùm, non dicitur absolutè, quòd sint vnum; sed cum additione, quòd sunt 3.

Vnitas est triplex.

Vnum numero dicitur dupliciter.

vnum

vnum genere, vel specie, sed de illis, quæ sunt idem numero, dicimus absolutè, quòd sunt vnum; sicut Socrates & albus sunt vnum. Secundò differunt; quia illi motus non dicuntur idem, quia sunt vnum, sed quia habent idem genus, vel speciem, secus est de idem numero.

4. *Ad motum multa concurrunt.*

Item, notandum quòd ad motum requiruntur seu concurrunt multa. Primò, terminus *ad quem*, & mobile; & ista dicit Commentator esse intrinseca motui. Secundò requiritur motor, & tempus; & ista dicit esse extrinseca motui. Tertiò, concurrit resistentia, licèt non ad omnem motum: quia motus cœli fit sine resistentia mobilis ad motorem; verum est tamen, quòd resistentia ponitur sub mobili; & ideò semper Aristoteles vocat resistentiam mobile in *7. huius, text. 53. & inde.* Quartò, concurrũt regularitas, & irregularitas motus, quantum ad tempus. Et quintò, concurrunt vniformitas, vel difformitas motus, quantum ad partem subiecti. Tunc, inquirendo an omnia ista, vel aliqua requirantur ad vnitatem numeralem motus, primò, ponuntur conclusiones negatiuæ.

Quæ requiruntur ad vnitatem numeralem motus.

Prima conclusio. Ad vnitatem numeralem motus non [b] requiritur vnitas motoris. Probatur, quia si multi trahant nauem, motus illius nauis est vnus, & continuus; & tamen non fit ab vno motore, sed à diuersis: igitur ad vnitatem motus non requiritur vnitas motoris. Secundò, quia si Socrates moueat nauem, deinde Plato, remoto Sortate continuè, & sine interruptione quietis, tunc ille motus nauis est vnus, & tamen est à motoribus diuersis.

Secunda conclusio. Ad vnitatem motus non requiritur vnitas resistentiæ per quam fit motus. Probatur, quia si graue simplex descenderet per ignem, & aërem, & aquam continuè, tunc motus eius esset vnus, & continuus, & tamen fit per diuersas resistentias; ergo, &c.

5. Tertia conclusio. Ad vnitatem motus non requiritur vniformitas, & regularitas motus: quia difforme, & irregulare solùm diuersificant motum secundùm magis, & minùs, sicut velox, & tardum. item, motus cœli dicitur vnus, & tamen motus cœli est difformis, licèt sit regularis.

Deinde ponuntur conclusiones affirmatiuæ. Prima conclusio est. Ad vnitatem [c] numeralem motus requiritur vnitas numeralis mobilis. Probatur, quia motus est actus mobilis: igitur vnus motus est actus vnius mobilis.

Secundò, quia si Socrates, & Plato mutentur ad caliditatem simul in eodem tempore, adhuc dicimus istos motus esse diuersos eo solo, quòd mobilia sunt diuersa.

Contra conclusionem obiicitur: quia capiatur aliquod flexibile sicut virga, cuius vna pars primò flectatur aliis partibus non motis, deinde secunda, postea tertia, & sic continuè; tunc iste motus est vnus, & tamen non est vnius mobilis, immò continuè alterius, & alterius. Secundò, quia motus nauis, & omnium existentium in naui, est vnus; & tamen non est vnius mobilis, immò multorum mobilium ad inuicem aggregatorũ: igitur non ad omnem motum vnũ requiritur vnitas mobilis. Respõdetur ad primum, quòd ille motus est vnus dupliciter, scilicet, & secundùm successionem continuam partium in tempore, & secundùm successionem partium mobilis: modò ad vnitatem motus non requiritur permanentia omnium partium mobilis simul, sed sufficit quòd partes mobilis sibi inuicem succedant continuè.

Ad secundum, dico quòd sufficit huiusmodi vnitas per aggregationem ad vnitatem numeralem motus. 6.

Secunda conclusio. Ad vnitatem numeralem motus requiritur vnitas temporis. Probatur, quia illi motus sunt diuersi, qui interrumpuntur ad inuicem per quietem mediam; sed motus facti in diuersis temporibus sunt huiusmodi: igitur illi motus non sunt vnus motus. Et patet in exemplo: quia si Sortates hodie calefiat, & cras quiescat, deinde post cras calefiat, tunc istæ calefactiones sunt diuersæ, ex eo quòd fiunt in diuersis temporibus.

Contra conclusionem obiicitur: quia ad vnitatem alicuius non requiritur vnitas illius, quod est sibi extrinsecum; sed tempus est extrinsecum motui: ergo, &c. Maior probatur, quia quodlibet vnum esset vnum, quocũque extrinseco circumscripto, & minor patet ex *4. huius, text. 97. & inde.* quia tempus est mensura extrinseca motus. Respondetur, quòd ad vnitatem motus non requiritur vnitas temporis, nisi arguitiuè ad istum sensum, ex eo quòd motus est vnus, habemus arguere, quòd tempus coëxistens illi motui, est vnum, & è conuerso.

Tertia conclusio. Ad vnitatem motus non sufficit vnitas mobilis, & vnitas temporis. Probatur, quia tunc sequeretur quòd calefactio, & dealbatio essent vnus, & idem motus, quod est falsum; & patet consequentia, posito quòd in eodem tempore Socrates fiat albus, & calidus.

Ex istis sequitur quarta conclusio, quòd ad vnitatem motus requiritur vnitas termini *ad quem*. Probatur, quia ex eo solo albefactio, & calefactio dicuntur motus diuersi in casu prædicto: quia sunt ad diuersos terminos: igitur ad hoc, quòd aliqui motus sint vnus, oportet quòd sint ad eundem terminum. 7.

Sed obiicitur, posito quòd centrum mundi esset perforatum, & descenderet vnum graue continuè vsque ad centrum, & adhuc vltra propter impetum acquisitum; tunc iste motus est vnus, & continuus, quia super eandem lineam factus, & sine interruptione quietis; & tamen non est ad eundem terminum, quia primò, est motus deorsum, & secundò motus sursum. Respondetur, quòd ille non est vnus motus, sed est duo motus contrarij, qui sunt inter contrarios terminos. Ex hoc infertur, quòd non inter quoslibet motus contrarios est quies media. Ex quibus patet, quòd ad [d] vnitatem numeralem motus requiritur, & sufficit vnitas numeralis mobilis, vnitas termini *ad quem*, & vnitas temporis.

Ad rationes, ad primam dico, quòd ille motus non est vnus & continuus; sed est duo motus contigui: & eodem modo dicitur de virga, cuius vna medietas est virens, & alia arida. Tamen aliter dicitur, [e] quòd quilibet illorum motuum est vnus. Vnde de animali dicitur, quòd manet idem mobile, quia manet eadem materia prima: & hoc sufficit ad identitatem motus. De virga, dicitur quòd motus ille virgæ est vnus, non obstante, quòd partes eius sint diuersæ secundùm speciem, quemadmodum & motus [f] animalis est vnus, cuius tamen multæ partes organicæ differunt secundùm speciem.

Ad tertiã de aqua, dico quòd licèt non [g] maneat ibi idem mobile secundùm permanentiam omnium partium simul, tamen est idem mobile secundùm continuationem partium in successione. 8.

Ad quartam, dicitur vno modo, quòd non est possibile naturaliter, quin aliqua persona numeret, vt Intelligentia, vel Deus: & dato, quòd nulla anima numeraret, adhuc non obstaret ad continuitatem motus: quia licet tempus coëxistens illi motui, de facto non esset vnum, attamen si sibi coëxtitisset, tempus per totum illud fuisset vnum.

8. Ad quintam, dico quòd impossibile est, quòd calefactio, & frigefactio sint vnus motus; & quando dicitur, quòd illorum mutuum vltima sunt vnum: dico quòd non sufficit, sed requiritur, quòd sint continuè tendentia ab vno contrariorum ad reliquum; vt patet per definitionem motus.

Ad sextam, dico quòd licèt fiat in diuersis temporibus, tamen illa tempora sunt vnum tempus.

Ad aliam de motu cœli, dico quòd in motu cœli non est assignandus aliquis terminus, ad quem terminatur ille motus, sed signandi sunt diuersi termini, ad quos terminantur motus partium cœli, licèt non vltimatè.

Ad octauam & nonam, dicitur consimiliter.

ANNOTATIONES.

9. *Vnitas realis consequitur entitatem realem.* A*Liqua dicuntur vnum genere, vel specie, vel numero*, &c. Nota primò, quòd vnitas realis est proprietas necessariò consequens entitatem realem, ita vt implicet contradictionem, aliquam entitatem realem esse sine vnitate reali sibi propria; & ideò diuersitas vnitatum necessariò sequitur ad diuersitatem entitatum: si enim aliqua entitas sit transcendens ipsam, consequitur vnitas sibi propria: & si entitas sit quiditas generica, ipsam consequitur talis vnitas, quæ est generica; si est quiditas specifica, habet vnitatem specificam; si numeralis, numeralem: & ratio huius est, quia vnitas est propria passio entis.

Aliquid dicitur vnum dupliciter. Nota secundò quòd aliquid potest dici vnum dupliciter: vno modo extrinsecè, alio modo intrinsecè. Vnde motus intrinsecè dicitur vnus propter vnitatem formalem sibi intrinsecam; extrinsecè verò propter vnitatem sibi extrinsecam, quæ est vnitas alicuius extrinseci, vt puta mobilis, temporis, vel termini *ad quem*.

Nota tertiò, duplicem esse terminum *ad quem* motus, principalem, videlicet, & vltimatum: minùs principalem, & non vltimatum. Terminus principalis, & vltimatus est, ad quem mobile non impeditum peruenire potest, & sub quo mobile primò quiescit: vt mobile recedens à calido, si non impediatur perueniet ad frigidum, & recedens ab albo, perueniet ad nigrum: & in motu augmentationis terminus vltimatus erit, ad quem illud quantum, quod augetur naturaliter poterit peruenire, videlicet quantitas illa, quam viribus naturæ acquirere poterit, & in motu locali illud *vbi* ad quod mobile naturaliter peruenire valet, nisi impediatur: vt cõcauum orbis Lunæ est terminus vltimatus, ad quem ignis tendere valet. Terminus non vltimatus est quicunque alius ante vltimatum, sicut in motu alterationis, quælibet formæ pars acquisita durante motu.

10. Nota tertiò, motum considerari posse & secundùm propriam naturam, & rationem motus, quo pacto consideratur in ordine ad terminum *ad quem*. Secundò, consideratur secundùm suas qualitates, & accidentia; vt quòd sit naturalis, vel violentus.

Ex his dico primò, quòd illi motus sunt iidem genere, qui ad terminos eiusdem Prædicamenti tendunt. Patet, quia vnitas motus accipitur à termino *ad quem*; ergo si in termino *ad quem* est vnitas generica, motus erit vnus genere.

Dico secundò, quòd vnitas specifica motus sumitur per se primò ab vnitate specifica termini *ad quem* vltimati. Probatur, quia si vnitas specifica motus non sumeretur per se primò ab vnitate specifica termini *ad quem* vltimati, sequeretur, quòd ascensus ignis ad concauum orbis Lunæ non esset vnus motus: quia termini *ad quem* non vltimati huius ascensus, sunt multi, & differentes specie.

Dico tertiò, quòd vnitas specifica motus non requirit vnitatem specificam terminorum *à quibus*, etsi quandoque per accidens inueniatur talis vnitas. Primum patet, quia aliàs motus aëris à concauo Lunæ ad suum locum, & à terra ad eundem locum, differrent specie, quod est falsum; quia terminus *ad quem* vltimus est idem. Secundum etiam patet, quia contingit hoc nigrum moueri ad albedinem, & illud similiter nigrum ad albedinem, & tunc illę dealbationes erunt motus eiusdem speciei, & ratione terminorum *ad quos*, & & ratione terminorum *à quibus*.

Dico quartò, quòd in motu locali non solùm sumitur vnitas specifica motus ab vnitate specifica termini *ad quem* vltimati, sed etiam ab vnitate spatij formalis: dicitur *formalis*, id est, secundùm figuram rectam, aut circularem. Patet, quia si fiant duo motus ab *A* in *B*, vnus per lineam rectam; & alius per circularem, seu obliquam; ille motus, qui declinat à linea recta, declinat etiam à fine vltimato lineæ rectæ; & sic si demum perueniet ad *B*, hoc erit per accidens: quare, cùm ratione spatij non habeant per se eundem vltimatum terminum, non sunt eiusdem speciei. 11.

Dico quintò, quòd si motus consideretur secundùm sua accidentia, non est inconueniens aliquos motus esse diuersos specie, & habere terminum vltimatum vnum secundùm speciem. Probatur ex Aristotele *cap 6. huius*, docente motum ignis & lapidis ad concauum Lunæ esse diuersarum specierum, quamuis habeant eundem terminum vltimatum. Ex quo sequitur, quòd motus violentus dupliciter contrariatur motui naturali. Primò, ratione principiorum; si enim mobile naturaliter recipit motum, talis motus est naturalis: si verò non recipit naturaliter motum, est violentus. Secundò, eâ ratione, quâ motus est, scilicet ratione termini vltimati. Concauum enim Lunæ, verbi gratiâ, non est terminus vltimatus motus lapidis ad ipsum ascendentis, est verò terminus vltimatus motus ignis. Potest etiam hæc conclusio probari à simili; homo enim albus, & equus albus sunt eiusdem speciei ratione albedinis, & homo albus, & homo niger, sunt diuersæ speciei ratione albedinis, & nigredinis. Similiter, motus lapidis sursum, & motus ignis sursum sunt diuersę speciei, ratione accidentium, quæ sibi accidunt, videlicet, quia taliter, vel taliter recipiuntur in subiectis.

Dico sextò, quòd, cùm motus sit vna entitas prædicamentalis distincta ab aliis, ipse nec est vnus, nec differens intrinsecè, & formaliter per mobile, vel terminum, vel tempus, vel aliquid aliud ab eo realiter distinctum. immò omnibus illis seclusis, omnis motus esset vnus numero 12.

vnitate

vnitate sibi intrinsecâ, quæ est ex differentia indiuiduali contrahente quiditatem ad esse indiuisibile: quamuis enim communiter dicatur, quòd accidentia numerantur ad numerationem subiectorum, & ab eis habeant vnitatem, & distinctionem, tamen hoc non est verum, nisi fiat sermo de vnitate, & distinctione extrinseca, cùm non sit possibile accidentia diuersa tam genere, quàm specie, quàm solo numero in eodem subiecto simul esse.

b *Ad vnitatem numeralem motus non requiritur vnitas motoris.* Nota, quòd hoc dictum est verum, prout in conclusione explicatur: quia si essent plures motores, qui moueant, vnus post alium, motus non erit vnus numero, sicut patet per Philosophum *huius*, qui dicit quòd motus proiectionis non est vnus, eo quòd in illo motu non est tantùm vnum mouens.

c *Ad vnitatem numeralem motus requiritur vnitas numeralis mobilis.* Nota, quòd vnum accidens numero non potest *esse* in duobus subiectis numero, nec potest ex vno in alterum migrare: ergo vnus motus numero nequit esse in duobus subiectis numero, neque migrare de vno in aliud; atque adeò mobile, quod est subiectum motus, debet esse vnum ad hoc, quòd motus sit vnus.

13. d *Ex quo patet, quòd ad vnitatem numeralem motus, &c.* Nota, quòd ad vnitatem numeralem motus extrinsecam requiritur vnitas numeralis temporis, & vnitas numeralis termini *ad quem* principalis & vltimati: non tamen requiritur vnitas numeralis cuiuslibet termini *ad quem*; requiritur etiam vnitas mobilis per se, & non per accidens: oportet enim secundùm Philosophum quòd mobile sit vnum per se, eo quòd idem subiectum per accidens potest simul moueri diuersis motibus: illud autem est mobile per se respectu alicuius motus, quod gratiâ sui, & non gratiâ alterius est subiectum motus; mobile autem secundùm accidens est mobile gratiâ partis, sicut patuit superiùs. Idem etiam motus numero potest esse in diuersis subiectis per accidens.

e *Tamen dicitur aliter, quòd quilibet illorum motuum est vnus.* Nota, quòd quidam dicunt, quòd ad vnitatem motus non requiritur vnitas numeralis subiecti denominationis, sed subiecti inhæsionis. Ibi autem est idem subiectum inhæsionis in toto motu, scilicet materia informata forma corporeitatis, quæ potest esse eadem in genito, & corrupto. Vel dicatur, quòd si nulla forma substantialis manet eadem in genito, & corrupto, tunc ibi sunt plures motus non continuati ad inuicem, sed habiti.

f *Quemadmodum & motus animalis est vnus, &c.* Nota, quòd motus progressiuus animalis non est continuus, aut vnus simpliciter; componitur enim ex multis motibus, vt motu pulsus, & motu tractus, & fortè etiam ex multis quietibus, & ideò non est continuus, atque adeò Scotus non intelligit hîc de motu animalis progressiuo, sed de motu alterationis, & augmentationis.

g *Ad tertium de aqua, dico, &c.* Nota, quòd illa pars motus, quæ fuit subiectiuè & adæquatè in parte mouentu vsque ad finem, est continua, & vna numero, & habet subiectum vnum numero: tamen partes motus, quæ fuerunt in aliis partibus mobilis, terminatæ sunt, & desierunt esse, cùm partes mobilis corrumpebantur.

EXPOSITIO TEXTVS.

AMplius 1 autem determinandum est. Iste est tertius tractatus quinti, in quo Philosophus determinat de contrarietate motus & quietis: & diuiditur in tria capitula. In primo determinat de contrarietate motuum inter se. In secundo de contrarietate motus ad quietem, & quietum inter se. In tertio determinat de solutione quorundam dubiorum circa contrarietates motuum, & quietum. Secundum ibi: *Quoniam autem motui.* Tertium ibi: *Dubitabit autem aliquis.* Primum diuiditur: quia primò præmittit quandam diuisionem. Secundò, prosequitur de contrarietate motuum, ibi: *Est autem qui ex contrario.* Diuisio est ista, quòd ex quo motus non sunt ad inuicem contrarij ratione temporis, vel subiecti in quo fiunt, necesse est quòd sint ad inuicem contrarij ratione terminorum. Et hoc multipliciter; primo modo, quòd motus ab aliquo termino sit contrarius motui ad eundem terminum. Secundo, quòd illi sint contrarij, qui sunt à contrariis terminis. Tertio, quòd motus sint contrarij, qui sunt ad contrarios terminos. Quarto, quòd motus ab vno contrario sit contrarius illi, qui est in aliud contrarium. Quinto, quòd illi motus sunt contrarij, qui sunt à contrariis terminis ad contrarios terminos; & ista diuisio est sufficiens, nec potest fieri variatio pluribus modis. 14. Text. 46. *Motus multis possunt esse contrarij.*

Est autem 2 qui ex contrario. Hîc prosequitur; & primò, de contrarietate motuum, qui sunt ab extremo ad extremum. Secundò, de contrarietate mutationum, & tertiò de contrarietate motuum, qui sunt de extremo in medium, aut de medio in extremum. Secunda ibi: *Quibus autem.* Tertia ibi: *Qui autem ad medium.* Primò, ponit quinque conclusiones. Secunda ibi: *Neque qui ex contrario ei.* Tertia ibi: *Sed magis in contrarium.* Quarta ibi: *Relinquitur igitur.* Quinta ibi: *Quoniam autem differt.* Primò dicit, quòd motus, qui est ab vno contrario, non est contrarius a illi, qui est in aliud contrarium. Probatur: quia idem motus est ab vno contrario in aliud contrarium; modò idem non contrariatur sibi ipsi, tamen dicit Aristoteles quòd licèt sit idem motus, qui est ad sanitatem, & ad ægritudinem, tamen secundùm aliam, & aliam rationem sic denominatur. Text. 47.

Neque 3 qui ex contrario. Secunda conclusio est, quòd motus b ab vno contrario non est contrarius motui, qui est ex alio contrario. Probatur, quia possibile est, quòd sint ex terminis contrariis; & tamen non sint nisi mutationes; modò mutationes non sunt motus, vt priùs patuit, & per consequens nec motus contrarij. Verum est tamen, quòd ista conclusio est falsa; sed intelligitur sic, quòd contrarietas motuum non sufficienter attenditur penes hoc, quòd sunt ex terminis contrariis. 15. Text. 48.

Sed magis in contrarium. Ponit tertiam conclusionem, quòd magis est c attendenda contrarietas motuum penes terminos ad quos sunt motus, quàm penes terminos à quibus sunt motus. Probatur: quia penes illos magis attenditur contrarietas, qui maximè intenduntur per motū, sed per motum intenditur terminus *ad quem*; ergo, &c. Secundò, quia motus denominatur à termino *ad quem*, & non à termino *à quo*, vt patuit priùs: igitur potiùs attenditur contrarietas penes terminos *ad quos*, quàm penes terminos *a quibus*.

Relinquitur igitur. Hic ponit quartam conclusionem; & primò ostendit, quot membra restant, dicens, quòd non restant nisi duo membra, scilicet, de motibus, qui sunt ad terminos contrarios; & de illis, qui sunt à terminis contrariis ad terminos contrarios; & tacet de primo membro, quod est ab eodem in idem: quia de illo faciet postea mentionem; & subdit, quòd impossibile est motus illos, qui sunt ad contrarios terminos, esse à contrariis terminis, tamen esse non idem, id est, non sic dicuntur secundùm eandem rationem. Et ex hoc sequitur quarta conclusio, scilicet, quòd ex eo præcisè non dicuntur motus contrarij, quòd sint ad contrarios terminos. Patet, quia quantum est ex ratione terminorum, possunt esse mutationes, & per consequens non motus contrarij.

16. *Quoniam 4 autem differt.* Quinta conclusio est,
Text. 49. quòd illi motus sunt contrarii, qui [d] sunt à contrariis terminis ad contrarios terminos. Probatur dupliciter; primò, quia motus determinat sibi, quòd sit de subiecto in subiectum, vt patuit priùs: igitur illi motus sunt contrarij, qui sunt à subiectis contrariis ad subiecta contraria. Secun-
Text. 50. dò, patet 5 inductiue; & inducendo dicit quòd addiscere, [e] & decipi sunt contraria, & hoc est verum: quia per se ipsum est contrarium ei, quod est decipi per se ipsum: & eodem modo addiscere per alium est contrarium ei, quod est decipi per alium.

Text. 51. *Quibus 6 autem.* Hic determinat de contrarietate mutationum; & ponitur ista conclusio, quòd mutatio, quæ est ab aliquo termino, est contraria mutationi, quæ est ad eundem terminum. Et probat exemplariter de generatione, & corruptione, quarum vna est ab aliquo termino, & alia est ad eundem terminum.

Text. 52. *Qui autem 7 ad medium.* Determinat de contrarietate [f] motuum, qui sunt ab extremis ad medium, aut de aliquo mediorum ad extremum, dicens, quòd eodem modo illi motus sunt contrarij, quemadmodum illi qui sunt ab extremo ad extremum: nam medium comparatum ad extremum, habet vicem alterius extremi, vt dictum fuit priùs: verbi gratiâ, fuscum comparatum albo habet vicem nigri, & comparatum nigro habet vicem albi.

ANNOTATIONES.

17. *Motus in quo terminus à quo est contrarius termino ad quẽ alterius motus non est illi contrarius.*

[a] M*Otus qui est ab vno contrario, &c.* Nota, quòd sensus huius conclusionis est, quòd motus in quo terminus *à quo* est contrarius termino *ad quem*, non potest dici contrarius ei, qui est in suum contrarium, id est, motus quorum terminus *à quo* vnius est terminus *ad quem* alterius, tantum abest vt sint contrarij, quòd sunt vnus, idémque motus realiter; nam idem motus est de termino *à quo* ad terminum *ad quem*, qui sunt termini contrarij; idem enim est motus secundùm rem, qui est à sanitate, & qui est in ægritudinem, differens solùm ratione: quia est generatio vnius, scilicet ægritudinis, & corruptio alterius, scilicet sanitatis. Et ex hoc sequitur, quòd motus, in quo terminus *à quo*, est contrarius termino *ad quem* alterius motus, non est illi contrarius: verbi gratiâ, si motus aliquis sit ab albedine, & alius ad nigredinem, non sunt contrarij eâ ratione, quâ terminus *à quo* vnius opponitur termino *ad quem* alterius; & ratio est, quia in eodem motu inuenitur huiusmodi contrarietas terminorum.

Motus qui habent terminos à quibus contrarios non sunt contrarij.

[b] *Motus ab vno contrario non est contrarius motui, &c.* Sensus huius conclusionis est, quòd motus quatenus habent terminos *à quibus* contrarios non sunt contrarij: verbi gratiâ, motus ab albo, & motus à nigro non sunt contrarij. Ratio est, quia ambo possunt tendere ad eundem terminum vltimatum; & sic motus aëris à concauo Lunæ ad concauum ignis, & motus eiusdem aëris à centro terræ ad idem concauum ignis, non sunt contrarij; quia contrarietas non sumitur à terminis *à quibus*. Patet etiam, quia duo motus in idem tendentes non sunt contrarij; duo autem motus, qui sunt à terminis contrariis, possunt in idem tendere: nam motus ex albo non semper terminatur in nigrum, sed in medio colore coloratum, puta in rubeum: & pariter motus qui est ex nigro potest terminari in rubeum, motus autem, qui sunt ad eandem formam, non videntur esse contrarij. Adde quòd, vt hîc dicit Scotus, motus non differunt à mutationibus: nam & duæ mutationes sunt à terminis contrariis, vt generatio à *non esse*, & corruptio ab *esse*.

18. *Motus illi sunt contrarij quorum termini ad quos sunt contrarij.*

[c] *Magis est attendenda contrarietas motuum, &c.* Nota, quòd illi motus sunt contrarij, quorum termini *ad quos* sunt contrarij, vt motus ad sanitatem, & ad ægritudinem; & illi motus sunt contrarij, quorum termini *à quibus*, & termini *ad quos* sunt contrarij, vt motus à sanitate ad ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem. Illi etiam motus sunt contrarij, quorum terminus *à quo* vnius est terminus *ad quem* alterius, vt si moueatur aliquod mobile à calore, & aliud ad calorem, sunt motus contrarij. Et ex hoc sequitur, quòd generatio opponitur corruptioni, hoc vltimo modo, quia terminus *à quo* generationis hominis, verbi gratia, est terminus *ad quem* corruptionis ipsius, cæteri autem duo modi conueniunt motibus contrariis; Scotus tamen notat vnum in quarta conclusione: quòd non dicuntur præcisè motus contrarij, quia sunt ad terminos contrarios, quia etiam mutationes sunt ad terminos contrarios, & tamen non sunt motus.

Contrarietas motus sumitur à contrarietate vtriusque terminorum.

[d] *Illi motus sunt contrarij, qui sunt à contrariis, &c.* Nota, quòd sensus huius conclusionis est, quòd contrarietas motus sumitur à contrarietate vtriusque terminorum: quia contrarietas aliquorum sumitur secundùm speciem, & rationem ipsorum; sed propria ratio motus est, quòd sit inter duos terminos positiuos. Aliter enim censenda est contrarietas motuum, & aliter mutationum: cùm enim inter mutationem, & motum hæc sit differentia, quòd illa sit inter terminum affirmatum, & negatum contradictorios, hic verò inter duos positiuos contrarios, vt dictum est suprà *text.* 7. sequitur conuersum, quòd contrarius sit ei, qui è conuerso habet terminos contrarios, vt motus ex sanitate in ægritudinem contrarius est ei, qui est ex ægritudine in sanitatem.

19. *Scientia quomodo fiat.*

[e] *Addiscere, & decipi sunt contraria.* Nota, quòd scientia fit aut per studium sine doctore, & hæc dicitur inuentio: aut accipitur à doctore, & hæc dicitur disciplina, quatenus recipitur in discipulo: doctrina verò prout procedit à magistro, vel à doctore. Et pariter error, siue ignorantia, aut fit ab intrinseco per amissionem scientiæ; & hæc

Error quomodo causetur.

dicitur

dicitur obliuio; quæ contrariatur inuentioni: aut fit ab alio: & hæc dicitur deceptio, quæ contraria est disciplinæ, & hoc est quod ait, *discere* contrarium esse ipsi *decipi*; non per se ipsum, sed per alium.

Generatio duplex.

Generationes quomodo sint contrariæ.

f *Mutatio quæ est ab aliquo terminato, &c.* Nota, quòd duplex est generatio, scilicet, generatio simpliciter, quæ est ad *esse* simpliciter, quod est *esse* substantiæ; & generatio secundùm *quid*, quæ est ad *esse* secundùm *quid*, scilicet ad *esse* accidentale. Vnde generationes secundùm *quid*, in quibus simpliciter sunt contraria, contrariantur solùm ratione terminorum *ad quos*: quia termini *à quibus* non sunt positiui, sed negatiui, vt generatio albi ex non albo; contrariatur generationi nigri, ex non nigro, ratione albedinis, & nigredinis: quia non album, & non nigrum nihil dicunt positiuum. Mutationum autem simpliciter, quæ propriè non habent contrarium, quales sunt generationes substantiarum, contrarietas sumitur respectu eiusdem termini, qui est terminus *à quo* vnius mutationis, & terminus *ad quem* alterius; vt corruptio aëris contrariatur generationi eiusdem, quia corruptio est perditio ipsius *esse*, generatio verò eiusdem acquisitio; terminus enim *ad quem* corruptionis non exprimitur positiuè, sicut nec terminus *à quo* generationis.

20. g *Determinat de contrarietate motuum, &c.* Nota, quòd motus procedentes à terminis contrariis ad medium, & à medio ad terminos contrarios, sunt oppositi; verbi gratiâ, motus ab albo in fuscum, & motus à nigro in fuscum: & similiter motus à fusco ad album, & à fusco ad nigrum. Probatur, quia medium habet rationem vtriusque extremi. Ex his sequitur contrarietas, motuum primò, & per se sumi à terminis *ad quos*, quamuis consecutiuè sumatur à terminis *à quibus*. Sed videtur Aristoteles esse sibi contrarius hic, & in *text.* 48. vbi arguebat contrarietatem motuum non attendi penes terminos *à quibus*, eo quòd nonnunquam tendunt in eundem terminum, scilicet in medium: hanc contradictionem tollit Scotus illis verbis: *fuscum comparatum albo habet vicem nigri, & comparatum nigro habet vicem albi*: quibus verbis vult dicere, quòd licèt motus ab albo in rubeum, & à nigro in rubeum sint contrarij: non tamen propter contrarietatem illorum terminorum *à quibus*, sed propter contrarietatem terminorum *ad quos*: nam rubeum est quodammodò nigrum contrarium albo, & quodammodò album contrarium nigro; & ideò vtimur eo, vt duobus contrariis: atque adeò motus ab albo in rubrum est ab albo quodammodò in nigrum; & motus à nigro in rubeum est à nigro quodammodò in album; & propterea sunt contrarij, & eâdem ratione motus ex rubeo in album est quodammodò ex nigro, & motus ex rubeo in nigrum, est quodammodò ex albo.

EXPOSITIO TEXTVS.

21. Text. 53. QVoniam autem 1 *motui non solùm motus, &c.* Hoc est secundum capitulum, in quo Aristoteles determinat de contrarietate motuum, & quietum inter se: & diuiditur, quia primò, determinat de contrarietate motus ad quietem. Secundò, de contrarietate quietum inter se. Et tertiò, de contrarietate mutationis, & immutationis. Secundum ibi: *Simul autem, & inuicem.* Tertium ibi: *Quibus autem non sunt contraria.* In primo ostendit, quòd motus, & quies contrariantur. Secundo, ostendit qualis motus quali quieti sit contrarius, ibi: *Qualis autem quali.* Prima conclusio est, quòd motus, & quies contrariantur. Probatur, quia non solus habitus contrariatur habitui, sed habitus etiam contrariatur priuationi, accipiendo scilicet contrarietatem largè, prout se extendit ad oppositionem inter priuationem, & habitum; sed quies priuatiuè opponitur motui: igitur motus, & quies contrariantur.

Motus contrariatur quieti.

Qualis autem quali. Hîc ostendit qualis motus quali quieti sit contrarius. Vbi sciendum, quòd respectu eiusdem motus sunt duæ quietes; vna scilicet in termino, *à quo*, & alia in termino *ad quem*. Tunc ponitur ista conclusio, quòd motus non contrariatur quieti in termino *ad quem*. Probatur, quia motus ad aliquem terminum, & ille terminus sic se habent, sicut finis, & ordinatum ad finem, quæ non contrariantur ad inuicem. Secunda conclusio, motus a contrariatur quieti in termino *à quo*. Probatur, quia motus, & quies contrariantur, per primam conclusionem; sed motus non contrariatur quieti in termino *ad quem*, per secundam conclusionem: Igitur contrariatur quieti in termino *à quo*.

Motus non contrariatur quieti in termino ad quē, sed in termino à quo.

Simul 2 autem. Hîc ostendit quietes esse ad inuicem contrarias: & ponitur ista conclusio, quies contrariatur quieti. Et capit hîc quietem pro dispositione, secundùm quam mobile quiescit in altero terminorum motus. Probatur conclusio, quia motus sunt ad inuicem contrarij: igitur & quietes sunt ad inuicem contrariæ. Tenet consequentia, quia non apparet possibile, quòd motus contrarientur, sine hoc quòd contrarientur quietes; & tunc exemplificat Aristoteles, quòd in motibus contrariis quies in termino *à quo* vnius non contrariatur quieti in termino *ad quem* alterius; sicut sanatio, & ægrotatio sunt motus contrarij, & tamen terminus *à quo* vnius est idem cum termino *ad quem* alterius, scilicet sanitas: sed quies in termino *ad quem* vnius contrariatur quieti in termino *ad quem* alterius, & eodem modo de termino *à quo*, & vniuersaliter respectu eiusdem motus quies à qua incipit ille motus, contrariatur quieti, ad quem terminatur ille motus. 22. Text. 54.

Quies contrariatur quieti.

Quibus 3 autem non sunt contraria. Hîc determinat de contrarietate mutationis, & immutationis. Et primò, præmittit vnam suppositionem, dicens, quòd terminus priuatiuus mutationis, vt terminus *à quo* generationis, non debet dici quies, sed immutatio. Tunc mouet dubium, quia si generatio esset ex subiecto in subiectum, tunc non esset dubium, quin quies in termino *à quo* contrariaretur generationi, sed quia non est de dispositione affirmatiua, ideò dubium est, an quies sibi contrarietur. Respondetur, ponendo istam conclusionem, quòd immutatio in termino *à quo* generationis est contraria generationi. Probatur, quia sicut se habet quies ad motum, ita immutatio ad mutationem; sed quies contrariatur motui: igitur immutatio contrariatur mutationi. Secundò arguitur, quòd quies non contrarietur mutationi: quia omne illud, cui contrariatur quies, est motus, vel quies, vt patet ex præcedentibus; sed mutatio nec est motus, nec quies; ergo, &c. 23. Text. 55.

Immutatio in termino à quo generationis est contraria generationi.

ANNOTATIO.

Omnis motus est contrarius quieti quæ est sub termino à quo.

2 MOtus contrariantur quieti in termino à quo. Nota, quòd omnis motus est coottarius quieti, quæ est sub termioo *à quo*: verbi gratia, motus sursom est contrarios quieti, quæ est deorsom, & motus calefactionis coottariatot quieti, quæ est sub frigiditate. Nam motus coottariatur quieti eiusdem generis motus; vel ergo quieti, quæ sub termino *ad quem*, vel quieti, quæ est sob termino *à quo*: non quieti sub termino *ad quem*, qoia contraria non simul acqoituntur; motus autem, & terminus *ad quem*, & quies sub termioo *ad quem*, simul acquirontur: ergo motus contrariatur quieti, quæ est sub termino *à quo*. Dixi notanter, *motus contrariatur quieti eiusdem generis*. quia contraria debent esse eiusdem generis; modò quies & motus opponontur in radice contrarietatis, scilicet prioatiuè. Vnde motus dealbationis non opponitur quieti in sanitate, sed quieti in nigredine.

EXPOSITIO TEXTVS.

24. Text. 56. DVbitabit 1 *autem aliquis*. Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in qoo Philosophus soluit quædam dubia circa contrarietatem motus & quietis: & primò mooet tres dubitationes. Secundò, mouet alias, ibi: *Dubitauerit autem fortasse*. Prima in tres, secundùm tres dubitationes. Secunda ibi: *Habet autem dubitationem*. Tertia ibi: *Habet autem*. Primò, mouet dubitationes. Secundò, soluit, ibi: *Aut si est*. Dobitatio est ista, quare in moto locali inuenitur contrarietas, *secundùm naturam, præter naturam*; & tamen non in aliis motibus, vel mutationibus: verbi gratiâ, graue naturaliter descendit, & violenter ascendit, ita vt eius ascensus, & descensus sint contrarij, non simpliciter, sed quantum ad hoc, quod est esse secundùm naturam, vel præter naturam, & tamen in aliis motibus, vel mutationibus non est ita, quia sicut dicimus aliquid generari naturaliter, ita dicimus aliquid corrumpi naturaliter; & ita de aliis mutationibus.

Text. 57. *In omni genere motus inuenitur contrarietas secundùm naturam, & præter naturam.*

Aut si 2 est. Hic soluit dubitationem, ponendo istam conclusionem, quòd in omni genere motuum inuenitur contrarietas *secundùm naturam, & præter naturam*. Et primò, probat eam. Secundò, ostendit in speciali de quibusdam qualiter contrariantur secundùm prædictum modum, ibi: *Erunt ergo*. Prima cooclosio probatur primò, de corruptione: nam quædam est corruptio * naturalis, quæ fit ex senio, & alia violenta, vt interfectio, vel combustio, & huiusmodi: modò respectu eiusdem rei istæ corruptiooes contrariantur non simpliciter: quia sunt eadem, sed quantum ad hoc, quod est esse secundùm naturam, & præter naturam. Secundò, patet de generatione; nam quædam est naturalis, vt notum est, & quædam violenta, & præter naturam; vt si propter inordinationem temporis in hyeme generentur flores, ista generatio dicitur præter naturam, eo quòd fiat præter consuetum cursum naturæ, & non potest expectare debitum finem, scilicet fructuum. Similiter potest dici, quòd generatio sequens corruptionem violentam est etiam præter naturam.

25. Tertiò, patet de augmentatione, & diminutione, vt si aliquid augmentetur, vel diminuatur propter infirmitatem, vt accidit iuuenes augmentari multum post febrem acutam, propter excessum caloris. Quartò, patet 3 in alteratione: quia sanatio dicitur naturalis, si fiat in diebus criticis, & dicitur præter naturam, si non fiat in diebus criticis.

Erunt ergo corruptiones contrariæ. Hic declarat in speciali, quæ contrariantur ad inuicem prædicto modo, scilicet, secundùm naturam, & præter naturam. Et primò, ostendit, quæ mutationes sunt prædicto modo contrariæ. Secundò, qui motus. Tertiò quæ quietes. Secunda ibi: *Omnino igitur*. Tertia ibi: *Et quietes etiam similiter*. Primò dicit, quòd non solùm corruptio est contraria generationi; sed etiam corruptiones sunt ad inuicem contrariæ, non simpliciter, sed secundùm prædictas conditiones, quia quædam est secundùm naturam, & quædam præter; & vocat Aristoteles corruptionem secundùm * naturam, dulcem, & violentam, tristem. Vnde corruptio naturalis dicitur dulcis, scilicet minùs tristis, quàm violenta; tamen secundùm antiquos in corruptione naturali non est tristitia. Text. 58.

Omnino 4 igitur. Hic ostendit, quòd motus sunt ad inuicem contrarij, dicto modo, dicens, quòd respectu eiusdem mobilis, vt grauis, motus contrarij, vt motus sursum, & motus deorsum, non solùm sunt contrarij simpliciter, immò etiam secundùm prædictas conditiones, quia terra naturaliter descendit, & violenter ascendit. Text. 59.

Et quietes 5 etiam similiter. Hic ostendit, quæ quietes sunt ad inuicem contrariæ secundùm prædictas conditiones, dicens, quòd vniuersaliter quies in termino *ad quem* motus naturalis, est contraria quieti in termino *ad quem* motus violenti: & causa est, quia motus qui sunt ad illas quietes sunt ad inuicem contrarij, & contrarietas motuum prouenit ex contrarietate terminorum, vt patuit priùs. 26. Text. 60.

Habet 6 autem dubitationem. Hic mouet secundam dubitationem, & est ista, vtrùm omnis quietis, quæ non semper est, sit generatio? Arguitur quòd sic: quia omnis illius, quod aliquando est, & aliquando non est, est generatio: ergo, &c. Respondet Philosophus, ponendo istam conclusionem, quòd non omnis quietis, quæ non semper est, est generatio naturalis. Vbi sciendum, quòd per *stare* intendit inclinari ad quietem. Hoc supposito, probatur conclusio: quia quietem generari non est aliud, quàm mobile motum inclinari ad quietem; sed non omne mobile motum inclinatur naturaliter ad quietem, scilicet ad quam tendit ille motus; igitur non omnis quietis est generatio naturalis. Maior patet ex suppositio; & minor probatur dupliciter. Primò, quia mobile, quod inclinatur naturaliter ad quietem, velociùs mouetur in fine motus, quàm in principio. Secundò, quia mobile motum nunquam tradit naturaliter ad quietem, nisi moueatur ad suum locum naturalem, sed non omnis quies alicuius mobilis est in suo loco naturali: igitur non omnis quietis est generatio naturalis. Text. 61.

Habet 7 autem dubitationem. Hic mouet tertiam dubitationem; & est ista, vtrùm quies in termino *à quo* sit contraria motui? Arguitur quòd non: quia quies in termino *à quo*, & motus sunt simul; igitur non contrariantur. Tenet consequentia: quia nunquam contraria sunt simul. Respondet Aristoteles quòd motus magis contrariatur motui, quàm quies quieti: quia illa magis contrariantur, quæ non possunt esse simul secundùm 27. Text. 62.

Motus magis contrariatur motui, quàm quies quieti.

cundùm se totum, nec secundùm partem, quàm illa quæ possunt esse simol secundùm partem; modò contrarij motus non possnot esse simul, necaliquæ partes eorum; & tamen motus, & qnies stant simul, saltem secondùm partem: qnia mobile, quamdiu monetur, haber aliqnid do quicte in termino *à quo*: quia habet aliquid de dispositione, sub qua quiescebar ante motum.

Text.63. *Dubitauerit* 8 *autem fortasse quis*. Hîc Aristoteles mouet [d] alias tres dubitationes. Secondam ibi: *Quoniam autem*. Tertiam ibi: *Fortè autem*. Et istæ dubitationes sunt valde propinquæ duabus priùs motis. Prima dubitatio est. Cùm quiés præter naturam, vt quies grauis sursum contrarietur motui; vtrùm fiar illa quias, viderur quòd sic: qnia illa qoies est, cùm antè non foerit; igitur fit. Sed contrarium arguitur: quia qnierem fieri non est aliud quàm state, id est, inclinari ad talem quietem; sed mobile non inclioatur ad talem quietem, vt dictum fuit priùs: ergo. Respondet sient soluebatur antè, quòd illa quies non fit naturaliter, id est, secuodùm naturalem inclinationem mobilis, sed fit violeoter, scilicet cootra eius naturalem inclinationem.

28. Text.64. *Quoniam* 9 *autem*. Secuuda dubiratio est, quia ex quo motus sursum contrariatnr motoi deorsum, & duplex inueniatnr motus sursum; vnus scilicet ignis, qui ascendit naturaliter; & alter terræ, quæ ascendit violenter: duhiom est, qois istorum motuum sursum contrarietur motui deorsum ipsius. Respondet Philosophus qoòd vterque sibi contrariatot, sed dioersimodè: quia motus sursum ipsius ignis contrariatur sibi secundùm terminos, & secundùm distantiam; sed motus sorsum terræ contrariatur sibi duplicitet, scilicet secundùm terminos, & etiam secundùm naturam, & præter naturam.

Text.65. *Fortè* 10 *autem*. Hic mouet tertiam dubitationem, quæ est omnino eadem enm tertia dubitatione priùs mota in prima parte. Habet autem dubitatiooem si contraria, &c.

Explicit expositio 5. libri Physicorum.

ANNOTATIONES.

Senescere est contra naturam. [a] QVadam est corruptio naturalis, quæ fit ex senio. Nota quòd Aristoteles 2. *de Cælo* text. 37. ait, quòd senescere est cootra naturam. Dicas quòd illic loquebatur Philosophus de natura particulari, quâ vnaqoæque res appetit se conseruase in *esse*, nihilominus senectus est ab intriaseco ex actione, & repassione calidi, & humidi.

[b] *Si fiat in diebus criticis*. Nota quòd critici dies idem sunt, qui iodiciales, puta, quibus sumitur iudicium infirmitatis; & in illis solent morbi naturaliter terminari: qnoniam ergo in aliis diebus insperatò infirmi liberantur, dicuntur sanationes qoodammodò violentæ.

Corruptio dulcis quænam sit, atque aliam tristis [c] *Corruptionem secundùm naturam dulcem*, &c. Nota quòd per corruptiooem dulcem D. Thomas ioteliigit eam corruptionem, qua imperfectum corrumpitor, perfectúmque generatnr; vt cùm aër corrumpitur in ignem: sed tristis, inquit, est illa, quâ è conuersio ignis conuertitur in aërem. Quidam verò dicunt quòd Aristoteles loquitur de corruptionibus accidentalibus, vt corruptio ægritudinis dicatur dulcis, corruptio verò sanationis tristis. Scotus verò vniuersaliter dicit corruptionem naturalem esse dulcem, id est, minùs tristem, quàm sit ea qoæ est cootra naturam. Vode colligit Aristoteles quòd corruptio simpliciter, id est, ea ratione, qua corruptio uon oppooitur alteri corruptioni, sed geoerationi; corruptio autem talis, id est, quatenus haber talem qualitatem, puta quòd est naturalis, aut suauis, opponitur corruptioni habenti contrariam qualitatem, vt pote violentæ tristi.

[d] *Dubitauerit autem fortasse quis*, &c. Nota quòd, vt dicit S. Thomas, in exemplaribus Græcis sequentes textus non habentur, nec etiam (vt dicit Commētator) habentur in omnibus Arabicis; videntur aotem hîc assumpti, vel ex Eudemio, vel ex Theophrasto. Et certè nec materia, nec dictio grauitatem refert Aristotelis, neque Argytop. neqoe Vatab. nec boni traductores transferunt. 29.

Littera recta & curua quomodo differant specie. Nota secundò, quòd cùm Philosophus dicit *in text.* 33. lineam rectam, & lineam circularem oon esse eiusdem speciei, hoc debet intelligi ex parte rectitudinis, & curuitatis. Vnde esto quòd eadem linea aliquando sit recta, & interdum circularis, vt puta, si incuruetur, vel in rectum extendatur, rectitudo tamen & curuitas alia, & alia specie est.

Motus omnis an sit regularis. Nota tertiò, quòd, cùm Philosophus dicit, *text.* 41. quòd oportet omoem motum esse regularem, & irregularem; quòd secundùm Commentatorē est proprium corporis cœlestis, secundùm quòd est cœleste: quia motus eius semper est æqualis, sed non est proprium corporis, secundùm quòd est motum, nulli enim corpori secundùm qoòd est motum repugnat quòd motus eius sit æqualis, & inæqualis, regularis, & irregularis: nunc autem est sermo in hoc libro de motu non secundùm quòd est motus alicuius corporis, sed secondùm quòd est motus tantùm. Et si arguatur, qnòd motus est irregularis, qui non est vniformis, secundùm omnes suas partas in velocitate, & tarditate; sed omnis motus est huiusmodi: ergo quilibet motus est irregularis, & nullus regularis. Minor patet de motu sphæræ, qui dicitur esse regolarissimus; quia partes eius circumferentiales velociùs mouentur, quàm partes centrales: quanto enim aliqua pars eius est propinquior circumferentiæ, tanto citiùs mouetur; cùm maiorem circulum describat in æquali tempore, quàm pars centralis in eodem tempore. Similiter, probaretur de qualibet sphæra cuiuslibet corporis cœlestis. De aliis motibus patet, quia omnis motus naturalis velocior est io fine, quàm in principio, & omnis motus violentus è contra. Cùm ergo omnis motus sit naturalis, vel violentus, sequitur quòd nec motus cœli, nec aliquis alius motus est regularis.

Dicendum, quòd duplices sunt partes motus. 30.
Motus partes sunt duplices. Quædam accipiuntur secundùm diuisionem mobilis, qnia alia, & alia pars motus est in alia & alia parte mobilis: & quædam accipiuntur secundùm diuisionem temporis, secuodùm quod dicimus vnam partem motus esse præteritam, & aliam futuram: ille ergo motus dicitur vniformis, & regularis, qui est vniformis in omnibus suis partibus acceptis secundùm diuisionem temporis, cuius scilicet, nulla pars est velocior in vno tempore, quàm in alio: vel quia nulla pars mobilis velociùs mouetur in vno tempore quàm in alio. Ex quo patet, quòd motus cœli siue primi orbis, est regularis, quamuis vna pars eius velocius moueatur, quàm alia, tamen nulla pars eius velociùs mouetur in vno tempore, quàm in alio. Et cum dicitur, omnem motum naturalem

esse velociorem in fine, quàm in principio, hoc debet intelligi de motu naturali recto; & hoc supposito, quòd non sit aliquod violentum impediens intentionem eius. Similiter, cùm dicitur, quòd motus violentus est tardior in fine quàm in principio, debet intelligi, nisi sit aliquid impediens remissionem eius: potest tamen talis motus fieri regularis per impedimentum remissionis eius in fine.

Nota quartò, quòd, cùm dicit Philosophus motus secundùm speciem, vel genus distinctos non posse ad inuicem continuari, hoc debet intelligi, quòd per se, & intrinsecè, & secundùm suas formas non possunt ad inuicem continuari; extrinsecè tamen possunt. Vnde calefactio, & frigefactio benè continuantur gratiâ temporis, sed hoc est extrinsecè. Similiter, quòd duæ virgæ, quarum vna est arida, & alia viridis, possint continuari gratiâ quantitatis, non tamen gratiâ suarum formarum.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm quies contrarietur motui.

Aristot. 5. *Physic. text.* 53. *& sequent.* Auerroës *in comment. eiusdem text* & cæteri interpretes *ibid.* D. Thomas 5. *Physic. lect.* 9 Doctor *suprà in exposit. text.* 53. Alber. Mag. *ibid. tract* 3. *cap* 6 Ægidius Romanus *ibid. text. comm.* 54. *&* 59 Maior. *expos lib.* 5 *Physic fine.* Conimbr. & Rouius *in exposit. cap.* 6. Anton. Roccus *in text. citato huius* 5. *libri.*

1. ARGVITVR quòd non: quia quies & motus non sunt eiusdem generis: igitur non contrariantur. Tenet consequentia, quia contraria debent esse eiusdem generis; vt patet 10. *Metaph. text.* 14. & antecedens patet, quia motus est de genere Passionis, & quies non.

Secundò, nulla perfectio contrariatur suo perfectibili; sed quies est perfectio motus: igitur quies non contrariatur motui. Maior patet, quia vnum contrariorum non potest esse perfectio alterius: & minor probatur per Commentatorem 5. *huius, comm.* 54. vbi dicit, quòd motus non differt à termino *ad quem*, nisi sicut minùs perfectum à magis perfecto, modò terminus *ad quem* motus est quies.

Tertiò, quies vel contrariatur motui, quando motus est, & hoc non; quia tunc non est quies. Vel quando non est, & tunc non: quia illi quod nihil est, nihil est contrarium.

Quartò, sequeretur quòd vnum contrariaretur multis; consequens est falsum, vt patet 10. *Metaph. text.* 14. *&* 17. & *primo Cœli text.* 10. vbi dicitur, quòd tantùm vni vnum est contrarium. Consequentia probatur: quia quies sicut contrariatur motui sursum, ita debet etiam contrariari motui deorsum.

Quintò, illud quod acquiritur per motum, non contrariatur motui; sed quies est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia vnum contrarium non est via in reliquum; & minor probatur: quia per motum deorsum acquiritur quies 2. deorsum.

Sextò, illa non contrariantur, quæ se compatiuntur; sed motus & quies sunt huiusmodi: nam aliquid quiescit à motu *locali*, & mouetur motu *alterationis*.

Septimò, quia motus & quies sunt priuatiuè opposita: igitur non contraria. Tenet consequentia: quia sunt distinctæ species oppositionis.

Octauò, nam quies contrariatur primo motui: igitur non alicui alteri. Tenet consequentia: quia primus motus est causa respectu aliorum motuum: & antecedens notum est, quia impossibile est esse quietem à primo motu. Oppositum arguitur per Aristotelem, *in isto quinto, tractatu vltimo, text.* 53.

In quæstione ista supponendum est, ex tertio libro, quòd motus est idem, quod mobile continuè aliter, & aliter se habens respectu alicuius quiescentis; vel saltem est mobile, quod aliter se habet, vel aliter se haberet ad aliquod quiescens, si aliquod quiescens esset. *Diuisio quæstionis.*

Secundò, supponitur ex eodem, quòd motus alterationis non est aliud, quàm qualitas, secundùm quam est alteratio, vt calefactio non est aliud quàm caliditas, secundùm quam mobile continuè alteratur.

Tertiò, supponitur quòd quies à motu locali non est aliud quàm mobile localiter eodem modo se habens priùs, & posteriùs, respectu alicuius quiescentis, si aliquod quiescens esset. *Quies quid in quolibet motu.*

Quartò, supponitur quòd quies in motu alterationis, non esset aliud quàm dispositio, seu qualitas, secundùm quam mobile quiescit in termino motus; vt quies in calefactione est frigiditas in termino *à quo*, & caliditas in termino *ad quem*. 3.

Ex quibus sequitur, quòd ista consequentia non valet: *hoc mobile quiescit à motu locali: igitur quiescit*, quia hoc verbum *quiescere*, includit negationem; modò ab inferiori ad superius negatiuè non valet consequentia.

Notandum, quòd contrarietas est duplex: quædam inter terminos, & alia inter res extra animam existentes; quia de illa, quæ est inter propositiones, non est ad propositum. Contrarietas quæ est inter res extra animam, accipitur dupliciter: vno modo pro repugnantia duarum formarum intensibilium & remissibilium, quæ non possunt esse simul in eodem subiecto, attamen natæ sunt sibi inuicem succedere per actiones suas proprias, & non consecutiuè ad actiones aliarum qualitatum; & sic dicimus, quòd caliditas, & frigiditas sunt formæ contrariæ. *Contrarietas est duplex.*

Alio modo accipitur contrarietas pro huiusmodi repugnantia duarum formarum intensibilium, &c. siue sint natæ succedere sibi inuicem per actiones proprias, siue per actiones aliarum qualitatum; & sic dico, quòd albedo, & nigredo contrariantur ad inuicem.

Tunc de ista contrarietate, sit prima conclusio. Aliqua quies contrariatur motui. Probatur, posito quòd albedo, vel caliditas quiescat, & frigiditas moueatur, siue motu alterationis, siue motu locali, ad motum subiecti: tunc istæ qualitates sunt ad inuicem contrariæ, prædicto modo; istæ qualitates sunt motus, & quies: igitur quies & motus sunt ad inuicem contrariæ. *Aliqua quies contrariatur motui.*

Tertiò notandum, quòd contrarietas terminorum accipitur dupliciter: vno modo, pro repugnantia duorum terminorum, qui non possunt dici simul, & semel de eodem subiecto manente in actu; & vterque terminus significat affirmatiuè; & illi duo termini significant, vel connotant res contrarias altero prædictorum modorum; & sic isti termini, *album, nigrum*, sunt termini contrarij. Alio modo, sumitur contrarietas, pro repugnantia duorum terminorum, qui non possunt 4. *Contrarietas terminorum bifariam sumitur.*

dici

dici ſimul de eodem ſubiecto; & vnus illorum ſignificat affirmatiuè illud idem, quod alter ſignificat negatiuè: & iſto modo contrarietas ſe extendit ad oppoſitionem, quæ eſt inter priuationem, & habitum: & iſto modo iſti termini *cæcum*, & *videns* contrariantur.

Iſti termini motus, & quies ſunt contrary.

Tunc ſit ſecunda concluſio. Iſti termini *motus*, & *quies* ſunt contrarij prædicto modo. Probatur ſic: quia illi termini ſunt contrarij, quorum vnus ſignificat aliquam rem affirmatiuè, & alter ſignificat eandem rem negatiuè: & ſic eſt de iſtis terminis *motus*, & *quies*: quia iſte terminus *motus* ſupponit pro mobili, connotando affirmatiuè motum ipſum; ſed iſte terminus *quies* ſupponit pro mobili, non connotando motum: & iſtam concluſionem intendit Ariſtoteles *in iſto quinto*, cùm dicit, quòd motus, & quies contrariantur.

Dubitatur primò: quia Ariſtoteles dicit *in iſto quinto*, quòd quies contrariatur quieti: modò hoc non poteſt exponi de terminis, quia iſti termini, *quies* & *quies* non contrariantur.

Secundò, dubitatur de illa contrarietate motuum, quam tangit Ariſtoteles in littera, quæ eſt ſecundùm naturale, & violentum, & vnde motus dicatur naturalis, & vnde violentus, & qualiter contrarientur.

5. Tertiò, dubitatur de aliis contrarietatibus, quæ ſunt ſecundùm velox, & tardum, regulare & irregulare; vniforme, & difforme.

Quies quomodo eſt contraria quieti.

Ad iſta reſpondetur: ad primum, quies contrariatur quieti. Reſpondetur, quòd hoc poteſt exponi altero trium modorum: vno modo de rebus, quòd eiuſdem motus quies in termino *ad quem* contrarietur quieti in termino *à quo*, vt in motu de ſumma caliditate ad ſummam frigiditatem, ſumma caliditas contrariatur ſummæ frigiditati. Secundo modo exponitur de terminis; quia iſti termini quies in termino *à quo*, & quies in termino *ad quem* contrariantur; quia impoſſibile eſt illos terminos verificari de eodem mobili, & reſpectu eiuſdem motus. Tertio modo ſupponitur, quòd quies contrariatur motui, non ſimpliciter loquendo, ſed ſecundùm iſtas conditiones *naturale* & *violentum*: quia quandoque mobile quieſcit naturaliter, & quandoque violenter.

Violentum, & naturale æquiuocè dicuntur de motu.

Ad ſecundum dubium reſpondetur, quòd violentum, & naturale dicuntur æquiuocè de motu; nam quandoque ex eo motus dicitur naturalis, quia fit ſecundùm conſuetum decurſum naturæ: & violentus, cùm fit præter communem curſum naturæ; & iſto modo ſumendo naturale, & violentum, eſt minùs propriè loqui. Alio modo ſumitur naturale, quod fit ſecundùm inclinationem paſſi; & violentum, quod fit contra inclinationem; & talis motus violentus, qui fit contra inclinationem paſſi, quandoque eſt à principio extrinſeco, vt patet in proiectis; & quandoque à principio intrinſeco, facto tamen ab extrinſeco, vt quando ferrum mouetur ad magnetem, hoc eſt per inclinationem receptam ab extrinſeco à magnete.

6. Ex quibus infero primò, quòd violentia, & naturalitas motus nullo modo attenditur ex parte motoris, ſed ex parte paſſi; & ideò dicitur, 3. *Ethic.* quòd naturale eſt, quod fit à principio intrinſeco, paſſo conferente vim agenti, ita vt ex hoc dicatur motus naturalis, quia fit ſecundùm inclinationem paſſi; & ex hoc violentus, quia fit contra eius inclinationem, & iſtæ differentiæ, ſcilicet *naturale*, & *violentum* poſſunt inueniri in quolibet genere motuum: nam quidam eſt motus naturalis, quidam violentus. Item quædam alteratio naturalis, quædam violenta.

Velox & tardum ſunt differentiæ relatiuæ.

Ad tertium dubium reſpondetur, quòd iſtæ differentiæ *velox*, & *tardum*, ſunt differentiæ relatiuæ; & faciunt contrarietatem relatiuorum, & iſtas differentias conſequuntur aliæ, *regulare*, & *irregulare*, *vniforme*, & *difforme*; & iſtæ contrarietates differunt, quia dicitur regulare, & irregulare, ſecundùm partes temporis: ſed dicitur vniforme, & difforme, ſecundùm partes ſubiecti.

7. *An idem poſſit ſimul moueri & quieſcere.*

Quartò dubitatur, ex quo quies contrariatur motui; vtrùm poſſibile ſit idem ſimul moueri, & quieſcere. Arguitur quòd ſic; poſito quòd Socrates moueatur per primam partem proportionalem horæ, & quieſcat modicum in fine partis. Item moueatur per ſecundam, & quieſcat in fine illius, & ſic in infinitum per omnes partes proportionales horæ; tunc in inſtanti terminante horam, verum eſt dicere, quòd immediatè ante hoc Socrates mouebatur, & immediatè ante hoc quieſcebat; igitur ſimul mouebatur, & quieſcebat. Antecedens probatur, quia niſi ante hoc Socrates mouebatur, & quieſcebat, fuiſſet dare vltimam partem proportionalem, quod eſt impoſſibile. Secundò, ſint duo lapides adamantini à duabus partibus vnius ferri æquè diſtantis; tunc iſtud ferrum non mouebitur ad aliquam partem, quia quantà virtute trahitur ad vnam partem, tantà trahitur ad reliquam: igitur ad nullam partem mouebitur, ſed quieſcit in medio. Deinde, ponantur alij duo lapides æqualis virtutis, vnus à parte ſuperiori, & alter à parte inferiori; probo tunc, quòd illud ferrum mouebitur & quieſcet. Primò, quòd quieſcet, quia priùs quieſcebat, & nunc ab vtraque parte addita ſunt æqualia: igitur non plus mouebitur ad vnam partem, quàm ad reliquam; ſed quòd mouebitur, quia à parte inferiori eſt æqualis tractus adamantis, ſicut à ſuperiori; & cum hoc eſt inclinatio naturalis ad deorſum: igitur illud mouebitur deorſum. Tertiò arguitur, poſito quòd in centro terræ eſſet vna ſphætula ignis, tum illa mouebitur, quia eſt extra ſuum locum naturalem non impedita, ſed quieſcet. Probatur, quia quà ratione moueretur ad vnam partem, eadem ratione ad alteram.

8. Ad iſta reſpondetur, quòd impoſſibile eſt aliquid ſimul moueri, & quieſcere; ſicut patet in expoſitione quæſtionis; quia motus, & quies contrariantur. Et ad argumenta. Ad primum caſum admitto, ad imaginationem, licèt non ſit poſſibilis naturaliter, & tunc quando probatur, quod in fine horæ verum eſt dicere, &c. Reſpondetur, quòd in fine horæ verum eſt dicere, quòd immediatè ante hoc Socrates mouebatur, & quieſcebat; & negatur conſequentia, quâ inferebatur, igitur ſimul mouebatur, & quieſcebat, immò ſtant ſimul, quòd immediatè antè hoc Socrates mouebatur, & quieſcebat, & immediatè ante hoc priùs mouebatur, quàm quieſcebat. Item, quòd immediatè ante hoc ſucceſſiuè mouebatur, & ſucceſſiuè quieſcebat, & tamen nunquam ſimul mouebatur, & quieſcebat.

Ad ſecundum dicitur, quòd illud ferrum poſitum

situm inter duos lapides æqualis virtutis, & æquè distantes, nullo modo mouebitur; sed quando apponuntur alij duo, vnus à parte superiori, & alius in parte inferiori, licet addantur æqualia, attamen non æqualiter, quia lapis positus à parte inferiori trahit tantâ virtute, quantâ trahit lapis positus à parte superiori, & cum virtute tractus lapidis inferioris est tractus grauitatis naturalis illi ferro: igitur illud ferrum mouebitur deorsum, & non quiescet.

Ad tertium dico, quòd sphæra ignis circumposita centro mundi æqualiter, nullo modo mouebitur: & quando dicitur, est extra suum locum naturalem, verum est, sed tamen impeditur à situ in quo est: quia vna medietas sphæræ ab vna parte centri detinet aliam partem, ne ascendat sursum, & è conuerso.

9. *An idem possit moueri motibus contrariis.*

Quintò dubitatur, an possibile sit idem moueri motibus contrariis. Arguitur quòd sic: & proiiciantur duo lapides æquales ad aquam, tunc videmus ad experientiam, quòd ab illis duobus lapidibus fiunt circulationes oppositæ, & tamen secundùm quemlibet istorum mouetur tota superficies aquæ: igitur illa superficies aquæ mouetur motibus contrariis. Secundò, sit vna virga, vel lancea, quæ debeat descendere deorsum: tunc pono, quòd quantâ velocitate descendat deorsum, quòd tantâ velocitate rarefiat à parte superiori: tunc illa virga mouetur, vt patet per casum, & non solùm deorsum, quia nunquam erit magis deorsum, quàm nunc est de facto: nec solùm sursum, eâdem ratione, quia semper eius medius punctus æquè distat à centro: igitur simul mouetur sursum, & deorsum; & per consequens motibus contrariis. Tertiò, potest argui de alterabili posito æquè distanter inter summè calidum, & summè frigidum: & de hoc tactum fuit supra tertium, quæstione de Contrariis.

Respondetur, quòd impossibile est aliquod mobile simul moueri motibus contrariis. Ad primam rationem de duobus illis lapidibus, dico quòd illarum circulationum vna supponitur alteri, & illæ circulationes fiunt secundùm diuersas partes aquæ: & si vnus illorum lapidum faciat maiorem impetum reliquo, circulatio facta à minori rumpitur per maiorem, & simile est de aëre, quando audiuntur voces æquales, vel inæquales.

Ad secundam, dico primò, quòd illius lanceæ medius punctus manet in eodem situ, ita vt eius medius punctus continuè sit æquè distans à centro. Secundò, dico quòd continuè ipsius est alius, & alius medius punctus. Tertiò, dico quòd illa lancea secundùm diuersas sui partes mouetur motibus contrariis: quia secundùm eius medietatem superiorem ascendit per rarefactionem, & secundùm aliam descendit. 10.

Ad rationes principales. Ad primam, dico quòd isti termini, *motus* & *quies*, sunt eiusdem generis: quia sunt de genere Passionis: nam ad idem Prædicamentum pertinent priuatio, & habitus; & sic diceretur, quòd sicut iste terminus *lumen* pertinet ad tertiam speciem Qualitatis, ita etiam iste terminus *tenebra*.

Ad secundam, concedo maiorem; & ita similiter concedo, quòd quies in termino *ad quem*, capiendo quietem pro dispositione, secundùm quam mobile quiescit, non contrariatur motui, immò solùm differunt secundùm magis, & minùs; sed hoc non obstante isti termini *motus*, & *quies* contrariantur prædicto modo.

Ad tertiam, dictum est suprà in tertio, quòd neutro modo, quia fortè iste terminus *contraria* est terminus ampliatiuus.

Ad quartam, negatur consequentia: quia eadem quies, loquendo de rebus, non contrariatur motui sursum, & motui deorsum; sed tamen iste terminus *motus*, & iste terminus *quies* opponuntur priuatiuè, siue contrariè, & neuter illorum opponitur alicui alteri eodem modo. Et consimiliter potest dici ad sequentes.

Expliciunt quæstiones quinti libri Physicorum Magistri Ioannis Scoti.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text.1.

SI *autem* 1 *continuum & tangens, & consequenter.* Iste est sextus liber Physicorum, in quo [a] Philosophus determinat de motu, quantum ad diuisionem eius in partes quantitatiuas: & diuiditur in tres tractatus. In primo tractatu ostendit, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus. In secundo determinat de diuisione motus, & quietis. In tertio, reprobat errores antiquorum de motu. Secundus ibi: *Necesse est autem.* Tertius ibi: *Zeno autem malè ratiocinatur.* Primus tractatus diuiditur in tria capitula. In primo capitulo probat continuum non esse compositum ex indiuisibilibus, per rationes sumptas ex definitionibus *continui, contigui, & consequenter.* In secundo probat hoc idem per rationes sumptas ex hoc, quòd motus fiat supra magnitudinem. Et in tertio probat idem per rationes sumptas ex parte velocitatis, & tarditatis motus. Secundum ibi: *Eiusdem autem rationis est.* Tertium ibi: *Quoniam autem omnis magnitudo.* Primò, proponit conclusionem; secundò, probat ibi: *Neque enim vnum.* Primò ponit istam conclusionem. Si definitiones [b] *continui, contigui, & consequenter* sint benè datæ, impossibile est continuum esse compositum ex indiuisibilibus. Vnde, vt dictum fuit in quinto, *Continua sunt quorum vltima sunt vnum. Contigua sunt, quorum vltima sunt simul. Sed consequenter se habentia sunt inter quæ nullum est medium eiusdem generis.* est igitur conclusio principalis huius capituli, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus.

Continuum non est compositum ex indiuisibilibus.

Neque enim vnum sunt. Hîc probat dictam conclusionem tripliciter. Secundò ibi: *Ampliùs necesse est.* Tertiò ibi: *Ampliùs diuideretur.* Prima ratio est, quòd si continuum esset compositum ex indiuisibilibus; vel illa indiuisibilia essent ad inuicem continua, vel contigua; sed neutro modo: quia continuorum vltima sunt vnum, & contiguorum vltima sunt simul: modò indiuisibilium nulla sunt vltima.

2. Text.2.

Amplius 2 *necesse est.* Ponit secundam rationem, quæ [c] non est nisi fortificatio præcedentis; quia si continuum esset compositum ex indiuisibilibus, vel illa indiuisibilia essent ad inuicem continua, contigua, vel consequenter se habentia; non continua, nec contigua, propter duo. Primò, quia, vt dictum est, indiuisibilium nulla sunt vltima. Secundò, si indiuisibilia tangerent se se inuicem continuè, vel contiguè; tunc aut totum [d] indiuisibile tangit totum, aut pars partem: non pars partem, quia iam non esset indiuisibile, sed diuisibile, ex quo haberet partes: nec totum tangit totum, quia tunc illa indiuisibilia non facerent extensionem. Si dicatur, quòd sint consequenter se habentia; tunc inter ipsa est aliquod intermedium, vel nullum: si nullum intermedium, tunc ex illis non esset compositum continuum; si aliquod tunc ipsum non est nisi aliquod continuum, vt linea, vel indiuisibile, vt punctus: igitur inter puncta data est aliquod intermedium eiusdem generis; & per consequens non erunt consequenter se habentia.

Text.3.

Ampliùs 3 *diuideretur.* Hîc ponit tertiam rationem. Secunda declarat quoddam suppositum; & tertiò infert quandam aliam dubitationem. Secunda ibi: *Nullum autem aliud genus.* Tertia ibi: *Manifestum autem est.* Tertia ratio est ista: Si continuum esset compositum ex indiuisibilibus, tunc continuum diuideretur in indiuisibilia; consequens est falsum, quia semper videmus illa, in quæ continuum diuiditur, esse diuisibilia. Consequentia tenet, quia vnumquodque est diuisibile in ea, ex quibus componitur.

3.

Nullum autem aliud genus. Hîc declarat quoddam suppositum: quia suppositum erat priùs in præcedenti ratione, quòd inter puncta consequenter se habentia non est medium alterius generis. Hoc probatur: quia vel illud medium est diuisibile, vel indiuisibile: si indiuisibile, igitur puncta, quæ ponebantur se habere consequenter, non se habent consequenter, quia inter ea est aliud indiuisibile. Si illud medium sit continuum, & diuisibile, tunc quæritur, vtrùm illud sit compositum ex indiuisibilibus, vel non: si sic: igitur indiuisibilia data non erant consequenter. Si non: igitur eâdem ratione nec aliquod aliud continuum est compositum ex indiuisibilibus.

Manifestum autem est. Infert secundam conclusionem, quòd in semper diuisibilia continuum est diuisibile. Probatur, quia continuum non est compositum ex indiuisibilibus: igitur illa, in quæ continuum est diuisibile, sunt semper diuisibilia.

Continuum est diuisibile in semper diuisibilia.

ANNOTATIONES Patris Arretini.

Ordo, & continuatio huius libri ad præcedentes.

[a] IN *quo Philosophus determinat de motu.* Nota quod quidam dixerũt, & benè, quòd quatuor primi libri Græcè inscribuntur de principiis; quatuor verò reliqui de motu; & ideò postquam in superiore libro explicatæ sunt species motus, quæ sunt velut eius partes subiectiuæ, disputat in hoc sexto libro Aristoteles de partibus integrantibus motus: & quoniam declarando vnitatem numeralem motus, dixerat in superiori libro, eius vnitatem numeralem in continuatione consistere, ideò in hoc sexto motus continuationem explicare subsequitur in ordine ad partes eius quantitatiuas, vel integrales.

[b] *Si definitiones continui, &c.* Nota quòd hæc 4.

ratio

ratio Aristotelis sic posset deduci: si continuum componeretur ex indiuisibilibus, aut talia indiuisibilia sunt inter se continua, aut contigua, aut consequentia; sed nihil ex his dabile est: ergo, &c. Primum non, quia ea, quæ sunt continua, talia sunt, vt eorum vltima sint vnum; sed indiuisibilia non habent vltimum: ergo indiuisibilia non sunt continua. Maior est definitio continui tradita ab Aristotele in præcedenti libro, hîc relata. Minor probatur; quia, quod habet vltimum, habet partes, indiuisibile non habet partes: ergo, &c. Nec etiam secundum, scilicet contigua. Contigua enim sunt, quorum vltima sunt simul, vel quæ in vltimis se tangunt: sed omne quod alterum tangit, aut tangit illud vt totum, aut vt pars partem; sed neutro modo indiuisibile tangit aliud indiuisibile, ita vt continuum faciat: ergo, &c. Minor probatur: indiuisibile non habet partes: ergo non tangit aliud, vt pars partem: quia hoc est tangere secundùm aliquam sui partem. Neque vt pars totum, quia tunc vna pars omnes alterius partes tangeret; quod, & quia indiuisibile non habet partes, & quia vna pars omnes partes alterius totius æqualis priori tangere nequit, & est impossibile. Neque vt totum totum, ita vt ex tali contactu continui compositio sequatur: quia continuum habet partem extra partem situ, & loco distantem; cùm autem totum tangit totum, non habet situm, neque locum diuersum: quia talis contactus impossibilis est sine corporum penetratione, quia hoc est se tangere secundùm omnes suas partes; si ergo indiuisibilia non sunt continua, neque contigua, sequitur quòd neque consequenter se habent. Probatur, illa se habent consequenter, inter quæ nihil mediat eiusdem generis; sed inter quæ non sunt contigua aliquid mediat: ergo inter indiuisibilia, quæ non sunt contigua, aliquid mediat: ergo non se habent consequenter: atque adeò indiuisibilia non componunt continuum: & sic manet, quòd inter puncta mediat linea, & inter *mutata esse* mediat motus, & inter instantia mediat tempus.

5. [c] *Quæ non est nisi fortificatio præcedentis.* Nota quòd ex his duabus rationibus magnum sumitur argumentum, quòd punctum secundùm Philosophum distinguatur à linea, & linea à superficie; quod & in subsequentibus patet.

[d] *Aut totum indiuisibile tangit totum*, &c. Nota quòd ista ratio Aristotelis nisi aliter declaretur, potest adduci contra ipsum: quoniam duo corpora se tangunt in superficie: ergo superficies erit pars corporis, cuius oppositum intendit probare. Item, duæ lineæ se tangunt in puncto tantùm: ergo puncta sunt partes lineæ, cuius oppositum probare intendit. Ideò dicendum est, quòd Aristoteles non accipit ibi partem propriè, sed vocat partem omne illud, quod est aliquid per se alicuius, dum tamen non sit totum. Quòd si dicas; omne quod est aliquid alicuius per se, vel est totum, vel pars. Dico quòd falsum est: quia terminus rei non est ipsa res, nec pars eius propriè dicta. Ita dico a simili, cùm punctus sit terminus lineæ, non est pars lineæ, nec est idem quod ipsa linea, sed est terminus tantùm continui. Similiter dico de instanti temporis, & de *mutato esse* in motu. Propositio ergo Philosophi sic intelligitur, quòd illa quæ se tangunt, vel secundùm totum tangunt se, vel se tangunt secundùm aliquid sui, & secundùm aliquid non; sed puncta non se tangunt secundùm aliquid sui, & secundùm aliquid,

Pars bifariam sumitur propriè & impropriè.

cùm punctus sit simplex & indiuisibilis: ergo tactus punctorum est secundùm se totum, atque ita eorum tactus erit superpositio, & per consequens non faciet magnitudinem: quia omnis magnitudo habet partem extra partem.

EXPOSITIO TEXTVS.

E*iusdem* 1 *autem rationis est.* Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus per rationes sumptas ex hoc, quòd motus fit super magnitudinem: & diuiditur in quinque partes. Secunda ibi: *Si igitur necesse est id.* Tertia ibi: *Si verò.* Quarta ibi: *Si igitur necesse est.* Quinta ibi: *Perinde autem necesse est.* Prima conclusio est ista, quòd motus, magnitudo, & tempus sunt eiusdem rationis, quantum ad componi. Probatur de motu, & magnitudine: quia si supra 2 magnitudinem *A,B,C*, compositam ex indiuisibilibus fiat motus *D,E,F*, tunc cuilibet parti magnitudinis correspondet aliqua pars motus; sed non potest correspondere pars motus diuisibilis: igitur pars motus indiuisibilis, & per 3 consequens, sicut magnitudo est composita ex tribus indiuisibilibus, ita & motus super illam, esset compositus ex indiuisibilibus. 6. Text. 4. Text. 5. Text. 6.

Si igitur 4 necesse est id. Secunda conclusio est ista, quòd super indiuisibile non potest fieri motus. Probatur, quia impossibile est, quòd illud, quod mouetur ad aliquem terminum, iam sit ad illum terminum, vel nondum moueri ad eundem: igitur si aliquod mobile mouetur, necesse est, quòd partim sit in termino *ad quem* motus, & partim in termino *à quo* motus; sed supra indiuisibile non potest esse partim, quia iam indiuisibile esset diuisibile: igitur supra indiuisibile non potest fieri motus. Et ponit Aristoteles exemplum in litteris; quòd *A* sit indiuisibile supra quod fit motus, & *O* sit mobile, & motus secundùm quem mouetur, sit *D*: si *O* mouetur super *A* motu *D*, impossibile est, quòd totaliter iam sit super *A*, quia iam non mouetur super ipsum, sed esset motum; nec *O* est super aliud spatium omnino distinctum ab *A*, quia tunc nondum moueretur super *A*: igitur si moueatur super *A*, oportet quòd partim habeat acquisitum de *A*, & partim acquirendum; & cùm *A* sit indiuisibile, sequitur quòd indiuisibile esset partibile, quod implicat. Text. 7.

Motus non potest fieri super indiuisibile.

Si verò 5 per totum. Tertia conclusio est, impossibile est fieri motum super magnitudinem compositam ex indiuisibilibus. Probatur, & sit *A,B,C*, magnitudo composita ex tribus indiuisibilibus, supra quam debeat fieri motus *D,E,F*, tunc sequerentur tria inconuenientia. Primum, quòd motus non componitur ex motibus, sed ex momentis. Consequentia probatur, quia supra partem *A* non fit motus; quia supra indiuisibile non potest fieri motus per præcedentem conclusionem: igitur si super *A* fit aliquid ipsius motus, illud est momentum, & eâdem ratione super *B* fiet momentum, & etiam super *C*; & tunc sequitur consequens, quòd motus *D,E,F*, sit compositus ex momentis. Secundum inconueniens, quòd aliquod spatium est pertransitum per motum, & tamen super nullam partem eius factus est motus, quia supra magnitudinem *A,B,C*, per casum, factus est motus *D,E,F*, & tamen non supra 7. Text. 8.

Motus fieri non potest super magnitudinem compositam ex indiuisibilibus.

supra aliquam partem eius, vt probatum fuit. Tertium inconueniens, quòd aliquod mobile simul moueretur super aliquod spatium, & quiesceret super idem spatium (capiendo *quiescere* pro *non moueri*) quia mobile, quod mouetur, super aliquod spatium *A,B,C*, mouetur, vt positum est, & tamen non mouetur, quia nec super *A*, nec super *C*: igitur non mouetur, & per consequens aliquod simul mouetur, & non mouetur.

Text. 9. *Motus non componitur ex indiuisibilibus.*

Si igitur 6 necesse est. Quarta conclusio est, quòd motus non componitur ex indiuisibilibus. Probatur: quia nisi sic, sequeretur quòd motus non componeretur ex motibus; consequens est falsum, & patet consequentia: quia nullus motus est indiuisibilis; sed istud consequens concederet aduersarius.

8. Text. 10.

Perinde 7 autem necesse est. Quinta conclusio est, quòd tempus, motus, & magnitudo sunt eiusdem rationis, quantum ad componi ex indiuisibilibus, vel non componi. Probatur, quia mobile, quod mouetur soper aliquam magnitudinem, in minori parte temporis, pertransit partem magnitudinis, quàm totam magnitudinem; & similiter partem motus, quàm totum motum; igitur si vnum istorum componatur ex indiuisibilibus, & reliquum componetur ex indiuisibilibus. Et notandum, quòd ex ista tertia conclusione huius capituli cum ista; (addito quòd supra magnitudinem fit motus) sequitur conclusio principaliter intenta, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus.

Text. 11.

Quoniam autem 8 omnis magnitudo. Hoc est tertium capitulum, in quo Philosophus ostendit, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus per rationes sumptas ex parte velocitatis, & tarditatis motus: & primò præmittit definitiones velocioris. Secundò, probat eas. Tertiò, prosequitur intentum. Secundum ibi: *Sit enim ipsum in quo.* Tertium ibi: *Manifestum est autem.* Primò, præmittit intentionem, quòd omnis magnitudo est diuisibilis in magnitudines. Probatur, quia nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus, vt probatum est; sed omnis magnitudo est continua: igitur nulla magnitudo est composita ex indiuisibilibus; & per consequens omnis magnitudo est diuisibilis in magnitudines. Deinde proponit definitiones velocioris; & prima est ista. *Velocius est, quod in minori tempore pertransit maius.* Secunda: *velocius est, quod in minori tempore pertransit plus.* Tertia, *velocius est, quod in minori tempore pertransit æquale. Sit enim ipsum in quo.* Hîc probat istas definitiones. Secundum ibi: *At verò, & in minori.* Tertiam ibi: *Manifestum est autem.* Prima probatur, quia velocius alio, vel pertransit maius spatium in æquali tempore, vel minus, vel æquale: si maius, habetur propositum: si æquale, non est velocius, sed æquè velox: si minus, tunc non est velocius, sed tardius. Et ponit Aristoteles in litteris: nam si mobile *A* moueatur supra spatium *C,D*, in tempore *B*, & *E*, mobile tardius non esset motum vsque ad *D*, sed minus.

Definitiones velocioris.

9. Text. 12.

At verò 9 & in minori. Probat secundam: quia sequitur ex prima, quòd si in æquali tempore pertranseat maius, quòd etiam in minori tempore pertranseat maius: nam si mobile *A*, velociùs moueatur in tempore *B*, de *C*, vsque ad *D*, & in eodem tempore, *E* moueatur de *C* vsque ad *F*, signetur aliquis punctus in medio inter *C*, & *D*, qui sit *T*, tunc *A* in minori tempore pertransit magnitudinem *C,T*, quàm *C,D*: sit igitur illud tempus minus *G*: tunc sequitur, quòd ex quo *A* pertransit magnitudinem *C,F*, quæ est maior magnitudine *C,T*, in tempore *G*, quod est minus tempore *B*, in quo *E*, pertransiuit magnitudinem, sequitur quòd *A* velociùs in minori tempore pertransit maius, quàm *E*, tardius.

Manifestum 10 est autem ex his. Probat tertiam, dupliciter. Primò, ibi: *Amplius autem.* Probat tertiam in litteris sic; & sit magnitudo *D*, in qua *A* pertransit in tempore minori *S,P,R*, quàm *B*, pertranseat magnitudinem *L,X*, in tempore maiori *S,P,H*, & sit *P,S* tempus in quo pertransit *A*, magnitudinem *L,X* æquale magnitudini, quam pertransit *B*, in tempore *P, H*, tunc sic, *P,H*, est tempus maius quàm sit *P, R*, & *P,R*, est maius quàm sit *P,S*: igitur *P,F*, est maius, quàm sit *P,S*, quia quicquid est maius maiore, est maius minore; sed *A* velociùs pertransit *L,X* in tempore *P,S*, & *B*, pertransit *L,X* in tempore *P,H*: igitur in minori tempore velociùs pertransit æquale spatiũ. Text. 13.

Amplius 11 autem. Probat secundò, quia mobile velociùs in aliquo tempore pertransit æquale pertransitum à mobili tardo: aut igitur in tempore maiori; & hoc non; quia tunc esset tardius: aut in æquali, & hoc non: quia esset æquè velox: igitur in minori, & habetur propositum. 10. Text. 14.

Quoniam autem 12 omnis. Hîc prosequitur intentum; & ponit tres conclusiones. Secundam ibi: *Amplius autem.* Tertiam ibi: *Manifestum est igitur.* Primò, præmittit suppositiones. Secundò, proponit conclusionem. Et tertiò probat. Secundum ibi: *His autem.* Tertium ibi: *Quoniam enim ostensum est.* Prima suppositio est, quòd omnis motus fit in tempore. Secunda, quòd in omni tempore possibile est fieri motum. Tertia, quòd omne, quod mouetur, contingit velociùs, & tardiùs moueri. Quarta, quòd in omni tempore potest fieri motus velocior, & tardior. Contra tertiam suppositionem arguitur, de motu cœli, qui non potest fieri velocior. Respondet Commentator quòd non[a] repugnat fieri, quantum est ex ratione generali motus, licèt benè repugnet sub ea ratione, quâ est motus huius corporis, vel illius. Text. 15.

His autem 13 existentibus. Hîc probat conclusionem, scilicet, quòd necesse est & tempus, & magnitudines esse diuisibiles in semper diuisibilia. *Quoniam enim*, &c. Probat conclusionem sic; & sit *A* mobile velocius, & *B* tardius: tunc ponamus quòd *B* transeat magnitudinem *C,D*, in tempore *F,G*: tunc sequitur, quòd *A* transit illam magnitudinem in minori tempore per suppositiones positas; & sit illud tempus *F, H*; tunc vltra in illo tempore *F,G*, *B* quod est mobile tardius, transit minorem magnitudinem, & sit illa *C,L,i*, sic igitur in infinitum velocius arguit diuisionem temporis, & tardius diuisionem magnitudinis. Text. 16.

Amplius autem 14 & ex consuetis. Hîc ostendit, quòd tempus, & magnitudo sunt eiusdem rationis, quantum ad finitatem, & infinitatem, tam secundùm diuisionem, quàm secundùm extrema: & primò probat quòd tempus & magnitudo sunt eiusdem rationis quantum ad diuidi, vel non diuidi in semper diuisibilia. Secundò, probat quòd tempus, & magnitudo sunt eiusdem rationis, quantum ad finitatem, & infinitatem, secundùm extrema. Tertiò, per hoc soluit quandam rationem Zenonis. Quartò, probat quod proposuit de finitate, & infinitate. Secunda ibi: *Et si alterutrum.* Tertia ibi: *Quapropter Zenonis ratio.* 11. Text. 17.

Quarta ibi: *Neque ergo.* Primò, ponit istam conclusionem, quòd tempus, & magnitudo sunt eiusdem rationis quantum ad diuidi, vel non diuidi in semper diuisibilia. Probatur, quia semper minori tempore pertransitur magnitudo minor, quàm maior: igitur ad diuisionem temporis, magnitudo est diuisibilis, & è contra semper minor magnitudo pertransitur in minori tempore, quàm maior: igitur ad diuisionem magnitudinis tempus est diuisibile.

Text. 18. *Et si 15 alterutrum.* Hîc probat, quòd tempus & magnitudo sint eiusdem rationis quantum ad finitatem, & infinitatem secundùm extrema; & [b] vocatur infinitum extremum, quod est extensum sine termino secundùm longitudinem, vel durationem; tunc ponit, quòd si tempus sit infinitum, necesse est magnitudinem esse infinitam, scilicet, quæ pertransitur illo tempore: & è contra, si magnitudo sit infinita, tempus est infinitum.

12.
Text. 19. *Quapropter 16 Zenonis ratio.* Hîc ex dictis soluit quandam rationem Zenonis, per quam probabat, quòd impossibile est aliquod spatium pertransiri, quia quodlibet spatium habet partes infinitas, quarum quamlibet oportet tangi, & pertransiri; si illud spatium pertranseatur; sed impossibile est, quòd aliquod spatium pertranseatur. Respondetur, [c] quòd sicut magnitudo, siue spatium habet partes infinitas, ita & tempus in quo pertransitur, habet partes infinitas: igitur non est inconueniens, quòd in partibus infinitis temporis pertranseantur infinitæ partes magnitudinis.

Neque ergo. Probat quod priùs proposuit de finitate, & infinitate magnitudinis: & primò, ponit duas conclusiones. Secundò probat, ibi: *Sit enim.* Prima conclusio est ista, quòd impossibile est magnitudinem finitam pertransiri in tempore infinito. Secunda est, quòd impossibile est magnitudinem infinitam pertransiri in tempore finito.

Text. 20. *Sit enim 17 magnitudo finita.* Hîc probat dictas conclusiones. Secundam ibi: *Eadem autem demonstratio.* Primam probat duabus rationibus. Secundam ibi: *Amplius autem.* Prima ratio est, quòd sit magnitudo *A, B*, quæ debeat pertransiri in tempore infinito, & sit illud tempus infinitum *G*, tunc accipiatur aliqua pars finita *B*, temporis *G*, in qua pertranseatur aliqua pars magnitudinis; & sit illa pars temporis *G, D*, & pars magnitudinis pertransita sit *B, E*, tunc magnitudo *B, E*, multoties [d] sumpta, mensurabit, & excedet magnitudinem *A, B*; sit igitur, quòd magnitudo *B, E*, millesies sumpta reddat magnitudinem *A, B*; cùm igitur magnitudo *B, E*, pertranseatur in tempore finito *G, D*, sequitur quòd tota magnitudo *A, B*, pertransibitur in mille partibus æqualibus parti *G, D*, igitur tempus *G*, in quo pertransitur *A, B*, magnitudo, quod ponebatur esse infinitum, est finitum: quia compositum ex finitis partibus secundùm multitudinem, & secundùm magnitudinem.

13.
Text. 21. *Amplius 18 autem.* Secunda ratio est, quia aliqua pars magnitudinis pertransitur in tempore minori, quam tota magnitudo; sed omne tempus minus tempore infinito, est finitum: igitur aliqua pars magnitudinis pertransitur in tempore finito: igitur illa pars multoties sumpta reddet magnitudinem finitam, quæ ponitur pertransiri in tempore infinito: igitur etiam tempus finitum, in quo illa pertransitur toties sumptum reddet totum tempus finitum, in quo pertransitur tota magnitudo; & per consequens illud tempus totum est finitum.

Eadem autem demonstratio. Hîc probat secundam conclusionem; & dicit quòd per eandem rationem probatur secunda, per quam probatur prima, scilicet, quòd magnitudo infinita non potest pertransiri in tempore finito.

Manifestum est igitur. Hîc ponit conclusionem principaliter intentam, scilicet, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus: quam primò innuit sequi ex præcedentibus: quia tempus, & magnitudo sunt diuisibiles in semper diuisibilia: igitur pari ratione, & quodlibet aliud continuum: igitur nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus. Secundò, 19 arguitur ratione, & sint duo mobilia Text. 25. vnum velocius alio secundùm hemioliam proportionem, id est, sesquialteram proportionem, quæ est trium ad duo; & velocius pertranseat magnitudinem trium indiuisibilium in tempore composito ex tribus indiuisibilibus: igitur tardius in eodem tempore pertransit magnitudinem compositam ex duobus indiuisibilibus; igitur cùm magnitudo illa pertransita à tardiori, sit diuisibilis in duas medietates; & per consequens indiuisibile diuidetur, quod est impossibile. Similiter potest probari ex parte magnitudinis, quòd indiuisibile diuideretur; verbi gratià, posito quòd velocius se habeat in dupla proportione ad tardius: igitur si in tempore trium indiuisibilium velocius pertranseat magnitudinem ex tribus indiuisibilibus, sequitur quòd tardiùs pertransibit in eodem tempore indiuisibile cum dimidio, quod est impossibile. Et sciendum, quòd magnitudinem trium indiuisibilium nominat sub quatuor litteris, scilicet, *A, B, C, D*, & magnitudinem duorum indiuisibilium, quæ pertransitur à tardiori vocat tribus litteris, vt *Z, E, I.* Item vocat tempus, quo velocius mouetur, per istas litteras *H, L, M, N*, & tempus, in quo mouetur tardius, nominat *E, Z, I.*

ANNOTATIONES.

[a] R*Espondet Commentator quòd non repugnat,* &c. Nota quòd aliqui respondent, quòd, licèt motus eiusdem orbis non sit velocior, & 14.
tardior; tamen motus superioris orbis velocior est motu inferiori. Commentatori autem quem sequitur D.Thom. hîc, & Scotus, propinquiùs ad rem accedens, dicit quòd Philosophus loquitur de motu secundùm generalem rationem motus: nam rationi motus non repugnat esse velociorem & tardiorem, sed in particulari ratione subiecti naturæ cœli repugnat, vt sit motus eius difformis, quemadmodum quantitati in genere non repugnat diuidi in semper diuisibilia, & quodcunque recipere incrementum, licèt cuilibet rei naturali præscriptus sit terminus augmenti, & decrementi. Et dicit Commentator quòd illa propositio; *omne motum potest moueri motu velociori*, est possibilis per se, & impossibilis per accidens; quia scilicet accidit motui, quòd fiat in rebus naturalibus; vnde inquit quòd causa quare omne motum secundùm quòd est motum, possibile est, quòd moueatur motu velociori suo motu, secundùm quòd motus est, quia motum est de

de genere Contiouorum, & velocitas in motu est similis diuisibilitati in continuo : quantum igitor dioisibilitas io continuo procedit infinitum, ita velocitas io moto. Quare si velocitas sumeretur in motu secundùm quòd motos est, esset possibile motom fieri, vel fuisse in instanti, & propter hoc dixit priùs, quòd omnis motus est in tempore. Ex istis dictis Commentatoris inferuntur quatuor propositiones. Prima, omoe motom, secundùm quòd est motum, potest moueri motum velociori soo motu; & hoc debet intelligi potentiâ Logicâ, quæ est noo repugnantia terminorum. Nam Commentator per illam soppositionem affirmatiuam intelligit haoc oegatiuam : *Nulli moto, secundùm quod est motum, repugnat moueri motu velociori suo motu.* & hoc est verum : oon enim repugnat motui in qoantum motos, velocitas, vel tardìtas; atque adeò nec etiam moto repugoat in quantum moto, quòd moueator motu velociori moto. Si tameo ista propositio acciperetur, vt est vna reduplicatiua affirmatiua, esset falsa : qoia cùm omnis affirmatiua reduplicatiua inferat suam præiacentem, lex illa seqoitur, quòd omne motum potest ferri motu velociori suo motu, quod est falsum secuodùm ipsum, sicut patet de cœlo.

15. Secunda propositio; motus est de genere continoorum, & velocitas in motu, est similis diuisibilitati in contiouo; ideò sicut non repugnat continuo dioidi in infioitom; sic noo repugnat motui in infinitom velocitari.

Tertia propositio; si velocitas sumeretor in motu secundùm quòd est motus, esset possibile motum fieri io instaoti : hæc autem videtur esse falsa, eo quòd secundùm Commentatorem motui repugnat fieri io instanti; dato enim quòd esset velocissimus, esset in tempore, & oon in instaoti; sed de hoc postea.

Quarta propositio; si huic propositiooi, *si motus naturales sunt idem in velocitate ratione corporum naturalium*, coniuncta fuerit aliqua propositio, in qua dubitatur, scilicet ista; *omne motum potest moueri motu velociori suo motu*; & concludat impossibile, scilicet, *motus cœli non est determinatus in velocitate*; istud impossibile non sequitur ex possibili, noo sequitur ex hac propositiooe, *non repugnat alicui moto in quantum moto, quòd moueatur velociùs*; sed seqoitor ex hoc iotellecto impossibili propositioois, in qua dubitatur, *omne motum ratione quà tale motum*, scilicet ratione talis subiecti motus, *potest moueri motu velociori suo motu.*

16. *Infiniti duplex genus.* b *Et vocatur infinitum secundùm extremum.* Nota quòd infioiti duplex est genus; alterum, quod caret extremis punctis, scilicet, qoia est qoantum noo terminatom : & hoc appellat hîc Aristoteles infinitum secundùm extremom. Alterum est infioitum dioisione, quod scilicet est diuisibile in semper dioisibilia, qood etiam infinitom in potentia appellatur, & sic quodcumque coutinoum est infinitum.

c *Respondetur, quòd sicut magnitudo, siue spatium,* &c. Nota quòd, sicut dictum est, dupliciter dicitur aliquid infinitum; scilicet aut diuisione, aut quia caret extremis. Illod infinitum, quod caret extremis, tangit totum, ac pertraosiri non potest in tempore finito; sed illa quæ diuisione sont infinita, pertransiri possunt tempore finito, nam vt in magnitudine finita sunt pooćta, ita io tempore finito infinita sunt instantia. Cæterùm solutio vera, quam dabit *in 8. libro*, non est hæc, sed quòd in magnitudine finita non sunt infinita puncta, & partes io actu, sed solùm io potentia; & ideò non numerantur singillatim per motom, sicut nec instantia temporis, hic autem solùm respondet ad hominem, quia, sicut arguebat Zeoo, infinita puncta esse in magnitodine infinita, aduertere debuisset, etiam io tempore fioito esse eodem modo infinita instantia, atque adeò oon esse maiorem magnitudinem, quàm tempus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm continuum sit compositum ex indiuisibilibus.

Aristot. *hic text.* 1. *& l. de lineis insectibilibus.* Auerroës, Themistius, Simplicius, & Mayronius *ibidem.* D. Thom. *lect.* 1. Auicenna 6. *naturalium part.* 5. *cap.* 2. Algazelus *tract.* 1. *sua Metaph.* D. Augustin. 11. *de Trinit. c.* 10. Albert. 6. *Physic. tract.* 1. *cap* 1. *& lib. de lineis indiuisibilibus.* Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. Durandus *quæst.* 4. Gregorius *quæst.* 2. Canonic. 6. *Physic. quæst. vnica.* Conimbr. *cap.* 2. *quæst.* 2. Compluten. *disp* 25. *quæst* 2. Ruuius *cap.* 2. *tract. peculiari de hac re.* Roccus *quæst.* 1. Fuente *q.* 2. *diffic.* 2.

ARGVITVR quòd sic : iodioisibilia sunt sibi inuicem proxima : igitor continuum est composiium ex iodiuisibilibus. Consequentia nota est, & elicitur ex isto sexto : & antecedens probatur, quia duorum corporum se inuicem tangentium vltima superficies voius est immediata vltimæ superficiei alterius. 1.

Secuodò confirmatur, quia sumptâ aliquâ lineâ, capio punctum terminans illam lineam; quæro vtrùm inter ipsum & omnia alia puncta lineæ sit aliqood intermedium, vel oullum. Si nullum; igitur punctum terminans illam lineam omnibus aliis est immediatum, & habetur propositom. Si aliquid, tunc illud oon potest esse oisi linea, vel punctus; & quodcunque detur, non omnia puncta præter terminans erant priùs accepta, quod est contra positum.

Tertiò, ponatur qoòd punctus terminans aliquam lineam, corrumpatur; tunc quæro vtrùm linea maneat terminata, vel non. Si non : igitur per solam ablationem vnius indiuisibilis, linea finita efficietur infinita. Si sic; tunc quæram de puncto terminante illam lineam, vtrùm erat immediatum puncto ablato, & habetur propositum : vel mediatum, & hoc est contra positum, quia ponebatur, qoòd oihil auferretur nisi punctus terminans.

Quartò, aliquod indiuisibile de facto mouetur : igitur aliqua linea est composita ex indiuisibilibus. Conseqoentia tenet, quia punctum fluens causat lineam, vt imaginatur Aristoteles 1. *Cœli, text.* 4. & Comm. 3. *Physic. com.* 60. Sed quòd ex indiuisibilibos sit composita, probatur, quia indiuisibile motum causat continuè indioisibile post alterum. Antecedens patet, quia intellectus oostes mouetur, qui tenetur esse indiuisibilis. Item, Angelus, vt multi concedunt, per se mouetur. Item, indiuisibile, vt punctus, mouetor ad motum ipsius, in quo est, nec minùs describit lineam, si per accidens moueatur, quàm si per se moueatur.

Quintò,

Quintò, si sphæricum moueretur super planum, causaret lineam compositam ex punctis; sed hoc est possibile: igitur possibile est, quòd linea componatur ex punctis, & quá ratione de vno continuo, eàdem ratione de quolibet: igitur quodlibet continuum est compositum ex indiuisibilibus. Antecedens probatur, quia sphæricum tangit planum præcise in puncto, vt patet in Proœmio de Anima: igitur si sphæricum moueretur super planum, continuè tangeret punctum post punctum, & per consequens linea descripta esset composita ex indiuisibilibus.

Sextò, continuum resoluitur in indiuisibilia: igitur est compositum ex indiuisibilibus. Consequentia tenet, quia vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus componitur; & antecedens probatur; quia si continuum esset diuisum in omnia, in quæ esset diuisibile, ipsum esset diuisum in indiuisibilia; sed si esset diuisum in omnia, in quæ esset diuisibile, ipsum non esset diuisum in alia, quàm in illa ex quibus de facto componitur: igitur continuum de facto componitur ex indiuisibilibus. Antecedens probatur: quia vel remaneret indiuisibile, & habetur propositum; vel diuisibile, & tunc non fuisset continuum diuisum in omnia, in quæ erat diuisibile, quod est contra positum.

5. Septimò, quia punctus est pars lineæ; igitur linea componitur ex punctis. Tenet consequentia, quia totum componitur ex suis partibus. Antecedens patet, quia punctus ponitur in definitione lineæ, modò definitio explicat partes definiti, vt habetur 7. *Metaph. text.* 23. & hoc idem dicit Comment 4. *huius, comm.* 31.

Octauò, sicut se habet vnitas ad numerum, ita punctus ad lineam, vt sæpè ponit Aristoteles, sed numerus componitur ex vnitatibus per definitionem numeri: igitur linea componitur ex punctis.

Vltimò, arguitur per Aristotelem *primo Post. text.* 30. vbi dicit, quòd substantia lineæ ex punctis est.

Oppositum arguitur per Aristotelem *6. huius, text.* 1. Et probatur [a] ratione; quia ex illis non componitur aliquid, quibus additis, non resultat aliquid maius, indiuisibilibus autem additis ad inuicem non resultat aliquid maius: ergo & cætera. Maior nota est, quia oportet, quòd illa quæ componunt magnitudinem, faciant extensionem. Item, patet ex alio, quia si essent duo corpora sic se habentia, quòd simul cum quolibet vnius esset aliquid alterius, & nihil vnius esset extra reliquum, inimaginabile est, quòd illa duo corpora faciant maiorem extensionem, quàm alterum illorum tantùm, si per se esset. Minor probatur; & sit linea facta ex tribus indiuisibilibus, scilicet, *A*, *B*, *C*, vel igitur *C* tangit *B*, secundùm illud idem, secundùm quod *A* tangit *B*, vel secundùm aliud. Si secundùm aliud: igitur *B* est diuisibile, quod est contra positum. Si secundùm idem: igitur ista puncta non faciunt extra se inuicem extensionem; & habetur propositum.

4. Secundò, sequeretur quòd indiuisibile esset diuisibile; consequens implicat. Et consequentia probatur: posito quòd lineam factam ex tribus indiuisibilibus pertranseat mobile velocius in aliquo tempore; & ponatur, quòd in eodem tempore super eandem lineam moueatur mobile in duplo velociùs; igitur duplum spatium pertransibit, & per consequens punctum cum dimidio.

Tertiò, illa indiuisibilia vel essent continua, vel contigua, vel consequenter se habentia: non continua, quia continua sunt, quorum vltima sunt vnum, & tamen indiuisibilia non habent vltima. Nec contigua [b], quia contigua sunt, quorum vltima sunt simul: modò indiuisibilium non sunt vltima. Nec consequenter: quia consequenter sunt, inter quæ non est medium eiusdem generis, & non proximum: modò per te puncta sunt ad inuicem proxima, cùm ex eis componatur continuum: ergo, &c.

Quartò, sequeretur quòd nihil posset rarefieri ad minus, quàm ad subduplum; consequens est contra experientiam. Et consequentia probatur, supposito quòd in rarefactione vna quælibet pars rarefacti sit rarefacta. Tunc supposito vno indiuisibili, vel illud indiuisibile rarefiet ad duo indiuisibilia, vel ad minus; si ad duo, ita similiter arguetur de quolibet indiuisibili illius continui, & per consequens totum continuum rarefit vsque ad subduplum. Si ad minus, tunc sequitur, quòd est dare minus indiuisibili, quod est irrationabile. Eodem modo probaretur, quòd impossibile esset aliquid condensari, nisi esset duplum: ita vt quælibet duo puncta efficerentur vnum; vel quòd vnum indiuisibile fieret minùs, quàm antè, quod est impossibile.

Notandum, quòd ista quæstio est intelligenda de indiuisibilibus simpliciter habentibus positionem in continuo, cuiusmodi imaginantur esse puncta, & hoc pono ad differentiam opinionis Democriti, qui, vt patet 1. *de Generat.* posuit corpora componi ex magnitudinibus indiuisibilibus. 5. *Intellectus quæst.*

Tunc ponitur ista conclusio. Nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus. Probatur, quia si sic, sequeretur, quòd esset dare minus indiuisibili; consequens est falsum, & consequentia probatur, & [c] sit *A A*, vna linea sex punctorum, gratiâ exempli, super quam per corollarium primi Euclidis, constituatur triangulus duorum æqualium laterum, quorum quodlibet, gratiâ exempli, sit trium punctorum, & concurrant ista duo latera in puncto *G*, tunc in ambabus



lineis *A*, *G* signetur punctum *B*, quod distet ab *A* per duo puncta, & protrahatur linea *B*, *B*, deinde in eisdem lineis signetur punctum *C*, quod distet à *B*, per duo puncta, deinde *D*, quòd distet à *C* per tantũ, postea *E*, & sic consequenter vsque ad *G*; tunc isto posito arguitur sic: puncta *B* minùs distant ab inuicem quàm puncta *A*; sed puncta *A*, distant per quatuor puncta: quia tota linea *A* ponitur sex punctorum: igitur puncta *B*, ad minùs distant per tria puncta. Et iterum puncta *C*, minùs distant, quàm puncta *B*; igitur ad minùs distant per duo puncta. Iterum puncta *D*, distant minùs, quàm puncta *C*, igitur ad minùs distant per vnum punctum; sed puncta *E*, minùs distant, quàm puncta *D*: igitur puncta *E*, minùs distant quàm per indiuisibile: & habetur propositum conclusionis.


Secundò, sequeretur quòd aliquæ duæ lineæ concurrerent, & illæ eædem non concurrerent, quod est contradictio. Consequentia probatur; & sit 6.

sit vna linea trium punctorum, *A*, *B*, *C*, supra quam per primam primi Euclidis constituatur triangulus æquilaterus, cuius vnum latus sit *A*, *F*, *D*, & aliud, *C*, *E*, *D*, tunc quæro, vtrùm puncta *F*, *B*, concurrant, vel non: vel isto modo formetur diuisio; inter puncta, *E*, *F*, est aliquod intermedium, vel nullum; si nullum, *E*, *F*, sunt igitur vnus punctus, & concurrunt. Igitur triangulus datus non est æquilaterus, quia basis est trium punctorum, & quodlibet aliorum laterum est duorum præcisè, quod est contra positum. Si dicatur, quòd inter ipsa est aliquod intermedium: vel igitur illud est indiuisibile, vel minus indiuisibili, vel maius. Si indiuisibile: igitur linea *A*, *D*. & *C*, *D*, sunt æquè distantes: quia inter puncta *A*. *C* est præcisè tanta distantia, sicut inter puncta *F*, *E*; igitur per definitionem æquè distantiũ, illæ lineæ nunquam concurrerent in infinitum protractæ; sed nunc de facto concurrunt in puncto *D*, vt positum est; igitur quæ nunquam concurrerent, concurrunt, quod est contradictio. Si dicatur, quòd minus: igitur est dare minus indiuisibili, quod est impossibile; si maius, igitur lineæ *A*, *D*, & *C*, *D*, plus distant à parte soperiori quàm ab inferiori: igitur si à parte superiori in infinitum protraherentur in continuum, & directum, nunquam concurrerent, sed continuè plus distarent, & per consequens ex eis non fieret triangulus, quod est contra positum.




7. Tertiò, sequeretur quòd indiuisibile esset diuisibile in duas medietates æquales; consequens implicat. Et consequentia probatur; & sit vna linea composita ex tribus indiuisibilibus: igitur per decimam primi, possibile est illam lineam diuidi per duo æqualia: igitur quælibet medietas erit composita ex puncto cum dimidio, & habetur consequens.

Quartò, sequeretur quòd diameter quadrati, & eius costa essent ad inuicem æquales; consequens est impossibile: quia se habent ad inuicem in proportione, quæ est medietas duplæ. Consequentia probatur; & sit quodlibet laterum quadrati sex punctorum; tunc à quolibet pũcto vnius lateris ad sibi oppositum alterius protrahatur linea recta, sequitur quòd, cùm istæ lineæ sic protractæ occupent totam superficiem, quòd non erunt plura puncta in diametro, quàm in costa, & per consequens erunt æquales.



Quinta ratio, capiatur vna linea trium punctorum, quæ moueatur circulariter sic, quòd eius extremum circumscribat circulum; tunc quæro, quando punctus extremus *S*, *A* pertransit vnum punctum, quantum pertransiuit punctus *B*, sibi immediatus. Si dicatur, quòd vnum indiuisibile; tunc sequitur, quòd circulus interior esset æqualis superiori; & tamen ambo circumscribuntur circa idem centrum, quod est impossibile. Si dicatur, quòd minus; tunc sequitur, quòd est dare minus indiuisibili. Si maius, igitur circulus interior descriptus circa idem centrum esset maior circulo exteriori, quod est impossibile.

8. Sextò, sequeretur quòd punctus esset æqualis portio circuli: consequens est impossibile, quia tunc vnum indiuisibile esset æquale diuisibili. Consequentia probatur, posito quòd circulus *A* describatur circa aliquod centrum; tunc à quolibet puncto circumferentiæ, vsque ad centrum protrahatur linea recta, & nulla illarum linearum circa centrum coincidat cum alia; tunc circa idem centrum fiat circulus *B*, in circulo *A*; tunc quæro vtrùm vnus punctus in centro *B*, tangat præcisè vnam lineam protractam à circumferentia ad centrum; vel duas, vel plures. Si præcisè vnam: igitur tot erunt puncta in circulo *B*, quot sunt in circulo *A*, & per consequens *A*, & *B* sunt circulari æquales, quod est impossibile. Si tangat plures; sit igitur quod tangat duas, deinde fiat circulus *C*, minor *B*, & eâdem ratione probabitur, quòd vnus punctus in circulo *C* tanget tres, vel quatuor lineas protractas à circumferentia *A* ad centrum; & sic fiat circulus, si *D* tanget sex, vel octo; igitur vnus punctus in circulo *D* tanget totam portionem vnius circuli, & per consequens esset æqualis illi portioni, quia sibi suppositus nec excedit, nec exceditur. Ex quibus apparet, quòd nullum continuum est compositum ex indiuisibilibus.



Ad rationes. Ad primam, negatur antecedens, in eodem continuo; sed hoc est verum in diuersis continuis: nam corporum se inuicem tangentium superficies terminantes sibi inuicem sunt immediatę; sed hoc est impossibile in eodem continuo.

Ad secundam, dico quòd inter punctum terminantem, & quodlibet aliud, est aliquid intermedium, scilicet, linea media. Et si quæratur, vtrùm inter punctum terminantem, & omnia alia simul sumpta, sit aliquod medium? Respondetur, quòd non: quia nulla sunt omnia alia puncta simul sumpta.

Ad tertiam, dico quòd impossibile est punctum terminantem corrumpi, nisi alio generato, quod efficitur punctus terminans: immò si aliquis punctus terminans non potest remoueri, nisi infinitis punctis remotis, & infinitis de nouo additis.

9. Ad quartam, concedo antecedens, & vltrà concedo, quòd describit lineam, sed non compositam ex punctis. Et quando arguitur vltrà, quòd continuè causat punctum post punctum; concedo, sed tamen nullum punctum causat continuè post punctum; immò immediatè post punctum causat lineam.

Ad quintam concedo quòd sphæricum, si moueretur super planum, tangeret lineam, sed non compositam ex punctis; & concedo, quòd continuè causat punctum post punctum, tamen

men nollum punctum tangit continuè post punctum, immò post punctum tangit continuè lineam.

Ad sextam, negatur antecedens. Ad probationem, negatur consequentia; quia arguitur ex hypotheticis conditionalibus ad vnam categoricam; quæ consequentia non valet.

Ad septimam, punctus d est pars lineæ; concedo, ad istum sensum, quòd iste terminus *punctus* est pars definitionis lineæ, & quòd ponitur in definitione lineæ.

Ad octauam, respondetur, quòd in aliquo est simile, & in aliquo dissimile. Simile enim est in hoc, quòd sicut vnitas ponitur in definitione numeri, ita punctus in definitione lineæ. Item, vterque terminus connotat indiuisionem. Sed dissimile est, quia semper punctus est res indiuisibilis: sed quandoque vnitas est res diuisibilis, quia vnitas non est aliud, quàm res vna.

Ad vltimam, dico quòd Aristoteles intelligit, quòd definitio lineæ datur per punctum.

ANNOTATIONES.

Opinio triplex, an continuum sit compositum ex indiuisibilibus.

10. O*Ppositum arguitur per Aristotelem 6. huius.* Nota quòd circa hanc quæstionem fuit tres opiniones; quarum duæ sunt extremæ, & vna media. Prima fuit Democriti, & Platonis, (quam defendunt Gerardus Odonis, & Nicolaus Turonensis;) quæ dicit omne continuum esse compositum ex indiuisibilibus, vt lineam ex punctis, nec aliquod esse diuisibile in semper diuisibilia. Secunda est, quòd continuum non est compositum ex indiuisibilibus, eo quòd nulla sunt indiuisibilia in continuo, neque termini continuorum sunt indiuisibiles; immò si sint puncta, lineæ, & superficies in corpore, quælibet illarum est corpus diuisibile in infinitas partes, & hæc opinio communiter tenetur à Sophistis. Tertia est opinio media, quæ ponit puncta & lineas, & alia huiusmodi esse quædam indiuisibilia non extranea continuis, sed tamen non esse partes continuorum, nec ex illis componi, & hanc communiter tenent Peripatetici, quam hîc defendit Scotus, & *in 2. distinct. 2. quæst. 9. in responsione ad 2. principale.*

Indiuisibile est multiplex.

b *Nec contigua.* Nota quòd indiuisibile interdum accipitur pro eo, quod, cùm habeat partes, naturaliter diuidi nequit, ita vt indiuisibile non dicat negationem partium, sed potentiæ naturalis ad hoc, quòd diuidatur; quale est cœlum, quod sicut incorruptibile, ita indiuisibile dici potest; & minimum naturale diceretur hoc modo indiuisibile in partes seorsum per se subsistentes, quemadmodum fortè Anaxagoras & Democritus ponebant suos atomos indiuisibiles. Aliquando sumitur indiuisibile pro eo, quòd nec habet partes, nec diuidi potest; quod duplex est; aliud extra Prædicamentum Quantitatis, vt Angelus, & anima rationalis. Aliud verò de Prædicamento Quantitatis reductiuè: & hoc adhuc est duplex; vel indiuisibile secundùm discretionem, vt vnitas; vel secundùm continuationem, vt instans, & *mutatum esse.*

11. Rursus indiuisibile secundùm continuationem, est duplex, vel enim est simpliciter indiuisibile secundùm *quid*, vt linea, & superficies. In præsenti quæstione est sermo de indiuisibili secundùm continuitatem. Ex his autem indiuisibilibus nequit continuum componi, quia aut talia indiuisibilia essent inter se continua, aut contigua, aut consequentia: non continua, quia non habent vltima: continua autem sunt quorum vltima sunt vnum, vt dictum est *quinto huius*: nec sunt contigua, quia contigua sunt, quorum vltima sunt simul, vel quæ in vltimis se tangunt; sed omne quod alterum tangit, aut tangit illud vt totum, aut vt pars totum, aut vt pars partem; sed indiuisibile non tangit aliud, vt pars partem; quia hoc est tangere secundùm aliquam sui partem, neque vt pars totum; quia tunc vna pars omnes partes alterius tangeret, quod est falsum; tum quia indiuisibile non habet partes, tum quia vna pars omnes partes alterius totius æqualis priori, tangere nequit, & est impossibile; neque vt totum totum, ita vt ex tali contactu continui compositio sequatur, quia continuum habet partem extra partem situ, & loco distantem, cùm autem totum tangit totum, non habet situm, neque locum diuersum, quia talis contactus impossibilis est sine corporum penetratione, quia hoc est se tangere secundùm omnes partes. Si ergo indiuisibilia non sunt continua, neque contigua, sequitur quòd neque consequenter se habeant; nam illa se habent consequenter, inter quæ nihil mediat eiusdem generis; sed inter quæ non sunt contigua, aliquid mediat; ergo inter indiuisibilia, quæ non sunt contigua, aliquid mediat, atque adeò non se habent consequenter, & sic patet quòd indiuisibilia non componunt continuum.

c *Consequentia probatur & sit A, A. linea.* Nota quòd hæc demonstratio potest alio modo deduci, videlicet, fiat vna linea ab *A* ad *B*, ex tribus punctis constans, super hanc lineam ducantur duæ aliæ lineæ facientes triangulum ab illis vsque ad *C*, sitque quælibet harum duarum linearum ex quinque punctis composita, & à punctis vnius lateris ducantur lineæ rectæ ad puncta alterius lateris sibi correspondentia, quæ lineæ quo magis accesserint ad angulum, erunt breuiores, vt patet in hac figura. Hoc posito, sic arguitur, si linea *A,B*, componatur ex tribus punctis, sequitur 12.



aliam lineam ductam ab vno latere aliarum linearum ad latus alterius, quæ super priorem descriptę faciebant triangulum vsque ad *E*, esse maiorem lineam, quàm linea, *A,B*; consequens est falsum ad sensum. Probatur sequela; describatur, verbi gratia, sub *C*, vna linea ab vno latere ad aliud, quæ sit *D, E*, quæ quidem cùm sit linea, ad minus habebit duo puncta; rursus infra illam ducatur alia linea, quæ sit *F,G*, quæ cùm sit maior superiori, habebit ad minus tria puncta; deinde alia inferior describatur, quæ sit *H,I*, quæ etiam, cùm sit maior præcedenti, ad minus constabit quatuor punctis: ergo huiusmodi linea erit maior, quàm linea *A, B*, quæ constabat tribus punctis. Item, & alia potest describi, quæ sit *L, M*, prædictam excedens, quæ ad mi-

nus

nus constabit quinque punctis; excedet ergo huiusmodi linea lineam *A*, *B* in duobus punctis, eritque illâ maior; quod ad sensum patet esse falsum.

d *Punctus est pars lineæ.* Nota, quòd licèt substantia lineæ sit ex punctis formaliter terminantibus eam, non est tamen ex punctis illam integrantibus. Vel posset dici, quòd illud exemplum *primi Posteriorum* positum est secundùm opinionem Platonis, nec eius requiritur veritas.

13. *Vnitas, & punctus quomodo conueniant & differant.*

a *In aliquo simile, & in aliquo dissimile.* Nota, quòd diuersa est ratio discreti à ratione cõtinui: continuum enim non quia quantum est, sibi repugnat compositio ex indiuisibilibus: sed quia habet partes inter se continuas, loco, & situ distantes, quas sic non haberet, si ex indiuisibilibus componeretur: numerum autem, cùm abstrahat à situ, & loco, non est inconueniens ex indiuisibilibus compositum esse. Non ergo se habet omnino eodem modo punctum in quantitate, ac vnitas in numero. Sed solùm ab Aristotele in hoc comparantur, quòd vnitas & punctum sunt suo modo indiuisibilia, & quemadmodum vnitas est principium numeri, ita punctum principium quantitatis. Differunt tamen, quia punctum habet positionem in continuo, vnitas verò non, vt docet Aristoteles *in Prædicamentis cap. de Quantitate, & 1. Poster. text.* 42. *& 5. Metaph. text.* 12. nam in continuo sunt puncta antè, & retrò, priùs, & posteriùs, numerus autem (quia designat quantitatem discretam) non dicit vnitates habentes ordinem, & eâdem ratione numerus constat ex vnitatibus seorsum diuisis, vt quinarius ex quinque vnitatibus, quarum quælibet dicitur indiuisibilis in ratione numeri: vnus enim lapis, vt pars binarij, non est ampliùs diuisibilis, licèt diuidatur in ratione quantitatis continuæ. Continuum autem non componitur ex punctis, sed ex quantitatibus continuatis per puncta.

QVÆSTIO II.

Vtrùm continuum sit diuisibile in semper diuisibilia?

Aristot. 6. *Physic. text.* 3. Simplic D. Thom. & alij interpretes, *ibid.* Auerroës *com.* 3. Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. *&* 5. *Metaph quæst* 10 Durandus *in* 1. *dist.* 39. *quæst.* 2. *& dist.* 34. *quæst.* 2. Gregor. *in* 2. *dist.* 24. *quæst.* 1. Canonic. 4. *Physicor. quæst. vnica.* Nymph. 5. *Met. quæst.* 6. Soncin. *quæst.* 20. Fonseca *quæst.* 6. *sect.* 5. Sotus *lib* 3. *Physic. quæst* 3. Tolet. *lib.* 6. *quæst.* 1. *concl.* 3. Peret. *lib.* 10. *cap.* 13. *&* 15. Complutens. *disp.* 25. *quæst.* 4. Fuente *quæst.* 1. *diffic.* 1.

1. ARGVITVR quòd non: quia tunc sequeretur, quòd in continuo essent infinitæ partes; consequens est falsum, quia vel essent in actu, vel in potentia: non in actu, vt dicit Aristoteles 3. *huius*, *text.* 67. non in potentia, quia illa potentia non potest reduci ad actum, nisi per diuisionem, & per hoc, dato quòd tunc diuideretur, iam non esset continuum.

Secundò, quia est dare vltimam partem proportionalem continui: igitur continuum non est diuisibile in semper diuisibilia. Probatur antecedens, & imaginetur aliqua pars hominis diuisa per partes proportionales, secundùm proportionem duplam, & imaginetur *C*, spatium consimiliter diuidi, & terminetur ad punctum, vel ad lineam *D*, versùs partes minores; tunc pono quòd *A*, & *B* mobilia debeant moueri supra *C* spatium in hora sic diuisa, ita vt *A* moueatur in duplo velociùs, quàm *B*, & incipiat moueri à partibus minoribus versùs maiores, & in fine cuiuslibet horæ quiescat mobile *A*, donec ibidem veniat mobile *B*, tunc quæro, vtrùm in fine horæ *A*, & *B* æquè citò veniant ad punctum *D*, vel non: si sic; igitur *B* mouebatur æquè velociter sicut *A*, quod est contra positum. Si non, sed *A* citiùs venit ad *D* quàm *B*: igitur quando *A* primò attingit *D*, inter ipsum & *B* est aliquod spatium intermedium; & tunc, vel illud est vna pars proportionalis, vel plures: non plures, quia tunc non in fine cuiuslibet partis *A* expectasset *B*, quod est contra positum. Si vna sola; igitur est vltima pars proportionalis, & habetur intentum.

Tertiò, sint *A*, *B* duo corpora se inuicem tangentia; & diuidatur *B* secundùm partes proportionales; tunc arguitur sic: *B* secundùm aliquam sui partem tangit *A* immediatè: igitur aliqua est vltima pars proportionalis ipsius *B*. Consequentia tenet: quia inimaginabile est, quòd aliqua multitudo tangat aliquid, vel sit sibi immediata, nisi aliquid illius multitudinis sit immediatum illi. 2.

Quartò, nullus numerus est infinitus; omnes partes continui sunt numerus: igitur nullæ partes continui sunt infinitæ, & per consequens continuum non est diuisibile in semper diuisibilia.

Quintò, Infinitis repugnat, quòd sint accepta; sed omnes partes continui sunt acceptæ: igitur nullæ partes continui sunt infinitæ. Maior patet per definitionem infiniti; quia *infinitum est enim quantitatem accipientibus semper contingit vltra accipere:* & minor probatur: quia accepto aliquo toto, accipiuntur omnes partes eius.

Sextò, sequeretur, quòd nullum continuum posset pertransiri, quod est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia in quolibet continuo sunt partes infinitæ, & non contingit infinita pertransiri.

Septimò, sequeretur, quòd quodlibet continuum esset infinitum; consequens est falsum. Consequentia probatur: quia plures partes faciunt maiorem extensionem, quàm pauciores: igitur infinitæ partes faciunt infinitam extensionem, & cùm in continuo sint infinitæ partes, sequitur, quòd continuum est infinitum.

Octauò, in continuo non sunt infinitæ partes eiusdem quantitatis: igitur nec eiusdem proportionis. Antecedens patet 3. *huius*, *text.* 67. Consequentia probatur, quia in quotcunque partes eiusdem proportionis potest diuidi continuum, in tot etiam eiusdem quantitatis, quia totum potest diuidi in duas medietates. Item, quælibet medietas in duas. Item quælibet quarta in duas, & sic in infinitum. 3.

Nonò, sequeretur, quòd in toto non essent plures partes, quàm in parte; consequens est falsum, quia totum habet omnes partes, quas habet sua pars, & cum hoc alias alterius partis. Consequentia probatur: quia infinitis non sunt aliqua plura, & tamen tam in toto, quàm in parte sunt infinitæ partes.

Oppositum arguitur per Aristotelem in *isto 6. text. 3.* quia nisi continuum esset diuisibile in semper diuisibilia, ipsum esset compositum ex indiuisibilibus, cuius oppositum est probatum priùs.

Secundò, arguitur, suppositis definitionibus velocioris *in isto 6. tex.* 12. datis, a quia quolibet motu dato potest dari motus tardior; vt patet de motu sphæræ super polos immobiles, tunc si aliquod mobile pertranseat aliquod spatium in aliquo tempore, mobile in duplo tardiùs pertransibit idem spatium in duplo tempore, & medietatem in eodem tempore, & mobile in duplo tardiùs quàm illud pertransibit medietatem medietatis, & sic in infinitum, quod non esset, nisi illud spatium esset diuisibile in semper diuisibilia.

4. *Diuisio quæstionis.*

In ista quæstione sunt tres dubitationes. Prima est, an ista sit concedenda; *Aliqua partes continui sunt omnes partes continui.* Secunda, vtrùm ista sit concedenda de præsenti, *Infinita sunt partes continui*, vel etiam *partes continui sunt infinita.* Tertia, an ista sit concedenda de possibili, *continuum potest diuidi in infinitum.*

Dictio omnis sumitur distributiuè, & collectiuè.

Quantum ad primum, notandum, quòd hæc dictio *omnis* sumitur quandoque distributiuè; & sic hæc esset falsa; *aliqua partes continui sunt omnes partes continui*, nisi esset aliquod continuum tale, quod præcisè haberet duas partes; quod est impossibile. Alio modo sumitur collectiuè, & tunc denotat terminum communem, cui additur accipi pro maiori numero suppositorum contentorum sub illo numero, designando cum hoc quòd nullum sit suppositum contentum sub illo termino, nisi sit aliquid multitudinis. Exemplum, si in ista propositione: *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *omnes* accipiatur collectiuè: & tunc sensus est, quòd maior numerus suppositorum istius termini *Apostoli* est *duodecim*, & cum hoc, quòd nullus sit Apostolus, qui non sit de numero illorum duodecim. Tunc in proposito est concedendum de aliquo toto habente infinitas partes, quòd aliquæ sunt omnes illius totius: verbi gratiâ, si aliquod habet præcisè quatuor partes, tunc illis signatis, verum est dicere, quòd istæ partes sunt omnes partes huius continui.

Secundò, dico quòd de nullo toto habente infinitas partes, verum est dicere, aliquæ partes sunt omnes partes illius totius: quia quibuscumque partibus datis, adhuc sunt aliæ quæ sunt partes illarum partium: & sic patet quòd secundùm nullum sensum hæc est concedenda, *aliqua partes continui, sunt omnes partes continui*; & hoc de prima dubitatione.

5. *Infinitum sumitur bifariam.*

De secunda, nota, quòd hæc dictio *infinitum* accipitur dupliciter: vno modo categorematicè; & sic est terminus priuatiuus oppositus huic termino *finitum*: modò de ratione priuatiui est significare illud idem negatiuè, quod suum positiuum significat affirmatiuè, connotando cum hoc aptitudinem ad suum positiuum; & sic illud, de quo dicitur iste terminus *infinitum*, est extensum sine termino, vel carens terminis, aptum natum tamen esse terminatum.

An partes continui sint infinita, vel è contra?

Verum est tamen, quòd licèt de ratione priuatiui sit taliter significare, tamen non vtimur isto termino *infinitum* categorematicè sumpto, nisi quòd significet idem, quod ista oratio: *carens termino*. Alio modo sumitur syncategorematicè, & tunc quidam sic exponunt, non tantum quin maius: igitur infinitum. Sed ista expositio non valet: quia tunc sequeretur, quòd Chimæra esset infinita; quia Chimæra non est tanta, quin maior: igitur est infinita: & ideò exponitur sic *infinitum*, id est, quodlibet quanto maius, & infinita, id est, quotlibet plura, & quibuslibet plura; & ita ista: *infinita partes sunt in continuo*, significat idem, quod ista oratio; *quotlibet partibus plures partes sunt in continuo*: verum est tamen, quòd ad istam expositionem affirmatiuam sequatur illa negatiua reprobata. Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio: nullæ partes continui sunt infinitæ, sumendo hanc dictionem *infinitum* categorematicè; patet, quia omnes partes continui sunt terminatæ; nec aliquæ sunt extensæ sine termino: igitur omnes sunt finitæ.

Secunda conclusio; capiendo hanc dictionem *infinitum* syncategorematicè, hæc est vera; *infinita partes sunt in continuo*, & etiam à parte prædicati, *in continuo sunt infinita partes*. Probatur: quia quolibet partibus continui plures partes sunt in continuo; igitur infinitæ partes sunt in continuo per descriptionem. Et antecedens apparet: quia quotcunque partes continui signentur secundùm veram descriptionem, adhuc possunt signari aliæ, & plures, secundùm descriptionem. Secundò, quia in continuo sunt aliquot partes, & non tot, quin plures: igitur infinitæ. Ex isto sequitur, quòd hæc dictio *infinitum* potest æquè sumi syncategorematicè à parte prædicati, sicut à parte subiecti; quod tamen multi negant: & hoc de secundo.

6. *Regula in propositionibus de possibili, de præterito, & de futuro.*

Quantum ad tertium, notandum, quòd (loquendo in propositionibus de possibili, aut de præterito, aut de futuro) oportet vti duabus regulis, quas multi ponunt vniuersales. Prima regula est ista: *Omnis propositio singularis, vel indefinita de possibili debet poni in esse per vnam propositionem de præsenti*, vt ista: Socrates potest currere, ponenda est in *esse* per vnam propositionem, & non per plures, scilicet Socrates currit. Secunda regula, quòd *In omni propositione de possibili, aut de præterito, vel de futuro, prædicatum appellat suam formam, & non subiectum*; hoc est dictu, quòd talis propositio debet poni in *esse* per vnam de consimili prædicato, & non oportet quòd per vnam de consimili subiecto: & potest exemplificari de ista: *album potest esse nigrum.* Dico tamen quòd istæ regulæ sunt modificandæ. Primò, si alterum extremum sit pluralis numeri, non oportet, quòd illa propositio ponatur in *esse* per vnam de præsenti: verbi gratiâ, *isti currebant*, ad hoc, quòd hæc sit vera, non oportet, quòd ista aliquando fuerit vera, *isti currunt*; sed sufficit, quòd hæc vnâ vice fuerit vera; *iste currit*, & illa aliâ vice; *iste currit.* Secundò, si alterum extremum sit copulatum, tunc non oportet, quòd per vnam propositionem ponatur in *esse*, sed per plures, vt ista: *eclipses Solis, & Lunæ fuerunt*; quia nunquam ista fuit vera; *eclipses Solis & Lunæ sunt.* Tertiò, quando ab vno extremo propositionis ponitur terminus numeralis, tunc illa ponenda est in *esse* per plures propositiones; & non per vnam. Exemplum: ter potaui vinum. Quartò, quando à parte prædicati propositionis ponitur syncategorema, vel aliquod includens

synca

syncategorema, tunc non oportet, quando illa propositio ponitur in *esse*, quòd illud syncategorema maneat sub propria forma à parte prædicati: immò, si illud syncategorema sit signum vniuersale, debet poni in *esse* per plura signa particularia sibi correspondentia: verbi gratiâ, hæc est possibilis naturaliter: *videbo omne astrum*, & hæc est impossibilis: *video omne astrum*, ideò illa de futuro debet aliter poni in *esse* per plures propositiones: explicando signum vniuersale per plura signa particularia. Et istis quatuor conditionibus obseruatis, illæ regulæ sunt vniuersaliter concedendæ.

7. Et secundùm hoc respondetur ad dubitationem; primò, quòd hæc est falsa; *in infinitas partes potest diuidi continuum, in semper diuisibilia potest diuidi continuum.* Causa huius est, quia si tales propositiones ponerentur in *esse* per vnam, vel per plures, oporteret prædicatum saluare sub propria forma per regulam secundam propositam, & semper ista est falsa: *in aliquas partes est diuisum continuum*, quia si sit diuisum iam non est continuum. Secundò dico, quòd hæc est concedenda: *in infinitas partes continuum est diuisibile, in semper diuisibilia continuum est diuisibile*: & probatur inductione. Tertiò dico, quòd istæ sunt concedendæ: *continuum est diuisibile in semper diuisibilia*; *continuum est diuisibile in infinitum*; nec oportet quòd prædicatum saluetur in propria forma, quando ponitur in *esse*, eo quòd prædicatum continet manifestè aliquod syncategorema; & sic patet, quòd continuum est diuisibile in semper diuisibilia.

Ad rationes. Ad primam, tunc in continuo essent infinitæ partes, concedo; capiendo syncategorematicè. Et quando arguitur, vel in actu, aut in potentia, concedo quòd sunt infinitæ partes in actu ab inuicem distinctæ, licèt non in actu ab inuicem separatæ; & hoc intelligit Aristoteles 3. *huius, text. 67. & inde*, quando negat partes continui esse infinitas.

Ad secundam, negatur antecedens, nisi vna medietas vocetur vltima, aut vna tertia, aut vna quarta, & sic de aliis. Ad probationem dico, quòd *A*. & *B* æquè citò venient ad punctum *D*, nec ista consequentia valet: *quamlibet partem spatij pertransiuit A priùs quàm B, igitur omnes partes spatij pertransiuit A priùs quàm B.* quia per antecedens non designatur, nisi quòd per quamlibet partem *A* priùs pertransiuit, quàm *B* in aliquo instanti; modò ex hoc non sequitur, quòd priùs in aliquo instanti pertransiuit omnes partes, quàm *B*, quia antecedens est verum, & consequens falsum: sicut non sequitur, *Deus priùs creauit Adam, & Noe, quàm Petrum: igitur in aliquo instanti creauit illos.*

8. Ad tertiam, concedo casum: & dicitur vno modo, quòd *B* tangit *A*, secundùm superficiem terminantem ipsum *B*, quæ est immediata *A*; tamen dato, quòd non considerentur istæ superficies; dicitur quòd nulla esset pars proportionalis, nec hoc est inimaginabile, nisi poneretur quòd in continuo solùm essent finitæ partes.

Ad quartam, concedo, sumendo categorematicè hanc dictionem *infinitum*. Et sic similiter sumendo conclusionem, quòd nullæ partes continui sunt infinitæ. Et si quæratur qualiter est hoc, quod Aristoteles *in 3. huius, text. 68.* concedit numerum esse infinitum. Dico quòd ipse sic intelligit, quòd non est tanta multitudo continui secundùm vnam discretionem, quin possit esse maior multitudo partium continui secundùm, aliam discretionem; sed sic non est de magnitudine, quia de facto est maxima magnitudo, quæ potest esse.

Ad quintam, concedo quòd infinitis repugnat esse accepta: quia quodlibet eorum seorsim, & separatim sit acceptum secundùm distinctionem, infinita tamen benè possunt esse accepta secundùm aliam distinctionem.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem, negatur quòd infinita non possunt pertransiri sumendo ly *infinitum* syncategorematicè: quia sic sumendo, isti termini *finitum*, & *infinitum*, non sunt oppositi plusquam *omnis*, & *aliquis*.

Ad septimam, negatur consequentia. Ad probationem: Plures partes, &c. negatur, nisi illæ partes sint æquales, aut maioris quantitatis, quia duę quartæ non faciunt maiorem extensionem, quàm vna medietas. 9.

Ad octauam, negatur consequentia. Ad probationem, dico quòd, licèt sic diuidendo, posset concedi, quòd sint infinitæ partes eiusdem quantitatis; attamen hoc non contradicit Aristoteli, quia ipse dicit sic, quòd acceptâ aliquâ parte continui certæ quantitatis, impossibile est, quòd in eodem continuo sint partes infinitæ eiusdem quantitatis: quia tunc totum esset infinitum.

Ad nonam, concedo consequens: quod patet: quia in æquinoctiali non sunt plures partes quàm in tempore, in quo pertransitur, scilicet in vna die naturali. Item, tot sunt partes in vno paruo circulo versùs polum, sicut in circulo arctico, quot etiam in die naturali; quia cuilibet parti diei naturalis correspondet vna pars illius circuli, quæ pertransibitur in illa parte diei, & sic in maiori circulo, & in minori non sunt plures partes in vno, quàm in reliquo, & sic non sunt plures partes in toto, quàm in parte.

ANNOTATIONES.

NOta primò, quòd tota difficultas in hac quæstione consistit, an in continuo sint infinitæ partes, & quomodo? Vnde, quidam dicunt, quòd plura actu diuisa sunt simpliciter plura: cæterùm plura actu indiuisa, vt abstrahunt à diuisione, sunt plura secondùm *quid*, & vnum simpliciter propter indiuisionem. Quare in continuo sunt infinitæ partes secundùm *quid*, at non simpliciter; atque adeò quodlibet continuum potest dici infinitum secundùm *quid*, & ponere infinitum secundum *quid* nulla est repugnantia. 10.

In continuo sunt partes duplices actuales & potentiales.

Quidam verò dicunt, quòd in continuo sunt duplices partes: quædam actuales; quædam potentiales. Partes actuales dicuntur partes eiusdem quantitatis, & ex numero, & quantitate talium consurgit magnitudo totius. Partes verò potentiales dicuntur partes eiusdem proportionis; & secundùm numerum illarum partium non variatur corpus secũdùm magnitudinem, & paruitatem; quia tot sunt partes tales in grano milij, vel in millesima parte eius, quot in toto vniuerso: quia vtrobique sunt infinitæ, adeóque secundùm hanc sententiam in continuo sunt infinitæ partes potentiales, siue eiusdem proportionis; sed non infinitæ actuales, siue eiusdem quantitatis.

In continuo quomodo sint infinita partes.

Alius est modus dicendi, quòd in continuo non sunt partes infinitæ, sed finitæ in infinitum,

ita

ita quòd nunquam eſt deuenire ad vltimum. Aliter dicit quidam Doctor, quòd in continuo non ſunt partes infinitæ, nec finitæ numero actu, quia nullum numerum conſtituunt: diuiſio enim continui numerum cauſat. Nam ex diuiſione continui cauſatur numerus, *tertio huius*. Cùm ergo non ſint partes diuiſæ, ſequitur quòd nullum numerum conſtituant, & iuxta hunc modum dicendi poſſet reſponderi ad quartam huius quæſtionis.

11. *Infinitum poteſt dici aliquid duobus modis.* Aliter dicit quidam ſic, quòd aliquid eſſe infinitum poteſt eſſe dupliciter: primo modo, in *facto eſſe*, & in *accepto eſſe*. Secundo modo, in *fieri*, & in *accipiendo*. Primo modo dicitur infinitum, cuius tot ſunt accepta, quòd non poſſunt plura accipi; vt dicatur linea infinita ſic, cui nulla poteſt fieri additio: & hoc modo probat Ariſtoteles *in 3. huius text. 42. & inde ad 55.* quòd non poſſit corpus infinitum eſſe. Secundo modo dicitur infinitum, cuius poſt aliqua plura accepta, ſunt plura, & plura in infinitum; ita quòd accipiendo ſucceſſiuè vnum poſt aliud, non eſt dare terminum. Primum appellatur infinitum in actu: ſecundum verò in potentia & in *fieri*. Vlteriùs dicit, quòd diuiſibile non denominat actum, ſed potentiam: quia diuiſibile dicitur, quod poteſt diuidi; atque adeò continuum non habet partes infinitas in *accepto eſſe*, quæ conſtituant infinitum in actu; habet tamen infinitas in *fieri*, & in accipiendo vnam poſt aliam, & ideò ſufficit quòd ſit infinitum in potentia.

Nota ſecundò, quòd partes in continuo ſunt duplices: quædam ſunt æquales in quantitate, vel æqualis quantitatis, ſic quòd vna eſt æqualis alteri æqualitate quantitatis; aliæ ſunt æquales in proportione, ſic quòd vna eſt æqualis alteri in proportione, & habent proportionis æqualitatem. Exemplum primi, omnes lineæ bicubitæ, vel tricubitæ ſunt eiuſdem quantitatis. Exemplum ſecundi, ſi primò accipiatur medium quantitatis datæ, poſtea medium medij, deinde medium alterius medij, atque ita ſemper accipiatur ſecundùm medietatem; priores partes appellantur partes eiuſdem quantitatis, quæ ſunt partes determinatæ menſuræ, quæ per ipſarum replicationem poſſunt reddere totum, & per eas totum ipſum conſumitur: verbi gratiâ, ſit vna quantitas decem palmorum; in hoc quanto poteſt reperiri vna certa menſura, quæ reddit certas partes in numero, vt quantitas vnius palmi per replicationem eius, decies reddit determinatas partes in numero, poſteriores verò appellantur partes eiuſdem proportionis, & ſunt illæ, in quibus non poteſt reperiri aliqua vna menſura certa, per cuius replicationem redduntur omnes illæ partes, & conſummatur totum illud ſecundùm duas partes; nam cùm illæ partes non ſint in numero certo, & determinato, immò ponantur communiter infinitæ, & infinito repugnet talis menſura, & talis conſummatio, ideò non reperitur ratio menſuræ.

12. Ideò dicitur communiter, quòd continuum eſt diuiſibile in infinitas partes eiuſdem proportionis, non autem in partes eiuſdem quantitatis; quoniam ſi aliqua magnitudo quantumcunque magna, diuidatur in partes digitales, conſumeretur; ſed ſi diuideretur continuè in partes eiuſdem proportionis, nunquam conſumeretur, diuidendo; vel ſi diuidatur aliquod continuum in duas medietates, vel in duas partes, & ita alia pars in alias duas medietates, & ſic in infinitum: nunquam erit deuenire ad indiuiſibile.

Nota tertiò, quòd ſicut eſſe in potentia accipitur dupliciter, ita eſſe in actu. Primo modo eſſe in potentia accipitur pro *eſſe* virtuali, ſcilicet, pro *eſſe*, quod habent res in virtute ſuæ cauſæ: & res quæ tale *eſſe* habent, nihil ſunt in ſe, ſed habent denominationem à potentia Dei actiua, in qua actualiter continentur: & iſto modo creaturæ antequam crearentur, erant in potentia. Secundo modo, eſſe in potentia idem eſt, quod importare aliqua in actu non diſtincto, nec determinato: & iſto modo dicimus, quòd genus importat ſpecies in potentia; quia implicitè, & indeterminatè: iſto etiam modo totum homogeneum importat partes in potentia, quia indiſtinctè. Similiter actus poteſt dici dupliciter: vno modo, vt opponitur primæ potentiæ: & iſto modo actus idem eſt, quod in ſe exiſtere, & eſſe extra nihil; & iſto modo vnaquæque res creata ponitur extra nihil, & in actu, ita quòd non eſt in virtute ſuæ cauſæ tantùm, & hoc modo partes ſunt in continuo: nam continuum conſtituunt, & vt ſic dicunt actum hoc primo modo acceptum, eo quòd actu exiſtunt extra nihil. Alio modo eſſe in actu idem eſt, quod eſſe terminatum, & clauſum in ſua propria entitate, ſic, quòd eſt à quocunque alio ſeparatum, & in propria realitate ſubſiſtens; & hoc modo non ſunt in continuo infinitæ partes, ſcilicet in actu diſtincto, & determinato. Vnde omnia iſta ſunt vera, ſcilicet quòd partes in continuo ſunt actu ens, & quòd actu conſtituunt continuum; & quòd ſunt actu in continuo: non tamen ſequitur, quòd ſint in actu diſtincto, & determinato: & ideò non poſſunt conſtituere actu infinitum. *Eſſe in potentia & eſſe in actu bifariã ſumitur.*

Et ſi dicas, ante diuiſionem quælibet pars exiſtit in continuo: ergo ante diuiſionem habet propriam formam à forma alterius partis diſtinctam, quia actus eſt forma. Dico quòd, licèt quælibet pars in continuo ante diuiſionem habeat formam, non tamen habet eam diſtinctè, quinimmò omnes partes concurrunt ad vnam formam totalem, quæ eſt in actu; ſunt autem multæ formæ in potentia, & quando dicitur, quòd forma eſt actus, & actus eſt forma. Dico quòd actus diſtinctus eſt à forma totali, & completa, non tamen à forma partiali, quinimmò eo quòd eſt pars, non eſt actu diſtincto, & determinato; niſi talis pars ſit ipſemet actus. Vnde, licèt vna pars verè negetur ab altera, puta, dicendo; hæc non eſt illa; non propter hoc ſunt diſtinctæ, ſed diſtinguibiles. 13.

Nota quartò, pro quibuſdam rationibus ſoluendis in hac materia; quòd quando arguitur ab aliquo termino communi ſupponente confusè tantùm reſpectu alicuius multitudinis ad eundem terminum, ſupponente perſonaliter reſpectu alicuius magnitudinis, non eſt bona conſequentia; quoniam committitur fallacia figuræ dictionis. Quod declaratur in hac ratione: ſolet enim probari à quibuſdam, quòd multitudo non poſſit creſcere in infinitum: quoniam ſi ſic, tunc vltra omnem multitudinem finitam datam, eſſet dare finitam maiorem; ſed multitudo maior omni multitudine finita eſt multitudo infinita; ergo ſi vltra omnem multitudinem finitam datam, eſſet dare multitudinem finitam maiorem, ſequeretur, quòd aliqua multitudo finita eſſet multitudo infinita; quod eſt impoſſibile. Quod autem vltra omnem multitudinem finitam datam, eſſet dare multitudinem finitam maiorem, ſi multitudo creſcere *Nota hanc regulam.*

crescere posses in infinitum, patet; quia quælibet singularis huius vniuersalis esset vera; nam vltra hanc multitudinem finitam datam, esset dare multitudinem maiorem finitam, & vltra istam, aliam maiorem, & sic in infinitum.

14. Ad istam rationem respondetur, quòd hîc est fallacia figuræ dictionis, quoniam in maiori iste terminus *multitudo* in prædicato primæ propositionis supponit confusè tantùm, & dicit *quale quid*; in minori autem propositione supponit tantùm determinatè respectu eiusdem multitudinis importatæ per signum vniuersale, & ideò mutatur, *quale quid* in *hoc aliquid.*

Continuum diuidi in infinitas partes quid sit?

Nota postremò, quòd continuum esse diuisibile in infinitum, non est habere infinitas partes simul actu categorematicè, neque habere infinitas partes in potentia, ita quòd per diuisionem tales partes de nouo fiant. Diuisio enim non producit de nouo aliquam quantitatem: sed est habere infinitas partes syncategorematicè, id est, non tot, quin plures: quia non in tot potest diuidi, quin in plures diuidi possit: & hoc solet dici habere infinitas partes in potentia. Ex his sequitur, quòd, cùm continuum componatur ex partibus diuisibilibus, vt probatum est in præcedenti quæstione, erit etiam diuisibile in tales partes; vnumquodque enim diuiditur in ea, ex quibus componitur: & cùm ipsæ tales partes eandem rationem habeant, quia sunt continuæ, rursus erunt diuisibiles in partes, ex quibus vnaquæque pars componitur, quæ partes adhuc sunt continuæ, & per consequens diuisibiles in partes continuas, ex quibus componuntur, & sic in infinitum; ergo quot partes à continuo separes, remanent diuisibiles, atque adeò continuum est diuisibile in semper diuisibilia.

QVÆSTIO III.

Vtrùm in continuo sint aliquæ res indiuisibiles, vt punctus.

Aristot. *hic cap.*1. & 8. *Physic. cap.*8. & 3. *Metaph. cap.*5. Themist. Auerroës, & alij interpretes 6. *Physic.* D. Thom. *lect.*1. & 3. *Metaph. lect.*13. & *opusc.*36. Alensis 3. *Met. cap.*5. Theoph. 3. *de Anim. ad text.*25. Scotus *in* 2. *dist.*1. *quæst.* 3. & *dist.* 2. *quæst.* 9. Capreol. *dist.*2. *quæst.*1. *art.*3. Hispalen. *quæst.*1. *art.*4. Durand. *quæst.* 4. Occham *in logica cap. de quantitate, in tract. de Eucharistia cap.*1. & 2. & *quodl.*1. *quæst.* 9. Caietan. 3. *part. quæst.* 4. *art.*2. & *cap. de quantitate.* Sotus *in prædicamento de quantitate.* Suarez *tom.*2. *Met. disp.*40. *sect.* 5. *num.*28. Conimbric. 4. *Physic. cap.* 2. *quæst.*1. Ruuius *tract. de comp. continui n.*7. & *sequen.* Compluten. *disput.*25. *quæst.*1. Fuente *quæst.*1. *diffic.*1.

1. ARGVITVR quòd non: quia si fiat diuisio lineæ super punctum continuantem; tunc quæro, vtrùm punctus continuans vadat ad vnam partem, vel ad aliam, vel corrumpatur, vel vadat ad vtramque. Non ad vnam partem, nec aliam; quia nulla est ratio quare potiùs iret ad hanc partem, quàm ad illam, ex quo super ipso æqualiter fiat diuisio. Non ad vtramque, quia iam esset in diuersis locis, quod est impossibile. Si dicatur, quòd corrumpatur, hoc est falsum: quia ponamus, quòd illa linea sit linea materiæ primæ; modò materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt patet *primo huius.*

Secundò, circumscribatur per potentiam diuinam, vel imaginationem punctus terminans aliquam lineam; tunc quæro vtrùm linea sit finita, vel infinita: non infinita, quia priùs erat finita, & non est sibi aliquid additum, nec est rarefacta: igitur nunc non est infinita. Si dicatur, quòd sit finita; tunc vel finitur per punctum alium à præcedenti, vel non. Si sic; igitur illa duo puncta erant immediata, scilicet, punctus circumscriptus, & iste. Si non; igitur frustra ponebatur punctus terminans ad terminandum lineam, ex quo se ipsâ est terminata.

Tertiò, sequeretur quòd indiuisibile moueretur localiter; consequens est falsum, vt patet *in isto sexto, text.*87. Consequentia probatur: quia moto corpore mouentur omnia, quæ sunt in corpore: modò punctus est in corpore: ergo, &c. Nec valet, si dicatur, quòd indiuisibile potest moueri per accidens, licèt non per se, quia omnes rationes Aristotelis quibus probat, quòd indiuisibile non mouetur, æquè probant, quòd non mouetur per accidens, sicut quòd non mouetur per se, sicut est illa: *omne quod mouetur est partim in termino* à quo, & *partim in termino* ad quem.

Quartò, si in continuo sit aliquis punctus; vel hoc est ad continuandum, vel ad terminandum: non ad continuandum; quia circumscriptis omnibus punctis continuantibus alicuius lineæ; quæro vtrùm aliquid lineæ remaneat, vel non: si sic; igitur aliquid esset linea, in quo non esset punctus. Si non, igitur linea non esset aliud præter illa puncta continuantia; & per consequens illa linea componebatur ex illis punctis. Nec ad terminandum, quia quantitati competit, quòd sit se ipsâ terminata, vel interminata. 2.

Quintò, sequeretur, quòd quodlibet continuum esset infinitè perfectum: quia in quolibet continuo essent infinita puncta, quorum quodlibet esset certæ perfectionis; modò ex infinitis perfectionibus compositis resultat vnum infinitum perfectum.

Sextò, quia vel punctus esset substantia, vel accidens: non substantia; quia nec materia, nec forma, nec compositum, vt patet inducendo; nec accidens, quia omne accidens habet subiectum sibi adæquatum; sed punctus non habet huiusmodi subiectum, quia vel illud subiectum esset accidens; & tunc quæreretur de subiecto illius accidentis, & sic in infinitum procederetur. Si substantia, hoc est falsum, vt faciliter potest deduci, quia nec materia, nec forma, nec compositum.

Septimò, sequeretur quòd continuum esset compositum ex indiuisibilibus; consequens est falsum & probatum est 6. *huius, quæst.*1. Consequentia probatur: quia in linea est dare punctum maximè remotum, scilicet punctum in extremo lineæ remotiori: igitur similiter est dare punctum propinquissimum: tunc igitur vel inter punctum terminantem, & punctum sibi propinquissimum est aliquod intermedium, vel nullum: si aliquod, cùm illud non sit nisi linea, vel punctus, sequitur quòd punctus datus non erat propinquissimus: si nullum; igitur illa puncta erant immediata, & per consequens ex ipsis componitur continuum. Confirmatur consequentia, quia vel inter punctum terminantem; & omnia alia puncta est aliquod intermedium, vel non; si aliquod, cùm illud non sit nisi punctus, vel linea, & in qualibet linea sint puncta, sequitur quòd non omnia puncta præter terminantem erant accepta, 3.

quod

quod est contra positum. Si nullum; tunc sequitur, quòd punctus terminans sit immediatus. Secundò confirmatur consequentia: quia si sint duæ sphæræ immediatè se tangentes secundùm conuexum, tunc in linea recta terminante per locum contactus erunt duo puncta immediata: igitur ex illis componitur continuum. Tertiò confirmatur: quia puncta, quæ sunt in continuo, vel sunt continua, vel contigua, vel se consequentia: non continua, quia ipsorum non sunt aliqua vltima, &c. vt deducit Aristoteles *in isto 6. text.* 1. *&* 2. Confirmatur quartò; si in continuo sunt aliqua puncta, sequitur, quòd si punctus flueret, vel etiam si separatim moueretur super planum, quòd tunc describeret lineam compositam ex punctis.

4. Octauò, ad principale arguitur: sequeretur, quòd aliquo moto infinità velocitate, aliquid aliud moueretur velociùs; consequens est impossibile: quia ex quo velocitas est infinita, non potest dari velocitas maior. Consequentia probatur, quia si esset vnus punctus infinitus in vacuo, ille moueretur infinità velocitate: quia non haberet resistentiam, & tamen aliquid aliud moueretur velociùs, vt si vnum corpus graue simplex ibidem poneretur: quia in corpore graui sunt infinities infinitæ tantæ grauitates.

Nonò sequeretur, quòd vnus punctus alteraret vnum magnum corpus extensum, sicut vnam magnam sphæram; consequens est falsum: quia agens naturale quanto est minoris virtutis, cæteris paribus, tanto ad minorem distantiam sufficit agere: igitur si omnino careat magnitudine, ad nullam distantiam aget: sed punctus caret magnitudine: igitur punctus non alterabit aliquod corpus. Consequentia probatur: quia si punctus poneretur in centro vnius sphæræ remissè frigidæ, & ille punctus esset summè calidus, tunc alteraret punctum post punctum, donec totum corpus esset alteratum.

Oppositum arguitur ex Aristotele *in isto sexto, text.* 1. *& inde*, qui in pluribus locis ponit tam puncta, quàm instantia. Secundò, patet per definitionem puncti, quia *punctus est, cuius pars non est habens positionem in continuo.*

Opinio duplex de indiuisibilibus in continuo.

De ista quæstione sunt duæ opiniones oppositæ, quarum prima [a] ponit, quòd ita continuo non est aliqua res indiuisibilis, immò, quòd nulla res mundi est indiuisibilis, nisi intellectus, substantiæ separatæ, & actus intelligendi: & istam opinionem probant rationes ante oppositum. Notandum, quòd isti sunt diuersificati in saluando dicta Mathematicorum, & Aristotelis, qui ponunt puncta esse. Nam quidam dicunt, quòd omnes istæ propositiones sunt falsæ; *punctus est, linea est, longitudo est*, & cætera: nam in omnibus istis est aliquis terminorum, qui pro nullo supponunt. Ideò dicunt, quòd propositiones Mathematicæ, & quædam, quas Aristoteles ponit *in isto* 6. solùm sunt intelligendæ conditionaliter. Alij dicunt, quòd non oportet hanc esse veram; *punctus est*, sed ad intentionem Mathematici sufficit imaginabile esse punctum esse, quia dicit Commentator 3. *Metaph. comm.* 60. quòd propositiones Mathematicæ sunt in capitulo propositionum imaginabilium. Alij dicunt, saluando ista dicta, & supponendo, quòd iste terminus *punctus* sit terminus priuatiuus, & ideò sicut iste terminus *magnitudo*, supponit pro corpore connotando extensionem, ita iste terminus *punctus* supponit pro corpore non connotando extensionem; sed supponit pro corpore secundùm quòd concipitur sub isto conceptu, quod est terminus distantiæ, vel magnitudinis: & isto modo quælibet res mundi potest dici punctus: quemadmodũ Astrologus volens mensurare distantiã inter duas stellas, quamlibet illarum stellarum vocat punctum.

5. Secunda opinio est contraria præcedenti; & ponit quòd in continuo sunt partes indiuisibiles sicut puncta; ita vt duplicia sint puncta: quædam terminantia lineam, & sunt in extremitatibus lineæ. Alia sunt continuantia, super quæ fit diuisio lineæ: nam inter duo puncta non potest fieri diuisio: quia iam illa puncta fuissent immediata, & ex eis componeretur continuum.

Ista positio probatur: nam si anima intellectiua ponatur super aliquam magnitudinem, ita vt sit in vno loco, & non in pluribus, tunc quæro, vtrùm animæ intellectiuæ correspondeat portio diuisibilis illius magnitudinis: aut indiuisibilis. Si diuisibilis, igitur indiuisibile est æquale diuisibili, quod est impossibile: quia iam indiuisibile esset diuisibile, quod implicat. Consequẽtia probatur, quia illa sunt æqualia, quorum vnum supponitur alteri, nec excedit ipsum, nec exceditur ab ipso: sed indiuisibile, scilicet intellectus, superponitur parti diuisibili magnitudinis, quæ sibi correspondet. Et si dicatur quòd sibi correspondet portio indiuisibilis, habeint propositum, quòd in magnitudine est aliquod indiuisibile; & illud voco punctum.

6. Secunda; aliqua est superficies indiuisibilis secundum profundum: igitur aliquis est punctus indiuisibilis. Consequentia tenet, quia de superficie, linea, & puncto est idem iudicium, quia negantes vnum, negant & reliquum. Antecedens probatur; & sit ignis vnus punctus summè calidus, qui debeat agere in aliquod passum; tunc iste ignis agit in passum secundùm partes applicatas passo, & non secundùm omnes partes in profundo, vt probatum fuit in 3. *huius, quæst.* 4. igitur agit secundùm aliquam partem, & non nisi secundùm superficiem indiuisibilem approximatam passo: igitur aliqua est superficies indiuisibilis. Minor probatur: quia pars infra illam superficiem non potest agere in passum distans, nisi agendo per partem intermediam: modò hoc est impossibile, quia illa assimilata sibi. Nec valet si dicatur, quòd ignis agit secundùm aliquam sui partem in illud passum, tamen secundùm nullam totam partem: quia contrà, iste ignis agit in illud passum, & non agit primò in ipsum: quia non quælibet pars ignis agit in ipsum: igitur ille ignis agit per aliquid sui, quod agit primò. Consequentia tenet per Aristotelem 5. *huius, text.* 1. quia illud quod mouetur non primò, denominatur motum ratione partis, quæ primò mouetur.

Tertiò, sequeretur, quòd aliqua corpora nunc essent contigua, & postea continua non factâ mutatione; consequens est falsum. Probatur consequentia, posito quòd sint duo corpora contigua immediata, ita vt sine motu locali alterante, positione partium fiant continua, tunc ista corpora sunt continua, quę priùs erant contigua, & tamen nulla est mutatio facta, nisi quòd corruptæ sunt duæ superficies terminantes: igitur si non ponerentur huiusmodi superficies, nulla est ibi mutatio facta.

Quartò, potest argui de visibili opaco, quod videtur, cuius nulla pars in profundo videtur: igitur

igitur sequitur quòd sola superficies videtur; & per consequēs aliqua est superficies indiuisibilis.

7. Quintò, quia aliter multæ propositiones Mathematicæ, quæ sunt demonstratæ, vel quæ sunt principia demonstrationis, essent falsæ, quod non est concedendum; & sic patent quæstionis opiniones.

Ideò sit conclusio: Aliquis est punctus materiæ primæ, & aliquis formæ substantialis, & aliquis est punctus qualitatis, & aliquis compositus ex materia, & forma. Probatur, quia aliquis est punctus, per præcedentem conclusionem: vel igitur ille est punctus quantitatis, vel materiæ, vel formæ, aut qualitatis, & sic de aliis: & quocunque dato, sequitur quodlibet aliorum; quia si sit punctus materiæ, sequitur quòd sit punctus formæ ipsam informantis: & si est punctus formæ, sequitur quòd est punctus qualitatis: quia non est dare formam substantialem sine qualitatibus, quæ ipsam naturaliter consequuntur. Item, si sit punctus quantitatis, sequitur (cùm quantitas non possit esse separata à materia, nec etiam punctum quantitatis) quòd est punctus materiæ correspondens illi puncto quantitatis; & sic quocunque dato, sequitur reliquum.

In quolibet continuo sunt infinitæ lineæ.

Tertia conclusio: Est aliqua linea indiuisibilis secundùm latum, & secundùm profundum: immò in quolibet continuo sunt lineæ infinitæ. Probatur ex prima conclusione. Secundò, quia si columna rotunda poneretur super planum, ipsa tangeret planum: non primò, quia non secundùm quamlibet partem eius: igitur tangit planum secundùm aliquam partē, quæ tangit ipsum primò, & illa pars non est nisi linea indiuisibilis. Minor patet, quia si illa pars esset diuisibilis iam aliqua pars esset circulata, vel columna non esset perfectè rotunda, quod est contra positum.

Quarta conclusio: Aliqua est superficies longa, & lata, indiuisibilis tamen secundùm profundum. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur quòd quando duo corpora tangerent se, quòd vnum penetraret reliquum. Consequens est falsum, vt patet 4. huius, text. 53. & 55. Consequentia probatur, quia vel tangerent se secundùm superficies indiuisibiles, & habetur propositum; vel secundùm partes in profundo, & habetur consequens.

8. Ex quibus sequitur, quòd sicut aliquis est punctus compositus ex materia, & forma, ita etiam est aliqua linea composita ex materia, & forma; & cum hoc etiam aliqua superficies. Et si obiiciatur: tunc sequeretur quòd punctus esset diuisibilis, quia posset diuidi in materiam, & formam. Respondetur, quòd non est inconueniens punctum diuidi in partes essentiales, sicut in materiam, & formam: tamen non est diuisibilis in partes quantitatiuas.

Pūctus est diuisibilis in partes essentiales.

Contra primam conclusionem arguitur: quia si in continuo esset aliquis punctus indiuisibilis, sequeretur quòd punctus esset diuisibilis, vel quòd materia prima esset generabilis. Prima pars consequentis implicat contradictionem. Et secunda est falsa, vt patet primo huius, text. 82. Consequentia probatur; & capiatur vna linea materiæ primæ, quæ diuidatur super punctum continuans, quia impossibile est ipsam diuidi inter duo puncta, nisi puncta sint immediata. Tunc igitur ille punctus continuans, vel vadit ad vnam partem, vel ad aliam, & hoc non, quia quā ratione, &c. sicut argutum est ad principale: vel corrumpitur, & habetur propositum, quòd materia prima est corruptibilis. Respondetur ab aliquibus, quòd non est inconueniens vnum punctum materiæ primæ corrumpi, vel vnam superficiem, vel lineam, quia propter hoc non minuitur materia prima. Aliter respondetur. Pro quo præmittitur, quòd materia prima, quantùm est ex parte sui, non determinat sibi aliquam quantitatem, immò (sicut patuit primo huius) non repugnat sibi, quòd condensetur vsque ad indiuisibile, aut extendatur ad quantitatem cœli. Secundò, supponitur, quòd quando linea formæ diuiditur, tunc corrumpitur punctus continuans, & generantur duo puncta de nouo terminantia partes lineæ diuisæ. Tertiò, supponitur quòd non potest diuidi linea materiæ primæ, nisi cum hoc diuidatur linea formæ, quia impossibile est materiam esse sine forma. Ex quibus patet, quòd quando linea materiæ diuiditur, tunc punctus formæ supra quem fit diuisio corrumpitur, & generantur duo puncta terminantia; ita dico quòd ex puncto materiæ, super quem fit diuisio, fiunt duo puncta terminantia, correspondentia illis duobus punctis formæ, quorum vnus vadit ad vnam partem lineæ diuisæ, & alter ad aliam. Tertio modo respondetur, quòd ex illo puncto continuante fit portio diuisibilis materiæ, scilicet portio lineæ, cuius vna pars vadit ad vnam partem, & alia ad alteram: nec hoc est inconueniens, cùm materia de sui natura sit quantumlibet diuisibilis: & sicut dicitur de diuisione lineæ super punctum, ita conformiter diceretur de diuisione superficiei super lineam.

Materia prima nō determinat sibi aliquam quantitatem.

Ad rationes principales. Ad primam dicitur, quòd punctus continuans corrumpitur, si sit linea formæ, vel qualitatis; & duo puncta de nouo generantur: sed si sit linea materiæ, tunc ille punctus efficitur portio diuisibilis, vel saltem fit duo puncta, quorum vnum vadit ad vnam partem, & aliud ad aliam. 9.

Ad secundam, dico quòd hoc non est possibile, nisi altero duorum modorum, scilicet quòd vel portio lineæ destruatur. Et tunc residuum remanet terminatum puncto terminante, quod non erat immediatum primo puncto, sed portio diuisibilis resecata erat intermedia; vel quòd si punctus terminans auferatur, vel corrumpatur, oportet quòd vnus alter de nouo generetur. Alij dicunt, admittendo simpliciter, quòd punctus terminans potest remoueri. Et tunc dicunt, quòd linea remanet terminata se ipsâ, nec ex hoc sequitur, quòd frustra ponitur punctus terminans.

Ad tertiam, sequeretur quòd indiuisibile, &c. De hoc fiet quæstio postea; tamen pro nunc concedo consequens. Ad probationem, omne quod mouetur, partim est, &c. si intelligatur, quòd habeat vnam partem in vno loco, qui est terminus *à quo*, & aliam in alio, qui est terminus *ad quem*. Illa maior est falsa; sed si intelligatur, quòd omne quod mouetur, est in aliquo loco, vel situ, qui respectiuè dicitur terminus *à quo*, & cum hoc terminus *ad quem*; tunc concedo; modò sic est in proposito, quòd indiuisibile benè est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; & istud magis declarabitur postea.

Ad quartam, dico quòd vtroque modo. Et quando dicitur: non ad terminandum, &c. Dico quòd immò; quia quantitas est se ipsâ terminata, scilicet seipsâ, vel parte sui: modò punctus est pars quantitatis: ideò ex quo terminatur puncto, parte 10.

ſui terminatur. Ex quo patet, quòd iſta diuiſio non eſt ſufficiens: omnis pars alicuius totius eſt quantitatiua, vel eſſentialis, ſuppoſito quòd quantitas ſit res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate. Tunc enim punctus non eſſet pars quantitatiua, niſi valdè impropriè; nec eſſet pars eſſentialis, & eodem modo de puncto compoſito ex materia, & forma.

Ad quintam negatur conſequentia. Ad probationem dico, quòd non ſequitur, in continuo ſunt infinita puncta, quorum quodlibet eſt perfectum, vel perfectio: igitur quodlibet continuum eſt infinitè perfectum; quia debet addi in antecedente, in continuo ſunt infinita, quorum quodlibet eſt perfectionis aliquantæ æqualis, vel maior, alicui perfectioni datæ: igitur continuum eſt infinitè perfectum; ſed modò antecedens eſt falſum, quia punctum non eſt aliquantæ perfectionis, ſed indiuiſibilis.

Ad ſextam, dico quòd vtroque modo. Ad probationem dico, quòd eſt punctus tam materiæ, quàm formæ, vel qualitatis, cuius ſubiectum adæquatum eſt punctua indiuiſibilis materiæ primæ. Similiter punctus compoſitus ex materia, & forma.

Ad ſeptimam, negatur conſequentia: immò inter quælibet duo puncta eſt linea media in eodem corpore continuo. Et hoc dico notabiliter, quia in diſcontinuis poſſunt eſſe puncta immediata. Item, inter quaſcumque duas lineas eſt ſuperficies media, & inter quaſlibet duas ſuperficies corpus medium. Ad probationem, eſt dare punctum maximè remotum, concedo: igitur maximè propinquum Negatur conſequentia.

11. Ad confirmationem, ſi linea recta tranſeat per duas ſphæras ſe contingentes. Dico, quòd ſi illæ ſphæræ ſint diſcontinuæ, non eſt inconueniens, quòd puncta contactus ſint immediata; & tamen linea per illas ſphæras tranſiens non eſſet continua: quia ſi fuerit linea, vna neceſſe eſt illas ſphæras eſſe continuas.

Ad ſecundam confirmationem, vel inter punctum, &c. Dico, quòd inter punctum terminantem, & quodlibet aliud eſt linea media. Vel ſi formetur ratio ſic; vel inter punctum terminantem, & omnia alia, eſt aliquod intermedium, vel nihil. Reſpondetur diſtinguendo, quia vel accipis hoc ſignum, *omne*, collectiuè, vel diſtributiuè: ſi diſtributiuè; tunc concedo, quòd inter punctum terminantem, & omnia alia eſt aliquod medium, ſcilicet linea: ſed ſi accipiatur collectiuè, dico quòd non; quia nulla ſunt omnia alia puncta à puncto terminante, vt patet in præcedenti quæſtione; ſignum autem vniuerſale collectiuè ſumptum non poteſt addi termino communi habenti infinita ſuppoſita.

Ad aliam, dico quòd nullo modo: quia non haberent inter ſe ordinem ſitus aliquo modo.

Ad octauum principale, negatur conſequentia. Ad probationem, concedo ad imaginationem, quòd ſi punctus grauitatis poneretur in vacuo, vel non moueretur: vel moueretur ſubitò; & dico quòd ſuppoſito, quòd eſſet vnum graue infinitum iuxta poſitum, ipſum non moueretur velociùs; nam in vacuo graue ſimplex non moueretur velociùs, quàm faceret quarta pars eius, ſi eſſet ſeparata.

Ad nonam, negatur conſequentia; quia propter multitudinem agentium approximatorum ſtatim corrumperetur.

ANNOTATIONES.

12. *Prima ponit, quòd in continuo non eſt aliqua res indiuiſibilis.* Nota, quòd tenentes iſtam opinionem dicunt, quòd duplex eſt vſus huius nominis *punctus*, & vterque conueniens. Vnus eſt vſus Mathematicus, & eſt fictus per imaginationem. Alius eſt vſus naturalis, prout hoc nomen *punctus* habet in re correſpondentiam, ita quòd ſupponit pro aliqua re. Vſus itaque Mathematicus eſt, conſiderando, quòd inter partes lineæ ſibi inuicem continuas ſit res indiuiſibilis, ad quam partes lineæ terminantur, qui vocatur punctus, & quòd etiam cuiuſlibet lineæ finitæ extremitas ſit res indiuiſibilis, quæ vocatur punctus: & ita ſimiliter imaginatur, quòd inter partes ſuperficiei ſit longitudo indiuiſibilis ſecundùm latitudinem, & profunditatem, ad quam partes ſuperficiei ſibi inuicem continuæ copulantur, & quòd hoc vocetur linea. Et ita imaginatur de ſuperficie inter partes corporis ad inuicem continuas. Et valdè benè poſſibile eſt quòd ſecundùm tales fictas imaginationes imponantur nomina ad ſignificandum, quæ tamen pro nulla re ſupponunt: ſicut eſt hoc nomen *vacuum*, vel hoc nomen *chimera*; & tunc ſicut dicimus chimæram nihil eſſe ſecundùm talem ſignificationem, de virtute ſermonis; ita dicitur, quòd punctus nihil eſt, atque adeò negantur omnes propoſitiones affirmatiuæ, quibus dicitur, *punctus eſt in linea*, *punctus eſt centrum circuli*, *punctus eſt terminus lineæ*, *punctus eſt indiuiſibilis*; quia omnes de rigore ſermonis ſunt falſæ. Similiter negarentur iſtæ: *locus eſt ſuperficies corporis: linea eſt longitudo*, &c. Sicut etiam iſta eſt falſa; *Vacuum eſt locus priuatus corpore.*

Punctus ſumitur bifariam.

13. Secundò dicunt, quòd, hoc non obſtante, hæc oratio, *locus priuatus corpore*, & hæc *longitudo ſine latitudine, & profunditate*, ſunt bonæ deſcriptiones huius nominis *vacuum*; & huius nominis *linea*. Et ſi dicatur: igitur male negabas iſtas propoſitiones. *linea eſt longitudo ſine latitudine*, &c. *vacuum eſt locus priuatus corpore*; quoniam vera deſcriptio debet prædicari de deſcripto verè. Reſpondent, quòd bona deſcriptio dicens *quid rei*, debet prædicari de deſcripto verè; ſed bona deſcriptio declarans ſolùm *quid nominis*, non prædicatur verè de deſcripto mediante hoc verbo *eſt*, ſi deſcriptum pro nulla re ſupponat; conceditur tamen verè prædicari de deſcripto ad hunc ſenſum: *Vacuus eſt locus priuatus corpore*, id eſt, hoc nomen *vacuum* omnia ea ſignificat, & connotat, quæ ſignificat, & connotat illa oratio, *locus priuatus corpore.* Sic etiam, *linea eſt longitudo*, &c. id eſt, hoc nomen *linea* omnia eadem ſignificat, & connotat, quæ hæc oratio, *longitudo ſine latitudine.*

Et hanc ſententiam confirmant authoritate Commentatoris, qui 3. huius, com. 60. dicit, quòd Mathematicus poteſt vti talibus fictis imaginationibus, & quòd propoſitiones Mathematicæ ſunt in capitulo propoſitionum imaginabilium, quæ ſunt quaſi fundamenta Geometriæ, abſque hoc, quòd ſit ita in re. Dicit etiam Commentator quòd Mathematici poſſunt ponere menſuram maiorem cœlo, cùm non ſit differentia inter magnum, & paruum in eo quo indigent.

14. Et ſi dicant; ſi tales propoſitiones de virtute ſermonis ſunt falſæ, & illæ ſunt fundamenta Geometriæ, ſequitur quòd fundamenta Geometriæ

metriæ sunt falsa; atque ita per ea non potest aliqua conclusio demonstrari, quia quamuis ex falsis sequatur verum, tamen nunquam ex fallis potest demonstrari verum, saltem ostensiuè, vt patet 1. Posteriorum, text. 10. Respondent, quòd nunquam Mathematicus supponit aliquod falsum; atque adeò non est verum, quòd Mathematicus supponat aliquam magnitudinem esse maiorem cœlo; sed solùm supponit quòd imaginari possumus magnitudinem maiorem cœlo. Minor probatur: in prima conclusione Geometriæ dicitur, quòd super omnem lineam datam contingit triangulum æquilaterum constituere; & non esset vera de virtute sermonis: quia si poneretur diametralis totius mundi, non posset super eam triangulus æquilaterus collocari, nisi esset magnitudo extra cœlum: igitur Mathematicus non ponit talem propositionem secundùm intellectum categoricum, sed secundùm intellectum hypotheticum, scilicet, quòd si esset tanta magnitudo, quantam possemus imaginari, tunc super omnem lineam finitam datam contingeret triangulum æquilaterum collocare; tamen Mathematicus scribit illas propositiones, & conclusiones categoricè propter breuiloquium.

Tertiò, dicunt quòd hoc nomen *punctus* secundùm vsum naturalem, est nomen priuatiuum. quod patet 3. de Anima, text. 15. vbi dicit Aristoteles quòd punctus est omnis diuisio; & sic indiuisibile nominatur, sicut priuatio; & ipse vocat punctum, aut instans diuisionem: quia linea intelligitur diuidi per punctum, & Commentator, exponendo dictum Aristotelis dicit, quòd punctum significat priuationem diuisibilitatis in magnitudine.

15. Quartò, dicunt, quòd nomen priuatiuum requirit in sua significatione substratum, & circa illud substratum significat, vel connotat carentiam alicuius dispositionis; & sic significat, vel connotat illam dispositionem negatiuè: modò in significatione huius termini *punctus*, magnitudo est substratum, & diuisibilitas est dispositio, quam hoc nomen *punctus* significat negatiuè circa huiusmodi magnitudinem; ita vt punctus significet carentiam diuisibilitatis; vel negationem diuisibilitatis in magnitudine. Quod bifariam intelligi potest: vno modo, quòd hoc nomen *punctus* significet simpliciter non diuisibilitatem in magnitudine; & hoc non est verum, quia tunc punctus nihil esset, cùm nulla sit magnitudo carens diuisibilitate. Alio modo potest intelligi, quòd hoc nomen *punctus* significet negationem diuisibilitatis in magnitudine, non simpliciter, sed diuisibilitatis distributiuè in eius partes quantitatiuas, per hoc nomen *totum* sumptum distributiuè; & sic debet intelligi significatio huius nominis *punctus*, ita quòd significatio puncti explicetur per istam orationem: *magnitudo, & nulla tota magnitudo*, Similiter, significatio instantis explicetur per hanc orationem: *tempus, & nullum totum tempus*; & ideò quicquid attribuitur isti subiecto *magnitudo, & nulla tota magnitudo*, potest attribui huic nomini *punctus*: verbi gratia, aliqua magnitudo est extremum magnitudinis finitæ, & nulla tota magnitudo est extremum eius: igitur punctus dicitur esse extremum eius. Similiter, temporis finiti aliquod tempus est principium, & tamen nullum totum tempus est eius principium: igitur dicimus quòd instans est eius principium: & ità similiter de fine.

16. Quintò, dicunt, quòd ista nomina, *corpus, superficies, linea, & punctus*, pro eadem re supponunt; quæ est diuisibilis secundùm longum, latum, & profundum: secundùm enim quod intelligitur diuisibilis, & mensorabilis secundùm triplicem diametrum, vt dicitur 3. Cœli, text. 1. illa magnitudo vocatur corpus: sed vocatur superficies, secundùm quòd intelligitur diuisibilis, & mensurabilis secundùm duplicem diametrum, circumscriptâ diuisibilitate: vel mensurabilitate secundùm tertium diametrum. Dico circumscripta secundùm intellectum, verbi gratiâ, quando mensuramus pannum secundùm longitudinem non mensurando latitudinem, vel profunditatem, pannus, vt sic, habet rationem lineæ: sed quando mensuramus ipsum secundùm logitudinem, & latitudinem sic, habet rationem superficiei. Et si cum hoc addamus mensuram profunditatis, scilicet spissitudinis eius; tunc vt sic conueniret sibi ratio corporis; itavt quando propriè volumus loqui de linea, superficie, & corpore: tunc si sunt aliqua prædicata, quæ conueniant huic subiecto *totum corpus*, vel *tota magnitudo*, provt hæc dictio *totum* distribuit partes secundùm triplicem diuisionem; tunc illud prædicatum debet attribui huic nomini *corpus*; si verò prædicatum conueniat magnitudini toti provt hoc nomen *totum* distribuit partes secundùm duplicem dimensionem; tunc propriè non debet attribui huic nomini *corpus*, sed huic nomini *superficies*: verbi gratiâ, vnum corpus tangit aliud corpus secundum se totum, provt hoc nomen *totum* distribuit solummodò partes diuisas secundùm longitudinem, & latitudinem; quia tangit quamlibet earum, sed non tangit corpus secundùm se totum, provt hoc nomen *totum* distribuit partes secundum trinam dimensionem, quia non secundùm profunditatem, immò si solùm tangeret primam medietatem, & non secundam; vel primam, & tertiam, & non alias duas, vel primam centesimam, & non aliam aliarũ, & sic in infinitum; illud corpus non diceretur tãgere alterũ corpus, nisi secundùm superficiem.

17. Et ex hoc inferunt, quòd quia locus non dicitur locus proprius, nisi in quantum tangit locatum, ideò Aristoteles non dixit, quòd locus esset corpus: sed quòd locus esset superficies: sed tamen non debet negari simpliciter, quòd corpus sit locus proprius, sed debet dici, quòd quamuis corpus sit locus proprius, tamen non dicitur locus proprius secundùm illam rationem, secundùm quam dicitur corpus; sed secundùm illam rationem, secundùm quam dicitur superficies: sicut, licèt Socrates sit homo, & albus, tamen non dicitur homo secundùm illam rationem, secundùm quã dicitur albus, sed secundùm aliam rationem.

Hæc opinio, licèt sit satis apparens, est tamen apertè contra intentionem Philosophi, sicut patet per totum istum sextum: non enim videtur quare Philosophus fecisset tantam difficultatem de indiuisibilibus, nisi essent aliqua talia: suffecisset enim ostendere, quòd nulla sunt indiuisibilia, quod tamen non facit: immò dicit manifestum esse, quòd in tempore est aliquod indiuisibile, quod dicimus esse ipsum *nunc*; & manifestũ est ex his, quæ dicta sunt, quòd in ipso *nunc* nihil moueatur. Teneatur ergo sentẽtia Scoti in hac quæst. quæ est sententia omniũ Peripateticorum.

Vide Scotum in 1.dist.2. quæst.9. sub.lit.L, §.Ad secundam probationem.

QVÆSTIO IV.

Utrùm definitiones velocioris, *quas ponit Aristoteles in isto 6. sint bonæ?*

Aristot.c.2 text.12. Auerr.*ibid.* & alij Interpretes D.Thom. *lect.3* Alb *tract.1.c.3.* Suar. *tom.2.Met.disp.50 sect.9.n.6.* Conimbr & Ruuius *in expositione,cap.2* Roccus *in Paraphrasi,cap.2.*

1. ARGVITVR quòd non: quia prima definitio dicit, quòd velocius est, quod in eodem tempore pertransit maius, quod si ita esset; tunc sequeretur, quòd vltima sphæra non moueretur velociùs, quàm orbis Lunæ. Consequens est falsum. Consequentia probatur: quia vltima sphæra, & orbis Lunæ transeunt æquale spatium in eodem tempore, quia in eodem tempore circumeunt omnia.

Secundò, quia velocius in eodem tempore pertransit æquale; igitur non pertransit maius. Consequentia tenet; aliter enim spatium esset maius, & æquale. Consequentia probatur, posito quòd aliquod mobile moueatur super aliquod spatium, itavt continuè per mobile spatium rarefiat, itavt in fine totum spatium sit rarefactum ad duplum, & moueatur vnum aliud velocitate duplâ, spatio non rarefacto; tunc istud mouetur in duplo velociùs; & tamen spatium pertransitum ab vno est præcisè æquale spatio pertransito ab alio: igitur velocius in eodem tempore pertransit præcisè æquale.

Tertiò, moueatur mobile duplo velociùs per aliquod spatium ad aliquem terminum, & ab eodem termino reuertatur ad terminum vnde venit; tunc istud mouetur in duplo velociùs per casum, & tamen pertransit præcisè æquale spatium.

Quartò, sequeretur quòd motus factus in instanti non esset velox, neque tardus. Consequens est falsum, quia mutatio instantanea est omnium velocissima. Tenet consequentia, quia tu definis velocius per tempus, & cùm moueatur subitò, non mouetur in tempore.

Quintò, moueantur duo mobilia, sic quòd mobile tardum describat vnam paruam sphæram in vna hora; & mobile velocius describat duas huiusmodi paruas sphæras; tunc istud mouetur in duplo velociùs, & tamen non pertransit maius spatium: quia spatium pertransitum ab vno est præcisè æquale spatio pertransito ab alio: igitur præcisè æquè velociter mouetur, quod est contra casum.

2. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto sexto, text.12. vbi probat tres definitiones *velocioris*: quarum prima est ista. *Velocius est, quod in eodem tempore pertransit maius.* Secunda, *velocius est, quod in minori tempore pertransit æquale.* Tertia, *velocius est, quod in minori tempore pertransit maius*: & istam Aristoteles ponit secundam.

Notandum, quòd velox & tardum, aut etiam velocius, & tardius non dicuntur nisi in comparatione ad alium motum; & ideò si in toto mundo non esset aliquis motus nisi vnus, nec aliquis fuisset in præterito ad quem potuisset comparari, ille motus non diceretur velox, nec tardus.

Definitiones velocioris explicantur. Hoc stante, ponitur ista conclusio. Definitiones prædictæ sunt bonæ, obseruatis quibusdam conditionibus, quæ dicentur. Probatur, quia nisi velocius in æquali tempore pertransiret maius, sequeretur, quòd velocius non esset velocius. Consequens est falsum. Consequentia probatur, quia velocius in æquali tempore, vel pertransit maius, vel minus, vel æquale: si maius, habetur propositum. Si æquale: tunc non esset velocius, sed æquè velox. Si minus, tunc esset tardius, non velocius. Secunda definitio probatur, quòd velocius in minori tempore pertransit maius, quia velocius in æquali tempore pertransit maius; igitur in minori tempore pertransit maius. Consequentia probatur, quia excessus ille, quo spatium pertransitum à velociori excedit pertransitum à tardiori, est diuisibilis, & per consequens medietas illius priùs pertransibitur, quàm totum: & per consequens in minori tempore pertransitur maius. Tertia definitio probatur, scilicet quòd in omni tempore velocius pertransit æquale: quia in minori tempore velocius pertransit maius: igitur in minori tempore pertransit æquale. Consequentia tenet: quia priùs pertransitur æquale, quàm maius.

Secunda conclusio. Prædictæ definitiones sunt veræ, spatio quiescente, aut imaginato quiescere: quia si spatium contra moueatur, illæ definitiones sunt falsæ. Secundò, intelligendæ sunt de spatio non condensato, nec rarefacto: quia per rarefactionem spatij tardiùs in minori tempore potest pertransire maius; & per condensationem spatij velocius in maiori tempore pertransiret minus. Tertiò, intelligendæ sunt definitiones de spatio lineari, & non de spatio corporali: quia sic totum semper moueretur velociùs sua parte, quod est falsum. 3.

Ex his sequitur, quòd si aliquod mobile pertransibit aliquod spatium plures in eodem tempore, quòd illud mouetur velociùs, sicut ponebatur in vno argumento, quòd mobile mouetur ad aliquem terminum, & ab inde moueretur ad terminum vnde venit. Secundò, sequitur quòd illud mouetur velociùs, quod in eodem tempore pertransit plura spatia æqualia: sicut si vnum mobile describat duas sphæras, & aliud non vnam tantùm sicut aliqua illarum. Tertiò, sequitur quòd velociùs mouetur illud, quod in eodem tempore pertransit tantum spatium, cum aliqua portione alicuius spatij, sicut si aliquod mobile describat sphæram in aliquo tempore, describat eandem sphæram cum portione alterius sphæræ, ipsum mouetur velociùs.

Contra conclusionem arguitur: quia ista consequentia non valet, *isti duo arcus simul incipiunt oriri, & continuè maior pars perorìtur de vno, quam de alio: igitur ille arcus est citiùs perortus cuius maior pars erat continuè perorta; igitur definitio non est bona*; quâ dicitur, quòd velocius est, quod in eodem tempore pertransit maius. Probatur consequentia: quia ille arcus, cuius maior pars continuè est perorta, velociùs oritur; ex quo in eodem tempore inceperunt oriri, & tamen ille arcus non describit maius spatium, ex quo in eodem tempore ambo sunt orti, & antecedens apparet per Authorem de Sphæra, qui ponit de duabus quartis, quarum vna est pars æquinoctionalis, & alia zodiaci, quòd istæ quartæ simul incipiunt oriri, & continuè maior pars est perorta de quarta zodiaci, quàm de quarta æquinoctialis, & tamen illæ quartæ simul sunt perortæ.

Secundò, sit vnus triangulus orthogonus *A, B, C,* 4.

B, *C*, & deſcendat *A*, *C* latus per latus, *B*, *C*, & è contra, vtrumque æquè velociter ſicut reliquum; donec coniungantur cum baſi *A*; tunc iſtæ duæ lineæ mouentur æquè velociter per caſum, & tamen vna earum pertranſit maius ſpatium, quàm reliqua; igitur non ſemper velociùs pertranſit maius ſpatium. Minor probatur, quia linea *A*, *C* deſcendit per lineam oppoſitam maiori angulo, ſcilicet per lineam oppoſitam angulo recto; ſed linea *B*, *A* deſcendit per lineam oppoſitam angulo acuto ſolùm: igitur linea *A*,*C* pertranſit maius ſpatium in eodem tempore, quàm linea *B*, *C*; & tamen æquè velociter mouetur per caſum, vt patet. Si dicatur, quòd ex quo æquè velociter moueretur, quando linea *B*, *C* erat coniuncta cum baſi, nunquam *A*,*C* coniungetur, ex eo quòd *A*,*C* pertrāſit per maiorem lineam. Hoc non valet: quia ex quo quælibet illarum linearum mouetur per aliam, impoſſibile eſt, vnam priùs coniungi cum baſi, quàm reliquam: igitur neceſſe eſt, quòd ambæ ſimul coniungantur.

Tertiò, ſint *A*,*B*, duæ virgæ perpendiculariter erectæ ſuper aliquod planum, quæ cauſent vmbras æquales; & ſint duo luminoſa æqualiter approximata virgis, quæ continuè aſcendant æqualiter, donec vnum ſuperponatur æqualiter alteri, & aliud alteri; tunc ſint duo mobilia, ſcilicet *C*, *D* in terminis vmbrarū, quæ cauſantur in virgis *A*,*B*, & moueantur illa mobilia proportionaliter ad diuiſionem vmbræ; tunc pono vlteriùs, quòd virga *A* continuè diminuatur ſecundùm quòd luminoſum proportionaliter aſcendit ad punctum ſibi perpendiculariter ſuperpoſitum. Tunc iſtis ſuppoſitis, arguitur ſic: mobile *C*, quod ponitur in termino vmbræ virgæ *A*, mouetur in duplo velociùs, quàm mobile *D*, & tamen præciſè pertranſit æquale ſpatium; igitur non oportet quòd velociùs in æquali tempore pertranſeat maius ſpatium. Maior probatur, quia habet duas cauſas velocitationis ſui motus, vnam, ſcilicet, diminutionem virgæ *A*, & aliam, ſcilicet acceſſum luminoſi ad punctum perpendiculariter ſupra poſitum virgæ *A*; quia per quamlibet iſtarum cauſarum, dato quòd alia non eſſet, æquè velociter moueretur *C*, ſicut *D*; igitur ex quo nūc habet vtramque, velociùs in duplo mouetur. Minor probatur: quia in principio illæ vmbræ erant æquales, & æquè citò erant conſumptæ per caſum, & mobilia *C*, *D* mouentur ſecundùm diuiſionem vmbrarum; igitur præciſè in æquali tempore deſcribunt æquale ſpatium.

5. Quartò, ſint duæ columnæ *A*, *B*, erectæ perpendiculariter ſuper planum, ſuper quas cadunt duæ trabes æquales in magnitudine, & in pondere concurrentes in medio puncto plani inter duas columnas, quæ trabes ſint, *C*, *D*, & imaginentur illæ trabes deſcendere æquè velociter per diuiſionem illarum columnarum, itavt illæ columnæ continuè æquè velociter conſumantur; & tunc volo, quòd in iſto deſcenſu columna *A* aliqualiter incuruetur non incuruata *B*; tunc iſto caſu poſito, trabs *C* velociùs mouetur, quàm *D*, & tamen in eodem tempore pertranſeuntur æqualia: igitur non oportet, quòd in eodem tempore velociùs pertranſeat maius. Maior probatur, quia columna *A*, per quam deſcēdit *C*, æqualiter mouetur ſicut *B*: igitur quantum eſt ex parte conſumptionis columnarum *C*, & *D*, æqualiter deſcendunt, ſed vltra hoc *C* habet iuuamentum ex mutatione columnæ *A*; igitur pro tunc velociùs deſcendit.

Quintò, ſequeretur quòd aliqua æquè velociter mouerentur per vnam horam, & tamen nullo gradu velocitatis æquè mouerentur velociter. Conſequens eſt falſum. Conſequentia probatur, poſito quòd vnum mobile continuè intendat motum ſuum per horam, & aliud continuè remittat, & incipiat vnum moueri ab illo gradu velocitatis, ad quem terminatur motus alterius, & ſic ſequitur conſequens.

Ad illa reſpondetur. Ad primum dico, quòd verum eſt, quòd iſta conſequentia non valet; & negatur conſequentia, quòd propter hoc deſitio velocioris non valeat. Et ad probationem dico, quòd ibi fit recompenſatio in partibus poſterioribus temporis, quia licèt ſit maior pars continuè perorta, tamen hoc eſt continuè minus, & minus. Et ſi quæratur, quando incipit fieri recompenſatio, iſtud eſt difficile dicere; tamen poteſt dici, quòd in primo inſtanti, quo iſtæ incipiunt oriri, incipit fieri recompenſatio.

Ad ſecundum dicitur, quòd caſus non eſt poſſibilis naturaliter: quia impoſſibile eſt, quòd quodlibet illorum laterum deſcendat per reliquum, & hoc æquè velociter: quia ex hoc infertur euidenter, quòd non æquè velociter mouetur, vt deductum fuit in ratione. 6.

Ad tertium, de luminoſis, dico quòd licèt vmbra virgæ *A* in principio diminuatur velociùs; tamen versùs finem diminuitur tardiùs, & ideò diuiſio virgæ, quæ in principio fuit cauſa diminutionis diuiſionis velocioris vmbræ, in fine eſt cauſa retardationis illius diminutionis. Aliter dicitur, quòd quando duæ cauſæ concurrunt ad aliquem effectum, quarum ambæ non plus facerent ad illum, quàm faceret altera illarum; tunc ambæ illæ cauſæ non ſunt reputandæ, niſi quaſi vnius effectus cauſa: modò ſic eſt in propoſito, aſcenſio luminoſi, & diminutio virgæ, iſtæ duæ ſimul ſumptæ non plus faciunt ad diminutionem vmbræ, quàm faceret altera illarum.

Ad quartum, dico quòd trabs *C* priùs mouetur velociùs ratione illius incuruationis; ſed poſtea fit recompenſatio, & mouetur tardiùs in quantum poſtea deſcribit lineam circularem illius incuruitatis, ſeu incuruationis, vbi ſi non fuiſſet facta incuruatio, non oportuiſſet deſcendiſſe niſi per lineam rectam.

Ad quintū, conceditur conſequens: tamen in illo caſu dicitur, quòd ſub gradibus mouetur æquè velociter. Rationes principales ſunt ſolutæ in quæſt.

QVÆSTIO V.

Vtrùm velocitas motus ſit attendenda penes ſpatium in tanto tempore pertranſitum.

Ariſtot. *hic text.* 12. Vide Authores citatos *quæſt. antecedenti.*

ARGVITVR primò quòd non: quia tunc ſequeretur, quòd maius mobile, cæteris paribus, moueretur velociùs, quàm mobile minus. Conſequens eſt falſum: quia quadriga non mouetur velociùs equo trahente quadrigam. Probatur conſequentia, quia maius mobile deſcribit maius ſpatium, quàm minus. 1.

Secundò, ſequeretur quòd totum moueretur velociùs ſua parte. Conſequens eſt falſum, quia

in continuis pars & totum mouerentur eodem modo; quia, vt patet 3. huius, text. 48. & 51. idem est motus totius, & partis.

Tertiò, ponatur quòd inter duas lineas æquè distantes, ponantur duæ trabes; vna maior, & alia minor secundùm longitudinem: & vtraque trabs secundùm vnum extremum tangat alteram linearum, & motu continuo moueatur, donec reliqua simul tanget; tunc certum est, quòd trabs minor mouetur velociùs; & tamen trabs longior tantum spatium describit, sicut breuior: igitur si penes spatium descriptum attendatur velocitas, sequitur quòd illæ trabes æquè velociter mouerentur.

Quartò, sequeretur quòd sphæra, vel circulus maior circuiret velociùs, quàm sphæra, vel circulus minor. Consequens est falsum: quia vterque in eodem tempore circa idem centrum præcisè complet suam circulationem; & per consequens æquè velociter mouentur.

2. Quintò, quia in motu alterationis non pertransitur aliquod spatium; igitur eius velocitas non attenditur penes spatium in tanto tempore descriptum.

Sextò, potest argui de augmentatione, & diminutione, in quibus non attenditur velocitas penes spatium pertransitum, sed potiùs penes quantitatem acquisitam, vel deperditam.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto sexto, text. 12. & patet ex definitionibus *velocioris*: nam velocius est, quod in æquali tempore pertransit maius spatium, & in minori maius, & in minori æquale; igitur ex hoc, quòd maius, vel minus spatium pertransitur, est maior, vel minor velocitas; & per consequens penes huiusmodi spatium est attendenda velocitas.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò videbitur, quid est velocitatem attendi penes aliquid in generali. Secundò, videbitur specialiter de motu locali recto. Tertiò, de motu circulari. Quartò, de aliis motibus consequenter.

In omni motu consideranda est distantia terminorum. Quantum ad primum, notandum quòd in motu quolibet est consideranda via, seu distantia terminorum, secundùm quam procedendo ab vno terminorum ad reliquum, est successio in motu; & huiusmodi distantia in motu locali vocatur spatium, & transumptiuè in aliis motibus potest vocari spatium, & sic in omni motu est imaginanda distantia localis, vel formalis inter terminos motus.

3. *In motu est extensio, & intensio.* Secundò, notandum quòd sicut in qualitatibus est extensio qualitatis, & intensio, ita est etiam in motu: nam extensio subiecti in qualitatibus vocatur extensio qualitatis; & multitudo graduum in eadem parte subiecti vocatur intensio qualitatis, sed duratio illius vocatur eius extensio; & ideò sicut differunt qualitas maior, & qualitas intensior, ita etiam differunt motus maior, & motus velocior: quia ille motus est maior, qui maiori tempore durat, & ille motus velocior, quo in minori tempore maius pertransitur. Ex quo patet, quòd velox, & tardum definiuntur in comparatione ad tempus, & ad spatium, quod acquiritur tanto, vel tanto tempore. Et ex isto sequitur, quòd motus instantaneus non est velox, neque tardus: quia velox & tardum definiuntur tempore.

Tertiò notandum, quòd velocitatem motus attendi penes aliquid non est aliud, quàm scire quid est illud, per quod possumus cognoscere vnum esse velocius alio: verbi gratiâ, si quæratur penes quid attendatur longitudo corporis: ista quæstio petit certificari de mensura, mediante quâ possumus cognoscere longitudines corporis: ita vt ista quæstio penes quid attenditur velocitas motus, petat certificari de illo, quo noto, possemus cognoscere de motu quantus sit in velocitate.

Quartò, notandum, quòd illud penes quod attenditur velocitas, debet esse notum inuariabile, immobile, quemadmodum mensura magnitudinum debet esse sine augmentatione, & diminutione. Et si dicatur nullum est tale, quod sit simpliciter inuariabile, & immobile, per quod possit cognosci velocitas: igitur frustra ponuntur illæ conditiones. Respondetur, quòd licèt nullum sit tale, hoc tamen non obstat, quin per huiusmodi lineam imaginabilem immobilem, possimus certificare de motu, quantus est in velocitate: quemadmodum per lineas imaginatas certificamus de proportione magnitudinum.

Item, notandum quòd duo concurrunt ad velocitatem motus, per quorum quodlibet potest cognosci quanta est velocitas, scilicet proportio potentiæ motoris ad resistentiam moti; & qualiter penes hoc attendatur velocitas, dictum fuit superiùs. Secundò, concurrit spatium pertransitum à mobili, & magis propriè attenditur velocitas penes spatium descriptum à mobili, quàm penes proportionem potentiæ ad resistentiam. Primò, quia illud spatium est nobis notius; sed proportio potentiæ ad resistentiam non cognoscitur nisi arguitiuè, & ex consequenti, eo quòd talis proportio non sentitur. Secundò, quia spatium ponitur in definitione *velocioris*; & ideò spatium videtur magis de intensione velocitatis, quàm proportio potentiæ ad resistentiam. Tertiò, quia huiusmodi proportio potentiæ ad resistentiam est causa velocitatis; sed spatium pertransitum est quasi effectus: modò in naturalibus effectus sunt nobis notiores causis; igitur potiùs deuenimus in notitiam velocitatis per spatium, quàm per proportionem potentiæ ad resistentiam: & sic patet in generali quid est velocitatem attendi penes aliquid: & hæc de primo. 4. *Ad velocitatem motus duo concurrunt.*

Quantum ad secundum, sit prima conclusio ista: Velocitas motus localis recti non est attendenda penes maximum spatium corporale, vel superficiale descriptum à corpore moto. Probatur, quia si ita esset, tunc sequeretur, quòd nullus esset motus vniformis, nec posset esse. Consequens est falsum. Consequentia probatur, ex definitione motus vniformis: nam motus vniformis cuiuslibet pars mouetur æquè velociter sicut totum; sed nullius totius aliqua pars describit totum spatium corporale, vel superficiale, quod totum describit: igitur si penes huiusmodi spatium attenderetur velocitas, nullius totius pars moueretur æquè velociter sicut totum. Et per consequens nihil moueretur vniformiter. Secundò, sequeretur quòd semper maius mobile moueretur velociùs minori. Consequens est falsum, quia vnum paruum plumbum descendit in vna hora de sphæra ignis vsque ad centrum: & si vnum magnum lignum moueatur ex transuerso in eadem hora, certum est, quòd illud plumbum mouetur velociùs; & tamen maius spatium corporale describitur à ligno, quàm à plumbo. Tertiò, quia illud alteratur velociùs quod per maiorem partem sui recipit qualitatem, quàm illud, *Velocitas motus localis penes quid attendatur.*

quod

quod per minorem : igitur illud mouetur velociùs, quod describit maius spatium corporale. Consequentia tenet per simile; & antecedens apparet, quia penes extensionem qualitatis per subiectum non attenditur intensio qualitatis, sed penes pluralitatem graduum in eadem parte subiecti ; & ideò dicit Author sex Principiorum, quòd margarita est albior, quàm albus equus.

5. Secunda conclusio. Penes spatium lineare descriptum à toto corpore moto, non est attendenda velocitas motus localis recti. Probatur, quia tunc sequeretur, quòd velociùs motum moueretur tardiùs, vel æquè velociter. Consequens est falsum. Consequentia probatur per vnam rationem ante oppositum, scilicet, posito quòd inter duas lineas æquè distantes sint duæ trabes inæquales secundùm longitudinem; tunc minor trabs velociùs mouetur, & tamen æquale spatium lineare describit spatio descripto à trabe maiori.

Tertia conclusio : Velocitas motus [c] localis recti est attendenda penes spatium lineare ab aliquo puncto sui moti descriptum, & ita sequitur ex præcedentibus. Sed tunc restat difficultas, an huiusmodi velocitas sit attendenda penes spatium lineare descriptum à puncto velocissimè moto, vel à puncto medio, scilicet centro corporum motorum. Tunc ponitur ista conclusio: Penes lineam descriptam à puncto velocissimè moto est attendenda velocitas motus localis recti. Probatur : quia penes illud cognoscitur velocitas, quo noto potest cognosci de velocitate quanta sit, sed notâ lineâ descriptâ à puncto velocissimè moto, cognoscitur velocitas quanta est, igitur, &c. Maior patuit priùs, quia hoc intelligimus per velocitatem attendi penes aliquid. Minor probatur, quia punctus velocissimus est punctus notissimus corporis moti ; ideò linea ab ipso descripta est notissima ; sicut patet in sphæris de linea media inter duos polos, vt de linea æquinoctiali. Secundò, quia quodlibet mobile tantum spatium pertransit, quantum ab aliqua sui parte pertransitur; sed maximum spatium descriptum ab aliquo mobili est spatium descriptum à puncto velocissimè moto : igitur huiusmodi spatium est maximum spatium descriptum à mobili, & penes talia attenditur velocitas : ergo, &c. Minor patet per definitionem *velocioris* : nam velocius est, quod in minori tempore pertransit maius spatium.

6. Contra conclusionem arguitur primò, quòd non quodlibet est ita album, sicut aliqua pars eius est alba : igitur ita nec quodlibet ita velociter mouetur, sicut pars eius velocissimè mota. Antecedens apparet de albedine vniformiter difformi, quæ non est intensior, quàm gradus eius medius. Secundò, quia possibile est, quòd alicuius mobilis nullus sit punctus velocissimè motus: ergo, &c. Tertiò, posito quòd mobile rarefiat secundùm partes anteriores ; tunc continuè est alius, & alius punctus velocissimè motus : igitur penes nullam huiusmodi lineam est attendenda velocitas. Quartò, posito quòd sint *A*, & *B* duo mobilia, quorum superficies antecedentes æqualiter procedant, sed superficies, seu pars anterior ipsius *B* condensetur ; tunc ista duo mobilia æquè citò venient de termino ad terminum : igitur æquè velociter mouentur, & tamen ipsius *B* aliquis punctus velociùs mouetur, quàm alius punctus ipsius *A*; igitur penes lineam, &c. Quintò, sequeretur quòd si Socrates, & Plato æquè velociter mouerentur de termino ad terminum, quòd tunc, si in illo termino motus Socrates extenderet digitum, Socrates moueretur velociùs Platone.

Ad ista respondetur. Ad primum, concedo antecedens, & nego consequentiam : quia non consimiliter fit denominatio ab albedine, & à motu; quia non quilibet gradus albedinis sufficit ad denominandum subiectum ; sed quilibet motus benè sufficit. Ad secundum, dico quòd non oportet, quòd talis linea describatur, sed sufficit imaginata : quia per hoc cognosci potest quantitas velocitatis. Ad tertium consimiliter : quia licèt sit continuè alius, & alius punctus velocissimè motus, tamen est idem æquiualenter. Ad quartum, potest concedi quòd *B* mouetur velociùs, quàm *A*, licèt æquè citò veniant ad terminum;& hoc idem habet concedere ponens, quòd velocitas attendatur penes lineam descriptam à medio puncto. Quod probo, retento eodem casu : quia illud mouetur velociùs à cuius medio puncto describitur maior linea ; quia si *B* non fuisset condensatum, tunc fuissent æquales lineæ descriptæ per media puncta *A*, & *B* ; sed tunc maior linea describitur à medio puncto ipsius *B*, de quanto medius punctus plus appropinquat ad partes anteriores : igitur, &c. Ad quintum, conceditur quòd extendens digitum versùs finem motus velociùs mouetur ; sed hoc non est nisi in quantum motus digiti per expulsionem velocitatur vltra motum corporis ; & sic patet penes quid sit attendenda velocitas motus localis recti : & hæc de secundo.

Quantum ad tertium, nota quòd possibile est, quòd aliquod corpus moueatur circulariter, & non alio motu;& quòd velociùs moueatur, quàm circumeat : & possibile est è contra, quòd velociùs circumeat, quàm moueatur: verbi gratiâ, in exemplo : sint duo grauia, quorum vnum descendat perpendiculariter ad centrum, & aliud æquè velociter descendat, non tamen perpendiculariter, sed ex transuerso, & sit primum *A*, secundum *B* ; tunc *A* mouetur æquè velociter cum *B*, & tamen descendit velociùs, quia plus appropinquat ad centrum ; ita similiter est de motu circulari, vel sphærico : nam circulus æquinoctialis mouetur velociùs, quàm circulus minor in sphæra, & non circuit velociùs, immò præcisè æquè velociter : quia præcisè in eodem tempore maior circulus, & minor complent suam circulationem. 7. *Mobile potest velociùs moueri, & tardiùs circumire.*

Ideò hîc est duplex dubitatio. Prima, penes quid attendatur velocitas circularis motus. Secunda, penes quid attendatur velocitas circuitionis, seu circuitio. Ad primam respondetur sicut de motu locali recto, quòd huiusmodi velocitas est attendenda penes lineam descriptam à puncto velocissimè moto : verbi gratiâ, cœlum æquè velociter mouetur, sicut circulus æquinoctialis. Patet, quia ille punctus est notissimus in cœlo: quia medius inter duos polos. Et si obiiciatur, tunc sequeretur, quòd si vni rotæ circumductæ colligaretur vnus baculus à centro ad circumferentiam, quòd tunc illa rota æquè velociter mouetur, sicut extrema pars illius baculi. Secundò, sequeretur quòd per solam attenuationem rotæ velocitaretur motus circularis. Consequens est falsum : quia adhuc manet eadem proportio potentiæ ad resistentiam. Tenet consequentia:

Velocitas motus circularis, & circuitionis penes quid attēdatur.

quentia: quia per solam attenuationem pars circumferentialis maiorem lineam describeret. Respondetur, negando consequentiam; quia conclusio intelligi debet de corpore reducto ad sphæricitatem. Aliqui tamen concedunt consequens, quòd tale mobile mouetur velociùs, sicut
8. extrema pars eius. Ad secundum, concedo consequens: quia ex attenuatione totæ quodammodò diminuitur resistentia, & ideò intenditur velocitas. Et sciendum, quòd velocitas non attenditur [c]simpliciter penes huiusmodi lineam, sed penes illam lineam, & numerum replicationis illius lineæ.

Ad secundam dubitationem respondetur, ponendo istam conclusionem: Circuitio,[d] seu velocitas circuitionis est attendenda penes angulos descriptos circa centrum; ita scilicet, quòd illud duplo velociùs circuit, quod in eodem tempore duplum angulum circa centrum describit. Probatur, quia penes huiusmodi angulos descriptos circa centrum, Astrologi mensurant ad inuicem omnes motus corporum cœlestium. Secundò, sequeretur quòd Sol non moueretur duplo velociùs Marte. Consequens est falsum, vt patet in sphæra: quia Sol complet suam circulationem in anno, Mars verò in duobus. Consequens probatur, quia Sol non pertransit duplum spatium, immò cùm sphæra Martis sit multo maior, quàm sphæra Solis, multò maius spatium pertransitur à Marte, quàm à Sole, nisi attendendo velocitatem penes angulos descriptos, & penes numerum angulorum descriptorum. Sed obiicitur: Mars mouetur velociùs Sole, quia pertransit spatium plus quàm in duplo maius sphæra Solis: & non mouetur velociùs nisi circumeundo: igitur velociùs circuit, quod est contra præcedentem conclusionem. Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam: quia non sequitur *A* mouetur velociùs, quàm *B*, & non nisi descendendo; igitur *A* velociùs descendit, quàm *B*, posito quòd *B* descendat perpendiculariter ad centrum, & *A* moueatur velociùs ex transuerso, & indirecto versùs centrum. Et sic patet penes quid sit attendenda velocitas motus circularis, & motus circuitionis. Et hæc de tertio.

9. *Velocitas augmentationis penes quid est attendenda?*

Quantum ad quartum de augmentatione, est prima conclusio ista; velocitas augmentationis non est attendenda penes acquisitum ad istum sensum, quòd illud non augmentatur velociùs, cui maior quantitas acquiritur in eodem tempore; nec illud tardiùs, cui minor quantitas acquiritur; nec illud æqualiter, cui acquiritur æqualis quantitas, (& proportionaliter dicitur de diminutione.) Probatur, quia si parua herba, & magna arbor augmententur in eadem hora, ita vt vtrique acquiratur quantitas pedalis, certum est, quòd istæ magnitudines sunt inæquales. Primò; ad experientiam, & communem vsum diceremus herbam multo plus augmentatam, quàm arborem. Secundò, quia illæ augmentationes sunt inæquales, quarum vna est insensibilis, & immanifesta, & alia sensibilis, & manifesta; modò augmentatio herbæ est sensibilis, & arboris insensibilis: ergo, &c.

Secunda conclusio: Velocitas augmentationis attenditur penes proportionem acquisiti ad præexistens, scilicet, quòd illud est æquè velociter augmentatum, cui in eadem hora est acquisita æqualis propositio magnitudinis aduenientis ad præexistentem: & ideò si vnum paruum animal vt musca, augmentetur ad duplum, & vnum aliud animal magnum in eadem hora augmentetur ad duplum, ista duo æquè velociter augmentantur, non obstante, quòd multò maior quantitas acquiritur vni, quàm alteri.

Tertia conclusio: Velocitas rarefactionis non est attendenda penes extensionem, sed penes proportionem, quæ est acquisiti ad præexistens: quia quantum ad hoc est idem iudicium de augmentatione, & rarefactione. De alteratione dicetur super 7. huius. Patet igitur in quolibet genere motuum, penes quid, scilicet tanquam penes effectum, sit attendenda velocitas motus: & hæc de quarto. *Velocitas rarefactionis vnde pensanda?*

Rationes, licèt sint satis solutæ; tamen ad primam negatur consequentia, quia penes spatium corporale non attenditur velocitas, quemadmodum præsupponit ratio. 10.

Ad secundam, negatur consequentia, propter eandem causam.

Ad tertiam, dico quòd illa ratio præsupponit velocitatem attendi penes lineam descriptam à toto corpore moto; modò hoc est falsum: sed attendenda est penes spatium lineare descriptum à puncto velocissimè moto.

Ad quartam, negatur consequentia; quia licèt sphæra maior velociùs moueatur, tamen non velociùs circuit, eo quòd sphæra, vel circulus maior, & minor possunt in eodem tempore describere angulos æquales circa centrum.

Ad quintam, dico quòd licèt non sit ibi spatium locale, attamen est ibi spatium, id est, distantia formalis inter terminos, secundùm quam est successio ab vno termino ad reliquum.

Ad sextam de augmentatione, dico quòd nec attenditur penes spatium, nec penes quantitatem acquisitam, vel deperditam, sed penes proportionem quantitatis acquisitæ, vel deperditæ ad præexistens.

ANNOTATIONES.

[a] *Spatium pertransitum est quasi effectus.* Nota, quòd duplex est via rem aliquam cognoscendi, vt adnotauit Aristoteles in Prologo huius. Prima, quo ad nos per effectum, quod est nosse quia est, id est, hoc esse hoc, vt videntes hominem ridere cognoscimus esse risibilem, & secunda ordine naturæ per causam, quod est cognoscere propter quid, in quo propriè consistit ratio scientiæ. Scotus in hac quæstione inuestigat velocitatem motus ex effectu; tum quia cognitio nostra incipit à sensu, in 7. autem, quæst. 6. scrutatur viam quæ est per causam. 11. *Via rem aliquam cognoscendi est duplex.*

[b] *Nam motus vniformis cuiuslibet partis moti mouetur æquè velociter.* Nota, quòd motus est duplex, vniformis, & difformis, & vtraque differentia potest considerari respectu subiecti, & respectu temporis. Respectu subiecti motus est vniformis, cuius omnes partes æquâ inter se velocitate mouentur, vt est videre in continuo rectè moto per planum: si enim lapis pedalis per planitatem moueatur, omnes eius partes mouentur æqualiter: difformis verò motus, quo ad subiectum est, quo non omnes partes mobilis mouentur æqualiter: qui duplex est, vniformiter difformis, & difformiter difformis. Motus vniformiter difformis est motus subiecti, ita difformiter moti, vt cuiuscunque portionis lineæ secundùm talem extensionem punctum medium eâ *Motus alius vniformis, alius difformis.*


pro

proportione exceditur ab extremo Intensissimo talis portiunculæ, quâ excedit alterum eius extremum remississimum, qui quidem inter motus locales solùm conuenit circulariter motis, & illis omnibus, vt apparet in mola frumentaria, cuius centrum indiuisibile immobile statet, si motus esset perfectè circularis; & si circumferentia moueretur vt 8. punctum medium inter ipsam, & centrum moueretur vt 4. & medium inter circumferentiam, & 4. moueretur vt 6. & medium inter 4. & centrum moueretur vt 1. Motus difformiter difformis quoad subiectum, est motus subiecti, ita difformiter moti, vt non cuiuscumque portionis secundùm talem extensionem, punctum medium æqualiter excedat, & excedatur, vt si quadrupedale ita in vna hora alteretur, quòd prima pedalitas accipiat calorem vniformiter vt vnum, secunda vniformiter vt 2. vel vt 3. &c. nam punctum medium talis pedalitatis, neque excedit vnum extremum, neque exceditur ab altero; cæterùm motus localis non potest esse difformiter difformis quoad subiectum: quoniam rectus nequit vllo modo esse difformis, cùm omnes partes continui æqualiter moueantur, circularis verò omnis est vniformiter difformis.

12. Motus vniformis quoad tempus est ille, quo idem mobile æquis portionibus temporis æquas itidem pertransit longitudines spatij, vt in regularissimo motu cœlorum perspectum est; spatij videlicet veri, vel imaginarij: quia secundùm Philosophos mouetur primum mobile, super quod putant non extare locum. Motus autem difformis quoad tempus est ille, quo partibus æqualibus temporis inæqualia pertranseuntur spatia, vel inæqualibus æqualia; & est vti superior, vel vniformiter difformis, vel difformiter difformis. Motus vniformiter difformis, quo ad tempus, est motus ita difformis, vt si diuidatur secundùm tempus, scilicet secundùm prius & posterius, cuiusque partis punctum medium illa proportione excedit remississimum extremum illius partis, quâ exceditur ab intensissimo. Hæc motus species propriè accidit naturaliter motis, & proiectis, vbi enim moles ab alto cadit per medium vniforme, velociùs mouetur in fine, quàm in principio; proiectorum verò motus remissior est in fine, quàm in principio: atque adeò primus vniformiter difformiter intenditur; secundus verò vniformiter difformiter remittitur. Motus verò difformiter difformis, quoad tempus est motus taliter difformis, vt si diuidatur secundùm tempus non cuiuscumque partis medium eâ proportione excedit vnum extremum, quâ exceditur ab alio: vt si ita res aliqua moueretur per horam, vt per aliquam partem vniformiter moueretur vt vnum, per aliam vt duo, vel tria, & cætera, vt videri potest in motibus progressiuis animalium, quæ quidem species motus crebrò accidit in alteratione corporum animalium, & potest forsan contingere in motu augmenti, & decrementi.

13. [e] *Velocitas motus localis recti*, &c. Nota, quòd hæc conclusio potest hoc exemplo explicari: vt sint duo mobilia *A*, & *B*, quæ non æquè velociter moueantur, si conferantur in velocitate, qualis proportio fuerit inter lineas eodem tempore pertransitas, talis erit proportio inter velocitates; & eadem est ratio, si motus eiusdem mobilis, quo vno tempore mouetur, comparetur ad eum, quo mouetur in alio; vt si *A* mobile in vna hora percurrat milliaria quatuor, in quo *B* percurrat tria, mouebitur in sesquitertio velociùs; & si *B* percurrat duo, mouebitur in duplo velociùs, & si tantùm vnum, in triplo.

[d] *Circuitio; seu velocitas circuitionis est attendenda*, &c. Nota, quòd non penes idem attenditur velocitas circulationis, & velocitas motus, qui fit per circulum.



Nam velocitas circulationis, vt hîc dicit Scotus, attenditur penes magnitudinem angulorũ, qui describuntur circa centrum: exempli gratiâ, si tria mobilia circumirent in eodem tempore tres circulos, taliter, vt quo tempore infimum mobile moueretur ab *A* ad *B*, medium percurrat à *C* ad *D*, & supremum ab *E* ad *F*, æqualiter circumireur; quia in eodem tempore æquales angulos describunt circa idem centrum: omnes enim sex illi anguli descripti in tribus circulis sunt æquales, quippè, quibus idem opponitur in centro: & ideò eodem tempore singula peragent suos circulos. Sed tamen non mouentur æqualiter: quoniam velociùs mouetur medium mobile, quàm infimum, multóque celeriùs supremum; quoniam bases illorum angulorum non sunt æquales, quapropter quanto per maiorem circulum eodem tempore vnumquodque mouetur, tanto maiorem describit lineam, ita vt cœlestes omnes orbes æqualiter circumeant, tamen tanto quisque velociùs, quanto aliis superior; nam eodem die omnes complent suos circulos ad motum primi mobilis, tametsi longè inæquales: & ideò quanto orbis est inferior, tanto motu diurno tardiùs fertur. Eâdem ratione in eadem sphæra omnia puncta circumeunt æqualiter, licèt quanto sunt propinquiora polo, tanto minori velocitate moueantur.

EXPOSITIO TEXTVS.

NEcesse autem 1 est, & ipsum nunc. Iste est secundus tractatus huius sexti, in quo Philosophus determinat de diuisione motus; & diuiditur in sex capitula. In primo capitulo præmittit duo præambula necessaria ad suum propositum. In secundo determinat de diuisione motus. In tertio determinat de *mutato esse* secundùm se. In quarto, determinat de *mutato esse* in comparatione ad motum. In quinto, determinat de diuisione motus in comparatione ad tempus, & ad magnitudinem. In sexto, determinat de diuisione status, & quietis. Secundum ibi: *Motus autem est*. Tertium ibi: *Quoniam autem omne quod mutatur*. Quartum ibi: *Quoniam autem omne quod mutatur in tempore*. Quintum ibi: *Quoniam autem omne id, quod mouetur*. Sextum ibi: *Quoniam autem omne, quod mouetur, aut quiescit*. Primum capitulum diuiditur in quatuor partes, secundùm quatuor conclusiones, quas ponit. Secunda ibi: *Quod igitur sit*. Tertia ibi: *Necesse ergo, & moueri id*. Quarta ibi: *Quoniam enim, & quoddam in quoddam*. Prima conclusio est, quòd *nunc*, seu instans, est omnino indiuisibile. Probatur, [a] quia illud est omnino indiuisibile, quod sic est finis præteriti, ita vt nihil sit ipsius præteriti;

14. Text. 25.

Instās est omnino indiuisibile.

&

& quod Ita est initium futuri, itavt nihil sit ipsius futuri; sed instans est vnum, & idem, quod sic est initium futuri, & finis præteriti, quod nihil est ipsius futuri, siue etiam ipsius præteriti: igitur instans, siue *nunc*, est omnino indiuisibile. Maior probatur, quia si esset diuisibile, non esset diuisibile nisi in præteritum, & futurùm; & per consequens, non sic esset finis præteriti, quin esset aliquid ipsius præteriti; nec initium futuri, qoin esset aliquid ipsius futuri.

15. Text. 26. *Necesse 2 est autem.* Probat minorem; quia vel est idem instans, quod est finis præteriti, & initium futuri, vel diuersa; si idem, habetur propositum; si diuersa, vel sunt mediata, vel immediata: non immediata, vt probatum est prius; si mediata, tunc inter ipsa est tempus medium; & per consequens *nunc* acceptum non sic erat finis præteriti, & initium futuri, quin esset aliquid

Text. 27. ipsius futuri. Secundò, 3 probatur conclusio: quia nisi *nunc* esset indiuisibile, sequeretur quòd aliquod existens in præterito esset in futuro, & è contra, quod est impossibile. Consequentia probatur: quia illud, quod habet esse in *nunc*, habet esse totum simul: igitur si *nunc* sit diuisibile in præteritum, & in futurum, sequitur quòd aliquid simul est in præterito, & futuro, quod est impos-

Text. 28. sibile. Tertiò, 4 quòd si *nunc* sit diuisibile, tunc non accipitur *nunc* nisi metaphoricè, pro paruo tempore; & sic non est ad propositum, & tunc intelligit conclusionem cum probatione: & patet in littera.

Text. 29. *Quod autem 5 nihil in ipso nunc mouetur.* Hîc probat secundam conclusionem; & est primum præambulum principaliter intentum in isto capi-

Motus nō potest fieri in instanti. tulo. Et primò, ponit conclusionem. Secundò, ponit vnam aliam, ibi: *At verò.* Secunda conclusio est, quòd in instanti non potest fieri motus. Probatur, & sit ita, quòd [c] mobile velociùs pertranseat magnitudinem *A*, *B* in instanti; igitur tardiùs in eodem instanti pertransibit minorem magnitudinem, scilicet *A*, *G*: tunc ex quo tardiùs in toto *nunc*, siue instanti, pertransibit eandem magnitudinem in mensura minori, quàm in instanti: igitur instans erit diuisibile, quod est contra præcedentem conclusionem.

16. Text. 30. *Quies non potest fieri in instanti.* *At verò 6 neque quiescere.* Ponit tertiam conclusionem, quòd in instanti non potest fieri quies. Probatur tripliciter: quia in illo non potest fieri motus; sed in instanti non potest fieri motus: igitur, &c. Maior probatur, quia illud dicitur quiescere, quod est aptum natum moueri, & non mouetur, quando aptum natum est moueri eo modo, quo aptum natum est moueri, vt patuit in quinto. Et minor patet per præcedentem conclusionem.

Text. 31. *Ampliùs 7 si idem.* Secunda ratio: quia si in instanti posset fieri quies, sequeretur quòd idem simul moueretur & quiesceret. Consequens est impossibile. Consequentia probatur, posito quòd aliquod mobile moueatur per aliquam horam, & quiescat per aliam immediatè sequentem; tunc si mobile natum est quiescere in instanti immediato, sequitur quòd in illo instanti simul mouetur, & quiescit: quia quà ratione moueretur, eàdem ratione quiesceret.

Text. 32. *Ampliùs 8 autem quiescere.* Quia quiescere est similiter se habere priùs, & posteriùs; sed in instanti non est priùs, nec posteriùs; igitur in instanti non potest esse quies.

Motus omnis est in tēpore. *Necesse est ergo.* Ponit quartam rationem, scilicet quòd omnis motus est in tempore. Probatur, quia omnis motus est in tempore, vel aliquis in instanti; sed nullus est in instanti, vt iam probatum est; igitur omnis motus est in tempore.

Quod autem mutatur. Probat quintam. Et secundò remouet dubium, ibi: *Dico autem.* Quinta conclusio est, quòd nullum indiuisibile potest moueri. Probatur, quia si sic; sequeretur quòd indiuisibile esset diuisibile. Consequens est impossibile. Consequentia probatur, quia omne quod mouetur de aliquo termino in aliquem terminum, partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; sed per te, indiuisibile mouetur: igitur indiuisibile est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*. Maior probatur, quia si esset totaliter in termino *à quo*, iam nondum moueretur; immò nondum inciperet moueri; & si esset totaliter in termino *ad quem*, iam non moueretur, sed esset motum. 17. *Nullum indiuisibile potest moueri.*

Dico autem id, quod mutatur. Hìc remouet dubium: quia si fiat mutatio de albo in nigrum, tunc si mobile sit partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, tunc sequitur, quòd mobile esset sub albedine, à qua est motus, & sub nigredine, ad quam est motus. Respondet, quòd non oportet mobile esse in quocumque terminorum vltimorum, scilicet in termino vltimato, à quo est motus; nec etiam in termino vltimato ad quem est motus; sed sub intermedio inter ista duo; vt in mutatione de nigro ad album, mobile est sub fusco, aut pallido, aut alio colore intermedio.

ANNOTATIONES.

[a] QVia illud est omnino indiuisibile, &c. Nota, quòd per tempus hic intelligitur præteritum, & futurum; *nunc* enim, siue præsens non est tempus, sed illud quod præcedit, est præteritum; & quod sequitur, est futurum. Quòd autem præsens non sit pars temporis, probatur: quia omnis pars temporis habet partes; sed præsens non habet partes, quia cuiuslibet successiui habentis partes vna pars succedit alteri, & vna est ante aliam, & vna est facta ante aliam; in præsenti autem non potest assignari, quòd vna pars succedat alteri, nec quòd vna pars sit facta ante aliam: quia quicquid est pars præsentis, est præsens, quod verò est factum, vel est fiendum, non est præsens. Ex hoc sequitur, quòd præsens non est aliud. quàm ipsum indiuisibile, vel ipsum *nunc*, vel instans: vel ipsum continuans partem præteriti cum futuro, nam quodcumque dicitur esse præsens, dicitur esse nunc, & è contra: igitur *nunc*, & præsens sunt idem. 18. *Nunc, siue præsens non est tempus.*

Obseruandum est tamen, quòd non solùm est instans præsens, sed & hora, & dies, & mensis, & annus sunt præsentes: sed differenter, quia hora non est nunc per se primò præsens, quia non est præsens secundùm se totam, sed secundùm instans, quo pars eius præterita continuatur cum futura: & pariter dies, mensis, & annus. Instans verò est præsens per se primò: quia est nunc, non ratione alterius, sed per se totum, eo modo quo indiuisibile dicitur totum, id est, quòd nihil illius est nisi modò, & hoc est, quod intendit hic Aristoteles, quia præteritum est terminatum à parte antè, cùm non extendat se ad aliquid de præterito: ergo in præterito est terminus finalis, & in futuro est terminus initialis; sed nihil aliud *Quomodo hora, dies, mensis, & annus sint præsentes.*

aliud est *nunc* nisi terminus, vltra quem non est præteritum, & ante quod non est futurum: ergo in vtroque tempore, scilicet præterito, & futuro est *nunc*, sicut terminus in terminato. Et ex hoc seqoitur, quòd *nunc* est indiuisibile, quia, cùm *nunc* sit distinctum à tempore, & sit terminus præteriti, & futuri; cùm infra terminum præteriri sit totum præteritum, & infra terminum futuri, sit totum futurum, sequitur quòd *nunc* nihil includit de præterito, neque de futuro; & per conseqoens ipsum est indiuisibile. Si enim esset diuisibile, baberet partem priorem, & posteriorem, & per consequens haberet in se præteritum, & futurum; quia cuiuslibet, quod est tempore, pars prior est præterita respectu posterioris, & posterior pars est futura respectu prioris.

19. b *Si diuersa, vel sunt mediata, vel immediata.* Nota, quòd sicut impossibile est imaginari aliquam partem lineæ, quin ipsa terminetur duobus punctis, & claudatur inter duo puncta, per modum cuiusdam interualli; nec etiam possunt imaginari duo puncta, quin inter ipsa cadat medium, siue media linea, quoniam indiuisibile non est immediatum indiuisibili. Sic etiam proportionaliter non potest imaginari aliqua pars temporis, quin ipsa cadat inter duo indiuisibilia; cùm enim quælibet pars temporis sit continua, oportet quòd partes temporis per aliqua indiuisibilia copulentur, & continuentur, quoniam hæc est descriptio continui. Cùm igitur pars præterita sit quid continuum, oportet quòd in parte præterita sint infinita indiuisibilia, sicut & infinitæ partes: de nullo autem indiuisibili est verum dicere, qoòd sint duo præsentia, quoniam sicut illa pars in qua sunt, præterlit, ita & indiuisibilia ipsa præterierunt; solùm ergo de illo indiuisibili est verum dicere, quòd sit præsens, quod copulat partem præteritam cum futura. Et ex hoc sequitur, quòd idem est *nunc*: quod est finis præteriri, & initium futuri; quia si esset alterum, & alterum: vel illa essent immediata, quod prius improbatum est, vel distantia à se inuicem, & tunc inter ea esset tempus medium, quod est impossibile; quia tunc præteritum, & futurum, quæ sunt continua, non haberent se consequenter; tum quia tempus omne cùm sit diuisibile, ipsum *nunc* esset diuisibile: cùm enim quicquid intercipitur inter præteritum, & futurum, sit *nunc*: quia *nunc* nihil aliud est, quàm præsens, quod nec præteritum, nec futurum est. Consequens est, vt ipsum *nunc* sit diuisibile.

20. c *Quòd mobile velociùs pertranseat*, &c. Pro intelligentia huius probationis, signetur magnitudo, quam mobile velociùs pertransit in *nunc*; & sit magnitudo *A, B*; *nunc* verò in quo magnitudo pertransitur sit *D*, supponatur, quòd in quocumque tempore est motus, esse proinde potest, & velocior, & tardior, quæ sunt accidentia motus. Hoc supposito, sic formetur ratio: In quocumque tempore est motus, in eo potest esse velocior, & tardior; sed in ipso *nunc* motus nequit esse velocior, & tardior: ergo neque simpliciter motus. Minor probatur, si in ipso *nunc* quod vocatur *D*, esse potest motus velocior, & tardior; sit ergo mobile tardius, quod in ipso *D* transit *A, B*: sequitur quòd mobile velociùs pertransibit *A, B*, in minori mensura, quàm sit *D*, siue *nunc*; & per consequens aliquid est minus ipso *nunc*: atque ita ipsum est diuisibile; sed probatum est esse indiuisibile; ergo moueri in illo quicquam est impossibile.

Quæstio VI.

Vtrùm in instanti possit fieri motus.

Aristot. *hic text* 29. Auerr *com.* 30 Albert *tract* 2.*c.*8 Scot. *in* 2.*dist.*2.*q* 9 § *Ad aliud.* Richard *in* 1.*dist* 31 *q* 3 Durandus *in* 4.*dist* 43.*q.vlt.* Ionn de Colonia *q.*264 Tait. 6.*Phys.in hunc text.* Rada *tom* 2.*controu* 7 *art* 3. Vasq. 1.*p. disp.*197.*c.*2. Suarez *tom.*2.*Met.disp* 30 *sect* 4. Conimbr & Ruuius *in expositione c.*3 *lib* 4 *Physic.* Hurt.*disp.*11.*Physic. sect.*10 § 70. Fuente 6.*Phys.q.*2.*diffic.*1. Roccus *in Paraphrasi, summa* 2.*q.*1.*&* 2 *&* *q* 3.

ARGVITVR qoòd sic: posito quòd sit aliquod opacum sphæricum minus luminoso, cui obiicitur; & moueatur vnū mobile ad motum vmbræ illius opaci, ita vt ponatur in extremo vmbræ; tunc pono quòd opacum continuè augmentetur vsque dum sit æquale luminoso; tunc per secundam conclusionem secundi Perspectiuæ patet, quòd vmbra corporis opaci esset in infinitum protensa, & tamen semper antè terminabatur: igitur illud mobile nunc distat à corpore opaco per spatium infinitum, & immediatè antè distabat solùm per spatium finitum: igitur illud mobile mutatum est subitò, & habetur propositum. 1.

Secundò, quia alteratio fit subitò; omnis alteratio est motus, igitur motus fit in instanti. Minor patet in 5. huius, text. 81. Et maior probatur tripliciter. Primò, per Aristotelem in lib. de Sensu, & Sensato, vbi dicit, quòd contingit aliquod totum simul alterari, & dimidium priùs. Secundò, quia illuminatio fit in instanti, vt patet in secundo de Anima, text. 71. Tertiò, per Aristotelem 8. Ethicor. vbi dicit qnòd delectatio fit in instanti.

Tertiò, ad principale: quia augmentatio fit subitò: quia sine resistentia mobilis ad motorem, vnde nec est resistentia extrinseca, nec intrinseca: quia mouens in augmentatione extenditur per totum corpus, scilicet anima vegetatiua cum calore naturali, & tamen est motus: ergo, &c.

Quartò, quia generatio fit in instanti, eo quòd est terminus nutritionis diuisibilis, vt dicit Comm. 5. huius, & tamen generatio est motus, vt patet in Prædicamentis. Similiter patet 3. huius, text. 6. vbi Aristoteles definiens motum induxit de generatione, quod non esset, nisi generatio esset motus.

Quintò, sequeretur quòd nunquam esset verum dicere, motus est; quod est falsum, vt patuit 3. huius, quæst. 6 quia nunquam esset verum dicere, nisi motus fieret in instanti, quia de tempore non habemus nisi instans.

Sextò, sequeretur quòd non possemus videre motum localem. Consequens est contra experientiam. Consequentia probatur: quia visio fit in instanti; ideò nisi motus fieret in instanti, iam non posset esse visio motus.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto sexto, text. 29. In quæstione primò videbitur, quid est possibile virtute agentis naturalis. Secundò, videbitur quid est possibile virtute agentis supernaturalis. 2. *Diuisio quæstionis.*

Quantum ad primum; prima conclusio est ista: Nulla alteratio ad qualitates primas, aut illas, quæ primas consequuntur, potest fieri in instanti. Probatur, quia quælibet talis fit cum *Alteratio nō potest fieri in instanti.*

resi

resistentia, quæ est causa sufficiens successionis.

Illuminatio fit successiuè. Secunda conclusio. Quælibet illuminatio fit successiuè. Probatur, quælibet illuminatio fit consequenter ad motum successiuum, quia vel fit per generationem luminosi, aut eius approximationem, vel remotionem obstaculi, aut aliter qualitercumque est possibile per agens naturale, & quocumque modo dicatur, semper fit successiuè. Vnde de motu alterationis, vt de illuminatione, & aliis huiusmodi alterationibus sunt aliæ speciales difficultates. Ideò nunc ad præsens solùm est dicendum de motu locali; & est

3. *Motus localis nō potest fieri subitò.* Tertia conclusio. Impossibile est motum localem fieri subitò. Probatur sic, quia si sic, sequeretur quòd aliquid moueretur velociùs in mensura minori, quàm in diuisibili. Consequens implicat. Et consequentia probatur, quia si *A* mobile pertrāseat aliquod spatium in instanti; tunc capio aliud mobile duplo velocius, & quæro an illud pertransibit idem spatium in eadem mensura, vel in minori, vel in maiori; si in eadem, tunc esset æquè velox, quòd est contra positum; si in maiori, tunc esset tardius, quod etiam est contra positum; si in minori, habetur propositum.

Secundò, si sic, sequeretur quòd idem simul moueretur, & quiesceret. Consequens est impossibile. Et consequentia probatur, & moueatur aliquod mobile per horam, & quiescat per sequentem. Tunc probo, quòd in instanti medio illud simul mouetur, & quiescit. Probatur sic: quia illud, quod mouetur in aliquo tempore, mouetur in quolibet illius temporis, in quo natum est moueri; sed per te, mobile natum est moueri in instanti, & illud instans est pars temporis, in quo mobile mouetur, quia idem instans est finis præteriti, & initium futuri; igitur in illo instanti mobile mouetur, & eâdem ratione probabitur, quòd in illo instanti illud mobile quiescet.

Notandum tamen, quòd istæ rationes sunt satis probabiles, loquendo præcisè virtute agentis naturalis; attamen non sunt demonstratiuæ: quia ad primam diceretur, quòd illud, quod mouetur subitò, nec est velox, nec tardum. Secundò, diceretur, quòd motu subito non potest esse aliquid velocius. Tertiò, diceretur quòd esset aliquid velocius, tamen non definiretur sic: Velocius est, quod in minori mensura pertransit æquale; sed definiretur isto modo: Velocius est, quod in æquali mensura pertransit maius: & ideò illud, quod subitò pertransiret lineam, moueretur velociùs, quàm illud quod subitò pertransisset pedem præcisè.

4. Ad secundam rationem diceretur, negando consequentiam; quia diceretur quòd in illo medio instanti mobile non moueretur, immò est primum instans non esse motus: & hæc de primo.

Motus potest per potentiam supernaturalem fieri in instanti. Quantùm ad secundum, ponitur ista conclusio: Per potentiam * supernaturalem possibile est, quòd subitò fiat motus localis. Probatur, quia talis potentia supernaturalis, est infinita; igitur in infinitum modica mensura potest exercere suam operationem.

Contra conclusionem arguitur: quia si ita esset, tunc sequeretur quòd in tempore finito posset pertransiri spatium infinitum motu vniformi. Consequens est falsum, vt probabitur quæst. 8. Consequentia probatur, quia si in quolibet instanti alicuius temporis mobile pertranseat pedale, tunc pertransitum in fine esset infinitum, & tamē motu vniformi, quia in quolibet instanti temporis pertransitur tantum, quantū in alio instanti.

Secundò, sequeretur quòd nihil posset moueri subitò, nisi indiuisibile. Consequens est falsum, quia illa potentia quam tu ponis posse mouere indiuisibile, potest etiam mouere diuisibile. Consequentia probatur: quia si mobile sit diuisibile, tunc in ipso est prius, & posterius secundùm partes magnitudinis; igitur est etiam prius & posterius secundùm partes motus. Tenet consequentia: quia motus & magnitudo diuiduntur: modò vbi est prius, & posterius, ibi est successio: igitur in instanti est successio, quod est impossibile.

Tertiò, sequeretur quòd illius moti subitò quælibet pars esset infra aliam partem, & quælibet pars penetraret aliam. Consequens est falsum, quia tunc non haberet partem extra partem & per consequens esset indiuisibile. 5.

Quartò, quia tu negas definitionem velocioris, scilicet quòd velocius est, quod in minori mensura pertransit æquale, quæ tamen priùs erat vniuersaliter concessa.

Quintò, si aliquod mobile potest moueri subitò, ponatur quòd cœlum circumuoluatur ab Oriente in Occidentem, & iterum in Orientem subitò; tunc quæro, cuius coloris sit cœlum; si dicatur quòd illius coloris, cuius nunc est. Contra, quia solùm est per totum ad medium circuli ab Oriente in Occidentem; & iterarò ad Orientem. Si dicatur, quòd sit coloris Solis. Contra, quia quælibet pars cœli esset vbi est alia: igitur cùm aliæ partes cœli non coloratæ vt Sol, sint plures & maiores, sequitur quòd cœlum potiùs apparebit coloratum colore aliarum partium, quàm colore Solis.

Sextò, quia si cœlum posset circumuolui vnâ completâ reuolutione, eadem ratione posset bis circumuolui in eodem instanti; modò inimaginabile est quòd bis fiat circulatio cœli, quin vna fiat ante aliam; igitur in instanti esset antè, & pòst, quod est impossibile.

Septimò, quia si cœlum circumuolueretur subitò, probo quòd non circumuolueretur, quia non haberet se aliter, quàm priùs.

Ad istas rationes respondetur. Ad primam dico, quòd in motu subitò non est inconueniens, quòd subitò & vniformiter pertranseatur spatium infinitum in tempore finito; modò hoc negabitur de spatio, cuius quælibet pars pertransitur successiuè, in hac verò quæstionē pono quòd partes spatij pertranseantur subitò, & sic non est inconueniens.

Ad secundam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd motus, & magnitudo consimiliter diuiduntur, loquendo de motu successiuo: quia non nisi motus successiuus potest fieri virtute agentis naturalis. 6.

Ad tertiam, concedo, sed ex hoc non sequitur, quòd vna pars sit extra aliam; & ex hoc conceditur, quòd idem sit in diuersis locis.

Ad quartam, concedo quòd velox, & tardum non dicuntur nisi de motu successiuo: quia definiuntur tempore; & sic de motu successiuo illæ definitiones sunt bonæ.

Ad quintam, dico quòd cœlum coloraretur colore medio.

Ad sextam, concedo, quòd bis potest fieri reuolutio cœli, ter, vel quater, sine hoc, quòd vna præcedat aliam.

Ad septimam, dico quòd aliter se habet, sed hoc non potest percipi secundùm differentiam

men

menſuræ, in qua fit reuolutio, ſed ſecundùm differentiam ſitus partium cœli ad partes magnitudinis, circa quam voluitur.

Ad rationes principales. Ad primam, dico, quòd non eſt poſſibile virtute alicuius agentis naturalis quòd aliquod mobile moueatur ſecundùm motum continuum talis vmbræ.

Ad ſecundam de alteratione, dico, quòd non fit ſubitò, & etiam in propoſito intendimus de motu locali.

Ad tertiam de augmentatione, dico, quòd ibi eſt reſiſtentia, tam in motu alimenti, quàm etiam in corruptione.

Ad quartam de generatione, dictum fuit *in quinto*.

Ad quintam, negatur conſequentia; vt patet ſuper tertium, hoc [b] verbum *eſt* connotat tempus, & non inſtans.

Ad ſextam, concedo, quòd motus videtur, & ſi aliqua viſio fiat in inſtanti, illa eſſet alterius viſibilis, quàm motus.

ANNOTATIONES.

7. [a] P*Er potentiam ſupernaturalem poſſibile eſt, &c.* Nota, quòd (ſuſtinendo tempus eſſe durationem, vel continuationem ſucceſſiuam motus ipſi motui inhærentem, per quam formaliter dicitur continuus, & ſucceſſiuus, & quòd talis duratio, vel continuitas ſucceſſiua motus realiter diſtinguatur ab entitate motus, atque adeò, quòd ſine implicatione contradictionis ſit à motu ſeparabilis) facilè ſuſtineri poſſet motum poſſe fieri in inſtanti. Nam ſicut ſubſtantia conſiſtit in indiuiſibili, etiam à quantitate ſeparata realiter ſibi inhærente, à qua formaliter dicitur quanta, & diuiſibilis, ita ſi tempus ſeparetur à motu, motus eſſet indiuiſibilis; & hoc diuiſione oppoſitâ diuiſioni, quæ eſt in partes ſumptas ſecúdùm diuiſionem temporis: & ratio eſt, quia ſucceſſio eſt relatio partis prioris ad partem poſteriorem fundata in tempore menſurante vnam partem motus, & terminata ad partem temporis menſurantis aliam partem motus: atque adeò ſicut poſitâ quantitate in duabus ſubſtantiis ſtatim conſurgit relatio æqualitatis, vel magnitudinis, & paruitatis, & eâ ablatâ, ſtatim etiam aufertur talis relatio; ita etiam poſitâ vnâ parte motus in vna parte temporis, & aliâ in alia parte temporis, ſtatim ponitur relatio partis prioris ad partem poſteriorem, ita vt eâ ablatâ inter partes motus, non ſit prioritas, aut poſterioritas.

8. Ex quibus ſequitur primò, quòd non implicat contradictionem motum fieri in inſtanti, cùm omnes partes eius poſſint eſſe in inſtanti. Sequitur ſecundò, quòd non implicat contradictionem motus eſſe ſine tempore, nec omnes partes motus ſimul eſſe in eodem inſtãti. Quòd autem motus poſſet fieri in inſtanti, & ſine tempore, patet primò, quia motus, & tempus realiter diſtinguntur, nec motus dependet à tempore in genere cauſæ intrinſecæ; immò, ſecundùm multos, non eſt niſi vnum tempus, & illud eſt paſſio primi motus; cùm ergo non ſit impoſſibile, ceſſante primo motu, alium motum fieri, ſicut ſuperiùs patuit, ſequitur, quòd ſecundùm eos oportet dicere motum poſſe fieri ſine tempore, quamuis non ſit verum, quod dicunt tantùm eſſe vnum tempus omnium temporalium. Poſſet etiam probari: quia ſucceſſio in motu non prouenit niſi ex reſiſtentia: cùm ergo virtuti diuinæ, quæ eſt infinita, non poſſit aliquid reſiſtere, ſequitur, quòd poterit mouere per inſtans, & ſine ſucceſſione, ſi velit; prima tamen reſponſione videtur conformior.

[b] *Hoc verbum* eſt *connotat tempus*. Nota, quòd iſta propoſitio, *motus eſt*, habet duplicem intellectum: vnum quod nunc ſit menſura actus deſignati, & illo modo eſt falſa: quia motus inſtanti non menſuratur. Alium intellectum poteſt habere, quòd nunc dicat menſuram compoſitionis prædicati cum ſubiecto, vel huius veritatis prædicati ad ſubiectum, & iſto modo eſt vera: nam in omni propoſitione vera de præſenti, prædicatum vnitur ſubiecto pro inſtanti indiuiſibili: ita vt eius veritas menſuretur inſtanti indiuiſibili: non tamen oportet, quòd actus deſignatus per prædicatum menſuretur indiuiſibili: ſed iſta ſtant ſimul, quòd actus deſignatus menſuretur tempore, & tamen quòd in inſtanti vniatur prædicatum ſubiecto. *Hæc propoſitio, motus eſt, quomodo intelligatur.*

QVÆSTIO VII.

Vtrùm indiuiſibile moueri poßit?

Ariſtot. *hic text.* 32. Auerroës, *&* reliqui interpretes *ibid.* Alber. *tract.* 1. *cap.* 7 Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 9. Lychetus, & Tartaretus *ibid.* Mayron. *ibid. quæſt.* 12. Gregorius *quæſt* 2. *art.* 1. Rada *tom.* 2. *controu.* 7. *art.* 3. Tolet. 6. *Phyſic. quæſt* 4 Valleſ. *controu.* 58 *ad tyrones.* Fuente 6. *Phyſic. quæſt.* 1. *diffic.* 2 Rubius, & Conimbric. *ibid. in expoſit. cap.* 3 Roccus *ibid. &* *cap.* 4.

ARGVITVR quòd ſic: quia ſi aliquod corpus frigidum condenſetur vſque ad duplum, eius frigiditas eſſet in duplo intenſior, quàm priùs: igitur adhuc eſt potentior ad condenſandum, quàm priùs erat; ſed priùs potuit condenſare ad duplum: igitur adhuc poteſt condenſare ad duplum; & tunc eſſet in duplo intenſior frigiditas, quàm priùs; igitur adhuc poterit condenſare, & ſic in infinitum vſque ad indiuiſibile. Tunc arguitur ſic; iſtud quando erat diuiſibile poterat moueri deorſum: igitur & nunc quando eſt indiuiſibile: quia grauitas ſua eſt in infinitum intenſior quàm priùs; & in infinitum minus de medio ſibi reſiſtit. 1.

Secundò, quia materia prima eſt indiuiſibilis, quia non eſt quid, nec quale, nec quantum, vt patet 7. *Metaph. text.* 8. & tamen poteſt moueri.

Tertiò, quia intellectus noſter eſt indiuiſibilis, & tamen mouetur: quia motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis.

Quartò, aliqua magnitudo mouetur; ſed in omni magnitudine eſt aliquod indiuiſibile: igitur aliquod indiuiſibile mouetur.

Quintò, quia aliquod indiuiſibile poteſt quieſcere; quia eſt, & non mouetur: igitur poteſt moueri: quia ſunt priuatiuè oppoſita, quæ poſſunt fieri circa idem.

Sextò, quia indiuiſibile, vt intellectus, patitur: verbi gratiâ, ab obiecto: igitur mouetur: quia pati eſt moueri.

Septimò, aliquod indiuiſibile generatur: igitur mutatur. Conſequentia tenet, & patet antecedens de actibus intelligendi, & ſpeciebus intelligibilibus.

Octauò, quia indiuiſibile moueri non impli-

cat contradictionem,& ipso posito in esse nullum sequitur impossibile; igitur potest moueri. Oppositum probatur ex Aristotele *in isto 6. text. 32.* vbi ex intentione probat quòd nullum indiuisi-

Diuisio quæstionis. bile mouetur. In quæstione primò videbitur si indiuisibile potest moueri localiter; & secundò, si potest alterari.

2. *Indiuisibile dicitur multipliciter.* Quantùm ad primum, notandum, quòd aliquid dicitur indiuisibile multipliciter. Primo modo per carentiam diuisionis in partes diuersarum rationum; & sic materia prima dicitur indiuisibilis; & etiam forma. Secundo modo per priuationem diuisionis,scilicet separationis partis à parte, licèt actu habeat partes, & sit extensum; & isto modo cœlum dicitur indiuisibile. Tertio modo per priuationem extensionis,& hoc dupliciter: vno modo sicut punctus habens positionem in continuo: alio modo sicut intellectus, vel intelligntia.

Aliquid dicitur moueri tripliciter. Secundò,notandum,quòd aliquid dicitur moueri tripliciter: vno modo per se,quia indiuisum à se, & diuisum à quocunque alio mouetur, vt homo. Alio modo dicitur moueri secundùm partes, vt illud, quod denominatur moueri ex eo, quòd aliqua pars eius mouetur: & tertio modo dicitur moueri aliquid per accidens, vt qualitas ad motum subiecti.

Indiuisibile non potest moueri localiter per se. Istis præmissis, ponit Aristoteles duas conclusiones. Prima est; indiuisibile non potest moueri localiter per se. Probatur, quia omne quod per se mouetur localiter, partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; sed nullum indiuisibile est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: igitur, &c. Maior probatur, quia vel est totaliter in termino *à quo*, & hoc non; quia iam non mouetur,sed mouebitur; vel totaliter in termino *ad quem*: & hoc non; quia iam motum est, & non mouetur; vel in vtroque; & hoc est impossibile; quia iam esset in diuersis locis; vel nullo modo est in aliquo terminorum, & hoc non; quia mouetur de vno ad reliquum; igitur relinquitur,quòd est partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: & minor patet, quia tunc indiuisibile haberet partem.

3. Secundò, sequeretur, quòd [a] indiuisibile esset diuisibile; consequens est falsum. Consequentia probatur, quia indiuisibile mouetur; sit igitur quòd per aliquod tempus moueatur super indiuisibile; igitur cùm quocunque motu dato possit dari tardior, & illo non pertransibitur, nisi vnum indiuisibile, quia non minus indiuisibili, quia iam esset æquè velox,vel velocior;ergo,&c.

Tertiò, sequeretur, quòd [b] continuum esset compositum ex indiuisibilibus; consequens est falsum, vt patuit *in isto 6. text. 1. & inde.* Consequentia probatur, quia indiuisibile motum priùs pertransit indiuisibile, & consequenter aliud, quod non esset nisi pertransitum componeretur ex indiuisibilibus.

Indiuisibile mouetur per accidens. Secunda conclusio: Indiuisibile mouetur per accidens. Probatur, quia motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis; sed in nobis sunt indiuisibilia; ergo, &c.

4. *Angelus, & anima possunt per se moueri.* Tertia conclusio est specialiter de intellectu humano, & Intelligentiis, quòd huiusmodi indiuisibilia possunt per se moueri; vnde imaginandum est, quòd huiusmodi indiuisibilia occupent aliquem totum locum, ita quòd in isto loco,& in qualibet parte est totum illud, & qualibet pars eius; quemadmodum tota humana intelligentia est tota in corpore humano,& tota in qualibet parte eius; & tunc huiusmodi indiuisibile mouetur cum toto illo corpore,quod occupat non per inhærentiam, sed per appropriationem, & huiusmodi indiuisibiliū quantò aliquod est perfectius, tantò maiorem locum occupat:& ideò Deus,cùm sit summè perfectus, est vbique. Ideò non obstantibus istis conclusionibus est notandum, quòd illæ tres rationes adductæ non sunt demonstratiuæ: & æquè probant, quòd indiuisibile non mouetur per accidens; sicut quòd non mouetur per se. Ideò ad primam;quando dicitur omne,[c] quod mouetur,est partim,&c.dico, quòd hoc non conceditur,nisi ad istum sensum, quòd omne, quod mouetur, pertransiuit partem de termino *à quo*, & pertransibit partem de termino *ad quem*: vel isto modo,omne quod mouetur est in aliquo situ, qui respectiuè dicitur terminus *à quo*, & respectiuè dicitur terminus *ad quem*; sed non oportet, quòd illius, quod mouetur, vna pars sit in termino *à quo*, & alia in termino *ad quem*.

Ad secundam, negatur consequentia. Ad [d] probationem dico, quòd impossibile est, quòd aliquod indiuisibile motum pertranseat in tempore præcisè indiuisibile, immò in quolibet tempore pertransit diuisibile; & quodlibet indiuisibile pertransit subitò.

Ad tertiam, negatur consequentia: quia semper [e] punctus motus pertransibit lineam, vt dictum fuit priùs. Ex quo patet, quòd istæ rationes non obstant,quin aliquod indiuisibile possit moueri localiter; & hoc de primo.

Quantùm ad secundum, notandum, quòd si qualitas alicuius corporis ponceretur in puncto indiuisibili,ipsa esset infinita intensiuè.Quod patet, quia si qualitas vniformis alicuius corporis per imaginationem moueatur in sua medietate, ipsa esset in duplo intensior, quàm antè,& in sua quarta ipsa esset in quadruplo intensior; & sic in infinitum: igitur si ponatur in puncto ipsa esset infinita.Secundò,præmitto,quòd de facto est aliquod indiuisibile qualificatum, quia, vt patuit priùs,in quolibet continuo est indiuisibile,modò quodlibet continuum est qualificatum: igitur etiam quilibet punctus materiæ continui est qualificatus; & hoc patuit priùs,quia concedebatur, quòd esset dare punctum materiæ, punctum formæ,& punctum qualitatis. 5.

Ex istis sequitur ista conclusio, quòd impossibile est aliquam qualitatem existentem in puncto extendi per corpus diuisibile. Probatur, quia quælibet qualitas alicuius puncti est finita intensiuè, quia non est intensior qualitate, aut parte qualitatis illius totius,cuius ipse est punctus; sed si esset posita extensiuè, per subiectum diuisibile, probaretur per primum notabile, quòd si poneretur in puncto, esset infinita; ergo, &c.

Secunda conclusio; indiuisibilia, cuiusmodi sunt intellectus, possunt alterari alteratione,quæ est receptio qualitatis. Item, secundùm fidem alio modo, quia intellectus est passibilis à qualitatibus primis. 6. *Indiuisibilia quomodo alterari possint.*

Tertia conclusio: Indiuisibilia habentia [f] positionem in continuo, possunt alterari ad alterationem suorum subiectorum, siue ad alterationem illorum, in quibus habent positionem.

Quarta conclusio: Nullum tale indiuisibile potest alterari per se separatim existens à toto.

Patet,

Patet, quia impoſſibile eſt aliquod tale ſeparatum exiſtere. Ex quibus patet, quòd non repugnat, quin indiuiſibile poſſit moueri localiter, & etiam alterari: tamen naturaliter hoc non eſt poſſibile de puncto indiuiſibili exiſtente ſeorſum, & ſeparatim ab aliis.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd nullum ens naturale poteſt in tantum condenſari per aliquam virtutem naturalem. Vnde licèt per condenſationem frigiditas fiat intenſior, attamen formæ cum qua ſtat, repugnat ampliùs condenſari. Ad ſecundam, ſoluta eſt in textu. Tertia de intelligentia, conceſſa eſt. Similiter quarta, quòd indiuiſibile mouetur per accidens. Ad quintam, negatur Antecedens; nec ſequitur; eſt, & non mouetur: igitur quieſcit. Ad ſextam, conceſſum eſt, quòd intellectus eſt alterabilis, & etiam indiuiſibile eſt alterabile ad alterationem continui in quo eſt. Ad ſeptimam conſimiliter. Ad octauam, non implicat contradictionem; igitur eſt poſſibile: negatur conſequentia; quia ſic probaretur, quòd Deum non eſſe eſſet poſſibile.

ANNOTATIONES.

7. *Cauſa ſucceſſionis in motu locali eſt duplex.*

ᵃ *SEcundò, ſequeretur, quòd indiuiſibile eſſet diuiſibile.* Nota, ex Scoto in 2.*d.* 2. *quæſt.*9. in reſponſione ad tertium principale, quòd in motu locali duplex eſt ſucceſſionis cauſa: vna ſumitur ex diuiſibilitate mobilis; altera verò ex diuiſibilitate ſpatij, & quælibet iſtarum cauſarum, per ſe & ſolitariè ſumpta ſufficit ad cauſandam ſucceſſionem motus, ita vt ſi mobile eſſet diuiſibile, & moueretur ſuper ſpatium indiuiſibile, nimirùm ſuper punctum, priùs pertranſiret illud punctum ſecundùm vnam ſui partem, quàm ſecundùm aliam; atque ita ſucceſſiuè. Si verò mobile eſſet indiuiſibile, diuiſibilitas ſpatij ſufficeret ad cauſandum motus ſucceſſionem, quia mobile indiuiſibile ſemper priùs pertranſiret vnam partem ſpatij, quàm aliam; atque adeò ſucceſſio in motu locali ſufficiéter cauſatur, vel à diuiſibilitate ſpatij, vel à diuiſibilitate mobilis. Iſtarum tamen rationũ eſſentialior eſt magnitudinis diuiſibilitas, hoc eſt, ſucceſſio in motu, quæ ſumitur ex diuiſibilitate magnitudinis, eſt motui eſſentialior. Quod patet ex Ariſtotele 5. *Metaph.*c. de Quanto, *text.*18, in fine illius capituli, vbi docet, quòd motus eſt diuiſibilis non propter mobile, ſed propter magnitudinem; & iſta ſunt verba eius.

8. *Dico autem non quod mouetur, ſed quod motum eſt, &c.* Vbi vult Ariſtoteles, quòd motus ſit quantus, & diuiſibilis non ab eo, quod mouetur, quod eſt mobile, ſed ab eo, quod motum eſt; intelligendo per illud quod motum eſt, illud ſecundùm quod fit motus, & mobile mouetur: illud autem ſecundùm quod motus eſt, eſt ipſa magnitudo, & ſpatium. Verum eſt tamen, quòd Ariſtoteles *in hoc 6.* ponit vtramque continuationem neceſſariò ad motum requiri, atque adeò negat indiuiſibile poſſe moueri localiter, quia ex parte eius non poteſt accipi continuitas motus; & hoc probant rationes ſuæ, quarum ſecunda, quæ hîc ponitur ab Scoto, & quæ habetur *in hoc 6. text.*88. in hoc conſiſtit, quòd in omni tempore eſt accipere minus tempus, in quo poteſt minus mobile moueri: igitur omni mobili poteſt accipi minus mobile in infinitum, & ita nullum indiuiſibile eſt mobile. Conſequentia patet, quia indiuiſibili non eſt accipere minus.

ᵇ *Continuum eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus, &c.* Nota, quòd hæc ratio ſtat in hoc, quia omne quod mouetur, priùs pertranſit ſpatium ſibi æquale, vel minus ſe, quàm maius ſe; indiuiſibile autem non priùs pertranſit minus ſe, cùm nihil ſit eo minus: igitur pertranſit priùs æquale, quàm maius ſe; ſed quod eſt æquale indiuiſibili, eſt indiuiſibile: ergo ſi indiuiſibile mouetur per ſe continuè, pertranſit ſemper æquale, & per conſequens indiuiſibile; atque adeò in magnitudine, ſuper quam moueretur, eſſet continuè indiuiſibile poſt indiuiſibile, eſſétque in magnitudine indiuiſibile immediatum indiuiſibili, & ſic magnitudo eſſet compoſita ex indiuiſibilibus; quod eſt impoſſibile.

ᶜ *Ad primam, quando dicitur omne quod mouetur, &c.* Nota, quòd licèt Angelus ſit indiuiſibilis, tamen quia occupat locum diuiſibilem, vt probat Scotus *in* 2.*d.*2.*quæſt.*6. ideò poteſt moueri localiter motu continuo, ſucceſſione accepta ex diuiſibilitate ſpatij, ita vt ſucceſſiuè pertranſiret illud ſpatium; eſto etiam, quòd eſſet in loco indiuiſibili, vt ſi eſſet in loco punctali, adhuc moueri poſſet motu continuo. Vnde ad primam rationem Ariſtotelis dicitur primò, quòd concludit de mobili diuiſibili: tale enim ſi mouetur ſecundùm partem, & partem ſui, eſt in termino, & termino, non eſt totaliter in termino *a quo*, quia tunc quieſceret; nec totaliter in termino *ad quem*, quoniam eſſet motum, & non moueretur, vt patet à Philoſopho, vbi ſuprà: ſed loquendo de mobili indiuiſibili, illud non poteſt eſſe partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, loquendo de partibilitate, quæ eſt ex parte mobilis; at loquendo de ſecunda partibilitate, quæ ſe tenet ex parte ſpatij, falſum eſt quòd non ſit in aliquo medio, quod medium eſt aliquid vtriuſque extremi; & ſic ſub mutatione; atque ita poteſt continuare partes motus, quæ continuitas ſumitur ex parte ſpatij. Dicitur ſecundò, quòd *partim* quandoque opponitur ly *totaliter*, & ſic Angelus, dum mouetur, eſt partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, quia non eſt totaliter in termino *à quo*, nec totaliter in termino *ad quem*. Alio modo ly *partim*, opponitur ad ly *totus*, & ſic idem eſt, partim eſt in termino *à quo*, id eſt, ſecundùm vnam partem eſt in termino *à quo*, & hoc eſt falſum de mobili indiuiſibili; ſed tantum eſt verum de mobili diuiſibili, & ſic procedit ratio Ariſtotelis, qui accipit ſucceſſionem in motu, tam ex parte ſpatij, quàm ex parte mobilis. Et hæc reſponſio eſt Ioannis Canonici 1. *Phyſic. quæſt.* 1 *ad* 3. *principale*, quam dicit eſſe Scoti, & eam accepit Ocham *in* 2.*d.* 2. & eſt eadem cum reſponſione Scoti *in hac quæſt.* vt patet conſideranti. 9.

ᵈ *Ad probationem dico, &c.* Nota, quòd illa propoſitio, omne quod mouetur priùs pertranſit minus, vel æquale, quàm maius, vera eſt de mobili, penes quod accipitur continuitas motus, hoc eſt de mobili diuiſibili: ſed non eſt vera de mobili indiuiſibili, cuiuſmodi eſt Angelus, & punctus. Et ſi dicatur, ſemper indiuiſibile dum mouetur eſt in ſpatio ſibi æquali, & ſi pertranſit totum, commenſurat, vel deſcribit totam lineam ſuppoſitam, atque ita illa linea ſuppoſita erit compoſita ex indiuiſibilibus: dico quòd ly *ſemper*, aut diſtribuit pro quolibet inſtanti præcisè, aut pro quolibet inſtanti, & tempore; vt ſi ſenſus, in omni inſtanti, & in quolibet tempore. Primo 10.

modo verum est, quòd in quolibet instanti est in spatio sibi æquali, hoc est, in aliquo indiuisibili sibi supposito: at secundo modo est falsum: nam in *A* instanti est in spatio sibi æquali, & in tempore immediatè habito ad instans est spatio sibi inæquali: nam indiuisibile non est immediatum indiuisibili, atque ita post indiuisibile immediatè non est in spatio indiuisibili, sed diuisibili: licèt ergo in quolibet instanti sit in spatio indiuisibili, tamen in quolibet tempore, & in qualibet parte temporis est in spatio diuisibili: quia impossibile est (vt hîc dicit Scotus) quòd indiuisibile motum pertranseat in tempore præcisè indiuisibile: quia non mouetur de puncto in punctum, & de indiuisibili ad indiuisibile super spatium magnitudinis suppositæ; sed mouetur potiùs continuando omnia, quæ sunt in spatio, nempè punctum magnitudini, & magnitudinem puncto; & hanc partem magnitudinis alteri parti magnitudinis, per medium punctum; atque ita in quolibet instanti temporis est in puncto sibi æquali: in tempore autem est in magnitudine accepta inter duo puncta: nam instans in tempore correspondet puncto in magnitudine, & tempus magnitudini, sicut *mutatum esse* in motu, instanti temporis, & puncto in linea correspondet; motus autem tempori, & lineæ; & ideò dicit hîc Scotus, quòd quodlibet indiuisibile pertransit subitò.

e *Semper punctus motus pertransibit lineam, &c.*

11. *Mobile est duplex.* Nota, quòd duplex est mobile, scilicet diuisibile, penes quod potest accipi continuitas motus, & indiuisibile, penes quod non potest accipi motus continuitas. Indiuisibile autem, si moueretur, vtique moueretur in tempore. Et si inferas, quocunque tempore dato contingit dari minus, concedo; quia tempus est diuisibile in infinitum: & si subinferas; ergo mobile minus mobili indiuisibili poterit moueri in illo minori tempore: nego consequentiam: quia non est dare mobile minus mobili indiuisibili, nec proportionantur mobile indiuisibile, & tempus; quia omne tempus est diuisibile in infinitum; & punctus, vel Angelus, & anima sunt indiuisibiles; sed benè sequitur consequens de mobili diuisibili. Nam si *A* mobile diuisibile moueatur in *B* tempore, & *B* tempus est diuisibile in duo tempora; igitur minus mobile ipso *A*, poterit moueri in tempore minori ipso *B* tempore: quia talia mobilia, & tempus possunt proportionari in diuisibilitate.

f *Indiuisibilia habentia positionem in continuo, & cætera.*

In motu alterationis duplex potest assignari causa successionis. Nota, quòd etiam in motu alterationis potest duplex causa successionis assignari, scilicet tam ex parte mobilis, quàm ex parte formæ. Patet, quia ex diuisibilitate formæ, mobile priùs recipit vnam partem formæ, quàm aliam: cùm enim forma sit diuisibilis, ideò mobile, quòd alteratur secundùm eam, priùs recipit vnam partem formæ, quàm aliam; atque ita successiuè; & hoc si intelligatur mobile recipere formam secundùm se totum. Posset etiam causari successio ex parte mobilis habentis partes; sic quòd priùs alterentur secundùm vnam, quàm secundùm aliam, & fortè etiam in motu augmentationis posset assignari hæc duplex causa successionis: & dixi *fortè:* quia est magis difficilè assignare in motu augmentationis, quomodo successio sit tantùm ex parte formæ, & non ex parte mobilis; quia non videtur, quòd possit ibi assignari mobile indiuisibile; quòd successiuè sit quantitatis susceptiuum; in alteratione verò benè potest assignari, quia punctus habens positionem in continuo, alteratur successiuè, ex successione partium formæ: & est etiam successio mobilis diuisibilis, quod alteratur.

Vnde si quæras, an indiuisibile possit alterari. 12.
Dico quòd indiuisibile de genere Substantiæ, vt Angelus, & anima, potest alterari; quia Angelus, & anima possunt recipere aliam, & aliam opinionem; & similiter gaudium, & tristitiam, atque ita possunt alterari, fusè accipiendo alterationem, pro mutatione ad qualitatem.

Et si quæras, an indiuisibile de genere Quantitatis, possit recipere aliquam quantitatem, sic quòd mutetur de vna qualitate in aliam. Scotus hîc dicit quòd si tale indiuisibile esset separatum à quantitate, non posset alterari, quia impossibile est aliquod tale separatum existere: indiuisibile tamen habens positionem in continuo potest alterari ad alterationem suorum subiectorum, siue illorum in quibus habent positionem. Nota tamen quòd punctum esse alterabile, potest bifariam intelligi: priori modo sic, quòd recipiat certam qualitatem determinatæ intensionis; & sic potest probabiliter dici: quòd non est alterabile, vt docere videtur Scotus *in 4. dist.* 10. *quæst. 9. ad secundum principale*, vbi dicit quòd nullum lumen est punctale. Posteriori modo intelligi potest indiuisibile alterari qualitate, quâ partes aliæ alterantur, quas tamen continuat ad inuicem; & vt sic dici potest probabiliter, quòd punctus est alterabilis, sed hoc est per accidens, scilicet ad alterationem partium, quas continuat ad inuicem.

Et si quæras postremò, an punctus possit augmentari? Dico quòd non: quia punctus non potest moueri motu augmentationis, & diminutionis, quia hoc sibi repugnat ab intrinseco.

EXPOSITIO TEXTVS.

Motus 1 autem est diuisibilis, &c. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo 13. Tex. 33.
Philosophus determinat de diuisione motus: & diuiditur, quia primò ostendit, quòd motus est diuisibilis ad diuisionem temporis, & magnitudinis. Secundò ostendit, quòd *motus, moueri, mobile, & dispositio,* secundùm quam est motus, proportionabiliter diuiduntur. Et tertiò ponit quoddam incidens. Secundum ibi: *Quoniam autem omne.* Tertium ibi: *Et in hoc quòd finita esse.* Primò ponit duas conclusiones. Secundò probat ibi: *Vt si ipsum A, C.* Prima conclusio est: Motus est diuisibilis secundùm diuisionem mobilis. Secunda est: Motus est diuisibilis ad diuisionem temporis; & per istas conclusiones non debet imaginari, quòd motus sit res distincta à mobili; sed Aristoteles intelligit, quòd dato, quòd motus esset res distincta à mobili, adhuc motus esset diuisibilis ad diuisionem mobilis, & diuisionem temporis. *Motus est diuisibilis secundùm diuisionem mobilis.*

Vt si ipsum A, C. Probat dictas conclusiones. Primò primam. Secundò secundam ibi: *Alia autem est secundùm tempus.* Item, primò præmittit aliqua. Secundò probat quod restat probandum ibi: *Necesse igitur.* Supponit igitur, quòd totum mobile, quod mouetur, sit *A, C,* & vna pars eius sit *A, B,* & alia *B, C,* deinde ponitur quòd motus *D, E* sit motus partis *A, B,* & quòd motus *E, F* sit motus

motus partis, *B,C*; istis suppositis non restat probare, nisi quòd totus motus *D,F*, sit motus totius mobilis *A, C*.

14. *Necesse igitur totum in quo D, F.* Probat quod restat probandum, scilicet quòd totus motus *D,F* sit motus totius mobilis *A,C*; & hoc probat quadtupliciter. Secunda ibi: *Nulla enim mouetur.* Tertia ibi: *Amplius autem si omnis.* Quarta ibi: *Amplius autem si est quidem.* Probatur: quia [b] partes mobilis *A,C* mouentur partibus *D F*: igitur totum mobile *A,C*, mouetur toto motu *D,F*, consequentia tenet, quia totum se habet ad totum sicut partes ad partes, præcipuè cùm partes non sint aliud à toto.

Nulla enim mouetur. Secunda ratio: quia nulla pars mobilis *A, C*, mouetur toto motu *D,F*, quia neutra pars mouetur motu alterius partis: igitur motus *D, F*, est motus totius mobilis *A,C*.

Text. 34. *Amplius 2 autem si omnis.* Tertia ratio, quæ est propinqua præcedenti: quia motus *D, F*, est motus alicuius mobilis: vel igitur est motus *A, C*, vel alicuius partis eius, vel alicuius extranei: si ipsius *A,C*, habetur propositum, si alicuius partis eius, hoc est falsum: quia neutra pars eius mouetur motu alterius partis: si alicuius extranei, hoc est impossibile: quia partes motus *D,F*, sunt partium mobilis *A,C*, & non alicuius extranei.

Text. 35. *Amplius autem 3 si est quidem:* quod nobile *A, C*, mouetur aliquo motu: vel igitur mouetur motu *D, F*, & habetur propositum; vel aliquo alio; & sit ille *G, H*, tunc igitur illi motus sunt æquales; aut vnus maior alio: si æquales, tunc sicut partes motus *D,F*, sunt motus partium mobilis *A,C*, ita quòd partes motus *G,H*, essent motus earundem partium; quod est falsum: quia tunc vnus illorum motuum superflueret, ex quo vnius mobilis debet esse vnus motus. Si verò *G, H*, sit maior, & hoc per excessum *I, K*; sequitur quòd motus *I, K*, nullius esset mobilis, quod est falsum. Si dicatur, quòd è contra, tunc aliqua esset pars mobilis, quæ moueretur, & tamen ipsius nullus est motus, quod est impossibile.

15. Text. 36. *Alia 4 autem.* Hìc ponitur secunda conclusio, quòd motus est diuisibilis ad diuisionem temporis. Probatur, quia semper in maiori tempore fit maior motus, quàm in minori: igitur necesse est quòd motus proportionabiliter diuidatur tempori.

Text. 37. *Quoniam autem 5 omne.* Hìc ponit tertiam conclusionem, scilicet quòd *motus, moueri, tempus mobile & dispositio*, secundùm quam est motus, consimiliter diuiduntur; & licèt aliqua istarum non sint ab inuicem distincta, tamen non est cura in proposito; quia Aristoteles intelligit, quòd, dato quòd essent distincta ab inuicem, adhùc consimiliter distinguerentur. Ista conclusio probatur singillatim quantùm ad partes; & primò quantùm ad motum, & tempus: quia si aliquod mobile moueatur per aliquod tempus aliquo toto motu, in medietate temporis mouetur mediâ parte motus; & in minori parte temporis mouetur minori parte motus; & sic semper: quod non

Text. 38. esset, nisi ista consimiliter diuiderentur. Secundò 6 probatur, quantùm ad motum, & *moueri*: quia semper minori motui correspondet minus moueri, & maiori maius, & sic semper; quod non esset, nisi ista consimiliter diuiderentur. Tertiò probatur quantùm ad motum, & dispositionem, secundùm quam est motus, quia non consimiliter diuiderentur, tunc esset aliqua pars motus, cui non corresponderet dispositio, secundùm quam est motus, vel è contra, quod est impossibile. Quartò probatur 7 de mobili, & motu eo Text. 39.
modo, quo dictum fuit priùs; & sic patet, quòd omnia ista consimiliter diuiduntur, nisi quòd vnum diuiditur [c] per se, & aliud per accidens.

Et in hoc quod finita esse. Ponit quoddam incidens, scilicet quòd omnia prædicta consimiliter se habent quantùm ad diuisionem, & quantùm ad finitatem, & infinitatem. Probabitur postea; & hoc notum est de omnibus, quòd consimiliter diuiduntur mobili, nisi de tempore; & ideò probatur de tempore, quòd signato aliquo termino præterito in spatio pertranseundo, ille terminus in minori tempore pertransibitur à minori parte mobilis, quàm à maiori, quod non esset, nisi ista consimiliter diuiderentur.

ANNOTATIONES.

[a] *Motus est diuisibilis secundùm diuisionem mobilis.* Nota, quòd motus bifariam con- 16. *Motus bifariam considerari potest.*
siderari potest; vno modo generaliter, quatenus accidens: alio modo secundùm propriam rationem motus, quæ est res successiua. Primo modo, cùm motus extendatur per totum mobile, quemadmodum albedo extenditur per totum subiectum, motus diuiditur secundùm diuisionem mobilis: loquitur enim Aristoteles de motu, vt hìc dicit Scotus, ac si esset res distincta à mobili, sicut albedo. Nam Scotus in his quæstionibus, & in hac expositione libri Physicorum, tenet motum non distingui à mobili, vt vidimus: quid autem sit tenendum explicauimus suprà. Secundo modo motus diuiditur diuisione temporis, quà mobile priori parte motus transit priorem partem spatij, & posteriori transit posteriorem.

Nota secundò ex D. Thoma, quòd diuisio motus secundùm diuersas partes mobilis, tripliciter potest intelligi: vno modo, quòd vna pars primò mouetur, quàm alia; & hoc non est possibile, quando totum continuum homogeneum mouetur; vt si lapis tripedalis moueatur eodem instanti, in quo incipit moueri prima pars, incipit moueri secunda. Quare isto modo non est diuisio motus secundùm partes mobilis. Secundo modo potest intelligi secundùm aliquod signum fixum in spatio: vt quando Sol oritur per lineam Horizontis, priùs apparet prima medietas Solis, quàm secunda; & neque de ista loquitur Aristoteles, quia pertinet ad successionem temporis: sicut quando lignum calefit, priùs recipit calorem pars propinquior igni, quàm remotior.

Tertio ergo modo intelligitur diuisio motus, 17.
sicut aliorum accidentium: vt enim aliam partem caloris habeo in facie, aliam in mano, ita & aliam partem motus habeo in facie, & aliam in manu: demonstrat ergo primò diuisionem motus ad diuisionem mobilis hoc pacto: sit enim mobile bipedale *A,B, C*, si totum mouetur, sequitur quòd & prima pedalitas *A,B*, & secunda *B,C* pariter moueantur. Signetur ergo pars motus, quæ subiectatur in parte *A,B*, & sit illa *B,C*, & pariter signetur pars motus, quæ subiectatur in parte *B,C*, & sit *E,F*; ex his sequitur, quòd totus motus quo *A, B, C*, mouetur, sit *D, E, F*, siquidem partibus mobilis singillatim respondent partes motus; ergo sicut mobile *A,B,C*, diuiditur in partes *A,B* & *B, C*, ita totus motus *D, E, F*, diuidi-

tur in *D*, *E*, & in *D*, *F*, & per consequens ad diuisiooem mobilis sequitur diuisio motus. Hac ratione beoè intellectà facillimè intelliguntur sequentes.

b *Partes mobilis A,C mouentur partibus D,F*. Nota, quòd hac ratione intendit probare Aristoteles, quòd totus motus *D,E,F*, sit adæquatus motus totius mobilis *A, D, C*. Si enim non est ita; dicitur, inquit, alius motus eiusdem mobilis, qui sit adæquatus, & sit, verbi gratiâ, *S,V*. Tunc demantur duæ partes *A,G,B*, quæ sint motus partium *A, B*, & *B, C*, quas quidem partes motus necesse est esse æquales: partibus *D,E*, & *E,F*, si quidem, istæ vt probatum est, sunt motus illarum partium mobilis.

18. Tunc rursus, aut partes istæ, quæ demuntur, *A,G,H*, adæquant totum *G,H*, & inde manifestè sequitur, quòd totus motus *G,H* est æqualis toti mutui *D, E, F*, quaodoquidem partes adæquantes totum sunt æquales, & per consequens sunt idem motus. Si verò illæ partes non adæquant totum, sed deficiunt, ita vt supersit aliquid: verbi gratiâ, *I,H*, sequitur quòd illa pars motus nullius mobilis erit motus, quia neque totius illius mobilis, neque partium, siquidem singulis partibus mobilis iam signatæ sunt partes motus; neque erit motus alterius mobilis, nam, cùm totus motus *G, H*, sit continuus, non potest esse, nisi vnius mobilis; & iam probatum est ad voitatem motus necessatiam esse vnitatem mobilis. Similiter, si partes illæ motus non adæquant totum *G, H*, sed excedunt, sequitur quòd illa pars, in qua excedunt, nullius mobilis erit motus: cùm autem hæc omnia sint impossibilia; sequitur primum intentum, quòd ille totus motus *D,E,F*, est adæquatus illius mobilis *A, B, C*, & per consequens motus diuiditur ad diuisionem mobilis.

Diuisio est duplex per se, & per accidens.

c *Nisi quod vnum diuiditur per se, & aliud per accidens*. Nota, quòd aliqua diuiduntur per se, & aliqua per accidens; nam illud quod est per se quantum, est per se diuisibile: quod autem non est per se quantum, est diuisibile per accideos; atque adeò quamuis *mobile, motus, tempus, moueri*, & illud, in quo est motus, scilicet *spatium*, & *dispositio*, secundùm quam est motus, proportionabiliter diuidantur; non tamen similiter diuiduntur: qoia mobile, & spatium, & motus, & tempus, & quantitas, diuiduntur per se, tametsi diuisiones istæ pullulent ex diuisione mobilis, quod est subiectum & temporis, & motus: nam diuiso subiecto diuiduntur omnia, quæ in ipso sunt; qualitas verò, quæ est terioinus alterationis, quia non est de genere Quantitatis, simpliciter diuiditur per accidens ad diuisionem motus alterationis.

EXPOSITIO TEXTVS.

19. Text. 40. QVoniam autem 1 *omne, quod mutatur*. Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo Philosophum determinat de *mutato esse*, & hoc pro tanto: quia sicut linea imagioatur diuidi supra puoctum, ita motos supra *mutatum esse*. Et diuiditur, quia primò ostendit, qoòd omne quod mutatur, quando mutatur, est & in illo qno mutatum est. Secundò ostendit, quòd illud, io quo est aliquid primò mutatum, est indiuisibile. Et tertiò ostendit qualiter in moto est *mutatum esse*, & qualiter non. Secondum ibi: *In quo autem primò*. Tertium ibi: *dicitur autem id in quo primò*. Primò probat conclusionem. Secundò præmittit vnam suppositionem: & tertiò probat intentum. Secuodum ibi: *Quod mutatum est*. Tertium ibi: *Quoniam ergo vna*. Est igitur conclusio ista: omne quod mutatur, quando motatum est, est in illo in quo mutatum est.

Omne quod mutatum est in eo in quo mutatum est.

Quod mutatum est. Præmittit istam suppositionem, quòd a *mutatum est esse* recessisse ab aliquo termino, seo etiam defecisse ab aliquo termino, & si ista non sunt idem, attameo se immediatè necessariò consequuntur. Probatur: quia sicut se habet *mutari* ad *deficere*, seu ad *recedere*, ita se babet *mutatum esse* ad *defecisse*, modò *mutari* est recedere ab aliquo termino; ergo, &c.

Quoniam 2 *ergo vna*. Hîc probat dictam conclusionem dupliciter. Secundò ibi: *Ampliùs, & per se*. Prima ratio est ista. Illud, qood mutatum est de noo esse ad esse, est in esse, & illud, quod mutatom est de esse ad non esse, est in non esse; igitur qood mutatum est, est in illo, in quod mutatum est. Coosequeotia est nota, quia tam generatio, quàm corroptio est generatio. Antecedens probatur: quia quod generatur recedit à non esse per suppositionem, igitur habet esse, per illud principium de quolibet esse, vel non esse. Eodem modo arguitur, quòd illud, quod corrumpitur, quoniam corruptum est, habet non esse. Et dicit Aristoteles, quòd sicut est de istis mutationibus secundùm contradictionem, ita est de aliis. Text. 41.

Ampliùs 3 *& per se*. Ponitur secuoda ratio: quia si fiat b mutatio de *A* in *B*; tunc quando mobile mutatum est in *B*, vel ipsum est in *B*, vel io *A*, vel in aliquo intermedio. Si in *B*, habetur propositum: si in *A*, vel in *C*, hoc est impossibile: quia posset adhoc motari in *B*, ea quo mutatio est continua, sine interruptione de *A*, in *B*; modò impossibile est aliquid mutari ad illud, in quod iam mutatum est. 20. Text. 41.

Manifestum 4 *igitur est*. Infert corollarium, quòd omne quod factum est, quando factum est, babet esse, & omne quod corruptum est, quando corruptum est, habet non esse, & ita vniuersaliter de omni mutatione, licèt sit msgis manifestum de mutatione, quæ est secundùm contradictiooem: nam si fiat mutatio continua de vno termino positiuo in alium terminum positiuum, vt de caliditate in frigiditatem; tunc quando est completè mutatum, mobile est sub frigiditate, & quando est medio modo mutatum, & incompletè; tunc partim est sub caliditate, & partim sub frigiditate. Text. 43.

Omne quod factum est habet esse.

In quo 5 *autem primò*. Hîc ostendit, quòd illud, in quo aliqoid primò mutatom est, est indiuisibile; & intelligit per ly *in quo* mensuram, in qua primò mutatom est; & exponit primum, scilicet in quo toto mutatum est, & non solùm in parte eius. Tunc probatur conclusio: quia si illud in quo primò mutatum est, sit diuisibile, tunc sit *A,B;C*, ita vt partes eius sint *A,B*, & *B, C*, tunc igitur illud, quod primò mutatum est, aut primò mutatum est in neutra parte ipsius *A, B, C*, aut solùm in parte *A, B*, aut solùm in parte *B,C*, vel in vtraque. Si dicatur, quòd in neutra, tunc non est mutatum primò in *A, C*, quod est cootra positum; si in parte *A, B*, solùm; tunc non est mutatum in toto, sed solùm in parte eius, & in toto *A, C*, ratione partis solùm, quod est contra positum; quia ponebatur illud, in quo toto non ratione partis aliquod primò mutatum est, est indiuisibile. Eodem modo Text. 44.

proba

probatur, quòd non est mutatum in parte *B,C*, solùm. Si dicatur, quòd in vtraque, hoc est impossibile, quia priùs mutatum est in parte priori, & posteriùs in posteriori: igitur illud non est primò mutatum in toto tempore *A,C*; quia priùs mutabatur in parte ipsius. Et per istam conclusionem Aristoteles non intelligit aliud, nisi quòd quando aliquod mobile iam motum est, mensura, in qua primùm verum est dicere, hoc est mutatum, sit indiuisibilis; vt si fiat mutatio de caliditate ad frigiditatem, tunc instans, in quo primò est verum dicere, frigiditas summa est generata, est instans indiuisibile.

21. Text.45. *Manifestum 6 est igitur.* Infert corollarium, scilicet quòd illud, in quo aliquid est primò corruptum, est indiuisibile. Similiter, quòd illud in quo aliquid est primò factum, est indiuisibile; & sequitur corollarium ex præcedenti conclusione.

Dicitur autem id, in quo. Hìc ostendit qualiter in motu est *mutatum esse*; & qualiter non: & primò distinguit. Secundò ponit conclusiones iuxta membra distinctionis. Secundum ibi: *Quod igitur circa finem.* Primò dicit, quòd illud, in quo aliquid primò mutatum est, potest [c] imaginari dupliciter: vno modo à parte principij; & alio modo à parte finis: verbi gratiâ, si fiat mutatio de calido in frigidum, tunc primum instans esse motus est primum *mutatum esse* à parte principij; sed primum instans, in quo motus est completus, est primum *mutatum esse* à parte finis.

Text.46. *Quod 7 igitur circa finem.* Hìc ponit conclusiones; & primò ostendit quòd est dare primum *mutatum esse* à parte finis. Secundò ostendit, quòd impossibile est dare primum *mutatum esse* à parte principij, ibi: *Quod autem.* Primò ponit istam conclusionem, quòd est dare primum *mutatum esse* à parte finis transmutationis, hoc est dictu, est dare primum instans non esse motus à parte finis. Probatur, quia necesse est mutationis esse aliquem finem, scilicet in quo primò motus finitus est, & illum finem necesse est esse indiuisibilem, per præcedentem conclusionem; igitur in mutatione, siue in mensura mutationis est dare instans indiuisibile, in quo primò facta est mutatio illa, & illud instans non est vltimum esse motus, sed est extrinsecum motui, quia est primum instans non esse eius.

Primum mutatum esse datur à parte finis.

22. *Quòd autem secundùm principium.* Hìc ostendit, quòd impossibile est dare illud, in quo aliquid primò mutatum est à parte principij, id est, non est dare primum instans esse motus. Et primò probat hoc ex parte temporis, in quo fit mutatio. Secundò ex parte mobilis, quod mutatur. Et tertiò ex parte dispositionis, secundùm quam est mutatio. Secunda ibi: *Amplius si in C.* Tertia ibi: *Quoniam autem.* Prima ratio est ista: quia si est dare primum *mutatum esse* à parte principij, tunc capiatur primum instans, in [d] quo est motus; tunc vel illud instans est immediatum instanti in initio motus, vel mediatum; si mediatum: igitur inter illa duo instantia mobile mouebatur; & per consequens instans datum non erat primum instans esse motus. Si immediatum, hoc est impossibile, vt probatum fuit priùs.

Amplius si in C. Secunda ratio, quia si esset dare primum instans esse motus, sequeretur quòd idem simul moueretur, & non moueretur; consequens implicat contradictionem. Consequentia probatur, quia illud instans primum esse motus, cùm non possit esse immediatum instanti in initio motus, oportet quòd sit mediatum; tunc in illo instanti mobile non mouetur, nec in alio instanti sibi immediato, nec in tertio, & sic de aliis; igitur in nullo instanti initiatiuo motus mouetur, & per consequens non mouetur: igitur aliquid simul mouetur, & non mouetur, quod implicat. Et ista ratio euidenter probat, quòd tempus non est compositum ex indiuisibilibus.

Quoniam 8 autem. Tertia ratio quia omne, [e] quod mouetur, priùs mouebatur; igitur non est primum *mutatum esse* à parte principij. Consequentia tenet, & antecedens probatur: quia motus est diuisibilis in semper diuisibilia, cùm proportionaliter diuidatur tempori, & magnitudini, vt probatum fuit priùs. Text.47.

23. Text.48. *Neque 9 igitur eius.* Hìc probat dictam conclusionem ex parte mobilis; & vult probare istam conclusionem, quòd non est dare primam partem mobilis, quæ pertransiuit aliquod signum signatum in spatio pertranseundo. Probatur, supponendo, quòd mobile debeat successiuè pertransire spatium illud; tunc arguitur, quòd illa pars mobilis, quæ pertransiuit signum, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis: non indiuisibilis, quia iam non esset pars mobilis: cùm mobile non componatur ex indiuisibilibus, vt probatum est: si diuisibilis, tunc signum pertransitum ab illa parte, priùs pertransibatur à medietate illius partis quàm à tota parte, & priùs à medietate medietatis, quàm à tota medietate, & sic in infinitum: igitur quâcunque parte mobilis datâ, à qua pertransibatur illud signum, priùs pertransibatur à parte minori, & per consequens nulla fuit prima, à qua pertransibatur; & habetur propositum.

Illud autem 10 quod mutatur. Hìc probat dictam conclusionem ex parte dispositionis, secundùm quam est motus; & diuiditur, quia primò præmittit quandam differentiam inter alterationem, & alios motus. Secundò probat intentum ibi: *Quoniam neque.* Primò dicit, quòd ad motum tria requiruntur, scilicet mobile, quod mouetur, dispositio, secundùm quam est motus, & tempus, in quo est motus. Vnde quantum ad illud, secundùm quod est motus, est differentia inter alterationem, & alios motus, nam dispositio, secundùm quam est alteratio, est diuisibilis non per se, sed per accidens solùm ad diuisionem sui subiecti; sed dispositio, secundùm quam est aliquis alter motus, est diuisibilis per se, vt spatium secundùm quod est motus localis; & magnitudo, secundùm quam est augmentatio, & diminutio; & ita de aliis. Potest etiam addi differentia alia; quia dispositio secundùm quam est alteratio, est dupliciter diuisibilis: vno modo per accidens ad diuisionem subiecti; alio modo est diuisibilis secundùm gradus formæ, sed spatium, seu magnitudo non est diuisibile nisi vno modo. Text.49.

Quoniam neque in iis erit primum. Hìc probat conclusionem principalem ex parte dispositionis, secundùm quam est motus; & intendit istam conclusionem, quòd non est dare primam partem spatij pertransitam à mobili. Probatur, quia cùm illa pars sit diuisibilis, & motus successiuus, medietas partis spatij priùs pertransibatur, quàm tota pars: igitur & priùs medietas medietatis, quàm tota medietas, & sic in infinitum: igitur quacunque parte spatij pertransitâ datâ, priùs transibatur pars minor, & per consequens nulla erat pars prima pertransita; & consimiliter argueretur de magnitudine, secundùm quam est augmentatio, 24.

vel diminutio; & de qualitate, ſecundùm quam eſt alteratio. Nec eſt differentia, niſi quantum ad hoc ſolùm, quòd ſpatium, & magnitudo ſunt per ſe diuiſibiles, ſed qualitas [f] eſt per accidens diuiſibilis.

ANNOTATIONES.

Relinquere terminum à quo, & mutari idem ſunt.

[a] *Mutatum eſſe eſt receſſiſſe ab aliquo termino.* Nota, quòd Ariſtoteles in hac ratione ſupponit, quòd quicquid mutatur diſcedit à termino *à quo*. aut, quod idem eſt, relinquit ipſum. Nam *relinquere* aut eſt idem quod *mutari*, aut *relinquere* ſequitur ipſum *mutari*: *relinquere* enim & *mutari* idem motus realiter ſunt, & ſolâ ratione differunt; nam *mutari* eſt acquirere terminum *ad quem*, & *relinquere* eſt diſcedere à termino *à quo*: priùs autem naturâ eſt intentio in finem, quàm diſceſſiu à termino *à quo*, eo enim diſcedo ab hoc loco, quia tendo in alium.

25. [b] *Quia ſi fiat mutatio de* A *in* B. Nota quòd in hac ratione Ariſtoteles duo ſupponit. Primum, quòd mutatio ſit ſine interruptione de vno loco in alterum. Secundum, quòd impoſſibile eſt, mutatum, quando mutatum eſt, adhuc mutari in terminum ad quem mutatum eſt; immò ſi vltra mutetur, mutabitur ab illo, & non in illum. Arguitur ergo ſic: illud quod mutatum eſt de *A* in *B*, vel eſt in *A*, vel in *B*, vel in aliquo intermedio, vt in *C*, ſed non eſt in *A*, quia ſeparatum eſt ab eo, nec eſt in intermedio; quia adhuc mutaretur in *B*, cùm ponatur continuè moueri, & ſine interruptione de *A* in *B*; relinquitur ergo, quòd illud mutatum eſt de *A* in *B*.

[c] *Illud, in quo aliquid mutatum eſt, poteſt intelligi dupliciter.* Nota quòd quicquid incipit eſſe per primum eſſe, incipit eſſe per indiuiſibile: quia nunc eſt, & immediatè ante hoc non fuit; & eâdem ratione quicquid deſinit eſſe per primum ſui non eſſe, deſinit per aliquod indiuiſibile; & hac intentione docet Philoſophus id temporis, in quo mobile per ſe primò mutatum eſt, eſſe indiuiſibile.

[d] *Primum inſtans in quo eſt motus.* Nota quòd hâc ratione Ariſtoteles ducit ad duo inconuenientia; ſi illud primum eſſe motus ſit indiuiſibile. Primum inconueniens eſt, quòd tunc duo inſtantia indiuiſibilia eſſent contigua, & immediata; & hoc inconueniens ſic deducit Sanct. Thom. Si enim in *A*, *B*, eſt motus, hoc eſt in inſtanti indiuiſibili, quod deſignat ſub duabus litteris, quia eſt finis præteriti temporis, & initium futuri, *A*, *B*, eſt tempus; & per conſequens conſtat ex duobus indiuiſibilibus. Sed ego non video hanc conſecutionem: nam qui diceret *A*, *B*, eſſe vnum indiuiſibile, negaret proinde eſſe tempus, & eſſe duo indiuiſibilia.

26. Themiſtius ita exponit, quòd ſi eſt indiuiſibile, in illo non eſt motus, vt *text.* 29. oſtenſum eſt, non tamen explicat, quomodo duo inſtantia eſſent contigua. Quidam neotericus Thomiſta ita conſequentiam deducit, nempe quòd ſi detur motum futurum terminari intrinſecè per primum inſtans, eſſe indiuiſibile, eâdem ratione quies præterita terminaretur intrinſecè per vltimum inſtans, & ſic duo inſtantia eſſent immediata. Quod ita explicat: nam cùm *A*, *D*, ſit terminus, & præteriti temporis, & futuri; detur quòd illud mobile in toto tempore præterito *C*, *A* quieuerit. Tunc ſi tempore præterito quieuit, in quacunque parte, & inſtanti illius quieſcit. Conſequentia hæc reuera non tenet, quia in inſtanti non poteſt eſſe quies; valet tamen ad hominem, conceſſo, quòd in inſtanti poteſt eſſe motus: nam tunc eâdem ratione, quâ motus incipit intrinſecè per primum inſtans, deſinit & quies per vltimum, & immediatè ad inſtans quietis in inſtanti mouetur: ergo inſtans eſt immediatum inſtanti: & hæc expoſitio eſt Scoti in hoc textu, ſi perpendatur eius ſenſus, niſi quòd Scotus iuxta ſenſum Ariſtotelis probare intendit, quòd non eſt dare aliquod indiuiſibile, in quo aliquid mouetur, quia vel ſequeretur, quòd illud inſtans eſſet indiuiſibile, vel quòd inſtans eſſet immediatum inſtanti. Conſequentia in hunc modum deducitur, quia in inſtanti in quo primò incipit motus, nihil adhuc mutatum eſt, illi autem inſtanti nullum indiuiſibile eſt immediatum: quia indiuiſibilia non ſunt ſibi proxima: & tamen ſi eſſet, in quo aliquid primò mutatum eſt, oporteret illud eſſe immediatum illi primo inſtanti; ergo illud primum non erit indiuiſibile; ſed diuiſibile.

[e] *Omne quod mouetur priùs mouebatur.* Hæc ratio ſic poſſet deduci, ſi eſſet dare illud, in quo primò aliquid mutatum eſt, vel illud eſt diuiſibile, vel indiuiſibile; ſed neutrum eſt dandum: ergo, &c. Minor probatur, & primò quòd non diuiſibile: quia ſi ponatur mobile quieſcere in toto tempore *C*, *A*, tunc adhuc in inſtanti *A*, ipſum mobile quieſcit, id eſt, non mutatur, nec mutatum eſt. Ponatur ergo ſecundùm aduerſarium, quòd ſit primum mutatum in *A*, *B*, tunc ſic arguitur; ſi *A*, *B*, eſt indiuiſibile, vel idem cum *A*, vel eſt proximum ipſi *A*: non proximum, quia indiuiſibile non eſt proximum indiuiſibili; nec etiam *A*, *B*, & *A*, ſunt idem, quia poſitum eſt, quòd in *A*, nondum mutatur, nec mutatum eſt; tamen in *A*, *B*, ponitur primò eſſe mutatum; ergo, &c. Minor verò quantum ad aliam partem, ſcilicet, quòd illud, in quo primò mutatum eſt, non ſit diuiſibile, probatur ſic: quia ſicut priùs arguebatur; vel in vtraque parte mutatum eſt, vel in neutra, vel in altera tantùm; ſi in neutra, tunc non eſt mutatum in toto: ſi in altera tantùm, tunc non primò mutatum in toto: ſi verò mutatum eſt in vtraque; tunc priùs mutatum eſt in priori parte, quàm in poſteriori, & ſic non eſt mutatum in toto. 27.

Minimum non datur in qualitate.

[f] *Sed qualitas eſt per accidens diuiſibilis.* Nota quòd hîc Ariſtoteles non negat qualitatem eſſe per ſe diuiſibilem ſecundùm gradus formæ, vt ſuprà notauit Scotus; & ex hac ratione ſequitur, quòd non datur minimum in qualitate, ſiue ſecundùm extenſionem, ſiue ſecundùm intenſionem: nam quando lignum applicatur igni, non datur minima pars, quæ primò habeat calorem, ſcilicet, *D* quâcumque datâ, minor priùs eſt calefacta, & quocumque dato gradu intenſionis, ante illum fuit alius gradus.

Diuiſibile poteſt bifariam ſumi.

Et ſi quæras, an qualitas ſeparata à quantitate ſit diuiſibilis. Dico quòd diuiſibile bifariam ſumi poteſt: vno modo pro diuiſibili potentia propinqua: alio modo pro diuiſibili potentia remota. Illud dicitur diuiſibile potentiâ remotâ, quod habet formam ſufficientem, non tamen ſub modo conuenienti, ſub quo oportet eam haberi, ad hoc quòd diuidatur. Diuiſibile autem potentia proxima dicitur, quod ſic habet eam, quòd ceſſante impedimento ſtatim poſſet ſequi actus ad diuidendum. Dico ergo quòd qualitas ſeparata à quantitate non eſt diuiſibilis in partes eiuſdem rationis 28.

Qualitas ſeparata à quantitate quomodo ſit diuiſibilis.

rationis potentiâ propinquâ, est tamen diuisibilis in potentia remota.

Et si dicas; ergo talis qualitas esset spiritualis; nego consequentiam, eo quòd nata est informare corpus, modò nulla forma accidentalis spiritualis nata est informare corpus.

QVÆSTIO VIII.

Utrùm in motu sit dare primum mutatum esse *à parte principij.*

Aristot. *hic text.* 46. D.Thom.*lect.* 6. *&* reliqui interpretes *ibid.* Alber.*tract.* 2. *cap* 4. Themist.*text.* 48. Tartaretus *hic & in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. Vallef *contron.* 46. *ad tyrones* Sotus 6.*Physic.quæst* 5 Tolet. *quæst* 4. Pererius *l.*14 *cap* 9. Conimbr.*cap.* 5. *quæst unica.* Ruuius *cap* 6 *quæst. unica.* Roccus *quæst.* 5. Fuente *quæst.* 2. *diffic.* 3. Auersa *tom.* 5. *philos. quæst.* 30.

1. ARGVITVR primò quòd sic: quia sicut se habet punctus ad lineam, & instans ad tempus, ita & *mutatum esse* ad motum; sed in linea est dare punctum in vtroque extremo, & in tempore instans: igitur in motu est dare *mutatum esse* in vtroque extremo; & per consequens à parte principij.

Secundò, omnis motus finitus terminatur in vtroque extremo, & non nisi ad *mutatum esse*; igitur in omni motu finito est dare primum *mutatum esse* à parte principij.

Tertiò, in motu est dare primum *mutatum esse* à parte finis: igitur & à parte principij. Antecedens patet per Aristotelem *in isto sexto.* Consequentia probatur, quia sicut motus terminatur à parte finis, ita à parte principij.

Quartò, descendat aliquod viuens à concauo orbis Lunæ, vsque ad deorsum, & in medio illius descensus moriatur, tunc est dare primum instans non esse illius viuentis: igitur in illo instanti, vel illud mouetur, vel quiescit; non quiescit, quia ponebatur, quòd descensus esset continuus: si mouetur, hoc est primum instans, quo mouetur: quia nunquam antè mouebatur, eo quòd nunquam antè fuit: igitur hoc est primum *mutatum esse* à parte principij.

Quintò, circunducatur aliqua rota, cui figatur aliquis clauus; tunc est dare primum instans, quo ille clauus est affixus: igitur in illo instanti ille clauus mouetur, quia ponebatur motus rotæ continuus; sed antè ille clauus non mouebatur: igitur hoc est primum instans, in quo iste clauus mouetur, & per consequens est dare primum *mutatum esse* à parte principij.

Sextò, arguitur specialiter de motu locali, quia si ex aliquo leui existente sursum fiat graue, tunc est dare primum instans esse illius grauis: igitur & primam partem spatij, quam illud graue occupat: igitur, & primum *mutatum esse* in motu: quia sibi inuicem correspondent prima pars spatij pertranseundi, & primum *mutatum esse*.

2. Septimò, si non esset dare primum *mutatum esse* à parte principij, hoc esset pro tanto: quia omne quod mouetur, priùs mouebatur, & postea mouebitur, ita vt ista consequentia esset bona: *hoc mouetur: igitur hoc mouebitur*; sed consequens est falsum: quia vel mouebitur necessariò, vel contingenter: sed non necessariò, quia hoc est futurum contingens, quod per liberum arbitrium potest impediri: si contingenter; igitur possibile est, quòd non mouebitur, & per consequens tunc ista consequentia non erat bona: *hoc mouetur; igitur hoc mouebitur.*

Octauò, si est aliqua mutatio indiuisibilis, est dare primum mutatum à parte principij; sed sic est: ergo, &c. Maior probatur: quia si aliquid mutetur subitò, tunc verum est dicere, quòd in illo instanti mouetur, & priùs non mouebatur: igitur hoc est primum instans, in quo mouetur; & per consequens est dare primum *mutatum esse* à parte principij. Minor patet ex præcedenti quæstione, saltem quoad hoc, quòd est possibile. item, patet de illuminatione, de delectatione, & visione: quia licèt visio fiat subitò, & licèt continouetur successiuè, est dare primum instans, in quo organum alteratur secundùm visionem; & per consequens illud est primum *mutatum esse* alterationis.

Deinde arguitur, quòd non est dare primum *mutatum esse* à parte finis: quia non est dare primum *mutatum esse* à parte principij: igitur nec à parte finis. Consequentia probatur, quia sicut motus terminatur à parte finis, ita à parte principij. Secundò, quia non est dare vltimam partem spatij pertransiri: igitur nec vltimum instans esse motus; & per consequens non est dare primum *mutatum esse* à parte finis. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 6. text.* 46. vbi ponit quòd est dare primum *mutatum esse* à parte finis; sed non à parte principij.

In quæstione primò videndum est, de mutatione[a] instantanea, seu indiuisibili. Secundò de mutatione successiua. 3. *Diuisio quæstionis.*

Quantùm ad primum, notandum, quòd per primum *mutatum esse* à parte principij intelligitur primum instans esse motus, ita quòd in illo instanti verum est dicere, hoc mouetur, & antè non mouebatur: sed per primum *mutatum esse* à parte finis intelligitur primum instans non esse motus, ita quòd in illo instanti sit verum dicere, mobile non mouetur, & immediatè antè mouebatur.

Mutationis indiuisibilis datur primũ mutatum esse à parte principij.

Nunc de hac mutatione indiuisibili, sit prima conclusio ista: Cuiuslibet mutationis indiuisibilis est dare primum *mutatum esse* à parte principij, ita vt sit dare primum instans, in quo illud mutatur. Probatur, quia in illo instanti, in quo mobile mouetur, & antè non mouebatur; igitur illud est primum instans esse motus; & per consequens primum *mutatum esse*; ex quo sequitur quòd in mutatione indiuisibili non valet ista consequentia; *hoc mutatur, igitur priùs mouebatur.*

Mutationis indiuisibilis non potest dari primum mutatum esse à parte finis.

Secunda conclusio est ista: impossibile est dare primum *mutatum esse* mutationis indiuisibilis à parte finis. Probatur, quia tunc sequeretur, quòd continuum esset compositum ex indiuisibilibus, & tempus ex instantibus; consequens est falsum. Consequentia probatur, quia primum *mutatum esse* à parte finis est primum instans non esse motus; modò impossibile est dare primum instans non esse mutationis indiuisibilis, quia est dare vltimum instans sui esse: quia in eodem instanti, in quo est, desinit esse; aliter enim non esset indiuisibilis: igitur si cum hoc esset dare primum instans non esse ipsius; igitur instantia essent immediata. Ex quo sequitur quòd de mutatione indiuisibili ista consequentia non valet; *hoc mutatur; igitur postea mutabitur.*

Ex quibus conclusionibus sequitur, qualiter exponendæ sunt propositiones de istis verbis, *incipit*, & *desinit* in mutationibus indiuisibilibus; nam ista: *hoc incipit mutari*, exponitur sic; hoc mutatur,

tatur,& immediatè antè non mutabatur : & iſta, *hoc deſinit mutari*, exponitur ſic ; hoc mutatur,& immediatè pòſt non mutabitur. Ex quo ſequitur, quòd eſt vnum inſtans, in quo huiuſmodi mutatio indiuiſibilis incipit eſſe, & deſinit eſſe;& hoc non eſt inconueniens, quando ly *incipit* exponitur aliter, quàm contradictoriè de ly *deſinit*. Et hoc de primo.

Mutationis ſucceſſiua nō datur primū mutatum eſſe à parte principij.

Quantum ad ſecundum, prima concluſio eſt iſta: Non eſt [b] dare primum *mutatum eſſe* in mutatione ſucceſſiua à parte principij,exponendo ſicut priùs. Probatur,quia vel illud inſtans eſſet immediatum inſtanti in initio motus, vel mediatum, non immediatum : quia tunc continuum componeretur ex indiuiſibilibus;nec mediatum: quia tunc in tempore intermedio mobile mutabatur, & per conſequens mutatum erat ; igitur *mutatum eſſe* datum non erat primum.

Secundò,nunquam aliquod eſt mutatum,[c]niſi priùs mutabatur : tunc capio tempus,in quo mutabatur; tunc hoc mutabatur in iſto tempore: igitur erat mutatum in iſto tempore : & hoc mutabatur immediatè ; igitur erat mutatum immediatè, & ſic in infinitum ; & per conſequens ante quodcumque *mutatum eſſe* datum,erat aliud *mutatum eſſe* ; & per conſequens nullum erat primum. Ex concluſione ſequitur,quòd non eſt dare primum inſtans eſſe motus ; ſed eſt dare vltimum in quo non eſt. Secundò, ſequitur quòd in motu locali non eſt dare primam partem ſpatij, quæ per motum acquiritur, quia quâcumque parte datâ, eius medietas priùs acquirebatur, & priùs medietas medietatis,& ſic in infinitum; & eodem modo dicitur de forma, quæ acquiritur, vel deperditur ſucceſſiuè, quod non eſt dare primam partem formæ acquiſitam,vel deperditam.

Inſtans primum eſſe motus non datur.

5\.

Mutationis ſucceſſiua datur primum mutatum eſſe à parte finis.

Secunda concluſio eſt:Non eſt dare primū *mutatum eſſe* à parte finis in motu ſucceſſiuo. Probatur,quia vel eſt dare primum inſtans, in quo aliquid eſt completè mutatum, vel vltimum in quo non;ſi primum in quo ſit, habetur propoſitum;ſi vltimum in quo non : igitur adhuc reſtat aliquid acquirendum : & cùm illud non poſſit acquiri ſubitò, ſequitur quòd tempus eſt antequam illud eſſet acquiſitum ; & per conſequens in medio illius temporis iſtud mouebitur : igitur inſtans datum non erat vltimum,in quo illud mobile completè erat mutatum. Ex iſtis ſequitur, qualiter in terminis ſignificantibus mutationes ſucceſſiuas ſunt exponendæ propoſitiones de iſtis verbis, *incipit*, [d] & *deſinit*. Vnde iſta; *A incipit moueri*; eſt ſic exponenda ; *A* nunc non mouetur,& immediatè poſt hoc mouebitur ; & iſta expoſitio eſt impoſſibilis : *A* nunc mouetur, & immediatè ante hoc non mouebatur. Item iſta ; *A deſinit moueri, igitur A nunc non mouetur : & immediatè antè hoc mouebatur* : & iſta eſt impoſſibilis ; *A nunc mouetur, & immediatè poſt hoc non mouebitur*. Secundò ſequitur ex prædictis, quòd iſta eſt falſa ; *motus incipit eſſe*: quia exponitur ſic ; motus non eſt,& immediatè poſt hoc erit : igitur motus incipit eſſe : modò prima exponens eſt falſa, ſcilicet iſta : *motus non eſt* ; quia ſua contradictoria eſt vera, ſcilicet iſta; *omnis motus eſt*. Et ſic patet qualiter in motu ſucceſſiuo eſt dare primum *mutatum eſſe* à parte finis; & non à parte principij,& hæc de ſecundo.

Ad rationes. Ad primam, concedo [e] quantùm ad hoc, quòd ſicut punctus eſt terminus lineæ,ita inſtans eſt terminus temporis ; & ſicut præter punctum terminantem lineam non eſt dare primum punctum intrinſecum lineæ, ita nec etiam eſt dare primum *mutatum eſſe* intrinſecum motui.

Ad ſecundam, concedo ; ſed alio modo terminatur, quàm tu ponis : quia non terminatur ad vltimum inſtans non eſſe motus à parte principij ; ſed ad primum inſtans non eſſe à parte finis; & ſic in neutro extremo terminatur affirmatiuè.

Ad tertiam, negatur conſequentia; ad probationem dico, quòd verum eſt, quòd ſicut terminatur in fine, ita in principio, ſed diuerſimodè: quia in fine terminatur ad primum inſtans, in quo mobile eſt completè mutatum ; ſed à parte principij non terminatur ad primum inſtans, in quo eſt mutatum,ſed ad vltimum, in quo non eſt mutatum. 6.

Ad quartam,admitto caſum,& quando quæritur,an in primo inſtanti eſſe cadaueris ipſum mouetur,vel quieſcit. Dico quòd neutro modo, ſed incipit moueri:quia nunc non mouetur,& immediatè poſt hoc mouebitur.Et ſi obiiciatur, quòd materia prima cum qualitatibus ſymbolis, quæ ſunt in corrupto, nunc mouetur;igitur & forma inhærens illi materiæ ; negatur conſequentia,ſed ſufficit, quòd illa forma incipiat moueri cum illa materia.

Ad quintam, dico quòd in primo inſtanti, in quo ille clauus eſt affixus, ille clauus non mouetur,ſed incipit moueri vnà cum rota.

Ad ſextam, concedo quòd eſt dare primam partem ſpatij,quam illud graue occupat per generationem nouam ex leui, ſed non eſt dare primam partem ſpatij, quam acquirit per motum in deſcendendo.

Ad ſeptimam,concedo quòd hoc eſt pro tanto, quòd omne quod mouetur, priùs mouebatur, & poſtea mouebitur. Et quando probatur, quòd non. Dico quòd hæc conſequentia eſt neceſſaria; *hoc mouetur:igitur hoc mouebitur*. Et quando quæritur vel mouebitur neceſſariò, vel contingenter. Dico quòd ſicut mouetur contingenter ; ita mouebitur contingenter. Et quando dicitur,ponatur in eſſe,quòd non mouebitur. Dico quòd ſi ponis in eſſe quòd non mouebitur ; eo ipſo ponitur in eſſe, quod non mouetur ; & ſic ponis oppoſitum antecedentis, quia benè ſequitur ; *hoc non mouebitur,igitur hoc non mouetur*.

Ad octauam,dictum eſt.

Ad nonam, quæ probat quòd non eſt dare à parte finis,&c.Negatur conſequentia. Et quando dicitur,ſicut terminatur, &c. verum eſt ; ſed hoc eſt diuerſimodè,ſicut dictum eſt.

Ad decimam,negatur conſequentia : quia hoc non intelligimus per primum *mutatum eſſe* à parte finis; ſed intelligimus primum inſtans, in quo mobile eſt completè mutatum.

ANNOTATIONES.

[a] PRimò *videndum eſt de mutatione inſtantanea*. Nota quòd *mutari* accipitur dupliciter:vno modo vt diſtinguitur contra moueri ſucceſſiuè,& ſic capitur in primo articulo huius quæſtionis. Alio modo vt idem eſt quod moueri motu ſucceſſiuo;& ita ſumitur in ſecũdo articulo. *Moueri* autẽ,& *motus* poſſunt capi dupliciter:vno modo pro denominato ; & ſic non ſunt ad aliud, quàm ſubiectum quod mouetur,aut mutatum eſt. Alio modo pro per ſe ſignificato, aut pro formali ; & ſic 7.

Mutari bifariam ſumitur.

Motus & moueri ſumitur duobus modis.

moueri

moueri non est aliud quàm quiditas motus concretiuè designata, motus autem & *moueri* præcisè idem significant, diuersimodè tamen; sed mutari est entitas indiuisibilis realiter continuans partes motus,& ab eis realiter distincta.

In omni motu est mutatum esse.

b *Non est dare primum* mutatum esse *in mutatione successiua.* Nota in omni motu reperiri instans indiuisibile, quod est medius terminus partem præteritam cum futura copulans, quod dicitur *mutatum esse*, habétque se ad motum sicut *nunc* ad tempus,& sicut punctum ad lineam. Vnumquodque enim horum continuatiuum est partium,seu continui; & de hoc *mutatum esse* asserit conclusio ipsum non dari in principio motus; benè tamen in fine, hoc est, datur primum *non esse* motus, quando finitur motus in quo est verum dicere, nunc non est motus, & immediatè ante hoc fuit motus: quod contingit,quando iam perfectus & finitus est motus;non tamen in inceptione motus datur primum esse motus: quia motus non incipit per primum sui esse,sed ante quodcunque *mutatum esse* est aliud *mutatum esse* vsque in infinitum. Probatur: quia si in principio motus daretur tale *mutatum esse*, vel illud esset ille terminus primus,à quo incipit motus,vel esset *mutatum esse* terminans primam partem motus; sed ille primus terminus motus non dicitur *mutatum esse*, vt patet; neque potest dari *mutatum esse* terminans primam partem motus: quia si daretur primum *mutatum esse* terminans primam partem motus, dabitur etiam prima pars motus; sed prima pars motus dari non potest, quia quâcumque datâ, dabilis est prior vsque in infinitum; cùm motus sit diuisibilis in infinitum: ergo neque potest dari primum *mutatum esse*.

8. Quòd non detur prima pars motus patet, quia si daretur, etiam daretur prima pars temporis, in qua fieret illa prima pars motus; sed prima pars temporis dari non potest:ergo neque prima psts motus. Maior patet;quia partes temporis correspondent partibus motus, & è contra. Minor probatur:quia aut illa prima pars temporis esset indiuisibilis, aut diuisibilis:primum dici non potest,quia pars temporis est tempus, & per consequens diuisibilis: neque diuisibilis, quia tunc, cùm iam habeat partes;'ergo vel in neutra erit motus, aut in vtraque, aut in altera tantùm: quocunque dato,sequitur motum non fuisse primò in tota illa parte temporis; nam si motus sit in altera tantùm, aut in neutra, manifestum est motum non esse primò, id est, adæquatè in tota parte. Si autem sit in vtraque,cùm priùs fuerit in prima,efficitur etiam, vt non fuerit primò in tota parte diuisibili:non ergo datur primum *mutatum esse* in motu in principio, sed ante quodlibet *mutatum esse*,iam aliud & aliud est *mutatum esse*.

Ante omne mutari est mutatum esse quomodo intelligitur.

c *Nunquam aliquod est* mutatum esse, *nisi priùs mutabatur.* Nota quòd hæc propositio, *ante omne mutari est mutatum esse*, potest bifariam exponi: vno modo sic, quòd quocunque tempore,in quo verum est dicere,quòd aliquod mutatur,præcessit aliquod instans, in quo verum erat dicere, quòd aliquod mutatum est,& sic est vera: quia significat, quòd non est dabile aliquod tempus, in quo verum est dicere,quòd aliquid mutatur,quin illud præcesserit aliquod instans, in quo fuit verum dicere,hoc mutatum est. Alio modo potest exponi, quamcunque entitatem, quæ est *mutari* præcessit aliqua entitas, quæ est, *mutatum esse*; & sic adhuc est vera, etsi illi, qui dicunt *mutari*, & *mutatum esse* non distingui à mobili,hoc non concedant.

Primum dicitur aliquid dupliciter.

Nota secundò, quòd aliquid potest esse primum dupliciter: vno modo secundùm se, & sic illud est primum, quod nec ante se, nec ante aliquid aliud sui habet aliquid prius. Altero modo dicitur primum secundùm alterum, & est illud quod habet aliud ante se,quo est aliquid prius,& aliud quo nihil est prius.

d *Propositiones de istis verbis* incipit, *&* desinit. Nota quòd dupliciter res incipiunt, & desinunt esse; vel enim incipiunt per primum sui esse,vel per vltimum sui non esse: & desinunt per primum non esse, vel per vltimum sui esse. Res illæ incipiunt per primum sui esse, quæ sine motu incipiunt,quales sunt substantiæ, tam generabiles, quàm spirituales. Similiter & indiuisibilia, vt instantia,(quamuis substantialis formæ corporalis, quæ extenditur per subiecti partes, hoc est,in materia: quia hoc per motum contingit, quo ad hoc non habet primum sui esse per accidens tamen.)Illud autem dicitur primum esse rei,quia in nullo instanti ante hoc res erat, & in hoc tota res totum suum esse habet, atque ita exponitur: res,nunc est & ante non erat. Illæ autem res incipiunt per vltimum sui non esse,in quibus est assignabile vltimum instans inter alia,in quibus talis res non erat,post quod talis res iam erit,& sic exponi solet:res nunc non est, & immediatè post hoc erit. Hoc pacto incipiunt motus, & tempus, & aliquæ qualitates, quæ cum motu incipiunt. Desinunt etiam res per primum non esse,quando videlicet datur instans, in quo res non sit, ante quod instans,in toto antè tempore existebat: & sic exponitur huiusmodi terminus desitionis, nunc non est,& immediatè ante hoc erat: & hoc modo desinunt tam motus,quàm omnia,quæ per motum desinunt esse. Similiter & substantiæ,quę per contrarij pugnam corrumpuntur. Res tandem desinunt per vltimum sui esse,quando datur instans vltimum,in quo est res, post quod immediatè non erit,& sic exponitur;res nunc est;& immediatè post hoc non erit. Hoc pacto desinunt esse res,quæ sine contrarij pugna corrumpuntur, videlicet substantiæ spirituales, vt Angelus, si Deus illum perderet, & similiter anima rationalis,nec non & instantia, & indiuisibilia quæque; hæc namque suum esse & in instanti simul habent,& in instanti simul perdunt.

9. *Res duobus modis incipiunt & desinunt esse.*

e *Concedo quantum ad hoc, quòd sicut punctus*,&c. Nota quòd Aristoteles non intendit negare omnem mutationem claudi duobus terminis, eo scilicet, in quo desinit, qui est primum non esse mutationis, & eo, à quo incipit,qui est vltimum non esse mutationis;sed quoniam *mutatum esse* vocatur terminus ante quem præcessit aliquis motus;ideò ille terminus,quo finitur motus, appellatur rectè *mutatum esse*, ille verò à quo incipit motus, non dicitur *mutatum esse*: quia ante illum non præcessit motus, quia quamuis ante illum non fuerit motus,neque in illo, tamen immediatè post illum futurus est motus; vult ergo Aristoteles in omni mutatione dari vltimum *mutatum esse*,post quod nullum aliud sequatur; non tamen dari primum *mutatum esse*,ante quod nullum præcesserit. 10.

Ex his sequitur, aliter se habere punctum in linea, & aliter *mutatum esse*, in motu; punctum enim non necessariò antecedit lineam,ideò datur in linea primum punctum; at *mutatum esse*

necessariò

necessariò præcedit motus, & ob id motus non potest incipere ante *mutatum esse:* necesse enim est vt antecedat motus, quia *mutatum esse* mutationis est finis.

Secundò, sequitur quòd omnes hæ propositiones sint veræ in Physica, & peritiæ: *Ante quodlibet moueri præcedit mutatum esse. Ante quodlibet mutatum esse præcedit moueri.*

11. Tertiò, sequitur quòd tale *mutatum esse*, si conferatur ad alia *mutata esse*, quæ præcesserunt in motu, dicitur vltimum; si verò consideretur secundùm tempus sequens post finem motus, est & dicitur primum *mutatum esse*, ita vt sensus sit, in hoc instanti, quod est primum omnium sequentium, motus dicitur factus. Quartò, sequitur principium, & finē motus esse extrinseca motui: non autem intrinseca, illud enim *mutatum esse* quod in fine motus datur, extrinsecum est motui, quia tunc iam non est motus; & vocatur primum non esse motus, sicut instans inceptionis vocatur vltimum non esse motus.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text.51. Q*Voniam autem 1 omne, quod mutatur, in tempore mutatur.* Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus determinat de *mutato esse* in comparatione ad motum: & diuiditur in sex partes, secundùm quòd ponit sex conclusiones. Secunda ibi: *Hoc autem ostenso.* Tertia ibi: *Non solum.* Quarta ibi: *Manifestum est igitur.* Quinta ibi: *Similiter autem & in eo.* Sexta ibi: *Quare in quocunque sit.* Pro prima conclusione præmittit vnam suppositionem, quòd cùm omne quod mutatur, in tempore mutatur, aliquod potest dici mutari in tempore dupliciter: vno modo aliquid dicitur mutari in aliquo tempore primò, scilicet quod mutatur in qualibet parte illius temporis. Alio modo non primò, scilicet quod mutatur in parte illius temporis; vt lectio dicitur fieri in illa die, eo quòd fit in parte huius diei. Nunc ponitur ista conclusio prima: omne quod mouetur in aliquo tempore primò, mutatur in qualibet parte illius temporis. Probatur ea definitione illius, quod est moueri in aliquo tempore primò.

Mutari in tempore aliquid dicitur dupliciter.

Text. 52. Secundò probatur, 2 & sit tempus in quo aliquid mouetur primò, *A,B,C*, quod diuidatur secundùm *B*, ita quòd partes temporis, in quo fit motus, sint *A,B*. & *B,C*, tunc mobile quod mouetur, vel mouetur in vtraque parte temporis *A,B,C*; vel in altera tantùm, vel in neutra. Si in vtraque, habetur propositum: si in neutra, hoc est falsum, quia tunc non moueretur in *A,B,C*, ex quo in nulla parte eius moueretur: si in altera tantùm; tunc mobile moueretur in illo tempore non primò quod est contra positum.

12. Text.53. *Hoc autem 3 ostenso.* Hic ponit secundam conclusionem, quam probat tripliciter. Secunda ibi: *Amplius autem.* Tertia ibi: *Amplius autem si id.* Conclusio est ista: Omne quod mutatur in aliquo tempore primò, necesse est ipsum esse motum priùs. Probatur sic, sit *A* mobile, quod mouetur in tempore *B,C*, primò per magnitudinem *D,E*; & sit *B* mobile, quod moueatur æquè velociter in medietate illius temporis, & incipiant duo ista mobilia moueri in eodem instanti; isto posito, probatur ista conclusio secunda, scilicet quòd omne, quod mouetur, necesse est motum esse primò ad istum intellectum, quòd omne, quòd mouetur in aliquo tempore primò, necesse est motum esse priùs, quàm illud tempus sit transactum, quia in quocumque a tempore mouetur *B*, mouetur etiam *A*, cùm æquè velociter moueantur, & incipiant in eodem instanti, sed *B* est motum priùs quàm tempus *B,C*, sit transactum; vt patet ea casu; igitur *A* est motum priùs quàm tempus, *B,C*, in quo mouetur primò, sit transactum, & habetur propositum.

Amplius 4 autem. Secunda ratio, sit tempus, in b quo mobile mouetur *A,C*; tunc in instanti medio illius temporis quæro vtrùm mobile mouetur, vel iam motum est: non mouetur, quia in instanti non potest fieri motus: igitur iam motum est; & per consequens priusquam tempus, in quo mouetur primò, sit transactum, ipsum est motum. Text.54.

Amplius 5 autem si id. Tertia ratio, quia illud, quod continuè mouetur in aliquo tempore primò, & in nullo instanti illius temporis desinit moueri; tunc vel in quolibet instanti illius temporis mutatur, vel mutatum est; sed impossibile est, quòd mutetur in instanti, vt probatum fuit priùs: igitur in quolibet instanti mutatum est, & cùm quodlibet instans sit priùs, quàm illud tempus sit transactum, sequitur quòd prius quàm illud instans sit transactum, in quo aliquid mouetur primò, ipsum mutatum est, & habetur propositum. Text.55.

Non solùm 6 autem id. Hic ponit tertiam conclusionem, quam probat primò de motu locali. Secundò, de generatione, & corruptione, & alteratione, ibi: *Eadem enim demonstratio est.* Primum probat dupliciter. Secundò ibi: *Amplius autem.* Tertia conclusio est ista: Non solùm omne quod mutatur priùs est mutatum, sed necesse est etiam omne mutatum priùs mutari, ita vt non solùm mutatum sit, sed in *mutari.* Probatur, supponendo quòd omne, quod mouetur de aliquo termino in aliquem terminum, mouetur in tempore. Probatur suppositio: quia si fiat mutatio de *A* in *B*, tunc in eodem instanti non potest esse in *A*, & in *B*, vt ostensum est priùs: igitur oportet, quòd in aliquo instanti sit in *A* & in alio in *B*: vel igitur illa instantia sunt immediata, vel mediata: non immediata, quia tunc tempus componeretur ea instantibus: si mediata, tunc inter ipsa cadit tempus medium, & per consequens mutatio facta de *A* in *B*, fiebat in tempore. Tunc isto supposito, probatur conclusio; quia 7 cùm omnis c mutatio fiat in tempore, & omne tempus sit diuisibile in partem priorem, & posteriorem, sequitur quòd omnis mutatio est diuisibilis in partem priorem, & posteriorem: igitur si in aliquo tempore aliquid mutatum est per continuum motum, priùs mouebatur in medietate illius temporis, & priùs in medietate medietatis; & sic in infinitum; & per consequens omne mutatum præcedit *mutari.* 13. Text.56. Text.57.

Amplius 8 autem. Secunda ratio est, sit magnitudo, in qua pertransitur in aliquo tempore primo *C,D*; tunc vel *C,D*, sunt indiuisibilia sibi inuicem coniuncta, vel inter ipsa est medium: si sibi inuicem coniuncta; tunc magnitudo esset composita ea indiuisibilibus, quod est impossibile, vt probatum fuit priùs; si inter ipsa est medium; tunc sequitur quòd magnitudo *C,D*, est in infinitum diuisibilia: igitur si aliquid est mutatum super magnitudinem *C,D*, priùs mouebatur super eius medietatem, & priùs supra medietatem medietatis, quàm super totam 14. Text.58.

magnitu

magnitudinem,& sic in infinitum: igitur ante omne *mutatum esse* super istam magnitudinem priùs erat *mutari*,& habetur propositum.

Text. 59. *Eadem 9 enim demonstratio.* Hic probat dictam conclusionem in aliis motibus à motu locali, dicens, quòd in [d] aliis mutationibus, vt in generatione, & corruptione, & in mutatione in contrariis, vt in alteratione, per eandem rationem probabitur, quòd omne mutatum præcedit *mutari*. Sed dubitatur primò, qualiter generatio sit successiua, ex quo forma secundùm quam est generatio, non habeat partes graduales. Secundò dubitatur de hoc, quod dicit, secundùm contradictionem omne mutatum præcedit *mutari*, quod est falsum, quia subitò fit mutatio de vno contradictorio in reliquum; aliter enim inter contradictoria esset dare medium. Respondetur ad primum, quòd in generatione formæ substantialis non est successio secundùm gradus formæ, sed solùm secundùm partes quantitatiuas subiecti: quia priùs in vna parte subiecti introducitur forma, quàm in alia. Ad secundum respondetur, quòd per mutationem de contradictorio in contradictorium intelligit mutationem de puta priuatione formæ ad *esse* completum formæ secundùm totum subiectum: modò inter ista duo benè est medium, scilicet *esse* formæ secundùm partem subiecti.

Generatio quomodo sit successiua.

Quare necesse est id quod mutatum est. Infert corollarium, quòd omne *mutatum esse* præcedit *mutari*,& omne *mutari* præcedit *mutatum esse*. Et causa huius est: quia nullum indiuisibile est immediatum alteri indiuisibili; sed quodlibet continuum est diuisibile, in semper diuisibilia.

15. Text. 60. *Manifestum 10 igitur.* Quarta conclusio est, quòd omne quod factum est, necesse est fieri priùs, & omne quod est in *fieri*, necesse est factum fuisse, scilicet secundùm partem. Probatur: quia [e] omne quod fit, mutatur, & omne quod factum est, *mutatum est*; sed omne *mutatum esse* præcedit *mutari*, & omne *mutari* præcedit *mutatum esse*, vt probatum est: igitur omne factum præcedit *fieri*, & omne *fieri* præcedit *factum esse*.

Similiter autem & in eo. Quinta conclusio est, omne quod corrumpitur est priùs corruptum, & omne corruptum est priùs *corrumpi*. Probatur, quia tam *corrumpi*, quàm *corruptum esse* est diuisibile in infinitum; & ideò sicut nihil fit nisi priùs factum fuerit, nec aliquid factum fuit nisi priùs fiat: ita nihil corrumpitur, nisi priùs corruptum est, nec aliquod corruptum est, nisi priùs corrumpatur.

Quare in quocumque sit. Sexta conclusio: In nullo motu est dare primum *mutari*, aut primum *mutatum esse*: quia si sic, iam esset aliquod *mutari*, quod non præcederet *mutatum esse*: vel aliquod *mutatum esse* quod non præcederet *mutari*; quod est contra priùs posita.

ANNOTATIONES.

16. [a] *IN quocumque tempore mouetur B, &c.* Nota quòd quemadmodum in linea considerantur puncta, ita & in motu sunt *mutata esse* indiuisibilia; atque adeò sicut in linea puncta continuantia non sunt actu, sed potentiâ; quando tamen linea acto diuiditur, punctum terminatiuum est actu: quia terminat diuisionem; (sicut partes quando sunt actu continuæ, sunt entia in potentia; quando verò sunt actu diuisæ, sunt entia in actu) ita & *mutata esse* continuantia motum sunt in potentia; quando verò *mutatum esse* actu terminat motum, tunc est in actu. Demonstratio ergo Aristotelis est, quòd sicut in linea ante quamlibet partem, est punctum, ita & in motu ante quamlibet partem motus est *mutatum esse*: sed quia *mutatum esse* euidentiùs apparet, quando actu terminat, & rumpit motum, demonstrationem format in duobus mobilibus, vt in littera patet.

Mutata esse continuantia motum sunt in potentia.

[b] *Sit tempus in quo mobile mouetur, &c.* Nota quòd Aristoteles ex hac ratione colligit, quòd, cùm omne tempus quantumcumque minimum, sit diuisibile, & inter duo *nunc* semper mediat tempus, & cuilibet *nunc* correspondet in motu, *mutatum esse*; atque adeò inter quæcumque *mutata esse*, mediat motus; sequitur quòd veluti ante quamlibet particulam temporis præcesserunt infinita *nunc*; ita ante quamlibet particulam motus præcesserunt infinita *mutata esse*;& per consequens quicquid mouetur, infinities fuit mutatum.

[c] *Quia, cùm omnis mutatio fiat in tempore.* Nota quòd Aristoteles non accipit hîc *mutatum esse* vt hactenus, pro termino motus, qui est in instanti; sed pro eo quod est *mutari*: & loquitur de motu propriè, vt distinguitur à mutatione. Nam generatio, quæ, verbi gratiâ, est mutatio de *non esse* ligni ad *esse* ignis, si accipiatur pro inceptione, ipsa non fit in tempore: quoniam, vt videbimus *lib.*8. generatio fit per primum *esse*, & quia non datur vltimum ligni: vnde generatur ignis, nullum est medium tempus inter vltimum *esse* ligni, & primum *esse* ignis, sed idem instans, quod est primum *esse* ignis, est primum *non esse* priuationis ignis, puta ligni. Si autem accipiatur generatio pro toto motu alterationis præcedente in ligno, qui terminatur ad *esse* ignis, ille fit quoque in tempore. 17.

[d] *In aliis mutationibus vt in generatione,&c.* Nota quòd ex duabus demonstrationibus, quas fecerat Aristoteles, priorem, quæ ex diuisione temporis procedit, dicit habere locum in alteratione, & generatione, & corruptione: nam altera quæ ex diuisione spatij sumebatur, in solo motu locali verum habet, & applicari etiam potest motui augmenti,& decrementi. Vt enim ante quodlibet punctum spatij, in quod mobile mutatum est, præcessit spatium, per quod mutabatur, & ante quamlibet partem spatij præcesserat punctum, in quo fuerat mutatum, ita & in augmento quantitatis ante quemlibet terminum,& punctum acquirebatur quantitas; & ante quodlibet *acquiri* præcessit terminus, ad quem res augmentata est.

In intensione autem qualitatis, non est adeò patens quomodo ex parte rei acquisitæ ante quodlibet *mutatum esse* sit *moueri*, & ante quodlibet *moueri*, *mutatum esse*: & ideò euidentiùs iudicatur ex parte temporis: omnis enim intensio, & remissio fit in tempore, & ante quamlibet partem temporis præcessit instans, in quo res est mutata, & ante quodlibet instans præcessit tempus, in quo mouebatur; generatio verò & corruptio, licèt accepta pro inceptione, & desitione substantiæ, non fiant in tempore, tamen, si accipiantur pro motu alterationis, qui terminatur ad desitionem, verbi gratiâ aquæ, & inceptionem aëris, in tempore fiunt, vt sæpiùs alibi dicit Scotus: vel sicut dicit hîc, in generatione non est successio 18.

ſecundùm gradus formæ, ſed ſolùm ſecundùm partes quantitatiuas ſubiecti.

2. e *Omne quod fit mutatur*, &c. Nota, quòd alia eſt conſideratio ſubſtantiæ in homogeneis, & alia in heterogeneis. In homogeneis namque, cuius partes ſunt eiuſdem rationis, id quod generatur tempore, quo forma extenditur per materiam, ſecundùm eandem rationem generatum eſt ſecundùm partem; vt cùm forma ignis extenditur per materiam ligni, ante quemlibet ignem genitum generabatur ignis, & ante quodlibet *generari* erat ignis aliquis genitus; ſed in heterogeneis, vt, verbi gratiâ, in animali, non ſemper id quod generatur præceſſit ſecundùm eandem rationem, ſed ſecundùm partem alterius rationis; vt quando in animali animantur pedes, priùs fuit animatum cerebrum, & ante cerebrum fuit animatum cor: & hoc eſt quod inſinuat exemplo domus, cuius fundamentum præiacitur parietibus. At verò quia minimum vtriuſque ſubſtantiæ producitur in inſtanti, ante illud *mutatum eſſe* non præcedit moueri ſecundùm eandem formam, ſcilicet ſubſtantialem; ſed præcedit alteratio, quia prior corrumpebatur ſubſtantia, quæ quidem alteratio quodammodò continuatur cum generatione; atque ita verum eſt quodammodò ſemper, quòd omne quod factum eſt, priùs aut ſecundùm partem, aut ſecundùm alterationem fiebat; & omne quod fit partim factum erat: & pariter in corruptione, omne quod corruptum eſt, corrumpebatur, & omne quod corrumpitur partim corruptum erat: etenim alteratio ipſa quæ terminatur non ſolùm ad qualitatem, ſed etiam ad deſitionem vnius ſubſtantiæ, & generationem alterius, vocatur non ſolùm alteratio, ſed & corruptio, & generatio.

Generatio ſubſtantiæ alio modo in homogeneis & alio in heterogeneis conſideratur.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm omne quod mouetur poſſit velociùs, & tardiùs moueri.

Ariſtot. *hic cap.* 2. *text.* 11. Auerroës, Themiſtius, Simplicius *ibidem.* Albertus *tract.* 1. *cap.* 3. D. Thom. *lect.* 2. Vide authores citatos *in qq.* 4. *&* 5.

3. ARGVITVR primò quòd non omne quod mouetur poſſit moueri velociùs; quia cœlum mouetur, & tamen non poteſt moueri velociùs: ergo, &c. Prima pars antecedentis patet ad experientiam: & ſecunda pars probatur; quia nullum inuariabile motum à motore immobili poteſt moueri velociùs; ſed cœlum eſt inuariabile, & mouetur à motore immobili: ergo, &c. Maior patet, quia maior velocitas non poteſt prouenire niſi vel ex diminutione reſiſtentiæ, vel augmentatione potentiæ motoris: & quocumque modo detur, eſt variabilitas, & mutatio. Minor probatur pro prima parte *in* 1. *Cæli, text.* 20. *&* 120. & pro ſecunda 8. *huius, text.* 34. *& inde. &* 2. *Metaph. text.* 35. *& inde.* Confirmatur antecedens, quia ſi cœlum poſſet moueri velociùs, ſequeretur, quòd centum anni durarent præcisè tantum, quantum nunc durat vnus dies; & conſequens videtur impoſſibile. Conſequentia probatur, quia ſi in eadem proportione motus cœli velocitaretur, in qua centum anni ſe habent ad vnam diem; tunc tantum durarent præcisè centum anni, quantum nunc durat vna dies. Tertiò ſequeretur, quòd aliqua potentia toto tempore æterno eſſet fruſtra; conſequens eſt falſum; quia natura nihil facit fruſtra, vt patet 3. *de Anima, text.* 45. *&* 1. *Cæli, text.* 32. *&* 2. *Cæli,* 50. *&* 59. Conſequentia probatur; quia potentia à qua cœlum poteſt moueri velociùs, nunquam reduceretur ad actum. Quartò, ſequeretur, quòd cœlum de facto moueretur velociùs, quàm mouatur; conſequens implicat contradictionem. Conſequentia probatur, quia motus cœli eſt æternus, modò in æternis non differunt *eſſe*, & *poſſe*.

Secundò, arguitur ad principale; ſi omni motu dato contingeret dare velociorem, ſequeretur quòd ſpatium infinitum pertranſiretur in tempore finito, vel ſaltem poſſet pertranſiri; conſequens eſt impoſſibile, vt patet *in iſto* 6. *text.* 65. Conſequentia probatur; quia ſi in prima medietate horæ aliquod mobile moueatur aliquâ velocitate, tunc ex quo iſte motus poteſt velocitari, quantumlibet ponatur, quòd in ſecunda parte proportionali horæ moueatur in duplo velociùs, quàm in prima; & in tertia, in duplo velociùs, quàm in ſecunda, & ſic in infinitum: tunc in qualibet parte proportionali horæ pertranſitum erat tantum, quantum erat pertranſitum in prima parte; vt poteſt faciliter demonſtrari: igitur pertranſitum in tota illa hora eſſet compoſitum ex infinitis æqualibus: & per conſequens eſſet infinitum, & tamen hora eſt finita: igitur in tempore finito pertranſitur ſpatium infinitum.

Tertiò, ſequeretur quòd nulla potentia actiua eſſet terminata ad maximum, nec aliqua reſiſtentia ad minimum; conſequens eſt falſum, vt patet, 1. *Cæli, text.* 63. *& inde.* Conſequentia probatur; quia motus velocitatur per augmentationem potentiæ & per diminutionem reſiſtentiæ; modò ſi poteſt velocitari in infinitum per augmentum potentiæ, tunc potentia non eſt terminata per maximum. Si per diminutionem reſiſtentiæ, tunc reſiſtentia non eſſet terminata ad minimum. 2.

Quartò, ſi aliquid moueretur motu velociſſimo, non omne quod mouetur poteſt moueri velociùs; ſed aliquid mouetur velociſſimè: ergo, &c. Maior patet, quia aliter eſſet dare motum velociorem velociſſimo: & minor patet 4. *huius, text.* 133. vbi ponitur, quòd cœlum mouetur velociſſimè.

Deinde arguitur, quòd non omni motu dato poteſt dari tardior, quia tunc ſequeretur quòd potentia non eſſet terminata ad minimum, nec reſiſtentia ad maximum: conſequens eſt falſum, vt patet *primo cæli, text.* 63. Conſequentia probatur, quia motus non retardatur, niſi per augmentum reſiſtentiæ, vel diminutionem potentiæ.

Secundò, aliquod mouetur infinitâ velocitate; igitur non omni motu dato poteſt dari tardior. Conſequentia tenet, quia aliter infinito poſſet eſſe aliquod maius. Antecedens probatur: poſito quòd aliqua linea non moueatur circulariter circa ſuum extremum; tunc punctus terminans ſecundam medietatem mouetur tardiùs, quàm punctus terminans primam medietatem. Item terminans medietatem medietatis mouetur tardiùs in duplo, quàm terminans primam medietatem; & ſic in infinitum: igitur aliquis punctus mouetur infinitâ velocitate.

Tertiò, ſequeretur quòd ſupra ſpatium finitum poſſet fieri motus tempore infinito: conſequens 3.

eſt

est falsum, vt patet *in isto sexto, text.*61. *&* 62. Consequentia probatur, quia si aliquod mobile pertranseat pedem in vna die, deinde retardetur motus in duplo, tunc in duobus diebus pertransibit medietatem pedis: iterum retardetur in duplo, non pertransibit nisi medietatem medietatis, & sic in infinitum: igitur tempore infinito mouebitur, & tamen non pertransibit nisi spatium vnius pedis.

Quartò, capiatur vna virga flexibilis, super cuius vno extremo ponas pondus minimum, quod illa virga non potest sustinere; tunc arguitur sic: ista virga deprimitur infinitâ tarditate: igitur impossibile est, quòd aliquid tardiùs moueatur: aliter enim esset dare tarditatem maiorem maximâ. Antecedens probatur, quia si aliquid potest moueri tardiùs; vel hoc esset à pondere maiori, vel minori, vel ab æquali: non à maiori, quia ab illo velociùs deprimeretur virga: nec à minori, quia minorem sufficeret virga sustinere, vt patet per definitionem ponderis minimi quod non potest; quia ab æquali pondere æqualiter deprimeretur.

Quintò potest argui: quia cœlum non potest tardiùs moueri per easdem rationes, quibus probabatur, quòd cœlum non potest velociùs moueri.

4. Oppositum arguitur per Aristotelem *6. huius, text.* 11. *& inde*, qui hoc supponit, quòd omni motu dato, contingit dare velociorem, & etiam tardiorem. Secundò probatur ratione: [a] quia omni medio dato potest dari medium subtilius secundùm quamcumque proportionem; & etiam medium densius: igitur omni motu dato potest dari motus velocior, & etiam tardior. Consequentia tenet: quia ad subtiliationem medij sequitur proportionaliter augmentatio velocitatis, & ad eius condensationem sequitur proportionaliter motus retardatio, saltem in grauibus, & leuibus, vt patuit per Aristotelem *in 4. huius, text.* 71. & antecedens apparet in isto sexto.

Notandum, quòd tenendo opinionem Aristotelis difficile est saluare dictam suppositionem esse veram, de qua fit quæstio: quia secundùm opinionem suam ipsa est impossibilis; vt probant plures rationes ante oppositum. Secundò, est eadem difficultas de quadam ratione, quam facit Aristoteles *4 huius, text.* 71. ad probandum quòd graue simplex moueatur subitò: pro qua ratione supponebat, quòd omni medio dato potest dari medium subtilius secundùm quantamcumque proportionem: & tamen hoc est impossibile secundùm Aristotelem, quia igni puro, vel etiam cœlo, impossibile est dari corpus subtilius. Tertio, est idem iudicium de ratione quam facit *7. huius, text.* 1. ad probandum, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio, quia omne quod mouetur, quiescit ad quietem alterius: modò hoc est impossibile, quia impossibile est secundùm Aristotelem cœlum quiescere: igitur ipsum nō potest quiescere ad quietem alterius. Quartò, est eadem difficultas de ratione, per quam probat Aristoteles *8. huius, text.* 34. quòd in mouentibus, & motis non est processus in infinitum; quia in illa ratione supponit, quòd ex omnibus mobilibus contiguis fiat vnum continuum; sed hoc secundùm Aristotelem est impossibile: quia impossibile est, quòd sphæræ cælestes ad inuicem continuentur: quia iam non esset diuersus motus cœli, quod Aristoteles reputat impossibile, *2. de Generatione.*

5. Ad omnes istas difficultates nititur [b] Commentator respondere sic: quòd licèt non repugnet motui, mobili, & quieti quantum est ex ratione generali motus, mobilis, & quietis, quin omne mobile moueatur velociùs, & etiam tardiùs: attamen repugnat mobilibus ex ratione speciali talium, vel talium mobilium: modò quia in proposito insistimus solùm in rationibus generalibus motus, & mobilis: igitur quod est impossibile secundùm istam rationem generalem, & etiam quod est possibile, debet reputari impossibile, vel possibile: & ideò motum velocitari, & retardari quantumlibet debet reputari possibile simpliciter in proposito, ex quo est possibile per rationes generales motus & mobilis.

Sed contra istam solutionem arguitur: quia quodlibet illorum, de quo argutum est, est simpliciter impossibile: igitur ex nulla tali suppositione potest prædicari. Consequentia tenet: quia ad impossibile sequitur quodlibet, quia quantâ euidentiâ per talem rationem probaretur aliquid, tantâ euidentia probaretur suum oppositum.

Secundò, quia ex tali suppositione possibili secundùm rationes generales motus, & mobilis; impossibile tamen secundùm rationes speciales mobilium, potest inferri simpliciter impossibile: igitur nullum tale debet supponi ad aliquid probandum. Consequentia nota est: & antecedens probatur, quia ista est vera; *aliquod mobile mouetur*, & cum ista capio istam possibilem secundùm rationes generales mobilium eo modo, quo loquitur Commentator, videlicet: *omne mobile quiescit*: tunc arguatur sic in Disamis, nimirum, *quoddam mobile mouetur; omne mobile quiescit: igitur quoddam quod quiescit mouetur.* Conclusio est falsa: igitur aliqua præmissarum, & non maior: quia illa ponitur esse vera: igitur minor est simpliciter impossibilis, quocunque modo, ex quo conclusio sequens ex illa est simpliciter impossibilis secundùm quamcuoque rationem.

Ex quibus patet, quòd illæ probationes Aristotelis de quibus tactum est, non valent; nisi in quantum illæ suppositiones sunt possibiles, quas tamen Aristoteles reputat impossibiles secundùm potentias naturales.

Ideò ad videndum qualiter suppositio de qua fit quæstio, est possibilis, & qualiter sit vera, & qualiter non ponuntur conclusiones, discurrendo per diuersa genera motuum: & primò de motu circulari, supposito quòd eius velocitas attendatur penes arcus descriptos, & non penes angulos circa centrum. 6. *Motus cœli quomodo possit esse velocior.*

Prima conclusio: Quilibet [c] punctus alicuius sphæræ cælestis præterquam vltimæ, mouetur aliquando velociùs, & aliquando tardiùs. Probatur, quia in qualibet sphæra præter vltimam, mouetur super diuersos polos, & super polos mundi, & super polos Zodiaci: igitur quilibet punctus alicuius sphæræ cælestis præter vltimam, quandoque appropinquat ad lineam mediam inter polos, & quandoque elongatur; sed quandocunque appropinquat ad illam lineam, mouetur velociùs, quàm priùs; & quando elongatur ab illa linea, mouetur tardiùs: ergo, &c. Verum est tamen, quòd hoc non obstante totum mobile semper mouetur vniformiter.

Secunda conclusio est Supposito quòd motor cœli, & cœlum sint inuariabilia, vt videtur Aristoteles innuere *8. huius, text.* 34. *&* 65. impossibile est quòd cœlum moueatur velociùs, quàm de

facto mouetur, vel etiam tardiùs. Probatur; quia nunquam poteſt prouenire maior, vel minor velocitas niſi ex variatione motoris.

Tertia concluſio; Suppoſita inuariabilitate motorum, & mobilium cœleſtium, de facto eſt aliquis punctus velociſſimè motus, quo impoſſibile eſt aliquid moueri velocius. Patet de quolibet puncto deſcribente æquinoctialem circulum, quia quilibet talis punctus deſcribit lineam maximam poſſibilem deſcribi.

7. Sed dubitatur primò, quia aliquis eſt motus circularis inſenſibilis propter velocitatem, vt patet de trocho circumducto, qui apparet quieſcere, & tamen motus circularis æquinoctialis eſt valde ſenſibilis: igitur videtur, quòd iſte motus trochi eſt velocior motu æquinoctialis. Secundò dubitatur, quid ſit dicendum, attendendo velocitatē penes angulos deſcriptos circa centrum.

Ad primum reſpondetur, quòd dato quòd ille motus ſit inſenſibilis, attamen in valde magna proportione; & quaſi incomparabiliter motus æquinoctialis eſt velocior; & hoc pro tanto, quia linea æquinoctialis eſt linea maxima poſſibilis eſſe, nec linea trochi adhuc multoties replicata, eſt ſibi comparabilis.

Ad ſecundum dico, quòd attendendo velocitatem motus circularis penes angulos deſcriptos, nullus punctus alicuius ſphæræ mouetur velociùs, quàm alter, immò quilibet æquè velocitet, quia quilibet in æquali tempore deſcribit angulum æqualem circa centrum.

Quarta concluſio: Suppoſito quòd motor cœli, & cœlum ſint variabilia; cœlum poteſt moueri velociùs, & etiam tardiùs. Probatur, quia ſi motor cœli poteſt velle velociùs mouere cœlum: & cùm cœlum non reſiſtat, immò potiùs inclinetur ad motum, ſequitur quòd cœlum poteſt moueri quâlibet velocitate: & [d] eodem modo arguitur de tarditate.

8. Quinta concluſio: De facto, cœlum eſt variabile, & etiam motor poteſt velle mouere cœlum velociùs, & etiam tardiùs, ſicut placet ſibi, & iſtud habemus credere ex fide.

Centum anni durare poſſent tantum præcisè, quantum modò durat vnus dies.

Ex iſto ſequitur, quòd poſſibile eſſet, quòd centum anni durarent præcisè tantum, quantum modò durat vnus dies: & hæc de motu circulari.

Quolibet motu recto dato poteſt dari velocior.

De motu autem recto ſit prima concluſio iſta; Quolibet motu recto dato poteſt dari velocior, & etiam tardior. Probatur, ſupponendo quòd quilibet motus rectus fit à potentia motoris, concurrente reſiſtentiâ mobilis intrinſecâ. Secundò ſupponitur, quòd intenſio velocitatis prouenit ex intenſione potentiæ motoris, vel ex diminutione reſiſtentiæ, manente potentiâ, vel quandoque ex vtraque. His ſuppoſitis, probatur concluſio; quia cuiuſlibet motus localis recti contingit potentiam diminui, & reſiſtentiam augmentari: igitur & motum retardari: & è contra contingit potentiam augmentari, & reſiſtentiam minui: igitur & motum velocitari.

Secunda concluſio: Suppoſito quòd motus circularis, & rectus ſint comparabiles in velocitate; tunc quocumque motu recto dato poteſt dari circularis velocior, etiam tardior. Et eodem modo probatur de generatione, & corruptione, de augmentatione, & diminutione; quia quilibet talis motus ſucceſſiuus fit cum reſiſtentia, quam contingit diminui, vel potentiam augmentari: igitur contingit talem motum velocitari.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd cœlum non poteſt velocitari per agens naturale agens ſecundùm conſuetum curſum: & hoc admiſſo, negatur minor probationis. Ad confirmationem, concedo conſequens. Ad tertiam, negatur conſequentia: tamen Commentator diceret, quòd non eſt inconueniens de potentia ad indiuiduum. Ad 4. confirmationem, negatur conſequentia. Ad probationem: in æternis non differunt *eſſe*, & *poſſe*. Dico quòd ſi cœlum moueretur velocius, quàm nunc moueatur, ille gradus velocitatis non eſſet æternus.

9. Ad ſecundam principalem, concedo poſſibilitatem conſequentis ad imaginationem de motu difformi; & de hoc fiet quæſtio.

Ad tertiam, concedo, vt patuit ſuper primo; ſed illa authoritas intelligitur, quòd eſt dare maximum numerum in integrum, vt in ponderibus, vel in aliquo tali, in quod poteſt potentia actiua; ſed non eſt verum de fractionibus.

Punctus deſcribens æquinoctialem, velociſſimè mouetur.

Ad quartam, concedo minorem; quia aliquid mouetur velociſſimè de facto, ſcilicet punctus deſcribens æquinoctialem, ex hoc tamen non ſequitur, quin ipſo poſſit aliquid moueri velociùs, ſaltem per potentiam ſupernaturaliter agentis.

Ad alias rationes, quibus probatur, quòd non omni motu tardo dato poſſit dari tardior. Ad primam, concedo quòd potentia non eſt terminata ad minimum. Ad ſecundam, negatur antecedens. Ad probationem; moueatur aliqua linea circa eius extremum, concedo, & dico, quòd iſta eſt concedenda: *infinitâ tarditate aliquid mouetur*; & tamen ſemper iſta neganda eſt: *aliquid mouetur infinitâ tarditate.* Ad tertiam, poteſt concedi ad imaginationem de motu difformi. Ad quartam de virga, concedo; & dico quòd illa virga deprimeretur ab illo pondere coadiuuante propriâ grauitate; & virga poteſt moueri tardiùs ab vno alio motore, cuiuſmodi eſſet agens liberum, vel aliud tale. Ad quintam, dictum eſt in quæſtione.

ANNOTATIONES.

In motu ſunt quatuor conſideranda.

10. a *Omni medio dato poteſt dari medium ſubtilius.* Nota quòd in motu quatuor ſunt conſideranda, ſcilicet id, quod mouetur, & virtus à qua, & tempus in quo, & ſpatium per quod mouetur. Virtus eſt id quod efficit motum: id quod mouetur eſt reſiſtentia, quæ à virtute motrice ſuperanda eſt: nam eſt regula hîc ſupponenda, quòd à proportione æqualitatis, aut minoris inæqualitatis nulla fit actio, nempe vbi reſiſtentia fit æqua, aut maior, quàm virtus agentis; ſed ſolùm vbi proportio eſt maioris inæqualitatis agentis ad paſſum. Virtus autem tam actiua, quàm quæ reſiſtit, eſſe poteſt aut internè inhærens mobili, aut extrinſecè adiacens: vt dum graue cadit, grauitas ipſa eſt interna virtus motrix, & quæ illud expellit eſt extrinſeca. Item, medium ipſum per quod cadit, ſeu aqua ſit, ſeu aër, extrinſeca eſt reſiſtentia; virtus præterea actiua eſſe poterit, aut ſpiritualis, aut corporalis; naturalis, aut libera; fatigabilis, & corruptibilis, vt in elementis, & elementaris, atque infatigabilis. In hac quæſtione promiſcuè comprehendit Scotus omnes ſpecies, tam virtutis, quàm reſiſtentiæ.

b *Nititur Commentator reſpondere.* Vide ſuprà annotationem ad textum 15.

a *Quilibet punctus alicuius ſphæra cæleſtis*, &c. Nota quòd ſolutio huius quæſtionis, quantum ad motom circularem, ſtat in duabus conclu-ſionibus. Prima eſt: Motus primi mobilis eſt velociſſimus, qoi poteſt eſſe per natoram; eſt namque menſura omoiom corporalium motuum, vt *libro quarto* dictum eſt. Secunda cooclofio, ſi diuinam potentiam ſpectes, nullus eſt motus adeò velox, neque eſſe poteſt, quo velocior eſſe non poſſit: quæ conelnſio notiſſima eſt ûs, qui noruot non eſſe poſſibilem motum velocitatis infinitæ, nam citra illum, qnocumque datn cùm virtns Dei ſit infinita, poteſt eâdem virtnte citiùs quidquam moneri: oam quocumqoe tempore dato, quo res aliqua à certo in certum punctum moueatot, poterit io parte illius temporis, (quod abſque fine eſt diuiſibile) per idem ſpatium moueri. Addas, quòd quâcnnque magnitudine cæleſtis orbis datâ, poterit Deus maiorem orbem deſuper creare, qui die naturali perager circulum diurnum, quâ ratione in infinitum ſyncategorematicè augeri poterit motus velocitas.

11. b *Et eodem modo arguitur de tarditate.* Nota quòd loquendo de tarditate motus, ſoot quidam ſentientes revera eſſe in orbe cæleſti. Aiunt enim aliquam partem, verbi gratia, primi mobilis, aliquâ tarditate moueri, quod nemini dubium eſt, poſtquam nulla eſt, quæ infinitâ velocitate moueatur. Et quæ in duplo propinqnior eſt polo, in duplo mouetur tardiùs: id quod pariter concedimus, ſuppoſito polum eſſe punctum immotum; quoniam in moto vniformiter difformi incipienti à non gradu, quâ proportione punctum quodque propiùs accedit non gradui, quam alterum tardiùs mouetur: at verò, cùm ſic colliguot, hoc punctum tardè mouetur, & quod in duplo eſt propinquius polo, mouetur duplo tardiùs, & quod in quadruplo eſt propinquius, in quadruplo mouetur tardiùs, & ſic in infinitum: ergo datur punctum tardiſſimè motum. Non ſolùm nulla eſt conſequentia, verùm contraria prorſus infertur inde cooclufio: eo enim quòd in iofinitum procedit illa diuiſio, aliquòd pooctum mouetur tardè, & aliud in duplo tardiùs, & aliud in quadruplo, &c. ſequitur quòd nullum dabitur tardiſſimè motum, ſicut non dabitur vltima pars proportionalis mobilis versùs polum. Stat ergo ſententia Scoti, quòd de potentia abſoluta, vt noo datur ſumma velocitas motus, ita neque ſumma tarditas. Immò ampliùs dicimus de tarditate, quòd cùm actu oonc detur punctum velociſſimè motum per naturam, vt eſt punctus deſcribens æquinoctionalem circulum, nullum tamen eſt actu tardiſſimè motum versùs polum.

EXPOSITIO TEXTVS.

12. Text. 61. QVoniam 1 *autem omne id.* Hoc eſt quintum capitulum huius tractatus, in quo Philoſophus determinat de finitate & infinitate motus: & diuiditur in nouem partes, ſecundùm quòd ponit nouem concluſiooes; partes patebunt. Item, primò præmittit concluſiooem. Secundò probat ibi: *Quod igitur.* Primò præmittit, quòd omne quod mouetur, mouetur in tempore, & quòd in maiori tempore pertranſitur maior magnitudo, ſupple, æquè veloci motu; tunc ponit iſtam concluſionem primam capituli: Impoſſibile eſt magnitudinem finitam pertranſiri motu vniformi, tempore infinito. Et exponit concluſionem ſupponendo, quòd non fiat reiteratio ſuper eandem magnitudinem, quia ſi infinities fieret reiteratio; tunc eſſet poſſibile, quòd in tempore infinito pertranſiretur magnitudo finita. Secundò, exponitur concluſio, quòd mobile non denominatur moueri in aliqoo tempore, ex eo, quòd mouetur io parte illios temporis: qoia ſi ſic, tunc mobile, quod in vna die pertranſiret ſpatium finitum, in tempore infinito pertranſiſſet ſpatium finitum.

Magnitudinē finitam pertranſiri tempore infinito impoſſibile eſt.

Quod igitur. Hìc probat conclusionem expoſitam, quòd ſi magnitudo finita pertranſeatur in tempore infinito: tunc ponatur, quòd in vna parte finita illius pertranſeatur pars magnitudinis illius, cùm tota magnitudo pertranſita in tempore infinito ſe habeat ad illam partem in certa proportione, vt puta in centupla, ſequitur quòd in centom partibus temporis æqualibus parti temporis acceptæ pertranſibitur tota magnitodo, ex quo motus eſt vniformis: igitur totum tempus, in quo pertranſibitur tota magoitudo, eſt finitum; quia eſt compoſitum ex finitis partibus ſecundùm multitudinem, & ſecundùm magnitudinem.

Sed & ſi 2 non æquè velociter. Secunda concluſio eſt iſta: Impoſſibile eſt magnitudinem finitam pertranſiri in tempore infinito, motu difformi, & irregulari. Probatur, quia ſi ſic; tunc ſequeretur quòd tempus finitum eſſet infinitum, quod eſt impoſſibile. Et conſequentia probatur; & ſint *A, B*, magnitudo finita, quæ debet pertranſiri in tempore infinito *C, D*; tunc, cùm ſit neceſſe priùs pertranſire partem magnitudinis, quàm totam magnitudinem, accipiatur de magnitudine *A, B*, pars *A, E*, quæ aliquoties ſumpta numeret magnitudinem *A, B*; & ſit ita, quòd centies ſumpta numeret ipſam totam; tunc pars *A, C* pertranſitur in tempore finito; quia in tempore minori, quàm ſit tempus *C, D*; & omne tempus minus infinito, eſt finitum: igitur pars *A, E*, pertranſitur in tempore finito: igitur cùm pars *A, E*, centies ſumpta, reddat magoitudinem *A, B*; ſequitur quòd in centum partibus tēporis, pertranſibitur tota magnitudo; & nihil reſtat, ſiue illæ partes ſint æquales, ſiue inæquales; quia ex centum finitis, ſiue æqualibus, ſiue inæqualibus, impoſſibile eſt reſultare infinitum: igitur totum tempus, in quo pertranſitur, magnitudo *A, B*, eſt finitum; & tamen ponebatur eſſe infinitum, & habetur conſequens. Et notandum, quòd contra iſtas duas concluſiones poſſunt fieri inſtantiæ quaſi inſolubiles; ſed dimittantur vſque ad quæſtiones. 13. Text. 62.

Similiter autem & in quiete. Tertia concluſio eſt, impoſſibile eſt mobile quieſcere tempore infinito ſuper magnitudinem finitam. Et ſciendum, quòd per quietem intelligit tendere ad quietem; ſicut exponebamus de ſtatu in *quinto huius, text. 54.* Probatur, quia talis quies, id eſt, tendentia ad quietem, eſt motus; modò impoſſibile eſt quòd in tempore infinito fiat motus ſuper magnitudinem finitam per præcedentes concluſiones.

Quare neque fieri. Quarta concluſio. Impoſſibile eſt aliquid generari, vel corrumpi tempore infinito. Probatur, quia omne generatum, vel corruptum eſt magnitudo finita; modò ſuper magnitudinem finitam non poteſt fieri motus tempore infinito. 14.

Impoſſibile eſt aliquid generari vel corrumpi tempore infinito.

Eadem 3 autem ratio eſt. Quinta concluſio eſt. Text. 63.

Impossibile est aliquod mobile moueri tempore finito super spatium infinitum. Probatur sicut secunda conclusio probabatur: quia illius temporis finiti accipiatur vna pars, in qua pertransitur aliqua pars magnitudinis infinitæ, supra quam fit motus in tempore finito; tunc illa pars temporis aliquoties sumpta reddet totum tempus finitum; igitur in toto illo non pertransibitur nisi magnitudo finita; quod est contra positum; & deducatur consequentia, sicut in probatione præcedentis conclusionis.

Text. 64. *Mobile infinitum non potest magnitudinem finitam pertransire in tempore finito.*

Hu autem 4 demonstratis. Sexta conclusio: Non est possibile, quòd mobile infinitum pertranseat magnitudinem finitam in tempore finito. Probatur, quia tunc sequeretur, quòd mobile finitum pertransiret spatium infinitum in tempore finito; quod est contra præcedentem conclusionem. Consequentia probatur: quia quando aliquod mobile mouetur, non est differentia in proposito, siue mobile moueatur, spatio quiescente, siue spatium moueatur, mobili quiescente: modò certum est, quòd si mobile infinitum poneretur quiescere, & spatium finitum poneretur moueri, ita vt pertransiret illud in tempore finito; iam sequitur propositum. Secundò, quia mobile infinitum totum occupat; igitur non potest moueri de vno loco ad alium locum; & si non mouetur, sequitur quòd non mouetur per spatium finitum in tempore finito. Et sciendum, quòd rationes huius conclusionis ponuntur in parte sequenti; & conclusio sequens debet concludi in parte præcedente istam.

15. Text. 65. *Mobile finitum non potest pertransire spatium infinitum tempore finito.*

Quoniam autem 5 finitum. Hîc ponitur septima conclusio, scilicet quòd mobile finitum non potest pertransire spatium infinitum in tempore finito; & ista est eadem cum quinta conclusione; vel euidenter sequitur ex ea: & potest probari sicut secunda, signando partem finitam spatij infiniti, quæ pertransitur in parte temporis finiti; & arguatur sicut priùs.

Text. 66. *Impossibile est mobile infinitum pertransire spatium infinitum in tempore finito.*

At verò 6 neque infinitum. Octaua conclusio est: Impossibile est mobile infinitum pertransire spatium infinitum in tempore finito. Probatur: quia si mobile infinitum pertranseat spatium infinitum in tempore finito, sequeretur quòd pertransiret spatium finitum in tempore finito: consequens est contra sextam conclusionem. Et consequentia probatur; quia spatium finitum est pars spatij infiniti; modò in eodem tempore, in quo pertransitur totum, etiam pertransitur pars eius. Secundò, quia acceptâ vnâ parte temporis finiti, in qua pertransiretur vna pars finita spatij, tunc cùm totum tempus aliquoties præcisè contineat illam partem, sequitur etiam quòd toties illa pars magnitudinis replicata & non pluries pertransiretur in illo tempore; & per consequens non totum pertransitum in illo tempore esset infinitum.

Text. 67.

Quoniam autem 7 neque finitum. Ponitur nona conclusio, quòd impossibile est motum infinitum fieri in tempore finito, aut contra. Probatur, quia vel motus esset infinitus ratione mobilis, vel ratione spatij, aut ratione temporis: non ratione spatij, quia impossibile est, quòd tempore finito pertranseatur spatium infinitum, vt probatum est priùs: nec ratione mobilis, vel temporis, vt similiter probatum est; ergo, &c. Ex quibus infert finale intentum in hoc capitulo, quòd magnitudo, motus, & tempus similiter se habent, quantum ad finitatem, & infinitatem.

QVÆSTIO X.

Utrùm in tempore finito poßit fieri motus infinitus.

Aristot. *cap. 7. text. 65.* Themistius, Philoponus, & alij *ibidem.* Auerroës *comm. 66.* D. Thomas *lect. 9.* Albert. *tract. 2. cap. 9.* Mayron. *7. Physic. part. 7.* Conimbr. & Runius *in exposit. cap. 7.*

ARGVITVR quòd sic: quia mutatio subita fit in mensura finita; & tamen mutatio subita est infinita: igitur mutatio infinita fit in tempore finito. Maior patet, quia multi ponunt, quòd instans non sit res distincta à tempore: igitur si fiat in instanti, oportet quòd fiat in tempore; & non in tempore infinito, vt notum est. & minor patet: quia fit in infinitum modica mensura. 1.

Secundò, *A* potest moueri in hora, & *B* potest moueri in eadem hora, & *C*, & *D*, & sic de infinitis: igitur motus infinitus potest fieri in tempore finito. Antecedens apparet, quia vnum illorum non impediret reliquum. Et patet consequentia, quia motus aggregatus ex omnibus illis esset infinitus.

Tertiò, motus potest velocitari in infinitum: vt patet ex præcedenti quæstione, igitur motus infinitus potest fieri in tempore finito.

Quartò, aliquis motus finitus fit tempore infinito: igitur possibile est, quòd è conuerso aliquis motus infinitus fiat in tempore finito. Consequentia tenet per simile; & antecedens apparet, quia motus cœli est finitus, quia est mobilis finiti, & tamen fit tempore infinito: quia aliter non esset perpetuus.

Quintò, quia motus in infinitum tardus, fit in tempore finito: igitur etiam motus in infinitum velox. Antecedens apparet de partibus sphæræ motæ, quæ sunt prope polum immobilem, quia quâcumque parte datâ, quæ aliquâ tarditate mouetur, est dare aliam, quæ mouetur in duplo tardiùs; & aliam, quæ in triplo, & sic secundùm quamlibet proportionem. Consequentia probatur: quia quanto eundo versùs vnum extremum vna pars mouetur tardiùs, tanto eundo versùs reliquum alia pars mouetur velociùs: igitur si aliqua pars mouetur in infinitum tardè, sequitur quòd alia mouebitur in infinitum velociter.

Sextò, sicut se habet punctus ad lineam, ita finitum ad infinitum, vt dicit Commentator *in Prologo 8. huius*; sed punctus pertransit lineam tempore finito, vt si punctum moueatur super planum: igitur super spatium finitum potest fieri motus infinitus. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 6.* 2.

Notandum, quòd motus potest esse infinitus vno modo; quia est mobilis infiniti. Alio modo, quia licèt sit mobilis finiti, & cum hoc fiat tempore finito, attamen ipso pertransitur spatium infinitum.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est. Motu vniformi impossibile est tempore finito pertransire spatium infinitum. Probatur, quia si ita sit, oportet quòd aliqua pars spatij finita pertranseatur in aliqua parte temporis; aliter enim quælibet pars spatij pertransiretur subitò; & per consequens totum spatium, quod est contra positum:

positum: sit igitur vna leuca, quæ pertransitur in centesima parte temporis finiti: tunc cum illo tempore sint præcisè centum partes æquales parti temporis acceptæ; & cùm motus sit vniformis, sequitur, quòd in qualibet parte temporis non pertransitur plus quàm in parte temporis acceptâ; & per consequens in tota hora pertransibuntur præcisè centum leucæ, quæ non faciunt spatium infinitum.

Secunda conclusio: supra spatium finitum potest fieri motus continuus difformis tempore infinito. Probatur, posito quòd aliquod mobile pertranseat dimidium pedem in vna die, deinde super secundam partem proportionalem retardetur motus in duplo; tunc si secunda pars esset æqualis primæ, ipsa transiretur in duobus diebus; igitur cùm nunc sit subdupla, sequitur quòd pertransibitur in vna die. Deinde super tertiam partem fiet motus in duplo tardior quàm super secundam, & sic in infinitum. Tunc probatur sicut priùs, quòd quælibet pars proportionalis pertransitur in vna die: igitur cùm sint ibi infinitæ partes proportionales, sequitur, quòd in infinitis diebus pertransibitur; & per consequens in infinito tempore pertransibitur præcisè spatium pedale motu continuo.

3. Ex isto sequitur, quòd talis motus irregularis non correspondet alicui regulari, quia iam aliquis motus regularis fieret tempore finito, super spatium infinitum, quod improbatur in prima conclusione.

Secundò sequitur, quòd super spatium finitum posset fieri motus continuus tempore infinito ab vtraque parte. Probatur, & ponatur quod *A* debeat moueri secundùm casum positum in probatione secundæ conclusionis: deinde ponatur vlteriùs, quòd *A* in die præcedenti pertransiuit dimidium pedis, & in die ante dimidium dimidij, & sic in infinitum; & sequitur propositum.

Motus infinitus, id est, mobilis infiniti potest fieri tempore finito.

Tertia conclusio: Motus infinitus, scilicet mobilis infiniti, potest fieri tempore finito. Probatur, si imaginaretur vna columna in infinitum protensa ad Austrum, possibile est, quòd illa tota columna, in vna hora approximaretur ad Orientem.

Quarta conclusio: Supra spatium infinitum potest fieri motus continuus tempore finito. Probatur, posito quòd Socrates in prima medietate horæ pertranseat pedale, & in secunda parte proportionali horæ velocitetur motus in duplo, & in tertia in duplo plus quàm in secunda, & sic in infinitum; tunc demonstratur probabiliter, quòd in qualibet parte proportionali horæ pertransitum est pedale; & cùm in hora sint infinitę partes proportionales, sequitur quòd in hora pertranseantur infinita pedalia, ex quibus resultat spatium infinitum.

Ex istis sequitur, quòd tempore finito potest pertransiri spatium infinitum ab vtraque parte, posito, quòd Socrates debeat moueri in hora sequenti secundùm casum iam positum, & quòd in medietate horæ præcedentis pertranseat vnum pedem, & in medietate alterius medietatis alium pedem, & sic in infinitum; tunc sequitur propositum, quòd in duabus horis Socrates pertransiuit duo infinita; vnum ad vnam, & aliud ad aliam.

.4. Secundò, sequitur, quòd huiusmodi motus irregularis non correspondet alicui regulari, qui fieret in eodem tempore, & super idem spatium, ex præcedenti conclusione.

Tertiò, sequitur, quòd ratio, quam facit Aristoteles *in 6. huius*, *text.* 67. in contrarium, non valet. Ideò dico, quòd Aristoteles intelligit de motu regulari, & non de irregulari.

Quinta conclusio, licèt prædictæ conclusiones sint possibiles ad imaginationem, & per potentiam diuinam, attamen non est ita de facto; ideò sufficit Aristoteli, quòd hoc non est possibile secundùm potentias naturales.

Contra quartam conclusionem arguunt quidam sic: si Deus potest illo modo velocitare motum per plures partes proportionales horæ, tunc sequeretur, quòd aliquod mobile in hora pertransiit plus quàm infinitum; consequens est impossibile, immò implicat contradictionem. Consequentia probatur, posito quòd duo mobilia *A* & *B*, in hora velocitent motus suos per partes proportionales horæ in duplo, ita quòd pertransitum ab *A* in prima parte proportionali, sit pedale; & pertransitum à *B*, sit vna leuca; ita quòd continuè per totam horam pertransitum à *B* est plusquam pertransitum ab *A*: sed in fine horæ pertransitum ab *A* est infinitum: igitur in fine horæ pertransitum à *B* est plusquam infinitum. Secundò, sequeretur, quòd aliquod infinitum esset finitum, quod implicat: quia iam non esset infinitum. Consequentia probatur; quia quâ ratione Deus posset in qualibet parte proportionabili horæ velocitare motum Socratis in duplo, eâdem ratione posset Deus in qualibet parte proportionali horæ creare vnam sphæram spissitudinis vnius pedis: & cum hoc sphæram secundò productam ducere sphæricè circa primam, & productam tertiâ circunducere aggregato ex prima, & secunda; & sic in infinitum; tunc in fine corpus resultans, & spatium cum hoc esset infinitum: quia ex infinitis æqualibus esset compositum. Tertiò, sequeretur, quòd esset dare vltimam partem proportionalem; consequens est impossibile, quia illa pars adhuc esset diuisibilis in duas medietates, quarum posterior versùs partes minores, adhuc haberet proportionem cum aliis partibus: igitur pars data non erat vltima. Consequentia probatur: quia quâ ratione Deus potest sic velocitare motum in duplo in qualibet parte proportionali horæ, eâdem ratione potest in qualibet parte proportionali producere vnum lapidem bipedalis quantitatis, & quemlibet ordinatè ponere iuxta alium, & cum hoc ordine retrogrado illos lapides destruere: tunc primo lapidi destructo, correspondebit vltima pars proportionalis horæ, & etiam vltima pars spatij.

Ad ista. Ad primum, responsum fuit suprà 3. negando consequentiam. Et dico vltrà, quòd 5.
qui pertransit vnum infinitum, pertransit infinities infinita; sed ex hoc non sequitur, quòd pertranseat plusquam infinitum: quia infinities infinita non sunt plus, quàm infinitum. Ad secundum, negatur consequentia: quia illud in fine non esset signatū, sed esset excessum sine termino.

Ad tertium, dictum fuit *in 2. quæst. 6.*

Ad rationes. Ad primam, dico, quòd mutatio subita non est infinita, nisi secundùm *quid*; quia nec per ipsam pertransitur spatium infinitum, nec est mobilis infiniti, nec fit in tempore infinito; sed denominatur infinita impropriè, eo quòd fit in mensura in infinitum modicâ.

Ad secundam, dico, quòd non est ita de facto, quia non sunt huiusmodi infinita, tamen si essent, concederem, quòd esset possibile.

Ad tertiam, motus posset velocitari in infinitum, verum est, sed non per potentiam naturalem.

Ad quartam, concedo reiterando super idem spatium, quemadmodum fit motus cœli.

Ad quintam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd ibi non fit comparatio semper ad eandem partem: quia deberet argui: aliqua pars mouetur certâ velocitate, & vna alia mouetur duplâ velocitate ad illam, & tertia mouetur quadruplâ velocitate ad eandem, & sic in infinitum: igitur infinitâ velocitate aliquid mouetur; concedenda esset consequentia, sed negandum esset antecedens.

Ad sextam, verum est, quantum ad proportionem: quia sicut nulla est proportio lineæ ad punctum, ita nec est proportio infiniti ad finitum.

Expliciunt quæstiones 6. lib. Physicorum.

EXPOSITIO TEXTVS.

6. Text. 68. *Quoniam 1 autem omne.* Hoc est sextum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus determinat de diuisione status, & quietis; & per statum intendit tendere ad quietem; & primò determinat de diuisione quietis, & tertiò infert corollarium. Secundum ibi: *Neque igitur quiescens.* Tertium ibi: *Quoniam autem omne.* Primò ponit quatuor conclusiones. Secunda ibi: *Hoc autem demonstratio.* Tertia ibi: *In quo autem tempore.* Quarta ibi: *Sicut dictum est.* Prima conclusio est ista, omne quod stat mouetur, intelligendo per *stare* tendere ad quietem. Probatur: quia omne illud, quod est aptum natum moueri, quando aptum natum est moueri, aut mouetur, aut quiescit; sed illud quod stat est mobile aptum natum moueri, & non quiescit: igitur, quod stat mouetur. Maior nota est, & apparuit in 5. Minor probatur: quia quod stat nondum quiescit, sed tendit ad quietem.

Omne quod stat mouetur.

Text. 69. *Hoc autem 2 demonstratio.* Secunda conclusio; omne quod stat, stat in tempore. Probatur, quia omne quod mouetur, mouetur in tempore; sed omne quod stat mouetur: igitur omne quod stat, stat in tempore. Secundò, omne 3 velocius, & tardius fit in tempore; sed omne quod stat, stat velociùs, & tardiùs respectu diuersorum: igitur omne, quod stat, stat in tempore. Maior patet per definitiones velocioris & tardioris: & minor est nota: quia stare est tendere in quietem; modò aliquid tendit velociùs in quietem, & aliquid tardiùs.

Text. 70.

7. Text. 71. *In quo 4 autem tempore.* Ponitur tertia conclusio. Illud quod stat in aliquo tempore primò, stat in quolibet illius temporis. Probatur, quia illud, quod mouetur in aliquo tempore primò, mouetur in qualibet parte illius temporis, vt probatum est: igitur quod stat in aliquo tempore primò, stat in quolibet illius temporis. Consequentia tenet per conclusionem primam huius capituli; & probatur antecedens, sicut probatum erat priùs. Secundò, quia diuidatur tempus, in quo aliquid stat primò, in duas partes; tunc igitur vel illud, quod stat primò in illo tempore, stat in neutra parte illius temporis, vel in vtraque, vel in altera tantùm. Non in neutra, quia tunc non stat in illo tempore; nec in altera tantùm, quia tunc non staret in illo tempore primò, quod est contra positum: si in vtraque habetur propositum.

Sicut 5 dictum est. Quarta conclusio: Non est dare mensuram secundùm instans, in quo aliquid stat primò. Probatur sic: quia non est dare primum *mutatum esse* motus, scilicet primum instans, in quo aliquid mouetur: igitur non est dare primum instans in quo aliquid stat. Antecedens apparet ex capite præcedenti; & consequentia tenet ex illo, quòd omne *stare* est *moueri*. Secundò, quia omne quod stat in aliquo tempore primò, priùs stetit in medietate illius temporis, quàm in toto illo tempore, & priùs in medietate medietatis, quàm in tota medietate; & sic in infinitum: igitur quâcumque mensurâ datâ, in qua aliquid stat, priùs stetit, & per consequens non est dare instans, in quo aliquid primò stat; & habetur propositum. Text. 72.

Neque igitur 6 quiescens. Hîc Aristoteles determinat de diuisione quietis: & diuiditur in tres partes, secundùm quòd ponit tres conclusiones. Secunda ibi: *Et in quanto.* Tertia ibi: *Quare nihil primum.* Prima conclusio est ista: omne quod quiescit, quiescit in tempore. Probatur dupliciter, primò: quia omne quod mouetur, mouetur in tempore: igitur omne quod quiescit, quiescit in tempore. Consequentia tenet: quia illud quiescit, quod est aptum natum moueri, & non mouetur; & in illo tempore, in quo natum est moueri, & vbi natum est moueri, &c. Antecedens probatum fuit priùs. Secundò, quia quiescere est similiter se habere priùs, & posteriùs; sed in instanti non est prius, & posterius: igitur non est possibile aliquid quiescere in instanti. 8. Text. 73. *Quiescens in tempore quiescit.*

Et in quanto. Secunda conclusio est. Illud quod quiescit in aliquo tempore primò, quiescit in qualibet parte illius temporis. Probatur eodem modo, sicut probabatur de statione, & *moueri*.

Quare nihil primum. Tertia conclusio: Non est dare primam mensuram, vt primum instans, in quo aliquid quiescit. Probatur, quia omne, quod quiescit in aliquo tempore, priùs quieuit in medietate illius temporis, & priùs in medietate medietatis; & sic in infinitum, sicut arguebatur de statu, & *moueri*.

Quoniam autem 7 omne. Hîc infert corollarium, scilicet quòd impossibile est illud, quod mouetur omnino, similiter se habere priùs & posteriùs; quia tunc sequeretur, quòd moueretur, & quiesceret; consequens est falsum, & impossibile. Consequentia probatur: quia mobile quiescere, est mobile similiter se habere priùs, & posteriùs; sequitur, quòd illud, quod mouetur, quiescit. Text. 74.

Zeno autem 1 malè ratiocinatur. Iste est tertius tractatus huius 6. in quo Aristoteles reprobat rationes destruentium motum: & diuiditur in tria capitula. In primo destruit opinionem Zenonis, & soluit eius rationes, quibus probat non esse motum. Secundò destruit opinionem Democriti, ponentis indiuisibilia moueri; & in tertio destruit opinionem Heracliti, ponentis omnia continuè moueri. Secundum ibi: *Demonstratis autem his.* Tertium ibi: *Mutatio autem nulla.* Primum capitulum diuiditur: quia primò soluit rationes Zenonis, quibus probat non posse esse motum localem rectum. Secundò, rationes quibus probat non posse esse mutationem secundùm 9. Text. 75.

contra

contradictionem: & tertiò soluit rationem contra motum circularem. Secundum ibi: *At verò secundum eam.* Tertium ibi: *Rursus in circulo* Item, primò ponit vnam rationem. Secundò, ponit alias quatuor eo ordine, quo ponebat ipsas Zeno ibi: *Quatuor autem sunt.* Prima ratio est, quòd illud non mouetur localiter, quod continuè est in loco sibi æquali; sed illud, quod dicitur moueri motu recto, est continuè in loco sibi æquali; ergo. Et maior patet, quia super locum, æqualem mobili, non potest fieri motus rectus; & minor probatur: quia mobile, quod dicitur moueri motu locali recto, continuè est in loco: modò quod est in loco, est in loco sibi æquali, cùm lo- Text. 76. cus sit æqualis locato. Respondetur a concedendo [a] quòd illud, quod est continuè in loco sibi æquali, mouetur localiter, non quòd supra spatium sibi æquale fiat motus, sed quia est continuè in alio, & alio loco sibi æquali.

10. *Quatuor 3 autem sunt.* Hic ponit alias quatuor Text. 77. rationes. Prima est ista: si aliquid moueretur [b] motu recto locali, sequeretur quòd infinita pertransirentur in tempore finito; consequens est falsum, vt probatum fuit priùs. Consequentia probatur, quia illud motum rectè pertransiret aliquod spatium; modò quodlibet spatium habet partes infinitas, & sic infinita pertransirentur. Respondetur [c] sicut dictum fuit priùs *in isto 6.* ad istam eandem rationem, quòd sicut sunt infinitæ partes in spatio pertranseundo, ita sunt infinitæ partes temporis, quibus spatium pertransitur.

Text. 78. *Secunda autem 4 est.* Secunda ratio Zenonis fuit ista, quæ propter sui [d] difficultatem vocabatur Achilles: quia si aliquid moueretur motu recto, sequeretur, quòd aliquid velocissimè motum non posset attingere, aliquod tardè motum: verbi gratiâ, equus velocissimè motus non posset attingere formicam; consequens est falsum. Et consequentia probatur: quia si formica sit ante equum velocissimè motum per vnam leucadem, tunc priusquam equus perueniat ad terminum illius leucadis, formica aliquid pertransiuit. Et quando equus adhuc venit ibi, adhuc semper aliquid pertransiuit formica, & sic in infinitum: igitur nunquam equus velocissimè motus, attingit formicam tardissimè motam.

Text. 79. *Est autem 5 & hæc ratio.* Hic soluit rationem, negando consequentiam; quia licèt diuidendo magnitudinem transeundam secundùm partes proportionales, esset procedere in infinitum, priùs quàm mobile velocissimum attingat tardè motum; attamen considerando diuisionem spatij secundùm partes magnas, quatuor posteriùs acceptæ sunt æquè magnæ, vel maiores priùs acceptis, tunc mobile velox citò attinget mobile tardum.

11. *Tertia autem 6 quæ nunc.* Hic ponit tertiam ra- Text. 80. tionem; & est illa eadem, quæ fiebat in principio capituli; & ratio fiat, & soluatur sicut ibi.

Text. 81. *Quarta 7 autem.* Hic ponitur quarta ratio; & est ista, si aliquid posset moueri motu recto, sequeretur, quòd aliqua duo mobilia æquè velociter mouerentur, & tamen vnum illorum moueretur in duplo velociùs, quàm reliquum; consequens implicat contradictionem. Et consequentia probatur; & moueatur vnum mobile super spatium quiescens, aliquâ velocitate; & moueatur aliud tantâ velocitate supra spatium contra motum, æquali velocitate. Tunc mobile motum supra spatium quiescens pertransit præcisè subduplum spatium ad illud, quod mouetur supra spatium motum: igitur mouetur subduplo velociùs per definitionem *velocioris*: & tamen ponebatur æquè velociter moueri; igitur aliqua duo mobilia mouentur æquè velociter, quorum tamen vnum mouetur in duplo velociùs, quàm reliquum. Respondetur 8 negando consequentiam; & di- Text. 82. co, quòd illa mobilia æquè velociter mouentur. Quod stat, si vnum pertranseat duplum spatium ad reliquum, sicut positum est; attamen hoc non est per motum sui, sed per motum spatij, quod contra mouetur.

At verò 9 secundùm eam. Hic ponit rationem 12. Text. 83. probantem, quòd impossibile est esse aliquam mutationem secundùm contradictionem, qualis est de *non esse*, *ad esse*, vel è contra: quia si esset aliqua talis, sequeretur, quòd aliqua nec essent, nec non essent, quod est impossibile, & contra primum principium. Consequentia probatur: quia illud, quod mutatur ab aliquo termino in aliquem terminum, non est sub aliquo illorum terminorum: sed illud, quod mutatur de *non esse* ad *esse*; nec est in *esse*, nec in *non esse*. Respondetur negando consequentiam, [f] quia vt patuit priùs, si generatio sit successiuè; tunc illud quod generatur, non est, sed erit. Similiter illud quod corrumpitur est, & statim non erit.

Rursus 10 & in circulo. Hic ponit rationem Text. 84. contra motum circularem: quia illud non mouetur, quod continuè est in eodem loco; sed illud, quod dicitur moueri circulariter, est continuè in eodem loco: igitur illud, quod dicitur moueri circulariter, non mouetur. Respondetur 11 quòd licèt motum circulariter non mutet Text. 85. locum secundùm totum, tamen benè mutat locum secundùm partes eius; modò ad hoc, quòd aliquid moueatur, sufficit quòd aliter se habeat quàm priùs, vel secundùm totum, vel secundùm partes.

ANNOTATIONES.

[a] *Respondetur concedendo, &c.* Nota, quòd potuisset statim argumentum repellere, negando quicquid est in loco moueri, aut quiescere, si tantùm sit in illo per instans, vt iam modò dicebat Zeno; at quia satis fuisset Zenoni, si in nullo instanti moueretur: nam ex illo argueret, quòd neque in toto tempore moueretur; ideò negat consequentiam, nam vt inferatur mobile in aliquo tempore non moueri, assumendum est, quòd in nulla parte talis temporis mouetur; nam momenta non sunt partes, ex quibus tempus constat, atque adeò non sequitur, in nullo *nunc* huius temporis fit motus; ergo neque in hoc tempore. 13.

[b] *Si aliquid moueretur motu recto locali, &c.* Nota, quòd hæc ratio potest in hunc modum deduci: omne, quod mouetur per aliquod spatium, priùs pertransit medium quàm attingat finem; sed istud medium est diuisibile in duo media æqualia; ergo priùs pertransibit illud medium illius medij, quàm attingat finem: & eodem modo arguam de medio illius medij in infinitum, cùm continuum sit diuisibile in infinitum; sed pertransire infinitas magnitudines est impossibile in actu; ergo impossibile est moueri motu locali recto.

[c] *Respondetur sicut dictum fuit priùs.* Nota, quòd hæc

hæc solutio est solùm ad homioem, qoi eodem modo debet concedere tempus esse infinitum, quo spatium. Vnde nil prohibet spatium habens hoc modo infinitas partes, pertransiri tempore, quod eodem modo habet infinitas.

14. Cæterùm, vera solutio est, quæ habetur *lib. 8. text. 68.* quòd in magnitudine non sunt infinitæ partes in actu, scilicet diuisæ (nam illæ non possent transiri) sed sunt tantùm in potentia. Nam, vt docet Commentator *3. huius, cap. de infinito, & 6. huius, Comment. 6. & 8.* in quolibet continuo sunt partes duplices, scilicet eiusdem quantitatis, & eiusdem proportionis, & secundùm hoc in quolibet continuo sunt partes duplices: quædam finitæ, & quædam infinitæ; & vtrumque est de ratione continoi. Verùm infinitas inest sibi secundùm partes eiusdem proportionis, quia est secundùm illas diuisibile in infinitum; finitas verò inest sibi secundùm partes eiusdem quantitatis, atque ita finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, & quæ si videantor contrariari, eidem tamen quantitati competunt; quia non conueniunt ei secundùm idem. Ex hoc dico, quòd transire infinita in actu, solùm actualitate præsentiæ (quemadmodum infinitæ partes sunt in actu in continuo) non est inconueniens, saltem per accidens; nam istæ partes, nimirum eiusdem proportionis, comprehenduntur à partibus eiusdem quantitatis, modò pertransitio quę fit per motum super aliquam magnitudinem, per se competit magnitudini secundùm quòd est finita; quam finitatem capit à partibus eiusdem quantitatis, ita quòd illa infinita non possunt pertransiri in quantum talia: sed in quantum comprehenduntur à partibus eiusdem quantitatis, quæ constituunt totum, & secundùm quas totum est finitum. Breuiter non est inconueniens concedere infinitas partes spatij actualiter, actualitate præsentialitatis, non actualitate rationis, aut terminationis, esse pertransitas; dummodò per accidens. Nam id quod nos dicimus esse in actualitate præsentialitatis, Aristoteles, & Commentator dicunt esse in potentia, vt est indiuisibile continuans partes alicuius continui, quod dicitur esse in potentia respectu actualitatis, secundùm quam terminat.

Finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis.

d *Quæ propter sui difficultatem vocatur Achilles.*

15. Nota, quòd in prouerbium abiit inter Peripateticos, argumentum, quod fortissimum ab aduersatio censebatur, Achillem nuncupare. Ideò vt vis huius rationis propter quam Zeno vocabat illam Achillem, appareat, sic deduco rationem: Si motus localis esset possibilis, velocissimum nunquam attingeret tardissimum. Probatur, & pono, quòd mobile velocius excedat in decuplo mobile tardius in velocitate, & cum hoc pono quòd simul incipiat moueri à principio magnitudinis *A, B, C,* & mobile tardius à medio, scilicet ab ipso *B*; tunc arguo sic: antequam mobile velocius ventum sit ab *B*, mobile tardius aliquid pertransiuit de spatio extra *B*. Quod probo, quia si adhuc mobile tardum sit in *B*; ergo fuit in *B* per totum tempus, per quod mobile velocius mouebatur de *A* in *B*; ergo in toto illo tempore quiescebat, & per consequens non simul incipiunt moueri, quod est contra positum: ergo sequitur, quòd mobile tardum aliquid pertransiuit extra *B*; tunc accipio terminum illum, in quo est mobile tardum, vel ad quem est motum mobile tardum, quando mobile velox est in *B*, & vocetur iste terminus *C*; tunc sicut priùs, arguo, antequam mobile velox ventum sit ad *C*, vel mobile tardum transiuit aliquid extra *C*, vel nihil; si nihil, ergo in toto tempore in quo mobile velox mouebatur à *B* in *C*, mobile tardum quieuit in *C*; sed suppositum erat, quòd continuè moueretur: ergo necessariò transiuit aliquid vltra *C*; tunc sic, iste terminus *D*, & arguam sicut priùs, & procedam in infinitum.

Argumentum difficilis solutionis Achilles appellatur.

e *Hic soluit rationem, negando consequentiam, &c.* 16.

Nota, quòd in hac ratione committitur fallacia à secundùm quid ad simpliciter. Nam concedo, quòd mobile tardius pertransiuit aliquid vltra *B*, & quando vlteriùs arguitur per eandem rationem: ergo nonquam attinget. Dico quòd non sequitur, sed est fallacia à secundùm quid ad simpliciter: solùm enim istud sequitur attendendo ad illum processum, secundùm quòd mobile velox, & mobile tardum, diuidunt spatium secundùm partes eiusdem proportionis; & secundùm hoc verum est, quòd nunquam attingetur. Vnde, *non attingitur secundùm istas partes, ergo non attingitur*; non sequitur, vt dictum est. Vnde ista infinitas eiusdem proportionis accidit magnitudini, vt ipsa est pertransita. Attendendo autem ad alium, & alium ordinem partium, videlicet eiusdem quantitatis, secundùm quas totum est finitum, & pertransibile, quæ partes comprehendunt illas eiusdem proportionis, benè est attingibile, & pertransibile. Ista est responsio quam hic assignat Scotus.

Posset etiam aliter responderi. Quando dicitur quòd mobile tardius aliquid pertransiuit; concedo: & quando vlteriùs dicitur, quòd per eandem rationem, &c. Respondeo, & primò imaginor, quòd mobile tardum quantamcumque minimam partem transeat de spatio, ipsam transit in tempore. Secundò imaginor, quòd mobile velox in æquali tempore plus pertransit de spatio, quàm mobile tardum. Tertiò imaginor, quòd mobile velox in minori tempore pertransit maius spatium, quàm mobile tardum: & ex his dico, quòd antequam mobile velox sit in *B*, mobile tardum aliquid pertransiuit de spatio: & quando vltra procedis: dico, quòd falsum imaginaris, quia si mobile tardum transiuit digitalem quantitatem in toto tempore, in eodem tempore velocissimum pertransiuit bicubitalem quantitatem. Vel dicas, quòd quamdiu tardius præcesserit, non attingitur; admisso tamen, (vt rei veritas est) quòd tempore finito transibitur aliqua pars spatij, taodem attingitur à velocissimo: nam si velocitas, verbi gratiâ, est in duplo maior, transibit velocissimum in eodem tempore in duplo maius spatium, quàm tardissimum. 17.

f *Respondetur negando consequentiam.* Nota, quòd consequentia fortè procederet contra eos, qui dicerent indiuisibile moueri: nam indiuisibile non potest esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: sed Aristotelis argumentum nihil impossibile concludit, qui asserit tantùm diuisibile moueri: & ideò, quod mouetur in neutro est totum, sed partim in vno, & partim in alio, vt apparet in motu locali. Cæterùm *in 8. huius, text. 67.* aliam adhibet Aristoteles solutionem: nimirum quòd in mutationibus instantaneis non est necessarium, quòd *moueri* præcedat *mutatum esse*: nam minimum formæ substantialis incipit in instanti: & ideò

ideò nullum eſt inſtans, aut tempus, in qno res mouetur motu generationis.

EXPOSITIO TEXTVS.

18. Text. 86. DEmonſtratis 1 autem his. Hoc eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo Ariſtoteles oſteudit, quòd nullum indiuiſibile poteſt moueri, contra opinionem Democriti, ponentis indiuiſibilia moueri; & diniditur, quia primò ponit conclusionem. Secundò probatur ibi: *Mutetur enim ex A.*

Nullum indiuiſibile mouetur per ſe. Ponit igitur iſtam conclnſionem, quòd nullum indiuiſibile mouetur per ſe. Et dicit notabiliter *per ſe*, [a] quia indiuiſibile poteſt moueri per accideos, ficut pari ad motum ſui totius; & dicit, qoòd ipſe intelligit de indiuiſibili ſecundùm quantitatem.

Vide contradictionem Zimaræ. *Etenim partium motus alteri ſunt.* Remonet dnbium: qnia dictum eſt, quòd indiniſibile poteſt moueri per accidens; ſicut pars termini; & cùm pars, quæ mouetur per accidens ad motum totius, poſſit moueri per ſe, ſicut dictum eſt in quinto, ſequitur quòd indiuiſibile poteſt moueri per ſe. Reſpondetur, quòd non ſequitor, quia partes, quæ moeentur ad motum totius, ſunt in multiplici differentia: vode einſdem totiua vna pars mouetur velociùs quàm alia; vt patet de motu cœli. Ita ſimiliter, quædam ſunt partes motæ per accidens, quæ natæ ſunt moneri per ſe; vt partes diuiſibiles; & aliæ non; vt indiniſibilia.

Text. 87. *Mouetur enim* a *ex A.* Hîc probat dictam concluſionem quatuor rationibus. Seconda ibi: *Quare non contingit.* Tertia ibi: *Ampliùs autem, & ex his.* Quarta ibi: *Ampliùs autem ſi omne.* Prima ratio eſt iſta, omne quod mouetur, vel eſt totaliter in termino *à quo*, vel totaliter in termino *ad qaem*, vel partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*; ſed indiuiſibile ſi mouetur, nec eſt totaliter in termino *à quo*, nec totaliter in termino *ad quem*, nec partim in vno, & partim in reliquo: ergo, &c. Maior nota eſt, quia aliter non poteſt ſe habere mobile. Et minor patet, quia ſi indiniſibile ſit totaliter in termino *à quo*, tuuc quieſcit, quia eodem modo ſe habet poſterius, & prius. Nec totaliter in termioo *ad quem*; quia tunc non moueretur, ſed motum eſt. Nec partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, vt notum eſt; quia tunc indiniſibile haberet partes, & per conſequens eſſet diuiſibile, quod implicat; & Ariſtoteles ponit io litteris, ſcilicet *A, B*, ſit terminus *à quo*, *B, C*, ſit terminus *ad quem*, *E, D* ſit tempus in quo mobile, ideſt, indiuiſibile mouetur, *F, G*.

19. Text. 88. *Quare 3 non contingit id.* Secunda ratio, quia ſi indiuiſibile moneretur, tuoc ſequeretur, quòd cootinuum eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus; conſequens eſt falſum, vt probatum eſt priùs. Conſequentia probarur: qnia indiuiſibile eſt in ſpatio ſibi æquali, ſcilicet in indiuiſibili: igitur quando mouetur, priùs pertranſit ſpatium æquale illi, in quo priùs erat, ſcilicet indiuiſibile; & per conſequens indiuiſibile eſſet immediatum indiuiſibili; & probetur propoſitum.

Text. 89. *Ampliùs autem 4 ex his.* Tertia ratio, omne quod mouetur, priùs pertranſit ſpatium ſibi æquale, vel minus, quàm maius; ſed indioiſibile mouetur, & non eſt poſſibile, quòd priùs pertranſeat ſpatium minus: quia non eſt dare motum in indiuiſibili; igitur ſemper pertranſit ſpatium ſibi æquale; igitur totum ſpatium, per quod mouetur, componitur ex ſpatiis æqualibus iodiuiſibili; & per conſequens illud ſpatium componitur ex indiuiſibilibus.

Ampliùs 5 autem ſi omne. Quarta ratio, ſi indiuiſibile poteſt moueri, tunc ſequitur, qnòd indiuiſibile diuidetur, quod eſt impoſſibile. Text. 90.
Conſequentia probatur, ſupponendo ex præcedenti ratiooe, quòd indiuiſibile motum priùs pertranſit ſpatiom ſibi æquale, qnàm maius. Secundò ſuppooitur, quòd omne quod mouetur, mouetur in tempore. Tunc iſtis ſuppoſitis, arguitur ſic: Indiuiſibile, quod mouetor, priùs pertranſit ſpatinm ſibi æquale, quàm maius: igitur illud ſpatium ſibi æquale pertranſit in tempore: igitur io parte temporis pertranſit partem ſparij illius; & per conſequens illud ſpatium, quod eſt indiniſibile, eſt diuiſibile habens partes, quod eſt impoſſibile.

ANNOTATIONES.

a INdiniſibile poteſt moueri per. accidens. Nota, quòſi aliqoid dicitur moueri per accidens 20. *Aliquid dicitur moueri per accidens dupliciter.*
dupliciter. Vno modo tanquam res ſeparata exiſtens in eo, quod per ſe mouerur; vt nauta mouetur ad motum nanis. Alio modo tanquam formaliter inhærens ei, quod per ſe mouetur, vel tanquam pars, vel tanquam accidens, vt caput, & albedo, & punctum monentur ad motum hominis.

Nota ſecundò, quòd indiuiſibile eſt multiplex: *Indiuiſibile eſt multiplex.*
eſt enim indiuiſibile, aut ſecundùm ſpeciem, vt homo, qui non poteſt dinidi in plutes ſpecies, aut ſecundùm numerum; vt Petros, & qnodlibet indiuiduum dicitur indiuiſibile, quia non diuiditur in pluta integra ſuppoſita, & hæc indiuiſibilia nihil vetat per ſe moueri. Aliud eſt indiuiſibile ſecundùm quantitatem, vt punctum, & hoc eſt, quod non per ſe mouetur.

Nota tertiò, quòd non eſt imaginandum, *Pars mouetur proprio motu alio, à motu totius.*
quòd non ſit alius motus partis à motu totius ex eo, quòd dictum eſt partem moueri ad motum totius: nam toto quantitatiuo moto alius eſt motus partis, & alius eſt motns totius: eſt namque motus partium alius ſecundùm quòd partium, licèt motus totius ſit etiam partium. Patet, quia ſphærâ cœleſti motâ, quælibet pars eius mouetur; attamen diuerſarum partium ſphæræ ſunt diuerſi motus: partes enim quæ iuxta polum ſunt, tardiùs mouentur, quàm illæ quæ ſunt, à polo remotæ.

EXPOSITIO TEXTVS.

MVtatio 1 autem nulla eſt infinita. Hoc eſt ter- 21. Text. 91.
tium capitulum huius tractatus, in quo Ariſtoteles reprobat opinionem Heracliti, ponentia omnia continuè moueri: & diuiditur, quia primò probat quòd nulla mutatio alia à motu locali, poteſt eſſe infinita. Secundò oſtendit, quòd nullus motus rectus poteſt eſſe infinitus; & tertiò oſtendit, quòd motus circularis poteſt eſſe infinitus. Secunda ibi: *Loci autem mutatio.* Tertia ibi: *Sed ſi eſſet.* Primò dicit, quòd nulla mutario alia à motu locali, poteſt eſſe infinita: quia nulla mutatio inter duos terminos poteſt eſſe infinita; ſed omnis mutatio alia à

motu

motu locali est inter duos terminos; ergo, &c. Maior patet; quia si infinitum clauderetur inter duos terminos, iam esset finitum, quod implicat: & minor est nota, inducendo: nam generatio, & corruptio sunt inter *esse*, & *non esse*; alteratio inter qualitates contrarias; augmentatio, & diminutio sunt inter eiusdem rei quantitatem perfectam, & imperfectam.

Text. 92. *Motus localis rectus non potest esse infinitus.* Text 93. *Loci autem a mutatio ponitur.* Secunda conclusio: Nullus motus localis rectus potest esse infinitus. Probatur: quia impossibile est mobile moueri tali motu, quali impossibile est ipsum motum esse; sed impossibile est mobile esse motum motu recto infinito: igitur impossibile est ipsum moueri motu recto infinito. Maior patet, quia illud est impossibile fieri, quod impossibile est factum esse, aliter enim frustra fieret: & minor probatur; quia si aliquod motum est motu recto infinito; tunc illud spatium infinitum non clauditur duobus terminis, scilicet termino à quo est motus, & termino, in quem mobile est mutatum.

Sed si esse possit sic. Tertia conclusio est: Impossibile est circulationem esse infinitam, & primò declarat hoc in diuersis motibus, vt scilicet primò sit alteratio, deinde corruptio, & iterum generatio, & sic semper circulando; vt patet *secundo de Generatione*, *text. 63. & inde*, tamen impossibile est aliquem vnum motum fieri infinitum, nisi motum cœli, vt patebit *in 8. huius*. Text. 94.

Explicit expositio 6. libri Physicorum.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text. 1. *Omne quod mouetur, necesse est.* Iste est septimus [a] liber Physicorum, in quo Aristoteles determinat de comparatione motuum ad motores; & motuum ad se inuicem: & diuiditur in duos tractatus. In primo ostendit, quòd in mouentibus & motis non proceditur in infinitum; & hoc pro tanto; quia in infinitis non accidit comparatio. In secundo determinat de comparatione motuum. Secundus ibi: *Dubitabit autem aliquis.* Primus tractatus diuiditur in quatuor capita. In primo ostēdit, quòd omne, quod mouetur, mouetur ab alio. In secundo ostendit, quòd in sic mouendo vnum ab alio, non est processus in infinitum in mouentibus, & motis. In tertio ostendit, quòd omne mouens est simul cum moto; quia hoc supponebatur in secundo capitulo. In quarto ostendit, quòd solùm secundùm qualitates sensibiles est alteratio, quia hoc erat suppositum in tertio capitulo. Secundum ibi: *Quoniam autem omne quod mouetur.* Tertium ibi: *Primum quidem igitur mouens.* Quartum ibi: *Quod autem ea quæ alterantur.* Primum capitulum diuiditur: quia primò proponit conclusionem, & ostendit in quibus non est dubium. Secundò, probat eam in illis, in quibus est dubium. Secundum ibi: *Si autem.* Proponit igitur istam conclusionem: omne quod mouetur, mouetur ab aliquo, & debet addi *alio à se ipso*, quia hoc probat ratio, quam ad hoc adducit, & dicit quòd in illis, quæ non mouentur à principio intrinseco, hoc non est dubium, quia ibi manifestè apparet mouens distinctum à moto.

Omne quod mouetur, ab alio mouetur.

Si autem in se ipso. Hìc probat dictam conclusionem; & præmittit tres suppositiones. Secundò, format rationem. ibi: *Hoc autem cùm manifestum sit.* Prima in tres secundùm tres suppositiones. Secunda ibi: *Primum igitur.* Tertia ibi: *Amplius id.* Prima suppositio est positio aduersarij, quæ non supponitur tanquam vera, sed accipitur vt concludatur falsitas eius: est igitur suppositio quòd *A*, *B* moueatur à se ipso tanquam à motore, ita quòd *A*, *B*, primò moueatur: & *A*, *B* primò sit mouens; vult igitur probare, quòd hoc est impossibile, scilicet quòd *A*, *B* secundùm quamlibet eius partem moueat, & moueatur.

2. *Primum igitur.* Secunda suppositio est, quòd causa quare aliquid apparet motum à se ipso, est ista; quia vna pars eiusdem totius mouet aliam partem, & pars mouens simul mouetur cum parte mota; vt anima mouet corpus, & moto corpore simul mouetur: & ponit in litteris; sicut eiusdem totius pars, *D*, *E* mouet partem *E*, *F*, & quia moto toto *D*, *E*, *F*, simul mouetur *D*, *E* credimus propter hoc, quòd *D*, *E*, *F* moueatur à se ipso.

Amplius a *id.* Tertia suppositio, quòd illud non mouetur à seipso, quod quiescit ad quietem alterius. Probatur: quia illud quod inest alicui primò non remouetur ab illo, dato quòd remoueatur à quocumque alio; quod non est ipsum, vt mobile, quia primo inest homini, ideò dato, quòd à quocumque alio remoueatur, non oportet propter hoc, quòd remoueatur ab homine. Text. 2.

Hoc autem cùm manifestum sit. Hìc format rationem, supponendo quòd omne, quod mouetur, est diuisibile, vt probatum est in 6. huius; tunc arguitur sic: omne illud mouetur ab alio, quod quiesceret ad quietem alterius; sed omne quod mouetur, quiesceret ad quietem alterius, si illud aliud quiesceret: igitur omne quod mouetur, mouetur ab alio. Maior patet per illam tertiam suppositionem. Et minor probatur; quia per suppositionem, omne quod mouetur est diuisibile, & omne diuisibile quiesceret ad quietem suæ partis, si pars sua quiesceret: igitur omne diuisibile mouetur ab alio: & cùm omne quod mouetur sit diuisibile, sequitur quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio. *Manifestum est igitur.* Hìc recolligit conclusionem cum sua probatione; & patet in littera.

ANNOTATIO
Patris Arretini.

[a] I*Ste est septimus liber*, &c. Nota, quòd Aristoteles peractâ in præcedenti libro disputatione motus, quoad se: iam in hoc septimo, & in sequenti ad ipsum mouens per motum ipsum indagandum accedit, ita vt vnum primum mouens immotum, qui solus Deus est, probet necessariò esse: & similiter vnum primum mobile, & vnum primum motum: huiusmodi autem primi mouentis, mobilis, & motus tractationem in 8. perficit, in quo primum mouens immobile, primúmque motum æternum esse manifestat. Hic liber septimus, vt hìc dicit Scotus, in duos secatur tractatus. In quorum primo probat Aristoteles dari primum mouens, primúmque motum: in secundo verò agit de comparatione mouentium, & mobilium, quoad celeritatem, & tarditatem suorum motuum. Et in 8. perquirit quidnam sit hoc primum motum, qualisque sit primus ille motor. 3.

QVÆSTIO I.

Vtrùm omne quod mouetur, moueatur ab alio?

Arist. *lib* 7. *Phys. c.* 1. *text.* 1. *&* 8. *Phys. text.* 29. Auer. Mayr. & Interpretes *ibid.* Alb. *tract.* 1. *c.* 1. D Thom. *lect* 1 *&* 1. *cont. Gent c.* 13. *&* 1 *p. q.* 2. *art.* 3. *&* 5. *Met. lect.* 14 Scot. 9 *Meth. &* 2. *dist* 2 *q* 1 *& in* 4 *dist* 12 *q.* 3. Ægidius *quodl.* 6. *q* 11. Greg 2. *dist* 6. *q.* 1 *art.* 3 Ferrar. 1. *cont. Gent. c.* 13. Iandun. 8. *Phys. q.* 12. Plaza 2 *Phys. dist* 1 *q.* 7. Conimbr. 7. *Phys. cap.* 1. *q* 1. Compl. *disp.* 28. *q.* 1. Ruuius *in expos. c.* 1. Rocc. *in Paraphrasi, & quæst.* 1.

1. ARGVITVR quòd non: quia proiectum mouetur postquam est remotum à proiiciente, & tamen non mouetur ab aliquo primò: non à proiiciente, quia possibile est, quòd proiiciens iam sit corruptum: nec à medio, quia sæpè medium mouetur ad partem oppositam, nec à virtute impressa. Vnde non apparet benè possibile, quòd talis virtus generetur per solum motum localem.

Secundò, quia aqua ascendit in phiala, vel in vrinali; vt patet ad experientiam, si vrinale calefiat, & os eius ponatur ad aquam: & tamen non mouetur ab aliquo primò: non à forma aquæ, aut dispositionibus consequentibus illam formam; quia omnia illa inclinantur ad motum oppositum; nec apparet aliquid aliud, à quo moueatur: ergo, &c.

Tertiò, animal mouetur ex se, vt patet 8. huius, text. 29. & 30. igitur non ab alio: modò Arist. in isto 7. intendit probare quòd non solùm omne quod mouetur, mouetur ab aliquo, immò quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio.

Quartò, grauia & leuia naturaliter mota mouentur, & non ex se, vt patet 8. huius, text. 31. & 32. nec ab alio, quia tunc non mouerentur naturaliter: igitur à nullo mouentur. Quòd autem non ab alio nisi violenter, patet, quia violentum est cuius principium est extra, vt patet 3. Ethicorum.

2. Quintò, arguitur de alteratione: quia aqua calefacta reducitur ad frigiditatem, & non à medio; quia aqua reducitur ad frigiditatem intensiorem quàm sit frigiditas medij; & tunc aqua reducta ad illum gradum intensiorem, nullo modo potest assignari, quòd producatur à medio: igitur aqua alteratur, & tamen à nullo alteratur.

Sextò, quia voluntas mouetur ex se: Igitur non ab alio, consequentia nota est: & probatur antecedens; quia aliter voluntas non esset domina suorum actuum, nec esset libera, quod est falsum.

Septimò, quia anima alteratur de scientia in ignorantiam; & tamen à nullo alteratur: ergo &c. Consequentia nota est, quia omnis alteratio est motus: & probatur antecedens, quia per solum lapsum anima obliuiscitur eorum, quæ priùs nouit.

Octauò, medium alteratur de lumine in tenebras; & tamen à nullo alteratur: quia maximè esset à corpore luminoso: modò hoc est falsum, quia corpus luminosum potiùs est causatiuum lucis, quàm tenebrarum.

Nonò, quia videmus, quòd si aliquis inspicit viridarium multæ spissitudinis herbarum, super quo cecidit lux fortis Solis; tunc si dimittat se ad locum tenebrosum, remanet impressio in organo visus; & tamen illa impressio deperditur, & non ab alio; igitur oculus alteratur per illam impressionem, & tamen à nullo alteratur.

Decimò, potest argui de rarefactione, & condensatione: quia aqua calefacta se ipsâ frigescit, & non ab alio: igitur se ipsâ condensatur, & non ab alio. Eodem modo aër frigescens vltra naturam debitam, calefit ex se ipso: igitur se ipso rarefit, quia ad calefactionem consequitur rarefactio; & per consequens aliquid rarefit, & non ab alio. Oppositum arguitur per Aristotelem in principio huius 7. text. 1. vbi nititur probare, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio. 3.

Diuisio quæstionis.

In ista quæstione primò ponenda est [a] ratio Aristotelis, per quam nititur demonstrare, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio; cum quibusdam obiectionibus contra illam rationem. Secundò, respondebitur ad quæsitum, & soluentur illæ dubitationes.

Omne quod mouetur est diuisibile.

Quantùm ad primum, supponitur primò, quòd omne quod mouetur est diuisibile, & istud probatum fuit super sextum.

Secundò, supponitur quòd illud, quod inest alicui per se & primò, non remouetur ab illo, dato quòd remoueatur à quocumque alio, quod non est ipsum: verbi gratiâ, risibile inest homini per se, & primò; ideò non remouetur ab homine, dato quòd remoueatur à quocumque alio, quod non est homo.

Tertiò, supponitur, quòd pars est aliud à suo toto. Istis suppositis, formatur sic ratio Aristotelis; illud non mouetur à se ipso per se, & primò, quod quiescit ad quietem alterius, quod non est ipsum; sed omne quod mouetur, quiescit ad quietem alterius, quod non est ipsum: igitur nihil quod mouetur, mouetur à se ipso per se, & primò; & per consequens omne quod mouetur, mouetur ab alio. Maior patet per secūdam suppositionem; quia ex quo mouetur à se ipso, quod inest alicui per se, & primo, non remouetur ab eo, dato quòd non remoueatur à quocumque alio. Et minor probatur, quia omne quod mouetur est diuisibile, per primam suppositionem: modò omne quod est diuisibile, quiesceret ad quietem suæ partis; & pars est aliud à toto, per tertiam suppositionem; igitur omne quod mouetur, quiesceret ad quietem alterius. Contra istam rationem arguitur primò: quia prima suppositio est falsa, quia anima intellectiua mouetur. Intelligentia, & etiam punctus: quia moto corpore mouentur omnia, quæ sunt in corpore: igitur non omne quod mouetur est diuisibile. Secundò, suppositio secunda est falsa, quia per istam probaretur, quòd nihil mouetur per se primò, quod est falsum, vt patet quinto huius, text. 1. Consequentia probatur: quia omne quod mouetur, quiescit ad quietem alterius, scilicet ad quietem suæ partis; igitur nihil quod mouetur, mouetur à seipso per se, & primò. Tertia, quia ista ratio videtur supponere, quòd cuiuslibet mobilis possibile est aliquam partem quiescere: modò hoc est impossibile de cœlo, secundùm Aristotelem; igitur ratio est insufficiens, quia per impossibile nihil potest probari, eo quòd ad impossibile sequitur quodlibet. Quartò, quia supponitur, quòd omne mobile quiescit ad quietem suæ partis, modò est falsum: quia arbor mouetur agitata per ventum, & tamen pars eius quiescit, scilicet radix. 4.

5. *Triplex modus dicendi aliquid posse moueri à se ipso.*

Quantùm ad secundum, scilicet an aliquid possit moueri à seipso per se, & primò, ita vt omnino

rotaliter

totaliter idem ſit mouens,& mutum.De huc ſunt aliquæ viæ & modi diceudi. Ptimus modus eſt, quòd non omne,quod mouetut,mouetur ab alio. Probatur per ratinnes ante oppoſitum, præcipuè per primam, quæ fuit de motu pruiecti. Et quando ubiicitur eis Atiſtuteles in iſtu 7.Reſpondent, quòd ıpſe intelligit, quòd umne, quod mouetur, moueıur ab alio, vel mutum fuit. Cuutra iſtam viam arguitur per rationem Ariſtorelis factam poſt uppnſitum. Secundò, ſequeretur quòd ad continuandum motum nun requiteı etur purentia, quud eſt contra experientiam. Tertiò, in motu ptuiecti nun poteſt aſſignari, quare tantà velocitate mouetur vnu tempore,& poſtea maiori, vel minuri. Quattò, quia tunc eſſet actiu ſine agente,& motus moti ſine motute, quod eſt falſum,vt patet tertiu huius.

Primus modus reiicitur.

Secundus modus dicendi.

Secunda via eſt, præmittendu, quòd entium naturalium quædam ſunt compuſita ex materia, & fnrma; ſicut mixta, & elemeuta; ſed alia ſunt umnıinu ſimplicia, vt Intelligentia, & intellectus noſter,vel vna quantitas pura ſeparata à prima materia, vel à forma ſubſtautiali; & huc per potentiam diuinam,vel per imagiuationem. Tunc dicunt iſti, quòd nullum ens naturale cumpoſitum ex materia,& forma,puteſt munere ſe ipſum: immò quodlıbet tale mouetur ab aliu, ſcilicet à forma ſui.Secundò,dicunt quòd vna grauitas pura ſi per ſe eſſet ſeparata à ſubiectu, muueretur à ſeipſa,ita vt quædam pars eſſet muuens, & mota. Probatur, quia ſi aliqua talis grauitas puneretur in vacuu,vel in mediu,ſuper quod ubtınetet dominium,non apparet prohibens, quin muueretur deorſum: & confurmiter imaginantur de motu locali Angeli, quòd ipſe eſt mouens, & mutus omnino.

6. Contra iſtam viam obiicitur: quia tunc ſequitur, quòd per nullam viam poſſet probari aliquam ſubſtantiam ſeparatam eſſe. Conſequens eſt falſum,vt patet 8.huius. Cunſequentia probatur: quia ſicut tu ponis, quòd grauitas pura à ſe ipſa moueretur; ita diceretur de cœlo, imaginando, quòd cœlum eſſet vna furma ſimplex inclinata ad motum circularem potens mouere ſe ipſam, quemadmudum tu ponis de grauitate pura. Secundò,grauitas pura ſi eſſet ſeparara à materia, nuu moueretur à ſeipſa. Cunſequentia eſt nuta; & antecedens probatur: quia nulla qualitas virtute prupriâ habet aliquam operationem: immò omnis ſua operatiu eſt principaliter à forma ſubſtantiali in exiſtente materiæ, vt patet ſecundu de Generatione.

Secundus modus refellitur.

Tertius modus dicendi.

Tertia via eſt,quæ punit primò, quòd aliquid mouetur à ſe ipſo. Probatur per aliquas ratiunes ante uppoſitum,vt animal mouetut ex ſe; graue monetur naturaliter à ſe deorſum, & ita de aliis. Secundò ponunt iſti, quòd licèt idem muueat ſe, tameu nou ſecundú idem ſui eſt mouens,& motũ; immò muuet ſecundùm quòd eſt in actu [c],& mouetur ſecundùm quòd eſt in putentia.Et hoc prubatur, quia mutur nun mouet, niſi quia eſt actu ſub diſpoſitiune, ſecundùm quam eſt motus; ſed muuetur quia eſt in potentia ad talem diſpoſitionem,& caret ipſâ;modò impuſſibile eſt,quòd aliquid ſecundùm idem ſui habeat aliquam diſpoſitionem,& careat eâdem.

7. Cuntra iſtam viam arguitur, prohandu quòd ſecundùm idem aliquid eſt mouens, & mutum primò: quia animal muuet ſe per animam, ita vt anima ſit muror, & ſecundùm animam mouetur: quia nun ſolùm curpus muuetur, immò compoſitum ex materia, & forma. Secundò, quia intellectus mouet, & mouetur, & hoc ſecundùm idem ſui: quia eſt indiuiſibilis: modò nullum indiuiſibile poteſt moueri ſecundùm aliud,& ſecundùm aliud mouere.

Tertius modus improbatur.

Ideò,iſtis dimiſſis,ponitur iſta concluſiu: Impuſſibile eſt idem [b] moueri à ſe ipſo ſic, quòd nullu modo ſit aliquud mouens, quod non muuetur, vel aliquud mutum, quod nuu muuet. Iſta conclnſio probatnr inductione, quia in motu cœli, in quo Intelligentia eſt motur, & nun mouetur, & urbis eſt morus, & non muuet. Secundò, in motu grauis, forma grauis, mediante grauitate eſt mutur, & præter moturem concurrit motum, quod nullu modo mouet, ſcilicet materia prima. Item, præter formam grauis, & grauitatem, requiruntur alij motores, ſcilicet generans, aut remuuens prohibens, vt patet 8. huius. Tertiò,patet de intellectu,qui non moueıur, niſi primâ actiune obiecti exteriuris; & primò mutus intellectus à phantaſia. Item,ſi intellectus moueat ſe ad intellectiunem, hoc eſt, mediante ſpecie intelligibili agente in intellectum; & ſic cuncurrit ibi muuens,quod non mnuetur ſecundùm illam actiunem,ſcilicet ſpeciei intelligibilis. Quartò, apparet de voluntate, de qua minùs appatet,quia voluntas nunquam fertur niſi in cognitum;ideò cùm idem ſit intellectus,& voluntas; nunquam Intellectus mouet ſe ad vulendum, vel nolendum, niſi mediante ſpecie intelligibili, vel actu intelligendi;& ſic ad huiuſmodi volitiunem concurrit ſpecies intelligibilis; quæ nullu modo mouetur ſecundùm illam actiunem.

Modus dicendi Scoti, quem benè pondera.

Sed obiicitur de Intelligentia, quandu mouet ſe ipſam localiter; & tamen nihil poteſt ſignari ibi muuens,quod non muuetur,nec motum quod non moueat. Reſpundetur, quòd [c] nulla Intelligentia muuetur niſi aſſumptu aliquu corpore,cui comparatur ſic,quod eſt in tuto illo curpore,& in qualibet parte eius; & ſic Intelligentia eſt mutur, & illud corpus aſſumptum eſt mutum. 3.

Tunc ad ratiunes. Ad primam,dico quòd mouetur ab impetu infuſu,vt patet in 8.text.82.

Ad ſecondam, dico quòd ibi eſt quodammudò motus tractus ptupter continnationem aquæ ad aërem; quia aër, qui vnitur per condeuſationem, eſt maior aqua per modum tractus. Aliter dicitur, quòd frigiditas aquæ eſt cauſa illius motus, ſed huc eſt per accidens in quantum condenſat aërem.

Ad tertiam, dico quòd animal mouetur à motute diſtinctu, ſcilicet ab anima, ſed dicitur moueri à ſe eo quòd habet in ſe principium iuchoatiuum ſui mutus.

Ad quartam,dictum eſt.

Ad quintam,dico quòd aqua calefacta teducitur ad frigiditatem à ſe ipſa, & in illu mutu eſt mutum, quud nullu mudo mouet: & hoc ſufficit in propoſitu. Et ſi quæratur, quid mouet; dicitur quòd forma aquæ, mediante quâdam frigiditate virtuali, quæ non corrumpitur maneute furmâ aquæ.

Ad ſextam,de voluntate,dicitur quòd ibi concurrit ſpecies intelligibilis, vel actus intelligendi actiuè, & nullu modu paſſiuè, ſecundùm illam actiunem.

Ad ſeptimam, anima intellectiua mouetur. Dico quòd ille mutus pruuenit ex defectu conſeruantis,eo quòd anima non aduertit; & ſic di- 4.

ceretur, quòd anima esset causa illius alterationis, quemadmodum dicitur 2. huius, tex. 30. quòd nauta est causa submersionis nauis.

Ad octauam, dico quòd ille motus prouenit propter defectum conseruantis, vt priùs. Eodem modo diceretur ad aliam de impressione manente in sensu post impressionem viarum fortiter illuminato. Ad aliam de rarefactione, & condensatione, dicitur sicut ad illam de aqua calefacta.

Ad rationes contra rationem Aristotelis.

Ad primam de anima intellectiua. Dico quòd Aristoteles loquitur ibi de mobili, quod mouetur motu locali circumscriptiuè, & non ad motum alterius; quia de tali mobili potest sustineri ratio Aristotelis esse bona.

Ad secundam, dico quòd illa non est falsa ad istum sensum, quòd illud quod inest alicui per se, & primò, non remouetur ab illo, dato quòd remoueatur à quocumque alio, quod nó est ipsum, vel pars ipsius, vel aliquid, quod est de ratione ipsius: modò de ratione mobilis est quòd moueatur: sed non de ratione motoris. Ideò posito, quòd mouere insit motori per se, & primò, dato quòd remoueatur à parte ipsius, non oportet quod remoueatur à toto motore.

5. Ad tertiam, dico quòd licèt hoc non sit possibile de quolibet mobili secundùm potentiam naturalem; attamen, simpliciter loquendo, est possibile, vel, vt dicit Commentator, non repugnat rationi motus, & mobilis.

Ad quartam, dico quòd non oportet, quòd, simpliciter loquendo, quiescat ad quietem partis, sed sufficit Aristoteli quòd non moueatur secundùm quodlibet sui, scilicet per se primò.

ANNOTATIONES.

[a] *Ponenda est ratio Aristotelis.* Nota, quòd ratio Aristotelis supponit duo vltra ea, quæ notat hic Scotus. Primò, supponit aliquid tripliciter moueri, scilicet per accidens; vti illud, quod ad alterius motum mouetur: & per partem, vt quando aliquid dicitur moueri; quia caput eius, vel manus mouetur; & per se primò; & tale est quod secundùm omnes suas partes mouetur. Secundò, supponit quando aliquod mobile quiescit ad quietem alterius, eius motus dependet à tali quiescente. Vnde si mobile *A* moueretur, quiescente *B* parte eius, & *C* altera pars moueretur; tunc totum dependeret in motu à *C* parte eius, secundùm quam moueretur; & tunc non moueretur à se per se primò, sed ratione illius partis, quâ motâ, mouetur; & sic *B* quiescente, totum quiescit; adhuc non à se primò mouetur, quia dependet eius motus à *D* parte eius; ille namque motus dependet ab eo, quo quiescente, & mobile quiescit.

6. His suppositis, sic formetur ratio Aristotelis, omne quod mouetur, vel à principio intrinseco, vel extrinseco mouetur; sed omne tale mouetur ab alio: ergo omne quod mouetur, ab alio mouetur. Maior est nota. Et minor, quo ad secundam partem; quoad priorem verò probatur: omne quod desinit moueri ad quietem alterius rei diuersæ, mouetur ab alio; sed omne quod mouetur ab intrinsecu, desinit moueri ad quietem alterius rei diuersæ: ergo vniuersaliter omne quod mouetur, ab alio mouetur. Maior probatur per oppositum: quod enim à se mouetur, non desinit moueri ad quietem rei diuersæ: ipsum enim est causa sufficiens sui motus, quapropter non desinit moueri alio quouis quiescente: si ergo desinit moueri, quia aliud quiescit; ab alio quippè, & non à se ipso mouebitur. Minor, scilicet quòd id quod mouetur ab intrinseco, desinit moueri ad alterius rei diuersæ quieté, probatur, omne diuisibile in partes, quale est quodlibet mobile Physicum, desinit moueri, si aliqua pars quiescit: ergo desinit moueri ad quieté alterius rei. Probo consequentiam: quia pars diuersa est à toto. Antecedens vltimi discursus probatur; quia si id, quod in partes diuiditur, quiescente altera parte, adhuc moueretur, iam non moueretur per se primò secundùm omnes suas partes. Quando autem Aristoteles dicit, omne quod mouetur, ab alio moueri, & non à se, intelligit de eo, quod per se primò mouetur: tale autem secundùm omnes suas partes mouetur. Quare, si quiescente vnâ parte moueretur, non per se primò moueretur.

Nota secundò, quòd ex hac Aristotelis conclusione, eiúsque ratione, infert Soto 8. Physic. quæst. 3. malè Scotum tenuisse in 2. distinct. 2. quæst. 10. grauia, & leuia à se ipsis moueri: de hac autem re erit nobis sermo prolixus in 8. huius, in annotationibus ad quæst. 6. vbi monstrabimus Scoti sententiam Aristoteli non esse contrariam.

[b] *Impossibile est idem moueri à se ipso, &c.* Nota, quòd hæc conclusio debet sic intelligi: Impossibile est, quòd aliquid moueatur à se ipso per se, & moueat se ipsum per se; nam licèt graue secundùm se totum moueatur, forma tamen est quæ per se mouet, sed non mouetur per se, sed per accidens ad motum totius: adeò quòd forma est, quæ per se mouet, & totum est, quod per se mouetur: at quia ad motum totius mouentur & partes, etiam forma mouetur ad motum totius; atque ita saluatur sufficiens distinctio inter per se mouens, quod ita est mouens per se, quod per se non mouetur; & inter per se motum, quod ita mouetur per se, quòd non mouet. Quomodo autem ratio Aristotelis ostendat dari vnum primum mouens, videbimus in 8. loco suprà relato.

[c] *Nulla Intelligentia mouetur nisi assumpto aliquo corpore.* Nota, quòd hoc dictum Scoti debet intelligi de motu corporeo, siue de motu locali circumscriptiuo correspondente loco dimensionali. Angelus enim potest moueri, vt priùs dictum est in 6. huius; & si hoc est verum, potest moueri à se ipso per se, & primò, quocumque modo sumatur Angelus: non enim habet partes, propter quas hoc impediatur. Et si quæras, quomodo ergo mouens erit simul cum moto? Dico quòd est simul per indistantiam. Sic videlicet, quòd ab eo non distat localiter, vel quod inter mouens proximum, & ipsum nihil sit medium. Vide Scotum in 2. dist. 2. quæst. 9. & 10. 7.

EXPOSITIO TEXTVS.

Quoniam autem 1 omne quod mouetur. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles ostendit, quòd in mouentibus, & motis non est processus in infinitum. Et primò ponit conclusionem. Secundò, probat, ibi: *Si enim non.* Proponit igitur quòd quia ita est, quòd omne quod mouetur, mouetur ab alio, vt patet ex præcedenti capitulo: igitur si illud aliud moueatur, necesse

In mouentibus, & motis corporeis non est processus in infinitum. igitur si illud aliud moueatur, necesse est quòd moueatur ab alio, & illud aliud ab alio, si moueatur; & sic procedendo in mouentibus, & motis non est processus in infinitum, sed est deuenire ad aliquod, quod primò est causa motus.

8. Text. 4. *Si enim 2 non.* Hic probat conclusionem: & primò præmittit suppositiones. Secundò, format rationem. Tertiò obiicit contra rationem. Quartò remouet obiectionem. Et quintò infert conclusionem principalem cum reiectione cuiusdam cauillationis. Secundum ibi, *Accipiatur igitur.* Tertium ibi, *Si igitur videbitur.* Quartum ibi, *Sed si id.* Quintum ibi, *Manifestum est igitur.* Primò præmittit quatuor suppositiones. Prima suppositio est positio aduersarij: quia si in mouentibus & motis sit abire in infinitum: sit igitur quòd *A* moueatur à *B*, & *B* à *C*, & *C* à *B*, & sic in infinitum. Sed contra istam suppositionem arguitur: quia omnis suppositio debet esse vera, vt patet 1. Poster. text. 14. & 77. & inde ex quo suppositio in scientia debet esse principium. Respondetur, quòd non semper oportet suppositionem esse veram, immò quandoque potest supponi aliquod falsum, vt cum ipso affirmetur aliquod verum; & tunc ex illis duobus inferre aliquod falsum, vel impossibile, ex quo infertur falsitas suppositionis, quæ erat positio aduersarij.

Mouēs simul tempore mouet, & mobile mouetur. *Quoniam igitur simul.* Secunda suppositio est, quòd simul tempore mouens mouet, & mobile mouetur: verbi gratiâ, simul mouetur *A* & *B*, mouet *A*, & sic de aliis: & ex ista suppositione sequitur, quòd si in mouentibus, & motis sit processus in infinitum, quòd simul fierent infiniti motus infinitorum mobilium in eodem tempore, in quo fit motus vnius illorum. Notandum, quòd Commentator super istam partem dicit, quòd licèt mouens simul incipiat mouere, & mobile moueri; tamen priùs motor potest desinere mouere, quàm mobile desinere moueri. Et dicit Commentator quòd hoc non percipiens Galenus, posuit, quòd primus motor corporeus in animalibus est caput, siue cerebrum, & non cor: quia dicit se vidisse vnum animal, quod mouebatur extracto corde. Sed dicit Commentator quòd ista ratio non valet, quia licèt animal mouebatur extracto corde, attamen cor priùs mouebat, quàm extraheretur. *Auerroës cōtra Galenum de primo mouente in animalibus.* Item, ratio Galeni, vt dicit Commentator, potest retorqueri contra se ipsum: quia Commentator dicit se vidisse vnum arietem, qui amputato capite ibat per duos passus, quod non esset si primum motum esset in capite. Notandum secundò, quòd si motor desinit mouere, & mobile moueatur, necesse est, quòd si sit aliquis alius motor, quòd moueat, & si sit, tunc motor, & mobile non ordinantur essentialiter: modò Aristoteles intelligit de mouentibus, & motis essentialiter ordinatis.

9. *Et accipere igitur vnumquodque.* Tertia suppositio, quòd si sint infinita mouentia, & mobilia, quorum vnum mouetur ab alio, & sic in infinitum; tunc contingit accipere motum vnius istorum mobilium; & ille motus est finitus; quia factus in tempore finito, & supra spatium finitum.

Quoniam quod mouetur. Quarta suppositio, quòd omne quod mouetur, mouetur ab aliquo termino in aliquem terminum: & præmittit secun-
Text. 5. dò, 2 quòd motus dicitur idem specie vel genere. Et tertiò præmittit, vnde motus dicatur idem numero, & vnde idem genere: & hoc totum dictum fuit in quinto.

Accipiatur 3 igitur motus. Hic format rationem: Text. 6.
quia si in mouentibus, & motis essentialiter ordinatis esset processus in infinitum; tunc sequeretur, quòd in tempore finito fieret motus infinitus; consequens est impossibile, vt probatum est in 6. text 64. Consequentia probatur; quia motus omnium illorum mouentium, & mobilium fiunt in eodem tempore, in quo fit motus vnius ipsorum: & ille fit in tempore finito per tertiam suppositionem: igitur motus aggregatus ex motibus omnium illorum mobilium fit in tempore finito: & ille est infinitus, quia est infinitorum mobilium; ergo, &c.

Sic 4 igitur videbitur. Obiicit contra rationem, Text. 7.
quia in 6. huius probatum est, quòd nullus vnus motus infinitus fit in tempore finito: modò hic non ducitur ad aliquod inconueniens, sed ad hoc quòd motus infiniti diuersorum mobilium fiunt in eodem tempore; & hoc non est inconueniens.

Sed 5 si id. Soluit obiectionem, supponendo Text. 8.
quòd omne mouens debeat esse simul cum moto: & ideò si vnum mobile moueat aliud, oportet quòd nulla tangant se: & hæc suppositio probabitur in capitulo sequenti. & isto supposito, dicit Aristoteles quòd non est cora, siue ille motus sit vnius mobilis infiniti, siue infinitorum mobilium se inuicem tangentium; quia si ex omnibus illis mobilibus fieret vnum, illud esset infinitum.

Manifestum 6 est igitur. Hic infert conclusio- 10.
nem probatam, scilicet quòd in mouentibus, & Text. 9.
motis non est abire in infinitum, sed est deuenire ad aliquod, quod primò est causa motus. Et tunc remouet cauillationem, quia aliquis diceret, quòd istud impossibile, scilicet quòd in tempore finito fiat motus infinitus, non sequeretur propter impossibilitatem istius conclusionis, *In mouentibus, & motis est processus in infinitum*; sed propter falsitatem casus positi, scilicet quòd ex omnibus illis mouētibus & mobilibus fiat vnum mobile. Respondet Aristoteles quòd non, quia licèt casus suppositus sit falsus, attamen est possibilis: modò propter possibile nunquam sequitur impossibile: & ideò illud impossibile sequebatur propter positionem aduersarij impossibilem. Sed contra Aristotelem, quia secundùm Aristotelem non est possibile, quòd omnia corpora se tangentia ad inuicem continuentur. Respondet Commentator quòd hoc non repugnat corporibus, quātum est ex ratione generali motuum, vel mobilium; benè tamen repugnat quantùm est ex ratione speciali huius corporis, vel illius.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in montibus, & motis sit processus in infinitum?

Arist *hic text.* 3. *&* 2. *Met. text.* 6. Auerroës, Themist & alij interpretes *ibid.* Albert. *tract.* 1. *cap.* 2. D. Thom. *lect* 1. Mayron 7. *Physic. partit.* 1. Conimbr. & Ruuius *in exposit. cap.* 1. Roccus *in paraphrasi summa* 1. *cap. vnica.*

1. ARGVITVR quòd sic; quia nisi ita esset, sequeretur quòd generatio non esset perpetua; consequens est falsum, vt patet 2. de Generat. text. 56. & inde. Consequentia probatur; quia dato aliquo genito; vel

illud generabatur ab alio,& illud ab alio,& sic in infinitum; vel est deuenire ad aliquod, quod ab alio non generabatur. Si primo modo, habetur propositum: si secundo modo, habetur consequens.

Secundò, aliquod cootinuum mouetur: igitur in mouentibus,& motis est processus in infinitum. Probatur consequentia,quia secunda pars proportionalis mouet tertiam,& mouetur à prima,& tertia mouet quartam,& mouetur à secunda; & sic in infinitum: igitur in mouentibus, & motis est processus in iofinitum.

Tertiò, si primum mouens,& vltimum motum in infinitum distent, in mouentibus & motis est processus in infinitum; sed sic est: ergo,&c. Minor probatur, quia primum mouens est iofinitum,& perpetuum; sed vltimum motum est finitum, & corruptibile: modò in infinitum distat perpetuum à corruptibili, & infinitum à finito: ergo,&c.

Quartò, sequeretur quòd non quilibet excessus sufficeret ad motom: consequens est falsum, vt patebit postea. Consequentia probatur, quia si manus impellat aërem, illa pars dominabitur super vnam partem aëris: igitur illam mouebit, & illa dominabitur super alia: igitur illam monebit,& sic in infinitum: qund non esset, nisi in mouentibus,& motis procederetur in infinitum.

Quintò, arguitur per Aristotelem 2. huius, text. 50. vbi dicit, quòd in causis per accidens est processus in infinitum, scilicet tam efficientibus quàm in finibus: sed cùm efficiens, & finis moueant, sequitur quòd in mouentibus est processus in infinitum.

2. Sextò, sequeretur quòd non omne motum moueretur ab alio: consequens est falsum, vt patet in principio huius septimi, text. 1. Consequeotia probatur; quia dato aliquo moto, vel ipsum monetur ab alio,& illud ab alio, & sic in infinitum: vel est deuenire ad vnum, quod non mouetur ab alio;& habetur consequens.

Mouentia sunt in duplici differentia.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto septimo, cap. 2. text. 5. Notandum, quòd quædam sunt mouentia corporea, & alia incorporea: & de vtrisque potest imaginari, quòd sit processus in infinitum: tamen Aristoteles in proposito intellexit de mouentibus corporeis, quia talia simul sunt mouentia & mota.

Mouentia quadam sunt essentialiter, quadam accidentaliter subordinata.

Secundò, notandum quòd quædam sunt mouentia [a] essentialiter ordinata; & quædam accidentaliter solùm. Illa dicuntur essentialiter ordinata, quorum posterius non moueret, nisi priori mouente: sed illa dicuntur accidentaliter ordinata, quorum posterius non mouet, nisi prius aliàs mouit: sed non oportet, quòd simul moueant, & sic tu, pater tuus,& pater illius dicuntur accidentaliter ordinati: modò de causis efficientibus essentialiter ordinatis intelligit Aristoteles secundo Metaph. text. 6.& etiam in proposito: quia in accidentaliter ordinatis benè est processus in infinitum, vt arguit prima ratio ante oppositum.

In mouentibus, & motis essentialiter ordinatis non est processus in infinitum.

3. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est ista: In mouentibus, siue efficientibus essentialiter ordinatis non est processus in infinitum. Probatur, quia si in mouentibus, & motis essentialiter ordinatis esset processus in infinitum, sequeretur quòd nullum esset mouens; consequens implicat, scilicet quòd infinita sint mouentia,& quòd nullum sit mouens. Consequentia probatur; quia in infinitis [b] non est aliquod primum: modò in essentialiter ordinatis, primo (scilicet illo, quod primò mouens est) non mouente, etiam alia non mouebunt: igitur cùm nullum sit primum, sequitur quòd nullum sit mouens. Secundò, quia si in causis efficientibus procederetur in infinitum, tunc sequeretur quòd impossibile esset producere aliquem effectum, nisi ille effectus sit infinitus; consequens est impossibile. Consequentia probatur; quia quælibet illarum infinitarum causarum aliquid facit ad productionem effectus: igitur cùm illæ causæ sint infinitæ, & à qualibet aliquid producatur, sequitur quòd totum productum esset infinitum.

In mouentibus, & motis corporeis non est processus in infinitum.

Secunda conclusio magis specialis est ista: In mouentibus & motis corporeis oon est processus in infinitum: & istam conclusionem probat Aristoteles in isto septimo, supponendo aliqua. Primò, quòd in tempore fioito non potest fieri motus infioitus, vt patet ex 6. huios. Secundò supponitur, quòd infinitorum mobilium ad inuicem coniunctorum motus est infinitus: & hoc est verum, supponendo quòd quodlibet illorum sit maius, vel æquale alicui tertio dato. Tertiò, supponitur quòd motus infinitorum mobilium fieret in eodem tempore, in quo fieret motus vnius illorum. Consequentia probatur, quia si in mouentibus, & motis fieret processus in infinitum; tunc cùm aggregati ex omnibus illis mouentibus, & motis, motus sit infinitus, per secundam suppositionem, & fit in eodem tempore, in quo fieret vnus illorum, per tertiam, sed quilibet illorum fieret tempore finito, quod est contra primum suppositum.

Tertia conclusio: In mouentibus & motis localiter non est circulatio. Probatur, quia tunc sequeretur quòd à proportione minoris æqualitatis fieret motus; & proueniret actio, quod est impossibile: quia in omni motu mouens est plus potens ad mouendum, quàm mobile ad resistendum. Consequentia probatur; quia si *A* moueat *B*, oportet quòd sit potentius quàm *B*: iterum, si *B* moueat *C*, oportet quòd *C* sit minùs potens quàm *B*: igitur si è conuerso *C* moueat *A*, sequitur consequens, quòd scilicet minùs potens mouebit potentius. 4.

Contra secundam conclusionem, & eius probationem arguitur primò: quia per illam deductionem non sequitur, quòd motus infinitus fieret in tempore finito: sed quòd motus infiniti fierent in tempore finito: modò hoc est possibile, vt quòd Socrates moueat se ipsum, Plato se ipsum,& sic de infinitis, ex quo nullus eorum impedit reliquum.

Secundò, ad motum magni mobilis non sequitur maius tempus quam ad motum parui: igitur si mobile augmentaretur in infioitum, non requireretur maius tempus ad motum eius: quàm nunc de facto, quando erat paruum. Tertiò, supposito quòd ex illis infinitis fieret vnum, non sequitur quòd esset motus infinitus; quia illud non moueretur: cùm omnis motus fiat respectu alicuius quiescentis; & tamen si ex omnibus mobilibus fieret vnum mobile, iam non esset aliquod quiescens. Quartò, quia supra 6. concessum fuit consequens, ad quod deducitur, scilicet quòd motus infinitus fiat in tempore finito; & ideò propter hoc non est inconueniens concedere, quòd in mouentibus & motis sit processus in infinitum. Quintò, supposito quòd vnum corpus moueat reliquum,

reliquum, noo ſequitur quòd corpus mooens moueatur:ideò,dato quòd eſſent infinita mouentia, & mobilia, ex hoc oon ſequitur qoòd aggregatum ex ipſis eſſet vnum mobile motum. Conſequentia nota eſt; & probatur antecedens,quia *A* poteſt mouere continuè *B*,tangendo ipſum,ſine hoc quod *A* moueatur, vt ſi vnum corpus moueatur circulatiter circa reliquum. Sextò, quia non ſequitur, ſi ex infinitis corporibus fiat vnum corpus, quòd illud corpus ſit infinitum; & per conſeqnens non ſequitur quòd motns eius ſit infinitus. Antecedens probatur, quia ſi *A* ſit pedale, capiatur eius medietas, deiode illi medietati addatur alia medietas medietatis, & ſic in infinitum; tunc totum reſultans oon eſſet niſi pedale, & tamen aggregatnm ex iofinitis corporibus.

5. Ad iſta. Ad primum, dico quòd immò,quia ex quo illa mouentia,& mobilia ſunt corpora,oportet quòd ſint ad inuicem contigua; & ſic ex ipſis omnibus eſt vnum corpus, ſaltem per aggregationem; & per conſequens vnus motus. Et hoe pateret manifeſtè, ſuppoſito quòd illa corpora eſſent vnum cootinoum, quòd ille motus eſſet infinitus: quia eſſet mobllis infioiti.

Ad ſecundum,quia ad motum magni mobilis, &c.Concedo: igitur ſi mobile augmentetur,&c. Cuncedo conſequens: dum tamen motor proportionaliter augmentetur, ita vt continuè maneat eadem proportio: ſed ex boc noo ſequitur, qoin prædicto caſu poſito, motus infinitus fieret in tempore finito:& non dicitur infinitus: quia in tempore infinito, ſed quia mobilis infiniti.

Ad tertium, dico quòd immò benè ſequitur. Et quando dicitur, oporteret eſſe aliquod quieſcens. Dico, quòd non, quia vt patuit ſupra 3. ad boc qoòd aliquid moueatur localiter, non oportet quòd ſit quieſcens reſpectu cuius aliter ſe habeat; ſed ſufficit quòd aliter ſe haberet ad aliquod quieſeens, ſi aliquod quieſcens eſſet.

Ad quartum,quando dicitur quòd cooſequens fuit conceſſum. Reſpondetur quòd conſequens concedebatur tanquam poſſibile per potentiam ſupernaturalem; & tamen non eſt poſſibile naturaliter: ita poteſt concedi in propoſito, quòd virtute agentis naturalis non eſt poſſibile, quòd in mouentibus & motis ſit proceſſus in infinitum:attamen hoc benè eſt poſſibile virtute agentis infiniti: quia Deus poteſt creare infinita mouentia, & mobilia, quorum quodlibet eſſentialiter dependeret, ſicuti iſta inferiora dependent à ſoperioribus.

Hoc eſt verum, ſumendo infinitum ſyncategorematicè, id eſt non tot quin plura.

6. Ad quintum,dico quòd non eſt poſſiblle,quòd vnum corpus moueat reliquum coniunctum ſibi motu locali, quin ipſum moueatur;& datò quòd non moueatur, non obſtaret in propoſito, quia nos loqoimur de infioitis, quorum quodlibet eſſet mouens,& motum.

Ad ſextum, dico quòd immò benè ſequitur: quia non poſſunt eſſe infinita huiuſmodi mouentia, & mota, exiſtentia ſeorſum,& à ſe inuicem ſeparata, cuiuſmodi non ſunt partes continui.

Ad rationes principales. Ad primam,negatur cunſequentia. Ad probationem tu arguis de accidentaliter ordinatis, de quibus eſt conceſſum.

Ad ſecundam, negatur maior: quia in propoſito ſolùm loquimur de mouentibus, & motis totalibus, quæ ſunt ſeorſum ſeparata; & oon de illis, quæ ſunt partes inexiſtentes toti. Item, poſito quòd cootinuum alteretur ſucceſſiuè, non quælibet pars eſt mouens,& mota;nec dependent ab inuicem eſſentiali ordine, ſed vna pars mouens, & alia mota.

Ad tertiam,negatur minor. Ad probationem, dico quòd ibi non eſt diſtantia niſi ſimilitudinariè, quod in propoſito ſolùm valeret ratio de diſtantia locali.

Ad quartam,negatur conſequentia. Ad probationem, dico quòd ibi fit motus aëris vſque ad aliquam certam diſtantiam. Et quando dicitur, quòd ille aër habet dominium alterius. Dico quòd nun; quia motus vadit continuè remittendo vſque ad non gradum.

Ad quintam, dico quòd Ariſtoteles intelligit de cauſis accidentaliter ordinatis, de quibus non eſt ad propoſitum.

Ad ſextam, oegatur conſequentia. Ad probationem, dico quòd eſt deuenire ad aliquod, ad quod eſt ſtatus, ſcilicet ad primum motorem, qui mouet, & non mouetur.

ANNOTATIONES.

[a] QVadam ſunt mouentia eſſentialiter ordinata. 7.
Nota, quòd Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 2. ponit aliquas differentias inter cauſas eſſentialiter, & accidentaliter ordinatas; quarum vna eſt, quòd in cauſis per ſe ordinatis, cauſa ſecunda in quantum cauſat, dependet à prima. At quia omne ens citra primum, ſicut à primo dependet in agendo, ita etiam in eſſendo: ideò Antonius And. 2.Metaph. quæſt.4. dixit, quòd in cauſis eſſentialiter ordinatis, ſecunda in quantum cauſat, dependet à prima; etſi quælibet quoad *eſſe* non dependeat. Nam cauſæ eſſentialiter ordinatæ ſunt in duplici ordine: nam quædam ſunt ſic eſſentialiter ordinatæ, quòd inferior dependet à ſuperiori in *eſſe*, in agendo & in cauſando, vel in genere cauſæ finalis, vel efficientis: quædam verò ſunt, quarum inferior non accipit *eſſe* à ſuperiori, licèt ab ea in cauſando dependeat; atque ita ſe habent pater, & mater reſpectu prolis: nam vna iſtarum cauſarum (ponendo actiuitatem in matre reſpectu productionis prolis) ab altera in cauſando dependet, & tamen vna non recipit *eſſe* ab alia: at quia cauſalitas matris non poteſt ſe ſolâ attingere effectum, eſto quòd ſua virtus in infinitum augeretur, ideò dependet eſſentialiter à cauſalitate patris, id quod non contingit in accidentaliter ordinatis; vt ſi ſint duo trahentes nauim, ſunt iſtæ cauſæ accidentaliter ordinatæ, quia poteſt virtus vnius in tantum intendi, quòd alius ſuperflueret. Et quamuis virtus actiua, quæ immediatè inſequitur formam in patre, & in matre, ſint eiuſdem rationis: tamen ab iſtis propter diuerſam complexionem ſeminum proueniunt virtutes alterius rationis; atque ita dicuntur eſſentialiter ordinatæ. Quædam etiam cauſæ dicuntur eſſentialiter ordinatæ: quia vna recipit influxum ab alia, ſicut motio pilæ, quæ fit à manu, mediante baculo, iſta motio cauſatur à manu, & à baculo, tanquam à cauſis eſſentialiter ordinatis; nam in hac motione baculus recipit influxum mouendi à manu, & ab ea quoad iſtam motionem eſſentialiter dependet. Et ſic fortè eſt de duobus motoribus mouentibus primum mobile, vt habetur 12.Metaph.com.41. nimirum de motore coniuncto, & motore ſeparato. Nam negat Commentator quòd motor ſeparatus immediatè attingat primum mobile, quia cùm ipſe ſit potentiæ

Cauſa eſſentialiter ordinata ſunt in duplici ordine.

infinitæ, moueret in non tempore: ſed motor ſeparatus mouet mediante motore coniuncto, qui, cùm ſit virtutis finitæ, cauſat motum temporalem, ex quo ex reſiſtentia non cauſatur ibi ſucceſſio in motu.

8. b *Quia in infinitis non eſt aliquod primum.* Nota, quòd Ariſtoteles 2. Metaph. text. 6. vbi probat ſtatum in cauſis eſſentialiter ordinatis, facit hanc rationem: Si cauſæ efficientes eſſent infinitæ, nulla eſſet cauſa efficiens: & ad probationem conſequentiæ præſupponit, quòd quando aliqua ſic ſe habent, quòd vnum eſt primum, aliud medium, & tertium vltimum; illud quod eſt primum, eſt cauſa aliorum: vltimum autem non poteſt eſſe cauſa, & medium non poteſt eſſe cauſa niſi vltimi; & dicit nihil referre, ſiue vnum ſit medium, ſiue plura: quia ſi ſint plura, illa accipiuntur pro vno. Nec etiam refert ſi illa media ſint finita, vel infinita: & cùm medium dicatur illud, quod habet aliquid ante ſe, & aliquid poſt ſe; concludit quòd ſi cauſæ efficientes eſſent infinitæ, omnes eſſent mediæ, & æqualiter mediæ, ex quo non eſſet maior acceſſus ad terminos ab vna parte, quàm ab alia; cùm infinitum terminis careat. Et tandem concludit, quòd ſi in cauſis procedatur in infinitum, nulla erit cauſa, quia amotâ primâ cauſâ, omnes aliæ remouentur, quæ ratio eſt ferè ea, quam hîc adducit Scotus.

9. Sed videtur, quòd hæc ratio non concludat: nam vis rationis in hoc conſiſtit; ſi datur proceſſus in infinitum in eſſentialiter ordinatis, omnes cauſæ ſunt mediæ; ſed omnes cauſæ mediæ habent cauſalitatem ab aliqua vna, & iſta non eſt aliquid iſtius ordinis, quia tunc idem eſſet cauſa ſui ipſius: ergo eſt altera: ergo prior; quia tota iſta vniuerſitas cauſarum dependet ab iſta: quia prius eſt primo propinquius. Nam arguam & ego ſimiliter in accidentaliter ordinatis. Si datur proceſſus in infinitum: ergo omnes cauſæ ſunt mediæ; ſed tota cauſalitas eſt ab aliqua vna cauſa, quæ non eſt aliqua iſtarum: ergo ſequitur quòd dabitur primum, à quo iſtæ dependent: & cùm prius dicatur primo propinquius; ergo dabitur aliquod primum. Reſpondeo, & dico quòd ratio concludit de eſſentialiter ordinatis, & non de accidentaliter ordinatis: quia in eſſentialiter ordinatis cuiuſlibet cauſæ mediæ cauſalitas eſt ab alia vna cauſa dependenter, quia non poteſt cauſa eſſentialiter ordinata cauſare, niſi per dependentiam ad aliquid prius. Cauſalitas autem accidentaliter ordinatorum non ſic dependet: quia non cauſat in virtute alterius; ergo cùm cauſalitas eſſentialiter ordinata ſit ab aliqua vna cauſa, oportet deuenire ad primam; quia aliter non eſſet eſſentialiter ordinata. Et ſi dicas, iſta eſt prior, & prius eſt primo propinquius: ergo datur primum. Iſta conſequentia non valet: quia in tempore datur prius, & poſterius, & tamen non datur primum.

10. Dico quòd in tempore partes ſunt accidentaliter ordinatæ, nec habent prioritatem, nec poſterioritatem eſſentialem; vt dicit Ariſtoteles 5. Metaph. text. 16. ſed ſolùm in ordine ad aliquod primum ſignatum ab anima noſtra; ſed in cauſis eſſentialiter ordinatis datur aliquod prius: ergo datur aliquod primum, quod eſt eſſentialiter primum, & neceſſariò, & ex natura rei: & non ſignatum ab anima. Item, videtur quòd hæc ratio Scoti, vel Ariſtotelis petat principium, quia primò ponit infinitatem in mouentibus, & motis, ſiue in cauſis: & poſtmodum ponit eas eſſe medias: modò medium eſt illud, quod eſt inter primum, & vltimum; ergo petitur eſſe medium. Reſpondetur quòd ratio aſſumit medium non poſitiuè, ſed priuatiuè, per abnegationem vtriuſque extremi. Item, hæc ratio Scoti: ſi non eſſet vnum primum mouens, nullum eſſet mouens, non valet: quia committitur fallacia figuræ dictionis, commutando ſingulare in plurale. Reſpondeo, & dico quòd iſta conſequentia non valet, *Qualibet cauſa eſt cauſata, vel quodlibet mouens eſt motum: ergo omnes cauſæ ſunt cauſatæ ab illa.* Dico, quòd non valet de forma, ſicut non valet iſta, *Vniuerſitas cauſarum non eſt cauſata; ergo nulla.* Tamen dico, quòd iſta conſequentia valet, *Vniuerſitas cauſarum eſſentialiter ordinatarum eſt cauſata ab aliqua vna cauſa: ergo nulla eſt cauſa.* Probo, quia ſi eſt vniuerſitas cauſarum eſſentialiter ordinatarum, quælibet cauſa cauſat in virtute alterius: ergo cauſa tandem iſtis eſſentialiter prior, dabitur prior iſtis: ergo cùm non ſint ab vna, nulla cauſat in virtute alterius; atque ita nulla eſt cauſa eſſentialiter ordinata.

EXPOSITIO TEXTVS.

Primum 1 autem mouens. Hoc eſt tertium capitulũ huius tractatus; in quo Ariſtoteles oſtendit, quòd omne mouens eſt ſimul cum moto: & primò præmittit concluſionem. Secundò probat, ibi: *Quoniam autem.* Pro prima parte ſciendum, quòd duplex eſt mouens: quoddam in genere cauſæ finalis, vt ſanitas mouet ambulantem ad campum propter ſanitatem: aliud eſt mouens in genere cauſæ efficientis; vt proiiciens lapidem eſt mouens lapidem. Secundò eſt notandum, quòd mouentium in genere cauſæ efficientis quoddam eſt primum, id eſt, immediatum: & aliud eſt non primum, ſicut ſi tu moueas lapidem mediante baculo; tunc tu es mouens mediatum, & baculus immediatum. Tunc ponit iſtam concluſionẽ: omne mouens primum eſt ſimul cum moto: & dicitur eſſe mouens primum ex eo quòd inter ipſum, & motum non eſt alius motor intermedius. 11. Text. 10.

Mouens aliud in genere cauſæ finalis, aliud in genere cauſæ efficientis.

Mouens primò eſt ſimul cum moto.

Quoniam autem tres ſunt motus. Hîc probat concluſionem 1 & primò præmittit quot ſunt ſpecies motus; quia ſecundùm quamlibet ſpeciem motus concluſio eſt probanda. Secundò, oſtendit in quibus concluſio non eſt dubia. Et tertiò probat eam in iis, in quibus eſt dubia. Secundum ibi: *Primum igitur.* Tertium ibi, *Quod autem ab alio.* Præmittit igitur quòd tres ſunt ſpecies motus, ſcilicet motus ſecundùm qualitatem, motus localis, & motus ſecundùm quantitatem.

Primum igitur de loci mutatione. Hîc oſtendit in quibus concluſio non eſt dubia, dicens, quòd in illis, quæ mouentur à ſe ipſis, id eſt, à principio intrinſeco, concluſio non eſt dubia, ſed benè eſt dubia in iis, quæ mouentur à principio extrinſeco.

Quod autem ab alio mouetur. Hîc probat concluſionem in his, in quibus eſt dubia: & primò de motu locali. Secundò de motu alterationis: & tertiò de motu augmentationis, & diminutionis. Secundum ibi, *At verò.* Tertium ibi, *Similiter & in animatis.* Item, primò enumerat ſpecies motus localis, quæ fiunt à principio extrinſeco, 12.

localis, quæ fiunt à principio extrinſeco. Secundò, reducit omnes illas ſpecies ad duas. Et tertiò, probat concluſionem principalem in quali-ber illarum ſpecierum. Secunda ibi: *Pulſionum igitur.* Tertia ibi: *Manifeſtum igitur.* Primò, dicit, quòd quatuor ſunt [a] ſpecies motuum localium, quæ fiunt à principio extrinſeco, ſcilicet pulſus, tractus, vectio, & vertigo.

Species motus localis ſunt quatuor.

Pulſionum igitur. Hic reducit omnes iſtas ſpecies ad duas, ſcilicet ad pulſum, & ad tractum: & ponit iſtam concluſionem ſecundam: omnis motus localis factus à principio extrinſeco eſt pulſus, vel tractus. Et primò determinat quid ſit pulſus. Secundò, de vectione. Tertiò, de tractu. Et quartò, de vertigine. Secunda ibi: *Vectio autem.* Tertia ibi: *Tractio autem eſt.* Quarta ibi: *Vertigo autem.* Primò, dicit quòd pulſionis duæ ſunt ſpecies, quædam eſt impulſio; & alia expulſio. Impulſio eſt, quando mouens non deficit mobili; ſed ſimul mouetur cum eo: ſed dicitur expulſio; quia expellens deficit, nec ſimul mouetur cum expulſo.

Omnis motus localis eſt pulſus, vel tractus.

14. *Vectio autem.* Hic declarat de vectione, dicens, quòd vectio reducitur ad alias tres ſpecies motus: nam omne quod vehitur, mouetur per accidens, ſcilicet vel quia defertur ſuper mobile, quod mouetur aliquo illorum trium motuum, vel quia eſt in ipſo: & ideò omne quod vehitur, aut eſt pulſu, vel tractu, vel vertigine ductum.

Vectio quid ſit.

Tractio autem. Declarat quid eſt tractio, dicens, quòd tractio eſt motus alicuius ad trahens, vel ad aliquod propinquum ſibi, & fit per colligationem trahentis ad tractum, quando ſcilicet impetus trahentis fortior eſt reſiſtentiâ tracti; & ſic patet quid ſit tractio. Et tunc Ariſtoteles reducit quoſdam motus ad pulſum, & tractum. Vnde inſpiratio reducitur ad tractum, & expiratio ad pulſum; & ita vniuerſaliter omnis receptio nutrimenti reducitur ad tractum, & omnis expulſio ſuperfluitatis reducitur ad pulſum. Poſtea dicit, quòd *σπάθησιν*, & *κέρκισιν* reducuntur ad tractum, & pulſum. Et exponit Commentator quòd *σπάθησιν* eſt percuſſio cum gladio facta, & *κέρκισις* eſt opus textoris, quod fit per manus, & per pedes ſimul tractum, & pulſum, & ad tractum reducitur congregatio, & ad pulſum diſgregatio, & ſic cùm omnis motus localis factus à principio extrinſeco videatur eſſe congregatio, vel diſgregatio, ſequitur quòd omnis motus localis factus à principio extrinſeco eſt tractus, vel pulſus.

Tractio quid ſit.

Inſpiratio eſt tractus, & expiratio eſt pulſus.

Congregatio eſt tractus, diſgregatio pulſus.

Vertigo autem. Hic declarat de vertigine, dicens, quòd reducitur ad tractum, & ad pulſum; ita vt componatur ex tractu, & ex pulſu: vt, verbi gratiâ, vertigo, ſiue verſio fabæ componitur ex tractu, & ex pulſu; quia inuertendo ipſam, vna pars trahitur, & alia expellitur. Ex quibus ſequitur ſecunda concluſio, quòd omnis motus localis factus à principio extrinſeco, eſt pulſus, vel tractus.

Vertigo quid ſit, & ad quẽ motum reducatur.

15. *Manifeſtum igitur.* Hic probat concluſionem principaliter intentam, quantùm ad motum localem: & probat quòd omnis motus localis factus à [b] principio extrinſeco eſt à motore ſimul exiſtente cum moto. Probatur, quia in omni tractu, vel pulſu mouens eſt ſimul cum moto; ſed omnis motus localis factus à principio extrinſeco eſt tractus, vel pulſus: ergo, &c. Maior patet per definitiones tractus, & pulſus: quia tractus fit per hoc, quòd trahens ſimul colligatur cum tracto. Similiter pulſus, vel eſt impulſio, vel expulſio: ſi eſt impulſio, tunc mouens eſt ſimul cum moto, quia impellens ſequitur impulſum, & ſimul mouetur cum eo: ſi ſit expulſio, tunc in principio mouens fuit ſimul cum moto. Secundò, probatur concluſio; quia in omni motu congregationis, & diſgregationis, mouens eſt ſimul cum moto; ſed omnis motus localis à principio extrinſeco factus eſt congregatio, vel diſgregatio, vt dictum fuit: ergo, &c. Et vocat Ariſtoteles congregationem *σύνωσιν*, & diſgregationem *διάκρισιν*. Tertiò, ſi in aliquo motu facto à principio extrinſeco mouens non eſſet ſimul cum moto, hoc maximè eſſet in motu proiectorum; ſed in motu proiectorum mouens eſt ſimul cum moto: ergo, &c. Minor probatur, quia proiectum mouetur à medio; & ideò tamdiu mouetur proiectum, quamdiu impetus medij eſt fortior, quàm inclinatio grauis ad deorſum.

In motu locali mouens, & motũ ſunt ſimul.

At verò 2 neque inter. Hic probat concluſionem in motu alterationis. Et primò, inducendo in alterationibus, ſiue in qualitatibus ſecundùm quas eſt alteratio. Et ſecundò, in corporibus, quæ alterantur. Secunda ibi: *Calefacta enim.* Primò inducit ſic; quia omnis [c] qualitas, ſecundùm quam eſt alteratio, eſt qualitas ſenſibilis de tertia ſpecie Qualitatis; vt grauitas, leuitas, ſapor, calor, & huiuſmodi; ſed nullam iſtarum qualitatum videmus agere in remotum, quin priùs agat in propinquum. Et dico priùs vel ſecundùm naturam, vel tempore: quia forte luminoſum non priùs tempore alterat propinquum, quàm remotum, ſed priùs natura ſolùm. Text. 11.

Calefacta 3 enim. Hic inducit in corporibus, quæ alterantur. Vnde corporum, quæ alterantur, quædam ſunt animata, quædam inanimata: & animatorum quædam ſunt partes animatæ, & quædam inanimatæ; vt vngues, & pili; modò corpora inanimata, & eorum partes; & etiam partes inanimatæ animatorum alterantur, ſed non ſecundùm ſenſum, ſed partes animatæ alterantur ſecundùm ſenſum, vt viſus alteratur à colore, auditus à ſono, & ita de aliis. Item, partes animatæ, quædam non alterantur ſecundùm ſenſum, vt partes plantarum, & etiam partes animalium: aliquando propter nimiam indurationem neruorum, aliquando propter mollitiem nimiam, & aliquando propter pinguedinem, vel macrorem membrorum: modò inter omnia iſta alterantia, maximè alterans non apparet eſſe cum alterato in iis, quæ alterantur ſecundùm ſenſum, & tamen alterationes, quæ fiunt ſecundùm ſenſum, fiunt ab alterante immediato: nam color eſt coniunctus medio; & mouet medium, imprimendo ſuam ſpeciem, & medium motum mouet organum, cui medium eſt coniunctum; & per conſequens, cùm in illis alterationibus, de quibus minùs apparet, mouens eſt ſimul cum moto, ſequitur quòd in omni alteratione, mouens eſt ſimul cum moto. 16. Text. 12.

Et id quod 4 augetur etiam. Hic probat, quòd in omni augmentatione, & diminutione mouens eſt ſimul cum moto. Probatur, quia omnis augmentatio fit adueniente aliquo, ſcilicet nutrimento; ſed omne aduenìens alicui, mediante quo ipſum fit maius, eſt ſimul cum illo: ergo, &c. Nota, quòd illud aduenìens in augmentatione, ſcilicet nutrimentum, non eſt augmentans, ſed eſt id, in quo fit augmentatio: ſed ipſa anima eſt augmentans, & de illa non eſt dubium, quin ſit ſimul cum moto. Text. 13.

Manifestum est igitur. Hic recolligit suam conclusionem, scilicet quòd inter mouens vltimum, & motum primum, nullum est intermedium; & intelligit per mouens vltimum illud mouens, inter quod & motum non est alter motor medius, & per primum motum intelligit inter quod, & mouens non est aliud mobile intermedium.

ANNOTATIONES.

17. Mobilia alia ab intrinseco, alia ab extrinseco motore mouentur.

a *Quatuor sunt species motuum localium.* Nota, mobilia alia moueri à principio intrinseco, alia ab extrinseco; ea verò quæ ab extrinseco mouentur, quadrupliciter moueri possunt localiter, secundùm quòd motus localis in quatuor diuiditur species. Prima est expulsio, siue impulsio, impulsio, vt quando pellens non deserit pulsum, sed est ei semper contiguum, vt cùm homines lacertis magnum saxum è loco summouent. Expulsio verò, vt quando quis proiicit lapidem, aut sagittam. Secunda est tractio, quæ in hoc à pulsione differt, quòd pellens est in termino *à quo* à tergo tangens mobile, trahens verò est in termino *ad quem*, vel quasi; & est duplex tractio: alia, quæ dicitur attractio, vt quando quis ad se ipsum trahit, velut qui fune à portu trahit nauem; aut quando quis ex puteo hydriam aquæ educit: alia quæ dicitur simpliciter tractio, quando quis non ad se simpliciter, sed ad aliud trahit; vt cùm quis capistro traheret iumentum ad aquam aliquantulùm distantem ab ipso trahente. Tertia est vectio; differt autem vectio ab aliis; quia id, quod vehitur, non mouetur per se, sed per accidens ad motum alterius, quod per se mouetur; vt cùm homo vehitur naui, quæ per se mouetur impulsa à ventis, aut equo. Quarta species est vertigo, seu volutio; vt motus circularis, qui componitur quodammodò ex pulsu, & tractu. Si fingas enim punctum in circumferentia rotæ circulariter motæ, videbis illud dimoueri à puncto fixo in spatio, quasi inde expulsum; & inde reuerti in illud, quasi illuc tractum. Enumerat autem Aristoteles has quatuor tantùm species motus localis, quia si quæ aliæ sint, ad has reducuntur. Nam inspiratio, quæ est attractio aëris constricto pulmone, ad pulsionem reducitur; expiratio verò, quæ est expulsio aëris extenso pulmone, ad expulsionem. Sicuti sputatio est expulsio sputi; diuisio verò est attractio radicum à terra, quæ Græcè σπασμὸς dicitur, quod Commentator putat dici à spatha, quod est ensis, non tamen dicitur nisi à σπάζω, quod est diuello; & radiatio, siue vt alij legunt κέρκισις, idem est, quod textio, quæ est expulsio, & iactatio radij, quo textores filum ducunt, atque reducunt. Motus autem progressiuus animalium nulla prædictarum specie comprehenditur, quia animalia ab intrinseco mouentur.

Tractio duplex.

18. b *Omnis motus localis factus à principio*, &c. Nota, quòd ratio Aristotelis posset in hunc modum deduci; omne quod localiter mouetur, aut ab intrinseco, aut ab extrinseco principio mouetur; sed omne tale est immediatum suo mouenti: ergo omne quod mouetur, est immediatum illi, à quo mouetur. Maior est certa. Et minor quo ad primam partem; quoad posteriorem verò probatur: quicquid ab extrinseco localiter mouetur, aut mouetur impulsione, aut tractione, aut volutione, aut vectione; sed omne quod aliquo istorum motuum mouetur, est immediatum ei, à quo mouetur, vt Aristoteles probat explicatione illarum quatuor specierum: ergo, &c.

c *Omnis qualitas, secundùm quam est alteratio*, &c. Nota, quòd in hac ratione Aristoteles duo supponit. Primò supponit, omne quod alteratur alterari secundùm qualitates sensibiles, & earum gradus. Secundò, supponit alterationum quasdam proprias, quasdam verò improprias esse. Propriæ sunt illæ, quæ fiunt secundùm qualitates sensibiles receptas secundùm *esse* reale; vt calefactio. Impropriæ illæ sunt, quæ fiunt secundùm qualitates secundùm *esse* intentionale; vt visio. His suppositis, sic potest deduci ratio: omnis alteratio est propria, aut impropria; sed quicquid alteratur hac, vel illa alteratione est immediatum ei, à quo alteratur: ergo vniuersaliter in omni alteratione alterans est immediatum suo alterato. Maior patet. Et minor ostenditur in alteratione impropria; vt inde etiam appareat in alteratione propria: in visione enim visui est immediatus aër; aëri autem corpus visibile, superficies autem corporis visibilis est immediata lumini, siue aëri illuminato, qui immediatus est visui: ergo in huiusmodi alteratione impropria alterans est immediatum suo alterato; & per consequens idem erit in alteratione propria.

QVÆSTIO III.

Utrùm omne quod mouetur, moueatur ab alio simul existente cum ipso, ita vt mouens & motum sint simul?

Arist. *his text.* 10. Auerr. Simpl. *ibid.* Auic. *lib. de An. sect.* 4. *c.* 4 D. Thom. *lect.* 2. *&* 1. *p. q.* 8. *art.* 1. *&* 3. *contr. Gent. c.* 68. Caietan. & Ferrar. *eisdem locis* Scot. *in* 1. *dist.* 37 *q. vnica.* Occham Bassol. Mayr Lychet. *ibid.* Durand. *in* 2. *dist.* 18. *q.* 1 Capreol. *in* 1. *dist.* 37. *q. vnica.* Argent. *q.* 1. Conimbric. 7. *Phys. c.* 2 *q* 1. Compl. *disp* 28. *q.* 3. Ruuius *q.* 1. Rocc. *sum.* 3. *c.* 1. *&* *q.* 3. Vide cit. *lib* 8. *q.* 5.

ARGVITVR quòd non: quia impossibile est duo corpora esse simul; sed quandoque mouens, & motum sunt duo corpora: igitur impossibile est quandoque mouens, & motum esse simul. 1.

Secundò, obiectum appetibile mouet animal, à quo tamen est remotum, vt patet ad experientiam. Item, sensibile mouet sensum, & intelligibile intellectum, & tamen nullum istorum mouentium est simul cum moto.

Tertiò, quia proiiciens, trahens, & Intelligentia sunt quædam mouentia, & tamen non sunt simul cum suis motis, vt patet manifestè, primò de proiiciente. Item, de Intelligentia, quia Intelligentia est indiuisibilis: igitur non occupat locum, & per consequens non est simul cum aliquo.

Quartò, adamas attrahit ferrum, & non per qualitatem infusam in medio: quia, cùm illa qualitas sit agens naturale; ideò debet agere ad omnem differentiam situs, & tamen non agit sic: quia videmus, quòd solùm fit attractio ad ferrum.

Quintò, quia sphæræ cælestes superiores alterant ista inferiora, & tamen non alterando medium;

dium; qnia ſphæræ cœleſtes non ſunt ſuſceptiuæ huiuſmodi actionis, vt patet 1. Cœli tex. 22.

Sextò arguitur de quodam piſce, qui vocatur *ſtupor*, qui ſtupefacit manum piſcatoris, & tamen non alteratur intermedium: quia medium non eſt ſuſceptiuum huiuſmodi ſtupefactionis.

Septimò, arguitur de illis, quæ fiunt per ſortilegia; quia, vt dicitur, quædam vetulæ alterant hominem diſtantem per viginti, aut triginta leucades, & tamen non apparet, quòd ad tantam diſtantiam poſſit fieri aliqua actio per intermedium.

2. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto 7. text. 10. Notandum, quòd aliqua poſſunt dici ſimul dupliciter: vno modo, quia ſunt in eodem loco primo; & hoc dupliciter: vno modo per ſe, & ſic impoſſibile eſt, quòd mouens, & motum ſint ſimul: alio modo per accidens, ita vt vnum corpus ſit per ſe in loco, & aliud per accidens; & ſic in omni motu facto à principio intrinſeco, mouens, & motum ſunt ſimul. Alio modo dicuntur aliqua ſimul per priuationem diſtantiæ intermediæ; & ſic duo corpora immediata dicuntur eſſe ſimul.

Aliqua dicūtur eſſe ſimul duobus modis.

Secundò notandum, quòd aliquod mouens poteſt dici [a] mediatum moto tripliciter: vno modo, quando actio mouentis non attingit paſſum reſpectu cuius mouens dicitur mediatum, ſed tantùm attingit aliquid aliud, quod mouet ipſum; & tale propriè non debet dici mouens. Alio modo dicitur mouens mediatum id, quod eſt mouens, ſeu agens vniuerſale, eo quòd agit mediante agente particulari determinante ipſum ad hunc effectum, vel illum producendum; & ſic Deus diceretur mouens mediatum, & Socrates immediatum ad actionem, ad quam vterque concurrerent. Tertio modo dicitur mouens mediatum, inter quod, & motum eſt diſtantia media; & ſic dicitur mouens immediatum, quod eſt indiſtans paſſo.

Mouens dicitur mediatū moto tripliciter.

3. Tertiò notandum, quòd quidam eſt motus naturalis, & eſt ille qui fit à principio intrinſeco. Alius eſt violentus, & eſt ille, qui fit à principio extrinſeco; & huius ſunt quatuor ſpecies, ſcilicet pulſus, tractus, vectio, & vertigo. Pulſus diuiditur in impulſum, & expulſum. Impulſus eſt, quando pellens continuè inſequitur impulſum: ſed expulſus eſt quando non inſequitur, ſicut eſt in motu proiecti. Tractus diuiditur in tractum ad ſe, & tractum ad aliud; & dicit Commentator quòd ſemper agens naturale trahit ad ſe; ſed agens voluntarium trahit quandoque ad ſe, quandoque ad aliud. Vectio eſt, quando vehitur in alio, ſeu ſupra aliud; vt in naui, vel quadriga; ſed vertigo eſt motus compoſitus ex tractu, & pulſu.

Motus alius naturalis, alius violētus.

Tunc ponuntur concluſiones. Prima eſt. Impoſſibile eſt mouens, & motum eſſe ſimul primo modo. Probatur, quia ſic mouens, & motum ſunt corpora nata per ſe exiſtere, & impoſſibile eſt, quòd talia ſint ſimul, vt patet quarto huius.

Mouens, & motum quomodo ſint ſimul.

Secunda cōcluſio: In motu naturali mouens eſt ſimul cum moto, ſecundo modo; quia quilibet talis motus fit à forma intrinſeca mobilis: modò forma eſt ſimul cum eo, cuius eſt forma.

Tertia concluſio, omne mouens eſt ſimul cum moto per priuationem diſtantiæ intermediæ, ita vt capiatur ibi motum pro totali paſſo ab agente, ita vt nunquam agens agat in aliquod paſſum, non agendo in intermedium. Probatur, quia vel medium inter agens, & paſſum iuuat actionem, aut impedit; vel nec iuuat, nec impedit. Si iuuat; aut impedit; hoc non eſt propter aliud, niſi propter aliquam diſpoſitionem medij actiuam ab agente, mediante quâ medium iuuat huiuſmodi motum, & per conſequens actio fit per intermedium. Si impedit, hoc non eſt, niſi quia medium reſiſtit qualitati actiuæ ab agente. Si nec iuuat, nec impedit, hoc eſt impoſſibile, quia tunc agens poſſet ad quodlibet agere.

Secundò, ſequeretur quòd raritas, & denſitas nihil conferrent in actionibus naturalibus. Conſequens eſt falſum: quia videmus actiones naturales variis modis diuerſificari, propter medij variationem in raritate, & denſitate. Conſequentia probatur, quia nec raritas, nec denſitas iuuant, vel impediunt, niſi in quantum remittunt qualitatem actiuam ab agente, aut in quantum ipſam intendunt. 4.

Tertiò, quælibet virtus naturalis diffundit actionem ſuam circa ſe ſphæricè, vt dicit Commentator in 2. de Anima: & per Linconienſem in tractatu de Refractionibus radiorum; modò hoc non poteſt eſſe, niſi agens in diſtans ageret in intermedium.

Quartò, probatur ratione Ariſtotelis in littera, quæ eſt quædam inductio; nam omnis motus, vel à principio eſt intrinſeco, vel extrinſeco: ſi ab intrinſeco, tunc manifeſtum eſt, quòd mouens, & motum ſunt ſimul: ſi ab extrinſeco, tunc patet inductiuè in quolibet genere motuum ab extrinſeco, quòd mouens eſt ſimul cum moto.

Contra concluſionem arguitur; quia ſi aliquod corpus ſolidum, vt paries, calefiat ab igne diſtante, tunc quæro vtrùm aër immediatus parieti producat totum calorem in pariete, vel non; ſi non, tunc ſequitur quòd (quantùm ad illud caliditatis, quod non producitur ab aëre immediato) agens non eſt immediatū paſſo, vt mouens moto. Si dicatur, quòd totum producatur ab aëre, hoc eſt impoſſibile, quia ſæpè paries calefit ad gradum intenſiorem caliditatis, quàm ſit caliditas aëris.

Secundò, quia aliquando intermedium non eſt ſuſceptiuum actionis agentis: igitur tunc mouens non eſt immediatum moto. Conſequentia tenet. Antecedens probatur, quia ſphæra Lunæ non eſt ſuſceptiua actionis ſphærarum ſuperiorum. 5

Tertiò, quia medium inter mouens, & motum impedit, & retardat actionem agentis: Igitur non iuuat.

Quartò, quia tunc ſequeretur quòd intermedium inter agens, & paſſum eſſet ſimul agens, & paſſum. Conſequens eſt falſum: quia tunc eſſet ſimul in actu, & in potentia.

Ad iſta reſpondetur. Ad primum, dico quòd agens illam caliditatem eſt totale aggregatum ex aëre intermedio, & igne; modò ille ignis eſt calidior, quàm paries; & hoc ſufficit.

Ad ſecundum, dico [b] quòd licèt ſphæræ inferiores non ſint ſuſceptiuæ huiuſmodi actionis, ſunt tamen ſuſceptiuæ alterius, vt lucis, vel luminis, mediante quo fit actio in iſtis inferioribus.

Ad tertium dicitur, ſicut dicebatur de motu locali ſuper 4. quòd medium ſic iuuat, quòd, ipſo circumſcripto, nulla fieret actio in paſſum, quod non contingeret agenti, attamen ſic impedit, quòd remittit velocitatem actionis, & cum hoc intenſionem qualitatis actiuæ.

Ad quartum dicitur, quod intermedium ſimul eſt mouens, & motum, agens, & paſſum, & hoc non eſt inconueniens diuerſimodè.

Ad

6. Ad rationes principales. Ad primam, dico quòd intelligitur simul in proposito per priuationem distantiæ intermediæ.

Ad secundam, dico quòd obiectum mouet potentiam remotam, alterando medium, & inde obiectum, mediante medio moto, mouet potentiam.

Ad tertiam, dico quòd in motu proiectionis acquiritur impetus consequutiuè ad velocitationem eius, vt declarabitur 8. huius. Et quando dicitur de Intelligentia, dico quòd Intelligentia est indistans orbi, quem mouet; & si moueat ista inferiora, hoc est mouendo intermedia actione consimili, vel saltem dissimili.

Ad quartam, dico quòd hoc est imprimendo medio quandam qualitatem attractiuam; cuius signum est, quòd quando adamas fricatur alliis, tunc impeditur actio adamantis, nec potest diffundere huiusmodi qualitates.

Ad quintam, dico quòd agunt in intermedium, licèt non consimili actione.

Ad sextam, dico quòd agit alterando medium, scilicet terre, & aërem, sed illa actio non est stupefactio in medio, licèt sit stupefactio in viuente.

Ad septimam, de sortilegiis, dicunt quidam, quòd hoc est per inuocationem dæmonum; sed alij dicunt, quòd hoc est per radios: vnde imaginantur, quòd quælibet res mundi diffundat radios vndique circa se, ad quamlibet aliam rem; & tunc mediantibus huiusmodi radiis fiunt actiones sortilegiorum.

ANNOTATIONES.

7. *Agēs duobus modis est passo immediatum.*

a *ALiquod mouens potest dici mediatum moto*, &c. Nota, immediationem agentis, quoad propositum spectat, duplicem esse; virtutis videlicet, & suppositi. Agens enim immediatum immediatione virtutis est id, quod agit suâ propriâ virtute, non aliunde mendicatâ: quo pacto solus Deus dicitur agens immediatum. Illud autem hoc modo dicitur mediatum, quod virtute sibi ab alio communicatâ operatur, quomodo omnis creatura simpliciter est agens mediatum: quia agit virtute à Deo communicatâ. Inter creaturas tamen, ea quæ est superior, potest dici immediata respectu inferioris, vt faber respectu instrumenti, quo operatur, dicitur quodammodò operari virtute propriâ, & immediatâ; instrumentum verò fabri virtute. Illud est immediatum immediatione suppositi, quod ita agit in passum, vt nullum suppositum, substantiáve mediet inter agens, & passum; quo pacto homo mouet baculum, quem manu tenet: & illud est mediatum hoc modo, quod ita agit in passum, vt mediet substantia, suppositúmque aliquod inter agens, & passum; vt si homo baculo moueat lapidem, dicetur agere mediatè, mediatione suppositi; quia mediat baculus, agit tamen tunc immediatione virtutis, non simpliciter: quia habet virtutem sibi communicatam à Deo, sed secundùm *quid*, scilicet respectu baculi: vnde omne quod effectiuè mouet, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, est simul & immediatum suo mobili, siue immediatione suppositi, vel virtutis. Et ideò Aristoteles 2. de Generatione, cap. 6. docet, quòd omne agens agit per contactum, siue ille contactus sit suppositi, vel virtutis. Et in hoc 8. dicit, quòd proiiciens est simul cum proiectis propter virtutem, quam imprimit proiectis, quorum motus durat, quousque talis virtus impressa durat.

b *Ad secundum dico, quòd licèt sphera*, &c. Nota, primò agentia naturalia in multiplici esse differentia. Nam quædam sunt, quæ potentiâ, & actione eiusdem rationis agunt in propinquum, & remotum; sicut ignis potentiâ calefactiuâ, & calefactione eiusdem rationis calefacit aërem proximum, & manum remotam. Alia verò sunt, quæ actione alterius rationis agunt in propinquum & remotum; sicut piscis mortificans, & stupefaciens manum piscatoris, non mortificat, neque stupefacit rete. Hic piscis à quibusdam dicitur stupor, ab aliis torpedo, ab aliis verò tremulus. Alia verò sunt agentia, quæ non agunt in proximum passum eâdem potentiâ, quâ in remotum: & hoc pacto Sol, & cœlum aurum in visceribus terræ, producit illud suâ formâ substantiali immediatè: virtute autem calefactiuâ calefacit, & disponit ipsam terram. Quia enim accidens non potest attingere ad substantiæ productionem, vt subtiliter probat Scotus in 4. dist. 12. quæst. 3. ipso instanti, quo Sol disponit calore suo terram, ita vt necessarias introducat dispositiones ad auri generationem; statim suâ formâ substantiali immediatè producit aurum: & hoc idem contingit in cæteris mouentibus mutatione substantiali. Quando enim ignis sufficienter suo calore disponit lignum ad ignis formam suscipiendam; statim ipse ignis suâ substantiali forma producit ignem in materia ligni. 8. *Agentia naturalia in multiplici sunt differentia.*

Nota secundò, quòd agens creatum priùs agere aliqua actione in propinquum, quàm in remotum, non ex eius intrinseca ratione sibi prouenit; sed vel ex eo, quòd in tali agente coniunguntur tales duæ potentiæ actiuæ, quarum vna habet pro passo sibi proportionato rem propinquam, altera verò rem remotam, sicut videre licet in potentia Solis generatiua auri in visceribus terræ, & in potentia illuminatiua eiusdem Solis, quâ agit in cœlum sibi propinquum. Vel hoc accidit ex imperfectione agentis: propter defectum enim virtutis actiuæ, priùs agit secundùm formam imperfectiorem, quàm secundùm perfectiorem, sicut apparet quòd generans priùs alteret, quàm producat formam substantialem.

Et ex his patet responsio ad argumenta. Et primò, dicitur Aristotelem hoc in loco sic esse intelligendum, quòd omne mouens debet esse simul cum moto, vel immediatione virtutis, vel suppositi; quando mouet mutatione propriè dicta accidentali, non tamen substantiali. Sol enim mouet materiam, producendo in ipsam formam auri, & ibi quidem non est præsens immediatione suppositi; neque virtutis, quæ sit accidens: quamuis benè præcessit immediatio virtutis disponentis materiam. 9.

Secundò, dicitur quòd ibi cœlum, siue Sol est immediatum immediatione virtutis productiuæ substantiæ: quia suâ formâ substantiali immediatè produxit formam auri; non tamen inde sequitur, quòd si non produxit mediis accidentibus, quòd necessariò debet esse ibi simultas suppositi: aliud quippe est agere immediatè in passum; & aliud est esse præsens secundùm substantiam, & suppositum: illud enim conuenit cœlo, siue Soli respectu productionis auri: istud verò repugnat. Tertiò, dicitur quòd dictum Aristotelis habet hunc sensum, quòd agentia naturalia, si in remotum

tum agere debent, priùs eâdeio qualitate, vel diuersâ agunt in propinquum secundùm suam perfectionem, & effectum, quem produecere intendunt: verbi gratia, si Sol debeat produrere calorem, priùs calefacit propinquum, quod caloris est capax, scilicet aërem; & medio aëre calefacit manum remotam: si autem effectus producendus est aliqua forma substantialis; tunc immediatè suâ substantiâ produrit; non sic, quòd Sol & passum sint simul simultate suppositi, sed virtutis, non virtute accidentali, sed substantiali, quamuis priùs præcedat simultas virtutis accidentalis dispositiuè. Et hæc est potissima responsio, quam hîc subobscurè tangit Scotus. Neque obstat replica, quòd si daretur vacuum inter substantiam Solis, & mineram, quòd non generaret, quia hoc prouenitet, quia dispositio, quæ est accideus, non posset peruenire ad patiens per vacuum; si autem daretur passum summè dispositum, etiam dato vacuo inter Solem, & passum, generaret Sol per suam virtutem substantialem aurum.

10. Quartò diri posset, quòd quando agens operatur virtute sua, talis virtus non egreditur ab ipso agente in effectum, sed per ipsam producit effectum: vnde non oportet, quòd talis virtus sit secundùm rem præsens effectui, qui producitur, sed solùm terminatiuè: & sic Sol producens per suam formam aurum in visceribus terræ, non est ibi præsens per realem suæ formæ præsentiam, sed tantùm per operationem, & terminatiuè, quia eius operatio terminatur ad aurum ibi productum; & sic semper saluatur dictum Aristot. quòd agens est immediatum passo, vel immediatione suppositi, vel virtutis, saltem terminatiuè. Ex hoc sequitur primò, aliud esse, mouens esse immediatum passo secundùm substantiam operando; aliud verò esse immediatum secundùm substantiam, id est, secundùm præsentiam: illud enim potest esse sine isto, quamuis aliquando simul concurrant. Secundò sequitur contra Thomistas, quòd Deus potest operari in parte vniuersi, in qua per impossibile non esset secundùm substantiam: vnde non sequitur formali consequentiâ Deum esse secundùm præsentiam in omnibus rebus, eo quòd in omnibus operatur, quamuis vtrumque sit verum; quia est vbique per essentiam, & operationem, vide Scotum *in 1. d. 37.* Tertiò sequitur, quòd etiam Angelus potest operari, vbi non est præsens suâ essentiâ: quia Angelus, cùm moueat per intellectum, & voluntatem (potest autem intelligere & velle motum in quocumque distantissimo loco) sequitur, quòd potest operari vbi non est præsens secundùm essentiam. Quartò sequitur, quòd substantia potest esse immediatum principium operationis, quod multis Aristot. dictis Scotus probat. nam 7. *Metaph. c. 9.* in fine dicit, quòd *necesse est praexistere aliquam alteram substantiam existentem, qua facit vt sit animal, si sit animal, quale verò & quantum non necessariò, nisi potestate solùm:* ergo ex Aristotelis sententia, ad hoc vt substantia fiat, necesse est vt præexistat substantia, quæ illam producat; ad hoc verò, vt quale, & quantum producatur, non oportet præexistat aliud quantum, aut quale, nisi potentiâ: ergo aliquid, quod non est actu quantum, neque quale, potest esse principium productiuum immediatum quanti, & qualis, quod non est nisi substantia.

EXPOSITIO TEXTVS.

*Q*VONIAM *autem ea* a *quæ alterantur omnia.* Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles ostendit, quòd omnis alteratio est secundùm qualitates sensibiles; & hoc facit pro tanto, quia in præcedenti capitulo volens probare, quòd in omni alteratione mouens est simul cum moto: solùm induxit in qualitatibus in tertia specie Qualitatis: & primò proponit conclusionem. Secundò probat ibi: *Aliorum enim maximè.* Prima conclusio est ista, omnia a quæ alterantur, alterantur secundùm qualitates sensibiles. 11. Text. 14.

Alteratio fit secundùm qualitates sensibiles.

Aliorum enim a *maximè.* Probat dictam conclusionem; & primò ostendit, quòd ad qualitates de quarta specie Qualitatis non est motus. Secundò ostendit, quòd ad habitus corporales non est motus. Tertiò ostendit, quòd nec ad virtutes morales. Et quartò quòd nec ad virtutes intellectuales. Secundùm ibi: *Neque igitur.* Tertium ibi: *Neque itaque.* Quartum ibi: *at verò neque.* Primò dicit, quòd de aliis qualitatibus ab illa de tertia specie maximè apparet, quòd secundùm figuras de quarta specie, & secundùm habitus corporales, non sit motus; quia maior apparet mutatio corporum naturalium secundùm qualitates de quarta, & prima speciebus Qualitatis, quàm secundùm qualitates de secunda specie, quæ sunt naturalis potentia, & impotentia; quia istæ qualitates insunt à natura, nec est secundùm ipsas mutatio, nisi mutatis corporibus. Text. 15.

12. *Non est autem in his.* Hîc probat quòd secundùm qualitates de quarta specie non est motus: & hanc conclusionem probat tripliciter. Secunda ibi: *Quoniam igitur ex quo quidem* Tertia ibi: *Amplius & aliter.* Prima ratio est, secundùm illas qualitates non est per se motus, quæ non acquiruntur, nisi per modum sequelæ ad alios motus; sed qualitates de quarta specie non acquiruntur, nec deperduntur, nisi consecutiuè ad alios motus: ergo, &c. Maior patet, quia propter hoc dicebatur *in quinto, text.* 10. quòd in *Ad aliquid,* non est motus. Et minor est nota: quia antiqui ponentes rarum, & densum esse principia rerum naturalium, ponebant figuras corporum naturalium mutari à raro, & denso; nos autem qui ponimus principia rerum naturalium esse calidum, & frigidum, humidum, & siccum, dicimus corpora mutari secundùm figuras conseruatiuè ad calorem, & frigiditatem vnà cum quibusdam motibus localibus, cuiusmodi sunt appositio, vel remotio, vel transpositio partium.

Quoniam igitur ex quo quidem. Secunda ratio est ista: quia in his, quæ alterantur, subiectum denominatur à qualitate, secundùm quam est alteratio; & hoc in concreto significante qualitatem: verbi gratiâ, dicimus quòd subiectum est calidum, vel frigidum, sed in iis, quæ mutantur secundùm figuras, subiectum non denominatur à à dispositione, immò è contra, dispositio denominatur à subiecto, vt dicimus sphæram esse æneam, & sic de aliis; igitur illa, quæ mutantur per figuras, non alterantur.

Amplius a *& aliter.* Tertia ratio est ista: In illis d quæ alterantur, non dicimus alteratum fieri: verbi gratiâ, si homo fiat calidus, non propter hoc dicimus, quòd homo fit; sed in iis, quæ alterantur secundùm figuras, dicimus alteratum fieri, vt dicimus fieri domum: igitur quæ mutantur Text. 16.

secundùm figuras, non alterantur. Et sciendum, quòd istæ duæ rationes sunt modicæ efficaciæ: quia solùm sumptæ sunt ex modo loquendi. Vnde prima ratio istarum duarum non valet: quia sicut dicimus ignem esse calidum, ita dicimus terram esse sphæricam; & quemadmodum dicimus sphæram esse æneam, ita dicimus caliditatem esse igneam; ideò quoad hoc non est differentia, & sic solùm istæ duæ rationes sunt persuasiones.

13. Text. 17. *Habitus sunt in multiplici differentia.*

Neque enim 4 in habitibus. Hîc Aristoteles ostendit, quòd ad habitus corporales non est motus. Vbi notandum, quòd habitus, (de quibus loquitur Aristot.) sunt in multiplici differentia: nam quidam sunt habitus corporales, vt pulchritudo, sanitas, viuacitas spirituum, & robur corporis. Alij sunt habitus morales, vt iustitia, fortitudo, &c. Alij sunt habitus intellectuales, vt scientia, sapientia, & huiusmodi; hîc igitur probat de habitibus corporalibus, quòd ad ipsos non sit motus. Probatur sic; quia ad [e] illas qualitates non est motus, quæ sunt ad aliquid; sed habitus corporales sunt huiusmodi: ergo & cætera. Maior est nota *in quinto*: & minor patet: nam sanitas est commensuratio primarum qualitatum, & secundarum: modò commensuratio dicitur ad aliquid. Sed dubitatur, quia qualitas de prima specie non est res distincta à figuris, & magnitudinibus, & à qualitatibus de tertia specie: igitur cùm ad qualitates de tertia specie sit per se motus, sequitur etiam, quòd ad qualitates de prima specie est per se motus. Antecedens probatur, nam sanitas non est aliud quàm qualitates primæ, & secundæ ad inuicem debitè proportionatæ, secundùm quòd animal potest, mediantibus illis, in operationes proprias sibi promptè exercendas; sic pulchritudo non est aliud, quàm magnitudo & figura, & colores corporis sic protracti, qualiter nati sunt delectabiliter sensum immutare. Respondetur concedendo, quòd secundùm qualitates de prima specie, vel secundùm partes earum, est per se alteratio, non tamen secundùm illam rationem, secundùm quam dicuntur de prima specie. Et si quæratur, secundùm quam dicuntur de prima specie. Respondetur, quòd omnes termini prædicabiles cum *quale* de prima substantia, significantes virtutem, vel malitiam, sunt de prima specie, vel de secunda. Vnde dicuntur de secunda, si insunt à natura; & ideo Aristot. in Prædicamentis dicit, ad primam speciem qualitatis pertinere, calorem, & frigus; quia calor est igneorum virtus, & frigus terreorum. Ex quibus patet, quòd omnes qualitates de prima specie secundùm illam rationem, quâ sunt de prima specie, sunt ad aliquid, scilicet respectu operis exercendi; & secundùm hoc ad ipsas non est per se alteratio.

14. Text. 18. *Neque igitur 5 circa animam.* Hîc probat, quòd ad habitus morales non sit per se alteratio; & hoc probat dupliciter. Secundò ibi: *Fit igitur.* Prima ratio est, quòd ad perfectionem non est per se motus; sed virtus est quædam perfectio: igitur ad virtutem non est per se motus. Maior probatur à Commentatore, quia perfectio rei consistit in indiuisibili. Sed aliter declaratur, quia perfectio est ad aliquid, nam in alio, & alio tempore natura diuersa determinat vni, & alteri secundùm diuersitatem status eorum.

Text. 19. *Fit 6 igitur.* Secunda ratio, ad illas dispositiones non est per se motus, quæ acquiruntur per modum sequelæ ad alios motus; sed virtutes morales acquiruntur per modum sequelæ ad alios motus. Quod declaratur dupliciter. Secundò ibi: *& in totum.* Maior probatur, quia propter hoc dicebatur, quòd in *Ad aliquid* non est motus: & minor probatur. Pro cuius probatione [f] notandum, quòd quando nos sentimus obiecta passionantia, scilicet delectabilia, vel tristia, inducentia timorem, vel permutantia ad iram, tunc appetitus noster sensitiuus natus est moueri ad acceptandum, vel refugiendum; & sæpe mouetur ita vehementer, quòd impeditur iudicium rationis ex eo quòd acceptat, quod non est acceptandum, vel quòd refutat, quod non est refutandum: modò dicebant antiqui, scilicet Stoici, quòd virtus adeò per bonam consuetudinem determinat appetitum ad bonum, quòd virtuosus nullo modo mouetur ab huiusmodi obiectis passionantibus, ita vt virtuosus nullo modo delectetur, vel tristetur, ita vt virtus sit impassibilitas.

Alia fuit opinio Aristot. scilicet quòd tam virtuosus, quàm vitiosus mouetur ab huiusmodi obiectis passionantibus; sed tamen differunt, quia virtuosus mouetur ab ipsis, & patitur; tamen eius virtus determinat ipsum ad non patiendum citra, vel vltra, vel aliter, quàm oportet secundùm dictamen rectæ rationis, sed vitiosus non sic determinatur ad operandum benè; & ideò dicit Aristot. quòd virtus est passibilitas. Ex istis patet minor dictæ rationis, quia secundùm vtramque opinionem virtus acquiritur consecutiuè ad alios motus, scilicet ad immutationem sensuum ab obiectis passionem inferentibus.

Et in totum. Declarat secundò minorem: quia omnis virtus moralis, vel vitium est cum delectatione, & tristitia; sed omnis delectatio, vel tristitia, est consecutiuè ad alium motum: igitur omnis virtus, vel malitia est consecutiuè ad alium motum. Maior patet per experientiam; & est probata *secundo Ethicor.* & minor est nota, quia semper delectatio, vel tristitia consequitur apprehensiones sensuum, vel memoriam alicuius præsentati, vel propter speciem de aliquo bono, vel malo futuro. 15.

At verò 7 neque. Hîc probat [g] quòd ad habitus intellectuales non sit per se motus, dupliciter. Text. 20.
Secundò ibi: *Qua autem.* Prima ratio est ista, quia ad illos habitus non est per se motus, qui acquiruntur per modum sequelæ ad alios motus; sed habitus intellectuales sunt huiusmodi: ergo, &c. Minor patet, quia scientia fit per experientias præcedentes, per sensus, & memorias, vt patet 2. *Poster. text.* 104. & maior declarabatur antè, quia propter hoc in *Ad aliquid* non est motus. Item, si ad illud esset motus, quod acquiritur consecutiuè ad motum alterius, sequeretur, quòd ad *tangere*, seu ad tactum, esset motus. Item, sequeretur quòd ad generationem esset motus, quod est improbatum *in quinto*.

Qua 8 autem. Hîc ponit secundam rationem, 16.
quæ non est nisi confirmatio præcedentis; quia si Text. 21.
ad scientiam esset motus; vel hoc esset quando scientia de nouo acquiritur, vel quando habens scientiam exit in actum considerandi, postquam priùs non considerauit; sed neutro modo: ergo, &c. Non secundo modo, quia si dormiens, ebrius, vel infirmus, actu non consideret, hoc est propter impedimentum aliquod, scilicet propter perturbationem sensuum interiorum, mediantibus

quibus

quibus acquiritur scientia, quæ perturbatio prouenit à sensibus, & à qualitatibus interioribus inordinatis; modò priùs quàm exeat in actum considerandi, oportet remouere impedimentum; & sic consecutiuè ad remotionem impedimenti fit exitus in actum considerandi. Nec primo modo, quia infantes similiter non possunt mediari, vel addiscere sicut senes, propter magnam perturbationem sensuum interiorum, & propter motus vehementes potentiæ nutritiuæ, & augmentatiuæ: modò oportet istos motus repelli, & sedari, vel à calore digerente humiditatem superfluam, vel à virtute motali, & sic semper acquiritur scientia consecutiuè ad alios motus. Et dicit Aristoteles quòd in quietari fit anima sapiens, & prudens, id est, in quietatione motuum interiorum, per quos impediuntur sensus.

Manifestum igitur. Recapitulat, & patet in litera.

ANNOTATIONES.

17. *Alteratio ad qualitatem fit duobus modis.* a Omnia quæ alterantur, &c. Nota primò, dupliciter alterationem fieri ad qualitatem. Altero modo per se primò, siue immediatè. Altero, per se, sed non primò, siue mediatè. Vt alteratio sit per se & primò, duæ requiruntur conditiones: prima vt naturaliter illa alteratio non possit fieri, nisi ex contrario eius qualitatis, ad quam tendit; vt frigefactio ad frigus ex calore, & calefactio ad calorem ex frigore. Vnde colligitur alterationis definitio. *Definitio alterationis.* *Alteratio est motus qui fieri nequit, nisi à contrario ad contrarium*, estque existens inter duas qualitates in eodem subiecto compossibiles, habétque pro termino, alterationem, quæ est via ad corruptionem & generationem. Secunda conditio, vt qualitas, quæ acquiritur, possit se compati cum qualitate contraria, quæ expellitur, quamuis non in gradibus intensis. Quod videtur docere Aristoteles *5. huius, cap. 2. text. 19.* dicens motum per se esse à minùs tali ad magis tale. Vnumquodque enim magis minúsve tale dicitur per sui contrarij admixtionem. Vt autem alteratio sit per se, & primò, alia requiritur conditio, videlicet quòd ita sit per se ad illam qualitatem, vt non necessariò aliqua qualitas priùs acquiratur; quo pacto calefactio est per se primò ad calorem, & frigefactio ad frigus; & huiusmodi alterationes sunt propriissimè alterationes habentes pro termino qualitatem, quæ sit via ad generationem, & corruptionem. Et hoc est quod alij dicunt, quòd alteratio propriè dicta quatuor expostulat conditiones. Prima, quòd ipsa sit motatio realis successiua, ita vt fiat mediante contactu reali, & Physico. Secunda, quòd sit de subiecto in subiectum, siue de forma positiua in formam positiuam. Tertia, quòd sit de forma contraria actiua, & passiua, in formam contrariam actiuam, & passiuam. Quarta, quòd non præsupponat aliam qualitatem priùs terminate, vel illam mutationem, vel aliam, sed ipsa per se, & primò terminet illam. *Alteratio propriè dicta quatuor postulat conditiones.*

18. *Inter qualitates tertiæ speciei est quadruplex contrarietas.* Nota secundò, in qualitatibus tertiæ speciei quadruplicem contrarietatem reperiri. Prima est inter primas qualitates, vt inter caliditatem, & frigiditatem, siccitatem, & humiditatem. Secunda, inter secundas qualitates, quæ solùm oriuntur ex mistione duarum primarum, scilicet ex calore, & frigore, vt inter grauitatem, & leuitatem, raritatem, & densitatem. Tertia est inter qualitates resultantes ex omnibus quatuor primis; vt contrarietas colorum, saporum & odorum. Quarta inter qualitates, quæ non ex primis, sed ex motu locali causantur, vt inter sonum grauem, & acutum, qui ex corporum collisione, & locali motu efficiuntur.

Ex his sequitur primò, quòd si loquamur de alteratione per se primò, & immediata, ad solas, non tamen ad omnes qualitates tertiæ speciei, est per se primò alteratio. Patet, quia ad quatuor, & solas primas qualitates, est per se primò alteratio; sed tales quatuor qualitates ad tertiam pertinent speciem qualitatis, & non sunt omnes, quæ ad prædictam speciem pertinent; ergo ad solas, non tamen ad omnes tertiæ speciei qualitates, est per se primò alteratio.

Secundò sequitur, quòd si loquamur de alteratione per se (abstrahendo à per se primò, vel per se non primò) ad solas, non tamen ad omnes tertiæ speciei qualitates, est per se alteratio. Prima pars probatur, quia illæ duæ conditiones alterationis in solis qualitatibus tertiæ speciei reperiuntur. Secunda pars inde probatur, quia ad sonos non est per se alteratio, quamuis sint tertiæ speciei; non enim est alteratio nisi vel ad primas qualitates, vel ad resultantes ex duabus, vel ex quatuor primis.

b *Secundùm illas qualitates non est per se motus, &c.* Nota quòd sic potest hæc ratio deduci: Forma, vel figura non est primus terminus alterationis, sed aliud accidens prius, vt densitas, aut raritas, sed alteratio est ad qualitatem, quæ sit primus eius terminus: ergo ad figuram, & formam non est per se alteratio. 19.

c *In illis, quæ alterantur, subiectum denominatur, &c.* Nota, quòd in illis qualitatibus est per se alteratio, quæ prædicantur de subiecto alterato secundùm suam vocem, in recto scilicet, & è contra; hoc autem in figuris non contingit. Nam etsi dicamus, homo est frigidus, aut calidus, & calidum est homo, tamen quando æs, siue lignum fit statua, non dicimus, æs est statua, neque statua est æs, vel lignum, sed dicimus statua est ærea, aut lignea.

d *In illis, quæ alterantur, non dicimus, &c.* Nota, quòd quando res fit, non dicitur alterari, modò cùm res accipit formam, aut figuram, fit: non ergo alteratur secundùm formam, aut figuram: nam alterari præsupponit rem perfectam in suo esse; cùm autem domus acquirit figuram, non præsupponimus domum esse, sed potiùs dicimus tunc fieri domum, atque adeò non alteratur.

e *Ad illas qualitates non est motus, &c.* Nota, quòd in prima specie omnis habitus, siue virtus, siue vitium sit, est eorum, quæ sunt ad aliquid, id est, consequuntur ex habitudine multorum inter se. Quod patet primò in habitibus corporeis, quales sunt sanitas, aut ægritudo: sanitas enim consistit in quadam commensuratione plurium, scilicet in debita proportione calidi, sicci, frigidi, & humidi; ægritudo autem in disproportione earum; atque adeò ad has qualitates non est per se & primò motus, seu alteratio: quia priùs terminatur motus ad illas priores qualitates, scilicet ad calorem, & frigiditatem, &c. ex quarum proportione resultant aliæ, scilicet sanitas, & ægritudo.

A perfectionem non est, &c. Nota, quòd quando dicit Aristot. ad rei perfectionem non esse motum, hoc debet intelligi de perfectione, quæ 20.

est determinata, cui scilicet nihil potest auferri, nec addi, manente eâdem naturâ in specie; talis enim, vt refert Albertus, & tetigit Commentator, in indiuisibili consistit, & ad eam non est per se motus; ad perfectiones autem indeterminatas, sicut sunt magnum, paruum, multum, paucum, benè potest fieri motus per se, sicut patet in Prædicamentis: vbi similiter dicitur, quòd aliquæ sunt quantitates determinatæ ad vnum, sicut bicubitum, tricubitum; aliæ sunt indeterminatæ ad vnum, sicut magnum, paruum, multum, paucum.

Virtus moralis in quo consistat.

f *Pro cuius probatione notandum.* Nota, quòd virtus moralis, verbi gratiâ, fortitudo, aut misericordia, stat in hoc, quòd temperat passiones, & consequitur ad abiectionem talium passionum; quare per se ad illam non est alteratio. Tum etiam, quia virtus huiusmodi stat in mitigatione passionum sensus, quibus compositis, & pacatis, consequitur virtus: & similiter ex excessu passionum insurgit vitium; habent se igitur virtus, & vitium in anima, sicut sanitas, & ægritudo in corpore. Sicut enim sanitas resultat ex debita proportione humorum, ad quos est alteratio, & ægritudo ex indebita proportione humorum, ita virtus consurgit ex debita sedatione, & mitigatione passionum; & vitium ex immoderato excessu passionum.

Ad habitus intellectuales non est alteratio.

g. *Probat, quòd ad habitus intellectuales, &c.* Nota, quòd tunc non est alteratio, quando qualitas quæ acquiritur, non immediatè acquiritur, nisi aliquo priùs acquisito, quòd priùs acquisitum sit terminus alterationis: modò scientia siue habitualis, siue actualis non primò acquiritur, nisi aliquo termino alterationis priùs habito: intellectus enim non alteratur primò à primò alterante, scilicet ab obiecto extrinseco; tale namque priùs mouet sensum per species sensibiles, & sic sensus alteratur; intellectus verò non; ad scientiam igitur non est alteratio.

21. Et si arguas, quòd in hoc sequeretur scientias esse nobis innatas, & quòd nostrum *scire* non esset nisi præteritorum reminisci, sicut dixit Plato, contra quem est Aristoteles 1. *Post. text.* 1. & 3. *de Anima, text.* 14. Dico, quòd receptiuum alicuius receptibilis potest se habere tripliciter ad illud receptibile. Vno modo potest se habere in vltima dispositione ad receptibile sine impedimento, nec in se, nec in alio: & tunc receptiuum fit in actu per præsentiam proximi actiui, vt aër lucidus per præsentiam luminis; est enim in proxima dispositione ad receptionem illius. Secundo modo potest se habere receptiuum ad receptibile sic, quòd est indispositum per indispositionem contrariam receptibili: & tunc antequam recipiat, necessarium est, vt per alterationem disponatur: sicut materia existens sub forma aëris, necessariò habet disponi antequam recipiat formam aquæ, vel alterius elementi. Tertio modo potest se habere receptiuum in vltima dispositione ad formam sine impedimento proprio; sed est impedimentum in altero, mediante quo oportet ipsum recipere formam: ideò impedimento remoto, receptiuum fit in actu per potentiam receptibilis, & solùm fit mutatio in illo, in quo erat impedimentum, sicut domus illuminatur per apertionem fenestræ, sine mutatione facta in aëre, sed solùm per amotionem impedimenti: & isto tertio modo intellectus noster se habet ad scientiam, quia quantùm est de se, est in vltima dispositione ad receptionem scientiæ, & specierum intelligibilium; sed quando impeditur, propter indispositionem partis sensitiuæ, in qua oportet esse motum, vt ipsa disponatur, sed eâ dispositâ, & phantasmatibus determinatè in ea receptis virtute luminis intellectus agentis, statim sine alteratione species intelligibilis repræsentatiua illorum phantasmatum est præsens intellectui possibili; & sic intellectus efficitur sciens, atque ita non sequitur, quòd scientiæ sint nobis à principio concreatæ, vt dicebat Plato. Sed contra hoc videtur esse Aristoteles, qui dicit, quòd anima fit sciens, & prudens maximè in quiescendo; non ergo per motum potentiarum sensitiuarum. Respondeo, & dico, quòd animam quiescere in partibus sensitiuis potest esse dupliciter: vno modo, quòd quiescat ab occupationibus exterioribus, & passionibus partis appetitiuæ, puta concupiscibilis, & irascibilis; alio modo, quòd virtutes sensitiuæ non moueantur ab obiectis, de quibus scientiam capimus. Primo modo loquitur Aristoteles, cùm dicit, in quiescendo fit anima prudens, & sciens; secundo modo non.

Receptiuum potest se habere tripliciter respectu receptibilis.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm solùm ad qualitatem de tertia specie Qualitatis sit per se motus?

Aristot. *cap.* 3. *text.* 14. Auerroës, Themistius, Simplicius, *ibid.* D. Thom. *lect.* 5 *& quæst. vnica de virtutibus art.* 11. Alber. *tract.* 1. *cap.* 5 Mayron. 2. *Physic. in exposit. textus.* Gandauen. *quodl.* 9 *quæst.* 7. Conimbric 7. *Physic. cap.* 3. *quæst. vnica.* Compluten. *disp.* 22 *quæst* 2. Rubius in exposit. *cap* 3. *& quæst. vnica* Roccus *summa* 3. *cap.* 2. *& q.* 4. Vide citatos *lib.* 5. *quæst.* 5.

ARGVITVR quòd non; quia in aliis speciebus Qualitatis est per se contrarietas: igitur secundùm alias species Qualitatis est per se motus. Consequentia tenet per Aristotelem *in isto* 7. qui per hoc probat, quòd secundùm qualitates de tertia specie, sit per se motus. Et Antecedens patet, primò de prima specie qualitatis: quia sanitas, & ægritudo cõtrariantur. Item, de quarta specie, quia rectum, & curuũ contrariantur; similiter turpitudo, & pulchritudo. 1.

Secundò, quia secundùm illas species est per se motus, in quibus inuenitur resistentia, contrarietas, & distantia terminorum, secundùm quas potest esse successio in motu ab vno termino ad reliquum; sed sic est de qualitatibus aliis à tertia specie: nam de virtute in vitium, aut è contra, non potest fieri mutatio subita: immò est ibi resistentia, & distantia terminorum, secundùm quas est successio.

Tertiò, si ad qualitates de tertia specie Qualitatis esset motus, & nõ ad alias, hoc esset pro tanto: quia qualitates de aliis speciebus, sunt ad aliquid; sed hoc non obstat: ergo, &c. Maior patet per Aristotelem, qui assignat illam causam, & minor est etiam nota per Aristotelem in Prædicamentis, *diuersorum generum, & non subalternatim positorum, &c.*

Quartò, quia secundùm caliditatem, & frigiditatem est per se motus; sed caliditas, & frigiditas sunt de prima specie qualitatis, vt ponit Aristoteles in Prædicamentis: ergo, &c.

Quintò, quia sanatio, & doctrinatio sunt quidam motus, & tamen sunt secundùm qualitates de 2.

de prima specie, igitur secundùm qualitates de prima specie est per se motus. Maior patet *in 3. huius, text.* 12. vbi Aristoteles numerat ista inter genera mutationum. Et minor patet, quia sanitas, & doctrina, secundùm quas sunt illi motus, sunt de prima specie.

Sextò, quia *in 2. huius, quæst.* 3. dictum fuit, quòd figura non est res distincta à re figurata; sed ad albedinem, quæ est figura, est per se motus: igitur ad figuram est per se motus; & per consequens ad qualitatem de quarta specie.

Diuisio quæstionis.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 7. text.* 14. *& inde.* In quæstione primò videbitur, quę sunt illa, quę pertinent ad Prædicamentum Qualitatis. Secundò qualiter ab inuicem distinguantur species Qualitatis; & tertiò quare in vna illarum specierum dicitur esse motus, & non in alia.

Terminus aliquis tribus modis dicitur esse de Prædicamento qualitatis.

Quantum ad primum, notandum, quòd tripliciter aliquis terminus dicitur de Prædicamento Qualitatis. Vno modo, quia est prædicabilis de prima substantia in quale, & per ipsum potest responderi conuenienter ad quæstionem de prima substantia quærentem, quale est hoc: & isto modo pertinent ad Prædicamentum Qualitatis termini concreti; vt album, & nigrum.

3. Secundo modo pertinent ad Prædicamentum Qualitatis abstracta huiusceemodi concretorum; vt albedo, nigredo. Tertio modo termini superiores prædicabiles in quid de huiusmodi concretis, vel abstractis; & sic ad Prædicamentum Qualitatis spectant huiusceemodi termini, quale, qualitas, & huiusmodi; vnde per istum terminum *quale* non respondetur ad quæstionem, qualis est homo, sed iam quando quæritur, hoc supponitur. Quarto modo potest addi, quòd termini priuatiui, scilicet, qui priuatiuè opponuntur huiusmodi terminis positiuis, pertinent ad Prædicamentum Qualitatis isto quarto modo; vt isti termini, cæcum, surdum tenebrosum, & consimiles: & consimilis distinctio potest fieri de aliis Prædicamentis: & hoc de primo.

Species qualitatis quomodo distinguantur.

Quantum ad secundum, notandum, quòd species [a] Qualitatis non distinguuntur secundùm rationes quiditatiuas, à quibus sumuntur, sed distinguuntur penes diuersos modos, & proprietates attributas quandoque qualibus eiusdem speciei specialissimæ. Et si quæratur, [b] quæ sunt illæ proprietates? Dico, quòd sunt istæ: si aliquis terminus supponat pro qualitate, quæ per se, & propriè nata est immutare sensum; tunc, si ille terminus sit sumptus ab illa ratione, secundùm hoc pertinet ad tertiam speciem Qualitatis. Secundò, omnes termini, qui appropriatè dicuntur de qualitatibus, vt de numeris, & magnitudinibus, pertinent ad quartam speciem Qualitatis, vt par, impar, rectum, curuum, & huiusmodi. Tertiò illi termini pertinent ad primam, vel secundam speciem Qualitatis, qui supponunt pro qualitatibus, quæ sunt virtutes, vel vitia subiectorum, in quibus sunt, ita quòd disponant vel inclinent ad benè, vel malè operandum; tunc termini significantes qualitates, sumpti ab ista ratione, sunt de prima specie Qualitatis, vel de secunda, differenter tamen, quia si huiusmodi qualitas acquisita sit post generationem, tunc pertinet ad primam speciem: sed si innata sit à generatione, tunc pertinet ad secundam.

4. Ex quibus sequitur, quòd eadem qualitas numero est in tertia specie Qualitatis, & cum hoc in prima. Nam caliditas secundùm quòd est nata immutare sensum, est de tertia specie; sed secundùm quòd suum subiectum disponitur per ipsam ad benè operandum, vel malè, secundùm hoc pertinet ad primam speciem; & secundùm hoc vocatur alio nomine, vt sanitas, vel ægritudo: & si sit innata, vt caliditas in igne, tunc vocatur naturalis potentia. Secundò sequitur, quòd ratio, à qua sumuntur termini de prima specie Qualitatis, & de secunda, includunt in se quosdam respectus, scilicet ad sua subiecta, & ad operationes suorum subiectorum: verbi gratiâ, eadem, vel consimilis caliditas in gradu, quo est sanitas in corde, est ægritudo in alio membro, vt in cerebro, & per consequens inclinaret ad benè operandum in vno, & malè operandum in alio; & secundùm hoc vocaretur diuersis nominibus: quod non esset nisi huiusmodi nomina includerent diuersos respectus, scilicet ad subiecta qualitatum, de quibus dicuntur, & ad operationes huiusmodi subiectorum. Tertiò, sequitur, quòd ad qualitates de prima, vel secunda specie est per se motus, quemadmodum ad illas de tertia, quia sunt eædem qualitates, & hæc de secundo.

Quantum ad tertium, scilicet quare ad qualitates de tertia specie dicitur esse per se motus, & non ad alias; cùm tamen sint eædem qualitates? Respondetur, quòd Aristoteles *in isto 7. text.* 10. tangit duas causas, quare ad aliquam speciem non sit per se motus. Prima causa est ista, quia propter illum motum non de necessitate mutatur responsio per terminos de illa specie, licèt quandoque huiusmodi termini mutentur; vt patet in exemplo; quia propter motum localem de necessitate mutatur responsio de mobili per terminos de genere *vbi*; & ideò dicimus, quòd ad *vbi* est per se motus: sed quia propter motum localem non de necessitate mutatur responsio per terminos de genere *Ad aliquid*, licèt quandoque accidat illos mutari; ideò dicimus, quòd ad aliquid non est per se motus.

Ita similiter in proposito, quia secundùm motum alterationis de necessitate mutatur responsio terminorum de tertia specie, vt per calefactionem dicimus, quòd est calidum, quod priùs erat frigidum; sed per calefactionem non de necessitate mutatur responsio terminorum de prima, vel secunda specie, licèt quandoque accidat; verbi gratiâ, quandoque accidit, quòd caliditas, quæ priùs fuit sanitas, nunc est ægritudo: quia fortè magis intensa; sed hoc non est de necessitate: quia si illa caliditas fuisset in lapide, nec fuisset sanitas, nec ægritudo.

Secunda causa quam Aristoteles *text.* 17. tangit, est ista: quia ad illā dispositionem, quæ immediatè prouenit à motore, dicitur esse propriè motus, vt ad caliditatem est calefactio; sed ad illam, quæ mediatè prouenit, & consecutiuè non est per se motus, vt ad raritatem, vel albedinem; & sic secundùm istum modum loquendi ad nullam qualitatem secundam esset per se motus, sed benè ad primam; & sic patet quare secundùm aliquam speciem Qualitatis dicitur esse per se alteratio, & hoc non secundùm alias. & hoc de tertio. 5.

Ad rationes. Ad primam dico, quòd hoc non sufficit, sed requiritur cum hoc, quòd termini de illa specie de necessitate varientur propter illum motum: & licèt quandoque accidat illos terminos variari, cùm tamen non sit de necessitate, non oportet quòd ad illam speciem sit per se motus. Eodem modo ad secundam.

Ad tertiam dico, quòd hoc est, quia non de necessitate immutantur termini de subiectis, quæ alterantur secundùm qualitates, quas illi termini significant: quia vt iste terminus *sanitas* supponat pro caliditate, vel etiam iste terminus *naturalis potentia*, non oportet, licèt subiectum calefiat, vel frigefiat, quòd huiusmodi nomen mutetur.

Ad quartam, secundùm caliditatem, &c. concedo; & sic concessum est, quòd secundùm qualitates de prima specie sit per se motus; non tamen sub illa ratione, quâ sunt de prima specie; sed sub ratione, quâ sunt de tertia specie.

Ad quintam, concedo, quòd sanatio, & doctrinatio sunt quidam motus, sed tamen sanatio non est per se motus ad sanitatem, sed ad caliditatem, vel frigiditatem. Item, diceretur, quòd doctrinatio non est propriè motus, eo quòd fit consecutiuè ad alios motus.

Ad sextam, dictum est in quæstione.

ANNOTATIONES.

6. [a] *Species Qualitatis non distinguunt*, &c. Nota, quòd Scotus *in Prædicamentis, cap. de Qualitate, quæst.* 1. dicit, quòd Aristoteles non assignat species Qualitatis, sed modos. Nam illæ quatuor species non sunt subalternæ: quia de nullis duabus earum potest verè dici, quòd quicquid est in vna, est in alia, vel è conuerso; si ergo illæ essent species, non essent subalternæ; at species non subalternæ de se inuicem prædicari est impossibile; modò has possibile est prædicari de eodem: quia possibile est eandem qualitatem essentialiter esse radicatam in subiecto, & ita habitum, & esse principium naturale faciliter operandi, vel non faciliter, & per consequens in secunda specie; & esse per se obiectum sensus, atque adeò in tertia. Non assignat ergo Aristoteles species Qualitatis, sed modos, quod patet per litteram eius. Nam antequam enumeret illas, dicit, *Qualitas enim est eorum, quæ multipliciter dicuntur*, id est, multis modis; & in fine his enumeratis, dicit: *Et fortasse quidam alij apparent qualitatis modi, sed qui maximè dicuntur hi sunt*. Est autem differentia inter speciem, & modum; quia species super illud, cuius est, addit differentiam essentialem, modus verò differentiam accidentalem; & ita isti modi dicunt diuersam habitudinem qualitatis ad subiectum, penes hoc, quod est esse permanens, vel non; esse à natura, vel non; esse sensibile, vel non; quæ tamen omnia non variant qualitatem essentialiter, quia omnes istæ habitudines, vel plures possunt esse in eadem qualitate secundùm essentiam. Hanc eandem sententiam habet Scotus *in* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 10. *sub litt. N.* §. *Sed hoc non valet.* vbi habet hæc verba: *Secundùm veritatem illa diuisio Qualitatis in quatuor species non est propriè generis in species, sed est tantum secundùm quosdam modos diuersos conuenientes diuersis qualitatibus; & fortè eidem qualitati in se secundùm essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diuersis qualitatibus.* Hæc Scotus.

7. *Motus qualitatis trifariam sumi potest.*

[b] *Et si quæratur quæ sunt illæ proprietates*, &c. Nota, quòd modus Qualitatis sumi potest, vel in ordine ad naturam subiecti, aut in ordine ad eius quantitatem; si sumatur in ordine ad naturam subiecti, spectat ad primam speciem Qualitatis: verbi gratiâ, quia perfectio animalis in quantum animal, consistit in vita; sanitas, quæ est modus animalis ad istam rem conseruandam, pertinet ad primam speciem Qualitatis. Item, quia vita hominis in quantum homo, consistit in *operari* secundùm rationem, habitus intellectus, & voluntatis, qui sunt scientiarum, & virtutum, spectant etiam ad hanc speciem; & etiam contraria virtutum, vt vitia, quoniam contrariorum eadem est disciplina. Si verò modus qualitatis consideretur quantùm ad operationem, aut modus est secundùm principium faciliter operandi, & sic est secunda species Qualitatis, quæ est naturalis potentia, & impotentia. Obserua tamen maximum esse discrimen inter Scotum, & D. Thomam, istius, illiúsque scholam, quoad hanc speciem intelligendam. Thomistæ namque occasionem verborum Aristotelis putant omnes naturales potentias, & proprias passiones esse huius secundæ speciei Qualitatis, quod tamen longè est à veritate: ponitur enim quælibet propria passio reductiuè in eodem Prædicamento sui subiecti. Scoti tamen doctrinam sequentes, duplicem distinguimus, naturalem potentiam, & impotentiam. Naturalis potentia primo modo, est illa, qua quis simpliciter potest operari, vt potentia sensitiua visus, vel auditus; vel potentia intellectiua, vt intellectus, & propriæ passiones, vt risibilitas; & sic non loquitur Aristoteles in prædicamento Qualitatis de potentia naturali. *Naturalis potentia, & impotentia est duplex.*

Secundo modo dicitur de potentia naturali habilitas, dispositio, seu promptitudo existens in nobis à natura, per quam sumus habiles, & prompti ad aliquid faciendum, vel inhabiles, & indispositi; & hoc modo loquitur Aristoteles de potentia & impotentia naturali, quæ facit secundam speciem Qualitatis, quæ in hoc differt à prima specie, quia ratio formalis primæ speciei est benè, vel malè disponere subiectum in ordine ad naturam eius. Ratio verò formalis naturalis potentiæ, quæ est in secunda specie, est esse principium operandi, abstrahendo à benè, vel malè disponere subiectum; quia benè, vel malè disponere subiectum dicit conuenientiam, & disconuenientiam naturæ subiecti; ideò ea quæ ponuntur in secundo modo Qualitatis, non dicunt hanc conuenientiam, vel disconuenientiam. Aut tertiò, consideratur modus Qualitatis secundùm terminum operationis, quæ est qualitas producta per actionem, vt calor, frigus, & alia id genus; & sic spectat ad tertium modum Qualitatis, qui est passio, & possibilis qualitas; aut postremò qualitas est modus substantiæ, quantùm ad eius quantitatem; & sic est forma, & figura; forma quæ est exterior effigies, quæ est terminus quantitatis in quantum subiectiuè est in aliquo corpore, siue illa sit naturalis, vt forma humana, siue artificialis, vt forma domus; figura verò vt quantitas Mathematica separata à corpore naturali, vt figura triangularis, quadrangularis, circularis, &c. Obserua tamen, quòd figura non solùm accipitur pro quantitatibus continuis, vt pro triangulo, aut quadrangulo; sed etiam pro quantitatibus discretis, vt pro numero senario, aut denario. Nam quemadmodum triangulus est figura plana tribus lineis clausa, ita nouenarius numerus est figura triangularis; constat enim ex ter tribus, quæ tria ter habent se in nouenario, sicut tria latera in triangulo, & quamuis nouenarius absolutè ponatur in 8.

Secunda species Qualitatis quomodo differat à prima.

Prædica

Prædicamento Quantitatis tanquam ſpecies illius, illa tamen compoſitio triangularis, quæ reſultat ex vnitatibus, ponitur in quarta ſpecie Qualitatis ſub figura.

EXPOSITIO TEXTVS.

9. Text. 11. DVbitabit 1 *autem aliquis*. Iſte eſt ſecundus tractatus huius ſeptimi, in quo Philoſophus determinat de comparatione motuum: & diuiditur in tria capitula. In primo capitulo ponit conditiones comparabilium. In ſecundo oſtendit, qui motus quibus motibus ſint comparabiles. Et in tertio determinat de comparatione motuum ad motores. Secundum ibi: *Sic & circa motum*. Tertium ibi: *Quoniam autem mouens*. Primum capitulum diuiditur: quia primò proponit quæſtiones. Secundò, arguit ad partes. Et tertiò determinat veritatem. Secunda ibi: *Si igitur omnis*. Tertia ibi: *Sed quacumque*. Dubitatio, quam mouet, eſt iſta. Vtrùm omnis motus omni motui ſit comparabilis?

An omnis motus omni motui ſit cõparabilis. *Si igitur omnis*. Hic arguit ad quæſtionem & primò ad partem negatiuam. Secundò ad affirmatiuam; & tertiò regreditur ad negatiuam. Secunda ibi: *In circulo autem*. Tertia ibi: *At verò*. Primò probat duabus rationibus, quòd non omnis motus motui eſt comparabilis: quia ſi ſic, tunc ſequeretur quòd motus circularis eſſet comparabilis motui recto; conſequens eſt falſum: quia linea circularis, & linea recta non ſunt ad inuicem comparabiles; quia non poſſunt ſibi inuicem ſupponi, & ſuperponi; & quod ſuper poſitionem cognouiſti, quantum vna eſt maior alia.

10. *Amplius alteratio*. Secunda ratio eſt iſta; ſi omnes motus eſſent ad inuicem comparabiles, tunc ſequeretur quòd motus localis, & alterationis eſſent ad inuicem comparabiles; conſequens eſt falſum: quia paſſio, ſecundùm quam eſt alteratio, & magnitudo, ſecundùm quam eſt motus localis, non ſunt ad inuicem menſurabiles: quia extenſio non menſuratur per intenſionem, nec è contra.

Text. 12. *In circulo 2 autem*. Hic probat quòd omnes motus ſunt ad inuicem comparabiles; & hoc dupliciter: primò ſi non omnes motus eſſent ad inuicem comparabiles, hoc maximè eſſet de motu recto & circulari; ſed motus rectus, & motus circularis ſunt ad inuicem comparabiles: quia motus circularis eſt velocior motu recto: verbi gratiâ, ſi vnus motor moueretur per chordam motu recto; & alius per arcum motu circulari; tunc illud, quod mouetur per arcũ, mouetur velociùs per definitionem *velocioris*; quia in eodem tempore plus pertranſit.



Text. 13. *Amplius 3 nihil differt*. Secunda ratio, quia aliquis diceret, quòd licèt motus circularis ſit velocior motu recto, tamen impoſſibile eſt quòd ſit æquè velox. Sed contrà arguitur, probando, quòd motus rectus, & circularis ſunt comparabiles ſecundùm velocitatem, ita vt ſint æquè veloces: quia vbi eſt dare maius, & minus, ibi eſt dare medium, & æquale; ſed vno motu recto eſt dare circularem vnum velociorem, & alium tardiorem: igitur eſt inuenire aliquem æque velocem.

At vero 4 ſi ſunt. Hic regreditur ad probandum, quòd non omnis motus omni motui eſt comparabilis, & repetit eandem rationem, quæ priùs facta fuit. Text. 24.

Sed quacumque non ſunt. Hic Ariſtoteles ponit conditiones comparabilium: quia habitis conditionibus comparabilium ſoluetur dubitatio in alio capite; & primò probat, quòd comparabilia debent eſſe vniuoca. Secundò probat quòd requiritur vniuocatio ſecundùm ſpeciem ſpecialiſſimam, ita vt non ſufficiat vniuocatio ſecundum genus, ibi: *Non igitur*. Item probat, ſecundò facit obiectionem, ibi: *An primum*: & tertiò ponit ſecundam rationem ad probandũ concluſionem, ibi: *Quoniam propter*. Pro prima parte notandum, quòd ad comparationem requiruntur tria. Primò, illa duo, quorum vnum alteri comparatur; & tertiò, illud in quo fit comparatio; & illud debet recipere comparationem, ita vt poſſit prædicari cum iſtis aduerbiis *magis*, & *minus*. Vult igitur Ariſtoteles probare, quòd illud, in quo fit comparatio vnius ad alterum, debet dici vniuocè de quolibet illorum; & iſta concluſio probatur: quia ſtylus, & vox non comparantur ad inuicem in acutie; ſed ſtylus, & cultellus benè comparantur; & non propter aliam rationem, niſi quia acutum dicitur vniuocè de ſtylo, & cultello: ſed dicitur æquiuocè de ſtylo, & voce: igitur ad hoc, quòd aliquorum ſit comparatio in aliquo tertio, requiritur, quòd illud tertium dicatur de quolibet illorum vniuocè. 11. *Conditiones comparabilium.*

Text. 25. *Ad primum 5 quidem*. Hic obiicit contra rationem: quia aër, & aqua comparantur ad inuicem, ſecundùm multum, & paucum, & ſecundùm duplum, & dimidium; quia dicimus, quòd aër eſt duplus, aqua eſt dupla, & hoc ſecundùm eandem rationem: quia ſecundùm rationem, quæ eſt proportio duorum ad vnum; & tamen videtur, quòd iſta non debent ad inuicem comparari. Reſpondetur, quòd aër, & aqua comparantur ad inuicem ſecundùm extenſionem. Tunc ſecundùm hoc, duplum, & dimidium poſſunt dici de eis vniuocè, quia aër poteſt eſſe duplo magis extenſus, quàm aqua. Item, ſi comparentur ſecundùm multitudinem materiæ: quia aër & aqua conueniunt in eadem materia; ideò poſſunt commenſurari ſecundùm multum, & paucum; ſed ſi commenſurentur ad inuicem ſecundùm ſuas rationes ſubſtantiales, & formales, tunc non eſt propriè comparatio: quia in hoc non conueniunt aër, & aqua. Et ſi de eis quantum ad hoc dicatur duplum, hoc eſt æquiuocè: & quando dicitur, quòd duplum dicitur ſecundùm eandem rationem, quæ ſcilicet eſt proportio duorum ad vnum. Reſpondetur quòd ſicut iſte terminus *duplum* eſt æquiuocus; ita iſti termini *proportio duorum ad vnum*.

Quoniam propter. Hic ponit ſecundam rationem ad concluſionem: quia aliqua ſunt comparabilia, & aliqua non; & non eſt ratio, niſi quia de ipſis aliquid dicitur vniuocè, & aliquid æquiuocè: igitur in hoc non ſunt aliqua comparabilia, quod dicitur de eis æquiuocè. Ad iſtud reſpondebat Plato, ibi: *An quia ſunt*, dicens, quòd aliunde prouenit diuerſitas: quia dicebat, quòd qualitates quæ ſunt in ſubiecto eiuſdem rationis, ſunt ad inuicem comparabiles, vt albedo Socratis albedini Platonis, ſed quæ ſunt in ſubiectis diuerſarum rationum non; & ideò, quia primum ſubiectum acuti in voce eſt alterius rationis à primo 12.

ſubiecto acutiei in cultello; ideò iſta non ſunt ad inuicem comparabilia. Sed contra iſtam ſolutionem obiicitur: quia ſi ſic, ſequitur quòd omnia eſſent ad inuicem comparabilia, quia omnia ſunt in ſubiecto eiuſdem rationis, ſcilicet in materia prima. Secundò, quia in ſubiectis diuerſarum rationum eſt diſpoſitio eiuſdem rationis; ideò non obſtante diuerſitate ſubiectorum ſecundùm ſpeciem, adhuc poteſt fieri comparatio diſpoſitionum, quæ ſunt in illis ſubiectis.

Non eſt ergo comparabile. Hìc ponit ſecundam concluſionem; ad hoc quòd aliqua ſint comparabilia in aliquo, non ſufficit, quòd illud tertium dicatur de illis vniuocè, ſed requiritur, quòd illud tertium ſit ſpecies ſpecialiſſima, & non genus. Quod patet exemplariter: quia non comparamus aliqua ad inuicem ſecundùm coloratum, ſed ſecundùm album & nigrum: & cauſa huius eſt, quia huiuſmodi genera non recipiunt comparationem.

QVÆSTIO V.

Vtrùm quælibet res cuilibet rei ſit comparabilis.

Ariſtot. *cap.4. text* 21. Themiſt. Simplic. Alexand *ibidem.* Auerroës *comm* 21. D. Thom. *lect.7.* Albert. *tract* 2 *cap.1.* Mayron. 7. *Phyſic. partit.*2. Conimbr *in expoſit. cap.4.* Ruuius *ibid. & quæſt. vnica.* Roccus *ſumma* 4. *cap.1. & quæſt* 5.

1. ARGVITVR primò quòd non: per Ariſtotelem *in iſto, 7. tract.3. text.*21. qui dicit, quòd non omnis motus omni motui eſt comparabilis.

Secundò per Commentatorem ibidem, qui dicit, quòd linea recta non eſt comparabilis lineæ curuæ.

Tertiò, quia tempus non eſt comparabile lineæ, nec angulus longitudini: igitur non quodlibet cuilibet eſt comparabile. Conſequentia eſt nota; & antecedens probatur, quia eſſet locutio abuſiua dicere, quòd linea eſt longior iſta die, vel quòd angulus eſt maior iſto corpore.

Quartò, infiniti ad finitum non eſt proportio: igitur non quodlibet cuilibet eſt comparabile. Probatur antecedens per Comment. 3. *huius, Com.* 31. & 40. vbi dicit, quòd duo infinita nullo modo ſunt ad inuicem comparabilia, quia nec vnum eſt maius reliquo, nec minus, nec æquale.

Quintò, non omnia ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ; igitur non omnia ſunt ad inuicem comparabilia. Antecedens eſt notum; & conſequentia probatur: quia proportio, quæ eſt principaliſſima comparatio, eſt duarum quantitatum eiuſdem generis vnius ad alteram certa relatio in quantitate; & per conſequens, ad hoc quòd aliqua ſint proportionalia, vel comparabilia, requiritur quòd ſint eiuſdem generis.

Sextò, aliqua ſunt de quibus nihil dicitur vniuocè: igitur illa non ſunt ad inuicem comparabilia. Conſequentia tenet per Ariſtotelem *in iſto, 7. text.*24. quia dicit, quòd ad hoc quòd aliqua comparentur in aliquo, oportet quòd illud dicatur de illis vniuocè: & antecedens apparet, quia nihil dicitur vniuocè de ſubſtantia, & accidente, nec etiam de Deo & iſtis inferioribus.

2. Oppoſitum arguitur; quia ſubſtantia eſt comparabilis accidenti, & Deus, & iſta inferiora ſunt inuicem comparabilia: igitur quodlibet cuilibet alteri, eſt comparabile. Conſequentia tenet, quia de iſtis minùs videtur, quòd ſint comparabilia ad inuicem, quàm de aliquibus aliis. Antecedens apparet, quia ſubſtantia eſt nobilior, & perfectior accidente naturâ, tempore, & definitione, vt patet 7. *Metaph. text.*4. Item Deus eſt nobilior, & perfectior iſtis inferioribus; & ſic patet, quòd iſta ſunt ad inuicem comparabilia, in perfectione, & nobilitate.

In quæſtione primò videbitur quid eſt comparatio, quæ requiruntur ad hoc quòd aliqua ſint comparabilia ad inuicem. Secundò, videbitur, quæ ſunt ad inuicem comparabilia. Et tertiò de diuerſis modis comparandi aliqua ad inuicem. *Diuiſio quæſtionis.*

Quantum ad primum, notandum quòd comparatio eſt duarum rerum habitudo ad inuicem, vel collatio in aliquo. Ex quo ſequitur, quòd ad comparationem tria requiruntur, videlicet illud quod comparatur. Secundò illud cui fit comparatio; & tertio illud in quo comparantur. Sed contra hoc obiicitur, quia nihil idem eſt in quolibet diuerſorum: igitur non eſt aliquod tertium, in quo aliqua comparentur. Conſequentia nota eſt, & ſimiliter antecedens; quia impoſſibile eſt, quòd ſit in diuerſis locis. Secundò, quia eadem res quandoque comparatur ſibiipſi: igitur ad comparationem non requiruntur duo, quorum vnum eſt illud, quod comparatur, & reliquum illud, cui fit comparatio. Conſequentia nota eſt: & probatur antecedens, quia dicimus quòd Socrates eſt albior, quàm fuerit heri. Tertiò, illa tria quæ tu ponis, non ſufficiunt ad comparationem, immò vltrà requiritur comparans, vt intellectus. Quartò, vt videtur, iſta quæſtio eſt omnino impertinens, quia hìc non determinatur de comparatione entium in generali, ſed præcisè de comparatione motuum in velocitate. *Definitio comparationis.*

Reſpondetur. Ad primum, concedo antecedens, & negatur conſequentia; quia ad hoc quòd aliqua comparentur in aliquo, vt in quantitate, vel qualitate, oportet, quòd illa habeant quantitates, vel qualitates ſimiles, vel diſſimiles, ſecundùm quòd ad inuicem comparantur; ideò poſſumus dicere, quòd illorum eſt vna qualitas, vel vna quantitas eo modo, quo dicimus, quòd ſimilia ſunt quorum qualitas eſt vna. Item, poteſt dici quòd illud, in quo fit comparatio, debet eſſe terminus dicibilis de vtroque illorum, quæ comparantur. 3.

Ad ſecundum, aliquando eadem res, &c. concedo; ſed oportet quòd hoc ſit ſecundùm aliquam diuerſitatem; & ideò ſufficit, vel quòd duo comparentur ad inuicem, vel idem comparetur ſibi ipſi, ſecundùm quòd diuerſimodè ſe habet vnâ vice, & aliâ, ita vt propter huiuſmodi diuerſitatem illud vnum reputetur in propoſito quaſi duo.

Ad tertiam, dico quòd ad hoc, quòd aliqua ſint ad inuicem comparabilia, non requiritur intellectus: quia poſito quòd nullus intellectus conſideraſſet, adhuc eſſet, quòd totum eſſet maius ſua parte, & quòd vna res eſſet perfectior aliâ, tamen ad hoc quòd aliqua ſint actu comparata, requiritur intellectus.

Ad quartam, iſta quæſtio eſt impertinens. Dico quòd non, propter tres cauſas. Prima cauſa, quia Ariſtoteles *in iſto tractatu tertio* dat conditiones generales requiſitas ad hoc, quòd aliqua comparentur. Secunda cauſa, quia Commentator *in iſto*

ſeptimo

septimo supponit, quòd linea recta non est comparabilis lineæ curuæ; & ideò ad inquirendum an hoc habeat veritatem, expedit assignare modum comparationis rerum ad inuicem. Tertia causa, quia Aristoteles *in isto tractatu* determinat de comparatione motuum in velocitate, quod non potest sciri, nisi comparando illa ad inuicem, quæ ponuntur in definitione *velocioris*, vt spatium & res acquisita, siue sit substantia, vel accidens.

Comparatio est duplex.

Secundò notandum, quòd duplex est [a] comparatio: quædam scilicet immediata, quâ scilicet aliqua duo comparantur in aliquo tertio; vt dicimus, Socrates est albior Platone: ibi enim Socrates & Plato comparantur ad inuicem in albedine. Alia est comparatio mediata, quâ scilicet comparantur aliqua duo ad inuicem in duobus, de quibus dicitur aliquod tertium, secundùm quòd ista in illis comparantur; vt dicendo, Socrates est albior, quàm Plato sit niger; hîc enim Socrates & Plato comparantur ad inuicem in albedine, & nigredine, de quibus dicitur *esse intensum*, in quo ista ad inuicem comparantur.

Conditiones illius in quo fit comparatio.

Tertiò notandum, quòd illius [b] in quo aliqua comparantur, sunt aliquæ conditiones. Prima est ista, quòd illud significet denominatiuè, ita vt sit terminus denominatiuus prædicabilis in quale, scilicet de genere Accidentis: & ideò secundùm terminos quiditatiuos de genere Substantiæ, non fit comparatio, nec etiam abstracta de genere Accidentis, quæ non sunt connotatiua: verbi gratiâ, non dicimus, quòd aliquis sit magis homo, quàm alius; aut magis albedo, aut nigredo, benè tamen dicimus quòd aliquid est magis album; & ideò secundùm huiusmodi concreta benè fit comparatio. Secunda conditio est, quòd illud, in quo fit comparatio, scilicet huiusmodi terminus connotatiuus sit natus dici secundùm magis, & minùs; & ideò dicit Aristoteles quòd circa genera non accidunt comparationes, quia non dicuntur secundùm magis, & minùs: verbi gratiâ, non dicimus, quòd aliquid sit magis quale, quàm aliud, vel magis coloratum: quia huiusmodi genera non recipiunt comparationem; ideò in illis non potest fieri comparatio. Tertia conditio, quòd illud in quo fit comparatio, dicatur vniuocè de illis, quæ comparantur ad inuicem; & ideò dicit Aristoteles *in isto septimo, text.* 24. quòd acus, & sonus non comparantur ad inuicem in acutie: quia acutum dicitur de eis æquiuocè.

5. Et si obiiciatur, quòd acutum dicitur de vtroque secundùm eandem rationem; igitur vniuocè. Consequentia tenet per definitionem vniuocorum: & antecedens probatur, quia acutum est quod est pungitiuum sensus: modò tam acus, quàm etiam sonus est pungitiuus sensus. Respondetur negando consequentiam: quia possibile est, quòd illa ratio sit etiam æquiuoca, sicut est hîc in proposito: nam acutum dicitur æquiuocè, vt est pungitiuum tactus, & vt est pungitiuum auditus. Et sic patet quid sit comparatio, quot requirantur ad hoc, quòd aliqua comparentur, & quæ sunt conditiones illius, in quo aliqua possunt comparari: & hæc de primo.

Quodlibet non est cuilibet comparabile in quolibet.

Quantùm ad secundum, prima conclusio est ista: Non quodlibet cuilibet est comparabile in quolibet. Probatur, quia aliquid est, quod de aliquibus duobus dicitur æquiuocè, vt longitudo de linea, & de tempore: igitur in illo ipsa non sunt comparabilia. Secundò, aliquid est quod non recipit comparationem: igitur in illo nulla sunt comparabilia. Tenet consequentia per conditiones priùs positas. Tertiò, patet exemplariter: quia homo, & Angelus non comparantur ad inuicem in albedine.

Quodlibet est cuilibet comparabile in aliquo.

Secunda conclusio: Quodlibet est comparabile cuilibet in aliquo. Probatur, quia de quibuscumque dicitur aliquid vniuocè denominatiuè, quòd suscipit magis & minùs: igitur quodlibet est comparabile cuilibet in aliquo. Consequentia tenet; quia hoc sufficit ad hoc, quòd aliqua comparentur. Et antecedens patet: quia de quibuscumque duobus dicitur *perfectum, notum, durans*, & huiusmodi, quorum quodlibet dicitur secundùm magis & minùs: verbi gratiâ, substantia est comparabilis accidenti in perfectione: quia, vt patet 7. *Metaph. text.* 4. substantia est perfectior accidente, naturâ, tempore, & definitione. Item, Deus est comparabilis creaturæ, quia est perfectior creatura: modò minùs videtur, quòd ista sint ad inuicem comparabilia in aliquo, quàm de aliis, & tamen ista comparantur, multò fortiùs ergo omnia alia sunt comparabilia ad inuicem.

Sed contra hoc obiicitur: quia aliqua sunt, quę in nullo conueniunt: igitur in nullo sunt comparabilia ad inuicem. Consequentia tenet ex prædictis. Et antecedens probatur: quia bonum, & malum in nullo conueniunt. Nec valet si dicatur, quòd bonum est perfectius malo: quia iam malum esset perfectum, quod est certè falsum, vt patet. Secundò, quia magnitudo, & numerus in nullo conueniunt. Item, linea, & sonus; igitur ista non sunt ad inuicem comparabilia. Tertiò, circa genera non fiunt comparationes, vt patet *in isto septimo, text.* 24. igitur illa non sunt ad inuicem comparabilia, quæ solùm conueniunt in genere; modò multa sunt talia, vt sapor, odor, &c. 6.

Deinde arguitur contra hoc, quod dicebatur, quòd in genere non fiunt comparationes, id est, illud in quo fit comparatio, non potest esse genus: quia aliqua comparantur in magnitudine; & tamen magnitudo est genus. Item, dicimus quòd vna res est magis saporosa, quàm alia, aut magis odorifera; & tamen tam sapor, quàm odor sunt genera: igitur in generibus benè fiunt comparationes. Item, 7. *huius, text.* 25. dicitur, quòd illa quæ ad inuicem comparantur, debent habere susceptiuum eiusdem rationis, seu naturæ; igitur multa sunt quæ sunt ad inuicem comparabilia.

Ad ista. Ad primum dicitur, quòd comparantur ad inuicem in perfectione. Et quando dicitur, quòd sequeretur, quòd malum esset perfectum; conceditur consequens: quia nihil est simpliciter malum. Item, supposito quòd aliquid esset simpliciter malum, adhuc ipsum & bonum essent ad inuicem comparabilia in eligibilitate, vel fugibilitate. Et si obiiciatur quòd voluntas non potest ferri in malum: igitur simpliciter malum nullo modo esset eligibile; & simpliciter bonum non esset fugibile: igitur bonum & malum non conuenirent in eligibilitate, nec fugibilitate: igitur in neutro illorum essent ista ad inuicem comparabilia. Respondetur, quòd licèt malum apprehensum sub ratione mali, & nullo modo sub ratione boni non sit eligibile, attamen malum potest apparere alicui sub ratione boni; & sic esset eligibile. Item, potest hoc negari, quòd voluntas non possit acceptare malum sub ratione mali. 8
Item, dicererur quòd ista possent ad inuicem comparari in notorietate, quia vel essent æquè nota, vel vnum notius reliquo. 7.

Ad

Ad ſecundum, magnitudo, &c. Dico quod immò: quia magnitudo eſt prior numero, cùm ex diuiſione magnitudinis reſultet numerus. Item, poſſunt comparari in notoreitate. Similiter dicitur de ſono, & de linea, quòd poſſunt comparari in perfectione, vel notoreitate.

Ad tertium, dico quòd hoc non debet exponi, vt tu dicis, ſed ſic, quòd illa quæ differunt genere non ſunt ad inuicem comparabilia in aliquo, in quo non conueniunt; & ſic accipiuntur ibi comparabilia pro illis, in quibus debet fieri comparatio; quia illud, in quo debet fieri comparatio, debet eſſe eiuſdē ſpeciei in vtroque cōparabilium.

8. Ad quartum, reſpondetur quòd iſte terminus *magnitudo* accipitur dupliciter, vno modo ſecundùm conceptum abſolutum; & ſic quælibet pars magnitudinis dicitur magnitudo, immò etiam quælibet extenſio: & ſic magnitudo eſt quoddam genus. Alio modo accipitur ſecundùm reſpectum ad paruitatem; & ſic eſt quædam ſpecies de genere *Ad aliquid*, & ſic in magnitudine benè fit comparatio.

Ad quintum, de ſapore & odore, dicitur quòd ſi ſit aliqua qualitas, de qua neceſſe eſt materiam ſemper æqualiter habere, vt fortè de calore; tunc in tali non fit comparatio: quia non ſuſcipit magis, & minùs; ſed ſi ſubiectum poſſet habere inæqualiter, ita vt vna vice plus, & aliâ minus, tunc in tali benè poteſt fieri comparatio. Et quando dicitur vnum vinum eſſe magis ſaporoſum alio; dicitur quòd hoc eſt impropriè dictum: quia non dicitur magis ſaporoſum, eo quòd ibi ſit plus de ſapore, ſed ex hoc, quòd ille ſapor intenſiùs mouet ſenſum, & magis delectabiliter.

Ad ſextum, dico quòd hoc debet intelligi, quòd comparabilia debent eſſe talia, quòd de illis dicatur aliquod vnum ſpecie, vniuocè, & denominatiuè. Et ſic patet quæ ſunt ad inuicem comparabilia: quia quodlibet cuilibet eſt comparabile: & hæc de ſecundo.

9. *Modi comparationis ſunt octo.* Quantùm ad tertium, ſcilicet de modis comparationis, [d] notandum quòd ſeptem, vel octo inueniuntur modi comparationis, quorum quatuor primi ſunt proportionales, alij non. Prima comparatio eſt proportio infinita; ſicut ſi numerus infinitus comparetur ad vnitatem: aut totum tempus æternum ad vnam diem.

Secunda comparatio eſt proportio rationalis finita, quæ ſcilicet immediatè denominatur ab aliquo numero; vt dupla, tripla, quadrupla, & ita de aliis.

Tertia comparatio eſt proportio irrationalis finita, & nota; cuiuſmodi eſt proportio diametri quadrati ad eius coſtam, quæ eſt medietas duplæ. Et vocatur proportio irrationalis, quia immediatè nominatur non à numero, ſed ab alia proportione, vt medietas duplæ denominatur à proportione dupla.

Quarta comparatio eſt proportio irrationalis ignota, & inſcibilis; & multæ ſunt tales (vt dicit Commentator Campanus in *comm.* 11. definitionis, ſcilicet, Euclidis: & talis fortè eſt proportio quadrati ad triangulum inſcriptum.

Quinta comparatio eſt improportionalis, cuiuſmodi eſt quantitas anguli rectilinei ad quantitatem anguli ex vna recta, & vna curua; aut etiam qualiter ſe habent duo anguli rectilinei diuerſarum curuitatum: huiuſmodi enim angulorum comparatio ad inuicem in quantitate eſt finita, ſed improportionalis.

Sexta comparatio eſt improportionalis & infinita vltra omnem comparationem, cuiuſmodi eſt proportio anguli rectilinei ad angulum contingentiæ; vel etiam ſuperficiei ad lineam, aut corporis ad ſuperficiem: quia corpus eſt maius ſuperficie, pluſquam in duplo, pluſquàm in triplo, & ſic in infinitum vltra omnem proportionem.

Septima comparatio eſt improportionalis vocata infinita; ſed citra omnem proportionem, vt, verbi gratiâ, ſicut ſi diceremus quòd aggregatum ex corpore, & ſuperficie eſt maius illo corpore minùs quàm in quadruplo, minùs quàm in triplo, minùs quàm in duplo, minùs quàm in medietate dupli, & ſic in infinitum citra omnem proportionem. 10.

Octaua comparatio eſt modus alieniſſimus ab aliis; vt quando aliqua comparantur ad inuicem ſecundùm ordinem prioritatis, aut naturæ; vt dicendo, cauſa eſt prior effectu ſecundùm naturam aut *A* eſt prius quàm *B*, ſecundùm ordinem ſitus. Et dico quòd iſte modus eſt alieniſſimus ab aliis, pro tanto, quia quilibet aliorum modorum comparandi eſt comparabilis ſecundo modo, ſcilicet proportione rationali; quia quocumque illorum modorum fiat comparatio, iſta conſequentia eſt bona; *A* eſt maius quàm *B*: igitur *A* eſt in duplo maius quàm *B*, vel maius quā in duplo, aut minus quàm in duplo; ſed iſta conſequentia non valet de comparatione finita, mediante iſto comparata priùs, loquendo de prioritate ordinis, vel naturæ; quia non ſequitur, Sol eſt prior naturâ lumine: igitur eſt prior in duplo, vel plus, vel minus quàm in duplo. Eodem modo non valet conſequentia de priori ſecundùm ordinem ſitus, niſi accipiatur ordo penes diſtantiam ad aliquem certum punctum; & tunc non fit comparatio ſolùm ſecundùm ordinem, ſed ſecundùm extenſionem magnitudinis.

Secundò notandum, quòd in omni comparatione oportet imaginari continuitatem vel diſcretionem, intenſionem, vel ordinem, ſed quia intenſio qualitatis, vel virtutis imaginatur per modum extenſionis, & ordo per modum diſtinctionis: igitur in omni comparatione imaginanda eſt continuitas, vel diſtinctio. 11.

Tertiò notandum, in quibus prædictæ conditiones reperiuntur: vnde de hoc dicit Ariſtoteles 10. *Metaphyſ.* text. 2. quòd menſura, proportio, comparatio, æqualitas, inæqualitas, magis, & minùs, primò & principaliter reperiuntur in quantitate; & ſecundariò, & ſimilitudinariè ad quantitatem, reperiuntur in aliis. Ideò primò & principaliter dictæ comparationes reperiuntur in quantitatibus continuis, vel diſcretis: ſecundò in proprietatibus quantitatum; vt in angulis, obtuſionibus, & acutiebus. Tertiò in intenſionibus qualitatis, vel virtutis. Quartò, in perfectione. Quintò, in nobilitate. Sextò, in ordine; & ita conſequenter in aliis.

Sed ad ſciendum magis articulatim quæ comparatio, & in quibus reperiatur; ponuntur concluſiones. Prima concluſio: In numeris ſolùm inuenitur prima comparatio, & ſecunda. Probatur: quia omnis numerus alteri comparatus aut eſt finitus, aut infinitus: ſi infinitus, tunc eſt prima comparatio, ſcilicet proportio infinita: quia numeri infiniti ad finitum, vel ad vnitatem eſt proportio infinita: ſi finitus, tunc eſt proportio ſecunda, ſcilicet proportio finita rationalis.

Secunda

Secunda conclusio: in quantitatibus continuis inueniuntur aliæ primæ comparationes: patet per Campanum in loco prææliegato: & ideò solet dici, quòd in quantitatibus continuis inueniuntur tam proportio rationalis, quàm irrationalis; sed in numeris inuenitur solùm proportio rationalis.

12. *In quibus inueniatur comparatio & qualis.*

Tertia conclusio: Prædictæ comparationes reperiuntur in proprietatibus quantitatum; vt in angulis, in intensionibus, &c. vt patuit exemplificando; & sic patet quot sunt modi comparationis, & in quibus ipsæ comparationes reperiantur; & hoc de tertio.

Ad rationes. Ad primam, dico quòd Aristoteles intelligit, quòd non omnis motus omni motui est comparabilis in velocitate, benè tamen est comparabilis in aliquo alio; vt in esse perfectum, aut in esse notum.

Ad secundam, dico quòd immò, linea recta, & curua sunt ad inuicem comparabiles: quia non est dubium, quin circumferentia sit maior diametro. Item, dicit Aristoteles quòd circulus est figura perfectissima, capacissima, & vna; & sic linea circularis benè comparatur ad alias lineas. Tunc ad authoritatem Commentatoris, ipse intelligit, quòd non sunt comparabiles proportionaliter; & fortè hoc non est vniuersaliter verum.

Ad tertiam, dico quòd licèt non comparentur in longitudine, tamen in aliquo alio, vt in perfectione, duratione, vel notorietate.

Ad quartam, infiniti, &c. verum est, proportio finita, tamen benè est proportio infinita; & dato quòd finiti ad infinitum non esset proportio, propter hoc non sequitur, quin finiti ad infinitum sit comparatio, quia arguitur ab inferiori ad superius negatiuè.

Ad quintam, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia ad hoc, quòd aliqua sint comparabilia, sufficit quòd de eis dicatur denominatiuè eadem species, quæ suscipiat magis, & minùs, vt dictum fuit priùs.

Ad sextam, negatur antecedens, quia licèt de ipsis nihil dicatur vniuocè [e] quiditatiuè, scilicet de substantia, & accidente, de ipsis tamen benè dicitur aliquid denominatiuè; vt perfectum, notum, & huiusmodi: & in aliquo tali quodlibet est cuilibet comparabile.

ANNOTATIONES.

13. *Comparatio est multiplex.*

a *Duplex est comparatio.* Nota comparationem multiplicem esse, Physicam scilicet, & Metaphysicam, siue Logicam. Comparatio Physica, de qua loquitur Aristoteles *in isto, 7.* debet esse specifica specialissima specie: Metaphysica verò, siue Logica ea est, quæ in aliquo communi ipsis comparatis siue communitas sit specifica, siue generica, siue transcendentalis: & ratio huius discriminis est, quia Metaphysicus abstrahit conceptus genericos, & vniuersaliores à speciebus. Physicus autem non abstrahit à speciebus, sed à singularibus tantùm. De hac secunda comparatione loquitur Scotus in hac quæstione.

Conditiones ad hoc quòd aliqua comparari possint in aliquo tertio.

b *Illius in quo aliqua comparantur.* Nota, in omni comparatione inueniri id, quod comparatur, & id in quo fit comparatio. Ponit autem Aristoteles tres conditiones requisitas, vt aliqua propriè, ac verè comparentur in aliquo tertio. Prima est, vt illud tertium, in quo fit comparatio, debeat esse vniuocum ad ea, quæ comparantur. Secunda, & illud ipsum debet competere illis per vnum omnino susceptiuum: vt si comparemus cygnum cum pariete in albedine, dicentes albior est pariete cygnus, optima est comparatio; quia susceptiuum albedinis immediatum est eiusdem rationis in vtroque: est namque superficies: non dices tamen rectè, clarior est aqua voce: quia claritas non inest vtrique eàdem ratione habens susceptiuum. Tertia conditio, forma in qua fit comparatio, non solùm vniuocâ, sed speciei specialissimæ debet esse. Tres istæ conditiones seruantur in comparatione Physica.

d *De modis comparationis notandum, &c.* Nota quòd *proportio est duarum quantitatum eiusdem generis certa vnius ad alteram habitudo.* In definitione ponitur *habitudo* pro genere, quoniam proportio est quædam relatio; at verò quia non est quæcumque relatio, sed ea tantùm quæ cernitur inter duas quantitates eiusdem rationis, vt inter duos numeros, aut duas lineas; ideò reliquæ particulæ loco differentiæ ponuntur. In quibus particulis hoc est aduertendum, quantitatem non accipi solùm pro discreta, sed etiam pro continua: loquimur enim modò tam de proportione Arithmetica, quæ tantùm cernitur in numeris, quàm etiam de Geometrica, quæ in magnitudinibus reperitur; immò sumitur etiam quantitas pro quantitate virtutis; quia tamen certior, ac determinatior quantitas designatur in quantitate discreta; ideò in illa proportione meliùs declarantur. Est autem duplex proportio: alia rationalis, altera irrationalis. Rationalis est, quæ cernitur inter duas quantitates, quibus est communis aliqua pars aliquota; cuiusmodi est inter omnes numeros: omnibus enim est vnitas tanquam pars communis & aliquota, quæ videlicet aliquoties repetita reddit adæquatè ipsum totum; & idem contingit in multis quantitatibus continuis, vt in linea quadrupedali, & bicupedali: pedalitas enim est pars aliquota vtriusque, & perinde inter illas est proportio rationalis. Proportio irrationalis est habitudo duarum quantitatum, quibus non est aliqua communis pars aliquota, qualis est inter latus quadrati, & eius diametrum. Hæc autem proportio irrationalis reperitur solùm in quantitatibus continuis. Hac autem relictâ proportione, diuiditur rursus proportio rationalis in proportionem æqualitatis, & inæqualitatis. Proportio æqualitatis est habitudo inter duas quantitates, quarum alteram neutra excedit; vt proportio binarij ad binarium, & cubiti ad cubitum. Proportio inæqualitatis est habitudo inter duas quantitates, quarum altera excedit alteram; vt inter binarium, & ternarium, cubitum, & tricubitum.

14. *Definitio proportionis.*

Diuisiones proportionis.

Proportio irrationalis quid sit.

Proportio æqualitatis ampliùs diuidi non solet. Sed proportio inæqualitatis diuiditur in proportionem maioris inæqualitatis, & minoris. Proportio maioris inæqualitatis est proportio quantitatis excedentis ad illam, quæ exceditur; vt ternarij ad binarium, & bicubiti ad cubitum. Proportio minoris inæqualitatis est proportio quantitatis, quæ exceditur, ad illam, quæ excedit: vt binarij ad ternarium, & cubiti ad bicubitum: ex quo liquet tot esse species maioris inæqualitatis, quot sunt minoris, & è contra. Explicatis igitur speciebus maioris inæqualitatis remanent explicatæ species inæqualitatis minoris. 15.

Rursus diuiditur proportio maioris inæqualitatis in quinque species immediatè, quarum tres

priores ſunt ſimpliees, & duæ poſteriores compoſitæ ex ſimplicibus. Proportio ergo maioris inæqualitatis alia eſt multiplex, alia ſupetparticularis; alia ſupetpartiens, alia multiplex ſuperparticularis; alia multiplex ſopetpartiens. Ptoportio multiplex eſt habitudo doarum quantitatom, qoatuin vna eootinet aliam adæquatè aliquoties; qualis eſt quaternarij ad binarium, & lineæ quadtupedalis ad lineã bipedalem. Dioiditur autem ptoportio multiplex in infinitas ferè ſpecies, ſecundùm quòd tepetitur infinitum in numeris: tot enim ſunt eius ſpeeies, quot ſunt ſpecies numetorum, à quibus illæ denominantur. Si enim maior quantitas bis eontineat minotem, eſt prima ſpecies proportionis multiplicis, quæ dieitot dupla, qualis eſt quaternarij ad binarium: ſi continet ter, erit tripla, & ſic in infinitum.

Proportio ſuperparticularis. Proportio ſuperpartienlaris eſt proportio duarum qoantitatom, quarum maior ſemei minorem continet, & vnam eius partem aliquotam; qualis eſt proportio ternarij ad binatium; tetnatius enim eontinet binarium ſemel, & prætetea vnum, quod eſt pars aliquota binatij: & diuiditot in multas ſpeeies, quæ ſumunint ex alia, & alia parte aliquota. Si enim pata aliqoota, quam eontinet maiot quantitas vltta minotem, ſit dimidium ipſius minoris, eſt ptima ſpecies buius proportionis, quæ dieitur ptoportio ſeſquialtera, id eſt, altara & ſemis, ſeu dimidium; cuiuſmodi eſt proportio ternarij ad binarium, & ſenarij ad quaternarium. Si verò pars aliquota ſit tertia pars minoris, ita vt maior quantitas ſemel contineat minorem, & prætetea eius tertiam partem, erit ſeconda ſpecies, quæ dicitur ſeſquitertia; qualis eſt proportio quaternarij ad tetnatium, & octonarij ad ſenarium. Quòd ſi para illa aliquota, quam præter minorem quantitatem maior eontinet, ſit quarta pars minoris qoantitatis, erit tertia ſpeeies, quæ dicitur ſeſquiquarta; qualem proportionem habet binarius ad octonatium, & ſic in infinitom. Ex his ſequitur, quòd quanto proportio hæc denominatur per voeabulum maioris numeri, tanto eſt minor, & quanto à minori eſt maior, vt ſeſquialtera eſt maior, quàm ſeſquitertia, & bæc, quàm ſeſquiquarta, & ſic in infinitum: quia magis excedit illa quantitas minorem, quæ exeedit in dimidio, quàm quæ exeedit in tertia parte, & hæc magis, qoàm quæ ſolùm excedit quarta parte, & ſie deineeps; è contra verò ſe habet res in proportionibus multiplicibus: maior enim proportio eſt quadrupla, quàm tripla, & hæc, quàm dupla: quia dupla bis tantùm continet minorem, tripla ter, qoadtupla quater eomplectitur.

17. *Proportio ſuperpartiens.* Proportio ſuperpartiens eſt proportio duarum quantitatnm, quarum maioxeontinet ſemel minotem, & eius aliquot partes aliquotas, id eſt, quarum quælibet ſit aliquota, dummodò non faciant ſemel coniunctæ vnam aliquotam: ſi enim faciant vnam aliquotain, erit proportio ſuperparticularis ſuprà dicta: hoiuſmodi proportionem habet quinatius ad tetnariom. Quinarius enim continet ſemel ternatium, & doas vnitates, quarum quælibet eſt pars aliquota ternarij; ambæ verò ſimul nullo modo ſunt eius pars aliquota: eandem proportionem habet ſeptem ad quinque, & nouem ad ſeptem. Hæc proportio diuiditur in ſpecies ſubalternas in proportionem ſuperbipartientem, & ſupertripartientem, & ſic in infinitum. Si enim maior quãtitas minotem contineat, & duas eios partes, eſt prima ſpecies, quæ dicitur ſuperbipartiens, qualis eſt proportio quinarij ad binarium: ſi verò contineat tres partes, eſt alia ſpecies, quæ dicitur ſupertripartiens; cuiuſmodi eſt proportio octo ad quinque. Rurſus voaquæque iſtarum ſubdiuiditur in ſpecies infimas: verbi gratiâ, ſoperbipartiens diuiditor io ſpeeies infimas in infinitum: nam ſi illæ partes, in quibus maior quantitas excedit minorem, ſint tertiæ, prima ſpeeies dicitor ſoperbipartiens tertias, quæ quidem eſt, quando maior quantitas continet minorem, & inſuper duas eius tertias; qualem proportionem habet qoinarius ad ternarium. Si verò illæ duæ partes ſint quintæ, fiet alia ſpecies, quæ dicitur ſuperbipartiens quintas, qualis eſt proportio ſeptenarij ad quinariom; & ſic ſemper procedendo per partes impares, ſcilicet tertias, quintas, ſeptimas, &c. Simili modo poteris diuidere alias ſpeeies huios proportionis, videlicet ſupertripartientem, & ſuperquadripartientem. Diximus autem proportionem ſuperbipartientem diuidi in ſuperbipartientem tertias, quintas, ſeptimas, &c. non verò in ſuperbipartientem quartas, aut ſextas: qnoniam ſi duæ partes illæ ſextæ, aut quartæ eſſent, iam ex illis fieret vna pars aliquota: nam ex duabus ſextis fit vna tertia, & ex duabus quartis fit vna media, qoarum quælibet eſt aliqoota; & tunc iam talis proportio contineretur in ſuperparticulari, & non in ſoperpartiente.

18. *Proportio multiplex ſuperparticularis.* Proportio multiplex ſuperparticularis eſt compoſita ex prima, & ſecunda ſpecie, éſtque proportio duarum quantitatum, quarum maior continet minorem aliquoties, & inſoper vnam eius partem aliquotam, vt proportio quinarij ad binarium; & in huiuſmodi proportione eſt conſiderare proportionem multiplicem in ipſa ineluſam; videlicet duplam, tripiam, &c. Et etiam eſt conſiderare illam partem aliquotam, quâ qoantitas maior ſuperat minorem, quæ poteſt eſſe pars dimidia, tertia, vel quarta; & ſie in infinitum. Vnde fit vt duplex ſit diuiſio huius proportionis: immediatè namque diuiditur in ſpecies ſubalternas iuxta aliam proportionem multiplicem, quam includit: ſi enim maior quantitas contineat minorem bis, & vnam eius partem aliqootam, eſt ſpecies proportionis multiplicis ſuperparticularis, quæ dicitur dupla ſuperparticularis; qualis eſt quinarij ad binarium: ſi verò contineat minorem ter, eſt alia ſpecies, quæ dicitur tripla ſuperparticolaris, vt ſeptenarij ad binarium. Deinde quælibet ipſarum ſpecierum diuidi poteſt in infinitas infimas ſpecies, habitâ ratione partium aliqootarum; vt ſi pars aliquota, qoam maior quantitas continet ſuper minorem bis ineluſam in dupla proportiona ſuperparticulari, ſit medietas ipſius minoris; eſt prima ſpecies proportionis duplæ ſuperparticularis, quæ dicitur dupla ſuperparticularis ſeſquialtera; qualis eſt binarij ad binarium. Si verò ſit tertia pars, eſt alia ſpecies, quæ dicitur dupla ſeſquitertia, vt ſeptenarij ad binarium; & ita de reliquis in infinitum. Eodem qooque modo dioidi poſſunt cæteræ omnes ſpecies proportionis multiplicis ſuperparticolaris, vt tripla ſuperparticularis diuidatur in triplam ſeſquialteram, & triplam ſeſquitertiam, & ſic deinceps.

19. *Proportio multiplex ſuperpartiens.* Proportio multiplex ſoperpartiens componitor ex prima, & tertia ſpecie; & eſt proportio duarum quantitatum, quarum maior includit minorem aliquoties, & inſoper aliquot eius partes

partes aliquotas, non facientes vnam aliquotam; qualis est proportio octonarij ad ternarium. In hac tamen specie triplex est diuisio. Prima in species subalternas ratione proportionis multiplicis, quæ hic includitur. Nam si quantitas maior præter aliquot partes, quas supra minorem continet, contineat minorem bis, est prima species proportionis multiplicis superpartientis, quę dicitur dupla superpartiens; qualis est octonarij ad ternarium: si verò contineat minorem ter, est alia species, quæ dicitur tripla superpartiens; qualis est inter vndecim, & tria; & sic in infinitum. Rursus quælibet istarum specierum diuiditur in species subalternas iuxta numerum partium aliquotarum: verbi gratiâ, si in dupla superpartiente illæ partes, quas maior quantitas continet bis supra minorem, sint duæ, fit prima species, quæ dicitur dupla superbipartiens; qualis est octonarij ad ternarium: si verò sint tres, fit alia, quæ dicitur dupla supertripartiens; qualis est inter tredecim, & quinque, & sic de reliquis. Deinde quælibet istarum specierum diuiditur in infinitas alias infimas, pro diuersitate partium aliquotarum: nam si duæ illæ partes aliquotæ, quas maior quantitas includit præter minorem aliquoties contentam, sint tertiæ ipsius minoris, ita scilicet vt quælibet sit tertia, erit vna species: verbi gratiâ, in proportione dupla superbipartiente, quæ continet minorem bis, & insuper tertias ipsius minoris; dicetur dupla superbipartiens tertias, qualis est octonarij ad ternarium: si verò sint quintæ, efficitur secunda species, quæ dicitur dupla superbipartiens quartas, qualis est inter duodecim & quinque; & sic deinceps: & hoc modo, quo diuisa est proportio dupla superbipartiens, diuidi potest quæcumque aliarum, vt superiùs de multiplici superparticulari diximus.

20. De proportione minoris inæqualitatis nihil aliud dicendum restat, quàm, vt suprà diximus, diuidi posse in tot species, in quot diuisa est proportio maioris inæqualitatis; accipiendáque est specierum appellatio ex apppellatione specierum maioris inæqualitatis, præpositâ tamen hac particulâ *sub*: vt si proportio quatuor ad duo dicitur multiplex ad duplam, proportio duorum ad quatuor dicetur submultiplex, ad subduplam, &c. Solet autem assignari hæc regula: *Actio nunquam fit à proportione siue æqualitatis, siue minoris inæqualitatis, sed semper fieri debet à proportione maioris inæqualitatis*, id est, *ab agente habente plus actiuitatis, quàm patiens, seu mobile habeat resistentiæ*: nam si æquales, aut pauciores habuerit gradus actiuitatis, non poterit sui mobilis resistentiam superare, atque adeò illud non mouebit. Hactenus de proportione.

Definitio proportionalitatis.

Modò de proportionalitate dicendum est. *Proportionalitas est proportio proportionum, seu comparatio proportionum, siue habitudo quædam inter proportiones*; verbi gratiâ, vnius duplæ ad aliam duplam, vel duplæ ad quadruplam.

21. Diuiditur proportionalitas in Geometricam, Arithmeticam & Musicam. Proportionalitas Geometrica est duarum proportionum similitudo secundùm speciem proportionis, licèt sit dissimilitudo secundùm excessum: qualis est illa, quæ cernitur inter proportionem senarij ad quaternarium, & ternarij ad binarium, quarum vtraque est sesquialtera: excessus tamen non est idem; siquidem senarius supra quatuor duas

continet vnitates, ternarius verò super binarium vnam tantùm. Proportionalitas Arithmetica est duarum proportionum similitudo, secundùm excessum, licèt sit dissimilitudo quoad speciem proportionis, cuiusmodi est ea, quæ est inter proportionem ternarij ad binarium, & quaternarij ad ternarium, quarum prima est sesquialtera, & secunda sesquitertia; excessus tamen est idem: sicut enim ternarius excedit binarium vnitate, sic etiam quaternarius excedit ternarium vnitate tantùm: & ex hoc dicitur hæc proportio Arithmetica; quia scilicet ratio eius consistit in similitudine numerorum, seu in excessu æquali secundùm numerum. Ratio verò proportionalitatis Geometricæ in similitudine proportionis potissimum consistit, quæ non magis reperitur in numeris, quàm in magnitudinibus; & propterea ad differentiam Arithmeticæ, quæ in numeris tantùm reperitur, vocatur Geometrica. Proportionalitas Musica est similitudo inter maximum, & minimum extremum duarum proportionum, & inter excessus vtriusque proportionis, licèt proportiones illæ non sint eiusdem speciei, neque excessus sint iidem. Consistit namque hæc proportionalitas in hoc, quòd sicut maxima quantitas, quæ in illis cernitur, & minima se habent inter se, ita excessus, qui in vna reperitur, & excessus qui in altera, se habent inter se: verbi gratiâ, sit proportio sex ad quatuor, item quatuor ad tria: maximum extremum, seu maxima quantitas, quæ in his duabus proportionibus reperitur, est sex, minima verò est tria: nam excessus qui reperitur in vna, nimirum in priori, quâ scilicet sex excedunt quatuor, est duo; excessus verò in posteriori, quâ scilicet quatuor excedunt tria, est vnum. Quamuis igitur istæ proportiones non sint eiusdem speciei, quia sex ad quatuor est proportio sesquialtera, quatuor verò ad tria est sesquitertia, quamuis item excessus non sint idem inter se, quia in vna est duo, in altera vnum; nihilominus, quia sicut se habent maxima illa quantitas sex & minima, scilicet tria, inter se, ita se habent excessus, scilicet duo & vnum inter se; quia sicut inter sex & tria est proportio dupla, ita inter duo & vnum, dicitur inter illa esse proportionalitas, quæ appellatur proportionalitas Musica, quia solùm apud Musicos, (vt aiunt) illius est vsus. Hæc breuiter de proportionibus annotauimus; cùm propter Scotum qui in hac quęstione de proportionibus loquitur, tum quia deseruient ad intelligendas regulas, quas docet Aristoteles pro motuum comparatione.

c *Nihil dicitur vniuocè quiditatiuè de substantia, & accidente.* Nota quòd hìc Scotus loquitur de vniuocatione Physica, vel etiam Logica, accipiendo vniuocationem Logicam propriè, & in rigore: ens enim, physicè, & logicè loquendo, non est vniuocum, vel saltem non dicitur vniuocè de Deo, & creatura, substantia, & accidente. Vide ea quæ diximus in Formalitatibus, articulo primo, & in expositione quæstionis nouæ Vniuersalium Scoti, ad vltimum principale. 22.

EXPOSITIO TEXTVS.

Sic & circa motum. Hoc est secundum capitulum huius tractatus, in quo ostendit quòd motus sunt ad inuicem comparabiles: & primò 23.

proponit

proponit in generali, quòd motus ſunt æquè veloces. Secundò in ſpeciali oſtendit, quòd motus rectus non eſt comparabilis motui circulari in velocitate. Tertiò, quòd motus localis non eſt æquè velox alterationi. Quartò quæ alterationes ſunt æquè veloces. Et quintò hoc idem oſtendit de generatione, ſecunda ibi: *Si autem aliud.* Tertia ibi: *Quare ſi.* Quarta ibi: *De alteratione autem.* Quinta ibi: *Et in generatione autem.* Primò proponit quòd illi motus ſunt æquè veloces, qui in eodem tempore mouentur ſecundùm æqualia.

Text. 30. *Si 2 autem aliud.* Hîc oſtendit, quòd alteratio non eſt æquè velox loci mutationi. Probatur, quia illi motus non ſunt ad inuicem comparabiles in velocitate, qui non ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed alteratio, & motus localis non ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo, &c. Item, tunc extenſio ſpatij ſuper quod fit motus localis, & intenſio qualitatis, ſecundùm quam eſt alteratio, eſſent ad inuicem comparabiles, quod eſt falſum.

Quare ſi. Hîc oſtendit, quòd motus rectus non eſt comparabilis motui circulari. Secundò reſumit ſuppoſitionem præmiſſam in principio. Tertiò infert corollarium. Et quartò mouet & ſoluit quaſdam dubitationes. Secunda ibi: *Quare qua.* Tertia ibi: *Et ſignificat.* Quarta ibi: *Quando igitur.* Primum proponit per modum dubij, iſto modo: Ex quo illa æquè velociter mouentur, quæ in eodem tempore mouentur ſecundùm æqualia; dubium eſt vtrùm [a] motus rectus ſit æquè velox motui circulari: & reſpondet quòd non. Deinde mouet de cauſa, vtrùm hoc eſt ex eo, quòd illi motus ſunt diuerſarum rationum, vel ex eo quòd linea recta, & circularis non ſunt ad inuicem comparabiles? Reſpondet Ariſtoteles quòd vtroque modo; quia incomparabilitas lineæ rectæ ad circularem eſt cauſa, quòd illi motus ſunt diuerſarum ſpecierum; & ſic eſt cauſa mediata: quare illi motus differunt ſpecie, ſed diuerſitas ſpecifica motuum eſt cauſa immediata. Et ſubdit Ariſtoteles quòd non ſolùm iſtis modis differunt motus ad inuicem, ſed etiam differunt inſtrumentis, mediantibus quibus fiunt; ſicut volatio differt ab ambulatione: eo quòd vna fit per pedes, & alia per alas: & ſubdit, quòd ſic non differunt motus rectus, & circularis, ſed differunt penes figuram magnitudinum, ſupra quas fiunt huiuſmodi motus.

Motus rectus an ſit æquè velox motui circulari.

24. *Quare qua.* Hîc reſumit ſuppoſitionem præmiſſam à principio, ipſam corrigendo: vnde ad hoc, [b] quòd aliqui motus ſint æquè veloces, non ſufficit, quòd per ipſos in eodem tempore pertranſeantur æqualia: immò requiritur, quòd illi motus non differant ſpecie. Et ideò dicit Ariſtoteles quòd diligenter eſt obſeruandum penes quid attendatur diuerſitas ſpecifica motuum.

Text. 31. *Et 3 ſignificat.* Hîc infert corollarium: quia genus non [c] eſt ſimpliciter vniuocum, immò eſt quodammodò æquiuocum ad multa. Vbi ſciendum, quòd æquiuocum eſt, quòd diuerſa ſignificat ſecundùm diuerſas rationes: & ideò Ariſtoteles diſtinguit triplicem modum æquiuocationis: nam aliqua ſignificant æquiuocè, quæ nullam habent ad inuicem connexionem, proportionem, aut ſimilitudinem; & illa vocantur à caſu. Alia eſt æquiuocatio, per quam vnum ſignificatur in habitudine ad reliquũ, & vocatur analogia, & eſt æquiuocatio generis, nã genus ſignificat multa ſecundùm vnam rationem generalem, & eſt ſecũdùm illã diuiſibilis in diuerſas rationes ſpeciales.

Æquiuocum quid ſit & quotuplex.

Quando igitur. Hîc mouet duas quæſtiones; & breuiter prima eſt, penes quid attendatur diuerſitas ſpecifica, ſcilicet vel ex diuerſitate ſubiectorum, in quibus ſunt, vel ex ipſiſmet, quæ differunt ſpecie? Reſpondet Ariſtoteles quod non prouenit ex diuerſitate ſubiectorum, quia contingit idem in alio, id eſt, contingit, quòd in alio, & alio ſubiecto ſint qualitates eiuſdem ſpeciei; & ideò diuerſitas ſpecifica prouenit ex ipſiſmet, quę differunt ſpecie. Secunda quæſtio eſt: quis terminus, id eſt, ſecundùm Commentatorem, quæ ars conſulenda eſt de aliquibus, an differunt ſpecie vel non? Reſpondet Commentator quòd hoc pertinet ad illam artem, quæ eſt de eodem, & diuerſo, & illa data eſt 7. *Topicorum.*

De alteratione 4 autem. Hîc oſtendit quæ alterationes ſint ad inuicem æquè veloces. Secundò oſtendit, ad quid eſt inſpiciendum, cognoſcendo comparationem alterationum ad inuicem in velocitate, ibi: *Vtrùm ergo.* Primò dicit, quòd poſſibile eſt alterationes eſſe ad inuicem æquè veloces: verbi gratiã, ſanitas eſt qualitas, & ſanari eſt alterari: ideò ſi duo ſubiecta infirma in eodem tempore ſanentur, dicimus illa æquè velociter ſanari; & ſi vnum reliquo citiùs, dicimus illud velociùs alterari. Sed obiicitur, quia alteratio eſt ſecundùm qualitatem, modò ſecundùm qualitatem non dicitur aliquid æquale, vel inæquale, ſed ſimile, vel diſſimile: igitur vna alteratio non eſt æqualis alteri, licèt benè ſimilis, vel diſſimilis. Reſpondet Ariſtoteles quòd immò, quia licèt ſecundùm qualitates ſubiecta dicantur ſimilia, vel diſſimilia, attamen alterationes ſecundùm illas qualitates poſſunt dici æquales, vel inæquales, conſiderato tempore, in quo fiunt huiuſmodi alterationes. 25. Text. 32.

Vtrùm 5 ergo. Hîc oſtendit ad quid eſt inſpiciendum, comparando ad inuicem alterationes; & mouet per modum dubij, Vtrùm ſit inſpiciendum ad qualitatem, vel ad ſubiectum qualitatis. Reſpondet Philoſophus quòd ad vtrumque, quia inſpiciendum eſt ad qualitatem, quanta eſt ſecundùm intenſionem; quia ſecundùm intenſionem qualitatis in gradu eſt ſucceſſio alterationis. Secundò inſpiciendum eſt ad ſubiectum; quia quandoque non ſolùm eſt ſucceſſio ſecundùm gradus qualitatis, immò etiam ſecundùm partes ſubiecti; & ideò ad ſciendum an vtroque modo alterationes ſint æquè veloces, oportet inſpicere, an in eodem tempore ſubiecta æqualia alterentur ſecundùm qualitates æquè intenſas. Text. 33.

Et in 6 generatione. Hîc Ariſtoteles oſtendit idem in generationibus. Vnde ſicut dicebatur *in quinto*, in generatione non eſt ſucceſſio ſecundùm gradus formæ, quæ generatur, ſed præciſè ſecundùm partes quantitatiuas ſubiecti: ideò [d] illæ generationes ſunt æquè veloces, per quas in eodem, vel in æquali tempore formæ generantur in ſubiectis æqualibus. Et ſubdit, quòd ſecundùm [e] antiquos, qui ponebant formas eſſe numeros, eſſet dubium: quia illa generatio eſſet velocior, quã maior numerus numeratur, & illa tardior, quã minor, & quòd illæ eſſent æquè veloces, quibus numeri æquales acquiruntur. Text. 34.

ANNOTATIONES.

[a] DVbium eſt, vtrùm motus rectus, &c. Nota quòd incomparabilitas motuum poteſt prouenire, vel ex parte ipſorum motuum: quia videlicet 26.

Incomparabilitas motuum vnde proueniat.

videlicet motus rectus, & circularis differunt specie sub genere. Motus localis, vel ex parte magnitudinum, per quas fiunt; nempe quia linea recta, & linea circularis specie differunt sub genere Quantitatis continuæ, an fortè ex vtraque sit causa, scilicet, & differentia specifica motuum, & differentia magnitudinum; nam si magnitudines, super quas fit motus, specie differunt, & motus specie differunt. Nam tempus in quo fiunt, causa esse non potest, quia tempus species est specialissima. Resolutio est, quòd & differentia specifica motuum, & differentia specificà magnitudinum, super quas fit motus, est causa incomparabilitatis, proxima quidem & immediata est differentia specifica motuum recti, & circularis; remota verò, hoc est, mediata differentia linearum, per quas fiunt, ex qua nascitur differentia motuum.

Velocitas in alteratione vnde attendatur. b *Ad hoc quòd aliqui motus sint.* Nota, quòd ad hoc quòd alterationes dicantur æquè veloces, requiritur quòd sint secundùm qualitates eiusdem speciei, & secundùm æquales gradus: nam si qualitates essent diuersarum specierum, sicut sunt albedo, & sanitas, motus essent diuersarum specierum: atque ita non essent comparabiles; etsi qualitates differant secundùm intensius, & remissius, nec erunt æquè veloces, immò ille erit velocior, quo acquiritur qualitas intensior. Et quia in motu alterationis inuenitur duplex successio, & duplex velocitas: vna secundùm intensionem qualitatis, & alia secundùm extensionem eius in partes alterabilis: nam quamuis in motu locali omnes partes quantitatiuæ mobilis simul moueantur, in motu tamen alterationis, non omnes partes alterabilis alterantur simul; ideò ad comparandum velocitatem alterationis, quoad intensionem oportet inspicere ad qualitatem, & ad comparandam velocitatem extensionis, oportet inspicere ad subiectum.

27. *Genus non est simpliciter vniuocum.* c *Quia genus non est simpliciter vniuocum.* Nota, quòd genus non est vniuocum sumendo vniuocationem propriissimè, pro eo quod est vniuocum Physicè, quia non dicit vnam naturam æqualiter participatam ab omnibus suis inferioribus; est tamen vniuocum vniuocatione communiter dictâ, quæ est Logica, vel Metaphysica: dicit enim vnum conceptum realem realiter prædicabilem de omnibus suis inferioribus, diuisibilem per differentias formales & specificas; & ille conceptus non dicit entitatem completam in vltimo gradu naturæ, sed adhuc est perfectibilis, & per differentias determinabilis; ideò non dicitur vna natura, dato quòd species sit vna natura.

d *Ideò illæ generationes.* Nota, quòd ad generationes æquè veloces, non requiritur ex parte termini *ad quem*, nisi quòd sint eiusdem speciei, quia in termino *ad quem* generationis non reperitur diuersitas secundùm intensius, & remissius, vel secundùm magis, & minùs; sicut in aliis motibus. Dupliciter itaque possunt comparari generationes in velocitate: vno modo secundùm quòd hîc dicit Scotus penes partes quantitatiuas subiecti, velut communiter dicitur quantum ad alterationem præcedentem, quæ est via ad generationem. Alio modo pro acquisitione formæ substantialis. Priori modo vna generatio potest dici alterâ velocior: nam velociùs generatur masculus quàm fœmina in hominibus; nam embryo masculi animatur 40. die,

Generationes dupliciter cõparari possunt in velocitate.

fœminæ verò 60. Et præterea potest esse velocior, aut tardior extensio formæ per totum subiectum, vt si animal incipiat animari à corde, & successiuè animetur: sed posteriori modo vna generatio est alterâ velocior, aut minùs velox: quia non est motus, sed instantanea mutatio.

e *Secundùm antiquos, qui ponebant,* &c. Nota quòd Pythagoras inter Astrologos Ægyptios nutritus philosophabatur per numeros, existimans enim vnum, quod est principium numeri de genere Quantitatis, idem esse cum vno, quod conuertitur cum ente & de omni substantia prædicatur, omnes naturas rerum censebat esse numeros quosdam. Et eadem erat opinio Platonis. Si ergo secundùm istorum sententiam, substantia est numerus, sequitur quòd in forma substantiali eiusdem speciei est dare maius & minus, scilicet maior, & minor numerus, quod ipsi concedebant. Et si aliquis dixisset, substantia non suscipit magis, & minùs, id negabant, sed dicebant non esse nomen impositum, & innominatas esse illas differentias in substantia, quæ nominatæ sunt in qualitate, & quantitate; nam in qualitate intensior passio, aut excellens dicitur magis, aut minùs tale, in quantitate verò maius, aut minus. Vel deducatur littera, vt deducit Scotus, nimirum, si substantia esset numerus, sequeretur, quòd substantia haberet latitudinem maioris, & minoris numeri; consequens est falsum: quia tunc reciperet differentias excellentiæ, licèt non essent nominatæ, sicut in qualitate, & quantitate, cùm tamen perfectio substantiæ consistat in indiuisibili. 28.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm omnis motus cuilibet motui sit comparabilis in velocitate?

Aristot. *cap.4. text.30.* Auerroës, Themist. & alij *ibidem.* D.Thom *lect 8.* Albert *tract.2.cap.3.* Vide authores citatos quæstione antecedenti.

ARGVITVR primò quòd sic; supposito quòd cuiuslibet motus velocitas attendatur penes proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti; tunc possibile est, quòd motus localis proueniat à proportione dupla, & etiam alteratio, & etiam augmentatio; tunc illi motus sunt æquè veloces, qui proueniunt ab æqualibus proportionibus; sed motus localis, alteratio, & augmentatio, de quibus minùs videtur quòd sint comparabiles, proueniunt ab æqualibus proportionibus; igitur illi motus sunt æquè veloces. 1.

Secundò, omnis motus est velox: igitur omnes motus sunt veloces. Vel igitur æqualiter, vel inæqualiter; & quocumque dato, sequitur quòd sunt comparabiles.

Tertiò, motum localem consequitur alteratio, ita vt quanto motus localis est velocior, tanto alteratio consequens est velocior; igitur illi motus sunt ad inuicem comparabiles. Antecedens apparet: nam localem consequitur alteratio, vt patet *primo Meteororum.*

Quartò, quia motus circularis est comparabilis motui recto: igitur & quilibet alter motus cuilibet alteri motui. Consequentia tenet: quia de istis minùs videtur: & etiam dicit Commentator,

quòd non ſuot ad inuicem comparabiles. Antecedens probatur : quia linea circularis eſt comparabilis lineæ rectæ. Confirmatur, quia omnis linea eſt longior quacumque alia , aot breuior , vel ſibi æqualis : igitur motus factus ſuper vnam lineam æqualis cuilibet motui facto ſuper aliam.

Secundò confirmatur : quia ſi motus rectus, & circularis non eſſent ad inuicem comparabiles , hoc eſſet pro tanto , quòd ſunt diuerſarum ſpecierum : nam iſtam cauſam aſſignat Commentator ; ſed iſta cauſa non obſtat : quia motus ſurſum eſt comparabilis motui deorſum in velocitate , & motus naturalis motui violento , qui tamen ſunt motus diuerſarum ſpecierum. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem, *in iſto ſeptimo tractatu tertio, text. 30. & inde.*

2. In quæſtione primò præmittendæ ſunt quædam ſuppoſitiones , vnà cum quibuſdam diſtinctionibus. Secundò reſpondebitur ad quæſitum.

Quantùm ad primum, notandum vt patuit ſuprà, *6. text. 11.* quòd velocius eſt , quod in æquali tempore pertranſit maius, & in minori æquale,& etiam maius. Ex quo patet , quòd in definitione *velocioris* ponuntur *maius* , & etiam *pertranſitum*, quæ dicuntur æquiuocè de intenſione, ſecundùm quam eſt alteratio;& extenſione, ſecundùm quam eſt motus localis ; & per conſequens *velox* , aut *velocius* dicitur æquiuocè de motibus.

Velocitas motus penes quæ eſt attendenda.

Secundò notandum, quòd in definitione *velocioris* ponuntur duo , penes quorum comparationem attenditur comparatio motuum ad inuicem in velocitate , ſcilicet tempus , & pertranſitum; quia dicitur in definitione , quòd velocius eſt, quod in æquali tempore pertranſit maius : nam omne tempus omni tempori eſt comparabile. Ideò ex parte temporis non prouenit impedimentum, quin omnes motus ſint ad inuicem comparabiles, ſed totum impedimentum prouenit ex parte pertranſitorum. Ex quo patet, quòd ea conſideratione pertranſitorum, an ſint comparabilia, vel non, poteſt ſciri de motibus, an ſint comparabiles in velocitate, vel non.

3. Tertiò , notandæ ſunt quædam ſuppoſitiones de pertranſitis ſecundùm diuerſa genera motuum. Prima ſuppoſitio eſt, quòd velocitas motus localis recti attenditur penes lineam. Secunda, quòd velocitas motus circularis attenditur penes angulos deſcriptos circa centrum. Tertia, quòd velocitas motus circularis impropriè attenditur etiam penes lineam circularem, quæ deſcribitur , vt ſi ſtella imaginetur moueri ad modum, quo auis volat in aëre. Quarta, quòd velocitas alterationis attenditur penes intenſionem qualitatis , ſecundùm quam eſt alteratio. Quinta , quòd velocitas augmentationis attenditur penes proportionem aduenientis ad præexiſtens; & omnes iſtæ ſuppoſitiones patent *ex 6. libro.* Sexta ſuppoſitio , quòd cuiuſlibet motus velocitas eſt attendenda penes proportionem potentiæ motoris ad reſiſtentiam moti , patet *in iſto ſeptimo , text. 15. & in ſecundo Cœli , text. 36. & in octauo huius, text. 78. & 79.* hoc ibidem fuit declaratum.

Comparatio motuum in velocitate poteſt fieri tripliciter.

Quartò notandum , quòd [a] comparatio motuum in velocitate ad inuicem poteſt fieri tripliciter : vno modo propriè , quòd illi motus ſint æquè veloces , aut vnus velocior alio. Secundo modo impropriè, non ſecundùm æqualitatem, vel inæqualitatem , ſed ſecundùm quandam correſpondentiam , ita vt illi motus dicerentur æquè veloces, qui prouenirent ab æqualibus proportionibus , ſiue eſſent vnius generis, ſiue diuerſorum generum; quemadmodum dicimus, quòd ſapor eſt æqualis colori;& hoc eſt correſpondenter. Similiter dicimus, quòd ſonus eſt æqualis chordæ: dicimus etiam quòd pondus mallei , & rigor chordæ, ſunt ad inuicem æquales , vel inæquales , eo quòd ipſis correſpondent ſoni æquè acuti : & ita diceretur in propoſito , comparando motus ad inuicem. Tertio modo fit comparatio [b] motuum ad inuicem impropriè proportionaliter , ſcilicet ſecundùm augmentum proportionale: verbi gratiâ, poſito quòd motus localis proueniret ab aliquâ certa proportione , & motus alterationis ab æquali, & vterque in eadem hora augmentaretur ad duplum ; tunc iſti motus in hoc dicerentur æquales , quia æquè proportionaliter ſunt augmentati : & eodem modo diceretur de diminutione. Et ſic patet, quòd tripliciter poſſunt motus comparari , ſcilicet aut ſecundùm æqualitatem, aut ſecundùm correſpondentiam, aut ſecundùm proportionalem augmentationem, vel diminutionem;& hoc de primo.

Quantum ad ſecundum , prima concloſio eſt iſta : Omnis motus localis rectus , cuilibet recto eſt comparabilis. Probatur , quia omnis linea recta cuilibet rectæ eſt comparabilis : igitur & motus facti ſuper illas lineas ſunt inuicem comparabiles. Conſequentia tenet ; quia comparatio motuum eſt ſecundùm comparationem pertranſitorum. Et antecedens apparet , quia omnes duæ lineæ rectæ ſic ſe habent ad inuicem , quòd vna eſt alteri æqualis , vel inæqualis : & quocumque dato , ſemper eſt comparatio. Ex iſto ſequitur, quòd motus ſurſum eſt comparabilis motui deorſum in velocitate , motus voluntarius motui violento ; & cum hoc etiam motus violentus motui naturali. Secundò , ſequitur quòd iſti motus non differunt ad inuicem ſpecie propter pertranſita; ſed propter terminos ad quos , vel à quibus ſunt illi motus. 4.

Omnis motus localis rectus cuilibet recto eſt comparabilis.

Motus circularis non eſt comparabilis recto in velocitate.

Secunda concluſio , eſt de motu circolari. Motus circularis [c] non eſt comparabilis motui recto in velocitate. Probatur, quia velocitas motus circularis attenditur penes angulos deſcriptos circa centrum;& velocitas motus localis recti attenditur penes lineam: modò linea eſt incomparabilis angulo in magnitudine.

Tertia concluſio , velocitate impropriâ motus circularis benè eſt comparabilis motui recto. Probatur, quia linea circularis benè eſt comparabilis lineæ rectæ, vt arcus chordæ; igitur & motus ſuper huiuſmodi lineas , & vniuerſaliter omnes motus locales ſunt ad inuicem comparabiles, quorum pertranſita ſunt ad inuicem comparabilia,& non aliter.

Alterationes quomodo ſint ad inuicem comparabiles in velocitate.

De alteratione, prima concluſio ſit iſta: Omnes alterationes eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ ſunt ad inuicem comparabiles , vt omnis dealbatio omni dealbationi. Patet , quia omnium huiuſmodi alterationum pertranſita ſunt ad inuicem comparabilia.

Secunda concluſio , Alterationes diuerſarum ſpecierum non ſunt ad inuicem comparabiles in velocitate , vt albatio calefactioni. Patet , quia albedo nec eſt æqualis , nec inæqualis caliditati; igitur nec motus ſecundùm albedinem motui ſecundùm caliditatem. Verum eſt tamen , quòd 5.

ab

ab ista conclusione aliqui excipiunt motus illos, qui sunt secundùm contraria: verbi gratiâ, si in aliqua hora intendatur caliditas vsque ad certum gradum, deinde in hora æquali remittatur secundùm eundem gradum, qui in prima hora acquirebatur. Tunc dicunt isti, quòd ista frigefactio est æqualis primæ calefactioni. Et ista exceptio esset vera, si intensio vnius qualitatis non esset aliud, quàm remissio suæ contrariæ; modò hoc fuit probatum falsum esse *tertio huius*, vbi probatum fuit, quòd intensio qualitatis non solùm est remissio contrarij, immò cum hoc est acquisitio qualitatis, licèt illam acquisitionem consequatur remissio contrarij.

Omnis augmentatio est omni augmentationi comparabilis.

De augmentatione, ponitur ista conclusio: omnis augmentatio omni augmentationi est comparabilis. Probatur, omnis proportio omni proportioni est comparabilis; igitur omnis augmentatio omni augmentationi. Consequentia tenet: quia augmentatio attenditur penes proportionem, vt dictum fuit priùs.

De omnibus istis motibus, est vna conclusio: Nullus [d] motus vnius generis est comparabilis alicui motui alterius generis: quia pertransita non sunt comparabilia: verbi gratiâ, proportio non est comparabilis intensioni qualitatis, nec intensio lineæ; igitur motus: quorum ista sunt pertransita, non sunt ad inuicem comparabiles. Et omnes istæ conclusiones positæ sunt de primo modo comparandi.

Modus comparandi motus penes correspondentiã.

6. Nunc de secundo modo, qui est secundùm correspondentiam, conclusio est ista: Omnis motus alterationis alicui motui locali est comparabilis. Probatur, quia alicuius qualitatis intensio congruè potest imaginari per lineam pedalem; & nec per maiorem, nec minorem: igitur alteratio facta secundùm illam intensionem est æqualis correspondenter motui locali facto secundùm illam lineam. Consequentia tenet, vt priùs: quia secundùm comparationem pertransitorum, est comparatio motuum. Antecedens probatur, quia aliqua qualitas congruè imaginatur ad modum dimidiæ sphæræ, propter hoc, quòd omnium punctorum ad inuicem proportio in intensione est sicut proportio linearum erectarum super superficiem planam dimidiæ sphæræ ad circumferentiam; & per consequens intensio puncti medij est imaginanda congruè, sicut semidiameter illius sphæræ. Secundò, quia illi motus sunt ad inuicem comparabiles correspondenter, qui correspondent æqualibus proportionibus: modò sic est de motu locali, & motu alterationis: quia possibile est, quòd vnus motus localis proueniat à proportione dupla, & cum hoc vnus motus alterationis. Et per hoc potest conformiter dici de aliis generibus motuum.

Modus comparandi motus secundùm proportionale.

De tertio modo comparandi secundùm proportionale augmentum, vel secundùm diminutionem proportionalem, est conclusio ista: In quolibet genere motuum aliquis motus potest esse comparabilis alteri motui alterius generis cuiuscunque, isto tertio modo. Probatur, quia si aliqua qualitas in vna hora intendatur ad duplum, & cum hoc proportio acquisita per augmentationem in eadem hora augmentetur ad duplum: tunc ista pertransita sunt non æqualiter, sed æquè proportionaliter augmentata; igitur si motus secundùm huiusmodi pertransita in eadem hora fuissent proportionaliter velocitati, tunc illi motus secundùm hoc fuissent comparabiles. Ex isto potest inferri, quòd in quibus non essent aliqua summa, à quibus mobilia non possent æquè proportionaliter distare, in illis motus non esset comparabilis isto modo; & ideò remissio soni in acutie, non est comparabilis isto modo remissioni caliditatis: quia non est dare sonum summè acutum: & isto modo comparandi vtitur Commentator, quando dicit, quòd agens tantum dat de loco, quantum de forma, id est, proportionaliter.

Ad rationes. Ad primam, concedo suppositionem. Et quando arguitur, proportiones sunt æquales; igitur & velocitates. Negatur consequentia, nisi addatur cum hoc, quòd proportiones sunt æquales, & termini proportionum sunt eiusdem rationis: modò proportio dupla à qua prouenit alteratio habet qualitates pro terminis, sed proportio dupla, à qua prouenit motus localis, habet mobile pro vno termino, & qualitatem motam, aut grauitatem, pro alio termino; modò ista non sunt ad inuicem comparabilia. 7.

Ad secundam, concedo antecedens, & primam consequentiam, sed nego secundam, scilicet, vel igitur æqualiter, vel inæqualiter; sicut non sequitur sonus, cultellus, & sapor sunt acuti: igitur vel æqualiter, vel inæqualiter. Non valet consequentia; quia istæ acuties non sunt ad inuicem incomparabiles.

Ad tertiam, motum localem, &c. concedo; igitur illæ velocitates. Negatur consequentia, nisi intelligatur de comparatione proportionali, aut correspondente.

Ad quartam, negatur antecedens, nisi in quantum velocitas motus circularis attendatur penes lineam descriptam, quia si attendatur circa angulos descriptos circa centrum, negatur antecedens: nec valet probatio: quia huiusmodi velocitas non attenditur penes lineam, sed penes angulos, qui sunt ad inuicem incomparabiles.

Ad confirmationem consimiliter. Ad secundam confirmationem concedo, quòd illa causa sufficit, nisi diuersitas specifica motuum proueniat ex diuersitate pertransitorum; sed si proueniat propter diuersitatem modi pertranseundi, non oportet.

ANNOTATIONES.

Velocitas motus bifariam considerari potest.

[a] *Comparatio motuum in velocitate*, &c. Nota quòd dupliciter possumus motus velocitatem considerare. Primo modo à posteriori, vt quando mensuramus motus velocitatem à spatio, & tempore; quando enim cognoscimus aliquod mobile vnâ horâ ambulasse duas leucades, velociùs dicimus moueri, quàm illud, quod in duabus horis illas pertransiit. Altero modo à priori, secundùm radicem, & causam velocitatis, & tarditatis motus. Est autem triplex radix maioris, vel minoris velocitatis. Prima excessus vnius virtutis actiuæ ad aliam, cæteris namque paribus, citiùs calefacit maior ignis, quàm minor, & velociùs proiicit lapidem brachium fortius, quam debilius. Secunda radix est excessus vnius resistentiæ ad aliam resistentiam: si enim agentia sint æqualia, illico mobile velociùs mouetur, quod minorem habet resistentiam; vt lapis in aqua, & in aëre. Tertia radix est excessus virtutum actiuarum, super suas resistentias. 8.

Velocitatis motus triplex est radix.

Vnde si sit vnum agens excedens suum passum in dupla proportioue, & aliud qnod excedar suum passum in tripla, velociùs monebir istud quàm primum.

Comparatio est duplex.

Nota secundò, quòd dnplex est comparatio; quædam est compatatio propriè dicta; alia est compatatio abnsiua. Ad comparationem ptoptè dictam tres conditiones requirunrur. Prima, qnòd illa quæ comparanıur non sint æquinoca. Secunda, quòd compatabilia habeant idem snbiectum primum. Tettia, qnòd sint eiusdem speciei specialissimæ: & ideò secundùm genus non fit comparatio, quia sibi non correspondet vna natura, & æquiuocnm physicè. Et ista non requiruntur ad comparationem abusiuam, atque adeò illâ comparatione mulra possunt comparari, quæ non suni propriè comparabilia.

9. [b] *Tertio modo fit comparatio.* Nota, quòd compatatio semper fit penes aliqnam vnitatem: vnitas autem aliquorum potest dupliciter accipi; vuo modo pencs propottionem: alio modo penes ptoportionalitatem. Vnde illa vniuntur secundùm proportionem, quæ babent ad se inuicem aliquam habitudinem quantitatiuam; nam proportio est duarum quantitatum alterius ad alteram habitudo. Ex quo patet, quòd qualitas uon habet ptopotrionem ad lineam, vel spatium; atque adeò nec alteratio habet proportionem ad loci mutationem; & per consequens neque comparationem, dato quòd duæ qualitatas habeant proportionem qualitatiuam, sicut duæ quantitates quantitatiuam; sicut linea ad lineam, numetus ad numetum. Alio modo attenditut vnitas aliquotum secundùm proportionalitatem, & hæc non est retum ad se inuicem, sed rerum ad alias res: est enim proportionalitas secundùm Euclidem, scilicet Geometriæ habitudo duarum proportionum ad se inuicem, sicut qualis est habitudo duarnm linearum, talis est duarum albedinum: & talis est loci mutationis ad loci mutationem, qualis est alterationis ad alterationem; & illa benè repetitur inter res diuersorum generum. Comparatio autem secundùm proportionalitatem non est comparatio propriè dicta, sed abusiua, eo quòd non est duarum rerum ad se inuicem, sed solùm habitudinis rerum; sed comparatio quæ fit secundùm proportionem est propriè dicta.

10. [c] *Motus circularis non est comparabilis*, &c. Nota quòd motnm esse circularem potest bifariam intelligi: vno modo à significatione sui subiecti tantùm; vt quia est in corpore circulati tanquam in subiecto, talis benè potest comparari motui recto in velocitate, & tardıtate: possibile enim est, quòd corpus sphæricum moueatur super spatium tectum motu recto; & certum est, quòd talis motus compatabilis est motui recto. Secundo modo à figura spatij, circa quod est motus, & sic corpus non circulare, puta quadratum, potest moueri circulariter; potest enim moueri ab eodem puncto in idem punctum super circulum, sicut patet de musca ambulante super rotam, quæ potest ita tardè, vel velociter moueri, sicut musca ambulans super planum. Tertio modo dicitur motus circularis, tam à figura subiecti, quàm à figura magnitudinis, circa quam, vel infra quam est, vel secundùm veritatem, vel secundùm imaginationem; contingit enim aliquod corpus circulare concauum moueri circa magnitudinem circularem, sicut patet de orbibus cœlestibus. Et contingit aliquod corpus circulare moueri circulariter infra magnitudinem circularem veram, vt si corpus sphæricum solidum moueatur in aëre, & non circa magnitudinem circularem, sed infra. Similiter corpus sphæricum potest moueri circulariter infra magnitudinem circularem imaginatam; vt si imaginemur aliquod corpus sphæricum moueri in vacuo. Vnde si totus mundus esset corpus solidum motum circulariter, ipsum non moueretur circa magnitudinem circularem nec infra magnitudinem circularem veram, sed moueretur infra imaginatam; & partes eius sic motæ se haberent aliter nunc quàm priùs respectu partium magnitudinis imaginatæ; atque etiam ipsum diceretur se habere aliter nunc quàm priùs respectu totius magnitudinis imaginatæ. Ex hoc sequitur, quòd motus circularis, & motus rectus circularione mobilis, vel subiecti tantùm, vel spatij tantùm, benè sunt comparabiles comparatione propriè dictâ. Sed motus circularis tam ex parte subiecti, quàm spatij non est comparabilis motui recto comparatione propriè dictâ; & in hac secunda acceptione intelligitur hæc conclusio Scoti.

[d] *Nullus motus vnius generis*, &c. Nota quòd illi tantùm motus sunt comparabiles, qui per idem spatium secundùm speciem infimam fiunt, ita vt motus rectus recto, & non circulari sit comparabilis; & alteratio alterationi, & non motui locali: & sic de cæteris: & ratio est, quia comparatio motuum debet esse in specie: velocitas autem, aut tarditas motus recti est diuersa secundùm speciem à velocitate, seu tarditate motus circularis, siue alterationis; atque adeò huiusmodi motus non sunt inter se comparabiles. Minor patet: quia velocitas eiusdem speciei cum altera illa est, quæ in maiori, vel minori tempore fit per spatium eiusdem speciei; sed spatium circularis, & recti sunt diuersæ speciei: ergo, &c. Ex his sequitur, illas alterationes esse æquè veloces intensiuè, & extensiuè, in quibus tempore æquali acquiruntur in partibus æqualibus subiecti qualitates eædem secundùm speciem infimam, & secundùm gradus. Similiter sequitur, & generationes substantiales, (sumpta generatione pro præuia dispositione, & introductione simul) esse æquè veloces, in quibus tempore æquali introducuntur formæ eiusdem speciei infimę; eas verò inæquales, in quibus tempore inæquali introducuntur formæ eiusdem speciei. 11.

EXPOSITIO TEXTVS.

Q*Voniam* t *autem mouens.* Hoc est tertium capitulum de comparatione motuum ad motores; & primò præmittit vnam suppositionem: secundò ponit conclusiones, ibi: *Inæquali igitur tempore.* Suppositio, quam præmittit, est ista, quòd omne mouens mouet aliquod mobile vsque ad aliquem terminum in aliquo tempore, & omne mouens simul mouet, & mouit. & hoc exponitur sicut exponebatur *in sexto*, quòd omne, quod mouetur priùs mouebatur, & ponit Aristoteles in litteris, vt sit *A* mouens, *B* mobile, *C* spatium, per quod fit motus, & *D* tempus, in quo fit motus. 12. Tex. 35.

Regula de velocitate motus prouenientis à motore primò.

Inæquali igitur tempore. Hic ponit conclusiones, & sunt octo, quarum partes parebunt legendo. Prima conclusio, seu regula: Si aliqua potentia

moueat

mouear aliquod mobile, per aliquod ſpatium in aliquo tempore, eadem potentia, vel æqualis, mouebit medietatem mobilis per duplex ſpatiom io eodem tempose; & iſta regula eſt falſa, niſi prouenjat velocitas à proportione multiplici ad duplam; etſi à tali proportiooe proueniat. Probatur regula, ſupponeudo ex quæſtioue quarta, quòd velocitas motus ſequitus proportionem potentiæ motoris ad reſiſtentiam moti: hoc ſuppoſito, ſi tota potentia ſe babeat ad totum mobile in proportiooe dupla: ipſa ſe habebit ad medietatem mobilis in proportione quadrupla: ſed proportio quadrupla eſt dupla ad duplam: igitùr tota potentia mouebit medietatem mobilis in duplo velociùs præcisè; & per conſequens per duplex ſpatium in eodem tempore.

Text.36. *Ipſum a autem.* Secuoda regula eſt: Si aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod ſpatium in aliquo tempore, eadem potentia, vel æquslis, mouebit medietatem mobilis per idem ſpatium in medietate temporis, & ſicut priùs, iſta regula eſt falſa, niſi proueniat velocitas à proportione dupla, vel multiplici ad duplam. Quòd autem non valeat in aliis proportionibus, probatur: quia non ſequitur, quòd proportio potentiæ ad medietatem mobilis ſit dupla ad proportionem totius potentiæ ad totum mobile: immò quandoque eſt minor, quandoque maior quàm dupla: verbi gratiâ, ſit potentia ſicut ſex ad mobile ſicut duo; tunc medietas mobilis eſt ſicut vnum, tune potentiæ totius ad totum mobile eſt proportio tripla: quia ſex ad duo ſe habet in proportione tripla, ſed proportio ſex ad vnum, quæ eſt, ſextupla non eſt duplæ ad triplam; immò eſt minor quàm dupla triplæ, quia proportio nonupla eſt præcisè dupla triplæ: nam componitur præcisè ex duabus triplis, ſcilicet nouem ad tria, & trium ad vnum, quarum vtraque eſt tripla.

13. *Et ſi eadem.* Tertia regula: Si aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod ſpatium io aliquo tempore, eadem potentia, vel æqualis, mouebit medietatem mobilis per idem ſpatium in medietate temposis; & ſemper in propoſito intelligitur per mobile totalis reſiſtentia, quâ impeditur motor ad mouendum. Et ſciendum, quòd iſta regula eſt falſa, ſicut præcedentes, niſi proueniat velocitas à proportione dupla, vel multiplici ad duplam.

Et media. Quarta regula eſt, quòd ſi aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod ſpatium in aliquo tempore, medietas motoris mouebit medietatem mobilis, per idem ſpatium in æquali tempore. Et iſta regula eſt vniueſſaliter vera; & poteſt probari per tranſmutatam proportionem, ſcilicet per illam: quòd ſicut ſe babet totus motor ad medietatem motoris, ita ſe habet totum mobile, ad medietatem mobilis: igitus permutatim ſicut ſe habet totos motos ad totum mobile, ita ſe habet medietas motoris ad medietatem mobilis. Ex iſta regula ſequuntur aliæ. Prima, quòd ſi aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod ſpatium io aliquo tempose, tertia motoris mouebit tertiam mobilis, & quarta quartam: & probatur omnino eâdem ratione ſicot dicta regula. Secundò ſequitur, quòd ſi aliqua poteotia moueat aliquod mobile per aliquod ſpatium in aliquo tempore, dupla potentia mouebit idem mobile per duplex ſpatium io æqoali tempore.

Text.37. *Et ſi 8 ha.* Qointa regula, ſi aliqua potentia moueat aliquod mobile, per aliquod ſpatium in aliquo tempore; non eſt neceſſarium, quòd eadem potentia moueat duplum mobile in eodem tempore pes medietatem ſpatij: quia poſſibile eſt, quòd potentia motoris nullo modo excedat reſiſtentiam ſecundi mobilis: verbi gratiâ, ſi ſex moueat quatuor eâdem potentia, nullo modo poterit mouere mobile duplum, vt octo, quia iam à psoportione minoris inæqualitatis prouenitet motus.

Si verò. Sexta regula; & ſecondò remouet quoddam dictum Zenonis ibi. Propter hoc regula eſt iſta, quòd ſi aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod ſpstium io aliquo tempore, non oportet, quòd medietas motoris moueat ipſum mobile, per idem ſpatium, nec per aliquod ipſius: cuius cauſa eſt, quia poſſibile eſt, quòd potentia medietatis motoris nullo modo excedat reſiſtentiam mobilis, vt ſi 6. moueat 4. motor vt 3. nullo modo mouebit 4. quia ipſius ad 4. eſt proportio minoris inæqualitatis. 14.

Propter hoc. Hîc remouet quoddam dictum Zenonis, qui dicebat, quòd ſicut modius granorum milij cadens deosſum, cauſat ſonum, ita etiam quodlibet granum cadens deorſum cauſat ſonum, qui ſe habebit in tali proportione ad ſonum cauſatum à toto modio, quemadmodum illud granum ſe habebit ad totum modium. Et non ſolùm Zeno ſic dicebat de grano milij, immò etiam de qualibet parte eius quantumcumque modicâ. Hoc remouet Ariſtoteles dicens, quòd per præcedentem regulam patet quod eſt falſum: quia licèt totus modios cadens deorſum cauſet ſonum, tamen poſſibile eſt, quòd vnum granum nullo modo ſufficit diuidere medium: igitus non oportet, quòd vnom faciat ſunum, & per conſequens multo minùs de partibus grani.

Si verò 4 duo. Septima regula: Si aliqui duo motoses moueant duo mobilia, aggregatum ex motoribus mouebit aggregatom ex mobilibus æquè velociter, ſicut vnus motorum mouebat vnum mobilium. Et poteſt probari iſta regula ex prima quinti, quæ dicit. *Si ſint quotlibet quantitates aliarum totidem æquè multiplices, ſingula ſingulis ſunt æquales, aut quemadmodum vna earum ad ſui comparem, ita aggregatum ex omnibus ijs ad omnes illas pariter ſe habere.* 15. Text.38.

Non igitur 5 ſic eſt. Octaua regula: Eædem regulæ quæ dictæ ſunt de motu locali, ſunt ponendæ de motu alterationis, & de motu augmentationis; ita vt quantum ad comparationes prædictas, eſt idem iudiciom de iſtis motibus, ſicut de motu locali. Text.39.

Explicit expoſitio ſeptimi libri Phyſicorum Ioan. Scoti.

Qvæstio VII.

Vtrùm regulæ ſint veræ, quas ponit Ariſtoteles in iſto 7. *de comparatione motuum, & mobilium in fine?*

Ariſtot. *cap.5 text* 35. & 36. Auerroës & reliqui interpretes *ibidem.* D Thom. *lect.*8. Albert. *tract.*2. *cap.*6. Vide authores citatos *quæſt.*6.

Arovitvr primò quòd non: quia ex prima regula, quam ponit veram, poteſt ſequi ſecunda, quam ponit falſam: igitur neutra eſt vera; cùm illa, quam ponit falſam, 1.

non sit vera. Consequentia tenet, quia ex vero non sequitur falsum, & antecedens probabitur in quæstione.

Secundò, quia ibi ponitur ista regula: Si aliqua potentia moueat aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, eadem potentia mouebit medietatem mobilis in eodem tempore in duplo velociùs: modò hoc est falsum: quia velocitas sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti: modò non oportet, quòd potentiæ ad medietatem resistentiæ sit proportio dupla ad proportionem potentiæ ad resistentiam, immò quandoque est maior & quandoque minor.

Diuisio quæst. Oppositum arguitur per Aristotelem & Comment. text. Comment. 35. & 36. qui ponunt illas regulas veras. In quæstione primò recitandæ sunt illæ regulæ, quas Aristot. ponit esse veras. Secundò inquiretur an illæ regulæ habeant veritatem, & tertiò mouebuntur dubia.

Quantùm ad primum sciendum [a] quòd Aristot. ponit sex regulas, quarum quatuor primas ponit esse veras, & alias duas falsas. Prima regula est, posito quòd *A* sit potentia motoris, & *B* mobile, tunc si *A* moueat *B* aliquâ velocitate, mouebit medietatem *B* in duplo velociùs. Et ista subdiuiditur per definitionem *velocioris*; quia *A* mouebit medietatem *B* per duplum spatium in æquali tempore, & per idem spatium in subduplo tempore.

2. Secunda regula, quæ sequitur ex præcedenti est; Si *A* moueat *B*, aliquâ velocitate duplâ potentiâ, mouebit *B* duplâ velocitate, quia eodem modo se habet illa potentia dupla ad *B*, sicut se habet illa potentia simpla ad medietatem *B*: igitur vtrobique proueniet eadem velocitas, & istæ duæ regulæ sunt falsæ, vt postea probabitur.

Tertia regula: Si aliqua potentia moueat mobile per aliquod spatium in aliquo tempore; medietas motoris mouebit medietatem mobilis æquè velociter, quia eadem est proportio totius motoris ad totum mobile, & medietatis motoris ad medietatem mobilis.

Quarta regula: Si *A* moueat *B*, aliquâ velocitate, & *C* moueat *D*, æquè velociter aggregatum ex motoribus mouebit aggregatum ex mobilibus æquali velocitate.

Quinta regula, quæ est negatiua, est ista: Non oportet, quòd si aliqua potentia moueat aliquod mobile aliquâ velocitate, quòd medietas motoris moueat idem mobile in duplo tardiùs, quia possibile est, quòd medietas motoris nullo modo excedat resistentiam mobilis.

Sexta regula: Non oportet, si aliqua potentia moueat aliquod mobile aliquâ velocitate, quòd eadem potentia moueat duplum mobile, duplo tardiùs; & istarum quatuor primarum regularum, tertia & quarta sunt veræ; & hæc de primo.

3. Quantùm ad secundum, præmittendæ sunt aliquæ suppositiones. Prima suppositio est, quòd velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam mobilis; & hoc probatum fuit supra, 4. quæst. 11. ita vt semper proportio velocitatū sit sicut proportio proportionum, à quibus proueniunt illæ velocitates. Secunda suppositio est, quòd proportio extremorum componitur ex proportionibus intermediorum: verbi gratia, si *A*, *B*, *C* sint tria ordinata secundùm magis, & minùs, ita vt *A* sit maius quàm *B*, & *B* maius quàm *C*, tunc proportio *A* ad *C* componitur ex proportione *A* ad *B*, & *B* ad *C*, sicut patet 5. Euclidis. Tertia suppositio est, quòd proportio composita ex duabus proportionibus vnâ maiori, & aliâ minori, est minor quàm dupla maioris, & maior quàm dupla minoris; & hoc est vniuersaliter verum in omnibus quantitatibus; vt proportio sex ad vnum componitur ex proportione sex ad duo, quæ est tripla, & duorum ad vnum, quæ est dupla; igitur proportio sex ad vnum, scilicet sextupla, est minor quàm dupla triplæ, & maior quàm dupla duplæ. Quarta suppositio, omnes illæ potentiæ sunt æquales, quæ possunt mouere idem mobile, vel æquale æquali velocitate. Quinta suppositio: Si aliqua potentia moueat aliquod mobile aliquâ velocitate, potentia æqualis mouebit idem mobile æquali velocitate, cæteris paribus, ita scilicet quòd sit æqualis applicatio motoris ad mobile. Patet, quia semper est idem iudicium in proposito de eadem, & æquali.

Istis suppositis, notandum, quòd quinque modis potest fieri comparatio mobilium ad mouentia. Primo modo, comparando diuersa mobilia respectu eiusdem motoris. Secundo modo, comparando diuersa mouentia respectu eiusdem mobilia. Tertio modo, comparando diuersa mouentia diuersis mobilibus. Quarto modo, diuidendo vtrumque, scilicet comparando motorem ad mobile, & postea comparando partes motoris ad partes mobilis. Quinto modo congregando vtrumque, scilicet primò comparando diuersa mouentia ad diuersa mobilia singillatim, & postea aggregatum ex istis ad aggregatum ex illis. Comparatio mobilium ad mouentia quinque modis fieri potest.

4 Nunc ponitur prima conclusio de primo modo comparandi. Proportio motuum non est sicut proportio mobilium respectu eiusdem motoris; & per consequens prima regula, quam Aristoteles ponit veram, est falsa. Probatur, & sit *A* potentia, & *B* mobile sicut priùs: tunc ponatur, quòd *A* sit plusquàm duplum ad *B*, & *B* est æqualiter duplum ad suam medietatem, quæ sit *C*, tunc proportio *A* ad *C* est composita ex proportione maiori, quàm dupla, & ex dupla præcisè per secundam suppositionem: igitur per tertiam suppositionem, est minor quàm dupla maioris, & maior quàm dupla minoris: igitur velocitas proueniens est maior, quàm dupla duplæ, per primam suppositionem: & per consequens non oportet, quòd si aliquis motor moueat aliquod mobile aliqua velocitate, quòd moueat medietatem in duplo velociùs: verbi gratiâ, sit *A* sicut sex, *B* sicut duo, *C* sicut vnum; tunc proportio *A* ad *C*, scilicet sextupla, est maior, quàm dupla duplæ, & est minor quàm dupla proportionis sex ad duo, scilicet triplæ. Prima regula Aristot. est falsa.

Secundò ponatur, quòd *A* sit minus quàm duplum ad *B*, & *B* sit æqualiter duplum ad *C*: igitur proportio *A* ad *C*, est composita ex minori quàm dupla: & ex dupla per secundam suppositionem: igitur per tertiam, proportio *A* ad *C* est minor quàm dupla duplæ: igitur velocitas proueniens erit minor quàm dupla; & per consequens non sequitur si *A* moueat *B*, aliquâ velocitate, quòd mouebit medietatem *B*, duplo velociùs.

Tertiò, quia si illa regula esset vera, tunc sequeretur, quòd quilibet motor posset mouere quodlibet mobile quantumcunque magnum; & 5.

per

per consequens regula affirmatiua opposita negatiuæ, quam ponit Aristoteles, esset vera; consequens est falsum, quia tunc à proportione minoris inæqualitatis fieret motus. Probatur consequentia, posito quòd *A* sit potentia, & *C* mobile, & *D* mobile duplum ad *C*, & *E* sit mobile duplum ad *D*, & sie vltrà; tunc ponatur, quòd potentia *B* moueat *D* in duplo tardiùs, quàm *A* moueat *C*; tunc arguitur sic, *B* mouet *D*, aliquà velocitate: igitur per regulam, quam tu ponis, *B* mouebit *E*, scilicet medietate *D*, in duplo velociùs, sed positum est quòd *A* moueat *C*, duplo velociùs, quàm *B* moueat *D*: igitur *A* & *B* sunt potentiæ æquales; sed *B* potest mouere *D*: igitur per quintam suppositionem, *A* potest mouere *D*, & per consequens si aliqua potentia mouet aliquod mobile aliquà velocitate, ipsa mouebit mobile duplum subduplà velocitate: & habetur consequens.

Eodem modo probatur, quòd *A* mouebit *C*, & ita de aliis, licèt continuè tardiùs, & tardiùs; & sic patet, quòd proportio motuum in velocitate non est sicut proportio mobilium respectu eiusdem potentiæ.

Notandum tamen, quòd prima regula habet veritatem in vno casu, scilicet si motor moueat *A* proportione duplà, quia tunc ipsius *A* ad *B* est proportio dupla, & ipsius *B*, ad *C* proportio dupla; igitur proportio *A* ad *C* est composita ex duabus duplis præcisè per secundam suppositionem: igitur per definitionem duplæ, ipsa est dupla ad quamlibet earum: igitur per primam suppositionem, proueniet velocitas dupla, quod erat probandum.

6. Secundò notandum, quòd regula affirmatiua contradictoria negatiuæ, quam ponit Aristoteles, habet etiam veritatem in vno casu, scilicet si motor moueat à proportione quadrupla: verbi gratiâ, sit *A* potentia sicut octo, & *B* mobile sicut duo. Dico, quòd in isto casu tenet ista consequentia: si *A* moueat *B* aliquà velocitate, medietas *B* mouebit ipsum subduplo velociùs, & etiam quòd ipsum *A* mouebit mobile duplum subduplo velociùs. Primum patet, quia proportio quatuor; quæ est medietas de octo ad duo, est dupla, quæ est præcisè subdupla quadruplæ: igitur velocitas est subdupla per primam suppositionem, & consimiliter per secundam; quia octo ad quatuor est proportio dupla, quæ est subdupla proportionis octo ad duo: igitur velocitas est subdupla præcisè; & hoc de primo modo comparandi.

Secunda conclusio, de secundo modo comparandi, sit ista: Proportio motuum in velocitate non est sicut proportio potentiarum respectu eiusdem mobilis. Ex quo patet quòd secunda regula est falsa, quam ponit Aristoteles, si aliqua potentia moueat aliquod mobile aliquà velocitate, dupla potentia mouebit idem mobile duplo velociùs. Probatur, & sit *A* potentia vt quatuor, & *B* mobile vt vnum; tunc dupla potentia est sicut octo: igitur proportio octo ad vnum est composita ex dupla, & maiori quàm dupla, scilicet quadrupla, per secundam suppositionem: igitur per tertiam, est minor quàm dupla quadruplæ, & maior quàm dupla duplæ: igitur maior velocitas proueniet, quàm sit proportio potentiarum.

7. Secundò, sit *A* potentia vt priùs, sed *B* ponatur sicut tertia, tunc proportio octo ad tria est composita ex dupla, & ex maiori, quàm dupla, scilicet ea sesquitertia, per secundam suppositionem; & per primam, velocitas prouenient est maior quàm dupla. Verum est tamen, quòd ista regula habet veritatem, quando potentia *A* mouet à proportione dupla, ita quòd *B* sit sicut duo. Probatur, quia proportio octo ad duo componitur ea duabus duplis præcisè per secundam suppositionem: igitur per definitionem duplæ ipsa est dupla ad quamlibet earum: igitur per primam, velocitas proueniens est præcisè duplicata; & sic patet quòd proportio motuum in velocitate non est sicut proportio potentiarum respectu eiusdem mobilis. Secundò patet, quòd secunda regula Aristotelis, quam ponit veram, non est vera nisi vno casu tantùm, quia in Infinitis aliis habet Instantiam: & hoc de secundo.

Quantùm ad tertium modum comparandi, scilicet comparando diuersa mouentia ad diuersa mobilia, est conclusio ista, Quotum proportio est maior, ab eis prouenit maior velocitas; & quorum est minor, ab eis prouenit velocitas minor; vt velocitas proueniens à proportione tripla, est maior velocitate, quæ prouenit à proportione dupla; & vniuersaliter omnis illa proportio est maior, cuius denominatio est maior, vt quadrupla, quàm dupla, quia 4. est maior quàm 2. Verum est tamen quòd hoc non est proportionaliter, nisi solummodò in duabus proportionibus, vt in quadrupla, & dupla; quia eadem est proportio quatuor ad duo, & quadruplæ ad duplam, quod in aliis non tenet. Patet, quia sex ad tria est proportio dupla, & tamen sextupla, non est dupla ad triplam in nonuplam, vt patet ordinanti istos tres terminos continuè proportionales 9, 3, 1. quia proportio 9, ad 3. est præcisè æqualis 3, ad 1. quia vtraque est tripla; igitur proportio 9, ad 1, componitur ea duabus triplis præcisè: igitur per definitionem duplæ nonupla est dupla ad quamlibet illarum; & hoc de tertio.

De quarto modo comparandi, scilicet quando tam mouens, quàm mobile diuiditur; sunt duæ regulæ. Prima regula est ista; Si motor moueat mobile aliquà velocitate, pars motoris mouebit partem mobilis eadem velocitate, dummodò istæ partes, scilicet motoris, & mobilis eandem habeant denominationem. Et istam regulam ponit Aristoteles tertiam; quæ probatur per transmutatam proportionem: quia sicut se habet totus motor ad suam medietatem, vel tertiam, ita totum mobile ad suam medietatem, vel tertiam: igitur permutatim sicut totus motor ad totum mobile, ita medietas motoris ad medietatem mobilis, & tertia motoris ad tertiam mobilis. Et si obiicitur, quòd velocitas debeat esse minor, quia virtus vnita est fortior se ipsa dispersa. Respondetur, quòd si propter vnionem virtus motoris erat fortior, ita etiam & virtus mobilis, ideò vtrobique manet eadem proportio. 8.

Secunda regula est, Si partes motoris & mobilis non denominentur consimiliter: tunc si pars motoris à numero maiori denominetur, quàm pars mobilis, tunc pars motoris mouebit velociùs quàm totus motor totum mobile; sed si denominetur à numero minori, tunc mouebit tardiùs, vel non mouebit. Causa est, quia quanto aliqua pars denominatur à numero maiori, tanto est minor, vt quadrupla minor est, quàm

quàm tripla, & hoc de quarto modo comparandi.

De quinto modo comparandi, ſcilicet quando fit comparatio, congregando vtrumque, eſt prima regula; Si *A* moueat *B* aliquâ velocitate, & *C* moueat *D* eadem velocitate, tunc aggregatum ex motoribus mouebit aggregatum ex mobilibus eâdem velocitate; quia ſimilis motor mouet ſimile, quia eadem eſt proportio aggregati ad aggregatum, quando eſt vnius motoris ad vnum mobile, vt patet in numeris; nam ſi octo moueat quatuor, & quatuor moueat duo, vterque moueat à proportione dupla; tunc aggregando motores ad mobilia, eſt proportio duodecim ad ſex, quæ etiam eſt proportio dupla.

9. Secunda regula, Si *A* moueat *B*, aliquâ velocitate, & *C* moueat *D*, aliâ velocitate; tunc aggregatum ex motoribus mouebit aggregatum ex mobilibus quâdam velocitate media. Tertia regula, Si plura mouentia comparentur ſingillatim pluribus mobilibus correſpondenter, non oportet quòd aggregatum correſpondeat aggregato: verbi gratiâ, ſit *A* motor ſicut 4, & *B*, ſicut 2, & vtriuſque mobile ſit ſicut vnum. Deinde ab alia parte ſint *C* & *D* motores, vterque ſicut 4, & reſiſtentia vnius ſicut duo, alterius ſicut vnum: tunc iſta ſunt ad inuicem comparabilia correſpondenter, quia ſicut de *A* & *B*, vnum mouet à proportione quadrupla, & aliud dupla, ita ſimiliter de *C* & *D*, & tamen aggregatum non correſpondet aggregato; quia aggregatum ex motoribus *A* & *B*, eſt ſicut *B* aggregatum ex ſuis reſiſtentiis ſicut 2. ſed aggregatum ex *C*, & *D*, eſt ſicut 8. & aggregatum ex reſiſtentiis eſt ſicut 3. modò maior eſt proportio 6. ad 2. quæ eſt tripla, quàm proportio 8. ad 2. quæ eſt dupla ſuperbipartiens tertias.

Quarta regula eſt iſta: Si *A* moueat *B* aliquâ velocitate; & *C* moueat *D* æquali velocitate, deinde ab alia parte, *D* moueat *E* aliquâ velocitate, & moueat *F* æquali velocitate, ita vt *B* & *E* ſint mouentia, & mota; non oportet quòd aggregatum ex *B* & *E* moueat aggregatum ex *C* & *F* tantâ velocitate, quantâ aggregatum ex *A* & *D*, moueat aggregatum ex *B* & *E*, & patet in numeris: quia ſicut 6. ad 2. ita 4. ad 1. & ab alia parte, ſicut 4 ad 2, & 2 ad 1; & tamen non oportet quòd aggregatum ex mediis, ſcilicet 6 moueat 2 æquè velociter, quod eſt aggregatum ex *C* & *F*, ſicut aggregatum ex 16 & 4, id eſt, 20 mouebit aggregatum ex 4 & 2, ſcilicet 6: nam proportio 6 ad 2. eſt præciſè tripla; ſed proportio 20 ad 6 eſt tripla ſeſquialtera, quæ eſt maior quàm tripla, & per conſequens velocitas inde proueniens eſt maior. Et omnino regulæ conformes prædictis poſſunt poni de motu augmentationis, quemadmodum poſitæ ſunt de motu locali. Ex prædictis omnibus apparet, quòd velocitas motus ſequitur proportionem potentiæ motoris ad reſiſtentiam moti; & hoc declaratum fuit ſuper quartum; & hoc de ſecundo.

10. Quantùm ad tertium, dubitatur primò de motu recto, quòd non ſequatur proportionem potentiæ motoris ad reſiſtentiam mobilis: quia ponatur, quòd aliquis pertranſeat aliquod ſpatium motu vniformi in vna hora, & alius in eadem hora motu continuè difformi pertranſeat præciſè æquale; tunc iſtæ velocitates ſunt æquales, quia ipſis in eadem hora præciſè pertranſeuntur æqualia; & tamen non proueniunt ab æqualibus proportionibus, cùm proportio à qua vna prouenit, ſit totaliter difformis, & proportio à qua prouenit alia, ſit continuè vniformis.

Secundò, adamas & ferrum ſimul iuncta non mouentur velociùs in æquilibrio quàm alterum illorum per ſe faceret, & tamen aggregati ex illis ad reſiſtentiam eſt maior proportio, quàm vnius eorum ad eandem; igitur à proportione maiori, & minori prouenit æqualis velocitas; & per conſequens velocitas non ſequitur proportionem.

Tertiò, inſtatur de motu circulari: quia ſi ſit vna rota ænea ad modum rotæ fabri, quæ attenuetur, ita vt fiat maior; tunc patet ad experientiam, quòd facilius eſt ipſam mouere quàm priùs, & tamen proportio nec eſt maior, nec minor; quia nec augmentatur potentia, nec diminuitur reſiſtentia.

Quartò, ſi in vacuo eſſent duæ ſphæræ, vna maior, & altera minor, & eſſent poſitæ ſupra planum; tunc quæcumque potentia ſufficeret mouere quamlibet earum, & tamen vna, ſcilicet, maior, haberet minorem reſiſtentiam, quàm alia: igitur eiuſdem potentiæ ad maiorem eſſet proportio maior, quàm ad minorem; & tamen cum eadem potentia moueret ipſas æquè velociter, cùm ſit in infinitum facilè mouere ipſas, ſequitur quòd velocitas non ſequitur proportionem.

Quintò, arguitur de alteratione: quia illuminatio eſt quædam alteratio ſucceſſiua, & tamen eius velocitas non ſequitur aliquam proportionem: ergo, &c.

Sextò, ſint duo viuentia æqualis potentiæ ad augmentandum, vel ad nutriendum, ita tamen quòd vnum ſit maius, & aliud minus, tunc ſupponitur *ex* 6. quòd velocitas augmentationis attenditur penes proportionem magnitudinis acquiſitæ ad præexiſtens. Tunc arguitur: Iſtæ virtutes ſunt æquales: igitur præciſè æqualiter conuertent de nutrimento; & ſi ſic, ſequitur quòd paruum plus augmentatur, quàm magnum: verbi gratiâ, in numeris ſi paruum ſit ſicut vnum, & magnum ſicut duo, & vtrique addatur vnum, tunc paruum augmentatur ad duplum, & magnum ad ſeſquialterum: igitur velocitates ſunt æquales; & tamen proportiones, à quibus proueniebant, erant inæquales. 11.

Ad iſta reſpondetur. Ad primum, dico quòd illæ velocitates ſunt æquales correſpondenter, ſic etiam & proportiones, à quibus velocitates proueniunt. Et diceretur, quòd in medio inſtanti horæ proportio à qua prouenit motus difformis, eſt præciſè æqualis proportioni, à qua prouenit motus vniformis: quia ſemper motus continuè difformis, ſiue vniformiter difformis, correſpondet gradui medio; ita vt de ipſo tantum pertranſeatur in eadem hora, quantum pertranſiretur, ſi mobile per eandem horam moueretur vniformiter ſecundùm gradum medium.

Ad ſecundum, dico quòd ferrum iunctum adamanti non habet centrum ſuæ grauitatis, ideò ſua grauitas non eſt computanda pro potentia motiua. 12.

Ad tertium, dico quòd licèt illa res, quæ eſt reſiſtentia, non diminuatur, attamen ipſa efficitur minùs reſiſtens per huiuſmodi attenuationem.

Ad

Ad quartum, dico, quòd in infinitum facile est mouere aliquam illarum sphærarum, tamen nulla potentia potest mouere ambas æquè velociter: immò qualibet potentia moueret maiorem tardiùs, quàm minorem.

Ad quintum de illuminatione, dico, quòd aliquis motus potest sequi proportionem potentiæ motoris ad resistentiam mobilis dupliciter: vno modo immediatè, sicut est de motu locali, & alteratione, quæ est cum abiectione contrarij. Alio modo mediatè: quia scilicet consequitur alium motum, cuius velocitas consequitur proportionem, sic est in proposito: quia illuminatio consequitur motum localem; & ideò mediatè consequitur proportionem.

Ad sextum, dico, quòd licèt illæ virtutes sint æquales ad conuertendum nutrimentum; attamen eadem, vel æqualis virtus in minori est plus augmentata, quàm in maiori.

Ad rationes principales, illæ ante oppositum probant conclusiones positas: sed tunc ad Aristotelem dico, quòd ipse intelligit duas regulas, quando motor mouet à proportione dupla, vt dictum est in illo casu; & aliter illæ regulæ non habent veritatem.

Explicuut quæst. 7. libri Physicorum.

ANNOTATIONES.

Aristoteles per mobile intelligit resistentiam. a *Sciendum, quòd Aristoteles ponit sex regulas.* Nota, vt istas regulas intelligas, quòd Aristoteles per mobile intelligit totam resistentiam, siue proueniat ex medij densitate, siue ex pondere: & per mouens intelligit solam virtutem motiuam non mixtam cum resistentia, & per spatium solam quantitatem absque resistentia: esset enim fallacia existimare sola pondera esse resistentiam: cùm enim lapis iacitur, non solùm lapis resistit, sed densitas aëris; & sic ab eadem virtute velociùs mouetur lapis maior, quàm minor: quia si minuitur lapis, crescit resistentia ex parte aëris, quia minùs ei cedit aër: ex quo sequitur, quòd motus velocior erit altero tali proportione, quâ virtus mouens vnius excedit suam resistentiam, magis quàm mouens alterius motus suam resistentiam, ita vt in proportione proportionum, quas habent virtutes mouentes secundum excessum, quo suas excedunt resistentias, erit proportio velocioris, vel tardioris motus: si enim, verbi gratia, vna virtus mouens sit vt octo, mouétque pondus vt quatuor, & alia sit etiam virtus mouens æqualis, sed resistentia sit vt duo, prior virtus est in dupla proportione ad suam resistentiam, posterior in quadrupla: tune considera quæ proportio sit inter has duas proportiones, quadruplam scilicet, & duplam, & excessus quo excedit proportio quadrupla duplam, erit proportio velocitatis motus vnius ad alterum.

FINIS LIBRI SEPTIMI Physicorum.

LIBER

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

EXPOSITIO TEXTVS.

1. Text.1. V*Trùm 1 aliquando factus sit motus.* Iste est octauus liber & vltimus, in quo Philo. determinat de finitate, & infinitate motus, quantum ad eius durationem: & diuiditur in quatuor tractatus. In primo determinat, vtrùm motus sit perpetuus. In secundo determinat de dispositione entium, quæ est in non semper, vel semper posse moueri, vel quiescere. In tertio ostendit, quis, & qualis motus sit perpetuus, & in quarto determinat de separatione primi motoris. Secundus tractatus ibi: *Principium autem considerationibus.* Tertius ibi: *At verò alij facientis.* Quartus ibi: *Quod autem hoc necesse.* In primo tractatu sunt tria capitula. In primo mouet quæstionem, vtrùm motus sit perpetuus, recitando dicta antiquorum de ista quæstione. In secundo ostendit, quòd perpetuò fuit motus, & perpetuò erit motus. Et in tertio reprobat errorem antiquorum circa dictam quæstionem, soluendo rationes, quibus probant non perpetuò esse motum. Secundum ibi: *Incipiamus autem primum.* Tertium ibi: *Similiter autem.* Primò mouet quæstionem. Secundò ostendit, in quo omnes antiqui conueniebant de dicta quæstione. Tertiò ostendit, in quo differebant. Quartò concludit vtilitatem quæstionis. Secunda ibi: *Esse igitur motum.* Tertia ibi: *Sed quotquot.* Quarta ibi: *Considerandum*

Vtrùm semper fuit motus & semper erit motus.

igitur. Primò igitur ponit hanc quæstionem. Vtrùm aliquando factus fuit motus, sic quòd antè nullus alius motus erat: & vtrùm aliquando corrumpetur motus sic, quòd post illum motum non erit alius motus. Vel vtrùm semper fuit motus, & semper erit motus in iis, quæ consistunt natura, sicut est vita in iis, quæ viuunt. Et ista locutio non est similitudinaria: quia accipiendo vitam pro operatione vitali; tunc sicut vita est propria operatio viuentis, ita etiam motus est propria operatio rei naturalis. Et notandum, sicut innuit Commentator, quòd ista quæstio potest dupliciter intelligi. Vno modo sic, vtrùm aliquis vnus motus, & continuus sit perpetuus; & secundùm istum sensum non soluetur in isto tractatu, sed postea. Alius sensus est: Vtrùm ante omnem motum fuit motus, & post omnem motum erit motus; & secundùm istum sensum soluetur quæstio in hoc tractatu.

2. *Esse igitur motum.* Hic narrat, in quibus antiqui conueniunt de ista quæstione, dicens, quòd in hoc conuenerunt omnes naturaliter loquentes, quòd motus est. Quod patet ex duobus: primò, quia ponunt mundum generari, & corrumpi, quod non posset esse sine motu, & mutatione. Secundò, quia omnes determinauerunt de generatione, & corruptione quæ sunt motus, vel mutationes.

Antiquorum opinio de æternitate motus.

Sed quotquot. Hic ostendit in quo antiqui differebant; & differunt in hoc: quia quidam posuerunt mundos infinitos, quorum quosdam ponunt generari, & quosdam corrumpi: sed alij ponunt vnum mundum: & isti erant diuersificati, quia quidam 2 posuerunt (sicut Anaxagoras) quòd a principio omnia entia erant in quodam Text.2.
chaos confuso, & postea superuenit intellectus diuinus, & segregauit ista ab inuicem, & tunc incepit esse motus. Itaque secundùm Anaxagoram aliquando tempore infinito entia quiescebant, & postea tempore infinito mouebantur facta segregatione. Sed Empedocles ponit infinities generari, & infinities corrumpi; & sic ponit infinities fieri motum, & infinities desinere motum, & per istum modum, quia superueniente amicitiâ generali entia naturalia adinuicem congregantur, & desinit motus, & mundus; deinde superueniente lite vniuersali disgregantur ab inuicem, & quodlibet mouetur ad locum suum proprium, secundùm suam naturam, & tunc incipiunt motus, & mundus.

Considerandum 3 igitur de hoc. Hic concludit Text.3.
vtilitatem quæstionis de ista consideratione dicens, quòd necessarium est scire veritatem de ista quæstione, non solùm ad scientiam naturalem, immò ad scientiam de primo principio, scilicet ad Metaphysicam; quia ex æternitate motus deuenimus in notitiam primi principij, id est, primi motoris; & in isto passu dicit Auicenna quòd per alium modum non potest inuestigari primum principium, quàm in æternitate motus, & in hoc Commentator est sibi contrarius, tamen opinio Auicennæ vera est, vt videbitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

I*Ncipiamus 1 autem primum.* Hoc est secundum 3.
caput huius tractatus, in quo Philosoph. osten- Text.4.
dit, quòd semper fuit, & semper erit motus: & diuiditur; quia primò ostendit, quòd semper fuit motus. Secundò ostendit, quòd semper erit motus. Tertiò concludit motum esse perpetuum. Secunda ibi: *Eadem autem est ratio.* Tertia ibi: *Si igitur hac.* Item, primò probat conclusionem ex parte motus. Secundò ex parte temporis, ibi: *Ad hac autem.* Item, primò præmittit suppositionem. Secundò format rationem. Et tertiò obiicit contra rationem, secunda ibi: *Ergo & hac* Tertia ibi: *Alia enim mouent.* Suppositio, quam præmittit, est ista, quòd necesse est omni motui præesse mobile; quia motus est actus moti, & mobilis: modò necesse est motum, & mobile præesse actui ipsorum. Secundò patet inductiuè, quia oportet combusti

combuſtibile, & combuſtum eſſe priùs quàm comburatur,& ſi induecndo in aliis.

Text. 5. *Ergo 2 & hæc.* Hìc formar rationem; quia ſi non ſemper fuit motus, detur igitur primus motus, ante quem non fuit alius motus: igitur per ſuppoſitionem, mobile, & motum fuerunt ante illum motum. Vel igitur fuerunt perpetuò ante illum motum, licèt ſine motu; vel ambo fiebant

Text. 6. de nouo; vel ſaltem alterum ipſorum: 3 ſi ambo, vel alterum ipſorum de nouo, & non poterant fieri ſine mutatione: igitur ante primam mutationem erat alia prima mutatio, quod implicat. Si dicatur quòd perpetuò antè fuerunt, licèt non mouebantur: hoc eſt omnino irrationabile, & quaſi ab inſcientibus dictum; quia ſi toto tempore quieſcebant, non apparet aliqua ratio, quare motor & mobile potiùs tunc inceperunt mouere, & moueri, & in vno inſtanti plus quàm in

Text. 7. alio. Et confirmatur ibi: *At verò 4 magis.* Quia ex quo toto tempore æterno quieſcebant, aliqua erat cauſa illius quietis, quam oportuit remouere, poſtquam mouens moueret, & mobile moueretur: modò illa cauſa quietis non poſſet remoueri, niſi per motum: igitur ante primum motum erat aliquis motus.

4. *Alia 5 enim mouent.* Hìc obiicit contra proba-

Text. 8. tionem. Secundò, ſoluit. Et tertiò, confirmat ſolutionem. Secunda ibi: *Si igitur.* Tertia ibi: *Neceſſe eſt enim.* Primò dicit, quòd quædam ſunt agentia naturaliter, quæ non poſſunt in contrarios effectus: & alia ſunt agentia voluntaria, quæ poſſunt contrarios effectus agere; modò in propoſito contra rationem diceretur, quòd primus motor, ſcilicet Deus, eſt cauſa voluntaria: igitur ipſa eadem exiſtens, primò fuit cauſa quietis, & poſtea cauſa motus; igitur non oportet remouere cauſam illius quietis.

Text. 9. *Si 6 igitur.* Hìc ſoluit dictam obiectionem, dicens, quòd agentia libera, & naturalia quodammodò conueniunt, & quodammodò differunt: conueniunt primò quia vtrumque poteſt agere contrarios effectus, ſed differunt, quia agens liberum poteſt eſſe per ſe cauſa contrariorum, ſed agens naturale nòn; quia agens naturale benè eſt cauſa per ſe vnius contrariorum, & cauſa per accidens alterius; vt per antiperiſtaſim, vel aliquo tali modo. Secundò, conueniunt, & ad propoſitum, quia ſicut agens naturale non poteſt producere contrarios, & diuerſos effectus, niſi propter diſpoſitionum diuerſitatem, mediantibus quibus agit, ita ſimiliter agens liberum non poteſt elicere actus contrarios, vel diuerſos, niſi per mutationem in voluntate, ita vt aliter velit priùs, & poſteriùs: igitur ſi prima cauſa voluit 1. illud mobile quieſcere, & modò vult moueri, ſequitur quòd ibi eſt mutatio, & per conſequens ante primam mutationem erat alia mutatio prior. De euidentia huius rationis videbitur in quæſtionibus.

Neceſſe eſt enim. Hìc confirmat rationem: quia in illis, quæ aliter ſe habent ad aliquid, quàm priùs ſe habebant, eſt mutatio; ſed mouens aliter ſe habet ad mobile, quando mouet, quàm antè: igitur eſt ibi aliqua mutatio facta; igitur ante primam mutationem, fuit alia mutatio prior.

5. *Ad hæc 7 autem priùs.* Hìc probat ex parte tem-

Text. 10. poris, quòd ſemper fuit motus; quia ſemper fuit tempus: igitur ſemper fuit motus. Conſequentia tenet, quia tempus vel eſt motus, vel non eſt ſine motu. Antecedens probatur authoritate omnium antiquorum, excepto Platone, omnes enim poſuerunt tempus eſſe æternum. Secundò probatur ratione, quia ſi tempus fuiſſet factum, ita vt non priùs fuerit tempus, nunc præfuit factor, ſeu creator temporis, & illud ex quo creabatur; ſed *prius* eſt differentia temporis: igitur ante primum tempus fuit aliud tempus, quod implicat. Tertiò, quia *Vide contradictionem Zimaræ.*

Text. 11. 8 ſi aliquod tempus erat primò factum, illud erat factum in *nunc*; ſed hoc eſt impoſſibile, quia *nunc* eſt continuatiuum temporis: igitur ante primum tempus fuiſſet aliud tempus.

Text. 12. *Eadem 9 autem eſt ratio.* Hìc probat quòd ſemper eſt motus; & eſt quaſi per eandem rationem quæ erat priùs; quia ſi non ſemper eſt motus, ſequitur quòd poſt vltimum motum eſſet aliquis motus vlterior. Conſequens implicat. Conſequentia probatur, quia vel poſt illum motum, motor, & mobile perpetuò manerent ſine motu; vel alterum illorum corrumperetur: non primo modo; quia iam non eſſet ratio, quare potiùs deſineret mouere in vna menſura, quàm in alia, nec ſecundo modo; quia tunc poſt vltimum motum datum eſſet corruptio motoris, vel mobilis; & ſic poſt vltimam mutationem eſſet alia mutatio vlterior.

Text. 13. *Si igitur 10 hæc impoſſibilia ſunt.* Hìc concludit, quòd motus eſt perpetuus, & ſequitur ex præcedentibus; quia ſemper fuit motus, & ſemper erit motus; igitur motus eſt perpetuus.

EXPOSITIO TEXTVS.

6. Text. 14. E*T non 1 aliquando quidem eſt.* Hoc eſt 3. cap. in quo Philoſophus reprobat opiniones antiquorum, & ſoluit rationes, quibus probant motum non eſſe perpetuum. Et primò, oſtendit in quibus defecerunt. Secundò, formar rationes, quibus probant motum non eſſe perpetuum. Et tertiò, ſoluit illas. Secundum ibi: *Contraria autem his.* Tertium ibi: *Horũ igitur id.* Primò proponit quinque defectus, in quibus antiqui defecerunt. Secundus ibi: *At verò nihil.* Tertius ibi: *Dignius.* Quartus, ibi: *Habet quidem.* Quintus, ibi: *Omnino autem.* Primus defectus erat, quòd vterque, ſcilicet Empedocles, & Anaxagoras fictitiè dixerunt, aſſerendo ſicut dixit Empedocles, infinities fieri motum, & quietem per litem, & amicitiam; & etiam ſicut dixerat Anaxagoras, quòd tempore infinito entia quieſcebant, & tunc ſuperueniente intellectu diuino incipiebat motus, & tempus. Patet, quia illi fictitiè dicunt, qui aſſerunt aliquid in ſcientia naturali, quod non eſt per ſe notum, vel etiam quod non eſt per ſe magis apparens, quàm *Antiqui circa motus æternitatem in quinque defecerunt.*

Text. 15. ſuum oppoſitum. Secundus defectus, 2 quia in natura nihil eſt inordinatum, immò in omnibus agentia naturalia ſunt cauſæ ordinis: modò ordo naturæ eſt, quòd entia aliqua ſemper ſimiliter ſe habeant, & alia entia aliquibus temporibus eodem modo ſe habeant, & determinatis temporibus alio modo; non autem eſt ordo ſecundùm determinata tempora, quòd tempore infinito facta ſit quies, & ſolũ tempore finito factus ſit motus; quia iſtorum temporum ad inuicẽ nulla eſt proportio. Tertius defectus eſt, quòd licèt Empedocles probabiliùs dixerit, quàm Anaxagoras in hoc quòd alternatis vicibus ponebat tempore infinito fieri motum, & poſtea quietem, & ſic alternatim; tamen in hoc errabat, quòd iſtud aſſumpſit tanquam dignitatem per ſe notam; quod tamen indiget magnâ declaratione. Quartus defectus: quia licèt experiamur, quòd in nobis amicitia *Vide Zimarã in tab.*

sit causa congregationis, & lis causa disgregationis, tamen Empedocles non assignabat causam, quare lis plus mouebat vno tempore, quàm alio? Item, regnante amicitiâ, quæ redditur pro causa ab Empedocle, vbi latebat lis? Item, consequenter de modo expellendi amicitiam, & de nullo istorum fecit declarationem, ideò in hoc defecit. Quintus defectus: quia tam Empedocles, quàm Anaxagoras dicebant, quòd in sempiternis non est quærenda causa, quare sic sit potiùs, quàm aliter? vel quare entia sempiterna sic agunt? ideò non est quærendum quare sic mouent intellectus diuinus, lis, vel amicitia, quæ sunt causæ sempiternæ. Modò dicit Aristoteles quòd hoc est falsum, quia dato quòd sit aliqua conclusio perpetuò vera, tamen benè indiget declaratione, vt ista conclusio, *omnis triangulus habet tres æquales duobus rectis*, bene indiget demonstratione, ad hoc quòd fiat euidens.

7. Text. 16. *Contraria 7 autem his.* Hîc format rationes, quibus antiqui probabant motum non esse perpetuum; & sunt tres. Secunda ibi: *Ampliùs videmus.* Tertia ibi: *Multo autem magis.* Prima ratio est ista: omnis motus est de contrario in contrarium, de subiecto in subiectum, seu de termino in terminum: igitur nullus motus est perpetuus. Antecedens patet 5. huius. Consequentia probatur, quia inter duos terminos non potest esse infinitum.

Text. 17. Secunda ratio 8 est ista; quia videmus in corporibus inanimatis, quòd aliquod quiescens postea mouetur per motum alterius ab extrinseco, vt patet de lapide quiescente: igitur multò fortiùs possibile est, quòd mundus primò quiescat, & postea moueatur. Tertia ratio, quia videmus quòd corpora animata mouentur à se ipsis sine motu aliquo præexistente, quia in se ipsis habent principium inchoatiuum sui motus; & per consequens postquam quieuit mundus in tempore infinito ex se ipso mouetur, quemadmodum posuit Anaxagoras. Etiam vocat Aristoteles corpus animatum, vt hominem, minorem mundum: quia *Homo est minor mundus.* sicut in mundo maiori Deus, & Intelligentiæ regunt totum mundum per cognitionem & voluntatem, ita similiter homo regit se ipsum, per intellectum, & voluntatem.

Text. 18. *Motum inter contraria impossibile est esse perpetuum.* *Horum 9 igitur id.* Hîc soluit dictas rationes. Secundam ibi: *Moueri autem id.* Tertiam ibi: *Maximè autem.* Primò, dicit quòd impossibile est motum inter contraria vnum, & eundem esse perpetuum: quia si fiat motus de vno contrario in reliquum, & postea fiat reuersio, oportet quòd inter istos motus cadat quies media, vt postea probabitur: igitur non omnis motus de contrario in contrarium, sed aliquis est de eodem in idem, vt motus circularis, qui potest reuerti vnde venit, sine quiete media; & sic patet quòd motus circularis per iterationem potest fieri perpetuus, & istud declarabitur.

8. Text. 19. *Moueri 10 autem id.* Hîc soluit secundam, dicens, quòd non est inconueniens aliquod moueri, quod priùs non mouebatur: quoniam est mouens extrinsecum, à quo moueatur; sed hoc non potest esse de mundo, quia semper ante primum motum fuisset motus prior, per quem applicaretur extrinsecum mouens; & ideò necesse est, quòd eorum quæ sunt immobilia, quædam semper mouentur, quædam aliquando mouentur, & aliquando quiescunt: & hoc declarabitur in tractatu sequenti.

Maximè 11 autem id. Hîc soluit tertiam rationem, quæ est maioris euidentiæ, quam aliqua præcedentium. Text. 20. Vnde, quando dicitur, quòd animal mouetur sine motore extrinseco, hoc negatur: & loquor de motu locali primo, quia fortè continens extrinsecum mouet ipsum secundùm aliquam dispositionem, virtute cuius animal intermouetur ad sic mouendum. Secundò, quia possibile est, quòd illæ dispositiones, secundùm quas mouetur animal à continente, moueant intellectum, & appetitum: modò totum animal mouetur intellectu, & appetitu; ideò semper motum localem præcedit alius motus. Et declarat in exemplo, sit animal in somno, mouetur secundùm phantasiam, sic quando aliquando surgit, adhuc manente somno; & istud est manifestum in sequentibus, scilicet de Somno, & vigilia.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ab æterno fuit mundus & motus?

Plato *in Timæo & Critia.* Arist 8.*Phys.c.*18 *& 1.de cælo,c.*2. *&* 12.*Met.c.6.* Auerr.Proclus.Simpl.Auic.*hic.*D.Thom. *lect.*1.*&* 2.*p.q.*66.*art* 2 *&* 2 *cont Gent.cap.*38.Capreol.2. *dist.*1 q.1. Heruæus *in tract.de æternitate mundi.* Rub 8. *Phys.q.*1. Conimbr. *in* 8.*Phys.q* 3. Complut.*disp.*19 q 1. Auersa *tom.*2.*Phil.q.*31.§ 7.Rocc.8.*Phys.q.*1.*&* 2.

1. ARGVITVR primò quòd non: quia sequeretur, quòd infinita essent pertransita. Consequens est impossibile, vt patet 7.huius, tex. 9. Consequentia probatur: quia infiniti dies fuissent præteriti.

Secundò, sequeretur quòd vnum infinitum esset maius alio. Consequens est impossibile, vt patet 3. huius, text.61. Consequentia probatur, quia si infinitæ fuissent reuolutiones Lunæ, & infinitæ Solis, loquendo de reuolutionibus, quas faciunt contra firmamentum motu proprio; & tamen reuolutiones Lunæ fuissent multò plures, quàm reuolutiones Solis.

Tertiò, sequeretur quòd de facto esset multitudo actu infinita. Consequens est falsum; vt patet 3. huius, text. 68. Consequentia probatur: quia infiniti homines præcessissent, quorum quilibet habuit animam, quæ est perpetua, & sic de facto esset multitudo ipsarum actu infinita.

Quartò, quia Aristoteles 1. & 2. Meteororum, videtur innuere, quòd terra fuerat de nouo habitata; & 1. Politicæ, vbi imaginatur fuisse primam domum, quæ non possent esse si mundus esset perpetuus.

Quintò, sequeretur quòd esset aliquod infinitum compositum ex duobus infinitis præcisè. Consequens est impossibile, vt patet 3.huius, tex. 68. immò quodlibet infinitum contineret infinities infinita. Consequentia probatur; quia tempus æternum componeretur præcisè ex tempore præterito, & futuro.

Sextò, quia magnitudo mundi est finita; & sic mundus est finitus secundùm magnitudinem: igitur est finitus secundùm durationem. Consequentia tenet, quia eius magnitudo non est aliud, quàm duratio.

Oppositū arguitur per Aristotelem in principio huius 8.tex.1.& inde, vbi ponit, quòd semper 2.

fuit

fuit mundus, & motus; nec motus incepit de nouo, ita vt ante illum non fuerit alter motus.

Sensus quæst. Notandum, quòd quæstio non intelligitur, vtrùm sit [a] aliquis vnus motus perpetuus, sed vtrùm perpetuò fuerit motus; & adhuc hoc non intelligitur continuè, sed intercisè, quemadmodum dicimus, quòd perpetua fuerat eclipsis, ex eo quòd in te quamlibet eclipsim fuerat alia eclipsis; & ita intelligitur in proposito, vtrùm ante omnem motum erat aliùs motus, vel mutatio.

Duratio est triplex. Secundò notandum, vt patet 4. huius, qu. 18. quòd triplex est duratio; & patet magis expressè in libro de Consolatione. Quædam est temporalis, quâ res exceditur in vtroque termino, scilicet antè, & pòst. Alia est perpetua, quâ res durat per totum tempus quod fuit & erit. Et tertia est æterna, quæ est tota simul sine successione; & istam durationem æternam non comprehendit faciliter nostra imaginatio, ex eo quòd ipsa semper apprehendit cum motu.

Fides quid doceat de æternitate mundi. Tertiò notandum, quòd de quæstione ponit fides [b] nostra, quòd mundus & motus incepetunt de nouo, scilicet, quòd Deus creauit mundum de nouo ex nihilo. Secundò fuit alia opinio, quæ posuit, quòd motor & mobile fuerunt perpetuò, sed tamen cum initio temporis motor incepit mouere, & mobile moueri. Tertia opinio posuit quòd motor, & mobile inceperunt de nouo; & ista tertia est impossibilis tam loquendo secundùm fidem, quàm loquendo naturaliter; quia primus motor est æternus; & cum hoc impossibile est aliquid ex se ipso incipere esse. Quarta est opinio [c] Aristotelis quòd mundus est perpetuus, & etiam motus: & ista est probabilior, stando in principiis naturalibus, & pro qua adducuntur rationes, quæ sunt contra viam, supponendo quòd primus motor est omnino immutabilis, vt patet in isto 8. text. 41. & 45. & 12. Metaph. text. 29. & inde, & per fidem nostram.

3. Prima ratio est: *Vel Deus ab æterno potuit producere mundum, vel non: si sic; tunc vel ab æterno voluit, vel non: si voluit, & cum hoc potuit, sequitur quòd ab æterno produxit, & per consequens non de nouo. Si non voluit ab æterno, & postea voluit, quando produxit, sequitur quòd Deus fuit mutatus de non velle ad velle, quod est contra suppositum. Si dicatur quòd non potuit ab æterno producere, & postea potuit, erat igitur aliqua mutatio facta in Deo, vel in aliquo alio: quia impossibile est esse mutationem de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione facta ex parte rei; & quocunque dato, sequitur quòd ante primum motum fuit alius motus prior, quod implicat contradictionem.*

Secundò arguitur; *fides nostra ponit, quòd Deus ab æterno voluit producere mundum, quia agens volens producere aliquid, & potens, non expectat nisi propter aliquam indispositionem agentis ex parte agentis, vel passi, vel quia expectat donec pertranseat tempus, in quo vult illum effectum producere; sed nullum istorum potest fieri, scilicet nec indispositio agentis, vel passi, nec remouere, nec adducere tempus sine motu; igitur ante primum motum datum, erat alius motus.*

Tertiò, quia si mundus, & motus incepissent de nouo, tunc inciperent in aliquo nunc; *sed de ratione* nunc *est, quòd sit continuatiuum temporis: igitur ante illud* nunc *erat tempus, &* per consequens motus: igitur motus datus non erat primus.

Quartò, si dicatur quòd illud *nunc*, est initium temporis, sed non est finis alterius; quemadmodum punctus terminans lineam est initium lineæ, & non continuatiuum partium eius. Hoc non valet, nec est simile de puncto, & linea, & de *nunc*, & tempore: quia punctus est res permanens, sed *nunc* est quid successiuum, quod non esset nisi alteri priori succederet. 4.

Quintò, si motus inciperent de nouo, tunc in instanti inceptionis est verum dicere, mundus, & motus nunc sunt, & antè non fuerunt, sed *antè* est differentia temporis: igitur ante illud *nunc* erat tempus, & per consequens motus: igitur motus datus non erat primus.

Sextò, in illo *nunc*, in quo primò est motus, verum est dicere, quòd Deus fuit antequam motus fuit; sed *antè* significat tempus: igitur tempus fuit antequam primus motus fuit. Et si dicatur, quòd ista: *Deus fuit antequam primus motus fuit, vel est postquam primus motus fuit*, intelligitur de prioritate secundùm naturam, & non de prioritate secundùm tempus. Contra, quia aliter nunc est verum dicere, quòd Deus fuit priusquam mundus, quàm si mundus fuisset ab æterno; sed dato quòd mundus fuisset ab æterno, adhuc fuisset verum dicere, quòd Deus fuisset priusquam mundus secundùm naturam: igitur nunc aliter est intelligendum de prioritate, quàm tunc; & non aliter quàm de prioritate temporis; igitur Deus fuit priùs tempore; & per consequens ante primum tempus erat aliud tempus prius.

Confirmatur, quia propter hoc, quòd aliquid sit prius alio secundùm naturam, non oportet quòd ipsum sit, illo alio non existente, sed posito quòd mundus inceperit de nouo, & Deus sit æternus, tunc necesse est, quòd Deus sit, mundo non existente: igitur alio modo Deus priùs est, quàm mũdus, secundùm naturam: igitur est priùs tempore. Et antecedẽs apparet: quia Sol est prior luce suâ secundùm naturam, & tamen ex hoc non sequitur, quòd Sol est, suâ luce non existente.

Septimò, si Deus produxit mundum de nouo, aut ex aliquo, vel ex nihilo: si ex aliquo: igitur illud priùs mutabatur quàm mundus moueretur: & per consequens ante primum motum erat mutatio prior. Si ex nihilo, hoc est impossibile, & improbatum primò huius. 5.

Notandum, quòd istæ rationes [d] sunt probabiles, & euidentes satis, suppositis principiis naturalibus; nec aliquæ sunt ita probabiles ad partem oppositam: non tamen sunt demonstratiuæ, & infirmiter concludunt contra fidem.

Igitur ad primam est vnus modus respondendi, quòd Deus ab æterno potuit, sed primò non voluit, & postea voluit; sed ex hoc non sequitur quòd fuerit mutatio: verbi gratiâ, in simili, posito quòd Socrates diligat omnem hominem, & odiat omnem bonum hominem, & omnem malum; tunc Plato sit primò bonus, & postea malus, tunc sequitur quòd Socrates primò diligit Platonem, & postea eum non diligit, & tamen ex hoc non sequitur quòd Socrates sit mutatus. Sed ista responsio non valet in proposito: quia sequitur, Socrates primò diligit, & postea non diligit; igitur Socrates est mutatus, vel Plato, vel aliquid aliud. Ita sequitur in proposito, si Deus primò non voluit, & postea voluit, sequitur quòd

sit mutatus, vel aliquid aliud est mutatum; & quocumque dato, sequitur quòd primam mutationem præcessit alia mutatio.

6. Ideò aliter [c] respondetur, quòd Deus ab æterno potuit, & voluit producere mundum, & hoc pro illa mensura, pro qua de facto produxit; sicut si ego haberem vnam voluntatem continuam dehinc vsque ad cras ad legendum cras; ita similiter quodammodo est in proposito. Tunc ad illam, quâ arguitur contra hoc; dico quòd nulla causa est quærenda, quare pro tunc produxit, & non aliàs, nec indispositio agentis, vel passi, nec expectatio temporis, sed sola voluntas Dei, quæ est idem, quod ipse Deus.

Ad tertiam, si sic; tunc mundus, & motus inceperunt in aliquo *nunc*. Concedo, sed dico quòd illud *nunc* non erat continuatiuum temporis, sed initiatiuum, quemadmodum punctus terminans est initium lineæ, vel initiatiuus lineæ.

Ad quartam, quando obiicitur [f] contra hoc. Dico quòd *nunc* non est res successiua, & quòd alteri succedat; sed dicitur disiunctiuè per alterum duorum, scilicet vel quia ipsum alteri succedit, aut quia alterum illi succedit; modò in proposito verificatur pro secunda parte.

Ad quintam, concedo quòd antè non fuit mundus, nec motus; modò ista propositio est negatiua, & ad negatiuum non sequitur affirmatiua: verbi gratiâ, posito quòd nullus homo esset, adhuc ista esset vera; *homo non est*, & ideò ad illam nulla affirmatiua sequitur. Similiter nec ad istam, *Antè mundus, & motus non fuerunt: igitur antè fuit aliquid.*

Ad sextam, quæ est difficilis, dicunt aliqui, quòd Deus fuit priusquam mundus, vel etiam ante mundum; solùm intelligitur de prioritate secundùm naturam, & non de prioritate temporis; sed oppositum istius probant satis duæ rationes sequentes.

7. Alij respondent sic, quòd ista, *Deus fuit priusquam mundus*, est concedenda de prioritate æternitatis, & non de prioritate temporis, aut secundùm naturam solùm; sed hoc non valet: quia æternitas est tota simul, quæ est ipse Deus; igitur in æternitate non est prius, nec posterius.

Ideò aliter respondetur, quòd ille modus prioritatis fortè non est benè explicabilis per voces iam compositas, propter hoc, quòd ea quæ concipimus secundùm ordinem prioris, & posterioris; nos concipimus cum motu, & considerando differentias temporis; igitur ille modus non est aliter explicabilis, quàm isto modo; Deus fuit antequam mundus fuit, id est, Deus fuit mundo non existente. (* vide Scotum *in secundo, distinctione prima, quæstione tertia ad secundum principale.*)

* Vide censuram in libri principio.

Ad septimam, dico quòd ex nihilo propter infinitatem suæ potentiæ. Et si quæratur, prout quærit Commentator in quo præcessit potentia ante creationem mundi & motus. Dico quòd sufficit solam potentiam actiuam præcessisse, nec requiritur potentia passiua, nisi in actionibus naturalibus, quæ fiunt à potentia finita.

Ad rationes principales. Ad primam, dico quòd non sequitur, quòd spatium infinitum, & quòd motus perpetuus fuit circularis; modò de spatio loquitur Aristoteles in isto 6.

8. Ad secundam, negatur consequentia; quia, vt probatum fuit tertio huius, non sunt plures reuolutiones Lunæ quàm Solis, posito quòd mundus fuit æternus.

Ad tertiam, de multitudine infinita, dico [g] quòd ratio demonstrat, supposito quòd quilibet homo habuisset animam sibi propriam perpetuam; ita vt plures homines non communicassent in eadem anima; dico tamen quòd hoc non est probabile ex principiis naturalibus, immò vel quòd anima corrumpitur ad corruptionem corporis; vel secundùm Platonem quòd esset vnus certus numerus animarum, vel secundùm Commentatorem quòd esset vna anima in omnibus hominibus.

Ad quartam, dico quòd terra benè fuerat de nouo habitata secundùm partem, & non secundùm totam.

Ad quintam, concedo, quòd esset vnum infinitum compositum ex duobus infinitis continuis præcisè, tamen quodlibet illorum infinitorum, est infinities infinita æquiualenter, vt si sumatur dies hodierna, & dies septima præcedens illam, & sic in infinitum, & sic de aliis quibuslibet diebus.

Ad sextam de duratione dicetur postea.

ANNOTATIONES
Patris Arretini.

[a] *Vtrùm sit aliquis vnus motus.* Nota, quòd 9.
Commentator contra Auicennam, & reliquos Arabes tenet, quòd intentio Aristotelis non fuerit hîc disputare in genere; an ab æterno fuerit motus nécne, sed in particulari, vtrùm motus cœlorum fuerint æterni: & ratio est, inquit, quia si solùm in genere determinasset hîc motum semper fuisse, puta ante omnem motum fuisse motum, non satis probasset successionem motuum; quomodo scilicet connecteretur catena, vt semper vnum motum alius antecederet, & alius subsequeretur, atque adeò mancus fuisset sermo Philosophi. Cæterùm Arabes omnes, Themistius, Simplicius, D. Thom. Scotus, & ferè omnes consentiunt, quæstionem esse generabilem; vtrùm scilicet semper fuerit futurúsque sit motus. Tum, quia mos est Aristotelis ex vniuersalibus ad particularia descendere; tum quia forma ipsa quæstionis non proponitur in particulari de motu cœli, sed in genere, vtrùm factus est aliquando motus, & corrumpitur, an semper fuit, & semper erit; tum quia media omnia, quibus vtitur ad hanc quæstionem, procedunt de motu in genere; tum demum, quia text. 53. quæstionem disputat in particulari, Vtrùm aliquid, puta primum mobile, ab æterno moueatur.

[b] *Ponit fides nostra.* Nota ex D. Dionysio de mystica Theologia, quòd ascendentibus nobis sermones contrahuntur, atque adeò quando Aristoteles ad æterna tractanda se transtulit, verus illi sermo in plurimis defuit; quia humiliter à scientiarum datore scientiam non postulauit, qui à sapientibus mundi abscondit, quæ paruulis, & humilibus reuelat, & communicat, vt sic etiam D. Hieron. eius superbiã notans exclamaret: *Aristoteles aliàs naturæ monstrum, perpauca de diuinis, eáque erroribus plena cognouit.* Ideò pro veritate fidei, nota quòd Deus est causa libera, vt producere, & non producere possit mundum, aliósque effectus, qui in tempore produxit mundum, ita vt si antè, vel postea vellet producere iuxta liberrimæ eius voluntatis beneplacitum potuisset: neque ex hoc audendum est dicere

mutatum

mutatum fuisse io voluntate: voluit enim ab æterno producere mundum in tempore, id est, ab æterno habuit velle; vt mundus io tempore produceretur: vt si modò vellem confiteri crastina die, & protenderem actum voluntatis vsque eras, sine nouo velle crastina die actu complerem, quod hodie volui. Simili modo imaginandum est in Deo, in quo vnicum velle semper permanet, sine cuius nouitate producit in tempore, quod ab æterno voluit.

10. *Creare de nihilo contingit tribus modis.*

Nota tertiò, quòd quando dicimus Deum aliquid de nouo producere, (quod est creare) ly *de* potest tripliciter sumi. Primo modo materialiter, ita vt nihil sit materia effectus producendi, quemadmodum dicimus, de ferro fit gladius. Secundo modo effectiuè, ita vt nihil aliquid efficiat; & isti duo mudi sunt impossibiles. Tertio modo, vt dicit ordinem, ita scilicet vt pust nihil possit fieri aliquid, quemadmodum dicimus, de nocte fit dies, & hic mudus est possibilis.

Nota quartò, quòd tertius modus adhuc bifariam potest accipi. Primò, vt dicit ordinem durationis, id est, quòd præcedat aliquod tempus, io quo oihil sit de effectu, & postea producatur. Secundò, vt dicit ordinem naturæ: & sic adhuc dupliciter, vel positiuè, vel priuatiuè. Positiuè dicitur aliquid prius, cuius esse præcedit suum posterius, sicut animal in homine respectu rationalis; & ad propositum si nihil hoc modo præcessisset, essétque positiuè prius naturâ ante *esse* creaturæ reale, tunc formaliter conueniret creaturæ *non esse* ante *esse*; & per consequens nunquam conueniret *esse* secundo modo, scilicet priuatiuè; sicut priuatio conuenit materiæ. Non enim ex se sibi cunuenit, sed conueniret, nisi à causa extrinseca, scilicet formâ, impediatur: & sic in proposito nihil præcedit *esse* creaturæ, ita scilicet quòd si à causa extrinseca, & libera, scilicet diuinâ voluntate non daretur creaturæ *esse*, maneret nihil, quod *nihil* per nullam causam veniret; & hoc modo creatura est creata de nihilo.

11. *Aristoteles nec aliquis Philosophorum demonstrare potest mundum fuisse ab aeterno.*

Ex his sequitur primò, quòd nulla ratio Aristotelis, aut alicuius Philusophi potest demonstrare mundum ab æterno fuisse; quia demonstratio demonstrat verum, & verum vero consonat, & non repugnat: ergo non potest dari demonstratio contra res fidei, nam rebus fidei falsum subesse nequit, cùm verissimæ sint, & diuinâ certitudine infallibiles.

Secundò, sequitur quòd Deus potuit mundum de nouo producere; quia Deus est causa libera; at causa libera nullâ necessitate tenetur, vt possit non facere: ergo potuit non operari, atque adeò potuit mundus non fuisse ab æterno.

Tertiò, sequitur quòd Deus potest aliquid de nihilo producere: quia potest aliquid immediatè causare, id est, nullâ causâ præsuppositâ cuiuscuoque generis causæ; igitur potest facere aliquid de nihiló. Antecedens probatur; Deus est primum efficiens: ergo si aliquid non potest facere immediatè, neque etiam potest illud facere mediatè. Probatur consequentia; Deus produxit, verbi gratiâ, *A* mediatè: illud medium est quid productum: ergo fuit productum mediatè, vel immediatè: si immediatè, habeo intentum: si mediatè, rursus quæro de medio, vt priùs; vel ergo deueniendum est ad aliquod immediatè productum, vel dandus est processus in infinitum. Tunc vltrà, ex hoc quòd Deus producit aliquid immediatè, illud tale non habet ex se formaliter esse necessarium: ergo habet *esse* post *non esse*. Probatur consequentia: quia quod formaliter habet *esse* necessarium, est sempiternum, & è contra 4. Metaph. text. 17. Si ergo id, quod immediatè producitor à Deo, non habet formaliter esse necessarium, habet *esse* post *non esse*; ergo procedit de nihilo, atque adeò potest Deus aliquid de nihilo producere.

Quartò, sequitur quòd Deus de facto aliquid creauit in tempore. Probatur; quia Deus causat contingenter ad extrà: ergo non necessariò: ergo noo ab æterno; ergo in tempore. Probatur, quia quod contingenter causatur, non est, nec potest esse sempiternum; quia si esset æternum, esset & necessarium, & per consequens non posset non esse, atque adeò non esset causatum contingenter. 12.

Quintò, sequitur quòd mundus, & tempus, & totum vniuersum facta sunt in tempore: hoc est de fide, & patet Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et ex his omnibus sequitur, quòd quando dicimus mundum fuisse à Deo productum de nouo, non est sic intelligendum, quòd inter Deum, & mundum plures præcesserint dies, vel anni, vel quòd Deus expectaret aliquam durationem, vel successionem, vt faceret mundum; quia in Deo nulla est successio; sed est sic iotelligendum, quòd ante mundum præcessit infioita Dei æternitas taliter, quòd etsi mundus creatus esset centum mille annis antequam fuit factus, adhuc fuisset factus in tempore, & præcessisset Dei æternitas.

13. *Philosophi antiqui multa dixerunt nostra fidei consona.*

c *Quarta opinio est Aristotelis.* Nota, quòd Philosophi antiqui quædam de hac re firmauére, quæ nostræ fidei minimè aduersa sunt. Primum est, quòd aliquid ab æterno quicquid illud sit, præcessit: si enim aliquando nihil prorsus fuisset, impossibile postea aliquid staret; quia nec se idem, neque nihil aliquid facere potest. Secundum dictum eorum, & verum, est, causam efficientem ab æterno fuisse. Tertium, quòd aliqua eorum, quæ facta sunt, in æternum sunt duratura; hoc ipsum & nos profitemur: mundus enim secundùm principales partes duraturus est, videlicet secundùm cœlos, & elementa, quamuis sine motibus & generationibus; & secundùm homines etiam io fine sæculi per Dei potentiam resurrecturos, quos iuxta eorum facta, sanctionésque diuinas præmium, vel puoitio in æternum expectat. Quartum dictum, quòd mundus à Deo genitus factúsque est: quamuis ab hac sententia aliqui Aristotelem excludant; quia Aristoteles (aiunt) mundum non à Deo factum fuisse asseruit: quod falsissimus est error, sicuti etiam affirmare mundum ab æterno fuisse, quod affirmat, maléque probat Aristoteles in principio huius libri: radix autem tam intolerabilis erroris, vt alia præter Deum æterna firmassent, fuit hoc apud ipsos axioma commune: *Ex nihilo nihil fieri potest*, sed necessariò aliquâ præsuppositâ materiâ mundum creatum fuisse. Quare alij infinitum chaos, materiámque æternam, sicut Anaxagoras, ex qua mundus factus est, dicebant. Alij, vt Democritus, æternos atomos. Alij vnum: alij plura elementa; alij litem, alij amicitiam; quæ omnia ex falso principio falsè procedebant.

Nota secundò, quòd primæ rationi pro sententia Aristotelis potest addi hoc membrum: nempe, aut potuit, sed noluit, & tunc fuisset inuidus; quia non communicasset bonum quãdo potuit. Tertia 14.

etiam posset sic colorari; si mundus incepit, etiam tempus incepit; sed tempus oon potuit habere initium: ergo neque mundus. Minor probatur, si tempus incepit: ergo dabitur primum *nunc*, ante quod non fuit tempus; tunc vltrà, cuilibet *nunc* correspondet *mutatum esse* in motu, eo quòd non datur tempus sine motu: ergo illi primo *nunc* correspondet *mutatum esse* in motu; sed ante quodlibet *mutatum esse* est motus: ergo ante illud *mutatum esse* correspondens illi primo *nunc*, est motus: ergo etiam & tempus, quia motus non est sine tempore: ergo nunquam dabitur *nunc*, ante quod non fuisset tempus; atque ita tempus non habuit principium: ergo neque mundus. His rationibus duæ aliæ addi possunt; & prima sit ista; Causa in actu simul est cum effectu in actu; sed Deus ab æterno est causa in actu: ergo debuit effectus, nempe mundus, ab æterno esse in actu. Maior est notissima: & minor etiam negari non potest: si enim Deus non sit causa in actu: ergo erat causa in potentia: ergo reductus est in actú ab aliqua causa in actu: quia id quod est potentiâ tale, reducitur ad actum ab eo, quod est actu tale: & tunc vel dabitur processus in infinitum, vel Deus erit motabilis à potentia ad actom; & per consequens ab aliquo priori, quæ minimè dicenda sunt: ergo fatendum est mundum ab æteroo fuisse, vt alia effugiamus incommoda. Secunda ratio est talis: Deus est exemplar omnium creaturarum; ergo creaturæ sunt ab æterno. Probatur consequentia, relatio inter exemplar, & exemplatum est realis: ergo inter extrema realia: ergo realiter creaturæ sunt æternæ. Et confirmatur, nolla relatio est dabilis sine fundamento, & termino: qoia ab vtroque dependet; cùm ergo ab æterno in Deo sit relatio realis exemplaris: quia de oouo nihil potest Deus acquirere realiter; ne antea sit minùs perfectus quàm postea: ergo etiam relatio exemplari est æterna, & etiam terminus ad quem relatio exemplaris Dei terminatur, est æternus, videlicet creaturæ: ergo creaturæ sunt ab æterno.

15. d *Notandum, quòd istæ rationes sunt probabiles,* &c. Nota, quòd has rationes & quascumque alias talia probantes tenemur soluere, eo quòd probant id, quod falsum est, & contra fidem; vt sic Lateranensi Concilio sub Leone X. obediamus præcipienti Christiano Philosopho, Ethnicorum Philosophorum rationibus contra fidem factis respondere, illisque satisfacere: sic enim ait sacrum Cuncilium: *Insuper omnibus & singulis Philosophis in vniuersitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus districtè præcipimus, vt cùm Philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscuntur, auditoribus suis legerint, aut explicauerint (quale hoc de immortalitate animæ, aut vnitate, & mundi æternitate, & alia huiusmodi,) teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo (pro posse) docere, ac omni studio huiusmodi Philosophorum argumenta (cùm omnia solubilia existant) pro viribus excludere atque resoluere.* Hactenus Coocilium.

e *Ideò aliter respondetur* Nota, quòd Deus potuit & voluit ab æterno mundum producere, sed non voluit producere ab æterno, sed in tempore: hæc enim duo stant simul, quòd Deus aliquid producere possit de nouo, & quòd hoc ipsum, quod producit, sit ab æterno volitum ab eo, & non aliquo nouo velle productum: quia in Deo vnicum est æternum, & immutabile velle: vt, verbi gratiâ, si hodie volo aliquid pro cras, possum etiam cras eâdem volitione ad ipsum velle; vt exemplificat Scotus. Sic in Deo imaginandum est, quòd scilicet ab æterno voluit: quicquid modò vult eodem velle permanente, quo æternaliter voluit io hoc, vel in illo tempore producere; nec propter inuidiam hoc fecit, sed quia sic ipse voluit, cuius voluntas cùm essentialiter bona sit, id quod vult, ordinatissimè, & quandu oportet vult, nec aliqua quærenda est ratio, quia ipsa est origo, & primus fons totius rationis. Vide Scotum in 2. d. 1. q. 2. ad quartum.

f *Ad quartum quando obiicitur.* Nota, quòd obiectio est Commentatoris dicentis diuersam esse rationem partium temporis, eo qoòd fluxæ sunt, & continuo cursu dilabentes ab ea, quæ est partium lineæ. Cæterùm hæc coloratio, vt scitè hîc notat Scotus, potiùs est fucus: nam fluxus partiom solùm facit; quòd idem *nunc* non permaneat sicuti punctum lineæ; sed tamen oihil vetat, quominùs possit ita initium esse, vt oou sit finis; atque ita finis vt non sit initiom, quandoque terminatio, finitióque in omnibus continuis eiosdem sit rationis, siue fluentia sint, seu permanentia. 16.

Ad alias duas rationes.

Ad primam, dico quòd Deos ab æterno est causa in actu, non tamen actu causans, sed potens causare: causa tamen actiua etiam in creatis nullâ sui mutatione reducitur ad actum causandi. Ratio est, quia motus, siue mutatio non est in agente, sed in patiente; & sic Deus sine sui mutatione causat, & creauit: vide Scotum in 2. dist. 1. q. 2. ad secundum.

Ad secundam, dico verum esse quòd Deos est exemplar, vel quòd in Deo sunt exemplaria omnium rerum ab æterno; quæ vel sunt ideæ in mente diuina, vel sunt quiditates omnium rerum in esse intelligibili, & possibili producto per actum intellectus diuini. Intellectus enim diuinus suo actu producit omnium quiditates in esse cognito ante actum voluntatis; voluntas tamen diuina libera ex his possibilibus eligit, quæ vult, & producit in *esse* reali in tempore. Vnde quando volontas diuina creauit hominem, creauit illum ad exemplar, & ideam hominis in diuino intellectu; & quamuis in re, ad extra in *esse* reali oriatur relatio realis producti ad producentem, & exemplati ad exemplar in tempore, in Deo tamen nulla talis relatio oritur realis, ad productum, & exemplatum; sicut neque scibilis ad scientiam est relatio realis, quamuis scientiæ ad scibile sit; dicitur tamen Deus creator in tempore non relatione reali in ipso existente, sed in creatura, à qua denominatione extrinseca dicitur creator. 17.

g *De multitudine infinita dico.* Nota, quòd hæc responsio est D. Bonauent. in 2. dist. 1. quæst. 2. vbi dicit, qoòd Aristoteles ponens mundum æternum ad euitandam infinitatem actualem, necesse est, aut ipsum ponere animæ irrationalis corruptionem, cùm Alex. Aphrodisæo, aut vnitatem animarum cum Auerroë, aut circulationem, id est, transmigrationem, cum Pythagora atque Platone; ita vt positâ mundi æternitate hoc argumentum iuxta placitum D. Bonauent. efficaciter infinitatem animarum concludat; id quod etiam dicit hîc Scotus. Sed quid ad hoc argumentum sit dicendum, vide ea, quæ notauimus super 2.

sent.

ſent. Scot. diſt. 1. quæſt. 3. ad quintam rationem pro ſent. Henrici de Gandauo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm mundus ſit æternus, aut aliquis motus ſit æternus, vt motus cœli?

Albert. Magn. *tract.* 1. *cap.* 2. Suarez *tom.* 2. *Metaph. diſp.* 29. *ſect.* 1. *num.* 7. Et authores citati *quæſt. præcedenti*, apud quorum aliquos diſputatur etiam quæſtio de poſſibili.

1. ARGVITVR quòd non: quia Deus egit mundum: ergo mundus non eſt æternus. Conſequentia tenet, quia agere mundum eſt ipſum producere de *non eſſe* ad *eſſe*. Et antecedens probatur per Commentatorem in lib. de Subſtantia Orbis, vbi dicit quòd Deus non ſolùm mouet mundum totum, vt quidam dicunt, ſed agit.

Secundò, per Ariſtotelem 12. Metaph. text. 38. vbi dicit, quòd à Deo dependet cœlum, & tota natura. Nec valet, ſi dicatur cœlum dependere à Deo in genere finis, & non in genere efficientis; quia dicunt ibidem Ariſtoteles & Commentator quòd in abſtractis à materia idem eſt cauſa ſecundùm mouens, ſecundùm agens, & ſecundùm finem, & agentem.

Tertiò, omnis mutatio eſt de contrario in contrarium, vel de contradictorio in contradictorium; vt patet quinto huius, text. 9. & 46. ſed nulla talis eſt perpetua, vt patet in iſto octauo.

Quartò, ſi aliquis motus eſſet æternus, maximè eſſet ille, qui eſt de eodem in idem; ſed huc non eſt, quia talis motus eſſet fruſtra, quia fruſtra mouetur aliquid ad id, quod iam habet: & ideò dicitur 6. huius, text. 44. quòd impoſſibile eſt aliquid, quod mouetur, dum mouetur, eſſe in illo, in quod mouetur.

Quintò, impoſſibile eſt illud fieri, quod impoſſibile eſt factum eſſe; ſed impoſſibile eſt motum perpetuum à parte pòſt factum eſſe; igitur impoſſibile eſt talem motum fieri; igitur nullus eſt motus perpetuus à parte pòſt: igitur nec à parte antè.

2. Sextò, nullus motus eſt perpetuus, quia nec reuolutio heſterna, nec hodierna, nec aliquis alius motus: igitur nullus motus eſt perpetuus.

Septimò, quia videmus quòd minor mundus, vt animal, mouetur poſtquam quieuit, & hoc ex ſe ipſo; ergo, &c.

Octauò, grauia, & leuia; quia à ſua natura intrinſeca: igitur poſſibile eſt, quòd ita fuit de maiori mundo, quod moueatur poſt quietem, & per conſequens motus eius non eſt perpetuus.

Nonò, omnium naturâ conſtantium poſitus eſt terminus augmentationis, & augmentati; ſed motus eſt vnum naturâ conſtantium; igitur motus eſt terminus, & per conſequens non perpetuus.

Decimò, nulla eſt quies perpetua: igitur nec motus. Conſequentia tenet, quia motus, & quies opponuntur ad inuicem: igitur quot modis, ſcilicet perpetuo, aut corruptibiliter habet fieri vnum, tot etiam modis habet fieri reliquum.

Vndecimò, vel motus perpetuus eſſet naturalis, vel violentus; non naturalis, quia talis eſt velocior in fine, quàm in principio, vt patet 2. Cœli, text. 35. nec violentus, quia nullum violentum eſt perpetuum, vt patet 2. Cœli, text. 15.

Vltimò, ſi aliquis motus eſſet perpetuus, maximè eſſet circularis; ſed nullus motus circularis eſt huiuſmodi; ergo, &c. Minor probatur; quia motus circularis ſe habet ad motum rectum, quemadmodum linea circularis ad lineam rectam; ſed nulla linea circularis eſt in infinitum excedens lineam rectam; igitur nullus eſt motus circularis, qui in infinitum excedat motum rectum. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in 8. huius, text. 2. 3.

Lumine naturali oſtendi nō poteſt motum incepiſſe, vel non incepiſſe de nouo.

Notandum ſicut in præcedenti quæſtione, quòd fides contradicit * Ariſtoteli in propoſito; & dico notabiliter *fides*: quia ſtando in lumine naturali non poteſt probari, quòd quilibet motus inceperit de nouo, vt patebit ſoluendo rationes ante oppoſitum; nec etiam rationes probantes motum eſſe perpetuum, ſunt demonſtratiuæ, licèt ſint multùm probabiles.

Aliquis motus eſt perpetuus ſecundùm Ariſt.

Tunc ſecundùm Ariſtotelem prima concluſio eſt iſta: Aliquis motus eſt perpetuus. Probatur ſic; quia dato primo motu, vel eius motor, & mobile fuerunt ab æterno, vel alterum incepit de nouo: ſi alterum incepit de nouo, & non niſi per mutationem: igitur ante primum motum datum erat alia mutatio prior; quod eſt impoſſibile, ſi motor & mobile fuerunt ab æterno; ſed mobile quieſcebat, & poſtea mouebatur, tunc erat aliqua cauſa illius quietis, quam oportuit remouere priùs, quàm mobile moueretur; & hoc non potuit fieri ſine motu: igitur ante primum motum datum, erat alius motus prior, quod eſt impoſſibile.

Secundò, impoſſibile eſt quòd aliquid ſe habeat primò vno modo, & poſtea aliter, ſine aliqua mutatione: igitur ante primum motum datum, erat alius motus prior, ſecundùm quem motor ſe habet aliter, quàm priùs. Maior patet per *quid nominis* mutationis: & minor eſt nota, quia priùs eſt motor non mouens, & poſtea motor mouens. 4.

Tertiò, quia rationabile videtur, quod ſemper Deus ſit in perfectiſſimo ſtatu; ſed ſtatus eſt perfectior dominari aliis, ſcilicet toti mundo, quàm eſſe ſolum: igitur videtur, quòd ſemper Deus dominabatur aliis, quod non eſſet, niſi alia ſemper fuiſſent.

Quartò, ſi motus, & mundus inceperunt de nouo, vel in tempore, vel in inſtanti, vel in aliqua alia menſura; ſed nullo modo, quia tam tempus, quàm inſtans, & quælibet alia menſura incepit cum mundo.

Quintò, omnia duo agentia ſunt ad inuicem ſubordinata, ſic quòd vnum eſt ſub alio, vel ambo ſub tertio: igitur eſt aliquid agens primum immutabile, & æternum, à quo omnia alia dependent; ſed ab illo agente immutabili non poteſt dependere actio noua, niſi mediante motu æterno: igitur aliquis eſt motus perpetuus.

Verum eſt tamen, quòd iſtæ rationes in lumine naturali ſunt valdè probabiles; attamen non ſunt demonſtratiuæ, & ſunt contra fidem. Ideò ad primam, dico quòd mobile incepit de nouo, ſed motor fuit æternus. Et quando dicitur, non incepit ſine mutatione: dico quòd immò, nec eſt aliqua cauſa inceptionis mundi, & motus, niſi voluntas diuina, quæ eſt ipſemet Deus. Vnde Deus creauit mundum ſine mutatione. Item, Deus potuit creare mundum, & ipſum non mouere, poſtea mouere nullà mutatione præcedente illum motum.

Ad ſecundam, dico quòd primus motor non 5.

se habuit aliter priùs, & posteriùs, immò eodem modo; nec oportet esse aliam mutationem ab illa, quâ tunc mouit.

Ad tertiam, dico quòd ante creationem mundi omnia erant in potestate Dei, sicut postea; & ideò statu erat tunc æquè perfectus sicut nunc.

Ad quartam, dico quòd non oportet, quòd in tempore, vel in instanti, nisi ad istum sensum, quòd mundus nunc est, & priùs non fuit, alio tamen existente, scilicet Deo. Vel potest concedi, quòd in instanti initiatiuo temporis fiebat mundus.

Ad quintam, negatur quòd à motore immobili, non possit fieri actio noua nisi mediante motu; & de hoc fiet quæstio specialis.

Secunda conclusio Aristotelis est ista: Motus cœli est perpetuus. Probatur, quia cœlum est perpetuum: igitur & motus eius. Antecedens supponitur ex 1. Cœli. Et consequentia probatur, quia nulla videtur causa, quare primò quiesceret, & postea moueretur: nam dicit Commentator quòd si ita esset, iam videretur quòd cœlum dependeret ab entibus alterius mundi, quæ essent sibi causa quandoque motus, & quandoque quietis.

Secundò, quia motor cœli est perpetuus, & immutabilis: igitur & eius motus est perpetuus. Consequentia tenet, quia ex quo eius motor est immutabilis, si vnâ vice mouet, semper mouet: & antecedens apparet 7. huius, text. 6. & inde, & 8. text. 41. & inde.

6. Tertiò, quia perpetuò fiunt generationes, & corruptiones in istis inferioribus: igitur motus cœli est perpetuus. Antecedens apparet, secundo de Generatione, text. 58. & inde. Consequentia probatur; quia motus cœli est causa huiusmodi generationis, & corruptionis, cuius signum, quia appropinquante Sole fiunt generationes, & ipso recedente fiunt corruptiones; modò si effectus est perpetuus, oportet, quòd causa agens, & conseruans sit perpetua.

Quartò, quia motus cœli est circularis naturaliter; igitur est perpetuus. Antecedens apparet 1. Cœli, text. 8. Et dico naturaliter circularis; quia si sit circularis violenter, consequentia non valet, vt de rota fabri. Consequentia probatur: quia ex quo in circulo nullus est punctus terminans, & super ipsum fit motus naturalis, sequitur quòd super quemcunque punctum mouebitur infinities reuoluendo.

Ad istas rationes. Ad primam, negatur antecedens, & cum hoc consequentia. Vnde Deus per libertatem suæ voluntatis creauit cœlum, & potuisset ipsum conseruasse quiescens, & postea mouere, sine hoc quòd fieret alia mutatio ab illa, quâ tunc moueret: nec ex hoc sequitur, quòd cœlum ex hoc dependeat ab entibus alterius mundi; sed à Deo præcisè.

Ad secundam, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Ad probationem, dico quòd motor immobilis potest mouere postquam non mouit, nullâ factâ mutatione aliâ in motore, vel etiam in mobili, præter illam quâ tunc mouet.

7. Ad tertiam, negatur antecedens.

Ad quartam, concedo antecedens, & negatur consequentia. Ad probationem, dico quòd licèt posset ita esse, quantùm est ex parte magnitudinis, super quam fit motus, tamen firmiter credimus, quòd non sit ita: immò Deus creauit de nouo mobile, & motum; & illud mobile erit perpetuum à parte pòst, tamen non perpetuò mouebitur.

Ad rationes principales diceret Aristoteles. Ad primam, *Deus*, &c. Dico quòd duplex est *agere*, siue dupliciter accipitur *agere*. Vno modo specialiter, vt est idem, quod producere de *non esse* ad *esse*: & sic Deus non agit mundum. Alio modo magis generaliter, vt est idem quod producere, id est, conseruare; & sic Deus agit mundum, id est, conseruat; & hoc intendunt authoritates Aristoteles. *Agere bifariam sumi potest.*

Ad secundam consimiliter.

Ad tertiam, concedo quòd omnis mutatio secundùm se totum, vel secundùm partem sui, est de contradictorio in contradictorium: verbi gratiâ, motus cœli, quatenus est ab Oriente in Occidentem, est de Oriente non in Orientem, sed in quantum est de Occidente in Orientem, & è contra; & ab istis duobus componitur vnus motus, qui est ab eodem in idem.

Ad quartam, concedo antecedens. Ad improbationem, negatur; quia aliquod est mobile, quod finaliter mouetur ad acquirendum terminum, & illud si perpetuò moueatur, mouetur frustrà. Aliud mouetur finaliter propter motum, ita vt eius vltima perfectio consistat in mouendo; & tale non mouetur frustrà, si moueatur perpetuò. 8.

Ad quartam, dicunt aliqui, quòd hoc est verum in permanentibus, sed non in successiuis: dico tamen, quòd motus cœli non est quid successiuum, sed est cœlum continuè motum; & ideò negatur minor.

Ad sextam, dico quòd inductio est insufficiens, quia si idem demonstraretur compositum ex omnibus reuolutionibus factis, & faciendis toto tempore æterno, verum est quòd iste motus esset perpetuus.

Ad septimam, dicit Aristoteles quòd non est simile: quia nunquam mouetur animal, nisi præcedente alio motu, scilicet sensus ab obiecto phantasiæ, vel imaginationis, & cum hoc motu neruorum, musculorum, & iuncturarum.

Eodem modo est de elementis, vel inanimatis, quia nunquam mouentur sursum, vel deorsum, nisi præcedente alio motu, quia huiusmodi mouentur à remouente prohibens, vel à generante, quorum neutrum potest mouere sine motu; sed sic non esset de mundo, si inciperet moueri, quia talem motum non præcederet aliquis alius, ideò non est simile.

Ad nonam, hoc intelligitur de termino magnitudinis, vt ibidem exprimitur, & non de termino motus, aut durationis.

Ad decimam, negatur consequentia, nec est simile, vt patuit in isto 8.

Ad vndecimam, dico quòd naturaliter. Ad improbationem, tunc esset velocior in fine, dico quòd non sequitur, nisi de motibus grauium, & leuium simplicium.

Ad vltimam, dico quòd non oportet nisi quantum ad comparabilitatem, vt patuit 7. huius, propter hoc quòd super eandem lineam circularem infinita potest fieri reuolutio.

ANNOTATIO.

* *Fides contradicit Aristoteli in proposito.* Nota, quòd aliqui dixerunt, quòd Aristotelis intentio non fuit mundum, vel motum fuisse ab æterno, 9. *Aristotelis mens de mundi æternitate explicatur.*

æterno, eo quòd dixit lib. 1. Topicorum, hoc esse problema neutrum, de quibus rationes non habemus, nempe, Vtrùm mundus fuerit ab æterno, quod non dixisset, si opinio eius fuisset, quòd mundus fuisset ab æterno; neque adduxit hoc in loco ad probandum mundi æternitatem rationes demonstratiuas simpliciter, sed secundùm *quid*, ad contradicendum antiquis docentibus inchoationem mundi modis impossibilibus. Ita sentire videtur S. Thom. 1. part. quæst. 46 art. 1. vbi etiam insinuat, neque eundem Aristotelem existimasse illas esse demonstrationes, etsi 2. contra Gent. cap. 81. dicat eum expresſè posuisse mundi æternitatem. At verò Albertus Magnus 8. Physic. tract. 1. cap. 4. ait Aristotelem in libro suo de natura Deorum, qui aliter inscribitur de Substãtiis separatis, asseruisse mundum à Deo opifice fuisse creatum; at forsan intellexit creatum ab æterno in hoc sensu, quòd habet causam, vt creatio non dicat inceptionem nouam, sed emanationem, & conseruationem, quemadmodum ait, & Auicenna in sua Metaph. & quòd mundum Aristoteles æternum posuerit. Ex hoc patet, quòd non reprobat Democriti opinionem dicentis, mundum esse perpetuum, alios verò reprobat, & rationes eorum soluit, & vilipendit, dicendo: *Contraria autem his non est difficile soluere*; & postea vtitur sempiternitate motus tanquam probata ad probandum sempiternitatem primi motoris.

10. Aliter autem dicunt alij, scilicet duplicem esse factionem; vnam naturalem, & Physicam, quæ fit præsupposito aliquo subiecto. Alteram verò simplicem, quæ creatio, vel simplex emanatio appellatur, per quam aliquid procedit de *non esse* ad *esse* nullo subiecto præsupposito. Vnde si fiat sermo de factione naturali, & Physica, motus non est factus, nec cœlum, nec materia, quamuis omnia alia sint facta à Deo, Theologicè, & supernaturaliter loquendo. Aristoteles itaque vt Philosophus naturalis debito modo est locutus, ponendo motus, & mundi æternitatem. Cæterùm hæc responsio mihi nunquam satis fecit, eo quòd ponat veritatem contrariam veritati. Ideò alij dicunt, primò, quòd de mente Philosophi, & sui Commentatoris fuit, ponere multa entia esse necessaria, & coæterna Deo, quamuis non dixerit ea esse omnino improducta. Philosophus enim 5. Metaph. dicit quædam necessaria habere causam. Et Commentator in lib. de Substantia orbis expresſè determinat, cœlum & Intelligentias, (quas dicit esse æternas) productas. Secundò dicunt, quòd de intentione Philosophi, & sui Commentatoris fuit negare omnino creationẽ esse possibilem, vel aliquid posse fieri ex nihilo: & hoc patet primò per Philosophum 1. huius, text. 34. & per Commentatorem in multis locis irridentem eos, qui dicunt aliquid creari, vel fieri ex nihilo. Tertiò, dicunt quòd secundùm Philosophum nulla substantia de se possibilis esse potest, ab alio perpetuari, sicut patet ex primo de Cœlo, text. 20. & 12. Metaph. text. 41. & ideò secundùm eum nihil non productum ab æterno, potest perpetuò manere per aliquam potentiam. Postremò dicunt, quòd secundùm Aristotelem omne possibile quandoque esse, & quandoque non esse, habet materiam, & habet contraria in se, sicut patet primo de Generatione.

11. Sed quicquid senserit Aristoteles (cùm Deus non fuerit, vt ait Albertus loco suprà relato, cap. 14) errare potuit, & de facto errauit. Vnde, dico primò, quòd opinio Aristotelis, & sui Commentatoris de æternitate motus, vel mundi, est erronea, falsa, & hæretica; quia, vt iam dictum est, ita est in rei veritate, quòd nihil aliud à Deo est æternum, veritas autem non contradicit veritati; quia vna est veritas: ergo nullo modo est verum, quòd mundus, vel motus, vel aliquid aliud à Deo, sit æternum. Et confirmatur per articulum Parisiensem, quo dicitur, *Quòd mundus est æternus, quantùm ad omnes species in eo contentas, & quòd tempus est æternum, & motus, & materia; quia est à potentia Dei infinita, & quòd impossibile est esse innouationem in effectu sine innouatione in causa; error.* Item, est alius articulus, *Quòd cœlum nunquam quiescet, quia generatio inferiorum, quæ est finis motus cœli, non desinet, eo quod cœlum suum* esse *habet à motore suo, & hic conseruat cœlum per motum suum. Vnde si cessaret à motu, cessaret & ab* esse; *error.* Et huic concordat alter art. quo dicitur, *Quòd Theologi dicentes, quòd cœlum quandoque quiescet, arguunt ex falsa suppositione, & quòd dicere cœlum esse, & non moueri, est dicere contradictoria; error.* Dico secundò, quòd Philosophus non solùm vt Theologus, sed etiam in quantum naturalis malè locutus est; nec opinio eius est cum fide defensibilis, immò corrigenda est sua opinio, & suæ rationes soluendæ; vt patet per Concilium Lateranense superiùs relatum; & per articulos Parisienses, quorum vnus est, *quòd Philosophus naturalis debeat simpliciter negare æternitatem mundi, quia innititur causis supernaturalibus; error.* Secundus, *Quòd impossibile est soluere rationes Philosophi de æternitate mundi, nisi dicamus, quòd voluntas primi implicat impossibilia; error.* Tertius, *Quòd ratio Philosophi demonstrans motum cœli esse æternum, nõ est sophistica; error.* Rationes autem Philosophi sufficienter soluit hîc Scotus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm à motore æterno, & immutabili possit prouenire actio noua?

Aristot. *hic text* 9. Auerroës *ibid. comm* 9. Albert. *tract* 1. *cap*. 3. Alensis 1. *part quæst* 4 *membr*. 1. D Bonauent. 1. *dist. qu* 45. *art*. 2. D. Thom. *lect*. 9. & 1. *part quæst* 19. *art*. 7. Caietan. *ibid. art*. 2. Gregor 1 *dist*. 45. Altissiodor. 1. *part. cap*. 15. Ferrar. 2. *contrà Gentes*. Her *quodlib* 1. *quæst*. 1. Suarez *disp*. 3 *Metaph. sect*. 9. Smisi *de Deo uno tract*. 2. *disput*. 3. *quæst* 2. *num*. 45 Roccus *quæst* 3 *in* 8. *Physic*. Vide Auerroem *in Destructione dest*. Alexandrum *in lib. de fato ad Antoninum, & Seuerum Imperatores*.

ARGVITVR quòd sic; quia motor æternus, & immutabilis est liberæ voluntatis: igitur potest producere effectum nouum sicut placet sibi. 1.

Secundò, quia motor æternus, & immobilis potest producere effectum æternum: igitur & nouum. Consequentia tenet per locum à maiori, quia maius videtur, quòd possit producere effectum æternum, quàm nouum; & tamen æternum producit; igitur & nouum. Antecedens patet, quia producit motum cœli, qui est æternus.

Tertiò, motor æternus, & immutabilis, mediante causâ secundâ, potest effectum nouum producere; igitur & se solo. Consequentia tenet per authorem de Causis; & sequitur per Theologos, qui dicunt quòd causa prima potest suspendere omnem actiuitatem causæ secundæ.

Quartò,

Quartò, quia teuolntio hodieroa est effectus nouus, & ramen immediatè producitur à motote æterno, & immutabili; igitur à motore æterno, & immutabili potest prouenire actio noua.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 8. text. 9. & ponit hoc Commentator comm. 9. & in 11. Metaph. 5. quòd à motore æterno, & immutabili non potest prouenire noua actio, nisi mediante motu æterno. In quæstione primò videndum est, qualiter ab vno motore immobili potest prouenire nouus effectus. Secundò, qualiter à diuersis motoribus immutabilibus possunt prouenire noui effectus. Et tertiò, qualiter sit dicendum secundùm veritatem, circumscriptâ ratione naturali.

Diuisio quæstionis.

2\. Quantùm ad primum, notandum quòd quoddam est agens vniuersale, quod scilicet agit in diuersis temporibus, & in eodem tempore effectus diuersos in locis diuersis; aliud est particulare, quod est determinatiuum agentis vniuersalis ad hunc effectum, vel illum immediatè.

Agens aliud vniuersale, aliud particulare.

Secundò notandum, quòd Aristoteles ponit primum motorem, & Intelligentias esse agentia vniuersalia, æterna, & immutabilia; & de agentibus vniuersalibus prædictæ duæ conditiones sunt supponendæ, scilicet *æternum, & immutabile:* & hoc est verum de primo motore, sed non de Intelligentiis, licèt hoc Aristoteles crediderit: quia secundùm veritatem sunt mutabiles.

Tertiò notandum, quòd actio, vel effectus nouus potest esse substantialis, vel accidentalis. Item, potest esse nouus secundùm numerum tantùm, vel secundùm speciem; ita vt nunquam præcesserit effectus cósimilis in specie specialissima.

Effectus & actio essentialis, & accidens.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio est: Motor æternus, & immutabilis non potest mouere immediatè nisi motu circulari. Probatur, quia motor æternus, & immutabilis mouet infatigabiliter, & sine pœna propter hoc, quia mouet sine resistentia; & quilibet alter motus à motu circulari est cum resistentia: ergo huiusmodi motor æternus, & immutabilis non potest mouere alio motu quàm circulari, & hoc immediatè. Et probatur antecedens, quia si moueret cum resistentia iam moueret per conatum, & cum fatigatione: & per consequens mutaretur; quod est contra suppositum, quia supponebatur, quòd esset immutabilis.

Motor æternus & immutabilis nõ potest mouere nisi motu circulari.

3\. Secundò, quia talis motor est æternus: igitur mouet motu æterno; sed nullus alius motus à motu circulari potest esse perpetuus: igitur talis motor non mouet immediatè nisi motu circulari: & prima consequentia tenet, quia ex quo est immutabilis, semper eodem modo se habet respectu sui mobilis, sicut priùs.

Secunda conclusio: Mobile immediatum illi motori debet esse impassibile, & non motum nisi circulariter. Probatur, quia tale mobile est æternum, cùm moueatur motu æterno: igitur est inalterabile, ingenerabile, & incorruptibile. Sed quòd non moueatur motu recto, patet, quia est corpus simplex secundùm naturam, vt patet primo Cœli, text. 5.

Mobile immediatũ primo motori, est impassibile, & æternũ.

Ex isto sequitur, quòd motor æternus, & immutabilis non mouet nisi vnico motu vniformi, & æterno immediatè. Probatur, quia ex quo motor est immutabilis, & mobile impassibile; & cùm motor moueat vnâ vice, sequitur quòd semper eodem modo mouebit.

Tertia conclusio: Si mobile immediatum motori immobili sit vniforme in suis partibus, tunc ab ipso motore immobili nunquam prouenier actio noua. Probatur, quia si cœlum esset vniforme in suis partibus quemadmodum nos imaginamur de noua sphæra, tunc nunquam aliter respiceret inferiora vnâ vice, quàm aliâ, nisi diceretur, quòd ista inferiora mouerentur aliter respectu cœli; sed hoc esset impossibile, quia adhuc oporteret quòd iste motus prouenitet à primo.

Si mobile immediatũ motori immobili sit vniforme à motore non proueniet actio noua, secus est si mobile sit difforme.

Quarta conclusio: Si mobile motoris immobilis sit difforme in suis partibus, tunc ab ipso motore immobili benè potest prouenire actio noua. Probatur, quia licèt vniformiter moueat vnum mobile, tamen illud mobile aliter respicit ista inferiora vnâ vice, quàm aliâ Et hoc propter diuersitatem partium mobilis, sicut patet de 8. sphæra, cuius nunc aliqua stella respicit vnam partem terræ, postea pars non stellam, deinde alia stellata, & sic consequenter: & sic patet ex duabus primis conclusionibus, quòd à motore immobili non potest prouenire actio noua immediata, sed benè potest prouenire nouus effectus à motore immobili mediatè motu æterno per quartam conclusionem, & hoc propter difformitatem partium mobilis. & hoc de primo. 4.

Quantùm ad secundum, prima conclusio est ista, à diuersis motibus regularibus potest prouenire nouitas. Probatur, quia aliter non posset assignari vnde prouenirent retrogradationes, stationes, & directiones planetarum, & propter istam causam Sol mouetur velociùs, quando est in æquinoctiali, quàm quando est in Tropicis; & causa huiusmodi irregularitatis potest esse propter diuersitatem partium mobilis, & propter diuersitatem velocitatis vnius mobilis, vel alterius.

Effectus nouus secũdum speciem quomodo esse possit posita mũdi æternitate.

Secunda conclusio: si motus cœli sint ad inuicem comparabiles, nunquam est aliqua dispositio in cœlo, vel aspectus, vel coniunctio, aut aliquid huiusmodi, quin aliàs infinities fuerit dispositio consimilis, supposito quòd mundus fuerat æternus. Probatur, quia si nunquam fuerat dispositio consimilis, aut non infinities, sequeretur quòd illi motus non sunt ad inuicem comparabiles, ita vt ista ad inuicem conuertantur. Ex isto sequitur, quòd cùm omnia ista inferiora dependeant à superioribus, quòd nunquam est aliquis effectus in istis inferioribus, quin infinities fuerit effectus sibi consimilis secundùm speciem, & sic suppositâ comparabilitate motuum cœlestium, non potest esse, naturaliter loquendo, aliquis effectus nouus secundùm speciem. 5.

Tertia conclusio: motus cœlorum sint ad inuicem incommensurabiles, tunc in quolibet instanti cœlum est in tali dispositione, quòd nunquam antè fuerat in dispositione sibi consimili, nec in posterum erit; quia da quòd sit, sequitur quòd omnes illi motus sunt ad inuicem commensurabiles, quod est oppositum positi. Ex quo patet, quòd hoc supposito, motus cœli sint incommensurabiles, quòd semper ista inferiora sint in tali dispositione quòd nunquam antè fuerant in dispositione consimili, nec vnquam postea erunt, & ideò possibile est, quòd fiat aliquis effectus nouus secundùm speciem, cuius nunquam similis præcessit. Et si quæratur, an motus cœlorum sint ad inuicem commensurabiles, vel non? Respondetur, quòd hoc non potest sciri per aliquam experientiam: nam in infinitum modica pars, vt millesima vnius partis mensurabilis potest reddere duas quantitates commensurabiles,

Motus cœlorum an sint ad inuicem commensurabiles.

vel

vel incommenſurabiles, & ſic patet qualiter à morore immobili poſſunt prouenire diuerſi effectus mediante motu æterno propter difformitatem mobilis quantùm ad ſuas partes.

6. Secundò, propter diuerſitatem velocitatum diuerſorum mobilium; & propter irregularitatem, & propter incommenſurabilitatem. Sed dubitatur, an motor immutabilis poteſt nunc incipere mouere aliquod mobile æternum, quod nunquam actu mouit: & ſi ſic, videtur quòd à motore immobili proueniat actio noua immediatè. Reſpondetur primò, quòd hoc non eſt poſſibile immediatè: quia vel ille motor immobilis moueret naturaliter, vel violenter; non naturaliter, quia cùm priùs non mouebat, oportet quòd aut potentia ſit augmentata, vel reſiſtentia diminuta, vel ſaltem, quòd motor, & mobile ſint ad inuicem applicata; ſed nullum iſtorum poteſt fieri ſine motu primo: igitur impoſſibile eſt, quòd incipiat primò mouere, alio motu non præcedente; ſi voluntariè, non apparet ratio, quare nunc debet mouere, & priùs non; immò ſi nunc vult mouere, ſequitur quòd priùs volebat mouere, & per conſequens nunc non primò incipit mouere.

Secundò, dico quòd poſſibile eſt ad imaginationem, quòd aliquod mobile æternum incipiat moueri, poſtquam non mouebatur; & hoc mediante motu æterno. Probatur, ſuppoſito quòd motus cœli ſint incommenſurabiles ad inuicem; tunc poſito quòd eſſet vna rota perpetua, cui motor eſſet applicatus; non potens igitur ipſam mouere propter impedimentum, tunc ex incommenſurabilitate motuum cœleſtium, poteſt prouenire, quòd aliqua ſphæra, vel aliqua coniunctio eſſet propinquior illi rotæ, quàm vnquam fuerat aliqua alia toto tempore æterno, & ex approximatione poſſet contingere, quòd impedimentum remoueretur, & moueretur rota; verum eſt tamen ſicut dictum eſt, quòd hoc eſt impoſſibile, niſi motu æterno præcedente; & iſta ſunt dicta aſſerendo præcisè ſecundùm rationem naturalem; & hæc de ſecundo.

7. *A motore immobili immediatè prouenire poteſt actio noua ſecundùm fid.* Quantùm ad tertium, dico quòd ſecundùm fidem, & veritatem habemus concedere, quòd à motore immobili, ſcilicet ipſo Deo, poteſt prouenire actio noua immediatè, Immò de facto prouenit ab ipſo totus mundus nouiter: & hoc perſuadetur ex hoc, quòd Deus eſt infinitæ virtutis. Secundò, ex hoc quòd Deus eſt æternus: quia licèt ab ipſo proueniat actio noua, non propter hoc ſequitur quòd ipſe mutetur; ſed omnis mutatio eſt in rebus mutabilibus, quæ ab ipſo proueniunt.

Tertiò, quia, vt patuit in ſecunda parte, imaginabile eſt, quòd rota quieuerit tempore æterno, & incipiat moueri de nouo mediante motu æterno; igitur multo magis videtur, quòd Deus ſe ſolo poſſit ipſam incipere mouere, vel ſaltem non apparet aliqua repugnantia, ex quo Deus eſt infinitus.

Ad rationes. Ad primam diceret Ariſtoteles quòd motor Immobilis non eſt liberæ voluntatis libertate contingentiæ, ſed libertate complacentiæ; & illa eſt libertas neceſſitatis.

Ad ſecundam, negaret conſequentiam: quia ex productione noui effectus videtur ſequi ipſum eſſe mutabile, & non ex productione æterni, capiendo productionem largè pro conſeruatione.

Ad tertiam, negaret conſequentiam: vnde non oportet, quòd ſi prima cauſa agat aliquid mediante ſecunda, quòd ſe ſola poſſit hoc facere.

Ad quartam, diceret quòd reuolutio hodierna non eſt aliud, quàm cœlum hodie reuolutum, & dato quòd eſſet aliud, tunc diceret, quòd eſt effectus partialis continuatus toti motui æterno; & ideò non diceretur effectus nouus, ſed antiquus.

QVÆSTIO IV.

Utrùm ſemper moueamur?

Ariſt. *hoc* 8. *Phyſ. c.* 3. *text.* 21. Auerr. *com.* 21. D. Thom *lect.* 5. Simpl. *in* 8. *Phyſ com.* 20. Parm & Meliſſ. apud Simpl. *ibi*. Item Heracl. & Alex. apud eundem *comm* 22. Alb *tract.* 2. *cap* 1. Ægid Romanus *dub.* 1. *in locum Philoſ. cit. & ſeqq.* Conimbric. & Ruuius *in expoſ. cap* 3. Rocc *in Paraphraſi ſumma* 2. *cap.* 1.

ARGVITVR quòd ſic; quia motus eſt in rebus mutabilibus, ſicut vita in rebus animatis, vt ponit Ariſtoteles in principio huius 8. text. 1. ſed nullum animatum poteſt eſſe ſine vita: igitur nullum mobile poteſt eſſe ſine motu; & per conſequens omne mobile mouetur. 1.

Secundò, ſi aliquod mobile quieſceret, hoc eſſet pro tanto, quòd eſſet in ſuo loco naturali; ſed propter hoc non: quia cœlum eſt in ſuo loco naturali, & tamen mouetur, etiam ignis in ſua ſphæra mouetur, vt patet 1. Meteororum.

Tertiò, quia ſemper centrum grauitatis debet eſſe medium mundi: igitur ſemper terra mouetur; & per conſequens omnia alia: quia de terra minùs videtur. Conſequentia probatur: quia per calefactionem à Sole continuè aliquæ partes leueſiunt; & per conſequens continuè variatur centrum grauitatis.

Quartò, ignis mouetur in ſua ſphæra raptus impetu, cœli aër mouetur per ventum, aqua per fluxum: igitur à ſimili terra mouetur: igitur cùm cœlum moueatur, ſequitur quòd omnia moueantur.

Quintò, dato quòd non omnia moueantur, attamen hoc per nullum ſenſum, aut experientiam poteſt deprehendi propter hoc, quòd multi ſunt motus inſenſibiles, propter tarditatem, & paruitatem: igitur ad minùs non eſt euidens quin omnia moueantur.

Sextò, arguitur quòd omnia ſpecialiter alterantur, quia cœlum continuè influit in iſta inferiora; & hoc aliter, & aliter propter varietatem aſpectuum cœli: igitur iſta inferiora continuè alterantur: quia cœlum eſt cauſa alterationis iſtorum inferiorum.

Septimò, quodlibet iſtorum inferiorum, aut eſt mixtum, vel ſimplex elementum: ſi mixtum, tunc continuè alteratur propter contrarietatem, quam includit; ſi ſimplex, hoc eſt falſum: quia nullum eſt elementum purè ſimplex, quin ſit alteratum propter continens propinquum, aut remotum.

Octauò, quia cœlum continuè alteratur ſecundùm lumen: igitur & iſta inferiora continuè alterantur. Antecedens patet, propter varietatem aſpectuum partium cœli, quia vna pars cœli nunc eſt intenſiùs illuminata, & deinde remiſſiùs, & ſic conſequenter. Et tenet conſequentia: quia alteratio in cauſa, ponit alterationem in effectu. 2.

Nonò

Nonò, omnia ista inferiora senescunt: igitur continuè alterantur. Tenet consequentia, quia senectus est alteratio continua ad determinatum. Et antecedens apparet: quia in hoc est differentia inter cœlum, & ista inferiora. Oppositum arguitur per Aristotelem 8. huius, cap. 5. text. 22. & inde, vbi probat, quòd aliqua sunt quæ quandoque mouentur, & quandoque quiescunt. Secundò, patet ad experientiam, quia aliqua quiescunt: igitur ita est, quòd illa quiescunt. Consequentia tenet, quia hoc sufficit Aristoteli ad probandum motum esse, quia videmus aliqua moueri.

Sensus quæst. Notandum, quòd quæstio potest intelligi, vel generaliter de omni motu, vel specialiter de aliqua specie motus. Item, potest intelligi, vel de possibili, vel de facto, scilicet vtrùm possibile sit, quòd omnia moueantur, vel vtrùm ita est de facto, quòd omnia moueantur. Tunc primò tangenda est vna via; deinde alia sibi opposita.

Omnia semper mouentur. Quantum ad primam, ponitur ista conclusio. Semper omnia mouentur, scilicet, vel motu locali, vel alterationis; & sic de aliis motibus; & de corpore cœlesti conclusio non est dubia, sed solùm de istis inferioribus, de quibus probatur sic: quia cœlum influit aliter, & aliter in ista inferiora: igitur ista inferiora continuè alterantur. Antecedens patet 1. Meteororum. Sed quòd continuè aliter, & aliter, patet propter continuam variationem aspectuum cœli. Tenet consequentia, quia influentia recipitur ab istis inferioribus; igitur secundùm quod est alia, & alia, secundùm hoc ista inferiora alterantur.

3\. Secundò, quia videmus, quòd Sol per eius accessum calefacit ista inferiora, & per eius recessum ipsa continue frigescunt; igitur cùm semper accedat, vel recedat, sequitur quòd semper alterentur.

Tertiò, quia non solùm cœlum influit per lumen, sed per alias influentias. Quod patet, quia Luna frigefacit, & tamen per lumine, cùm de natura luminis sit calefacere: & patet 1. Meteororum: igitur ista inferiora, licèt non omnia illuminentur, possunt tamen omnia alterari; immò omnia alterantur de facto per illam influentiam; cuius signum est, quòd profundè infra viscera terræ generantur metalla, ibi tamen maximè apparet, quòd deberet esse quies.

Quartò, si poneretur quòd non omnia mouentur, hoc esset pro tanto, quia sentimus aliqua quiescere; sed illa ratio non vales, quia aliquis est motus insensibilis propter tarditatem; vt patet de motu vmbræ causato à paruo stylo. Item, quædam sunt horologia artificialiter, in quibus ponitur vnus circulus, qui in minori, quàm in anno complet suam circulationem. Item, velocitas, & tarditas sequuntur proportionem, sed quàcumque proportione datâ potest dari minor: igitur quàcumque tarditate datâ potest dari maior; & per consequens aliquis motus est insensibilis propter tarditatem nimiam; & sic appatet probabiliter, quòd omne mobile mouetur.

Contra conclusionem obiicitur: quia omnis motus est finitus, igitur mobile quiescit in termino motus; & per consequens non semper quodlibet mouetur. Secundò, sequeretur quòd non quodlibet mobile haberet naturam, quod est falsum, vt patet secundo huius, tex. 4. Consequentia patet, quia natura non solùm est principium motus, sed etiam quietis. Tertiò, sequeretur quòd frustra fieret motus naturalis. Consequens est falsum: quia natura semper agit propter finem, vt patet 5. huius, text. 75. & inde. Consequentia probatur: quia motus naturalis est propter quietem naturalem in termino motus, & tamen per te nunquam mobile quiesceret. Quartò, aliquod mobile mouetur vno motu; deinde motu reflexu ad terminum vnde venit; igitur in intermedio quiescit, vt patet in isto 8. text. 65.

4\. Quintò, non omne mouens mouet; igitur non omne mobile mouetur. Consequentia tenet, quia semper potentia actiua, & passiua sibi inuicem correspondent. Antecedens probatur, quia sæpè est grauitas lapidis, quando non mouet, & caliditas ignis, quando non calefacit, vt puta quando pastum non est approximatum. Sextò, per Aristotelem in isto 8. text. 24. vbi dicit, quòd lapis manet, quòd non fit durior, nec mollior; & sic de aliis qualitatibus per tempus; & per consequens per tempus quiescit.

Ad ista. Ad primum, aliquis est motus finitus; concedo: igitur terminatur ad quietem. Negatur consequentia; quia adhuc potest mobile moueri alio motu, licèt illo desinat moueri.

Ad secundum, negatur consequentia: quia natura benè est principium quietis secundùm *quid*, aut à motu locali, licèt non sit principium quietis ab omni motu,

Ad tertium, negatur consequentia: quia sufficit, quòd in termino mobile quiescat quiete opposità motui, quo tendebat ad suum locum.

Ad quartum, negatur consequentia: & dato quòd concedatur consequentia, sufficit quòd in intermedio quiescat secundùm *quid*.

Ad quintum, negatur consequentia: quia vt in pluribus mouens non potest mouere nisi vnico motu; sed mobile potest moueri diuersis motibus Secundò, quia vt in pluribus mouens non potest mouere nisi vnum mobile; sed vnum mobile potest moueri à diuersis motoribus.

Ad sextum, concedo quòd manet per tempus, quòd non sit sensibilis variatio, sed hoc non obstat, quin continuè varietur. Et ad authoritatem Aristotelis post oppositum, dicitur quòd Aristoteles vult, quòd aliqua quiescunt secundùm *quid*, vt à motu locali, vel quòd ipsorum non apparet mutatio sensibilis,

5\. Ad secundum de experientia, dico quòd non est simile de motu, & quiete; quia motus percipitur ex hoc: quia res aliter se habent priùs, & posteriùs; modò nunquam aliqua percipiuntur, aliter se habere, quin aliquo modo aliter se habeant: sed quies percipitur ex hoc, quòd res eodem modo se habent: modò aliqua videntur eodem modo se habere, quæ tamen aliter se habent propter diuersitatem insensibilem, & de hoc de prima via.

Non omnia semper mouentur. Quantùm ad secundam, potest teneri probabiliter, quòd non omnia mouentur; & est prima conclusio de motu locali. Possibile est omnia moueri localiter. Probatur de massa grauium, de qua minùs videtur: quia dicit Commentator 2. Cœli: possibile est, quòd ad vnam partem terræ fiat tanta additio grauitatis, quòd sufficiat mouere aërem circumdantem terram; & per consequens tunc variabitur centrum grauitatis; & per consequens centrum magnitudinis terræ, & per consequens tota terra mouebitur; & possibile est, quòd quandoque ita fit de facto, propter constructionem alicuius ciuitatis, vel turris, aut propter magnum pulsum aquæ ad vnam partem terræ.

Secunda

Secunda conclusio : Non semper est ita de facto : quia non quilibet excessus grauitatis sufficit mouere aërem circumdantem terram : sicut in æquilibrio si appenderentur æqualia , non quodlibet graue additum alteri eorum facit motum propter difficultatem, quæ est in descendendo aërem,sed in vacuo quilibet excessus benè sufficeret.

De augmentatione autem , generatione , & corruptione , notum est , quòd ab istis motibus aliqua quiescunt ; de alteratione verò est prima conclusio , Non semper omnia alterantur. Probatur, quia multa sunt , quibus contraria non sunt semper applicata : igitur multa sunt quæ non semper alterantur. Consequentia tenet:quia omnis alteratio fit à contrario applicato , vt patet 1. *de Generat*. Probatur antecedens , quia,vt videtur , ignis in sua sphæra , scilicet in medio sphæræ non habet contrarium applicatum Item, partes centrales terræ , quibus nullum contrarium videtur applicatum. Item, partes intermediæ in mistis solidis , cuiusmodi sunt lapides, & metalla. Contra istas conclusiones sunt rationes ante oppositum.

6. Ideò ad primam , dico , quòd Aristoteles hoc intelligit de motu cœli,quem similitudinariè vocat vitam , eo quòd est causa vitæ istorum inferiorum. Ad secundam,concedo consequens:quia terra quiescit propter hoc , quia est in suo loco naturali. Et si instetur de igne ; dico,quòd ibi est impedimentum, & de cœlo non est simile ; sicut de illis qui rectè mouentur. Ad tertiam.Negatur consequentia: quia,vt dictum est , non quælibet alleuiatio alicuius partis terræ , sufficit ad mouendum terram , & hoc propter aërem circundantem, qui resistit. Ad quartam,dico,quòd non est simile,quia terra est corpus solidum,fixum, & manens , & ideò non est simile sicut de aliis elementis. Ad quintam, dico, quòd potest comprehendi per rationem deductam ex sensu. Ad sextam , negatur consequentia , & conceditur antecedens : quia aliqua sunt in istis inferioribus, ad quæ non attingit influentia cœli, sicut partes centrales terræ. Item, multa sunt, quæ licèt attingit influentia cœli, tamen fortè pro tunc non dominatur ad alterandum : igitur possibile est, quòd tunc quiescat. Ad septimam,concedo : modò dico , quòd possibile est , quòd nec mistum elementum alteret , nec mistum homogeneum; sed mixta heterogenea , & alia coniuncta cum contrariis continuè alterantur. Ad octauum,potest concedi antecedens de cœlo , & de partibus cœli , excepto Sole , cuius fortè lux non intenditur , vel remittitur per aspectus aliarum stellarum : sed negatur consequentia , quia multa sunt in istis inferioribus , ad quæ non attingit huiusmodi alteratio. Ad nonam , negatur antecedens , quia simplicia elementa , & mista homogenea non senescunt , nec alterantur nisi contrario applicato. Et si dicatur , quòd nunquam corrumperentur ; negatur consequentia, quia vincet constellatio , per quam applicabitur corruptioni.

EXPOSITIO TEXTVS.

7. Text. 21. PRincipium 1 *autem considerationis*. Iste est secundus tractatus huius octaui, in quo Aristoteles determinat de dispositione entium, quæ est in semper,vel non semper moueri, vel quiescere: & diuiditur in septem capitula. In primo capitulo ostendit,quòd aliqua entia,quandoque mouentur , & quandoque quiescunt. In secundo ostendit, quòd in motu, motor, & mobile distinguuntur. In tertio ostendit,quòd est deuenire ad aliquod mouens,quod si moueatur, mouebitur à se ipso. In quarto ostendit, quòd non est necesse omne mouens semper moueri ad hoc, quòd moueat. In quinto concludit , quòd est deuenire ad aliquod mouens immobile. In sexto ostendit, quòd est aliquis motus continuus , & perpetuus. Et in septimo ostendit , quòd aliqua semper mouentur,& aliqua quandoque mouentur,& quandoque quiescunt. Secundum ibi: *Reliquum est igitur*. Tertium ibi : *Hoc autem dupliciter*. Quartum ibi : *Ad dicta autem*. Quintum ibi : *Non ergo necesse est*. Sextum ibi : *Quòd autem non est ipsum*. Septimum ibi : *Esse igitur quædam*. Primum capitulum diuiditur ; quia primò præmittit vnam diuisionem. Secundò prosequitur membra illius diuisionis. Tertiò proponit de aliis tractare in aliis tractatibus. Et quartò , recolligit determinata. Secunda ibi : *Omnia igitur*. Tertia ibi: *Omnia ferè autem*. Quarta ibi : *Principium autem rursus*. Diuisio a quam præmittit , habet duo membra. Nam entia naturalia, vel omnia se habent vno modo , vel omnia tribus , vel duobus modis: si vno modo, hoc est tripliciter ; quia vel omnia semper mouentur , vel omnia semper quiescunt , vel omnia aliquando mouentur , & aliquando quiescunt. Si autem entia naturalia se habent duobus modis , hoc est tripliciter ; quia vel aliqua semper mouentur , & omnia alia semper quiescunt , vel aliqua semper mouentur , & omnia alia quandoque mouentur, & quandoque quiescunt. Si verò se habeant tribus modis, tunc hoc est vnico modo ; quia aliqua semper mouentur, & aliqua semper quiescunt, & aliqua quandoque mouentur, & quandoque quiescunt, & istud membrum probabitur esse verum , vt postea patebit.

Diuisio entium naturalium in respectu ad motum.

Omnia 1 *igitur*. Hîc prosequitur membra dictæ diuisionis , & primò ostendit , quòd impossibile est omnia quiescere. Secundò quòd impossibile est omnia moueri , ita quòd nihil quiescat. Et tertiò ostendit quomodo aliqua quandoque moueantur , & quandoque quiescant. Secunda ibi: *Ferè autem*. Tertia ibi : *At verò*. Prima conclusio est ista. Impossibile est omnia quiescere. Probatur deducendo ad aliqua inconuenientia,quia tales negant sensum , quærentes rationem ; modò infirmitas quædam intellectus est quærere rationem, vbi habetur experientia sensus. 8. Text. 22.

Infirmitas est intellectus quærere rationem vbi habetur experientia sensus.

Sed contrà : quia sæpe sensus errat in iudiciis; & per rationem corrigimus errores sensus : igitur non est infirmitas quærere rationem , vbi habetur experientia sensus. Respondetur , quòd quando sensus errat , & quòd per rationem sæpe corrigitur error sensus ; sed hoc est per alia sensata, mediantibus quibus percipimus illum errorem ; sed in casu , quo sensus iudicet aliquid , & per alia sensata non possumus experiri oppositum illius iudicij , tunc firmiter est assentiendum illi iudicio , nec vltra hoc est quærenda alia ratio , immò vltra hoc quærere rationem est infirmitas intellectus non potentis meditari,de per se manifesto,vel dubio. Secundum inconueniens: quia licèt dubium esset de ista vniuersali , omnia mouentur , attamen de particulari nulla est ambiguitas. Tertium inconueniens , quia negans

motum non solùm contradicit scientiæ naturali, immò etiam contradicit [b] cuilibet alij scientiæ; nam quælibet scientia saltem exercendo actum suum, vtitur motu. Quartum inconueniens, quia motum esse est principium in scientia naturali, vt patet *primo huius, text.* 11. modò ad naturalem non spectat reprobare sua principia, sed nec ad Metaphys. spectat arguere suas suppositiones.

9. Text.23. *Ferè 3 autem.* Hic Aristoteles ostendit, quòd impossibile est omnia moueri, & ducit ad sex inconuenientia. Secundum ibi: *Et dicunt quidam.* Tertium ibi: *Amplius.* Quartum ibi: *Atque lapis.* Quintum ibi: *Et de ipso.* Sextum ibi: *Amplius autem.* Primum inconueniens est, quòd sicut dicentes omnia quiescere, negant sensum, ita dicentes [c] omnia moueri, dicunt falsum, & contra sensum: immò non solùm natura est principium motus, immò etiam quietis, tamen dicere omnia moueri, est minùs contra scientiam naturalem, quàm dicere omnia quiescere.

Et dicunt quidam. Secundum inconueniens est: & recitat primò dicta antiquorum. Vnde antiqui dicebant omnia moueri, tamen de aliquibus non apparet sensui propter tarditatem motus. Contra Primò, quia non est possibile semper augmentari, vel diminui: sed est dare quietem intermediam; vnde isti sunt motus contrarij, & inter quoslibet motus contrarios necessariò cadit quies media, vt postea probabitur. Secundò, quia sic dicere esset idem, sicut dicere quamlibet guttam cadentem remouere aliquam partem lapidis; modò hoc est falsum: quia multæ guttæ disponunt lapidem, & vna cauat lapidem dispositum. Tertiò, quia sic dicentes, dicerent quòd ligna, quæ putrefiunt, vel ædificia, quæ corruunt, semper post eorum factionem tenderent ad eorum corruptionem, alterando: modò hoc non est necessarium, immò quandoque remanent in statu. Quartò, quia eâdem ratione diceretur, quòd semen, quod ponitur in terra, vel iacens in terra, statim à principio, quando poneretur, ascenderet de terra; modò hoc est falsum: quia primò disponitur ad pullulationem, & totum simul diuidit postquam acquieuit. Quintò, quia sic diceretur, quòd duo non potentes trahere nauem, traherent nauem insufficienter, quod est falsum; quia videmus, quòd duo non sufficiunt trahere, & cùm tertius superadditur illis, sufficiunt. Sextò, quia tunc, quando aqua congelatur, diceretur, quòd semper antè disponebatur ad congelationem; modò hoc est falsum, quia aliquando remansit in statu, & modò congelatur postea simul; & omnia ista exempla probant non quòd alteratio fiat subitò, sed quòd post longas quietes incipiunt fieri huiusmodi alterationes.

Inter motus contrarios cadit quies media.

Vide contradictionem Zimaræ.

10. *Amplius cùm ægrotauerit.* Tertium inconueniens, quia cùm infirmus sanatur, iam mutatur ad sanitatem; & illâ habitâ quiescit: quia si moueretur, vel moueretur in sanitatem; & hoc non: quia iam habet sanitatem: vel in aliud; & illud non oportet.

At quòd lapis. Quartum inconueniens, quia videmus lapidem manere per longa tempora, sine hoc quòd fiat durior, vel mollior; quod non esset, si omnia essent in continuo motu.

Text.24. *Et de 4 ipso ferri.* Quintum inconueniens, quia videmus, quòd lapis multo velociùs descendens deorsum, quiescit in termino motus, quod non esset, si omnia continuè mouerentur.

Amplius autem terra. Sextum inconueniens; quia videmus, quòd corpora naturalia non remouentur à suis locis, nisi per violentiam, & cum magno conatu respectu mouentis, quod non esset nisi in locis suis quiescerent, & recolligit, & patet in littera.

At verò neque. Hic ponit tertiam conclusionem, scilicet impossibile est entia se habere duobus modis, ita vt aliqua semper quiescant, & aliqua semper moueantur, & quòd aliquando moueantur, aliquando quiescant: & ducit ad quædam inconuenientia: Primò, quia hoc est contra experientiam, vt dictum fuit priùs in aliis rationibus. Secundò, quia augmentatio est motus in perfectam quietem, quâ habita, est motus.

Impossibile est aliqua entia semper quiescere, & aliqua semper moueri.

Tertiò, quia motus violentus non potest esse perpetuus, quia fit ex quiete naturali. Quartò, quia generatio, & corruptio sunt mutationes; & tamen non possunt esse perpetuæ, quia sunt inter certos terminos. Quintò, quia ferè omnis motus est quodammodò generatio, & corruptio; ideò cùm generationes, & corruptiones non possunt esse perpetuæ, nisi per quietes interpositas, sequitur, quòd aliquâ interpulatione quandoque mouentur, & quandoque quiescunt; quod fuit probandum. 11.

Censere 5 autem omnia. Hic proponit reductionem de istis membris ad loca alia: quia postea ostendetur, quòd primum mouens est mobile, & quòd primum motum semper mouetur. Text.25.

Principium 6 autem rursus. Hic recolligit præcedentia. Et Primò recolligit primam diuisionem. Secundò recolligit conclusionem. Et Tertiò recolligit alias duas. Secundum ibi: *Quod igitur.* Tertium ibi: *Similiter autem.* Primò recolligit diuisionem de verbo ad verbum, sicut ponebatur priùs. Text.26.

Quod igitur. Hic recolligit primam conclusionem, dicens, quòd impossibile est omnia quiescere; quia licèt aliqui dicebant quòd omnia sunt ens mobile: hoc tamen non obstante, dicimus, quòd aliquid mouetur: & ad faciendum fidem de isto, sufficit sensus; quia quærere rationem de illo, vbi habemus dignius ratione, est opus malè iudicantis, eo quòd non potest discernere, quod est melius, vel peius credibile, aut quod est principium, vel deductum ex principiis.

Similiter autem. Recolligit alias duas conclusiones, & dicit quòd ad omnia ista sufficit fides, quam habemus per sensum.

ANNOTATIONES.

[a] D*iuisio quam præmittit, habet duo membra.* Nota, quòd hæc diuisio habet sex membra, vel septem; iuxta septem opiniones antiquorum de motu. Prima opinio fuit, quòd omnia semper quiescunt, quod fuit placitum Zenonis cum Parmenide, & Melisso; & hæc opinio est contra sensum. Secunda opinio fuit, quòd omnia semper mouentur, sicut dixit Heraclitus, quæ est etiam contra sensum: & istæ duæ opiniones contraria simpliciter affirmant, tam ex parte subiecti vniuersalis, quàm ratione modi prædicati semper. Tertia opinio est, quòd omnia quandoque mouentur, & quandoque quiescunt, quæ fuit opinio Anaxagoræ & Empedoclis, vt visum est suprà. Et isti duo modi sunt subcontrarij, ratione modificationis prædicati *aliquando*; sed contrarij ex parte subiecti, *omnia.* 12.

Opiniones septem de motu.

Quia

Quarta opinio eſt, quòd omnium rerum quædam ſemper quieſcunt, & quædam ſemper mouentur, ſicut dixit Pythagoras & pòſt Epicurus; vt refert Albertus. Quinta opinio eſt, quædam non omnia quandoque mouentur, & quandoque quieſcunt. Sexta opinio eſt, quòd quædam quieſcunt ſemper, & alia mouentur quandoque, & quandoque quieſcunt. Septima opinio eſt, quòd inueniuntur in entium diuerſitate tres modi ſimul, ſcilicet quòd quædam mouentur ſemper, & quædam quieſcunt ſemper, & quædam quieſcunt quandoque, & mouentur quandoque; & de hac in præcedentibus, & ſequentibus eſt principalis intentio.

b *Immò etiam contradicit cuilibet*, &c. Nota, quòd non ſolùm Phyſicus naturam motus ſpeculatur, verùm & Metaphyſicus de altiſſimis eius cauſis & principiis, ſed & moralis Philoſophia; & Rhetorica de actionibus docet, quæ in motu conſiſtunt, de quibus & Dialectica ratiocinatur: quin etiam & Mechanicæ artes motuum ſunt directiuæ, vt ars extruendarum nauium, & nautica motum nauis conſiderant, & equeſtris motum equi. Adde quòd & Mathematicus qui abſtrahit à motu, nonnullam eius imaginationem habet dum ait à quolibet in quodlibet punctum lineam duci. Qui ergo motum aufert, omnes vult ſcientias, & artes de medio ſublatas.

Qui motum aufert, omnes ſcientias, & artes deſtruit.

c *Ita dicentes omnia moueri.* Nota, quòd Niphus

13. Heracliti opinionem defenſare contendit, dicens Ariſtotelem hic nihil aliud condemnare, quàm quòd omnia per ſe ſemper moueantur; quòd autem à ſe, vel extrinſecus omnia ſint in perpetuo motu, id (inquit) Ariſtoteles non negat. Cæterùm quomodo ſuſtineri poſſit omnia continue moueri, optimè docet Scotus *in quæſt*. 4. vide eum.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text. 27. R*Eliquum* 1 *eſt igitur conſiderandum.* Hoc eſt ſecundum capitulum huius tractatus, in quo Philoſophus oſtēdit, quòd in omni motu mouens & motum diſtinguuntur: & Primò proponit intentionem in generali. Secundò ponit quandam diuiſionem. Tertiò proſequitur membra illius diuiſionis: & Quartò concludit propoſitum ſuum. Secunda ibi: *Mouentium igitur.* Tertium ibi: *Et maximè.* Quartum ibi: *Si igitur omnia.* Proponit igitur, quòd nunc eſt conſiderandum, vtrùm omnia quandoque moueantur, & quandoque quieſcant; vel vtrùm ſit aliquod ſemper motum, & aliquod ſemper mobile.

Vide contradictionem Zimaræ.

Mouentium igitur. Hic præmittit duas diuiſiones: ſecundò combinat membra diuiſionis in inuicem, ibi: *Quod enim.* Primò dicit, quòd eorum quæ mouent, & mouentur, quædam mouent, & mouentur per ſe, & quædam per accidens: & accipit hîc *per accidens*, prout hîc diſtinguitur contra *per ſe: & primò*, ita quòd illud dicitur moueri per accidens, quod ſolùm mouetur ſecundùm partem, vel quod mouetur ex eo, quòd eſt in alio. Secunda diuiſio: Eorum quæ mouentur per ſe, quædam mouentur à principio intrinſeco, & alia à principio extrinſeco. Item, quædam mouentur naturaliter, & alia violenter.

14. *Quod enim.* Hic combinat membra diuiſionum ad inuicem, quodlibet declarando, dicens Primò, quòd illud quod mouetur, à ſe ipſo mouetur naturaliter, ſicut animal mouetur à ſe ipſo; & vniuerſaliter omne illud, quod habet in ſe principium intrinſecum ſui motus, mouetur naturaliter. Secundò addit 2 quòd animal contingit moueri naturaliter, & violenter. Et poteſt exponi vno modo, quòd animal poteſt moueri violenter, vt ſi proiiciatur ſurſum. Alio modo, quòd animal mouetur naturaliter, quantùm eſt ex parte animæ; mouetur tamen violenter conſideratâ naturâ elementi, de cuius natura eſt animal à dominio: nam animal eſt de natura terræ propter grauitatem, & ideò quantùm eſt ex parte terræ animal mouetur violenter. Tertiò, declarat membrum, dicens, quòd eorum, quæ mouentur ab alio, quædam mouentur violenter, vt ignis deorſum, & terra ſurſum: alia naturaliter, vt partes animalium, ſi moueantur ſecundùm diſpoſitionum, & iuncturarum membrorum exigentiam: quia ſi moueantur membra ſecundùm iuncturas innata conſuetum modum naturæ, tunc dicuntur moueri naturaliter; & ſi oppoſito modo, tunc dicuntur moueri violenter.

Et 2 *maximè.* Hic declarat principale intentum, proſequendo in membris dictæ diuiſionis: Text. 28. & oſtendit, quòd in omni motu mouens, & motum diſtinguuntur. Et Primò in iis, quæ mouentur violenter. Secundò, in iis, quæ mouentur ex ſe. Tertiò in iis, quæ mouentur naturaliter, licèt non ex ſe, cuiuſmodi ſunt grauia, & leuia ſimplicia. Secundum ibi: *Poſtea autem.* Tertium ibi: *Maximè autem.* Primò dicit, quòd maximè manifeſtum eſt in his, quæ mouentur violenter, quòd mouens diſtinguitur à moto: quia ibi mouens eſt extrinſecum moto, vt patet in proiectu lapidis.

Poſtea autem. Hîc declarat idem in iis, quæ 15. mouentur ex ſe, dicens, quòd poſt illa, quæ mouentur violenter, manifeſtum eſt in illis, quæ mouentur ſecundùm naturam ex ſeipſis, quòd mouens diſtinguitur à motu, quia in animalibus anima eſt mouens, & reſiduum motum. Sed dubitatur an in animalibus mouens, & motum diſtinguantur ſecundùm ſitum, vel non, quemadmodum nauis, & trahens nauem ſitualiter diſtinguuntur? Reſpondetur, quòd in motibus animalium primum mouens eſt anima, ſed non immediatè: quia anima mouet muſculos, & mediantibus muſculis motis mouet neruos, & nerui moti mouent membra, vt pedes, & tibias, quibus motis, portatur corpus animalis; modò anima, & corpus ſunt mouens, & motum indiſtincta ſecundùm ſitum, ſed alia membra, quorum vnum eſt mouens, & aliud motum, ſitualiter diſtinguuntur.

Maximè autem. Hic declarat intentum in grauibus, & leuibus, quando mouentur naturaliter: & Primò proponit eſſe dubium de iſtis. Secundò oſtendit quòd grauia, & leuia non mouentur à ſe ipſis. Et Tertiò oſtendit à quibus motoribus moueantur. Secundum ibi: *Et namque.* Tertium ibi: *Sed accidit.* Primò dicit, quòd maximè dubium eſt de elementis, ſimplicibus ſcilicet de grauibus, & leuibus, de quibus manifeſtum eſt, quòd mouentur ab alio; quoniam mouentur ad locos oppoſitos ſuis locis naturalibus; ſed immanifeſtum eſt à quibus moueantur, quando mouentur ad loca; ad quæ inclinantur ſecundùm naturam.

Et 3 *namque.* Hic probat, quòd grauia, & leuia non moueantur à ſe ipſis, per quatuor rationes. Text. 29. Secunda ibi: *Et ſiſtere.* Tertia ibi: *Quare ſi in ipſo.*

Grauia, & leuia non mouentur à ſeipſis.

Quarta ibi: *amplius quomodo.* Prima ratio: Illud non competit graui, & leui simplicibus, quod est proprium animatorum; sed moueri à se est proprium animatorum: ergo, &c. Secundò, illa quæ mouentur ex se, possunt ea se quiescere sine impedimento extrinseco, prius quàm attingant ad terminum motus, ad quem naturaliter inclinantur, vt patet de animalibus: sed grauia, & leuia simplicia non possunt quiescere, donec ad illum terminum perueniant, ad quem naturaliter inclinantur: ergo, &c. Tertiò, illud quod mouetur ex se, potest moueri naturaliter ad diuersas differentias positionis; sed graue, & leue non mouentur, nisi ad vnam differentiam naturaliter: ergo, &c.

16. Text. 30. Quartò, omne 4 quod per se mouetur diuiditur in partem per se mouentem, & partem per se motam; sed graue, & leue simplex non sic diuiditur: ergo, &c. Maior patet, quia animal diuiditur in animam, quæ est per se mouens, & in corpus, quod est per se motum: quia habet in se dispositiones actuales potentes resistere, & causare successionem in motibus prouenientibus ab anima: & minor patet, quia præter formam elementi simplicia non est in elemento nisi materia prima, cum dispositionibus naturaliter consequentibus formam elementi, quorum nullum potest causare successionem in motu nato prouenire à forma elementi.

Text. 31. *Sed 5 accidit ad hoc.* Hic inquirit à quo mouentur grauia, & leuia simplicia: & primò præmittit duas distinctiones. Secundò, respondet cuidam dubitationi: & tertiò ostendit a quibus mouentur grauia, & leuia. Secunda ibi: *Attamen quæritur hoc.* Tertia ibi: *Potentia autem est.* Primò ponit duas distinctiones. Secundam ibi: *Quoniam autem.* Prima distinctio est, quòd quoddam est [b] mouens, siue motum quod de sui natura non mouet, vt si dicatur, quòd baculus mouet lapidem; aliud est mouens à natura propria, vt quando dicimus, quòd calidum est calefactiuum, vel etiam mouet potentia calidum, scilicet frigidum. Similiter, quoddam est mobile ex natura propria in aliquem locum, vt ignis in sursum, & terra in deorsum; sed aliud est mobile violenter in aliquem locum; vt ignis deorsum, & terra sursum.

Text. 32. *Quoniam 6 autem.* Secunda distinctio, quòd aliquid [c] dicitur in potentia ad aliquid dupliciter. Vno modo in potentia essentiali; & sic non habens scientiam dicitur in potentia essentiali ad considerandum, quia priùs oportet generari scientiam, antequam consideret. Isto modo etiam ignis dicitur in potentia essentiali ad mouendum deorsum, & huiusmodi potentia non reducitur ad actum nisi à generante, vt à doctore qui generat scientiam, vel à frigiditate, quæ generat grauitatem. Alio modo aliquid dicitur in potentia accidentali, vt habens grauitatem potest moueri deorsum, quando impeditur sursum; & talis potentia reducitur ad actum à remouente prohibens.

Aliquid dicitur esse in potentia dupliciter essentiali, vel accidentali.

17. *Attamen quæritur.* Respondet cuidam dubitationi; quia aliquis quæreret, quæ est causa, quare graue existens sursum mouetur deorsum: & eodem modo de leui à contrario. Respondet Aristoteles quòd huius non est alia causa, nisi quia ista ex naturis propriis nata sunt sic moueri, vt hoc sursum, illud deorsum.

Grauia, & leuia à quo mouentur.

Potentia autem 8 est. Hic ostendit à quibus mouentur grauia, & leuia, dicens, quòd si graue mouetur, mouetur immediatè à generante; sed si non mouetur, tunc vel hoc est, quia habet grauitatem, & prohibetur; vel quia non habet grauitatem, sed potest habere, & moueri deorsum, & tunc mouetur graue a generante, vel à remouente prohibens.

Si igitur 7 omnia. Hic infert conclusionem principaliter intentam, scilicet quòd in omni motu mouens distinguitur à moto, sub istis verbis, *In omni motu inueniuntur mouens, & motum distincta.* Probatur primò, in motu violento hoc est manifestum. Item in motu, quo animalia mouentur ex se. Item, in motibus naturalibus grauium, & leuium simplicium hoc est declaratum: igitur cùm non sint alij motus, sequitur quòd in omni motu erunt mouens, & motum ab inuicem distincta. Text. 33.

ANNOTATIONES.

[a] ADdit quòd animal contingit moueri naturaliter. Nota, in quolibet animato duplicem inueniri motum. Alter est secundùm quòd est mixtum; & sic mouetur ad motum elementi prædominantis. Alter est secundùm quòd est animatum, vt motus progressiuus. Primi motus principium est mixtum, eo modo quo dicimus de grauibus se mouere, & habere principia motus. Secundi, scilicet motus animati principium est anima. Secundò differunt: quia ille motus non fit secundùm cognitionem, sed secundùm naturalem appetitum, siue inclinationem prouenientem, à dominio elementi; & sic est determinatus ad vnum, scilicet ad deorsum: quia corpora magis habent de terra; motus autem ratione animæ proueniens, sequitur apprehensionem, quæ non est semper respectu vnius loci, & situs: quia appetitus sequens cognitionem non est semper determinatus ad vnum. Tertiò differunt: quia in motu priori, scilicet naturali, non potest intrinsecè se sistere, vt si animal à turri cadat, non poterit in medio sistere, si velit; sed in motu, cuius anima est principium, potest sistere per intrinsecum. 18.

Animatorum duplex est motus.

Ex hoc sequitur primò, quòd vterque istorum motuum est animali naturalis; sed naturalior est motus, cuius anima est principium. De primo motu patet: quia motus naturalis est à principio naturali; sed in animali est huiusmodi principium tam actiuum, quàm passiuum ad hos motus: ergo sunt illi naturales. Secundum docet Scotus in 4. *distinct.* 49. *quæst.* 14. Quod in hunc modum probat; Quandocumque sunt aliquæ potentiæ ordinatæ, naturalitas potentiæ superioris est maior, quàm potentiæ inferioris; vt patet quando graue ascendit sursum ne detur vacuum; ergo naturalius est corpori perfici ab anima, & quòd moto moueatur competenti animæ, quàm quòd moueatur motu proprio ad centrum, in quantum graue.

Secundò, sequitur, quòd motus progressiuus animalis, secundùm quòd talis motus anima est principium, est naturalis, immò motus sursum, quando in patriam sancti volabunt, & non deficient, erit motus naturalis, est tamen modò secundùm *quid* violentus: quia corpus est repletum humoribus grossis, qui reddunt hominem pigrum, & causant, vt defatigetur animal. 19.

Tertiò, sequitur, quòd corpora mortua apparent grauiora, non quia plus habent materiæ,

aut quantitatis, quàm habeant in vita; sed quia spiritus vitales corrumpuntur, & inducuntur humores grossi, quanto enim corpora habent spiritus subtiliores, & humores minùs grossos, agiliùs mouentur: quia anima habet minùs impedimenti: hoc intelligitur, si cætera sint paria.

Mouentia sunt in duplici differentia.

b *Quoddam est mouens siue motum.* Nota, quòd prima distinctio sic intelligitur: Mouentium quædam mouent per se, & secundùm naturam; quædam verò per accidens, & extra naturam. Exemplum secundi, vt vectis, sagitta, vel baculus mouet grauia, vt puta lapidem; sed hoc non est per suam naturam, & per se; nam si baculus poneretur extra lapidem, & non moueretur ab alio, non moueret ipsum lapidem, sed cum eo quiesceret. Exemplum primi, vt si actu calidum, puta ignis, calefaciat potentià calidum, puta aquam; & eodem modo distinguitur de mobilibus: quædam enim mouentur secundùm naturam, sicut ignis sursum, & terra deorsum: quædam verò contra naturam, sicut è contrario.

20. *Potentia est duplex, ad actũ primum & ad actum secundum.*

c *Secunda distinctio, quòd aliquid dicatur in potentia.* Nota, quòd duplex est potentia, quædam ad actum primum, quæ est forma, vel dispositio: alia est ad actum secundum, quæ est operatio consequens formam, vel dispositionem, sicut scientia est actus primus, & considerare actus secundus. Prior potentia appellatur essentialis, quia ad formam, quæ est principium operandi: posterior dicitur accidentalis, quia est ad operationem. Addiscens ergo est in potentia ad actum primum, sciens autem potest esse in potentia ad actum secundum. Similiter caliditas est actus primus, & calefacere actus secundus: frigidum ergo est in potentia essentiali, seu ad actum primum: sed calidum est in potentia accidentali, quia potest esse in potentia ad actum secundum. Et similiter grauitas, & leuitas sunt actus primi, sed motus sursum, & motus deorsum sunt actus secundi; aqua ergo est in potentia ad hunc actum primum, qui est leuitas; aër verò, vel ignis aliquando est in potentia ad actum secundum, qui est moueri sursum. Inter autem huiusmodi potentias hæc est differentia: quia quod est in actu primo, & in potentia ad actum secundum, potest statim transferri ad actum secundum, si fuerit ei applicatum obiectum, & non fuerit extrinsecum impediens, nec ad hoc, quòd transferatur ad actum secundum, indiget motore extrinseco; calidum enim statim calefacit, si sit ei calefactibile approximatum; & actu sciens potest statim considerare, nisi sit aliquod impediens.

Potentia essentialis & accidentalis discrimen.

21. Sic etiam actu graue si sit sursum, statim mouetur deorsum, nisi sit extrinsecum impediens. Illud verò, quod est in potentia essentiali, seu ad actum primum, non potest exire in operationem, siue in actum secundum sine motore extrinseco, à quo generatur actus primus: frigidum enim non potest calefacere, nisi priùs efficiatur calidum ab aliquo extrinseco generante in eo caliditatem: nec aliquod actu graue mouetur sursum naturaliter, nisi fiat leue per motorem extrinsecum generantem in eo leuitatem: atque adeò ad hoc, quòd leue incipiat moueri sursum, indiget motore extrinseco, scilicet generante in eo leuitatem, si sit in potentia essentiali, siue in potentia ad actum primum: vel indiget remouente prohibens, si sit actu leue, & in potentia accidentali, siue ad actum secundum. Et quamuis graue, vel leue sic moueatur ab extrinseco motore, ipsum tamen existens solùm in potentia accidentali, mouetur à sua forma, vel à sua grauitate, vel leuitate, per quam natum est naturaliter moueri sursum, aut deorsum effectiuè, & per se, & immediatè, si fuerit graue sursum, & non fuerit impediens: leue enim operabitur mox, nisi aliquid prohibeat.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in omni motu mouens, & motum ab inuicem distinguantur?

Aristot. *hic text.* 26. & 40. Auerroës *ibid.* D. Thom. in locum Philos. citat. & 1. *cont. gent. cap.* 13. Scotus 9. *Metaphys. quæst.* 14. Ant. Andr. *ibid. quæst.* 1. Gregor. in 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 3. Iandunus 8. *Phys. quæst.* 12. Plaza 2. *Phys. disp.* 1. *quæst.* 7. Conimbr. 3. *Phys. cap.* 3. *q.* 3. *art.* 3. Complut. *disp.* 28. *Phys. quæst.* 1. *art.* 2. Roccus 3. *Phys. quæst.* 3. Vide authores citatos *lib.* 7. *quæst.* 3.

ARGVITVR quòd non: primò, quia tunc sequeretur, quòd intellectus non esset liber; consequens nos experimur falsum, & patet etiam falsum per Aristotelem 1. *Periherm.* & 9. *Metaph. cap.* 6. *text.* 6. & 10. Consequentia probatur: quia de ratione agentis liberi est, quòd moueat se sine distinctione mouentis, & moti; etiam si semper moueretur ab alio: tunc determinaretur ab illo, quod fortiùs moueret; & per consequens non esset agens liberum. 1.

Secundò, quia in omni animali vnum membrum mouet aliud: igitur in sic mouendo vnum membrum ab alio, est deuenire ad aliquod membrum, quod non mouetur ab alio: aliter enim in membris animalis esset processus in infinitum; sed illud membrum, ad quod sic deuenitur, mouetur: igitur à se ipso, & per consequens non distinguuntur mouens, & motum.

Tertiò, animal diuiditur in partem per se mouentem, & partem per se motam; & tamen mouetur à se: igitur ibi non distinguuntur mouens, & motum. Prima pars antecedentis probatur, supposito, quòd in bruto non sit nisi vnica forma substantialis; tunc illa est per se mouens, & non remanet nisi materia prima, quæ non potest esse per se mota, cùm sit in potentia tantùm.

Quartò, animal incipit moueri à se, siue ab obiecto exteriori: igitur mouetur à se sine distinctione mouentis, & moti. Consequentia tenet: quia Aristoteles ponit, quòd animal mouetur inchoatiuè ab obiecto. Et patet antecedens, quando animal mouetur immediatè post expergefactionem.

Quintò, anima mouet corpus, & mouendo corpus, mouet se ipsam: igitur in motu animæ idem est mouens, & motum.

Sextò, arguitur de aliis motibus, quia anima mouet alterando. Item se ipsam nutrit, & augmentat, quod non esset nisi idem esset mouens, & motum.

Oppositum arguitur per Aristotelem 8. huius *text.* 34. & *inde*, qui declarat, quòd in omni motu mouens, & motum distinguuntur: aliter enim non esset via ad probandum aliquos esse motores immobiles. 2.

Sciendum, quòd secundùm Aristotelem in motu animalis vnum membrũ mouet aliud, & membra mouentia mouentur ab anima. Ideò primò

videndum est, qualiter vnum membrum moueatur ab alio. Secundò qualiter membra moueantur ab anima: & tertiò à quo anima moueatur.

Diuisio quæstionis.

Cor inter omnia membra animalis est principalius.

Quantùm ad primum, notandum, sicut patet *in lib. de Motibus animalium*, quòd inter omnia membra animalis cor est membrum principalius, à quo reliqua membra mouentur, & à quo dependent omnes motus delectabilium, & tristabilium, & vniuersaliter omnis sensus, vt patet *in 3. de Partibus animalium*, quod quidem mouetur motu dilatationis & constrictionis, siue tractos, & pulsus, mediante quo mittit, & influit spiritus per venas, & alia membra corporis, & mediantibus istis spiritibus mouet musculos, & musculi moti mouent neruos, quibus motis, mouetur totum corpus animalis; & sic patet, quòd in motibus membrorum animalium mouens, & motum distinguuntur.

3. *Cor in animali à quo moueatur.*

Quantùm ad secundum, scilicet à quo illa membra moueantur, & est præcipuè dubium de corde, à quo cor moueatur. Pro quo est notandum, quòd sicut elementis simplicibus insunt quidam motus naturales à suis formis substantialibus, sicut graui inest moueri deorsum, & leui sursum; ita similiter quibusdam mixtis, à suis formis propriis insunt quidam motus naturales: verbi gratiâ, ferrum à sua natura propria habet, quòd mouetur ad adamantem, sed à grauitate habet, quòd moueatur deorsum, & in corpore humano, quidam humores habent à natura, quòd moueant ad mediationem. Ita similiter dico in proposito, quòd cor à sua forma, scilicet à parte animæ, quâ informatur, habet quòd sic mouetur motu dilatationis, & constrictionis; & sic patet à quo mouetur cor tanquam à motore immediato, scilicet à sua forma propria, quâ informatur.

Graue mouetur immediatè à sua forma.

Secundò notandum, sicut in motibus grauium, & leuium, licèt graue moueatur immediatè à sua forma, tamen requiruntur alij motores primi, scilicet aut generans, aut remouens prohibens; vt patet *in isto octauo*. Ita in proposito licèt cor moueatur immediatè à sua forma propria, tamen mediatè mouetur ab aliis, vt puta à generante, vel à motoribus superioribus, quæ sunt causæ vniuersales.

Tertiò sciendum, quòd in huiusmodi motibus cordis, est resistentia sufficiens ad causandum successionem, scilicet grauitas naturalis cordis, & continuitas eius ad alia membra: & sic patet, quòd cor diuiditur in partem per se mouentem, scilicet in formam; & in partem per se motam, scilicet in materiam, quæ propter dispositiones accidentales, quas cor sibi determinat, dicitur pars per se mota, eo quòd illæ dispositiones sufficiunt causare dispositionem in motu nato prouenire à forma cordis: & ideò sicut forma grauis mouetur à se ipsa per accidens, ita & forma cordis: & sic patet, qualiter partes animalium mouentur ab anima, & hoc de secundo.

4. *Anima à quo mouetur?*

Quantùm ad tertium, scilicet, à quo moueatur anima; dico quòd anima mouetur ab obiecto exteriori, vel à specie reseruata à virtute aliàs causatâ ab obiecto exteriori; sicut in expergefactiona, licèt non sit obiectum exterius, à quo animal mouetur, attamen mouetur à specie interius reseruatâ: modò in isto motu mouens distinguitur à moto, scilicet species, aut obiectum exterius ab animali, quod mouetur, nec oportet illud agens moueri ad hoc, quòd moueat; sicut non est necessarium quòd obiectum moueatur ad hoc, quòd imprimat speciem suam. Et si quæratur de intellectu, qualiter mouet se, præcipuè quãdo exercet actum liberum. Respondetur, quòd adhuc mouens distinguitur à moto, quia intellectus mediante formâ, quâ informatur, est mouens, sed solus intellectus circumscriptâ specie est motum: & sic patet inducendo tam in partibus animalium, quàm etiam in motu animę, quòd semper mouens distinguitur à moto.

Ad rationes. Ad primam, negatur consequentia: quia licèt moueat se, hoc tamen est mediante specie, & sic ibi distinguuntur mouens, & motum.

Ad secundam, dico quòd illud membrum mouens, ad quod deuenitur, ita vt non moueatur ab alio membro, mouetur à sua forma intrinseca, & illa mouetur ab obiecto exteriore, vel sua specie impressa.

Ad tertiam, negatur antecedens: quia materia propter dispositiones, quas determinat animal, dicitur per se mota, eo quòd illæ dispositiones natæ sunt causare successionem in motibus, qui proueniunt à forma animalis.

Ad quartam, dictum est. Ad quintam, anima mouet corpus; concedo quòd mouet ipsum per accidens, ita vt totum compositum sit motum, & sola anima sit mouens, & sic adhuc distinguitur mouens, & motum.

Ad sextam, anima alterat se. Dico quòd non alterat se, nisi mediante specie, vel aliâ qualitate tanquam instrumento, & quæcumque sit illa qualitas, semper mouens distinguitur à moto.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm grauia, & leuia moueantur ex se?

Aristot. 8. *Physic. cap. 4. text. 18. & 2. de Cælo cap. 2. text. 9.* Albertus Magnus *hic tract. 2. cap. 4.* Scotus 2. *dist. 2. q. 10.* Gregor. *dist. 6 quæst.* 1. Ferrar. *quæst. 9. & 2. con. Gen. c. 97.* Anton. Andr. 9. *Met. quæst.* 2. Iandun. 8 *Physic. quæst.* 12. Burid. *in cap. 4. 8. Physicor.* August. Niph. *in comm. eiusdem cap.* Rub. *ibid. quæst. 2.* Achill. *lib. 3 de Elementis.* Conimbr. *in cap. 4. Physic. quæst. vnica* Perer. *lib. 7. cap. 6.* Vales. *controu. 11. & 14.*

ARGVITVR quòd sic: quia illa mouentur ex se, quæ mouentur quocumque motore extrinseco circumscripto; sed grauia, & leuia sunt huiusmodi, vt patet ad experientiam: ergo, &c. 1.

Secundò, illud mouetur à sua forma propria, scilicet mediante grauitate: igitur graue mouetur ex se.

Tertiò, quia aliter sequeretur quòd graue non moueretur deorsum naturaliter. Consequentia probatur, quia in hoc est differentia inter motum naturalem, & motum violentum, quia motus naturalis fit à principio intrinseco, & à se; sed motus violentus ab alio.

Quartò arguitur per Commentatorem *in secundo huius, in principio, com. 1.* vbi ponit differentiam inter motum localem, & motum alterationis, dicens quòd corpora simplicia habent in se ipsis principium sui motus localis; sed non habent in se ipsis principium suæ alterationis.

Quintò, si grauia, & leuia non mouerentur à se, sed ab aliis, hoc maximè esset à generante, vel à remouente prohibens; sed hoc non, quia

nec generans, nec remouens prohibens, est simul cum illo, quod mouetur, nec ipsum insequitur: igitur nullo illorum mouetur graue, & leue.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto* 8. *text.* 32. vbi ponit, quòd grauia, & leuia non mouentur à se, sed à generante, vel à remouente prohibens.

2. Notandum, quòd aliquid dicitur moueri à se multipliciter: vno modo, quia secundùm se totum, & quamlibet partem sui, est mouens & motum; ita vt non sit aliqua pars sui quantitatiua, vel etiam essentialias, quam moueat, quin moueatur; nec aliqua mota, quin moueat. Tertio modo dicitur moueri ex se, quia componitur ex mouente & moto. Tertio modo dicitur moueri ex se, ex eo quòd componitur ex mouente, & moto, & cum hoc in suo motu non indiget motore extrinseco; & sic illud dicitur moueri ab alio, quod præter formam, à qua mouetur, indiget, vel indiguit, ad huiusmodi motum, motore extrinseco. Quarto modo dicitur moueri ex se, quia componitur ex mouente, & moto, & cum hoc sufficit per se incipere motum, & perficere, & cum hoc quiescere sine præsentia motoris extrinseci: & secundùm istum motum ponit Aristoteles quòd animalia mouentur ex se, sed grauia & leuia inanimata non.

Aliquid dicitur moueri à se multipliciter.

Tunc quantum ad primum modum est ista conclusio: Impossibile est aliquid moueri à se. Probatur: quia si aliquid moueretur à se prædicto modo, sequeretur quòd ipsum secundùm idem sui omnino esset in actu & in potentia; consequens est impossibile, vt patet 9. *Met.* & in Procemio de Anima. Consequentia probatur: quia eo quod mouet, est in actu, & in eo quod mouetur, est in potentia: igitur si secundùm idem sui moueat, & moueatur, sequitur quòd simul sit in actu, & in potentia.

Impossibile est aliquid moueri à se secundùm se totum & quamlibet sui partem.

3. Secundò, sequeretur quòd idem esset nobilius seipso, quia agens est nobilius passo, & mouens moto. Tertiò, quia omnis motus est secundùm proportionem maioris inæqualitatis; sed eiusdem ad seipsum & secundùm idem non est talis proportio; igitur impossibile est, quòd idem, & secundùm idem sit mouens, & motum. Quartò, probatur à posteriori; quia si aliquid posset sic moueri à se, tunc per nullam viam possemus probare aliquas esse substantias separatas, quod est falsum, vt patet *in isto* 8. *text.* 21. *& inde.* & 12. *Metaph. text.* 9. *& inde.* Consequentia probatur: quia diceretur, quòd cœlum secundùm se totum est mouens, & motum, quemadmodum diceretur de vna pura grauitate, si moueretur deorsum. Quintò, probatur *in isto* 8. inductiuè quia cœlum ratione orbis mouetur, & ratione Intelligentiæ mouet, & sic secundùm diuersa mouet & mouetur. Item, animal mouetur secundùm materiam, & mouet secundùm formam; & eodem modo de graui, & leui.

Secunda conclusio est de secundo modo: Omne mobile motum, quod scilicet, est mobile per se, mouetur à se ipso, secundo modo. Probatur, quia omne mobile componitur ex mouente, & moto, & patet inductiuè: quia cœlum componitur ex Intelligentia, & orbe; animal ex corpore, & anima, mista inanimata, & elementa componuntur ex materia, & forma; & sic cùm quodlibet mobile componatur ex mouente, & moto, sequitur quòd quodlibet mobile mouetur à se isto modo.

Omne mobile mouetur à se ipso quatenus componitur ex mouente & moto.

Tertia conclusio est de tertio modo; Nihil mouetur à se tertio modo, nisi cœlum. Probatur, quia præter motorem, à quo cœlum mouetur immediatè, non requiritur alius motor extrinsecus mediatè, vel immediate: igitur cœlum mouetur à se isto modo. Quòd autem nullum aliorum moueatur à se isto modo, probatur: quia quodlibet aliorum, quod mouetur, indiget, vel indiguit alio motore, scilicet, generante, ex quo quodlibet aliorum incipit de nouo; & ideò dicit Aristoteles quòd magis propriè cœlum dicitur motum, quàm aliquod aliorum mobilium. 4.

Cœlum mouetur à se ipso.

Quarta conclusio est de quarto modo: Animal mouetur à se quarto modo, ita vt in suo motu non indigeat præsentiâ motoris extrinseci ad inchoandum motum. Probatur, quia animal inchoat motum post quietem sine motore extrinseco. Item, animal mouet se ad diuersas, immò ad contrarias differentias positionis. Item, tendit ad quietem cùm volt, quod non esset, nisi animal ex se moueretur, quia animal habet species sensibilium reseruatas in eius memoria; & phantasia, à quibus post quietem potest mouere ad locum apprehensum, per speciem reseruatam absque hoc, quòd tunc de facto moueatur ab obiecto extrinseco præsente: semper tamen indiget, quòd aliàs motum fuerit ab obiecto sensibili, vel intelligibili, & appetibili.

Animalia mouentur ex se ipsis.

Quinta conclusio, quòd isto modo grauia, & leuia simplicia non mouentur ex se, neque etiam mixta inanimata. Probatur, quia illa non mouentur ex se, quæ ad hoc, quòd moueantur post quietem, indigent præsentiâ motoris extrinseci: sed grauia, & leuia simplicia, & cum hoc mista inanimata, indigent motore extrinseco præsente, ad hoc quòd moueantur post quietem; igitur non mouentur ex se. Maior patet per descriptionem datam quarto modo: & minor probatur: quia si graue deorsum moueatur, & priùs non mouebatur, tunc vel hoc erat, quia priùs non erat actu graue; aut quia priùs erat actu graue, sed erat impeditum ne descenderet. Si primo modo, tunc requiritur præsentia motoris extrinseci, scilicet generantis grauitatem; quia impossibile est, quòd non graue fiat actu graue, nisi ab illo, quod generat grauitatem. Si secundo modo, adhuc requiritur præsentia motoris extrinseci, scilicet ad remouendum impedimentum illud: quia semper remouens prohibens est motor extrinsecus. Et si dicatur, quòd graue priùs quiescebat in loco naturali, adhuc illud non obstat: quia tunc requiritur præsentia mouentis sursum, priùs quàm possit moueri deorsum. 5.

Contra istam conclusionem vltimam, & præcedentem arguitur; primò contra præcedentem, quòd animal non mouetur ex se; quia illud non mouetur ex se, quod ad sui motum indiget præsentiâ motoris extrinseci; sed animal est huiusmodi, quia indiget Deo, à quo eius motus dependet. Secundò arguitur, quòd graue mouetur ex se, si aliquod graue ponatur supra trabem, possibile est, quòd ibidem quiescat, & postea frangat trabem, & moueatur deorsum: igitur tunc graue ex se mouetur sine præsentia motoris extrinseci; quia illud impedimentum non remouetur à motore extrinseco, sed à se ipso. Tertiò, arguunt de igni, posito quòd ignis ponatur in aliquo vase facilitet combustibili, tunc ignis quiescit violenter: quia prohibetur ab illo vase, sed non requiritur motor extrinsecus ad remouendũ prohibens; quia

iguis de se potest combutere vas per quod prohibetur: igiiur ignis mouetur ex se sine præsentia motoris eatrinseci. Quartò, ab illo non mouetur graue, quod non est simul cum graui, & quo circnmscripro adhuc moueretur graue; sed remouens prohibens uun est simul com graui, & adhue ipso circumscripto non minùs moueretur graue per suam grauiiatem uaturalem : igitur ab ipso non muuetur.

6. Quintò arguitur, quòd graue non moueatur à generante: quia vel muuetut à generaute quando est, vel quaudo nou est : non quando est, quia tunc habet grauitatem, à qua potest moueri circumscripto generaute; nec quando non est, quia tunc nou mouetur. Sextò, si vuus ignls generetur ab alio, & iuxta ignem generatum sit aqua, tunc aqua calefit, & non à generante, sed à genito; ita similiter in proposito, si graue moueatur deotsum, hoc est à grauirate generata, sed non à generante. Septimò, quia tunc sequeretur quòd generans iusequeretur graue deorsum, quòd est falsum. Consequentia probatur, quia oportet mouens extrinsecum esse simul cum moio, & insequi motum. Octauò, si graue moueatut deorsum à genetante, quæro penes quid atteuditur huiusmudi velocitas? non penes proportionem huiusmddi grauitatis genetantis ad resistentiam illius, quod mouetur deotsum, nec alicuius alrerius.

Ad ista respondetut, tenendo sicut priùs, quòd animal mouetur ex se, sed graue simplex non, propier duo: quia semper graue simplex in suo motu requirit præsentiam mori eatrinseci, scilicet medij, sine quu non fietet successio in motu grauis. Secundò requiritur motor eatrinsecus ad hoc, quòd moueatur post quietem, scilicet remouens prohibens, aut generans. Quòd autem moueatur à generante, probatur: quia quando mobile resistit, & motor obtiuet, motus fit ab illo motore; sed quando graue contra medium resistir, & etiam leuitas, quæ priùs fuit, & generans obtinet per hoe, quòd successiuè inteudit grauitatem: igitur motus illi prouenit à genetante. Secundò quia dans formam dat omnia consequeutia ad illam furmam; sed motus deorsum, & eius locus deotsum consequuntur formam grauis; igitur generans graue dat motum, ac eius locum deorsum. Sed vt dicit Commentator 3. *Cæli* differeutia est iuter morum deorsum, & alias dispositiones, quæ consequuntur formam grauis; quia putest impediri ue motus deorsum immediatè consequatur formam, sed impussibile est impediri ne aliæ dispusitioues sequantur; vt calidiias, siccitas, & huiusmudi, ad quas consequitur forma grauis.

Tunc ad primam, dicu quòd nulli mobili Deus est extrinsecus per indistantiam, licèt benè per inhærentiam, quis ea quo Deus est vbique, cuilibet mobili est indistans.

7. Ad secuudam, dico quòd si graue quiescat supra trabem, semel graui, & trabe similiter se habentibus, perpetuò ibi quiesceret, & ideò ex quo graue mouetur, opoitet quòd eius grauitas inteudatur, aut quòd diminuatur virtus trabis ab aliquo alterante: & quocumque dato, semper requiritur motur eatriusecus alius à grauitate.

Ad tertiam, respundetur dupliciter. Vno modo, quòd leue nun remouet prohibens per illam dispositionem, secundùm quam est murum localiter, sed per aliam dispositionem, secuudùm quam est principium alterationis, scilicet per caliditatem; & ideò illa caliditas debet reputari in proposito tanquam motor extrinsecus. Sed ista solutio nou valet, quia ita diceretur quòd animal moueretur ex se, quia species, à qua mouetur animal, nou est mota localiter, sed est principium alterationis. Ideò dicitur aliter, quòd aliqui tales casus partiales benè possunt concedi, scilicet quòd quaudoque elemeutum mouetur ex se sine præsentia motoris extriuseci; & hoc quando elementum remouet per actionem propriam impedimentum; sed hoc raro accidit; ideò simpliciter Aristoteles diait, quòd elementum uon mouetur à se, sed à motore eatrinseco.

Ad quartam, quia ab illo, &c. Verum est, quòd ab illo uon muuetur immediatè, sed à sua grauitate uaturali; tamen mouetur ab ipso mediatè, & occasionaliter; ita quòd remouens prohibens fuit occasio & causa quare graue descendit.

Ad quintam, dico quòd quando graue est. Vnde quando graue generatur successiuè, primò inducitur remissa grauitas, postea intensa; & grauitas primò inducta non sufficeret ad muuendum, uisi generaus intenderet grauitatem; & ideò sicur generans continuè producit grauitatem; ita continuè mouet graue deorsum; & sic patet quòd graue non mouetur à generante, uisi dum ipsum est in *fieri*.

Ad seatam, dieo quòd non est simile, quia ista caliditas producitur in aliquod passum, quod sit effectus productus à generante; & sic non cousequitur formam generati: & propter hoc uon oportet quòd sit à generante; sed mutus deorsum consequitur formam grauis; & quia dans formam dat omnia consequentia formam, ideò generans graue, muuet graue deorsum. 8.

Ad septimam, concedo quòd vel generans insequitur, vel quòd continuè est aliquod æquiualeus: verbi gratiâ, quando in media regione aëris ea vapore generatur aqua continuè, sicut à frigiditate inducitur grauitas, ita continuè descendit graue deorsum; & licèt prima frigiditas producens grauitatem nou insequatur vaporem, tamen ille vapor continuè inuenit medium frigidum, à quo intenditur continuè eius grauitas; & sic vel generaus insequitur, vel æquiualenter inuenitur aliquod proportionale generanti.

Ad octauam, dico quòd velocitas motus grauis à generante, sequitur velocitatem generationis, quemadmodum & velucitas illuminationis consequitur velocitatem motus localis, quam ipsa cousequitur. Rationes principales solutæ sunt per distinctiouem positam in principio quæstionis.

ANNOTATIONES.

a **A***liquid dicitur moueri à se multipliciter.* Nota primò, aliquid à se moueri multipliciter dici. Primò quod secundùm se totum moueat, & mueatur eodem motu, & hoc modo auimal nou se mouet. Secundo modo dicitur moueri à se, quod uuu indiget motore extrinseco, aut iutrinseco; & sic nihil à se mouetur. Tertio modu dicitur à se moueri aliquid, quod componitur ex motore & moto tanquam ex partibus, quarum vua est mouens, altera verò mota, & hoc modo animalia à se mouentur. Quarto modo dicitur à se muueri, quod potest incipere motum suum postquam quiescit, uullo motore extrinseco 9. *Aliquid moueri à se multipliciter dicitur.*

extrinſeco concurrente, & terminare motum, nullo etiam extrinſeco ſuperueniente,& hoc modo animalia mouentur à ſe localiter.

Principia motus ſunt quatuor.

Nota ſecundò, quatuor eſſe principia motus, duo actiua, & duo paſſiua. Principium primum actiuum eſt *quo*, & eſt id, quo aliquid mouet, vt calor eſt principium actiuum calefactionis. Secundum principium actiuum motus eſt *quod*, & eſt id,quod mouet, ſeu motor; & hoc debet eſſe compoſitum ex materia & forma,cuius forma eſt principium *quo*,ſicut & cuiuſlibet agentis forma, eſt principium *quo* agendi. Primum etiam principium paſſiuum motus eſt quo aliquid, quod mouetur, recipit motum. Principium tandem paſſiuum *quod* eſt,id quod mouetur,ſeu mobile, quod etiam debet eſſe compoſitum.

Nota tertiò, quòd habens aliquam formam, quæ nata eſt eſſe principium alicuius actionis vniuocæ,poteſt per illam formam agere in receptiuum approximatum & proportionatum; ita etiam habens formam, quæ nata eſt eſſe principium actionis æquiuocę,poteſt per ſe ipſam agere æquiuocè in paſſum approximatum.

10. Nota quartò, quòd ſi ipſummet habens illam formam, quæ eſt principium actionis, ſit aptum receptiuum talis actionis, vel effectus æquiuoci, & carens eo ſicut poteſt cauſare talem effectum in aliu, ita in ſe ipſo: verbi gratià, lapis exiſtens ſuprà eſt in potentia, ad *vbi* deorſum grauitas reſpectu iſtius *vbi* eſt principium actiuum æquiuocum: quia reſpectu cuiuſcumque *vbi* non datur principium niſi æquiuocum, eo quòd quando mouens mouet mobile ad aliquod *vbi*, non ideò ipſum mouet: quia formaliter eſt in actu in eodem *vbi*, ſed tantùm quia virtualiter: quia igitur ipſummet graue eſt receptiuum ipſius effectus æquiuoci, & caret eo, ſcilicet illo *vbi*, cauſat in ſe ipſo primò iſtum effectum; & in nullo alio, niſi priùs cauſando in ſe, & cauſare in ſe iſtud *vbi* eſt operatio grauia, ſic calefacere eſt operatio calidi. Iſtud poſſet clariùs ſic videri, ſi graue manens ſurſum poſſet propellere aliud ad centrum; tunc nemo dubitaret, quòd illud graue fuit cauſa & principium deſcenſus in alterum. Simili modo conſiderandum eſt, quòd ſit cauſa eff-ctiua reſpectu deſcenſus ſui ipſius, quia eſt receptiuum talis *vbi*, & ſimul cauſatiuum; & ſic ablatis impedimentis, ſtatim ſequitur actio.

Entia naturalia habent in ſe principium intrinſecum actiuū ſui motus naturalis.

b *Impoſſibile eſt aliquid moueri à ſe.* Nota, quòd entia naturalia tam animata, quàm inanimata habent in ſe principium intrinſecum actiuum ſui motus naturalis; & quoad animata ab omnibus conceditur. Verùm quoad inanimata, probatur à Scoto *in* 2. *diſt*.2. *quæſt*.10. ſuppoſitâ illâ diſtinctione Philoſophi *in text*. 22. *huius*, 8. & 2. *de Anima text*. 55. de duplici potentia, vnâ ad actum primum, & alterâ ad actum ſecundum; ex qua ſic argumentatur: Ignis eſt in potentia remota vt ſit frigidus: quia poteſt aqua ex eo generari; cùm fuerit aqua genita, erit in potentia propinqua & accidentali ad infrigidandum, niſi impediatur: ergo ſimiliter dicendum eſt de graui,& leui reſpectu motus;quod quidem ſi actu eſt leue,vel graue,mouebitur quidem, niſi impediatur;quia eſt in potentia accidentali & propinqua; aliàs non erat graue, neque leue, ergo per principium actiuum mouet ſe.

11. Confirmatur, ſicut ignis habens calorem in actu primo, verè effectiuè ſe habet ad calefaciendum, quæ eſt operatio eius ſecunda; ita ignis actu exiſtens leuis effectiuè ſe habet ad eſſe ſurſum, ſiue ad actum ſecundum, qui eſt ferri ſurſum. Præterea omnis effectus, quando actu cauſatur, actu habet cauſam efficientem, vt patet 2. *Phyſicor. text*.37. vbi ponens differentiam inter cauſam in actu, & in potentia, dicit Philoſophus: *Differunt autem tantum, quod actu exiſtentes, & ſingulares, & ea quorum ſunt cauſa, ſimul ſunt & non ſunt, vt hic medens cum hoc, qui ſanatur, & hic ædificator cum hoc ædificio: quæ autem ſunt ſecundùm potentiam non ſemper*; id eſt, non ſunt ſimul cum illis, quorum ſunt cauſæ. Vbi Commentator, *Inter cauſas in actu, & in potentia differentia hæc eſt: quoniam quæ ſunt in actu, inueniuntur cum illis, quorum ſunt cauſæ, & deficiunt cum illis; itaque non poteſt dari operatio in actu ab agente, quod non ſit in actu.* Ex hoc ſic argumentatur; deſcenſus grauis eſt in actu: ergo aliquid eſt cauſans effectiuè in actu: ſed hoc non eſt remouens prohibens, neque impellens: quia tale eſt cauſa per accidens, quæ reduci debet ad per ſe; non influentia cœli, quia eſſet negare cauſas particulares; non generans: quia tunc poteſt non eſſe; ergo oportet dare aliquod intrinſecum ipſi graui, vel ipſummet graue per aliquod intrinſecum, quod ſit principium actiuum talis deſcenſus.

Nota ſecundò, quòd graue non mouetur à generante, niſi dum ipſum graue eſt in *fieri*; at poſtquam factum eſt, mouetur deorſum à ſe ipſo, ita Scotus hìc in reſponſione ad 5. Quomodo rationes Ariſtotelis concludant, grauia & leuia non moueri à ſe ipſis, vide Scotum *in* 2. *diſt*.2. *quæſt*.10. & ea quæ ibi notauimus.

EXPOSITIO TEXTVS.

HOc autem 1 *dicitur.* Hoc eſt tertium capitulum huius tractatus, in quo Ariſtoteles 12. Text. 34.
oſtendit, quòd eſt deuenire ad aliquod mouens: quod ſi moueatur mouetur à ſe ipſo: & primò præmittit ſuppoſitiones. Secundò ponit concluſiones ibi: *Si ergo.* Primò dicit, quòd mouentium quoddam mouet propter ſe, id eſt, virtute propriâ, id eſt, quòd non mouetur ab alio. Aliud mouetur propter alterum, id eſt, in virtute alterius mouentis, à quo mouetur. Secunda ſuppoſitio ibi: *aut per plura.* Quòd aliquando mouens mouet per plura intermedia, vt homo mouet manus, manus baculum, baculus lapidem, & lapis aërem; & quandoque per vnum medium, vt homo mouet manus, & manus lapidem. Tertia ſuppoſitio ibi: *Vtraque igitur*, quod in huiuſmodi mouentibus ordinatis poſtremum non mouet, niſi primo mouente: verbi gratiâ, baculus non mouet, niſi mouente homine; tamen primum benè mouet non mouente poſtremo. Sed non dubitatur, quia Ariſtoteles videtur ſupponere quod intendit probare. Supponit enim quòd ſit dare primum mouens. Reſpondetur, quòd Ariſtoteles non ſupponit, quòd ſit dare primum mouens ſimpliciter, ſed quodlibet vocat primum reſpectu ſequentis.

Si 2 *ergo.* Hìc ponit concluſiones. Secundam Text 35.
ibi: *Si ergo.* Prima concluſio eſt: In a mouentibus & motis eſſentialiter ordinatis, eſt deuenire ad aliquod mouens, quod ſi moueatur, non mouetur ab alio. Probatur: quia vel in mouentibus & motis eſt proceſſus in infinitum, vel ad aliquod mouens eſt ſtatus: quod ſi moueatur, non

mouetur

mouetur ab alio, sed in mouentibus & motis non est processus in infinitum, sicut probatum est *septimo huius, text.6.* igitur est deuenire ad aliquod mouens, quod si moueatur, non mouetur ab alio.

Si ergo. Ponit secundam conclusionem: In mouentibus & motis est deuenire ad aliquod primum mouens; quod si moueatur, mouetur à se ipso; & ista patet ex præcedenti: quia ex quo non mouetur ab alio, necesse est, quòd moueatur à se ipso.

Text. 36. *Amplius 3 autem.* Probat secundò dictam conclusionem, & est omnino eadem ratio sicut priùs, licèt sub aliis verbis; & formatur sic; omne mouens aliquod vel mouet ipsum in virtute propriâ, vel virtute alterius à quo mouetur: si virtute propriâ, sequitur quòd est deuenire ad mouens, quod si moueatur, mouetur à se ipso: si verò omne mouens moueat virtute alterius, à quo mouetur, tunc in mouentibus, & motis est processus in infinitum, quod est improbatum *7. huius.*

EXPOSITIO TEXTVS.

13. Text. 37. AD *dicta 1 autem.* Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit, quòd non est necesse omne mouens moueri ad hoc, quòd moueat: & diuiditur; quia primò format rationem. Secundò eam prosequitur, ibi: *Primum igitur.* Primò ponit istam conclusionem: Non est necesse omne mouens moueri ad hoc, quòd moueat. Probatur sic: quia si omne mouens mouetur, vel mouetur necessariò, vel contingenter; sed neutro modo: ergo, &c.

Primum igitur. Prosequitur dictam rationem; & Primò probat, quòd non omne mouens contingenter mouetur ad hoc, quòd moueat. Secundò interponit quandam rationem ad conclusionem principalem: & Tertiò ostendit, quòd non omne mouens necessariò mouetur ad hoc, quòd moueat. Secundum ibi: *Et rationabiliter.* Tertium ibi: *At verò.* Primò igitur probat istam secundam conclusionem. Non omne mouens contingenter mouetur ad hoc, quòd moueat, quia si sic esset, sequeretur quòd possibile esset, quòd nihil moueretur. Consequens est falsum, vt patuit *tractatu 1. huius, 8. text. 22.* Consequentia probatur: quia primò mouens contingenter mouetur ad hoc, quòd moueat: igitur ex quo contingenter mouetur, possibile est, quòd non moueatur; & si non moueatur, non mouebit per aduersarium, qui ponit quòd omnis motor mouetur ad hoc, quòd moueat: & si primus motor non moueat, nullus aliorum mouebit, vt patet in præcedenti capitulo: igitur possibile est quòd aliquando nihil moueatur, quod est impossibile.

14. Text. 38. *Et 2 rationabiliter.* Hic interponit quandam rationem ad conclusionem principalem, cum quadam authoritate Anaxagoræ. Ratio est ista, aliquod est motum, quod [b] non mouet: igitur aliquis est motor, qui non mouetur. Consequentia tenet, quia quando aliqua duo sunt [c] coniuncta, si vnum illorum inueniatur separatum ab alio, & reliquum potest inueniri separatum ab ipso. Et ponit Aristoteles exemplum, vt mel, & aqua inueniuntur coniuncta in melicrato, ita vt sicut mel inuenitur sine aqua, ita aqua inueniri potest sine melle, & antecedens patet, quia quando lapis mouet aërem, est deuenire ad aliquem aërem, qui mouetur, & non mouet; aliter enim esset processus in infinitum, & cœlum expelleretur de loco suo. Contra probationem obiicitur: quia substantia, & accidens inueniuntur coniuncta ad inuicem vt in homine; & substantia inuenitur sine accidente, vt patet de Deo; & tamen non propter hoc sequitur, quòd accidens inueniatur sine substantia. Respondetur, quòd illa consequentia non est formalis, tamen valet in proposito per locum à minori: quia minùs videtur, quòd motus possit inueniri separatus à motore, quàm è contra; cuius causa est, quia motus est posterior mouente; modò minùs videtur, quòd posterius inueniatur sine priori, quàm quòd prius inueniatur sine posteriori.

Vnde Anaxagoras. Adducit ad propositum authoritatem Anaxagoræ, qui posuit intellectum diuinum impassibilem, & immutabilem, ad hoc, quòd moueat alia, & immixtum ad hoc, quòd imperet aliis.

At verò 3 si non. Hic probat, quòd non omne mouens necessariò mouetur ad hoc quòd moueat: quia vel hoc esset secundùm eandem speciem motus, vel secundùm aliam; non secundùm eandem: quia tunc ædificator ædificaretur, & sanans sanaretur, & sic de similibus, quod est impossibile. Vnde docens scientiam, est habens scientiam, & addiscens caret illâ; modò si docens doceretur, habens scientiam careret scientiâ, quod implicat. Nec secundùm aliam speciem motus, vt quod mouens localiter, aut augmentans alteretur: & sic de aliis. Modò hoc est fictitie dicere, quòd mouens localiter, aut alterans necesse est augmentari. Item, species motuum sunt finitæ; igitur si quodlibet mouens moueretur secundùm aliam speciem motus, tunc fieret reiteratio; vt quòd mouens localiter alterabitur, alterans augmentabitur, & iterum augmentatum ferretur localiter, & sic circumeundo, & iam sic ponere non esset aliud quàm ponere, quòd mouens de necessitate moueretur secundùm eandem speciem motus, secundùm quam mouet, quod iam est probatum. Text. 39.

ANNOTATIONES.

[a] IN *mouentibus & motis.* Nota, vt obseruat hîc Commentator *comm. 39* & Eudemus, prout refert Simplicius, quòd Plato in illa persistit sententia, quòd omne quod mouet moueatur, atque adeò primum mouens cùm non moueatur ab alio, moueri à se ipso. Et ideò primùm Philosophus vsque ad *text. 29.* constituit cum Platone non esse processum in infinitum in mouentibus & motis, sed deueniendum esse ad primum mouens, quod non ab alio, sed à se ipso mouetur; & deinde contra Platonem ex sua ipsius concessione infert perueniendum tandem ad primum mouens immobile. Ideò obserua, quòd de immobilitate primi motoris aliter sentit Plato, & aliter Aristoteles. Nam Aristoteles Primò conuenit cum Platone in hoc: quia eodem modo probant primum motorem esse. Secundò conueniunt in hoc, quòd dicunt primum motorem esse substantiam intellectualem, siue Intelligentiam separatam. Tertiò conueniunt in hoc, quòd dicunt motores corporum cœlestium esse indiuisibiles, & non habentes magnitudinem; ideò nec finitam, nec infinitam potentiam habent, quæ sint virtutes cõparabiles, sicut grauitas & leuitas. 15.

Aristoteles & Plato dissentiunt de immobilitate primi motoris.

Sed

Sed disconueniont in duobus. Primò quia dicit Plato, quòd motores primi per hoc quòd mouent, mouentur à se, & hoc non tantùm intelligit de motoribus corporum cœlestium, sed etiam de anima: & ideò dicit eam esse immortalem, sicut expresse patet legenti Phædonem, & *de Legibus librum* 10. Dicit enim quòd intellectus separatus in eo, quòd ipse facit formas, intellectus mouet se: quia nihil facit intelligibilia nisi intellectus, sicut nihil facit calidum nisi calor. Ad faciendum autem intelligibilia in eo, quòd sunt intelligibilia, mouet se per intellectum: & quia in tali motu non est contrarietas mouentis, & moti, neque distantia; & ideò dixit quodlibet tale esse immortale, & perpetuum, & quod sic mouet se, esse causam motus localis in habentibus intellectum.

16. Et quia hoc primitùs est in cœlestibus; ideò dicebat semen animarum esse in cœlestibus, vocans semen animarum animas separatas, quæ descendunt à stellis comparibus. Secundum in quo differunt est, quia Plato dixit, quod sicut anima est coniuncta corpori, & mouetur per accidens ad motum corporis, cuius est actus, ita similiter primus motor; sed oppositum dixit Aristoteles: nam primus motor non potest dici anima nisi æquiuocè. Vnde Ptolemæus dicit in Almagesto, distin. 13. cap. 2. quòd non debet sumi iudicium motus corporis cœlestis ab aliquo corporum inferiorũm simplicium: quia corpus cœleste obedit in omnem motum, quem vult in eo fieri motus suus absque lassitudine, & tristitia, non autem sic in corporibus inferioribus à se motis.

b *Aliquod est motum, quod non mouet.* Nota, quòd tria est considerare in ordine motus, videlicet id quod mouetur, & id quod mouet, & quo mouet. Id autem quod mouetur, necesse est moueri, nimirum in sensu composito, si mouetur, non autem necesse est vt moueat; ei autem quo mouet vtrumque necessarium est, & mouere, & quando mouet, moueri; quia pariter instrumentum mutatur, & particeps fit motus eius, quo mouetur. Illud autem quod non est, id quo mouet, puta quod non est instrumentum, vel intermedium mouens, sed mouens primum, nihil vetat non moueri, atque adeò esse immobile.

c *Quando aliqua duo sunt coniuncta*, &c. Nota, quod Commentator dicit circa hanc regulam, quòd quando aliquid est compositum ex duobus compositis, quorum vtrumque existit per se, & alterum illorum fuerit separatum à reliquo, necesse est vt reliquum sit separatum: verbi gratiâ, terra & aqua sunt simul, & vtraque illarum existit per se; & cùm neutrum sit necessarium componi alteri, sequitur quòd si terra fuerit separata in aliquo loco ab aqua, quòd etiam è contra. Volt ergo Commentator sic intelligere, quòd si aliquæ substantiæ per se existentes possunt inueniri simul, & vna possit inueniri per se separata ab alia, reliqua potest per se existere non coniuncta cum alia.

EXPOSITIO TEXTVS.

17.
Text 40.

NOn ergo 1 necesse est. Hoc est quintum capitulum huius tractatus, in quo ostendit primum motorem esse omnino immutabilem: & diuiditur in octo partes, secundùm octo conclusiones, quas ponit. Secunda ibi: *Necesse igitur.* Tertia ibi: *hoc autem.* Quarta ibi: *Quod autem.* Quinta ibi: *At vero.* Sexta ibi: *Ipsius igitur.* Septima ibi: *Quoniam autem.* Octaua ibi: *Manifestum est igitur.* Prima conclusio est: Primus motor vel non mouetur, vel mouetur à se ipso. Probatur, quia si mouetur, vel mouetur à se, vel ab alio: non ab alio, quia tunc non esset primus motor, sed potiùs illud, à quo moueretur. Si à se, habetur propositum. Secundò, quia mouere attribuitur alicui in genere mouentium: igitur si attribuitur alicui potiùs debet attribui primo mouenti, quàm alicui alteri; quia primum in aliquo genere est causa aliorum eiusdem generis.

Vide Zimarram in tab. litt. p. fol. 268. col. 2.

Necesse 2 igitur. Secunda conclusio: Impossibile est aliquid idem esse mouens, & motum; & hoc omnino secundùm idem. Probatur, quia illud non mouetur, & mouet omnino secundùm idem, quod quiesceret ad quietem alterius, sed omne quod mouetur, quiesceret ad quietem alterius. Et ista ratio facta fuit in principio 7. *huius*, videatur ibi. Secundò, quia si idem esset mouens, & motum omnino secundùm idem, sequeretur quòd idem ferret, & ferretur secũdùm locum, & hoc eâdem alteratione. Item, sanans sanaretur, docens doceretur, vt argutum fuit in præcedenti capite. Tertiò sequeretur, quòd idem esset calidum, & non calidum; consequens implicat contradictionem. Consequentia probatur, quia mouens, vel agens est in actu secundùm illam dispositionem, secundùm quam mouet; & mobile caret dispositione, secundùm quam est motus: igitur si idem omnino sit mouens, & motum, sequitur quòd idem habebit caliditatem, & non habebit caliditatem.

Text. 41.
Impossibile est idem esse mouens, & motum secundùm idem.

Hoc autem. Tertia conclusio: Illius quod mouetur, vna pars est mouens, & alia mota; vt patet ex præcedenti conclusione: aliter enim idem omnino esset mouens, & motum.

Quod 3 autem. Hic proponit quartam conclusionem. Secundò, remouet cauillationem ibi: 18.
Amplius non. Conclusio est ista: Primi mobilis, scilicet illius quod semper mouetur, non est verum, quòd vna pars moueat aliam partem, & quòd è conuerso pars mouens moueatur à mota. Probatur, quia si sic, sequeretur quòd vna illarum partium esset primum mouens: consequens est falsum. Consequentia probatur, quia quâ ratione vna illarum partium esset primum mouens, eâdem ratione alia, ex quo vtraque moueret reliquam. Secundò, sequeretur quòd idem moueretur à se ipso: verbi gratiâ, si *A* moueatur à *B*, & è contra *B* moueatur ab *A*. Et quia loquitur de mouentibus ordinatis, ideò ponit ordinem, dicens, quòd mouens longiùs ab vltimo motu, est propinquissimum primo motori.

Text. 42.
Primi mobilis nulla pars mouet aliam.

Amplius non. Hic remouet cauillationem: quia diceret aliquis, quòd vna pars mobilis primò moti est per se mouens aliam partem; & mouetur per accidens ab alia parte per se mota. Contra hoc arguitur, quia si moueatur per accidens, sequitur quòd potest non moueri; & si non moueatur, non mouebit per aduersarium; igitur possibile est quòd primus motor non moueat, quod est improbatum priùs. Secundò, quia probatum est, quòd non est necesse mouens moueri ad hoc, quòd moueat: igitur hoc maximè est verum de primo motore. Tertiò, quia primum mouens vel non mouetur, vel mouetur à seipso per primam suppositionem: igitur ab alia parte mobilis primò moti. Quartò, sequeretur

quòd

quòd calefaciens calefieret & quòd idem esset calidum, & non calidum, quod est impossibile; vt argutum fuit priùs.

19. Text. 43. *Primum mouens non dicitur mouere se ipsum ex hoc, quod aliqua pars eius moueat se ipsam.*

At 4 verò. Quinta conclusio: Primum mouens se ipsum, non ex eo dicitur mouere se ipsum, quòd quælibet, vel aliqua pars eius moueat se ipsam. Probatur, quià vel primum mouens ex eo dicitur mouere se ipsum, quòd totum mouet totum omnino, vel ex eo quòd aliqua pars mouet se ipsam: non secundo modo, quia tunc illud datum non esset primum mouens, sed potiùs illa pars mouens se ipsam: nec totum à toto omnino, quia totum quiesceret ad quietem alterius, vt argutum fuit priùs, & in proposito per primum mouens se ipsum intelligit aggregatum ex primo motore, & primo mobili.

Ipsius igitur totius. Sexta conclusio: Totius mouentis se ipsum vna pars est immobilis; & alia mota. Probatur, quia si vtraque pars esset mobilis, vel vna moueretur ab alia, vel è contra: vel quælibet moueretur à se, vel ab alia, vel vna à se, & alia ab aliis, & ita de aliis modis; sed quilibet istorum modorum est improbatus: igitur relinquitur, quòd vna pars est immobilis, & alia mota.

Text. 44. *Quoniam 5 autem.* Hîc ponit septimam conclusionem. Primò proponit. Secundò probat. Tertiò ostendit qualiter totius mouentis se ipsum pars immobilis vnitur cum parte mota. Quartò ostendit, quòd mouere se non attribuitur alicui parti totius mouentis se ipsum. Et Quintò soluit dubitationem. Secūda ibi: *Si enim.* Tertia ibi: *Totum ergo.* Quarta ibi: *Si igitur.* Quinta ibi: *Dubitationem autem.* Septima conclusio est ista: Cùm sit aliquòd mouens immobile, & aliquod mouens motum, & aliquod motum non mouens, necesse est quòd primum mouens se ipsum componatur præcisè ex duobus, scilicet ex motore, & mobili, scilicet primo moto.

20. *Si enim.* Hîc probat dictam conclusionem: quia si non sit ita, ponatur, quòd *A* sit primus motor immobilis, & *B* sit primum motum, & sit *C* aliud, ex quo aduersarius dicit primum mouens se componi vnà cum *A* & *B*, tunc arguitur sic; Illud non est primum mouens, nec pars primi mouentis, quo remoto adhuc remanet primum mouens se, & alio circumscripto ipsum non esset primum mouens; sed circumscripto *C* adhuc remanet primum mouens se, scilicet compositum ex *A* & *B*, & circumscripto *A*, *B*, *C*, non esset primum mouens per casum: igitur *C* non est primum mouens se, nec pars primi mouentis se.

Totum ergo. Hîc ostendit qualiter primi mouentis se partes vniuntur, dicens quòd vtraque tangit reliquam: vel vna tangitur ab alia; & hîc loquitur de tactu naturali, qui attenditur secundùm indistantiam motoris ad mobile.

Si igitur. Hîc ostendit quòd primi moti nulla pars mouet se ipsam, ita quòd mouere se non attribuitur alicui parti mouētis se ipsum. Probatur, quia est impossibile, quòd idem moueat se ipsum totum omnino, ita quòd penitus idem sit mouens, & motum, vt probatum fuit priùs.

Text. 45. *Dubitationem 6 autem.* Hîc soluit dubitationem, quæ mouetur sub conditione, scilicet, vtrùm si primus motor esset diuisibilis, & tam primus motor, quàm primum mobile diuideretur, vtrùm pars primi motoris moueret partem primi mobilis, & alia pars primi motoris moueret reliquam partem primi mobilis? Videtur quòd non, quia non apparet quæ illarum partium primi motoris esset primus motor. Respondetur igitur, quòd primus motor est simpliciter indiuisibilis, vt postea probabitur.

21. *Primus motor est omnino indiuisibilis.*

Manifestum est igitur. Hîc concludit conclusionem principaliter intentam, quæ est octaua capituli. Primus motor est omnino indiuisibilis, quia vel mouetur à se, vel ab alio; & quocumque modo dato, est improbatum priùs: igitur relinquitur, quòd primus motor est omnino immobilis.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text. 46. *Quoniam 1 autem oportet.* Hoc est sextum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles ostendit primum motorem esse vnum, & perpetuum. Et primò præmittit intentionem. Secundò præmittit duas suppositiones. Tertiò ponit duas conclusiones. Et quartò recapitulat. Secunda ibi: *Manifestum enim est.* Tertia ibi: *Ipsius enim.* Quarta ibi: *Manifestum est igitur.* Primò præmittit, quòd aliquid est semper motum. Secundò, 2 quòd aliquid est semper mouens. Text. 47. Tertiò, quòd primum mouens est immobile, siue sit vnum, siue plura. Et quartò, quòd illud mouens immobile est propriè æternum; & hoc intendimus probare principaliter in isto capitulo. Et si dicatur contrà, hoc nihil esset probare: quia statim apparet quòd ista consequentia est necessaria: *est immobile, igitur est perpetuum*; quia si sit corruptibile, iam esset materiale. Respondetur, quòd non sequitur: quia si esset diuisibile aliquod, quod esset postquam non fuit priùs, vel quod non esset postquam priùs fuit, iam illud non esset perpetuum, & tamen non esset materiale, quia probatum est *in* 6. quòd omne quod mouetur, est diuisibile.

22. Text. 48. *Manifestum 3 enim est.* Hîc præmittit duas suppositiones. Prima est, quòd illius, quod quandoque est, & quandoque non est, necesse est esse aliquam causam: quia impossibile est, quòd aliquid transeat *ex* se ipso de *non esse* ad *esse*, vel è contra. Secunda suppositio, omne quod mouetur habet magnitudinem. & est diuisibile, sed hoc non est necessarium de mouente. Prima pars patet; quia est probatum 6. *huius*, quòd nullum indiuisibile mouetur. Et secunda pars antecedentis patet: quia non est necesse mouens moueri ad hoc, quòd moueat, vt probatum fuit priùs. *Vide Zimaram in tab. lit. f fol. 131. col. 3.*

Ipsius 2 enim. Hîc proponit duas conclusiones. Secundam ibi: *Vnum autem.* Prima conclusio est principalis huius capituli: Primum mouens est perpetuum. Probatur sic: quia primum mobile perpetuò mouetur: aut igitur perpetuò mouetur ab vno, & eodem motore, vel à diuersis motoribus coniunctis, quorum vnus generatur post alium; si primo modo, habetur propositum, quòd primum mouens est perpetuum: si secundo modo, tunc omnium illorum mouentium, qui aliquando sunt, & aliquando non sunt, oportet esse aliquam causam, quare aliquando sunt, & aliquando non sunt per primam suppositionem; & illa causa non est nisi perpetua: igitur necesse est primum mouens esse perpetuum, siue sit vnum siue plura. *Omne quod mouetur est diuisibile. Primum mouens est perpetuum.*

Vnum autem. Secunda conclusio est: Primum mouens est vnum, ita vt non sint ponenda plura prima mouentia. Probatur sic; quia omnia possunt æquè benè, & meliùs saluari, ponendo vnum primum mouens omnium, quàm ponendo *Primum mouens est vnum.*

plura:

plura: igitur tantùm debet poni vnum primum mouens. Tenet consequentia, quia in naturalibus frustra ponuntur plura, vbi omnia æquè benè possunt saluari paucioribus; & ideò potiùs essent ponenda finita quàm infinita; & vnum quàm multa.

Manifestum igitur. Hîc recapitulat, quòd necesse est primum mouens esse vnum, & perpetuum. Secundò, quòd necesse est primum motum esse continuum. Vnde si sit continuus, est vnus,& è conuerso; & ideò fit ab vno mouente.

EXPOSITIO TEXTVS.

23. Text. 51. EX *his igitur* ^r *crediderit aliquis.* Hoc est septimum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit,quòd aliquod est semper motum, & aliquod semper immobile;& aliqua sunt quæ quandoque quiescunt: & primò ostendit, quid de hoc est manifestum, & quid immanifestum. Secundò, declarat immanifestum,ibi: *Procedentes autem.* Primò dicit,quòd manifestum est, quòd aliqua quandoque mouentur, & quandoque quiescunt; & ideò non restat dubium, nisi vtrùm aliquod est semper motum, & aliquod semper mobile.

Procedentes autem. Hîc declarat id,quod est immanifestum: & primò ostendit,quòd est aliquod mouens semper immobile. Secundò ostendit, quòd est aliquod mobile semper motum. Et tertiò recapitulat. Secunda ibi, *At verò.* Tertia ibi, *Manifestum igitur.* Prima conclusio est ista: Aliquod est mouens semper immobile. Probatur dupliciter. Secunda ibi, *Videmus autem.* Prima ratio posita fuit priùs; quia omne quod mouetur,mouetur ab alio; tunc in sic mouendo, vel est deuenire ad aliquod immobile, & habetur propositum;vel quodlibet,ad quod deuenietur, mouetur; & hoc est impossibile, quia tunc in mouentibus, & motis esset processus in infinitum. *Aliquod est mouens semper immobile.*

Videmus autem. Ponit secundam rationem: & diuiditur, quia primò, quædam priùs dicta recolligit, scilicet qualiter animal mouetur ex se. Secundò, dat causam quare animal non mouetur perpetuò, & vniformiter. Tertiò, ex hoc concludit propositum, quòd primum mouens est immobile. Et quartò, remouet dubium. Secunda ibi, *Vnde non semper.* Tertia ibi, *Ex quibus.* Quarta ibi, *Non est autem.* Primò recolligit,qualiter animalia post quietem mouentur ex se; & ideò crediderunt aliqui sic esse de toto mundo.

Text. 52. Secundò ^a recolligit, quòd ille ^a motus, quo animal mouetur ex se,non est primus motus,quo animal mouetur: immò ipsum præcedunt multi alij motus inspirationis, & respirationis, motus alimenti, motus digestionis, & motus inmutationis sensus, à specie existente in phantasia, vel in memoria.

24. *Vnde non semper.* Hîc ostendit causam quare animal non semper mouetur, dicens, quòd causa est, quia motor animalis non est immobilis: immò mutabilis valde; & ideò quandoque mouet, quandoque non:& similiter ʒ propter hoc, quòd motor est mutabilis, mouet irregulariter.

Text. 53. *Ex quibus.* Hîc infert propositum, quòd primus motor est immobilis: quia dictum est, quòd causa quare animal mouetur irregulariter difformiter, est ista; quia eius mouens est mutabile: igitur cùm videamus, quòd primus motus est regulatis, vniformis, & perpetuus, necesse est primum motorem ^b esse immobilem, quia si mutaretur, quandoque moueret vno modo, & postea aliter. *Primus motor est immobilis.*

Non est autem. Hîc remouet dubium; quia ex quo dictum est, quòd motor cœli est immobilis, dubium est vtrùm est in cœlo ^c moueatur aliquid per accidens. Respondetur quòd sic, vt ly *per accidens* distinguitur contra *primum*, quia totum ^d cœlum mouetur immediatè à primo motore, sed tamen non quælibet pars eius mouetur totaliter à primo motore: quia orbes inferiores mouentur ab Intelligentiis inferioribus,vt patebit postea.

At ^e verò. Ponit secundam conclusionem, quòd aliquod est mobile semper motum. Probatur dupliciter; quia aliquod est mouens perpetuum & immobile: igitur aliquod est semper motum; quia mobile debet proportionari suo motori in duratione. Secundò, quia generationes, & corruptiones fiunt perpetuò in istis inferioribus; & hoc diuersimodè; sed hoc non potest esse à motore immobili:igitur præter motorem immobilem necesse est esse mobile semper motum, virtute cuius agentia, vt astra, applicentur diuersis temporibus ad faciendum diuersos effectus. Et quòd hoc non possit prouenire à motore immobili patet, quia semper mouens immobile natum est eodem modo agere, ideò ab ipso non possunt prouenire immediatè diuersi, & oppositi effectus. Text. 54. *Aliquod est mobile semper motum.*

Manifestum igitur factum est. Hîc recapitulat,& patet in littera.

ANNOTATIONES.

^a *Ille motus quo animal mouetur.* Nota, quòd animalia non mouentur, quo ad omnes motus a motore intrinseco, sed quantùm ad aliquos mouentur à motore extrinseco, scilicet vel à corpore continente, vel à corpore ipsa subintrante,vt puta ab aëre,in quo sunt,vel ab alimento, quod est io ipsis: & hoc propter motum augmentationis, vel ab aëre, qui ea subintrat propter motum respirationis: hi enim sunt alij motus secundùm quos non mouentur per se ipsa, vt augmentum,decrementum, & respiratio, quibus mouetur animal. Vnumquodque enim bis motibus naturalibus præcedentibus animal incipit moueri motu locali. Nam calefactus aër calefacit animal, & infrigidatus infrigidat, &c. quibus alterationibus variè afficit, inficitque animal, vt modò benigna sit nutritio, modò maligna;cuius vtique gratiâ languidum animal non perinde se mouet, ac vt est sanum. Et per hoc solutum est argumentum, quo videbatur motum probari posse incipere in mundo, cùm priùs non esset, sicut incipit in animali, quod est minor mundus. Dicimus enim quòd animalia non incipiunt sic moueri, quasi priùs non mouebantur, sed quia sic incipiant moueri, quòd priùs non sic mouebantur; dum coquitur alimentum dormiunt, digestum autem, surgunt, & mouent se ipsa. Quantùm ergo ad aliquos motus animalia mouentur à motore extrinseco, quod est mobile per se, quamuis quantùm ad alios motus moueantur à motore intrinseco, puta ab anima, quæ quamuis non moueatur per se, mouetur tamen per accidens ad motum corporis. Et si dicatur, in animali anima mouetur per accidens,quia existens in corpore mouet corpus:ergo 25. *Animalia nō mouētur quoad omnes motus à motore intrinseco.*

cùm

cùm primus motor moueat cœlum, mooetur per accidens ad motum cœli: dico quòd oon est simile: aliud enim est moueri per accidens à se, & ab altero, & moueri ab altero. Primum enim reperitur solùm in istis inferioribus, quæ sunt generabilia, & corruptibilia, sed secundum benè reperitur io orbibus cœlestibus inferioribus, qui pluribus motibus mouentur, vt statim explicabimus.

26. b *Necesse est primum motorem esse immobilem.* Nota, quòd cùm dicit Philosophus primum mouens esse omnino immobile, non repugnat sibi ipsi diecoti 3. Physic. text. 16. quòd omoe mouens mouetur, & primo de Generatione, quòd omoe agens in agendo repatitur: quia illæ propositiones intelliguntur de mouente, & agente per contactum, quomodo non mouet primum mouens.

c *Vtrùm in cœlo moueatur aliquod per accidens.* Nota, quòd Aristotelis responsio est multùm anceps; & dubium est, an intelligat motores ipsos orbium per accidens moueri ab alio, an verò solos orbes. Alexander enim, & qui putaor motores orbium esse coniunctos orbibus, veluti corporibus animas, aiunt & motores ipsos sicuti animæ circumferri per accideos circulatione orbis, & ita intelligunt hîc Aristotelem. At tunc profectò nullum esset discrimen in bac patte inter animam, & motorem cœli: quoniam motor mouendo orbem à se ipso per accidens moueretur, cuius contrarium ait Aristoteles. Indubiè ergo dicendum est, quòd Philosophus non sensit motorem cœli moueri per accidens ad motum sui orbis, quoniam non inest illi tanquam forma, sed est vno loco immobilis, in quo orbem mouet; quare neque ab Oriente in Occidentem, nec è contra mouetur. Veruntamen ait quòd impropriè, & per abusum posset dici moueri per accidens ab altero, id est, ratione alterius, nempe sui orbis, quem mouet: qui quidem mouetur per se proprio motu, & per accidens motu primi mobilis; cùm tamen Intelligentia sit simpliciter immobilis; quâ de causâ perpetuo, continuóque motu, & sibi semper simili mouet.

Primum mouens non mouetur per accidens.

27. d *Totum cœlum mouetur immediatè à primo motore.* Nota, quòd multæ fuerunt opiniones, an primum mouens moueat primum cœlum immediatè in genere causæ efficientis; nam quòd moueat immediatè in genere causæ finalis, de hoc nullus dubitat, sicut quòd moueat mediatè in genere causæ efficientis: an verò moueat effectiuè immediatè, est difficultas inter Philosophos. D. Thom. (referente Iauello 12. Metaph. quæst. 5. artic. 2.) tenet de mente Philosophi, primum mouens mouere primum cœlum effectiuè mediatè tantùm, sed an ita senserit Commentator, D. Thomas dicit, quòd non, atque adeò ipse a Commentatore dissentit. Antonius Zimara *Theoremate* 61. *& in quæstione de triplici causalitate primæ Intelligentiæ,* tenet expresse iam ad mentem Aristotelis, quàm Commentatoris, primum mouens effectiuè immediatè mouere cœlum, Scotus verò *qu.* 7. *Quolibet. sub litt. H H,* tenet absolutè tam Aristotelem, quam Auerroëm negasse Deum posse immediatè mouere cœlum, quem secuti sunt Antonius Andreas 12. Metaphys. quæst. 2. & Iandunus 12. Metaph. quæst. 17. tu vide Scotum, vbi suprà.

Primum mouens an moueat immediatè primũ mobile.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm in ordine entium sit deuenire ad motorem immobilem?

Aristot 8. *Phys. cap.* 8. Auerroës *ibid.* Albert. Magn *ibid. tract* 3. *cap.* 2. Ægidius & Paulus Venetus *ad text.* 65. *huius.* Mayron 2. *dist.* 13. *quæst* 8 Iauell. *quæst.* 2. *huius.* Rub. 8 *Phys. cap.* 8 *quæst. vnica.* Vales. *lib.* 3. *controu. medic.* Conimbr. 8. *Physic. cap.* 8. *quæst.* 1. Roccus 8. *Phys. quæst.* 9.

ARGVITVR quòd non; quia omne mouens est simul cum moto: igitur si mobile mouetur, & mouens mouebitur. Consequentia tenet, quia eorum quæ sunt simul, si vnum mouetur, & reliquum; vel non ampliùs erunt simul. Antecedens apparet in 7. huius, text. 10. & inde. 1.

Secundò, si aliquis motor esset immobilis, maximè esset motor cœli; sed ille non est immobilis. Probatur, quia cœlum mouetur, & eius motor est sibi vnitus: igitur eius motor mouetur. Consequentia tenet, quia moto aliquo corpore mouentur omnia, quæ sunt in illo. Antecedens probatur, quia motor est intrinsecus cœlo, aliter enim eius motus oon esset naturalis.

Tertiò, omne per se motum potest mouere; igitur omne per se mouens potest moueri. Tenet consequentia per simile: & etiam per Aristotelem in isto 8. text. 40. vbi ex hoc quòd est dare motum non mouens, concludit quòd est dare motorem immobilem. Antecedens probatur; quia omne per se motum est corpus compositum ex materia, & forma: modò forma est per se mouens.

Quartò, sicut est in minori mundo, ita in maiori, vt ponit Aristoteles in isto 8. text. 17. sed in minori mundo non est aliquis motor immobilis, immò quodlibet mouens mouetur, ita & in maiori. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 8. text 53. In quæstione primò videndum est, si est deuenire ad motorem primum. Secundò, si ille est immobilis.

Diuisio quæstionis.

Quantùm ad primum, notandum quòd isti termini, *Primus motor, prima causa, vltimus finis omnium,* & *Deus* pro eodem supponunt; licèt à diuersis rationibus sumantur illa nomina; quia dicitur Deus eo quòd est virtus inuisibilis mundum ratione gubernans; quia sic concipit quilibet audiens, & intelligens nomen Dei. 8.

Tunc ponitur ista conclusio: Aliquis est primus motor. Probatur, quia in mouentibus, & motis essentialiter ordinatis non est processus in infinitum, vt patet 7. huius: igitur est deuenire ad primum motorem, qui scilicet si mouetur, mouetur à se ipso, & non ab alio. Secundò, quia dato aliquo ente, aut ipsum est independens, aut dependens ab aliquo alio: si independens; igitur est prima causa, & per consequens primus motor: quia idem sunt, vt præmissum est. Si dependeat ab alio; tunc quæro de illo alio, vel ipsum est independens, vel non; si sic, habetur propositum: si non, tunc quæram sicut priùs, & sic procedendo, vel itur in infinitum, & hoc est impossibile, 2. Metaph. text. 5. & inde, vel alicubi est status, & habetur propositum, quòd aliquid est independens ab alio, & per consequens prima causa, seu primus motor. Tertiò, quia in naturalibus sunt multi fines sibi inuicem subordinati,

Aliquis est primus motor.

nati, quorum vnus est propter alterum, & ille propter alterum: tunc igitur aur quilibet illorum finium est propter alterum finem, aut est aliquis finis propter quem sunt omnes alij: si primo modo, tunc in infinitum est processus in finibus, & per consequens desiderium nanirale est frustra. Si secundo modo, habetur quòd est aliquis finis vltimatus, in quem omnia alia ordinantur: & ille est primus motor, seu prima causa. Quartò, quia in generatione oportet generans esse nobilius generato; sed aliqua est generatio, in qua non apparet generans particulare nobilius: igitur oportet ponere generans vninersale, quod in huiusmodi generatione est principalis causa, & illud est prima causa, seu primus motor.

3. Prima pars antecedentis patet, quia nihil agit vltra gradum proprium; quia nihil minùs perfectum potest producere magis perfectum. Secunda apparet in generatis per putrefactionem. Quintò, quia in igne sunt plures gradus caliditatis aquæ approximati agenti: igitur quâ ratione debet vnus illorum primò corrumpi, eàdem ratione & alter: igitur vel ambo corrumpentur, quod est impossibile; quia in alteratione est successio secundùm gradus formæ, vel neuter eorum corrumpetur, quod est contra experientiam: igitur oportet, quòd sit aliquod causans, scilicet ipse Deus, ad corruptionem vnius, priusquam ad corruptionem alterius. Sextò persuadetur; quia omnes homines vbique, & in omni tempore, & in omni lege assentiunt, quòd Deus est: igitur sequitur quòd verum est Deum esse. Consequentia tenet, quia ex quo à natura inest eis huiusmodi cognitio, non videtur, quòd sit frustra. Sed quòd insit à natura patet, ex quo omnes sine coactione legis, aut difficultate studij, vel laboris hoc asserunt.

Septimò, quia illud est, sine quo humana conuersatio non potest esse, nec permanere; sed sine Deo, & cultu ipsius Dei non potest esse bumana communicatio: igitur videtur concludendum, quòd Deus est. Maior patet, quia communicatio hominis est à natura, vt patet *primo Politica*; & minor apparet in alio eiusdem, vbi dicit Aristoteles, quòd saeerdotium est pars principalis communicationis.

Octauò, & istam rationem facit Bragbandam, quam multi credunt demonstrationem; & capiatur ista, complexum tam bonum, & tam perfectum, quo nihil melius & perfectius esse potest: & sit illud complexum *A*; tunc argulrur sic: *A* potest esse: igitur *A* est, & per consequens Deus est: quia hoc intelligimus per Deum. Probatur antecedens: quia *A* esse non implicat contradictionem; & cùm omne illud quod non implicat contradictionem, sit possibile, sequitur quòd *A* potest esse. Consequentia probatur; quia si *A* potest esse post *non esse*, *A* potest incipere esse post *non esse*; igitur tunc non esset tam bonum, & tam perfectum, quo nihil melius, & perfectius esse potest, quod est contra positum. Consequentia probatur, quia illud esset perfectins, & melius, quod semper esset, & esset independens ab alio. Et licèt ista ratio credatur demonstratiua, tamen inter omnes alias est minoris efficaciæ, immò nihil valet, vt patebit soluendo ipsam.

4. Et notandum, quòd nulla istarum rationum probat Deum esse, præter sextam & septimam persuasiones, intelligendu per Deum virtutem inuisibilem, quæ mundum ratione gubernat. Vnde prima probat, quòd aliquis est primus motor: & hoc potest concedi de cœlo, ita vt moueret se ipsum per se, & primò: quemadmodum vna pura grauitas, si esset separata à materia. Secunda probat, quòd aliquid est independens ab alio, & hoc etiam conceditur de cœlo. Tertia probat, quòd aliquis est vltimatus finis, in quem omnia alia ordinantur: & diceretur, quòd hoc est cœlum, vel perfectio vuiuersi, aut aliquid huiusmodi. Quarta probat, quòd in generatione putrefactorum præter agentia, quæ apparent hîc inferiùs, concurrit aliquod agens nobilius; & hoc conceditur verum: quia cœlum ad hoc concurreret. Quinta probat, quòd non est aliquod determinans ad corrumpendum vnum gradum formæ priùs, quàm alium æquè approximatum agenti: & hoc conceditur verum de influentia, quæ determinat. Vel diceretur, quòd huiusmodi determinatio prouenit à natura formæ, de cuius natura est, quòd aliquæ partes superponuntur aliis, non secundùm situm, sed secundùm gradum formæ.

Nunc respondendo ad octauum dico, quòd per similem rationẽ probaretur quodlibet quantumcunqne ineuidens: verbi gratiâ, numerus stellarum, collectiuè sumendo, potest esse par: igitur est par. Consequentia tenet; quia in perpetuis non differt esse, & posse. Item, qui ponerent, vt Philosophi, quòd nihil esset virtutis infinitæ, & quòd Deus non esset liber libertate contingentiæ, reputaret impossibile, quòd aliqua stella posset addi, vel diminui. Et antecedens probatur; quia numerum stellarum esse parem non implicat: eodem modo probaretur eius oppositum, scilicet quòd numerus omnium stellarum sit impar; & sic posset probari quilibet articulus fidei. Ad rationem ergu, quando dicitur *A* potest esse: igitur *A* est: negatur consequentia.

Item, non probatur antecedens, quia non sequitur, hoc non implicat contradictionem; igitur est possibile: quia Philosophi concederent multa esse impossibilia, quæ tamen non implicarent contradictionem, vt quòd linea esset augmentata ad duplum, vel quòd ex omnibus motoribus & mobilibus fieret vnum. Item, dato quòd concederetur *A* esse, adhuc non sequitur: igitur Deus est; quia non sequitur tam bonum, & tam perfectum est, quo nihil melius, & perfectius esse potest: igitur Deus est; quia negaretur consequentia, & antecedens de cœlo concederetur. 5.

Possibile bifariam sumitur.

Item, si quæratur, in quo est defectus? Respondetur quòd in isto; quia possibile accipitur dupliciter: quandoque pro dubio, vt si vnus proponat, numerus stellarum est par; alter respondebit, possibile est. Alio modo capitur possibile pro eo, quod potest esse; tunc igitur per hoc iterum ad rationem, quando dicitur, *A* potest esse; concedo, capiendo possibile primo modo pro dubio: quia dubium est, quin sint plura æquè perfecta; vel saltem dubium est, quin sint quorum neutrum est perfectius alio, nec aliud est perfectius illis duobus. Et si intelligatur antecedens de possibili secundo modo, tunc potest negari antecedens, vel saltem rationabiliter dubitatur: & sic patet, quòd illa ratio est inefficax ad probandum Deũm esse. Patet igitur quibus modis conuincitur aliquem esse primum motorem: & hoc de primo.

Primus motor immobilis. Quantùm ad secundum, sit conclusio ista: Primus motor est immobilis, & supponitur quòd primus motor sit iotrinsecus mobili per applicationem, & non per iohærentiam. *Moueri ab intrinseco aliquid potest tribus modis.* Vnde sciendum, quòd aliquid potest moueri ab intrinseco vno modo: quia vna pars integralis mouetur ab alia, vt membrum animalis mouetur à corde. Alio modo; quia mouetur à forma propria extensa, & sic non mouetur cœlum, quia, vt patet in isto 8. nullum tale potest mouere, non concurrente alio motore extrinseco. Tertio modo, quia mouetur à forma indiuisibili appropriata: & sic mouetur cœlum. Nunc probatur conclusio: primò, quia motor cœli est indiuisibilis, vt suppositum est, & patet in isto 8. text. 45. & inde; igitur est immobilis, vt patet 6. huius, text. 32. Secundò, quia vel moueretur per se, vel per accidens: non per se; quia vel eodem motu quo mouet, vel aliu; sed neutro modo, quia non est necesse omne mouens moueri, ad hoc quòd moueat, nec per accidens, quia quod per accidens est, potest oon esse; & sic primus motor potest non mouere, quod est impossibile; quia eius motus est perpetuus. Item, nullum tale mouetur per accidens, quin dependeat ab aliquo alio motore; vt patet de forma animalis; aliæ rationes videantur in littera.

6, Ad rationes. Ad primam, dico quòd omne mouens est simul cum moto, vel situaliter, vel per iodistantiam: modò primus motor est indistans mobili, sed propter hoc non sequitur, quòd moueatur ad motum mobilis.

Ad secundam, quando dicitur motor cœli est sibi intrinsecus; concedo, per indistantiam, vel applicationem; & ex hoc non sequitur, quòd moueatur simul cum cœlo; sed consequentia benè valeret de iis, quæ sunt intrinseca per inhærentiam, vel etiam vt partes integrales.

Ad tertiam, negatur consequentia; quia omne illud, quod est per se motum, componitur ex actu, & potentia, scilicet forma & materia; aliter enim non esset per se motum, sed per se mouens non sic componitur, immò aliquis propter eius perfectiooem est actus purus, vt primus motor. Et si arguatur, quòd primus motor aliqua producit de nouo: igitur est mutabilis; negatur consequentia.

Ad quartam, dico quòd non est simile, sicut etiam dicit Commentator.

EXPOSITIO TEXTVS.

7. Text. 55. VT verò 1 *& alio facto principio.* Iste est tertius tractatus huius octaui, in quo Philosophus ostendit, quis & qualis sit primus motus: & diuiditur in quinque capitula. *Vide contradictionẽ Zimara.* In primo capitulo ostendit, quòd primus motus est motus localis. In secundo ostendit, quòd non contingit alium motum à motu locali esse perpetuum. In tertiu ostendit, quòd non contingit alium motum à motu circulari esse perpetuum. In quarto declarat, quòd possibile est motum localem esse perpetuum. Et in quinto concludit, quòd motus localis circularis est primus, & perpetuus. Secundum ibi, *Qua autem loci mutatio.* Tertium ibi, *Quod autem contingit.* Quartum ibi, *Qua autem.* Quintum ibi, *Quòd autem lationum.* *Vide contradictionẽ Zimara.* Primum capitulum diuiditur: quia primò præmittit intentionem. Secundò prosequitur, ibi: *Impossibile autem est.* Primò proponit, quòd considerandum est, vtrùm contingat aliquem motum esse perpetuum, vel non; & si sic, quis est ille, & etiam quis est primus motus; & considerationes sunt annexæ; quia rationabile est, quòd si aliquis motus sit perpetuus, qoòd ille sit primus. Deinde proponit, quòd tres suot species motus, scilicet motus secundùm quantitatem, motus secundùm qualitatem, & motus localis.

Impossibile 2 enim est. Hîc prosequitur; & primò ostendit, quòd impossibile est motum augmeotationis, vel diminutionis esse primum motum. Secundò ostendit, quòd impossibile est alterationem esse primum motum. Tertiò ostendit, quòd motus localis est primus motus. Secundum ibi, *At verò si alteratur.* Tertium ibi, *Si ergo necesse est.* Text. 56. *Impossibile est augmentationem esse primum motum.* Est igitur prima conclusio, Impossibile est augmentationem esse primum motum. Probatur, quia ille motus non est primus, quem necessariò præcedit alius motus: sed augmentationem necessariò præcedit alius motus; ergo, &c. Maior est nota, quia impossibile est augmentationem esse, quin sit alteratio præuia, per quam alimentum, quod in principio est dissimile, & contrarium, in fine efficiatur simile.

At verò si alteratur. Secunda coociusio: Impossibile est alterationem esse primum motum. 8. *Impossibile est alterationem esse primum motum.* Probatur, quia alterationem necessariò præcedit alius motus; igitur alteratio oon est primus motus. Consequeotia nota est, & antecedens probatur; quia alterationem præcedit motus localis, quo approximato passo alteratur.

Si ergo necesse est. Hîc ostendit, quòd motus localis est primus motus. *Motus localis est primus motus.* Et primò probat conclusionem, secundùm opinionem antiquorum. Secundò, secundùm opinionem propriam ibi, *Amplius.* Vbi sciendum, quòd quidam antiquorum [a] reducebant omnes actiooes naturales ad raritatem, & densitatem, taoquam ad principia, quorum densitatem dicebant fieri per congregationem, & raritatem per disgregationem: modò tam congregatio, quàm disgregatio sunt motus locales: igitur si isti motus sunt primi, vt antiqui ponebant, sequitur quòd motus localis est primus.

Amplius 3 autem. Hîc probat conclusionem secundùm opinionem propriam; & primò ponit quandam distinctionem prioris. Text. 57. *Aliquid dicitur prius alio tripliciter.* Secondò probat conclusionem, ibi: *Quare quoniam.* Primò dicit quòd aliquid potest dici prius alio tripliciter: vno modo, quia potest esse sine alio, sed è conuerso aliud ooo potest esse sine ipso: & istud dicitur prius, à quo non conuertitur subsistendi coosequentia. Alio modo aliquid dicitur prius alio secundùm substantiam, id est, perfectionem. Et tertio modo dicitur aliquid prius alio, tempore.

Quare quoniam. Hîc probat, quòd motus localis est primus motus octo rationibus. 9. Secuoda ibi, *Neque igitur.* Tertia ibi, *Adhuc tempore.* Quarta ibi, *Quoniam autem.* Quinta ibi, *Omninò autem videtur.* Sexta ibi, *Quapropter viuentium alia.* Septima ibi, *Et quia.* Octaua ibi: *Maximè autem.* Prima ratio est ista; quia [b] omnis motus localis est perpetuus: igitur ille est primus. Consequentia tenet; quia si aliquis motus est primus, rationabile est, quòd motus perpetuus sit ille. Antecedens probatur, quia vel est vnus motus perpetuus, vel coosequenter plures perpetuò; non consequenter plures, ita vt nullus sit perpetuus; quia semper in naturalibus, de possibilibus illud est ponendum, quod est dignius: modò dignius est ponere vnum motum continuum, & perpetuum, & cùm illud est possibile, vt postea declarabitur; ergo, &c. *De possibilibus illud est ponendum, quod est dignius.*

Neque

Neque igitur. Secunda ratio, quia ille motus est primus, qui potest esse sine aliis, & non è contra; sed motus localis potest esse sine aliis, & nullus aliorum potest esse sine motu locali: igitur, &c. Maior patet ex distinctione. Et minor est nota, quia augmentatio non potest esse sine motu locali; nec alteratio sine applicatione agentis ad passum, quæ fit per motum localem.

Text. 58. *Adhuc 4 tempore.* Hic ponit tertiam rationem, quæ est eadem omnino cum prima, quam repetit, vt soluat dubitationem circa hoc incidentem. Vnde probatur quòd motus localis sit postremus omnium. Vnde videmus, quòd in animalibus motus localis sequitur omnes alios motus, quia animal non mouetur localiter nisi cùm est perfectum post augmentationem, & alterationem, & generationem. Respondetur, quòd in eodem supposito alij motus benè præcedunt motum localem, attamen omnes illos necesse est præcessisse motum localem alicuius alterius mobilis.

10. *Quoniam autem.* Sequitur quarta ratio; quia generatio non [c] potest esse prior motu locali: igitur nec aliquis alius motus. Antecedens patet, quia generatio fit mediante alteratione præuiâ, quam præcedit motus localis applicationis agentis ad passum. Consequentia tenet, quia magis videtur, quòd generatio debet esse primus motus, quàm aliquis alius, pro tanto, quia oportet illa esse generata, in quibus inueniuntur alij motus.

Text. 59. *Omnino 5 autem.* Quinta ratio arguit, quòd motus localis est [d] prior secundùm perfectionem; quia illud est prius secundùm perfectionem in naturalibus, quod est posterius viâ generationis in processu naturali; sed motus localis est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia natura procedit de imperfecto ad perfectum. Et minor apparet: quia primò animal generatur, deinde alteratur, & augmentatur priusquam possit moueri localiter; & vltimò mouetur localiter. Contra istam rationem obiicitur, quia si probaret, sequeretur quòd diminutio, & corruptio essent perfectiores aliis motibus naturalibus: quia sunt posteriores in processu naturali. Secundò, quia generatio est formæ substantialis; sed motus localis secundùm multos est accidens inhærens mobili; modò forma substantialis est perfectior accidente: igitur generatio est perfectior motu locali. Ad ista. Ad primum dicitur, quòd argumentum intelligitur in processu ad complementum, & perfectionem: quia in tali via posterius est perfectius.

Posteriora generatione sunt priora perfectione.

11. Ad secundum, dicitur quòd, dato quòd motus localis sit res distincta, quòd non debet comparari simplex forma ad simplicem formam, sed totum compositum ad totum compositum, sic quòd animal cum omnibus suis dispositionibus mediantibus, quibus potest se mouere localiter, est perfectius, quàm ipsummet mediantibus dispositionibus, quibus solùm potest se augmentare, & alterare.

Quapropter viuentium alia. Sexta ratio est, ille motus est prior secundùm perfectionem, qui inuenitur in magis perfectis; sed motus localis est huiusmodi: ergo, &c. quia non solùm inuenitur in istis inferioribus, immò etiam inuenitur in cœlo.

Text. 60. *Et 6 quia.* Septima ratio: ille motus est prior, qui competit perpetuis, & semper perfectis; sed motus localis est huiusmodi, quia in eo quòd aliquid mouetur localiter, non oportet quòd mutet substantiam; sed tamen si aliquid alteretur, vel augmentetur, vel diminuatur, ipsum mutatur secundùm substantiam, vel secundùm partem, vel dispositiuè: nam alteratio disponit ad corruptionem substantialem.

Maximè 7 autem. Octaua ratio, ille motus est prior dignitate, & perfectione, qui prouenit à digniori motore, quàm aliquis aliorum motuum; sed motus localis est huiusmodi: ergo, &c. Minor patet, quia motus localis, saltem aliquis, prouenit à motore immobili. Text. 61.

ANNOTATIONES.

[a] *QVidam antiquorum.* Nota, quòd Democriti, & Anaxagoræ opinio fuit, quòd raritas, & densitas non solùm essent omnium qualitatum primæ, verùm & propria generationum initia. Nam raritas fiebat secundùm Democritum per atomorum disgregationem, & densitas per earundem congregationem; per quod penitus differebant mixta, vt lana à ferro: & a raritate emanabat calidum, humidum, leue, molle, &c. à densitate verò frigidum, siccum, graue, durum. Deceptio autem Democriti erat, quia non speculabatur causas nisi ratione materiæ; & quidem ex parte materiæ rarum, & densum, quæ illi conueniunt ratione quantitatis, præcedunt cæteras qualitates; & sic experimur quòd mobile dum per calorem disponitur, rarefit; & dum disponitur per frigus, condensatur. Si autem considerationem ad causas retulisset agentes, agens potiùs per calorem rarefacit materiam, quàm è conuerso rarefactio sit causa caloris. Cæterùm quia vsque ad libros de Generatione nihil de his definiuit, accipit tanquam probabilem opinionem illam, vt ostendat motum localem, non solùm alteratione priorem esse, sed etiam generatione, quam quis potest putare anteire motui locali, quia per generationem fit substantia, quæ prima est rerum omnium Prædicamentorum. 12.

[b] *Omnis motus localis est perpetuus.* Nota quòd, simpliciter loquendo, motus localis est prior naturâ, & tépore omnibus aliis motibus. Quòd sit prior naturâ, patet, quia motus localis, qui est circularis ipsius cœli, est prior natura, quia est causa aliorũ, & ab eo non conuertitur subsistendi consequentia, & etiam ipse est simplicissimus; simplex autem prius est composito. Quòd autem sit prior tempore, patet: quia solus motus localis est perpetuus secundùm Philosophum. Et si arguas, quòd generationes, & corruptiones sunt perpetuę secundùm eundem in primo de Generatione, dico quòd ipsæ non sunt perpetuæ secundùm continuationem, sed solùm per continuam successionem. Et ideò nulla est generatio, aut corruptio, quæ sit continua, & perpetua, nec aliquis alius motus à motu circulari cœli.

Motus localis est prior natura, & tempore omnibus aliis motibus.

[c] *Generatio non potest esse prior motu locali.* Nota, secundùm Commentatorem, quòd ratio prioris in rebus generabilibus debet accipi secundũ ordinem rerum Prædicamentorum, qui sunt termini motuum; vnde cùm substantia sit prima, fit vt generatio sit etiam prima, quod intelligi nequit, nisi de prioritate secundùm naturam. Nam cùm mundus, secundùm Aristotelem, fuerit ab æterno, non potest in hoc genere motuum generabilium, & corruptibiliũ signari prima simpliciter secundũ tempus: quia prius sicut ante omnem 13.

Ratio prioris in generabilibus debet accipi penes ordinem rerum.

generationem necessaria est alteratio subiecti, ita illi alterationi præfuit alterans, quod per generationem recepit esse; & ideò quisnam sit simpliciter prior, deprehendi non potest, nisi ex natura terminorum; & quia substantia est prior accidente, generatio est prior aliis motibus. Etenim quamuis probauit motum localem simpliciter esse primum secundùm tempus, non tamen fuit reuera ante totum genus generationis, & alterationis; siquidem istorum series tam perpetua fuit, quàm cœlorum volutiones; sed tamen quia mobile ipsius est æternum, quod suaptè natura corruptibilibus antefertur, intulit lationes esse priores tempore: quare Commentator non dixit, quòd generatio non est prior tempore, sed quòd est prior naturâ, & per se; alteratio verò secundùm accidens, propterea quòd ex elementis non generantur mixta nisi per eorum qualitates. Cæterùm secundùm veritatem confitendo, cœlum, seu mundum habuisse initium: quia res condi per generationem nequiuerant, eo quòd nullum præfuerat subiectum, necessarium fuit per creationem, vt primus generabilium motuum esset alteratio factâ applicatione agentis ad passum: quia nihil generatur nisi præuiâ alteratione.

d *Motus localis est prior secundùm perfectionem.* Nota quòd aliter sumenda est perfectio in motu locali, & aliter in aliis motibus; quia perfectio motus localis, saltem primi mobilis, sumitur perfectione trium, scilicet sui mouentis, quod est perfectissimum, & sui mobilis, quod est perfectissimum mobilium, & suarum proprietatum: proprium enim est sibi, quòd sit continuus, perpetuus, & regularis, & causa omnium aliorum motuum. Perfectio autem in aliis motibus sumitur ex perfectione terminorum; licèt ergo terminus motus localis non sit perfectior terminis aliorum motuum, primum tamen mouens localiter perfectius est aliis mouentibus, & ideò etiam motus localis est perfectior aliis motibus.

EXPOSITIO TEXTVS.

14. Text. 62. QVa autem loci 1 mutatio. Hoc est secundum capitulum huius tractatus in quo Philosophus ostendit, quòd non contingit alium motum à motu locali esse perpetuum. Et primò præmittit intentionem. Secundò, prosequitur ibi: *Omnes enim.* Primò, dicit quòd nunc considerandum est, quis motus sit primus, & perpetuus: & apparebit quòd non contingit aliquem motum à motu locali esse continuum, & perpetuum.

Text. 63. *Omnes 2, enim.* Prosequitur, & vult probare istam conclusionem, quòd non contingit aliquem motum à motu locali esse continuum, & perpetuum. Probatur tribus rationibus. Secunda ibi: *Contrarij autem sunt.* Tertia ibi: *Ampliùs autem.* Prima ratio est, nullus motus terminatus certis terminis potest esse continuus, & perpetuus; sed omnis motus alius à motu locali est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet: quia omne terminatum est finitum, & tamen motus continuus, & perpetuus est infinitus. Et minor apparet inducendo secundùm diuersas species motus: quia alteratio est inter qualitates contrarias, augmentatio, & diminutio inter magnum, & paruum, generatio inter esse, & non esse, & etiam corruptio.

Contrarij autem sunt. Hìc ponit secundam rationem. Et primò præmittit suppositionem. Secundò, remouet cauillationem, ibi: *Similiter autem.* Suppositio est talis, quòd illi motus sunt contrarij, qui sunt in contraria, id est, motus quorum termini sunt contrarij; & ipsi sunt contrarij, vt probatum est quinto huius text. 48. Tunc sic: Nihil cui aliquid est contrarium potest esse continuum, & perpetuum; sed omni motui alteri à motu locali aliquid est contrarium: ergo, &c. Maior patet; quia contraria in se inuicem agunt, & sunt sui ipsius corruptiua. Minor apparet; quia omnis motus alius à motu locali, habet terminos, vel saltem terminum, cui aliquid contrariatur: modò motus sunt contrarij ex contrarietate terminorum, vt patet quinto huius. Et quòd termini aliorum motuum sunt contrarij, patet per inductionem præcedentis rationis.

Similiter autem sunt. Hic remouet quasdam cauillationes, & sunt tres. Secunda ibi: *Nec si non.* Tertia ibi: *Non oportet.* Prima ratio est ista: si aliquis dicat, quòd propter contrarietatem nihil obstaret, quin generatio posset esse perpetua: quia corruptio non contrariatur generationi: modò nihil prohibet mutationes continuari, quando vna non contrariatur alteri. Respondetur, quòd licèt generatio, & corruptio non sint propriè contrariæ, attamen non possunt continuari, nec aliqua illarum, eo quòd sunt quodammodò oppositæ: quia oppositio sufficit ad motus interruptionem. 15.

Nec si non. Hìc remouet secundam cauillationem; quia mutatio non interrumpitur, nisi mobile quiescat in termino mutationis; sed generatio interrumpitur per corruptionem, si interrumpitur, & tamen in termino interruptionis non quiescit: quia quod non est, non quiescit, igitur nihil prohibet generationem, vel corruptionem esse perpetuam, ex quo non interrumpitur per quietem. Respondetur, quòd ad interruptionem motus non oportet quòd mobile quiescat in termino motus; sed sufficit quòd non moueatur; quia si non moueatur, postquam mouebatur, motus non est continuus.

Non oportet autem. Remouet tertiam cauillationem: quia iam dictum est in secunda ratione, quòd vnus motus contrariatur alteri; & suprà quinto huius, text. 54. dicebatur, quies contrariatur motui: igitur ex istis duobus sequitur, quòd vnum contrariatur pluribus. Respondetur, concedendo quòd motus opponitur quodammodò tam motui, quàm quieti, vt dicit Aristoteles, quòd æquale quodammodò opponitur excellenti, & illi quod excellitur; verum est tamen quòd diuersimodè motus contrariatur motui, & motus quieti; quia motus contrariatur motui, vt habitus habitui; sed motus contrariatur quieti, vt habitus priuationi, & ideò non est propriè contrarietas.

Ampliùs 3 autem. Hìc ponit tertiam rationem, quâ probat specialiter de generatione, & corruptione, quòd non possunt continuò perpetuari, ita quòd continuè generationem sequatur corruptio, & è contra; quia si ita esset, sequeretur quòd statim, quando res esset facta, oporteret ipsam corrumpi. Consequens est falsum, quia tunc nulla res permaneret per tempus, quod est contra experientiam. Consequentia probatur, quia per generationem res producitur in esse, & per corruptionem res mutatur de esse ad non esse: igitur si continuè generationem sequatur corruptio & è contra, statim continuè quando res est, sequetur ipsam non esse, & è contra; & per consequens non maneret per tempus. Tex. 64.

EXPOSITIO TEXTVS.

16. Text. 65.

Omnis motus continuus, & circularis est infinitus.

QVod autem 2 contingit esse. Hoc est 3. capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles ostendit, quòd impossibile est alium motum à motu circulati esse perpetuum, & præmittit intentionem. Secundò, prosequitur ibi : *Omne enim quod fertur.* Primò igitur proponit intentionem nnn istius, sed sequentis capituli, per hoc innnens, quòd ista capitula sunt anneaa, & tendunt ad eundem finem: dicit igitur, qnòd omnis motus continuus est infinitus, & ille est circulatis.

Omne enim quod fertur. Hîc prosequitur, & probat istam conclusionem, quòd nullus motus localis alius à motu circulari potest esse perpetuus. Probatur primò per rationes Physicas. Secundò, per rationes communes, & dialecticas, ibi : *Rationabiliter autem.* Prima ratio est ista : omnis motus localis est rectus, vel circularis, vel mistus; sed nullus rectus, vel mistus est perpetuus : ergo, &c. Et primò, format rationem. Secundò, probat minorem ibi : *Quare si.* Prima pars dicta est tunc, ibi : *Quare si neque.* Probat minorem dictæ rationis. Et primò, ostendit quòd nullus motus mistus potest esse perpetuus. Secundò, qnòd nullus motus rectus potest esse perpetuus, ibi: *Quòd autem.* Secunda conclusio capituli est, quòd nullus motus mistus potest esse perpetuus. Probatur : quia illud mistum non potest esse perpetuum, cuius vnum miscibilium non potest esse perpetuum : sed motus rectus ex quo componitur mistus, non potest esse perpetnus : ergo, &c. Minor probatur in sequenti conclnsione.

17. *Quod autem id.* Hîc ostendit, quòd nullus motus rectus potest esse perpetuus; & est tertia conclusio. Pro cuius probatione supponitur, quòd nulla est magnitudo recta infinita, vt patet 3. huius, text. 40. & inde. Secundò, quòd supra magnitudinem finitam non potest fieri motus infinitus, nisi per reflexionem. Ex quo sequitur, quòd si supra magnitudinem finitam fiat motus perpetuus, oportet qnòd hoc sit per reflexionem. Ideò ponitur qnarta conclusio capituli, quòd motus reflexi non sunt vnus motus continuus; immò inter quoslibet motus reflexos necesse est esse quietem mediam. Et hoc probatur dupliciter. Secundò ibi : *Maximè autem.* Prima ratio est ista: quia motus contrarij non sunt vnns motus continuus; sed motus reflexi sunt contrarij; ergo, &c. Maior nota est. Minor probatur dupliciter. Primò, qnia motus reflexi sunt ad loca contraria; vt si vnus est sursum, & alter deorsum, vnus antè, & alter retrò, & ita de aliis differentiis contrariorum. Secundò, qnia proprietas contrariorum est, quòd sint sni inuicem corruptiua : modò motus reflexi se inuicem corrumpunt : vt si Socrates, & Plato moueantur contra se inuicem super eandem lineam, vterque facit alterum quiescere, aut vnus depellit reliqnum.

Motus reflexi nō sunt vnus motus continuus.

Text. 66. *Maximum 2 autem.* Hîc ponit secundam rationem, quòd illi motus non sunt continui, inter quos necessariò cadit qnies media : sed inter motus reflexos necesse est mobile qniescere in termino reflexionis : ergo, &c. Maior patet : qnia ad vnitatem motns requiritur vnitas mobilis, & vnitas temporis; & ideò vbi est interruptio quietis, non est vnus motus. Et ad probandum minorem, primò præmittit duas suppositiones. Secundò, format rationem, ibi : *Quare necesse.* Prima suppositio est, quòd in motu tria sunt consideranda, scilicet principium, medium, & finis: & medium, licèt sit vnum, tamen potest dici duo in comparatione : quia medium in comparatione ad finem potest dici principium, & in comparatione ad principium potest dici finis. Secunda suppositio, quòd mobile potest dici in principio, in medio, vel in fine spatij, super quod mouetur dupliciter : vno modo in actu, alio modo in potentia. Tunc enim mobile dicitur esse in aliquo spatio in actu, quando in illo spatio est adæqnatè per tempus diuisibile, ita quòd in illo spatio quiescit. Alio modo in potentia, scilicet quando in illo spatio non manet per tempus; vt si aliquod mobile moueatur continuè per aliquod spatium : & signetur in illo spatio locus æqualis illi; tunc diceretur, quòd in illo spatio mobile est non actu, sed in potentia tantùm.

Quare necesse. Hîc probat propositum; scilicet 18.
quòd in termino reflexionis est quies media. Et primò facit hoc. Secundò, mouet dubitationes, ibi : *At verò.* Item, primò format rationem. Secundò, mouet dubitationem. Tertiò, ponit minorem dictæ rationis. Et quartò, conclusionem. Secunda ibi : *Inde &c.* Tertia ibi : *Sed in reflectenti.* Quarta ibi : *Vnde stare.* Ratio est ista : In isto enim signo spatij mobile quiescit, in quo ipsnm est adæquatè in actu, per tempus : sed in termino reflexionis mobile est adæquatè in actu per tempus : ergo, &c. Maior patet; quia *quies* non est aliud quàm *priuatio motus in subiecto apto nato, & in mensura apta nata:* verbi gratiâ, si *A* moueatur vsqne ad punctum *B*, & inde reflectatur vsque ad pnnctum *C*, vnde venit, necesse est quòd in signo intermedio, si mobile sit in actu, ipsum ibidem quiescat : & minor apparet : quia si in termino reflexionis mobile non esset in actu, sed moueretur; vel moueretur motu primo, vel motn secundo : non motu primò; quia in termino reflexionis illo motu est completè mutatum : nec mouetur secundo, quia nondum illo motu mouetur; & sic quies est principium sequentis, & finis præcedentis motus.

Definitio quietis.

Inde 3 &c. Mouet 2. dubitationem : quia si Text. 67.
mobile *A* moueatur continuè supra spatium *B*, *C*, *E* & mobile *D* debeat moueri æquali velocitate super spatium *F*, *G*; tunc si in spatio *B*, *C*, *E* sumatur pars æqualis *F*, *G*, quæ sit *B*, *C*, tunc dubium est : posito quòd *D* incipiat moueri super spatium *F*, *G*, quando veniet *A* ad punctum *C*, vtrùm *A*, & *D* veniant ad terminum, æquè citò. Arguitur quòd non: immò qnòd *D* debeat venire citiùs, quia duorum mobilium æqnè velociter motorum super æqualia spatia, illud citiùs veniet ad terminum *ad quem*, quod citiùs recedit à termino *à quo*; sed *D* citiùs recedit à termino *à quo*, quàm *A* : igitur *D* citiùs veniet ad terminum *ad quem*. Maior patet; aliter enim illi motus non essent æquè veloces : & minor apparet; quia quando *A* venit ad terminum *C*, tunc *D* incipit moueri super spatium *F*, *G*. Sed priùs *A* venit ad terminum *C*, quàm supra spatium *C*, *E*; igitur priùs *D* recedit à termino *F*, quàm *A* à termino *C*. Respondetur quòd *A*, & *D* æqnè citò venient ad terminos; & quando dicitur quòd *D* citiùs recedit : negatur. Ad probationem dico, quòd non citiùs *A* venit ad punctum *E*, quàm recedat ab eodem, immò simul venit ad *B*, & recedit

ab *E*, quia nunquam mobile est in signo *E* in actu, sed in potentia tantùm.

19. *Sed in reflectenti.* Hic ponit minorem dictæ rationis, scilicet quòd in medio reflexionis necesse est mobile esse in actu per tempus; & vtetur illo medio tanquam duobus, *F* tanquam initio motus sequentis, & fine præcedentis; & exemplificat, vt si mobile *D* reflectatur à puncto *G* ad terminum vnde venit, necesse est, quòd supra signum *G* quiescat, & sit in actu.

Vnde stare necesse est. Hîc infert conclusionem, scilicet quòd necesse est mobile quiescere in termino reflexionis, ita quòd non in eodem instanti, in quo mobile venit ad terminum, recedet ab eodem in motu reflexionis, sed quiescet per tempus.

Text. 68. *At verò 4 quæ olim.* Hîc mouet dubitationes, & sunt tres. Secunda ibi: *Eodem autem modo.* Tertia ibi: *Manifestum autem.* Prima dubitatio est: quia aliquis diceret, quòd in termino reflexionis mobile non quiescit, sed manet ibi præcisè per instans. Respondet Aristoteles quòd non: quia in illo signo spatij nunquam est mobile in actu, sed in potentia tantùm, super quod manet præcisè per instans indiuisibile: modò in termino reflexionis mobile est in actu, vt probatum fuit priùs: igitur oportet quòd maneat per tempus in termino reflexionis, & non solùm per instans.

20. *Eodem autem modo.* Mouet secundam dubitationem. Secundò, soluit eam ad hominem. Tertiò, ponit veram solutionem. Secunda ibi: *In primis ergo.* Tertia ibi: *Ad rem autem ipsam.* Secunda dubitatio erat de positione Zenonis, qui ponebat, quòd impossibile est aliquod spatium pertransiri: quia in quolibet spatio sunt infinita; modò non contingit infinita pertransiri. Secundò, in iis, quæ successiuè pertranseuntur vnum post alterum, contingit enumerare vnum post alterum: sed non contingit infinita enumerare: igitur non contingit infinita pertransire.

Text. 69. *In primis 5 ergo.* Hîc soluit ad hominem dicens, quòd sicut spatium est infinitum secundùm diuisionem, ita & tempus, in quo pertransitur; modò non est inconueniens, quòd infinitæ partes spatij pertranseantur in infinitis partibus temporis. Sed dicit Aristoteles quòd ista solutio non sufficit, sed est ad hominem tantùm: nam si fieret ratio de tempore, solutio non valeret: nam in quolibet tempore sunt infinita, & non contingit infinita pertransiri: igitur nullum tempus pertransibitur.

Ad rem autem ipsam. Hic ponit veram solutionem, dicens, quòd in spatio sunt infinita in potentia, non in actu ab inuicem separata; modò non contingit infinita pertransiri, numerando quodlibet determinatè post alterum, sed non numerando, hoc est benè possibile.

Text. 70. *Manifestum 6 autem est.* Ponit tertiam dubitationem, & vult probare, quòd impossibile est aliquod ens capere *esse* post *non esse*, nec è contra *non esse* post *esse*. Et primò probat hoc. Secundò, ponit solutionem antiquorum. Tertiò, solutionem propriam. Et quartò, infert corollarium. Secunda ibi: *Non ergo.* Tertia ibi: *Et si.* Quarta ibi: *Manifestum igitur.* Primò igitur probat, quòd impossibile est aliquod ens esse postquam non fuit, vel non esse postquam fuit: quia si sic, sequeretur quòd idem simul, & semel esset, & non esset, quod est impossibile. Consequentia probatur, & capiatur totum tempus, per quod aliquod est, & totum tempus per quod non est. Tunc probo quòd in instanti medio simul est, & non est; quia quod est per aliquod tempus, est per quodlibet illius temporis; sed hoc est per illud tempus, cuius instans medium est aliquid, scilicet principium: igitur est in illo instanti. Et per consimile medium probatur, quòd in illo instanti non est, quia quod in aliquo tempore non est, non est in quolibet illius temporis; sed instans datum est aliquid illius temporis, scilicet finis; igitur in illo instanti non est.

Non ergo dandum. Hic soluit secundùm antiquos, qui dicebant ad maiorem probationis: quando dicitur, illud quod est per aliquod tempus, est in quolibet illius temporis, verum est, dicebant ipsi, nisi in vltimo instanti illius temporis. 21.

Et si fiebat. Hîc ponit solutionem propriam; & stat in hoc, quòd vltimum instans est attribuendum posteriori passioni: verbi gratiâ, si capiatur totum tempus, per quod aliquid non fuit, & postea totum tempus, per quod ipsum est; dico quòd in illo instanti medio illa res habet *esse*, & est primum instans sui *esse*. Sed si è contra capiatur primò tempus, per quod aliquid est, & postea tempus, per quod ipsum non est, tunc illo instanti medio illud non est, quia non est dare vltimum instans *esse* rei, sed primum instans sui *non esse*.

Manifestum autem. Hîc infert corollarium; & est istud, quòd tempus, per quod aliquid fiebat, & est factum, non est maius, quàm tempus, per quod fiebat tantùm; quia solùm propter additionem instantis nihil est maius.

Rationabiliter 7 autem considerantibus. Hîc redit ad probandum, quòd necessariò inter motus reflexos cadat quies media, & hoc per rationes communes: & sunt quinque. Secunda ibi: *Simul autem.* Tertia ibi: *Amplius autem.* Quarta ibi: *Amplius.* Quinta ibi: *Amplius non.* Prima ratio, si inter motus reflexos non esset quies media, sequeretur quòd motus naturalis, & violentus essent vnus motus. Consequens est impossibile. Consequentia probatur: quia si aliquid moueatur naturaliter sursum, tunc si reflectatur deorsum, motus ille deorsum, esset sibi violentus: igitur cùm ex istis fiat vnus motus, per te, sequitur quòd motus naturalis, & violentus essent vnus, & habetur consequens. Secundò, sequeretur quòd aliquid moueretur ex aliquo termino, in quo non esset. Consequens est falsum de totali termino, à quo inchoatur motus. Consequentia probatur, quia à termino reflexionis incipit mobile moueri nouo motu; & tamen in termino reflexionis nunquam est mobile, nisi in potentia tantùm: quia per te motus est continuus. Tertiò, 8 quia ex illis non est vnus motus continuus, cum quorum vno stat quies totius speciei alterius; sed motuum reflexorum cum vno stat quies totius speciei alterius: ergo, &c. Maior patet; quia si cum vno stat quies alterius, non est possibile, quòd continuentur. Minor est nota, quia cum motu deorsum stat quies ab omni motu sursum, quemadmodum cum albefactione stat quies ab omni denigratione. Quarta ratio 9 quâ probat, quòd non potest esse reflexio eiusdem mobilis de generatione ad corruptionem, & è contra; quia si ita esset, tunc sequeretur quòd idem mobile simul

Text. 71. *Inter motus reflexos cadit quies media.*

Text. 72.

Text. 73.

ſimul eſſet, quod eſt impoſſibile. Conſequentia probatur; quia quando aliquid generatur, ipſum eſt, & quando aliquid corrumpitur, ipſum non eſt: igitur ſi continuò generarur & corrumpitur, ſeqnitur quòd continuò eſt, & non eſt. Quinta ratio, impoſſibile eſt, quòd motuum reflexorum vltima ſint vnum: igitur impoſſibile eſt, quòd motus reflexi ad inuicem continuentur. Conſequentia tenet per definitionem continuorum, quia *continua ſunt, quorum vltima ſunt vnum.* Antecedens probatur; quia non eſt poſſibile, quòd idem ſit vltimum contrariorum, vt albedinis, & nigredinis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm neceſſariò inter quoſcunque motus reflexos ſit quies media?

Ariſtot. 12. *Met. cap.* 6. *& de cœlo, cap.* 10. *& hic cap.* 1. *&* 2. D. Thom. 1. *part. quæſt* 2. *art.* 1. Scotus 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 5. Durandus 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. Ciſter. *quæſt. vnica, artic.* 2. Caſal. *lib.* 1. *de quadripartita inſtit. cap.* 16. Rub. 8. *Phyſ. tract.* 2. *de* 1. *mot.* Smiſ. *tract.* 1. *de Deo vno qu.* 6. Roccus 8. *Phyſ. quæſt.* 6.

1. ARGVITVR quòd ſic; quia neceſſariò inter quaſcunque quietes oppoſitas eſt motus medius: igitur inter quoſcunque motus oppoſitos eſt quies media. Tenet conſequentia per ſimile, & antecedens patet per experientiam.

Secundò arguitur per Ariſtotelem in iſto 8. text. 56. qui per hoc probat, quòd impoſſibile eſt motum rectum eſſe continuum, & perpetuum; quia ſuper lineam rectam non poteſt fieri motus continuus, & perpetuus, niſi per reflexionem, & neceſſariò inter quoſcunque motus reflexos eſt quies media; modò illi motus non ſunt continui, inter quos eſt quies media.

Tertiò, niſi ita eſſet, ſequeretur quòd motus contrarij eſſent vnus motus continuus, quod eſt impoſſibile: & patet conſequentia, quia ex quo inter ipſos non eſt quies media.

Quartò, ſequeretur quòd aliquid moueretur motibus contrariis; conſequens eſt impoſſibile, vt patet 8. Phyſicorum, text. 71. Conſequentia probatur; quia ſi aliquid aſcendat, & poſtea deſcendat ſine quiete media, tunc in inſtanti medio, quâ ratione aſcendit, eâdem ratione deſcendit: igitur vel vtroque motu ſimul mouetur, & habetur propoſitum; vel neutro, & habetur propoſitum, quòd ibi quieſcit.

Quintò, ſequeretur quòd aliquid eſſet in aliquo loco, & non eſſet in illo; conſequens implicat contradictionem. Conſequentia probatur, poſito quòd *A* moueatur de *B* vſque ad *C*, & poſtea reflectatur per eandem lineam; tunc quæro in Inſtanti medio an *A* recedit à *C*, vel non? Si non: igitur ibidem quieſcit, & habetur propoſitum: ſi ſic; igitur tunc non eſt in *C*, quia omne quod recedit ab aliquo termino, ampliùs non eſt in illo, vt patet in 6. text. 44. & tamen priùs ponebatur eſſe in illo; ergo, &c.

2. Sextò, omnis motus præter circularem eſt ad quietem tanquam ad terminum: igitur ſi fiat motus ſurſum, & poſtea deorſum eiuſdem mobilis, & per eandem lineam, ſeqnitur quòd ſurſum eſſet quies, & habetur propoſitum.

Septimò, ponatur quòd *A* moueatur de *B*, vſque ad punctum *C*, & deinde reflectatur per eandem lineam; tunc quæro, vtrùm aliquando fuit in *C*, vel nunquam. Si nunquam; ergo non mouebatur per totum ſpatium, quod eſt contra poſitum. Item, tunc *A* recedet ab aliquo termino, in quo non fuit: ſi aliquando, igitur in aliquo tempore *A* fuit in *C*, & per conſequens in illo tempore *A* quieſcit.

Octauò, ponatur quòd aliqua magnitudo, vt *D* ſit continua puncto *C*, tunc quæro vtrùm *A* in intermedio motuum contrariorum tangit *D*, vel non? Si ſic; cùm omnis tactus ſit temporalis, ſequitur quòd per tempus *A* tangit *D*, & per conſequens, per tempus quieſcit in puncto *C*; ſi nunquam tangit *D*, ſequitur quòd non mouebatur per totum ſpatium, quod eſt contra poſitum.

Nonò, ſi aliquid fiat calidum in ſummo, & poſtea frigidum, tunc in intermedio Inter calefactionem, & frigefactionem, vel ipſum erat aliquando ſummè calidum, vel nunquam; ſi aliquando: igitur per tempus, & per conſequens, per illud tempns mobile quieuit; ſi nunquam, hoc eſt contra poſitum, quia alteratio ponebatur terminari ad ſummum calidum.

Decimò, poſito quòd nunquam ſtet forma 3.
ignis, niſi ſub calidirate ſumma; tunc ſi aliquid calefiat ad ſummum, & poſtea frigefiat ſine quiete media, vt ponit aduerſarius; tunc per ſolum inſtans durabit ille ignis; igitur eſt dare vltimum inſtans rei permanentis in *eſſe*, quod eſt impoſſibile, vt patet 8. huius.

Oppoſitum arguitur; quia ſi graue proiectum ſurſum quieſceret priuſquam deſcenderet, tunc ſequeretur quòd graue quieſceret ſurſum non detentum violenter. Secundò, quia non apparet ratio quare magis quieſceret in vno tempore, quàm in alio; & ſic vel per vnum tempus quieſceret, vel per quodlibet. Notandum quòd [a] poſſibile eſt, quòd fiat motus ſurſum, & poſtea deorſum ſine reflexione; vt ſi fiat motus per lineam curuam, vt patet de motu ſagittæ per aërem. Alio modo fit primò aſcenſus, & poſtea deſcenſus, per reflexionem ad angulum, & hoc duplieiter: vno modo reflectendo ad angulum acutum rectilineum, aut curuilineum, vel compoſitum ex vna recta, & alia curua, vel etiam ad angulum obtuſum, vel ad angulum rectum, veniendo per vnam lineam, & redeundo per aliam. Alio modo fit reflexio ad angulum rectum, ita vt mobile per eandem lineam redeat, per quam venit; & iſte motus eſt propriè compoſitus ex duobus motibus contrariis, & de talibus motibus reflexis intelligitur quæſtio.

angulus rectilineus



curuilineus



Tunc ponuntur concluſiones. Prima concluſio: Non neceſſariò [b] inter quoſcunque motus reflexos eſt quies temporalis media. Probatur, quia ſi faba proiiciatur ſurſum contra molarem deſcendentem, tunc non apparet veriſimile, quòd faba quieſceret, priuſquam deſcendat, quia ſi quieſceret, per tantum tempus arreſtaret molarem, ne deſcenderet, quod videtur impoſſibile. *Non eſt neceſſe inter quoſcunque motus reflexos eſſe quietem mediam.*

Secundò, poſito quòd Socrates moueatur aduersùs

uersùs Occidentem in naui quiescente, tunc in quolibet instanti possibile est Socratem desinere moueti, & nauem possibile est in quolibet instanti incipere moueri; tunc ponatur quòd in eodem instanti Socrates desinat moueri, & nauis incipiat moueri versùs Orientem cum omnibus contentis infra nauem; tunc immediatè antè Socrates mouebatur ad Occidentem, & immediatè pòst Socrates mouebitur ad Orientem: igitur primò mouetur vno motu, & postea motu contrario, sine quiete media.

4. Tertiò ponatur, quòd aliquis motor moueat aggregatum ex duabus sphæris, vno motu videlicet ad Occidentem, deinde sphæræ infrà contentæ applicetur alter motor specialis, qui moueat ipsam motu contrario, scilicet ad Orientem; & hoc in vna hora velociùs, & in alia tardiùs, tunc in instanti medio verum est dicere, quòd immediatè antè sphæra inferior mouebatur ad Orientem, & immediatè pòst mouebatur ad Occidentem; igitur primò mouetur vno motu, & postea motu contrario sine quiete media.

Quartò, sint duo corpora luminosa, quorum vnum veniat ab Occidente, & aliud ab Oriente; & transeant localiter iuxta se inuicem in Meridie; tunc in instanti, in quo eadem linea recta transit per centrum ipsorum ad angulos rectos, verum est dicere, quòd immediatè antè ista corpora approximabantur, & immediate pòst elongabantur; ergo, &c. Item, in puncto intermedio aëris immediatè antè intendebatur lumen, & immediatè pòst remittebatur; igitur ille aër mouetur motibus contrariis sine quiete media.

Quintò, posito quòd aliquid fiat calidum in summo, & in eodem instanti, in quo est summè calidum, sit approximatum vnum summè frigidum: igitur in instanti inciperet frigefieri, quia agente approximato passu sufficiènter disposito
5. fit actio; igitur priùs calefiebat, & postea frigefiebat sine quiete media.

Et per idem argueretur de rarefactione, & condensatione, de augmentatione, & diminutione: quia ista consequuntur calefactionem, & frigefactionem.

Sextò, ponatur quòd aliquid augeatur vsque ad duplum, & in eodem instanti sit approximatum diminuens; tunc immediatè ante augmentabatur, & immediatè pòst diminuebatur sine quiete media.

Septimò, confirmatur idem, supponendo quòd ante augmentationem est resolutio quarundam partium, & additio aliarum. Secundò, supponitur quòd tunc fit augmentatio, quando plus additur, quàm resoluitur, & è contra diminutio; tunc ponatur quòd in aliquo viuente fiat resolutio vniformis per diem; tunc in prima medietate diei fit additio velociùs, quàm resolutio, & in secunda tardiùs; tunc in instanti medio verum est, quòd immediatè antè augmentabatur, & immediatè pòst diminuitur: igitur non est quies temporalis media: & sic patet conclusio, quòd non est necessariò, &c.

Sed notandum, quòd ad duas primas rationes solet responderi. Vnde ad primam dicitur, quòd molaris pellit aërem fortiter ante se, & ille aër pulsus arestat fabam antequam attingat molarem. Sed contra, quia vel impetus illius aëris, quem tu dicis arestare fabam, est æquè fortis sicut impetus fabæ ad mouendum sursum cum resistentia medij, vel fortior, vel minus fortis. Si fortior, igitur faciet fabam descendere, & per consequens non quiescet ibidem. Si minùs fortis, igitur adhuc faba ascenderet sursum, & per consequens ille aër non arestabit ipsam. Si æquè fortis, hoc durabit præcisè per instans, quia quantò plus appropinquat molaris, tantò aër plus impellit: igitur in medio non est quies temporalis.

Ad secundam rationem solet responderi, quòd primò Socrates mouetur per se, & postea per accidens ad motum nauis; modò non est inconueniens quòd inter motus contrarios, quorum vnus sit per se, & alius per accidens, non sit quies media; sed hoc esset impossibile de duobus motibus per se. Aliter respondetur, quòd licèt sit possibile Socratem desinere moueri in quocumque instanti, & cum hoc possibile sit nauem incipere moueri in quocumque instanti: tamen impossibile est, quòd in eodem instanti illa duo fiant. 6.

Contra primam solutionem arguitur: quia quantùm est de ratione motus, idem est iudicium de motu per se, & motu per accidens, licèt sit differentia quantùm est ex parte mouentium: igitur si inter motus contrarios, quorum vnus est per se, & alius per accidens, non sit quies media, sequitur quòd nec est inter motus contrarios, quorum vterque est per se. Secundò, quia ratio Aristotelis & quæcumque alia, quæ probaret de motu per se, eodem modo concluderet de motu per accidens: igitur si concedatur de vno, & etiam de altero. Contra secundam solutionem arguitur; quia nulla videtur ratio repugnantiæ: quare non in eodem instanti, in quo Socrates desinit moueri, possit nauis incipere moueri, ex quo in quolibet instanti potest vtrumque fieri. Secundò probatur, variando casum: & ponatur quòd nauis moueatur vniformiter versùs Orientem, & quòd Socrates moueatur motu proprio in naui versùs Occidentem difformiter, velociùs tamen in prima medietate horæ respectu nauis, quàm nauis moueatur, & tardiùs in alia medietate, tunc in instanti medio verum est dicere, quòd immediatè antè Socrates mouebatur ad Occidentem; & immediatè pòst mouebatur ad Orientem: igitur primò mouetur vno motu, & postea alio, sine quiete temporali mediâ.

Secunda conclusio est ista: Non est necesse, quòd inter quoscumque motus contrarios sit quies instantanea media, seu indiuisibilis. Probatur; quia nulla est quies in instanti, vt probatum est in sexto huius. Secundò, quia nihil potest moueri in instanti, saltem localiter; igitur nec quiescere, quia non in alia mensura nata est fieri quies, quàm motus. Tertiò, quia in nullo instanti medio inter motus contrarios verum est dicere, quòd mobile aliter se habeat, quàm antè immediatè se habuit, & quàm immediatè pòst se habuit: igitur tunc mobile non quiescit. Quartò, quia quæcumque ratio probaret quòd in illo instanti fieret quies, eadem ratio probaret, quòd in quolibet instanti motus mobile quiesceret: & sic patet, quòd non est necesse inter quoscumque motus contrarios esse quietem mediam instantaneam, vel non temporalem. 7.

Non est necesse inter quoscumque motus contrarios esse quietem instantaneam mediam.

Tertia

Inter motus naturales cōtrarios necessariò est quies media.

Tertia conclusio : Inter quoslibet motus [c] naturales contrarios necesse est esse quietem mediam. Probatur, quia omnis motus naturalis præter motum cœli, est ad quietem tanquam in finem : igitur si in termino non quiesceт, frustraretur à suo fine. Secundò, illud quòd mouetur naturaliter, non solùm habet inclinationem naturalem ad motum ; sed etiam ad quietem in termino motus ; sed illa inclinatio naturalis in termino motus non potest subitò deperdi ; igitur oportet quòd sit tempus, priusquam possit fieri inclinatio ad motum contrarium, & per consequens per illud tempus intermedium quiescet.

8. *Inter motum sursum, & deorsum necessariò est quies media.*

Quarta conclusio : Quando aliquid mouetur [d] sursum violenter, & postea descendit deorsum per eandem lineam, necessariò inter illos motus est quies media, nisi per obuiationem alicuius extrinseci impediatur illa quies. Probatur, quia tamdiu proiectum mouetur sursum, quamdiu virtus mouens, quantacumque sit illa, excedit grauitatem naturalem proiecti, & cum hoc resistentiam medij ; sed quando impetus mouens proiectum est æqualis grauitati naturali lapidis, tunc lapis desiuit moueri sursum. Sed probo quòd adhuc non incipit moueri deorsum, quia nondum grauitas naturalis obtinet supra medium : igitur oportet quòd tempus transeat, priusquam obtineat, & per consequens in illo tempore est quies media ; & sic patet, qualiter non est necesse inter quoscumque motus contrarios esse quietem mediam : tamen semper inter motus naturales contrarios respectu eiusdem mobilis oportet, quòd mobile quiescat in medio, & cum hoc inter motus, quorum vnus est naturalis, & alter violentus, nisi per obuiationem alterius sit impedimentum.

Ad rationes. Ad primam, negatur consequentia : nec est simile ; quia quietea oppositæ non possunt fieri nisi in diuersis locis ; sed motus possunt fieri per idem spatium. Item, potest dici aliter, negando antecedens, quia si terra nunc quiescat naturaliter, & virtute Solis calefiat, & leue fiat ab alia parte ; tunc aliud est centrum grauitatis, quàm antè, & priùs quiescebat terra naturaliter, & nunc quiescit violenter, & tamen non est ibi motus intermedius. Sed quòd nunc quiescit, patet : quia leuitas inducta non sufficit mouere terram localiter propter resistentiam medij circundantis.

Ad secundam, dico quòd Aristoteles intelligit, quòd inter quoscumque motus naturales contrarios est quies media ; & hoc sufficit ad intentionem suam, quia si omnis motus esset continuus, & perpetuus, oporteret quòd ille motus esset naturalis.

9. Ad tertiam, negatur consequentia ; quia si ignis, & aqua sint inuicem immediati, non propter hoc oportet quòd sint continui ; ita etiam de motu : igitur illi motus sunt contigui, vel *ἐφεξῆς*, vt vocat eos Commentator.

Ad quartam, negatur consequentia. Ad probationem, diceretur quòd mobile moueretur vno motu composito ex motu sursum, & motu deorsum. Aliter dicitur, quòd non mouetur, nec etiam quiescit, sed immediatè pòst mouebitur : & videatur pleniùs ista solutio in vna quæstione super 3. quæst. 5.

Ad quintam, negatur consequentia. Ad probationem, dico quòd mobile non est in termino reflexionis, nisi per solum instans : & supposito quòd non concedantur instantia esse ; tunc dicitur, quòd mobile non est in actu in termino reflexionis, sed in potentia tantùm. Vel secundùm alium modum loquendi dicitur, quòd mobile est in termino reflexionis in aliquo tempore, & in nullo toto tempore, quemadmodum dicimus, quòd sphæra tangit partem plani, & nullam totam partem.

Ad sextam, omnis motus, &c. verum est, sed tamen potest impediri ab alia quiete. Ad septimam, dico quòd *A* aliquando est in *E*, non tamen in tempore, sed in instanti. Similiter dicitur ad octauam, quòd in instanti tangit *D*, & non in tempore. Idem ad nonam, quòd præcisè per instans illud mobile est summè calidum. Ad decimam, negatur suppositum : quia, vt patuit super primum, res naturalis potest conseruari sub dispositione peiori, quàm sit sub qua generatur. Vel ad penultimas tres dicitur sicut ad quintam.

ANNOTATIONES

[a] N*Otandum quòd possibile est*, &c. Nota primò, quòd Aristoteles probat vnum esse primum motum continuum, & perpetuum, ipsúmque circularem : quia inter motus contrarios debet intercedere quies ; quâ occasione præsens excitatur quæstio ; cuius sensus est, quando, verbi gratiâ, lapis sursum ascendit, & iterum deorsum descendit, detúrne quies in lapide inter illos duos motus contrarios, quibus aliquod vnum mouetur mobile. 10.

Nota secundò, quòd huiusmodi duo motus contrarij multipliciter se habere possunt : aut enim sunt naturales ambo ; aut vnus est naturalis, & alter violentus.

Quomodo inter motus cōtrarios nō sit necesse mediare quietē.

[b] *Non necessariò inter quoscunque motus*, &c. Nota, quòd si motus naturales sint à diuersis causis naturalibus, non est necesse quòd inter illos intercedat quies. Probatur, quia motus incipit per vltimum sui *non esse*, & desinit per primum sui *non esse* : ergo in eodem instanti potest vnus motus ab vna virtute desinere, & alia virtus motiua in eodem instanti incipere alium motum ; quod instans erit vltimum *non esse* motus, qui incipit, & primum *non esse* motus, qui desinit : ita vt sit verum dicere, nunc non est motus, calefactionis, verbi gratiâ, & immediatè antè hoc erat : & in eodem instanti sit verum dicere, nunc est motus frigefactionis, & immediate pòst hoc erit : sed hoc dato, nulla intercedit quies inter calefactionem, & frigefactionem : ergo inter motus contrarios naturales à diuersis causis naturalibus procedentes non est necesse quòd intercedat quies. Deinde motus augmentationis est vnus & continuus ; modò in augmentatione sunt plures alterationes contrariæ : nam antequam augeatur viuens, seu animal, decoquitur & digeritur cibus, seu alimentum, & vertitur in chylum ; & deinde in massam sanguinariam ; hæc autem omnia habent qualitates contrarias : ergo fiunt per contrarias alterationes ; tunc sic : augmentatio est motus continuus : ergo & illæ alterationes continuantur, & per consequens nulla est quies inter illas.

[c] *Inter quoslibet motus naturales contrarios*, &c. Nota, 11.

Nota, quòd quando illi duo motus naturales sunt ab vna causa naturali, vt in motu dilatationis, & compressionis cordis contingit, & etiam in motu aspirationis & respirationis in pulmone, inter tales motus necesse est intercedat quies, quia vna, & eadem natura non potest in eodem instanti in contraria mouere, & sic cor, & pulmo necessariò quiescit inter hos duos motus.

Nota secundò, quòd quando illi duo motus sic se habent, quòd vnus est violentus, & alter naturalis, ita tamen quòd violentus est prior, & naturalis posterior; vt quando lapis sursum proiicitur, & deorsum descendit, inter tales motus necesse est intercedat quies media, quia natura non potest præbere vim ad motum deorsum, nisi finità virtute, quâ lapis ascendebat, atque ita debet mediare quies. Nam motus violentus fit dum impetus externus est maior interno: naturalis autem sequitur, quando impetus internus vincit externum: non potest autem internus impetus fieri maior externo, quin fiat æqualis, & æqualis non potest esse nisi res quiescat; atque adeò quando prior motus est violentus, & secundus naturalis, qui solùm fit virtute propriâ, inter tales motus contrarios necesse est, quòd quies intercedat.

Nota tertiò, quòd si illi motus sint violenti, vt si pila missa ad parietem, à quo repercussa reuertatur ad proiicientem: vel si duo ludant pilâ, non est necesse in his motibus intercedat quies: quia si agens violentum fit efficax & magnæ virtutis, potest in eodem instanti, quo tangit pilam, facere, vt incipiat moueri; sicut dicebamus, quando magnum pondus lapidi ascendenti occurrebat: si verò agens non sit efficax, sed sit talis naturæ & debilitatis, quòd non possit continuare motum: tunc erit quies inter hos duos motus violentos, vt si pila percuteret lanam.

12. d *Quando aliquid mouetur sursum violenter*, &c. Nota, quòd si illorum motuum vnus sit naturalis, & alter violentus, & prior est naturalis, vt quando pila cadit deorsum, & resilit sursum, vel si prior est violentus, & naturalis, posterior excitatur à magna & forti virtute, magis quàm eius natura requirebat: vt si lapis sursum ascendens violenter deprimatur à magna virtute, & mole, inter huiusmodi motus non oportet vt intercedat quies; quia vel ille lapis, quando illi occurrit magnum illud pondus, quiescit, vel non: si non, habeo intentum: si sic; ergo etiam illud magnum pondus quiescit per tempus; hoc autem est contra rationem,& experientiam. Minor probatur, quia si lapis paruus quiescit, quando tangitur à magno: ergo etiam magnus quiescit: nam quæ se tangunt habent vltima simul: ergo, vel simul quiescunt, vel simul mouentur. Sed non est dicendum magnam molem detineri à paruo lapide: ergo dicendum quòd simul mouentur, atque adeò in lapide paruo sursum ascendente, deorsùmque sic descendente, non est necesse intercedat quies.

Et si contra hæc dicatur, impossibile est aliquid moueri, quin priùs quiescat in termino *à quo*; ergo quando aliquid mouetur ex calido in frigidum, & iterum regreditur à frigido in calidum, sicut priùs quiescit in calido antequam moueatur ad frigidum, ita priùs quiescet in frigido, antequam moueatur ad calidum: quia aliàs idem simul moueretur motibus contrariis, quod implicat. Consequentia patet, quia quando aliquid mouetur ex calido in frigidum, & regreditur ex frigido in calidum: vel calefit quando frigefit, vel postea: si postea, habeo intentum, quòd intercedat quies inter motus contrarios: si autem quando frigefit, calefit; ergo mouetur simul ad calorem, & frigiditatem.

Ad hoc, nego antecedens; non enim est semper necesse, quòd id quod mouetur, quiescat sub termino *à quo*, vt de lapide depresso ab alio maiori patet. Et ad probationem dico quòd illi duo motus non sunt simul, sed sunt interrupti per instans, quod est finis vnius, & principium alterius; vt quando aliquid generatur præcedente corruptione, non sunt simul genitum, & corruptum, sed instans *non esse* vnius est instans *esse* alterius, & in illo instanti fit interruptio. 13.

Et si contrà dicatur, nihil quod generatur, aut mouetur, introdit illam formam, vel terminum, vt in vno instanti duret in illa; ergo debet esse per aliquod tempus, & per consequens erit quies. Dico antecedens esse verum in hoc sensu, quòd natura secundùm se non intendit formam, vt tantùm per instans in illa quiescat. Potest tamen aliquod agens esse tantæ virtutis, vt pellat mobile in eodem instanti, quo attingit virtutem, vt patet in paruo lapide depresso à magno cadente.

Et si iterum dicatur, motus contrarij habent terminos contrarios: ergo non possunt esse continui, atque adeò necessariò inter illos intercedit quies. Dico verum esse, quòd duo motus contrarij de se non sunt continui, possunt tamen continuari in vno instanti, quod sit primum *non esse* præcedentis, & vltimum *non esse* sequentis; & sic non dabitur quies.

EXPOSITIO TEXTVS.

Q*Vi autem* 1 *super circularem fit*. Hoc est quartum caput huius tractatus, in quo ostendit, quòd nihil prohibet motum circularem esse vnum, & perpetuum. Et primò probat suam conclusionem. Secundò infert quasdam alias conclusiones, ibi, *Quare neque*. Primam conclusionem probat duabus rationibus. Secunda ibi, *Et qui in circulo*. Prima conclusio est, quòd nihil prohibet motum circularem esse continuum,& perpetuum. Probatur, quia illum motum nihil prohibet esse perpetuum, qui est ab eodem in idem sine reflexione; sed motus circularis est ab eodem in idem sine reflexione: ergo, &c. Maior patet, quia ex quo non est ibi reflexio, non est ibi contrarietas, & oppositio, ratione cuius fiat interruptio motus per quietem: & minor est nota ex *quid nominis* motus circularis. 14.

Motus circulare potest esse continuum & perpetuum.

Et qui in circulo. Secunda ratio: Illum motum nihil prohibet esse continuum, & perpetuum, secundùm quem mobile potest esse pluries in eodem situ sine quiete; sed sic est de motu circulari; ergo, &c. Maior est nota; quia

quia quâ ratione potest mobile reuerti multoties ad idem punctum, eadem ratione infinities.

Quare neque si in semicirculo. Hic infert quasdam alias conclusiones; & sunt tres. Secunda ibi *Manifestum est autem.* Tertia ibi: *Manifestum est igitur.* Secunda conclusio est ista: In semicirculo non potest fieri motus continuus, & perpetuus: quia in semicirculo non est idem punctus, qui copulet ad inuicem medium, & finem; igitur in semicirculo non potest fieri motus sine reflexione, & per consequens, nec sine quiete media.

15. Text. 75. *Manifestum autem*, &c. Tertia conclusio; Nullum motum alium à motu locali, contingit esse continuum, & perpetuum. Probatur, quia nunquam alius motus potest mouere mobile sine reflexione, vt patuit priùs; modò non potest esse reflexio sine quiete media.

Manifestum est igitur. Quarta conclusio: Malè posuerunt antiqui Philosophi dicentes omnia moueri continuè. Primò, quia manifestum est, quòd non omnia mouentur continuè circulariter, & tamen non est possibile aliquem motum esse semper, & continuum, nisi circularem. Secundò, quia dicentes omnia semper moueri, intendebant de motibus generationis, & corruptionis, & cum hoc alterationis: modò probatum est, quòd nihil contingit moueri perpetuò, & continuè, tali motu.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text. 76. *Motus localis circularis est primus motuum.* QVod autem lationum. Hoc est quintum capitulum huius tractatus, in quo Aristoteles ostendit, quòd motus localis, & circularis est primus motuum; & est conclusio principalis capituli, quæ probatur sic: Inter omnia genera motuum localis est primus: igitur simpliciter loquendo motus localis circularis est primus motus. Huius rationis probat minorem. Secundò, maiorem ibi: *Quod autem ea.* Probatur primò, quòd inter motus locales motus circularis est primus: quia omnis motus localis est rectus, vel circularis, vel mistus; sed omni motu misto, vel recto motus circularis est prior: igitur motus circularis est primus. Maior patet *ex primo Cœli*; & minorem probat primò de motu misto. Secundò de motu recto, ibi: *Recta autem.* Primò igitur probat, quòd motus circularis est prior motu composito per hoc, quòd simplicia sunt priora compositis.

16. *Recta autem.* Hic probat quòd motus circularis est prior quàm rectus, & hoc quinque rationibus. Secunda ibi: *Amplius motus prior.* Tertia ibi: *Rationabiliter autem.* Quarta ibi: *Accidit autem.* Quinta ibi: *Amplius autem.* Prima ratio est ista: Ille motus est prior, qui est perfectior & simplicior; sed motus circularis est perfectior, & simplicior motu recto: ergo, &c. Maior patet; quia in ordine entium simpliciora sunt priora aliis, vt Deus & Intelligentiæ. Et minor apparet: quia motus circularis est simplicior, eo quòd regularior. Item, quia est simplicioris mobilis, scilicet corporis cœlestis. Item, quia est à simpliciori motore, scilicet ab Intelligentia. Item, quia in motu circulari non distinguitur principium, medium, & finis, & quia motus circularis est perpetuus, & rectus non.

Text. 77. *Amplius motor prius.* Secunda ratio: Cæteris paribus perpetuum est prius corruptibili; sed motus circularis est perpetuus, & motus rectus non: ergo, &c.

Rationabiliter autem. Tertia ratio: Ille motus est simpliciter, & per consequens prior, qui est perpetuus & alter non; sed motus circularis est huiusmodi. Quod probatur, quia in motu circulari non distinguuntur principium, medium, & finis: igitur motus circularis est perpetuus. Consequentia tenet, quia ex quo vbique est principium motus, nullibi terminatur; & ex quo vbique est finis, nullibi incipit, & ex quo vbique est medium, nullibi incipit, nec desinit, & per consequens est perpetuus. Et antecedens apparet; quia in circulo vbique potest signari principium, medium, & finis: & causa huius est; nam omnia ista attribuuntur centro; nam centrum est medium circuli, nec penes distantiam centri ad circumferentiam attenditur circuli magnitudo; modò motus circularis non est à centro, nec ad centrum, sed circa centrum: igitur in ipso non est principium, medium, neque finis. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Accidit autem. Quarta ratio: In illis, quæ sunt mensurabilia, idem est primum, & mensura; sed motus circularis est mensura aliorum; ergo, &c. Maior est nota, quia rationabile est, quòd in vnoquoque genere primum sit metrum, & mensura aliorum illius generis. Minor patet 4. *huius*, vbi dicebatur quòd tempus est motus circularis, vel consequens motum circularem. 17.

Amplius autem. Quinta ratio: Regulare est prius irregulari; sed motus circularis est regularis: igitur motus circularis est primus motus. Maior patet, quia regulare est simplicius irregulari; & etiam, quia irregulare componitur ex regulari, & simplicia componentia sunt priora compositis: & minor est nota, quia alij motus à circulari sunt difformes in velocitate, vt motus grauium, & leuium, sunt velociores in fine, quàm in principio.

Quod autem ea. Ostendit quòd inter genera motuum motus localis est primus: & primò ostendit hoc ex opinionibus antiquorum. Secundò, ex communi modo loquendi. Secundum ibi: *Et propriè autem.* Primò dicit, quòd motus localis est primus motuum; & hoc testantur omnes antiqui, qui determinarunt de motu; & hoc patet inducendo in quinque opinionibus. Prima fuit Empedoclis, qui posuit prima mouentia esse litem, & amicitiam, quorum primos motus dicebat esse congregationem, & segregationem. Secunda opinio fuit Anaxagoræ, qui posuit primum mouens esse intellectum, quem dicebat mouere congregando, & disgregando: modò si congregatio, & disgregatio sunt primi motus, cùm illi sint motus locales, sequitur quòd motus localis sit primus motuum. Tertia opinio fuit Democriti, qui ponebat entia fieri, corrumpi, & alterari per motum localem corporum atomalium, quæ dicebat recipi in vacuitatibus inclusis inter alia corpora; modò si ita sit, sequitur propositum. Quarta opinio fuit quorundam aliorum, qui posuerunt entia fieri: & corrumpi raritate, & densitate; & dicebant raritatem fieri per segregationem, & 18. Text. 78.

& denſitatem per congregationem: modò ſegregatio & congregatio ſunt motus locales: igitur ſi iſti ſunt primi, vt iſti dicebant, ſequitur quòd motus localis eſt primus. Quinta opinio fuit Platonis, qui poſuit primum mouens eſſe animam mouentem ſe; modò anima præcipuè mouet ſe localiter, quod non eſſet niſi motus localis eſſet primus.

Et propriè autem. Hic probat idem, ſcilicet quòd motus localis eſt primus, ea communi modo loquendi; quia ille motus eſt primus, ſecundùm quem ſi mobile moueatur, dicimus ipſum moueri, & à quo ſi quieſcat, dicimus ipſum quieſcere, dato quòd moueatur aliis motibus; ſed ſic eſt de motu locali, quia ſi aliquid moueatur localiter, dicimus quòd ipſum mouetur; & ſi non moueatur localiter, dicimus ipſum quieſcere, dato quòd alteretur, vel diminuatur, & tunc recapitulat, & patet in littera.

EXPOSITIO TEXTVS.

19. Text.79. Q*Vòd autem* 1 *hoc neceſſe eſt.* Iſte eſt quartus tractatus huius octaui, in quo Philoſophus determinat de infinitate, & perpetuitate primi motoris: & diuiditur in quatuor capitula. In primo oſtendit quòd virtus finita non poteſt mouere per tempus infinitum. In ſecundo oſtendit, quòd in magnitudine finita non eſt virtus infinita. In tertio oſtendit, quòd primus motor eſt infinitus: & in quarto oſtendit quòd primus motor eſt indiuiſibilis. Secundum ibi: *Quòd autem omnino.* Tertium ibi: *De his autem.* Quartum ibi: *Determinatis autem.* Primum caput diuiditur: quia præmittit intentum huius tractatus, præcipuè vltimi capituli. Secundò proponit concluſionem principalem huius capitis. Et tertiò eam probat: ſecunda ibi: *Horum autem.* Tertia ibi: *Tria enim ſunt.* Primò dicit, quòd nunc monſtrandum eſt, quòd neceſſe eſt hoc, ſcilicet primum motorem eſſe indiuiſibilem, & nullam habere magnitudinem.

Horum autem. Hîc probat principalem concluſionem capituli, ſcilicet quòd impoſſibile eſt, quòd virtus finita moueat per tempus infinitum.

20. *Tria enim ſunt.* Hîc probat dictam concluſionem: & primò præmittit quaſdam ſuppoſitiones. Secundò format rationem, ibi: *Quare omne.* Prima ſuppoſitio eſt iſta, quòd cùm ad motum requirantur tria, ſcilicet mouens, mobile, & tempus, ponatur quòd *A* ſit mouens finitum, & *B* ſit mobile, quod mouetur, & etiam infinitum: quia dicit Commentator quòd ſequitur, ſi mouens eſt finitum, quòd mobile eſt finitum; aliter enim potentiam motoris excederet potentia moti, quod eſt falſum; & ſit *C* tempus infinitum. Secunda ſuppoſitio eſt, quòd ea quo *A* mouet *B*, aliqua pars ipſius *A*, vt puta *D*, poteſt mouere aliquam partem mobilis, quæ ſit *E*. Et ex iſta ſuppoſitione ſequitur, quòd *D* mouebit *E*, in minori tempore quàm ſit *C*; & ſit illud tempus minus *F*. Quòd ſequatur patet: quia ſignato aliquo puncto ſpatij pertranſeundi, illud minori tempore pertranſitur à parte mobilis, quàm à toto mobili. Tertia ſuppoſitio, quòd illud tempus *F*, quod eſt minus tempore *C*, eſt infinitum; quia omne minus aliquo eſt finitum. Tertia ſuppoſitio, quòd reſecando ab *A* continuè partes æquales ipſi *D*, tandem ipſum *A* conſumetur. Item per reſecationem partium æqualium ipſi *E*, tandem reſecabitur totum *C*, ſed per reſecationem partium æqualium ipſi *F*, à tempore *C* nunquam reſecabitur totum *C*, quia nunquam per ablationem finiti conſumetur infinitum.

Quare omne. Hîc [a] ea dictis probat concluſionem priùs poſitam: quia *D* mouet partem mobilis, ſcilicet *E*, in tempore finito, ſcilicet *F*; igitur vna alia pars motoris æqualis ipſi *D*, mouebit partem mobilis æqualem ipſi *E* in tempore æquali ipſi *F*; igitur cùm per ſuppoſitionem huiuſmodi partes debeant reſecari, tam motor quàm mobile, ſequitur quòd totus motor mouet totum mobile in tempore finito: quia in tempore multiplici ad ipſum *F*, quod eſt finitum: igitur virtus finita non poteſt mouere per tempus infinitum; quod erat probandum.

ANNOTATIONES.

[a] E*X dictis probat concluſionem.* Nota, quòd vis huius rationis ſtat in hoc, quòd cùm 21.
quælibet pars ipſius *A* æqualis ipſi *B* moueat partem æqualem ipſi *C*, in tempore finito, & illæ partes ſint finitæ, ſequitur quòd totum tempus in quo *A* mouet totum *D*, eſt finitum; reſultat enim ea partibus, in quibus partes mouebunt partes; quæ quidem tempora ſunt finita magnitudine, & multitudine; quare oportet eſſe finitum, atque adeò impoſſibile eſt mouens finitum mouere per tempus infinitum. Vel ſic: detur *A* mouens virtutis finitæ, verbi gratiâ, vt quatuor, quod moueat *B*, mobile quatrupedale, per *C* tempus infinitum, ſit *D* pars ipſius *D* virtutis vt vnum, quæ moueat *E*, quæ ſit quarta pars ipſius *B* in tempore *F*, quod eſt minus quàm *C*, quia totum mobile maiori tempore indiget, quàm minus: tempus ergo *F* in quod mouet *C*, neceſſe eſt vt ſit finitum, cùm ſit pars totius *C*: ergo pars duplo maior quàm *D* mouebit partem mobilis duplo maiorem quàm *E*, in duplo maiori tempore quàm *F*, & pars tripla partem triplam in triplo maiori tempore: ergo tota virtus *A* mouebit totum *B* in tempore quadruplo ad *F*, quod erit finitum: quia excedit *F* proportione finitâ: & hoc eſt quod vult dicere Scotus in illis verbis, ſequitur quòd totus motor mouet totum mobile in tempore finito, quia in tempore multiplici ad ipſum *F*, quod eſt finiti: quæ verba placuit explicare, quia in textu ſunt corrupta, nec faciunt aliquem ſenſum.

EXPOSITIO TEXTVS.

Q*Vòd autem* 1 *omnino non contingit..* Hoc eſt 22.
ſecundum caput huius tractatus, in quo Text.80.
Ariſtoteles oſtendit quòd in magnitudine finita non poteſt eſſe virtus infinita: & diuiditur, quia primò facit hoc. Secundò oſtendit, quòd nec è contra, ſcilicet virtus finita poteſt eſſe in magnitudine infinita. Secunda ibi: *Neque igitur.* Item, primò proponit concluſionem. Secundò præmittit ſuppoſitiones. Et tertiò probat. Secunda ibi: *Sit enim maior.* Tertia ibi: *Si enim.* Concluſio quam proponit eſt iſta: In

magni

In magnitudine finita non potest esse virtus infinita.

magnitudine finita non potest esse virtus infinita.

Sit enim maior. Hîc præmittit suppositiones. Prima est, quòd semper maior potentia mouet idem, vel æquale mobile in minori tempore; & hoc est pro tanto, quia maior potentia mouet velociùs. Secunda suppositio est, quòd potentia infinita est maior, quam potentia finita. Tertia suppositio est, quòd omnis motus est in tempore; & non contingit aliquem motum esse in instanti.

Si enim. Hîc format rationem: quia si in magnitudine finita esset virtus infinita, sequeretur quòd potentia finita, & infinita mouerent idem mobile æquè velociter. Consequens est falsum, quia maior potentia mouet velociùs, quàm minor; modò potentia infinita maior est quàm finita. Consequentia probatur, quia sumpto aliquo mobili, quod mouetur à potentia infinita, quod quidem mobile potest etiam moueri à finita, licèt tardiùs; tunc vtrumque motus fit in tempore per tertiam suppositionem; sit igitur quòd motus factus à potentia finita sit in centuplo tardior, deinde sumatur alia potentia finita in centuplo maior quàm illa potentia data, sequitur quòd illa in centuplo velociùs mouebit, & per consequens, æquè velociter, sicut illa potentia finita aliter formetur; ratio sic; si in magnitudine finita esset virtus infinita, sequeretur quòd ipsa moueret subitò: quod est contra tertiam suppositionem. Consequentia probatur, quia moueret vltra omnem proportionem velociùs, quàm aliqua potentia finita.

23. Text. 81. *Neque a igitur.* Hîc probat secundam conclusionem: & primò proponit conclusionem. Secondò, præmittit suppositiones: & tertiò format rationem. Secunda ibi: *Sed tamen.* Tertia ibi: *infinita ergo.* Proponit igitur, quòd non est possibile, quòd potentia finita sit in magnitudine infinita, extensa scilicet per totam magnitudinem; & licèt ista conclusio sit nota, eo quòd nulla est magnitudo infinita; attamen Aristoteles intendit ipsam probare, dato quòd esset magnitudo infinita.

Sed tamen. Hîc præmittit suppositiones. Prima est, quòd licèt quandoque in minori magnitudine sit maior virtus; vt in modico plumbo maior grauitas, quàm in magno ligno: attamen sumptis corporibus eiusdem rationis, & omnino similibus, præterquam in magnitudine, semper in maiori corpore est maior virtus. Secunda suppositio est, quòd magnitudo finita sit *A*, *B*, cuius accipiatur vna pars, scilicet *B*, quæ sufficit mouere mobile *D* in tempore *E*, *F*. Tertia suppositio, quòd si de magnitudine *A*, *B*, *C*, accipiam partem duplam ad partem *B*, *C*, ipsa mouebit in medietate in minori tempore, quàm faciat pars *B*, *C*, & sit illud tempus minus *F*, *G*: & si accipiam partem triplam, tempus etiam in triplo minus, & sic semper augmentando partem *B*, *C*, diminuitur proportionaliter tempus *E*, *F*.

24. *Infinita ergo.* Hîc format duas rationes. Secundam, ibi: *Est autem.* Prima ratio est ad probandum, quòd potentia magnitudinis *A*, *B*, *C*, est infinita; quia illa potentia est infinita, quæ mouet idem mobile, vel æquale velociùs, quàm aliqua potentia finita; sed potentia magnitudinis *A*, *B*, *C*, est huiusmodi; ergò, &c. Maior patet, quia si esset finita, iam moueret velociùs, quàm moueret, quod implicat: & minor patet; quia omnis potentia finita, quæ mouet mobile *D*, haberet aliquam proportionem certam ad partem *B*, *C*: sed potentia magnitudinis *A*, *B*, *C*, ad partem *B*, *C*, finitam, nullam haberet proportionem, immò ipsam in infinitum excederet; igitur mouetet mobile *D* velociùs, quàm aliqua potentia finita.

Est 3 autem. Secunda ratio est: quia tunc sequeretur, quòd virtus magnitudinis finitæ, & virtus magnitudinis infinitæ mouerent æquè velociter, quod impossibile. Et consequentia patet: quia si magnitudinis infinitæ potentia sit finita, ipsa mouebit in aliquo certo tempore dato, & virtus magnitudinis finitæ in alio, licèt minori. Deinde accipiatur alia virtus magnitudinis finitæ, in eadem proportione, in qua tempus se habet ad tempus, & sequitur propositum, scilicet quòd virtus magnitudinis finitæ, & virtus magnitudinis infinitæ mouebunt æquè velociter.

EXPOSITIO TEXTVS.

De his 1 autem. Hoc est tertium capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit, quòd primus motor mouet tempore infinito: & diuiditur; quia primò mouet quandam dubitationem de motu proiectorum. Secundò sequitur principale intentum, ibi: *Quoniam autem.* Item, primò mouet dubitationem. Secundò remouet cauillosam responsionem. Tertiò ponit solutionem, quam credit veram. Quartò concludit corollarium; & quintò responsionem aliam cauillosam remouet. Secunda ibi: *Si autem.* Tertia ibi: *Necesse est.* Quarta ibi: *Hic quidem.* Quinta ibi: *Impossibile autem.* Dubitatio quam mouet, est ista: ea quo omne, quod mouetur, mouetur ab alio, & mouens debet tangere motum. Vnde dubium est à quo mouetur proiectum post separationem à proiiciente. 25.

Si autem. Remouet quandam cauillosam responsionem. Vnde quidam dixerunt, quòd proiectum mouetur ab aëre; quia proiiciens primum, vnà cum hoc, quòd pellit proiectum, pellit aërem; & ille aër pulsus mouet proiectum; sed ista solutio non valet: quia eadem difficultas restat de aëre, à quo mouetur post separationem à proiiciente.

Necesse autem. Hîc ponit solutionem, quam credit esse veram, dicens, quòd proiectum post separationem à proiiciente mouetur à medio, & hoc per istum modum, quòd proiiciens cùm pellit proiectum, simul pellit & aërem, cui imprimit quandam virtutem motiuam proiecti; & sic ille aër mouet alium aërem, & ille alter alium, & sic continuè, donec grauitas naturalis proiecta sit potentior ad mouendum deorsum, quàm virtus motiua aëris ad aliter mouendum: & sic potest hîc assignari prima conclusio, quòd non est idem aër mouens proiectum à principio motus vsque ad finem. Et patet conclusio, quia aliter non potest saluari à quo mouetur proiectum.

Hic quidem. Hîc infert corollarium, quòd motus proiecti non est vnus: quia ad vnitatem 26.

motus requiritur vnitas motoris; modò in motu proiectorum motor est continuè alius, & alius; quia continuè alter & alter aër mouet.

Impossibile autem. Hîc remouet aliam cauillationem. Vnde aliqui dixerunt, quòd proiectum mouetur per antiperistasin, scilicet quando proiectum pellitur à proiiciente in aëre, vel aqua; tunc aër, vel aqua insequitur ita impetu à se ne fiat vacuum, quod mouet proiectum. Istud non valet: quia tunc moto vno ad vnam partem, mouerentur omnia, quæ sunt in mundo ad eandem partem: quia quodlibet insequeretur aliud propter naturalem inclinationem ad repellendum vacuum.

Quoniam 2 autem. Hîc ostendit principale propositum: & primò ostendit, quòd primum mouens vnum, & idem existens mouet semper. Secundò, quòd primum mouens est immobile. Tertiò, quòd primum mouens est in circumferentia primi mobilis. Et quartò regreditur ad hoc quòd primum mouens est immobile. Secundum ibi: *Mouens autem.* Tertium ibi: *Necesse est.* Quartum ibi: *Habet autem.* Tertia conclusio est ista: Primum mouens vnum, & idem existens mouet semper, quia primus motus est vnus, continuus, & perpetuus: igitur primus motor vnus, & idem existens mouet semper. Consequentia tenet propter duo. Primò, quia *in quinto huius*, dicebatur, quòd ad vnitatem motus requiritur vnitas motoris. Secundò, quia in parte præcedenti dicebatur, quòd motus proiecti non est vnus propter hoc, quòd non est ab eodem motore, sed diuersis.

Primum mouens, vnum & idem existens, mouet semper.

Mouens autem. Ponit quartam conclusionem: Primum mouens est immobile. Probatur dupliciter. Primò si moueretur, tunc mouetur ab alio; consequens est falsum, quia tunc illud aliud potiùs esset primus motor, quàm ille. Secundò si moueretur, tunc sequeretur quòd ab ipso non semper proueniret similis motus; modò hoc est falsum; quia motus eius est regularis vnus, & continuus. Et patet consequentia, quia primus motor si moueretur, aliter se haberet quàm priùs, & per consequens aliter moueret, quàm antè mouebat.

Primum mouens est immobile.

Vide Zimarā in tab. lit.m. fol.271.col.4.

27. Text.55. *Necesse 3 igitur.* Quinta conclusio: Primum mouens est circumferentia primi mobilis, quia primum mouens oportet poni vbi est velocior motus; sed in circumferentia primi mobilis, est velocior motus: ergo, &c. Maior patet, quia proxima mouenti recipiunt fortiùs eius influentiam: & minor est nota, quia circumferentia primi mobilis maiorem lineam describit.

Text.56. *Habet 4 autem.* Hîc regreditur ad quartam conclusionem, & mouet dubitationem, an aliquod motum possit mouere continuè? & dicit quòd non, vt priùs; & ideò cùm motus primus sit regularis, vnus & continuus, oportet quòd primus motor sit vnus, immobilis, & semper similiter se habens ad illud, quod mouetur.

EXPOSITIO TEXTVS.

Text.57. D*Eterminatis 1 autem.* Hoc est quartum capitulum huius tractatus, in quo Philosophus ostendit, quòd primus motor est indiuisibilis, nullam habens magnitudinem, & ista est vnica conclusio capituli. Probatur, quia si haberet magnitudinem, vel haberet magnitudinem finitam, vel infinitam; non infinitam, quia nulla talis est, vt patet *tertio huius*; nec finitam, quia magnitudinis finitæ non potest esse virtus infinita: modò primus [a] motor est infinitus; quia mouet per tempus infinitum; & sic manifestum est quòd primus motor est indiuisibilis, nullam habens magnitudinem, ad quem ipsemet nos perducat.

Explicit expositio librorum Physicorum lecta à Magistro IOANNE DVNS SCOTO, *Parisiis, Deo gratias.*

ANNOTATIO.

P*Rimus motor est infinitus.* Nota, primò, quòd aliquid esse infinitum potest intelligi dupliciter. Vno modo secundùm durationem, quia scilicet durat tempore infinito; & isto modo secundùm Philosophum & Commentatorem primus motor, & aliæ Intelligentiæ ab ipso, cœlum, & multa alia sunt infinita, quamuis secundùm veritatem solus Deus sit hoc modo infinitus. Secundo modo, quia mouet motu infinito secundùm durationem, non autem secundùm velocitatem; & sic etiam secundùm ipsos solæ Intelligentiæ, & corpora cœlestia sunt infinita. Tertiò, quia motor motu locali vno, & continuo mouet per infinitum tempus: & sic secundùm eos quælibet Intelligentia est infinita, quia quælibet Intelligentia secundùm Aristotelem mouet orbem motu locali circulari infinito. Secundò, aliquid dicitur infinitum, quia impartibiliter, & à se mouet motu locali per tempus infinitum, & sic secundùm eos solus primus motor est infinitus. 28.

Aliquid esse infinitum potest bifariam intellig.

Nota secundò, quòd duo sunt modi infinitatis, quos Philosophus reputat impossibiles: vnus est, quo aliquid diceretur infinitum actu secundùm extensionem; & quantitatem molis. Alius quo aliquid diceretur infinitum intensiuè. Et licèt aliqui dicant secundùm Aristotelem Deum neutro modo esse infinitum, scilicet extensiuè, & intensiuè, Scotus tamen *in primo distinctione secunda, quæstione prima.* & *in septimo quodlibet.* & *in tractat. de primo principio incomplexo*, tenet ad mentem Aristotelis Deum esse infinitæ virtutis, infinitique vigoris intensiuè; nec ex hoc sequitur ipsum mouere in instanti. Quia primus motor non immediatè mouet cœlum: immò motor ipsius cœli est quædam Intelligentia, quæ est virtutis finitæ: cuius tamen virtus continuatur per tempus infinitum à primo motore: qui est infinitæ virtutis, tam secundùm durationem, quàm secundùm intentionem.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

Vtrùm plures sint primi motores?

Aristot 8. *Physic. cap.6. text.* 84. Alens. 1. *part. quæst.*14. *membr.*3. D.Thom. 1. *cont. gent. cap* 42. Albet. *tract.*6. *quæst.*29. Gulielm. Paris. *primo part. de vniuerso.* Rob. 8. *Physic. tract.*1. *de* 1. *motore.* Roccus 8. *Physic: quæst.*7. Smis. *tract* 3. *de Deo vno.*

1\. ARGVITVR quòd sic: quia plures sunt motores, quorum quilibet est immobilis, & impartibilis: igitur plures sunt primi motores.

Secundò, plures sunt Intelligentiæ, quarum quælibet mouet motu æterno: igitur quælibet mouet motu primo: sed motus primus non est nisi à motore primo: igitur plures sunt motores primi.

Tertiò plures sunt Intelligentiæ, quarum vna est independens ab alia: igitur omnes sunt æquè primæ; & per consequens sunt plures primi motores. Antecedens apparet, quia Intelligentia Solis non dependet ab Intelligentia Saturni, nec è conuerso.

Quartò, in motu recto possibile est, quòd sint plures motores æquè primò applicati: igitur etiam in motu circulari: & cùm motus cœli sit circularis, sequitur quòd possibile est, quòd ille sit à pluribus motoribus æquè primò. Antecedens patet, quia possibile est quòd in eodem sint plures formæ elementorum, quarum quælibet æquè primò moueat.

Quintò, plura sunt alterantia æquè primò: igitur possibile est, quòd sint plura mouentia æquè primò, & per consequens, quòd sint plures primi motores. Antecedens patet, quia quatuor qualitates sunt alterantia æquè primò, nec vna illarum dependet ab alia.

2\. Sextò, voluntas nostra est primum mouens respectu suæ volitionis, cùm ipsius sit totalis causa productiua: & cum hoc est aliquis alter motor primus; igitur plures sunt primi motores.

Septimò, quia plura sunt vltimò mota non mouentia: igitur plura sunt primò mouentia non mota; & per consequens plures sunt primi motores.

Octauò, quia possibile est, quòd eidem mobili applicentur plures motores æquè primò successiuè: igitur vnus illorum non dependet ab alio, & per consequens erunt ambo primi motores.

Nonò, quia eidem mobili sunt motores applicati æquè primò mouentes: igitur possibile est de cœlo, quòd sint huiusmodi motores plures simul, & æqualiter applicati, & patet antecedens de tractu nauis, cui sunt plures homines applicati, nec vnus dependet ab alio. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto octauo *text.*83.

Diuisio quæstionis. In quæstione primò videndum est de qua primitate intelligitur; cùm dicitur primus motor. Secundò, qualiter possunt imaginari diuersimodè plures primi motores. Et tertiò ostendetur, quòd nullo illorum modorum sunt plures primi motores.

3\. Quantum ad primum, notandum, quòd quando dicitur motorem cœli esse primum, hoc intelligitur de primitate causalitatis, & independentiæ in ordine essentialium mouentium, quæ sic se habent, quòd posterius non mouet nisi in virtute primi mouentis, & influentis, plus quàm faciat mouens posterius.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio: Motus cœli est primus omnium aliorum motuum. Probatur, ille motus est primus omnium aliorum motuum, à quo omnes alij motus dependent, & ipse ab alio est independens; sed motus cœli est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, per descriptionem motus primi; & minor est nota; quia generatio, & corruptio, quæ sunt primæ mutationes istorum inferiorum, dependent à corpore cœlesti moto, vt patet *secundo de Generatione*, quia secundùm accessum, & recessum Solis in obliquo circulo fiunt generationes, & corruptiones in istis inferioribus. Secundò patet inductiuè in diuersis motibus; quia animal mouetur ab appetibili secundùm diuersas phantasias, & influentias, & inclinationes, quas recipit à corpore cœlesti.

Secunda conclusio: Motor cœli est primus motor primitate causalitatis, & independentiæ; ita vt ille sit causa aliorum, & independens ab aliis. Probatur, quia sicut se habet motum ad motum, ita mouens vnius ad mouens alterius; sed motus cœli est primus aliorum motuum: igitur motor cœli est primus. Et hæc de primo. *Motor cœli est primus primitate causalitatis, & independentiæ.*

Quantùm ad secundum, scilicet quot modis est imaginabile, quòd sint plures primi motores. Dico quòd tripliciter in generali: primo modo, quòd sint plura mobilia æquè prima, quorum cuilibet sit vnus motor applicatus, quorum neuter dependeat ab aliquo, nec ambo à tertio. Alio modo, quòd eidem mobili primo applicentur successiuè diuersi motores, Tertio modo, quòd eidem mobili, primò sint diuersi motores æquè primò applicati. Primus modus potest subdiuidi, secundùm quòd dupliciter possunt imaginari plura mobilia æquè prima. Vno modo, quòd sint plures mundi, in quorum quolibet sit vnum primum mobile; & cuilibet illorum primorum mobilium sit vnus motor, primus applicatus. Secundo modo, quòd in isto mundo sint plura mobilia æquè prima, ita vt sint plures orbes cœli, & quilibet illorum sit independens ab alio; & sic motor cuiuslibet, potest dici motor primus. Item, tertius modus diuiditur: quia tripliciter possunt imaginari plures motores applicati æquè primò eidem mobili. Primo modo, quòd vnus motor applicetur ad vnam partem, & alter ad aliam, & sic posset imaginari, quòd octaua sphæra esset primum mobile, & quòd cuilibet eius stellæ esset applicatus vnus motor ad mouendum. Secundo modo, quòd illud totum mobile habeter diuersas partes ab inuicem diuersas, & totum aggregatum moueretur ab vno motore primo, & aliqua eius pars moueretur ab alio motore æquè primo, vno alio motu contrario; vt patet de motibus planetarum contra firmamentum. Tertio modo, quòd eidem mobili sint plures motores æquè primò applicati, ita vt vnus non sufficeret, nisi omnes concurrerent: & sic patet, quòd tribus modis in generali, & sex modis in speciali est imaginabile, quòd sint plures primi motores; & hæc de secundo. 4. *Tribus modis in generali, & sex modis in speciali imaginabile est, quòd sint plures primi motores.*

5. Quantùm ad tertium. Prima concluſio: Non ſunt plures primi motores, propter hoc, quòd ſint plures mundi, quorum vni ſit applicatus vnus motor primus, & alteri alius. Probatur *in 1. Cæli, text. 77.* quia ſi eſſent plures mundi, tunc terra vnius deſcenderet ad terram alterius, & eſſent plura tempora, & plures Dij: & inter illos mundos eſſet vacuum, quorum quodlibet eſt impoſſibile.

Non ſunt plures primi motores.

Secunda concluſio: In iſto mundo non ſunt plures motores, propter hoc quòd ſint plura mobilia æquè prima. Probatur, quia ordo corporum mundi in perfectione, & in cauſalitate, eſt ſecundùm eorum ordinem in ſitu, loco, & tempore: ſed nulla ſunt duo corpora, ſaltem cœleſtia, quin ſint ordinata ſecundùm ſitum: igitur impoſſibile eſt, quòd aliqua duo ſint æquè prima; & per conſequens neque motores eorum æquè primi. Secundò inter corpora cœleſtia ſemper ſuperius velociùs mouetur: igitur motor eius non eſt æquè primus motori orbis inferioris; quia tunc ab ipſis prouenirent motus æquè primi, & æquè veloces. Sed contra iſtud obiicitur: quia inter cætera corpora cœleſtia corpus Solis eſt nobilius, & perfectius: igitur ſecundùm ſitum corporum cœleſtium non eſt ordo perfectionis, & dependentiæ. Conſequentia tenet, quia Sol non eſt corpus ſupremum: & antecedens probatur per ſignum; quia ſecundùm antiquos omnia aſtra tam ſuperiora, quàm inferiora recipiunt lumen à Sole: & ideò Ariſtoteles imaginatur in lib. de propriet. elementorum, quòd omnia aſtra alia ſunt ſicut ſpecula, quæ reflectunt lumen Solis. Ad iſtud dicitur, quòd primus motor mouet totum cœleſtum, ſcilicet ex omnibus orbibus motu diurno, ſed ipſe plus influit in ſphæram Solis, ſicut nobiliorem, quàm alterius planetæ, quia illam perfectionem non habet Sol à motore proprio, ſed illam à primo motore habet; & ſic licèt concedatur, quòd corpus Solis ſit nobilius, non propter hoc ſequitur, quòd eius motor ſit nobilior.

6. Tertia concluſio: Non ſunt plures primi motores ſucceſſiuè applicati, ita vt primò vnus moueat, & poſtea alter. Probatur, quia vel ille motor, qui ſecundò moueret, eſt de nouo genitus, vel antea fuit, & nunc eſt nouiter applicatus: ſi primo modo, tunc non eſt primus motor, ſed potiùs ille à quo generaretur. Item, tum ille primus motor eſſet mutabilis, quia generabilis. Si ſecundo modo, vel applicaret ſe ipſum, vel applicaretur ab alio: ſi ab alio, iam applicans eſſet motor prior; & per conſequens iſte non eſſet primus. Item, iam eſſet mutabilis, ſiue à ſe, ſiue ab alio applicaretur. Secundò, vnus primus motor ſufficit ad mouendum præciſè, cùm moueat infatigabiliter, igitur fruſtra ponerentur huiuſmodi plures motores.

Quarta concluſio: Non ſunt plures primi motores æquè primò applicati ſimul eidem mobili, ita vt vnus applicetur ad vnam partem, & alter ad aliam. Probatur: quia ſic ponere plures motores eſſet propter pluralitatem mobilium æquè primorum: modò priùs probatum eſt, quòd impoſſibile eſt eſſe plura mobilia æquè prima.

Quinta concluſio: Non ſunt plures primi motores, quorum vnus applicetur totali mobili ad mouendum vno motu, & alter applicetur parti ipſius ad mouendum motu oppoſito. Probatur, quia iam ille eſſet primus motor, qui moueret motu totali, & ille motor ſecundarius, qui moueret partem. Et ſi obiiciatur, quòd ab eodem fierent contrarij effectus; concedo mediatè, vel etiam quorum vnus ſit immediatè, & alter mediante alio agente.

Sexta concluſio: Non ſunt plures primi motores æquè primò applicati eidem mobili, non ſolùm ad partes eius; ſed quilibet ad totum mobile. Probatur, quia motor cœli mouet infatigabiliter: igitur in eius motu non indiget adiutorio alterius motoris. Secundò ſequeretur, quòd motus cœli non eſſet perfectè vnus, cùm non fieret ab vno motore. Tertiò, cùm quilibet illorum motorum moueret liberè, ſequereretur quòd vnus illorum impediret alium, & per conſequens proueniret irregularitas motus, quod eſt contra experientiam: & ſic patet, quòd nullus iſtorum modorum, quibus eſt imaginabile eſſe plures motores, ſunt aliqui primi motores: Immò ſolùm vnus primus motor. Et non ſolùm per dictas rationes probatur vnitas primi motoris, ſed etiam ex ordine vniuerſi, ex ſtatu in cauſis efficientibus, & finalibus; ex vnitate, & perfectione mundi, propter quæ omnia concludit Ariſtotel. duodecimo Metaphyſicæ, text. 55. quòd entia nolunt malè diſponi; vnus ergo Princeps: & hæc de tertio. 7.

Ad rationes. Ad primam negatur conſequentia: quia propter hoc non dicitur motor primus, quòd ſit immobilis, & impartibilis, ſed ex eo, quòd eſt independens ab alio.

Ad ſecundam, negatur conſequentia: quia motus æternus dependet à pluribus motoribus, quorum vnus eſt independens, & à quo reliqua dependent.

Ad tertiam, quòd licèt neutrum dependeat ab alio, tamen ambo à tertio, ſcilicet à primo: igitur ſequitur quòd nullus illorum ſit primus.

Ad quartam, de motu recto, dico quòd non eſt ſimile: quia omne mouens motu recto, dependet ab alio.

Ad quintam, negatur conſequentia; quia illi ſunt motores dependentes.

Ad ſextam, de voluntate, dico quòd ipſa dependet ab aliis in ſua operatione, ſcilicet à primo motore fortè, & ab obiecto exteriori mediatè, vel immediatè.

Ad ſeptimam, negatur conſequentia; quia ordo eſſentialis benè incipit ab vno independente, & terminatur ad multa, ſicut in numeris.

Ad octauam, dico, quòd licèt hoc ſit imaginabile, & verum de motibus iſtorum inferiorum, tamen de motibus ſuperioribus hoc eſt impoſſibile.

Ad nonam, licèt de quibuſdam hoc ſit verum, dico tamen, quòd hoc eſt impoſſibile accidere de motu primo, ſcilicet de motu cœlorum. In ſæcula ſæculorum ſit cœlorum motor primus benedictus.

Expliciunt quæſtiones Libri Phyſicorum lectæ à Reuer. Magiſtro IOANNE DVNS SCOTO *Ord. Minor. Pariſijs, Anno Domini MCCC.*

Deo gratias.

ANNO

ANNOTATIONES.

Epitheta primi motoris. NOta, quòd primum mouens habet omnia hæc epitheta. Primum, quod eſt vnus, quia ſi plura, vel alterum altero perfectius, & tunc Deus imperfectus, vel æqualiter perfecta, & tunc dabitur aliud infinitum extra vnuni, quod non eſt dabile. Secundum epithetoo, quòd eſt immobile, mobile enim mouetur, vt acquirat, quod oon habet; ſed Deus eſt præſens omni loco, & omnem habet perfectionem: ergo noo mooetur. Tertium, quòd eſt æteruus; quia æternitas naſcitur ex immobilitate; ſed Deus eſt immobilis: ergo æterous. Quartum, quòd eſt infinitus, ooo ſolùm iutenſiuè, ſed extenſiuè, id eſt, iofiniti vigoris, & virtutis, & iofiuitæ duratioois; quia nullum ageos fiuitum poteſt agere tempore infinito: ſed Deus poteſt; ergo eſt infioitus. Quinium, quòd eſt iucorpoteus, quod etiam teſtatut Ariſtoteles 12. *Metaphyſic.* vbi dicit eſſe actum purum, ſi autem eſſet corporeus, eſſet compoſitus ex actu, & potentia. Sextum, quòd eſt cauſa voluntaria, & libera. Hæc pauca ſecundùm ingenioli mei imbecillitatem ad communem vtilitatem doctrinam Scoti amplecti voleotium annotanda duxi. Ingenioſus verò lector addat, & omittat vt expedire videbit, & vltimò reducat omnia iu obſequium Chriſti. Cui ſit hooor, & glutia in æuum æuorum. Amen.

F I N I S.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

Quæstiones super libros Aristotelis DE ANIMA:

Ab obliuione postliminio restitutæ; innumeris, quibus scatebant, mendis correctæ; citationibus Philosophi, quibus carebant, notísque marginalibus ornatæ; & commentario, seu annotationibus longioribus illustratæ atque discussæ.

Per R. P. F. HVGONEM CAVELLVM, Ord. Min. Regul. obseruantiæ, prouinciæ Hiberniæ, in Collegio S. Antonij apud Louanienses, olim S. Theologiæ Lectorem emeritum.

Accessit per eundem, supplementum, reliquas quæstiones ac difficultates ad libros de Anima spectantes, quæ vel ab antiquis, vel à recentioribus disputari solent, complectens, & ad mentem eiusdem Doctoris Subtilis solidè resoluens.

AD LECTOREM.

*Q*VÆSTIONES *Scoti* DE ANIMA *diu desideratas, sæpiùs diligenter quæsitas, tandem inueni apud R. P. Lucam VVaddingum Hybernum sacræ Theologiæ Professorem, & antiquitatis Franciscanorum magnum indagatorem, quorum historiam solidissimæ veritatis argumentis concinnatam præ manibus habet prælo paratam, cum varijs alijs eiusdem Ordinis antiquorum Doctorum tractatibus luce publicâ donandis. Horum vnus erat iste tractatus Doctoris subtilis de Anima, adeò incognitus, vt ab ipsis Scotistis tam veteribus, quàm recentioribus vix, aut rarissimè citatum reperias. Semel editus, vt conijcere licet, paulò pòst artis impressoriæ inuentionem pro more antiquo sine nomine loci, Typographi, vel appositione anni, temporis lapsu ita euanuit, vt à paucissimis, etiam inter ipsius Authoris celeberrimos discipulos videri, vel legi potuerit, quem tamen inuenit prædicti Patris in hoc rerum genere solertissima industria, & quia alijs ipse occupatus erat, eundem mihi castigandum tradidit. Opus accepimus libenter, quod scirem Scholæ Theologorum & Philosophorum, maximè Scotistarum, futurum gratissimum, pretiosum tractatum ab obliuione vendicare, & nouo Commentario eius antiquitatem adornare, & veluti noua veste induere. Priùs tamen quàm inchoarem, certum mihi feci opus esse genuinissimum sui Authoris, non falsò ei affictum; quod quidem facile fuit. Omnes qui catalogum eius operum intexunt, huius mentionem faciunt: nec vllus vnquam de eo dubitauit, & habetur eius nomine manu scriptum in Bibliotheca Vaticana, pluteo 45. num. 869. & in pluteo 42. vbi habentur indices quæstionum omnium operum eius per fratrem Franciscum Ruuer, postea Sixtum IV. concinnati. Inter hos recensentur omnes quæstiones huius operis suo ordine dispositæ, in quarum castigatione præstiti sequentia.*

Textum innumeris, quibus vbique scatebat, mendis correxi: citationes Philosophi, quæ vbique deerant, non paruo labore apposui; quæ videbantur à placitis Doctoris alibi dissentire, cum ijs quæ in Theologia habet, pro modulo meo concordaui; notas marginales adieci, Scholia in textu eius resolutionem breuiter & clarè continentia inserui, citatis semper locis, quibus Doctor de eadem re in Theologia tractat: quia verò hunc tractatum

iunior ante Theologiam ſcripſit, ſtandum iudicaui ijs, quæ in Theologia habet, ſi aliquando, quod rarum eſt, ſibi concordari non potuit (quod etiam obſeruandum eſt in eius Metaphyſica, vt in Prologo eiuſdem benè notauit Mauritius Hibernicus.) Deinde Commentario ſingulas quæſtiones expoſui, & , quæ ad propoſitum occurrebant, difficultates diſcuſſi, & expediui. Quia verò materia adhuc reſtabat incompleta (ferè enim de ſenſu & intellectu duntaxat diſputauit Doctor) adiunxi ſupplementum, reliquas quæſtiones, & difficultates ad libros de Anima ſpectantes, tam à veteribus, quàm à recentioribus ventilari ſolitas, complectens, & conformiter ad mentem eiuſdem Doctoris ſubtilis reſoluens: breuitatem optaui cum claritate coniunctam, an aſſequutus ſim, tu, benigne Lector, iudex eſto: in quibuſdam quæſtionibus maioris controuerſiæ breuis eſſe non potui, quin difficultates fugerem. Æqui bonique conſule, beneuole Lector; & reliqua Doctoris ſubtilis opera caſtigata, correcta, annotationibúſque illuſtrata, ſi Deus opportunitatem dederit, expecta. VALE.

Fr. HVGO CAVELLVS.

REVERENDI ADMODVM PATRIS

FR. FRANCISCI VIVERII

HISPANI, ORDINIS CISTER. PROCVRATORIS GENERALIS CVRIÆ,

CENSVRA.

SVPERVACANEVM (haud inficior) opus eiusmodi commendare iudicabis Lector, nam ad Scoti laudes quis adiunget?

Sed laude ipse sonet
Et laureatus spiritu
Scriptis coronatur suis.

Scriptis etiam his super libros Aristotelis de Anima, in quibus eius subtilitas mirum in modum emicat: nempe de anima agendum fuit, quo nihil tota natura subtilius, siue substantiam, siue operationes, siue creationem, siue separationem eius contemplemur. Quídni tali proposito obiecto, subtiliter scriberet, quem vltra omnem credulitatem, & ferè humanum captum, subtilissima in cæteris meditatum videmus? sed & ipse stylus, (quantumuis Erasmianis simis non placeat) subtilitatem redolet vehementer; nequiret etenim, si politiorem pro Grammaticorum placito phrasim affectaret, talia tam purè, & subtiliter promere: aut triplicanda sibi erant volumina, ne dicam multiplicanda: & tunc forsan exponi non valeret pro meritis, quidquid ipse conciso, ac pleno sermone complexus est. Iure profectò ciue tanto Hibernorum regna gloriantur, nisi quòd quodammodò illis ablatus est, vt vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ decori sit, & fulcimento Franciscanæ familiæ, quam latè patet orbis, specialis, sed egregius Doctor totius Theologicæ facultatis patronus, &, quod maximi docti habenr, puritatis originalis Virginis matris singularis assertor, ac propugnator venerandus, & nunc pro meritis magnus in regno cælorum. Reuerendum quoque admodum Patrem Cauellum, (cuius nunc prodeunt in lucem commentarius & supplementum ad quæstiones Scoti de Anima) quibus ego laudem verbis non habeo nisi suis, neque enim lucem luci afferre possumus, & ei luci, quæ lucem ipsi Scoto dedit, si Scoto lux conferri valuit. Nónne egregiis eius Castigationibus, & Notis ad vniuersam Doctoris Subtilis Theologiam grataner Lector frueris? & vtilitatem non vulgarem rei literariæ ex P. Hugonis lucubrationibus accessisse negabit nemo; & certè tantam, vt Scotus dignum videri possit commentatorem consecutus, non aliunde emendicatum, sed domi genitum, ex familia sua, denique ex Hibernia sua, quem si legeris, Scotum necdum obiisse, aut denuò surrexisse putabis: ita spiritum eius hausit, quod vel præsentis operis præstantia abundè confirmat; nihil enim in eo desideratur, nisi superfluit; quidquid veteres, quidquid neoterici de eiusmodi subiecto scripsere, hoc vno codice author subministrat, nec profusis, vt alij, verbis, sed pro legentium vtilitate, contractis, difficiles omnes quæstiones enodat ad vnguem, nihil, eruditionem adiuuans, intactum relinquens. Ergo quos vniuersi lectores sola breuiuscula lectione laudabunt, opus non est longa oratione commendare. Lege, & laudabis. Vale. Datum Romæ 24. Iunij 1624.

Fr. Franciscus Viuerius Ordinis Cister. Procurator Generalis.

CENSVRA
R.P.F. LVCÆ VVADDINGI
Hiberni de ſequenti opere.

DE hoc opere non eſt quòd dubitem Scoti eſſe genuinum, præterquam enim quòd omnes fermè Scriptorum nomenclatores eum in Ariſtotelis libros de Anima ſcripſiſſe commemorent, & Poſſeuinus operis citet initium, in tribus codicibus Vaticanis M S S. qui ſignantur numeris 869. 890. 3092. *& in alijs duobus vetuſtiſſimis ſub ipſa Typographiæ infantia, ſine loci, aut temporis notis, excuſis, quæſtiones iſtas inueni præfixo nomine Scoti. Opus eſt mutilum & mancum. Quæ deſiderabantur ſuppleuit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus Fr. Hugo Cauellus Archiepiſcopus Armachanus, & Hiberniæ Primas, de re literaria, & maximè de Scoti ſchola & doctrina optimè meritus. Quid in hac editione præſtiterit, ipſe præfatur in limine. Aliqua nos correximus, corruptóſque textus ex emendatiori codice reſtituimus. Priùs ſcripſiſſe Scotum hos libros, quàm in Metaphyſicam, ſuſpicari licet ex lib. 9. Metaphyſ. quæſt. 14. vbi conſulendus eſt Scholiaſtes ſcholio 14.*

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

INDEX DISPVTATIONVM, & Sectionum supplementi ad quæstiones Scoti de Anima.

DISPVTATIO I.

De animæ substantia, & informatione.

13. Vtrùm

DISPVTATIO II.

De potentijs corporeis animæ.

DISPVTATIO III.

De intellectu, & voluntate.

De intellectu tractatæ sunt 25. quæstiones partim in quæstionibus Scoti, partim in nostro commentario, vt habes supra ante sect. 1. huius disputationis, vbi specificantur illæ quæstiones, & citantur loca, in quibus discutiuntur.

DISPVTATIO IV.

De anima separata.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

Quæſtiones ſuper Libros Ariſtotelis de Anima feliciter incipiunt.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſenſus tactus ſit vnus, vel plures?

Ariſt.2 *de Anima,c* 11.*text.*107 Auic *lib.*6 *Natural. quaſt. p.*2.*c de tactu* Auerr.*com.*108 D.Thom 1.*p.q* 787.*art.*3. Albert.Mag.2.*de Anima,tract.*3.Caiet.*in c.*11.*de Anima.* Ægid. *comm* 108 Iandun.*quaſt.*27. Apollinaris *quaſt.*40. Marcell 3. *de Anima, quaſt.*38. Fernelius *lib.*5. *Phyſiologia,cap.*7.

1. VIDETVR quòd vnus: quia ſi eſſent plures, tunc eſſent plures, quàm quinque ſenſus; cuius oppoſitum probat Philoſophus *in fine ſecundi de Anima.*

Præterea: ſenſus eſt vnus, cuius organum eſt vnum, quia ſenſus fundatur in organo; organum tactus eſt vnum, quia eſt corpus mixtum quod habet vnitatem ab vna perfectione dominante in eo: igitur, &c. Item, probatur minor; quæcumque pars nerui, vel carnis (quidquid eorum ſit organum tactus,) ſentit vnam contrarietatem, ſentit & aliam: ergo eſt vnum organum tactus; & per conſequens vnus ſenſus tactus.

Præterea; ſi ſunt plures, aut differunt numero, aut ſpecie: non numero; quia ſunt in eodem ſubiecto; quod non eſſet verum, ſi ſolo numero differrent. Similiter alter eorum ſuperflueret; quia quando aliqua ſunt eiuſdem ſpeciei, à quocumque poteſt pati vnum, & aliud, à quacumque ergo contrarietate, vel ſpecie ſenſibili immutaretur vnus tactus, etiam & alius: non ſunt ergo vnius ſpeciei; nec differunt ſpecie. Probatio; quia

ſpecies vniuerſi non ſunt æquales, nec eſſe poſſunt ſecundùm aliquos: ergo vnus eſſet alio perfectior; ſed hoc videtur eſſe falſum; tactus enim æquè perfectè ſentit vnam contrarietatem ſicut & aliam.

Præterea: ſenſus tactus facit animal eſſe animal; quia eſt primus ſenſus. Si ergo in vno animali ſunt plures tactus; ergo vnum animal erit plura animalia, quod falſum eſt; ergo, &c. 2.

Præterea: animal imperfectum eſt vnum ab vnitate vnius naturæ, vel formæ; ſed non habet formam, vel perfectionem vltra ſenſum tactus; ergo eſt vnus tantùm.

Præterea: ſenſus tactus eſt vnius contrarietatis: ergo eſt vnus. Probatio antecedentis; quia illæ quatuor qualitates tangibiles ſic opponuntur, quòd quædam ſunt actiuæ, quædam paſſiuæ; ſed hoc eſt vna contrarietas.

In oppoſitum eſt Philoſophus, qui probat ſenſum tactus non eſſe vnum, quia non eſt vnius contrarietatis: & reprobat ſolutionem apparentem ad rationem ſuam. 3. *2. de Anima, text.106.*

Præterea: omnis potentia vna habet vnum ſubiectum ſibi adæquatum; non ſic autem tactus, quia quâ ratione diceres calidum, vel frigidum, eâdem ratione dicerem humidum, vel ſiccum.

Præterea: omnis potentia vna eſt reſpectu vnius generis obiecti, vnitate prædicationis de omnibus quæ à nulla potentia, niſi ab iſta cognoſcuntur, vt patet de colore reſpectu albi, & nigri: qualitates autem tangibiles non habent vnum genus obiectiuum tactui vniuocè prædicans de ipſis: ergo potentia non eſt vna. Probatio; qualitates enim actiuæ, & paſſiuæ ſunt in tertia ſpecie Qualitatis; durum, & molle in ſecunda; ergo, &c.

RESOLVTIO.

Tactus formaliter eſſe duos ; vnum tamen ſenſum conſtituere ; quia qualitates diſcretiuæ tangibilium , ſe inuicem concomitantur in eodem neruo , vel organo.

4. [a] RESpondeo , quòd ſenſus tactus ſunt formaliter duo , non tamen ita diuerſi , & diuiſi ab inuicem ſicut alij. Probatio primi, quia [b] impoſſibile eſt vnum ſenſum tactus habere ſimul , & ſemel duos actus perfectiſſimos : hoc enim non conceditur de intellectu , de quo magis videtur. Et ratio huius eſt , quia vnus actus perfectiſſimus adæquat ſibi totam virtutem potentiæ in primo actu: ſi igitur compateretur ſecũ alium actum perfectiſſimum , prior non adæquaret ; & ſic ſimul eſſet adæquatus , & non adæquatus ſuæ potentiæ. Patet ergo maior; ſed tactus poteſt ſimul habere duos actus perfectiſſimos. Probatio, tactus ſimul ſentit aquam frigidam, & humidam eſſe, ſed non eodem actu. Probatio , quia impoſſibile eſt actum ſentiendi eſſe reſpectu talis obiecti, quo remoto, eſſet ille actus ſentiendi; ſed remotâ frigiditate ab aqua per impoſſibile, vel per potentiam diuinam , adhuc tactus ſentit humiditatem eius ; ergo ſi actus ſentiendi humiditatem aquæ, non eſt reſpectu frigiditatis aquæ , vel non eſt actus ſentiendi frigiditatem, ſequitur quòd remotâ humiditate aquæ, adhuc ſentit frigiditatem; ergo, &c. Sunt ergo duo actus perfectiſſimi, quorum vnus ab alio non dependet , vt viſum eſt: ergo, &c.

t.d 3.q.6.ad 3.

Tactus poteſt habere duos actus perfectos.

Præterea , reſpectu obiectorum formaliter diuerſorum non eſt idem actus; ſed humidum, & frigidum ſunt obiecta formaliter diuerſa : ergo, &c.

Præterea, ab aqua in quantum frigida recipitur vna ſpecies in organo tactus , & in quantum humida alia ſpecies in eodem organo ; ſpecies enim frigiditatis non eſt ſpecies humiditatis ; ſed ſpecies in organo eſt principium actus , vel formale , vel inclinatiuum ; cùm ergo ex duobus principiis diſparatis non ordinatis ad inuicem , non egreditur vnus actus; ſequitur quòd actus ſentiendi frigiditatem , & humiditatẽ aquæ ſunt diuerſi.

5. Præterea, vna potentia particularis ſenſitiua eſt tantùm vnius generis Phyſici , ſicut patet per inductionem in aliis ſenſibus particularibus; & per rationem ; quia obiectum debet correſpondere potentiæ : ſi ergo eſt determinata , debet habere obiectum generis determinati: ſicut ſenſus communis habet obiectum commune plurium generum ſenſibilium. Patet ergo maior: ſed tactus non eſt vnius generis Phyſici , quia tale eſt tantùm vnius contrarietatis, vt patet per Philoſoph. 10. Metaph. & per rationem, quia quæ ſunt vnius generis Phyſici; ſunt ad inuicem tranſmutabilia, vt patet in principio Metaph. talia autẽ ſunt contraria, aut media, vt dicitur ibidem ; quæ ergo ſunt vnius contrarietatis, non ſunt tranſmutabilia per ſe in alia alterius contrarietatis ad inuicem ; & per conſequens nec eiuſdem generis. Certum eſt autem quòd qualitates tangibiles non ſunt vnius contrarietatis per Philoſophum ; ergo nec vnius generis Phyſici , & per conſequens nec obiecta ſunt vnius ſenſus particularis. [Vnde Commentator 2. *de Anima, com.* 108. dicit, quòd neceſſe eſt, ſi actus ſit vna virtus, vt modis contrariorum quos comprehendit, ſit vnum ſubiectum eis: ergo prædicatur de eis vniuocè, vt ſonus, &c.]

Tactus nõ eſt vnius generis Phyſici.

Text. 12.16. & 5.Metaph. cap.10.

Qualitates tangibiles nõ ſunt vnius cõtrarietatis.

Non ſunt in MSS.

6. [c] Tertia ratio poteſt eſſe ratio Commentatoris ſuperiùs poſita ; ſed iſta videtur non valere ; eſt enim duplex vniuocatio, vna eſt Logica , ſecundùm quam plura conueniunt in vno conceptu tantùm communi : alia eſt naturalis , ſecundùm quã conueniunt aliqua in vna natura reali. Exemplum, vt in ſpecie atoma, de qua loquitur Philoſophus 7. Phyſ. tex. 24. dicens, *illud eſſe vniuocum ſecundum quod aliqua ſunt comparabilia.* Si intelligat Commentator de prima vniuocatione; minor ſua eſt falſa, quia conueniunt omnes qualitates tangibiles in vno conceptu qualitatis ; ſi de ſecunda, tunc ſua maior eſt falſa , quia plures ſpecies atomæ ſunt ab vno ſenſu ſenſibiles; vt patet de albo, & nigro reſpectu viſus ; poteſt tamen ſua ratio colorari. Quia præter vtramque vniuocationem eſt vna Metaphyſica , ſecundùm quam aliqua vniuntur in genere propinquo; & eſt media inter vtramque; eſt enim minor primâ, & maior ſecundâ , & de iſta veritatem habet ſua maior, vt patet ratione ſuperiùs poſitâ pro iſta parte ante rationem.

Vniuocatio duplex, Logica, & naturalis.

Metaphyſica vniuocatio eſt minor Logica, & naturali maior.

7. Sed contra iſtam maiorem ſic intellectam, adhuc poteſt argui de ſenſu communi, qui eſt vnus, & non eſt tantùm vnius talis generis tanquam obiecti , nec vnius contrarietatis. Sed dicendum quòd aliquid poteſt diuerſificare potentiam inferiorem , quod non poteſt potentiam ſuperiorem, diuerſitate ergo generis propinqui ſenſibilium diuerſificat potentias ſenſitiuas proprias, vel ſaltem concludit earum diuerſitatem , non eſſe diuerſitatem ſenſus communis , qui eſt ſuperior, immò iudicat de obiectis, & actibus ſenſuum particularium.

Minus requiritur ad diuerſificationẽ inferiorum, quã ſuperiorum potentia.

[d] Declaratio ſecundæ concluſionis principalis eſt iſta : potentiæ correſpondent ipſis obiectis: ſicut igitur ſe habent ad inuicem obiecta tactus, quæ ſunt qualitates actiuæ, & paſſiuæ , ita & potentiæ tactiuæ : modò ita eſt , quòd qualitates actiuæ fundantur in paſſiuis, & ſe inuicem concomitantur, ſicut forma in materia fundatur , & ſe concomitatur, quia qualitates actiuæ ſequuntur compoſitum ratione formæ ; & paſſiuæ ratione materiæ : ergo & potentiæ tactiuæ ſe inuicem conſequuntur , & vbicumque, & in quocumque eſt vna , & alia. Probatur ; exemplum de ſapore qui fundatur in qualitatibus tangibilibus, ex quibus cauſatur tanquam qualitas ſecunda ; & ideò guſtus, cuius obiectum eſt ſapor , fundatur in tactu: immò eſt quidam tactus, cauſaliter loquendo, ſicut guſtabile eſt quoddam tangibile.

8. Ad primum igitur in contrarium , dicendum, quòd ſicut ſunt quatuor gradus viuentium , ita ſunt quinque genera potentiarum, quia appetitiuum non conſtituit diſtinctum gradum viuentium à ſenſitiuo ; & vbi ſenſitiuum , & appetitiuum , tamen altera eſt potentia ſenſitiua, & appetitiua , ſicut in propoſito ſunt quinque genera ſenſitiua ; quia iſti duo tactus non conſtituunt diuerſa genera ſenſuum, immò vbi eſt vnus, & alius: ſunt tamen diuerſæ ſpecies tactus, vt probatũ eſt.

Ad primum. Quinque genera potentiarum.

Ad aliud, dicendum eſt, quòd organum non eſt vnum formaliter, ſed tantùm materialiter. Vnde in eodem neruo eſt alia qualitas, ſecundùm quam eſt * diſcretiuus humidi, & ſicci, & alia ſecundùm quam eſt * diſcretiuus frigidi , & calidi, quia tamen ſe inuicem concomitantur iſtæ qualitates, ideò non eſt organum ita diſtinctum, ſicut organa aliorum ſenſuum ; ſicut eſt neruus , vel vena linguæ [e] ſecundùm aliam , & aliam qualitatem

Ad ſecundũ.

** al. diſtinctiuus.*

** al. diſtinctiuus.*

Aliud organum guſtus, aliud tactus in vena linguæ.

eſt

eſt organum guſtus, & tactus; & ſic humor, vel potius per aliam qualitatem eſt guſtabilis, & tangibilis.

9. *Ad tertium.* Ad aliud, dicendum quòd illi tactus ſpecie differunt, ſicut & obiecta formalia. Ad obiectioné dicendum, quòd vnus eſt perſectior alio, id eſt, qui eſt * diſcretiuus perfectioris contrarietatis, ſcilicet calidi, & frigidi. Cùm dicis quòd tam perfectè ſentit vnus obiectum ſuum ſicut alius; dicendum quòd hoc eſt verum ſecundùm æqualitatem proportionis, non autem ſecundùm æqualitatem adæquationis, & perfectionis, quia perfectior eſt immutatio à calido, & frigido, quàm ab humido, & ſicco. Probatur. Exemplum de viſu aquilæ reſpectu Solis, & oculi noctuæ reſpectu obiecti ſibi proportionabilis, vtraque autem viſio eſt æquè proportionabiliter perfecta; ſed abſolutè vna eſt perfectior aliâ.

** al. diſtinctiuus.*

10. *Ad quartum.* Ad aliud, dico quòd ideò tactus facit eſſe animal, quia eſt communior ſenſuum, & eſt fundamentum aliorum ſenſuum, ſicut anima vegetatiua facit corpus eſſe animatum, non quod ſit perfectior, nec quòd ſenſus ſit perfectior; in illa autem qualitate ſenſus conueniunt ambo ſenſus tactus; quia in quocumque animali reperitur vnus, & alius, & in quacumque parte organi; ideò non conſtituunt diuerſa animalia.

Ad quintum. Ad aliud, dicendum quòd non ſufficit contrarietas qualitatis actiuæ, & paſſiuæ, quæ non conueniunt in vno genere naturali, ſed tantùm Logico, ſecundùm autem genus naturale differunt, vt contrarietas tangibilium qualitatum; & ideò non eſt vnum obiectum. Et hæc ſufficiant.

ANNOTATIONES in quæſtionem primam.

CONCLVSIO.

Tactus eſſe duos, ſed vnum tantùm ſenſum conſtituere.

11. R*Eſpondetur quòd ſenſus tactus ſunt realiter duo,* &c. Habetur ex Philoſ. 2. *de Anima, text.* 107. ibi: *Omnis ſenſus vnius contrarietatis eſſe videtur.* Et *text.* 108. *Sed quòd ſit vnum ſubiectum ſicut auditui ſonus, ſic tactui, non manifeſtum eſt.* Sequuntur Auerroës, & Ægidius, ibi, Iandun. *q.* 27. Auicenna *6. nat. part. 2. de tactu.* Diuus Thomas *lect.* 23. Toletus 2. *de Anima, text.* 108. citans pro eodem Albertum, & alios: horum aliqui ponunt plures tactus duobus. Tres rationes Doctoris ſunt ſatis claræ: ſed ſuaſiuæ tantùm, quia hic nulla eſt conuincens pro vna, vel altera parte.

Præter argumenta Doctoris contra concluſionem. Arguitur primò, nō obſtat ratio Ariſtotelis, ſcilicet quòd vnus ſenſus eſt vnius primæ contrarietatis, quia conſtat viſum non tantùm album, & nigrum, ſed pulchrum, & deforme percipere; & auditus non tantùm grauem, & acutum percipit ſonum, ſed etiam magnum, & paruum. Dices alias contrarietates reduci ad primam, ſicut reliqui colores ad album, & nigrum, quorum participatione contrariantur. Contrà: quia olfactus percipit plures odores bonos, & malos, qui tamen ad vnam primā contrarietatē non poſſunt reduci, quia nulla talis eſt. Secundò, idem eſt modus ſenſum immutandi, omnium qualitatum tangibilium, & idem organum ac temperamentū tangendi: ergo vnus tactus. Tertiò, ex Philoſopho 3. *de Anima, c.* 1. ponente quinque tantùm ſenſus. Concluſionem harum rationum, (& quidem probabiliter) tenent Conimb. 2. *de Anima, c.* 11. *q.* 2. Simpl. Philopon. *d. tex.* 108. D. Thomas 1. *p. q.* 78. *art.* 3. *ad* 3. & alij. Sed tenendo ſententiam Doctoris, quam Toletus ſupra tenet eſſe communē, & Ariſtoteli conformē, ſatisfaciendum eſt argumentis factis.

Ad primum, reſpondeo primò, non in illa ſola ratione fundari concluſionem, ſed in aliis quas adducit Doctor. Secundò, benè iam reſponſum eſt. Ad replicam, inter odores etiam more aliorū ſenſibilium, ſunt aliqua primò contraria, etſi innominata nobis. Dices ſimiliter in tactu eſſe aliquā primam contrarietatem innominatam, ad quā illæ duæ, quæ cenſentur primæ, ſcilicet calidum, & frigidum, & humidum & ſiccum, reducuntur, & ſic tactus erit vnus; ſicut viſus, & alij ſenſus. Reſpondetur primò, hoc eſſe contra Philoſophum, cuius authoritas in re non clara magni facienda eſt. Secūdò dico, vbi eſt vna contrarietas prima, & vnus ſenſus, experientiâ conſtat non poſſe elici ſimul duos actus perfectiſſimos; non poteſt enim viſus perfectiſſimè videre ſimul album, & viride, neque olfactus duos odores bonos, vel malos percipere; nam quo perfectiùs vnus ſenſus tendit in vnum ſenſibile, eò remiſſiùs tendit in aliud; cùm ergo tactus perfectiſſimè ſimul eliciat duos actus in frigidum, & ſiccum, vel in horum contraria, dicendum eſt hæc non reduci ad aliam priorem contrarietatem, neque actus illos elici ab vna, ſed à duplici potentia. 12.

In tactu non eſt vna contrarietas prima.

Ad ſecundum, nego eſſe eundem immutandi modum ſpecificum, quoad illas duas contrarietates, ſed benè genericum; idque conſtat ex iam dictis. Nego etiam eſſe idem temperamentum (quidquid ſit de identitate organi materialiter) ſed requiri aliam qualitatem tactiuam reſpectu humidi, & ſicci, & aliam reſpectu frigidi, & calidi, vt in aliis ſenſibus; vt habet Doctor ad ſecundum; quod ſufficit ad differentiam guſtus à tactu, licèt idem ſit organum materiale, vel remotum. 13.

Ad tertium, vide Doctorem ad primum. In Eccleſia ſecundùm fidem, ſunt ſeptem Sacramenta, tamen ordo non eſt vnum ſacramentum ſpecificè, ſed genericè, vt tenet Doctor 4. *diſt.* 24. *quæſt. vnica, num.* 10. Sic etiam tres numerantur virtutes morales, non in ſpecie, ſed in genere. de quo idem Doctor 3. *d.* 36.

Impoſſibile eſt vnum ſenſum habere duos actus perfectiſſimos; hoc enim non conceditur de intellectu. Diuus Thomas 1. *part. quæſt.* 85. *artic.* 4. tenet intellectum noſtrum non poſſe ſimul intelligere plura per modum plurium; ſed tantùm per modum vnius; quia non poteſt cognoſcere niſi per vnam ſpeciem ſimul. Contrà, quia poteſt intellectus ſimul duos homines cognoſcere. Item, plura cognoſcere, faciendo inter ea comparationem. Item, poteſt ſimul album, & nigrum intueri, quod eâdem ſpecie fieri nequit.

Dicendum ergo, licèt intellectus (idem eſt de ſenſibus) non poſſit plures actus perfectiſſimos habere, quia vnus perfectiſſimus potentiæ, cùm ſit limitata, adæquatur; poſſe tamen habere duos, vel fortè plures, non ita perfectos. Ita Doctor 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 10. *ad* 2. *in oppoſit.* & aliàs; neque doctrina allata, quæ eſt Diui Thomæ, congruere videtur ipſi 1. *part. quæſt.* 55. *art.* 2. & 3. tenenti ſupremum Angelum per pauciores ſpecies, vel fortè per vnam cognoſcere omnes quiditates: 14.

Intellectus an ſimul habeat plures actus?

quod latè & efficaciter impugnat Doctor 2. *d.* 3. *q.* 10. Si enim plura per modum plurium cognoſcere nequit, abſolute plures quiditates ſimul cognoſcere nequit, ſed tantùm aliquod vnum, in quo conueniunt.

Vniuocatio triplex. *Tertia ratio poteſt eſſe ratio Commentatoris ſuperiùs poſita; ſed iſta videtur*, &c. Vniuocatio triplex eſt. Phyſica vniuocatio conuenit tantùm naturæ ſpecificæ, quæ à parte rei eſt vna, non vnitate ſingularitatis, vel vniuerſalitatis; ſed media, quæ conuenit naturæ, ſecundùm ſe conſideratæ, de qua vniuocatione agit Philoſophus 7. *Phyſic. text.* 24. & 31. De vnitate media, ſeu minore numericâ latè tradit Doctor 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 4. vbi eam probat ſeptem argumentis. Vniuocatio Metaphyſica eſt natura abſtracta, non adiuncta ſecunda intentione; in hac ſecundùm Philoſophum ſuprà, latent æquiuocationes, ſcilicet vt vniuoco Phyſico comparatur. Vniuocatio Logica conuenit realitati, prout adiungitur intentioni ſecundæ, quà pluribus ſecundum vnum conceptum conueniat. de qua triplici vniuocatione vide Antonium Andream 4. Metaph. quæſt. 1.

15\. *Duo ſpecie tactus, vnum ſenſum conſtituunt.* *Declaratio ſecunda concluſionis*, &c. Etſi ſint verè duo tactus, vt ex adductis patet, dicuntur tamen vnus ſenſus. Hæc eſt ſecunda concluſio, quam formaliter non poſuit, quia vbi eſt qualitas ſenſitiua calidi, & frigidi, ibidem eſt qualitas ſenſitiua ſicci, & humidi; & ſic cenſentur vnus ſenſus; eâdem ratione guſtus non cenſeretur ſenſus diſtinctus à tactu, ſi vbique ipſi intimè aſſiſteret.

Guſtus, & tactus, duo ſenſus. *Vena lingua ſecundùm aliam, & aliam qualitatem eſt organum guſtus, & tactus.* Obiicies ex Philoſopho 2. *de Anima, cap.* 10. dicit quòd *guſtus eſt quidam tactus*. Reſpondetur, ita eſſe ſuppoſitiuè, quia guſtatio fit per tactum ad guſtabile; differunt tamen realiter tactio, & guſtatio. Quòd verò per aliam, & aliam qualitatem tenditur in guſtabile, & tangibile, patet; quia contingit tangibile: verbi gratiâ, calidum, perfectè ſentiri, quando quà dulce, non ſentitur, vel quando ſentitur vt amarum, vt in febricitante. Ex quo colligitur non eandem qualitatem, vel temperamentum vtrique competere, de quo poſtea.

16\. *Quatuor ſunt viuentiũ gradus, & quinque potentiæ.* *Ad primum*, &c. *Sicut ſunt quatuor gradus viuentium*, &c. Viuentia ex diuerſis viuendi modis diſtinguuntur. hi autem ex diuerſa vitæ perfectione, quæ quadruplex eſt, vegetatiua, ſenſitiua, locomotiua, intellectiua; & hæc ſe habent ſicut ſuperiora, & inferiora, quia priora ſine poſterioribus reperiuntur, non è contra: verbi gratiâ, vegetatiua ſine cæteris tribus; ſenſitiuà ſine locomotiua progreſſionis, vt in piſcibus ſaxis adhærentibus; de quo vide Ariſtotelem 2. *de Anima, cap.* 2. Vis appetitiua non conſtituit diuerſum vitæ gradum à ſenſitiuo; ſi tamen viuens ſumatur non ab operatione, ſed à vita ſubſtantiali, triplex tantùm eſt, ſicut & triplex anima. Quòd verò quinque ſint potentiæ, docet Ariſtoteles 2. *de Anima, cap.* 3. & Diuus Thomas 1. *part. quæſt.* 78. *art.* 1. Colligit ſic ex obiectis, vegetatiuam, ſenſitiuam, locomotiuam, appetitiuam, intellectiuam. Prima agit in obiectum internum, vt in digeſtione, & conuerſione alimenti: cæteræ in externum obiectum; & ſi habetur intrà imago eius corporea, erit ſenſitiua: ſi ſpiritualis, intellectiua: ſi tendatur in ipſum, vt in finem; erit appetitiua: ſi vt in terminum motus, locomotiua. Generatiua reducitur ad vegetatiuam, quia verſatur circa ſemen, quod fit ex alimento ſuperfluo, cui imprimit vim formatricem. Non eſt duplex appetitiua, ſicut eſt cognitiua duplex, ſenſitiua, & intellectiua: quia in appetitu nihil recipitur, quo modus tendendi diuerſificetur; ſecus eſt in ſenſu, & intellectu, vt dictum eſt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm caro ſit organum tactus?

Ariſt. 2. *de Anima, c.* 11. *text.* 109. & *lib.* 1. *de hiſt. animal. c.* 4. & *lib. de partib. animal. c.* 1. & 3. Themiſt. *in Paraphr. c.* 39. & 40. Simpl. *text.* 116. Gal. *lib.* 1. *de vſu partium, cap.* 16. & 18 & *lib.* 5 *c.* 9 & *lib.* 12. *c.* 2 & *lib.* 2. *de temperam.* Auerr. *com.* 18 & *lib* 2. *de partib animal. c.* 1. & 8. Philop *ad text.* 124. Aphrodiſæus *lib.* 2. *de Anima, c. de contactu* D. Thom. 2. *de Anima, lect.* 32. Alb Mag. 2. *de Anima, c* 31. Feinelius *lib. de anim facult. c.* 6. Veſalius *lib.* 6. *c.* 17. Ægid. *text.* 108. *dub* 2. Suar. *lib.* 3. *de Anima, c.* 27. Zimara, & Dandinus 2. *de Anima, circa c.* 11. Conimb. *ibid. q* 1.

VIDETVR quòd ſic, ſecundùm Philoſophum 2. *de Part. animal. cap.* 8. dicit enim quòd caro eſt inſtrumentum tactus, ſicut pupilla viſus; pupilla autem eſt organum viſus: ideò, &c. 1. Vide eũ ibi, cap 1. & 1 de hiſt. Anim. c. 3. 4. & 2. de Part Anim. c. 18. & 10.

Præterea, caro animalis eſt animata: aut igitur anima organica, aut non organica; non poteſt dici quòd anima non organica; quia huiuſmodi eſt intellectiua tantùm; multa autem ſunt animalia habentia carnem animatam ſine anima intellectiua: ergo anima organica; & per conſequens eſt pars organica animalis.

Præterea, vbi eſt ſenſus tactus, ibi eſt organum tactus; ſed non in omni parte animalis, in qua eſt ſenſus tactus, ibi eſt neruus, & ibi tamen eſt caro; ergo caro magis eſt organum tactus, quàm neruus. Probatio minoris; in capite eſt tactus, & non neruus. Præterea aliqua ſunt animalia, quæ non habent neruos, vt piſces; tamen habent ſenſum tactus: ergo, &c.

In oppoſitum eſt Commentator, dicens quòd organum tactus eſt neruus coextenſus toti corpori, & non caro; ſed eſt medium in tangendo. Hoc etiam probat Philoſophus in propoſito; quia ſenſibile poſitum ſuper ſenſum non facit ſenſationem; ſed poſitum tangibile ſupra carnem facit ſenſationem: ergo, &c.

RESOLVTIO.

Organum tactus non eſſe carnem puram, ſed neruum, vel carnem neruoſam.

a AD iſtam quæſtionem dicendum, quòd caro non eſt organum tactus, ſed aliquid intra carnem, vel neruum, vel aliquid loco nerui extenſum corpori. Probatio concluſionis: 2.

Quia oportet organum ſenſuum particularium continuari organo ſenſus communis: quia ſenſus communis habet iudicare de ſpeciebus receptis in organis ſenſuum particularium: caro autem non continuatur organo ſenſus communis, quod eſt in cerebro, vel in corde, immo nerui, vel venæ deriuatæ à corde, ſecundùm Philoſophum, vel cerebro, ſecundùm Medicos, continuant organa ſenſuum particularium organo ſenſus communis, & ipſi nerui, vel venæ ei continuantur: ergo, &c.

Præterea,

Præterea, quædam ſunt virtutes naturales, quædam animales. Naturales benè fundantur in carne, quæ eſt corpus mixtum, in quo ſunt qualitates actiuæ & paſſiuæ, ſaltem virtute. Virtutes autem animales fundantur in neruis & venis; ſed virtus tactiua eſt virtus animalis; ergo, &c.

Vlteriùs eſt ſciendum, quòd eſt quædam caro neruoſa, quædam pura; neruoſa autem non tantùm eſt medium, ſed etiam organum. Illi autem nerui coextenduntur toti carni animalis; non quia ſint in qualibet parte carnis, quantumcunque iuncta nerui, ita quòd non ſit caro pura in animali; ſed quia iuxta, vel propè quamlibet partem carnis, ſunt aliqui ramuſculi neruorum, qui extenduntur per totum corpus ad modum retis: & hoc patet in folio arboris ad ſenſum, *Per illos autem ramuſculos, vel neruos deriuantur teſtina à corde, vel cerebro per totum corpus*. Caro autem pura eſt tantùm medium in tangendo, vt probat Philoſophus 2. *de Anima, text.* 116. neceſſitas autem ponendi ſenſum tactus, vel organum eſſe coëxtenſum toti corpori, eſt, quia qualitates tangibiles poſſunt agere in quamlibet partem corporis, cùm quælibet pars ſit mixta ex quatuor elementis, in qua reducuntur ad medium; & per conſequens eſt in potentia ad receptionem, & paſſionem naturalem ab excellentiis ſenſibilium qualitatum. Si ergo in vna parte non eſſet organum tactus diſcretiuum huiuſmodi excellentiarum, tunc illa pars citò poſſet corrumpi ab eis, & ſimiliter alia, in qua eſſet organum. Ad
3. cognoſcendum ergo conuenientia ad conſeruationem animalis, & fugiendum nociua, eſt organum tactus ita extenſum, & etiam intrinſecum propter eandem cauſam, ne de facili corrumpatur ab excellenti tangibili.

Vide Ariſt. 1. de hiſt. anim. cap. 4.

Ad primum. Ad primum, dicendum quòd, vt dicit Commentator, Ariſtoteles tunc neſciuit naturam neruorum, poſtea autem inquiſiuit & probauit 2. *de Anima, text.* 109. carnem non eſſe organum: tamen poteſt curialiùs dici excuſando Philoſophum, quòd non contradixit ſibi, quia ſtatim pòſt *in lib. de Animalibus*, ſubdit, quòd caro non eſt primum organum ſicut nec pupilla eſt primum organum viſus, ſed pupilla non eſt primum organum viſus, immò eſt interiùs; eſt tamen aliqualiter inſtrumentum: ita etiam caro eſt inſtrumentum, ſcilicet ſicut medium. Vel poteſt dici quòd intellexit de carne neruoſa, quæ non tantùm eſt medium, ſed organum.

Ad ſecundum. Ad ſecundum, dicendum quòd caro animalis eſt animata animâ vegetatiuâ immediatè, ſenſibili autem animâ mediante neruo toti carni coextenſo, & interiùs exiſtente.

4. *Ad tertium.* Ad aliud, quòd vbicunque eſt tactus in animali, ibi eſt neruus in ratione organi, non autem requiritur quòd ſit ibi neruus formaliter in qualibet parte carnis; ſed ſufficit quòd ſit iuxta, vel propè realiter, vel virtualiter; & ſic eſt in qualibet parte virtualiter, quia virtute nerui propè exiſtentis quælibet pars poteſt ſentire tangibile.

Ad quartum. Ad propoſitionem, dicitur quòd in piſcibus eſt aliquid proportionale neruis, & hoc ſufficit.

ANNOTATIONES ad quæſtionem ſecundam.

AD *iſtam quæſtionem dicendum, quòd caro non eſt organum, ſed neruus*, &c. Circa hanc concluſionem variæ ſunt ſententiæ: quidam tenent cor eſſe organum tactus. Themiſtius *cap.* 40. Simplicius *text.* 116. fauet Ariſtot. *de Senect. cap.* 2. *& de Senſu, cap.* 2. Alij volunt eſſe carnem, & cutem, Auerroës 2. *de Part. animal. cap.* 1. *&* 8. Philupon. *ad text.* 124. Suar. *lib.* 3. *de Anim. cap.* 27. *citans alios.* Sed concluſio Doctoris communis eſt, quam tenent Galen. *lib.* 1. *de Vſu partium, cap.* 16. *&* 18. *& lib.* 5. *cap.* 9. Albert. *hic tr.* 3. *cap.* 31. 34. D. Thom. 2. *de Anim. lect.* 32. Conimb. 2. *de Anim. cap.* 11. *quæſt.* 1. *vbi citant alios.* Satis probatur, & explicatur à Doctore, & eſt expreſsè Ariſtotelis *ibi text.* 109. vbi ponit carnem medium, & neruum organum.

Organum tactûs neruus.

5. Quatuor argumenta; quæ adducit Suar. contra hanc concluſionem, facilè ſoluuntur ex iis, quæ habet Doctor, neque multum differunt ab iis, quæ ipſe contra ſe adducit: ideò ea non ſoluo ſeorſim. Conimbr. vtramque ſententiam conciliant, neque Doctor omnino negat carnem ſentire aliquo modo, ſed ad 3. ait, *Virtute nerui propè exiſtentis poteſt qualibet pars ſentire tangibile.* Quibus verbis admittit aliquo modo carnem ſentire. Prima autem ſententia omni caret fundamento, quia experientiâ conſtat, non tantùm in corde, ſed in omni parte corporis tactum ineſſe. Quando ergo Ariſtoteles viſus eſt illi ſententiæ fauiſſe, tantùm voluit peculiariter tactum correſpondere cordi, quia eſt neceſſarius ad vitam, & fundamentum aliorum ſenſuum, & vnà cum corde perit: vel voluit tactum in corde maximè vigere.

Caro quomodo dicitur ſentire.

Per illos autem ramuſculos, vel neruos deriuantur teſtina à corde, vel cerebro per totum corpus. Quidam exponunt Ariſtotelem ideò dixiſſe tactum eſſe in corde, quia à corde nerui deriuantur: ſed Conimbr. multis probant 1. *de Ortu, & Interitu*, à cerebro deriuari: ſed quia ab hac quæſtione abſtinuit Doctor, neque ad rem multum facit, eam pertranſeo. Verius tamen puto à cerebro deriuari; quia ex diſſectione, conſtat ex cerebro deſcendere, vel ex ſpinali medulla, quæ ſoboles eſt cerebri, è qua velut rami ex arbore, hinc inde diſperguntur, & quo à cerebro, vel medulla longiùs abeunt, eo tenuiores ſunt. Item, obſtructo cerebro, efficitur quis ſenſus & motus expers, & remedia tunc applicantur, non cordi, ſed cerebro.

A cerebro nerui deriuantur.

Ad ſecundum, *Caro animalis eſt animata anima ſenſitiua mediante neruo*, &c. Conſequenter ad 6.
concluſionem quæſtionis, negat carnem habere animam ſenſitiuam, habet tamen vegetatiuam, qualem habent dentes & oſſa; quia nutriuntur, vt tenet Phil. 2. *de Gener. animal. cap.* 4. *& de Part. cap.* 6. Sed in homine caro, ſicut & reliquæ partes ad veritatem naturæ ſpectantes, animâ rationali informantur; quia in eo non eſt diſtinctio vegetatiuæ à ſenſitiua & rationali.

Dentes & oſſa viuunt, non ſentiunt.

In piſcibus eſt aliquid proportionale neruis, quod ſufficit. Conſtat dum ſecantur piſces, apparere ramuſculos à ſpinali medulla prodeuntes per totam carnem diſperſos, quos neruos dici, & eſſe, vix dubium eſt, ſaltem ſunt aliquid neruis proportione correſpondens. Sic Phil. 1. *de Hiſtor. animal. cap.* 4. ait, *quòd in aliis eſt ſanguis, & vena, in aliis quòd his proportione reſpondeat.* Sed cùm de hac re dubitaſſem, occurrit locus Ariſtotelis 3. *de Hiſt. animal. cap.* 5. vbi expreſsè tribuit neruos propriè ſumptos, piſcibus: *Sunt* (inquit) *quæ nullos habent articulos, priuatáque pedibus, & manibus ſunt, iis pertenues incertique haben*

Piſces habent veros neruos.

habentur (nerui) *quapropter in piscibus, qui iuxta pinnas positi sunt, y præcipuè veniunt in conspectum.* Vbi non negat neruos in reliquis partibus piscium, sed quòd non ita apparent ad oculum, sicut iuxta pinnas.

Soluuntur argumenta contra conclusionem principalem.

7. Obiicitur contra conclusionem quæstionis; quia experientià constat carnem, & cutem sentire, si pungantur. Respondetur cum Phil. 2. *de Anim. cap.* 11. & Scoto hîc ad tertium, id fieri per neruum, esto non sit immediatus tangenti. Obiicitur secundò, in stomacho, & venis fit tactus vbi nulli sunt nerui. Respondetur esse aliquas fibras neruis proportionatas; idque ad oculum patet in stomacho. Obiicitur tertiò tactus datus est animalibus, vt se tueantur à nociuis, vt ait hîc Doctor *num.* 3. ergo in omnibus partibus corporis est, & non tantùm in neruo. Respondetur neruos, vel eorum ramusculos, per omnes particulas corporis diffundi, quod sufficit. Obiicitur quartò ex Arist. 1. *de Hist. anim. cap.* 4. & 2. *de Part. cap.* 1. 5. 8. vbi dicit carnem esse organum. Neque dici potest cum Commentatore quòd tunc non nouit naturam neruorum, quam exactè indaganti tractans de anima, quia post libros de Anima scripsit de animalibus, vt patet ex ordine operum eius. Respondetur dupliciter ex Scoto ad primum. Hîc adde, esto quòd scripserit Aristoteles de animalibus post libros de Anima, tamen magis standum est iis, quæ in hac re habet de anima, vbi ex professo examinat, quàm de animalibus, vbi tantùm refert, vel non examinat. Adde etiam quòd *de Part. anim. cap.* 10. dicit carnem non esse sensorium tactus; ergo in illis libris non est sibi constans, sed concordat cum Scoto *ad* 1.

Nerui per om. es corporis partes sparsi.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ad tactum requiratur medium extrinsecum, & in quo fiat?

Aristot. 2. *de Anima, text.* 113. Auicenna 6. *Metaph. cap.* 3. Auerroes 2. *de Anima comm.* 113. Philop. Simplic. Themist. circa *text.* 113. S. Thom. Suessanus & vterque Caiet. ibid Albert. Magn. *eodem tract* 3. *cap* 32 Dandinus *digressione* 56. Prouenzalis *p.* 2. *de sensib c.* 51 Iandun. 2. *de Anim. q.* 28. Conimb. *ibid. cap.* 11. *q.* 1. *art.* 2. Auersa *de Anim. q.* 54. *sect.* 15.

1. VIDETVR quòd non: medium debet esse denudatum à sensibilibus illius sensus, cuius est medium, vt patet inductiuè; aër, vel aqua, quæ sunt media extrinseca, non sunt denudata à qualitatibus tangibilibus; ergo, &c.

Præterea, si qualitas tangibilis potest immediatè sentiri sine medio extrinseco, illud non requiritur; sed in hyeme sentimus aëris frigiditatem immediatè sine alio corpore, quòd sit medium, vel obiectum; ergo, &c.

Præterea, *Contigua sunt, quorum vltima sunt simul*; sed tangens, & tactum sunt contigua; ergo eorum vltima sunt simul: quorum autem vltima sunt simul, eorum non est aliquod medium extrinsecum, quia eorum vltima sunt in eodem loco primo; ergo, &c.

Præterea, quæcumque potentia immutatur à sensibili mediante alio, priùs immutatur à medio extrinseco, quàm ab obiecto; quia medium est ei propinquius; sed tactus non priùs immutatur à medio extrinseco, quàm ab obiecto, sed simul; ergo, &c.

In oppositum est Philosophus, & Commentator. Ratio Commentatoris est; quia animal viuens in aëre non patitur ab aëre; vel viuens in aqua non patitur ab aqua. Cuius ratio est, quia passio naturalis est à contrario: locus autem non est contrarius, sed conformis locato; quare, &c. Vlteriùs dicit, quòd si sentirentur talia media, hoc non esset vt pura sunt, sed propter admixtionem alicuius vaporis, vel alicuius corporis cum ipsis.

2. Contra consequentiam primæ rationis arguitur sic: Corpora nostra non habent locum naturalem, nisi ratione elementi dominantis; sed quando vnum elementum locatur ab alio, alteratur ab eo: elementa enim alterant se secundùm suas extremitates, secundùm quas se inuicem locant; ergo non obstante locatione talium corporum, adhuc poterit animal pati ab eis.

Præterea, quod est in potentia tale, patitur ab eo, quòd est actu tale; corpora nostra sunt in potentia ad excellentias qualitatum tangibilium; cùm sint ad medium reducta & temperata; ergo, &c.

Contra secundum sic: generatio potest fieri cum mixtione in simplicibus; sed generatio requirit alterationem; ergo potest fieri alteratio in aqua, & ab aqua sine admixtione alterius corporis. Præterea, aut aqua calefacta est aqua pura, aut quid mixtum; si pura, ergo non requiritur ad suam alterationem aliquod corpus sibi admixtum; sed ipsamet poterit alterari; & per consequens alterare sensum, sicut mixtum; ergo in æstate quando est aqua calefacta, & in hyeme quando aër est frigefactus, non sunt elementa pura in regionibus nostris. Præterea, sequeretur quòd qualitates tangibiles non sunt corporum simplicium, sed mixtorum tantùm.

Præterea, secundùm ipsum; si esset vacuum ibi, posset esse motus animalis progressiuus: ergo pes tangeret terram, & eius frigiditatem; non autem aërem, vel aquam: ergo potest elementum simplex immutare tactum.

RESOLVTIO.

Qualitas inhærens potest sentiri sine medio extrinseco; & idem est de qualibet adhærente, si sit in corpore fluido, vt in aqua, vel aëre: secus si in corpore non fluido, modò sit humidum; si autem siccum sit, immediatè sentitur.

a RESPONDEO ergo, quòd tactus potest comparari ad qualitatem aliquam inhærentem accidentalem, vel adhærentem, id est, non in proprio subiecto, vel in alio sibi opposito: primo modo potest fieri tactus sine corpore extrinseco medio, sicut patet de dolore apostematis, qui sentitur valde vehementer, non autem nisi per tactum, vt patet inductiuè. Loquendo autem de qualitate adhærente quodammodò sentitur immediatè sine corpore medio, alio à corpore cui adhæret, immediatè tangente; sicut patet de qualitate existente in corpore non terminato, sed fluido; vt est aër, vel aqua, quorum qualitates 3.

Potest fieri tactus sine medio extrinseco.

imme

immediatè tanguntur ſine corpore medio alio à corporibus ſubiectis. Si autem qualitas adhærens ſit in corpore terminato non fluido; aut extrema tangentis, & tacti, ſunt homida, vel ſicca: ſi humida, tunc ſentitur qualitas illius corporis mediante alio corpore, ſcilicet ſobiecto humiditatis illius, ſiue ſit aër, ſiue ſit aqua: ſi autem extrema ſunt ſicca, tunc immediatè ſentitur quòd extrema ſint ſicca. Poteſt etiam eſſe vel propter caliditatem corporum ſe tangentium conſumentem humiditatem corporum circomſtantem, vel propter fortem applicationem eorum ad inuicem eam violenter expellentem.

4. Ad argumenta Commentatoris. Ad primum, dicendum quòd elementa poſſuot conſiderari ſecundùm ſuas qualitates actiuas, & paſſiuas; & ſic non ſunt ſimilia, ſed contraria, ſe inuicem alterantia, vel ſecundùm quòd vnum locat, & continet aliquid, & ſecundùm quòd ſunt partes vniuerſi.

Ad aliod, dicendum qoòd aqua pora poteſt calefieri: cuius oppoſitum dicit, licèt ignis non poſſit infrigidari, qoia ignis inter elementa eſt maximè actiuus. Calor reſpectu aliarum qualitatum habet rationem formæ, vt dicitur *quarto Meteorórum*: & ideò eſt minimè paſſiuos, non ſic autem aqoa, quæ eſt materialior.

Ad primum & ſecundum. *Ad primum principale in oppoſitum dicendum*, quòd medium debet eſſe denudatum à qoalitatibus tangibilibos omoino, vel ſecundùm ſuas excellentias. Ita ſe habent iſta, aër & aqua, inquantum ſunt media. Si enim baberent aliquam qualitatem in magna excellentia, tunc magis ſentirentur quàm aliqua per ipſa. Immò impediſent ſentiri alia; ſicut patet de aqoa coogelata, vel valde calefacta; & aëre valde frigido.

Ad tertium. Ad aliud, dicendum quòd ſi dno corpora ſe tangentia ſint ſicca in vltimis, tangunt ſe ſine medio, & ſunt contigua, & eorum vltima ſunt ſimol: ſi autem humida ſunt, eorum vltima non tangont ſe immediatè, ſed mediante corpore humido.

5. *Ad quartū.* *Ad aliud, dicendum quòd aliquid* poteſt eſſe priùs alio, vel cauſalitate, vel tempore, vel ſitu: ita dico quòd potentia priùs immutetur per medium extrinſecum, quàm organum poteſt eſſe verum: & hoc ſecundùm ſitum, & ſecundùm cauſalitatem in aliis ſenſibus à tactu, ſicut in viſu. Immutator enim priùs medium à ſenſibili ſecundùm ſitum, qoia eſt ei propinquius; & ſecundùm cauſalitatem, quia immutatio medij eſt cauſa immutationis organi, licèt non priùs tempore; quia viſio ſit in inſtanti. In audito etiam eſt prior immutatio & cauſalitate, & ſitu, & tempore; & in aliqua ſui parte, ſcilicet in remota ab organo: quia ſonus ſe multiplicat mediante motu locali: ſicut etiam in olfactu, & guſtu: in quo guſtu medij extrinſeci immutatio eſt caoſa immutationis organi, licèt ſimul tempore immutetur ſaliua, quæ eſt medium extrinſecum, & organum: ſed in tactu medium extrinſecum priùs quidem ſitu immutatur; quia eſt propinquius, non tamen priùs tempore, ſed ſimul tempore, percutitur clypeus, & clypeatus, non autem ſimul cauſalitate; (nam clypeus percuſſus percutit clypeatum:) nec aër vel aqua in quantum ſunt media extrinſeca immutant organum tactus, licèt benè immutent in quantum obiecta; & hoc ideò, quia medium extrinſecum in tactu eſt accidentaliter requiſitum, propter hoc

In quatuor ſenſibus priùs immutatur mediū quàm organum.

qoòd non poteſt animal viuere ſine eis. nec tactus eſt niſi in aëre, vel aqua modo prædicto; non quia de neceſſitate tangat per aërem, & aquam, tanquam per medium eſſentialiter reqoiſitum, ſicut caro, vel ſicut requiritur ad alios ſenſus: immò magis ſenſibiliter tangerentur ſenſibilia extrinſeca ſine talibos mediis, quam in ipſis. Licèt ergo non priùs tempore, vel cauſalitate immutetur potentia tactiua à medio extrinſeco, quàm ab obiecto, priùs tamen ſecundùm ſitum immutatur, & hoc ſufficit ad tale mediom.

ANNOTATIONES
in quæſtionem tertiam.

RE*ſpondeo ergo, tactus*, &c. *Qualitas inhærens ſentitur immediatè*, &c. Non intẽdit organum tactus ſentire qualitatẽ, verbi gratiâ, calorem ſibi, ſed parti vicinæ inhærentem. Primò, quia allj ſenſus non ſentiunt qualitates ſibi inhærentes; non enim ſentit lingua ſapida ſuom ſaporem. Secundò, tactus maiorem calorem ſentit quàm ſibi inhærentem: ergo non ſentit inhærentem; qoia hunc ſolum ſentiret. Antecedens patet in mano applicata igoi, quæ ſentit intenſum calorem, & amoto igne ſtatim ſentire deſinit; igitur non erat calor inhærens, quem ſentiebat. Tertiò, tactus ſentit duritiem, & mollitiem, quas conſtat non ſibi, ſed rei tactæ inhærere. Quòd verò hæc ſit mens Scoti, patet ex adducto exemplo de apoſtematis dolore, quem ſentit tactus, nempe exiſtens in parte vicina partis infectæ, cui inhæret nociua qoalitas. 6.

Manus congelata igni applicata minùs calefit, & maximè dolet.

Obiicies: dum obiicimur Soli, ſentimus calorem, non calefacientiſs, quia nullus eſt in Sole; ergo nobis inhærentem. Reſpondetur, nos ſentire calorem aëris, & exhalationum, & ſanguinis calefacti. Contrà, ponamus aliquem immediatè Soli applicari, ſentiet calorem, & nun à cauſis relatis, nec à Sole. Reſpoodetur ſentire calorem virtualem, quatenus Sol producit in eo ſpecies intentionales caloris; & impertinens eſt ad ſenſationem, quòd realem, vel materialem calorem producat; poſſet enim mors ſequi ex ſola operatione intentionali ſenſibilis, vt habet Doctor 4. *diſt.* 44. *quaſt.* 3. *num.* 3. vbi tenet vt probabilius, ignem inferni tantùm intentionaliter acturum in corpora damnandorum. de quo poſtea.

Corpus Soli applicatum vnde ſentiat calorem.

Præterea, ſanguis tunc calefieret, cuius calorem nerui vndique per corpus diſperſi, ſtatim ſentirent. 7.

Obiicies ſecundò; calor in organo poteſt in alio ſubiecto eiuſdem rationis ſpecies intentionales producere: ergo & in ſuo organo. Nego conſequentiam, quia ſicut non poteſt realiter ſuum ſubiectum, benè tamen aliud eiuſdem rationis alterare: ita dicendum de actione intentionali; eſt enim concomitantia inter has actiones, vt vna non poſſit eſſe vbi naturaliter nequeat eſſe altera; verùm non ſe concomitantur ſecundùm proportionem graduum, immò contingit intenſam eſſe actionem, vbi realis eſt remiſſa, vt habet Doctor ſuprà: verbi gratiâ, quando manus intensè frigida applicatur igni, ibi eſt intenſus dolor; & tamen remiſſus calor, propter excellentiam frigoris: quia contraria à contrariis magis ſentiuntur, inquit Ariſtoteles *in Problem. ſect.* 3. *q.* 8.

Actio naturalis & intentionalis non ſe comitātur ſecundùm graduū.

Obiicies tertiò, contra id quod ait Doctor, dolorem apostematis sentiri à tactu; quia dolor, & voluptas sunt appetitus actiones, vel passiones; & hoc secundum tenet ipse Doctor 4. *dist.*44. *quæst.* 3. vide ipsum *quæst.*2. *n.*5. Respondetur de causa doloris non conuenitur. Galen. 12. *Methodi*, *cap.* 7. ait esse notabilem mutationem primarum qualitatum, vel diuisionum continui. Alij dissolutionem temperamenti. Alij hanc cum diuisione continui: tactus autem sentit primas qualitates, & etiam diuisionem continui, seu motus localis, licèt non vt sensibile proprium, sed vt commune: phantasia apprehendit ex tali tactu inconueniens, circa quòd appetitus habet nolitionem, quâ positâ, causatur in appetitu dolor, quem Doctor vocat passionem, quia non est liberum eo carere, posito nociuo: vel potiùs, quia appetitus passiuè se habet ad eam, est tamen qualitas. Si quæras quænam est eius immediata causa; puto esse nolitionem disconuenientis iam positi in *esse*, quæ eum causat sicut actus habitum, de quo infrà *ad quæst.* 11. *num.*8. vide *Schol.nostrum* 3.*dist.*15.*n.*8.*&* 12.*&* 4.*dist.*44. *quæst.*1. Eatenus dicit Scotus tactum sentire dolorem, quatenus sentit eius causam. Locutio igitur est causalis, seu virtualis, non formalis, quando dicit tactum sentire dolorem.

8. Obiicies quartò, contra id quod ait tactum sentire tangibilia immediata sibi, quia sensibile positum super sensum impedit sensationem, 2. *de Anim. text.*15. 98. 116. Respondetur ad hoc, *q. seq.*

Ad primum, medium debet esse denudatum à qualitate tangibili. Non est sensus, quòd non sit capax illius qualitatis secundùm *esse* reale, sed tantùm secundùm *esse* intentionale, eo modo quo organum visus non possit recipere colorem secundùm esse materiale; sed tantùm intentionale, *ex* 2. *de Anim. text.* 126. *de quo* Scot. 2. *dist.*3. *quæst* 8. *ad* 3. *num.*16. Constat enim experientiâ, aërem, quo mediante sentio calorem ignis, esse calidum. Sensus est ergo; medium quà tale, carere qualitate tangibili; & si habet eam, obiectum est censendum non medium.

Medium an caret qualitate tãgibili.

Ad quartum; in visu simul mutantur medium, & organum. Ratio, quia translatio speciei visibilis non habet contrarium, nec fit per motum localem; & sic simul tempore in propinquum & remotum diffunditur; sicut Sol simul partes propinquas, & remotas medij illuminat; at non simul mutatur medium & organum auditus, & olfactus; quia interuenit in his motio localis: causatur enim sonus realis per impetuosam medij motionem. Vnde experientiâ constat sonum priùs audiri à propinquioribus, quàm à remotioribus. An verò sine reali medij excitatione, mittat species, postea dicetur. Similiter euaporatio, seu substantia fumea deferens odorem, habet secum comitem motum localem. An verò ad sensationes horum sensuum, requiratur necessariò medium extrinsecum, dicetur quæstione sequenti.

Medium, & organũ visus simul mutantur, nõ sic de auditu & olfactu.

9. Circa id quòd Doctor ait, *num* 4. *in corpore quæstionis*, tactum sentire corpora fluida immediatè. Item corpora consistentia sicca, non tamen consistentia humecta, non conuenit inter Doctores D. Thom. *in text.* 115. Caiet. & alij tenent ad corpora dura tangenda, requiri medium. Auerroës *comm.* 115. quem sequitur Iandun. vniuersaliter ad omnem tactum requirunt medium; quia verò hæc sententia videtur expresè contra experientiam de tactu aquæ, & aëris. Respondetur quòd aër in sua naturali dispositione non agit in nos, quia est locus noster naturalis; nec sentitur, & talis est semper nobis immediatus. Idem aiunt de aqua respectu aquatilium: quando ergo aër calefacit, vel infrigidat, ille non est naturalis, sed aliis corporibus vt exhalationi, aut vapori mixtus; & sic sentitur, non tamen immediatè, quia aliqua pars aëris naturalis mediat.

Dura & sicca sine medio tanguntur.

Contra hæc: & primò contra secundum, ponantur pisces in aëre, certum est quòd aget in eos, nullâ aquà mediâ; quia non est ipsorum locus naturalis. Secundò, etiam locus naturalis agit in locatum, vt elementum vnum in aliud contentum. Tertiò, elementum in sua naturali dispositione habet qualitates actiuas excedentes eas, quæ sunt in mixtis; ergo agit in ea. Quartò, falsum est, quando elementum est extra suam naturalem dispositionem, habere semper corpora alia sibi mixta; quia Sol calefacit aërem, & aquam, nullo alio corpore eis mixto.

Locus naturalis agit in locatum.

Contra primum, nempe ad dura tangenda requiri semper medium; quia sequeretur quòd gladius abscinderet alicui caput, aëre semper medio inter ipsum, & collum; & sic aër esset immediatum instrumentum. Secundò, ingentes lapides sustentarentur in aëre, quia non tangerentur in aëre, quia non tangerent immediatè terram. Tertiò, ferrum ignitum suppositum carni, illam vrit nullo medio aëre. 10.

Dicendum ergo cum Doctore, corpora solida sicca se tangere immediatè; etsi non secundùm se tota; & hoc secundùm tantùm voluit Aristoteles *text.* 113. Et ratio est, quia regulariter sunt inæqualia; at verò si corpora solida sint humida, immediatè non se tangunt, vt ex Phil. iam citato, tenet Doctor; & experientia testatur. Caiet. dat friuolas solutiones ad rationes allatas. Ad primam, admittit aërem esse medium, tamen gladium ait esse immediatum instrumentum abscissionis. Contrà, id quod immediatè separat partes continui, occupans locum inter eas, est immediatum scissionis instrumentum. Ad secundam, admittit modicum aërem sustinere ingens suppositum saxum, virtute vniuersalis naturæ. Contrà, mera chimæra est hoc dicere, cùm nec ratio, nec experientia faueat, sed vtrumque sit in oppositum.

Aërem sustinere ingens suppositũ saxum, fictitium.

11. Dicimus meritò, grauia ascendere sursum, & leuia deorsum, ne detur vacuum; quia experientiâ id constat: at hîc nulla experientia est. Præterea, applicetur ignis illi aëri intermedio, & corrumpetur, nisi fingas incorruptibilem esse. Sed obiicitur ex Caiet. Si duo corpora secundùm superficiem se tangerent immediatè, & alterum tolleretur; aut aër circumstans immediatè repleret totum spatium inter illa, & daretur motus in instanti; aut non repleret, & esset vacuum. Respondetur, naturaliter vnum non posse secundùm omnes partes simul seiungi ab altero, sed benè successiuè, quod sufficit: & sic successiuè potest vnum planum supponi alteri, & illud tangere immediatè.

Qvæstio IV.

Vtrùm sensibile positum super sensum, vel organum sensus, sentiatur?

Aristoteles *lib.2.de Anima.cap.6 text.75. & cap.8. text.98.* Sanctus Thomas *ibid. lect.* 15. Albertus Magnus 2.*parte summa de Homine,quæst.de tactu.* Ægidius 2.*de Anima,in cap* 11.*& lib.2.Hexameron,cap.* 12. Vterque Caietanus 2. *de Anima,in cap* 11.Iandun.*ibid quæst.*29. Iauellus *quæst.* 50 Apollin.*quæst* 34.Ferrar.*quæst.*19. Toletus 3 *de Anima,cap.*12.*quæst.*2.Conimbr.2.*de Anima,cap.*11.*quæst.*3. Rubius 3.*de Anima, cap.* 1. *quæst.* 3. Complutenses *disp.* 9.*de Anima.quæst.*3.

1\. Vinetvr quòd sic: quia cultellus scindens neruum causat maximum dolorem, maiorem, quàm si scinderet carnem: neruus autem est organum tactus, qui sentit dolorem;ergo,&c.

Præterea, aliquis humor potabilis positus super medium gustus, scilicet supra carnem linguæ, sentitur: ergo multò magis positus super organum. Antecedens patet. Probatio consequentiæ, quia caro, quæ est medium in gustu, est corpus mixtum, & compactum: potabile autem non est ita mixtum, vel materiale; nec compactum; ergo species potabilis materialiùs recipitur in medio, quàm in organo: quia vnumquodque recipitur secundùm modum recipientis;si ergo species potabilis recepta in medio causat gustum, multò fortiùs potabile positum immediatè super organum causat gustum.

Præterea, sonus habet *esse* reale in omni parte medij; sed auris potest audire in omni parte medij, existentia etiam in parte sibi coniuncta; ergo, &c. Probatio maioris, quia quod habet *esse* intentionale tantùm, non manet absente generante; sed sonus manet in omni parte medij absente corpore sonatiuo: ergo habet in omni parte medij *esse* reale. Minor est manifesta;ergo,&c.

2\. Præterea, odor in fumali euaporatione habet *esse* reale, sed quando fumalis euaporatio intrat nasum,sentitur odor;ergo,&c.

Contrà est Philosophus, & omnes communiter concedunt, In tantum, quòd dicunt aliqui quòd si cultellus scinderet immediatè neruum, in quo est sensus tactus, homo non sentiret.

Refutatio aliorum. Istam autem conclusionem sic probant alliqui. Oportet sensum habere proportionem non tantùm ad obiectum, sed ad medium, ad hoc quòd exerceat actum suum, ita quòd sicut ab excellenti sensibili, & improportionabili sensu, non immutatur sensus, nec etiam à remisso in proportionato; ita nec sentit suum obiectum, si medium sit nimis, vel parum protensum, val nimis remotum, vel propinquum; quia ergo obiecto posito super organum, non seruatur debita proportio medij: ideò,&c.

Contra istam rationem arguitur sic: Caro immutata ab obiecto tangibili, immutat immediatè organum tactus. Similiter aër propinquus pupillæ immediatè Immutat eam; ergo propinquitas medij non tollit eius immutationem. Alia ratio eorum est hæc: Species in organo habet *esse* ab obiecto; ergo mediante corpore medio, in quo habet *esse* minùs materiale, quàm in obiecto; magis tamen, quam in organo, quia ab extremo in extremum deueniiut per medium.

Contra istam rationem arguitur sic: Caro habet esse materialius, quàm aër; & per consequens calor in carne, magis quàm in aëre; sed calor carnis potest immediatè immutare organum tactus, quia est eius medium; ergo multò magis calor aëris. 3. *Reiicitur.*

Resolvtio.

Sensibile positum supra sensum visus, impedit sensationem: in aliis autem sensibus, quo sensu id verum sit, explicatur.

Respondeo, quòd in vno sensu, scilicet visu, est causa specialis, quare sensibile positum super sensum non facit sensum: quia color non videtur nisi in lumine, & requirit ad hoc vt videatur medium illuminatum. Si autem color poneretur super organum visus obumbraret ipsum; & ideò sequitur quòd non posset videri. De aliis autem sensibus conclusio Philosophi rectè exponenda est. Circa quod sciendum, quòd est duplex immutatio sensibilis; vna est naturalis, scilicet quando immutatur sensus à sensibili secundùm illud tale *esse*, vel secundùm eundem modum essendi, quomodo est in re extrà; vt cùm sensus tactus calefit, vel alius sensus aliqualiter alteratur, vel mouetur secundùm locum. Alia est immutatio animalis secundùm quam immutatur intentionaliter, vel spiritualiter à sensibili, licèt habeat modum essendi extrà realem, & materialem: modò ita est, quòd aliqnis sensus immutatur spiritualiter tantùm, vt visus: tactus autem vtrâque immutatione immutatur. Quòd naturaliter, probo; quia organum est corpus mixtum, sicut medium, quod est caro: ergo est passiuum naturale, & receptiuum passionis naturalis: qualitates autem tangibiles sunt naturaliter actiuæ; ergo, &c. Similiter immutatur intentionaliter: quia si tantùm naturaliter immutaretur ratione, quâ mixtum naturale, non plus sentiret qualitates tangibiles, quàm lignum, vel lapis; quæ naturaliter immutantur: quia ergo tactus sentit huiusmodi qualitates: ideò,&c.

Immutatio sensibilis duplex.

Visus tantùm intentionaliter mouetur.

Tactus immutatur naturaliter. & intentionaliter.

Præterea, hoc patet ratione Theologicâ; in damnatis post resurrectionem generalem erit sensus tactus, & omnes sensus in actu suo; & tamen tunc tactus non immutabitur naturaliter; quia ista immutatio est corruptiua; ergo tantùm intentionaliter; tamen ista etiam maximè afflictiua; ergo verissimè poterit ibi esse vna, sine alia: tamen in statu isto non est intentionalis immutatio sine reali, & naturali immutatione; quia causatur ab ea. Immutatio ergo intentionalis sensus, non est naturalis, cùm sine naturali possit esse, scilicet in damnatis. Naturalis etiam potest esse in inanimatis, quæ non sentiunt, quæ tamen naturaliter immutantur; & ideò tangibile positum super organum tactus, cùm non immutet nisi naturaliter, ipsum non facit sensum tactus, sed species tangibilis recepta in eo intentionaliter facit sensum tactus. Sic ergo immutatio animalis in organo tactus, vel aliorum, benè facit sensum, non autem naturalis; *sed immutatio naturalis in organo non facit sensum, immò magis* 4.

Sensus tactus damnatorum non immutabitur naturaliter.

Immutatio naturalis non facit sensum.

magis [b] *impedit*; quia si sioe naturali posset esse intentionalis, magis sentiretur sensibile; sicut patet in damnatis: tameo immutatio naturalis in carne, quæ est medium, benè facit sensum causando immutationem sensibilem in organo non de se tantùm.

5. Responsiones in oppositum benè probant, quòd immutatio animalis est similis cum immutatione naturali pro statu vitæ, nec sine illa potest esse, quantùm ad illos qustnor sensus, de quibus fuit argutum, licèt de visu aliud sit propter rationem superiùs tactam: non tamen probant quòd immutatio naturalis inquantùm huiusmodi, faciat sensum, quia magis impedit vt visum est: sed si sentiat huiusmodi sensibilia tangentia organum, hoc est ratiooe immutationis animalis per se, quæ causatur à naturali immutatione secuodùm quam tangunt organum; & ideò secundùm hoc, est vera propositio Philosophi, quòd sensibilia tangentia sensum non faciunt sensum; quia ratione immutationis naturalis, secundùm quam tangunt organum, non faciunt sensum.

Sensibile super sensum, nō facit sensum, explicatur.

ANNOTATIONES
in quæstionem quartam.

6. R*Espondeo, quòd in vno sensu, scilicet visu*, &c. Sententia Doctoris solùm visum requirere necessariò medium extrinsecum, reliquos sensus non. Alij tres sensus indigere medio volunt, sed communior id de omnibus asserit. Et probatur ex Aristotele 2. *de Anima, text.* 75. 98. 116. Ita D. Thomas, Caietanus *in vltimum locum* Conimbric. *cap.* 11. *quæst.* 3. *art.* 2. tactum tamen, & gustum eacipiunt. Sed Suares *lib* 3. *de Anima*, *cap.* 27. sequitur Scotum, & adducta hic, & quæst. præced. à Doctore, & quæ in annotationibus dicta sunt, id conuincere videntur. Et certè si ponamus manum in medio ignis, chimæricum est dicere, quòd cutis eius mediante aëre, sentir calorem, & oporteret dicere quòd aër ille non posset ab igne corrumpi. Item, in olfactu vaporatio odorifera subit ad cerebrum; & sic ad organum, ex Aristotele 16. *Problem. quæst.* 5. sonus etiam vehemens propinquus penetrat vsqoe ad auditum. De gustu, res est clarior, quia ad saporem percipiendum requiritur humiditas ex Aristotele 2. *de Anima*, *text.* 104. vt gustabile humectum in poros linguæ transfundat vaporem sapidum; & hac ratione infirmi, arente linguà, saporem non percipiunt.

Solus visus necessariò petit medium.

7. Ad Aristotelem benè respondet Doctor, ipsum intelligendum esse, quòd sensibile positum super sensum, quatenus eum immutat realiter, non facit sensum; potest tamen facere provt immutat intentionaliter, vt ex dictis patet. Suarez ait proloquium illud, quod tribuitur Aristoteli, verum esse, si intelligatur sensibile inhærens non posse sentiri; quod patet in auditu, olfactu, & gustu; quorum sensibilia inepta sunt inhærere organo: quia sonus inest tantùm aëri: sapor, & odor, quia non sunt qualitates actiuæ, non disponunt subiectum, sed supponunt sibi proportionatum, cuiusmodi non est organum horum sensuum. De tactu autem, patet quòd non sentit taogibilia sibi inhærentia. Quæ doctrina placet, & est conformis Scoto, præter id quod ait, organum gustus non esse subiectum saporis; nam inter omnes partes animalis videtur nulla esse melioris saporis, quàm lingua. Ratio ergo est, quòd qualitas sensibilis inhærens, sicut non agit realiter, ita nec intentionaliter in subiectum; vt fusè probaui quæstione præcedenti.

Sensibile positū super sensum, &c. exponitur.

Ratio Doctoris de visu optima est; qnia non potest videre nisi obiectum illuminatum, neque illuminari potest nisi per medium. Obiectū visus est color secundùm *esse* materiale, seu naturale, cuius subiectum est superficies corporis terminati, seu opaci: at secundùm *esse* intentionale, receptiuum est corpus perspicuum, seu oon terminatum secundùm se totum, vt habet Doctor 2. *distinct.* 3. *quæst.* 8. *ad* 3. *num.* 16. si autem color cum suo subiecto terminato supponeretur ipsi visui, obumbraret illum, vel clauderet palpebras, & sic impediret illuminationem, & consequenter sensationem. 8.

Quare visus non videt sine medio.

Obiicitur, quia, teste experientià, & docet Aristoteles *de Sensu, & sensib. cap.* 2. in tenebris fulgor quidam apparet in oculo. Item, cùm digito comprimitur oculus, humor quidam concretus cernitur. Respoodetur ad primum, fulgorem illum cùm oculus in tenebris atteritur, diffundi ad ipsum organum, & non videri secundùm illam partem quæ in organo est. Ad secundum, per idem patet: si enim aliquis humor cernitur, distat ab ipso organo, & illuminatur medium distantiæ, vt videatur.

Dum oculus in tenebris atteritur, videtur fulgorem transiens.

Responsiones ad rationes pro resolutione huius quæstionis reiectæ sunt euidenter *quæst. præc. annotat.* 3. Ea dictis patet primò, ad tactum necessariò nullum requiri medium; quando autem intercedit, debet esse capax primarum qualitatum, vt istæ sentiantur. Quoad alias qualitates, vt durities, asperitas, hoc non sufficit; sed requiritur esse molle, qualis est cutis, tela. De gustu, fortè non tantùm non est necessarium medium, sed impedit sensationem: quia sapor, experientià teste, non videtur diffundere species citra materialem contactum. Idem iudicium est de auditu, & olfactu. Itaque solus visus necessariò requirit medium extrinsecum: solus tactus per accidens requirit: reliqui omnioo respuunt. 9.

Quale medium ad tactum requiritur.

Immutatio naturalis in organo, non facit sensum, immò magis impedit. Constat experientià, quando tactus habet calorem magnum sibi inhærentem, quòd imperfectè sentit calorem: è contrà quando intensum habet frigus (vt videre est in manu congelata igni applicata) perfectè sentit calorem; à quo tamen parum immutatur naturaliter, propter frigus intensum resistens. Causa fortè est, quia quando impeditur agere naturaliter per contrarium præsens, agit intensiùs tunc intentionaliter, diffuodendo species: & hinc est quòd manus illa, eo casu, magis dolet, licèt minùs immutetur naturaliter; quia dolor, sicut & voluptas sequitur actionem intentionalem, non realem, de quo Doctor 4. *d.* 44. *q.* 3. vbi habet vt probabilius, corpora damnatorum tantùm passura actionem ignis intẽtionalem. Vide com 3. *dist.* 15. *num.* 8. Sed quare tunc manus dolet, cùm dolor sequatur apprehensionem disconueoientis sensibilis vt habet Doctor 3. *dist.* 15. *num.* 8. *& seq.* & hîc sensibile conueniens est? Respondetur, calorem tunc conuenientem esse, modum tamen violenter ipsum causandi, resistente forti contrario inconuenientem esse; sic expulsio puris ex apostemate conueniens est, tamen violenta expulsio inconueniens est, & sic apprehenditur, causátque dolorem.

Immutatio naturalis impedit sensationem.

Quare manus nimis frigida igni admota, dolet.

QVÆ

QVÆSTIO V.

Vtrùm ſenſus ſit receptiuus ſpecierum ſine materia?

Ariſt 2. *de Anima*, c. 12. *text.* 121. *&* 124 Philop. Simpl. Themiſtius, Auerr & Theoph *ad eundem text.* 121. Conimbr. *In expoſ. eiuſdem c. & text. & eod. lib. c.* 6. *q.* 2. *art.* 2.

1. VIDATVR quòd non; omne quod recipit aliquid ab agente, patitur ab eo, ſecundùm quòd eſt ens actu; ſed agens in ſenſum eſt obiectum materiale, vel forma exiſtens in materia; ergo, &c.

Præterea, ſenſus recipit ſpeciem obiecti, cum conditionibus materiæ, quæ ſunt hic, & nunc; ergo cum materia; quia conditiones materiæ non ſeparantur ab ea. Præterea, tactus eſt vnus ſenſus, & tamen recipit calorem materialiter, & naturaliter, vel realiter, non intentionaliter ſolùm; ergo, &c.

Præterea, exemplum Philoſophi de cera, & figura, non videtur eſſe conueniens; quia ſimilitudo ſic ſequitur, quòd ſicut cera configuratur annulo, ita ſenſus obiecto; ſed figura non eſt aliquid abſolutum ſuper ceram; ergo ſpecies ratione cuius configuratur obiecto, non erit aliquid abſolutum ſuper potentiam ſenſitiuam: hoc eſt falſum, cùm ſit aliquale principium ſentiendi. Probatio aſſumpti; quia ſi figura eſſet forma abſoluta, eſſet actiua magis, quàm paſſiua; & ſic cera cederet figuræ magis, quàm è conuerſo: quantitas autem, cuius figura eſt terminus, eſt magis paſſiua, quàm actiua, cùm ſequatur compoſitum ratione materiæ.

Præterea, hoc probo ſic; quandocumque aliqua paſſio conſequitur aliquod ſubiectum, circumſcripto omni abſoluto alio à ſubiecto, illa paſſio non erit abſoluta; ſed figura conſequitur quantitatem, circumſcripto omni abſoluto, alio à quantitate; quia poſitâ aliquâ quantitate finitâ, ſtatim ponitur aliqua figura, quia figura ſecundùm Euclidem non eſt aliud, quam terminatio quantitatis; ergo, &c. In oppoſitum principalis concluſionis eſt Philoſophus 2. *de Anima.*

RESOLVTIO.

Accidit ſenſus recipere formam ſecundùm eundem eſſendi modum, quo eſt in agente, & per ſe tantùm requiritur, vt intentionaliter recipiatur, vt contingit in viſu.

2. *Patiens dupliciter recipit formam; materialiter, & intentionaliter.*

RESpondeo, aliquando patiens recipit formam ſecundùm eundem modum eſſendi, quo eſt in agente: & hoc eſt quando eſt eodem modo diſpoſitum ad formam, quo eſt forma in agente, vel quo materia modo agentis eſt diſpoſita ad eam: & iſtud accidit in actione naturali, in qua agens, & patiens communicant in materia; aliquando autem patiens non eſt eodem modo diſpoſitum, & tunc recipit ſine materia; non quòd forma in ipſo recepta ſit ſine materia, vel priùs fuerit ſine materia: ſed quia recipit formam non cum materiali diſpoſitione præcedente, vel non recipiendo diſpoſitionem materiæ præcedentis per oppoſitum ad aliam, modo quo patiens recipit formam realem, vel materialem; quia cum diſpoſitione materiæ præcedente; modò ita eſt in propoſito, quòd ſenſus non eſt eodem modo diſpoſitus ad recipiendum ſpeciem, vel formam obiecti ſenſibilis; vel ſicut materia ipſa; & ideò recipit ſpeciem eius ſine materia, & ſine diſpoſitione materiæ.

Sed contrà, potentia ſenſitiua, vt dictum eſt, eſt idem quod *eſſe* animæ; ſed *eſſe* non poteſt id recipere aliud ab agente purè corporali, ſed tantùm ab agente ſuperiori; ergo cùm obiectum ſenſus ſit corporale, nec potentia ſenſitiua poterit ab eo ſpeciem recipere. Dicendum, quòd anima poteſt mediante corporeo organo aliquid ab obiecto corporeo recipere, licet anima non poſſit immediatè, vt concludit argumentum. Quia ergo potentia ſenſitiua propinqua non tantùm eſt anima, immò includit organum; ideò poteſt ab obiecto ſpeciem recipere, ſtante identitate reali ipſius potentiæ nudæ cum anima, &c. Immò ſi eſſet realiter diuerſa ab anima, ſicut qualitas quædam abſoluta, ſequeretur quòd ipſa cum organo ſine eſſentia animæ poſſet ſentire: quia poſitâ causâ totali, ponitur eius effectus; potentia ſenſitiua cum organo eſt totalis cauſa ſentiendi. Sed fortè dices, quòd potentia ſenſitiua non poſſet exire in actum, niſi in virtute animæ, quæ eſt cauſa principalis, dato quòd eius potentia eſſet qualitas abſoluta. Contrà; quòd per ſe poteſt habere *eſſe* qualitercumque, ſiue per naturam, ſiue per miraculum, per ſe naturaliter ſine alio poteſt agere; ſicut patet de accidente in Sacramento Altaris, quod non habet *eſſe* in ſubiecto, & tamen naturaliter agit. Modus enim eſſendi, vel ſubſiſtendi non impedit naturalem actionem, ſicut etiam oculus reſtitutus per miraculum naturaliter poteſt videre: modò ita eſt, quòd accidens abſolutum per miraculum à ſubiecto abſolui poteſt, quantùm ad eſſe actu; & ideò ſi potentia eſt qualitas abſoluta, poterit agere ſine eius ſubiecto, quod eſt anima. 3. *Potentia propinqua ſenſitiua quid?*

Sed contrà, potentia ſenſitiua non eſt ſeparabilis à corpore; anima autem ſecundùm ſuam eſſentiam eſt ſeparabilis, ſcilicet humana. Dicendum, quòd potentia propinqua ad ſentiendum, quæ eſt totalis cauſa eliciendi actum, ſuppoſito obiecto, eſt non ſeparabilis; quia talis includit organum corporeum, quod eſt aliud ab *eſſe* animæ; & ſic ipſa potentia differt ab anima: ſed potentia ſenſitiua præcisè, quæ eſt remota, talis eſt ſeparabilis, ſicut & *eſſe*, quia idem ſunt. Sed cauſa quare ſenſitiua dicitur magis inſeparabilis, quàm intellectiua, eſt; quia ſenſitiua dicitur per reſpectum ad actum ſentiendi, quia potentia ſenſitiua eſt, quâ homo poteſt ſentire; & intellectiua, per quam poteſt intelligere; modò ita eſt quòd ad actum ſentiendi concurrunt per ſe duæ cauſæ partiales ex parte hominis, ſcilicet potentia ſenſitiua, & organum; & ideò vtraque requiritur, & neutra ſufficit; & ideò ſenſitiua potentia vt ſic inſeparabilis eſt ab organo: ſed potentia intellectiua eſt totalis cauſa intelligendi, nec requirit aliam cauſam per ſe ex parte hominis: ideò dicitur ſeparabilis, non enim per ſe vtitur organo, tanquam inſtrumento. 4. *Senſitiua inſeparabilis, intellectiua nō, & quare.* *Senſitiua proxima, & remota.*

Ad primum in oppoſitum: dicendum, quòd ſi intelligatur maior, quòd patiens formam recipiat 5. *Ad primum.*

recipiat secundùm eandem dispositionem, quã est in agente, non est verum, nisi de patiente passione naturali, & vniuocâ, non autem intentionali, sicut est in proposito de sensibili. Si autem intelligatur, quòd agens non agit nisi secundùm quòd est in actu, non secundùm quòd est in potentia, & per consequens patiens non recipit aliquid ab agente nisi secundùm quòd in actu, ita quòd receptum est procedens ab actualitate agentis, non potentialitate, verum est; sed non concludit propositum sub isto intellectu.

Ad secundũ. Ad aliud: dicendum quòd conditiones materiæ possunt accipi prout opponuntur vniuersitati, & sunt conditiones singularitatis; & sic verum est, quòd sensus recipit speciem cum conditionibus materiæ. Alio modo, pro dispositione reali, quâ materia recipit formam naturalem, & realem; quæ dispositiones sunt qualitates actiuæ, & passiuæ: isto modo non est verum, quòd sensus inquantùm huiusmodi, & per se recipiat speciem cum materia.

Ad tertium. Ad aliud, dicendum quòd tactus inquantùm sensus, non recipit calorem materialiter, vel realiter; sed immutatur intentionaliter tantùm in quantum sensus; licèt illa immutatio non possit separari à naturali mutatione pro statu viæ; & non recipit speciem sine materia, vt sic.

6\. *Ad quartum.* Ad aliud, dicendum, concedendo argumentum, quòd similitudo non tenet quantùm ad id de quo procedit, quia figura ceræ non est forma absoluta, sicut species, vt benè probatum est, sed est similitudo: ita quòd sicut mediante figurâ, cera assimilatur annulo, & cera figurata est similitudo formæ annuli, non materiæ; quia recipit tantùm formam, non materiam: ita mediante specie, sensus assimilatur obiecto, & species tantùm repræsentat formam obiectiuam, sicut species coloris tantùm colorem, non parietem, vel superficiem; quia per se non faciunt ad subiecta immutationis, licèt magnitudo, & figura faciant ad differentiam eius; aliter enim immutat magna quantitas, quàm parua, quia fortiùs; & plura colorata, vel alba, quàm vnum; ideò, &c.

ANNOTATIONES in quæstionem quintam.

CONCLVSIO.

Sensus accipit formas, seu species sine materia: & sensibile agit realiter, & intentionaliter, & singula benè explicantur.

7\. a RESpondeo, aliquando patiens recipit formam secundùm eundem essendi modum, &c. Ex quæstionibus præcedentibus patet, non requiri actionem realem in sensum ad sensationem; sed id esse omnino per accidens. Solùm ergo explicandum est, quid est formam recipi secundùm materiam, & sine materia, vt loquitur Aristoteles 1. Non est sensus simul cum materia, formam recipi, neque separatam à materia; sed recipi cum materia, est habere in hoc passo, easdem conditiones agendi, & patiendi, quas habet in sua materia, seu subiecto, quod est agens: verbi gratiâ, calor recipitur secundùm materiam in tactu (etsi non quatenus est sensus,) quia habet easdem conditiones in eo, ac in subiecto calefaciente, scilicet calefaciendi, & frigori resistendi; at recipitur sine materia in corpore damnati; quia ibi tantùm est eius species intentionalis, cui non conuenit calefacere, vel frigus expellere; quæ conditiones competunt ei in suo materiali, quod est ignis; quia species contrariorum in eodem compatiuntur, vt habet Doctor 4.*d*.44.*q*.3.

Quid sit recipi formam cũ materia, aut sine ea.

Forma autem quæ recipitur cum illis conditionibus, quas habet in suo subiecto, vt in exemplo, dicitur realis, & naturalis, quia habet prædictas actiones independenter ab anima; quando verò recipitur sine illis conditionibus, dicitur animalis intentionalis; quia eius actiones ab anima, eiúsque intentione dependent. Vide Doctorem 2. *d*.12. *q*. 3. Aliud exemplum de colore, qui secundùm *esse* suum materiale, quo visibile est in superficie corporis opaci, & secundùm *esse* intentionale, est in oculo, & aëre, alióve corpore interminato; & iuxta hoc intelligendus est Philosophus 2.*de Anima*, *tex*.7.*tex*.11.ibi: *coloris quidem susceptiuum est, quod colore vacat, soni autem id quod sono*: est dicere quòd in organo horum sensibilium non est color, nec sonus materialiter, sed tantùm intentionaliter. Vide Scotum 2.*dist*.3. *quæst*. 8. *ad* 3. *Forma naturalis, & intentionalis.*

Ex his patet sensibile habere duas actiones diuersas: alteram in contrarium, quæ est realis, naturalis, & materialis; alteram in sensum, quæ est animalis, immaterialis, & intentionalis. Vide Doctorem 4.*d*.12.*q*.3.*n*.19. vbi ex loco citato Philosophi, docet quòd est receptiuum formæ secundùm *esse* reale; non esse regulariter receptiuum eiusdem ab eodem sensibili, secundùm *esse* intentionale. Puto ideò dixisse, *regulariter*, quia, vt habet hîc *quæst*. 3. tactus vtraque actione immutatur à sensibili. Dixi *ab eodem sensibili*, vt notari *quæst. præced.* organum gustus sapidum est, tamen saporem realem non recipit à suo gustabili, sicut tactus calorem realem accipit à suo tangibili. 8. *Textus. Receptiuum formæ realis, an recipit intentionalem.*

Sequitur etiam, actionem sensibilis in contrarium esse vniuocam; quia eius terminus est eiusdem rationis, & speciei cum forma causantis; at actio eius in sensum, est æquiuoca; quia terminus, scilicet species intentionalis, est alteriùs rationis à forma producentis. Vide Scotum 4.*d*.44. *quæst*.3.*num*.2. *Sensibile in contrarium agit vniuocè, in sensum æquiuocè.*

Ad quartum de figura ceræ, &c. Tota hæc quæstio est circa dictum locum Aristotelis 2. *de Anima*, *text*. 21. vbi dicit quòd sensus *sensibiles sine materia formas recipere potest, & perinde atque annuli signum sine ferro, vel auro, suscipit cera*, &c. Vbi vult, quòd sicut cera suscipit figuram, non eius materiale, vt ferrum, sic sensus suscipit species qualitatum sensibilium, non autem ipsas qualitates materiales, sensu explicato. Intellige Philosophum loqui de sensibus de per se, vel regulariter; quia de tactu iam ostendi, quòd vtroque modo recipit formam. Toler. 3. *de Anima*, *q*.1. tenet vt probabile, tactum non indigere specie. Probat primò; quia intensè calidum non sentit paruum calorem, & tamen ibi reciperetur species si daretur; quia non repugnat calori in eodem. Secundò, aliàs posset fieri tactio à distanti; & sic calor tangeretur sine contactu. Tertiò, illud sentitur quod est causa doloris; sed hoc, & qualitas realis est huiusmodi. 9.

P. Hurtado, *de Anima*, *dist*. 12. *num*. 9. idem asserit

asserit de tactu & gustu, quia obiecta horum sunt eis proportionata; ergo superflua species.

10. Ad primum, actio intentionalis tangibilis, supponit realem: & quia minus calidum non potest realiter alterare magis calidum, non sentitur ab eo: & hæc est causa quare tactio fit successiuè. Ad secundum, ex hoc patet, quia tactus non alteratur à distanti, ideò non tangit distans. Ad tertium, ostendit vt sic, speciem esse causam doloris, & non qualitatem realem; quia cum minima qualitate reali disconuenienti, aliquando est magnus dolor. Ad aliud, negatur esse proportionata, quia nimia materialia: experientiâ constat gustum, vt percipiat saporem, debere mutari; at non mutatur per saporem materialem, quia non est actiuus; ergo per speciem. Tactus etiam non sentit per mutationem realem; tum quia calor qui sentitur, maior est eo qui inhæret; tum etiam quia durities & mollities non producunt qualitates reales in tactu; ergo per species sentiuntur.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm tantùm sint quinque sensus?

Aristot. 2. *de Anima text.* 128. Plato *in Theateto.* Gregor. Nyss *Orat. 6. in Cant.* D Ambr. *in Apoc. c.* 18. D August. *lib. de quant. animæ cap.* 23. Origenes *homil* 3. *in Leuit & homil* 3. *in Cant.* D. Hieron *in Psal.* 141. D. Greg in Ezechiel. *hom.* 17. Damasc *lib.* 2. *de fid. cap.* 18 D. Thom. 1. *par. quæst.* 78 *art.* 3. Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 1. *q. vnic.* Auersa q. 31. *de Anima, sect.* 3.

1. VIDETVR quòd non; quia potentiæ distinguuntur per obiecta; sed obiecta sensuum sunt accidentia extrinseca, quæ non sunt tantùm quinque generum, sed plurium; ergo, &c.

Præterea, magnitudo, & figura sunt per se sensibilia, & differunt à colore plusquàm sonus; quia sunt in alio, & alio Prædicamento; non autem color, & sonus; ergo cùm sit alia potentia sensitiua respectu coloris, alia respectu soni, videtur quòd alia debeat esse figuræ, & magnitudinis ab aliis sensibus particularibus.

Præterea, vnus sensus est tantùm vnius contrarietatis; sensus tactus est plurium contrarietatum: ergo non est vnus; & per consequens sunt sex sensus. Præterea, quòd non sint quinque, quia inferius non distinguitur à superiori, nec ponit numerum cum eo; sed gustus est quidam tactus; ergo, &c.

Contrà est Philosophus, qui hîc 2. *de Anima*, probat ex intentione in illo capitulo: *quòd autem non sunt sensus nisi quinque.*

RESOLVTIO.

Esse tantùm quinque sensus; & explicatur, vnde hic numerus colligatur. vide Doctorem 2. d. 3. q 8. ad 3.

2.

Operatio potentiæ per conformitatē ad obiectum.

a RESPONDEO; dicendum quòd probatio Philosophi non est à priori; quia probat propositum ex numero organorum; organa autem sunt propter sensum, & non è conuerso. Probandum est ergo à priori sic: omnis potentia cognoscitiua efficit operationem suam per quandam conformitatem ad obiectum; quod non potest facere potentia organica, nisi per receptionem speciei obiecti in organo, quo est conformis obiecto: & est etiam determinatiua potentiæ ad cognoscendum hoc, vel illud obiectum, secundùm quod à diuersis obiectis imprimitur diuersa species in organo, per diuersas immutationes organi ab obiecto: est enim duplex immutatio in genere; quædam naturalis, quædam animalis. Naturalis est secundùm quam, vel per quam forma recipitur in patiente secundùm illud *esse* reale, & secundùm dispositionem materiæ consimilem illi, quæ est in agente; animalis autem est secundùm quam recipitur secundùm *esse* intentionale species obiecti agentis in potentiam animalem; ista autem species sic recepta non denominat subiectum: vnde visus non dicitur coloratus propriè, sicut paries dicitur coloratus; quia non recipit colorem naturaliter: sensus autem non tantùm recipit colorem, vel immutatur naturaliter ab obiecto; quia tunc inanimata, quæ sic naturaliter immutantur, possent sentire.

Immutatio alia animalis, alia naturalis.

3. Si autem immutantur aliqui sensus naturaliter, cum hoc tamen immutantur intentionaliter, immò magis intentionaliter, quàm naturaliter; immutatio enim naturalis impedit animalem, & sensationem, vt visum est; si enim esset immutatio intentionalis sine naturali, sicut est in visu, magis sentiretur, & veriùs, quàm cum ea. Ex diuersitate igitur immutationis organi ab obiecto, & conformationis, sumatur sic sufficientia sensuum; quia aliquando sensus immutantur tantùm intentionaliter, aliquando cum hoc naturaliter. Si primo modo, sic est visus; si secundo modo, aut est transmutatio naturalis ex parte obiecti, aut ex parte organi. Si ex parte obiecti, aut fit talis immutatio mediante motu locali, & sic est auditus, qui immutatur à sono se multiplicante in aere vsque ad auditum, mediante motu locali; aut fit mediante motu alterationis: sic est odoratus, qui sentit odorem procedentem ab odorabili, secundùm quòd est alteratum per calefactionem: vnde in hyeme vix odoratur corpus odorabile, præcipuè si sit congelatum: non autem accipitur aliquis proprius sensus secundùm quòd immutatur per motum in quantitate; quia quantitas est sensibile commune, non proprium; & ideò secundùm eam non debet assignari sensus proprius. Si autem immutatio sit naturalis ex parte organi, sic habemus gustum & tactum; sed differunt; quia organum tactus immutatur à colore, vel qualitate sensibili, quæ est eius obiectum immediatè, vel saltem potest ab ea immediatè immutari: gustus autem non potest immediatè immutari à sapore, qui est eius obiectum, sed mediante humore saliuali coniuncto linguæ. Probatio istius secundi; quia si immutaretur immediatè à sapore, semper iudicaret saporem talem, qualis est; hoc autem est falsum in febricitantibus, quibus videtur dulce amarum, propter amaritudinem humoris coniuncti; quare, &c. Probatio primi; quia in quodcumque passum actiuum eiusdem rationis agere potest, & aliud eiusdem rationis actiuum in illud agere potest, specialiter si passiuum sit extrinsecum. Quod dico propter intellectum, & voluntatem, quæ possunt pati in nobis intrinsecè, quæ tamen obiecta mouent intellectum, & voluntatem vnius hominis, non mouent

Immutatio naturalis impedit sensationem.

Vnde sumitur sufficientia sensuum 2. d. 3. q. 8. ad 3.

Quare odorabile in hyeme vix sentitur?

4.

Tactus immediatè à sensibili immutatur, gustus non.

Febricitantes quare dulce sapit amarū.

propter hoc, nec possunt mouere intellectum, & voluntatem alterius; tunc enim diuersorum posset esse vna intellectio numero; modò ita est, quòd calor in aëre, vel alio corpore extrinseco, & calor in carne, quæ est medium intrinsecum, sunt eiusdem rationis; quia vnus generatur ab alio generatione vniuoca; ergo si calor carnis potest agere immediatè in organum tactus, ita poterit immediatè calor extrinsecus. * Hoc autem quod dictum est de identitate caloris carnis & animalis, videtur falsum, quia habent diuersas operationes, scilicet calor carnis consumere, & calor animalis generare carnem. Nec potest dici quòd agat vt instrumentum animæ; quia quæratur quid recipit ab anima, &c.

* Hic deficit quod est in MS. Vaticanis fol 13.col.3. lin.43.

5. Præterea, calor magis materialiter recipitur in carne, quàm in aëre, cùm sit materialior: ergo si calor carnis potest immediatè immutare organum tactus, quod est receptiuum speciei sine materia, multo magis calor aëris; quia, vt probatum est, immutatio materialior magis impedit; spiritualior est sensibilior.

Ordo sensuum in nobilitate. vide Scot. 2. d. 3. q. 8. ad 3.

b Ex prædictis patet ordo potentiarum; quòd visus cùm immutetur tantùm intentionaliter, est nobilior sensus, & certior: post hunc autem auditus, qui minùs materialiter immutatur; quia mediante motu locali, qui tantùm est primus motuum; post hunc olfactus, quia immutatur materialiter ex parte obiecti, quod est remotius à potentia quàm organum: post hunc gustus; quia immutatur materialiter ex parte organi, sed non immediatè cum suo obiecto; sed mediante humore intrinseco. Vltimus autem quoad nobilitatem cognitionis est tactus, quia immediatè ab obiecto suo materialiter immutatur. Est tamen primus ordine generationis, vel imperfectionis, vel communitatis, quia est fundamentum omnium aliorum, & communis omnibus habentibus sensum, etiam imperfectum.

Tactus primus sensus generatione.

6. *Ad primum.* Ad primum in oppositum, dicendum quòd obiectum sensus est tantùm accidens de tertia specie Qualitatis. Vnde 7. *Physicor.* dicitur quòd illa secundùm quæ fit alteratio, non differunt à sensibilibus: certum est autem per Philosophum *ibidem, & de Qualit.* quòd alteratio est in tertia specie Qualitatis. Similiter in Prædicamentis dicitur quòd in tertia specie Qualitatis est passio, & passibilis qualitas, quæ etiam dicuntur passiones, quia passionem inferunt sensibus: istæ autem qualitates differunt formaliter, quantùm ad immutationem sensuum; & ideò secundùm hoc accipiuntur diuersi sensus, non autem secundùm genera accidentium, vt supponit argumentum.

Ad secundum. Quare magnitudo & figura non habent sensus proprios?

c Ad secundum, dicendum, quòd magnitudo, & figura non differunt à propriis sensibilibus secundùm rationem obiectiuam formalem, & propriam, quæ requiritur ad distinctionem potentiæ sensitiuæ propriæ, licèt absolutè, quantùm ad suam entitatem realem, distinguantur ab eis, magis quàm ipsa inter se. Circa quod sciendum, quòd sensibilia communia media sunt inter sensibilia propria, quæ immutant sensus proprios per se, & primò, & sensibilia per accidens, quæ nec per se, nec primò immutant sensus; quia sensibilia communia non immutant per se sensus proprios, quia faciunt ad differentiam immutationis: aliter enim immutat magnitudo magna, & parua, & vnum quàm multa, & circulare, quàm triangulare, & quiescens, quàm motum: sed non faciunt ad substantiam immutationis sensus proprij, nisi mediante sensibili proprio; & ideò secundùm illa non debet sumi aliqua potentia sensitiua propria.

Ad aliud, dicendum quòd tactus est plures sensus secundùm speciem, non autem secundùm genus; ideò sunt tantùm quinque genera sensuum, sicut sunt quinque genera potentiarum, licèt non sint nisi quatuor gradus viuentium. Ita in proposito, quia vnus sensus super alium non constituit distinctum gradum tangentium. Vel potest dici, quòd tactus est vnius generis Physici: talia autem non solùm sunt illa, quorum vnum per se transmutatur in alterum, sed etiam illa, quæ transmutantur in tertium; omnes enim qualitates tangibiles sunt transmutabiles in mixtum. Vel potest dici, quòd habet vnum genus propinquum innominatum, quod potest dici qualitas tangibilis; sicut omnes sensus habent vnum genus propinquum innominatum, quod potest dici sensus in communi. 7.

Ad tertium.

Quomodo sensus tactus est vnus, vide q. 2.

Ad aliud, dicendum, quantùm ad modum immutandi, qui est realis in vtroque, quòd gustus est tactus, quia gustabile tangit realiter organum, vel medium gustus, & gustatur tangendo; tamen quantùm ad obiecta formalia, sunt diuersi sensus; sapor enim est obiectum sensus gustus, qui quidem sapor est qualitas secunda causata à primis; sed obiectum tactus sunt qualitates primæ. Aliter etiam posset dici, quòd gustus est quidam tactus ratione medij requisiti vtrobique, quod est idem re, scilicet corpus humidum, gustus enim capit saporem mediante humido, seu humore saliuali coniuncto; tactus etiam fit mediante aëre, vel aquâ, quando extrema tangentium se, non sunt sicca, vt dictum est suprà, *quæst.* 4. tamen illud dictum medium in tactu est accidentale, non autem in gustu, vt dictum fuit suprà.

Ad quartum.

Gustus, & tactus quomodo distinguantur.

ANNOTATIONES.
in quæstionem sextam.

CONCLVSIO I.

Quinque sunt tantùm sensus externi, quorum sufficientia ostenditur.

R*Espondeo quòd probatio Philosophi non est à priori; quia probat ex numero organorum, &c.* Philosophus 2. *de Anima*, text. 128. *& sequentibus*, probat tantùm quinque esse sensus externos, idque à posteriori; vt ait Doctor hîc: in hoc sensuum numero conueniunt omnes Philosophi, & Theologi, etsi aliter, & aliter à variis deducatur eius sufficientia. Scotus, vt videtur cæteris clariùs rem explicat, nec multùm differt in hoc à D. Thom. 1. *part. quæst.* 78. *artic.* 3. Modus dicendi ipsius consistit in hoc discursu; quia quinque tantùm sunt sensibilia, quæ diuerso modo per se immutant sensus, & nullum eorum à pluribus sensibus percipitur; ergo tantùm sunt quinque sensus. Antecedens probatur, quia quoddam obiectum purè intentionaliter immutat sine actione materiali comitante, & sic est obiectum visibile: aliud intentionaliter, sed cum materiali immutatione in ipso; & si hæc est tantùm latio, erit obiectum audibile; si alteratio, erit odorabile, quod ordinariè calefit antequam percipiatur; & ideò, vt ait Doctor hîc, hyeme 8.

Secundùm Græcos hic textus est vigesimus tertius libri.

Deductio numeri quinque sensuum.

odorabilia

odorabilia parum spirant odoris; aliud verò obiectum immutat intentionaliter, simul cum immutatione subiecti, seu organi; & si hæc immutatio est per eandem qualitatem sensibilem, est tangibile; si per aliam, erit gustabile, cuius intentionalis immutatio comitem habet humectationem, seu humorem salivalem: & hinc est, quòd aliquando (vt hic aduertit *Doctor*) dulcia sapiunt vt amara, quia humor ille talis est, vt contingit in febricitantibus. Hic discursus satis probabilis est, neque hic dari potest conuincens, vel euidens (quicquid dicant quidam interpretes Aristotelis, qui putant tres ab eo pro hoc adduci demonstrationes) vt ostendit Tolet. *cap.* 3. *quæst.* 1. Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 1. *q. vnic.* ab hoc discursu recedentes, alium, vt videtur, minùs probabilem sequuntur.

9. *Obiectiones contra quinarium numerum sensuum expediuntur.*

Arguitur primò, pauciores esse sensus quàm quinque. Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 10. *&* 2. *de Partibus* 3. ait quòd gustus est quidam tactus. Secundò, vna potentia motiua est in omnibus membris: ergo idem, & vnus sensus in omnibus organis. Tertiò, vnus intellectus sufficit ad omnia intelligibilia; ergo. Quartò, tot sunt sensus, quot insunt animalibus perfectis ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 12. Sed quibusdam perfectis non insunt quinque; quia talpæ non vident, ex eodem, 2. *de Hist. animal. cap.* 9. balænæ etiam non vident, sed musculo pisculo duce vtuntur, ex Plin. *lib.* 9. *cap.* 62. vnde est istud Claudian. *lib.* 2. *ad Europ.*

Immensúmque pecus paruo moderamine caudæ,
Temperas, & tanto coniungit fœdera monstro.

Tactus à gustu realiter distinguitur. Ad primum, communis interpretum Aristotelis est tactum à gusto realiter distingui. Ita ipse habet, 2. *lib. text.* 112. *& lib.* 3. *cap.* 1. Quod primò patet ex diuerso obiecto. Secundò, ex diuersa immutatione, vt visum est. Tertiò, ex diuersitate organi, quia tactus est per totum corpus. Ad locum Aristotelis, sensus est, quòd gustus est quidam tactus suppositiuè, quia semper supponit tactum.

10. Ad secundum, potentia motiua eodem modo mouet membra, & alia externa; & operationes sensuum habent obiecta specie diuersâ, & modus tendendi specie diuersos, ita quòd operatio vnius sensus nullo modo tendere possit in obiectum alterius; ex quibus arguitur distinctio specifica in sensibus, non autem in motiua potentia.

Ad tertium, quæ sparsa sunt in inferioribus, vniri contingit in superiori; cùm ergo intellectus sit longè superioris ordinis sine multiplicatione, in omnia intelligibilia, & sensibilia tendit. Ideò enim organum non potest recipere species omnium sensibilium, quia requirit determinatam dispositionem ad recipiendum sensibile sine materia; & non potest habere illud simul cum materia, regulariter loquendo, de quo dixi *quæst. præced.* & videndus est Doctor 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. *ad* 5. at intellectus non est organicus, vt docet Aristoteles 3. *de Anima, text.* 11. 14. 16. 19. & sic non requirit vllam determinatam dispositionem ad hæc, vel illa intelligibilia recipienda, sed recipit omnia; & non oportet ipsum esse non tale realiter, quale illud est quod recipit intellectualiter, sicut contingit in sensu; potest enim intelligere se, habitus, & actus, sibi inhærentes; quia talia recepta intelligibiliter, non petunt opposi- *Quare vnus sensus non cognoscit omnia sensibilia?*

tam dispositionem eorum intelligibili reali; vt species coloris in oculo, petit oppositam dispositionem ad colorem realem: & ideò oportet potentiam sensitiuam communiter denudari à suo sensibili, ex Philosopho 2. *de Anima, text.* 71. 121.

Ad quartum, tantùm vult Aristoteles tot esse sensus, & non plures, quot in perfectis animalibus inuenimus: sufficit ergo in perfectissimo, nempe in homine, tantùm reperiri quinque, vt absolutè negemus esse plures. De talpa Simplic. & Philopon. 2. *de Anima*, Albert. *lib.* 22. *de Animal. cap. vltim.* putant eam habere visum imperfectum. Probat Albertus, quia alimenta quærunt. Hæc probatio parùm valet, quia odoratu possent quærere. Puto tamen verum dicere hos authores, quia, vt admittit Aristoteles citatus, habent oculos cute obductos. Præterea vidi Louanij factâ magnâ inundatione, talpas natantes versùs terram non inundatam, quod non possent facere sine visu: si enim cæcus in mari nataret, non sciet an versùs terram, vel altum mare se conuertit. Itaque Aristoteles fortè negauit talpæ tantùm visum perfectum: si etiam imperfectum negauit, negetur & ipse. 11. *Talpa habet visum imperfectum.*

Quoad balænam Conimbr. suprà dicunt non omnino carere aspectu, sed graui superciliorum pondere obrui oculos, ne vada videat: & ideò vtitur illo pisciculo, nullâ ratione probant. Probari potest, quia alioquin frustrà natura dedisset oculos, quos balænæ dedit. *Balæna videt & musculo vtitur.*

Illud certum est, omne animal habere tactum. Ita Aristoteles *de Sens. & Sensibili cap.* 2. *&* 3. *de Animal. c. vlt. & lib.* 2. *text.* 17. nonnulla carent gustu, scilicet imperfecta; ex eodem loco citato. Oppositum tamen est probabile; ex eodem 2. *de Part. cap.* 17. *&* 3. *de Anima text* 64. & experientia faciet, quia omnia animalia discernunt alimenta sibi congrua à nociuis. Ad hoc pro alia parte, diceretur, imperfecta sapidis non mutari, sed calidis, & humidis, & per tactum ista discernere; animalia perfecta habent omnes sensus, & de piscibus probat Aristoteles 4. *de Hist.* 8.

Conclvsio II.

In perfectione, visus est primus, auditus secundus, olfactus tertius, gustus quartus.

Ordo *sensuum in nobilitate*, &c. Resolutio Doctoris hic est communis. Adde eius rationi de visu, quòd eius obiectum est inter sensibilia perfectissimum, quódque ad maiorem distantiam attingit, quàm alij sensus. Ad auditum etiam adde, quòd eius organum est subtilius, quia aëreum. 12. *Ordo sensuũ in perfectione.*

Obiicies primò, hinc sequi auditum esse perfectiorem visu; quia huius organum est aqueum. Secundò, videtur auditum esse cæteris imperfectiorem, quia eius obiectum est qualitas transiens. Ad primum, mixtum illud non est semper nobilius, in quo prædominatur elementum nobilius; sed in quo est perfectior mixtio. Ad secundùm, etsi in *esse* qualitatis, sonus sit imperfectior, in ratione sensibilis, & modo immutandi, perfectior est aliis tribus sensibilibus.

CONCLVSIO III.

Homo in sensibus absolutè excedit alia animalia.

PEtes vtrùm sensus perfectiores sint in homine, quàm in brutis? videtur quòd in brutis, iuxta illud vulgatum:

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, pracedit aranea tactu.

13. Tenendum tamen, in omnibus sensibus hominem superare cætera animalia absolutè, etsi secundùm *quid* excludatur ab aliquibus. Aristoteles 2. *de Anima, text. 94. & seq. & 1. de hist. animal. 15.* De tactu patet iuxta omnes eius conditiones, de quibus Aristoteles 2. *de Anima, cap. 10.* & quia homo habet perfectius temperamentum primarum qualitatum; & sic est magis denudatus à qualitate tangibili excellenti, & per consequens, meliùs illa percipiet. De gustu eadem ratio valet, quia cum tactu multùm conuenit, & hominis complexio perfectior indiget meliori cibo, & proportionato gustu discretiuo alimenti. In odore exceditur à vulture, & cane secundùm *quid*, scilicet quoad facilitatem, vel ad maiorem distantiam. Sed perfectius odorandi organum habet homo; quia tamen est iuxta cerebrum frigidum, obturantur odorandi viæ, distillatione cerebri: & quo humidius, & frigidius est cerebrum, eo minùs benè odoratur. Vide Albert. *lib. 2. de Anim. cap. 13.* Hinc qui acutiùs olfacit, hebetioris est ingenij, quia habet cerebrum siccius.

Sensus hominis, brutorum perfectiores.

Præterea, quia bruta tantùm percipiunt odores iunctos saporibus; sed homo alios perfectiores, quales sunt florum, & aliorum multorum, quæ delectant, quia temperant frigiditatem cerebri, vt ait Aristoteles *de Sens. & Sensibili cap. 5.* De auditu, patet in homine esse perfectiorem, quia percipit sonorum differentias, non tantùm naturales, sed etiam artificiales, habétque organum subtilissimum.

14. Idem eàdem ratione de visu dicendum: & de omnibus probatur, quia natura sensitiua in homine, coniuncta est rationali, & sic est perfectior quàm in bruto. Quoad aliquos sensus tamen (vt dictum est) excedunt bruta quædam ex indispositione organorum corporis humani; & quia operationes vnius membri, quandoque impediunt operationes aliorum. Per quod patet ad vulgatum illud. Quòd si quis teneat brutorum quorundam sensus aliquot esse absolutè perfectiores, nihil est quo conuinci possit.

Qui sensus magis ad scientiam deseruiunt.

Petes secundò, qui sensus perfectiores sunt ad scientiam acquirendam? Respondetur odoratum, & gustum, parum deseruire: inter alios tres, qui deseruiunt, visus excellit. Prima pars experientiâ patet. Tactus excedit visum vniuersalitate subiecti, quia diffusus per totum corpus: & quando est perfectus, arguit bonum temperamentum, & complexionem totius corporis: & ideò dicit Aristoteles 2. *de Anima, text. 94.* molles carne esse ingeniosos: cuius ratio est, vt explicat D. Thom. *lect. 3.* quia mollities arguit bonam complexionem, & organorum dispositionem. At visus excedit vniuersalitate obiecti, quia cælestia, & terrestria, sensibilia propria, & communia sentit; idque faciliùs, distinctiùs, & immaterialiùs: ideò maximè deseruit inuentioni; auditus autem maximè aptus est ad disciplinam, quia percipit voces explicantes conceptus. Vide longiorem discursum de his apud Suar. 3. *de Anima, cap. 29.*

Molliores carne, ingeniosiores.

CONCLVSIO IV.

Quinque sunt sensibilia communia, & per se capiuntur à sensibus; an verò per proprias necne, incertum.

AD secundum, magnitudo & figura non differunt à propriis sensibilibus, &c. Prointellectione huius. Nota ex Aristotele 2. *de Anima, cap. 6.* quòd sensibile est triplex; proprium, quod vno tantùm sensu, & sine errore percipitur, vt color; commune, quod à pluribus per se, vt motus à visu, & tactu; per accidens, quod per se non mouet sensum, sed prout vnitur sensibili proprio, vt substantia. Secundò, Nota ex eodem quinque esse sensibilia communia, motum, quietem, numerum, figuram, magnitudinem. Ad rationem sensibilis communis sufficit pluribus sensibus cognosci; nec requiritur, quòd omnibus cognoscatur. Quidam reijciunt motum, & numerum ad hoc numero, negantes eos à sensu percipi posse. Sed verius est sub sensum imperfectè cadere: sentio enim aquam transeuntem, & manentem. Verum est, quòd motus secundùm collationem partium præteritarum cum futuris, non est sensibile, sed tantùm intelligibile. Similiter numerus, vt dicit replicationem vnius post alium, non percipitur à sensu, sed vt dicit plura discreta: verbi gratiâ, tres panes, à sensu etiam bruti percipiuntur. Quies verò eatenus cognoscitur à sensu, quatenus modificat immutationem eius, vt rem apprehendat cum consistentia, non cum motu. 15.

Quinque de sensibilia communia.

Quomodo percipiuntur sensibilia communia?

Circa id quod Doctor hîc ait; sensibilia communia esse media inter propria, & per accidens; varietas opinionum est an imprimant species in sensus; & affirmat Iandun. 2. *de Anima, quæst. 18.* imprimere species communes in sensus, quà sensus, non quà tales, vel tales sensus. Hoc falsum est, quia motus cognoscitur à visu, quà talis sensus; ergo non per immutationem sensus vt sic. Alij dicunt sensibilia communia imprimere proprias species in eos sensus, qui ea percipiunt. Albert. 2. *de Anima, text. 5. cap. 5.* & tribuitur Scoto 4. d. 12. *quæst. 3. num. 37.* sed falsò vt intuenti literam eius patet; quia ibi nil de hoc resoluit. 16.

Alij tenent non imprimere. D. Thom. 1. *part. quæst. 17. artic. 2. & quæst. 78. artic. 3. ad 2.* Et ratio est, quia non potest sensibile commune imprimere species eiusdem rationis, in omnes sensus, à quibus percipitur; quia sensus diuersi actuari nequeunt speciebus eiusdem rationis, quia organum cuiusque sensus, eiúsque temperamentum commensurantur suo proprio sensibili, eiúsque speciei: & hac ratione colligitur numerus sensuum, vt suprà ostensum est; neque potest species diuersas imprimere, cùm sit vnum, & idem sensibile, & eodem modo agens.

Sed si nullas species imprimunt sensibilia communia; explicandum est quomodo percipiuntur à sensibus, plusquam sensibilia per accidens. Pro hoc, nota, quòd vnitas ad numerum reducitur, & distantia ad magnitudinem. Magnitudo igitur à quolibet sensu percipitur per modificationem speciei proprij sensibilis, quia vt

Quomodo repræsentetur magnitudo & figura.

vt sensibile proprium agat, requirit quantitatem; & sic in productione suæ speciei includit repræsentationem magnitudinis, seu quantitatis; & quia hæc non est sine figura, repræsentatur simul figura. Reliqua tria communia aliter cognoscuntur. Visus percipit ea per coaptationem ad ea quæ per se sentiuntur: sic numerus videtur, quia plures species imprimuntur: motus, quia res mota cernitur propior, vel remotior ab aliquo alio corpore: ideò nauigans non videt motum, si nihil videt à quo magis, vel minùs distet. Videri etiam potest motus continuà variatione specierum visibilium. Quies videtur rem videndo in eadem distantia, & consistentia. Tactus numerum sentit, quatenus à diuersis sensibilibus afficitur, motum vt à pluribus eiusdem tangibilis partibus successiuè tangitur: quietem contrario modo; tres alij sensus eodem modo numerum sentiunt; figuram fortè nullo modo: motum difficile sentiunt, nisi quatenus corpus sonans, vel odoriferum successiuè approximatur, vel remouetur. Sed gustus nihil horum discernit.

Motus, numerus, quies quomodo à sensibus cognoscuntur? & an ab omnibus.

Sic sensibilia omnia cognoscuntur sine speciebus ab ipsis impressis per modificationem specierum propriorum sensibilium.

18. Iste modus dicendi probabilis est, sed cùm admittat sensibilia communia cooperari ad species proprij sensibilis, videtur æquè probabile, quòd imprimant proprias species imperfectas, subordinatas speciebus propriis; & hæ possunt esse eiusdem rationis, in diuersis sensibus, sicut & illa modificatio; quia sensus non his, sed propriis sensibilibus commensurantur: per quod patet ad rationem oppositæ sententiæ. Hæc notare volui pro notitia communium sensibilium.

Sensibilia communia, an species proprias habent.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ratione huius; quod dicitur in litera, quòd idem est actus sensibilis, & sensitiui, *actio & passio sint idem actus, siue motus?*

Aristot. 3. *de Anima*, *lect.* 139 & 3. *Physic.* *lect.* 18 & 21. & 9. *Metaph.* *lect.* 16. D. Thom. *in* 2. *dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 4. & 2. *cont Gent.* *cap.* 9. & *quæst.* 7. *de Potent.* *art.* 9. *ad* 7. Caiet. 1. *part.* *quæst* 25. *art.* 1. Aureol. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. & 3. Baccon. *quæst.* 2. *art.* 2. Argent. *dist.* 19. *q.* 1. Valent. 1. *p.* *d.* 3. *q* 2 *part.* 1. Anton. Andr. *in lib. sex Princip.* Paulus Venetus 3. *Physic.* *q* 3. Masius 3 *Physic.* *cap.* 3. *sect.* 1. *q.* 4 Ferr. *q* 2. Soncin. 5. *Metaph.* *quæst* 4. Conimbr. 3. *Physic.* *cap.* 1. *q.* 4. Suarez *disput.* 18. *Metaph.* Hurtad. *disp.* 11. *Physic.* *sect.* 2. Auersa *q.* 26. *Physic.* *sect.* 6.

1. ARGVITVR quòd sic: secundùm Philosophum, *idem est actus motiui, & mobilis*, actus actiui est actio in mobili; actus est passio: ergo, &c. Præterea, actio est in patiente; sed si actio non esset idem quod passio, esset contraria sibi, & sic non esset in patiente, cùm contraria non possint esse in eodem: ergo est idem quod passio. Probatio maioris, quia si actio esset in agente, cùm fundetur in motu; tunc agens in quantùm agens moueretur; quia illud mouetur, in quo est motus; consequens est falsum; ergo & antecedens.

Præterea, Philosophus probat 5. *Physicor.* quòd ad actionem, & passionem, non est motus; quia ad motum non est motus; sed ista probatio non valeret, si actio, & passio non essent motus: ergo, &c. Præterea, actio est duplex vt dicitur 9. *Met.* vna transiens in materiam exteriorem, & alia immanens: sed actio transiens cum motu est continua, & per consequens successiua; sed omne successiuum, aut est tempus, aut tempore mensuratum: ergo & talis actio. Sed non potest esse tempus, quia est in genere Quantitatis: ergo est tempore mensuratum: sed omne mensuratum tempore est motus; ergo, &c.

Contrà, potentia actiua, & passiua sunt essentialiter distinctæ; sed potentiarum diuersarum sunt diuersi actus essentialiter; ergo & actus talium potentiarum sunt essentialiter diuersi actus, potentiæ actiuæ, est actio, & passiuæ potentiæ est passio: ergo, &c. Præterea, ignis agens in duo ligna, aut agit vnicà actione, aut duabus; si vna; aut illa erit in agente, & sic habeo propositum; si in passo, tunc erit in duobus lignis; & sic sequitur quòd vnum accidens numero erit in duobus subiectis, quod est inconueniens. Si autem duabus actionibus agit, puta calefactionibus, tunc idem agens numero habebit plures actiones numero differentes, & eiusdem speciei. 2.

Præterea, si actio est in passo, ita quòd actio, & passio sint idem motus, sequuntur illa tria inconuenientia posita in 3. *Physicorum*, quòd diuersorum specie sit idem actus specie, & numero; quia actiuum, & passiuum specie differunt. Similiter doctio erit doctrina, & actio erit passio; & vlteriùs, quòd agere erit pati. Præterea, si actio, & passio sunt idem motus, accipiamus vnum motum singularem, verum est, quòd hic motus erit passio; hoc autem est inconueniens; ergo, &c.

RESOLVTIO.

Actionem, quæ est Prædicamentum, esse in agente, explicatur quomodo, & quando sit in patiente sicut passio, & idem cum passione? vide Doctorem 4. d. 13. q. 1.

a RESpondeo. Dico duo; primò, quòd actio, secundùm quòd est Prædicamentum, est in agente subiectiuè. Secundò, quòd aliquo modo actio, & passio sunt in patiente. Probatio primi sic: relatio non separatur à fundamento suo, vel à ratione fundandi: aliqua autem relatio, vt de secundo modo, fundatur super actionem, & passionem, sicut relatio calefacientis ad calefactum, patris ad filium, vel saltem rationes fundandi istas relationes, sunt actio, & passio, vel secundùm *esse* sicut in patre, & filio; vel secundùm *fieri*, vt in calefaciente, & calefacto; vel secundùm factiuum ad faciendum, sicut calefactiuum ad calefactibile, vt patet 5. *Metaph.* ergo talis relatio non potest separari ab actione, & passione subiecto: sed talis relatio est in agente, vt est agentis ad patiens, vel in patiente, quæ est patientis ad agens; paternitas enim est in patre, filiatio in filio; ergo & actio est in agente. 3.

Prætera, omnis respectus realis est in eo, quod realiter refertur per eum, licèt hoc non oporteat de respectu rationis, sicut patet de scibili, quod non refertur ad scientiam, sed scientia ad scibile. Actio autem est respectus realis agentis ad patiens: ergo est in agente sic relato. Probatio minoris per Boëtium de Trinitate, dicentem,

Septem Prædicamenta relatiua secundùm Scotum 4.d.13.q.1.

quòd septem Prædicamenta non dicunt res absolutas: ergo formaliter important respectum realem: illo autem respectu refertur agens ad patiens;ergo,&c.

4. Præterea, impossibile est aliquod causatum fieri de non agente agens, nisi immutetur ad aliquam formam in eo existentem; forma enim secundùm quòd est mutatio, est in eo quod mutatur; sed illa mutatio non est ad formam absolutam, quia de non agente non fit aliquod agens per aliquid existens in eo absolutum. Sed certum est quòd non fit agens formaliter,nisi per actionem:ergo actio est forma respectiua existens in agente.

De non agente non fit agēs per absolutū.

Præterea, nouem genera accidentium habent *esse* in subiecto; in hoc differunt à substantia; sed relatio habet in subiecto *esse*, licèt in respectu ad terminum, actio est de illis; ergo habet *esse* in subiecto, & sic secundùm suam rationem formalem est in subiecto: non autem potest dici quòd sit formaliter in patiente; quia accidens existens formaliter in subiecto,denominat ipsum; & ideò si esset actio formaliter in patiente, patiens diceretur agens; sicut paries dicitur coloratus,in quo est color formaliter; hoc est falsum; sed solùm agens denuminatur ab actione: ergo est in eo,sicut in subiecto.

5. Præterea, creatio est actio in creante: ergo similiter actio agentis creati est in agente. Probatio antecedentis; quia si esset in creatura, cùm creatio passio non differret à creatura, tunc creatio actio non esset prior naturaliter creatura; hoc autem est falsum, quia est eius causa. Consequentia patet, quia sicut se habet agens increatum ad suam actionem, ita agens creatum ad suam: præterea, per authoritatem Auicennæ dicentis,quòd secundùm aliquos mouere,motio,& motus sunt idem secundùm essentiam; sed secundùm veritatem hoc est falsum; quia mouere non dicit respectum motus ad mouentem, vt dicunt, sed mouentis ad motum, vt passum: nec motio dicit respectum mouentis ad passum, sed passi ad mouens; mouere autem est agere; ergo agere est respectus agentis ad passum, non è conuerso, vt dicunt alij.

6. ᵇ Dicendum est ergo secundùm prædicta,quòd actio est respectus quidam agentis ad passum, in agente existens; & passio respectus quidem patientis ad agens in patiente existens; motus autem est forma fluens materiæ, inter vtrumque; vel est fluxus formæ secundùm quòd ponit istos duos modos intelligendi motum Commentator 3. *Physicor.* & dicit ibi, quòd iste secundus modus est famosior, sed primus est verior. Secundùm primum modum, motus est in genere sui termini, vel formæ: motus autem secundùm alium modum est in genere *Ad aliquid*, in primo modo relationis, quæ sumitur secundùm numerum, vel vnum; quia respectu termini *à quo*, importat talis fluxus multiplex,respectu termini *ad quem*, vnitatem.Est autem intelligendum, propter conclusionem principalem, quòd respectus,quoad præsens, est in duplici differentia. Est enim quidam respectus intrinsecus adueniens, qui de necessitate aduenit positis extremis, & talis tantùm est de genere Relationis, sicut positis duobus albis, de necessitate sequitur similitudo. Similiter, positâ actiuâ, & passiuâ generatione in *facto esse*,de necessitate ponitur paternitas, & filiatio. Alius est respectus extrinsecus adueniens, qui non ponitur de necessitate, positis extremis: talis est respectus importatus in sex aliis Prædicamentis relatiuis; positâ enim re quandali, vel temporali, & tempore, non de necessitate ponitur *quando*; sed requiritur vel adiacentia temporis ad temporale.

Quid actio, passio,& motus.

Respectus intrinsecus, & extrinsecus, explicatione, de quo 3.d. 13.q.1.

7. Hoc viso, sciendum,quòd agens potest comparari, vel ad terminum productum, vel ad passum,si comparetur ad terminum productum,siue sit in *fieri*, siue in *facto esse*, vt calefaciens ad calefactionem, siue ad calorem, quod est idem, quantùm ad hoc. Tunc sic includit relationem, vel refertur ad ipsum productum relatione, quæ est de genere *Ad aliquid*, qui aduenit positis extremis de necessitate, si comparetur ad patiens iste respectus quem includit nō est de genere *Ad aliquid*,non enim posito igne agente absolutè, & lignis,de necessitate sequitur calefactio, vel talis relatio, sed requiritur appropinquatio extremorum; non est ergo de genere *Ad aliquid*, sed de genere Actionis; talis ergo respectus extrinsecus adueniens, qui est agentis ad patiens,in agente existens, est actio, quæ est Prædicamentum,& simile est de passione.

Quantùm ad secundum articulum, est sciendum, quòd actio quædam est de genere Actionis, & ista est propriè dicta actio, de qua dictum est immediatè; & est quædam actio acta, vel producta, quæ non est de genere Actionis: sicut intelligere, & velle, sunt quædam formæ absolutæ, non de genere Actionis, sed sunt actæ, vel productæ per actiones intellectus, & voluntatis, quæ sunt de genere Actionis. Istam diuisionem ponit Simplicius super Prædicamenta; quærens quare *facere* ponitur Prædicamentum, & non factio. Et respondet quòd hoc ideò est, quia factio dicitur de actione, & effectu actionis: vtrumque enim dicitur actio, & factio, & effectus eius. Certum est autem quòd effectus actionis est actio, non quæ est Prædicamentum, sed facta. Commentator etiam 3. *Physicor.* dicit, quòd agens, & patiens, & actio, & passio differunt; sed actio facta inter illa est eadem secundùm authoritates; ergo ista est quædam actio facta in patiente, quæ differt ab actione, quæ est Prædicamentum:& de hac actione facta loquitur Philosophus 2.*de Anima* dicens,quòd ideò, quod imprimitur à sensibili in sensum, est actio. Certum est autem quòd non imprimitur in ipso aliquid de genere Actionis,sed eius effectus, qui est in sensu, imprimitur; ergo est aliqua actio acta præter illam,quæ est de genere Actionis.

Effectus actionis actio acta.

Actio acta in patiente.

8. Sed potest quæri,quare sic nominatur?Respondeo, quòd actio, quæ est de genere Actionis, est respectus in agente tantùm,quia latens nos quantumcunque de se manifestatur per effectum, quæ est actio acta; & quia sic res nominamus in aliis, sicut per sensum apprehendimus,vt communiter dicitur,& ideò,&c. Ponitur exemplum de charitate,quæ licèt sit habitus nobilis, quia tamen est latens in anima, nominatur per effectum, qui est dilectio. Est ergo duplex actio secundùm iam dicta:sed actio acta est illa,quæ est in patiente, quæ est effectus actionis propriè dictæ, & ideò non est actio Prædicamentum, quæ est in agente: nihil enim est causa suiipsius.Et differunt in hoc, quòd actio, quæ est Prædicamentum, est secundùm quam,vel per quam ab aliquo est aliud: actio autem acta est secùdùm quam aliquid est ab aliquo; esse autem à quo est aliud, & quod est ab alio, sunt

Actio Prædicamentum, & actio acta definitur.

ſunt rationes oppoſitæ; nec eidem poſſunt conuenire; ſicut idem per ſe non poteſt eſſe producens & productum, patet, & filius reſpectu eiuſdem; pater enim eſt, à quo eſt filius, & filius qui eſt à patre. Non eſt ergo verum, quod dicunt aliqui, ſcilicet quòd motus, vt eſt ab agente, eſt actio, niſi intelligatur de actione acta, quæ eſt effectus actionis; hoc enim eſt proprium producto, vt productum eſt, per actionem eſſe ab alio; ſed potiùs debet dici è conuerſo, quòd actio eſt à qua, vel per quam ab aliquo eſt aliud.

9. *Ad primum.* Ad primum, dicendum quòd verum eſt, quòd idem eſt actus motiui actiue, qui eſt actus paſſiui, vel mobilis formaliter: ſed ille actus non eſt actio, quæ eſt Prædicamentum, quæ eſt in agente formaliter, ſed eſt actio producta effectiuè ab agente.

Ad ſecũdum. Ad ſecundum, dicendum quòd actio acta eſt in patiente, vt dictum eſt, non autem illa, quæ eſt Prædicamentum. Ad probationem, dicendum, quòd actio illa, quæ eſt in agente, non eſt motus, ideò non ſequitur quòd omne agens in quantum huiuſmodi moueatur, ſed potiùs quòd ſit motiuum.

Ad tertium. Ad aliud, dicendum quòd conſequentia Philoſophi non tenet per illud medium, quòd actio ſit motus; ſed tenet per ſimile, ſic: ſi ad motum non eſt motus; ergo à ſimili, ad actionem non eſt actio; ex qua conſequenter vlteriùs ſequitur: ad actionem non eſt actio: ergo ad actionem non eſt motus, quia actio eſt cauſa motus effectiua, vel formalis, qua agens agit, vel dicitur agens. Vlteriùs dicitur per hoc, quòd eſſet proceſſus in infinitum in actionibus, quia ſi ad actionem eſſet motus, cùm iſtius motus actio ſit aliqua cauſa, oporteret præſupponi aliam actionem, aliam ab illa, ad quam eſſet ille motus; & tunc quæram de illa actione, quæ eſt cauſa illius motus, verùm ad illam ſit motus, vel non? Si non, eàdem ratione, nec ad primum. Si ſic, erit proceſſus in infinitum.

10. Præterea, tenet per locum à minori conſequentia Philoſophi; quia cùm motus ſit actus potentiæ paſſiuæ, ſi ipſa poteſt exire in actum ſuum, qui eſt motus ſine motu præcedente, multo fortiùs potentia actiua poteſt in actum ſuum, qui eſt motus, ſine motu præcedente.

Ad quartum. Ad aliud, dicendum, quòd Philoſophus non intendit ibi diſtinguere actionem, quæ eſt Prædicamentum in illos duos, ita quòd vterque ſit de genere Actionis; immò vterque modus ibi poſitus, eſt extra genus Actionis; vtraque enim actio tam manens in agente, ſicut intelligere, & velle, quàm tranſiens, eſt actio producta. Sed differentia eſt, quantùm ad hoc, quòd talium actionum quædam eſt perfectio agentis, licèt non ſecundùm quòd agens eſt, ſed ſecundùm quòd perfectibile eſt, ita quòd idem ſecundùm diuerſas rationes ſit agens, & recipiens: quædam autem eſt perfectio extrinſeca operantis, ſicut tranſiens. *Actio immanens, & tranſiens differunt.*

Ad quintum. [c] Ad aliud, dicendum quòd actio, quæ eſt Prædicamentum, quæ eſt reſpectus extrinſecus adueniens, manens in agente, non eſt ſucceſſiua, quòd menſuretur tempore, vel ſit tempus, ſed tantùm quia coëxiſtit tempori ex conſequenti: quia coëxiſtit motui, cuius eſt cauſa, & manet cum motu, non tamen eſt motus, quia nihil eſt cauſa ſuiìpſius, & motus menſuratur tempore, non tamen oportet, quòd propter hoc illa actio menſuretur tempore, ſicut Angelus coëxiſtit tempori, non tamen menſuratur tempore. *Actio an menſuretur tempore?*

ANNOTATIONES
in quæſtionem ſeptimam.

CONCLVSIO I.

Actio non eſt abſolutum, vt conſtituit Prædicamentum, ſed reſpectus extrinſecus, & in agente.

[a] RESpondeo, dico duo; primò, quòd actio ſecundùm quòd eſt, &c. Philoſophus 2. *de Anima*, *text.* 138. *& ſeq.* ait actum ſenſibilis, & ſenſus eſſe eundem, & actionem paſſionémque eſſe in patiente. Pro huius rei explicatione notandum, ex Doct. 4. *d.* 13. *quæſt.* 1. *num.* 12. actionem variè ſumi. Primò, pro operatione, quæ tamen eſt qualitas, vt oſtendit 1. *d.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 31. *& quæſt.* 9. *num.* 10. Secundò, pro reſpectu producentis ad productum totale, vt patris ad filium. Tertiò, pro reſpectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum; & iſti reſpectus ſunt intrinſeci, quia poſitis fundamento & termino, neceſſariò reſultant. Quartò, ſumitur pro re acta, includendo reſpectum, quem explicat hoc, quod eſt *eſſe ab alio*, quod colligitur ex Philoſopho 3. *Phyſic.* *text.* 22. & tenet Simplicius hîc citatus à Doct. Quintò, pro reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum; & in hac ſignificatione conſtituit Prædicamentum Actionis; quia in prima acceptione eſt forma abſoluta, in ſecunda & tertia eſt de genere Relationis; in quarta eſt in genere Quantitatis, vel Qualitatis, ſecundùm connotatum: idque colligitur ex Philoſopho iam citato, vbi ait quòd *actio eſt opus*, *& finis actiui*, *text.* 19. id eſt, res acta. Vnde cùm ibi dicat Philoſophus actionem eſſe in paſſo, ſumit eam pro connotato illius finis & operis, quod idem eſt ac res acta; vel pro reſpectu eius, qui eſt eſſe ab hoc, & ſic eſt paſſio. Vide Doct. ſuprà *à num.* 13. oſtendentem hoc eſſe de mente Philoſophi, de quo latiùs agit 3. *Phyſic.* exponendo *text.* 18. *& ſequentes.* 11. *Actio quintupliciter ſumitur.*

Ex quibus ſequitur, quòd quinta ſignificatione conſtituit Prædicamentum Actionis. Præterea 5. *Metaph.* diffinitur potentia actiua quod ſit *principium tranſmutandi aliud, inquantum aliud*; ergo tranſmutatio erit actio; productio autem, vel eductio formæ ſubſtantialis, non erit tranſmutatio, quia hæc non reſpicit aliud in quantum aliud, ita vt ſic maneat, ſed potiùs de vno facit aliud. 12. *Quid eſt potentia actiua?*

Secundò, notandum ex Doct. *ibidem*, *num.* 5. actionem non eſſe formam abſolutam, tum quia ad eam eſſet actio, & ſic proceſſus; tum etiam, quia ſi poneretur in agente, hoc priùs ſe moueret quàm aliud, quod eſt abſurdum: ſi verò in paſſo hoc, priùs moueretur forma abſoluta actionis, quàm quantitate, vel qualitate: tum tertiò, quia Boëtius de Trinit. tenet ſeptem vltima Prædicamenta non eſſe res abſolutas; ex quo ſequitur actionem eſſe reſpectum, quia non datur medium. Pro quo *Actio non eſt abſolutum.*

Tertiò notandum, reſpectum alium eſſe intrinſecum, alium extrinſecus: ille poſitis fundamento, & termino neceſſariò reſultat, vt poſi- *Reſpectus intrinſecus, & extrinſecus, quomodo differunt.*

 tis

ris duobus albis, similitudo, quæ impediri nequit. Hic non ita, sed requiritur applicatio vnius ad aliud: vt positis locabili, & loco, non sequitur locatio, nisi fiat applicatio; & positis veste & homine, non ponitur statim habitus, vel *habere* de quo Scotus suprà *num.9. & 3. d.1. quæst.1. art.1.* actio autem est respectus extrinsecus, quia positis agente, & passo, non resultat nisi approximentur: quòd verò respectiua sit, præter suprà allata, ex eo patet, quia intelligi nequit, neque concipi, nisi concepto eius termino.

13. Præterea agens, & patiens sunt correlatiua; ergo & eorum abstracta. Antecedens patet, 5. *Metaph. text.* 20. dicitur quòd agens, & patiens referuntur secundo modo relationis, de quo Doctor *ibidem quæst.* 12. Consequentia est clara.

Actio est in agente. Nunc probatur conclusio Doctoris, quoad primam eius partem; nempe actionem vt constituit Prædicamentum, sensu iam explicato, esse in agente, per suas rationes. Prima, quia relatio est in eodem cum suo fundamento; ergo & actio cum sua potentia. Secunda, actio realiter refert agens; ergo in eo est. Reliquæ rationes sunt claræ, & efficaces; quibus adde primò, formam non denominare nisi subiectum cui inest; ergo actio inest agenti, vel patiens erit realiter agens, actione sibi inhærente. Secundò, in eodem non sunt respectus oppositi, saltem ad idem; & vniuersaliter, actio & passio sunt huiusmodi, vel habent huiusmodi respectus annexos; ergo. Vide Antonium Andream 9. *Metaph. quæst.* 4. Fab. *Theor.* 41. & *Ioannem Canonicum* 3. *Physic. quæst.* 2. qui latiùs de hoc agunt.

Actio pro re acta, in passo, secundùm Philosoph. Secundam partem suadet, nempe actionem quodam sensu esse in passo, sumptam scilicet pro re acta. Quòd verò sic sumatur, patet ex primo notabili, & ex Simplicio, & Commentatore à Doctore citatis.

14. Per hoc patet ad argumenta, quæ adducuntur ex Philosopho; quia quando videtur dicere actionem esse in passo, loquitur de actione acta, vnde 2. *de Anima, text.* 104. ait: *Atque vt actio passióque non in agente, sed in eo quod patitur, sic & ipsius sensibilis actio in sensitiuo est.* Vbi expresse loquitur de operatione, quæ est actio acta, manens in sensitiuo; quod clariùs habetur in translatione antiqua, ibi: *sic sensibilis actus, & sensitiui, in sensitiuo est:* sed sensitiuum est agens; ergo si sumit actionem propriè dictam, in agente est. Sed de hoc non loquitur, sed de operatione, quæ est immanens, & sic in passo est, quod est ipsum agens.

Soluuntur argumenta, contra doctrinam datam de actione, & passione, earúmque subiecto.

Arguitur primò ex Philosopho, *text.* 20. dicitur non esse inconueniens vt idem actu sit commune duobus, scilicet agenti, & patienti; quia agentis est, vt *à quo*, patientis, vt *in quo*: & adducit exemplum de doctione, quæ est à docente; sed est in discente. Item 9. *Metaph. text.* 16. habetur sic: *quorumque præter actionem est aliud quod fit, horum actio in eo quod fit est, vt ædificatio in eo quod ædificatur.* Item 2. *de Anima, text.* 140. sicut (inquit) actio & passio in patiente est, non in agente, sic & ipsius sensibilis actio in ipso sensitiuo existit. Respondetur, ista loca intelligi de actione, quæ est operatio, vel res acta: quod satis iam ostendi ex ipso Philosopho adductis eius locis, vt videtur, ad propositum expressis; & exemplum de actione sensibilis, & sensitiui (vt habet translatio antiqua) quæ est in sensitiuo secundùm Philosophum, satis demonstrant loqui Philosophum de operatione, quia non est alia actio sensibilis, & sensitiui; species enim à solo sensibili producitur. Exemplum de doctione est morale, quia docens nihil Physicè efficit in discente: sed operationes discentis dicuntur docentis; quia ipse signa quædam exhibet, quibus discens mouetur vt tales operationes cogitiuas efformet. *Quid docens, & addiscens.*

Ad secundum locum, malè citatur; quia non dicitur quòd actio est in eo quod fit, sed actus: sed si poneretur actio, perinde esset, quia de re acta, seu de operatione transeunte ibi loquitur Philosophus, scilicet de ædificationis termino. Vide Scotum *in illum tex.* & Antonium Andream 9. *Metaph quæst.* 4. 15.

Ad tertium, ille locus est potiùs ad oppositum, maximè iuxta translationem antiquam, vt iam dixi. Adde ibi Philosophum tantummodò disputare pro & contrà, & nihil resoluere.

Arguitur secundò, actio est motus, 3. *Physic. text.* 19. ibi: *cùm igitur vtraque* (actio, & passio) *sit motus*: & *text.* 21. id habetur clarè; sed motus est in passo, 3. *Physic.* 18. ergo. Respondetur, procedit tantùm de actione pro re acta: sed de distinctione actionis à motu, agetur conclusione sequenti, & illa loca explicabuntur.

Arguitur tertiò, actio est ens successiuum, saltem quando agens successiuè agit; ergo est motus, & per consequens, in mobili quod est passum. Respondetur mensurari actionem non tempore, sed æuo, quia respectus non est successiuum. Ita Scotus *hic ad vlt.*

CONCLVSIO II.

Motus sumptus pro forma fluente est in Prædicamento termini; sumptus pro fluxu formæ, in Ad aliquid.

b MOtus autem est forma fluens, &c. Hic docet motum esse in Prædicamento sui termini: verbi gratia, si est ad Qualitatem, est in illo genere: si ad *Vbi*, similiter est in *Vbi*; sed intelligere reductiuè, & hoc sumendo motum pro forma fluente, & secundùm Commentatorem. Si verò sumatur, & secundùm eundem, pro fluxu formæ, ait Doctor esse in genere *Ad aliquid.* Hoc difficilè videtur, quia ille fluxus formæ, est passio, hæc autem est respectus extrinsecus adueniens, 4. *d.* 13. *quæst.* 1. & *d.* 43. *quæst.* 5. ergo non est in *Ad aliquid*: sed in proprio genere Passionis. Respondetur ex ipso Doctore *quæst.* 1. *num.* 16. quòd respectus fundatus super motum, est intrinsecus adueniens; quia motus est ipsa forma inducta, vel educta; respectus ergo passionis propriè dictæ fundatur super potentiam ad transmutari; sicut actio super potentiam ad transmutare; terminus autem non transmutatur per actionem; quia non supponitur ipsi, immò actio, & passio possent abstrahere à motu & mutatione, vt tenet Doctor 4. *d.* 43. *quæst.* 5. *num.* 9. Exemplum est de materia prima, cui simul tempore concrearetur forma; nam in priori naturæ tantùm habet materia respectum producti à Deum, qui est intrinsecus adueniens; in secundo tustanti 16. *Motus in quo Prædicamento sit.* *Actio, & passio in quibus fundantur?* *Actio, & passio abstrahunt à motu, & possunt esse sine eo.*

instanti naturæ, quo informatur à forma, habet respectum extrinsecus aduenientem passionis, sine quo benè posset à Deo conseruari: quo casu habetur actio, & passio sine motu, vel mutatione, quia ibi non est transitus à priuatione ad habitum, vel formam, qui ad mutationem requiritur.

17. Contrà, quia sequitur non esse ibi actionem, vel passionem; quia secundùm Doctorem sunt respectus transmutantis, & transmutati: ergo vbi non est mutatio, non possunt esse. Respondetur Doctorem ibi pressè loqui de mutatione, vt sumitur ab Aristotele, quatenus secundùm eam res aliter se habet nunc quàm antè: quo sensu requiritur subiectum præcedere formam tempore; at latiùs, sumendo mutationem, & fortè iuxta Philosophum sufficit quòd subiectum sit prius natura, quàm forma, vt mutetur, & patiatur, & in illud agatur, de quo optimè Doctor 2. d. 1. *quæst.* 4. *ad* 5. Si tamen omnis prioritas receptiui tollatur, non erit actio, nec passio: & ideò creatio actiua entis simplicis vt Angeli, vel primæ partis compositi, non est actio, neque creatio passiua eorum passio, vt habet Doctor *ibidem*; quia nulla est ibi mutatio.

Motus dupliciter sumitur.

Conclvsio III.

Actio, passio, & motus realiter inter se differunt.

18. Hinc incidit dubium, vtrùm actio realiter differat à passione, vel motu? Communis Thomistarum negat. Item, Suarez 2. *tom. Metaph. disp.* 49. *sect.* 1. habetur ex Aristotele 3. *Physic. text.* 19. vbi comparat actionem, & passionem viæ Thebis Athenis, & Athenas Thebas; qui locus, inquit P. Hurtado *in Physic. d.* 11. *sect.* 4. nullam expositionem admittit. Tenendum tamen hæc tria inter se realiter distingui. De actione, & passione patet; quia sunt in subiectis realiter distinctis, ex dictis, & alioquin idem esset realiter verberare, & verberari; & eâdem ratione patet de actione comparata ad motum; quia hæc tantùm est in passo. De motu & passione suadetur, quia sunt in diuersis generibus. Præterea, vbi non est motus, nec mutatio sensuum secundùm Aristotelem, ibi est passio, vt dictum est. Tertiò, & efficaciùs; quia respectus passionis non fundatur in motu, nec in termino actionis, vt optimè docet Scotus *quæst. d.* 13. *quæst.* 1. *num.* 16. quo casu non differret à motu, quia inseparabilis esset ab ipso secundùm eundem 2. *d.* 1. *quæst.* 4. sed fundatur immediatè in potentia passiua mutandi; ergo non est vnde identificetur motui. Quartò, si sumas motum pro fluxu formæ, erit respectus intrinsecus adueniens, vt dictum est; ergo realiter differt à passione, quæ est extrinsecus adueniens. Si verò motus sumatur pro ipsa forma producta, vel educta, cùm hæc sit substantia, quantitas, qualitas, vel Vbi (quia ad hæc tantùm datur motus, secundùm Philosophum) nec passio in aliquo horum fundetur, sed in mutato; sequitur quòd est distinctio realis inter ea, & motum.

Actio, passio, & motus realiter differunt.

19. Ad locum Aristotelis, dupliciter potest considerari via Thebis Athenas, & è contra: primò pro spatio interiacente, & certum est, quòd quantitas illa spatij eadem est, & quòd vtraque via quoad hanc, est materialiter eadem, & quantùm ad hoc actio, & passio sunt idem materialiter in motu; quia posito motu, vterque respectus actionis, & passionis resultat: qui tamen inter se, & à motu realiter differunt. Secundò; pro respectibus mutuis distantiæ Thebarum ab Athenis, & è contra; & hi differunt inter se, & à spatio realiter, non minùs quàm similitudines huius, & illius albi, differunt inter se, & ab albedine in qua fundantur. Exemplum illud itaque magis est ad oppositum; vnde subdit Philosophus, *text.* 21. *Neque si spatium vnum distantium, sic & distare hinc illuc, & illinc huc idem erit.* Ex quibus verbis habetur apertè nostra glossa, quidquid dicat P. Hurtado; & clariùs *text.* 22. *Neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione, idem propriè est, sed cui hæc insunt, motus.* Vbi negat expressè identitatem actionis cum passione, sed tantùm respectu motus, cui quasi insunt. Hæc solutio est ad mentem Scoti *dict. quæst.* 1. *num.* 16. vbi explicat vltima verba Philosophi adducta, *text.* 21. *Cui hæc insunt,* (actio, & passio) *motus est:* non enim insunt motui, vt subiecto, sed actio ei inest terminatiuè, & passio quasi subiectiuè; quia est in eodem subiecto, nempe in passo. Quòd verò non insit subiectiuè propriè, patet, quia omnis respectus motus ad agens, est inducti ad inducens, & consequenter intrinsecus adueniens: passio autem est extrinsecus adueniens. Resoluit Doctor nihil certi ibi haberi, de mente Philosophi, & idem ait Thien. 3. *Physicor. quæst.* 2. dicens Philosophum hîc magis inquisitiuè procedere; ipse autem cum Scoto sentit citans pro eodem Ægidium.

Actio, & passio quomodo dicuntur inesse motui?

20. Ad quartum de actione immanente, & transeunte, aduerte istam diuisionem à Philosopho non poni respectu actionis de genere Actionis; sed sumendo actionem pro re acta; quia huic conuenit aliquando perficere ipsum agens, non quà tale, sed quà perfectibile, vt volitio; quandoque aliud, vt calefactio, in alio producens calorem. Vnde actio non est vniuoca ad has actiones, & ad actionem de genere Actionis. Si tamen sumas actionem de genere Actionis, vt diuisum, erit vniuoca ad immanentem, id est, cuius terminus manet in agente; & ad transeuntem, cuius terminus est in alio. Communiter tamen sumitur actio immanens pro operationibus quæ sunt veræ qualitates, vt probat Doctor 1. *d.* 3. *quæst.* 6. *ad tertium,* & fusiùs *quodlib.* 13.

Actio diuiditur in transeuntem, & immanentem, æquiuocè, & vniuocè.

Operatio est actio immanens, & qualitas.

Pro quo nota ex eodem 1. *dict.* 3. *quæst.* 6. *ad primum princ.* ad actionem propriè dictam tria requiri. Primum esse in continuò *fieri*. Secundum respicere aliquod susceptiuum in quo est. Tertium aliquid producere. Duo prima conueniunt operationibus; & ideò dicuntur actiones de genere Actionis, sed quia tertium quod est essentiale actioni propriè dictæ, deest, non sunt actiones absolutè. Vide Doctorem *quæst.* 13. *&* 15.

Ad actionem propriè, tria requiruntur.

21. Dices, ex dictis sequi in diuinis nullam esse actionem de genere Actionis; quia ibi non est respectus extrinsecus, alioquin posset non esse, quod repugnat omnibus quæ in Deo sunt ad intrà. Consequens est falsum, quia filius producitur actione de genere Actionis, & Spiritus sanctus similiter. Respondetur, concedendo sequelam, quia nulla potest esse actio de genere Actionis vbi nullum est potentiale, & Filius in diuinis de nullo potentiali producitur, vt latè probat Scotus 1. *dist.* 5. *quæst.* 2. Præterea, actiuni propriè

In Deo an sit actio de genere Actionis ad intrà?

propriè dictæ correſpondet paſſio, quæ procul eſt à diuinis. Producit ergo Deus ad intra per realem relatiunem, & ad extra per relationem rationis; quia non habet reſpectum realem ad creaturam, alioquin aliquid eſſet in eo paſſibile, non neceſſarium, quod repugnat: de quo Doctor 1. *d.* 30.

Actio non menſuratur tempore.

c Ad vltimum, negat actionem menſurari tempore: & ratio eſt, quia non habet partes, ſicut nec alij reſpectus. Dicitur autem tempore menſurari, quia tempori coëxiſtit; quo ſenſu Angelus tempore menſuratur. Si quæras, quâ ergo menſurâ propriè menſuratur.

22. Reſpondetur, quòd æuo, vt colligitur ex Doctore 2. *diſt.* 2. *quæſt.* 4. vbi præter motum, ponit ferè reliqua omnia creata menſurari æuo. Quod ait hic actionem eſſe cauſam motus, videtur non eſſe verum; quia poſito motu reſultat reſpectus actionis ad mnraium; ergo priùs eſt motus. Reſpondetur, actione conſtituitur formaliter agens, per quod fit motus, qui non præſupponitur actioni, quia hæc inſurgit extrinſecus in agente dum ſe accingit ad agendum, fundatúrque in ſua potentia. Contrà, actio eſt ab agente: ergo non conſtituit illud. Reſpondetur, reſultat ex eo quòd eſt agens, non tamen ex agente, quia per eam fit agens; ſic ignis ſi calore careret, produceret eum, & calor talis non produceretur à calido; quia conſtitueret ignem calidum: benè tamen ab illo quod nunc eſt calidum, per ipſum: ſed pro illo priori, non fuit tale: ſic actio reſultat ex eo quòd per eam modò eſt agens, pro illo tamen priori, non fuit tale formaliter. Contrà, pro illo priori dabat eſſe: ergo agendo. Reſpondetur breuiùs, agendo ſe conſtituebat agens, & conſtituendo agebat: ſic relatio diuina conſtituit referendo, & refert conſtituendo. Præterea, neque prius eſt perſonam eſſe, quàm referri, vel è contra; ita non eſt prius agens eſſe, quàm agere, neque agere, quàm eſſe.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm ſenſus particularis poſſit ſimul recipere contraria?

Ariſtot. 2. *de Anima, cap. vlt.* D. Thom. 1. *part. quæſt.* 58. *art.* 2. *& quæſt.* 85. *art.* 4. & *quæſt.* 74 *art.* 4. Caiet. & Sotus 2. *Poſt. cap. vlt.* Suarez 3. *de Anima, cap.* 7. Vide Scot. in 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 3.

1. VIDETVR quòd non: Impoſſibile eſt idem ſimul moueri motibus contrariis; ſed ſi ſenſus particularis ſimul ſentiret contraria, moueretur ſimùl in contraria. Probatio, priùs enim origine mouetur ſenſus à ſenſibili, quàm ſentiat; & ideò ſi ſimul ſentit contraria, ſimul mouetur à contrariis ad contraria.

Præterea, ſi ita eſſet, vt dictum eſt, ſenſus moueretur ſimul à duobus contrariis; aut ergo ſunt æqualis virtutis illa contraria, & tunc impediunt ſe, ne vtrumque ſentiatur: aut alterum eſt maioris virtutis; & tunc illud ſolum ſentiretur, quia maior motus impedit minorem.

2. de Anima.

In oppoſitum eſt Philoſophus. Reſpondeo, quòd hoc eſt poſſibile, quia poſſibile eſt duo ſenſibilia contraria ſimul offerri ſenſui: aut ergo ſenſus vtrumque ſentit, & ſic habeo propoſitum. Si alterum, ergo eâdem ratione, & alterum; quia ſuppono quòd ſint æquè propinqua, & æqualis virtutis ad mouendum.

Præterea, experimur ad ſenſum, quòd per vnam manum ſentimus calidum, per aliam frigidum. Si dicas, ſenſus tactus non eſt vnus, non valet, ſaltem reſpectu vnius contrarietatis, quia eſt vnus reſpectu eius; calidum, & frigidum ſunt vnius contrarietatis: ergo, &c.

Præterea, potentia diſcernens inter duo, & cognoſcens eorum differentiam, neceſſariò cognoſcit vtrumque; ſed viſus cognoſcit differentiam albi, & nigri: ergo, &c. 2.

Contra hoc arguitur ſic: ſi ſentit album, & nigrum; aut vnâ ſenſatione, aut pluribus: non vnâ, quia intellectus eſt potior ſenſu: attamen non poteſt plura ſimul intelligere, immò ſi intelligat magnitudinem, oportet eſſe vnam actu: ergo, &c.

Præterea, diuerſitas actuum conſequitur diuerſitatem obiectorum; obiecta ſunt plura; ergo & actus. Præterea, diuerſis motoribus ſunt diuerſi motus: diuerſa ſenſibilia ſunt mouentia diuerſa: ergo, &c.

Præterea, de Senſu, & Seuſato dicitur, quòd vnum ſenſum ſentire diuerſa obiecta vnâ ſenſatione eſt ſimile; & vnam lineam terminari ad diuerſa puncta: hoc eſt inconueniens: ergo, &c. Sed non pluribus ſenſationibus. Probatio; quia ſi ab eadem potentia poſſunt egredi plures operationes ſimul, pari ratione & infinitæ; ſed hoc eſt inconueniens: ergo & primum. Probatio conſequentiæ per Philoſophum 4. *Phyſic.* Si duo corpora poſſunt eſſe ſimul, pari ratione infinita; quia ſicut dimenſiones infinitorum corporum ſimul ſe compati non poſſunt, ſic nec duorum. 3.

Præterea, impoſſibile eſt idem corpus ſimul figurari diuerſis figuris; ergo, nec idem ſenſus diuerſis ſenſationibus ſimul. Probatio conſequentiæ; quia ſpecies in organo aſſimilantur figuræ in cera, ſecundùm Philoſophum in hoc ſecundo.

RESOLVTIO.

Senſum vnicâ ſenſatione ſentire contraria, quando iſta inter ſe dicunt habitudinem. Vide Doctorem 4. d. 49. q. 10. ad 2. in oppoſ. & 44. quæſt. 3.

a DIcendum, quòd aliquando vnicâ ſenſatione ſentit vtrumque; ſicut quando cognoſcit vnum in habitudine ad alterum, vt ſcilicet differentia, vel contraria, vel ſimilia: ſi ſunt ſimilia alteri, aut pluribus, ſcilicet quando ſentit vtrumque abſolutè, & ſecundùm ſe. 4.

Senſus ſentit contraria vnicâ ſenſatione, vide 4. d. 44. q. 3.

Ad primum in contrarium, dicendum quòd intellectus noſter vnicâ intellectione non poteſt plura obiecta intelligere ſi ſunt diſparata, ſed hoc tantùm poteſt ſub vna ratione obiectiua; ſic etiam viſus poteſt album, & nigrum cognoſcere ſimul ſecundùm quòd conueniunt in quadam differentia, vel contrarietate, quæ eſt vna ratio obiectiua cognoſcendi ſimul vtrumque.

Ad primum. De quo 1. d. 3. q. 6. ad 3.

Præterea, idem ad ſecundum, & tertium; quia vt ſimul cognoſcuntur, habent rationem vnius obiecti, & vnius motoris.

Ad ſecundum, & tertium.

Ad argumenta alterius partis, dicendum ad primum, quòd conſequentia non valet. Ad probationem 5.

Ad primum.

bationem Philosophi, quòd non est simile, quia non est maioris potentiæ facere infinita corpora esse simul, quàm duo: tantam enim repugnantiam habent dimensiones duorum corporum ad inuicem, quantam dimensiones infinitorum; sed maior virtus requiritur ad sentiendum simul plura, quàm vnum: & infinita, quàm duo.

Ad secundum.

Ad aliud; quòd similitudo quantùm ad hoc currit, quòd sicut cera per figuram assimilatur annulo, sic sensus etiam per speciem obiecto, sed non quantùm ad propositum, vt ratio concludebat; quia figura est terminus intrinsecus quantitatis; & ideò vnius quantitatis corporeæ est tantùm vna figura: species autem non est forma ex sensu intrinsecè procedens, sed ab obiecto extrinseco in sensum.

Ad primum princip.

Motus contrariorum in sensu nō sunt contrarij.

b Ad primum principale in oppositum, dicendum quòd sensus non mouetur propter hoc contrariis motibus; quia motus contrariorum in sensu non sunt contrarij, sicut nec in medio; immò minùs, quàm in medio: tamen in eodem puncto medij species potest esse albi, & nigri; & hoc ideò est, quia species sensibilium non recipiuntur materialiter in sensu sicut in re extrà, vbi tantùm sunt contraria.

Ad secundum. Motus reales se impediunt, intentionales non. 4. d. 44. quæst. 3.

Ad secundum, dicendum quòd illi motus possunt esse æquales; si obiecta æqualiter, non mutātur; vel inæquales, si inæqualiter. Ad improbationem, dicendum quòd duo motus reales corporales se impediunt, non autem intentionales sicut in proposito. Sed contrà, hoc etiam videmus in spiritualibus: si intelligere vnum obiectum impedit intellectum ab intelligendo aliud, & sic sensum à sentiendo, & è conuerso. Dicendum ergo quòd quando vnus actus est ita intensus, quòd adæquat sibi potentiam, tunc euacuat totaliter alium actum eiusdem potentiæ: si autem sit minùs intensus, & citra terminum potentiæ, licèt aliqualiter impediat alium, & è conuerso, non tamen totaliter depellit, sed secum compatitur. Vnus ergo actus sentiendi vnum obiectum obtenebrat alium, non tamen semper obfuscat.

ANNOTATIONES in quæstionem octauam.

Conclusio I.

Sensus plura simul cognoscere potest.

6. a Dicendum, quòd aliquando vnicâ, &c. De hoc agit D. Thom. 1. *par. quæst.* 85. *art.* 4. tractans de intellectu nostro, & *quæst.* 58. *art.* 2. tractans de intellectu Angelico, resoluit potentiam plura per modum plurium non posse simul cognoscere, sed benè per modum vnius; & hoc per vnam tantùm speciem. Notandum pro hoc, notitiam dupliciter contingere esse perfectam. Primò ex parte potentiæ; vt quando adæquatur ipsi. Secundò ex parte obiecti, vt quando per ipsam cognoscitur quantum cognoscibile est.

Plura simul cognosci ab vna potētia.

Certum est potentiam non posse cognoscere plura, si cognitio vnius sit ei adæquata, quia nulla potentia potest excedere notitiam sibi adæquatam. Sed de cognitione non adæquata potentiæ, conclusio Doctoris, nempe simul cognosci plura, & contraria, per eam, experientià patet, quia simul videmus album, & nigrum, & audimus sonum grauem, & acutum, & intelligimus simul plura, constituendo inter illa differentiam, vel comparando ea inter se. Quòd verò per modum plurium cognosci possunt, patet; quia quandoque vnum cognitorum non confertur ad alia; vt quando video, vel intelligo duos homines, album, & nigrum, nullâ factâ inter ea collatione. Sed tunc oportet hæc cognosci, per plures actus; quia vnitas actus dependet ab vnitate obiecti, cui commensuratur, vt fusè probat Doctor 2. *d.* 3. *quæst.* 10. contra D. Thom. tenentem Angelum vnicâ specie posse cognoscere plures quiditates in *esse* proprio.

Verùm difficile est quomodo plura, vel contraria, vnicâ sensatione cognosci possunt; & rationes adductæ in contrarium à Doctore, satis vrgent, quòd intellectus plura per modum vnius eâdem intellectione noscat difficile non est; quia attingendo connexionem extremorum, & ferendo iudicium, necessariò intelligit eodem actu, ipsa extrema; repugnat enim videre conformitatem, vel difformitatem prædicati cum subiecto, non visis terminis; at sic visus non iudicat componendo, vel diuidendo, quia conferre vnum alteri, & de complexione iudicium ferre, ad perfectam potentiam cognitiuam spectat. Non videtur ergo quòd plura per modum vnius, vel per vnum actum cognoscere possit, quia sic iudicaret. 7.

Quid apprehēsio, & quid compositio.

Pro hoc, nota quòd post receptionem speciei intentionalis, sequitur actus vitalis, qui dicitur apprehensio; quia per eam trahitur quodammodò obiectum in potentiam: si aliud obiectum apprehendatur, sequi potest alius actus vitalis, quo comparatur vnum ad aliud; & is dicitur compositio, quia illos duos conceptus inter se componit, assertiuè, vel negatiuè. De quo Aristoteles 3. *de Anima*, *text.* 21. vbi ait intellectum plures conceptus componere, & vnum facere; ista est secunda intellectus operatio. Quando autem comparat inter se ipsas compositiones, considerans vnam ex alia inferri posse, est tertia eius operatio, nempe discursus.

Tres intellectus operationes.

Nota secundò, ex Doctore 4. *d.* 47. *quæst.* 1. iudicium variè sumi. Primò, latè pro quacumque notitia, maximè quando aliquid quomodocumque in ordine ad aliud, cognoscitur; & sic dixit Aristoteles 2. *de Anima*, *text.* 145. sensum communem iudicare de sensibilibus aliorum sensuum. Alio modo strictè, pro vero complexo per aliud, id est, per terminos, vel principia, hoc est, quando collato vno cum alio, potentia iudicat ita esse, vel non esse. Istæ acceptiones habentur apud August. 21. *Ciuit.* 27. *&* *lib.* 8. *cap.* 7. Vide alias iudicij acceptiones in Scoto citato. In prima acceptione, non differt ab apprehensione, & reperitur in sensu, & brutis. Pro quo 8.

Iudiciū variè sumitur.

Nota tertiò, ex Scoto 2. *d.* 6. *quæst.* 1. *ad* 2. quòd apprehensio etiam aliquando comparatiua est; contingit enim apprehendi possibile quod verè est impossibile, & hoc sine errore: quia hîc in iudicio tantùm reperitur, non in apprehensione: & sic intelligitur illud 2. *Physic.* *abstrahentium non est mendacium.* Hoc modo, ibi benè probat Doctor contra D. Thom. Angelum sine errore appetiisse æqualitatem Dei, & voluntatem esse impossibilium, vt vult Philos. 3. *Ethic. text.* 36. *&* *lib.* 1. *Magnorum Moral. cap.* 16. vbi ait, quòd appetimus immortales esse. Ista comparatiua apprehensio communis est sensui cum intellectu; constat enim, quòd interno

Apprehensio aliquando cōparatiua.

sensu aliqui fingunt se esse Papas, vel Cæsares, quódque in eo delectantur, & simulacra huic fictioni conformia, atque corporea efformant, & sine Iudicio strictè sumpto.

9. Neque dubium mihi est hac Sedis vacantia per mortem fel. recordat. Gregor. XV. multos istud in se experiri: vt ergo aliqua plura intelligantur cum comparatione ad inuicem, non requiritur iudicium strictè sumptum, sed sufficit apprehensio plurium sub quocumque ordine, sic vnico actu apprehendit visus album, & nigrum, vt contraria, vel differentia; non iudicando ita esse, nisi sumendo iudicium latè; quomodò Aristoteles 2. *Topic. cap.* 2. dixit *iudicare* esse genus ad *sentire*, & *intelligere*.

D. Thom. 1. *p. quæst.* 74. *art.* 4. videtur tribuere humanæ, cogitatiuæ compositionem, & diuisionem, & consequenter discursum, quem sic intelligit Caiet. & Sot. 2. *Poster. cap. vlt.* aliique Thomistæ; quod si verum esset, faciliùs intelligi posset, quomodo sensus etiam exterior, aliquam facere possint collationem obiectorum; verum tamen esse non existimo, de quo videri potest Suarez 3. *de Anima, cap.* 7.

At obiicies, Si visus vna sensatione videt album, & nigrum; ergo species vtriusque concurrit ad illum actum; quod videtur impossibile; quia sunt contrariæ. Fateor hoc esse difficile. Respondetur tamen, illas species non esse contrarias; quia sunt in eodem subiecto: & sicut non repugnant in eodem esse subiecto, ita neque ad eundem actum concurrere; & sicut in actu primo non repugnant, ita nec in actu secundo vitali: vnde verisimilius est damnatos à contrariis simul passuros, iuxta id Iob. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*, idque intentionaliter tantùm, non naturaliter, vt vult Scot. tanquam probabilius, 4. *d.* 44 *q.* 3.

Species contrariorū non sunt contraria.

Damnati simul à contrarijs passuri.

Conclusio II.

Explicatur quomodo visus simul videat album, & nigrum.

10. b *AD primum principale*, &c. Hæc solutio satis difficilis est; quatenus ait visum cognoscere album, & nigrum, vt conueniunt in vna ratione obiectiua contrarietatis, vel differentiæ. Primò, quia sensus non cognoscit vniuersale, nec ens rationis, vt probat Scot. 4 *d.* 43. *q.* 2. *n.* 11. & Aristot. 1. *Phys. text.* 49. & 2. *de Anima text.* 60. dicit, quòd *intellectus est vniuersalium, sensus singularium*. Secundò, differentia, & contrarietas sunt relationes; sensus autem visus, relationes non attingit, quia non sunt coloratæ.

Respondetur, Scotus tantùm vult visum videndo album simul cum nigro, ipso actu exercito videre non esse nigrum; sicut cùm album tantùm videt, formando eius idolum, exercitè iudicat esse album. Itaque non habet iudicium distinctum ab ipsa albi visione, vel reflexiuum, quo videat differentiam, vel contrarietatem horum; hoc enim proprium est intellectui. Sic visus percipit distantiam & magnitudinem, vt ostensum est suprà *quæst.* 6. *annot.* 3. & quodammodo cognoscit tenebras 1. *de Anima, text.* 103. vbi dicitur quòd discernimus tenebras, & lumen.

Visus nouit album, non esse nigrum.

11. Ad primum, verum est sensum non cognoscere vniuersale, sed naturam à parte rei neutram, vt habet Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 1. alioquin posset discernere inter radios Solis, quod falsum esse experientiâ patet; si enim sensibilia communia non differrent, de quibus suprà *quæst.* 6. non distingueret visus hoc coloratum ab alio eiusdem rationis: sed ad intentionem argumenti iam explicui, quomodo Scotus non loquatur de vniuersali.

Sensus non nouit vniuersale nec singulare: sed naturam.

Ad secundum, sensum non cognoscere relationem, nisi materialiter, quomodo suprà *quæst.* 6. explicui, motum, quietem, numerum ab eo videri, non per collationem, verbi gratia, partium motus inter se; sed quia nunc propior, vel distantior quàm antea res apparet. Vnde, sicut ibi dictum est, sensibilia communia sentiri sine propria specie, per modificationem speciei sensibilis proprij; sic dicendum est de albo, vt contrario nigro, & sicut vnicâ sensatione videt visus album cum sua magnitudine, figura, numero, motu, vel quiete, de quo suprà *quæst.* 6. sic mirum videri non debet, si vnicâ sensatione videat album, & nigrum. Vide Scotum *q. seq. ad vlt.* vbi habet sensum communem cognoscere aliqua differre, non tamen ipsam differentiam.

Sensus quomodo cognoscit relationem?

Quæstio IX.

Vtrùm necesse sit ponere sensum communem propter illos duos actus positos 2. de Anima, *scilicet propter cognitionem sensationis propriorum sensuum, & propter distinctionem sensibilium propriorum.*

Aristot. *de somno, & vigil. cap.* 2 & 3. *de Anima, cap* 2. Galen. *lib.* 4. *de vsu partium, cap.* 6. & *lib de symptomatum causis, c.* 6. Auerr. *lib.* 2. *de partib. animal. c.* 7. & *lib.* 2. *Collect. c.* 11. D Greg. Nyss. *lib.* 2. *de viribus animæ, c.* 1. D. Thom. 3 *de Anima, lect.* 3. & 1. *p. q.* 78. *art.* 4 *ad secundum*. Fernelius *lib.* 5. *Physiolog. c.* 11. Conimbr 3. *de Anima, c.* 3. *q* 2. Auersa *q.* 55. *de Anima*. Complutenses *disp.* 15 *de Anima q.* 1.

QVòd non, propter primum actum probatur: quia sensus particularis sufficit ad cognoscendum actum proprium: ergo ad hoc non requiritur sensus communis. 1. Consequentia patet. Probatio antecedentis, cùm actus proprius sit medius inter sensum, & obiectum, oportet quòd sit propinquior sensui, quàm obiectum: cùm ergo sensus proprius percipiat obiectum proprium; quod tamen est remotius, sequitur, quòd multo magis actum proprium. 1.

Præterea, operatio sensus proprij non est sensibile per se: ergo à nullo sensu potest sentiri nec proprio, nec communi. Consequentia patet. Probatio antecedentis; sensibilia per se sunt qualitates primæ, vel secundæ, vel aliquæ qualitates; sed actus sensus proprij neutrum eorum est; ergo, &c.

Præterea, si ponatur sensus communis ad sentiendum nos videre, cùm videre non sit nisi respectu coloris, oportebit ipsum sentire colorem; sed hoc est inconueniens, vt videtur, quia tunc eiusdem obiecti essent duæ potentiæ cognitiuæ, scilicet visus & sensus communis.

Præterea, sensus communis aut sentit actum proprium, aut requiritur alius sensus illum actum cognoscens. Si sentit actum proprium: ergo eâdem ratione & sensus proprius, quia vterque est potentia organi. Si autem sensus alius requiratur ad sentiendum actum sensus communis: 2.

quæro

quæro de illo, vtrùm sentiat actum proprium, & tunc erit processus in infinitum in sensibus; vel est standum in aliquo sentiente actum proprium.

Præterea, quòd non requiratur ad cognoscendum differentiam sensibilium propriorum; probatio: potentia cognoscens differentiam aliquorum, comparat ea, quia differentia est quædam comparatio; sed solus Intellectus, vel saltem cogitatiua, sunt potentiæ comparatiuæ, & collatiuæ, non autem sensus communis.

Præterea, habitudo differentiæ est quædam relatio; relatio autem non est sensibile per se: ergo à nullo sensu potest differentia sentiri.

In oppositum omnium prædictorum est Philosophus 2. *de Anima*, *textu* 145. *&* *libro* 3. *text.* 31.

RESOLVTIO.

Philosophus ponit sensum communem ad cognoscendum actus propriorum sensuum, ac discernendum inter propria sensibilia.

3. Respondeo, secundùm Philosophum, habentur duæ viæ ad inuestigandum necessitatem sensus communis, scilicet per duas operationes prædictas: & possunt ad hoc sic formari rationes. Prima sic: cùm potentia sit proprium principium operationum animæ, oportet omnes operationes animæ ad aliquam potentiam reduci: cognoscere differentiam albi, & dulcis, est operatio animæ, hoc autem non reducitur ad potentiam intellectiuam, quæ tantùm habet cognoscere de rebus intelligibilibus, & eorum differentiis, vt intelligibilia sunt; differentia autem albi, & dulcis cognoscitur ab anima, non tantùm vt differunt per suas quiditates, quæ pertinent ad intellectum, sed etiam vt sensibilia sunt. Quod patet, quia brutum, in quo non est intellectus, cognoscit eorum differentiam, vt vnum sensibile alteri præeligat, vel præacceptet: ergo hanc differentiam cognoscere pertinet ad potentiam; sed hoc non pertinet ad sensum particularem, quia ad hoc quòd aliqua potentia sensitiua cognoscat differentiam aliquorum, oportet eam priùs ordine naturæ vtrumque absolutè cognoscere; sed nullus sensus particularis cognoscit sensibile alterius sensus, sed tantùm proprium; non autem per se potest cognoscere duo sensibilia propria: ergo nec potest inter illa cognoscere differentiam: ergo sequitur ex prædictis, quòd hoc pertineat ad aliquem sensum communem.

4. *Secunda via pro sensu communi.* Secunda via sic patet: Experimur sensibiliter nos sentire. Item, hoc probatur ratione: posito effectu ponitur eius causa; sed perceptio conuenientis cum conuenienti est causa delectationis secundùm Auicennam, delectatio autem est in actu sentiendi tam in nobis, quàm in brutis: ergo est in nobis, & in ipsis perceptio actus sentiendi nobis conuenientis. Manifestum est autem quòd brutum non percipit se sentire, nisi per sensum, quia non habet intellectum; ergo per aliam potentiam, sensitiuam, non autem per aliquem sensum particularem; quia secundùm Pelum nulla virtus corporalis, vel organica est super se, vel super actum suum reflexiua; potentia autem sensitiua est organica: ergo sensus particularis non

est propriè operationis perceptiuus: ergo communis sensus est tantùm cognoscitiuus operationis sensus particularis. Hoc autem habet fieri per hunc modum. Primò enim sensus proprius à sensibili proprio immutatur; immutatio autem cuiuslibet sensus ad sensum communem terminatur, sicut plures lineæ ductæ à circumferentia ad idem centrum terminantur; sensus autem communis sic immutatus à diuersis sensationibus, vel immutationibus particularibus, iudicat, & cognoscit actum cuiuslibet sensus particularis, & vlteriùs cognoscit differentiam sensibilium propriorum. Viæ prædictæ sumuntur à Philosopho.

RESOLVTIO.

Auicenna colligit dandum esse sensum communem ex conseruatione specierum sensibilium in absentia obiecti, & ex circulari motu virgæ, in cuius summitate appareat color à reliquo eius colore diuersus, aliisque experientiis.

5. *Tertia via pro sensu communi.* Sed sequendo Auicennam, prima via sumitur sic: natura non deficit in necessariis; sed ad vitam animalis perfecti requiritur conseruatio specierum sensibilium, etiam in eorum absentia (quia aliter non possent moueri progressiuè ad sensibile distans, & absens) & mediantibus speciebus sic reseruatis, sicut apprehensio sensibilis absentis per aliquam potentiam sensitiuam sentit, non autem per particularem; quia talis sentit præsente sensibili tantùm: ergo vel ipsa est sensus communis, vel saltem præsupponit ipsum sicut imaginatiua, vel rememoratiua.

Quarta via. Alia via Auicennæ sumitur ex eo, quòd ad sensum videmus, scilicet quòd si attendamus ad guttas pluuiæ sibi mutuò succedentes, apparebit nobis vna linea de omnibus illis guttis quasi continua. Similiter, si moueatur circulariter aliqua virga in cuius summitate sit color aliquis, apparebit nobis circulus quidam in summitate eius propter circularem motum perceleremm summitatis, vel coni illius virgæ. Ex hoc sic potest argui: Impossibile est sensum particularem percipere suum sensibile vbi non est; sed summitas virgæ motæ non est semper in eodem loco, in quo apparet circulus; quia circulus apparet quasi immobilis, illa autem semper mouetur; simile est de guttis: ergo ille circulus in illa linea non percipietur à sensu particulari: ergo à communi. Simile est de homine existente in naui mota, qui iudicat ad sensum ripam moueri.

6. *Ad primum. Sensus nō sentit suum actū contra Doctorem 4. d. 45. q. 3. n. 12.* Ad primum argumentum, dicitur quòd antecedens est falsum. Ad probationem, dicendum quòd non quæcumque propinquitas facit ad hoc, quòd propinquum sentiatur, sed tantùm proportionabiliter; quia nec nimis remota, nec nimis propinqua. Vnde medium inhærens, vel coniunctum non requiritur saltem in visu: modò ita est quòd actus sentiendi sensibile proprium est medium inhærens, quod est in sentiente, ideò non sentitur, quia non est potentia reflexiua super se, nec sentit aliquid in se existens.

Ad secundū. Sensatio an sensibilis? Ad aliud, dicendum quòd organum est aliqualiter coloratum per speciem, & per visionem, quæ nullo modo assimilatur colorato, à quo est primogenita; & per consequens potest dici, quòd non

non tantùm est sensibile per se qualitas prima, vel secunda; sed etiam aliquid causatum à qualitate prima, vel secunda, vt sensatio, & visio.

Ad tertium. Sensus communis an sentit colorem?

Ad aliud, dicendum quòd sensus communis sentit & visionem, & colorem. Ad probationem, quando dicitur quòd impossibile est duas potentias disparatas esse respectu eiusdem obiecti, dicendum quòd non est inconueniens, si sentit ordinatè; ita quòd vna sit superior, vel communior aliâ; sic se habent sensus communis, & sensus proprius. Ideò etiam verum est, quòd idem non est obiectum æquè primò vtriusque, sed obiectum primum sensus proprij, & cuiuslibet potentiæ est illud quod adæquat ipsum, vt color visum; illud tamen non adæquat sensum communem, quia potest aliud obiectum sentire: & ideò non est eius obiectum per se primum.

7. *Ad quartum. Imaginatiua reflectitur.*

b Ad aliud, dicendum quòd imaginatio sentit actum proprium: imaginamur enim nos imaginari, & imaginatos fuisse, & memoramus nos memoratos fuisse, & somniamus nos somniare, sicut experimur manifestè. Ita potest dici quòd sensus communis sentit actum proprium secundùm modum aliquem prædictorum. Sed per quem modum est possibile? Dicendum, quòd sicut ab actu imaginationis defluunt quædam species in organo sensus particularis, siue interioris, siue exterioris, in qua specie est similitudo illius actus, à qua specie potest potentia imaginatiua tunc immutari. Sic est de sensu communi, quia ab eius actu defluit quædam species in organo sensus particularis, à qua specie retinente similitudinem eius, potest sensus communis immutari; & hoc non est reflecti super actum proprium directè, sed mediante specie ab eo defluxà.

Sensus communis sentit suũ actũ, & quomodo?

8. *Ad quintum. Sensus cõmunis an collatiuus?*

a Ad aliud, dicendum quòd sensus communis non est potentia collatiua propriè sicut memoratiua, vel cogitatiua: memoria enim cognoscit suum obiectum vt distans à præsenti, non cognoscendo tempus medium; est enim præteriti, vt præteritum est; sed sensus communis sic confert vnum sensibile alteri, quòd simul sentit ipsa sensibilia, & sentit ipsa differre sine intermedio aliquo: & talis collatio, id est, compositio, & diuisio non repugnat ei; sicut non repugnat sensui proprio affirmare, vel negare proprium obiectum de aliquo, vt dicitur 3. *de Anima*.

2. de Anima, text. 138.

Ad sextum.

Ad aliud, dicendum quòd licèt sensus communis cognoscat illa quæ differunt, & cognoscat album differre ab aliis, non tamen cognoscit habitudinem differentiæ secundùm se, sed tantùm in fundamento suo. Ponit exemplum de intellectu: quidquid intelligit, intelligit sub ratione veri, non tamen quod intelligendo aliquam qualitatem intelligat ipsam rationem veri; quia tunc reflexiuus esset in quolibet actu suo; ita licèt sensus communis cognoscat aliqua differre etiam sub ratione differentiæ, non oportet quòd patiatur propriam immutationem ab ipsa differentia secundùm se, quæ est quædam relatio; & ideò non sequitur quòd relatio sit sensibilis per se, licèt ipsa relata sint sensibilia per se.

Sensus cõmunis cognoscit aliqua differre, non tamen differentiam.

ANNOTATIONES in quæstionem nonam.

9. a RESpondeo secundum *Philosophum*, &c. Duobus viis colligit Philosophus dandum esse sensum communem. Prima, quia bruta cognoscunt differentiam albi à dulci; & sic de aliis sensibilibus propriis: ergo per aliquem sensum communem, id est, attingentem omnia aliorum sensuum obiecta. Secunda via, quia experimur nos sentire, id autem non potest competere sensui particulari, quia non reflectitur supra se: ergo communi. Hanc rationem affert Philos. *de Somno, & Vigilia, c.* 1. Si dicatur ad primam viam, ipsam animam per diuersos sensus discernere omnium sensuum obiecta. Contra hoc est, quia per eandem potentiam, oportet ea cognoscat, vt ea discernat; visus discernit duos colores, & auditus duos sonos; sed neuter discernit inter sonum, & colorem.

Vnde indagatur sensus communis?

Si quæras, quomodo vna potentia corporea potest tam diuersa obiecta attingere? Variè varij respondent. Themistius 2. *de Anima, cap.* 8. ait sensum communem non recipere species diuersorum sensibilium, sed iudicare de eis coràm positis. Sed hoc est falsum, quia non iudicat, nisi cognoscendo, neque cognoscere potest; nisi per species in se receptas. Secundò, cognoscit in absentia obiectorum externorum sensuum, & tunc non sunt species in sensibus externis; ergo in communi. Alij tenent in varias partes organi recipi diuersorum sensibilium species. Philoponus *de Anima, fol.* 79. Hæc responsio supponit species recipi in organo, cuius oppositum, nempe in ipsa potentia recipi, fortè verius est. Meliùs dicitur sensum communem tam diuersa cognoscere, quia est potentia perfectior virtute continens perfectionem sensuum externorum. Vnde August. 12. *sup. Gen. ad lit.* 26. comparat quinque sensus riuulis, à sensu communi, vt à communi fonte manantibus. 10.

Quomodo sensus communis tam diuersa apprehendat?

CONCLVSIO II.

Sensus externos non cognoscere suos actus.

CIrca secundam viam Philosophi controuersia est; an sensus cognoscant suos actus; & quidam affirmant etiam de externis. Themistius 3. *de Anima, cap.* 2. *con.* 4. Auerroës *text.* 136. Caietanus, Venetus, Agid. 3. *de Anima, cap.* 2. Communior sententia id negat de externis, sed asserit internum sensum cognoscere externas sensationes. Ita Diuus Thomas 1. *part. quæst.* 87. *art.* 3. *ad* 3. *& art.* 4. *ad* 2. Scotus 4. *distinct.* 45 *quæst.* 3 *num.* 12. vbi ait sensationem exteriorem imprimere sui speciem interiori sensui, mediante quâ, in parte sensitiua ponitur recordatio. Prima pars suadetur primò, quia sensatio particularis sensus, non continetur sub suo obiecto: verbi gratiâ, visio sub colorato, auditio sub sono, &c. Secundò, sensus non cognoscit se: ergo nec suum actum; quia eadem videtur ratio. Tertiò, sensus non sentit qualitatem sensibilem sibi inhærentem, vt ostensum est *q.* 3. *annot.* 3. ergo nec sensationem suam. 11.

Obiicies, Aristoteles 3. *de Anima, text.* 138. ait quòd visus videt se videre; quia quodammodo colore delibutus est. Respondetur visionem à visu cognosci non per reflexionem, vel speciem eius, sed quia est vitalis actio cognoscitiua, per illam in actu exercito, videmus nos videre, & postea experimentalem habemus notitiam, non solùm quid est album, quod vidimus, sed etiam quid est vidisse album, ex quo habetur, quòd aliquo modo visa est visio: & sic intelligendum puto Scotum 4. *dist.* 45. *quæst.* 3.

Quomodo visio videtur?

Etsi

12. Etſi quoad ſecundam partem conueniatur, nempe ſenſationes externas percipi à ſenſu interno. Quod etiam experientia conſtat, quia recordamur rei viſæ, & viſionis. Controuertitur tamen an id fiat per ſpecies proprias ſenſationum: & rationes iam adductæ ad primam partem, ſuadent quòd non. Præterea, ſequeretur quòd videndo album, duæ ſpecies imprimerentur ſenſui interno, ſcilicet albi, & viſionis, & conſequenter haberet duos actus; quod eſt contra experientiam. Item, ſi haberetur propria ſpecies ſenſationis, formaretur proprium eius idolum, quod eſt contra experientiam.

Senſatio externa an per propriam ſpeciem ab interno ſenſu percipitur?

Propter hæc ſatis probabile videtur ſenſationes externas percipi à ſenſu interno per ſpecies ipſorum ſenſibiliom modificatas, quomodo ſuperiùs dictum eſt, ſenſibilia communia percipi per eaſdem ſpecies aliter modificatas: nec hoc eſt contra Scotum, quia ibi in vtramque partem diſputat, nihil reſoluens, vt *verſ. Aliter poteſt dici*, recedere videtur ab illo dicendi modo Præterea, *4. diſtinct.* 42. *quæſt.* 3. *num.* 9. & 11. docet quantum non eſſe ſuper ſe reflexiuum; ſed hoc ooo multùm facit ad rem, quia cognoſcendo aliorum ſenſuum ſenſationes, noo reflecteretur.

Conclvsio III.

Probabile phantaſiam ſentire ſenſationes externas per proprias ſpecies.

13. Probabile tamen videtur, quòd iſtæ ſenſationes per proprias ſpecies videntur. Primò, quia id videtur Ariſtoteles tenere *lib. de Som. cap. vlt.* vbi ait, *ſummam poteſtatem ſentire Coriſcum, & ſimulacbrum eius*, per quam poteſtatem intelligit imaginatiuam, & *lib. de Mem. & Reminiſc.* ait fieri memoriam ſenſitiuam, dum imago rei permanens percipitur. Præterea, locus ille adductus de viſu, id à fortiori probat de ſenſu interno. Secundò, intellectus ſe habet ad phantaſma, ſicut viſua ad colores: de quo Scotus 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 1. & 4. *diſtinct.* 45. *quæſt.* 1. & ideò oporter intelligentem phantaſmata rimari: de quo idem 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 19. ergo oihil intelligit intellectus pro hoc ſtatu, quod noo phantaſiatur phantaſia: ergo cùm intelligat intellectus ſenſationes, cognoſcuntur etiam à phantaſia. Tertiò, quia illa modificatio eſt concurſos aliquis ſenſationum ad ſui notitiam; & non videtur quomodo hoc eſſe poſſit, niſi productione ſpeciei; quia iſte concurſus eſt vitalis, & aſſimilatiua potentiæ ad ſenſationem, vt ad obiectum, quod proprium eſt ſpeciei officium. Quartò, difficile eſt, quomodo vna ſpecies numero, obiecta diuerſa ſpecie repræſentet, cuiuſmodi ſunt album, & eios viſio, & ſic de aliis. Hæc pars magis videtur ad mentem Doctoris *4. diſt.* 45. *q.* 3. *& hic ad* 1. & 4.

Senſationes per proprias ſpecies videri ab interno ſenſu, probabile.

Intellectus ad phãtaſma ſicut viſus ad colores.

Ad rationes in cootrarium, quæ ſatis vrgent, aliqualiter reſponderi poteſt. Ad primam adductam pro prima parte, ſenſationem quodammodò eſſe ſub obiecto ſenſus, quia, ait Ariſtoteles ſupra, viſio eſt quodammodò colorata.

14. Ad ſecundam, ipſe ſenſus non eſt qualitas ſenſibilis, neque intentionalis ſimilitudo eius; ſecus eſt de ſenſatione. Ad tertiam, qualitas per ſe primò ſenſibilis inhærens, non ſentitur propter rationes ibi adductas; at benè poteſt ſentiri qualitas ſecundò ſenſibilis, licèt inhæreat; quia ſufficit qualitatem primò ſenſibilem non inhærere: & ſic eſt io propoſito; quia ſenſatio eſt ſenſibilis per ſubordinationem ad qualitatem primò ſenſibilem: verbi gratiâ, viſio ad albedinem. Præterea, ideò qualitas ſenſibilis inhærens non ſentitur, quia ineſt cum conditionibus materiæ: quâ ratione, vt oculus videat, debet eſſe denudatus omni colore, de quo dixi ſuprà *quæſt.* 4. & ſenſatio inhæret intentiooaliter ſine conditione materiæ.

Qualitas primò ſenſibilis, ſi inhæret, non ſentitur: ſecus ſecũdò ſenſibili.

Senſationis formamus idolum, ſed nõ aduertitur.

Ad primam, pro ſecunda parte, noo eſt inconueniens io ſenſationibus externis, duas ſpecies interno ſenſui imprimi; neque eſt coorra experientiam duos actus ab eodem elici, etſi ſæpius hoc oon contingat; & quando contingit, noo ſemper aduertitur. Ad ſecundam, tale idolum formatur, ſed quia magis occupatur potentia circa obiectum ſenſibile, quàm circa ſenſationem eius, quia in hanc per quandam conſequentiam ad illud, tendit; ideò noo ita patenter experimur nos efformare tale idolum, vel ſimulacrum. Fateor rem eſſe difficillimam, neque rationes pro hac, vel illa parte quidquam conuincere poſſe. Suarez 3. *de Anima, cap.* 11. fusè contra hanc partem diſputat, cuios rationes iam aliqualiter ſoluimus.

15. b *Ad quartum, dicendum quòd ſicut ab actu imaginationis*, &c. Hoc ſatis obſcurum eſt, & difficile: quia tamen coniecturis tantùm proceditur, videtur ooo eſſe alium modum cognoſcendi proprij actus in imaginatiua; quia eius ſenſatio non producit ſpeciem in ipſa; & cùm cognoſci nequeat ſine ſpecie, oon videtur vbi ponenda ſit hæc ſpecies, niſi in ſenſu communi, quæ aliam ſpeciem imperfectam prodocit in imaginatiua, quia potentia non ſentit niſi per ſpeciem. Fateor hoc mihi non adeò ſatisfacere, ſed non occurrit pro nunc alius explicandi modus. Ferè admittitur ſpeciem imprimi à ſenſatione in ipſum ſenſum internum, idque aliquale habet fundamentum ea ſolutionibus argumentorum *num.* 5. & tenendo non eſſe plures ſenſus internos, ſed tantùm vnum, id oeceſſe eſt dicere, iuxta hanc ſolutionem.

Quia Scotus in hac ſolutione mentionem facit duorum, vel trium ſenſuum internorum, explicandum venit, quot ſint pooendi ſecundùm ipſum, de quo parum reperio ab ipſo ſcriptum. Notandum omnia hæc, ſenſum communem, imagioatiuam, æſtimatiuam, cogitatiuam, memoriam, phantaſiam, & reminiſcentiam ſignificare potentiam aliquam corpoream, diſtinctam à quinque ſenſibus externis. Sed an iſtæ potentiæ ſint inter ſe diſtinctæ, & quot ſint, non parua controuerſia eſt inter Expoſitores Ariſtotelis 1. *de Anima, cap.* 2. & 3. de quo videri poſſunt Conimbr. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Ferrara 3. *de Anima, quæſt.* 3. Toletus *quæſt.* 6.

Varia potẽtia interna corporea.

Prima ſententia pooit quatuor ſenſus internos, quam Coninibricenſes dicunt eſſe communem Philoſopborum. Tenent Diuus Thomas 1. *p. quæſt.* 78. *art.* 4. Caietaoos *ibi*. Ferrara *citatus*. Auerroës 3. *de Anima, con.* 6. Secunda ſententia tantùm ponit ſenſum communem, & phantaſiam, qoam identificat cogitatiuæ, æſtimatiuæ, & memoriæ. Ita Peterius 3. *de Anima, cap.* 3. *quæſt.* 1. Venetus *ibi*. Alij ponunt quinque cum Auicenna *lib.* 6. *part.* 4. Albertus *tract.* 4. *cap.* 7. Aoton. Andr. 1. *Met. quæſt.* 5.

Conclusio IV.

Verius videtur vnum tantùm esse sensum internum, qui variis nominibus appellatur.

16. Omissis rationibus harum sententiarum, cùm entia non sint multiplicanda sine necessitate, 1. *Phys. text.* 50. *& lib.* 3. *text* 48. videtur tenendum, vnum tantùm sensum internum ponendum, qui tamen propter varia eius munia, variè appellatur. Hanc tenent noster Alens. 2. *part. quæst.* 70. *in* 2. Tartaret. 2. *de Anima, in fin.* Suarez 3. *de Anima, cap.* 30. eùmque puto Scoto conformem, quia nullibi, quòd sciam, ponit plures sensus internos distinctos. Philip. Faber *Theor.* 100. moltū insudat, vt probet secundùm eū, tres esse: scilicet sensum communem, phantasiam, seu imaginatiuam, & memoriam. Sed nihil præstat, neque Scotum fideliter citat. Dicit enim Scotum 1. *distinct.* 3. *quæst.* 2. §. *Dico* 5. asserere compositiones facere specierum, quæ sunt in imaginatiua, munus esse imaginatiuæ; nihil tale habet; sed æstimatiuam, quæ ponitur ad cognoscendas intentiones non sensatas, meritò ibi contra Henricum reiicit. Secundò, dicit Faber Scotum 1. *d.* 3. *q.* 6. §. *Secundò, sic n.* 11. ponere expressè sensum communem distinctum à phantasia; sed Scotus ibi potiùs oppositum insinuat; tum quia ibi videtur dicere species conseruari in sensu communi, propter quod tamen ponitur phantasia ab eo distincta, tum etiam, quia pro eodem sumit sensum communem, & virtutem phantasticam.

Philip Faber reiicitur.

Scotus nusquam ponit plures sensus internos.

17. Adde quòd *eadem quæst. num.* 26. dicit species seruari in imaginatione, seu parte sensitiua, quod idem est ac sensus communis. De memoria nullum locum adducit Faber ex Doctore, nec adducere potuit. Solùm tenet vt problema 4. *distinct.* 43. *quæst.* 3. dari, vel non dari memoriam sensitiuam; & si id assertiuè teneret, non ideò teneret eam à phantasia, vel sensu communi distingui. Cùm igitur Scotus 2. *dist.* 6. & passim, pluralitaté sine necessitate admittendam esse, cum Philosopho neget, neque vllibi plures sensus internos distinctos posuerit, vnicum tantùm posuisse, censendus est. Fateor, hîc ad quartum videri posset ponere imaginatiuam, vt distinctam à sensu communi; verùm nihil asserit, sed exemplum adducit iuxta communem sententiam, de harum potentiarum distinctione, non resoluens quid esset tenendum.

Hæc sententia sufficienter probatur, respondendo ad rationes, quibus alij pluralitatem ponunt in sententia Diui Thomæ, ideò ponitur phantasia distincta à sensu communi, quia hic facilè recipit species, iisque vtitur in præsentia obiecti, illa autem eas conseruat, & vtitur in absentia obiecti; ista autem sunt adeò distincta, vt ab eadem potentia prouenire nequeant. Ponitur etiā cogitatiua, seu æstimatiua ab his diuersa, quia cognoscit intuitiuè per species insensatas: verbi gratia, ex sensibilibus lupi sensatis, cognoscit ouis rationem nociui insensatam: memoria autem, quia easdem species insensatas seruat, & abstractiuè eis vtitur, à tribus relatis potentiis distinguenda est.
18. Itaque ratio multiplicandi has potentias, est receptio, & conseruatio specierum, & earum vsus intuitiuus, & abstractiuus.

Sed hoc nihil concludit, quia potentia cognoscens abstractiuè, cognoscit etiam intuitiuè, seu in præsentia obiecti; quia sensibilia externa tantùm mutant dum sunt præsentia, & cessante eorum præsentia, cessant species, & immutatio: ergo cùm phantasia, & memoria sic mutentur, etiam intuitiuè cognoscunt, & consequenter non distinguuntur à sensu communi, & æstimatiua, in eo quòd non cognoscant intuitiuè, sed tantùm abstractiuè; quia phantasia simul cum sensu communi immutatur, vel nunquam immutabitur; quia nihil habet, nisi quod tunc recipit. Et idem est de memoria respectu æstimatiuæ. Præterea, quòd ponitur vna potentia ad recipiendum, altera ad conseruandum species, contra rationem videtur. Primò, quia sic ponendi essent duo visus, duo auditus, duo intellectus, &c. Secundò, si vna recipit speciem, non potest transferre in aliam seruandam, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum.

Potentia cognoscēs abstractiuè, intuitiuè cognoscere potest.

Tandem, illa distinctio specierum in sensatas, & insensatas, falsa videtur. Pro quo Nota, quòd tria solent distingui genera specierum. Sensatæ dicuntur, quæ rem repræsentant eodem modo, quo fuit in sensu externo; vt species interna parietis. Compositæ species sunt, quando ex simplicibus fit vnum; vt cùm imaginamur montem aureum, species talis compositi non sunt in sensu externo, sed tantùm partium eius. Species insensatæ repræsentant rem sensibus externis sub vna ratione notam, sed sub alia ignotam; vt cùm ouis apprehendit lupum, vt inimicum, species repræsentat colorem, figuram, & alias huiusmodi qualitates sensibus externis notas; sed inimicitiam præsentat oui ignotam, & sic species repræsentans inimicitiam dicitur insensata.

Diuiditur species in sensatam, & insensatam.

Videtur quibusdam non dari huiusmodi species insensatas; quia in exemplo dato, inimicitia sic abstracto modo, non potest per speciem sensibilem repræsentari; quia non aliter repræsentare potest species illa, quàm sub ratione talis figuræ, coloris, &c. Ratio ergo illa inimicitiæ, vt modus quidam fundatus in specie sensata repræsentatur, quomodo per speciem proprij sensibilis modificatam, repræsentantur sensibilia communia. Ouis ergo per ipsam speciem sensatam cognoscit lupum, vt inimicum, sicut auis etiam inexperta pluuiæ, per speciem venti, fugit pluuiam. De quo Scotus 4. *distinct.* 45. *quæst.* 3. Sed probabilius fortè est talem speciem dari, neque satis intelligi potest, quomodo sine ea repræsentari posset inimicitia, vel ratio nociui, delectabilis, aut tristabilis. Præterea, eadem est species interna sensata lupi, in oue, & alio lupo; & tamen à lupo apprehenditur vt amicus, ab oue vt inimicus: ergo ab alia, & alia specie, quia eadem species non potest repræsentare contraria; ergo præter species sensatas, habent alias non sensatas. 19.

Quomodo oui inimicitia lupi cognoscitur

Probabile dari speciem insensatam.

Admissâ ergo illâ diuisione, non inde sequitur potentiarum distinctio; quia vna, & eadem vtrisque speciebus vtitur: nam illa potentia, quæ cognoscit externa sensibilia lupi, cognoscit etiam ipsum esse inimicum. Quod patet, quia æstimatiua non potest cognoscere lupum vt inimicum, nisi cognoscat ipsum lupum: ergo vtrâque specie vtitur, sensatâ, & insensatâ. 20.

De Aristotele, quid in hac re senserit, dubium est, & quælibet sententia ipsum secum trahit. *cap.* 1. *de Memoria*, pro hac sententia stat, quia ibi loquitur de omnibus internis sensibus tanquam de vno. In aliis locis videtur fauere aliis sententiis; sed

Quid Arist. de numero sensuum internorum.

sed explicari potest, quòd tantùm voluerit dictas potentias distingui ratione, vel ad summum formaliter,& secundùm diuersa officia.

Scotus hic ad quartum & quintum fauere videtur sententiæ ponenti tres sensus interiores; sed ea proposito rem non tractat;sed respondendo argumentis, vtitur communi sententia, non examinans eius veritatem/ Vel explicari potest de distinctione formali harum potentiarum.

Conclusio V.

Sensus non iudicat propriè,neque componit, vel diuidit.

21. [c] AD *quintum, ad aliud dicendum*, &c. Ideò dicit sensum communem non esse ita collatiuum, sicut est cogitatiua, vel memoria (intellige quomodocumque ista inter se distinguantur:) quia memoria est præteriti vt præteriti, comparans obiectum cum actu, quo sensatum est, non cognoscendo tempus medium, nec præsens, sed benè actum iam habitum, quo mediante cognoscitur eius obiectum; at sensus communis conferendo vnum sensibile alteri, simul cognoscit vtrumque, eorúmque differentiam, sine aliquo intermedio, vel actu ipsius præuio. Cùm ait talem collationem esse compositionem, vel diuisionem, loquitur de his latè sumptis; quia nullus sensus propriè componit, nec iudicat; sed eodem actu, quo cognoscit suum obiectum, exercitè cognoscit esse tale, & differre ab alio non tali; quæ cognitio non est iudicium propriè sumptum, sed mera apprehensio, qualis conuenit etiam sensibus externis, vt hic dicit Doctor. de quo diai *q. preced. annot.* 1.

Sensus cōmunis & memoria, differentia.

Ad vltimum. Ad aliud dicendum, &c. Vult dicere sensum non cognoscere relationem in actu signato, sed tantùm in exercito; quod tantùm est cognoscere fundamenta relationis: quod optime exemplo declarat; iuxta quod intelligi debet quod dixit *quæst. præced. ad primum*: visum cognoscere album, & nigrum vt conueniunt in vna ratione differentiæ, vel contrarietatis; non enim sentit, quòd ipsam contrarietatem, vel differentiam videat directè,quia sic reflecteretur; sed quòd actu exercito videndo hæc duo, videt eodem actu, hoc non esse illud, vt ibi explicui.

Quæstio X.

Vtrùm sensus communis sit vnus, vel plures?

Alexand. 1.*de Anim. cap.* 19 Philop. *lib* 2.*circa text* 144. Simplicius *circa text* 153. Themist. *lib.de Memor.& Reminisc. cap.* 6. & 10. Galen. *lib.* 2. *de Muscul motu.* Auer. 3.*de Anima, comm* 6. D. Thom. 1.*p.q.*78. *art* 4. Alensis 2.*p.q.*7. *memb.*2. Rub. 3.*de Anima, cap.*3. *tract. de sensib intern q* 1. Suarez 3.*de Anima, cap.*30.Hurtad. *disp.*17 *de Anima, sect.*7. & 8. Fonseca 5. *Metaph cap.*28 *q* 7. *sect* 4. Conimb 3. *de Anima, cap.*3.*q* 1.*art.*2.Auersa *q.*55. *sect.*3. Complut. *disp.*15.*q.*2.

1. VIDETVR quòd plures; quia vna potentia est tantùm vnius organi; sed sensus communis non est tantùm vnius organi;ergo,&c. Probatio minoris,per Commentatorem dicentem, quòd sensus communis est plures secundùm instrumenta.

Præterea. Minor patet per rationem, quia organum debet esse in media proportione inter sensibilia; sed nulla proportio media vna potest reperiri inter omnia sensibilia, quæ sunt obiecta communis sensus; quia vnius contrarietatis est tantùm vnum medium; sensibilia autem sunt diuersarum contrarietatum; ergo,&c.

Præterea, impossibile est idem esse in actu per plura in actu;ergo idem sensus non potest esse in actu per plura sensibilia; sed sensus communis reducitur ad actum per plura sensibilia particularia: ergo, &c.

Præterea, vnus sensus est tantùm vnius contrarietatis; sed omnia sensibilia non sunt tantùm vnius contrarietatis: ergo sensus communis,qui est respectu omnium, non est vnus.

In oppositum est Philosophus. 2.de An. c.5. & 6.

Resolvtio.

Sensum communem esse vnum, non prædicatione, sed singularitate, eiúsque organum esse vnum.

[a] REspondeo,quòd sensus communis non est vnus vnitate prædicationis, sed vnitate singularitatis vel causalitatis: est enim causa & radix omnium sensuum particularium. Probatio propositi,quia quod est vnum prædicatione tantùm non habet operationem distinctam ab operationibus particularium contentorum sub ipso; sed sensus communis habet operationem distinctam ab operationibus sensuum particularium, quia distinguit inter sensibilia singularia diuersorum sensuum;ergo, &c. Est etiam vnus vnitate actus, qui est discernere album à dulci, quod est actus eius. 2.

Sensus communis quomodo vnus?

Sed dices, quòd licèt eiusdem potentiæ sit discernere album à dulci, tamen alterius est discernere album à sono.

Contrà, si aliqua potentia discernit album à dulci, ab illa quæ discernit album à sono, tunc sequeretur quòd eàdem ratione duæ potentiæ non subordinatæ cognoscerent album;quia nulla potentia discernit inter aliqua, quæ non cognoscit quodlibet eorum; sed hoc est impossibile de duabus potentiis non sibi inuicem ordinatis; ergo,&c.Est etiam vna potentia sensus communis, vnitate organi.

Dicunt tamen quidam, quòd eius organum est tantùm vnum, vnitate aggregationis. Contrà, cùm sensus communis sit potentia organica, si organum eius esset vnum aggregatione tantùm, sequeretur quòd potentia esset vna aggregatione tantùm, & per consequens non esset simpliciter distincta à particularibus sensibus, ex quibus aggregaretur: cuius contrarium est probatum. 3.

[b] Dicendum ergo, quòd organum eius est vnum vnitate naturæ, non quidem simplicis, sed mixtæ, & quasi mediæ inter naturas aliorum organorum: sic enim se habet organum sensus communis ad alia, sicut centrum ad lineas procedentes ab eo ad circumferentiam, vel ad ipsum terminatas,quasi radia communis organorum particularium, & potentia sensus communis in eo existens est sicut Rex sedens in solio iudicans de actibus particularium sensuum ad ipsum terminatorũ repræsentantium sibi propria obiecta.

Organū sensus communis quomodo vnum?

Organū sensus communis sicut centrum linearum ad circumferentiam tendentium.

obiecta. Sed vbi est situatum illud organum? De hoc est controuersia inter Medicos & Philosophos: dicunt enim Medici quòd in capite. Quorum ratio est, quia sensus communis accipit suam immutationem ex sensibus particularibus, & ideò debet esse situatum eius organum propè organa particularium sensuum; sed organa omnium particularium sensuum sunt in capite; ergo, &c.

4. Præterea, expertum est, quòd per læsionem sensus communis, læditur phantasia, quod non esset verum, nisi esset propè organum phantasiæ, quod est in prima concauitate cerebri, secundùm Auicennam.

Organum hoc vbi situm?

Oppositum huius vult Philosophus *in lib. de Somno, & Vigilia*, dicens, quòd primum sensitiuum est in corde. Præterea, alibi vult quòd primum animalis membrum est cor, & ideò ibi residet potentia sensitiua, quæ est sensus communis. Præterea, organum sensus communis est radix organi tactus, quæ se diffundit per totum corpus; organum autem sensus tactus contiguatur cordi: ergo organum sensus communis est in corde.

Cap. 2. & de Iuuétute, c. 2. & lib. 2. de Part. an. c. 1. & lib. 3. c. 4.

Respondeo, potest dici quòd sensus communis habet ab alio ortum, & ab alio complementum; quia ortum habet à corde organum sensus communis, sicut & omnia organa sensuum particularium. Imaginandum est ergo, quòd à corde ad cerebrum procedunt quædam venæ, vel nerui, in quibus originaliter continentur organa omnium sensuum; sed in cerebro faciunt conium, à cerebro autem procedunt nerui ad organa exteriora facientes basim, & sic organum sensus communis habet ortum à corde; sed in cerebro habet suum complementum. Et hoc videtur ad sensum ex hoc, quòd homo existens in naui mota, iudicat res exteriores moueri, quæ tamen sunt immobiles; hoc autem non est per sensus exteriores, vt probatum est suprà, nec per motum cordis, sed per motum capitis: ergo sensus communis qui hoc iudicat, est in capite. Hoc etiam patet ex hoc, quòd homines dolent caput ex studio excellenti, in quo vires sensitiuæ interiores multùm laborant, non autem ita sentiunt dolorem cordis.

A corde procedunt venæ omnium organorum.

Nauigans quare putat immobilia moueri?

Nimium studens quare dolet capite?

5. De obiecto autem sensus communis, dicunt aliqui quòd sit sensibile commune; quia omne sensibile per se est obiectum alicuius sensus; sensibile autem commune est per se sensibile: non autem est obiectum sensus proprij, quia excellens sensibile corrumpit sensum proprium, excellens autem sensibile commune, vt magnitudo, & figura, non corrumpit proprium sensum; ergo relinquitur quòd sit obiectum sensus communis.

Quod obiectũ sensus communis.

Contrà, nullus sensus proprius decipitur circa proprium obiectum; sed sensus communis magis distinctè cognoscit illud quàm proprius; ergo, &c.

Dicendum ergo, quòd aliquod sensibile commune communitate prædicationis, non autem commune, vt accipit Philosophus 2. *de Anima, cap. 5. 6.* sicut magnitudo, figura, &c. potest dici obiectum proprium sensus communis, illud tamen est innominatum: & potest vocari sensibile, sicut dictum fuit suprà de obiecto tactus, quòd potest dici tangibile in communi ad diuersas qualitates tangibiles, quod non est nominatum.

2. de An. tex. 123. & 3. de An. text. 145. 3. de An. c. 7.

6. Ad primum in oppositum, dicendum ad minorem quòd Commentator per illa plura instrumenta loquitur de organis sensuum particularium, quæ sunt continuata organo sensus communis, vt sunt eius instrumenta in nunciando sibi immutationes sensibilium propriorum: non autem loquitur de organo sensus communis, quod est vnum formaliter, licèt sit plura instrumentaliter, ratione prædictâ; & hæc est intentio Commentatoris, dicentis quòd est receptiuus à sensibus particularibus, tamen est agens in iudicando de actibus, & obiectis eorum. Ad improbationem dicendum, quòd sicut in organo olfactus alicuius animalis dominatur aër, sic animalis viuentis in aëre, in organo olfactus piscis dominatur aqua, quia odor sentitur per vtrumque; est autem aliquod animal quod odoratur, & per aquam, & per aërem; & per consequens habens organum proportionatum vtrique; ita organum sensus communis, cùm sit radix aliorum, est virtualiter continens omnia organa secundùm suam complexionem; est tamen formaliter determinatæ complexionis distinctæ à prædictis.

Ad primum.

Organũ sensus commun. vnum formaliter, plura instrumentaliter.

Ad aliud, dicendum quòd non est inconueniens idem esse in actu accidentali, per multa existentia in actu; sic est de sensu respectu obiectorum. Contrà, omnes sensus proprij possunt simul sentire sua sensibilia; sed sensus communis simul immutatur cum sensibus propriis: ergo potest sentire simul omnia sensibilia, quod videtur impossibile. Dicendum, quòd sensus communis, dato quòd simul sentiat omnia sensibilia, non tamen æquè perfectè, sed perfectiùs sentit id à quo perfectiùs immutatur; & hoc non est inconueniens, vt dictum fuit suprà. Sed dices, quòd possibile est, quòd quilibet sensus proprius perfectissimè immutetur à suo obiecto; & sic sensus communis perfectissimè sentiet omnia sensibilia. Dicendum, quòd non est possibile, quòd visus ita perfectè immutetur sicut potest immutari à colore, quando simul auditus immutatur perfectè à sono, nec è conuerso, propter magnam attentionem animæ in vna perfecta immutatione: & ideò non potest ita perfectè attendere in alia; & dato quòd perfectissimè sicut possunt, immutarentur simul à sensibilibus propriis; quia tamen vnum sensibile de ratione sua nobiliùs, & fortiùs imprimit suam speciem, quàm aliud, sicut color, quàm sonus; ideò sensus communis perfectiùs immutatur ab illo, quàm ab aliis. 7.

Ad secũdum.

Sensus communis an sentiat omnia sensibilia.

Vna potentia animæ perfectè agit, quando aliæ eiusdem animæ simul agunt.

Ad aliud, dicendum quòd plus requiritur ad diuersificationem potentiæ superioris, quàm inferioris, quia superius est communius; licèt ergo sensus proprius non sit cognoscitiuus propriè nisi respectu vnius contrarietatis, potest tamen sensus communis esse respectu plurium cognoscitiuus. De ordine autem actuum sensus communis potest sic dici, quòd primus actus eius est reflexiuus super actum sensus particularis; quia ab illo actu immediatè immutatur sensus communis. Secundus est iudicare de obiecto sensus proprij secundùm se, & absolutè, non tantùm vnius, sed cuiuslibet sensus; & istum actum attribuit sibi Auicenna, licèt non Philosophus. Tertius actus eius est cognoscere differentiam plurium sensibilium propriorum ad inuicem, & iste actus sequitur alium: prius enim est, cognoscere aliquid secundùm se, quàm cognoscere vt differens ab aliis, quia impossibile 8.

Ad tertium.

Ordo actuum sensus communis.

est

est cognoscere differentiam aliquorum, non cognitis extremis.

ANNOTATIONES ad quæstionem decimam.

CONCLVSIO I.

Sensum communem esse vnum singularitate, & causalitate, non prædicatione.

9. [a] R*Espondeo, quòd sensus*, &c. Optimè probat sensum communem non esse prædicatione vnum; alioquin non haberet actum distinctum ab inferioribus sensibus; est ergo vnus singularitate, & causalitate; quia habet vnum actum, quo ab externis distinguitur, nempe discernere inter omnium aliorum sensuum obiecta. Tenendo etiam hanc non distingui à phantasia, æstimatiua, & memoria realiter, actus proprij harum potentiarum ipsi tribuuntur.

CONCLVSIO II.

Organum sensus communis completè residet in cerebro.

10. [b] D*Icendum ergo, quòd organum*, &c. Optimè declarat organum sensus communis comparatione ad centrum respectu linearum, & ad Regem sedentem in suo solio.

De situ organi controuertitur; Philosophus citatus à Doctore, ponit illud in corde. Idem habet *de Iuuentute*, *cap.* 2. & aliàs passim. Galen. autem *lib. de Symptomatum causis*, *cap.* 8. *& lib. de Vsu pulsuum*, in cerebro illud collocat. Scotus videtur velle concordare has sententias, vt si sermo sit de principio remoto sentiendi, tribuatur cordi, vbi est officina natiui caloris, vbi etiam procreantur spiritus vitales, sine quibus nullus fit motus, nec mutatio; proximum tamen organum sensus communis est in cerebro. Verùm Aristoteles de proximo sentiendi principio locutus est, vt eius loca intuenti patet. Videri potest 2. *de Gen. animal. cap.* 4. *& lib.* 5. *cap.* 2. sed cum Galeno tenendum est, organum sensus communis completè in cerebro residere. Probatur primò, ratione illâ Scoti, quia nimiùm studentes dolent capite. Secundò læsâ phantasiâ medicamenta capiti applicantur, non cordi, vt habet Galen. *lib.* 3. *de Locis patientibus*, *cap.* 4. Tertiò, somnus in capite causatur, & cor in somno non quiescit, ex ipso Aristotele *de Respiratione*, *cap. vlt.* Quartò, læso cerebro animal priuatur sensu, & motu. Quintò, ex anatomia constat neruos per quos spiritus animales ministrantur, oriri à cerebro. Aduerte ipsum Aristotelem *de Sensu, & Sensibili*, *cap.* 1. radicem visus, auditus, & olfactus in cerebro ponere, licèt aliorum duorum sensuum in corde collocet. Quod Doctor ait, neruos quosdam, & venas oriri à corde ad cerebrum, sumpsit ex Aristotele 3. *de Hist. cap.* 5. sed fortè intelligit de quodam neruorum initio, quia cor priùs generatur, quàm cerebrum, vt habet Galen. *lib. de Formatione fœtus*, & tunc habet aliquos sensus, quia animam habet sensitiuam, & consequenter aliquos neruos, & venas, quæ postea ad cerebrum ascendunt. In *esse* tamen completo nerui à cerebro originem ducunt, vt ex anatomia constat.

Quare studentes dolent capite, potius quàm corde?

Quo sensu nerui à corde deriuantur.

Obiicies illud: *A corde exeunt cogitationes*, & id: *quid cogitatis mala in cordibus vestris*. Respondetur, intelligi de anima, vel de appetitu, qui residet in corde, saltem secundùm Aristotelem, qui in eo ponit omnes sensus, & 3. *de Anima, text.* 19. ait sensum, & appetitum esse idem, quod de subiecti identitate intelligi debet. Vide Conimb. *in Ethic. disp.* 6. *q.* 2. *art.* 2. 11.

Obiicies secundò, animalia, quæ secta viuunt, sentiunt in vtraque parte; quia motu animali cientur, & per appetitum; ergo per sensum communem cognoscunt: ergo non residet in capite. Respondetur, in illis imperfectis non habere certum locum, vt probat argumentum.

CONCLVSIO III.

Obiectum sensus communis est sensibile commune; & explicatur quo sensu id verum sit.

[c] D*Icendum ergo, quod aliquod sensibile*, &c. Nota sensibile dupliciter dici posse commune. Primò, quia à pluribus sensibus externis percipitur; & sic sunt quinque sensibilia communia, de quibus agit Phil. 2. *de Anim. cap.* 5. & 6. Secundò, quia prædicatur de multis sensibilibus: verbi gratiâ, de colore, sono, &c. Sensibile commune hoc sensu, est obiectum adæquatum sensus communis, neque habet aliud nomen; sic tangibile, vt comprehendit omnes qualitates tangibiles, est obiectum tactus, neque habet aliud nomen. 12.

Sensibile commune dupliciter sumitur.

Dices, hoc nihil aliud est, quàm cognoscere omnia sensibilia propria externorum sensuum: ergo non habet vnum obiectum; ac per consequens non est vna potentia. Respondetur, sicut visus cognoscit multos colores, sub ratione vna sui obiecti, quod est coloratum lucidum, ita sensus communis cognoscit omnia sensibilia aliorum sensuum sub vna ratione sui obiecti; quod quia nomine caret, vocamus sensibile commune. Vnde non dicimus sensibile commune esse obiectum sensus communis, vt abstrahit ab his, & illis sensibilibus, quasi in ista non tenderet, sicut vniuersale, pro hoc statu, vt abstrahit à singularibus, est obiectum intellectus; sed omnia ista particularia sensibilia sentiuntur à sensu communi secundùm proprias suas rationes, & habent vnam rationem immutandi, in qua conueniunt, & per quam specificant potentiam, sicut plures colores conuenientes in vnica simili ratione specificant visum.

Sensibile commune vt abstrahit à particularibus, non est obiectum sensus communis.

Contrà, non habent ista vnam rationem, in qua conueniunt, nisi per intellectum, alioquin daretur vniuersale à parte rei; sed sensus communis habet vnum obiectum reale: ergo non sumitur ab vnitate, in qua conueniunt sensibilia propria, quia est rationis. Respondetur, ista habere vnam rationem à parte rei indifferentem, seu communem negatiuè, in qua conueniunt; & quia nomen non habet impositum, vocamus sensibile commune. Sic visus habet vnam rationem communem omni visibili à parte rei, quæ est lucidi colorati. Ita Scot. 2. *d.* 3. *q.* 1. 13.

Ratio obiecti sensus communis.

An autem præter sensibilia propria, sensus communis sentiat aliorum sensuum functiones; & si sic, an per species proprias, vel per modificationem specierum ipsorum sensibilium propriorum, dictum est supra, *q.* 6. *annot.* 3. An etiam

ex ſpeciebus ſenſatis, ipſe eliciat ſpeciem inſenſatam, id eſt, quæ in nullo fuit ſenſu externo, dixi *quæſt. præcedenti, annot.* 2. quod veriſimilius viſum eſt.

An imaginatio facit caſum?

Hic peti poteſt, an ſenſus communis, ſeu imaginatio facit caſum? Ad quod reſpondetur affirmatiuè. Ita Scot. 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 3. D. Thom. *contra Gent. cap.* 99. Ratio eſt, quia ex vehementi imaginatione fit magna commotio humorum, & ſpirituum vitalium, & excitatur ſæpè exceſſiuus calor, & generantur morbi, & quandoque ſequitur mors ex nimio dolore, ex falſa imaginatione orto.

Conclvsio IV.

In omni animali eſt ſenſus communis, & probabilius dari memoriam in brutis.

14. PEtes ſecundò, an ſenſus communis ſit omni animali? Reſpondetur affirmatiuè; quia omne animal fugit nociuum, & proſequitur vtile, quod ſupponit operationem ſenſus communis; quia iſtæ rationes ab externis ſenſibus non cognoſcuntur. Sed non omnia animantia æquè perfectè habent iſtum ſenſum; quia multa carent multis actibus eius: ideò Ariſt. 3. *de An. c.* 3. negat apibus, & formicis memoriam, & aliis negat phantaſiam, hoc eſt, ſenſum communem ſecundùm quaſdam eius operationes. De memoria, an detur in brutis, vel in parte ſenſitiua hominis, controuertitur; & ex variis actibus brutorum, quales ſunt prouidentia, vindicatio, beneficatio, conſeruatio ſpeciei, & diſciplinatio, videtur efficaciter colligi in eis eſſe memoriam; idque probabile eſt, & tenet D. Thom. 1. *Met. lect.* 2. Suar. 3. *de Anim. cap.* 31. Scot. 4. *diſt.* 45. *q.* 3. non negat hanc partem, vt Suarez ei imponit; ſed problematicus eſt. Si teneatur pars negatiua, ſaluat omnes illos actus, ſine memoria; quia haberi poſſunt per ſpecies rerum delectabilium, vel triſtabilium in phantaſia exiſtentes. Vnde formica hoc anno genita, etſi experta non ſit hyemalem penuriam, non minùs facit prouidentiam pro hyeme futura, quàm aliæ, quæ præcedenti hyeme vixerunt; non eſt ergo neceſſe ponere in his memoriam, quia non cognoſcunt præteritum quà tale. Si tamen ponas, Scotus non vetat, immò dicit, quòd meliùs ſaluantur illi actus, ponendo eam. Vide ipſum ibi, pro fuſiori huius rei notitia, vbi varia Philoſophi loca, tam pro memoria intellectiua, quàm ſenſitiua expendit.

Memoriã an habent apes?

Memoriã an habẽt bruta?

Prouidentia, an arguit in formica memoriam?

15. Peti poteſt tertiò, an lædi contingat ſenſum communem, illæſis externis ſenſibus? Reſpondetur affirmatiuè, id teſtante experientiâ in phreneticis, & dementibus, in quibus ſæpè omnes externi ſenſus vigent ſani. Ratio huius eſt, vt habet hîc Doctor, ad primum, quia ſenſus communis habet propriam diſpoſitionem, ſeu complexionem, diſtinctam ab aliis, & ſic poteſt in hoc lædi, aliis non læſis, ſicut vnus externus ſenſus; eâdem ratione læditur, ſaluis reliquis.

Senſus cõmunis læditur, non læſis externis.

Circa rationem, quâ Doctor probat ſenſibile proprium, non eſſe obiectum ſenſus communis; quia ſcilicet ſi ſit excellens corrumpit ſenſum, vt habet Ariſt. 2. *de Anim.* & *lib.* 3. explicandum eſt, quomodo hoc contingat; quia ſi immutatio eſt tantùm intentionalis, non erit corruptiua, ſed potiùs perfectiua potentiæ. Reſpondetur, actionem illam intentionalem ſenſibilis excellentis, communiter ſecum habere actionem aliam phyſicam læſiuam organi; in tactu, & guſtu miſcetur actio primarum qualitatum: in olfactu exhalatio calida: in auditu vehemens aëris percuſſio quâ pulſatur organum: in viſu emiſſio vaporis nociui. Si autem nulla talis naturalis actio comitaretur intentionalem, non corrumperetur ſenſus. Poſſet tamen ſequi dolor, quia hic intentionalem tantùm actionem ſequitur. Vnde poſt Iudicium, ignis tantùm intentionaliter aget in corpora damnatorum; qui tamen magnum cauſabit dolorem; ſed non corrumpet ſenſum, de quo Scot. 4. *d.* 44. *q.* 3.

Text. 125.

Text. 145.

Quando & quomodo excellens ſenſibile corrumpit ſenſum?

16. Circa rationem ad oppoſitum de obiecto ſenſus, ſcilicet quòd ſenſus non decipitur circa proprium obiectum: etſi Philoſophus id habeat 2. *de An. cap.* 7. magna occurrit difficultas. Primò, quia ipſe Scot. 1. *d.* 3. *q.* 4. *num.* 11. docet intellectum corrigere ſenſum errantem: verbi gratiâ, viſum iudicantem baculum, cuius vna pars eſt in aëre, & altera in aqua, eſſe fractum; & rem remotiùs diſtantem eſſe minorem quàm eſt. Secundò, ictericis alba apparent pallida, ratione indiſpoſitionis organi. Item ratione medij, Sol matutinus apparet rubeus, ob interiectos vapores; & ratione interualli, turres quadratæ eminùs videntur rotundæ, & ratione obiecti, in ſpeculis aliter collocatis, vel factis, diuerſimodè res videntur, nunc maiores, nunc minores, nunc huius, nunc illius figuræ. Ex quibus videtur falſum eſſe ſenſum non falli circa proprium ſenſibile.

In hac re Academici tenuerunt nihil certum eſſe in ſenſibus. Contra quos diſputat Tertullianus *lib. de Anima, cap. de* 5. *ſenſibus,* & Cicero *in qq. Academicis.* Epicurei autem è contra ſenſus nunquam errare volunt: contra quos idem Cicero, & Auguſt. 8. *Ciuit. cap.* 7.

17. Pro reſolutione, Nota, in ſenſu non poſſe eſſe propriè errorem, quia non eſt capax iudicij; errare tamen dicitur, quatenus per ipſius notitiam intellectus in erroneum iudicium induci poſſet. Secundò nota, ſenſibile aliud eſſe per ſe, ſiue ſit commune, ſiue proprium; aliud per accidens: cuiuſmodi eſt ſubſtantia reſpectu viſus. Certum eſt autem quoad huiuſmodi ſenſibilia per accidens, quia per ſe non mouent ſenſus, facilè committi errorem: nam ſi lupus pelle ouis tegeretur, ouis putaretur. De ſenſibili ergo per ſe poteſt eſſe quæſtio. Nota tertiò, non poſſe falli ſenſum circa ſuum ſenſibile in communi: viſus, verbi gratiâ, non poteſt falli, iudicans hoc eſſe coloratum, & ſic de aliis. Ratio eſt, quia potentia non excurrit extra limites obiecti adæquati. De peculiaribus ergo rationibus, ſub obiecto adæquato contentis, eſt quæſtio; & hoc tam de ſenſibili communi, quàm de proprio.

Senſus nõ poteſt falli circa obiectum in communi.

Conclvsio V.

Poteſt falli ſenſus in particulari tam circa ſenſibile proprium, quàm commune, ſi adſit impedimentum, vel deſint requiſita.

18. DIcendum eſt tam circa ſenſibilia propria, quàm communia in particulari, ſenſum poſſe falli. Patet ex adductis; contingit enim

Quando contingit ſenſum falli circa ſua obiecta?

enim ſpeciem aliter repræſentare rem, quàm eſt, ex indiſpoſitione organi, medij, vel diſtantia obiecti: ſi tamen impedimenta tollantur, & adſint requiſita, nullus erit in ſenſu error: & hoc tantùm voluit Ariſtoteles. Et ratio eſt, quia agens naturale rectè agit ſi nullum ponatur impedimentum, & adſint neceſſaria. Aduertendum tamen faciliùs decipi ſenſum circa ſenſibile commune, quàm circa proprium: vnde viſus à longè videt albedinem; ſed decipitur circa eius quantitatem. Ratio eſt, quia ſenſibile proprium virtute propriâ immutat ſenſum; ſed commune non, niſi per connexionem ad proprium. Præterea, fortè non habet commune propriam ſpeciem, ſicut habet ſenſibile proprium: de quo ſuprà *q.6. annot.* 3. iuxta hoc intelligi debet Ariſtoteles 3. *de Anima*, *text.* 161. dum ait circa ſenſibilia propria errorem non contingere, aut pauciſſimum.

Viſus putat baculū cuius pars eſt in aqua, fractum: & quomodo corrigitur ab intellectu?

Obiicies primò, ſi ſenſus errat, nulla erit certitudo in ſcientia quæ dependet à ſenſibus. Reſpondetur, vt plurimùm non errant ſenſus; & quando errant, corriguntur ab intellectu. Sic (inquit Scotus 1. *d.* 3. *q.* 4. *num.* 11.) intellectus corrigit viſum putantem baculum, cuius pars eſt in aqua, eſſe fractum, per hanc propoſitionem in ipſo quieſcentem, independenter à ſenſibus; *nullum durius frangitur ad tactum mollis ſibi cedentis.* Ex quo neceſſariò ſequitur baculum in aqua non frangi.

Quomodo ſenſus in errorē ducitur?

19. Obiicies ſecundò, ſpecies talis eſt, quale obiectum; quia eſt eius ſimilitudo naturalis; & ſenſatio correſpondet ſpeciei, & hæc commenſuratur rei cognitæ; quia ſpecies vnius non repræſentat aliud; ergo nullus poteſt eſſe in ſenſu error. Reſpondetur, quia ſpecies dependet à concurſu potentiæ, & etiam à medio taliter, & aliter rem repræſentat, ex impedimentis potentiæ, & medij: verbi gratia, ſpecies baculi, cuius pars eſt in aqua, & pars in aëre, repræſentat baculum curuæ, vel fractæ figuræ: error ergo contingit, quando obiectum repræſentatur cum aliqua qualitate, vel circunſtantia, quam non habet; vt cùm febricitans cibum dulcem putat amarum, ratione billioſi, & amari humoris, quo guſtus eſt infectus.

An oculus videat colores apparentes?

Obiicies tertiò, viſus videt colores apparentes in iride, & in collo columbæ, & in pariete, per reflexionem lucis ex vitro rubeo, vel vinum rubeum continente; ergo falſum eſt, quòd dicebatur, ſenſum non falli circa rationem ſui obiecti in communi; quia color apparens color, non eſt, ſed apparet, vt habet Ariſtoteles *de Senſu, & Senſibili*, *cap.* 3. & 3. *Meteor. cap.* 4. vbi diſtinguit inter veros, & apparentes colores. Reſpondet Diuus Thomas 3. *Meteor. cap.* 4. colores in iride, & nubibus, eſſe veros. Sed id difficile creditu eſt, quis color verus eſt qualitas permanens, reſultans ex primarum qualitatum permixtione, vt habetur ex Ariſtotele *lib. de Coloribus*; de quo quidquid ſit, in aliis duobus exemplis, cùm in re poſita nulla fiat variatio; ſed ex diuerſo ſitu varij videntur colores in collo columbæ: & ſimiliter in pariete ex varij coloris vitris Soli oppoſitis, manifeſtum eſt ibi non eſſe veros colores, quia non eſt aſſignare cauſam mixtionis primarum qualitatum, vnde generentur.

20. Suarez 3. *de Anima*, *cap.* 13. reſpondet colores apparentes videri à viſu. Contrà, quia guſtus non guſtat ſaporem apparentem, nec auditus ſonum apparentem, & ſic de aliis ſenſibus; ergo nec viſus videre poteſt niſi verum colorem, ſi hoc eſt eius obiectum.

Colores apparentes, ſunt lumen.

Reſpondetur, quod illos colores iridis, fortè eſſe veros, etſi id minùs veriſimile ſit; ſed in aliis illis exemplis, & ſimilibus, colores illi apparentes ſunt ipſum lumen, vt tenet Scotus 2. *diſt.* 13. & poſt eum inſinuant Conimb. 2. *de Anima*, *c.* 7. *q.* 3. *art.* 1. Si tamen ea variâ oppoſitione verorum colorum ad aliquod corpus terminatum, oriantur, vt in exemplo de pariete, qui apparet rubeus ex vitro rubeo oppoſito radiis Solis illud permeantibus, ſimul cum lumine, ibi eſt ſpecies coloris veri (vt tenet Scotus *ibid. num.* 5.) qui videtur; & lumen non eſt aliud ſecundùm ipſum ibi, quàm ſpecies ipſius lucis. Quod probat, quia ſi tantùm eſſet ſenſibile, & non ratio videndi, poſitum ſuper viſum, impediret viſionem; de quo dictum eſt *quæſt.* 3. & lumen ſecundùm Philoſophum *de Senſu, & Senſibili*, paulò poſt principium, & Commentatorem, debet eſſe in oculo, vt recipiat ſpecies colorum.

Lumē eſt ſpecies lucis.

Multa obiici poſſunt contra hoc; ſed ibi ferè apud Doctorem, virtualiter expedita reperies. Vide etiam Philip. Fabr. *Theorem.* 66. qui citat Zabarellam, & Picolomineum pro eadem Scoti opinione, à qua non videtur diſſentire Caietanus 1. *part. quæſt.* 67. *art.* 3. vbi concedit lumen eſſe intentionale, & reale eminenter, vel virtualiter, & ſic conciliat in hoc Diuum Thomam, & Scotum, qui tamen inconciliabiles ſunt; quia Diuus Thomas *ibi*, & 2. *de Anima*, *text.* 70. non diſtinguit lumen à luce: Scotus autem lucem eſſe ſenſibile tantùm, & lumen eſſe ſpeciem eius, atque etiam ſenſibilem qualitatem.

Q V Æ S T I O XI.

Vtrùm corpora cœleſtia poſſint agere in intellectum noſtrum, vel voluntatem?

Leo Papa *epiſt* 91. *c.* 11. & *ſeqq.* Aug. 13. *de Trinit. cap.* 4. Baſil. *homil.* 6. *in Hexamer.* Dionyſ. *cap* 4 *de Diuin nom.* Concil. Bracar. I. *can.* 9. & 10. Theodor. *lib* 6. *aduerſus Græcos.* D. Thom. 1. *p. q.* 115. *ar.* 4. & 1. 2 *q.* 9 *ar.* 5. Conimb. 2. *de Cælo*, *cap.* 3. *quæſt.* 2. 3. & 4. Auerſa *tomo* 2. *Philoſoph. quæſt.* 35. *ſectione* 10.

V I D E T V R quòd ſic: Aſtrologi dicunt multa vera de agibilibus ab homine quæ dependent ex intellectu, & voluntate; hoc autem non eſſet niſi poſſent agere in intellectum, & voluntatem: ergo, &c. 1.

Præterea, corpora cœleſtia poſſunt mouere phantaſmata noſtra, ipſa autem poſſunt mouere intellectum ſicut ſenſibilia ſenſum, ſecundùm Philoſophum; ergo à primo ad vltimum ſaltem mediatè poſſunt corpora cœleſtia mouere intellectum noſtrum.

Præterea, de voluntate, hoc probatur ſic: ſi non poſſent mouere voluntatem, hoc eſſet ſpecialiter propter libertatem, quæ tolleretur in tali motu; ſed non propter hoc tolleretur: ergo, &c. Probatio minoris: quando duo actus ſunt eiuſdem rationis, ſi vnus eſt liber, & alius; quia liberum, & non liberum ſpecie differunt: ſed ſi actus voluntatis eſſet à corpore cœleſti mouente voluntatem, eſſet eiuſdem rationis, & ſpeciei cum illo qui eſt tantùm à voluntate; quia actus eiuſdem

eiusdem potentiæ immediatè est respectu eiusdem obiecti: & hæc duo immediatè concurrunt ad vnitatem specificam actuum; sed certum est, quòd actus voluntatis tantùm est liber: ergo & actus voluntatis motæ à corpore cœlesti esset liber.

2\. Præterea, idem est dilectio, & delectatio; sed delectatio est à corpore cœlesti: ergo & dilectio, quæ est actus voluntatis. Probatio maioris, quia vterque actus eiusdem potentiæ, & respectu eiusdem obiecti, scilicet boni vt conuenientis. Præterea, illi actus sunt iidem, qui immediatè ab eadem causa causantur; sed isti sunt huiusmodi, quia causantur ab apprehensione boni conuenientis in quolibet: ergo, &c.

3.de Anima, c.vlt. vel lib. 3.c.3.

Oppositum vult Philosophus. Dicendum, quòd si sola phantasia moueret intellectum, & voluntatem per consequens, ita quòd intellectus, & voluntas essent puræ potentiæ passiuæ, vt mouent seipsas ad actus suos; sequeretur quòd corpora cœlestia possent illas potentias directione mouere. Probatio: omne corpus corruptibile mouet de necessitate in virtute corporis incorruptibilis, quod est superius; & licèt posset esse motus corporis inferioris sine superiori, non tamen diuturnus, secundùm omnes; sed organum phantasiæ est corpus corruptibile, & phantasia potentia organica: ergo si ipsa mouet intellectum, vt intelligat seipsum, & intellectus sic motus mouet voluntatem, sequitur quòd directè corpus cœleste possit vtrumque mouere, licèt mediante phantasiâ; & sic sequitur quòd mala phantasia de necessitate causabit malam voluntatem.

3\. Sed dices, quòd in potestate voluntatis est causare bonam, vel malam phantasiam; & per consequens licèt phantasia sic formata moueat voluntatem ad bonum, & ad malum, tamen totum erit voluntarium ratione primæ voluntatis phantasiam formantis. Contra istum circuitum, circa quem impij ambulant, arguitur sic: Quod mouet motum ab aliquo tantummodo, mouet de necessitate, sed si mouetur de necessitate, voluntas mouet phantasiam ad phantasiandum bonum, vel malum, quæ mouetur tantùm ab intellectu, vel phantasmate mouente de necessitate, cùm non sit liberum (non enim est in potestate nostra quin visis tangamur, secundùm Augustinum) ideò voluntas mouebit phantasiam de necessitate ad phantasiandum bonum, vel malum.

RESOLVTIO.

Corpora cœlestia non agere directè, vel indirectè in intellectum, vel voluntatem; agunt tamen mediatè in eos per immutationem organorum sensuum, & phantasia; nunquam tamen necessitant voluntatem. Vide Doctorem 2.dist.14.quæst.3. num.6.

4\. *Corpora cœlestia non agunt in intellectũ, vel voluntatem.*

a Dicendum igitur ad quæstionem, quòd corpora cœlestia non possunt directè mouere intellectum nostrum, neque voluntatem; quia purè corporale non potest directè agere in spirituale, eo quòd agens est nobilius patiente; intellectus autem, & voluntas sunt purè spirituales: ideò corpora cœlestia non possunt directè in eas agere.

Præterea, secundùm prædicta potest probari propositum; quia corpora cœlestia non possunt immediatè agere in animam nostram, cùm sint ei improportionata; sed mediante phantasmate tantùm, quod est obiectum repræsentatiuum tantùm; sed phantasia nostra non potest sufficienter mouere intellectum nostrum, neque voluntatem; quia præsente phantasmate, adhuc oportet obiectum intellectus ibi assistens abstrahere antequam intelligat, quod fit per conuersionem primam intellectus ad phantasmata b, quæ conuersio imperatur à voluntate, & elicitur ab intellectu agente: præsente etiam obiecto intellectui, & ipso præsentato voluntati, potest illud velle, vel nolle propter suam libertatem; igitur corpora cœlestia non possunt sufficienter, & directè agere in intellectum, & voluntatem.

Ad primum in oppositum, dicendum quòd Astrologi vt in pluribus, verum dicunt; & hoc ideò accidit, quia homines vt in pluribus, sequuntur suas phantasias, in quas possunt directè agere corpora cœlestia: tamen hoc non est necessarium, modò homines virtuosi sequentes iudicium rationis reprimant huiusmodi passiones. Vnde dicit Ptolemæus in Almagesto, quòd *sapiens dominabitur astris*, id est, dispositioni causatæ à corporibus cœlestibus, & hoc per libertatem arbitrij, & rectum iudicium rationis passiones refrænantis. *Ad primum.* *Sapiens dominabitur astris, exponitur.*

Ad secundum, dicendum quòd phantasia non propriè mouet neque intellectum, neque aliquid in ipso imprimit, sed tantùm portat, aut repræsentat sibi obiectum, quo præsente, intellectus ex virtute sua actiua elicit suum actum; sicut præsente sensibili, sensus actum elicit sentiendi, & in hoc est conuenientia, non quia phantasmata sint obiectum intellectus, sicut sensibilia sensus, quæ imprimunt, secundùm aliquos, speciem sensibilem in sensu; tamen requiritur phantasma ad intelligendum obiectum; quia sicut quiditas absoluta, vel vniuersale, quod est directum obiectum intellectus, non habet esse existens, nisi in singulari, vt homo in Socrate: ita non potest repræsentari intellectui secundùm speciem intelligibilem pro statu viæ, nisi in præsentatione similitudinis ipsius singularis, quod fit in phantasmate. 5. *Ad secundũ. Quomodo phantasma mouet intellectũ.* *Phantasmata ad intellectũ sicut sensibilia ad sensum exponitur.*

c Ad aliud, dicendum concedendo, quòd si voluntas moueretur à corpore cœlesti, sicut posset moueri à Spiritu sancto, quòd actus eius esset eiusdem rationis cum actu tantùm à voluntate elicito: quia quod potest causa prima mediante secundâ, illud vel eiusdem rationis potest sine secunda: & ideò si voluntas potest elicere actum volendi, cùm sit causa secunda, actum eiusdem rationis potest elicere Spiritus sanctus, vel cum Spiritu sancto, qui est causa prima; sed corpus cœleste non habet causalitatem superiorem eliciendi actum eiusdem rationis cum ipsa; nam si corpus cœleste haberet causalitatem super illam, eliceret actum eiusdem rationis cum ipsa; & ideò dicendum est ad maiorem, quando dicitur, quòd si vnus actus est liber, & actus eiusdem rationis est liber, quòd verum est, si vnus esset liber per essentiam, & alius eiusdem rationis, quia liberum per essentiam, & non liberum specie differunt; & isto modo voluntas, quæ est libera per essentiam, specie differt ab aliis potentiis quæ non sunt liberæ per essentiam, sed liberæ per participationem: libe- 6. *Ad tertium.* *Actus liber & nõ liber ab differunt specie.*

rum

rum autem per participationem non differt ſpecie a non libero, ſicut actus videndi, qui eſt imperatus à voluntate, eſt liber per participationem, non tamen differt ſpecie ab actu videndi non imperato, ſed neceſſitato. Aliquando enim accidit videre de neceſſitate, ſicut quando apertis oculis præſentatur obiectum; modò ita eſt quòd actus à voluntare elicitus non eſt liber per eſſentiam, ſed tantùm potentiâ volitiuâ; & ideò ſtaret quòd aliquis actus volendi cauſatus immediatè à corpore cœleſti, vt à cauſa neceſſaria, eſſet eiuſdem rationis cum velle elicito immediatè à voluntate; quia neutrum illorum eſt liberum per eſſentiam. Hoc diceretur ad vim argumenti, licèt in illo caſu aliter eſſet dicendum ſecundùm aliquos.

7\. *Ad quartum. Identitas obiecti non ſufficit ad identitatẽ actuũ.*

[d] Ad aliud, dicendum quòd dilectio, & delectatio ſunt actus diuerſi. Ad probationem, dicendũ quòd identitas obiecti non ſufficit ad identitatẽ actus; quia intelligere, & velle ſunt reſpectu eiuſdem obiecti formalis, ſcilicet entis in actu in quantum huiuſmodi; ſed diuerſitas obiecti benè ſufficit ad diuerſitatem actus. Sed dices vltrà, quòd ſunt actus eiuſdem potentiæ cum identitate obiecti. Dicendum, quòd hoc eſt diuerſimodè; quia dilectio eſt in voluntate, & à voluntate; delectatiò autem eſt in voluntare, ſed non à voluntate, ſed potiùs ab obiecto. Probatio, quia eorum contraria, quæ ſunt odium, & triſtitia, non ſunt idem, nec ſunt ambo à voluntate cauſata, ſed alterum tantùm, ſcilicet odium: quare voluntas complacet ſibi in actu proprio ab ipſa liberè cauſato tanquam conuenienti, non autem ſibi complacet in triſtitia; immò eſt volitioni contraria. Quare quilibet inuitè triſtatur, complacet autem ſibi in odio; ergo triſtitia tantùm cauſatur ab obiecto, non à voluntate; quia tunc eſſet immediatè in poteſtate voluntatis; & per conſequens nec delectatio; ſed obiectum conueniens, cum perceptione, cùm ſit præſens, cauſat delectationem, & obiectum contrario modo diſpoſitum cauſat triſtitiam.

Dilectio, & delectatio nõ ſunt idem.

Triſtitia à quo cauſatur?

Ad aliud, dicendum quòd delectatio non immediatè cauſatur ab apprehenſione conuenientis, ſed mediante actu dilectionis coniungente potentiam obiecto ſibi conuenienti; quæ coniunctio eſt prior ordine naturæ ipsâ delectatione; licèt non tempore: eodem enim modo quo voluntas coniungitur obiecto ſuo præſenti per actum dilectionis, vel fruitionis, fit quædam dulcedo in potentia volitiua, & hæc eſt delectatio.

ANNOTATIONES in quæſtionem vndecimam.

Conclvsio I.

Cœli non agunt immediatè in intellectum, vel voluntatem, ſed mediatè, & remotè ſic, libertate voluntatis ſeruatâ.

8\. *Quomodo cœli agãt in voluntatem, & intellectum?*

[b] *Dicendum igitur ad quæſtionem*, &c. Ratio concluſionis ſumpta eſt ex Philoſopho, qui fusè probat contra antiquos 2. *de Anima, cap. vltimo*, vel ſecundùm aliam diſtributionem *lib.* 3. *cap.* 3. intellectum eſſe ſpiritualem, & non corporeum: conſtat autem, quòd corpora non poſſunt directè in ſpiritualia; quia hæc non ſunt capacia accidentium corporeorum; nec illa producere poſſunt ſpiritualia accidentia. Addidi, quòd nec indirectè, ſed intellige immediatè, vel proximè: quia remotè, vel mediatè agunt cœli in has potentias ſpirituales, quatenus immutant organa ſenſuum ad gradum eis conuenientem, vel diſconuenientem, quâ immutatione redditur intellectus facilior; vel difficilior ad ſuas operationes: & conſequenter voluntas: conſtat enim ex deordinatione ſenſus, deordinari intellectum, vt videre eſt in lunaticis, & phreneticis, in quibus eſt imaginatio confuſa; & hoc ſenſu intelligitur id Philoſoph. 1. *de Anima, text.* 66. *Corrumpitur intellectus quodam interiùs corrupto.* Deordinatur etiam voluntas, quia difficulter diſſentit ab appetitu ſenſitiuo, deordinatè tendente in aliquod obiectum, qui ex immutatione cœleſtium corporum, ita inclinari poteſt. Vnde Aſtrologi iudicare poſſunt de moribus hominum; vt quòd ſunt luxurioſi, crudeles, ex conſtellationibus natiuitatis, aliiſque influentiis; non quòd neceſſariò aliquem actum malum, vel bonum eliciant, ſed quòd ſic, vel ſic ſunt inclinati. Poteſt tamen voluntas ſuâ libertate contra prauas inclinationes, dictamen rectæ rationis ſequi, ad quod multùm facilitatur exercitio virtutum, quo acquirit habitus temperatiuos paſſionum; & ſic libertas minimè tollitur per influentiam cœlorum. Ita Doctor 2. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 3. Diuus Thomas 1. *part. quæſt.* 113. *art.* 4. & *communiter. de quo* Auguſtinus 13. *Trinit. cap.* 4. Baſilius *homil.* 6. *in Hexamer.* Dionyſius *cap.* 4. *de diu. Nom.* Vide Conimb. 2. *de Cœlo, cap.* 3. *quæſt.* 2. 3. 4. Quòd verò voluntas actibus imperatis producat virtutes morales in concupiſcibili, & iraſcibili, docet fusè Doctor 3. *diſtinct.* 33. vbi contra Diuum Thomam oſtendit etiam virtutes morales eius actibus elicitis in ipſamet produci.

Corrumpitur intellectus, quodam interiori corrupto; exponitur.

Quomodo Aſtrologi iudicant de hominum moribus.

Conclvsio II.

Conuerſio intellectus ad hæc obiecta præ aliis, eſt imperatiuè à voluntate.

[b] *Qua conuerſio imperatur à voluntate*, &c. Difficile eſt, quod hîc ait primam conuerſionem intellectus ad phantaſmata imperari à voluntate. Pro quo nota primò, id quod ex Philoſopho 3. *de Anima, tex.* 2. & 29. habetur, nempe quòd *ſpeculamur in phantaſmatibus*, & quòd *phantaſmata ſe habent ad intellectum, ſicut intelligibilia ad ſenſum*, ita debere intelligi (vt explicat Doctor 1. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 6 *n.* 19.) quòd quando intelligimus vniuerſale, phantaſiamur eius ſingulare, non quòd phantaſma, vel phantaſiatio concurrat ad actum intellectus, vt habet Scotus 4 *diſt.* 45. *quæſt.* 1. *ad* 3. *pro opin.* (quidquid ſit an phantaſma concurrat ad ſpeciem intelligibilem *de quo quæſt.* 17.) ſed propter connexionem potentiarum, vna pro hoc ſtatu debet præcedere, ſiue hoc ſit ex natura potentiarum, ſiue ex peccato; & ſecundum putat ipſe ex Auguſtino vetius 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 3. *num* 24. & 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 8. *ad* 1. *princ.* & *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *ad* 2. 9.

Speculari in phantaſmate quid ſit

Nota ſecundò, ex Scoto 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 24. & alias ſæpè, ideò intellectum hoc priùs, quàm illud cognoſcere, quia phantaſma huius fortiùs mouet; neque hoc eſt, vel eſſe poteſt à voluntate; cùm tunc non habeat intellectus actum intelligendi, & nihil poſſit eſſe volitum, niſi præcognitum.

Quare hoc priùs quàm illud cognoſcitur?

cognitum. Idem habet 2.*d*.42. *q*.4. & communis ſententia eſt cum Philoſopho primam cogitationem non eſſe in manu noſtra, quia, vt ait Auguſtinus 3. *de Lib. arbitr. impoſſibile eſt quin viſis tangamur.* Falſum ergo videtur, quod hìc tenet Doctor, primam conuerſionem ad phantaſmata, imperari à voluntate, quia voluntas nihil imperat, niſi ſibi propoſitum ab intellectu, cuiuſmodi nequit eſſe prima conuerſio ad phantaſmata, ſeu prima cogitatio.

10\. Sed neque ſibi, neque veritati contradicit Scotus. Pro quo notandum eſt, quòd duplex eſt conuerſio ad phantaſmata; vna quæ eſt abſolutè prima cognitio, nullâ factâ comparatione ad alia: & hæc (vt dixi, ex Philoſopho, Auguſtino, & Scoto,) nullo modo imperatur à voluntate, ratione iam aſſignatâ. Alia eſt conuerſio, ſeu cognitio, quâ potiùs hoc, quàm illud attenditur ab intellectu: & prima huiuſmodi conuerſio ſubeſt voluntati, quia poteſt intellectum conuertere ad vnum obiectum, & diuertere ab alio; & ſecundùm hoc, intelligitur id 2. *de Anima, text*. 60. *& lib*. 3. *cap*. 18. *intelligimus dum volumus*, & quod ait Auguſtinus 11. *Trinit*. 3. *& lib*. 13. *cap*. 27. quòd *voluntas copulat parentem cum prole*. Exemplo declarari poteſt: prædeſtinatio Sanctorum ad gloriam ſecundùm vnam opinionem, eſt propter Chriſtum, ſed electio horum præ illis, non; de quo Suarez 1. *p. tract. lib*. 2. *cap*. 24. è conuerſo hìc. Prima conuerſio intellectus non eſt à voluntate. Secunda, ſic, ſcilicet conuerſio ad hoc, præ aliis.

Quomodo voluntas copulat parentem cum prole.

11\. Sed fateor difficilè valdè eſſe, quomodo voluntas poſſit intellectum ad hoc, vel illud obiectum conuertere. Et ratio iam eſt tacta, quia nil poteſt velle quin præcognitum ſit. Scotus 2. *diſtinct*. 42. *quæſt*. 4. quinque modos dicendi recitat, & breuiter, ſed efficaciter refutat. Pro reſponſione aduertendum eſt, intellectum poſſe habere vnam intellectionem perfectam, & plures imperfectas: conſtat enim, quòd viſus in cono pyramidis videt aliquid perfectè, & diſtinctè, & alia adiacentia confusè, & indiſtinctè; de quo Scotus 1. *diſt*. 3. *quæſt*. 6. *ad* 3. *& 4. diſtinct*. 49. *quæſt*. 10. *ad* 2. *in oppoſit*. Tunc ergo voluntas conuertit intellectum, quando ex pluribus aliquo modo, vel imperfectè intellectis, ipſa ſibi complacet in aliquo; tunc enim ex potentiarum ſympathia intenditur cognitio circa id quod eſt à voluntate volitum, & in quo ipſa ſibi complacet, & ſic voluntas conuertit intellectum ad illud, & remittitur, vel omnino euaneſcit cognitio circa aliud, quod eſt à voluntate nolitum, vel in quo non ſibi complacet; & ſic voluntas auertit intellectum ab illo; & exemplum huius apparet in oculo, quando figitur in aliquo ex pluribus viſis, in quo appetitus ſibi complacet. Hic modus in re tam difficili, & obſcura cæteris præferendus videtur, eo vel maximè, quòd alij modi non aſſignant aliquod cognitum, ad quod, vel à quo conuerſio fiat.

Quomodo voluntas diuertit intellectũ.

12\. Dices: Doctor hìc loqui videtur de conuerſione ad phantaſmata reſpectu ſpeciei intelligibilis; & hanc imperari à voluntate, quia imperatum, id eſt, conuerſionem, dicit fieri ab intellectu agente; ergo noſtra gloſſa non ſatisfacit, quia loquitur non de ſpeciei intelligibilis productione, ſed de cognitione obiecti per eam. Reſpondetur: iam oſtendi ex ipſo Doctore conuerſionem ad phantaſmata conſiſtere in eo, quòd phantaſiemur in ſingulari, quod intelligimus in vniuerſali; quod, non ad ſpeciei intelligibilis productionem, ſed ad cognitionem per eam producendam, ſpectat. Nec obſtat, quòd dicat conuerſionem illam fieri per intellectum agentem; quia quà talis efficit etiam notitiam, & non ſolùm ſpeciem. Ait enim Philoſophus 3. *de Anima*, *text*. 18. quòd *intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere, & intellectus poſſibilis, quo eſt omnia fieri*. quod tractat Scotus *quæſt*. 1. *prol. ad* 1. *Phyſicorum*, & fusè probat *quodl*. 15. vbi tamen problematicus eſt an cognitio efficiatur ab intellectu agente, vel poſſibili: ſed iuxta eum hìc, dicendum, quòd ab agente.

Quod hìc ait Doctor, obiecto voluntati præſentato per intellectum, ipſam poſſe illud velle, vel non velle; quia non determinatur per intellectum, latè tradit 1. *diſt*. 25. contra Gofred. Henric. & alios. Tradit etiam 3. *diſt*. 36. *à num*. 12. contra Diuum Thomam, dari poſſe rectum dictamen prudentiæ in intellectu ſine recta electione ſequenti in voluntate; quia ipſa eſt domina potens ſemper velle, nolle, vel neutrum facere, non tamen poteſt nolle bonum, neque velle malum, vt habet Doctor 4. *diſt*. 49. *quæſt*. 10. *art*. 2. quamuis dubius manſerit 1. *diſt*. 1. *quæſt*. 4. *&* 2. *diſt*. 6. *quæſt*. 2. an voluntas poſſet velle malum. 13.

Deficit voluntas quandoque nullo poſito errore in intellectu.

Voluntas nequit velle malum.

e. Ad tertium, quod ait cauſam primam poſſe producere actum volendi in nobis, etiam habet 1. *diſt*. 17. *quæſt*. 3. §. *ad* 1. *de ſecunda via*, fundatur in eo, quòd velle, vel intelligere non eſt producere volitionem, vel intellectionem, alioquin Deus non haberet actus improductos, vt benè docet ipſe 1. *diſt* 3. *quæſt*. 7. *num*. 37. *&* 4. *diſt*. 12. *quæſt*. 3. *ad* 5. Sed eſt habere in ſe huiuſmodi actus, qui licèt actiones dicantur, ſunt qualitates abſolutæ, vt habet Scotus 1. *diſt*. 3. *quæſt*. 6 *num*. 32. *&* 4. *diſt*. 12. *q*. 2. *ad* 2. *& fusè quodlib*. 13.

Actus vitales à ſolo Deo poſſunt produci.

Conclusio III.

Delectatio dicitur paſſio, & efficitur ab obiecto, ſed mediâ volitione, ſicut triſtitia mediâ nolitione.

d AD quartum, *delectatio eſt in voluntate, ſed potiùs ab obiecto* Delectationem non eſſe operationem, ſed quaſi paſſionem, conſtanter tenet Doctor 1. *diſt*. 3. *quæſt*. 3. *&* 3. *diſt*. 15. *num*. 9. *&* 4. *diſt*. 49. *quæſt*. 7. Aduerte tamen non eſſe paſſionem de genere Paſſionis, ſed qualitatem, vt habet expreſse Doctor *quodlibet*. 13. *art*. 3. *&* 3. *diſt*. 15. *num*. 9. dicitur tamen paſſio; quia in præſentia conuenientis obiecti, non eſt in poteſtate paſſi eâ carere: quâ ratione operatio, quæ qualitas eſt abſoluta, vt iam ex Scoto dixi, dicitur actio, ob ſimilitudinem cum actione. Circa hoc aduerte ex Doctore 3. *diſt*. 15. *num*. 8. quòd actiuum, & paſſiuum non ſunt relatiua, ſed naturæ abſolutæ, quódque res obiectæ ex natura ſua, ſunt potentiis conuenientes, vel diſconuenientes, & potentiæ ex natura ſua ſunt ad eas inclinatæ, vel ab eis auerſæ: nec eſt hìc quærenda ratio, niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud: poſitâ autem approximatione per notitiam, ſi obiectum eſt diſconueniens, appetitus habet eius nolitionem, quam ſtatim ſequitur triſtitia; ſi conueniens, volitionem, & ſequitur delectatio. 14.

Delectatio dicitur paſſio, & tamen qualitas.

Quomodo cauſatur delectatio, & triſtitia.

Aduerte ſecundò, ſtrictiùs vtendo terminis, triſtitiam, & gaudium pertinere ad voluntatem, ſed delectationem, & dolorem ad appetitum ſenſitiuum, vt habet Scotus 3. *d*. 15. *n*. 12. ſæpiùs tamen hæc confunduntur. 15.

His

Differunt dolor, & tristitia, delectatio, & gaudium.

Delectatio, & dolor an immediatè ab obiecto causentur.

His positis, difficile valde est, quod hîc ait Doctor, delectationem (idem est de dolore, gaudio, & tristitia) non esse à potentia, sed ab obiecto. Verùm ita tenendum est. Primò, quia positâ nolitione disconuenientis obiecti applicati, habetur aliquid à nolle distinctum, quod est tristitia. Secundò, Deus, & beati habent multa nolle, minimè tamen tristantur. Sed difficultas non parua est, an gaudium, & tristitia (idem de delectatione, & dolore) sint immediatè ab obiecto, vel ab eius cognitione. Alij hoc, alij illud dicunt. Mihi videtur volitionem, & nolitionem quando adsunt, causare has passiones. Colligo ex Scoto primò, quia 4 *d.* 14. *q.* 2. ait proximam causam tristitiæ esse nolitionem: Secundò *in* 4. *d.* 44 *q* 2. *&* 1. *d.* 1. *quæst.* 5. explicat id August. *hoc est plenum gaudium frui Trinitate:* vt sit sensus causalis; vult ergo fruitionem causare gaudium. Tertiò, certum est, quando obiectum est priuatiuum, vt formale peccati, vel pœna damni, quòd non potest causare entitatem positiuam tristitiæ. Item, quando obiectum est corporale, nequit efficere spirituale, vt causa totalis ex Scoto 2. *d.* 3. *quæst.* 11. *ad* 2.

Obiectum nō causat immediatè dolorem.

Confirmatur ex Doct. 4. *d.* 1. *quæst.* 5. Sacramentum non causat gratiam Physicè, quia vt corporale, non est ad id proportionatum: ergo idem hîc. Confirmatur secundò, quia entia rationis, & impossibilia, & pura omissio possunt esse obiecta delectationis, & tristitiæ, quæ tamen nullum effectum realem causare possunt. Quartò, hîc ad quartum docet Doctor, quòd *obiectum cū perceptione causat delectationem*, & ad quintum, *delectatio non immediatè causatur ab apprehensione conuenientis, sed mediante dilectione.* quibus locis expressè videtur asserere obiectum non immediatè causare delectationem, vel dolorem.

16. Dixi volitionem, vel nolitionem, quando adsunt, esse causam gaudij, & tristitiæ; quia dubium est an ad has passiones requiratur obiectum esse liberè volitum, vel nolitum, de quo Scotus 3. *d.* 15. *num.* 15. Mihi videtur id requiri, neque Scotus ibi quidquam in contrarium asserit; si tamen teneatur obiectum vt cognitum, immediatè causare has passiones in appetitu sensitiuo, vel naturali, oportet consequenter tenere notitiam conuenientis, vel disconuenientis approximati, causare eas. Neque reiicit Scotus vt improbabilem illam sententiam, quæ tenet actum intellectus concurrere ad actus voluntatis 2. *d.* 25. *num.* 21. De quo quidquid sit, non est vnde improbetur, quòd possint concurrere ad dictas passiones, quæ non sunt actus eliciti ab appetitu, quando non inueniuntur aliæ causæ, quibus assignentur. Sed, vt dixi, puto veriùs has passiones non causari, nisi præuiâ nolitione disconuenientis, vel volitione conuenientis; & tunc quodammodò causantur, sicut habitus per actus. Sed in hoc differunt, quòd non maneant post actus, à quibus generantur, sicut manent habitus.

Actum intellectus concurrere ad actum voluntatis, non est improbabile.

Cum Scoto in hac sententia conueniunt Occam 1. *d.* 1. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæst.* 2. Gabr. *ibi art.* 2. Alphonsus à Toleto 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. & omnes Scotistæ, etsi à nemine hoc nostro modo explicatum viderim. Fauet Aristoteles 10. *Ethic. cap.* 4. *&* 5. vbi ait delectationem non esse operationem; & sic eum intelligit Nemes. 4. *Phil. cap.* 12.

17. Sed communis Thomistarum tenet oppositum. Vasquez 1. 2. *disp.* 14. *cap.* 2. vnico hoc argumento, conuincit suo iudicio Scoti sententiam esse manifestè falsam; quia delectatio, & tristitia, sunt meritoriæ, vel demeritoriæ; sed nulla passio est talis: ergo, &c.

Ad meritum non requiritur libertas immediata.

Sed hoc argumentum videtur valde futile; quia ad rationem meriti, vel demeriti, non requiritur libertas immediata; quia hæc tantummodò conuenit actibus elicitis voluntatis: & sic omnes actus intellectus, & aliarum potentiarum carerent merito, & demerito; quod manifestè falsum est, & vt videtur contra Trident. *sess.* 6. *cap.* 10. *& can.* 24. *&* 32. vbi docet omnia opera bona esse meritoria gratiæ, & gloriæ. Quod ait passiones non esse meritorias, falsum est, & absolutè prolatum, non ædificat; Sancti enim, & Scripturæ clamant passionem Christi meruisse nostram redemptionem. Si dicas passionem non fuisse meritoriam, nisi quatenus acceptata fuit liberè à voluntate, fateor; tamen suppositâ acceptatione voluntatis, ipsa in se meritoria est, alioquin, vt dixi, actus omnes boni à voluntate imperati nullius essent meriti; quod absurdum est, &, vt videtur, contra Trident. suprà.

Dicendum ergo, quòd passiones, verbi gratia, disciplinatio passiua, humi cubatio, & similes, meritoriæ sunt, etsi non sint actus eliciti voluntatis, quia sufficit, quòd mediante actu voluntatis liberæ sint; immò pura omissio, quam dari probabilius est, meritoria esse potest, etsi actus non sit; quia sufficit à libertate voluntatis dependere; sufficit enim, quòd *quis possit transgredi, & non sit transgressus, Ecclesi.* 15. Benè ergo stat delectationem meritoriam esse, licèt non sit actus à voluntate elicitus, quia subest voluntatis imperio: nec requiritur, quòd sit immediatè liber, sed mediante voluntatis actu. Vnde in vniuersum omnes actus interni, & externi in arbitrio hominis positi, possunt esse boni, vel mali; quia conformes, vel difformes legi, & rectæ rationi. De quo Scotus 1. *d.* 42. *quæst.* 4. *num.* 16. *& latiùs quodl.* 18. vbi docet actus externos habere distinctam bonitatem, vel malitiam ab internis. 18.

Passiones sūt meritoriæ, vel demeritoriæ, etsi actus nō sint.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm potentiæ animæ, scilicet intellectiua, & sensitiua, sint tantùm passiuæ?

Aristot. 2. *de Anima, cap.* 2. 3 *&* 9. August. 9. *Trin. cap. vlt. &* 11. *Trin. cap.* 2. D. Thom. 2. *de Anima, lect.* 6. & 1 *par quæst* 77. *art.* 3. *&* 79. *art.* 2. Caiet. *ibid* & 3. *de Anima, c.* 2. Conimb. 3 *de An c.* 13. *q* 5 *art.* 3. Capreol. 4 *d.* 49. *q.* 4. Complutenses *disp* 7. *de Anima, q* 1. vide Doct. *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 9. *num.* 20. Ferrar 2. *cont. Gent cap.* 6. Godefred. *quodl* 6. *quæst* 7. Iandun. *lib. de Anima, quæst.* 16. *& lib.* 3. *quæst.* 13. *&* 24. Venetus *in sum. de Anima, cap.* 3.

VIDETVR quòd sic: *secundo de Anima*, dicitur quòd *sentire est quoddam pati*, & idem *tertio de intelligere*; ideo, &c. 1.

Præterea, cùm potentiæ reducantur ab aliquo extrinseco ad actum, illæ erunt passiuæ tantùm; nam si essent actiuæ cum hoc quòd sunt passiuæ, sequeretur quòd sensus posset se sentire, & posset sentire sine obiecto exteriori. Similiter intellectus intelligere, quia actiuum,

& passiuum sine extrinseco sufficiunt ad actum eliciendum; hoc est falsum: ergo, &c. Hanc rationem facit Philosophus contra Empedoclem 2. *de Anima*.

Præterea, si sic; omnes operationes eiusdem potentiæ erunt eiusdem speciei, sicut omnes visiones; sed hoc est falsum: alia enim est visio albi, alia nigri, cùm specie differant album, & nigrum. Probatio consequentiæ; quia manente eodem actiuo, & passiuo, manet eadem actio, vel idem effectus, vt dicitur 3. *Metaph.* si autem eadem potentia est actiua, & passiua, manet idem principium actiuum sensationis: igitur & eadem sensatio.

Præterea, cognitio fit per assimilationem, & conformitatem potentiæ cognitiuæ ad obiectum, sed vera assimilatio fit tantùm per impressionem speciei, vel similitudinis obiecti in potentia, quæ impressio est causata effectiuè ab obiecto, & recepta in potentia: igitur sunt tales potentiæ receptiuæ.

In oppositum est Commentator 2. *de Anima*, *cap.* 2. dicens, quòd sunt actiuæ, & passiuæ; passiuæ recipiendo impressionem ab obiecto, actiuæ iudicando.

SCHOLIVM.

Sententia tenens intellectiuam esse passiuam, & speciem esse formale principium elicitiuum actus, refutatur: de qua Doctor 1.d.3.q.7.à n.5.vide annotationem 1.

2. *Prima sententia.* a AD istam quæstionem, dicunt quidam quòd sunt tantùm passiuæ: diuersimodè tamen hoc ponitur à diuersis. Quidam enim dicunt ipsas esse passiuas respectu speciei impressæ ab obiecto; ista autem species informans potentiam cognoscitiuam sibi subiectam, est principium elicitiuum, sicut ratio eliciendi operationem cognoscendi; ipsa autem potentia non est principium eliciendi actum istius cognitionis, sed totum compositum ex potentia, & specie principaliter in ratione speciei; potentia autem non habet in actu huius causando, nisi rationem principij passiui primò respectu speciei, & ex consequenti respectu cognitionis causatæ; principaliter verò tanquam à principali, & formali principio operandi à specie impressa ab obiecto. Ponitur exemplum de igne, qui, secundùm eos, non est principium actiuum calefaciendi, sed compositum ex igne, & calore, in ratione tamen caloris, qui est principium calefaciendi actiuè, sicut ratio formalis calefacientis, ignis autem ratio tantùm materialis. Hanc autem positionem sic probant: Quando de potentia essentiali aliquid reducitur ad potentiam accidentalem per quod fit talis reductio, illud habet aliquem actum primum, qui est ratio eliciendi actum secundum; sed potentiæ prædictæ sunt in potentia essentiali ad actum cognoscendi: igitur reducuntur ad potentiam accidentalem per speciem eis impressam: igitur ista species est ratio eliciendi actum cognoscendi.

3. Præterea, indeterminatum ad plura non determinatur ad vnum, nisi per aliquod sibi impressum determinans; potentiæ prædictæ sunt indeterminatæ, quantùm est de se ad actus diuersos: igitur in eis est species impressa ipsas determinans ad agendum: tale autem sic determinatum ab alio est in potentia tantùm passiua; ergo, &c.

Contra istum modum arguitur sic: Actio magis debet attribui formali principio agenti quàm materiali, secundùm Comment. 8. *Metaph.* quia non attribuitur materiali, nisi propter formale; si igitur species est formale principium eliciendi actum cognoscendi, & potentia materiale tantùm, sequitur quòd actus intelligendi, & sentiendi magis debent attribui speciei, quàm potentiæ, quod falsum est: quia species non sentit, nec intelligit sicut potentiæ. Præterea, sequitur quòd, cùm species illæ per potentiam diuinam possint esse sine subiecto, quod est ipsa potentia, etiam posset intelligere sine potentia intellectiua, & sentire sine sensu, quia quod potest per se esse, per se potest agere; hoc autem est falsum: ergo, &c. *Refutatur.*

Præterea, ab eodem actus elicitur, & intenditur 3. *Ethic.* ab eodem generantur habitus, & intenduntur; sed per solam potentiam intenditur actus cognoscendi, quia organo, specie, medio, & obiecto, stantibus in eadem dispositione in vno actu cognoscendi, sicut in alio, sola potentia intensiùs se ferente ad cognitionem obiecti, & ab aliis intensionibus se retrahente, sequitur intensiorem esse actum cognoscendi: igitur, &c. *Potentia intendit actum.*

Præterea, impossibile est illud per se ordinari ad operationem, tanquam eius principium, quod se habet in potentia contradictionis ad principium principale, & formale illius operationis; sicut lignum, quia est in potentia contradictionis ad calorem, qui est formale principium calefaciendi effectiuè, ideò non ordinatur per se ad calefacere; sed potentia cognitiua est in potentia contradictionis ad speciem obiecti cognoscibilis: potest enim istam habere, & quandoque non: si ergo sola species est principium formale eliciendi cognitionem, & potentia materiale tantùm ipsa per accidens, & non per se poterit dici cognoscere, scilicet per rationem speciei, quę est sibi accidentalis; hoc autem est inconueniens; ergo, &c. 4 *Intellectus est in potentia contradictionis ad speciem.*

SCHOLIVM.

Sententia ponens intellectionem indistinctam esse à specie, atque causari ab obiecto, quam tractat Doct. 1. d. 3. q. 7. n. 12. 15. & 20. vide annotationem secundam.

b ALij ponunt, quòd sunt sicut passiuæ, scilicet, non distinguendo speciem ab actu cognoscendi re, sed tantùm ratione; quia species est illud quod ab obiecto imprimitur in potentia; & vt est in potentia; sed illud idem est actus cognoscendi, causatus ab obiecto tantùm effectiuè: & quia potentia cognoscitiua est tantùm receptiua speciei, ideò est receptiua actus cognoscendi non elicitiua. Probant sic propositum: quando aliquid est in vltima dispositione ad actum aliquem, præsente actiuo, illum recipit; potentię prædictę sunt huiusmodi, respectu actus cognoscendi: igitur præsente obiecto actiuo, illæ recipiunt actum cognoscendi; sed ab obiecto recipiunt speciem illius: igitur species in potentia cognoscitiua non est aliud ab actu cognoscendi, & per consequens potentia non elicit actum, sicut nec speciem, sed tantùm recipit. 5. *Secunda sententia.*

Præterea,

Præterea, *ſecundo de Anima, text.* 138. ſenſus in actu, & ſenſatio in actu idem ſunt, ſicut ſonatio & auditio; ſed ſonatio non eſt, niſi generatio ſpeciei ſoni; igitur auditio non eſt niſi receptio ſpeciei. Sicut igitur reſpectu ſpeciei eſt in potentia paſſiua tantùm; igitur reſpectu actus cognoſcendi. Item Auguſt. 5. *de Trinit.* dicit, quòd forma impreſſa viſui ab obiecto, dicitur viſio. Sed contra hoc ſpecialiter deſcendendo, arguitur ſic: quia ſpecies recepta in ſenſu, eſt eiuſdem rationis, cum iſta quæ recipitur in medio, cùm actiuum, & paſſiuum ſint eiuſdem rationis, ſcilicet obiectum actiuum, & organum, & medium, quæ ſunt paſſiua, vt patet 2. *de Anima, text* 118. igitur ſicut ſpecies eſt viſio quando eſt in organo, ita quando eſt in medio; quia eàdem causâ manente, manet idem effectus: hoc autem eſt manifeſtè falſum; quia medium poſſet dici videns ſicut viſio; ergo, &c.

6. Præterea, in organo cæci, vel vigilantis ad aliqua intensè diſtracti, vel dormientis oculis apertis ſicut leporis, imprimitur viſibilis ſpecies, tamen nullum iſtorum videt; ergo, &c. Item, dormiens non audit, tamen excitatur ad ſonum; quod non fieret, niſi in eius organo imprimeretur ſpecies ſoni: igitur aliud eſt receptio ſpeciei, & auditio. Item, iſti contradicunt ſibi, vt videtur; dicunt enim quòd in patria Deus videbitur ab intellectu cauſato, non tamen per ſpeciem; igitur aliud eſt ſpecies à viſione. Item, Deus poteſt actum imaginandi, & intelligendi ſine ſpeciebus obiectorum cauſatis ab obiectis in potentiis cauſare, vt patet in viſionibus Prophetarum; ergo, &c.

Oculi leporis, aperti dum dormit, quare non vident? Dormiens an audit dum excitatur?

SCHOLIVM.

Potentias animæ eſſe verè actiuas, & non tantùm paſſiuas. Vide Doctor 1. d. quæſt. 7. num. 20. & annotationem 3.

7. c Dicendum ergo, quòd potentiæ animæ reſpectu ſuarum operationum ſunt actiuæ; aliter nimis vileſcerent, vt patebit. Probo autem primò, authoritate Philoſophi 2. *de Anima, cap. 5. text.* 19. probantis quòd anima eſt principium effectiuum, non ſolùm vegetandi, ſed etiam ſentiendi; & idem eſt de actu intelligendi, licèt ibi non exprimatur: & expreſsè dicitur 9. *Metaph.* quòd ſentire, & intelligere ſunt actus manentes in agente; certum eſt autem quòd manent in ſentiente, & intelligente, non autem in obiecto extrinſeco: ergo obiectum non eſt cauſa actiua ſaltem totalis talium, ſed potiùs homo ſentiens, vel intelligens mediantibus ſuis potentiis. Item, dicit Commentator ſuper 2. *de Anima*, quòd dictæ potentiæ ſunt patientes in quantùm impreſſionem ſpeciei recipiunt; & agentes inquantùm de obiectis iudicant. Secundò, hoc patet rationibus ſic:

Agens in quantùm huiuſmodi, eſt nobilius patiente, in quantùm huiuſmodi 3. *de Anima*, ſed ſi obiectum ſenſibile ratione formæ accidentalis eſt agens, & potentia animæ, vel anima patiens cognitionem per eos: igitur etiam forma accidentalis quæcumque ſenſibilis eſt nobilior anima, quod eſt falſum. Præterea, operationes vitales ſunt actiuæ à principio vitali intrinſeco; ſed omnes actus ſentiendi, & intelligendi ſunt operationes vitales; ergo à principio intrinſeco effectiuè.

8. Præterea, ſi ſentire eſt pati, ſentiri eſt agere, & intelligi; ſed agere eſt nobilius, quàm pati ſibi oppoſitum: ergo intelligi eſt nobilius, quàm intelligere; & per conſequens inanimata, quæ non intelligunt, ſed intelliguntur, ſunt nobiliora homine, qui intelligit. Præterea, nobilior differentia generis conſtituit ſpeciem nobiliorem ſicut rationale hominem, irrationale brutum; ſed potentia actiua eſt nobilior differentia potentiæ, quàm paſſiua, vt patet 5. *& 9. Metaph.* ſed vegetatiua eſt potentia actiua: ſi igitur ſenſitiua, & intellectiua ſunt tantùm paſſiuæ, vegetatiua erit nobilior eis; quod falſum eſt; ergo, &c.

Sed quomodo poſſunt eſſe actiuæ cum hoc, quòd ſunt paſſiuæ ſecundùm Philoſophum? Dicendum, quòd eſt vna paſſio realis, quæ eſt obiectio formæ à contrario; & paſſione tali non patiuntur huiuſmodi potentiæ, vt patet 2. *de Anima.* Eſt alia paſſio, quæ eſt perfectio patientis, vt patet ibidem: ſed iſta ſubdiuiditur: quia quædam eſt perfectio prima, ſicut actus primus habilitans, & inclinans potentiam ad actum ſecundum. Alia eſt perfectio ſecunda, quæ eſt operatio; & ſecundùm hoc eſt duplex modus ponendi potẽtias dictas eſſe paſſiuas. Vnus eſt, quòd potentia recipit immediatè actum ſecundùm euocata, & determinata à ſpecie obiecti ſibi præſentata in organo potentiæ ſenſitiuæ ad ſentiendum, vel in phantaſmate ad intelligendum talia, cum ſpecie in potentia nullatenus exiſtente; iſtum autem actum ſecundum elicit ipſa potentia, ex virtute ſua, actiuâ ſpecie præſentatâ euocante ipſam potentiam, & determinante ad cognoſcendum illud obiectum, cuius eſt ſpecies, non tamen aliqualiter ipſam potentiam informante.

Paſſio alia perficiens, alia non.

9. Sed videtur dubium, quare Philoſophus vocat dictos actus magis *pati*, quàm *agere.* Dicendum, quòd hoc ideò eſt, quia denominant formaliter ſuas potentias, quas informant, in quantùm in eis recipiuntur, non autem, vt ab eis eliciuntur; non enim aliquid dicitur formaliter tale, quia illud efficiat; ſicut Sol non dicitur calidus, licèt calorem efficiat: ſed quia talem formam recipit, ab illa forma denominatur; quia igitur potentia ſenſitiua, vel intellectiua dicitur formaliter ſentiens, vel intelligens, vel homo per eas, vt ſic denominantur, de eis loquitur Philoſophus; ideò Philoſophus magis attribuit pati, vel recipere talibus potentiis, quàm agere. Item, quia magis notum eſt tales actus eſſe in potentiis ſubiectiuè, quàm in potentiis effectiuè, ſicut de motu grauis, qui magis petit eſſe, inquantum eſt in graui ſubiectiuè, quàm inquantùm ab ipſo cauſatus effectiuè; ſic enim res nominamus, ſicut cognoſcimus; ideò, &c.

Actus potentiarum quare dicuntur paſſiones?

Dicunt aliqui, quòd licèt iſta ſignificentur per modum agendi, tamen res ſignificata eſt vera paſſio, ſicut è conuerſo; honorari, & amari ſignificantur per modum patiendi; tamen honoratus, vel amatus nihil patitur ab amante, vel honorante; quia honor non eſt in honorato impreſſus, immò eſt in honorante, ſecundùm Philoſophum.

10. Sed contrà, prudentia eſt habitus directiuus in agibilibus directionem rationis eliciens; ſi autem iſta intellectio cauſatur immediatè ab

ab obiecto sic, requirerentur habitus prudentiæ, quod falsum est. Nec valet si dicas, quòd habitus requiritur tantùm, vt disponat potentiam ad recipiendum actum prudentiæ, quia habitus est, quo quis vtitur, cùm voluerit, vti est agere; perficit etiam agentem, & opus eius bonum reddit; non autem passionem tantùm. Item, intellectus est summè dispositus ad recipiendum intellectionem; quia non habet contrarium. Item, actus intellectus præcedentes habitum prudentiæ, vel alium, sunt eiusdem rationis cum sequentibus; tamen præcedentes non præsupponunt istam dispositionem habitus in intellectu: igitur, nec sequentes.

Obiectio contra actiuitatem potentiæ. Contra conclusionem in se potest sic argui: omne motiuum necessarium alicuius passiui, est motiuum omnium passiuorum eiusdem rationis; quia omnis potentia habens aliquid commune pro obiecto primo, & adæquato, habet omnia inferiora pro per se obiecto; potentia motiua habet pro obiecto primo adæquato potentiam passiuam: igitur habet pro obiecto per se quamlibet potentiam passiuam eiusdem rationis: si igitur per se potentia sensitiua, vel intellectiua est motiua suiipsius ad actum, cùm sit eiusdem rationis cum potentia sensitiua, vel intellectiua alterius hominis, sequitur quòd eâdem ratione poterit mouere sensitiuam per intellectiuam alterius.

11. At contra modum rationis sic: voluntas inquantùm volens, est libera; sed dicitur formaliter volens per se inquantùm passiua, vel receptiua suæ volitionis: igitur inquantùm passiua est libera; quod est inconueniens; quia liberum inquantùm huiusmodi, habet dominium sui actus, & non est subditum.

An intellectus potest producere actum in seipso? Ad primum, dicendum, quòd maior est tantùm vera de motiuo, cuius motio transit in passum extrinsecum, non autem de illo, cuius operatio est manens intrà; non enim oportet, quòd si mouet se, quòd possit mouere aliud. Vel potest dici, quòd licèt potentia motiua in communi habeat pro primo obiecto potentiam passiuam in communi, non tamen sequitur, quòd potentia motiua, quæ est huius sensitiua habeat pro obiecto nisi seipsam.

Ad aliud, dicendum, quòd volitio quâ dicitur volens, est quædam qualitas spiritualis, libera tamen per participationem, vel quia in subiecto libero essentialiter, quod est voluntas; vel quia à principio elicitiuo liberè, scilicet voluntate; sicut alij actus imperati à voluntate dicuntur liberi participatione. Dicendum igitur, quòd si ly *inquantum* teneatur reduplicatiuè, ita quòd dicat illud cui additur, esse causam inhærentiæ prædicati ad subiectum, falsa est maior; quia volitio, vt dictum est, non est causa, quâ voluntas sit *Voluntas est libera quâ eliciens.* libera, sed econuerso. Si autem teneatur specificatiuè: hoc est dupliciter; aut enim specificat voluntatem ad hoc quòd sit eliciens volitionem, & tunc maior est vera; quia voluntas sub ista ratione determinata, quâ eliciens volitionem est libera; si autem vt recipiens formaliter volitionem, vt accipitur in minori, sic maior est falsa; quia necessariò, non liberè recipit volitionem elicitiuam liberè à se productam.

12. *Ad primum.* Ad primum principale, dicendum quòd pro tanto dicuntur pati, quia huiusmodi potentiæ non dicuntur formaliter sentire, vel intelligere inquantùm efficiunt, sed inquantùm illos actus recipiunt, vel secundùm alios, propter hoc quòd in potentiis sunt duæ passiones; vna respectu obiecti, à quo recipiant speciem, & hæc est prima, & secunda respectu suiipsius, vt elicientis actum cognoscendi; & hæc est receptio cognitionis. *In potentiis duplex passio.*

Ad secundum. Ad aliud, dicendum, quòd tantùm concludit contra Empedoclem, ponentem sensum realiter esse compositum ex sensibilibus; & per consequens sequitur, quòd posset sentire, cum habeat sensibile realiter præsens. Nos autem ponimus sensum recipientem sensationem esse aliud à sensibili.

Ad tertium. Ad tertium, dicendum quòd consequentia non tenet, nisi de operationibus transeuntibus extrà, vt patet per Philosophum ibidem de artifice exemplificando, & de ligno & arca; sed operationes intrà manentes possunt diuersificari ab obiectis potentiâ passiuâ manente eâdem; vt patet de visione albi, & nigri, quæ diuersæ dicuntur species, quia causantur à diuersis specie.

Ad quartum. Ad vltimum, dicendum, quòd assimilatio benè requiritur ad cognitionem, sed non sufficit ad cognitionem, nisi adsit iudicium de obiectu, cuius habetur similitudo impressa, vel expressa; istud perficit assimilationem, & conformitatem, quæ constituit cognitionem. Confirmatur conclusio principalis per Philosophum 2. *de Anima, text.* 125. *& seq* quòd odorare non est pati ab odorabili, quia tunc aër posset odorare; sed odorare est sentire: ergo sentire non est pati ab obiecto. Item, 3. *eiusdem* dicitur, quòd sentire non est motus, quia est actus perfecti, perfectum autem per se non est recipiens, sed potiùs agens: igitur magis est actio.

ANNOTATIONES in quæstionem duodecimam.

Conclusio I.

Sententia tribuens totam actiuitatem quoad actum intelligendi speciei, refutatur.

a AD *istam quæstionem*, &c. Prima sententia tribuit totam actiuitatem speciei, ponitque intellectum principium materiale tantùm, sicut aqua est respectu calefactionis, ratione caloris ipsi inhærentis. Ita videtur tenere D. Thom. 1. *par. quæst.* 56. *art.* 1. *& quæst.* 79. *art.* 3. *ad* 1. *& quæst.* 85. *artic.* 2. *ad* 3. Thienen. 2. *de an. text.* 72. Iauell. *quæst.* 22. sed tantùm loquitur *de sensu.* in eandem incidit Caiet. 1. *par. quæst.* 14. *art.* 3. *quæst.* 79. *art.* 2. *& quæst.* 87. *art.* 1. vbi ait, quòd tota ratio agendi est à specie. 13.

Intellectum non esse merè passiuum. Hanc refutat Scotus *hic* quatuor rationibus satis claris; quas etiam habet 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *num.* 16. Adde ex ipso *ibi*, quòd effectus æquiuocus, cuiusmodi est intellectio comparata ad speciem, esset perfectior sua causa. Secundò habitus non ponitur ad recipiendum, & maximè in subiecto satis disposito, quale est intellectus ad suam intellectionem, sed habitu vtimur cùm volumus. Tertiò, non fieret discursus, neque reflexio intellectus super suos actus, neque fierent intentiones Logicæ, quia intellectus non posset conferre vnum subiectum ad aliud; ex qua collatione tales intentiones fiunt. vide Scotum *loco cit.* vbi rationes illius sententiæ soluit *num.* 27. *&* 37.

b *Alij ponunt quòd sunt sicut*, &c. Actum intelligendi, & sentiendi non distingui à specie tenent Ægid. *quodl.3. quæst.* 12. & 13. Venetus 2. *de Anima*, *text.*60. Nyphus *lib. de sensu contra Iandunum*. Caietan. 2. *de Anima*, *cap.*5. Gabr. 3. *d.* 14. *quæst.* 1. Ioan. de Ripa apud Capreolum ibi; quidam tamen horum de sensu loquuntur, sed eadem est de intellectu ratio.

14. Hanc refutat Doctor quinque rationibus claris, & efficacibus; & idem præstat 1. *d.3.q.7. num.* 16. & 18. Quibus adde, quòd ex Philos. 2. *de Anima*, *text.*118. *sentire est quoddam pati*; vbi & *text.*138. 139. habet expressè, quòd species causatur à sensibili; ergo non est actus; quia respectu actus, potentia est actiua, respectu speciei non.

Potentias esse actiuas.

c *Dicendum ergo, quòd potentia*, &c. Hæc est sententia communis, & vera, potentias animæ esse actiuas respectu suarum operationum, quam conclusionem probat Doctor 1. *d.3. quæst.* 7. *n.*20. & ex impognatione duarum sententiarum præcedentium, efficaciter probatur; & hîc adducit optimas rationes pro ea, & est expressè Aristotelis 2. *de Anima*, *cap.*2. vbi ait, *animam esse principium intelligendi, & patiendi*, sicut & vegetandi, non immediatè, sed per potentias suas.

Intellectus est pura potentia: exponitur.

Sed contrà, ex eodem Aristotele *lib.*3. *text.* 5. vbi ait Intellectum esse puram potentiam, & non esse aliam eius naturam, quàm quòd possibilis sit. Respondetur, etsi versio Argyropili sic habeat, Philoponum, Themistium, & Perionium aliter vertere. Verùm, sustinendo illam versionem, tantùm vult intellectum sine speciebus esse puram potentiam, non simpliciter; sed in genere intelligibilium; vnde subdit, *nihil est actu eorum, quæ intelligit*, scilicet donec informetur speciebus, vide Scotum 1. *d.3. quæst.7. n.*38.

Sensus est actiuus actus, sed passiuus tantùm ad speciem.

15. Obiicies secundò ex eodem Aristotele, quia 2. *de Anima*, *cap.* 1. absolutè vocat sensum passiuum. Respondetur, comparasse eum ad obiectum, non ad operationem. Secundò, tam sensus, quàm intellectus dicitur passiuus; quia patiuntur tantùm in receptione specierum, & quatenus operationes eliciunt, non eatenus operantur; sed quatenus recipiunt eas, vt habet Doctor 4. *d.*12. *quæst.*3. *ad* 5. & 1. *d.*3. *quæst.* 7. *num.* 37. quo sensu dicit Philosophus *intelligere esse quoddam pati*, vide Doctorem 1. *d.*3. *quæst.*6. *ad* 4. & *quæst.* 7. *num.*37.

Intelligere est quoddã pati, exponitur.

Potentia, & species simul efficiunt operationes.

Igitur iuxta Scotum, tenendum est principium integrum productiuum operationum, esse potentiam, & speciem simul. Ita habet 1. *d.*3. *q.* 7. *num.*20. & est Aristotelis *locus citatus*, & August. ibi ab ipso citati 9. *Trinit. cap. vlt.* ibi: *Liquidò tenendum rem, quam cognoscimus, generare in nobis notitiam sui, quòd ab vtroque* (obiecto scilicet, & potentia) *notitia pariatur.* & 11. Trinit. cap. 2. *Ex re visibili fit visio, non tamen ex sola.* Idem habet D. Thom. 1. *par. quæst.* 14. *art.* 1. & *quæst.* 54 *art.* 2. licèt locis antea citatis, totam actiuitatem tribuat, vt videtur soli speciei.

Mouens vnũ passum, non ideò mouere potest omne passum eiusdẽ rationis.

16. *Ad primum istorum dicendum*, &c. Contrarium huius videtur habere Doctor 2. *d.*9. *quæst.* 2. *num.* 15. vbi ex hac propositione; *Quod est motiuum respectu alicuius passi, tale est respectu omnis passi eiusdem rationis*; infert Angelum sicut potest in se producere intellectionem, ita & in alio Angelo; hîc autem videtur oppositum habere; sed non habet, quia in secunda solutione, dicit id fallere in potentia sensitiua; & hoc, vt puto, quia non est applicata nisi sibi. Si dicas; ergo intellectus humanus poterit intellectionem in alio homine producere. Respondetur, pro hoc statu dependet à suis phantasmatibus, quæ non mouent nisi ad operationes in eodem supposito, & à multis actionibus impeditur, quæ ei conuenirent secundùm se, non minùs quàm Angelo; vt motus non organicus, quem secundùm se exercere potest anima, vt habet Doctor 4. *d.*10. *q.*7. & fusiùs *d.*49. *quæst.* 14. & alia huiusmodi.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm de intentione Philosophi fuerit ponere intellectum agentem aliquid animæ nostræ, vel potiùs substantiam separatam?

Aristot. 3. *de Anima*, *cap* 5. *text.* 18. Auerr. *libello de beatid. animæ*, *cap.*5 Auicen. 9. *Metaph. cap.*4 & *lib natur. par.* 5. Alex. *lib* 2. *de Anima*, *cap.*20. Philop. 3. *de Anima*, *cap.* 5. Simplic 2 *de Anima*, *cap* 2. *quæst.* 7, *art* 2. D. Thom. 1. *par. quæst* 79. *art.* 3. Alensis 2. *p. quæst* 69. *memb.*2. Gandau. *quodl.*8. *quæst* 12. Heruæ. *in* 2. *dist.* 17. *q.*2. Capreol. *in* 4. *dist* 49. *quæst.*4 Ferrar. 2. *cont. Gent. cap.* 76. Conimb. 3. *de Anima*, *cap.*5 *quæst.*1. *art.*1. & 2. Auersa *tom.* 2. *Phil. quæst.*58 *sect.*6.

VIDETVR aliquibus secundùm Philosophum esse aliquid animæ nostræ, vt patet per rationes Thomæ *in secundo contra Gentiles*, *cap.*77. & 78. sed contrarium videtur aliis esse de intentione Philosophi. Quod probant sic: Actiuum, & passiuum quæ non sunt vniuoca, non sunt eiusdem naturæ; sed intellectus actiuus, & possibilis non sunt vniuoca secundùm Philosophum; quia agens est incorruptibilis, passiuus intellectus, est corruptibilis; ergo, &c. 1.

3 de Anima, c.5. text 20.

Præterea, nunquam ars, & materia, vel lumen & color, sunt eiusdem naturæ; sed intellectus agens comparatur ad intellectum possibilem animæ nostræ, sicut ars ad materiam, & sicut lumen ad colores, secundùm Philosophum 3. *de Anima*, *text.*17. ergo, &c.

Præterea, substantia nobilior habet nobiliorem operationem: intellectus agens est nobilior possibili, secundùm Philosophum *in* 3. igitur habet nobiliorem operationem; sed abstrahere quod attribuitur agenti, non est ita nobilis operatio, sicut intelligere, quod attribuitur possibili: igitur habet operationem nobiliorem quàm abstrahere, scilicet intelligere; & per consequens est quædam substantia intellectiua separata ab intellectu possibili.

Præterea, Philosophus *in* 3. *text.* 18. & 19. dicit quòd est semper in actu separatus, & immixtus, &c. certum est autem, quòd anima nostra non est semper in actu intelligendi; igitur non est aliquid animæ nostræ secundùm Philosophum. 2.

Dicunt ergo illi, quòd Philosophus per rationem positam in 3. *de Anima* non intendit probare, quòd in anima nostra sit aliquis intellectus agens tanquam pars eius; sed quòd est in ea, sicut mouens in moto, non per essentiam, sed per influentiam, vel quantùm ad eius operationem, ad quam concurrit intellectus agens; & hoc tali ratione: Quando potentia reducitur ad actum, ad istum actum concurrit & agens,

& patiens ; ſed anima de potentia intelligente fit aliquando actu intelligens : igitur ad actum intelligendi non tantùm ſufficit intellectus poſſibilis, ſed requiritur intellectus agens.

2. Phyſic. text. 70. Præterea, agens, & materia nunquam coincidunt ; intellectus agens, & paſſibilis ſunt ſicut agens, & materia ſecundùm Philoſophum : igitur non ſunt eiuſdem naturæ partes ſecundùm eſſentiam, ſed tantùm, vt dictum eſt, per influentiam ; ſicut mouens eſt in moto, ſic intellectus agens eſt in anima.

3. 1. Ethic. Alij dicunt quòd eſt habitus principiorum: quod ſic poteſt intelligi ; quia ſicut habitus eſt quo quis vtitur, cùm voluerit ; ita intellectus agens eſt, quo homo vtitur reſpectu poſſibilis, cùm voluerit ſe ad intellectum poſſibilem conuertere. Vel ſic poteſt intelligi ; quòd ſicut vnum contrarium, ſcilicet perfectius, dicitur *habitus* reſpectu imperfectioris, quæ dicitur *priuatio*, ſic intellectus agens, qui eſt perfectior, dicitur actus reſpectu poſſibilis.

Item, dicit quòd lumen facit potentiâ colores, actu colores; cuius contrarium videtur Philoſophus innuere 2. *de Anima, text.* 72. 73.

Lumen facit colores actu. Dicendum, quòd ſicut appropinquans agens ad patiens dicitur agere, vel diſponens materiam vltimatè dicitur informare ; quia ſtatim ſequitur actio, vel informatio ; ſic lumen dicitur facere colores actu, id eſt, actu viſibiles inquantùm diſponit medium ; quo facto color ſtatim poteſt mouere viſum, & color ſic mouens viſum, eſt actu color, non quidem actu primo tantùm, ſed etiam actu ſecundo. Item, ex litera Philoſophi in illa parte, *quoniam in omni mouente*, &c. volunt aliqui, quòd non mouet ſeipſum ; quod per rationem Philoſophi patet.

RESOLVTIO.

Intellectum agere in ſeipſum de quo 1. d. 3. q 7. num. 5. & 27 *Item, agentem, & poſſibilem realiter minimè diſtingui.* 2. d. 3. quæſt 10. *Sed meliùs* 2. d. 16. *& quodlib.* 15. *art.* 1.

4. *Nihil ſe mouet ad actum primum, ſed benè ad ſecundum.* 1. d. 3. q. 7. n. 27. [a] Dicendum igitur, quòd mouens ad actum primum, quod eſt generans, realiter differt à moto, quia nihil generat ſeipſum ; ſed ad actum ſecundum poteſt aliquid mouere ſeipſum, ſicut graue ſeipſum mouet ad *vbi*, licèt non ad formam ſubſtantialem grauis ; ſic etiam intellectus, & voluntas mouent ſe ad actus ſuos; modò

3. de An. c. 5. ita eſt ſecundùm Philoſophum, quòd intellectus agens mouet intellectum poſſibilem ad actum primum, non tamen ad actum ſecundum ; ideò realiter differunt ſeipſis, & ideò ſi intellectus poſſibilis eſt aliquid animæ noſtræ, oportet ponere intellectum agentem ſubſtantiam ſeparatam, ſecundùm ipſum ; & huic concordat ſacra Scriptura, quæ ponit Deum ipſum, eſſe illud lumen quod ponit Ariſtoteles intellectum agentem, vnde Ioannis primo, *Ipſe eſt qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & in Pſalmo 4. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona*, & reſpondet, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, &c.

Alij dicunt tamen, & probabiliter, quòd intellectus agens, & poſſibilis non differunt re, ſed ratione, vel officiis : quia intellectus, vt eliciens actum intelligendi dicitur agens ; vt recipiens autem, dicitur poſſibilis. Dicuntur autem duæ potentiæ à Philoſopho, ſicut ſcientificum, & ratiocinatiuum, dicuntur duæ potentiæ diuerſæ genere, quæ tamen ſunt idem re, vt dicunt, ſed differunt ratione, ſecundùm quòd eadem potentia conſiderat neceſſaria, & contingentia ; & iſtæ ratio ſuperior, & inferior ſecundùm Auguſtinum.

ANNOTATIONES
in quæſtionem decimamtertiam.

[a] Dicendum igitur, quòd mouens, &c. Clarè conſtat prima pars reſolutionis, nempe aliquid agere in ſeipſum, ſicut, cùm aqua reducit ſe ad frigiditatem, & cùm Angelus ſe mouet : verum eſt nihil agit in ſe actione vniuocâ, id eſt, inducendo in ſe formam eiuſdem rationis, cum illa per quam agit, ſed benè actione æquiuocâ, id eſt, quando non agitur per formam eiuſdem rationis, cum illa, ad quam agitur ; vt in exemplo. Neque ſequitur hinc, aliquid eſſe ſimul in potentia, & in actu reſpectu eiuſdem ; ſed agens eſt virtualiter tale in actu, quale eſt patiens formaliter in potentia, vt in exemplo. Vide de hoc Scotum 1. *d.* 3. *quæſt.* 7. *ad* 1. *pro* 2. *opin. &* 2. *d.* 3. *quæſt.* 8. *ad* 4. *& d.* 2. *quæſt.* 10. *ad* 2. *& d.* 25. *quæſt.* 1. *ad* 1. 5. *Aliquid agit in ſe, ſed non vniuocè.*

Obiicies duo loca Ariſtotelis ex 8. *Phyſic. text.* 30. *&* 7. *text.* 1. 2. quorum primo dicitur, quòd mouens ſe, habet duo : alterum mouens, alterum motum. Secundo dicitur quòd nihil mouet ſe primò. Reſpondetur, cum Scoto citato, ly *primò* dupliciter ſumi : primò, vt idem ſit quod per ſe totum, id eſt, non ſecundùm partem, & ſic accipitur 5. *Phyſic. text.* 2. *&* 6. *Phyſic. text.* 44. vbi dicitur, quod mouetur in aliquo tempore primò, moueri in quolibet illius temporis. Secundò, accipitur *primò*, vt dicit cauſalitatem præcipuam, ſic *primo Poſter.* in diffinitione Vniuerſalis.

Quando ergo dicit Ariſtoteles, quòd nihil mouet ſe primò, loquitur de hac duplici primitate totalitatis, & cauſalitatis, & reſpectu corporis : nam ſi mouetur primitate totalitatis, cùm motio ſit homogenea, non conuenit toti, niſi ſingulis partibus conueniat, ac per conſequens, ſi pars quieſcit, totum quieſcit : at ſecundùm primitatem cauſalitatis præciſæ, ſi corpus ſe mouet, non ceſſabit motus, quieſcente parte, alioquin cauſalitas præciſa non conueniret toti. Verum ergo eſt, quòd nihil ſe mouet primò vtrâque primitate, motione corporeâ ; benè tamen alterâ primitate, quomodo graue mouet ſe primò ; quia quælibet eius pars mouet, & mouetur : quòd fusè proſequitur Scotus ſuprà ; ſed in motione ſpirituali, de qua agitur, non currit argumentum. 6. *Mouere per ſe primò, dupliciter ſumitur.*

At dices ſenſationem eſſe motionem corpoream. Reſpondetur ſenſum mouere ſe primò, ſicut graue primitate totalitatis ; quia quælibet pars eius mouet & mouetur : at non mouet ſe primò primitate cauſalitatis, ſicut nec graue; quia non conuenit illa motio ſenſui, vt diſtinguitur à ſuis partibus. *Quomodo ſenſus mouet ſe primò.*

Ad aliud, quod alterum eſt mouens, alterum motum. Reſpondetur id contingere tantùm in motione locali, vel vbi partes ſunt heterogeneæ, vel motio organica. Ita Scotus 2. *d.* 2. *quæſt.* 10.

Circa

7. Circa secundam partem, Græci quidam putant intellectum agentem & possibilem esse substātias separatas. Ita Theophrastus, & Themistius 3. *de Anima*. Arabes quidam putant intellectum agentem esse aliquam substantiarum separatarum, vt Auempaces & alij, quos refert Albert. 3. *de Anima, tract.* 2. *cap.* 4. Auerroës 3. *de Anima text.* 5. 20. 21. Auicenna 9. *Met. cap.* 4. vult vltimam Intelligentiam, quæ præsidet sphæræ actiuorum, & passiuorum esse agentem, quæ gubernat animas nostras, & 6. *Natur. par.* 5. *cap.* 5. ait eam influere species in animas. Fauet Aristoteles 3. *de Anima, text.* 19. & 20. vbi ait intellectum agentem passione vacare, & separabilem, cùm sit substantia actus, Alex. 2. *de Anima, text.* 20. 21. idem iudicat secundùm mentem Aristotelis.

Qui putant intellectum agentem esse separatā substantiam?

Plotinus (vt referunt Conimbr. 3. *de Anima, c.* 5. *quæst.* 1.) tenet agentem, & possibilem esse duas substantias, & illam semper intelligere, hanc aliquando otiari. Alij omnino negant dari intellectum agentem, ita Durādus 1. *d.* 3. *q.* 5. & alij, quorum meminit Albert. *in summa de homine q.* 3. *de intellectu agente*.

Durand. & Albertus negant intellectum agentē.

8. Dicendum est primò, contra Philosophos illos, intellectum esse intrinsecum homini. Ita D. Thom. 1 *part. quæst.* 75. *art.* 2. Scot. 4. *d.* 45. *quæst.* 2. *num.* 11. vbi reiicit rationes D. Thom. Probatur ratione Scoti; homo formaliter intelligit vniuersale, & entia rationis, & experitur se reflectere super suos actus; sed hæc conuenire nequeunt cognitioni sensitiuæ; ergo habet cognitionem spiritualem: ergo anima est eius forma, alioquin non esset capax illius intellectionis; vlteriùs, ergo intellectus est illi intrinsecus, alioquin actus non esset vitalis. Secundò, illud est forma hominis quo constituitur in specie. Tertiò, si tantùm assisteret vt motor, corpus non esset viuum. Quartò Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 2. demonstrat animam esse actum corporis; quia ipsâ viuimus, mouemur, & intelligimus. Idem habet 12. *Met. cap* 3. vbi ait causam formalem aliquando manere sine suo effectu; vt in anima rationali, & 2. *de Anima, cap.* 1. ait omnem animam esse formam; siue hoc ratione demonstretur, siue non; scilicet animam esse formam hominis: saltem id de fide est, quia definitur in Vienen. Cōcil. *Clem. vn.* §. *Porrò, de sum. Trinit.* & *in* Lateran. *sess.* 8. *sub* Leone X. & *antea in* Lateran. *sub* Innoc. III. & habetur *cap. Firmiter, de sum. Trin.*

Intellectus est homini intrinsecus.

Anima est forma hominis.

Animam esse formam hominis est de fide.

9. Quòd si dicas, ista nihil probare de intellectu agente: verum est non esse definitum, talem dari, neque species ab aliquo intrinseco principio fieri; certum tamen est intellectum agentem esse potentiam animæ; & habetur ex Aristotele 3. *de Anima, cap.* 5. Cuius ratio est, quia cùm anima ab intrinseco sit intellectualis, debet habere ab intrinseco necessarium ad intelligendum, nempe species, & consequenter principium earum; quam rationem prosequitur D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *artic.* 4. Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 6. *num.* 10. & 2. *d.* 3. *quæst.* 11. Secundò, si species fierent ab aliqua Intelligentia, non egeret phantasmate. Tertiò, ad species sensibiles non ponitur aliquod extrinsecum principium; ergo, &c.

Ad locum Aristotelis in oppositum, variæ sunt expositiones, sicut & variæ translationes. D. Thom. & alij exponunt *substantia actus*, id est, secundùm essentiam, agens est actus, seu potentia actiua; & eatenus dicitur passione vacare, quia non concurrit ad intelligendum vt recipiens, sed vt agens; sed verius est ex hoc textu agentem non condistingui contra possibilem, sed contra potentias sensitiuas, vt ibi exponunt Conimbricēses; quia vterque intellectus separabilis est, & immixtus, scilicet corporeis organis & passione vacat corruptiuâ. Vnde quando *text. seq.* 20. ait *separatus verò, id solum est immortale perpetuumque*, &c. *intellectus verò passiuus extinguitur*. In prima parte per *separatum*, vtrumque intellectum comprehendit, & per intellectum passiuum, qui corrumpitur, phantasiam intelligit, quæ intellectus dicitur; quia intellectui ministrat, & rationem participat, à qua & dirigitur ex 1. *Ethic. cap. vlt.* & *l.* 6. *cap.* 7. & sic exponit ipse D. Thom. hunc locum, & conuenit Scotus 4. *d.* 45. *quæst.* 1. *ad* 3. Falluntur ergo authores penultimæ sententiæ, asserentes Philosophum posuisse, quòd intellectus agens mouet possibilem ad actum primum, neque id ex eo probant illo textu. *quoniam in omni mouente*, vt explicui *num.* 1. & 2. Ad locum Ioan. ibi citatum, illuminat Deus omnem hominem, naturaliter dando intellectum, & supernaturaliter dando principia huius ordinis aliquo modo proximè, vel remotè in se, vel in aliis; de quo non est huius loci agere. Per idem ad illud ex Psalmo 4. intellectus est lumen quo Deum naturaliter cognoscimus.

Intellectus passiuus extinguitur, exponitur.

Quomodo Deus illuminat omnem hominem?

10.

Dicendum secundò, falsam esse sententiam Plotini, quia præter materiam, & formam, ponit duas substantias in homine, quod merum est figmentum. Secundò, aliæ substantiæ necessariò sunt formæ informantes, vel naturæ completæ; & neutrum potest dici. Tertiò, chimæra est, & contra experientiam, non cessare ab actu intellectum agentem.

Reijcitur Plotini sententia.

Dicendum tertiò, contra Durandum, dari intellectum agentem, ita Aristoteles citatus, cuius ratio id probat, & sequitur Schola Theologorum & Philosophorum. D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *art.* 3. 4. Alen. 2. *part. quæst.* 69. *num.* 2. Scotus locis iam citatis: an autem distinguatur à possibili, (quod fortè tantùm negauit Durandus) postea dicam.

Dicendum quartò, pro secunda parte conclusionis huius quæstionis, agentem & possibilem non distingui realiter. Ita Scotus 2. *d.* 16. vbi negat potentias animæ inter se, vel ab anima distingui realiter, & *quodl.* 15. *artic.* 1. vbi in particulari, vt probabiliùs tenet, vtrumque intellectum esse idem realiter. Sequuntur Maior 2. *dist.* 16. *quæst. vn.* Abul. *Exod.* 23. *q* 70. Nyph. *lib* 1. *de intellectu tr.* 4. *cap.* 21. Tol. *tract.* 3. *de Anima, quæst.* 20. Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 1. vtramque partem probabilem putant. Ratio huius est, quia pluralitas est fugienda, nec sine necessitate vrgenti, admittenda, 1. *Physic. text.* 50. & 3. *Physic. text.* 48. & 3. *de Anima, text.* 60. Hîc autem omnia quæ attribuuntur agenti, possunt conuenire possibili; ideò sunt vna realis potentia, sed propter diuersa munia, diuersis nominibus appellata.

Intellectus agens & possibilis non distinguuntur realiter.

11. D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *artic.* 7. & 2. *dist.* 17. *quæst.* 2. *artic.* 1. oppositum tenere videtur; & sequuntur eius discipuli. Fundantur in quibusdam locis Aristotelis *cap.* 4. & 5. *lib.* 3. *de Anima*, sed tantùm hæc probant intellectum nostrum habere varia munera, & quatenus cum phantasmate elicit species, vel cum specie operationem, dici agentem, & quatenus recipit operationes, dici possibilem: danda tamen est distinctio formalis inter vtrumque intellectum, vt illa loca faciliùs soluantur.

Agens & possibilis, differunt formaliter.

Non teperio euius fuit illa opinio, quam tefert hîc Scotus, feilicet intellectum agentem esse habitum principiorum. Meminit eius D.Bona.2.d.24.*art*.2. *quæst*.4. Albert. *summ de homine q. an detur intellectus agens?* sed cuiuscumque sit, falsa est; qoia habitus principiorum, vt tenet Scotua a.*d*.39.*quæst*.2 siue sit ipse intellectus, siue aliquid in eo productum, tespicit tantùm principia practica, eliciens citca ea, dictamina, quibus tecta voluntas cooformatur, vt *Omne malum est fugiendum*; sicut *Conscientia est habitus conclusionum practicarum, quibus conformanda est electio recta*. At intellectus agens eirca omnia intelligibilia versatur produeendo species, vel opetationes; non est igitur habitus principiorum. Alij cum Henrico, quem Scotus loco eitato tefutat, ponũt habitom principiotom in voluntate: in qua sententia clatè patet non esse intellectum agentem. Fottè illa sententia fundatut in eo quòd Atistoteles 3. *de Anima, text*.18. vocat intellectum agentem, habitum. Sed hoc nihil est, quia loquitur de habitu largè, & comptehendit omne id, quod est ptincipium agendi in anima; quo sensu species sunt habitus, ex Scoto 1.*d*.3.*q*.6.

Quid est habitus principiorum? & quid conscientia?

12. Non soluit Doctor argumenta initio quæstionis posita, quasi innuens nihil esse certum de intentione Philosophi, in quo posuerit intellectum agentem. Placuit ergo illa soluere, quatenus faciunt contra ea, quæ dicta sunt.

Species dicitur habitus.

Ad primum iam responsum est secundùm Aristotelem, vtrumque intellectum esse incorruptibilem; & quando ait intellectum extingui, loquitut de phantasia.

Ad secundum, eatenus intellectus agens est ats respectu possibilis, quatenus hic est veluti tabula rasa, donec excipiat species ab illo, quibus quasi artificiosè depingitur; neque hinc sequitur distinctio tealis, sed ad summum formalis.

Ad tertium, fateor *intelligere* esse nobiliorem effectum abstractione specierum; sed vterque conuenit eidem intellectui: sicut calefacere, & ignite, eidem igni; etsi non respectu eiusdem, quoad extrinseca.

Ad quartum iam dixi vtrumque intellectum esse posse separatum, & neutrum esse immixtum corporeis organis.

Ad quintum. Respondetur cum Scoto 1.*dist*.3. *quæst*.7. *num*. 29. materiam nudam, & efficiens non coincidere, secus est de materia secundùm *quid*, quale est subiectum; constat enim quòd passio accidentalis prædicatur de subiecto per se secundo modo, & non posset prædicari per se, nisi subiectum esset eius efficiens, quia solùm ratio causæ materialis non facit necessitatem, vt hoc dicatut per se de illo.

Quando materia coincidit cum efficiente?

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm species maneant in intellectu, cessante actu intelligendi?

Aristot 3.*de Anima, text*.18.37 & 38. Auic.6. *Natural p*.5. *cap* 6. August.10. *Confess. cap*.8. Magister 1. *sent. dist*.3. D Thom 2 *cont. Gent. c*.74. & 1.*p.q*.79. *art*.6. & *de verit. q*.10 *art* 2. Durand.2.*dist*.3 *q*.6. Bacon *q*.2. *Prolog*. Henric *quodl*.4.*quæst*.7 & 8. Godfred.*quodl.q*.15.& *quodl*.13. *q* 5 Conimbr.3 *de Anima, c*.5 *q*.3.*art*.2.

1 VIdetvr qoòd non: quia omnis qualitas mansiua in intellectu, disponẽs eum ad intelligendum, est habitus intellectiuus, per definitionem habitus, qui est de difficili mobilis disponens potentiam ad agendum; sed species disponit intellectum ad intelligendum; si ergo est mansiua cessante actu, est idem quod habitus intellectiuus. Hoc autem patet esse falsum; per inductionem in habitibus intellectiois, qui sunt sapientia, intellectus, ars, & prudentia. Item, patet per rationem, quia species præcedit actum intelligendi; habitus autem sequitur.

Præterea, si species vnius obiecti maneret cessante actu, eâdem ratione species alterius; sed impossibile est plures species simul manere in eodem subiecto, quia, cùm species assimilentur figuræ secundùm Philosophum 2.*de Anima*, sequeretur quòd idem subiectum posset configorari diuersis figuris, & ad diuersa obiecta, quod falsum est: igitur, &c.

Contrà, quando aliquid de potentia essentiali reducitor ad potentiam accidentalem, oportet quòd hoc fit per aliqoid sibi formaliter impressum, quod habet rationem actus primi, quod tantùm est in potentia propinqua ad sensum; sed cessante actu intelligendi, intellectus est in potentia accidentali ad intelligendum, non autem essentiali tantùm, sicut erat ante *intelligere*; igitur habet speciem sibi impressam, vel saltem expressam.

SCHOLIVM.

Sententia quæ videtur Auicennæ, species non manere post actum in intellectu: & reyciuntur rationes D.Thom. *contra eam. Vide* Doctorem 1.d.3.q.6.à n.23.

a DIcendum, quòd secundùm aliquos opinio Aoicennæ 6.*naturalium, part*.5. *cap*.6. est, quòd species non sunt in intellectu nostro, nisi quando actu considerat, per hunc modum, quòd quando intellectus noster conuertit se ad intelligentiam separatam, tunc tantùm intelligit; quia speciem ab ea recipit. Et ratio huius est, quia quando potentia est de se cognoscitiua, non tequiritur in ea species, nisi præsente obiecto; sicut quia organum sensus de se non est organum cognitiuum, ideò est in eo species, etiam absente sensibili; sed intellectus noster est de se potentia cognoscitiua, ideò non indiget specie, nisi præsente intellectiuo sciente existente. Si autem arguatur 1 in anima est aliquis habitus, vel potest esse; habitus autem est quo quis vtitur, cùm voluerit, sed præsentiam obiecti non habet cùm voluerit; igitur absente obiecto adhuc potest manere habitus scientiæ; hoc autem non est sine specie intelligibili: ergo, &c. Item, si præsente obiecto tunc tantùm esset præsens species, cùm acquirere speciem sit addiscere, semper homo addisceret, cùm intelligeret actu; hoc autem est falsum. 2.

Opinio Auicennæ.

1 Ethic. c. 5. cap 5.

Respondent ad hoc, quòd ex frequenti conuersione intellectus nostri ad ipsam intelligentiam, generatur in anima nostra quædam habilitas, vel facilitas ad intelligendum, quæ vocatur habitus: non oportet tamen quòd talis facilitas insit ei per speciem remanentem absente obiecto. Contra ista sic arguit D.Thomas:

Contra primum sic: Intellectus recipit speciem ab intelligentia separata: ergo frustrà anima vniretur corpori. Quod probat sic: corpus est propter animam, non autem propter *esse* eius; quia potest 3.

1.p.q.79.art.6. & q.54. & 51 & 2. contra c.74.

potest esse sine corpore: igitur propter eius operationem, quæ est intelligere: sed si posset anima intelligere per conuersionem ad Intelligentiam separatam, non indigeret cognitione sensitiuâ, quæ fit per organa corporalia ad intelligendum; & per consequens, frustrà daretur sibi talis cognitio, quæ fit mediante corpore, & frustrà vniretur corpori, hoc est inconueniens: igitur, &c.

Contra principale sic: Receptum est in recipiente per modum recipientis; sed intellectus est potentia receptiua multo nobilior sensitiua, & ad nobilitatem pertinet recipientis recepta conseruare; sensitiua potentia reseruat species sensibilium, etiam in eorum absentia, vt experimento patet in memoria, & phantasia: igitur, &c.

Homo post resurrectionē intelliget sine phantasmate. vide Doctorem 4 d. 45. q. 2. n. 14. Sed videtur, quòd istæ rationes non concludunt; prima non valet, quia secundùm illam, sequeretur quòd post resurrectionem anima frustrà vniretur corpori, quia intelliget tunc perfectiùs à cognitione sensitiua; non igitur corpus, vel cognitio sensitiua est propter intellectionem.

4. Dico igitur, quòd anima vnitur corpori, vt constituat totum perfectiùs, quàm si esset sola; quia est pars tantùm, non autem corpus sibi vnitur propter operationem, vt supponut. Similiter propter hoc vnitur sibi corpus, vt per sensus corporeos cognoscat singularia; sed per conuersionem ad Intelligentiam separatam cognoscit vniuersalia, vt diceret Auicenna. Ratio etiam secunda non valet, quia eâdem ratione sequeretur, intellectus scilicet est nobilior & durabilior quàm sensus; igitur *intelligere* est firmiùs in intellectu, quàm modò; & tamen non oritur sua intellectio quàm *sentire* in sensu. Similiter intellectus est firmior ligno; igitur firmiùs retinet speciem, quàm lignum figuram; quæ falsa sunt.

Explicatur sententia Auicennæ. Dicendum est ergo, quòd opinio Auicennæ fuit, aliquas species esse in intellectu, etiam cessante actu; dicit enim quòd in intellectu sunt species ipsum decorantes; & subdit quòd cùm intellectus recipit aliquam speciem ab imaginabilibus, nō recipit aliam eiusdem speciei. Sed ad modum positionis suæ videndum, sciendum quòd ponit duplicem conuersionem intellectus, vnam ad sensibilia, à quibus recipit species intelligibiles, quæ sunt singulares respectu intellectus, quem informant; & vniuersales respectu singularium, quæ vniuersaliter repræsentant. Aliam conuersionem ponit respectu Intelligentiæ separatæ, à qua etiam recipit species; sed illæ non manent, nisi ad præsentiam influentiæ illius, vel intellectus agentis, quod idem est, secundùm ipsum; quia ipse Deus est lux illa, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, &c. Sicut igitur lux aërem illuminat, & ad eius præsentiam tantùm manet lumen in aëre, sic secundùm ipsum illa lux, quæ Deus est, vel Intelligentia separata, illuminat de necessitate naturæ animam nostram se ad animam conuertens, suæ lucis speciem imprimendo præsente actu animâ, & obiecto. Si autem arguatur sic contra eum: Aut illæ species sic influxæ ab Intelligentia, & causatæ à sensibilibus, sunt eiusdem speciei, aut non; si eiusdem, altera earum superfluit ad intelligendū: si alterius, species influxæ non valent ad intelligendum inferiora, nec è conuerso. Diceret ad hoc, quòd vtræque sunt eiusdem speciei, non tamen superfluunt influxæ; quia per eas vigorantur species aliæ, vt per ipsas intellectus intensiùs, & clariùs possit confirmari in intelligendo.

RESOLVTIO.

Speciem manere cessante actu in intellectu, de quo fusè Doctor 1. d. 3. quæst. 6. num. 23. & seqq.

b Respondeo, quòd species potest manere, cessante actu. Quod probatur sic: quod est causa alterius, & prius naturaliter eo, non tamen necessaria, potest esse sine effectu; sed species intelligibilis est causa prior actu intelligendi, nec est necessaria; quia quod est formale principium intelligendi, id est, quòd eliciatur actus intelligendi, siue sit intellectus, siue species, est liberum per participationem, causalitate, ne scilicet producat effectum: ergo non est causa necessaria producendi effectum; intelligimus enim cùm volumus, vt dicitur 2. *de Anima, text. 60.* Potest enim liberum per essentiam, scilicet voluntas impedire liberum per participationem à sua causalitate, ne producat effectum suum; ergo species potest esse sine actu. 5.

Perfectionis est conseruare species. Præterea, principium formale potest esse in actu sine actione, sicut actus primus sine secundo; quia potest impediri actus secundus; species autem est formale principium intelligendi in intelligente: ergo, &c.

Præterea, quod est perfectionis in potentia inferiori, debet esse in superiori potentia: sed perfectionis in imaginatiua potentia est habere obiectum præsens in sua specie, absente obiecto reali extrinseco. Quod patet, quia in hoc excedit potentias sensitiuas particulares, & exteriores: igitur potentia intellectiua potest habere obiectum in specie, remota eius actuali consideratione.

Præterea, aliquid potest reduci de potentia essentiali ad accidentalem sine actu; sed per speciem informantem intellectum, reducitur de potentia essentiali ad intelligendum ad potentiam accidentalem.

Ad primum in oppositum, dicendum quòd species potest dici habitus, largè sumendo habitum pro forma, vt est principium operandi, prout distinguitur habitus à priuatione, & à dispositione, se tenente ex parte materiæ, quæ est de difficili mobilis; non tamen oportet quòd sit habitus intellectiuus numeratus 6. *Ethic.* vt ratio procedebat; quia si species sit formale principium intelligendi in intelligente, concurrit ad substantiam actus; habitus autem scientiæ, vel alius ibidem nominatus non concurrit ad substantiam actus, sed tantùm ad modum: habilitat enim potentiam ad benè, vel malè operandum; ideò species non est talis. Si autem sit species tantùm repræsentatiua obiecti, non autem informans potentiam agendi, nec impressa, sed expressa, adhuc non oportet quòd sit habitus scientiæ, vel alius de prædictis; quia species, scilicet talis, non disponit potentiam ad operandum, nec ad modum operandi, sicut habitus talis, qui est scientia, vel alius, qui est dispositio perfecti ad optimum, sed tantùm est affixa potentiæ, loco obiecti repræsentans ipsum. 6. *Ad primum.* *Species quo sensu habitus?* *Scot. 1. d. 3. q. 6. n. 29.* *Scot. 1. d. 1. q. 1.*

Ad aliud, dicendum quòd non est simile de specie, & figura corporali; figura enim cùm sit forma realis, non compatitur secum aliam. Species autem est figura spiritualis, & non habet esse tale in anima, quale habet esse obiectum in re extrà, vt dictum est suprà, & ideò secum compatitur aliam speciem, secundùm Augustinum 9. *de Trinitate.* *Ad secundum.* *Sic 1. d. 3. q. 6. n. 29.*

ANNOTA

ANNOTATIONES in quæstionem decimamquartam.

7. *Species qui negent.*

[a] *Dicendum, quòd secundùm aliquos, opinio Auicenn.* &c. Species in vniuersum negant, præter quosdam antiquos Philosophos. Durand. 2.*d*.3.*quæst*.6. Bacon. *quæst*.2. *Prol*. Goffred. *quodl*.9. *quæst*.19. *&* *quodl*.13. *quæst*.5. Henric. *quodl*.4.*q*.7.8. Sed in hac quæstione supponitur eas dari. Quod fusè probat Scotus 1.*dist*.3.*quæst*.6.*à num*.5. & est communis consensus DD. Alens. 2. *part. quæst*.24. *memb*.2. *&* 3. D.Thom. 1.*part. quæst*.55.*art*.5. D.Bonau. 2.*d*.3. *art*.2. *quæst*.1. Ricc. *ibi art*.5. *quæst*.2. & August. 11. *Trin. cap*.2. dicit ingenij tardioris esse de his dubitare.

Sed hoc supposito, D.Thom. & alij tribuunt Auicennæ, quòd negauerit species manere, cessante actu intelligendi. Quam sententiam duplici ratione impugnat D.Thom. Sed Doctor clarè ostendit impugnationem nullius esse momenti. Secundò explicat, & soluit Auicennam, quòd non negauerit omnes species manere post actum, sed tantùm illas, quas acquirit intellectus per conuersionem ad intelligentiam, manentibus speciebus, quas accepit à sensibilibus. Pro quo adducit varia loca Auicennæ 1.*d*.3.*q*.6.*n*.24.

Conclusio.

Species manere post actum intelligendi.

8. *Species manent post actum.*

[b] *Respondeo, quòd species*, &c. Resoluit cum communi, quam tenet D. Thom. 1. *part*. *q* 89.*art*.5. *&* 1.*contra Gent. cap*.74 Species manere post actum intelligendi, probátque quatuor claris, & efficacibus rationibus. Idem habet August. 10. *Confess. à cap*.8. & Magister 1.*d*.3. Est etiam expressè Aristotelis 1. *de Anima, cap*.5. vbi ait intellectum posse esse in actu primo siue secundo, *&* *lib. de Mem. c*.2. tenet dari memoriam intellectiuam. Scotus 1.*d*.3. *quæst*.6. *num*.26. pro eadem adducit ex Philosopho duo loca, vnum 2. *de Anima, text*.15. *&* 55. quòd habens habitum scientiæ, est in potentia accidentali ad sciendum; quod est nullo intrinseco carere, vt exeat in actum, nisi ab aliquo extrinseco impediatur, vt ibi dicitur; id autem dicitur esse in potentia essentiali, quod caret concausa intrinseca. Alter locus *est* 3. *de Anima, text*.18.37.38. vbi dicitur quòd *intellectus potest esse sapiens de se*; sed nequit sapiens esse si non habet obiecta sibi præsentia in *esse* intelligibili; quod fit per species. Alia duo loca Aristotelis adducit Scotus ad idem 4.*dist*. 45.*q*.3. quibus probat dari memoriam intellectiuam, quam ibi fusè probat dari. Vide ipsum etiam ibi *quæst*.2. vbi probat animam separatam cognoscere quiditates, quas antea in via cognouit, quod aliter euenire nequit nisi ex conseruatione specierum.

Quid potentia accidentalis, & essentialis?

Obiectiones contra conseruationem specierum soluuntur.

9. *An opinio manet in anima separata?*

Obiicitur pro opposita parte, primò. Habitus opinatiui non manent in anima separata; ergo neque species. Respondetur. Si illa anima non habet aliam notitiam perfectiorem de obiecto opinionis, incompatibilem cum opinione, quòd hæc manet; quia non est quare desinat esse.

Obiicies secundò, species in anima separata manent frustrà, quia non mouent nisi conuersione facta ad phantasma, & sicut ab hoc dependet in *fieri*, & ita in *conseruari*, & *operari*. Respondetur cum Scoto 4. *dist*. 43. *quæst*.2. quòd tunc non essent frustrà, sed per eas posset anima intelligere, sicut antea, neque dependent in *conseruari* à phantasmate, sicut nec habitus ab actibus, quibus gignitur; neque etiam in *fieri* dependent ab eo, nisi quando anima est vnita, & pro hoc statu; vnde anima separata acquirit nouas species, vt habet Scotus ibi, sicut & Angelus, de quo agit 2. *d*.3.*quæst*.11.

Species non dependent in conseruari à phantasmate, nec de per se in fieri.

At dices; non erit tunc vnde intelligere incipiat anima per tales species; quia non est recurrendum ad sensus particulares mouentes, neque ad phantasma efficaciùs mouens, quia ista non sunt. Respondetur cum Scoto, tunc inchoari intellectionem à specie efficaciùs mouente; quòd si æquales sint species, ab ea ad quam magis inclinatur potentia: neque fortè possibile est quin alterum horum adsit. Quomodo autem prima cogitatio sit in potestate voluntatis, dictum est suprà *quæst*.11. *annot*.2. & videri potest Doctor 2. *d*. 42.*quæst*.4.

Vnde determinatur intellectus separatus ad primam intellectionem

Obiicies tertiò, 2. *Corinth*. 13. dicitur quòd scientia euacuabitur, ergo & species. Respondetur, tantùm volt Paulus quòd adueniente beatâ scientiâ, non erit necessarium ministerium sensuum ad scientiam, & quoad hoc cessabit scientia hîc acquisita. Ita D.Thom. *ibi lect*.3. Magister, D. Bonau. Ric. Dur. & alij 3.*d*.31. manebit tamen habitus, & species scientiarum. Vnde expedit vt ait *Hieron. in prologo biblia*, vt hîc *discamus in terris, quorum scientia nobiscum maneat in cælis*. Vide Scotum 4 *d*.45.*q*.1. vbi de hac re exactè tractat. 10.

Quæ scientia euacuabitur in patria

Quæstio XV.

Vtrùm intellectus noster sit immaterialis.

August. *lib. de Trin. cap*.6 & *in lib. Retract. cap* 56 Greg. 4. *Dialog. cap* 6 *&* *lib* 5. *Moral. cap* 26. Damasc. *lib*. 1. *fidei cap*.12. Nyssen. *in lib de Opifice hominis, cap*.4. *&* 15. D. Thom *quæst*.75. *artic* 2. & 2. *cont. Gent*.79 Iulius Scaliger *exercitat*.307. *num* 33. Conimbr. *tract. de Anima separata disp*.1 *art*.3. Complut. *disp*.16. *de Anima q*...§ 1. vide Doctorem *in disputatis, q*.7.

ARGVITVR quòd sic, secundùm Commentatorem 3. *de Anima, comm*.11. omne recipiens denudatum est naturâ recepti; quia vt ipse probat, aliter idem reciperet seipsum, & esset mouens, & motum; sed intellectus noster intelligit formas existentes in materia, recipiendo earum species, vt vult Philosophus 3. *de Anima, text*.17.18. *&* 19. igitur, &c. 1.

Præterea, oportet intellectum ad hoc quòd intelligat, recipere formas vniuersales & abstractas; sed si esset materialis, reciperet eas particulariter tantùm, & vt particulares: igitur, &c.

Præterea, anima est forma corporis aut secundùm se totam; & sic nihil eius est materia; quia materia non potest esse forma alterius: aut secundùm aliquid sui tantùm; illud autem dicimus animam, secundùm quòd est forma; & ipsam recipiens dicimus animatum. Et hoc confirmatur sic; proprietas conueniens toti ratione vnius partis tantùm, & non alterius, non conuenit toti primò, vt patet 5. *suprà*, *&* 7. *Physicorum, text*.2. verbi gratiâ, motus saltus, & progressiuus conuenit

uenit

uenit animali ratione animæ tantùm, non autem ratione corporis, quod quãtum eſt de ſe mouetur tantùm deorſum, quia graue eſt. Similiter, motus deorſum conuenit animali ratione corporis tantùm: & ideò neutrum eorum conuenit animali primò, ſed informare conuenit animæ ratione formæ; & non ratione materiæ, quod oporter dicere, ſi ſit compoſitio ex materia, & forma; & ſequitur quòd non ſit primò actus corporis, quod eſt contra definitionem eius.

2. Prætetea, ſi ſit compoſitio, aut forma animæ eſt adæquata ſuæ materiæ, & ſibi proportionata, aut non. Si ſic, igitur non poteſt corpus informare ſubſtantialiter; ſi non, igitur ſecundùm vnum gradum perficit materiam, & ſecundùm alium corpus, id eſt, ſecundùm gradum quo exceſſit materiam propriam: cùm igitur anima ſeparata nullum corpus perficiat, ille gradus ei ſuperflueret. Præterea, operatio correſpondet potentiæ; ſed operatio intellectus noſtri eſt immaterialis; quia eſt reſpectu obiecti immaterialis, ſcilicet vniuerſalis, quod vt eſt obiectum intellectus, eſt immateriale; quia ſecundùm Philoſophum 3. *de Anima*, *text.* 12. ſicut res ſunt ſeparabiles à materia, ſic ſunt intelligibiles: igitur, &c.

In oppoſitum. Contrà; ſecundùm Boëtium, forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt; anima autem eſt ſubiectum multis accidentibus: igitur, &c. Præterea, anima poteſt pati ab igne infernali, & recipere operationem propriam, quæ eſt principium patiendi.

SCHOLIVM.

Iuxta fundamenta Philoſophi, atque aliorum aſſerentium ad pluralitatem indiuiduorum requiri materiam, probabile videri animam, & Angelum habere materias. Vide Doctorem 2. d 3. q. 6. 7. & annotat. 3.

3. a RESpondeo, quòd probabiliter poteſt dici, quòd in anima ſit materia, & ſecundùm fundamenta Philoſophi, & eorum qui ponunt contrarium; quorum vnum, quòd pluralitas indiuiduorum in vna ſpecie requirit materiam in illis indiuiduis: quod patet 12. *Met. text.* 49. vbi dicit quòd non ſunt plura prima mouentia cœlum in eadem ſpecie, quia primum non habet

De hoc 2. d. 3. q. 4. 5. materiam. Hoc etiam patet per aduerſarios ponentes materiam principium indiuiduationis, ſed in ſpecie animæ rationalis ſunt plura indiuidua, & ipſa à corpore ſeparata: igitur, &c.

Dices ſic: contrarij dicunt quòd anima benè habet materiam, quam perficit, vel quam eſt apta nata perficere, ſcilicet corpus: & ratione aptitudinis ad diuerſa corpora perfectibilia, ipſa ſeparata poteſt plurificari, non autem habet materiam ex qua ſit.

ima ratio. Contra eos; anima non eſt propter corpus, ſed potiùs è conuerſo: ergo nec diſtinctiu & pluralitas animarum, eſt propter diſtinctionem corporum, ſed potiùs è conuerſo. Vnde Commentator 1. *de Anima*, & 7. *Met.* dicit, quòd membra leonis differunt à membris cerui, quia differunt animæ eorum, & non è conuerſo. Præterea, deſtructis fundamento, vel termino relationis vel non eſt relatio: ſed inclinatio iſta, aptitudo ad corpus eſt quædam relatio: igitur deſtructo corpore poſt mortem, non eſt talis inclinatio animæ ad corpus. Et confirmatur, quia entis ad non ens non poteſt eſſe relatio realis; relatiua enim ſunt ſimul naturâ, anima ſeparata eſt, non autem eius corpus, quod informauit: igitur, &c.

Præterea, ſi diſtinctio animarum eſſet tantùm ex parte corporum, Deus non poſſet cauſare duas animas ſine corporibus, ſi per corpora diſtinguerentur, nec etiam per inclinationem ad illa: igitur, &c.

Præterea, omnis forma reſpectiua præſupponit aliquid abſolutum prius ſe, in quo fundatur; ſed inclinatio illa ad corpora eſt quædam forma reſpectiua fundata in animæ eſſentia, quæ ſic inclinatur: ergo eſſentia animæ eſt prior illâ inclinatione; prius autem non diſtinguitur per poſterius, ſicut nec conſtituitur, ſed è conuerſo: ergo, &c.

Præterea, iſta inclinatio non eſt de eſſentia animæ; quia anima eſt abſoluta in ſe: igitur poteſt intelligi intellectu eſſentiali ſine tali inclinatione; & per conſequens diſtinguitur vna ab alia eſſentialiter ſine inclinatione ad diuerſa corpora. Præterea, anima non habet talem inclinationem ad tale corpus: igitur, &c. 4.

Secunda ratio principalis eſt hæc: Sicut operatio arguit formam, ita proprietas materialis materiam; ſed proprietas materiæ quantùm ad ſuum *eſſe*, & quantùm ad *fieri*, reperitur veriùs in ſpiritualibus, quàm corporalibus; proprietas enim materiæ, quantùm ad *eſſe* eſt, quòd eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; ſed in quantùm ad *fieri* quòd tantùm producatur per creationem; hæc autem magis reperiuntur in ſpiritualibus. Similiter ſubſtare accidentibus ſicut qualitatibus corporalibus corpus ſubeſt, ita animæ ſpiritualibus, ſicut habitibus animæ. Quòd autem hæc ſit proprietas materiæ, patet per inductionem: non enim eſt proprietas compoſiti niſi ratione principiorum; nec etiam formæ, quia eius eſt actuare, quæ eſt proprietas contraria: igitur ratione materiæ ineſt alicui ſubſtare accidentibus: ergo, &c. Tertiò ſic: Angelus habet materiam: ergo anima. Probatio antecedentis; quia in quocumque genere ſunt principia communia, non tantùm appropriata, ſed etiam realiter differentia, oportet omnia illius generis ex eis eſſe compoſita; talia ſunt principia in genere Subſtantiæ. Probatio: actus & potentia ſunt principia communiſſima in quolibet genere; actus autem in genere Subſtantiæ eſt forma, & potentia in eodem genere, eſt materia: igitur materia, & forma ſunt principia communiſſima in genere Subſtantiæ. Idem patet 8. *Met.* igitur cùm Angelus ſit ſpecies ſubſtantiæ, eſt ex eis compoſitus. Sed ad hoc diceret Philoſophus, quòd Angelus non eſt in genere aliquo, ſed extra: ideò, &c. *Secunda ratio.*

Quartò, idem ſic oſtendo; ſicut impoſſibile eſt aliquod agens ſecundum agere, niſi coagente primo, ita impoſſibile eſt aliquid pati niſi in virtute primi paſſiui; ſed certum eſt quòd Angeli, & animæ patiuntur, & bona, ſicut boni Angeli; & mala etiam ab igne corporali, ſicut mali Angeli: ergo, &c. Ad hoc etiam eſt authoritas Commentatoris 8. *Met.* vbi dicit quòd corpora cæleſtia non habent materiam generabilem, ſed habent aliquam, ſicut eſt diſpoſitio in materia intellectus. Item, Boëtius ſuper Prædicamenta dicit, quòd relictis extremis, Philoſophus agit de 5.

ſubſtantia

substantia composita; anima est de genere Substantiæ: ergo, &c. Item, Boëtius *de Vnitate, & Vno* dicit, quòd anima & Angelus quodlibet istorum est vnum coniunctione materiæ, & formæ. Possunt enim aliqua esse vnum coniunctione, quæ tamen non sunt vnum continuitate, vt dicit vlteriùs.

RESOLVTIO.

In anima & Angelo iuxta prædicta fundamenta, est materia eiusdem rationis cum materia corporalium. Vide annot. & Doct. 2.d.14.

6. AD quæstionem, dicendum quòd si ex explicatione ita debet esse, quòd in anima, vel Angelo est materia, quæ est eiusdem rationis cum materia corporalium. Quod probo sic: quia non diceres eas diuersarum rationum, nisi vna esset perfectior, & nobilior aliâ. Si spiritualis est nobilior corporali; aut igitur est perfectior in potentialitate, vel in actualitate: si in actualitate, igitur non est materia prima, quæ nihil actualitatis habet: si in potentialitate: igitur est imperfectior, cuius oppositum supponebas, quia potentialius est imperfectius. Præterea, August. 12. *Confess. Duo fecisti Domine, vnum prope te, scilic. Angelicam naturam; & vnum prope nihil, scilicet materiam primam*; sed si alia esset imperfectior, scilicet Angelorum, non est prope nihil; ergo, &c.

Præterea, in linea Prædicamentali est vnus processus à primo ad vltimum; quorum quilibet est tantùm vnus, sicut vnius lineæ duo termini tantùm, quorum quilibet est vnus tantùm; sed termini lineæ Prædicamentalis, & contentorum in ea sunt actus primus, & materia prima: igitur cùm sit vna linea, est vna materia prima: si enim essent duo principia potentialia, & duo ordines entium super ista fundati. Præterea, si vna esset nobilior aliâ, cùm nobiliori perfectibili perfectione essentiali respondeat perfectio nobilior, sequitur quòd materia corporum cœlestium perficiatur formâ nobiliori, quàm materia corporum inferiorum; sed materia corporalis corruptibilium aliquorum perficitur animâ rationali; igitur materia corporum cœlestium perficitur animâ rationali, vel perfectione nobiliori; & per consequens corpora cœlestia sunt animata. Ad hoc est authoritas Commentatoris 2. *Met.* super illo capitulo secundùm antiquam translationem: *Quoniam in fundamento naturæ nihil est distinctum:* & hoc exponit de materia prima, quæ de se est indistincta: & Auicenna *in Physica sua cap.* 3. dicit, quòd in corporibus superioribus & inferioribus est materia eiusdem rationis. *Materia*, inquit, *subiecta formæ quæ non corrumpitur, est vna & subiecta formæ, quæ corrumpitur, est apta nata suscipere omnem formam, & si non recipit hoc est ratione suæ formæ.*

7. Sed contra prædicta potest sic argui; quia tunc sequeretur quòd Angelus & anima essent corruptibiles, si essent materiales; hoc est inconueniens: ergo, &c. Probatio consequentiæ, *materia est ex qua res potest esse & non esse*, 7. *Met. &* 1. *de Generat. text.* 20. 21. Præterea, quod conuenit alicui essentialiter, conuenit sibi semper & in quolibet tempore; sed materiæ conuenit essentialiter appetitus formarum generabilium, & corruptibilium: si igitur in Angelis, vel anima, esset materia prima, appeteret naturaliter istas formas tanquam existens ad eas in potentia naturali. Præterea, cuilibet potentiæ naturali passiuæ correspondet potentia actiua in natura, vt patet *primo Cœli & Mundi*: si igitur in spiritualibus, & istis inferioribus sit materia eiusdem rationis, cùm materia inferiorum sit in potentia passiua reducibili per agens naturale ad formam naturalem, eâdem ratione agens naturale poterit potentiam spiritualium passiuam reducere ad actum potentiarum naturalium; & sic etiam corrumpere; & sic erunt corruptibilia.

c Ad primum istorum, dicendum quòd illa Scot. 1. d. 14.
non est definitio materiæ secundùm se, sed vt est num. 4.
annexa formæ, & contrarietati naturali; quia nihil corrumpitur naturaliter, nisi quòd alteratur: & de tali forma naturali & materia sibi correspondente loquitur ibi Philosophus, ostendendo quæ requiruntur ad generationem naturalem, materia autem cœli, & spiritualium non est annexa tali formæ, & contrarietati; & ideò, &c. Vnde Auicenna ibi suprà dicit, quòd cœlum est incorruptibile, non ratione materiæ, sed ratione formæ, cui non est contrarietas: ratio autem materiæ secundùm se *nec est quid, nec quale, nec quantum*, &c. sed est potentia *vnumquodque*.

Sed contrà; omnis potentia passiua est potentia contradictionis, 9. *Met. text. com.* 17. potentia materiæ in quacumque sit materia, est potentia passiua: igitur in quibus est materia, ibi est potentia contradictionis, scilicet ad *esse* & *non esse*: igitur omne tale est corruptibile. Dicunt aliqui, quòd non est inconueniens cœlum, quantùm est de se esse corruptibile secundùm *quid*, quia ratione materiæ; tamen connexio materiæ, & formæ eius est necessaria ratione formæ tantùm; quia igitur talis connexio non est contingens ex parte vtriusque extremi: sed ratione materiæ tantùm; quod tamen requiritur ad hoc, quòd aliquid sit simpliciter corruptibile, ideò cœlum non est simpliciter corruptibile; immò magis incorruptibile ratione partis principalis: & ita dicitur de Angelis & anima. Nec est inconueniens, quòd aliquid diuisim secundùm se consideratum sit defectibile, quod tamen annexum alij est necessarium: exemplum de anima viatoris & beati, vel in gratia confirmati: sic materia cœli quantùm est de se, est in potentia contradictionis, tamen à forma cœli determinatur ad vnam partem tantùm.

8. Ratio materiæ formaliter.

Cœlum an corruptibile 2. d. 14.

9. Ad aliud, dicendum quòd intellectus noster est in potentia naturali, & desiderium q. 1. prolog.
naturale habet ad omnia intelligibilia intelligenda, & ad beatitudinem consequendam; se- n. 1. & 2. d. 18. & 4. d. 43.
cundùm August. tamen ex puris proprijs sibi, q. 4.
vel creaturæ cuiuscumque non potest ad hoc attingere; non igitur omni potentiæ passiuæ naturali correspondet actiua naturalis, quæ possit effectiuè ipsam reducere ad actum; sed sufficit potentiæ passiuæ naturali, quòd à natura suâ habeat, quòd possit recipere illam perfectionem, ad quam potentiam habet naturalem; & hoc siue ab agente naturali, siue supernaturali; sicut homo de natura sua habet potentiam ad fidem, & charitatem; non tamen potentiam habet quâ de natura sua tantùm, & ex virtute propriâ effectiuè possit eam habere; sed à Deo gratiam infundente. Vnde Augustin. *de Vera religione*, posse habere fidem & charitatem, est de natura fidelium; habere autem est gratiæ.

Sic in proposito, materia spiritualium, quantùm est de se, est in potentia ad omnes formas substantiales tam corporales, quàm spirituales; sed non est agens naturale quod illam potentiam ad actum possit reducere, quia est coniuncta formæ inseparabili, vt visum est.

Recipiens denudatur à natura recepti, exponitur. Scot. 2. d. 3. q. 8 ad 3.

Ad primum principale, dicendum quòd benè caret materia sensibili, & formâ naturali; non tamen oportet quòd careat omni formâ spirituali perficiente materiam; quia sic careret seipso. Vel aliter, dicendum quòd receptiuum dicitur aliquid recipere, vel secundùm *esse* naturale; & sic oportet illud esse denudatum à natura recepti, vel secundùm *esse* intentionale; & tale si est receptiuum organicum, necessarium est ipsum denudari à natura recepti, non totaliter, sed ab excellentia recepti, sicut sensus tactus ab excellentia tangibilium; si autem est receptiuum non organicum, vt intellectus, maior non est vera; quia tunc denudaretur à propria natura, cuius intellectum potest recipere.

Quare recipiens colorem non potest recipere eius speciem?

10. Sed quare magis receptiuum organicum, quàm non organicum? Dicendum, quòd in corporalibus receptiuum habet oppositam dispositionem respectu recepti, sicut recipiens colorem intentionaliter, debet esse non terminatum; sed color receptus materialiter in obiecto, habet esse terminatum. Similiter sensus est in medietate, obiectum autem in excellentia, non sic autem est in intellectu; ideò, &c.

Ad secundũ.

Ad aliud, dicendum quòd minor est simpliciter falsa; quia quòd aliqua recipiantur particulariter tantùm, hoc non est propter materiam tantùm eius in qua recipitur, sed propter materiam extensam. Vnde materia, sub quacumque forma ponatur, recipit aliquid secundùm conditionem illius formæ, vt patet, si materia aëris, quæ propter formam aëris recipit calorem spiritualiter, fiat sub forma corporis terminati, recipit calorem materialiter, non intentionaliter.

Ad tertium. Plures formæ in eodem cõposito. Scot. 4. d. 11. q. 3.

Ad aliud, dicendum quòd secundùm diuersos gradus in formis, plures formæ possunt vnam materiam iam informare, per hoc quòd forma præcedens tenet se ex parte materiæ; & hoc terminat potentialitatem eius, disponendo ipsam ad formam sequentem, sicut è conuerso, vna forma potest plures materias informare per hoc quòd altera se tenet ex parte formæ, scilicet illa, quæ est sibi immediatior, & intimior; & sic totum compositum ex forma, & materia animæ, informat corpus, non ratione materiæ, sed tantùm ratione formæ principaliter informantis materiam propriam. Ad maiorem igitur rationis dicendum, quòd ipsa tota informat corpus; & isto modo potest dici, quòd secundùm se totam, non tamen ratione totius, sed ratione partis, & sic ly, *secundùm se*, prędicans rationem informandi, non secundùm se totam informat.

Eadē forma plures informat materias.

11. [c] Ad confirmationem dicendum, quòd æquiuocat de *primo*; vno enim modo dicitur vt opponitur ei, quod est per accidens: alio modo, vt opponitur ei, quod est secundùm partem. Loquendo de *primo* isto secundo modo, vera est maior; sed primo modo falsa est; quia quod alicui essentialiter conuenit, ei primò, & non per accidens conuenit; sicut rationale conuenit homini primo isto modo sumpto, tamen conuenit sibi ratione partis, scilicet animæ, non ratione totius. Isto modo anima est primus actus corporis; quia est actus essentialis eius; & ideò non oportet quòd hoc conueniat ratione totius, sed sufficit quòd ratione suæ formæ.

...enire pri... simpliciter ...gis.

Ad quartum.

Ad aliud, dicendum quòd non est inconueniens eandem formam perficere plures materias, si in perficiendo excedat suam, vel aliam materiam; sic de anima respectu corporis; videmus enim quòd anima per diuersas perfectiones vnam partem corporis perficit, & aliam etiam aliter dispositam. Sic in proposito non videtur inconueniens quòd per formam eius perficiat diuersas materias non æquè primò; & quæ non sunt totaliter vnius rationis, quia vna est corporalis, & alia non.

Ad quintum.

Ad aliud, dicendum quòd forma animæ excedit suam materiam, non tamen est diuisibilis, nec habens gradus reales, sicut forma accidentalis, sed ipsa simplex existens informat materiam iam propriam, & corpus, sicut tota essentia animæ informat vnam partem corporis, & aliam.

Ad sextum.

Ad vltimum, dicendum quòd non concludit; quia Angelus intelligit singulare, non tamen vniuersale; igitur sequitur secundùm hoc, quòd sua essentia esset singularis, & materialis, quia intelligit materiale.

Præterea, aut intelligis de omni modo operandi, quòd correspondeat operatio potentiæ, vel operanti: falsum assumis, quia operatio habet modum transeuntem, operans autem est substantia, vel potentia permanens; aut de modo determinato. Si autem intelligis de alio modo, quàm de isto de quo assumis in minori, nihil est ad propositum: si autem de primo, petis principium.

ANNOTATIONES in quæstionem decimamquintam.

CONCLVSIO I.

Secundùm Philosophum, & Diuum Thomam probabile est in anima esse materiam primam.

[a] R*Espondeo, quòd probabiliter potest dici, quòd in anima sit materia, & secundùm fundamenta Philosophi, & eorum qui ponunt contrarium*, scilicet Diui Thomæ 1. *part. quæst.* 50. *art.* 2. Doctor non ponit hanc conclusionem vt suam, sed tantùm ait probabiliter deduci ex fundamentis Philosophi, & Diui Thomæ: ait enim ille 5. *Met. text.* 12. loco hîc citato, & aliàs sæpè, quòd *vnum numero sunt, quorum materia est vna*, & Diuus Thomas 2. *part. quæst* 7. *art.* 1. *&* 5. *& quæst.* 50. *art.* 4. ex Philosopho vult materiam esse principium indiuiduationis; & ideò negat plures posse esse Angelos eiusdem speciei, quia materiâ carent; de quo fusè Scotus 2. *distinct.* 3. *quæst.* 7. ergo cùm sint plures numero animæ rationales; ex illo fundamento sequitur quòd habent materiam. Quòd verò dicunt animas numero distingui per aptitudinem, vel inclinationem ad corpus; efficaciter reiicit Doctor, primò; quia anima non est propter corpus: ergo nec distinguitur per illud. Secundò, illa inclinatio ad corpus non existens, est relatio rationis. Tertiò, inclinatio illa est forma respectiua; ergo supponit fundamentum, nempe hanc animam; ergo non distinguit eam. Hanc vrget Scotus 2. *dist.* 3. *quæst.* 7. *n.* 44. anima non plus inclinat ad hoc numero corpus, quàm ad illud; ergo non fit vna numero per istam inclinationem. 12.

Animæ nõ distinguuntur numero per aptitudinẽ ad corpus.

13. Videtur ergo, cùm Philosophus, & Diuus Thomas dicant id quod non habet materiam, multiplicari non posse, & simol admittant esse plures indiuiduas animas rationales, ex hoc eorum fundameoto, admittendam esse materiam in anima rationali.

Secundom fundamentum, de proprietatibus materiæ, scilicet quòd sit ingenerabilis, & iocurruptibilis, potiùs conuenit substantiæ spirituali, quàm corporali. Præterea, proprietas substandi accidentibus, quæ cooueniuot composito ratione materiæ, & non ratione formæ, cuius est tantummodò actuare, æquè benè conuenit respectu accidentium spiritualium, sicut corporalium; & sic ponenda erit, materia substans spiritualis. Hoc fundamentum commune est sequeoribus Philosophum. Tertium fundamentum ipse Scotus reiicit; quia facile esset, eo negato, sustinere Philosopbum. Quartum fundamentum, sicut repugnat agens secuodum agere nisi io virtute agentis primi, ita & passum secundum pati, nisi in virtute passiui primi; cùm ergo animæ patiantur habent passiuum primum, scilicet materiam, In hoc taogitur difficultas, an secundùm Pbilosophum admittenda sit creatio, quia erat commune Philosopbotum dictum: *ex nihilo nihil fit.* & secundùm Scotum noo neganit Philosophus creationem ab æterno, de quo latè 1. *distinct.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. *distinct.* 1. *quæst.* 2. neganit tamen creationem in tempora, de quo Doctor ibi, & 1. *dist.* 8. *quæst.* 6. *num.* 8. vbi osteodit ex ipso Philosopho, & Commentatore quòd posuerunt Deum oecessariò causare, & sic necessaria erant, quæ ab ipso immediatè erant. Sed quando producit aliquid mediante motu, secundùm ipsos, est contingens, & difformis, licèt vniformis sit, & necessarius provt est à primo motore. Vnde licèt eoocederet Philosuphus auimam de nouo accipere *esse* (dubium enim est quid de eius inceptione senserit) non ideò poneret eam eteari (etsi secundùm eius principia non poneret eam effici ab aliqua causa naturali; quia 12. *Metaphysic. text.* 17. ponit esse incorruptibilem; qualis secundùm ipsum nou est aliqua forma oaturaliter producibilis) sed diceret eam produci, ad productionem compositi, sicut secundùm eum producitur forma ignis, quod, explieando ipsum, tractat Scotus 4. *distinct.* 43. *quæst.* 2. *num.* 19. Ex quibus videtur quòd asserit animam de materia aliqua produci, & habere primum passiuum, sicut & primum actiuum.

An Philosophus admisit creationem?

Secundùm Philosophum an anima in tempore producta, esset creata?

Conclusio II.

Materia animæ, si datur, est eiusdem rationis cum materia corporalium.

14. [b] AD *quæstionem, dicendum quòd in anima, vel Angelo est materia, quæ est eiusdem rationis cum materia corporalium.* Probat conclusionem tribus rationibus claris, & ex Commentatore, & Auicenna, quatenus aiunt materiam cœlestium, & sublunarium esse eiusdem rationis. Tenet Scotus 2. *distinct.* 14. *quæst.* 4. vbi habet etiam aliam rationem, nempe, quia non sunt duo fines vltimi, neque doo prima efficientia; ergo neque duæ materiæ primæ. Vide Diuum Bonauenturam 2. *distinct.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. qui hanc partem tenet, & optimè explicat.

Materia sublunarium eiusdem rationis cum materia cœlestium.

Aduerte Doctorem non ponere conclusionem hanc ex propria sententia, sed vt explicatiuam primæ conclusionis, per quam soluitur quæstio, nempe secundùm fundamenta Philosophi, & Diui Thomæ, probabiliter posse dici in aoima esse materiam; licèt Diuus Thomas teneat non esse; explicat autem hac secunda conclusione, qualis materia esset illa, si poneretur: resoluens quòd eadem fundamenta sustinendo, dicendum esset eiusdem esse rationis cum materia aliarum rerum. Ex quo infertur, si quis Scotista hanc sententiam vellet tueri, non teoeri respondere iuxta Seoti principia, vel doctrinam, sed supponendo illa fundamenta Philosophi, & Diui Thomæ tenenda esse; sed neque tenetur ista sustinere, sed tanquam arguendo ad hominem ex eius concessis, veluti per consequeotiam hanc sententiam defendere, quidquid sit de eius veritate teneudum. Sed pro maiori huius rei declaratione sit sequens dubium.

An teneatur Scotista hanc sententiam tueri?

Vtrùm Anima, vel Angeli sint corporei?

Respondetur breuiter, de quo latiùs io materia de Angelis, etsi quidam Philosophi posuerint animam esse corpoream, qoos secuti sunt Sadducæi oegantes resurrectiouem mortuorum Act. 23. & Apollinarius Alexand. *ex* 5. *Tripart. cap.* 44. ac Tertullianus *lib. de Anima, & carne Christi*, teste August. *hær.* 86. *& epist.* 157. Oppositum tameo est omnino teuendum, cum ratione suprà posita *in annotat. ad quæst.* 13. ex operationibus eius spiritualibus, tam intellectus, quàm voluntatis; tum ex Patribus Ambros. *lib. de Noe, & Arca.* Dionys. 4. *de diuin. Nom.* August. 6. *de Trinit.* 6. *&* 2. *Retract.* 56. & aliis, asserentibus animam esse spiritum. Et videtur definitum in Concil. Lateranens. *cap. Firmiter, de summ. Trinitate*, vbi dicitur Deum ex *nihilo condidisse creaturam corporalem, & spiritualem, Angelicam, & mundanam, deinde humanam ex spiritu, & corpore constitutam*, &c. Neque obstat dictum Ioannis Thessalonic. Episcopi, quod affert, & non improbat, *VII. Synodus, Act.* 5 *princ.* assereoris animas, & Angelos esse eorporeos; quia Coocilium approbauit quod intendebatur, vsum scilicet imaginum; nec curauit de ratione, quam ille Ioannes adduxit, oempe Aogelos, & animas esse corporeos. Patres etiam qui quandoque vocant animam rationalem corpoream, piè exponendi sunt, quòd comparatione Dei, suot fæce corporea aliqualiter alligatæ. Ita loquuntur Basil. Athan. Damasc. Methodius, Hieronym. *Author libri Eccles. dogmat.* vt referuot Conimbr. 2. *de Anima, cap.* 1. *quæst.* 1. 15.

Animam esse spiritum, est definitum.

Patres asserentes animam esse corpoream, piè exponendi.

Verùm, etsi hæc pars sit omnino tenenda, non tamen censetur definita, vel dogma fidei: primò quia omnes ferè Scholastici post illud Cócilium Lateranens. scripserunt, & tameu nullus eorum indicauit hoc esse diffinitum. Secundò, Caiet. Eugub. & alij non fuissent ausi tenere oppositum, si ita esset. Tertiò, quia multi Patres illam partem tenuerunt, Origen. *lib.* 2. *Periarchon, cap.* 2. Cæsarius *dial.* 1. *post medium in fine operum.* Nazian. Elias *orat.* 1. §. *nihil enim mihi*, qui dicunt Angelos habere corpora subtilia, vel aërea. Idem tenere videntur Basil. *lib. de Spiritu sancto, cap.* 16. Athanas. *lib. de communi essentia Patris, & Filij, in fine*, vbi vocat Angelum animal rationale, & Methodius *serm. de Resurrect.*

An de fide, Angelos esse incorporeos?

Patres quidam tenuerunt Angelos esse corporeos.

Ex Patribus Latinis idem expressè August.

lib. 83.

lib.83. qq. quæst 47. & 7. de Genes. ad lit. 17. & aliàs sæpè. Bernard. *serm. 2. in Cant.* ait Patres in hoc esse varios, séque ignorare quid tenendum. Sed *lib. 5. de consid. cap. 4.* tribuit eis corpora; ait tamen, *Si quis dixerit id inter opinabilia ponendum, non contendo.* Claudianus expresse *lib. 3. de statu animæ circa med. tom. 4. Bibl Patrum.* Vasq 1. *part. disput.* 193. idem tribuit Fulgentio *cap 3. de fide ad Petrum.* Hilar. *can. 5. in Matth.* & Cassian. *collat 7. cap.* 13. negant aliquid creatum esse omnino incorporeum, & in terminis ita loquuntur. Quartò Gaetanéa *in annot. ad VII. Synod. act. 5.* tenet hanc controuersiam non esse definitam, quia Concilium ibi tantùm intendit Deum omnia in tempore condidisse, reliqua autem obiter dixit, sine intentione diffinitionis. Idem tenet Canon. 5. *de loc. cap. 3. quæst. 4. fin.* Senens. *lib. 5. bibl. annot.* 8. & communiter expositores D. Thom. 1. *p. qu* 51. *art.* 1. & *quæst.* 51. *art.* 1.

Stantibus ergo tot Patribus pro illa parte, sine expressa & clara Ecclesiæ definitione, non est censenda damnata; quia tamen communiter Patrum sententia oppositum tenet, & consensus Theologorum accedit, reprehendendus esset qui illam vellet tueri, & maximè, quia non facilè se liberaret ab illis diffinitionibus, quin periculo eis contraueniendi maneret obnoxius.

17. Sed quidquid circa hoc teneatur, non ideò periculum vllum est, si teneatur in anima, & Angelo esse materiam; quia tunc minimè sequitur esse corporeos, sed materia illa censebitur spiritualis, (vel fortè verius, nec spiritualis, nec corporalis, vt postea dicam; sed ab vtraque abstrahens:) sed spiritualis dici potest negatiuè, quia non corporea.

In anima esse materiam, nō videtur improbabile secūdùm mentem Scoti.

Ad primum illorum, dicendum quòd illa non est definitio materiæ, &c. Licèt Doctor, vt iam notaui, non asserat in anima, & Angelo dari materiam, sed tantùm iuxta fundamenta Philosophi ac D. Thomæ id negantis 1. *part. quæst.* 50. *artic.* 2. probabiliter id posse dici; quia tamen soluit exactè particulares obiectiones, quas facit in contrarium, & argumenta principalia, per exquisitam, & subtilem doctrinam, neque conclusionem improbat, vel impugnat, videtur tacitè in eam consentire, ipsi enim in more est dum opiniones aliorum refert, quòd impugnat, quas non approbat.

Pro solutione argumentorum, quæ contra hoc fieri possunt, & fiunt. Nota ex D. Bonauentura 2. *dist.* 3. 1. *part. artic.* 1. *quæst.* 2. materiam dupliciter considerari posse. Primò, sub priuatione omnis formæ substantialis & accidentalis, & sub hac consideratione nuda, est eiusdem rationis in corporibus corruptibilibus, & incorruptibilibus, in corporalibus, & spiritualibus; quia non est vnde distinguatur, si omnem formam excludas. Quod benè suadent rationes Scoti hîc adductæ. Secundò consideratur in analogia ad formam; & sic diuersimodè attenditur secundùm diuersas scientias. Physicus eam considerat vt principium generationis, & corruptionis, seu vt receptiuam mobilis formæ, & prout transmutabilis ab vna forma in aliam; quo sensu non est vna, vel eiusdem rationis cum materia non transmutabili ab vna forma in aliam, cuiusmodi est materia corporum cœlestium.

Materia dupliciter sumitur, & quo sensu eadem in inferioribus & superioribus?

18. Philosophus superior considerat eandem vt mutabilem, ad situm tantùm, non ad formam: & ibi videretur esse alia ratio materiæ; Metaphysicus autem considerat eam, vt fulcimentum formæ in ratione entis; & quia in hoc, eodem modo respicit omnes formas, secundùm Metaphysicum, vnica est ratio materiæ, quoad omnes formas tam spirituales, quàm corporales. Nam sicut materia corporalium dat suis formis existere, & subsistere, etsi hoc diuersimodè à diuersis explicetur; ita & materia spiritualium facit quoad suas formas; neque refert quòd in ratione substandi, hîc detur plus & minus; quia in spiritualibus substat materia formæ substantiali, eiúsque habitibus, & actibus: in corporibus incorruptibilibus formæ, quantitati, & situi: incorruptibilibus vltra hoc, contrarietati qualitatum; nam hæc non tollit materiam esse vnam, & eiusdem rationis quoad illas formas; esto aliquæ perfectiùs eam participent, sicut ratio animalis perfectiùs participatur ab homine, quàm à bruto; & tamen est vna, & vniuoca ad vtrumque.

Materia secundùm Metaphysicū est eiusdem rationis in omnibus.

Secundò, nota ex eodem, quia Angelus minus habet de mobilitate respectu formarum, quæ est proprietas materiæ, dici aliquando immaterialem.

Tertiò, nota ex eodem, materiam nudè consideratam, neque corpoream esse, neque spiritualem, sed ad formas vtriusque generis indifferentem; quâ ratione dici potest corporalis, & spiritualis virtualiter; quia spiritualitas, & corporalitas in ea ab extrinseco venit, sicut & corruptibilitas, vel incorruptibilitas compositi ex ea, vt explicabo. quam doctrinam habet Scotus. *Vide ad primum illorum.* Et ne hinc inferas Angelum esse corruptibilem, quia eius materia capax est aliarum formarum, & consequenter priuationis formæ Angeli.

Materia non est corporalis, neque spiritualis.

Nota quartò, ex Scoto hîc iam citato, & 2. *dist.* 14. quòd cœlum, quantum est ex parte materiæ, corruptibile est; quia illa quantum est de se, capax est aliarum formarum, & priuationis formæ cœli; & idem est de Angelo, si respiciatur ad eius materiam tantùm; quia tamen forma vtriusque talis est naturæ, vt à nullo contrario vinci possit, neque dependet à dispositionibus, quas agens naturale posset expellere, ideò denominatione sumptâ à parte famosiori, nempe à forma, simpliciter vtrumque est incorruptibile; quia neutrum per actiones agentium naturalium corrumpi potest: non quòd forma compleat appetitum materiæ, quia repugnat hoc fieri nisi dando ei actum oppositum priuationi cuiusque formæ; at nulla forma potest hoc præstare, nisi virtualiter saltem contineat omnium aliarum formarum perfectiones, quod est impossibile. de quo Scotus *loc. cit.* & 2. *dist.* 14. 19.

Cœli quo sensu incorruptibiles?

Conclusio III.

Non esse improbabile, etiam iuxta Scotum, in anima, & Angelo esse materiam.

Dicendum igitur videtur probabile esse animam, & Angelum componi ex materia, & forma, iuxta fundamenta Philosophi, & D. Thom. (etsi ipse id loco citato expresse neget) à quibus non videtur Scotus in hoc alienus, etiamsi in fundamentis non conueniat. Secundam partem iam ostendi ex mente Scoti. Hanc non auderem ponere nisi grauissimos Doctores pro ea 20.

reperirem. Ita tenuit Auicebron *lib. Fontis vitæ*, referente D.Thom. 1.*part.quæst*.50. *art*.2.*& opusc*. 15.*cap*.5. Eandem tenet expressè D.Bonauentura 2. *dist*.3. 1.*part. art*.1. *quæst*.2. Ric. *ibi art*.1. *qu*.2. Auteol. apud Capr. *quæst*.1.*art* 2. Alens. 1.p.*q*.20. *memb*.2. etsi aliter rem explicet. Albert. etiam 2. *dist*.3.*artic*.4. admittit expresse hanc sententiam, vbi ait Angelum compositum esse ex partibus essentialibus: & positâ triplici differentia materiæ, quam supra adduxi, ex varia mutabilitate ad varias formas, negat ibi esse materiam, vt in generabilibus, sed cùm sit proprietas communis spiritualibus, & corporibus, sustinere formam, necesse est (inquit) ponere substantiam communem in eis. Non vult tamen hanc propriè vocari materiam, sed fundamentum; quia materiam propriè dictam, tantùm ponit in generabilibus expressè Boëtius *lib. de Vnitate & Vno: Angelus, & anima sunt vnum coniunctione materiæ*, à fortiori idem volunt Eugubinus *de Perenni Philosophia, cap*. 27. 30. 41. qui plures Philosophos citat, quos sequuti sunt Nyphus *lib*.3.*de Dæmonib*. *cap*.13. Franciscus Georgius *lib*.1.*Problem.cap*.57. *quæst*. 4. Caiet. *in* 2. *ad Ephes*. qui tenet Angelos esse corporeos; sic enim exponit Caiet. *id* 2. *Ephes*. *Secundum principem potestatis aeris huius spiritus*, id est, (inquit) aërei spiritus: vnde dæmones esse aëreos spiritus, indicat consonare veteræ Philosophiæ, sibi tamen contrarius 1. *part. quæst*.50. *art*.1. id negat.

21. Pro eodem etiam citari possunt Patres suprà adducti, qui idem tenent. Licèt enim minùs vera sit eorum opinio, quatenus corporeitatem tribuunt his spiritibus, vt suprà visum est; vera tamen videtur, quatenus virtualiter asserunt, in eis esse materiam. qui enim corporeitatem eis tribuit, hoc ipso tribuit materialitatem, & aliquid vltrà, nempe formam constituentem illam materiam in *esse* corporis; de quo Scotus 4. *dist*.11. *quæst*. 3. *num* 54 neque enim hoc tribuere potest anima rationalis; quia corpus Christi in triduo mortis erat idem corpus sine anima rationali, vt ibi fusè ex Patribus probat Doctor; esto ergo quoad hoc secundum, eorum opinio reiicienda sit, teneri potest quoad primum, quatenus astruunt materiam. August 12. *Confess*.8. vbi ait, omne mutabile habet informitatem, quâ formam capit. *&* 12. *Confess*. explicans id *Genes*. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, id est, (inquit) *in verbo creauit materiam informem corporalis, & spiritualis creaturæ*. Nazian. *Orat*. 34. *in fin. Sint sane illi incorporei, aut quàm proximè ad hoc accedentes*. In quo insinuat habere materiam, alioquin diceret esse puros spiritus. Damasc. *lib*. 2. *cap*. 17. vocat Angelum crassum materia constantem. Expressiùs Boëtius *citatus hic a* Scoto *pro* 1. *con. rat*. 4. *& lib*. 1. *de Trinit. cap*. 3. vbi ait expressè, quòd nulla forma suscipit accidentia: igitur cùm Angelus, & anima ea suscipiant, aliquid habent præter formam. Ad idem est Auicenna 2. *Metaph. cap*. 1. ibi: *Omne quod est in subiecto, est in subiecta materia*. & 4. *Metaph c*.2. *Omne quod incipit esse, & potest non esse, habet materiam*.

Anima rationalis non tribuit esse corpori.

22. Rationes præcipuæ pro hac conclusione sunt illæ, quas Doctor suprà adducit ex Philosopho, scilicet ex indiuidualitate, quæ prouenit secundùm eum ex materia; ita vt vbi non est materia, repugnet esse plura numero: in quo eum sequitur D. Thom. Item, ex possibilitate, quia secundùm Philosophum 8. *Physic. text*. 30. mouens se habet partem motam, partémque mouentem. & 2. *Metaph*. 12. ait quòd *materia in eo quod mouetur, intelligere necesse est*, & Commentator 12. *Metaph. text*. 30. ait, quòd causa potentiæ (scilicet passiuæ) est materia, & 8. *Physic. text*.15. *quod simplex est, caret potentia*. Item, quia secundùm Philosophum omne quod in tempore fit, habet suum passiuum, sicut & actiuum, quia si à solo Deo immediatè esset, necessarium esset. Sed quia hoc fundamentum omnino falsum est (vt ostendit Scotus 1. *dist*.8 *quæst*. 5. *num*. 13. *& dist*. 39. *&* 43. probans Deum omnia ad extrà liberè producere) non deseruit ad probandam conclusionem absolutè, sed tantùm in via Aristotelis, qui fortè non admitteret Intelligentias incepisse, neque possibiles esse, sed necessarias. His adde nullam esse rationem, quare materia denegetur spiritualibus, maximè cùm in eis reperiantur proprietates, quas Philosophus materiæ tribuit; sunt enim ingenerabiles, & incorruptibiles, & mutabiles, etsi non ad formam substantialem (quia quæ semel informat materiam, sibi appropriat, ita vt inde pelli nequeat, sicut facit forma cœli ratione suprà assignatâ) sed ad accidentalem, quod sufficit in substantiis, vt arguatur subesse materiam, vt constat in corporibus cœlestibus. Quòd verò non sit ratio, quâ efficaciter probetur materiam eis denegandam esse, neque inconueniens ex eius positione sequatur, patebit soluendo obiectiones.

Quod mouetur habet materiam

Angelus & anima habet proprietates materiæ.

Obiectiones D. Thomæ contra prædictam sententiam soluuntur.

Prima ex D. Thom. 1. *part. quæst*. 50. *artic*. 1. impossibile est quòd forma spiritualis, & corporalis recipi possint in eandem partem materiæ; alioquin eadem res esset corporalis, & spiritualis: ergo in aliam, & aliam partem; sed non est materia diuisa, nisi per quantitatem: ergo materia spiritualium erit quanta, quod repugnat. 23.

Secunda ex eodem: intellectio est immaterialis: ergo & substantia cuius est; quia operatio cuiuslibet rei est secundùm substantiam eius. Antecedens patet, quia vnumquodque intelligitur, quatenus abstrahitur à materia; quia formæ in materia sunt indiuiduales, quas intellectus apprehendere nequit.

Tertia ex Dionys. *cap*. 4. *de diuin. Nomin*. vbi vocat Angelos incorporales, & immateriales.

Ad primum, patet ex tertio notabili. Materia quantum est de se, capax est formæ spiritualis, & corporalis, sed in se neque spiritualis est, nec corporalis; sicut superficies neque alba est, neque nigra, sed ad vtrumque indifferens; non est ergo verum, materiam necessariò diuidi per quantitatem, quia entitatiuè, suâ hæcceitate diuiditur hæc materia ab illa, & formaliter diuiditur ab eadem per quamcunque formam, quam sustentat, siue sit quanta, siue non quanta. Argumentum procedit ex alia falsa opinione D. Thom. nempe materiam secundùm se, esse puram potentiam, & nihil habere entitatis; quam solidè refutat Scotus 2. *dist*.12. *quæst*.1.

Materia suâ hæcceitate est diuisa.

Ad secundum, si quid valeret, vt benè aduertit Durandus 2. *dist*.3. *qu*.7. probaret etiam hominem esse immaterialem, quia quædam eius operatio est talis. Respondet Caiet. *d. q*.50. *artic*.1. 24.

Caietanus reiicitur.

suppo

ſupponere D. Thomam naturam Angelicam eſſe completam. Contrà, tum quia *quæſt. ſeq. artic.* 1. de hoc agit, diſputans an Angelus habeat corpus naturaliter ſibi vnitum: non ergo id ſupponit. Tum etiam; quia ſi ſupponeret, nihil ad rem, quia non ſupponit alteram partem non eſſe materiam, cùm hoc probet; non ergo magis ſequitur ex illo argumento, vtramque partem Angeli eſſe immaterialem, quàm vtramque partem hominis.

Valentia reijcitur.

Succurrit Valentia 1. *part. diſt.* 4 *quæſt.* 1. *part.* 4. rationem D. Thomæ benè probare intentum; quia ſupponit illam operationem eſſe omnino immaterialem, ita quòd non dependeat vel obiectiuè à corpore.

Contrà, quia quòd anima dependeat à phantaſmate, non eſt ex natura, ſed ex peccato; vnde in gloria non dependebit ab eo. Secundò, etiam Angelus dependet à concurſu corporis ad cognoſcendum corpus, vt probat Scot. 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 11. Ad probationem antecedentis, quod non negatur: verum non eſt vnumquodque intelligi per abſtractionem à materia; & ſingularia intelligi poſſunt: vt oſtendam *quæſt.* 25.

25. Ad tertium. Reſpondetur cum D. Bonauentura ſuprà (& eandem ſolutionem inſinuat Rich.)

Dionyſ. exponitur.

Dionyſium loqui de materia tranſmutabili ad formas ſubſtantiales, ſeu corporeas; quia de materia incorporea, vel non corporea, nulla incidit ipſi quæſtio, & ſic intelligitur Athanaſ. *lib. de Teſtimoniis Scripturæ, de naturali communione, ſeu de eſſentia Patris, & Filij*; vbi ait, *Angelus eſt animal rationale materiæ expers*, & Sophron. *orat. de ſanctis Angelis, tom.* 5. *Biblioth.* vbi ſimilia verba habet.

Athanaſ. exponitur.

Quo ſenſu Angelus dicitur immaterialis?

Alia ſolutio colligi poteſt ex eodem D. Bonauentura, vt dixi *not.* 5. quia Angelus quandoque immaterialis dicitur, eo quòd eius materia inter alias minimæ ſit mobilitatis, quoad formas; quia neque ad formam ſubſtantialem, neque ad ſitum, neque ad quantitatem, neque ad qualitates, à quibus dependeat forma, moueri poteſt, cùm tamen omnes hæ mutationes conueniant materiæ. Adde D. Thomam tenere *quæſt.* 16. *de Malo, artic.* 1. *ad* 2. probabile eſſe, ſecundùm Dionyſ. dæmones eſſe corporeos. Ex quo ſequitur Dionyſium in illa ſententia non eſſe firmum.

Soluuntur aliæ obiectiones contra eandem ſententiam.

26. Obiicitur adhuc primò; quia ſequitur Angelum & animam eſſe corruptibiles, quandoquidem habent materiam, quæ, quantum eſt de ſe, non plus petit hanc formam, quàm illam; conſequens eſt damnatum *in Lateran. ſub Leone X, ſeſſ.* 8. Reſpondetur, corruptio propriè ſumpta opponitur generationi, & ſic quod non eſt generabile, non eſt corruptibile. Nec refert quòd materia capax ſit de ſe aliarum formarum, quia ſufficit, quòd forma eam ita occupet, vt nullam aliam informare ſinat: quomodo cœlum eſt incorruptibile, eſto eius materia ſit capax aliarum formarum. Vide D. Thom. 1. *part. quæſt.* 65. *art.* 6. vbi habet etiam ſi anima eſſet ex materia, quòd adhuc eſſet incorruptibilis.

Angelus, quo ſenſu corruptibilis dici poſſit?

Obiicitur ſecundò, ſequitur hinc animam, & Angelum poſſe deſinere aliter quàm per annihilationem, & conſequenter corruptibiles eſſe; quia non eſt tertius deſinendi modus. Sequela patet; quia poſſet Deus ſeparare partes, ex quibus componuntur; quo caſu deſinerent eſſe, ſicut deſinit homo partibus ſeparatis. Reſpondetur, ſuprà notaui nos non teneri hanc quæſtionem abſolutè propugnare, ſed iuxta fundamenta Philoſophi, & D. Thomæ. Et cùm iuxta hæc ſpiritus indiuiduetur per materiam, repugnat eum ſeparari ab illa, ſicut repugnat aliquid manere, non manente ſuâ ratione indiuiduante: negandum ergo eſſet poſſe Deum talem ſeparationem facere.

Secundò, per D. Thomam, repugnat materiam primam ſine forma ſeruari; vnde in illo caſu deſinerent eſſe per annihilationem alterius partis. Sed hoc nihil eſt, quia ſuſtinendo hoc falſum, quod ſolidè refutat Scot. 2. *d.* 12. *quæſt.* 2. diceretur quòd iungeret Deus aliam formam illi materiæ: & ſic nullâ parte deſinente, deſinerent. Itaque, ſuſtinendo concluſionem, ſecundùm prædicta fundamenta, prior ſolutio præferenda eſt, & tanta erit, vt videtur, eius probabilitas, quanta illius fundamenti, ad quam neceſſariò ſequitur: immò, fortè maior.

Sed quia (vt dictum eſt) concluſio huius quæſtionis non videtur diſplicuiſſe Scoto, quin cenſeri poſſit aliqualiter probabilis, ſine aſſertione poteſt dici, non eſſe denegandum omnipotentiæ Dei, quin ſic poſſet deſtruere animam, & Angelum; quia ponendo partes eſſe duas entitates abſolutas, vt benè probat Scot. 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 5. poteſt Deus eas ſeparare. Sed tunc non eſſet corruptio propriè dicta; quia hæc tantùm conuenit compoſito ex cõtrariis, vt tenet Scotus 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 5. *num.* 23. & corruptibilitas eſt paſſio compoſiti ex elementis, ex eodem 3. *diſt.* 22. *num.* 9. ſed magis propriè diceretur annihilatio, quia ſine vlla actione agentis naturalis deſineret vnio partium, vel tertia entitas, ſi ibi detur: de quo Scotus 3. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. ſed in rigore illa deſitio non eſſet corruptio, nec annihilatio, eo ſenſu, quo iſta communiter vſurpantur. Sicut deſitio panis in conſecratione, ſecundùm communem, non eſt annihilatio, neque etiam in rigore corruptio (quia ex vi poſitionis alterius formæ ipſi repugnantis, ex natura rei non deſinit) ſed diſtincta ab his, cui nomen impoſitum non eſt à Philoſophis, quibus fuit ignota. Ad argumentum ergo, non videtur abſurdum admittere, dato caſu, illam deſitionem à Deo fieri poſſe, quæ quaſi media eſſet inter corruptionem, & annihilationem, ſicut ſi ſepararet materiam à forma cœli. Sed contra hoc 27

An poſſit deſinere eſſe non per annihilationem Angelus?

Si Angelus deſineret eſſe, per ſeparationem partium, an eſſet corruptus, vel annihilatus?

Obiicitur tertiò, dato illo caſu, formæ animæ & Angeli ſeparatæ à materia, conueniunt omnia illa fundamenta quæ Doctor adducit, de quibus in prima annotatione, quia habet ſuam indiuidualitatem, & proprietates materiæ; quia ingenerabilis, &c. Et in ea eſt ratio agentis & paſſi, quia poſſet velle, & intelligere: ergo iuxta illa fundamenta animæ forma ſeparata à materia habet materiam; (& ſi rurſus ab hac fiat ſeparatio, idem argumentum curret:) vel dicendum erit quòd ab initio eam non habuit. Reſpondetur, iam dixi ſecundùm primum ex illis fundamentis de indiuiduatione, caſum eſſe impoſſibilem: ſed eo admiſſo, poteſt iterum ſine aſſertione dici, non conuenire illi ſic ſeparatæ illa fundamenta, quia non haberet rationem agentis, & paſſi defectu materiæ, neque hoc, dato illo miraculo, vel fortè impoſſibili, mirum videri debet, quia ſecundùm D. Th. & ſuos, ſi per poſſibile, vel 28.

Si forma animæ à ſua materia ſeparata eſſet, nihil efficere poſſet.

Impossibile separarentur voluntas & intellectus ab anima, quæ sunt, secundùm eos, quædam accidentia eius, non haberet rationem agentis, & passi, sed instar trunci nihil faceret; de quo latè Scot. 2. *d.* 16. Item, secundùm eosdem, si Angelus careret speciebus, quæ sunt ipsius accidentia communia, nihil posset intelligere, aut velle, saltem abstractiuè, neque posset in se producere species; quia, secundùm eos, caret intellectu agente: de quo Scot. 2. *d.* 3. *q.* 11. Sed in casu nostro non videtur minor dependentia formæ à sua materia quoad suas operationes, quàm animæ, & Angeli ab illis accidentibus: igitur defectu materiæ, videtur quòd eo casu, forma simplex nihil reciperet; quia, vt ait Phil. 2. *Met.* 12. *in eo quod mouetur, intelligere materiam, necesse est.*

29. Secundò. Respondetur, & innuit D. Bonauent. *d.* 4. 2. fine, quòd eo casu dato, illa forma simplex à materia separata, esset agens & patiens, eique conuenirent cætera, ex quibus arguitur materiam subesse secundùm Philosophum, neque inde sequeretur tunc ibi esse materiam, supposito miraculo, sed quòd secundùm rerum naturam, & principia Philosophi ibi ponenda esset materia, quod sufficit. Sic Bonauentura argumento concludenti accidentia separata, iuxta prædicta fundamenta, habere materiam, respondet tantùm probare quòd secundùm naturam suam petunt materiam, cui inhæreant, estò miraculosè separata ita se habeant ac si nihil à materia dependerent.

Dices, ergo similiter illa fundamenta tantùm probant animam rationalem secundùm naturam suam, petere materiam, nempe corpus; & per consequens separata nullam habebit materiam. Respondetur exigere materiam sibi proportionatam, seu non corpoream, cuiusmodi non est corpus; perfectio enim vniuersi, sicut petit substantias corporeas, simplices, & compositas, ita videtur petere substantias incorporeas vtriusque generis, quâ ratione vtitur Caiet. Et si daremus accidentia corporea composita ex materia, & forma, idem concedendum esset de accidentibus incorporeis: ergo eodem modo procedendum videtur in substantiis hîc & ibi. Si verò teneatur cum Occam 4. *q.* 7. *& Tract. de Eucharist. cap.* 28. Maior. 4. *d.* 12. *quæst.* 2. Gabr. *lect.* 44. *in can.* Goffr. 4. *p. sum. in mat. de Euchar.* nullum accidens subiectari in alio, argumentum ab accidenti erit pro nobis confirmans primam solutionem.

Ad perfectionem vniuersi spectat, esse substantias spirituales, simplices & compositas.

30. Obiicitur quartò, quia sequitur formam animæ & Angeli educi posse de potentia materiæ; & per consequens Angelus, & anima erunt generabiles, saltem Deo supplente vicem causæ naturalis, quod videtur inconueniens. Respondetur, definitum est *cap. Firmiter, de sum. Trin. in Conc. Lateran.* Angelos & animas ex nihilo conditos, & sic de facto non sunt geniti; an autem de potentia Dei eorum formæ educibiles sint de potentia suæ materiæ, non est definitum: verisimilius tamen est id non esse possibile ob perfectionem harum formarum; quia etiam quædam formæ accidentales, vt gratia, educi nequeunt de potentia subiecti, iuxta multorum probabilem sententiam, quam tenet Scot. 4. *d.* 1. *q.* 5. *& d.* 16. *q.* 2. Alen. 2. *p. q.* 9. *num.* 8. Bon. 2. *d.* 26. *art.* 1. *q.* 4. Ric. *ibi art.* 1. *q.* 4. Capr. 4. *d.* 1. *q.* 5. *ad arg. Scoti.* Maior. *quæst.* 1. Palud *quæst.* 1. Quòd si teneatur educi posse de potentia Dei absoluta, nihil inde concludetur contra resoluta in hac quæstione.

An forma Angeli educibilis sit de potentia materiæ?

Obiicitur quintò, Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. *num.* 6. ponit substantiam corruptibilem cum Philos. 4. *Met. cap.* 5. per hoc quòd habet materiam, quia materia est *quo res potest esse, vel non esse*; vt *ibidem* dicitur. Vnde, inquit, *Nulla forma simplex est corruptibilis*, vbi per formam simplicem, intelligit animam rationalem: *&* 4. *d.* 43. *quæst.* 2. *num.* 23. sustinendo secundùm Philosophum animam rationalem non esse immortalem, dicit non inde sequi, quòd habeat partes separabiles, vt materiam, & formam: vbi admittit esse simplicem: ergo secundùm eum non est ponenda materia in anima.

Respondetur, ita est; verùm non reputat improbabile, iuxta hîc allata, si quis teneat animam, & Angelum habere materiam; & hoc tantùm intendunt quæ hactenus adducta sunt.

Obiicitur sextò, sequeretur quòd Angelus esset capax quantitatis; quia habet materiam. Respondetur, sicut forma materialis adueniens materiæ, facit eam incapacem accidentis corporei, ita forma spiritualis facit eam incapacem accidentis corporei, qualis est quantitas; de hoc Scot. *quodl.* 9. vbi disputat an Angelus potest informare materiam. Hæc de hac difficili quæstione; qui verò hanc partem durius censuerit, viderit ne in suo sensu nimis abundet, nimisque sit sapiens apud semetipsum.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm magis vniuersale priùs intelligatur à nobis, quàm minùs vniuersale?

Arist. 1. *Poster. cap.* 2. *&* 1. *Phys. text.* 3. *&* 4. *&* 1. *Met. cap.* 2. D. Thom. *in proœmio Phys. in opusc. de ente. & essentia, cap* 7. *&* 1. *part. q.* 85. *art* 3. Auicenna 2. *lib. sua Metaph. cap.* 1. Simplicius 1. *Physic. cap.* 1. Themistius *in sua Paraphrasi, super* 1. *lib. Physic. cap.* 4. Richardus in 2. *d.* 24. *art.* 3. *q.* 4. Alensis *in Commentariis primi & quinti Met.* Capreolus *in p.* 1. *d.* 35. *q.* 2. *ad* 7. Ferr. 1. *lib. contra Gent. cap.* 48. Venetus, Nyphus, & Iauellus 1. *Physic. cap.* 1. Soncinas 6. *Metaph. q.* 12. Caiet. *Opusc. de ente, & essentia, in principio.* Ægidius 7. *lib. Metaph. q.* 1. Rouius 1. *Physic. cap.* 1. *q.* 3. Vide Doctorem *in disputatis, quæst.* 13. *& lib.* 1. *Physic. quæst.* 5.

ARGVITVR quòd sic, 1. *Physic. text.* 3. dicit quòd innata est nobis via cognoscēdi à notioribus nobis ad notiora naturæ, & subdit: *Sunt autem nobis primò nota confusa magis, & magis vniuersalia, minùs autem vniuersalia sunt natura notiora, quia sunt perfectiora*; igitur, &c. 1.

Præterea, quod primò intellectui imprimitur, priùs intelligit; sed secundùm Auicennam, ens & vnum, quæ sunt maximè vniuersalia, priùs intellectui imprimuntur quàm omnia alia; igitur, &c. *Scot.* 1. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 11.

Præterea, illud vniuersale priùs intelligitur cuius singulare priùs sentitur; sed singulare magis vniuersalis priùs sentitur quàm minùs vniuersalis, secundùm Auic. *in Metaphysica sua*, & secundùm Philos. 1. *Physic. text.* 4. vbi dicitur, quòd pueri appellant primò omnes viros patres: & priùs à remotis sentitur aliquid esse corpus, quàm animatum, & quàm homo. *Scot. sup. n.* 27.

Contrà, composita sunt nobis priùs nota secundùm Commentatorem 1. *Physic. text.* 4. exponendo illud, *Magis confusa sunt nobis notiora*, vel priùs nota, id est, magis composita; sed minùs

vniuer

vniuerſalia ſunt compoſitiora, quia habent ſe per additionem ad magis vniuerſalia; igitur,&c. Præterea, quæ ſunt difficillima nobis ad cognoſcendum, non ſunt nobis priùs nota, maximè vniuerſalia ſunt nobis difficillima ad cognoſcendum, vt patet 2. *Met.* ergo,&c.

Præterea, priora ſecundùm naturam, ſunt nobis poſterius nota, vt dicitur 1. *Phyſic.* ſed vniuerſaliora ſunt priora naturâ, quia ab ipſis non conuertitur conſequentia, & quia etiam per ipſa definiuntur ſpecies, & minùs vniuerſalia; ergo,&c.

2\. *Aliquid dicitur priùs perfectione, generatione, adæquatione.* Dicendum, quòd aliud dicitur priùs alio tripliciter, ſcilicet generatione, perfectione, & adæquatione. De duobus primis habetur 9. *Met. text.* 15. de tertio 1. *Poſt. text.* 11. vbi dicitur, quòd vniuerſale eſt, quod conuenit alicui primò. Et vocat vniuerſale, & primum adæquatione, ipſam propriam paſſionem, quæ prædicatur conuertibiliter de ſubiecto. De duobus primis dicendum ad præſens. *Quid cognoſcere confuſum, & confuſè.* Vlteriùs ſciendum, quòd non eſt idem cognoſcere confuſum & confuſè, nec diſtinctum & diſtinctè: nam confuſum poteſt diſtinctè cognoſci, ſicut animal, quod eſt confuſum reſpectu hominis. *Quid cognoſcere confuſè, & diſtinctè.* Similiter diſtinctum poteſt confuſè cognoſci, ſicut homo cognoſcendo animal, vel quòd ſit animal. Illud autem eſt confuſum, quod eſt indiſtinctum, diſtinguibile tamen ſicut genus. Cognoſcere autem confuſè eſt cognoſcere quid dicitur per nomen, vel cognoſcere in ſuo vniuerſali tantùm; ſed cognoſcere quid diſtinctè eſt cognoſcere id per principia propria poſita in ſua definitione.

RESOLVTIO.

Priùs cognitum nobis tempore cognitione confuſa, eſt minùs vniuerſale, quàm magis vniuerſale. Vide Doct. 1. diſt. 3. quæſt. 2. num 21. & annot. 1.

3\. [a] Dicendum igitur ad quæſtionem primò, quòd minùs vniuerſale eſt quod priùs notum eſt nobis, prioritate temporis & cognitione confuſâ, quàm magis vniuerſale. Probatio; omne agens ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ producit perfectiſſimum effectum, quem poteſt producere; quia ad oppoſitum, quòd non producat effectum perfectiſſimum, quem poſſit; ſequitur quòd agit citra vltimum potentiæ ſuæ; ſed omne agens naturale agit ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ; quia non agit deliberatiuè, determinando ſibi quantitatem effectus, ſed determinatur ab alio: igitur agit perfectiſſimum effectum quem poteſt: intellectus autem quantum ad actum primum intelligendi, & omnia quæ concurrunt ad cauſandum intentionem effectiuè, ſiue phantaſia, ſiue ſpecies intelligibilis, ſunt agentia naturalia: igitur intellectus in primo actu intelligendi præcedente actum voluntatis intelligit perfectiſſimum intelligibile, in quod poteſt, quod terminat actionem perfectiſſimam quam poteſt habere; tale autem intelligibile eſt ſpecies ſpecialiſſima; ergo,&c.

Metaphyſica vltima ſcientiarum. Præterea, ſecundùm Auicen. & Comment. 6. *Metaph. cap.* 4. Metaphyſica eſt vltima ſcientia in ordine doctrinæ; igitur principia aliarũ ſcientiarum priùs tempore à nobis cõcipiuntur, quàm Metaphyſica; principia autem aliarum ſcientiarum ſunt minùs vniuerſalia, quia Metaphyſica eſt de vniuerſaliſſimis: igitur, &c.

Præterea, ſi priùs intelligimus magis vniuerſale, quàm ſingulare, quando ſingulare aliquod ſubitò mouet ſenſum, erit magnum tempus antequam poſſimus cognoſcere eius ſpeciem ſpecialiſſimam; quia oporteret priùs cognoſcere omnia eius ſuperiora eſſentialia, quæ cùm ſint multa, non poſſunt in inſtanti cognoſci: hoc autem patet manifeſtè eſſe falſum; ergo,&c.

Præterea, ſi priùs magis vniuerſale intelligitur, aut eâdem ſpecie cum minùs vniuerſali, aut alia: 4.
non eadem, quia illud non eſt proprium repræſentatiuum alicuius quod æqualiter repræſentat ipſum & oppoſitum, vel diſparatum; ſed ſpecies repræſentans animal, quod eſt magis vniuerſale, æqualiter repręſentat hominem, & aſinum; & per conſequens per illam cognoſceret ſimul vtrumque intellectus, ſi illa ſufficeret, quod falſum eſt: igitur non eſt eadem: ſi autem alia, tunc erunt tot ſpecies in intellectu, quot ſunt ſpecies generis, ſi illæ debent cognoſci, vel quot ſunt ſuperiora vniuerſaliora eſſentialia, antequam ſpecies ſpecialiſſima intelligatur, quod falſum eſt; igitur, &c.

Præterea, illud cognoſcitur poſteriùs tempore, cuius abſtractio eſt difficilior; quia eius cognitio intellectualis abſtractiua eſt difficilior: ſed abſtractio coloris, quæ eſt vniuerſalior, eſt difficilior quàm albedinis; quia à diſſimilibus abſtrahitur quiditas coloris, ſcilicet ab albo, & nigro, quæ ſunt oppoſita; albedinis autem quiditas à duobus albis, quæ ſunt ſimilia; ergo, &c. *Abſtractio magis vniuerſalis eſt difficilior, quàm minus vniuerſalis.*

Præterea, poſſibile eſt intelligere minùs commune, non cognoſcendo magis commune; igitur non oportet ſemper vniuerſalius priùs cognoſci ab intellectu. Probatio antecedentis; quia Geometer cognoſcit lineam, & multa de linea probat, & tamen neſcit vtrùm ſit ſubſtantia, vel accidens: ergo,&c. Ad hoc etiam eſt authoritas Philoſophi 1. *Phyſic. text.* 3. & 4. dicentis quòd *diffinitum priùs cognoſcitur, quàm partes definitionis*, diffinitum eſt minùs vniuerſale, cùm ſit ſpecies, quàm genus ſuum, quod eſt pars diffinitionis; igitur, &c.

RESOLVTIO.

Priùs cognoſci magis vniuerſale cognitione diſtinctâ, de quo Doctor 1. diſt. 3. q. 2. num. 24. 25.

[b] Secundò, dico quòd priùs cognoſcitur magis vniuerſale à nobis cognitione diſtinctâ. 5. *Magis vniuerſale priùs cognoſcitur, cognitione diſtinctâ.* Probatio, priùs diſtinctè illud cognoſcitur, quod intrat diffinitionem alterius, per quod aliud diſtinctè cognoſcitur; ſed ens quod eſt vniuerſaliſſimum, intrat definitionem omnium, cùm conceptus entis includatur in conceptu cuiuſlibet, ipſum autem non habet conceptum niſi diſtinctum; quia non habet in quo poſſit confuſè, vel indiſtinctè cognoſci: igitur, &c. Simile autem eſt de aliis vniuerſalibus: quantò enim aliquid eſt vniuerſalius, tantò poteſt plurium definitionem intelligere, & diſtinctiùs cognoſci, cùm pauciora ſuperiora habeat, in quibus cognoſcitur confuſè. Præterea, ſecundùm Auicen. 1. *Met. cap.* 3. Metaphyſica eſt prior ordine cognoſcendi diſtinctè, quæ tamen eſt vniuerſalior; igitur,&c. Nec tamen contradicit ſibi Auicenna, dicens quòd eſt poſtrema ordine doctrinæ, quia hoc ordine procedimus à cognitione confuſa ad diſtinctam; modò eſt ita, quòd principia aliarum ſcientiarum propriarum ordine doctrinæ ſunt nobis *Ordine doctrinæ proceditur à cognitione confuſa ad diſtinctam.*

nota ex confuso conceptu terminorum, sicut Geometer ex confuso conceptu lineæ, & puncti procedit ad cognoscendum eius diffinitionem, & passionem: & ideò Metaphysica est posterior ordine doctrinæ, cuius tamen principia sunt distinctè cognoscenda; sed scientia Metaphysicæ acquisita, reuertendo ad alias scientias magis distinctè cognoscuntur earum principia, scientiâ Metaphysicæ priùs distinctè cognitâ, & sic est prior ordine distinctæ cognitionis: sic in proposito, species priùs cognoscuntur indistinctè, scilicet cognoscendo quid est, quod dicitur per nomen; vel in suo vniuersali, scilicet cognito vniuersali distinctè, tunc per eius diuisionem & contradictionem per additionem differentiæ, fit reditus ad cognoscendum speciem distinctè.

Ordo quo à cognitione confusa speciei reditur ad eius cognitionē distinctam.

RESOLVTIO.

Priùs prioritate perfectionis cognoscitur Deus. Vide Doctorem 1. dist. 3 quæst. 2. num. 29. *sed cognitio sensibilium fortiùs mouentium sensum, est prior prioritate perfectionis iuxta proportionem obiecti ad intellectum.*

6. c TErtiò, dico quòd priùs prioritate perfectionis à nobis cognoscitur, quod est perfectius. Circa quod sciendum, quòd aliqua cognitio potest esse perfectior alia, vel secundùm perfectionis complementum, vel secundùm proportionem ad obiectum; sicut visio aquilæ est perfectior primo modo, visione mea; sed visio mea respectu candelæ est perfectior visione aquilæ respectu Solis. Ista diuisio habetur 20. *de Animalibus* à Philosopho, dicente quòd *magis desideramus scire modicum de substantiis separatis, quàm multum de inferioribus.* Illud autem modicum attenditur secundùm proportionem ad obiectum, non autem secundùm naturam cognitionis absolutè.

Cognitio vna dupliciter potest esse perfectior alia.

1. de Partib. anim. c. 5.

d Ad propositum est dicendum, quòd illud quod à nobis cognoscitur priùs prioritate perfectionis cognitionis in se, & absolutè consideratæ, est Deus, loquendo etiam de cognitione naturali. Probatio, quia illa cognitio est perfectior in se, per quam attingitur perfectius obiectum; sed hæc est cognitio Dei, qui est perfectissimum obiectum; ergo, &c.

Deus est primū cognitum perfectione.

Præterea, Philosophus 4. *Ethic. cap.* 10. ponit felicitatem humanam, quæ ex puris naturalibus haberi potest in cognitione substantiarum separatarum, vel primæ substantiæ separatæ, quæ est Deus, sed ponit eam in perfectissima cognitione: ergo eius cognitio quæ in via potest haberi, est perfectissima cognitio, & perfectior cognitione quorumcumque inferiorum; quia quodcumque indiuiduum speciei nobilioris est nobilius quocumque indiuiduo speciei inferioris.

Felicitas in quo consistit secūdùm Philosophum?

Sed quæ est cognitio perfectior secundùm proportionem ad obiectum, id est respectu inferiorum, quæ sunt intellectui nostro proportionata?

7. Dicendum, quòd cognitio istorum sensibilium, quæ fortiùs mouent sensum, est perfectior, quia quæ fortiùs mouent sensum, fortiùs mouent intellectum, licèt altiori modo, quia vniuersaliùs; quæ autem magis mouent intellectum, sunt magis proportionata intellectui, & ideò priùs perfectione tali, scilicet secundùm proportionem ad obiectum, intelligitur vniuersale illius singularis sensibilis, quod fortiùs mouet sensum.

Ad obiectionem in oppositum, dicendum quòd Philosophus *primo Physicorum* intendit dare modum deueniendi in cognitionem distinctam; & hoc est per cognitionem magis vniuersalis, & magis confusi, quod est priùs notum nobis distinctâ cognitione. *Ad primum.*

Ad aliud, dicendum quòd ens, & vnum priùs imprimuntur intellectui quoad eorum cognitionem distinctam, quàm alia; & ideò illa cognitione sunt priùs nota; quia non possunt notificari per priora, & hoc conceditur. *Ad secūdum.*

Ad aliud, dicendum quòd Thomas faciens illud argumentum deceptus fuit, quia non distinguitur inter cognoscere aliquid confusum, & confusè, & distinctè, & distinctum. Verum enim est, quòd cognoscere aliquid confusè, scilicet minùs vniuersale, est medium inter puram ignorantiam, & cognitionem eius distinctam; & sic cognitio alicuius confusa prior est cognitione eiusdem distinctâ; sed propter hoc non sequitur quòd cognitio confusi, id est, magis vniuersalis, sit prior cognitione minùs vniuersalis, nisi loquendo de cognitione distincta; vt dictum est; immò est fallacia consequentis à pluribus causis veritatis ad vnam. Cognitio enim confusa alicuius minùs vniuersalis, est, vel quando cognoscitur tantùm de ipso, *quid est*, quod dicitur per nomen, vel quando cognoscitur in suo vniuersaliori, vel confuso; non sequitur igitur: cognitio confusa minùs vniuersalis, est prior tempore, quàm eius distincta: igitur cognitio sui vniuersalioris, vel magis confusi, est prior. 8.

Ad tertium. 1. p. q. 85. art. 3.

Prior est cognitio confusa quàm distincta eiusdem.

Ad vltimum, dicendum quòd quando aliquod singulare est præsens sensui secundùm debitam proportionem, tunc intellectus primò apprehendit speciem specialissimam eius, sed quando non est proportionatum sensui, ita quòd possit ipsum distinctè cognoscere; tunc intellectus apprehendit speciem proximiorem, quàm potest, quia non mouet sensum nisi sub ratione, quæ est singularis speciei communioris. *Ad quartum.*

ANNOTATIONES
ad quæstionem decimamsextam.

CONCLVSIO I.

Speciem specialissimam esse primum cognitum nobis cognitione confusâ.

a DIcendum igitur ad quæstionem, &c. Speciem specialissimam esse primum cognitum. Probat Doctor hîc contra D. Thom. & suos 1. p. *quæst.* 85. *art.* 3. sex rationibus; quarum priores tres adducit 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 21. Prima ratio est, quia causa naturalis agit secundùm vltimum posse, & sic agit primò perfectissimum effectum, quem potest; ergo cùm intellectus sit talis, primò intelligit speciem specialissimam, quia hoc est perfectius vniuersalioribus, quæ sunt partes eius. Contra hanc 9.

Obiicitur, ex Caiet. *de ente, & essentia*, & aliis; quia ordo naturæ incipit ab imperfectioribus: vnde quod prius est generatione, posterius est perfectione, 7. *Metaph.* Præterea, si valeret argumentum, probaret quòd etiam cognitione distinctâ priùs cognosceretur species specialissima,

quod

quod est falsum,& contra ipsum Scoinm, vt statim patebit. Tertiò , probaret etiam quòd singulare priùs cognosceretur, qoia eius conceptus est nobilior conceptu speciei : nam substantiæ primæ sunt omnium nobilissimæ, vt tenet Aristoteles *cap. de Substantia* , & 1. *Poster.* c.2. dicitur quòd notiora nobis sunt , quæ propinquiora sunt sensui. Et ita tenet Durand. 2.*d.*3.*q.*7. Gregor. 1.*d.*3. *quæst.* 3. *artic.* 1. quos sequitur Suar. 4. *de Anima*, *cap.* 3.

Causa naturalis non impedita producit perfectissimũ effectum quem potest.

Ad primum , respondetur , loquitur Doctor de agente naturali non impedito, seu carente resistentiá, vt habet *loc. cit. in* 1. nam si resistentiam inuenerit , impeditur à prodoctione nobilissimi effectus , quem potest , donec vincat illam resistentiam : in proposito aotem, intellectus respectu conceptus speciei specialissimæ , est benè dispositus ; quia sopponitur , quòd habet speciem intelligibilem eius , & phantasiam non impeditam , nec aliud requiritur ; & si sine indispositione , vel resistentia non ageret ad vltimum potentiæ , sequeretur , (vt benè infert Doctor) quòd quantitatem effectos sibi præscriberet , & sic esset causa secundùm propositum. Friuolum ergo est,quod dicit Caietanos,sicut leo non priùs generat leonem , sed aliud imperfectius , ita intellectus non priùs generat conceptom perfectissimum, sed imperfectiorem , & vltimò perfectissimum ; quia si leo haberet in sua potestate formam leonis , & materiam dispositam, & sine resistentia , primò produceret leonem : intellectus habet in sua potestate conceptum speciei specialissimæ , & subiectum dispositum, & carens omni resistentia, ideò primò producit illum conceptum ; & si primò non posset , nunquam postea posset , quia nihil acquirit quod ab initio non habet.

Ordo confusè cognoscendi est prior ordine distinctè cognoscendi.

10. Ad secundum , respondetur , cum Scoto 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 26. quòd totus ordo confusè cognoscendi est prior;& ideò primum in illo ordine est simpliciter primum. Et probatur ex Arist. 1. *Physic. text.* 3. dicente, definitum priùs cognosci, quàm partes ; & ex Auicenna 1. *Metaph. c.*3. suadente Metaphysicam esse vltimam ordine doctrinæ , quamuis sit prima in sciendo distinctè; quia principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum,& postea ex Metaphysica sciri possunt distinctè;cognoscit enim Geometer lineam esse longitudinem sine latitudine, non curans in quo sit genere, vel quæ sit eius differentia , quia hoc ad Metaphysicum spectat.

Dices , ergo falsum est agens naturale primò elicere effectum nobilissimum, quem potest;quia cognitio distincta est nobilior confusa. Et confirmatur ex ipso Scoto *loc. cit. num.* 27. dicente quòd *processus naturalis est ab imperfecto ad perfectum,per medium,& quòd confusè cognoscere est quasi medium inter ignorare , & distinctè cognoscere.* Vbi sibi contradicit, antea dicenti , intellectom priùs elicere actum perfectissimum. Respondetur , in eodem ordine cognoscendi intellectum non impeditum priùs elicere actũ perfectissimum quem potest, tamen pro hoc statu potest alius ordo cognoscendi imperfectior præcedere perfectiorem, cuiusmodi est confusè cognoscere respectu cognitionis distinctæ ; quia etiam cognitio sensitiua pro hoc statu, prior est intellectiuâ. Quòd verò confusa prior sit,& experientiâ constat,& Aristoteles , ac Auicenna docent locis citatis ; vnde Scotus sibi non contradicit , quia loquitur intra eundem ordinem cognoscendi , non verò comparando vnum ordinem ad alium.

Contrà,hinc sequitur quòd in ordine distinctè cognoscendi , species specialissima priùs cognosciror , qoàm eius partes : consequens est falsum, & contra Scotum *cit. num.* 24 tenentem vniuersaliora priùs cognosci cognitione distinctâ , quam minùs vniuersalia ; de quo statim. Respondetur, negando sequelam , quia non potest aliquid distinctè concipi non conceptis in eo inclusis, quæ sunt eius partes ; his enim non conceptis, cognitio erit tantùm confusa;qnia concipitur res,sicut exprimitur per nomen, & non sicut exprimitur per definitionem. 11.

Nihil distinctè cognosci non cognitis partibus in eo inclusis.

Ad tertium, singulare qua tale,non cognoscitur à nobis pro hoc stato , vt docet benè Scot. 3. *d.*14. *quæst.* 3. *fin.* quia pro nunc non mouetur intellectus noster, nisi à phantasiabili , & singulare nullum phantasma gignit. Vide eum 2.*dist.*3.*q.*1. *& q* 6 *n* 17. *&* 4. *d.*45. *quæst.*3. de quo infrà, *q.*22. vbi dicetur quomodo singulare priùs cognoscitur quàm species specialissima.

Secunda ratio Scoti est , quia Metaphysica secundùm Aristotelem , & Auicennam est vltima ordine doctrinæ ; ergo aliæ scientiæ præcedunt eam, & maximè naturalis;ergo harum principia, & termini principiorum, cognoscuntur priùs, & tamen sunt minùs communia , & principia Metaphysicæ vniuersaliora ; ergo minùs communia sunt priùs nota ex intentione Aristotelis,& Auicennæ.

Minùs communia sunt priùs nota.

Contra hanc obiicitur ; quia vel scientiæ ordinantur secundùm cognitionem distinctam, vel confusam : si primum , Metaphysica est omnium prima, vt dictum est ad secundum : si secundum; ergo minùs communes deberent præcedere , & sic libri de Cœlo,& de Anima præcederent libros Physicorum. Respondetur ex Aristotele 5. *Met. text.* 1. ordine doctrinæ illud esse priùs, quod faciliùs addiscitor. Et non dixit Philosophus qoòd distinctiùs cognoscitur, sic esse priùs;non incipit ergo iste ordo ab vniuersalioribus , vel compositiuo modo, distinctâ cognitione,sed sæpiùs à minùs vniuersalibus. Vnde Aristoteles in multis locis priùs tractauit quæ sunt posteriora secundùm naturæ ordinem ; priùs enim agit de animalibus, quàm de plantis ; & tamen tractatio harum est vniuersalior, & prior. Item,in libris Physic. priùs tractat de principiis corporis generabilis, cuiusmodi sunt materia,forma, priuatio, de quibus 1. *Physic.* quàm de principiis corporis naturalis , de quibus *lib.* 2.& sic præponit principia speciei,seu minùs communis principiis generis , seu magis communis. Cùm ergo priùs tractet de scientiis minùs communibus , benè infert Scotus ad eius mentem,minùs communia esse faciliora,& nobis notiora ; & per consequens priùs nota. Vide Phil. Fabr. *Theor.* 18. 12.

Quid est priùs ordine doctrinæ.

Philosophus priùs tractat scientias minùs communes, etsi non semper.

Ad tertiam rationem Scoti respondet Caiet. inter illos conceptus non esse ordinem essentialem ; ideò non est opus singulos concipere. Contrà, tum quia ibi dicit Caiet. quòd natura procedit ab imperfectioribus ad perfectiora; tùm qoia soluendo primam rationem Scoti,dicit non posse speciem concipi , donec priùs concipiantur omnia præcedentia in linea Prædicamentali. Sed adhuc dices etiam contra Scotum sequi,multum temporis insumi antequam magis vniuersale concipiatur. Respondetur, tantùm sequitur non 13.

statim

statim intelligi, quia cùm occurrit singulare in debita distantia, priùs cognosco, & distinguo illud ab aliis singularibus, vel minùs communibus, antequam facio abstractiones magis vniuersalium conceptuum; nam si solùm cognoscerem quà ens, non distinguerem illud ab aliis inferioribus, quia conceptus entis est causa conuenientiæ, non distinctionis. Aliquid ergo temporis intercedit, quando moueor à singulari, antequam magis vniuersalia concipere possim, sed non tantum, quantum in opposita opinione; quia factâ motione à singulari obiecto, oporteret omnia contenta in linea Prædicamentali præconcipere, antequam illud singulare, vel eius infimam speciem conciperem.

Ad quintam rationem Scoti, respondet Caietanus species magis vniuersalium, quamuis sint indiuidua generum, vt huius animalis, huius corporis, &c. esse propinquiores sensibus; & sic faciliùs abstrahi, quàm speciem specialissimam. Contrà, *in Proœmio Metaph.* habetur, quòd natura specifica tantùm mouet sensum, & non genus, neque singulare. Vide Scot. 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. *num.* 4. Præterea, non offertur sensui indiuiduum generis, nisi mediante indiuiduo speciei; quia sensus non intuetur singulare sensibile determinati generis, quin sit determinatæ speciei: & quia hoc est propinquius singularitati ex Phil. 1. *Poster. text.* 12. est magis sensibile: & consequenter citiùs, & faciliùs mouet intellectum. Præterea, vt ait Doctor, patet, faciliùs abstrahi minùs commune, vt albedinem, quàm magis commune, vt colorem; quia hoc a similibus, illud à dissimilibus abstrahitur.

Quod propinquius est singulari, priùs mouet intellectum, quàm remotius.

Soluuntur quædam argumenta adducta in fauorem D. Thomæ, tenentis 1. p. quæst. 85. art. 3. *vniuersaliora esse priùs nota.*

14. Primum argumentum: Cognitio primorum principiorum est prima, quia est per se notorium, & ab omnibus admittitur; ergo & cognitio terminorum eorundem principiorum: sed inter hos primus terminus est ens; ergo, &c. Respondetur, prima illa principia priùs cognosci cognitione distinctâ, vt dictum est, sed sic cognoscuntur postquam acquisita est cognitio confusa multarum rerum: qua ratione, vt dixi, aliæ scientiæ sunt priores Metaphysica.

Cognitio primorum principiorum non est prima.

Secundum argumentum: Quod à longè conspicitur, priùs videtur, vt corpus; deinde vt animal, tandem vt hoc animal: ergo communiora priùs cognoscuntur. Respondetur cum Scoto 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 27. obiectum in distantia improportionata, non se repræsentare sensui secundùm propriam rationem; sed secundùm imperfectum, & intellectus sequens sensum, intelligit illud secundùm illam rationem imperfectam, & sic decipitur. Conclusio autem Scoti, quòd species specialissima sit primum cognitum, intelligitur quando sensus est in debita distantia. Contrà, quod in remotis mouet sensum, efficaciùs mouet etiam in distantia debita; quia mouere dum remotum est, arguit maiorem virtutem, virtute illius quod tantùm mouet, dum est propinquum; ergo cùm gradus vniuersaliores, vt corporis, moueant in magna distantia, & species non, signum est, quòd fortiùs mouent quam species etiam quando sunt propinqui: sicut ignis qui remotiora calefacit, efficacior est igne qui tantùm calefacit propinqua.

Quare obiectum à longè, imperfectè videtur?

Respondetur, argumentum est ad oppositum, & suadet quòd ipsa species specialissima mouet, etiam quando distat nimis obiectum, & non gradus superiores; quia cùm sit perfectior in entitate illis gradibus, est etiam & in actiuitate; ergo est actiuum ad maiorem distantiam, quàm illi gradus, vt in exemplo de igne perfectiori. Ratio autem quare non repræsentat secundum gradum specificum, est, quia per improportionatum medium non potest effundere speciem perfectè sibi similem, & sic tantùm repræsentat imperfecto modo. Addo, incertum esse, vt tenet Doctor 1. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 28. quòd per diuersas species intelligibiles repræsententur minùs, & magis vniuersalia: de quo quidquid sit, quod causat speciem minùs vniuersalis, potest causare speciem cuiuscunque vniuersalioris inclusi in eo, vt ibi habet Doctor. 15.

Magis & minus vniuersalia an per diuersas species repræsententur?

Tertium argumentum: Quod est facilioris abstractionis secundùm Scotum *rat.* 5 priùs cognoscitur; sed magis vniuersale est huiusmodi, quia pauciora in se actu continet, quàm minùs vniuersale, & sic faciliùs est intelligere vnum in eo non intellectis aliis, quod est abstrahere, quàm in minùs vniuersali, vel singulari, in quibus multitudo contentorum ponit confusionem. Respondetur facilitatem abstractionis oriri ex vicinitate ad sensum, & ideò vniuersaliora, quia magis distant à sensu, difficilioris sunt abstractionis.

Minus vniuersale faciliùs abstrahetur.

Quartum argumentum: Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *num.* 27. ait quòd mens sequitur sensum in cognitione, & certum est sensum non cognoscere nisi singulare; & 1. *Met. quæst. vlt.* ait singulare vagum primò percipi; sed sicut singulare vagum se habet ad distinctum, ita magis vagum, ad minùs vagum; ergo hoc priùs cognoscitur. Respondetur, sensum cognoscere naturam specificam, non singulare, quà tale, alioquin posset distinguere inter duos radios Solis, quod est impossibile, vt habet Doctor 2. *d.* 3. *q.* 1. Ad aliud, cognoscere singulare vagum, est ipsam speciem specialissimam cognoscere cum signo, quia ipsam singularitatem pro hoc statu non cognoscimus; alioquin possemus distinguere Petrum à Paulo, seclusis eorum accidentibus extrinsecis, quod est falsum. de quo infrà *quæst.* 12.

Sensus non cognoscit singulare quà tale.

CONCLVSIO II.

Vniuersaliora esse priùs nota, cognitione distinctâ.

b *Secundò dico quòd priùs cognoscitur magis vniuersale*, &c. Hanc conclusionem, nempe vniuersaliora priùs cognosci cognitione distinctâ, probat Doctor duabus rationibus claris, & circa eam nulla est ferè controuersia. Easdem rationes habet 1. *d.* 3. *q.* 3. *n.* 14. 25. quarum vis stat in hoc, quòd cùm distincta cognitio inferiorum habeatur per distinctam notitiam superiorum inclusorum in eis, euidens est priùs superiora distinctè cognosci, sine quibus sic cognitis repugnat inferiora distinctè cognosci: hîc locum habet illud: *Propter quod vnumquodque est tale*, &c. 16.

c *Tertiò, dico quòd prius prioritate perfectionis.* Pro huius intelligentia notandum est, quòd cognitio potest esse perfecta dupliciter. Primò, ex parte potentiæ, & obiecti; vt quando potentia circa obiectum nobilissimum exercet totam suam virtutem. Secundò, ex parte proportionis cognitionis ad obiecti cognoscibilitatem. Primo modo,

Cognitio dupliciter perfecta.

modo, quo obiectum est nobilius, eo perfectior est eius cognitio, vel est priùs cognitum prioritate perfectionis; & sic Deus est primum cognitum inter omnia. Secundo modo, cognitio sensibilium, quo fortiùs mouent sensum, est perfectior, quia eius gradus magis accedunt ad grados cognoscibilitatis obiecti, & si tot sunt gradus perfectionis in cognitione, quot sunt cognoscibilitatis in obiecto perfectè adæquato, cognoscitur tale obiectum. Primam partem probat ex Philosopho, & est euidens, explicatis terminis; quia cùm cognitio essentialiter dependeat, & specificetur ab obiecto, quo perfectius est obiectum, eo nobilior est cognitio.

Secunda pars patet; quia quæ fortiùs mouent sensum, fortiùs etiam pro hoc statu mouent intellectum; & consequenter sunt magis proportionata intellectui; ergo notitia intellectus circa vniuersale, cuius singulare fortiùs eum mouet, erit magis proportionata, id est, magis accedens ad gradus cognoscibilitatis illius obiecti. Vide Doctorem 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *num.* 29.

37. [d] *Ad propositum est dicendum*, &c. Quod hîc ait Doctor Deum esse priùs perfectione cognitum, etiam loquendo de cognitione naturali, videtur falsum; quia nullum conceptum proprium habemus de Deo pro hoc statu, quia essentia diuina *vt hæc*, solùm mouet naturaliter suum intellectum, & per viam vniuocationis mouet nos, quoad rationes generales sibi, & creaturæ communes. De quò latè Doctor *quæst.* 1. *Prol. & quodlib.* 14. *&* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *n.* 16. At cognitio propria obiectorum, & per proprias species acquisita est perfectior cognitione communi, & acquisitâ per alienas species. Respondetur, etsi pro nunc nullum habeamus conceptum proprium in particulari de Deo, habemus tamen conceptus proprios de eo, ita vt creaturæ repugnent, cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter, quorum perfectissimus est conceptus entis infiniti, quia est simplicior conceptibus attributorum, & velut subiectum eorum, de quo Scotus 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. *num.* 17. sed argumentum probat cognitionem naturalem Dei non esse perfectiorem secundùm proportionem graduum eius ad obiectum; quia hoc in infinitum excedit illam, & idem est etiam de cognitione supernaturali creata Dei.

Conceptus entis infiniti, est perfectissimus, quem de Deo pro nunc habemus.

Qvæstio XVII.

Vtrùm in intellectu nostro sint species intelligibiles priores naturaliter actu intelligendi?

Arist. 2. *de Anima. text.* 60. D. Thom. *lect.* 12. *&* 1. *p. q.* 56. *ar.* 1. *& q.* 85. *art.* 2. *&* 1. *contra Gentes, cap.* 51. 52. 53. *& quodl.* 7. *art.* 1. *& de verit. q.* 2. Albert. Magn. 2. *p. summ. de homine in tract. de Sensib. anima.* Capr. *in* 1. *d.* 35. *q.* 1. *art.* 1. Durand. *in* 2. *d.* 36. *q.* 6. Conimb. 2. *de Anima, cap.* 6. *q.* 2. *art.* 3. Auersa *tom.* 2. *Philosoph. q.* 38. *sect.* 5. Compl. *disp.* 18. *de Anima, q.* 5. Vide Doct. *in disputatis q.* 14.

1. VIDETVR quòd non: quia quandocumque aliqua species imprimitur ab obiecto in potentia, repræsentat obiectum tantùm sub illa ratione, sub qua nata est imprimi ab obiecto, quia genitum est simile generanti secundùm formam, secundùm quam generat; sed quæcumque species imprimitur ab obiecto in intellectu, sub ratione singularis imprimitur; quia obiectum extrà, vel phantasma à quo imprimitur, est singulare: ergo intellectus recipit singulariter; hoc est falsum: igitur, &c.

Præterea, præsentia obiecti est causa præsentiæ speciei, non autem è conuerso; cùm igitur obiectum intelligibile sit præsens in phantasmate, non requiritur species in intellectu propter præsentiam obiecti, sed propter aliud ponitur species in intellectu: igitur frustra.

Præterea, si esset species in intellectu, plures possent esse simul. Consequens est falsum: ergo, &c. Probatio consequentiæ, species talis habet esse permanens etiam absente actu intelligendi; tamen post omnem actum intelligendi potest succedere alia species respectu alterius obiecti, & sic esset alia species alterius cum prima simul. Probatio falsitatis consequentis, quia cùm illa species non sit potentia rationalis, vel libera, sed naturalis, de necessitate est actu præsente obiecto; cùm igitur semper repræsentet obiectum suum, semper homo intelligeret per illam actu, & sequeretur quòd per plures species illas semper posset plura intelligere, quod falsum est; ergo, &c. Præterea, potentia semper perficitur proprio actu; proprius autem actus potentiæ apprehensiuæ est apprehendere, non autem species: igitur, &c.

Contrà, Philosophus 3. *de Anima, text. com.* 6. *text. com.* 37. dicit, quòd *anima est locus specierum, nõ tota, sed intellectus.* & in eodem, *lapis non est in anima*, &c. & in eodem: *anima per intellectum est omnia intelligibilia, & per sensum sensibilia*: hoc autem non potest intelligi, quòd sit omnia per essentiam; igitur per earum species in anima existentes. Præterea, per rationem sic: omne quod reducitur de potentia essentiali ad accidentalem, oportet quòd hoc fit per aliud sibi impressum formaliter; intellectus noster ante addiscere, vel intelligere est in potentia essentiali ad actum intelligendi, à qua postea reducitur ad potentiam accidentalem, quâ scilicet potest intelligere, cùm voluerit; igitur hoc est per aliquod formaliter sibi impressum, quod voco speciem: igitur, &c. 2.

Ex Philos. 8. Phys. tex. 32.

RESOLVTIO.

Opinio communis ponendas esse species intelligibiles necessariò ad intelligendum; & soluit argumenta in contrarium. De quo latè 1. dist. 3 quæst. 6.

[a] RESpondeo, vna opinio communis est, quòd intellectus habet speciem sibi impressam, necessariò requisitam ad actum intelligendi. Quod potest sic probari ex prædictis; quia oportet quòd vniuersale actu intellectum, sit præsens intellectui ratione obiecti; sed non potest esse præsens nisi per speciem impressam: igitur, &c. Maior patet, quia sicut obiectum est prius actu intelligendi ordine naturæ, sic ratio obiecti. Probatio minoris, quia non potest aliter esse præsens nisi per speciem in phantasmate existentem; sed non per illam. Probatio, quia vna species non potest repræsentare obiectum sub oppositis rationibus; sed vniuersale, & singulare habent oppositas rationes, species autem in phantasmate est repræsentatiua obiecti vt singulare est; igitur non vt vniuersale: ergo præter illam, est ne- 3.

cessaria

cessaria species in intellectu ad repræsentandom vniuersale. Maior istins rationis confirmatur, quia idem non potest mensurati duabus mensuris totalibus, species autem mensuratur totaliter ab obiecto; igitur eadem speciea non est diuersorum obiectorum, vt diuersa sunt repræsentatiua.

Sed dices, quòd hoc verum est eodem lumine, sed luminibus diuersis potest eadem species diuersa repræsentare; vt patet de noctilncis, quæ in die videntur coloratæ lumine Solis, sed de nocte lucentes lumine proprio; sic species in phantasmate lumine phantasiæ, vel virtutis sensitiuæ potest repræsentare singulare lumine intellectus agentis penetrante phantasma vniuersale: sed hoc non videtur; quia noctiluca, vel repræsentat diuersa obiecta de die, & de nocte; quia color, & lux sont diuersa, & tunc necessariò hoc est per diuersaa species: vel si non sint diuersa obiecta, oportet dicere, quòd hæc habent aliquam qualitatem diuersam à luce, & colore, virtualiter tamen vtrumque continētem; & ideò in die poterit gignere speciem repræsentatiuam vnius, scilicet coloris, & in nocte repræsentatinam lucis; sic igitur semper habebit diuersas species in quantum repræsentantur in eo diuersa; sicut in proposito de vniuersali, & singulari.

Noctiluca quare aliter die, quàm nocte apparent?

4. Præterea, cuiuslibet potentiæ realis actiuæ est actio realis, & terminus realis; intellectus agens est potentia actiua realis; igitur eius operatio est realis; sed intelligere non est operario eius, nec terminus suæ operationis saltem propinquus, quia non intelligit; sed operatio eius, est facere intelligibilia in potentia actu intelligibilia; fiunt autem intelligibilia aliquo actu per abstractionem speciei; abstrahere igitur speciem est actus eius, & species intelligibilis abstracta est terminus eius; non potest autem talis species esse in phantasia, quæ corporalis est, & extensa, non autem talis species: igitur oportet eam esse in intellectu possibili.

Actus intellectus agentis abstrahere speciem.

Sed dices, quòd vniuersale, quod est obiectum intellectus, fulget in phantasmate per lumen intellectus agentis, & id esse intelligibile actu. Contrà, esse cognitum splendens vt cognitum, est tantùm esse diminutum non reale; igitur non potest esse terminus operationis realis intellectus agentis.

5. Præterea, obiectum vniuersalius non potest repræsentari sub ratione sua vniuersaliori, per speciem obiecti particularis; quia obiectum vniuersale in quantum huiusmodi, est indifferens ad omnia particularia sub eo contenta; singulare autem est determinatum, & etiam vniuersale, vt vniuersale, sed determinatum secundùm phantasma, & quod est in eo tantùm vt singulare; quia hîc & nunc: igitur species in eo existens non potest repræsentare obiectum vniuersale; igitur oportet ad intelligendum vniuersale, vt vniuersale, speciem eius imprimi in intellectu possibili.

Præterea, ex nobilitate intellectus potest sic argui: Si non requiritur ad intelligendum species in intellectu, sed in phantasmate tantùm, intellectus noster non habet operationem separabilem à corpore in quo est phantasma; quia habet organum, & si non habet operationem separabilem, ipse non est separabilis à corpore, sicut arguit Aristoteles 1. *de Anima*; ergo intellectus noster esset inseparabilis à corpore, & commixtus corpori, sicut potentia organica: hoc autem est contra Philosophum, 1 *&* 2. *&* 3. *de Anima*, *&* 12.

Si non intelligeret anima sine sensu, nec esse posset sine eo.

Text. 12. & 13.
Text. 11.

Metaphysica, & hoc est contra mentem ponentis animam a corpore aliquando separari, & intelligere ea quæ priùs intellexit; vt patet de diuite epulone; hoc autem non esset, nisi mansissent in anima species in via acquisitæ. Nec videtur verisimile, quòd anima exuta à corpore, remaneat ita nuda, sicut in prima sui creatione, ita quòd non possit intelligere; nisi de nouo species sibi imprimantur; sed rationabile est ipsam per species acquisitas in via aliquid posse intelligere, vt dictum est. Hæc autem positio confirmatur authoritatibus prædictis pro illa parte.

Text. 4. & 5. lib. 3 text. 37. Scot. 4. d. 45. q. 3.

Ad primum in oppositum, dicunt quòd differt ratio agendi, & ratio agentis; verum est autem quòd species repræsentat obiectū in illa ratione agendi sub qua nata est imprimi: hoc autē est sub ratione naturæ absolutè consideratæ, non autem sub ratione agentis, quod est particulare; & ideò species repræsentat vniuersale. Vel aliter potest dici secundùm istos, quòd licèt phantasma, à quo immediatè imprimitur, sit singulare; quia tamen non agit in intellectum possibilem virtute propriâ, sed intellectus agentis abstrahentis species vniuersales à phantasmate; ideò potest illa species repræsentare vniuersale. 6.

Ad primum.

Ad secundum, dicendom quòd æquiuocatio est ibi de præsentia obiecti, & speciei; obiectum enim est causa præsentiæ realis speciei in intellectu, in quo eam imprimit, in virtute tamen intellectus agentis; species autem impressa est causa præsentiæ obiecti in *esse* intelligibili, etiam vt sic obiectum est præsens intellectui ratione speciei.

Ad secundum. Quomodo præsentia obiecti sit causa præsentiæ speciei, & è contra.

Ad aliud, dicendum, concedendo consequentiam. Ad improbationem consequentis, dicendum quòd species, licèt sit forma naturalis quoad actum intelligendi, quantum est de se, semper producendum; quia tamen non est causa tota actus, sed requiritur intentio intellectus, & principalius; ista autem non est semper in actu, ideò nō oportet quòd semper intelligat. Similiter non oportet, quòd omnes simul causent actum intelligendi, sed illa tantùm cuius phantasma fortiùs mouet intellectum ad primum intelligendum, vt patet cùm homo excitatur à somno; tunc intelligit necessariò illud quod priùs occurrit, vel cuius phantasma fortiùs mouet: sed per illum actum intelligit quod voluntas sibi imperat intelligendum, & hoc secundùm speciem eius in intellectu conseruatam. 7.

Ad tertium.

Illud priùs intelligitur cuius phantasma fortiùs mouet.

De hoc 2. d. 42 q. 4.

Ad aliud, dicendum quòd potentia priùs prioritate perfectionis perficitur actu proprio, quàm alieno, non autem semper prioritate generationis, quando specialiter ad eius generationem plura alia requiruntur propter suam perfectionem; sic est in proposito de actu intelligendi, qui priùs ordine generationis requirit phantasma, & cognitionem sensitiuam, à qua originatur, & speciem intelligibilem, secundùm quam formaliter intellectus intelligit.

Ad quartum.

RESOLVTIO.

Opinio negans speciem imprimi à phantasmate, vel obiecto, discutitur, & approbatur: de quo Doctor 1. distinct. 3. quæst. 6. num. 3 8.

Non fieri speciem intelligibilem à phantasmate, vel obiecto.

b Alia opinio est, quòd nulla species à phantasma[illegible], vel ab obiecto extrinseco

lm

imprimitur in intellectu, nec etiam actus intelligendi. Quod probatur. Agens æquiuocum semper est nobilius passo; sed phantasma, vel obiectum extrinsecum non est nobilius intellectu, vel specie, vel actu intelligendi: ergo, &c. Probatio maioris; si est æquè nobile, tunc non est æquiuocum; similiter nec si imperfectius; quia non esset causa vnde effectus esset nobilior & perfectior; igitur est nobilius. Minor patet; igitur, &c.

Sed dices, quòd vera est maior de agente æquiuoco in virtute propria, non autem de agente instrumentali; modò phantasma agit in intellectu possibili virtute intellectus agentis penetrantis ipsum, & abstrahentis quiditatem à conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt in phantasmate; sicut lumen attingens ipsum lac quod est album & dulce, quodammodò abstrahit album à dulci, dum repræsentat visui lac sub ratione albi, non tamen sub ratione dulcis.

Contra duo quæ dicunt; primò quòd intellectus agens subintrat phantasma suâ actione, vel lumine; secundò, quòd abstrahit quiditatem à conditionibus indiuiduantibus, arguitur sic: Quæro vtrùm per actionem intellectus agentis in phantasma aliquid præsentatum recipiatur in phantasmate, aut non. Si sic; sequitur quòd illud sit corporale, sicut phantasma recipiens, & extensum; & per consequens non poterit agere in intellectu possibili per actionem prædictam. Si nihil; ergo phantasma per illam actionem non erit virtuosius ad agendum in intellectu possibili, cuius contrarium dicebant.

9. Præterea, si dicunt quòd phantasma non solùm agit in intellectum possibilem, sed etiam intellectus agens, destruitur eorum principium, quo dicunt, quòd idem subiecto sunt intellectus agens, & possibilis; certum est autem secundum eos, quòd agens, & passum non sunt idem subiecto realiter: ergo, &c. Si autem dicunt, quòd solum phantasma agit vt tactum ab intellectu agente, sequitur vt priùs, quòd solum phantasma est nobilius intellectu, vel specie intelligibili per rationem prædictam. Habent autem alia verba prædicti dicentes, quòd intellectus agens vt subintrat phantasma, quodammodò distinguitur subiecto ab intellectu possibili; sed potest hoc quod ipsi dicunt modo prædicto reprobari.

RESOLVTIO.

Phantasma nihil posse producere, vel comproducere in intellectu, fusè quinque rationibus probatur. Vide Doctorem 1.d.3.q.7. à num.7.

10. c Alij dicunt ad rationem prædictam, quòd intellectus agens agit in intellectum possibilem speciem, sicut causa principalis, scilicet cum phantasmate; non autem sicut causa totalis, vel sicut causa principalis cum instrumentali.

Sed contrà, causa æquiuoca habens in virtute sua totum effectum, potest totum effectum producere in passo disposito, & hoc sufficit, quia plus non requiritur ad effectum quàm quod est dictum, sed intellectus agens habet in virtute sua totalem speciem intelligibilem. Probatio, quia habet aliam authoritatem in phantasmate respectu talis speciei; ipse tamen continet in se totam virtutem phantasmatis respectu eius, cùm sit eo virtuosior; igitur sine phantasmate poterit illam speciem causare in intellectu possibili, qui est iam æquè dispositus ad recipiendum ab vtroque.

Præterea, si causa imperfectior esset totalis causa perfectioris effectus, multò fortiùs causa perfectior esset totalis causa respectu imperfectioris; sed intellectus agens est perfectior & nobilior intellectu possibili, vt dicitur 3. *de Anima, text.* 19. tamen intellectus possibilis est causa totalis actus intelligendi, qui est perfectior effectus specie intelligibili: igitur multò fortiùs intellectus agens est totalis causa respectu speciei. Præterea, inter duo agentia concurrentia ad vnum effectum debet esse proportio; sed inter agens immateriale, & spirituale, quod est intellectus agens, & corporale, quod est phantasma, non est proportio; ergo, &c.

Præterea, licèt actiuum sit aliquando imperfectius passiuo, sicut obiectum sensibile sensu, tamen actiuum, secundùm quod agit, est nobilius passiuo, in quantùm patitur. Exemplum de igne agente in corpus mixtum, & igne infernali agente in spiritum damnatum: si igitur phantasma aliquo modo agit in intellectum possibilem, secundùm id quo agit, est perfectius illo quo intellectus possibilis patitur: omne autem illud quod est in phantasmate est corporale, & omne illud quod est in intellectu possibili est spirituale: igitur corporale est nobilius spirituali, quod falsum est. 11.

Præterea, quanto aliquid corporale est magis obediens spirituali, tanto magis spirituale mediante illo corporali, potest effectum nobiliorem producere; sed corpora cœlestia magis obediunt substantiis separatis, quàm phantasma intellectui agenti; & tamen mediantibus illis substantiæ separatæ non possunt nisi aliquod corporale producere; igitur sic intellectus agens mediante phantasmate, vel ipso coadiuuante, non poterit speciem intelligibilem producere.

RESOLVTIO.

Sustinet speciem intelligibilem non esse necessariam, probabiliter loquendo: soluens rationes & authoritates ad oppositum adductas, & ponens modum soluendi omnia argumenta pro opinione communi; sed resoluit communem opinionem esse veriorem.

d Præterea, ostendo quòd non requiritur species, quod est ad principale; quia species præcedit, per te, actum intelligendi, & habitum; illa igitur species potest destrui, manente tamen habitu. Tunc quæro, aut tunc intellectus est in potentia essentiali ad actum intelligendi, aut accidentali; non in essentiali, quia habens habitum intellectualem poterit eo vti, cùm voluerit; igitur in potentia accidentali sine specie. Sed propter aliud non ponit speciem necessariam ad actum, nisi vt reducat intellectum de potentia essentiali ad accidentalem: igitur frustrà. 12.

Præterea, phantasma non potest agere in voluntatem: igitur nec in intellectum. Antecedens patet per Sanctos & Doctores. Probatio consequentiæ; quia aut repugnat voluntati pati à phantasmate ratione suæ immaterialitatis, aut ratione libertatis: si primo modo, eâdem ratione repugnat intellectui; quia æquè immaterialis est:

Quòd phantasma nihil agat in voluntatem, probat Scot. 1. d. 25.

non autem ratione libertatis; quia iſtâ non obſtante, primò recipit, vel patitur ab obiecto.

Præterea, ſic ſe habent phantaſmata ad intellectum, ſicut appetitus ſenſitiuus, & eius paſſio ad voluntatem; ſed appetitus ſenſitiui paſſio non poteſt directè, & per ſe, agere in voluntatem; quia tunc homo neceſſariò peccaret; ergo nec phantaſma in intellectum.

13. Præterea, corporale vt corporale non agit in ſpirituale, in quantum ſpirituale; ſed phantaſma vt phantaſma, eſt corporale, intellectus eſt ſpiritualis; ergo, &c. Ad iſtam partem adducuntur authoritates, primò Auguſtini 12. *ſuper Geneſim*, dicentis, quòd *anima à corporali nihil patitur in ſe*; & in eodem dicitur, quòd *anima rerum imagines in ſe de ſe facit*. Ariſtoteles in 3. *de Anima*, *text.* 2. & 39. dicit, quòd anima quiditates in phantaſmatibus intelligit; non dicit autem in ſpeciebus in ea exiſtentibus: hoc autem ideò dicit, quia in phantaſmate obiectum eius repræſentatur ſufficienter. Quod patet, quia dicit *ibidem*, quòd ſic ſe habent phantaſmata ad intellectum, vt ſenſibilia ad ſenſum: ſenſibilia autem ſunt obiectum ſenſus; ideò phantaſmata continent ſufficienter obiecta intellectus. Vnde ſubdit, quòd *cùm anima intelligit, neceſſe eſt ſimul phantaſmata ſpeculari*; in ipſo autem phantaſmate intuetur anima quiditatem ſpeciei abſolutè, & conditiones etiam indiuidui; quia ſicut in ſingulari extrà reſeruatur natura communis, & ſunt in eo conditiones indiuiduales, vt principia indiuiduantia, ſicut in Socrate eſt humanitas, & Socrateitas; ſic in phantaſmate ipſius repræſentatur natura communis, & ſingulare, & in repræſentatiuo ſingularis quod eſt phantaſma, continetur repræſentatiuum naturæ communis.

Obiectiones. Sed contra iſtam rationem poteſt ſic argui: Quia ſi vniuerſale eſt tantùm in phantaſmate repræſentatum, non in ſpecie intelligibili, cùm phantaſma ſit corporeum, & organicum, vniuerſale non eſt in intellectu, ſed potiùs in ſenſu.

Præterea, anima ſeparata eſt à corpore & phantaſmate; & per conſequens non poteſt intelligere.

14. Præterea, intellectus ante omnem intellectionem eſt indeterminatiſſimus; oportet igitur quòd determinetur ad intelligendum per aliquid ſibi impreſſum, quod voco ſpeciem.

Reſponſiones. Ad primum iſtorum dicendum, ſecundùm iſtos, quòd vniuerſale accipitur aliquando pro intentione ſecunda, quæ ſequitur operationem primam intellectus, quâ intelligitur quiditas abſolutè, & hoc eſt, quando intellectus conſiderans iſtam quiditatem eſſe prædicabilem de pluribus, attribuit ſibi rationem ſpeciei, vel generis; & iſto modo eſt in intellectu tanquam aliquid factum per operationem intellectus: vnde de tali dicit Themiſtius *primo de Anima*, quòd intellectus eſt, qui facit vniuerſalitatem in rebus, & Ariſtoteles 1. *de Anima*, *quòd vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt*. *Vniuerſale quomodo ſit per intellectum.* Aliquando autem Vniuerſale accipitur pro re ſubiecta intentioni ſecundæ, id eſt, pro quiditate rei abſoluta, quæ quantum eſt de ſe, nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis, ſed de ſe eſt indifferens; & tale eſt obiectum intellectus directum; non autem eſt in intellectu ſubiectiuè, ſed tantùm obiectiuè.

Ad ſecundum. Ad aliud dicunt aliqui, quòd anima ſeparata intelligit per ſpecies ſibi influxas à Deo. Vel poteſt dici, quòd ad præſentiam obiecti per ſuum actum obiectiuum elicit ſuam intellectionem, & poſt vnam intellectionem relinquitur ſibi habitus per virtutem illius actus; qui habitus habet inclinare potentiam ad intelligendum aliàs eandem rem, & ipſam repræſentare, ſicut poſſet ſpecies impreſſa.

Ad aliud, dicendum quòd potentia paſſiua determinatur per aliquid ſibi impreſſum; ſed potentia actiua non, ſed ſolùm per præſentiam obiecti expreſſam, ſicut Sol habet glaciem diſſoluere, non per aliquid ſibi impreſſum, ſed tantùm præſentatâ ſibi glacie. 15. *Ad tertium*

Ad authoritates Philoſophi in contrarium adductas, dicendum quòd cùm dicitur, intellectus eſt locus ſpecierum: per ſpeciem intelligit Philoſophus actum intelligendi, qui eſt vera ſpecies, & eſt ſimilitudo obiecti: nec anima eſt locus ſpecierum ſicut ſubiectum; nec hoc dicit Philoſophus: ſed pro tanto hoc dicitur, quia ſicut locatum continetur in loco, non quidem ſubiectiuè, ita quòd informet locum, ſed tantùm expreſſiuè; ſic in propoſito de ſpecie. Nec etiam dicit Philoſophus, quòd ſpecies lapidis ſit in anima impreſſa, animam informans, ſed expreſſa tantùm obiectiuè, vt dictum eſt. Similiter anima eſt omnia intelligibilia per actum ſciendi, ſicut ſenſitiua per actum ſentiendi. Vnde dicit in eodem libro, quòd idem eſt ſcientia ſecundùm actum rei ſcitæ, ſicut idem ſenſibile in actu, & ſenſus in actu; non autem concludit iſta authoritas, quòd hoc ſit per ſpeciem impreſſam in intellectu. *Ad argumenta in oppoſitum ſupra.* *Anima eſt locus ſpecierum, expreſſiuè.* *Anima eſt omnia intelligibilia, expreſſiuè.*

Ad rationem de reductione, &c. Dicendum, quòd potentia paſſiua reducitur de potentia eſſentiali ad accidentalem per aliquid ſibi impreſſum; non autem potentia actiua, vt dictum eſt, ſed ſufficit ad hoc præſentia obiecti; talis autem potentia eſt intellectus, vt dictum eſt in alia quæſtione de hoc facta: igitur, &c. 16. *Ad rationem in oppoſitum.* *Sup. q. 12. 13.*

Sed poteſt quæri, per quem modum patitur intellectus ab intelligibili; ex quo nihil ſibi ab illo imprimitur. Dicitur, quòd hoc ideò eſt, quia obiectum ſibi præſentatum, & expreſſum per phantaſma, inchoat & excitat potentiam ad intelligendum, quem tamen actum non elicit intellectus virtute propriâ, ſed aliunde excitatur, ſine ſpecie impreſſa. Exemplum de magiſtro excitante intellectum diſcipuli per exempla ſenſibilia, qui non imprimit aliquid in eius intellectu. Exemplum etiam de primo mouente, quod mouet vt amatum, & deſideratum per modum finis allicientis appetitum, propter eius bonitatem, nihil tamen appetitui imprimendo. Tene quam partem volueris; prima tamen videtur verior.

ANNOTATIONES in quæſtionem decimamſeptimam.

CONCLVSIO I.

Dandas eſſe ſpecies intelligibiles.

a RESpondeo, *vna opinio communis eſt*, &c. Hanc opinionem, dandas eſſe ſpecies intelligibiles, fusè probat Doctor 1. d. 3. q. 6. & rationes ibi poſitæ ferè eædem ſunt cum hic adductis. Prima eſt, quòd neceſſarium eſt vniuerſale præſens eſſe intellectui priuſquam intelligat, neque aliter poteſt eſſe præſens, quàm per ſpeciem. Dices cum Henrico *quodlib.* 4. *q.* 7. 8. & *quodl.* 5. *q.* 14. quòd ſufficit phantaſma, contra quod ſit 17.

Secunda

Secunda ratio, quia phantaſma repræſentat ſingulare; ergo non vniuerſale, quod eſt ei oppoſitum, quia idem non poteſt menſurari duabus menſuris diuerſis, & obiecta ſunt menſuræ ſpecierum. Adde ex loco citato in primo, quando vniuerſale intelligitur, quòd tunc phantaſma repræſentat ſingulare, ſecundùm vltimum potentiæ; ſed ſimul & ſemel duo oppoſita repræſentare nequit. Ad exemplum de nocte lucentibus, clariùs illud expedit loco citato in primo; habent illa lucem, & colorem, & hîc in lumine maiori mouet, illâ tunc ſpeciem non effundente, quam tamen effundit nocte, quando aliud lumen debiliter mouet, vel ambo ſuas ſpecies cauſant, etiam in lumine Solis: ſed efficaciùs lumen Solis impedit ne lux illa debilis percipiatur, quomodo impedit ne de die videantur ſtellæ; quæ tamen tunc multiplicant ſuos radios. Si verò teneatur, quòd vna tantùm ſit qualitas ſenſibilis in illis nocte lucentibus, ipſa virtualiter continebit lucem, & colorem, & duo repræſentatiua eorumdem; ita quòd nunqoam idem erit repræſentatiuum vtriuſqoe.

Quare quædam nocte lucent, & videntur die non.

Alij tenent & ſatis probabiliter, & ferè io idem incidunt, quòd res noctu lucentes, vt quercus putrida, ocoli felium, ſquammæ piſcium, de quibus Ariſtoteles 2. *de Anima*, *text.* 72. habent aliquid lucis ſecundùm partes magis perſpicuas, & aliquid coloris ſecundùm partes magis opacas, noctúque videri ſecundùm priores tantùm, eo quòd color tunc noo illuminatur perfectè; interdiu autem color tantùm videtur, quia ſatis illuminatur, lux autem non, quia à Sole offuſcatur. Ita D Thom. *in text.* 72. *citato*. Cummentator, Albert. Thienenſis & alij ibi.

18\. Alij ideò dicunt colorem noctu non videri, & lucem ſic; quia ad hanc videndam, non requiritur illuminatio medij, ſed ad colorem ſic. Conſtat enim quòd oculi felium in magna aula, & obſcura videntur, neque videtur quòd poſſint totam aulam illuminate. Verùm hoc nihil probat, quia diceretur illos ocolos inſtar candelæ paruæ (& idem eſt de lapillis pretioſis) illuminare aulam.

Tertia ratio, quia Intellectus agens eſt actiuus; eſt enim illud *quo eſt omnia facere*. 3. *de Anima*. *text.* 17. & 18. ſed nihil agit in phantaſia, quia noo eſt capax effectus ſpiritualis: ergo in intellectu poſſibili, in quo nihil aliod producere poteſt niſi ſpeciem.

Dices producere vniuerſale relucens in phantaſmate; quia hoc eſt eſſe diminutom, ſicut repræſentatio. Contrà, actio realis petit terminom realem: ergo agens facit aliquid reale repræſentatiuum vniuerſalis; hoc autem non eſt phantaſma, vt oſtenſum eſt; ergo.

19\. *Inferius non poteſt adæquatè repræſentare ſuperius.*

Quarta ratio, quia magis vniuerſale, non poteſt repræſentari ſecundùm ſuam vniuerſalitatem ad omnia contenta in eo, per ſpeciem obiecti particularis, vel minùs vniuerſalis: ergo per aliam ſibi propriam. Antecedens patet, quia ſuperius non poteſt repræſentari adæquatè per partem ſubiectiuam: ergo nunquam concipitur vniuerſale, vt tale, in phantaſmate. Hiſce rationibus probatur dari ſpeciem intelligibilem ratione vniuerſalitatis obiecti; primò ex parte phantaſmatis; ſecundò ex actione intellectus agentis. Tertiò, ex parte magis vniuerſalis. de quibus fuſiùs Doctor 1. *d.* 3. *q.* 6.

Vltima ratio, quia intellectus habet operationem ſeparabilem à corpore, aliàs non poſſet eſſe ſine corpore, ſecundùm Phil. 1. *de Anima*, *text.* 12. 13. ergo intelligere poteſt ſine phantaſmate; ergo per ſpeciem. Pro eadem adducit Scotus 1. *d.* 3. *q.* 6. *art. num.* 3. varia loca Philoſophi, & Auguſt. 12. *Trin. cap.* 14. & *lib.* 13. *cap.* 4. & *lib.* 15. *cap.* 7. & 21. quibus adde loca, & rationes ad oppoſitum adductas Concluſio harum rationum, nempe dandas eſſe ſpecies intelligibiles, eſt communis Philoſophorum, & Theologorum, Alenſ. 2. *part. q.* 24. *memb.* 2. 3. D Bunau. 2. *d.* 3. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Richard. *art.* 5. *quæſt.* 2. D. Thom. 1. *part. q.* 55. *art.* 5. Albert. 2. *d.* 3. *art.* 15. Scoti 1. *d.* 3. *q.* 6. Sed hic problematicus eſt, licèt communem opinionem veriorem putet, vt conſtat ex vltimis verbis huius quæſtionis.

Conclvsio II.

Nec ſpeciem, nec actum intelligendi fieri à phantaſmate.

b *Alia opinio eſt, quòd nulla ſpecies*, &c. Refutat clarè, & efficaciter opinionem quorundam, tenentium ſpeciem intelligibilem, vel actum intelligendi fieri à phantaſmate, vel obiecto extrinſeco; quæ ex parte eſt Goffr. *quodlib.* 6. *quæſt.* 7. & *quodlib.* 8. *q.* 2. vbi negat actum intelligendi effici ab intellectu, ſed à phaotaſmate. Ratio huius eſt; quia tam phantaſma, quàm obiectum extrinſecum, imperfectiora ſunt ſpecie & actu intelligendi; quia hæc ſunt ſpiritoalia, illa corporalia. Neque dici poteſt, quòd in virtute intellectus agentis efficiat effectus ſe perfectiores: tum quia intellectus agens nihil producit in phantaſmate, vel obiecto; tum etiam, quia contra hoc procedunt validæ rationes Scoti 4. *d.* 14. *q.* 1. quibus probat accidens non producere ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ. 20.

Variæ ſententiæ, an phantaſma concurrat ad ſpeciem intelligibilem.

c *Alij dicunt ad rationem prædictam, quòd intellectus*, &c Hîc tangitur controuerſia, an phantaſma immediatè concauſet ſpeciem intelligibilem ſimul cum intellectu agente. Prima ſententia eſt, omnes ſenſus internos concurrere, & agere in poſſibilem; ſicut & omnes externi in ſenſum communem, ita Apollinaris 3. *de Anima*, *q.* 6. & videtur D. Thom. *q.* 18. *de Verit. art.* 9. conſentiunt Conimbr. 1. *Phyſic. cap.* 1. *quæſt.* 5. Sed tenent tantùm phantaſiam ſic concurrere 3. *de Anima*, *c.* 5. *q* 6 cum Caiet. 1. *p. q.* 79. *art.* 3. & *q.* 85. *art.* 1. quia dignitatis ordo poſtulat, vt potentia propinquior dignitate, tantùm concurrat cum intellectu Verùm ſi teneatur plures eſſe ſenſus internos, videtur idem quoad hoc, de omnibus iudicium: quia omnes ſubminiſtrãt immediatè intellectui, & non impediuntur ſitu ne eum eo concurrant. Verius tamen eſt, vnicum tantùm eſſe ſenſum internum, qui variis vocatur nominibus, propter varia eius munia. de quo dixi *annot.* 2. *ad q.* 9. 21.

Secunda ſententia eſt Platonis *in Menone*, & Auic. 6. *Natur. p.* 5. *c.* 6 7. ſpecies intelligibiles defluere in animam à ſubſtantiis ſeparatis, vel ideis, quem errorem refutat D. Thom. 1. *part. q.* 84 *art.* 2. quia ex eo ſequeretur, quòd cæcus natus poſſet videre colores.

Tertia ſententia & communior, phantaſma concurrere actiuè ad ſpeciem intelligibilem.

Ita D. Thom. *de Ver. quæst.* 10. *art.* 6. *&* 2. *contr. Gent. cap.* 77. *vbi* Soncin. 7. *Met. quæst.* 12. Ferrar. 3. *de Anima, quæst.* 13. Capreol. 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *artic.* 3. Caiet. 1. *part. quæst.* 55. *art.* 2. *&* 3. *de Anima, cap.* 2. Apollin. 3. *de Anima, quæst.* 6. Thienen. *cap.* 5. Iandun. *quæst.* 15. Ægid. *quodl.* 5. *quæst.* 21. Conimbr. 3. *de Anima, c.* 5. *quæst.* 6. *qui pro eadem citant* Scotum 1. *d.* 3. *quæst.* 8. *& quodlib.* 8. *artic.* 1. An autem concurrant vt causa principalis, vel instrumentalis, non omnes conueniunt; communis tamen instrumentalem ponit, teste Suar. 4. *de Anima, cap.* 2. qui ferè omnes citatos hoc sensu adducit, & D. Thom. *d. art.* 1. ita habet expresse. Modus explicandi est, quòd intellectus agens coniungitur phantasmati contactu virtuali; eique virtutem tribuit ad efficiendam speciem; & hoc sensu dicitur illuminare phantasma. Alium modum singularem Caietani postea ponam. Probatur hęc, primò, quia prærequiritur phantasma ad speciei productionem: ergo vt eius causa; quia non vt conditio. Secundò, alioquin non est quare assimiletur species phantasmati.

An phantasma sit causa instrumentalis speciei.

22\. Contra hanc, primò, quia instrumentum inferioris ordinis, non potest naturaliter attingere effectum superioris ordinis; quia etiam quomodo hoc fieri posset de absoluta Dei potentia, difficillimum est explicatu. Vnde August. 12. *super Gen. ad lit.* 16. *Non est putandum aliquid agere corpus in spiritum, tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subdatur, omni enim modo præstantior est qui facit, eâ re de qua facit.* Ideò Scotus 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. negat ignem inferni Physicè cremare spiritus: & alios circa hoc, explicandi modos, excogitat. Secundò, per eleuationem, vel illuminationem phantasmatis per intellectum agentem, nihil ponitur in eo; quia intellectus nequit efficere, nisi spirituale, cuius phantasma est incapax; ergo quoad illam eleuationem nil efficit. Tertiò, ex D. Thom. 1. *part. quæst.* 45. *art.* 5. instrumentum semper assumitur ad agendum, mediante aliquâ actione sibi propriâ, & connaturali, prout in instrumentis naturalibus inductione patet; at res materialis ex se nihil potest circa spiritum. Hanc rationem adduco, quia ad citatos Thomistas valere potest. Caiet. 1. *part. quæst.* 79. *art.* 3. dicit intellectum agentem illuminare phantasma, non formaliter producendo lumen in eo, quia est incapax luminis spiritualis; sed obiectiuè assistendo ei extrinsecè; & sic facit vt in eo appareat quiditas sine conditionibus indiuiduantibus, & phantasma dicto modo illuminatum producere potest speciem.

Reijcitur, dicta sententia.

23\. Eundem modum tenet Iauellus 3. *de Anima, quæst.* 3. sed figmentum merum est iste modus, quia, cùm per illam illuminationem phantasma maneat omninò immutatum, nihil potest modò, quod non poterat priùs. Præterea, illa intrinsecus obiectiua illuminatio, seu assistentia, si est actio realis, erit productio speciei, vel intellectionis; quia intellectus non habet alias actiones reales, sed constat neutrum horum esse: si non est actio realis, illuminatio est merè fictitia.

Reijcitur Caietani modus.

In hac quæstione conuenitur, quòd intellectus agens non facit speciem, nisi prædeterminetur a phantasmate. Patet experientiâ, & ideò dixit Philosophus oportere intelligentem phantasmata speculari; quod verum est, tam in acquisitione specierum, quàm in earum vsu, de quo postea q. 18. Ratio est, quia intellectus agens indifferens est ad has, vel illas species: nec est à quo determinetur, nisi phantasma. Et si quæras an à phantasmate impresso, vel expresso. Respondetur, ab expresso, quia phantasma non determinat intellectum, siue concurrat cum eo, siue non, nisi operando, seu phantasiando.

Quare oportet intelligentem phantasmata rimari? &c.

Conclusio II.

Phantasma non concurrit actiuè ad speciem intelligibilem.

Propter quinque rationes hîc adductas à Doctore, quæ sunt claræ & efficaces, & duas quas adduxi contra illam sententiam communem, videtur verius, phantasma Physicè effectiuè non concurrere ad speciem intelligibilem; tum quia est ad eam efficiendam improportionatum, tum etiam quia intellectus agens est sufficientissima eius causa, continens eam in sua virtute; & ideò non est recurrendum ad aliam causam, maximè, cùm inde occurrant grauissimæ difficultates, vt tactum est. Rationes autem adductæ contra concursum instrumentalem, fortiùs improbant concursum causæ principalis, cùm in hunc maior proportio requiratur ad effectum, quàm in illa. 24.

Phantasma non concurrere physicè ad speciem intelligibilem.

Conclusio III.

Phantasma determinat intellectum materialiter & exemplariter, & explicatur quomodo.

Dicendum ergo, quòd phantasma determinat intellectum materialiter, & exemplariter, eo quòd præbet ei materiam, seu exemplar, ad efficiendum speciem intelligibilem; cùm enim anima per imaginationem cognoscit rem aliquam, sumit materiam, seu inde excitatur, vt per vim spiritualem, id est, intellectum agentem, eandem rem depingat in possibili, producendo in eo speciem; ad hoc autem sufficit radicatio potentiarum in eadem anima, sine influxu vnius potentiæ in aliam, quomodo appetitus sensitiuus est causa totalis sui actus, requirens tamen præsuppositiuè actum sensus externi. Magis oppositum est exemplum de speciebus externis, & internis; sensus enim internus non recipit speciem, nisi externo sensu cognoscente, & eo recipit meliores, quo ille exactiùs sentit; tamen sensus externus non imprimit speciem internam, alioquin contra communem poneremus sensum agentem; imprimitur ergo ab ipsa sensatione externa immediatè, (quia non est dare aliud à quo imprimatur) sicut species externa imprimitur ab obiecto externo. Si autem teneatur cum quibusdam, dari sensum agentem; internus sine concursu externi, agit suam speciem, præsupponendo tamen operationem sensus externi; & sic intellectus agit suam speciem, supponendo operationem phantasiæ, sine eius concursu. 25.

Quomodo phantasma determinat intellectum.

Neque hæc resolutio videtur esse contra Scotum, licèt enim dicat 1. *dist.* 3. *quæst.* 8. quòd intellectus cum phantasmate integrant vnam causam totalem speciei, & quòd intellectus est causa principalior; id commodè intelligi potest, sensu à nobis explicato; quia phantasma concurrit determinando per modum exemplaris, & excitando intellectum vt suum effectum producat; non autem influendo immediatè in illum. Quod verò id intendat, colligi videtur ex ipso

Quid Scotus sentit de concursu phantasmatis ad speciem.

quodl. 8.

quodl.8.art.1. vbi dicit *intellectum agentem & phantasma esse causas partiales speciei, secundum aliquos:* quæ vltima verba non poneret, si ipse ita sentiret.

26. Præterea, hæc pars negans actiuitatem phantasmati respectu speciei, est conformis sententiæ Scoti, quâ fusè 4. *d.1. quæst.5.* probat, contra D.Thomam, Sacramentum non posse eleuari, vt causet instrumentaliter Physicè gratiam, propter improportionem materialis causæ ad spiritualem effectum. Verùm hoc non multùm viget, nec in eo se fundat præcipuè Doctor, quia 2.*d.3. quæst.10 ad 2.& quæst.11.ad 2.* tenet corpus, vt causam minùs principalem agere in spiritum, vt comproducendo speciem in intellectu Angeli.

Ad rationes pro sententia communiori suprà adductas. Ad primam, patet quare requiritur phantasiatio ad speciei productionem, siue eo quòd concurrat ad eam, id enim prouenit ex subordinatione potentiarum. Ad secundam assimilatur species phantasmati, quia ad eius exemplar intellectus agens eam efficit, neque assimilatio arguit efficientiam eius cui res assimilatur, sicut nec dissimilatio non efficientiam; alioquin intellectus agens non efficeret speciem, quia minùs assimilatur ei quàm phantasmati, & tamen secundùm illam sententiam communem, est causa magis principalis speciei, & phantasma tantùm instrumentalis, vel minùs principalis.

DVBIVM.

Quarum rerum species efficere potest intellectus agens.

27. Dubium hoc locum habet, siue phantasma concurrat, siue non ad productionem speciei. Respondetur primò, omnium quantitatum corporalium species potest anima acquirere. Ratio est, quia sub sensum cadunt, siue emittant speciem propriam, siue non: de quo dixi *ad q.6. annot.2.*

Actio, passio, situs, quando, vbi, an habeant proprias species?

Secundò, idem est de qualitatibus sensibilibus; quia hæc cognoscuntur per sensum, & per species proprias, sunt enim propria sensibilia. Tertiò, idem dicendum puto de actionibus, & passionibus externis, ac etiam de *quando*, & situ, quia hæc sunt sensibilia communia, vel redeuntur ad ea; & experientiâ patet à sensu percipi, quod explicui *ad q.6.*

An relationes habeant species?

Maior difficultas est de relationibus, an habeantur propriè earum species. Affirmant Conimbric.3.*de Anima, cap.5. quæst.5.* saltem quoad multas relationes, quia phantasia cognoscit relationem amicitiæ, odij, &c. Oppositum fortè verius, & ratio est opposita, quia sensus non cognoscit relationes, sed tantùm earum fundamenta; sub nullum enim sensum externum cadunt, quia non sunt quanta; neque internus cognoscit, quod omnes externus effugit. Vide quæ dixi *ad quæst.8. in fine*; sed improbabile non est speciem aliquam imprimi sensui communi, vel phantasiæ, quia cognoscit fundamentum illius alterius relationis odij; esto id in nullo sensu externo fuerit, quia ipsa potentia ex sensatis elicit insensatam speciem. de quo dixi *q.9.num.12.* Vide dicta *ad q.8 fin.*

A quo causantur species generum & magis vniuersalium?

De speciebus intelligibilibus generum, & conceptuum vniuersaliorum, quidam tenent quòd ab intellectu possibili cum phantasmate fiunt. Ita Conimbric.citati. Probant, quia intellectus agens cum phantasmate efficiunt imaginem speciei specialissimæ, quia causa naturalis non impedita, primò elicit perfectissimum effectum, quem potest (quam rationem sumpserunt ex Scoto 1.*d.3.quæst.2.num.23.* de qua etiam fuse actum est *quæst præced.*) hâc autem productâ non possunt producere alias species, quia *idem manens idem semper facit idem*, 3.*Physic. cap.6.text.53.* Hanc sententiam asserunt esse communem, neminem tamen pro ea referunt.

Oppositum tenendum est cum Scoto *loc.citat. num.18.* Primò, quia Philosophus 3. *de Anima, cap.5.* & passim, ponit munus intellectus agentis esse facere intelligibile potentiâ, intelligibile actu, per productionem speciei eius; quod post eum tenet communis. Secundò, possibilis hac ratione erit agens, & tamen dubium est an sit actiuus, etiam respectu intellectionis: de quo fusè Scotus *quodlib.15.art.1.* vbi in hoc problematicus manet. Tertiò, si valeret ratio adducta, sequeretur quòd intellectus possibilia tantùm eliceret speciem generis infimi, *quia idem manens idem*, &c. Et species graduum superiorum à neutro intellectu fierent, ac per consequens non darentur omnino. 28.

Intellectus agens elicit species intelligibiles quascumque.

Ad rationem ergo, dico quòd non manent intellectus agens, & phantasia eodem modo post elicitam speciem naturæ specificæ, ac antea, quia iam disposita sunt ad alia imperfectiora repræsentanda; phantasma enim ordine quodam mouet animum ad omnium graduum species, & primò ad perfectiores, quibus elicitis, mouet ad imperfectiores; sicut in opposita sententia D.Thomæ de qua latè egi *quæst. præcedenti*, intellectus agens, & phantasma non possunt repræsentare gradus inferiores, donec priùs repræsentent vniuersaliores, quibus repræsentatis, possunt repræsentare inferiores, non antè; quod tamen falsum esset, si ista ratio valeret: quam etiam responsionem Conimbricenses dabant ad rationem eis obiectam de gradibus superioribus, genere infimo, vel negabant horum dari species, quod est absurdum; quia quod probat dari speciem animalis, idem probat de corpore, & substantia.

DVBIVM ALTERVM.

Vtrùm intellectus efficere possit species proprias substantiarum corporearum?

Affirmant communiter Thomistæ, vt videre est in Soncin.7. *Met.q.13. & 14.* & Iauello *q.3.* quos sequuntur Conimbr.3. *de Anima, cap.5. q.5. art.1.* Habet D.Thom. *de Verit. q.10. art.5. & Opusc.29.* Iandun *lib.1.q.10.* Ferrar.*lib.3.q.3.* Caiet. *3.p.q.76.art.7.* Quatuor vltimi tenēt cogitatiuam exprimere propriam speciem singularis substantiæ. Iauellus, & Soncinas putant intellectum agentem ex eodem accidentis phantasmate, efficere speciem accidentis & substantiæ. 29.

CONCLVSIO IV.

Pro hoc statu nullam habemus speciem propriam substantiæ. 30.

Nullius substantiæ pro nunc habemus proprium conceptum, vel speciem.

Opposita sententia verior est, nempe intellectum nostrum pro hoc statu, nullam habere speciem propriam, vel proprium conceptum substantiæ

ſubſtantiæ, vel aliarum rerum, quæ per ſenon ſunt ſenſibiles. Ita Scotus 1. *diſt.3. quæſt.3. num.9. & d.12.quæſt.1.num.2.& quæſt.1.Prol.num.11.* Rich. *3 diſt.24.quæſt.3.circa 3. principale.* Heruæus *quodl. 3 art.3. a 11. ad* 4. omnes Scotiſtæ, quos ſequitur Suar. *lib.4.de Anima, cap.4.*

Pro explicatione, nota conceptum dici proprium dupliciter. Primò, ita quòd huic rei, & non alijs conueniat; & hoc ſenſu habemus etiam de Deo conceptum proprium, ſcilicet entis infiniti, ſummè boni, &c. de quo Scotus *d.3. quæſt.2.num.17.* Secundò, dicitur proprius, quando ab ipſa re immediatè, vel ab eius propria ſimilitudine, abſque negatione, vel analogia, habetur; & hoc ſenſu intelligitur hæc ſententia, ſcilicet quòd res quæ ſub ſenſum cadunt, vt accidentia ſenſibilia, proprijs conceptibus cognoſcũtur, alia verò, eſto materialia ſint, minimè.

Conceptus proprius duplex.

Probatur primò, materialis ſubſtantia, vel eſt materia & forma, vel conſtat ex eis; ſed neutrius habemus conceptum, vel ſpeciem propriam; quia materiam cognoſcimus per analogiam ad materiam artificialium, vel ſubiectum accidẽtium, & formam ex effectibus, & operatione, per ſimilitudinem ad formas accidentales. Secundò, idem eſt de homine, & de alijs ſubſtantijs corporeis iudicium; ſed de homine conſtat non haberi propriam ſpeciem, cùm eius anima ſit ſpiritualis; ſed tantùm per analogiam, & operationes eam cognoſcimus. Antecedens patet, quia experientiâ conſtat non efformari à nobis magis proprium conceptum bouis, quàm hominis.

Quomodo materiam & formam cognoſcamus?

31. Tertiò, experientiâ patet, quòd explicamus ſubſtantiam, per id quod ſubſtat accidentibus, vel per ordinem ad ſenſibilia; ergo non habet propriam ſpeciem, vel conceptum. Quartò ex Scoto *d. illa, quæſt.3.* ſi ſubſtantia immediatè immutaret intellectum noſtrum, eius abſentia cognoſceretur ab eo, & ſic naturaliter ſciret abſentiam panis in Eucharistia. Antecedens fundatur in Philoſopho 2. *de Anima, text.*103. dicente, quòd viſus eſt tenebræ perceptiuus, quando ſcilicet lux non eſt

Viſus percipit tenebras.

Dices, procedere tantùm de cognitione intuitiua, non de abſtractiua; quia hæc ſtat ſine præſentia reali obiecti. Contrà, ſaltem facit contra D. Thomam & alios citatos, aſſerentes cogitatiuam efficere propriam ſpeciem ſingularis ſubſtantiæ, quod neceſſariò intelliguntur de intuitiua; ergo cognoſcet cogitatiua abſentiam panis in ſpeciebus Eucharistiæ. Secundò, cognitio abſtractiua ſupponit realem præſentiam cogniti aliquando habitam, à quo relinquitur ſpecies, per quã poſtea in abſentia cognoſcitur, & qui vidit tantùm hoſtiam conſecratam, non habuit realem præſentiam panis, & tamen eodem modo ſe habet quoad notitiam abſtractiuam panis in Eucharistia, ac alius qui vidit hoſtiam non conſecratam; ergo ratio procedit de vtraque notitia; quia abſtractiua ſupponit intuitiuam, niſi ſpecies abſtractiuæ habeantur per infuſionem, & non per inquiſitionem.

An ſcientia abſtractiua ſupponat intuitiuam?

32. Quintò, nulla cognitio haberi poteſt de ſubſtantia pro hoc ſtatu, niſi mediante accidente ſenſibili, vt paſſim habet Philoſophus: ideò enim oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, vnde qui careret omnibus ſenſibus, nihil intelligere poſſet; ſed accidens tale non poteſt repræſentare diſtinctè, & formaliter ſubſtantiam, alioquin eſſet eius ſpecies intelligibilis, neque virtualiter, vel eminenter, quia ſic non continet ſubſtantiam, & ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci. Ita Scotus 1. *diſt.3 q.2.n.9.* Quà etiam ratione optimè probat 2. *d.3. q.9.* contra D. Thomam, Angelum per ſuam eſſentiam non cognoſcere Deum ex creaturis, medio modo inter cognitionem beatam, & cognitionem noſtram.

Nullum accidens vt cognitum repræſentat adæquatè & diſtinctè ſubſtantiam.

Confirmatur, quia phantaſma accidentis non repræſentat niſi accidens, cuius eſt exemplar; ergo non concurrit niſi ad producendum ſpeciem accidentis. Patet conſequentia, quia eius vis effectiua non plus ſe extendit, quàm vis repræſentatiua.

Ex quibus infertur intellectum noſtrum primò accipere ſpeciem intelligibilem accidentium ſenſibilium, quorum phantaſmata eum determinant. Itaque primò intelligit ſenſibilia propria, & ſecundariò ſenſibilia communia, quæ propriorum notitiam modificant, vt dixi ad *q.6.* poſtea autem non proprio conceptu, ſed confuſo, & communi, vel ex diſcurſu concipit accidentium ſubiectum, videns tranſmutationem accidentium circa illud: verbi gratiâ, nunc calidum eſſe, nunc frigidum, ex quo colligit aliquid ibi eſſe, etſi neſciat quid ſit diſtinctè.

Quo ordine intelligimus ſenſibilia propria, communia, & per accidens?

Infertur ſecundò cum Scoto 1. *d.3. q.3.* cùm quicquid concipimus de ſubſtantia, abſtrahatur à conceptu accidentis, ſi nihil eſſet commune vniuocum vtrique, quòd nullum conceptum quidditatiuum haberemus de ſubſtantia, & ſic conueniunt in ente; & ideò abſtrahendo conceptum entis ab accidente, habemus conceptum quidditatiuum ſubſtantiæ; quia vniuocum, & ipſà ſuperiorem. Simili ratione probat Scotus 1. *d.3. q.2. n.9. 10 & d.8.q.3. num.9.* ſi nihil eſſet vniuocum Deo, & creaturæ, quòd non plus cognoſceremus ex ſapientia quàm concipimus in creaturis, Deum eſſe ſapientem, quàm lapidem. Ratio eſt, quia pro nunc non poſſumus habere conceptum, niſi cauſatum à ſpecie intelligibili eorum, quæ naturaliter nos mouent (& ſunt ſola accidentia ſenſibilia, vt oſtenſum eſt;) ſed hæc tantùm repræſentant ſuum obiectum proprium, & quæ eſſentialiter, vel virtualiter continentur in eo; ergo ſi nihil eiuſdem rationis vniuocæ eſt in Deo, & creaturis, ex attributis, vt ſapientia cognita in creaturis, quomodocumque cognoſcatur, ſiue per propriam ſpeciem, ſiue non, nõ poſſumus intelligere ſapientiam in Deo, pluſquam rationem lapidis, quia ſi præcisè admittatur attributio analogi conceptus ad conceptum, poteſt formaliter lapis tribui ad aliquid in Deo, vt ad ſuam ideam; & ſic tantùm tribuitur ſapientia, ſi negetur vniuocatio entis Deo, & creaturis. 33.

Sola ſenſibilia pro nunc nos mouent ad intellectionem.

Quomodo Deum pro nunc intelligimus?

Soluuntur obiectiones contra allatam ſententiam.

Obijcitur primò, quia ſubſtantia eſt prior cognitione accidente. 7. *Met.text.*4. ergo eius cognitio non habetur ex cognitione accidentium. Secundò accidentia non poſſunt concipi, niſi in ordine ad ſubſtantiam; ergo hæc prius concipitur. Tertiò, ſubſtantiam cognoſci vt ſubiectum, eſt eam cognoſci relatiuè; ergo ſupponit eius cognitionem abſolutam. Quartò, ſequeretur ſubſtantiam non cognoſci à nobis quidditatiuè, nec prædicata eius quidditatiua diſcerni ab accidentibus; conſequens eſt falſum; quia cognoſcitur homo animal rationale, &c. 34.

Ad

Quomodo cognitio accidentis, est prior, & posterior cognitione substantiæ?

Ad primum, substantia secundùm se, est prior cognitione accidente, quia perfectior, non tamen quoad nos. Secundò, est etiam prior cognitione distinctâ, quia accidens pendet ab illa in *esse*, sed hoc est prius cognitione confusâ, quia priùs sensibus obiicitur; & habitâ hac cognitione confusâ accidentium, deuenitur ad cognitionem distinctam substantiæ, quo modo pro nunc haberi potest. Ad secundum, negatur antecedens, cùm non sint relatiua respectu substantiæ; sed eo concesso, sufficit quòd concipiatur substantia conceptu confuso, non distincto. Ad tertium, illa relatiua cognitio supponit absolutam, non distinctam, sed confusam. Ad quartum, tantùm habemus cognitionem quiditatiuam confusam de substantia, eiúsque prædicatis essentialibus: cognoscitur à posteriori à nobis per effectus, & accidentia, & ex diuersis effectibus, & proprietatibus, & accidentibus deuenimus ad formandum diuersos conceptus de his, & illis substantiis, imponimúsque eis diuersa nomina; & his conceptibus vtimur, vt quiditatiuis, etsi tales propriè non sint, quia non possumus alios magis proprios, vel essentialiores de eis habere: dicuntur autem quiditatiui, quia non sunt accidentales illis substantiis, quo sensu Scotus 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *num.* 5. contra Henricum probat nos habere conceptum quiditatiuum de Deo, vt distinguitur scilicet ab attributali conceptu, cuiusmodi est conceptus summi boni, iusti, &c.

Ex accidentibus quomodo cognoscimus substantiam?

CONCLVSIO V.

Probabiliter non sunt necessariæ species intelligibiles.

35. PRæterea, *ostendo quòd non requiritur species*, &c. Tuetur problematicè non esse necessarias species intelligibiles; & probat quatuor rationibus; sed in fine tenet resolutiuè sententiam ponentem species, esse veriorem, quam absolutè tenet, & fusè probat 1. *d.* 3. *quæst.* 6. sed species in vniuersum negant, Dur., Bacon. Goffred. Henricus, citati *ad quæst.* 24. *annot.* 1. idem asserunt Piccolomineus *lib. de Humana mente*, *cap.* 7. Zabarella *lib. de speciebus intellig. cap* 5. Buccaferreus 3. *de Anima*, *lect.* 22. quos citat Philip. Faber *Theorem.* 79. vbi minùs verè dicit ferè omnes recentiores hanc sententiam tueri, cùm oppositum ferè omnes recentiores teneant, vt videre est in Conimbr. 3. *de Anima*, *cap.* 5. *quæst.* 3. *de Anima*, *cap.* 1. Tolet. 3. *de Anima*, *quæst.* 21. Hurtado *de Anima*, *disput.* 12. *sect.* 1. & expositoribus D. Thom. 1. *par. quæst.* 84. *art.* 1. & 2.

Species intelligibilis, quid, & quare sic dicta?

Pro intelligentia huius sententiæ, aduertendum, quòd species intelligibilis est imago repræsentans rem intelligibilem. Dicitur intelligibilis, quia ab intellectu fit, phantasiâ aliquo modo concurrente, vt suprà dictum est. Dicitur impressa, quia ante intellectionem, in intellectum possibilem imprimitur, manétque in eo, actu transacto. Hæc ergo sententia negat talem speciem esse necessariam, sed sufficere vult ipsum phantasma; quia hoc sufficienter repræsentat intellectui obiectum intelligibile, ita vt possit immediatè elicere intellectionem sine vlla specie media, sed ipsum phantasma vocat speciem, quia illuminatum ab intellectu agente, repræsentat obiectum intelligibile. Vocat etiam expressam, quia non imprimitur, nec remanet in intellectu, sed tantùm exprimit, & repræsentat. Alij vocant ipsam intellectionem speciem intelligibilem, & impressam, quia verè imprimitur. Non negat ista sententia species Angelo, neque animæ separatæ; quia in his phantasma non est, quo intelligibilia repræsentari possint; & ideò aliquid aliud in eis ponendum est.

Fundamentum est, præter rationes quas hîc adducit Scotus, aliásque multas à citatis Doctoribus allatas, quòd entia non sunt multiplicanda sine necessitate, vt tenet Philosophus 1. *Physicor. text.* 50. & 3. *de Anima*, *text.* 60 & 3. *Physic. text.* 48. quibus locis dicit, quòd natura nihil facit frustra, atque paucitatem esse semper ponendam, si sufficiat. Quòd verò hîc non sint necessariæ species, patet, soluendo rationes, quæ pro earum necessitate adducuntur. Sed hoc opus, hic labor est, neque vllum reperio qui id præstiterit; quia tamen Scotus ponit hanc problematicè, etsi veriorem putet esse communem, satagam aliqualiter soluere præcipua argumenta communis sententiæ, quæ sunt vrgentissima, vt videre est in Scoto *hic*, & fusiùs 1. *d.* 3. *quæst.* 6.

Paucitas semper ponenda si sufficit.

Soluuntur argumenta, quibus Scotus suprà post primam resolutionem, probat dari species intelligibiles.

36. Ad primum. Respondetur, quòd natura, quæ est vniuersalis, repræsentatur per phantasma, quia illa natura de se, nec est vniuersalis, nec singularis, sed indifferens; vt habet Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 1. Hoc sensu vniuersale sumitur pro prima intentione, seu quiditate, cui attribuitur secunda intentio speciei, generis, &c. éstque obiectum directum intellectus, & non est in intellectu subiectiuè, sed obiectiuè tantùm: quando autem intellectus considerat talem quiditatem esse dicibilem de pluribus, & tribuit ei secundam intentionem generis, vel speciei, &c. Tunc vniuersale hoc modo sumptum, est in ipso intellectu etiam subiectiuè, tanquam quid factum per eius operationem; quæ solutio habetur ex Scoto, ad primum contra hanc sententiam negantem species.

Natura non est de se vniuersalis, nec singularis.

Ad secundum. Respondetur, intellectum agentem elicere ipsam intellectionem in possibili, de quo latè Scotus *quodl.* 15. vbi problematicus est, an agens, vel possibilis intellectionem eliciat. Elicit etiam agens speciem intelligibilem in Angelo, & anima separata, in quibus non sunt phantasmata; sed in anima coniuncta id non est necesse, cùm phantasmata sufficienter excitent, & determinent eum ad intellectionem immediatè.

Verùm intellectus agens elicit intellectionem?

Ad tertium, patet ex solutione ad primum; quia phantasma repræsentat quiditatem absolutam primæ intentionis. Ratio autem maioris, vel minoris vniuersalitatis, est secunda intentio, quæ sequitur ad illam intellectionem absolutam quiditatis; & hæc est in intellectu subiectiuè, tanquam eius effectus, ad quam non opus est specie intelligibili præcedente; sed sufficit solum phantasma ad vniuersaliora, sicut & ad infimam speciem repræsentandam, quoad quiditatem absolutam; quia sicut natura non est de se vniuersalis, ita nec est de se magis, vel minùs vniuersalis.

37. Ad quartum, iam dixi animam separatam, & Angelum posse habere operationes; quia possunt habere

Angeli species abstrahunt.

habere operationes; quia possunt abstrahere species, quæ ipsis sunt necessariæ, cum careant phantasmatibus. Quòd verò Angeli species abstrahant, probat benè Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 11. & idem ostendit de Anima, 4 *d.* 45. *quæst.* 6.

Ad quintum, quod est apud Doctorem ad oppositum, respondetur ex ipso hîc paulò ante finem, non requiri aliquid impressum in potentiam, vt de essentiali fiat accidentalis, si est potentia actiua; sed id locum tantùm habet in potentia passiua; intellectus autem est potentia actiua *ex quæst.* 12. & sufficit phantasma, vt exeat in actum.

Ad sextum, ex Philosopho, quòd anima est locus specierum, 3. *de Anima, text.* 6. *& text.* 37. & omnia intelligibilia *ibidem*. Respondetur, ex eodem *ibidem*, esse omnia intelligibilia per actus intelligendi, & esse locum specierum, non subiectiuè; quia sic locatum non est in loco, sed expressiuè; & sic phantasmata exprimunt intelligibilia, & dicuntur species, vt dictum est. Præterea, locus hic videtur ad oppositum; quia ibi dicit Philosophus animam esse locum specierum, non totam, sed intellectiuam; quia constat species esse in sensu; ergo intendit species esse in intellectu vt in loco, non autem vt in subiecto; quia è contra sunt in sensu, scilicet vt in subiecto, non vt in loco; quia eas non seruat; si ergo in intellectu non sunt, vt in subiecto, erunt tantùm phantasmata. Præterea, dicit ibi, quòd *speculamur quod quid est, in phantasmatibus*, & non dicit in speciebus. *Text. 2. & 29.*

38. *An detur memoria, si negentur species?* Septimum argumentum, & satis difficile habet Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. *num* 14. quòd sequeretur, non dari memoriam, nec nos recordari posse præteritorum: quia sine speciebus id nequit fieri; consequens est falsum, vt probat fusè Scotus 4. *d.* 45. *quæst.* 3. & quia anima separata recordatur præteritorum. Præterea, est contra August. ibi à Scoto citatum. Respondetur, dici potest, sicut intelligimus pro hoc statu, per sola phantasmata dum intelligimus; ita & dum recordamur. Quod experientiâ constat, & tenet Scotus 4. *d.* 45. *quæst.* 3. & licèt hoc difficile sit explicatu, tamen eadem difficultas videtur esse in ipso actu sciendi, ad quem si sufficit phantasma sine specie, videtur sufficere ad actum memoriæ. Loquendo de anima separata, dici potest quòd accipit species recordatiuas præteritorum à Deo; quod facilè videtur in opinione D. Thom. 1. *par. quæst.* 89. *art.* 1. *& quæst.* 55. *art.* 2. negantis animam separatam, vel Angelum, posse acquirere vllam speciem, sed accipere eas à Deo; & licèt oppositum vtriusque doceat Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 10. 11. *&* 4. *d.* 45. *quæst.* 2. pro hac opinione problematicè tenenda admitteret probabilitatem illius sententiæ.

Dices, ergo naturaliter Angelos, & anima separata, nullius præteriti recordantur. Respondetur, in illa sententia neque quidquam abstractiuè cognoscunt sine speciebus infusis, tamen has eis naturaliter infundi dicitur, & idem dicendum de speciebus recordatiuis, casu quo aliæ non manerent. Secundò, dici posset quòd in anima, & Angelo ex actibus intelligendi maneret habitus, qui postea inclinaret intellectum circa idem obiectum instar speciei impressæ, & sic sufficeret ad actum memoriæ. Ita Scotus *hic ad* 2. *An anima vel Angelus, recordentur præteritorum?*

39. Contra hanc sententiam, quòd sicut non potest probari, ita nec facilè improbari: iuuata hæc explicari potest August. quem etiam hæc sententia pro se adducit 15. *Trinit.* 10 *&* 24. vbi dicit verbum gigni non ea specie, sed ex habitu, & *cap.* 2. *&* 18. ait verbum gigni ea scientia, quæ manet in anima.

Octauum argumentum, (sed non est Scoti) dantur species sensibiles, sine quibus sensus nequit cognoscere sensibilia; ergo idem de intelligibilibus speciebus. R. Buccaferreus *lib.* 3. *de Anima*, Picolomineus 3. *de Humana mente cap.* 8. Zabarel. *lib. de spec. intellig. cap.* 5. negant dari species sensibiles; quam sententiam tenere videntur Caiet. 2. *de Anima*, *c.* 5. Niphus *lib. de sensu contra Iandunum*, Ioan. de Ripa *apud Capr.* 3. *d.* 14. *quæst.* 2. *&* Gabr. *ibi quæst.* 1. & alij, qui sustinent actum cognoscendi non distingui à specie, pro qua faciunt multa loca Philosophi 2. *de Anima, text.* 118 *sentire est quoddam pati*, *& text.* 138. 139 140. ait eandem esse actionem sensibilis, & sensus, & *lib. de Sensu, & Sensat.* damnat Democritum dicentem visionem fieri per species visibiles. Eandem tenet Galen. 7. *de decret. &* Hippocr. 16. Dur. 2 *d.* 3. *quæst.* 6. Occam 2. *quæst.* 17. 18. *vbi* Gabr. *quodl.* 1. Greg. 1. *d.* 3. *quæst.* 1 *&* 2. *d.* 7 *quæst.* 3. qui putant satis esse si obiecta intra debitam sint distantiam, vt sensus ferantur in ea. Quam etiam sententiam partim tenent asserentes visionem fieri emissis ab oculo radiis, non per aliquid in eo receptum. Plato *in Timæo*, Seneca *lib.* 1. *Nat. Quæst.* Lactant. *lib. de Opific. Dei*, *cap.* 8. & alij, quos citant Conimbr. 2. *de Anima*, *cap* 7. *quæst.* 4. *Qui negant species sensibiles quæ volunt actum cognoscendi esse ipsam speciem?*

Conclvsio VI. incidens.

Dantur species sensibiles: Visio non fit per extramissionem.

VErius tamen est dari species sensibiles. Ita Aristoteles *de Sens. & Sensib. cap.* 2. *&* 2. *de Anima*, *text.* 121. 124. vbi dicit sensum accipere formas (id est, species) absque materia; de quo suprà *quæst.* 5. & aliàs passim. Idem habent Anselm. *in Monol. cap* 26. Damasc *lib.* 2. *cap.* 10. August. 10. *Confess.* 10. *&* 25. Alens. 2. *par.* à *quæst.* 11. D. Thom. 1. *par. quæst.* 53 *art.* 1. D. Bon. 2. *d.* 3. *art.* 4. *quæst.* 1. Ric. *quæst.* 3. Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 7. *num.* 16. *&* 18. *& quæst.* 6. *num.* 18. *&* 2. *d.* 13. & constat ex reflexione speciei visibilis in speculo. Vide Conimbr. 2. *de Anima*, *cap.* 6. *quæst.* 2. & Fabr. *Theorem.* 79. *cap.* 3. Quòd verò visio non fiat per extramissionem, patet; quia non substantiam extramitteret oculus, quod clarum est, neque accidens; quia si aliquod, maximè lumen, ex quo sequeretur, quòd in tenebris videret, immò quòd nullo modo de die videret; quia lumen illud Solis lumine offuscaretur, vt suprà dictum est hac quæstione de lucentibus noctu. 40.

Præterea, visio fieret extra oculum, & sic non esset actio immanens. Quod ergo dicit Philosoph. 3. *Meteor. cap.* 4. *de Antipheronte*, cuius idolum sibi ante oculos apparebat, quia aërem propellere non poterat, ob imbecillitatem; non obstat, quia D. Thom. ibi ait ipsum reddere causam ex sententia communi. Secundò, fortè fuit tam imbecillis visus, quòd in aëre, vt in speculo se videbat, & maximè, si humor aliquis crassus ei defluebat ex oculis, quo aër crassabatur. Vide Conimbr. *suprà quæst.* 5. & Suarez *de Anima*, *cap.* 17. *De aspectu Antipheronte, qui sibi ut speculo videbatur.*

Ad

41. Ad loca Aristotelis in contrarium: sentire est quoddam pati, quia non eliciendo, sed recipiendo sensationem, sentimus, & idem de intelligere. Vide Scot. 1. d. 3. quæst. 6. ad 4. & quæst. 7. num. 37.

Sentire est quoddam pati, exponitur.

Ad secundum: species est actus sensibilis effectiuè, & sensus receptiuè; & sic quoad absolutum, est idem actus. Quomodo autem differat vt actio & passio, dixi suprà *ad quæst. 7.* Ad tertium, ideò reprehendit Democritum, quia dixit visionem esse receptionem speciei, in oculo.

Admissis speciebus sensibilibus, non ideò intelligibiles admittenda.

Sed admissis speciebus sensibilibus, negatur inde dandas esse necessariò intelligibiles, quia sine his per phantasmata determinari potest intellectus ad intelligendum, vt suprà declaratum est; sed sine sensibilibus non est vnde determinetur sensus. Sunt & alia multa apud alios authores pro speciebus argumenta, quibus respondere nimis longum esset, & superfluum, quia allata Doctoris, quibus aliqualiter responsum est, sunt omnium vrgentissima.

Soluuntur argumenta adducta à Scoto § Præterea ostendo quòd non, &c. *num.* 14. *contra sententiam communem ponentem species.*

42. Quoniam sententiam communem tenentem dandas esse species intelligibiles, absolutè tenet Doctor *1. d. quæst. 6. & hîc*, licèt sit problematicus, eandem tamen asserit esse veriorem, æquum est, vt soluamus argumenta adducta contra eam loco citato, quæ Doctor insoluta reliquit.

Qua necessitas ponendi speciem intelligibilem?

Ad primum, non requiritur species, vt potentia reducatur ab essentiali ad accidentalem, sed vt determinetur ad intelligendum; & vt habeat obiectum actu præsens in *esse* repræsentatiuo priùs naturâ, quàm intelligat, & propter alias rationes allatas pro speciebus suprà *à num.* 1. quibus non est ita sufficienter satisfactum, quin hæc pars maneat probabilior oppositâ. Quòd si teneas per habitum scientiæ intellectum constitui in potentia accidentali, erit remota, & incompleta, quæ non differt à potentia essentiali, propriè loquendo.

Ad secundum dictum est suprà *num.* 4. *& seqq.* phantasma nihil agere in intellectu, sed per eius determinationem, excitatur intellectus, vt speciem in se gignat. Dices, non determinat voluntatem producendo aliquid in ea, neque excitando eam ad aliquid in se producendum: ergo idem de intellectu. Negatur consequentia; intellectus mediat inter phantasmatis operationem, & voluntatem, & sic eam determinat ad suum actum, qui eiusdem ordinis spiritualis cum ea; phantasia autem determinat appetitum sensitiuum, quia eiusdem ordinis cum ipso; & hinc patet quare non requiritur species, vel quid simile in appetitu antecedenter ad suum actum, sicut requiritur in potentia cognoscitiua; quia hæc non determinatur ab alia potentia præcedente, appetitus sic. Habetur expressè ex Scoto 2. d. 25. *num.* 20. vbi hac ratione docet obiectum ad volitionem non concurrere, benè tamen ad intellectionem, scilicet mediante suâ specie in abstractiua, vel per se in intuitiua.

Quare in potentia cognoscitiua requiritur aliquid determinans ad actum, non autem in appetitiua?

43. Ad tertium, patet ex iam dictis, phantasma pro hoc statu præit intellectum, eúmque determinat ad suos actus; sed etsi appetitus sensitiuus præeat voluntatem, non determinat eam, sed determinatur à potentia cognoscente ostensiuè, ipsâ se determinante formaliter, & liberè. At si quæras, quare potentia appetitiua dependet à cognoscitiua. Respondetur, quia de se est cæca; sed vltimata responsio, quia hæc est, & illa est illa.

Corporale agit partialiter in spiritum.

Ad quartum, corporale agere potest in spirituale, vt causa partialis, minùs principalis, quomodo corpus concurrit cum intellectu Angeli ad efficiendam speciem intelligibilem in intelligibilem in intellectu ipsius Angeli. Per hæc patet ad locum August. Ad locum Aristotelis *speculamur in phantasmatibus quod quid est*; quia mediantibus illis, abstrahimus species, quibus intelligimus quiditates; & quia phantasiamur singulare, cùm intelligimus vniuersale eius. Vide Scotum ad hæc loca respondentem *1. d. quæst. 6. num.* 19. 20.

Quæstio XVIII.

Vtrùm intellectus noster possit intelligere sine phantasmate?

Aristot. 3. *de Anima, cap.* 7. *text.* 30. *& cap.* 8. *text* 39. Auicen. *in suo compend. de Anima*, Philop 3. *de Anima, text.* 30. Thienens. *text.* 39. Themist. & Simplic. *ibid.* Auerr. *text.* 33. 36. Author operis de diuina sap *lib.* 1. *cap.* 4. Ficinus *lib.* 13. *de immortal animarum, cap.* 14 Albertus 3. *de Anima, tract.* 2. *cap.* 19. D Thom. 3 *par. quæst.* 11. *art.* 4. *&* 2 2. *quæst* 175 *art.* 5. *& de verit. quæst.* 13. *art.* 4 Abulen. *in cap.* 1. *Gen. quæst.* 400. Suarez *tom.* 2. *summ. Theol. tract* 3. *lib* 4 *cap.* 2. *num.* 7. Conimb. 3 *de Anima, cap* 8. *quæst.* 8. *art.* 3. Complut. *disput.* 20. *de Anima, quæst.* 2.

QVIDAM dicunt quòd non, propter istam rationem; quia obiectum intellectus viatoris, qui est corpori coniunctus, est quiditas rei materialis, sicut obiectum substantiæ separatæ, est quiditas separata; sed de natura quiditatis materialis est quòd sit in aliquo singulari, sicut de natura lapidis est quòd sit in hoc lapide. Vnde nequit perfectè eius natura intelligi, vel cognosci, nisi cognoscatur in singulari, cognitio autem singularis pertinet ad sensum exteriorem, & phantasiam; igitur ad hoc, vt perfectè eius natura intelligatur, oportet quòd intelligatur in phantasmate repræsentante eius singulare. 1. *D. Thom. 1. p. q. 84. a. 7.*

Aliæ rationes sumuntur ab experimento; quia experimur intellectum impediri in sua operatione læso organo phantasiæ, vt in phreneticis. Ex hoc potest formari ratio: potentia non organica non impeditur in actu suo, propter læsionem potentiæ organicæ, nisi ad actum suum indigeret actu illius potentiæ organicæ; sed intellectus est potentia non organica, tamen impeditur actu suo, læso organo phantasiæ: igitur ad actum intelligendi requiritur actus phantasiæ.

Præterea, alio experimento: quando aliqua intelligere volumus, formamus nobis idola in phantasia per aliqua exteriora, & tunc faciliùs intelligimus; sicut patet in docente discipulum, proponente exempla sensibilia. Sed sciendum, quòd licèt duæ vltimæ rationes valeant, prima tamen aliquibus non videtur valere; quia supponit quòd quiditas sensibilis tantùm sit obiectum intellectus coniuncti, & quòd de natura eius sit esse in singulari, quæ videtur eis falsa, vt postea apparebit.

De hoc quæstio. seq tractatur, & reiicitur ratio hæc.
D Thom. 1. p. q. 84. a. 9.

RESO

RESOLVTIO.

Sententia Auicennæ in prima intellectione tantùm recursum requirit ad phantasmata reiicitur. Refutatur etiam aliorum sententia, quòd ille recursus requiratur, vt intendatur species impressa.

2. *Opinio Auicennæ, in compendio de Anima. q. præced. n. 34.*

a AVicenna autem ponit, quòd in prima intellectione respectu cuiuslibet, necessarium est phantasma, vt ab ipso quodammodo species imprimatur, vt dictum est suprà; sed quando est impressa, & homo vult postea illud intelligere, non est necessarium phantasma, sed magis est intellectui in onus. Exemplum ponitur de iumento quod est homini necessarium in itinere, sed in termino sibi in onus. Hoc etiam probatur sic: habitis omnibus necessariis ad operationem, statim sequitur operatio; sed actus intelligendi solùm dependet, essentialiter loquendo, ab intellectu, & obiecto, nisi addatur accidentaliter ad intellectum ex parte voluntatis imperantis, sed elicitiuè tantùm dependet à prædictis; per speciem autem intelligibilem obiectum fit præsens intellectui; igitur non est necessarium recurrere ad phantasmata propter actum intelligendi. Propter istam rationem dicunt aliqui, quòd non est necessaria species impressa intellectui ad actum intelligendi; quia ad solam conuersionem intellectus super phantasmata, elicit intellectus actum suum; sed quia transeunte actu, non manet species, ideò est semper necesse recurrere ad phantasmata in quolibet actu intelligendi; & sic dicunt Philosophum intellexisse 1. & 2. *de Anima*, quòd nihil intelligimus sine phantasmate. Sed quia aliis videtur, quòd species impressa intellectui requiritur ad intelligendum, & quòd manet, cessante actu, ideò dicunt quòd fit recursus ad phantasmata, non vt iterum species sibi abstrahatur, quia iam habet, sed vt habita intendatur: dicunt enim aliqui, quòd species in intellectu habet debile esse, & transeunte actu, paulatim remittitur, sicut calida aqua amoto igne tepescit; quia igitur tunc species habet esse incompletum, ideò dicunt quod necesse est intellectum recurrere ad phantasmata, si debeat intelligere, vt species præhabita intendatur.

Quare fit recursus ad phantasmata dum intelligimus?

Opinio, ideò recurri ad phantasmata, vt species intendatur.

3. *Si species intenderetur per actum phantasiæ, intellectus nullum obiectum intelligere posset intellectione ipsi adæquatâ.*

Sed etsi ista via videatur rationalis superficialiter, tamen consideranti subtiliter includit inconuenientia. Primum est, quòd intellectus possit iterare istum recursum in infinitum, sicut potest multiplicare actum intelligendi in infinitum, quantum est de se; sequitur quòd species illa posset intendi in infinitum; & ex hoc sequitur aliud inconueniens, quòd tunc, cùm per speciem magis intensam, magis intelligimus, & meliùs, si species semper potest intendi, semper poterit eadem res à nobis meliùs intelligi; & sic nullam rem quamcumque modicam, & vilem intellectus noster posset intelligere quantum intelligibilis esset; quod videtur inconueniens, cùm sensus, qui est potentia inferior, possit sentire aliquod sensibile inquantum sensibile est.

RESOLVTIO.

Verior sententia, (quam tamen hîc non firmiter asserit Doctor) recursum ad phantasmata in omni huius status intellectione requiri, & hoc ex pœna peccati, de quo 1. d. 3. quæst. 3. num. 24. & 2. d quæst. 8. ad 1. & 1. d. 3. quæst. 6. num. 19. & 4. d. 45. quæst. 1. ad 3. pro opin. & 2. d. 11. quæst. 1.

b IDeò, omissis aliis necessitatibus, dicunt alij, quòd non est contra rationem actus intelligendi intellectus nostri absolutè intelligere sine phantasmate; quia tunc recursus ad phantasmata esset necessarius animæ separatæ, vt dictum est, nec contra rationem eius, vt est corpori vnitus absolutè, quia hoc etiam esset necessarium sibi vnito corpori glorioso post resurrectionem, quod falsum est; nec contra rationem eius, vt viator est, vel coniunctus corpori in via, quia hoc etiam esset necessarium homini in statu innocentiæ, qui tunc fuit viator; hoc autem est falsum, cùm anima eius, quantum ad actum eius proprium, in nullo fuisset corpori subiecta, sed super ipsum, & sensus suos, tam quoad apprehensionem, quàm quoad appetitum, habuisset plenum dominium, ita quòd potuisset intellexisse sine phantasmate, vel cum phantasmate; sicut sibi placuisset: sed dicunt quòd necessitas recurrendi ad phantasmata est nobis inflicta propter peccatum. Vnde sequitur ad ignorantiam nobis inflictam, & hoc iuste; quia ex quo anima se deordinauit, dimittendo diuinum dominium, & se ab eius subtrahendo subiectione, rationabile fuit in pœnam hâc incidere, & amittere dominium proprium, quod habebat super corpus suum, & super sensum; & hæc est sententia beati Augustini, in pluribus locis, & Hug. super antiquam Hierarchiam, Eustathij super librum Ethic. & Lincon. super librum posteriorum, super illud verbum: *Deficiente nobis vno sensu, necesse est nobis deficere scientiam, secundum illum sensum.* Aristoteles autem quia nihil sciuit de peccato illo, & inuenit naturam taliter dispositam, procedens ex sensu tantùm, credidit hoc nobis esse naturale sicut intelligitur; & ideò hoc posuit absolutè, quia necesse est ad phantasmata recurrere volentem intelligere. 4.

Homo in statu innocentiæ an indigeat phantasmate ad intelligendum?

Recursus ad phantasmata ex peccato est.

Homo subtrahendo se dominio diuino, amisit proprium.

ANNOTATIONES
in quæstionem decimamoctauam.

a AVicenna autem ponit, quòd in prima intellectione, &c. Hæc quæstio supponit dari species impressas, quod verius esse ostensum est quæstione præcedenti, vbi etiam probatum est intellectum dependere à sensibus in earum acquisitione, siue concurrant ad eas immediatè, siue non: de quo ibi dictum est. 5.

Prima opinio negat, habitis speciebus, requiri recursum ad phantasmata. Ita Auicenna in *suo compen. de Anima.* Idem habent alij apud Vicecomercatum *disput. de immortalitate animæ*, tenet Albert. maximè in spiritualibus 3. *de Anima, tract.* 2. *cap.* 29. Philoponus *text.* 30. & *lib.* 3. *cap.* 4. Thienensis *text.* 39. Themist. & Simplic. 3. *de Anima*, & Simplic. *de anima immortalitate.* Auerroës *text.* 33. 36. Tres vltimi admittunt in communibus operationibus intellectus, recursum illum requiri, sed non in abstracta cognitione Dei, & Angelorum. Alij tenent quoad species elicitas

elicitas ex phantaſmatibus, intellectum dependere à phantaſmate, non quoad alias à ſe formatas, & idem de infuſis Venetus *text.* 33.

Alij, referente Scoto hîc, tenent recurſum ad phantaſmata ſemper eſſe neceſſarium, quia poſt actum intelligendi non manet ſpecies; vel quia non eſt neceſſaria ſpecies. Sed eſſe neceſſariam ſatis probatum eſt quæſtione præcedenti, & quòd maneat poſt actum, oſtenſum eſt ſuprà *quæſt.* 14. & latè probat Scotus 1. *d.* 3. *quæſt.* 6. *à num.* 23.

Conclvsio I.

In intellectione neceſſariam eſſe conuerſionem ad phantaſmata de lege ordinaria pro hoc ſtatu.

6. VEra ſententia animam pro hoc ſtatu de lege communi in omni intellectione conuertere ſe ad phantaſmata. Ita Ariſtoteles 3. *de Anima, cap.* 7. *text.* 30. *& cap.* 8. *text.* 39. D. Thom. 1. *par quæſt.* 84. *art.* 7. *vbi* Caiet. Scotus *locis citatis in reſolutione, &* 1. *d.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 15. *&* 2. *d.* 3. *quæſt.* 11. *num* 9 *&* 4. *d* 45 *quæſt.* 3. *ad* 3. *princ. &* 3 *d.* 10. *quæſt.* 3. *ad vltimum, &* 7. *Metaph. quæſt.* 10. Quibus locis docet intellectum pro hoc ſtatu non cognoſcere ſingulare ſub ratione ſingularitatis; & rationem aſſignat, *illa q.* 15. quia nihil intelligit nunc intellectus, niſi mediante ſenſu, & hic non cognoſcit ſingulare quà tale, vt habet Scot. 2. *d.* 3. *q* 1. Eandem tenet Aug. *expreſſè* 4. *de Gen. ad lit. cap.* 7. dum ait: *Quando numerum cognoſcimus, aliud ſenſum, aliud rationem attingit.* Probatur ex duplici experimento à Doctore adducto: primum eſt, quia læsâ phantaſiâ impeditur intellectus operatio. Secundum, quia dum cupimus aliquid intelligere, formamus nobis eius idolum; & tunc faciliùs intelligimus. Prima ratio hîc adducta à Doctore quæ eſt D. Thom. reiicitur quæſtione ſequenti. Ex quibus ſoluitur ratio pro Auicenna. Conſtat enim ex his præter ſpeciem, & intellectum, requiri concomitantiam actus phantaſiæ, nihil enim aliud eſt conuerti ad phantaſmata, vt docet Scotus 1. *d.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 19. quàm quòd intelligens vniuerſale imaginetur ſingulare.

Singulare nō cognoſcit abſque ſenſu, ſecundū Auguſt.

Dum intelligimus ſimul phantaſiamur.

Soluuntur obiectiones aliæ contra dictam ſententiam.

7. Arguitur primò; magis dependet phantaſia à ſenſibus externis, quàm intellectus ab illa; ſed poteſt phantaſiari, non operantibus externis: ergo. Antecedens patet, quia intellectus eſt immaterialis, & abſtractior à corpore quàm illa facultas corporea. Reſpondetur, experientiâ conſtat intellectum dependere à cooperatione phantaſiæ: & oppoſitum conſtat de cooperatione ſenſuum externorum ad phantaſiam; quia phantaſiamur, omnibus ſenſibus feriantibus. Secundò, reſpondet D. Thom. ad ſecundum, phantaſma repræſentare particulare, & ideò non eget determinatione ſenſus. Contrà, primò, quia phantaſma non repræſentat, niſi materiam indifferentem, & non quà ſingularis eſt; alioquin poſſet diſtinguere inter duo ſingularia, ſeclusis omnibus ei extrinſecis, quod conſtat eſſe falſum. de quo Scotus 2. *d.* 3. *quæſt.* 1. Secundò, intellectus intelligere poteſt particulare, vt videbitur *quæſt.* 22. & tamen tunc aget actu phantaſiæ.

An phātaſia dependet à ſenſibus externis?

Phātaſia non cognoſcit ſingulare, quà tale.

Secundò arguitur; Intellectus etiam pro nunc intelligit Angelos, & alia ſpiritualia, quæ in phantaſiam non cadunt; ergo non petit ſaltem quoad hæc, conuerti ad phantaſmata.

8. Reſpondetur, ſufficere quòd phantaſia apprehendat aliquid ſimile ſingulari illius materialis, quod intelligitur, vel ad placitum ei appropriatum. Vnde, cùm intelligimus Angelos, phantaſiamur infantulos alatos, quia ſic placuit eos depingere; & cùm concipimus Patrem æternum, phantaſiamur virum grandæuum.

Cùm intelligimus ſpiritualia phantaſiamur aliqua corporalia illis correſpondentia.

Tertiò arguitur: Rapti in eeſtaſim intelligunt ſine vllo ſenſuum miniſterio externorum, vel internorum, idque experientiâ conſtat; quia quidam, nec ignem applicatum ſentiunt; ergo ſaltem hi non dependent à phantaſmate. Reſpondetur, eeſtaſim perfectam in qua omnes ſenſus interni, & externi ceſſant, virtute tantùm diuina contingere. Quod confirmat exemplum, quod Auguſt. 14. *ciuit.* 24. de Reſtituto Preſbytero, qui rapiebatur quando volebat, & poſteà referebat ſe inclamantium voces, quaſi à longinquo audiiſſe; & idem cenſendum eſt de Platone, Triſmegiſto, & Socrate, qui leguntur eeſtaſim paſſi, quòd ſcilicet eorum eeſtaſes erant naturales, non ſine omni ſenſuum functione. Ratio eſt, quia dependentiam intellectus à functione ſenſuum ſoluere, non eſt naturæ opus, ſed ſupra naturam. Vnde Nazianz. *orat.* 2. *de Theologia* ait impoſſibile eſſe, *mentem quantumuis ſe cum fato corporea ad ſublimium contemplationem erigat, ſenſuum commercia deſtituere.* Et D. Bernard. *ſerm.* 31. *in Cant. Corporum ſimilitudinibus ſpeculando non inuolui, Angelicæ puritatis eſt*, & addit eſſe *munus diuinum.*

Eeſtaſis perfecta ſupra naturam eſt.

Reſtitutus Plato, & alij quando volebant rapiebantur.

9. Putant nonnulli in perfecta eeſtaſi, non ſolùm ſenſuum functiones, ſed etiam virium naturalium, vt vegetatiuæ, & nutritiuæ, omnino ceſſare: & ſuadent, quia quidam eeſtatici diu ſine cibo, & potu iacent, nec cordis motus, vel vitalis calor in eis ſentitur; habet ſe enim eeſtaſis oppoſito modo ad ſomnum: in ſomno ligantur ſenſus externi, & interni, atque intellectus, vel non operantur, vel valde imperfectè, vt ſi ſunt inſomnia, & tunc vires naturales meliùs operantur, vt patet in digeſtione, & nutritione: quia anima non diſtrahitur ab aliis facultatibus, ſed incuruatur ad inferiora; at in eeſtaſi ita rapitur ad ſuperiora, vt inferioribus vacare non poſſit; ſed D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 3. negat in eeſtaſi vegetatiuam otiari. Mediâ viâ videtur incedendum. Itaque veriſimilius eſt has vires non omnino otiari, ſed ſi eeſtaſis perfecta eſt, valde tenuiter operantur; quòd ſufficit ad illam experientiam, quòd diu iacent quidam eeſtatici ſine cibo, &c. Quòd verò valde tenuiter operentur, ex eo conſtat, quia cùm quis immediatè poſt cibum nimis attentè ſtudet, vel ſpeculatur, impeditur digeſtio; ergo multò magis id fit per contemplatiuum raptus.

Eeſtaſis oppoſito modo ad ſomnum ſe habet.

Quare dormiendo meliùs fit digeſtio.

Vtrùm in eeſtaſi vegetatiua, & nutritiua otiantur?

Conclvsio II.

Licèt pro hoc ſtatu requiratur conuerſio ad phantaſmata, non tamen in ſtatu gloriæ, neque fortè in ſtatu innocentiæ.

b IDeò *omiſſis aliis neceſſitatibus*, &c. Reſoluit primò de lege ordinaria requiri conuerſio- 10.

nem

nem ad phantaſmata; quod pnbatum eſt *annot. præced.* Secundò, docet id non eſſe neceſſarium in corpore glorioſo. Ita commonis. Vnde anima Chriſti in hac vita non indiguit hoc recurſu, de quo D. Thom. 3. *par. quæſt.* 11. *art.* 4.

maChriſti non recurrit ad phantaſmata.

Sed petes quomodo Beati conuertentur ad phantaſmata, vel functiones ſenſuum, ſi oppoſitum euenit ecſtaticis, qui multo minùs in Deum ſunt abſorpti, nempe nondum à torrente voluptatis eius inebriati. Reſpondetur, ex abundantia gloriæ fiet redundantia in ſenſus, & inferiora. de quo D. Thom. 2.2. *quæſt.* 175. *art.* 4. Vide Auguſt. 12. *de Gen. ad lit. à cap.* 2. *vſque ad* 36. *lib.* 4 *de Anima*, *cap.* 8. 9. *& ep.* 112.

Quomodo Beati conuertuntur ad phātaſmata?

Tertiò, docet quòd in ſtatu innocentiæ non fieret conuerſio ad phantaſmata; quia anima quoad actum ſuum non fuiſſet ſubiecta corpori, ſed ſuper ipſum, & ſenſus eius, habens dominium, qood per peccatum perdidit; & ſic quodammodo ſubditur corpori pro hoc ſtatu, quoad ſuos actus. Secundò, non eſt naturale animæ dependere à potentiis corporis coniuncti, alioquin anima glorioſa ſic dependeret, quia gratia non deſtruit, ſed perficit naturam; ergo in ſtatu innocentiæ non eſſet illa dependentia, quia nihil ibi ponendum, niſi naturale, vel perficiens naturam, & certum eſt illam dependentiam potiùs vilificare animam.

Conuerſio ad phantaſmata an fuiſſet in ſtatu innocentiæ?

11. Tertiò, probat Scotus 1. *d.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 24. ex Auguſt. 15. *Trinit. cap. vlt. quæ cauſa cur ipſam lucem acie fixâ videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, niſi iniquitas?* At non poteſt videri acie fixâ veritas, niſi cum independentia à phantaſmatibus, & ideò ecſtatici ad ea non conuertuntur. Idem habet Euſtathius, Hugo, Lincon. quos hîc Doctor citat, & Comment. 6. *Ethic.* quem citat Scotus 1. *d.* 3. *quæſt.* 8. *ad* 2.

Peccatum an cauſa conuerſionis ad phātaſmata?

Sed Scotus dubius manet, an iſta conuerſio ad phantaſmata ſit ex peccato, vel ex natura, & ſubordinatione potentiarum, vt conſtat ex ipſo, loco iam cit. & 4. *d.* 45. *quæſt.* 1. *ad* 3. *pro opin.* Sicut enim appetitus dependet à potentia cognoſcitiua, ſic dici poteſt, quòd intellectus huius ſtatus, dependet à phantaſia cooperante, etſi non ſit dependentia tanta hîc, quanta ibi; quia ibi eſſentialis eſſe videtur, hîc non; alioquin in ſtatu gloriæ maneret hæc dependentia. Suarez 4. *de Anima*, *cap.* 7. dicit hîc peti principium: ideò aliam aſſignat rationem, quòd intellectus pro hoc ſtatu non recipit ſpecies, niſi dum phantaſia actu operatur; & ideò non poteſt intelligere ſine conuerſione ad phantaſiam. Sed non petitur hîc principium, quia ideò actus ſecundus intellectus pro nunc, dependet ab actu ſecundo phantaſiæ, quia pro nunc talis eſt ordo harum potentiarum, quòd vna ſubordinetur alteri, quâ ratione volitio ſupponit cognitionem. Nec ratio Suarez valet, quia fortè non requiritur ſpecies intelligibilis, vt oſtenſum eſt *quæſt. præced. num.* 14. & ibi in annot. & tamen eo caſu eſſet dependentia intellectus à phantaſmate. Præterea, peto à Suare quare intellectus non poteſt pro hoc ſtatu recipere ſpeciem, niſi operante phantaſmate. Nec poterit aliter reſpondere, niſi quòd talis eſt ordo harum potentiarum quòd vna ſubordinatur alteri; & ſic petit principium, ſi illa ratio Scoti petit illud.

Reiicitur Suarez.

Tertium, quod hîc ait Scotus patet ex iam dictis, ſcilicet an iſta conuerſio ſit ex peccato, vt pœna eius, vel non; ſi enim in ſtatu innocentiæ fuiſſet, non eſt ex peccato, & quid tenendum, iam dixi; ſed nihil, vt certum, occurrit dicendum.

DVBIVM.

Vtrùm B. Virgo ad intelligendum indiguit conuerſione ad phantaſmata?

Videtur quòd non: quia caruit originali, quod ſecundùm Scotum, vt videtur, eſt cauſa huius conuerſionis. Pro alia parte eſt; quia habuit famem, ſitim, & alia multa, vt triſtitiam, timorem, dolorem, quæ in ſtatu innocentiæ non fuiſſent. 12.

Verius videtur, etſi nihil ſit certum, hanc conuerſionem in Virgine non fuiſſe neceſſariam. Primò, ratione iam allatâ. Secundò, quia probabile eſt habuiſſe iuſtitiam originalem. Ita Carthuſ. *lib. de Præcon. & dignitat. Mariæ.* Caniſ. *lib.* 1. *de Deipara, cap.* 9. citans Cardinalem Cuſanum. Inſinuat Dur. 3. *d.* 3. *quæſt.* 3. *&* Caiet. 1. 2. *quæſt.* 109. *art* 2. dicens in ea fuiſſe donum integritatis naturæ: quod ſolâ ratione à iuſtitia originali diſtinguit, de quo Cordub. *lib.* 1. *quæſtionarij, q.* 46.

Conuerſio ad phātaſmata, non videtur neceſſaria in B. Virgine.

Qui dicunt B. Virginem habuiſſe iuſtitiam originalem

Tertiò, quidquid ſit de hoc (eſt enim incertum) habuit B. Virgo potiſſimos effectus iuſtitiæ originalis: ergo inter alios cenſendum eſt hunc habuiſſe, quandoquidem de oppoſito non conſtet. Antecedens probatur, quia iuſtitia originalis eſt donum, vel collectio donorum, quibus anima rectè ſubiicitur Deo, & corpus animæ, ac potentiæ inferiores ſuperioribus. de quo vide Scotum 2. *d.* 29 *à num.* 7. Sed in Virgine, anima ſemper obediuit Deo, & nunquam ab eo ſe auertit, idque eſt de fide, ex Tridem *ſeſſ.* 6. *can.* 23. partes etiam inferiores ſemper erant conformes rectæ rationi, neque vllum vnquam inordinatum motum contra eam elicuerunt; iſti autem ſunt præcipui effectus iuſtitiæ originalis; ergo. Præterea, corpus eius nunquam in proprium morbum incidit ex Sophron. epiſtola Synodica quæ habetur *in VI. Syn act.* 11. & docet Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 5. *lib.* 1. Caiet. *Opuſc. de ſpaſmo virgin.* Galat. *lib.* 7. *cap.* 10. Pro quo facit reuelatio facta B. Brigittæ, quòd Chriſtus fuit ſimillimus Virgini, non ſolùm moribus, ſed corporis perfectione. Ita *lib.* 1. *cap.* 50. 51. *Reuel. B. Brigittæ.* Item, ſine dolore peperit, ſine dolore obiit, iuxta communiorem opinionem, ſicut Moyſes iuſſu Domini *Num.* 27. 12. *Deuteron.* 32. 12. Cùm igitur potiſſimos effectus iuſtitiæ originalis habuerit B. Virgo, iuxta ſententiam tenentem qòd in ſtatu innocentiæ non eſſet conuerſio ad phantaſmata: hoc tribuendum eſt Virgini, cùm ſit perfectius, neque conſtet de oppoſito.

B. Virgo nullo morbo laborauit.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm quiditas rei ſenſibilis tantùm ſit obiectum intellectus?

Ariſtot 3. *de Anima*, *text.* 8. D. Thom. *ibid. lect.* 8. *&* 1. *p. quæſt.* 84. *art.* 7. *& q.* 87. *art.* 3. Caiet. 3. *de Anima, cap* 5. Bañes 1. *p. quæſt.* 84 *art.* 7 *dub.* 1. Auerſa *tom.* 2. *Philoſ. q.* 58. *ſect.* 4. Complut. *diſp.* 17. *de Anima, quæſt.* 2.

VINETVR quòd ſic; quia potentia paſſiua tantùm ſe extendit ad illa recipienda, ad quæ potentia actiua correſpondens, ſe extendit facienda; ſed intellectus agens 1.

tantùm

tantùm illa quæ in phantaſmatibus repræſentantur, poteſt facere actu intelligibilia: ergo intellectus poſſibilis eſt in potentia ad illa tantùm intelligenda.

Præterea, ſi quiditas ſenſibilis non eſſet eius obiectum adæquatum, tunc poſſet intelligere ſubſtantias ſeparatas; conſequens eſt falſum; igitur, &c. Falſitas conſequentis patet per Philoſophum 11. *Metaph.* & per rationem ſpecialiter de Deo, quia ſi poſſemus Deum per eſſentiam intelligere cùm eſſet idem obiectum, & ſub eadem ratione, & eadem potentia abſolutè in intellectione noſtra, & Beatorum, actus per conſequens eſſent eiuſdem rationis, & per conſequens viatores eſſent beati.

Contrà, habitus Metaphyſicæ informans intellectum noſtrum excedit quiditates ſenſibiles quoad obiectum, quia ens in quantum ens eſt eius obiectum; igitur intellectus noſter habet obiectum excedens quiditatem ſenſibilem. Item, Philoſophus 12. *Metaph.* multa concludit de ſubſtantiis ſeparatis, quod non faceret ſi eas non intelligeret, & 2. *Ethic. cap.* 19. ponit Ariſtoteles conſiſtere in earum cognitione felicitatem. Felicitas autem poteſt nobis aduenire; igitur, &c.

RESOLVTIO.

Sententia D. Thomæ, quiditatem rei materialis eſſe obiectum intellectus noſtri, latè refutatur. De quo Doctor 1. *diſt.* 3. *q.* 3. *num.* 2.

2\. [a] AD hoc dicunt quidam, ſecundùm D Thomam, quòd quiditas rei ſenſibilis eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri: quod ſic probat. Obiectum proportionatur potentiæ cognitiuæ: modò ita eſt quòd quædam potentia cognitiua eſt organica, & ideò eius obiectum eſt materiale, & quia materia eſt principium indiuiduitatis ſecundùm eos, ideò earum obiectum eſt ſignatum. Alia autem potentia eſt omnino immaterialis & ſecundùm *eſſe*, & ſecundùm operationem Angeli: & ideò primum eius obiectum eſt quiditas omnino immaterialis. Alia eſt potentia cognoſcitiua, quæ ſecundùm *eſſe* quidem eſt in materia, ſed ſecundùm operationem non; ſicut intellectus humanus, qui ſecundùm *eſſe* corpos informat, non tamen vtitur corporali organo in ſua operatione; & ideò quiditas exiſtens in materia ſecundùm *eſſe*, eſt proprium eius obiectum, quam tamen non intelligit, vt in materia, ſed vt abſtracta ſecundùm rationem ab ea.

Sed contra conſequentiam quâ dicitur, quòd ſola quiditas materialis eſt obiectum noſtri intellectus, arguitur ſic: nulla potentia eadem manens habet actum circa aliquid quod non ſit eius obiectum, vel ſub eius obiecto contentum; ſed intellectus beatus, & viatoris eſt eadem potentia, & tamen intellectus beatus intelligit eſſentiam: ergo Deus ſaltem continetur ſub obiecto viatoris, non autem ſub quiditate materiali: igitur, &c.

3\. Sed dices, quòd intellectus beatus intelligit diuinam eſſentiam in lumine gloriæ, quod non eſt in via: igitur, &c. Sed contra iſtud; quia obiectum primum alicuius habitus exiſtentis in aliqua potentia, non excedit potentiam illam; quia ſi excedit potentiam, habitus eius cognoſcitiuus excederet etiam potentiam, & eam informare non poſſet, ſed quiditas Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum eſt obiectum luminis gloriæ informantis intellectum per te: igitur Deus non excedit potentiam intellectiuam noſtram. Item, omnis habitus exiſtens in intellectu, præſupponit eius obiectum: igitur lumen illud, cùm ſit in intellectu noſtro reſpectu Dei, præſupponit quòd Deus ſit eius obiectum.

Præterea, anima naturaliter deſiderat cognito effectu, cognoſcere cauſam; ſed omnia alia ab ipſo ſunt effectus Dei; igitur ad ipſum Deum cognoſcendum habet naturale deſiderium: ſed naturale deſiderium non eſt ad impoſſibile; igitur Deus etiam naturaliter, aliqualiter poteſt à nobis cognoſci. Sed diceret Doctor iſte, quòd poteſt cognoſci ab intellectu ſeparato, non tamen coniuncto corpori. Sed hoc non videtur ſecundùm potentiam ſuam, nam via ſua procedit de intellectu noſtro, ſecundùm naturam ſuam, vel naturalem modum eius eſſendi, ſicut procedit de naturali modo eſſendi, & cognoſcendi Angeli, & potentiæ ſenſitiuæ. Modò ita eſt, quòd non eſt natus ita ſemper eſſe ſeparatus, ſed naturaliter appetit corpori vniri: igitur ſecundùm ipſum naturale obiectum eius in quocumque ſtatu ſit, erit quiditas materiæ, coniuncta ſecundùm *eſſe*, licèt ſit ſeparabilis ratione; quod eſt improbatum.

Præterea, intellectus noſter, etiam in via, poteſt cognoſcere ens ſub ratione entis, quæ eſt vniuerſalior, quàm ratio quiditatis ſenſibilis: igitur quiditas ſenſibilis non eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri. Antecedens patet, quia aliqua ſcientia humana eſt de ente ſecundùm quòd ens. Probatio conſequentiæ, quia nulla potentia poteſt cognoſcere aliquid vniuerſalius ſuo obiecto adæquato, tunc enim non eſſet ſibi adæquatum. Exemplum de viſu, qui non poteſt cognoſcere vniuerſalius colore, vel luce. 4.

Sed ad hoc diceret Thomas, quòd Deum non cognoſcimus, niſi diſcurrendo à notitia ſenſibilium ad ipſum, & per ſenſibilia tantùm. Sed tunc quæro ab eo, vtrùm in fine huius diſcurſus intelligimus Deum ſecundùm conceptum proprium, vel ſecundùm conceptum alicuius cauſati tantùm: ſi primo modo, habetur propoſitum; ſi ſecundo modo, non quietatur appetitus naturæ, nec per conſequens ceſſat; ſed vlteriùs procedit vſque ad cognitionem Dei, vel procedit in infinitum, quod non eſt dicendum. Vnde ratio ſua de proportione iſta magis ſequitur oppoſitum, ſcilicet ſi eſt proportio inter potentiam, & obiectum, quòd non ſint ſimilia in natura; quia materia & forma ſunt ſibi inuicem proportionatæ, & tamen ſunt maximè ab inuicem diſparatæ; proportio autem potentiæ ad obiectum etiam ſecundùm iſtos, eſt ſicut motiui ad mobile. Iſta autem diſſimilia ſunt, immò quoad hoc opponuntur. Sed diceret, potentia actiua aſſimilatur obiecto, licèt non paſſiua. Hoc non videtur, quia deberet aſſimilari in modo eſſendi, & quantum ad actum intelligendi; non enim oportet quòd intellectus ſit ſimilis in natura, vel quantum ad modum eſſendi obiecto, ſed ſufficit ad actum intelligendi, vt ſimilitudinem, ſcilicet ſpeciem obiecti recipiat, vel actum ipſum. Exemplum de viſu, qui licèt ſit potentia materialis, non tamen recipit ſpecies cum materia; ideò multo minùs recipit ſpeciem, vel immutatur ab obiecto

Ratio D. Th. ducitur ad oppoſitum.

obiecto secundùm modum essendi eius: sicut igitur non est alius visus qui videt cœlum, & inferiora, quæ tamen differunt secundùm corruptibile, & incorruptibile; sic intellectus idem multo fortiùs potest intelligere sensibile, & non sensibile.

RESOLVTIO.

Omne ens, tam materiale, quàm spirituale, comprehendi sub obiecto adæquato intellectus nostri; & explicatur quomodo possimus pro nunc habere conceptum quiditatiuum compositum de Deo, & de anima. Vide Doctorem 1. dist. qu. 3. num. 8. *& per totam, &* 2. dist. 3. quæst. 11.

5. b Dicendum igitur ad quæstionem, quòd via generationis, vel acquirendo scientiam, priùs apprehẽdimus quiditates sensibilium; quia pro statu naturæ lapsæ nihil intelligimus, nisi cum ministerio sensuum; tamen illæ non sunt proprium obiectum adæquatum intellectus nostri, sed etiam possumus intelligere substantias separatas; & tale obiectum est prius viâ perfectionis, & simpliciter: quia per talem cognitionem attingitur obiectum perfectissimum, quod est Deus & substantiæ separatæ, & aliæ etiam, pro statu viæ; licèt enim talis cognitio sit ænigmatica, tamen perfectior est simpliciter omni aliâ cognitione respectu inferioris creaturæ.

Sed contrà, aut cognoscimus Deum distinctè, aut confusè, id est, in communi conceptu entis. Si primo modo, tunc essemus beati etiam in via, quia talis cognitio debetur beatis. Si secundo modo, tunc cognitio eius non est perfectior cognitione cuiuscumque distinctâ creaturæ.

Contingit aliquid quadrupliciter cognosci. Dicendum, quòd aliquid potest cognosci quadrupliciter: vno modo per comparationem ad aliud, vt cognoscitur homo esse perfectissimum animalium; talem autem cognitionem necessariò præcedit alia absoluta. Secundo modo, potest aliquid cognosci per accidèns suum, vt homo per visibile; & hæc non potest esse prima; quia necessarium est si cognoscam dispositionem, quòd præcognoscam subiectum sibi substratum, saltem confusè. Tertio modo potest aliquid cognosci per conceptum communem sibi & aliis: vt cognosco hominem per animal; & sic cognoscere Deum est ipsum imperfectè cognoscere, scilicet per conceptum communem sibi & aliis; hoc enim imperfectius est, quàm cognoscere lapidem distinctè, quia per istum conceptum communem, non magis cognoscitur Deus quàm aliud: & ideò non sortitur nobilitatem ex Deo talis cognitio.

6. *Nullum spirituale cognoscimus intuitiuè pro nunc.* Quarto modo cognoscitur aliqoid conceptu quiditatiuo: sed iste est duplex; vnus est primò primus, qui scilicet non est in alios conceptus resolubilis, quo scilicet res cognoscitur intuitiuè in se, vt est talis natura, & talem conceptum non possumus habere de Deo in via, immò nec de anima nostra, nec de aliqua spirituali substantia. Cuius ratio est, quia de Deo nullam habemus cognitionem naturaliter, nisi per creaturas; nulla autem creatura, nec omnes simol possont sufficienter diuinam essentiam repræsentare quiditatiuè, id est, vt vera hæc essentia est.

Alius autem conceptus quiditatiuus rei, nec est omnino simplex vt primus, sed compositus, & resolubilis in alios; vt est diffinitio rei compositæ ex diuersis conceptibus; talem autem conceptum possumus habere naturaliter de anima nostra, considerando, quòd entium quædam sunt entia in potentia, quædam actu; & illud ens actu habet duas partes integrales, quarum vna est actus, & sic apprehendimus quid est actus. Vlteriùs procedimus diuidendo, quòd actuum quidam est primus, quidam secundus; & sic apprehendimus postea, qui est primus actus; postea diuidimus illa quæ actuantur, & sic illa componendo ad inuicem, deueniremus ad hoc, quòd illud est corpus organicum Physicum, quod ab anima actuatur; & sic illa componendo ad inuicem, habemus conceptum quiditatiuum animæ nostræ. *Quem conceptum quiditatiuum possumus habere de anima pro nunc?* Hic autem conceptus est animæ proprius, ita quòd nulli alij spirituali substantiæ conuenit, sed per hoc non cognosco animam naturaliter in se intuitiuè, & in speciali, vt hæc anima, sicut homo illud quud nunquam vidit. Exemplum ponitur ad hoc. Ponamus quòd nunquam viderim triangulum; viderim tetragonum, & cùm tunc possimus abstrahere ab omnibus figuris, hoc quod est figura, deinde possum scire quòd non est processus in infinitum in figuris, descendendo, sicut nec in numeris; ex quo possum scire quòd oportet date aliquem primum.

Vlteriùs diuidendo figuram in circularem, & rectilineam, cum figura prima intelligo quiditatem trianguli, id est, quæ conuenit triangulo soli, ita quòd non alij; non tamen per hunc conceptum compositum possum intelligere triangulum, vt triaogulus est, sub propria forma per se & intuitiuè. Similiter à pluribus entibus possumus abstrahere hoc quod est eos absolutè, & à pluribus bonis, ipsum bonum; & quia entia, & bona sunt ordinata, tandem possum deuenire ad hoc quòd intelligam summum, quia non est in eis processus in infinitum. Sic igitur possum ista ad inuicem componere per intellectum, & dicere aliquod esse ens summè bonum, qui conceptus sic compositus soli Deo conuenit; & ideò de Deo possumus naturaliter habere conceptum quiditatiuum compositum, tamen per talem conceptum non cognoscimus eum in se, vt est talis naturæ determinatè; tamen sic eum cognoscere componendo, perfectius est simpliciter, quàm cognoscere quodcumque aliud à Deo, vt dictum est suprà. Sic ergo patet, quòd obiectum adæquatum intellectui non est quiditas materialis, quia & substantias separatas aliqualiter cognoscimus, vt dictum est. 7. *Quomodo pro nunc possumus habere conceptum proprium Dei?*

Ad rationes in oppositum dicendum, quòd maior est vera quantum ad primam receptionem potentiæ passiuæ, & primam operationem actiuæ; potentia tamen passiua informata primâ receptione, potest in plura, quàm actiua potuit in prima operatione. Supposito igitur quòd intellectus agens sit aliquid animæ, non est omnino adæquatus possibili, sed tantùm, quantum possibilis est, scilicet quantum ad primam operationem eius, quæ est abstrahere à sensibilibus phantasmatibus speciem, quam speciem possibilis recipit, sed postquam est factus in actu per speciem, tunc potest abstrahere conceptus, & intentiones, & ad inuicem copulare modo prædicto, vsquequo habeat conceptum proprium Dei, vel spiritualium substantiarum. Vel dicendum 8. *Ad rationes D. Thom.* *Quomodo spiritualia pro nunc cognoscuntur, cum non habeant phantasmata?*

cendum ad minorem, quòd licèt Deus non habeat phantaſma, tamen ad hoc quòd Deum intelligamus, oportet quòd phantaſia formet ſibi aliquod idolum, & ad hoc intellectus agens abſtrahendo de obiecto, & aliis aliquo modo agit modo prædicto, ſcilicet componendo.

An fruitio via, & patria differant ſpecie: 4. d. 49. q. 5.

Ad aliud, dicendum quòd eadem difficultas videtur de actu diligendi, ſicut de actu cognoſcendi; ſi enim eſt actus eiuſdem ſpeciei in via, & patria, viator habens charitatem eſſet beatus, licèt non æqualiter ſicut comprehenſor; ideò videtur, quòd nec actus cognoſcendi, nec diligendi ſint eiuſdem ſpeciei in viatore, & comprehenſore; quia dato quòd ſit idem obiectum, & eadem potentia, & habitus idem (quia charitas nunquam excidit) quia tamen alia eſt approximatio obiecti ad potentiam hîc & ibi, & lumen aliud, & eſt præſentatum aliud; ideò poſſunt differre ſpecie. Exemplum de igne calefaciente tantùm lignum à longè, igniente tamen ipſum de propè, quia actus differunt ſpecie, & genere.

9. Sed contra dicta poteſt ſic argui ſecundùm Philoſophum: ſic ſe habent phantaſmata ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum; ſed non ſentimus, nec poſſumus ſentire niſi quod eſt ſenſibile: igitur nec intelligere niſi quod eſt phantaſiabile: & iterum ſpeculamur intelligibilia in phantaſmatibus, vt dicitur 3. *de Anima*, *text.* 2. *&* 39.

Dicendum, quòd pro tanto eſt ſimile; quia ſicut nos non poſſumus ſentire niſi ad præſentiam ſenſibilis, ſic nec intelligere communiter, niſi phantaſma ſit in actu ſuo, tamen phantaſma non eſt obiectum intellectus, ſicut ſenſibile ſenſus.

Item, contra principale, ſicut oculi noctuæ ſe habent ad lucem diei, ſic animæ noſtræ intellectus ad manifeſtiſſima naturæ; ſed oculus noctuæ non poteſt videre Solem: igitur nec intellectus noſter ſubſtantias ſeparatas. Dicendum, quòd verum eſt intuitiuè, pro ſtatu viæ: tamen poteſt haberi, vt dictum eſt, abſtractiuè, & compoſitiuè, ſicut noctua poteſt videre lucem diei obſcuram tantùm, ſic intellectus noſter manifeſtiſſima naturæ.

ANNOTATIONES in quæſtionem decimamnonam.

Conclvsio I.

Quiditas rei materialis non eſt obiectum intellectus noſtri ex natura potentiæ.

10. a AD *hoc dicunt quidam*, &c. Sententia Diui Thomæ 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *&* *q.* 84. *art.* 7. *&* 35. *art.* 1. quiditatem rei materialis eſſe obiectum adæquatum intellectus humani. Sequitur Caietanus *dictis locis*. Capreolus 1. *d.* 2. *q.* 1. & plures Thomiſtæ.

Nulla potentia eleuabilis extra ſuũ obiectum adæquatum.

Hanc refutat Scotus hîc & 1 *d.* 3. *q.* 3. *num.* 3. *&* *quodlib.* 13. *art.* 2. Prima ratio eſt, quia ſequeretur quòd Beati non viderent Deum, quia intellectus extra ſuum obiectum adæquatum ſpatiari nequit: vnde dici nequit, quòd per lumen gloriæ ad Deum videndum eleuari poteſt, ſi eſt extra eius adæquatum obiectum; ſicut nec viſus eleuari poteſt vt videat ſonum. Secundò, cognito effectu oritur deſiderium naturale ad cognoſcendam cauſam, nempe Deum; ergo hoc eſt ad poſſibile; ergo poteſt Deus à nobis cognoſci. Tertiò, intellectus noſter cognoſcit ens vt tale, alioquin nullam haberemus ſcientiam Metaphyſicæ. Quartò, in oppoſitum hîc, Philoſ. 12. *Metaph.* multa tradit de ſubſtantiis ſeparatis, & 10. *Ethic. cap.* 10. in earum contemplatione ponit felicitatem: ergo ſecundùm eum, quiditas rei materialis non eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus. Quintò, contra fundamentum Diui Thomæ, ſcilicet quòd obiectum debet eſſe proportionatum potentiæ; & ideò ſicut obiectum ſenſus eſt res omnino materialis, qualis ipſe ſenſus eſt, & obiectum intellectus Angeli quiditas immaterialis, qualis ipſe eſt; ſic cùm intellectus noſter ſit ſecundùm *eſſe* in materia, informans eam, eius obiectum erit quiditas ſecundùm *eſſe* exiſtens in materia. Contra hoc; quia etſi requiratur proportio inter potentiam, & obiectum, hæc non eſt ſimilitudo in modo eſſendi, ſed potiùs cõſiſtit in diſſimilitudine; quia eſt vt proportio mouentis ad mobile, actus ad potentiam, cauſæ ad effectum, in quibus diſſimilitudo requiritur in modo eſſendi. Prætcrea, cùm intellectus ſecundùm D. Thom. ſit tantùm accidens, ſequeretur quòd nullò modo intelligeret ſubſtantiã. Item, nec viſus cerneret cœlum, quia hoc eſt incorruptibile, ille nõ.

Fundamentũ Diui Thomæ deiicitur.

Quæ proportio requiritur inter potentiã & obiectum?

Thomiſtæ in explicatione Diui Thomæ in hac parte, non conueniunt. Iauell. 3. *de Anima*, *q.* de obiecto intellectus poſſibilis, dicit quòd loquitur D. Thomas de obiecto intellectus humani pro hoc ſtatu, dum ait eſſe quiditatem rei materialis, quódque ſecundùm naturam potentiæ, ponit ens eſſe eius obiectum: quod ſi verum eſſet, Scotus, & ille conuenirent. Verùm gloſſa hæc non videtur ſubſiſtere. Primò, quia eodem modo loquitur D. Thomas de intellectu humano, aſſignando ei obiectum, quo loquitur de ſenſu, & de intellectu Angeli; ſed de his loquitur 1. *p.* *q.* 85. *art.* 1. ſecundùm naturam ſuam aſſignans ſenſui vt obiectum rem materialem; & vt exiſtit in indiuiduo materiali, & intellectui Angeli, quiditatem immaterialem. Secundò, ratio D. Thomæ de proportione ſecundùm modum eſſendi probat tam pro hoc ſtatu, quàm pro futuro, quia anima eſt ſecundùm naturam ſuam forma corporis, vel in materia in vtroque ſtatu. Tertiò, 1. *p.* *q.* 12. *art.* 4. ideò colligit intellectum humanum, non poſſe videre ſuis viribus diuinam eſſentiam, quia cognitum eſt in cognoſcente ſecundùm modum eſſendi cognoſcentis; vnde ſi modus eſſendi cogniti excedat modum eſſendi cognoſcentis, cognitio nõ poteſt eſſe ei connaturalis. Ex quo habetur ſecundùm eum, cognitionem rei, quæ petit eſſe in materia, eſſe connaturalem intellectui humano: & habet ibi expreſsè: *Connaturale eſt nobis cognoſcere naturas, quæ non habent eſſe niſi in materia.* Et hoc ibi eodem modo dicit eſſe connaturale intellectui, ſicut connaturale eſt ſenſui cognoſcere rem, vt eſt in materia indiuiduali. Videtur ergo D. Thom. locutus de obiecto intellectus humani ſecundùm naturã potentiæ, quia huiuſmodi dicitur obiectũ connaturale. 11.

Gloſſa Iauelli reiicitur.

Caietan. in dictum art. 4. etſi ita lubricus ſit, vt vix capias eius mentem, tamen ad 4. *& in corpore expoſitionis* admittit ſecundùm Diuum Thomam obiectum intellectus humani ex natura potentiæ, eſſe quiditatem rei materialis: proportionem autem obiecti ad potentiam cognitiuam, in modo 12.

essendi, docet secundùm Diuum Thomam esse genericam, seu in esse generico, non verò in esse specifico, in quo argumenta Scoti procedunt. Vnde (inquit) non valet, Oculus est corruptibilis, cœlum non; ergo hoc non videtur ab oculo; quia est idem modus essendi genericus, quia vtrumque est mixtum.

Caietanus reiicitur. Contra hoc primò, quia sequitur quòd intellectus nullam substantiam intelligit, quia est accidens, quod omninò non est eiusdem generis cum substantia. Et si teneas intellectum esse substantiam, quod verum est, sequitur non intelligere accidentia; immò neque lapides, ligna, vel alias substantias non contentas sub animali. Et si dicas, sat est conuenire in ratione generica commoni substantiæ: ergo sic intelligit substantias separatas, quod negas.

13. Secundò, si requiritur similitudo in *esse* generico inter obiectum, & potentiam cognitiuam: ergo quo magis erunt similia in eodem genere, eo magis proportionabuntur, & sic quæ sunt eiusdem generis proximi, vel eiusdem speciei, vt alia animalia, homines, vel animæ, faciliùs, & clariùs à nostro intellectu intelliguntur; quod falsum est; quia accidentia sensibilia faciliùs, & clariùs cognoscuntur ab eo, vt ostensum est *q. præced.* & etiam aliæ substantiæ, vt lapides, ligna, plantæ, quæ nihil habent nisi materiale; nam per harum cognitionem deuenimus in cognitionem hominis.

Quiditas rei materialis nō est obiectū intellectus nostri. Tandem rationes Scoti de Beato, quòd non posset vllâ potentiâ videre Deum, & de desiderio naturali intellectus viso effectu, videndi causam, atque de extensione eius ad omne ens cognoscendum, conuincunt quiditatem rei materialis non esse obiectum adæquatum intellectus ex natura potentiæ; neque glossa Caietani, vel apparenter id saluat, rationes Scoti dissimulauit, quia dissoluere nequiuit; sunt enim indissolubiles, si admittatur cum Caietano Diuum Thomam loqui de obiecto adæquato ex natura potentiæ, qualiter non est verisimile fuisse loquutum, neque tamen facilè est ostendere loquutum fuisse de intellectu pro hoc statu, propter rationes suprà contra hoc obiectas.

CONCLVSIO II.

Ens est obiectum adæquatum nostri intellectus ex natura potentiæ, & explicatur quomodo.

14. a *Dicendum igitur ad quæstionem*, &c. Concludit Scotus ens esse obiectum adæquatum intellectus nostri. Probatur sufficienter ex rationibus allatis. Ita habet 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *num.* 8. *&* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. Pro explicatione nota obiectum esse duplex, adæquatum, & est illud,

Quid obiectū adæquatum, & proportionatum. quod adæquat potentiam taliter, vt in nihil extra illud tendere possit, & nihil contineatur sub illo, in quod tendere non possit, suis, vel alienis viribus: & hoc sensu ens est obiectum adæquatum intellectus nostri; quia non potest extra illud, & in omne ens tendere potest suis viribus, vel auxilio Dei. Proportionatum autem est illud,

Ens finitū est obiectum proportionatum, intellectus creati secundùm se. in quod potest potentia sine eleuatione, vel alieno auxilio. Et hoc dupliciter contingit, vel secundùm naturam potentiæ, & sic ens finitum (modò si relatiuum sit, non habeat terminum infinitum,) est obiectum proportionatum intellectus nostri separati, vel in statu gloriæ, vt habet Scotus *quodlib.* 14. *art.* 2. vel secundùm statum hunc, & sic sensibilia, & quæ in eis continentur essentialiter, vel virtualiter (vt sunt omnes conceptus graduum superiorum) sunt proportionatum obiectum nostri intellectus, vt dictum est *quæst.* 16. & tenet Scotus 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *n.* 24. *&* *quodlib.* 14.

15. Nota secundò, obiectum vtroque modo sumptum esse naturale; sed primo modo vt comprehendit omne ens, est naturale secundùm inclinationem, quia intellectus inclinatur naturaliter ad omnia intelligenda, tam creata, quàm increata, tam abstractiuè, quàm intuitiuè, non tamen ex se potest omnia intelligere. Secundo modo est naturale secundùm attingentiam; quia intellectus noster suis viribus, concurrentibus naturalibus causis, potest absolutè in omne ens finitum, non habens pro termino infinitum; & pro hoc statu in quiditatem rei materialis. Vide Scotum *de hoc quæst.* 1. *Prol. ad* 1. *prin.*

Obiectum intellectus, tripliciter consideratur. Tertiò notandum, & habetur ex Scoto 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *num.* 23. in obiecto intellectus triplicem rationem inueniri, scilicet motiui, mensuratiui, & terminatiui; quia motiuum Physicè concurrit vt concausa per se, vel suam speciem ad producendam sui notitiam; vt verò terminatiuum non causat, sed tantùm terminat respectum attingentiæ, vel tendentiæ potentiæ in ipsum. Hæ autem

Ratio motiui, & terminatiui differunt in obiecto. rationes differunt, vt patet in intellectu diuino, cuius motiuum est sola sua essentia; sed terminatiuum etiam est creatura. Præterea, motiuum dicit relationem realem ad intellectum, in quem producit effectum, terminatiuum tantùm dicit respectum rationis, quia nihil in eo efficit, est enim velut mensura respectu intellectionis: mensuratiuum in re à terminatiuo non differt.

16. *In obiecto duplex primitas, communitatis, & virtualitatis, cognoscitur.* Quartò notandum ex Scoto 1 *distinct.* 3. *quæst.* 3. *num.* 8. quòd in obiecto adæquato potentiæ, considerari potest duplex primitas, communitatis, scilicet & virtualitatis: illa est vt prædicetur de omni cognoscibili à potentia, sicut coloratum lucidum de omni visibili, & sonus de omni cognoscibili ab audito: hæc est, vt virtualiter contineat omnia cognoscibilia, & sola moueat ad eorum notitiam: & sic essentia diuina est obiectum adæquatum diuini intellectus; quia nihil nouit, nisi quod illa formaliter, vel virtualiter continet, & repræsentat. Hic non quæritur de obiecto adæquato intellectus nostri hoc modo, in rigore; quia nullum esse potest quod omnia entia virtute contineat, & ad notitiam eorum moueat præter Deum; qui tamen à nullo intellectu creato naturaliter conceptu proprio attingitur; quia nullum intellectum naturaliter mouet nisi proprium, ex Scoto 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. *num* 24. & alia entia virtute propriâ mouent. Neque etiam intelligitur conclusio de communitate prædicationis in *quid*, quia non prædicatur ens in quid de vltimis differentiis, neque de suis passionibus, vt probat Scotus 1. *d.* 3. *q.* *n.* 6. de quo postea.

Quomodo ens est obiectū intellectus nostri. Notandum ergo quintò ex Scoto *ibi num.* 8. ens eatenus esse obiectum adæquatum, seu primum, primitate tam communitatis, quàm virtualitatis nostri intellectus ex natura potentiæ, quatenus omne intelligibile includit ens essentialiter, seu in *quid*, vt Deus, & 10. Prædicamenta; vel includitur in aliquo sic includente ens, vt differentiæ vltimæ; vel virtualiter in ipso ente, vel inferioribus eius, vt passiones entis. Itaque

ens

ens habet primitatem communitatis ad intelligibilia, quæ ipsum includunt, & sunt contenta in Prædicamentis;& virtualitatis ad reliqua, & sunt vltimæ differentiæ,& passiones.

17. *Ens est vniuocũ Deo, & creaturis.*

Sextò notandum, ens esse vniuocum Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, vt probat Scotus 1.*dist.3.quæst.2.num.6. & quæst.3.num.9.* & fusè *dist. 8. quæst. 3. a num.* 4. alioquin nullum conceptum quiditatiuum possemus habere de Deo, vel substantia, pro hoc statu, quia cùm tantum accidens sensibile immutet intellectum nostrum pro hoc statu, non possumus habere conceptum de Deo, vel substantia, nisi abstractum ab accidente; & nullus datur talis conceptus, qui sit communis, nisi conceptus entis; neque hic communis esse potest, nisi secundùm eandem rationem vtrisque conueniat, quod est esse vniuocum. Præterea, nullus conceptus potest esse pro nunc naturaliter in intellectu nostro, nisi obiecti relucentis in phantasmate, vel ex virtute phantasmatis; ergo conceptus qui non esset vniuocus obiecto relucenti in phantasmate, sed omnino alius, & prior illo, ad quem illud diceret analogiam, non esset nobis naturaliter pro nunc possibilis: & sic si negetur vniuocatio entis ad Deum, & creata, substantiam, & accidentia, nullus conceptus naturaliter haberi potest pro nunc de Deo, vel substantia. Ratio est, quia obiectum relucens in phantasmate, vel specie intelligibili inde deriuata, cum intellectu cooperante non facit nisi suum conceptum proprium, & conceptum aliorum contentorum essentialiter, vel virtualiter in eo; ergo si conceptus Dei, & substantiæ sit ita analogus ad accidens, vt nihil ipsis commune includatur in conceptu efformato ex phantasmate accidentis, pro hoc statu non potest naturaliter haberi. Dicendum ergo, quòd conceptus entis est vniuocus Deo, substantiæ, & accidenti, & talis abstractus ab accidente virtualiter quodammodo continet conceptus Dei, & substantiæ, quos pro hoc statu de eis habere possumus, tanquam partes sui, quos efformamus cum aliquo addito, vt ens infinitum, ens substans accidentibus. Vide Scotum 1.*dist.3.quæst.3. a num.* 17. de quo etiam agetur infrà *quæst.*21.

Conceptus de Deo, vel substantia, nõ est nobis possibilis, si nihil est Deo, & creaturis vniuocum, neque substantiæ, & accidenti.

Vltimò notandum, obiectum aliud esse motiuum, & terminatiuum simul, cuiusmodi est pro hoc statu sensibilis qualitas, quia imprimit speciem, & terminat cognoscendi actum; aliud verò terminatiuum tantùm, vt ens rationis, quod non imprimit speciem, sed terminat actum, vt inimicitia, si cognoscatur à bruto per speciem insensatam, id est, quæ non fuit in aliquo sensu externo, sed ab ipso interno sensu priùs efficitur. Sola sensibilia sunt primi generis pro nunc, quia reliqua omnia non imprimunt species proprias, sed cognoscuntur per species abstractas à sensibilibus, & sic tantùm sunt terminatiua.

Sola sensibilia accidẽtia sunt motiua nostri intellectus pro nũc.

Soluuntur argumenta contra hanc conclusionem.

18. *Deus est obiectum primũ, tantùm sui intellectus.*

Arguitur primò; obiectum quod est omnium primum, est adæquatum intellectus; sed Deus est tale. Respondetur, non esse primum prioritate originis, quia fusè probatum est, *q.* 16. pro hoc statu speciem vltimam esse primum cognitum: & pro quocumque st.tu Deus nullum alienum intellectum naturaliter mouet, nec primò, nec vltimò: neque est primum primitate adæquationis, quoad prædicationem, quia non dicitur de omni intelligibili; neque quoad virtutem mouendi, quia alia entia mouent intellectum creatum; sed hanc adæquationem habet tantùm quoad suum intellectum, de quo *q.3. Prol.* est tamen obiectum primum prioritate perfectionis, vt explicat Scotus 1.*dist.3.quæst 2.num.*19.

Contra primum, *In quocumque genere est causa essendi aliis in illo genere*, 2. *Metaph. text.* 4. sed Deus est primum cognoscibilium; ergo causa cognoscendi omnia alia: ergo adæquatum obiectum. Respondetur, etsi Deus sit primum cognoscibilium, quatenus dat effectiue omni enti suam entitatem, & consequenter cognoscibilitatem, non est primum cognoscibile, primitate communitatis, seu prædicationis de omni cognoscibili, vel virtualitatis ad mouendum intellectum nostrum ad cognoscendum omne cognoscibile; quia nullum intellectum creatum naturaliter mouet, vt dixi; & reliqua entia ad sui notitiam mouent. Duplex illa primitas aliqualiter requiritur ad rationem obiecti adæquati, & ideò Deus tale non est. Locus Aristotelis per hoc expeditur, quænam sit eius genuina expositio. Vide Scotum, Diuum Thomam, & Fonsecam ibi, non citatur fideliter; sic enim habet Aristoteles: *Vnumquodque verò maximè ipsum aliorum dicitur, secundùm quod etiam aliis inest vniuocatio*, quod benè explicat Scotus, & inde probat vniuocationem entis ad Deum, & creata, infrà *quæst.*21.*num.*.o.

Arguitur secundò; obiectum adæquatum proportionatur potentiæ secundùm naturam; sed intellectus est secundùm naturam suam informatiuus materiæ: ergo eius obiectum debet esse quiditas in materia. Respondetur, obiectum proportionari potentiæ etiam secundùm naturam, non esse ei assimilari, sed potiùs dissimilari; quia sicut similitudo respicit vnitatem naturæ, vel modi essendi, vt fundamenti, vel rationem fundandi: sic relatio proportionis petit diuersitatem naturæ, vel modi essendi; verbi gratia, proportio perfectiui ad perfectibile, informantis ad informabile, causæ ad effectum 19.

Arguitur tertiò: vnumquodque sicut se habet ad *esse*, ita ad cognitionem; sed omne ens participatum habet *esse* ab imparticipato: ergo & cognitionem: ergo illud est adæquatum obiectum; quia ratione illius cætera cognoscuntur. Respondetur cum Scoto 1.*dist.3.quæst.3.ad* 2. licèt cognoscibilitas sequatur entitatem, & participata cognoscibilitas participatam entitatem, non tamen ita est de *cognosci*; quia *cognosci* participatum, non habet esse per cognoscibile imparticipatum, vt cognitum, sed vt causam dantem sibi *esse*. Vide de his Doctorem infrà *q.*21.

Ens participatum supponit imparticipatũ, sed cognosci participati, non sic, cognosci imparticipati.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm verum, vel ens sub ratione veri sit obiectum primum intellectus?

D.Thom 1.*p.q.*84 *art.7.ad* 3 & *q.*87.*art.3. ad* 1. Capr.*in* 1. *dist.*19 *q.5.ad* 1 Herux. Ægid.*quodl* 4 *q.*20 Mol. 1 *p.q.*26. *in fine* Bannez 1.*p.q*84 *art.*7. Fonseca 2.*Metaph.c.*1.*q.*2. *sect.*6. Suar.*tom* 2 *sum.Theolog tract.*3 *lib.*4.*cap* 1. Auersa *tom.*1.*Philos.q.*6.*sect.*7. Complut.*disp.*17.*de Anima*, *q.*2.

VIDETVR quòd sic: quia potentiæ distinctæ habent distincta obiecta; intellectus, & voluntas sunt potentiæ di- 1.

ſtinctæ, ens autem in quantum ens, non eſt diſtinctum: igitur non poteſt eſſe vt ſic, vtriuſque obiectum, ſed per hoc quòd diſtinguitur in ratione veri, & boni.

Præterea, obiectum debet appropriari potentiæ; ſed ens in quantum ens, eſt commune ad ens ſenſibile, & intelligibile: igitur ſi ens debet poni obiectum intellectus, oportet quòd contrahatur ad ens intelligibile; non autem contrahitur ad ad hoc, niſi per rationem veri: igitur, &c.

Contrà, obiectum formale eſt prius ipſo actu intelligendi; ſed verum non eſt prius actu intelligendi: ideò non eſt primum obiectum intellectus. Minor patet, quia intellectus facit rationem veri.

Præterea, quod non attingitur à potentia actu directo, non eſt primum eius obiectum; ſed verum attingitur ab intellectu actu reflexo tantùm; quia ratio veri eſt ratio intellecti, vel ipſius intelligibilis; ratio autem intelligibilis non intelligitur niſi per reflexionem: igitur, &c.

Ad hoc dicunt quidam, ſcilicet Henricus, quòd intellectus, & voluntas diſtinguuntur per reſpectus ad obiecta ſua, quæ ſunt verum, & bonum. Quod declarant ſic: Anima ſecundùm ſe eſt indeterminata ad potentias, ſed aliter determinatur ad potentias organicas, quàm non organicas; quia ad organicas determinatur per determinationem organorum. Vnde potentia ſenſitiua, quæ eſt organica, non eſt potentia propria animæ, ſed coniuncta ex anima & corpore: ad non organicas verò determinatur non per organa, nec per qualitates abſolutas: igitur per reſpectum ad diſtincta obiecta; iſta autem formalia obiecta diſtincta ſunt verum, & bonum: igitur, &c.

2\. Contrà, vnum quod ſupponit, ſcilicet quòd potentiæ diſtinguuntur per obiecta, alibi reprobatur; & poteſt ſic argui: Primum non diſtinguitur per poſterius; ſed potentia eſt prior actu, & obiecto: igitur, &c.

1. d.3.q.3.n. 32. & 2. d. 24. ad 2.
Potentia non diſtinguuntur per obiecta.
Intellectũ, & voluntatem non diſtingui in obiectis.

Contra principale ſic: iſta diuerſitas obiectorum, aut eſt per reſpectus, aut per abſoluta: non per abſoluta; quia idem abſolutum poteſt immediatè attingi à duabus potentiis, ſicut idem abſolutum poteſt immediatè intelligi, & amari. Nec per reſpectus, quia nulla potentia poteſt attingere obiectum ſuum ſine ratione formali obiecti; ſed intellectus poteſt attingere quodcumque abſolutum ſine aliquo reſpectu, etiam voluntas amare bonum abſolutum, ſine quocumque reſpectu: igitur reſpectus non eſt ratio formalis obiecti intellectus, vel voluntatis. Præterea, obiectum ſub ratione formali mouet potentiam; ſed impoſſibile eſt primum mouere ſub ratione reſpectiua, quia reſpectus non eſt principium operandi, vel mouendi, ſicut nec terminus ſecundùm Philoſophum 5 *Phyſ. text.* 10. igitur, &c.

Præterea, obiectum quod eſt principium operationis, debet eſſe per ſe, ſicut bonum per ſe; ſed compoſitum ex abſoluto, & reſpectu nō eſt vnum per ſe, ſed per accidens tantùm: igitur non poteſt eſſe principium ſimplicis operationis intellectus. Sed dices ad omnia iſta, quòd verum non habet virtutem mouendi intellectum, ſed eſt determinationem entis, quod eſt primum mouens intellectum in habitudine ad intellectum, ita quòd ens ſub ratione habitudinis, quæ eſt ratio veri determinans ipſum ens, mouet intellectum.

3\. Contra, iſta habitudo aut eſſet principalis ratio, aut conſequens: non principalis, quia reſpectus eſſet principium mouendi, quod eſt ſuperiùs improbatum: ſi conſequens, ſicut propria paſſio, & ratio entis eſſet principalis, ſecundum eandem rationem ens moueret intellectum, & voluntatem; quia iſta ratio eſt indiſtincta, & per conſequens, ſecundùm iſtos, eadem eſſet potentia intellectus, & voluntatis.

Præterea, obiectum viſus eſt viſibile per ſe ſecundo modo, viſibile autem importat iſtam habitudinem obiecti ad viſum: igitur iſta habitudo non eſt de ratione obiecti eſſentialis, ſed conſequens, cùm non inſit ei primo modo dicendi per ſe, ſed tantùm ſecundo modo. Simile eſt de obiecto intellectus, & alio obiecto per comparationem ad potentias.

Præterea, ſequeretur quòd ad determinationem obiecti alicuius potentiæ, ſufficeret dicere, quòd illud eſſet obiectum quod haberet habitudinem ad potentiam; ſi in hoc conſiſteret formalis ratio obiecti; nec eſſet vltrà quærendum, cuius naturæ eſſent in ſpeciali, quod falſum eſt, vt patet per inquiſitionem Philoſophi.

RESOLVTIO.

Verum non eſſe obiectum intellectus adæquatum, de quo agit 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. à num. 20. & 2. diſtinct. 24. *vbi habet obiectum intellectus, & voluntatis eſſe idem.*

a Dicendum igitur ad quæſtionem, quòd verum non eſt primum obiectum intellectus ſub ratione veri. Probatio, quia quod ſecundùm propriam rationem intelligi poteſt, vt diſtinguitur ab alio, non intelligitur ſub ratione eius à quo diſtinguitur; ſed bonum vt diſtinguitur à vero ſub ratione propria boni, poteſt intelligi; igitur non intelligitur ſub ratione veri. Sed omne quod intelligitur, intelligitur ſub ratione formali obiecti intellectus: igitur ratio veri non eſt formalis ratio obiecti intellectus. Maior patet. Minor probatur; quia intellectus poteſt cognoſcere differentiam formalem inter verum & bonum. Formalis enim ratio boni, non eſt ratio veri, vt dicunt: igitur poteſt bonum intelligi vt differens à vero. 4.

Verum non eſt obiectum intellectus.

Præterea, quidquid eſt volitum ſub aliqua ratione, ſub eadem poteſt eſſe intellectum, quia impoſſibile eſt aliquid eſſe volitum ſub aliqua ratione, quæ priùs non ſit cognita ab intellecto; ſed voluntas poteſt velle bonum ſub ratione boni, & non ſub ratione veri; ergo intellectus poteſt ipſum bonum intelligere, non intelligendo rationem veri. Maior patet per Auguſtinū 10. *de Trinit.*

Præterea, paſſio eſt extra rationem ſui ſubiecti; verum autem eſt paſſio entis: igitur differt à ratione entis, ſed compoſitio differentiam conſtituit ens per accidens, quod non poteſt eſſe obiectum, vt dictum eſt; igitur, &c.

Præterea, obiectum alicuius habitus non excedit naturaliter obiectum potentiæ, in qua eſt habitus, immò magis præſupponit ipſum, ſed obiectum ſcientiæ Metaphyſicalis eſt ens in quantum ens, quod præcedit naturaliter rationem veri, ſicut ſubiectum paſſionem, vel ſicut abſolutum præcedit contractum: igitur verum non eſt primum obiectum intellectus noſtri in quo eſt Metaphyſica. 5.

Obiectum habitus non excedit obiecti potentiæ.

b Præ

Loquitur de obiecto primo primitate prædicationis. De quo q. seq.

b Præterea, obiectum primum alicuius potentiæ debet prædicari per se primo modo dicendi, sicut genus de specie, & de omnibus, quæ per se cadunt sub actu illius potentiæ, sicut color de albo, & nigro; sed verum de nullo intellecto à nobis prædicatur per se primo modo; quia dicit habitudinem ad intellectum, quæ consequitur illud quod est intellectum per eum de intellectu eius essentiali, sicut visibile prædicatur de colore secundo modo tantùm: igitur, &c.

Ad primum.

Ad primum in oppositum, dicendum quòd magis concludit propositum, quàm oppositum, quia impossibile est aliquid esse volitum sub aliqua ratione, quæ priùs non sit cognita ab intellectu: igitur non oportet quòd habeant distincta obiecta.

6. *An variæ potentiæ habere possint idem obiectum?*

Dicendum igitus, quòd potentiarum animæ quædam sunt disparatæ, quædam subordinatæ: & istarum quædam sunt in eodem genere, vt appetebensiuæ, quædam in diuersis, vt appetensiuæ cum appetitiuis; si autem sunt potentiæ disparatæ, habent obiecta omnino disparata, sicut quinque sensus particulares: si autem sunt subordinatæ, & in eodem genere, habent obiecta subordinata; quia obiectum primum, & adæquatum potentiæ superiori continet sub se obiectum adæquatum inferiori, quod tamen est obiectum per se, licèt non primum, nec adæquatum potentiæ superiori; quia potentia superior potest habere actum suum, circa obiectum potentiæ inferioris adæquatum, & ipsum perfectiùs cognoscit, quàm potentia inferiur, sicut sensus communis album perfectiùs cognoscit, quàm visus, quia cognoscit ipsum vt distinctum à dulci: sic intellectus cognoscit quidquid sensus cognoscit, & perfectiùs quàm sensus. Si autem potentiæ subordinatæ sunt alterius generis, sicut intellectus, & voluntas: tunc dicendum quòd si sunt adæquatæ, id est, quòd in tot possit vna, in quot potest alia, tunc habent idem obiectum formale. Si autem non sunt adæquatæ, quia voluntas non habet actum suum nisi circa finem, & ea quæ sunt ad finem, non autem circa necessaria, & impossibilia, quæ sunt tantùm speculabilia, vt conclusiones Geometricæ, tunc dicendum, quòd obiectum voluntatis continetur sub obiecto intellectus.

Sensus communis perfectiùs cognoscit album, quàm visus. Obiectum intellectus, & voluntatis an idem.

7. Sed contrà, potentia distinguitur per actus, & actus per obiecta, vt dicitur 2. *de Anima, text.* 131. 132.

Potentiæ distinguuntur per actus, exponitur. 1. d.3.q.3.ad 1. pro opin. & d.6.n.4. & 2. d.16. ad 2. & d.14. q.1. ad 2.

Dicendum, quòd hoc non dicit Philosophus, sed quòd priùs oportet considerare actus, quàm potentias, & obiecta, quàm actus; quia sunt priora quoad cognitionem nostram, tamen actus non sunt principium essendi potentiæ, vel prius perfectione; immò posteriores; quia sunt effectus potentiarum: benè igitur sequitur si obiecta sunt diuersa, quòd potentiæ sint diuersæ, sed non è conuerso: nec sequitur, si obiecta sunt idem, vel non differunt, quòd potentiæ non differant, sed est fallacia consequentis à destructione antecedentis; plura enim requiruntur ad identitatem aliquorum, quàm ad distinctionem eorum. Exemplum, motus distinguitur penes terminos, ita quòd si termini sunt distincti, & motus; sed non sequitur, si terminus sit idem, quòd motus sit idem. Diuersi enim motus specie possunt esse ad eundem terminum, sicut circularis, & rectus, vt vult Philosophus 5. *Physicorum, text.* 33. 34. Ita est in proposito.

Ad aliud, dicendum quòd obiectum adæquatum potentiæ superiori est communius obiecto adæquato potentiæ inferiori. Si igitur intellectus est potentia superior, & obiectum eius est communissimum. *Ad secundum.*

8. Sed dices, oportet obiectum determinari ad potentiam per respectum. Dicendum, quòd indeterminatio obiecti intellectus, per respectum ad alia obiecta, id est, communitas eius, est determinatio sua ad intellectum, si sit potentia superior; non autem per aliquid contrahens ipsum ad specialius obiectum potentiæ communissimæ, vt suppono. Et si dicatur, quòd obiectum mouet cum habitudine ad intellectum. Dicendum, quòd verum est, non quia respectus ad intellectum sit principium mouendi ipsum, vel concausa, sed tantùm forma absoluta; sed pro tanto, quòd actum intelligendi benè sequitur respectus actualis obiecti ad potentiam, & è conuerso: ante autem actum intelligendi erat ille respectus in potentia tantùm in obiecto ad potentiam: non igitur ens sub ratione veri, vel ipsum verum, vt verum, est obiectum intellectus, vt dictum est.

Indeterminatio in obiecto intellectus ad omnia cognoscibilia, est sua determinatio, vt sit obiecti intellectus. Obiectū mouet cum habitudine ad intellectū, exponitur.

ANNOTATIONES
in quæstionem vigesimam.

CONCLVSIO I.

Verum non esse obiectum intellectus creati.

9. a Dicendum igitur ad quæstionem, &c. Probatur quinque rationibus, quas etiam habet Doctor 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *num.* 20. quæ sunt efficacissimæ, non est quòd eas explicem, quia superfluum est, cùm sint ita claræ. Fundamentum præcipuum conclusionis est; quia verum non habet communitatem prædicationis ad omnia intelligibilia, nec habet primitatem virtutis ad illa, cùm potiùs contineatur virtute in ente, & aliis intelligibilibus, quàm è contra, de quo dixi ad *quæst. præced. num.* 8. ens ergo vt ens est obiectum nostri intellectus, non sub ratione veri, vel alicuius alterius attributi, & hoc loquendo de obiecto naturalis inclinationis, non verò attingentiæ; quia non potest intellectus creatus cum concursu naturalium, attingere Deum in se.

Arguitur primò contrà. Si ens vt sic esset obiectum intellectus creati, seu obiectum naturalis inclinationis eius, sequeretur quòd videret Deum; ergo cùm videre nequeat, non continetur sub obiecto saltem naturalis inclinationis eius. Respondetur, argumentum currit etiam contra ponentes verum esse obiectum intellectus. Dico ergo, quòd inclinatio naturalis est ad perfectionem eius, sic inclinatum est capax, siue naturaliter possit illam habere, siue non, & siue perfectio illa in se sit naturalis, siue supernaturalis, qualis est beatitudo, de quo Scotus *quæst.* 1. *Prol. ad* 1. *pro opin.* vbi etiam, & alias sæpè docet non necessariò omni potentiæ passiuæ naturali correspondere actiuam naturalem.

Ens est obiectum naturalis quoad inclinationem nostri intellectus, nō quoad attingentiam.

10. Arguitur contrà, secundò ex Thomistis 1. *part. quæst.* 17. *art.* 1. & Molina *ibi disput.* 2. quia inclinatio, seu propensio naturalis, tantùm est ad id, quod naturaliter debetur; visio Dei non est huius modi

Quare creatio animæ, & nō visio Dei, naturaliter debetur?

modi;ergo. Antecedens probatur,quia hac creatione creatio animæ rationalis naturaliter debetur corpori disposito. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem,ideò illa creatio debetur iure naturæ, quia vltima dispositio per causas naturales ponitur; at vltima dispositio ad visionem Dei,quæ est Deum habere præsentem,naturaliter poni nequit.

Veritas formaliter resultat ex cognitione intellectus. Arguitur tertiò,Scotus 4. d. 50. *quæst.* 2. ait ens sub ratione veri esse obiectum intellectus, & sub ratione boni, voluntatis. Respondetur, loquitur de obiecto commensuratiuo, quia intellectus dicitur commensuratiuè verus,quando commensuratur veritati in essendo. Ita respondet Pater Anton. à Monte Piloso 1. *part. distinctione* 21. *art.* 7. huic argumento,quod est Ægidij *quodlib.* 4. *quæst.* 10.sed neuter videtur legisse Scotum: quia in tota illa quæstione nihil tale habet; si alicubi videatur dicere, verum esse obiectum intellectus, quod non vidi; sensus erit, dum cognoscit intellectus, resultare veritatem formalem, quæ est conformitas rei ad intellectum.De voluntate,tantùm dicit 4. *distinct.* 49. *quæst.* 10. *num* 8. non posse velle nisi bonum, neque nolle nisi malum: dubius tamen mansit 1.*distinct.* 1. *quæst.* 4. *ad* 3. *pro opin.* & 2. *distinct.* 6. *quæst.* 2. *num.* 15. & *distinct.* 43. *quæst.* 2.an posset velle malum.Sed de obiecto voluntatis postea. Vide Doctorem *hic ad* 1. vbi non resoluit an æquè pateat obiectum voluntatis, & intellectus; & idem habet 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. *num.* 22. *Quid obiectum volitionis, & nolitionis.*

11. [b] *Præterea,obiectum primũ alicuius potentia*,&c.Aduerte,vt obseruaui *ad q.præced.n.*7.primitatẽ obiecti esse duplicẽ:vna est virtualitatis,altera est prædicationis; & hæc rursus duplex, essentialis, & in *quid*, vel identica,seu denominatiua. Hæc ratio Doctoris probat *verum* non esse obiectum primum prædicatione primo modo,quia non prædicatur in quid de omnibus quæ intelliguntur, sed potiùs secundo modo per se; quia tantùm dicit habitudinem ad intellectum, quæ resultat ex intellectione alicuius, de quo prædicatur primum obiectum in quid. Non intendit Doctor requiri ad rationem primi obiecti prædicari de omnibus contentis sub eo, in quid; quia tale non datur quoad intellectum,vt ipse probat 1. *dist.* 3 *quæst.* 3. *num* 8.& *hic quæst.seq.* requiritur tamen,vt sic prædicetur de omnibus, quæ per se cadunt sub eo,cuiusmodi sunt in proposito decem genera,& Deus: de aliis autem, vt de vltimis differentiis, & passionibus entis, fortè non prædicatur in *quid*, de quo ibi Doctor *num.*9.& tractabitur *quæst.seq.* *An verũ prædicatur de omni eo quod intelligitur, & quomodo.*

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm ens sit obiectum primum intellectus nostri?

D.Thom.1.p.q.79.art.2. Caiet.1 p.q 16 art.3. Vasq.1 part. disp 77.num 14. Zumel 1.p.q.16.art 1.disp.1.in fine. Vide Doct. 6.Metaph. q.3. & 1.dist.3.q.3. & Authores omnes citatos ante q præced.

1. IDETVR quòd non; quia omnis potentia habens aliquid commune pro primo obiecto, potest per se naturaliter tendere in quodcumque per se contentũ sub illo, sicut in per se obiectum, licèt non primum;si igitur ens est primum obiectum intellectus nostri, cùm quæcumque substantia, tam creata,quàm increata,sub propria, & distincta ratione contineatur per se sub ente, intellectus noster poterit per se tendere in cognitionem determinatam cuiuscumque substantiæ, tam creatæ, quam increatæ, tam separatæ,quam corporalis; cuius oppositum experimur. ergo, &c. Probatio maioris. Exemplum,quia hoc videmus de visu respectu coloris, & suorum inferiorum. Et ratione; si enim non posset tendere in illa, quæ sunt sub illo contenta; vel si posset in plura, tunc illud commune non esset obiectum adæquatum potentiæ, nec per consequens primum obiectum. Præterea primum obiectum intellectus debet habere vnum per se conceptum, quia mouet secundùm vnam formam; sed ens non habet vnum conceptum per se: igitur, &c. Probatio maioris; quia potentia potest obiectum suum primum vnico actu attingere, quod non posset intellectus,nisi obiectum eius de se haberet vnum conceptum tantùm. Probatio minoris;quia ens non dicitur vniuocè de omnibus entibus,& ideò non vno actu potest intellectus noster attingere omnia entia,nec ens commune:igitur,&c.

Præterea, sicut aliqua se habent ad *esse*, ita ad cognosci, vel intelligi, 2. *Metaphysica*, *text.* 4. quod igitur est primum ens, est primum intelligibile;sed Deus est primum ens, quia est ens per essentiam, alia per participationem, & aliis causa essendi: igitur Deus est primum obiectum intelligibile intellectus nostri; non igitur ens, in communi.

Contrà,Auicenna; ens & vnum sunt quæ primò imprimuntur intellectui;igitur sunt primum intellectum. Præterea, per rationem sic: illud est primum obiectum intellectus nostri, cuius ratione alia intelliguntur; sed ens in communi est huiusmodi, quia prædicatur essentialiter de omnibus per se intellectis, non autem Deus:igitur,&c.

RESOLVTIO.

Nec verum, nec Deum, nec substantiam esse obiectum adæquatum nostri intellectus. De quo vide Doctorem 1.dist.3.quæst.3.n.10. *de* 2.ibi num. 5.

[b] AD istam quæstionem dicendum, quòd primum accipitur vel generatione, vel perfectione,vel adæquatione. De primis duobus modis non est intentio quæstionis, sed de tertio tantùm, vtrùm eos sit obiectum intellectui nostri, id est, adæquatum obiectum. Circa quod, sciendum quòd duplex est adæquatio obiecti;vna secundùm virtutem, alia secundùm prædicationem: illud autem dicitur obiectum potentiæ adæquatione secundùm virtutem, quod per se ipsum solum potest mouere intellectum ad notitiam sui, & aliorum; sicut essentia diuina est obiectum adæquatum primum intellectui diuini; quia est sufficienter mouens intellectum diuinum ad notitiam sui primò, & aliorum ex consequenti; & substantia mouet intellectum nostrum ad notitim sui primò, & ex consequenti ad notitiam proprietatis passionis, vel accidentis; obiectum autem adæquatum secundùm prædicationem est quod per se, & essentialiter prædicatur de omnibus,quæ possunt à potentia cognosci; sicut lux, vel color, vel commune 2. *Obiecti adæquatio duplex.*

vtrique

vtrique prædicatur essentialiter de omnibus visibilibus: vtrâque autem primitate adæquationis, ens est primum obiectum intellectus nostri, vt declarabo: & primò declarabo indirectè, removendo alia ab ista primitate, de quibus magis posset videri. Secundò directè probando propositum.

Nec verum, nec Deus, nec substantia sunt obiectum adæquatum intellectus nostri. Primum sic ostendo: ens vel verum, vel Deus, vel substantia est primum obiectum intellectus nostri, sed neutrum trium vltimorum: igitur primum, scilicet ens.

3. Quòd non verum, ostensum est in quæstione immediatè præcedente. Quòd Deus non, probatio, non enim potest esse obiectum primum adæquatione secundùm prædicationem, quia non prædicatur essentialiter de omnibus intelligibilibus; nec secundùm virtutem, quia non mouet intellectum nostrum ad sui notitiam, & aliorum. Probatio, quia aut hoc esset secundùm suum conceptum simplicem, & quidditatiuum, aut secundùm conceptum abstractum à creaturis, non primo modo; quia ille conceptus est essentiæ diuinæ vt intuitiuus; & talia conceptus beatificat, quod non conuenit viatoribus; nec secundo modo, quia includit oppositum in adiecto; priùs enim occurrit intellectui conceptus eorum, à quibus fit abstractio, quàm eius quod abstrahitur. Præterea, obiectum naturale habitudinem, & proportionem habet ad potentiam; Deus autem nullam habet habitudinem, nec proportionem ad intellectum nostrum, saltem pro statu viæ; quia omnia nostra cognitio naturalis intellectiua, oritur à cognitione sensitiua, igitur, &c.

Non possumus pro nunc habere conceptũ proprium substantiæ, de quo ad q. 16. n. Sed quòd substantia non possit esse primum obiectum, probatio; non enim est primum secundùm prædicationem, quia non prædicatur essentialiter de omnibus intelligibilibus, quia non de accidentibus: nec secundùm virtutem, quia non mouet intellectum nostrum sufficienter ad sui notitiam, & aliorum. Quod probatur sic; quia hoc esset tantùm secundùm conceptum eius simplicem, & quidditatiuum, & intuitiuè; hoc autem sic esse primum, est impossibile; quia quidquid intellectus noster potest sic intuitiuè cognoscere per eius præsentiam, & eius absentiam, cognoscere potest per naturam; sed intellectus noster non potest cognoscere per naturam absentiam panis in Sacramento Altaris, sed tantùm per fidem: æqualiter enim cognosceretur substantia panis, quando non est ibi, sicut quando est; igitur, &c. Maior patet, per exemplum, & authoritatem Philosophi, 2. *de Anima, text.* 103. dicentis, quòd visus est perceptiuus lucis, & tenebræ, quæ est absentia lucis. Minor est declarata; igitur, &c.

RESOLVTIO.

Ens esse obiectum adæquatum nostri intellectus adæquatione virtutis, non autem secundum prædicationem, quia de suis passionibus non prædicatur in quid, de quo Doctor 1. dist. 3. q. 3. num. 6. & q. 1. Prol. ad 1. pro Philos. & 2. dist. 3. quæst. 11. & 4. dist. 49. quæst. 8.

4. *Ens primum obiectum intellectus.* b Cum igitur nec Deus, nec verum, nec substantia sint primum obiectum intellectus, sequitur quòd ens sit illud primum. Secundò, hoc idem potest sic ostendi directè; illud quod est primum adæquatione secundùm virtutem, respectu potentiæ, est primum obiectum eius; sed ens in comparatione ad verum, & bonum est primum adæquatione, respectu intellectus nostri; igitur, &c. Maior patet ex præmissis. Probatio minoris; quia ens est subiectum respectu veri, & boni, quæ sunt passiones entis, secundùm Auicennam, & Philosophum 4. *Metaph. text.* 5. sed respectu eorum, non est primum adæquatione secundùm prædicationē. Probatio; quia primum tali adæquatione prædicatur de posterioribus essentialiter; sed ens non prædicatur essentialiter, & in quid de vero, & bono, & aliis; ergo, &c. Maior patet per prædicta. Minor patet, quia talia, scilicet verum, & bonum, sunt passiones entis: ens autem, vel quodcumque aliud subiectum, non prædicatur de propria passione in quid, quia subiectum cadit in definitione passionis, sicut aliquid additum, non autem sicut aliquid de eius essentia; ergo, &c. *De hoc* 1. d. 3. q. 3. n. 7.

Præterea, in prædicationibus per se non est conuersio, vt dicitur 1. *Poster. text.* 35. 7. vt cùm dicitur, animal est homo, licet hæc sit per se, homo est animal, sed passio per se prædicatur de subiecto: igitur subiectum per se non prædicatur de passione; igitur nec ens de vero, & bono, licèt vnum, verum, bonum per se prædicentur de ente: dicitur enim 4. *Metaph.* quòd substantia vniuscuiusque est ens, & vna per se, & non per accidens. *Ens non prædicatur in quid de suis passionibus.*

Præterea, quando vnum prædicatur de alio per se primo modo, nugatio est addere vnum alij, vt animal homo, & homo animal; sed non est nugatio dicere, ens vnum, nec è conuerso; igitur, &c.

Præterea, ens sufficienter diuiditur in ens creatum, & increatum; quorum alterum subdiuiditur in decem Prædicamenta, ita quòd quidquid est ens per se, & essentialiter, oportet quòd sit causatum, vel incausatum; sed vnum non potest esse ens creatum tantùm, cùm dicatur de ente increato; nec ens increatum tantùm, cùm dicatur de ente creato: igitur de ipso non prædicatur ens per se primo modo, id est, essentialiter, & in *quid*. 5.

Præterea, si ens prædicatur essentialiter de vno, tunc aut vnum dicit præcisè ipsum ens, aut cum hoc aliquid additum: non præcisè, quia vnum non esset magis passio entis, quam è conuerso, & essent nomina synonyma: quod negat Philosophus 4. *Metaphysicæ.* Nec esset magis dicere ens vnum, vel è conuerso, quàm alterum horum. Si autem addit aliquid super ens, tunc quæro vtrùm illud additum sit ens essentialiter, vel non; si sic, tunc vnum dicit ens bis, semel ratione entis inclusi in vno, aliàs ratione additi. Si autem illud additum non includit ens essentialiter, sequitur propositum, scilicet quòd vnum inquantum vnum, scilicet vt differt ab ente, non includit ens essentialiter. *Text.* 3. c. 13. & c. 3.

Sed dices, quòd hoc est propter diuersitatem rationum; scilicet quòd impeditur prædicatio essentialis entis, vel è conuerso. 6.

Dicendum, quòd benè verum est, quòd dicunt eandem rem absolutam, tamen rationes eorum sunt ita disparatæ, quòd vna non includit essentialiter aliam; & hoc sufficit ad impediendum prædicationem essentialiter, sicut animal, & rationale, licèt dicant eandem rem, tamen vnum *Ens, & vnum dicunt eandē rē absolutam.*

vnum non prædicatur de alio per se; & hoc concordat proposito nostro, scilicet quòd *vnum* provt distinguitur ab ente, dicit aliquod accidens, vel passionem entis, accipiendo largè accidens cum Auicenna, pro omni eo quod est extra rationem essentialem alicuius; vnde patet, quòd non valet ratio Commentatoris facta 4. *Metaphysica, text. cap.* 3. contra Auicennam, quia bene concludit, si vnum dicatur accidens distinctum contra substantiam, quod diuiditur in nouem genera accidentium; sed non concludit, si vnum dicat accidens, quòd est extra rationem formalem entis. Sic igitur patet, quòd ens respectu vnius veri, & boni, quæ sunt eius passiones, est primum obiectum intellectus, primitate adæquationis, sed virtute, sicut subiectum respectu propriæ passionis.

RESOLVTIO.

Ens respectu generum, specierum, indiuiduorum Dei, & creaturæ esse obiectum adæquatum intellectus, quoad prædicationem in quid, quia de his omnibus prædicatur essentialiter, & vniuocè, de quo latè Doctor 1. dist. 3. quæst. 2. num. 6. & q. 3. à n. 9. & d. 8. q 3.

7. *Conceptum entis esse vniuocū Deo, & creaturæ.*

c SEd quòd sit etiam primum obiectum respectu suorum inferiorum, scilicet Dei, & creaturæ, primitate prædicationis, ostendo; quia ad hoc requiritur, vt dictum est, vt tale obiectum prædicetur essentialiter, & per se de omnibus intelligibilibus; & per consequens vniuocè aliquâ vniuocatione; sed ens est huiusmodi, igitur, &c. Minorem ostendo per intentionem Philosophi 2. *Metaphysica, tex.* 4. dicentis, quòd vnumquodque est maximè tale, quod est causa, quòd alia sunt vniuocè talia; vt ignis est calidissimus, quia est causa vniuoca caloris in alio, non autem hoc est verum de causa analogica, vel æquiuoca; quia tunc sequeretur, quòd Sol esset calidissimus; & subdit quòd *prima principia oportet esse verissima*, quia sunt causa veritatis in aliis; quod non sequeretur, vt dictum est, nisi veritas diceretur in vtrisque vniuocè; sed subdit, *sicut se habent ad esse, sic ad veritatem*; igitur quod est causa entitatis aliis, est maximè ens; si tamen ens dicatur de eis vniuocè, non aliter; cùm igitur Deus sit causa entitatis aliis, & dicatur maximè ens, oportet quòd ens dicatur de Deo, & creaturis vniuocè: & hoc est quod dicit Auicenna in Metaphysica sua, quòd cóceptus entis est communis omnibus Prædicamentis, quæ sunt quasi eius species. Idem patet per Commentatorem, 4. *Metaphysica, comm.* 4 vbi dicit, quòd simile est de isto genere, quod est ens, & aliis generibus vniuocis; quia ens prædicatur vniuocè essentialiter sicut alia genera; certum est autem quòd æquiuocum non prædicatur essentialiter de æquiuocatis: ergo, &c.

Vide Scotum in hunc locū, qui optimè eū explicat.
Habes hoc arg. 1. d. 3. q. 3 n. 10.

Præterea, per rationem sic: Non diceres ens analogicè, vel æquiuocè prædicari de aliis, nisi quia conceptus entis conuenit Deo per essentiam; aliis autem per participationem. Sed quòd non conueniat Deo per essentiam, probatio; intellectus enim habens conceptum proprium alicuius obiecti, potest illud per illum conceptum distinguere ab omni alio, quia ille conceptus, qui est vni proprius, est incompossibilis aliis: sed si conceptus entis non est communis vniocè Deo, & creaturæ, ille erit proprius Dei, & conuenit Deo per essentiam, & principaliter, & aliis per participationem, vt supponitur; igitur intellectus noster per conceptum entis potest distinguere Deum à creatura, quod falsum est: per conceptum enim entis cognoscimus Deum confusè tantùm, provt habet cum aliis vnum conceptum communem: igitur, &c.

Nullus conceptus creaturæ est proprius Deo.

8. Præterea, nullus conceptus communis creaturæ facit conceptum proprium Dei; sed creatura facit conceptum entis: igitur conceptus entis non est proprius Dei. Maior probatur; quia nihil potest facere conceptum proprium de aliquo, quod non contineat essentialiter, vel virtualiter; essentialiter sicut homo animal; virtualiter vt subiectum propriam passionem; sed nulla creatura per se, nec omnes simul continent Deum, nec essentialiter, nec virtualiter; igitur, &c. Ex creaturis autem possumus formare de Deo, quòd sit; igitur conceptus entis non est Deo proprius.

De hoc 1. d. 3. q. 2. n. 9 & 1. d. 3. q 10. n. 9.

d Præterea, ille conceptus cui alij attribuuntur, est perfectior illis, sicut conceptus sanitatis in animali, est perfectior conceptu sanitatis in cibo, vel in vrina, vel in diæta, quia omnes primo conceptui attribuuntur, scilicet conceptui sanitatis, quæ est in animali. Similiter conceptus substantiæ est perfectior quocumque conceptu accidentis: sed si per conceptum entis haberemus conceptum proprium Dei, illi attribuerentur omnes conceptus creaturarum; igitur ille esset perfectior; sed nullum conceptum possumus habere perfectiorem conceptu creaturæ pro statu viæ, nec de Deo, nec de alio, nisi causatum ex conceptu creaturæ, qui conceptus est causa æquiuoca; omnis autem causa æquiuoca est perfectior suo causato, vel non imperfectior ad minùs: ergo nullum conceptum perfectiorem conceptu creaturæ possumus habere; conceptus ergo entis quem habemus de Deo, non est perfectior conceptu creaturæ, & per consequens nec Deo proprius.

Contrà videtur 1. d. 3. q. 2. n. 19 concord & suprà q 14. d.

RESOLVTIO.

Ens esse vniuocum substantiæ, & accidenti, de quo Doctor 1. distinct. 3. quæst. 2. num. 5. & quæst. 3. num. 9. 10. & dist. 8. & quæst. 3.

e QVòd etiam conceptus entis sit communis vniuocè substantiæ, & accidenti, probo; quia si non esset vniuocus, nullum conceptum de substantia haberemus. Probatio: aut enim haberemus proprium, & quiditatiuum, intuitiuum, aut abstrahibilem; non primum, vt probatum est suprà: ergo conceptum abstrahibilem à substantia, & accidente, & communem vtrisque; sed nullus est communis vtrisque, nisi entis; igitur, &c. Quòd autem in via non possumus substantiam cognoscere simplici, & primo intuitu, patet ex hoc, quòd omnis nostra cognitio ortum habet à sensu: cùm ergo substantia non sit sensibilis, & omnis nostra cognitio oriatur à sensu; ergo intuitiuè, vel conceptu simplici non possumus cognoscere eam, scilicet per istum modum; quia ab accidentibus à nobis sensibilibus, abstrahimus conceptum entis, dicendo quòd sunt ens, & vlteriùs inquirendo inuenimus, quòd sunt tale ens, quod est alteri 9.

Conceptum entis esse communem substantiæ & accidenti, q. 18.

Cōceptus proprius substantiæ non datur in via.

Modus cognoscendi substantiam pro hoc statu.

alteri inhærens; id autem alterum oportet esse subsistens, & tali subsistenti imponimus nomen, *substantia*, & ideò sic cognoscimus substantiam, sic cognoscendo ipsius subsistentiam, dicendo quòd est ens per se subsistens, non autem de ipsa habemus in via conceptum intuitiuum, quo cognoscimus eam, hoc ens, nisi modo prædicto, vt experientia docet.

Præterea, omnis intellectus certus de vno, & dubius de diuersis, oportet quòd habeat alium conceptum de dubio, & alium de diuersis; aliter enim per eundem conceptum, intellectus esset dubius & certus; sed aliquis potest esse certus de aliquo, quòd sit ens, & dubius quòd sit substantia, vel accidens; sicut patet de potentiis animæ, vt patet etiam de principio, vt aliqui Philosophi dubitauerunt, vt patet 1. *Physic. text.* 6. ergo alius est conceptus entis, alius conceptus substantiæ, & alius accidentis; sed ille est communis vtrisque, & non importat plures conceptus; ergo est communis vniuocè.

10\. Præterea, ille conceptus qui sufficit ad contradictionem, est vniuocus; quia contradictio est affirmatio, & negatio circa eundem conceptum vniuocum: hîc enim non est contradictio, canis currit, canis non currit; sed conceptus entis sufficit ad contradictionem secundùm Philosophum 8 *Metaph.* immò prima contradictio est formata de ente, sicut de quolibet esse, vel non esse; ergo, &c.

Cõceptus entis sufficit ad contradictionem.

Cap. 2.

Præterea, primum principium debet esse firmissimum secundùm Philosophum 4. *Metaph.* sed primum principium formatur de ente secundùm quòd dictum est; igitur; sed si ens non diceret vnum conceptum, non esset certum de quo conceptu esset verum, immò semper est distinguendum: igitur, &c.

Cap. 2.

RESOLVTIO.

Soluit exactè argumenta contra vniuocationem entis ad Deum, & creaturam, substantiam & accidens, de quo fusè agit 1. dist. 3. q 3. à num. 14. & dist. 8. quæst. 3. à num 4.

11\. Contra dicta potest argui; quia si esset vniuocum, aut esset sicut genus, aut sicut differentia, vel species; non potest esse species, quia non habet superius, & quia substantia, & accidens non possunt esse indiuidua, sed genera generalissima: nec differentia, quia esset propria vel substantiæ, vel accidenti, & haberet genus supra se; nec genus, vt probatur 3. *Met. text.* 10. quia genus habet differentias, & sunt extra rationem generis; nihil autem est quod subterfugiat rationem entis. Hoc etiam dicit Porphyrius: dicit enim quòd ens non est genus, sed dicitur æquiuocè de substantia, & accidente.

Cap. de Specie.

Præterea, omne indeterminatum descendit in inferiora per aliquid additum contrahens, sicut genus contrahitur per differentias, species per principia indiuiduantia; sed enti non potest fieri talis additio contrahens. Probatio, quia illud additum esset ens, aut non; si sic, ergo substantia quæ includeret illud additum, esset ens bis, & sic esset nugatio dicere substantiam. Si verò sit non ens, tunc non descenderet ens in substantiam per aliquid non ens, & illud etiam non ens esset de ratione substantiæ, per quod descenderet in eam, & tunc quærerem sicut priùs, & esset processus in infinitum.

De his 1. d. 3. q. 3. n. 14.

Præterea, si ens prædicatur in quid de substantia, & accidente, oportet quòd hoc sit secundùm rationem alicuius prædicabilis, scilicet generis, vel differentiæ: non differentiæ, quia non prædicatur in quale; nec generis, quia tunc descenderet in substantiam & accidens tanquam in species differentes per differentias contrahentes, quæ essent extra rationem entis, quod falsum est, immò statim ens descendit in illa, in quæ descendit, absque expectatione alicuius differentiæ, sicut etiam dicitur de Vno 8. *Metaph. text.* 2 non ergo est genus; & per consequens non vniuocè prædicatur de eis. Præterea, expressè 4. *Metaph.* dicitur, quòd ens dicitur de multis, non vniuocè, sed ad vnum, sicut ad sanum, id est, analogicè.

Ad primum istorum, dicendum quòd Philosophus 3. *Metaph.* dicit non assertiuè, sed arguit ad vtramque partem contradictionis; vnde Commentator dicit ibidem, quòd prima ratio Philosophi posita continet fallaciam accidentis: argumentum enim Philosophi ad contrarium, est tale: si ens diceret vnum conceptum vniuocum decem generibus, tunc sequeretur quòd ens esset genus ad decem genera. Dicendum ergo quòd Philosophus non dicit determinatiuè, scilicet, quòd ens sit genus, sed dicit hoc arguendo. Ad dictum autem Porphyrij dicendum, quòd licèt locutus fuerit Logicè, multa tamen dicit non Logicè, specialiter illud quod pertinet ad Prædicamenta, ens autem prout prædicatur de decem Prædicamentis Metaphysicè, vel naturaliter, non dicit vnum conceptum, nec est genus naturale eorum Metaphysicum, tamen est genus * vniuocum, loquendo Logicè. Ad aliam confirmationem de differentia, quæ est extra rationem generis; dicendum quòd licèt genus, & differentia non sint idem formaliter, quia ratio differentiæ non includit rationem formalem generis, tamen sunt idem realiter, vel identicè; quandocumque enim aliqua sunt idem formaliter, si iungantur sine medio, est ibi nugatio, vt color albedo, non tamen, si sunt idem identicè solùm, & non formaliter, vt color albus, licèt album sit idem re quod albedo; quia tamen significat rem solam denuminatiuè, siue in concreto, non est nugatio; sic autem iungitur differentia generi in diffinitione, quia differentia denominatiuè, vel in concreto significatur, vt animal rationale, quæ est definitio hominis: sic est idem genus rei identicè tantùm, & non formaliter: sic etiam est in proposito de ente respectu vnius; quia ens vnum non est nugatio. Sic ergo aliquid additum enti effugit rationem entis, quod significatur modo differentiæ, quæ est idem generi, identitate tamen rei, & non formaliter. 12.

Ens quo sensu genus dici potest.

** Genus non est in Ms. Genus & differentia idem realiter.*

Quando hic contingat nugatio. Vide Doct. 1 d. 3. q. 3 n. 16.

Quomodo aliquid additũ enti fugit rationem entis.

Ad aliud de descensu indeterminati descendentis in inferiora, dicendum quòd duplex est indeterminatum descendẽs in inferiora. Vnum quod descendit in inferiora per aliquid additum, & tale dicit totum quod inferius, tamen per modum partis determinantis, vt differentia; & tale non est ipsum ens. Aliud autem est commune indeterminatum, quod dicit totum illud quod dicunt inferiora per modum totius; nec expectat terminari per aliud, vt species respectu indiuiduorum; duo enim indiuidua se totis in specie conueniunt, & in numero differunt: & tale commune 13.

Indeterminatum duplex quoad eius descensum.

non

Ens est quasi species ad substantiam, & accidens.

non descendit in inferiora per aliquid additum; sic autem ens est commune ad Deum, & ad decem Prædicamenra, & ad substantiam, & accidens, nihil enim est in substantia, & accidente quod non sit ens; & ideò statim sub ipso, sine addito, est substanria, vel accidens: non ergo reducitur ad prædicabile generis, vel speciei subalternæ, vel differentiæ, sed speciei specialissimæ. Vel potest dici sustinendo, quòd sit genus, vel quasi genus secundùm Auicennam, quod descendit in inferiora per addita, quæ sunt etiam idem realiter, non tamen formaliter. Nec tamen ex hoc sequitor, quòd secundùm se sint non entia, sicut non sequitur, homo secundùm se non est albus; ergo secundùm se est non albus; quia nec ex ratione homanitatis habet, quòd sit albus, nec non albus; entis ergo differentiæ non per rationem differentiæ sunt entia; nec tamen sequitur quòd per rationem differentiæ, sint non entia.

Dat indiuiduum entis. 5. dist. 8. q. 3. num. 19. & 4. d. 8. q. 2.

14. *Omnia alicuius generis possunt dici per attributionem ad vnum.*

Ad aliud de 4. *Metaph.* dicendum quòd secundùm Philosophum 4. *Metaph.* non est contra rationem vnitatis generis, quòd omnia illius generis dicantur per attriburionem ad vnum, videlicet de genere coloris, in quo tamen omnes species coloris attributionem habent ad albedinem, quæ primum est, & mensura omniom colorum; & simile est in quolibet genere, vt dicitur ibidem: sic in proposito, omnia entia habent attributionem ad ens primum, quod est Deus, vel alia entia creata ad substantiam, tamen hoc non obstante, potest ab omnibus istis abstrahi vnus conceptus communis significatus hoc nomine, *ens*, qui est vnus Logicè loquendo, licèt non naturaliter, & Metaphysicè loquendo.

Ad primum. Obiectum intellectus creati omne finitum, excipe relatiuũ cuius terminus est infinitum. quodl. 17. a. 2.

f Ad primom principale, dicendum quòd primum obiectum potentiæ debet esse secundùm adæquationem ad potentiam secundùm se, non statu determinato aliquo tantùm; ens autem secundùm se, & secundùm quodlibet suppositum eius absolutum, vel relatiuum, cuius terminus non est ens infinitum, est naturaliter immutatiuum intellectus nostri, secondùm se, & inquantum intellectus humanus. Vnde etiam Deus ab intellectu nostro humano, est intelligibilis secundùm se, quantum est ex parte potentiæ intellectiuæ, & sine medio aliquo, vel lumine, vel specie; quia Deus ipse lumen est, & præsentialiter potest adesse intellectui humano, sicut in Beatis: si aurem à nobis non potest intelligi pro statu viæ, hoc est ratione phantasmatis nobis coniuncti in nostro modo intelligendi pro statu viæ, sed hoc est nobis inflictum in pœnam propter peccatum primi hominis, non autem secundùm naturam conditam, vt dictum est.

Quare in via Deus non intelligitur obiecto proprio?

15. Suprà q. 18.

Ad aliud dicendum, concedo maiorem, & proportiones eius; sed nego minorem. Ad authoritatem, quà dicitur in veritate, &c. Dicendum, quòd verum est Metaphysicè loquendo, Logicè tamen dicit vnum conceptum vniuocum communem omnibus entibus.

Ad aliud, dicendum quòd cognoscibilitas secundùm se sequitur entitatem, non autem respectu cuiuscumque intellectus, vel quolibet statu; sed tantùm respecto illius intellectus, qui potest cognoscere ens secundùm totam suam communitatem; & hoc est Deus. Vnde benè sequitur, quòd essentia diuina est primum obiectum intellectus sui, cùm sit primum ens, non autem oportet quòd sit primum obiectum intellectus nostri.

ANNOTATIONES in quæstionem vigesimam-primam.

CONCLVSIO I.

Nec verum, nec Deus, nec substantia est primum obiectum intellectus nostri.

a AD *istam quæstionem dicendum*, &c. Explicat optimè duplicem obiecti primitatem, scilicet virtutis, & prædicationis, ostendens eam non conuenire vero, respectu intellectus, de quo actum est *quæst. præced.* neque Deo, neque substantiæ, de quo actum est *quæst.* 19. *annot.* 5. vbi probatum est ens esse obiectom intellectus, & soluta argumenta suadentia Deum esse eius obiectum.

CONCLVSIO II.

Ens est primum obiectum, sed non prædicatione in quid.

16. b CVm *igitur, nec Deus, nec verum*, &c. Ex sufficienti enumeratione probat primò ens esse obiectum intellectus; quod etiam probatum est *quæst.* 9. *& ibi annot.* 2. & latè tradit Doctor 4. *Metaph. qu.* 1. Secundò docet ens non esse obiectum primum intellectus, primitate prædicationis in quid; tum quia non prædicatur sic de vero, & bono, vel aliis passionibus suis; quia est horum subiectum, & cadens in ipsorum diffinitionem, vt additum; tum etiam, quia hæc prædicatur de ente secundo modo 1. *Poster. text.* 3. ergo ens non prædicatur de eis primo modo, quia prædicationes per se non conuertuntur, 1. *Poster. text.* 39. Addit alias tres rationes. de quo agit locis in resolutione citatis, & præcipuè 1. *dist.* 3. *q.* 3. *à n.* 6.

Prædicationes per se non conuertuntur.

17. *Prædicatio propria duplex, in quid & in quale.*

Pro explicatione, nota quòd duplex est prædicatio propria, scilicet in quid, & in quale; genus & species in quid prædicantur, differentia proprium, & accidens in quale: illa in quale essentiale, hæc duo in quale accidentale; propriè igitur genera, & species tantùm sunt prædicata quiditatiua, reliqua qualificatiua. Ex quo sequitur quæ propriè prædicantur in *quid*, habere rationem totius determinabilis, & communicabilis inferioribus; alia autem prædicantur, vt determinatiua, & qualificatiua tantùm; quia determinant illud totum determinabile. Hinc patet intentum Doctoris, quòd ens prædicatur vniuocè de omnibus, sed non prædicatur sic in quid de suis passionibus, ex rationibus hìc adductis; neque de vltimis differentiis, vt habet Scotus 1. *dist. q.* 3. *n.* 6. alioquin non essent vltimæ, sed includerent alias differentias; quia includerent conceptum quiditatiuum, & qualificatiuum. Vnde hæc non est prædicatio in *quid*, vltima differentia est ens, sed quasi per accidens, quia est in quale, vt habet Doctor *citat. n.* 14. vbi etiam docet passiones, & vltimas differentias esse conceptus simpliciter simplices, id est, non resolubiles in plures conceptus; quia sunt vltimi termini entis, nõ vlteriùs determinabiles, aliàs procederetur in infinitũ in prædicatis quiditatiuis, contra Phil. 2. *Met. tex.* 10. *&* 11.

An ens prædicatur in quid de suis passionibus, vel vltimis differentiis.

18. Nota secundò, prædicata sumpta ex differentiis vltimis, & ipsas vltimas, quandoque dici quiditatiua; quia pertinent ad rei quiditatem; sed non prædicantur in quid, propriè loquendo, & secundùm vsum Philosophorum, ex Porph.

quis

quia hoc tantùm conuenit generi, & speciei, sed in quale essentiale; si sit differentia essentialis, vel accidentale, si proprium, vel accidens. Non negat Scotus ens prædicari de differentiis vltimis, sed quòd non prædicatur de eis in quid, ita quòd sint composita ex contracto, & contractiuo, & sumpsit ex Philos. 10. *Metaph. text.* 12. vbi docet distingui *diuersum*, & *differens*, quia quæ differunt, habent in quo conueniant, & in quo differant; & exemplificat de genere, & specie, in quibus sunt conceptus determinabilis, & determinatiuus; at diuersa non habent tales conceptus simul, nec in quo conueniant, & in quo differant, intellige necessariò: sed si habent, est per accidens, vt ibi explicat Doctor; & huiusmodi sunt differentiæ vltimæ, specificæ, & indiuiduales.

Quomodo differunt diuersum, & differens?

19. Videtur secundùm mentem Scoti, non negari ens prædicari de vltimis differentiis absolutè, sed verè, & vniuocè de eis prædicari, non tamen in quid, seu vt totum, vel determinabile; & hunc sensum tantùm videntur suadere duæ eius rationes 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *num.* 6. Prima est, quia aliàs in differentiis daretur processus. Secunda, quia in Physica compositione, fit resolutio in actum vltimum, & potentiam vltimam; ita vt actus nihil habeat potentiæ, nec è contra; ergo similiter in composito ex conceptu determinabilis, & determinatiui, fiet resolutio in conceptum determinabilem tantùm, & determinatiuum tantùm, qui est vltimæ differentiæ. Et si hic sensus teneatur, euanescunt multa Thomistarum argumenta contra Scotum hîc, quia supponunt eum tenere ens nullo modo prædicari de vltimis differentiis, vel passionibus suis, quod nunquam asseruit. In vanum ergo circa hoc chartam replent Soncin 4. *Metaph. quæst.* 19. *&* Iauell. *ibi, quæst.* 3. & Suarez *in Metaph. d.* 2. *sect.* 5. *&* 6. Si teneatur etiam differentias vltimas, ac passiones entis esse ens, sed tantùm denominatiuè, vel per accidens, vt quidam Scotistæ docent, non sequentur absurda, quæ citati Doctores inferunt, toties interrogantes an passiones sint nihil, vel ens, nec dari posse medium. Quibus respondetur, esse ens, non vt ipsi volunt, quasi ens prædicetur de eis in quid, sed in quale, iuxta primum sensum; vel denominatiuè, identicè, vel per accidens, iuxta secundum sensum. Vnde non sequitur quòd sint non ens, vel nihil, quomodo secundùm Scot. 1. *d.* 8 *quæst.* 4. & alios passim, non sequitur, Pater in diuinis non est formaliter sapientia; ergo absolutè est non sapientia, quia est realiter, & identicè sapientia.

Exponitur Scotus an neget ens dici de vltimis differentiis, & quo sensu.

20. Eodem modo dicendum est de passionibus, quòd non includunt ens, ita vt prædicetur de eis in quid, iuxta primum sensum explicatum; & habet Doctor hîc quarta ratione pro hac conclusione, & colligitur expressè ex quinta ratione, ipsum non negare ens dici de passionibus, sed tantummodò non dici de eis tanquam in eis contractum; quia tunc daretur processus, vt de vltimis differentiis intulit.

Non negat Scotus ens dici de suis passionibus.

Soluuntur argumenta in contrarium.

Arguitur contra hæc: 3. *Metaph. text.* 10. dicitur, quòd ens non est genus, quia tunc differentia non esset ens; ergo supponitur esse ens. Respondetur cum Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *n.* 14. Philosophum ibi tantùm disputare in vtramque partem. Secundò, benè sequitur; si ens est genus: ergo nulla differentia quiditatiuè est ens; & hoc supponit de aliquibus differentiis dici ens in quid; quod verum est; quia de omnibus non vltimis, sic dicitur: habent enim conceptum determinabilem, & determinatiuum.

21. Arguitur secundò: vltima differentia est aliquo modo sub ente non æquè latè patens, ad illud; ergo habet aliquid per quod contrahitur, & limitatur; ergo habet conceptum determinabilem, & determinatiuum, & non est simpliciter simplex conceptus; & per consequens ens prædicatur de ea in quid, instar generis, vel speciei. Respōdetur primò, quòd est purè contractiuum, sicut ratio distinguendi seipsâ est distinctâ, & existentia seipsâ existit; vnde vltima differentia, cùm sit ratio purè determinatiua, & contractiua, seipsâ est contracta. Sic multi respondent ad simile argumentum de modis contrahentibus ens ad decem genera: verbi gratia, perseitas in substantia, est modus purè contractiuus, & non resolubilis in plures conceptus, sed seipso cōtractus, & ab omni alio distinctus, & sic de aliis modis; alioquin dares processum; quia conceptus contrahens illum modum, haberet alios duos conceptus; & sic in infinitum. Secundò, dici potest ens non esse superius ad vltimam differentiam, quia non abstrahitur, nisi ab his ad quæ contrahitur; cúmque ad pura contractiua non contrahatur, non abstrahitur ab eis; & sic non est superius ad ea. Quæ solutio etiam deseruit pro modis contractiuis entis: prædicatur ergo ens de vltima differentia, ad eum modum quo animal de rationali, quæ est prædicatio denominatiua impropria.

Quomodo vltima differentia contrahatur sub ente?

An ens sit superius ad vltimas differentias?

22. Arguitur tertiò, passiones entis includunt ens, esto non in quid, vt explicatum est; ergo & aliquid aliud quo differunt ab eo; alioquin ens esset passio sui. Nec recurri potest ad solutionem datam, quia passiones non contrahunt ens, sicut vltima differentia, vel modi contractiui eius ad decem genera. Respondetur, argumentum vrget Thomistas asserentes ens prædicari in quid de passionibus, sed nos non tangit, qui dicimus esse modos qualificatiuos entis, & esse primò diuersos ab ente, quia sunt simpliciter simplices in nullo cum ente conuenientes, sed se totis ab eo distincti, quomodò inter se differunt duæ indiuidualitates. Illi verò tenentes ens in eis essentialiter includi, necesse est concedant aliquid aliud præter ens, alioquin ens erit passio sui; & de illo alio quæro an includit ens essentialiter, & dabis processum, vel stabis in primo. Neque valet quod dicunt, non esse inconueniens in transcendentalibus, subiectum includi in passione, tum quia id est contra Aristotelem suprà, qui in vniuersum id negat: tum etiam, quia sicut passio particularis se habet ad subiectum particulare, sic transcendentalis ad transcendentale.

Passiones entis an aliquid includunt præter ens?

Alij cum Suarez *in Metaph. d.* 3. *par.* 1. negant passiones entis esse attributa realia, sed tantùm addere enti negationes, vel respectum rationis, quod asserit D. Thom *quæst.* 1. *de ver. art.* 1. *&* *q.* 21. *art.* 1. Soncin. 4. *Metaph quæst.* 1. Iauel. *quæst.* 1. Sed est falsa sententia; tum quia negatio non conuenit alicui, nisi ratione positiui in eo; ergo negatio falsitatis, vel malitiæ non conuenit, nisi ratione positiuæ veritatis, vel bonitatis, formaliter loquendo; quia ens, quà tale, non habet has negationes: tum etiam, quia secluso omni ente rationis, ens est verum, bonum, &c. sed de hoc latiùs in materia de ente.

23. Posset responderi aliter, tenendo non esse passiones eo rigore, quo tales sunt passiones particulares, sed quòd se habent instar modorum intrinsecorum; & sic non se habet eorum conceptus, quasi esset compositus, ex conceptu entis, & alienius superadditi; sed per modum conceptus expressioris: sicut concipitur ens infinitum, non duobus conceptibus, sed vno expressiori, quàm sit conceptus entis, vt sic. Hæc doctrina est secundùm mentem Scoti 1. *d.* 8. *quæst.* 3. *num.* 27. & D. Thom. *quæst.* 1. *de ver. art.* 1. & *quæst.* 21. *art.* 1. quæ solutio adaptari benè potest modis contractiuis entis ad decem genera.

Passiones entis se habent, vt modi intrinseci.

CONCLVSIO III.

Ens respectu Dei, generum, specierum, & indiuiduorum, esse obiectum adæquatum intellectus nostri, adæquatione prædicationis in quid, & hoc vniuocè.

SEd quòd sit obiectum respectu suorum inferiorum, &c. Hæc conclusio quoad primam partem, scilicet quòd ens sic sumptum sit obiectum adæquatum nostri intellectus, patet ex dictis duabus quæstionibus præcedentibus, earúmque annotationibus; & quòd de Deo, generibus, speciebus, & indiuiduis tantummodò prædicetur ens in quid, non de aliis, ostensum est conclusione præcedenti. Nunc autem probat Scotus ens prædicari de his vniuocè, primò ex loco expresso Philosophi, in quem vide ipsius expositionem singularem. Secundò, ex Commentatore. Tertiò, rationibus tribus, quæ tamen indirectè procedunt, probantes conceptum entis Deo, & creaturis non esse analogum, vel æquiuocum, & per consequens vniuocum. Probat autem directè 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *num.* 6 & *fusè d.* 8. *quæst.* 3. *à num.* 4.

24. Pro explicatione aduerte ex Aristotele *in Antepradic.* quòd *Vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio nominis,* (id est, definitio) *est eadem,* vt homo, & equus respectu animalis. Æquiuoca autem habent nomen tantùm commune, sed non definitionem, seu rationem illius nominis; vt piscis quidam, & quoddam sydus respectu canis; nihil enim importatum per hoc nomen est commune istis, præter nudam vocem.

Definitio Vniuocorum, & Æquiuocorum.

Ex quo infertur ad vniuocum requiri duo; vnum, quòd habeat conceptum per se vnum, distinctum ab inferioribus: alterum, quòd ille conceptus includatur in inferioribus; & vtrumque habetur ex allato exemplo Aristotelis: animal enim sic se habet ad hominem, & equum.

Duo requiruntur ad vniuocum.

Nota secundò, quòd vniuocatio est triplex; alia in rebus independenter ab intellectu; & hæc est naturæ specificæ, quæ à parte rei est vna negatiuè, vt habet Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 1. Dicitur hæc vniuocatio Physica, quia rei secundùm se conuenit, vt habet Scotus 1. d. 3. *quæst.* 3 *num.* 17. & iuxta hoc intelligitur id 7. *Physic. In genere latent æquiuocationes*; quia species eius non sunt vniuocæ Physicè. Et iterum, *text.* 24. *in specie specialissima est propriè comparatio, & non in genere*; & ibidem: *quod si non sunt æquiuoca, comparabilia sunt.* Alia est vniuocatio Metaphysica, quæ conuenit conceptui abstracto à rebus, quæ vniuocæ non sunt, prima illa vniuocatione; & hæc conuenit omnibus gradibus, præter speciem vltimam. Vide Scotum 1. *d.* 8. *quæst.* 3. Tertia vniuocatio est Logica; & hæc conuenit realitati, vel intentioni primæ sub vna intentione Logica conceptæ: verbi gratia, generis, speciei, &c.

Vniuocatio triplex, Physica, Metaphysica, Logica.

Text. 35.

Tertiò, aduertendum in vniuocatione dari latitudinem, seu gradus; tunc autem est perfecta, quando aliquid descendit in inferiora secundùm eandem rationem, eundem essendi modum, eundémque perfectionis gradum, & hæc tantùm conuenit infimis speciebus; reliquis superioribus non transcendentibus deest tertium; quia non descendunt æquè perfectè. Enti autem deest etiam secundum, & descendit tantùm secundùm eandem rationem, non verò secundùm eundem essendi modum, in Deum, & creaturam, substantiam, & accidens; quia in Deum infinitè, & independenter, in creaturam finitè, & dependenter; in substantiam per se, in accidens non per se. Sed hîc descensus secundùm eandem rationem sufficit ad vniuocationem absolutè. Vide Scotum *q.* 4. *Prol. ad vlt. num.* 45. vbi ponit duos gradus vniuocationis, scilicet in forma, & in modo essendi, & 1. *d* 3. *q.* 3. *num.* 17. ponit tertium gradum, id est, secondùm gradum perfectionis, & iste tantùm competit vltimis speciebus, vt dictum est, in quibus tantùm est vniuocatio perfectissima. 25.

Diuersi gradus vniuocationis.

Quartò notandum, analogum esse duplex, ex Aristotele 1. *Ethic. cap.* 6. vnum est proportionis, & est quando primarium analogorum denominatur tale à sua forma; alterum verò etiam denominatur à sua, non absolutè, sed quatenus seruat in ordine ad illam, quandam proportionem cum habitudine primi analogati ad suam: verbi gratia, homo dicitur ridere à proprio actu absolutè, pratum verò dicitur ridere à viriditate, non absolutè, sed prout seruat quandam proportionem ad hominem ridentem. Alterum est analogum attributionis, & ab Aristotele vocatur *ab vno ad vnum*, & sumitur ex habitudine ad vnam formam, quæ in vno est propriè & intrinsecè, in alio impropriè, & extrinsecè; vel quando plura ab vno ad quod habent attributionem, dependent, vt sanum de animali intrinsecè, de vrina, & medicina extrinsecè. Quando autem illud vnum, ad quod est attributio, est intrinsecum pluribus, compatitur cum vniuocatione, vt habet Scotus 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *ad* 2. *contra vniuocationem num.* 17 & *d.* 8. *quæst.* 3. *num.* 12. vbi tenet huiusmodi attributionem reperiri in speciebus eiusdem generis, quæ tamen sunt vniuocæ; & probat ex Aristotele 10. *Metaph text.* 2 & *seq.* vbi ait esse essentialem ordinem, seu attributionem inter tales species ad primum illius generis, & 7. *Physic text* 14. vbi dicit quòd omnis comparatio est in simpliciter, vel aliqualiter vniuoco; vt si dicas, hoc est perfectius illo, oportet aliquid esse commune vtrique; vnde homo non est perfectior homo, quàm asinus, sed benè perfectius animal. 26.

Analogum duplex, proportionis, & attributionis.

Quæ analoga compatiuntur cū vniuocatione!

Omnis comparatio est in aliqualiter vniuoco.

Nota quintò, & habetur ex dictis 1. & *præced. notabili*, inter vniuocum, & æquiuocum, non dari medium; quia habere rationem nominis communem, quod conuenit vniuocis, & non habere, quod est æquiuocorum, immediatè opponuntur. Ita Scotus 1. *d.* 8. *quæst.* 3. *num.* 14 Analoga ergo si habent rationem nominis communem, vt in proposito, de Deo, & creatura respectu entis, erunt vniuoca; si non habent, vt de risu, & sano, erunt æquiuoca. 27.

Inter æquiuocum, & vniuocum non est medium.

Dices, ergo superfluè posuit Aristoteles *in Antepradic.* denominatiua. Negatur, quia considerauit modum prædicandi de subiecto, secundùm

Denominatiuum, an medium inter vniuocum & æquiuocum!

dùm habitudinem prædicati ad illud, siue ista sit vniuoca, siue æquiuoca; quia hæc est prædicatio denominatiua vniuoca: *Homo est sanus*, hæc, denominatiua æquiuoca; *medicina est sana*. Si tamen per denominatiuum intelligas prædicatum, quod non est de ratione subiecti, sic potest esse medium inter vniuocum, & æquiuocum, vt habet Scotus citatus; quia tunc restringis vniuocum, vt sit de ratione subiecti: sed hæc acceptatio falsa est, & inusitata.

28. Vltimò aduerte, eùm videatur Scotus hac quæstione negare analogiam inter Deum, & creaturas, quoad conceptum entis; id intelligendum esse de analogia excludente vnitatem conceptus præcisi, quæ coincidit cum æquiuoco; Scotus enim negat, vt iam dixi, dari medium inter æquiuocum, & vniuocum: itaque dum hîc negat analogiam, loquitur de eà quæ vniuocum excludit. Quod patet ex eius exemplo, ratione tertia adducto, de sano respectu animalis, & vrinæ; quia sanum non habet vnum conceptum vniuocum istis. Quòd verò hæc sit mens eius, patet; quia analogiam attributionis compatibilem cum vniuocatione admittit in eote respectu Dei, & creaturæ, 1. *dist.* 8. *quæst.* 3. *ad* 3. *num.* 12. & etiam inter species eiusdem generis, 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. *num.* 17. quod explicui secundo notabili. Tertia ratio Scoti hic adducta, contra hoc militare videtur, sed postea expedietur.

Ens non esse analogū Deo & creatū, quo sensu verum?

Probatur directè ens esse vniuocum Deo, & creaturis. Prima ratio, intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuersis conceptibus, habet illum vnum distinctum ab istis; quia idem conceptus non potest esse simul certus, & dubius; sed potest viator certos esse de aliquo, quòd sit ens, dubitans an sit finitum, vel infinitum, creatum, vel increatum; vt quando quidam Philosophorum ponebant ignem esse primum principium, alij aquam; certi erant omnes, tam ignem, quàm aquam esse ens; dubitabant tamen, & disputabant, an essent primum principium, quod est infinitum, vel non. Similiter, quidam Iudæorum certi Christum esse ens, dubitabant an esset Deus, vel creatura; ergo conceptus ille entia, de quo viator est certus, vniuocus est Deo, & creaturis; quia neuter est, & in vtroque inclusus; alioquin intellectus non esset certus, hoc, vel illud esse ens, si ena non includeretur in illis.

29. Respondet Caietan. *lib. de Ente, cap.* 2. & Iauell. 4. *Metaph. quæst.* 1. argumentum tantùm probare alietatem conceptus entis, ab inferiorum concepto, non tamen vniuocationem eius. Contrà, quia sufficit vnitas, & alietas illius conceptus ad vniuocationem; quandoquidem constet ex argumento, quòd includatur in inferioribus, aliàs non esset intellectus de quolibet certus, quòd esset ens; quia ex Aristotele cit. 1. *notabili* tantùm hæc duo requiruntur ad vniocationem, non autem, quòd æquè perfectè, vel æquè primò descendat in sua inferiora. Henricus aliter respondet, quòd cognoscens de aliquo, quod est ens, dubitans an sit finitum, vel infinitum, habet duos conceptus in suo intellectu, qui propter similitudinem videntur vnus, & sic de en est certitudo. Contrà primò, quia tunc tollitur omnis via indagandi vniuocationem; quia sic diceretur quòd homo ad Socratem, & Platonem habet duos conceptus, qui tamen videntur vnus per similitudinem.

Reiicitur Caietan.

Henricus.

Reiicitur.

Secundò, illi duo conceptus, aut concipiuntur, vt disparati, & tunc non vt vnus, de quo possit intellectus esse certus; aut vt comparati secundùm analogiam, & similitudinem, vel attributionem; & tunc simul, vel priùs concipientur distincti; ergo non videntur vt vnus, de quo sit certitudo; quia non possunt aliqua inter se comparari, nisi extrema concipiantur; quâ ratione Phil. 2. *de Anima, text.* 46. dari probat sensum communem, quia cognoscit differentiam albi, & dulcis: & ex cognitione huius differentiæ probat cognosci extrema eius. Prima impugnatio est Scoti 1. *d.* 3 *quæst.* 2. *num.* 7. & secunda similiter d 8. *quæst.* 3. *num.* 7. 30.

Secunda ratio, pro nunc non possumus habere vllum conceptum, nisi per obiectum relucens in phantasmate; quod est solùm accidens sensibile, vel in specie in se deriuata; sed conceptus non vniuocus alicui relucenti in phantasmate, sed omninò alius ab eo, non potest per phantasma, vel speciem ab eo productam repræsentari; ergo si conceptus entis dictus de Deo, non est vniuocus vlli conceptui relucenti in phantasmate, non potest naturaliter haberi, quod est falsum, quia Philosophi non tantùm ens, sed multa alia de Deo nouerunt. Minor probatur, quia obiectum relucens in phantasmate, vel specie, simul cum intellectu operando secundùm vltimum virtutis, tantùm facit conceptum proprium, & conceptum inclusorum essentialiter, vel virtualiter in eo; sed conceptus entis dictus de Deo, si est disparatus, & non vniuocus, non continetur in eo essentialiter, vel virtualiter; ergo. Quod non essentialiter, patet, quia aliàs includeretur vniuocè. Quòd non virtualiter, etiam patet, quia obiectum quod non continet aliud virtualiter secundùm entitatem, non continet illud secundùm cognoscibilitatem.

Species quas eū phantasmate eliciimus, tantùm repræsentant sua propria obiecta, & vniuocè contenta in eis.

Respondet Caiet. *loc. cit.* obiectum posse producere cognitionem non tantùm sui, & suorum effectuum, sed etiam eorum quæ continet participatiuè; & sic creatura potest producere conceptum de Deo, quia est participatio eius. Contra hoc videtur ad oppositum: si creatura continet Deum participatiuè, ergo communicat in entitate cum Deo, & sicut habet ille entitatem infinitam, ita illa finitam, & per consequens, entitas est vnius rationis, seu vniooca in eis, ersi per prius, & perfectiùs in vno, quàm in altero; sicut dulcedo perfectius est in melle, quàm in lacte, sed in vtroque vniuocè. Neque effectus participat causam, nisi in hoc, quòd in aliquo conceptu conueniunt: nam si in omnibus sint diuersa, nihil est quod participatur ab eis. Confirmatur, quia si effectus, quà talis, gigneret cognitionem causæ, tollendo omnem conceptum illis communem; sequitur quòd conceptus moli gigneret speciales conceptus equi, & asinæ; quo nihil absurdius. 31.

Magn, & minùs non tollunt rationem vniuoci.

Præterea, conceptus proprius Deo, & non communis creaturæ, est longè perfectior quocumque conceptu creaturæ: ergo non potest causari à conceptu creaturæ, alioqnin causa æquiuoca erit imperfectior suo effectu. Vide alias tres rationes apud Scotum 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *num.* 8. & 9. à quarum discussione abstineo; quia hæc magis ad Metaphysicam spectant. Videndus est Doctor 4. *Metaph. quæst.* 1. Antoo. Andr 16. q. 1. & Aoton. Trombeta *quæst.* 2.

Soluuntur varia argumenta contra vniuocationem entis, respectu Dei, & creaturæ.

32. Arguitur primò, ex D. Thom. 1. *par. quæst.* 13. *art.* 5. Nihil conuenit secundùm eandem rationem Deo & creaturæ; ergo nec vniuocè. Antecedens patet, quia sapientia, & sic de aliis, non dicitur de Deo secundùm illam rationem, secundùm quam dicitur de creatura; quia est qualitas in creatura. Respondetur, sapientiam (& idem de aliis transcendentibus) secundùm eandem rationem sapientiæ vt sic, prædicari de Deo, & creaturis. Si autem addas rationem contractiuam, sic ratio non erit communis; vt in exemplo, quia esse qualitatem, vel accidens, appropriat sapientiam creaturæ, & separat à Deo. Si argumentum valeret, probaret animal non esse vniuocum homini, & equo; quia includendo id quo contrahitur ad hominem, non prædicatur secundùm eandem rationem de equo.

Arguitur secundò, ex eodem, propter distantiam aliquarum creaturarum inter se, nihil vniuocè dicitur de eis; sed Deus magis distat ab eis; ergo. Negatur antecedens; quia de substantia, & accidente ens dicitur vniuocè, de quo conclusione sequenti.

Arguitur tertiò ibidem; effectus non adæquans causam, nihil habet vniuocum cum ea; sed nulla creatura adæquat virtutem Dei; ergo. Maior patet, quia talis effectus non recipit similitudinem causæ secundùm eandem rationem. Respondetur, tantùm probat, quòd non est vniuocatio secundùm speciem vltimam, quæ non reperitur, cùm causa est æquiuoca, vt hîc; non tamen tollit vniuocationem in ratione superiori. Si valeret argumentum, ignis, vel minera genita à Sole, non esset substantia vniuocè cum Sole, neque mulus ab asina, & equa genitus foret animal vniuocè cum ipsis, quod manifestè falsum est.

33. Arguitur quartò ibi, & est confirmatio, & explicatio præcedentis argumenti: quia ratio entis in Deo includit essentialiter omnem perfectionem, infinitatem, & independentiam; in creatura è contra; ergo nihil eis vniuocum. Respondetur, de ratione entis contracta in Deo, verum est, sed de abstracta, falsum. Si valeret, probaret quòd animal non prædicaretur de homine, & equo vniuocè, quia ratio animalis in homine contracta, est rationalis; in equo non. Probaret etiam non dari vnum conceptum præcisum entis Deo, & creaturis communem, etiam analogicè in sensu aliorum, quod est contra ipsum D. Thom. *Prol. 1. Sent. quæst. 1. art. 2. ad 2. &* 2. d. 1. *quæst.* 1. *art.* 1. ibi, *Cùm natura entitatis sit eiusdem rationis in omnibus*, &c. Idem habet *quæst.* 1. *art.* 1. *de ver. & quæst.* 21. *art.* 1. Iauel. 4. *Metaph. quæst.* 1. Sot. in *Præd. cap.* 4. *quæst.* 1. de quo vide Suarez *in Metaph. disp.* 2. *sect.* 2.

Arguitur quintò specialiter contra primam rationem, quæ videtur fundamentum Scoti. Sint tres in vno loco, singuli vocentur Socrates; si aliquis mouetur, possum habere conceptum Socratis certum, dubitans, quis ex tribus Socratibus moueatur; & tamen Socrates non est vniuocum illis tribus; ergo fundamentum Scoti nullum. Respondetur, haberi tunc conceptum indiuidui, vel suppositi, quod æquè, & secundùm eandem rationem conuenit eis. Ad quod autem

Ratio suppositi est vniuoca inferioribus.

prædicabile reduci debeat prædicatio indiuidui, & suppositi de suis inferioribus, non est huius loci tractare. Suarez *in Metaph. disp.* 6. *sect.* 8. *num.* 13. ad Proprium eam reducit, nec improbo. Quòd verò eius ratio sit vniuoca, tenet ipse ibi, estque D. Thom. 1. *par. quæst.* 30. *art.* 4 *& ibi* Caiet. (sibi tamen contrarius est, quia oppositum habet *cap. de specie*) P. Hurtado in sua Logica *d.* 5. *sect.* 7. & 8.

Caiet. *de Ente, cap.* 2. varia contra hanc conclusionem habet argumenta; sed ex dictis facilè soluuntur, & Leuchet. 1. *d.* 3. *quæst.* 3. id fusè præstat, vbi etiam aliorum soluit obiecta. Ipse Scotus 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *à num.* 14. soluit varia loca Philosophi, quæ parti oppositæ fauere videntur, & alia argumenta expedit 1. *d.* 8. *quæst.* 3. *a num.* 11. quæ omnia recolligit Philippus Faber *Theorem.* 95. *cap.* 5. & 6.

d *Præterea ille conceptus, cui alij attribuuntur*, &c. 34.
Hac tertiâ ratione videtur Scotus negare analogiam entis in ordine ad Deum, & creaturas; sed iam ostendi, notabili vltimo, id intelligendum esse de analogia excludente vniuocationem. Quod hîc ait nullum conceptum haberi pro nunc de Deo perfectiorem conceptu creaturæ, videtur contra ipsum 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *num.* 19. vbi docet Deum etiam pro hoc statu, esse primum cognitum, primitate perfectionis simpliciter: & probat ex Phil. 10. *Ethic.* quia hac ratione posuit felicitatem naturalem in contemplatione substantiarum separatarum. Respondetur primò, dubium esse quid hîc intendat Scotus; quia totus eius discursus tribus rationibus videtur eò tendere, vt probet nullum conceptum proprium Dei, vt est hæc essentia, causari à conceptu creaturæ; quia sic effectus excederet causam; & sic nulla est contradictio; quia loco citato loquitur de conceptu Dei communi, sed appropriato, cuiusmodi est conceptus entis infiniti, & omnium perfectionum simpliciter. De quo vide ipsum ibi *num.* 17. Hoc sensu stabit analogia, quia creaturæ attribuentur ad illum conceptum ex communibus factum proprium Dei, qui perfectior est conceptibus earum.

An pro hoc statu conceptus de Deo perfectior esse possit omni conceptu de creatura?

Quòd verò hæc sit mens Scoti hîc, suadetur; 35.
quia ait conceptum substantiæ esse perfectiorem quocumque conceptu accidentis, & sic accidentia illi attribui analogicè; & tamen conceptus substantiæ pro hoc statu causatur ex conceptu, vel per phantasmata accidentium sensibilium, sicut conceptus de Deo, per species, vel conceptus creaturarum; ergo cùm negat conceptum perfectiorem haberi de Deo, quàm de creatura, non loquitur de conceptu confuso appropriato Dei (alioquin idem diceret de conceptu substantiæ respectu accidentium) sed de proprio conceptu Dei, vt est hæc essentia.

Secundò, dici potest (& fortè magis ad literam: quia ratio Doctoris huc tendit) quòd loquitur etiam de conceptu confuso Dei, qui videtur imperfectior conceptu creaturæ; tum quia est effectus æquiuocus eius, vt hîc ait Doctor; tum etiam, quia continetur in conceptu creaturæ, vt communis in proprio, & speciali; & sic censetur potentialis, & pars eius, & consequenter imperfectior ipso. Quando ergo dicit *loco cit.* Deum esse primum cognitum primitate perfectionis, volt quòd cognitio Dei sit obiectiuè perfectior cognitione creaturæ, sicut & cognitio cuiuscumque obiecti perfectioris, perfectior

Alia expositio Scoti, fortè præferenda.

ctior est cognitione minùs perfectorum. Inde tamen non habetur cognitionem esse intrinsecè perfectiorem; nisi illa obiecta perfectiora proportionentur potentiis in ratione intelligibilium, sicut imperfectiora. Quod in præsenti non fit, quia sola sensibilia, & eorum quiditas, proportionatur nostro intellectui pro hoc statu: reliqua autem cognoscimus per species horum, vt ostendi ad *quæst.* 17.

36. *An ad attributionem analogiæ sufficit obiectum ad quod fit attributio esse perfectius, licèt eius cóceptus non sit perfectior cóceptibus eorum, quæ attribuuntur?*

Adde etiam, conceptum entis, qui dicitur de Deo, dici perfectiorem permissiuè; quia compatitur cum infinitate; & iuxta hoc fortè fit attributio conceptus creaturarum ad ipsum: vel sufficit ad attributionem analogiæ, quòd obiecta concepta attribuantur ad aliquid; etsi eorum conceptus sint perfectiores conceptu illius; & sic creaturæ attribuuntur Deo, quia sufficit qualiscumque attributio ad hanc analogiam, quandoquidem (vt tenet Doctor ex Phil.) etiam inter species eiusdem generis reperiatur.

Dices, si hic esset sensus Doctoris, idem diceret de conceptu substantiæ respectu accidentium, scilicet quòd esset imperfectior. Respondetur, arguendo locutus est secundùm sententiam communem aliorum, tenentium substantiæ dari proprias species; & sic eius cognitio perfectior erit cognitione accidentium; at secundùm nullus datur propria species Dei. Fateor nihil hic certum, ideò coniecturis vtor; sed non leuiter fundatis.

Conclusio IV.

Ens esse vniuocum substantiæ, & accidenti.

37. Quòd autem conceptus entis sit communis, &c. Probat tribus rationibus claris eos esse vniuocum substantiæ, & accidenti; & idem probant rationes allatæ pro conclusione præcedenti: eadem etiam difficultas, & argumenta contra vtramque conclusionem occurrunt, eodémque modo soluuntur; ideò hic non hæreo.

Quo sensu Deus est intelligibilis sine specie, vel medio lumine?

Ad primum principale dicendum, &c. Quod hic ait Deum secundùm se intelligibilem esse ab intellectu nostro, sine specie, vel lumine medio, sanè intelligendum est: non enim vult quòd intellectus suis viribus Deum in se videre possit, quia oppositum habet *quæst.* 1. *Prol.* & *quodlib.* 14. & 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. & 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *num.* 16. & 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. *num.* 9. & definitur in *Concil. Viennensi Clem. Ad nostram, de Hæret.* Sed quòd eleuari possit intrinsecè, vel extrinsecè, vt eum in se videre possit, quomodo Beati de facto eum vident. Hic fateor negat lumen intrinsecum gloriæ esse necessarium, & idem tenere videtur *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 11. *num.* 5. quod probabile est; & conforme *dictæ Clem. ad nostram*, quia non definit dari lumen inhærens; vnde satis temerè docet Caietan. 1. *part. quæst.* 12. *artic.* 5. hanc sententiam Scoti non posse sustineri, quia oppositum (inquit) amplexa est Ecclesia. Sed probabilius est, ponendum esse lumen inhærens ad Deum videndum, etsi nihil id conuincat, & ideò ponit illud Scotus 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. *fin.* & 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *artic.* 3.

Scoti oper. Tom. II.

Quæstio XXII.

Vtrùm singulare sit ab intellectu nostro per se intelligibile?

Aristot. 1. *Physic. text.* 49. & 5. *Metaph. cap* 9. & 3 *de Animâ, cap* 4. *text.* 9. Auerr. *comm.* 9. Themist. *cap* 20. D. Thom. 1. p. *quæst.* 12. *art.* 4. & 86. *art.* 1. Caiet. *ibid.* Mirandulan. *de Euers. singular. certam. lib* 23. *sect.* 4. Alexand. & Philop 3. *de Anima, cap* 8. Aureol. *in* 1. *dist.* 35. *quæst.* 4. *art.* 1. Richard. *in* 2. *dist.* 24. *quæst* 4 Durand. *dist.* 3. q 7. Gregor. *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. Burlæus, Thienens *circa locum* 1. *Physic. supr.* Iandun. 3 *de Anima*, *quæst.* 11. Apolinaris *quæst.* 12. Suarez *lib.* 4. *cap* 3. Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 4. *art.* 1. Ferr. 1. *cont. Gent. cap.* 65. Argent. *in* 4. *dist.* 50. *quæst* 1 *art.* 2. Capreol. *in* 1. *dist.* 35. q. 2. Aucrio *tom.* 2. *quæst.* 58. *sect* 4.

Et videtur quòd non: quia quod quid est, est proprium obiectum intellectus nostri; sed singulare, inquantum singulare non habet quod quid est, vel quiditatem; ergo, &c. Probatio minoris; quia si haberet quiditatem, esset diffinibile, & per consequens de ipso posset esse scientia; hoc autem est falsum; quia scientia esset corruptibilis, sicut & scibile. Similiter essent scientiæ infinitæ, sicut singularia possunt multiplicari in infinitum. 1.

Præterea, sensus est particularium, intellectus vniuersalium, 2. *de Anima, text.* 60. & sic de multis authoritatibus. Præterea, diuersorum obiectorum diuersæ sunt potentiæ cognitiuæ; sed vniuersale, & singulare, sunt obiecta diuersa; igitur, &c.

Præterea, si singulare posset intelligi, tunc habens perfectam cognitionem de specie specialissima, nondum intelligeret singulare, sed esset in potentia ad intellectionem eius; quod est falsum; quia agens artificiale non dirigitur in agendo, nisi cognoscat agibile perfectè, sed * agens habens tantùm cognitionem domus in vniuersali, potest facere domum hanc directè; ergo ad cognitionem intellectualem speciei specialissimæ, sequitur sufficiens cognitio singularis, immò in ea includitur. *al. artifex.*

Præterea, aut per eandem speciem intelligitur cum vniuersali, aut per aliam; non per eandem; quia eadem species non potest repræsentare diuersa, sub oppositis rationibus, quales sunt rationes distincti, & indistincti, quæ conueniunt vniuersali, & singulari. Si autem esset eadem, & esset vniuersalis primò; nullo modo posset repræsentare distinctè singulare; quia esset indistincta, & confusa. Si autem esset singularis ipsius primò; & ex consequenti vniuersalis, quot essent species singularium, tot essent vniuersalia; & multiplicarentur species in infinitum, si deberent cognosci omnia singularia. Si autem dicas, quòd non est eadem vtrisque, sicut per vnum singulare, generatur species vniuersalis, sic per omnia; & sic vnius singularis essent species infinitæ, vel eadem intenderetur, cùm possint esse singularia infinita. 2.

Contrà, quidquid est perfectionis in potentia cognitiua inferiori, scilicet sensitiua, est in superiori, scilicet intellectiua, quæ superior est; sed perfectionis est cognoscere singulare distinctè, quod conuenit sensui; igitur, &c. Præterea, intellectus compositiuus præsupponit simplicem; sed intellectus componit vniuersale cum singulari, & cognoscit compositum; vt cùm dicitur, *Ad opposit.*

Socrates est homo; ergo cognoscit vtrumque. Præterea, proprium motiuum est phantasma, quod est singulare, sed quod mouet intellectum, est obiectum eius; igitur, &c.

RESOLVTIO.

Sententia D. Thomæ ideò intellectum non intelligere singulare materiale, quia materia est singularitatis principium, & non potest intelligere, nisi abstrahendo à materia, reiicitur. Vide Doct. quodl. 13. art. 2. & 3. d. 14. quæst. 3. ad vlt. & 2. d. 3. q. 11. num. 9 & d. 9. quæst. 2. num. 35. & 4. d 45. quæst. 3. num. 21. & 7. Metaph. quæst. 15.

3. 1.p.q.56.art. 1. ad 3. *Themist. hic lib. 3. 10.*

a AD istam quæstionem dicunt quidam, scilicet Thomas, & Themistius, quòd intellectus noster pro statu viæ, non potest cognoscere singulare, quia secundùm ipsum materia est principium singularitatis; sed intellectus noster nihil intelligit, nisi per abstractionem à materia, & à conditionibus materiæ; abstractum autem à materia indiuiduali, non est singulare; ergo vniuersale est ab intellectu nostro primò intelligibile. Dicunt tamen quòd per reflexionem potest intelligere vniuersale; quia licèt species intelligibiles sint in intellectu nostro, tamen per eas non potest intelligere, nisi intuendo obiectum vniuersale in ipso phantasmate, quod est repræsentatiuum singularis primò.

Habentur hi articuli præmissi Magistro sent. vide c. 7.

Sed contra hoc procedendum est hoc modo, primò destruendo suum principium indiuiduationis; vnde excommunicatus est Parisiis iste articulus, quòd non possint esse plura indiuidua eiusdem speciei propter defectum materiæ.

Præterea, ipsimet concedunt quòd singularitas secundùm se non repugnat intellectui, cùm anima se possit intelligere, sed materia indiuidualis non addit aliud supra naturam speciei, nisi singularitatem; materia autem specifica est intelligibilis, quia est de quiditate speciei materialis; quæ primò est intelligibilis secundùm eum; ergo materiæ singulari non repugnat intelligibilitas.

Præterea, contra modum abstrahendi, quem ipsi ponunt, arguitur sic: abstractio vniuersalis à singulari, fit ab intellectu possibili, non autem ab agente, cuius est abstrahere speciem, à phantasmate tantùm; sed impossibile est abstrahere vniuersalia à singulari, non cognito singulari, aliter enim abstraheret ignorando à quo abstraheret; igitur.

Præterea, secundùm ipsos intellectus noster non potest intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata; sed sic se conuertendo, intelligit singulare: ergo non potest intelligere vniuersale, nisi simul intelligat singulare; non ergo tantùm per reflexionem. Præterea, intelligere singulare, scilicet per reflexionem, aut hoc est per speciem intelligibilem, aut phantasiabilem; non primo modo, quia illa est in intellectu repræsentatiua quiditatis absolutè; non secundo modo, quia illud tantùm mouet phantasiam, non intellectum, cùm ita non sit in intellectu; & per consequens non potest esse principium intelligendi singulare.

RESOLVTIO.

CONCLVSIO I.

Singulare est à nobis intelligibile secundùm se. Secunda, *est intelligibile pro hoc statu.* Tertia, *singulare sub propria ratione potest cognosci pro hoc statu.*

b DIcendum ergo, quòd singulare est à nobis intelligibile secundùm se; quia intelligibilitas sequitur entitatem; quod ergo secundùm se non diminuit de ratione entis, nec intelligibilitatis; sed singulare secundùm se non diminuit de ratione entis, immò est ens actu perfectum; vnde *in Prædicament. & 7. Metaph.* dicitur, quòd singulare subiectum est maximè substantia; igitur. 4. Concl. 1.

Præterea, illud quod secundùm se non est intelligibile, à nullo intellectu potest intelligi; sed singulare, vt singulare, ab aliquo intellectu potest intelligi, vt ab intellectu diuino, & Angelico; igitur. Præterea, singulare nihil addit vltra vniuersale, nisi gradum singularitatis, sed non excluditur ab intelligente ratione vniuersalitatis in eo contentæ, nec etiam ratione gradus singularitatis; quia multa singularia, vt Angeli, & animæ separatæ, & alia inferiora, intelliguntur ab intellectu diuino; igitur, &c. *Singulare posse intelligi.*

c Secundò, dico quòd singulare est à nobis intelligibile pro statu isto. Probatio, sicut enim conclusiones cognoscimus Syllogismo, ita principia Inductione, 1. *Prior. cap* 29. 1. *Top. c.* 10. vide Tartar. *ibi*, sed Inductio est processus à singularibus ad vniuersalia; sic autem discurrere pertinet solùm ad intellectum; ergo cognoscit singularia. Præterea, incognita non possumus diligere, secundùm B. August. sed per prius diligimus singulare, quàm vniuersale; quia præceptum est magis respectu singularis, quàm vniuersalis. vnde *in* 1. *Canonica Ioannis: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere.* Concl. 2. *Nil volitum quin præcognitum.*

Si dicas, quòd ad dilectionem singularis, sufficit cognitio vniuersalis; non videtur, quia sic sequeretur, quòd cognitio vniuersalis sufficeret ad diligendum tale singulare, quod nunquam fuit cognitum à sensu, quod videtur absurdum. Præterea, cognoscens differentiam extremorum, cognoscit extrema; sed intellectus cognoscit differentiam vniuersalis à singulari; igitur, &c. 5. *De qua 2. d. 42 q. 4.*

Præterea, nulli non intellecto à nobis, possumus nomen imponere, voces enim *notæ sunt earum passionum quæ sunt in anima*; sed intellectus noster, vel nos, mediante intellectu imponimus nomina singularibus; igitur. Præterea, experimur nos cognoscere singularia, vel cognoscimus; hoc autem non est per potentiam sensitiuam; quia non est reflexiua super actum suum; ergo per intellectum cognoscimus nos cognoscere singulare; sed intellectus non potest cognoscere se cognoscere singulare, nisi ipsum singulare cognoscatur; quia actus quo primò cognoscitur singulare, est repræsentatiuum singularitatis tanquam eius similitudo vera, magis quàm species singularis; igitur, &c. 6.

d Tertiò, dico quòd nulla potentia nostra, nec sensitiua, nec intellectiua potest cognoscere singulare sub ratione propria singularis; quia poten- Concl. 3. *Singulare pro nunc non potest cognosci sub propria ratione singularis.*

potentia cognoſcens aliquod ſubiectum ſub propria ratione, poteſt ipſum cognoſcere, & ab aliis diſtinguere, circumſcripto quocumque alio non habente iſtam rationem; ſed manente propriâ ratione ſingularitatis, ablatis aliis, non poſſemus diſtinguere inter duo ſingularia, nec per ſenſum, nec per intellectum; igitur. Probatio minoris, quia potentia cognoſcens obiectum ſuum, ſecundùm aliquam vnitatem, poteſt ipſum diſtinguere ab omni alio, quod non habet iſtam vnitatem; ſed vnum ſingulare non habet vnitatem, & indiuiduitatem eſſentialem alterius; & tamen nec ſenſu, nec intellectu diſtinguere poteſt inter duo ſingularia, circumſcriptâ diſtinctione accidentali, quæ eſt per locum, figuram, tempus, magnitudinem, colorem, & ſic de aliis. Exemplum, ſi proponantur viſui duo alba, vel intellectui duo ſingularia quæcumque, quæ in rei veritate eſſent diſtincta eſſentialiter, ſi tamen omnino haberent conſimilia accidentia, vt locum, vtpote duo corpora in eodem loco, vel duo radij in medio eodem, & haberent figuram omnino conſimilem, & magnitudinem, & colorem, & ſic de aliis conditionibus enumeratis, nec intellectus, nec ſenſus inter iſta diſtingueret; ſed iudicaret eſſe vnum; ergo neuter eorum cognoſcit quodlibet iſtorum ſingularium, ſecundùm propriam rationem ſingularitatis. Cauſa autem huius eſt; quia idem eſt principium agendi, & aſſimilandi, quia agens intendit aſſimilare patiens ſibi; & hoc ſpecialiter eſt verum in cognitione, quæ fit per aſſimilationem,

De quo 2. d. 3. q. 1. n. 4.

ſed principium aſſimilandi non eſt ſingulare, vt ſingulare, immò magis diſtinguendi, (quia in ſingularitate differunt ſingularia) ſed magis natura communis, in qua conueniunt; ergo ſingulare, vt ſingulare non eſt principium cognoſcendi nec in ſenſu, nec in intellectu.

De quo 2. d. 3. q. 6. ad 1. & 4. d. 45. q. 3. n. 51.

7. Contra hoc poſſet argui; numerus eſt ſenſibile per ſe, cùm ſit ſenſibile commune, ſecundùm Philoſophum 2. *de Anima, cap.* 5. 6. ſed numerus non eſt niſi pluralitas vnitatum: ergo quælibet vnitas eſt ſenſibilis. Præterea, ſpecies gignitur ab obiecto inquantùm ſingulare, quia actiones ſunt ſingularium; ſed ſpecies repræſentat id à quo gignitur, & ſub eadem ratione: igitur. Præterea, ſecundùm prædicta, ſequeretur quòd ſenſus non magis determinatè cognoſceret ſingulare quàm intellectus, quod eſt contra Philoſophum in pluribus locis.

Ad primum. Vtrùm ſenſibile commune an faciat propriam ſpeciem? 4. d. 12. q. 2.

Ad primum, dicendum quòd ſenſibile commune non facit propriam ſpeciem in ſenſu, per quam faciat ad ſubſtantiam immutationis, ſicut ſenſibile proprium, ſed tantùm facit ad differentiam immutationis; & ideò non ſentitur numerus, nec eius vnitas, niſi mediantibus qualitatibus ſenſibilibus: ſic ergo nec ſentimus duo ſingularia ratione ſuæ ſingularitatis, in quantùm duo, ſed vt diſtincta ſunt vel loco, vel magnitudine, vel figurâ, vel tempore; & ſic de aliis conditionibus ſuperiùs enumeratis, vel aliis accidentibus.

Ad ſecundum. Singularitas non eſt ratio agendi, ſed conditio.

Ad aliud, dicendum quòd ſingularitas benè eſt ratio, vel conditio agentis; ſed non eſt ratio agendi, immò formalis ratio agendi eſt naturâ, quæ eſt ſimilis in diuerſis; & hæc eſt ratio quam debet repræſentare ſpecies genita, non autem conditio agentis.

Senſus eſt ſingularium intuitiuè, intellectus etiam abſtractiuè.

Ad aliud, dicendum quòd ſenſus cognoſcit tantùm ſingulare intuitiuè, & non abſtractiuè; ſed intellectus vtroque modo: & ideò dicitur per appropriationem, quòd ſenſus eſt ſingularium, non vniuerſalium cognoſcitiuus; ſicut intellectus qui eſt vtriuſque cognitiuus; & ideò ſenſus magis determinatiuè cognoſcit ſingulare: quia cognoſcit per eius eſſentiam præſentem, & actualitatem, non autem quidditatem abſolutam.

RESOLVTIO.

Duo modi intelligendi ſingulare, alter negando ſpeciem intelligibilem, ſed ponendo ſolum phantaſma, alter admittendo ſpecies intelligibiles. de quo ſuprà, q 17.

8. Q Vartò, dico quantùm ad modum intelligendi ſingulare; quòd ſi non ponamus ſpeciem in intellectu, ſed tantùm in phantaſmate, ſicut natura in agendo non intendit vniuerſale, quia generato corpore, quod eſt vniuerſalius, quàm animatum, vel homo, non procederet ad generationem animalis, vel hominis; nec primò intendit ſingulare ſignatum, vel expreſſum; quia generato vnico ſingulari, ceſſaret actio naturæ: quæ ambo falſa ſunt, vt patet ad ſenſum; ſed primò intendit producere naturam in aliquo ſuppoſito, & hoc eſt indiuiduum vagum; ſic repræſentando ſpecies in phantaſia, primò repræſentat ſingulare vagum, ſecundùm quod primò fertur cognitio intellectus. Et hoc patet, quia aliquando intelligimus aliquod ſingulare, ignorato in qua ſpecie ſit; ſecundò, repræſentat naturam abſolutè, quando ſcilicet intellectus fertur in naturam non conſiderando eius ſingularitatem. Tertiò, reflectendo conſiderationem naturæ ad circumſtantias ſignatas, & ipſam per ipſas determinando, indiuiduum ſignatum poſſumus intelligere, quia eſt hîc, & nunc, & in tali figura, & magnitudine, &c. Deſcriptio autem talis, quam poſſumus habere de ſingulari, vel conceptus proprius quicumque, non repugnat alteri contradictoriè, ſed conceptus proprius ſub propria ſingularitate alterius, repugnat; modum autem prædictum intelligendi ſingulare ponit Ariſtoteles 1. *Phyſic. text.* 4. Dictus autem modus intelligendi non eſt ſimplex, vt dictum eſt, ſed eſt compoſitus ex conceptibus multarum circumſtantiarum vniuerſali conceptui additis: & hoc patet experimento; ſicut enim res ipſas intelligimus, ſic ſignificamus & exprimimus aliis; ſed conceptum ſingularis ſignati nullo alio modo exprimimus, quàm prædicto modo, nec alios aliter ſcimus docere: vnde dicimus: Socrates eſt vnus homo albus, criſpus, longus, &c. vt quilibet experitur in ſeipſo, &c.

De quo ſuprà q 17.

Natura primò intendit producere naturam in ſuppoſito.

Quomodo cognoſcimus indiuiduum determinatè?

9. Si verò ponamus ſpeciem in intellectu, dicendum quòd huiuſmodi ſpecies duplicem ſingularitatem habet; vnam à ſubiecto, quia eſt in intellectu ſingulari, & hanc ſemper habet; & aliam ab obiecto, à quo imprimitur ſaltem primò, licèt per operationem intellectus agentis abſtrahatur à conditionibus indiuiduantibus: & ſic primò repræſentat naturam in indiuiduo vago, quia illud ſe primò offert intellectui; ſecundò, naturam abſolutè; tertiò, ipſam intellectus determinat, addendo ſibi circumſtantias ſingulares prædictas; & ſic intelligit ſingulare ſignatum, non ſub ratione propriæ ſingularitatis, vt dictum eſt. Quòd tali ordine fiat cognitio in intellectu, patet per prædicta; quia ſi ars, & cognitio intellectualis imita-

Quomodo intelligitur ſingulare?

tur naiutam; vt dicitor 2. *Physicor. text. comm.* 22. Dictum est autem quòd natura primò intendit indiuiduum vagum; secundò, naturam in ipso; tertiò, indiuiduum signatum, quia est terminus generationis; ergo talis erit modus intelligendi, siue species ponatur in intellectu, siue non.

Ad rationes principales in oppositum.

Ad primum. Singulare quo sensu non est obiectum nostri intellectus. Ad primum, dicendum quòd verum est, quòd quid est est obiectum primum intellectus nostri, vel prius quàm singulare signatum, vel singulare sub ratione propria singolaritatis, immò vt sic, non est obiectum intellectus per se; & ideò nec diffinitur, nec cadit per se sub scientia; tamen aliquo modo cognoscimus ipsum reflectendo, vt dictum est. *Sensus est singularium, exponitur.* Ad omnes authoritates Philosophi, dicendum quòd sensus est singularium cum præcisione; quia non est vniuersalium; intellectus autem non, quia est cognoscitiuus vtriusque, & sic ad alias.

10. *De quo 1 d. 3. q. 3 à n. 20.* Ad aliud, dicendum quòd maior est vera de obiectis omnino disparatis, vt color & sonus, non autem de obiectis subordinatis, immò quod est primum obiectum potentiæ inferioris est per se obiectum, licèt non primò potentiæ superioris; vt patet de obiecto sensus particularis, & sensus communis; sic autem est in proposito.

Ad tertium. Ad aliud dicendum. Artifex priùs intelligit naturam domus in supposito vago, & ex consequenti in hanc domum & per accidens: & ideò cognito vniuersali, per accidens intelligitur singulare. Vel aliter dicendum, quòd artifex cognito vniuersali per intellectum, intelligit singulare signatum, circumstantionando vniuersale prædicto modo.

Ad quartum. An per eandem speciem intelligatur vniuersale, & singulare? Ad aliud, dicendum quòd per eandem speciem, aliter tamen consideratam, intelligimus singulare, & vniuersale: quia illa species primò repræsentat naturam in aliquo supposito: secundò, naturam absolutè: tertiò autem cum designationibus particularibus circumstantionantibus naturam, & singulare signatum: & sic patet solutio quæstionis. *1 d. 3. q. 11. num. 12.* Vel potest dici, quòd si intellectus non indiget nisi specie, quæ est in phantasmate, per speciem singularis intelligitur vniuersale. Nec propter hoc sequitor, quòd quot sunt singularia, tot sunt vniuersalia: quia species omnium singularium non repræsentant nisi vnum vniuersale.

Ad rationem Thomæ, dicendum, quòd materia non est principium indiuiduationis, vt supponit, sed quando Philosophus loquitur de ista *Materia non indiuiduat. 2 d. 3. q. 5 & q. 7 ad 1.* materia, vocat materiam, designationes materiales, vel singulares. Vnde dicit 7. *Met. text.* 18. quòd in dictis per accidens, non est idem quod quid est, cum illo cuius est, & vocat postea dicta per accidens, materialia.

Præterea, dato quòd materia esset principium indiuiduationis, tamen adhuc non sequitur quòd indiuiduum sit ignotum, sicut materia. Si enim materia dicitur ignota, quia non est hæc primò nota; sicut forma, & cognoscitur, priùs cognita forma, sic etiam singulare signatum intelligitor, vt dictum est, priùs cognita natura, circumstantionando eam, vt dictum est supra.

ANNOTATIONES
in quæstionem vigesimamsecundam.

CONCLVSIO I.

Falsum est singulare non esse intelligibile.

a AD *istam quæstionem*, &c. D. Thom. 1. *part. q.* 86. *artic.* 1. tenet singulare materiale non esse intelligibile. Quam sententiam refutat Doctor quinque rationibus claris, & videri potest locis in resolutione citatis, vbi easdem partim exprimit, partim indicat. *Reijcitur fundamentum D. Thom.* Adde contra fundamentum D. Thomæ adductum, & impugnatum à Doctore, quòd si intelligit materiam, quæ est pars compositi, esse non intelligibilem, sequitur inde nullam rem naturalem esse intelligibilem; quia omnis talis composita est ex materia, & forma. Sequitur etiam vniuersalia materialia non esse intelligibilia, quia altera pars essentialis eorum est materia; si verò intelligat de materia sumpta pro indiuidualitate, sequitur Angelum non esse intelligibilem. Confutatio, quam adducit ibi Scotus ex definitione vniuersitatis Parisiensis, habetur inter articulos ab illa damnatos, præmissos variis editionibus Magistri sententiarum. 11.

CONCLVSIO II.

Singulare secundùm se esse intelligibile à nobis absolutè.

b DIcendum ergo, quòd singulare, &c. Probat hanc conclusionem primò; quia singulare est perfectius ens, quàm vniuersale; ergo intelligibile perfectius. Secundò, si secundùm se non esset intelligibile, nec à Deo intelligi posset. Tertiò, singulare nihil addit vniuersali, nisi singularitatem, quæ non impedit intellectionem, alioquin nec Angelus, nec anima separata intelligere possent singulare. In hac conclusione nulla mihi videtur esse controuersia, si intelligatur de alio statu ab isto. 12.

CONCLVSIO III.

Singulare pro hoc statu intelligitur.

c SEcundo, dico quòd singulare, &c. Hanc conclusionem probat quinque rationibus pulcherrimis, quæ etiam sunt clarissimæ, quibus sede, quòd noster intellectus discernit singulare ab vniuersali: ergo vtrumque nouit. Hac ratione probat Phil. 3. *de Anima, text.* 145. dari sensum communem; quia cognoscit extrema sensibilia, quia constat discrimen poni inter ea. Item, voluntas compescit actum cogitatricis: ergo intellectus eum nouit, sed is est singularis. *De facto cognosci à nobis singulare?* Præterea, ars, & prudentia pertinent ad intellectum, & sunt circa singulare, ex Phil. 3. *Ethic. c.* 3.

Circa quartam rationem. Nota, etsi non possimus imponere nomen, nisi noto, nomen tamen posse distinctiùs significare rem nominatam, quàm ab impositore concipitur, aliàs non possemus pro hoc statu nomen imponere substantiæ, *Nomen potest distinctius significare, quàm impositore rem concepit.* quo ipsa distinctè significaretur. Quod falsum est; quia audito nomine *homo*, Angelus, vel anima separata intelligit distinctè, quòd impositor tantùm concepit confusè, scilicet vt substans talibus accidentibus. Vide Scotū 1 *d.* 11. *q.* 1. vbi disputat an

Deus

Deus poſſit nominari, nomine ſignificante hanc eſſentiam.

13\. Nota ſecundò, ex Scoto 2. *diſt.* 5. *quæſt.* 9. & 11. & 7. *Met. quæſt.* 15. ſcientiam eſſe duplicem, abſtractiuam, quæ abſtrahit ab exiſtentia obiecti, & intuitiuam, quæ eſt exiſtentis, quà tale. Prima datur de ſingulari, & vniuerſali (etſi communiter ſit de vniuerſali) quia etiam ſingulare abſtrahit ab exiſtentia.

Scientia abſtractiua, & intuitiua.

Nota tertiò, ex Scoto 7. *Met. quæſt.* 15. §. *de* 2. ſingulare dupliciter conſiderari: vno modo vt abſtrahit ab accidentibus omnibus, vt ab hîc, & nunc, quantitate, & qualitate, &c. Et ſic includit tantùm hæcceitatem, ſeu indiuidualitatem: alio modo, vt ſubeſt accidentibus hîc & nunc, &c. Loquimur autem de ſingulari materiali, quia nullum ſpirituale pro hoc ſtatu intelligere poſſumus, niſi ſub conceptu communi entis, vel ſubſtantiæ, vel accidentis, vt ſæpiùs in ſuperioribus oſtenſum eſt. Concluſio intelligitur de ſingulari ſecundo ſenſu, in quo eam ſatis ſupérque probant rationes Doctoris, non verò in primo ſenſu, vt conſtabit ex rationibus concluſionis ſequentis.

Quod verò ſingulare hoc ſaltem ſenſu intelligibile ſit à nobis pro hoc ſtatu, præter Scotum & ſuos, tenent Gregor. 1. *diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 1. Richard. 2. *diſt.* 24 *quæſt.* 4 *circa* 3. *princip.* Durand. 2. *d.* 3. *q.* 8. Iandun. 3. *de Anima, quæſt.* 11. Fonſec. *quæſt.* 13. Palat. *cap.* 4. *quæſt.* 5. quos ſequuntur Conimbr. *cap.* 8. *quæſt.* 5. Suar. *lib.* 4. *de Anima, cap.* 3. Tolet. 3. *de Anima, quæſt.* 12. vide Anton. Andr. 7. *Met. quæſt.* 15. & Anton. Tromb. *ibi quæſt.* 7. qui fusè de hoc agunt. Oppoſitam ſententiam tuentur præter D. Thom. & Themiſt. *citatos*, Auer. *comm* 9 Mirandula *lib.* 23. *de euerſione ſingularis certaminis à ſect.* 4. Aureol. 1. *d.* 35. *quæſt.* 4 *art.* 1. Capr. *ibi, quæſt.* 2. Caiet. 1. *par. q.* 86. Ægid. *quodlib.* 1. *quæſt.* 9. argumenta huius ſententiæ poſtea ſoluentur.

CONCLVSIO IV.

Nulla noſtra potentia pro nunc intelligit ſingulare quà tale intrinſecè, ſeu intrinſecam indiuidualitatem.

14\. d TErtiò, *dico quòd nulla potentia*, &c. Hanc concluſionem probat vnicâ ratione efficaciſſimâ; quia inter duo ſingularia omnino ſimilia & æqualia: verbi gratiâ, duo oua eiuſdem figuræ æquè alba, & magna, vel duos radios lucis, nec ſenſus, nec intellectus noſter diſcernere poteſt; ergo non cognoſcunt rationes intrinſecas ſingularitatis, ſed tantùm per extrinſeca, & ſenſibilia communia, ſeu accidentia extrinſeca; alioquin diſcerneremus duos radios ſe penetrantes, quod falſum eſt; quia iudicaremus eſſe vnum. Conſequentia patet, quia cognoſcens aliquid cognitione ſibi propriâ, diſcernit illud ab omni alio. Cùm ergo tantùm diſtinguimus vnum ſingulare ab alio per extrinſeca accidentia; non cognoſcimus de eo, niſi iſta, loquendo de conceptu proprio. Hinc habes, falsò Suarez ſuperiùs adducere Scotum pro ea ſententia, quæ dicit conceptum proprium, & diſtinctum ſingularis pro nunc haberi; tum quia hîc Scotus expreſsè oppoſitum tenet; tum etiam quia loco à Suar. citato 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. idem docet, ac etiam 2. *d.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 4.

Soluuntur argumenta contra has concluſiones.

Arguitur primò, 3. *de Anima*, *text.* 15. & 16. habetur materiale non eſſe actu intelligibile, ſed tantùm potentia: ergo ſingulare materiale non eſt actu intelligibile, ſed ſolùm vt abſtrahit à materia; & hoc eſt vt conſideratur in vniuerſali. Reſpondetur, probat de abſtractiua notitia, de qua ibi agitur, quia ſingulare non eſt actu hac ſcientiâ intelligibile, niſi per abſtractionem ſpeciei; eſt tamen intelligibile intuitiuè actu pro nunc confusè, pro alio ſtatu, diſtinctè. Et quando dicit ibi Ariſtoteles actu intelligibile eſſe ſine materia, de abſtractiua loquitur, & per materiam intelligit indiuidualem differentiam, alioquin nulla res naturalis intelligeretur ſecundùm eum. Cùm etiam ibidem diuidit cognoſcibilia in ſenſibilia & intelligibilia, tantùm voluit aliqua eſſe intelligibilia, non ſenſibilia, non è contra. Similiter explicandus eſt 2. *de Anima, cap.* 5. vbi ait: *ſenſus eſt ſingularium, intellectus vniuerſalium.* Vide Scotum 4. *d.* 45. *quæſt.* 3. *ad* 2. meliùs. Reſpondetur ad argumentum, dicendo tantùm velle Ariſtotelem, vt materialia intelligantur requiri, vt exuant materiam, vt ſic fiant ſimilia intellectui, quod fit per ſpeciem, quæ etiam requiritur fortè ad intuitiuam horum notitiam; at immaterialia ſecundùm ſe ſimilia ſunt intellectui; & ſi requiratur ſpecies ad eorum notitiam (probabile eſt quòd ſic, etiam ad intuitionem) id non euenit vt aſſimilentur intellectui. Quòd verò hæc ſolutio ſit præferenda, patet, quia quantum ad abſtractiuam, non magis eſt materiale potentia intelligibile, quàm ſpirituale, & vtrumque fit actu intelligibile per ſpeciem impreſſam; ergo prima ſolutio non ſatisfacit, dicendo Philoſophum velle quòd materiale non ſit actu intelligibile, niſi vt abſtrahit à materia indiuiduali, loquendo de ſcientia abſtractiua, quia ad hanc, idem eſt de immateriali. 15.

Omne ſenſibile eſt intelligibile, non è contra.

Materialia vt ſint actu intelligibilia, exuunt materiam. & quomodo?

Arguitur ſecundò, ſi ſingulare ſecundùm ſe eſt intelligibile, non eſt opus intellectu agente, qui ad hoc tantùm ponitur vt abſtrahat ſpecies repræſentantes vniuerſalia à phantaſmatibus, quæ repræſentant ſingularia. Reſpondetur, agentem poni vt eliciat ſpeciem ſpiritualem, quà abſtractiuè cognoſcatur natura ſpirituali modo: & hoc neceſſarium eſt, eſto cognoſcatur ſingulare ſecundùm ſe intuitiuè. 16.

Non adeò neganda ſpecies, quòd ſingulare eſſet per ſe intelligibile.

Arguitur tertiò, ſi intellectus cognoſcit ſingulare, tunc cognitio ſenſus de iiſdem erit ſuperflua. Negatur, quia expedit cognoſci materiali, & ſpirituali cognitione: & ſi argumentum valeret, cognitio ſenſus particularis, vel communis ſuperflueret.

Arguitur quartò, ſingulare materiale eſt improportionatum, vt agat in intellectum, qui eſt ſpiritualis. Reſpondetur, agit vt cauſa partialis, quod non inconuenit; & aduerſarij tenent phantaſma ſic agere in eum, quod tamen materiale eſt. Pro maiori huius quæſtionis notitia, ſit

DVBIVM.

Vtrùm dentur ſpecies propriæ ſingularium in intellectu noſtro?

NOtandum hîc agi de ſingulari ſenſibili, quia nullum immateriale, nullaque ſubſtantia pro 17.

pro nunc habet in intellectu nostro propriam speciem, ex dictis ad *quæst*.17.

Dum Angelus intuitiuè videt obiectum, interuenit species, quæ remanet post actum.

Notandum secundò, singulare, siue sensibile sit, siue non, concurrere ad sui speciem gignendam, vel totaliter, vt si sit spirituale: vel partialiter, si sit corporeum respectu intellectus Angelici, vel separati; alioquin Angelus nequiret suis viribus habere notitiam abstractiuam eorum, quæ intuitiuè videt, quod est falsum, vt benè ostendit Scotus 2.*dist*.3.*quæst*.11. Quæstio ergo non est de specie singularis quoad intellectum separatum, quia fortè nunquam intelligit intuitiuè, quin interueniat species intelligibilis, per quam remanentem poterit intelligere idem obiectum abstractiuè, de quo videri potest Scotus *quodlib*.15. & 1. *dist*.3. *quæst*.6.*num*.21 & 2. *dist*.3. *quæst*.8. *num* 10. docet primo loco speciem intelligibilem effici totaliter ab obiecto spirituali. Et ratio est manifesta, quia non est minoris efficaciæ, quàm obiectum corporeum respectu speciei sensibilis. Non potest ergo Angelus intelligere obiectum immateriale, quin illud, cùm sit agens materiale, simul agat in ipso speciem. In secundo & tertio loco docere videtur Angelum non posse intuitiuè videre sensibile, sine specie: differentia autem esse videtur, quia dum intuetur spirituale obiectum, species producitur vt effectus præuius, non vt causa intuitionis; quia obiectum actu intelligibile cum potentia sufficiunt; at quoad sensibilia, produci videtur vt causa, cùm obiectum in se existens non sit actu intelligibile. Hæc, fateor, non sunt certa, sed inter Scotistas controuersa, de quo videri potest recens quidam Scotista *tom*.1.*disp*.21.*art*.4. Scotus clarè non habet quod ipse dicit.

Obiectum spirituale producit speciẽ, vt causa totalis.

P. Angelus à Monte piloso.

18. Notandum tertiò ex Scoto 2.*dist*.3. *quæst*.11. speciem vniuersalis naturæ non posse repræsentare singularia sub propriis rationibus, quia cùm vniuersale non contineat entitatem singularium, neque continebit eorum cognoscibilitatem.

An species singularis repræsentet naturam communem?

Notandum quartò, probabile esse speciem singularis repræsentare naturam communem. Colligi videtur ex Scoto 1.*dist*.3.*quæst*.2.*num*.18. vbi ait probabile autem per speciem minùs vniuersalis, cognosci maius vniuersale. Ratio est, quia maius vniuersale continetur in minùs communi, & natura communis in singulari. Hanc tenet Suar.*lib*.4.*de Anima*, *cap*.3. *num* 12. Et si obiicias quòd Scotus *ibi quæst* 6.*num*.5. docet eandem speciem non posse esse singularis, & vniuersalis. Responderi potest cum Bargio ibi §. *quintò dico*, verum esse formaliter, tamen potest esse formaliter singularis, & virtualiter vniuersalis. Secundò, ibi tantùm arguit contra Henric. negantem species, nec opus est singulas rationes eius esse efficaces. Adde secundùm ipsum probabile esse, quòd non dentur species, sed quòd sufficiat phantasma, de quo fusè suprà ad *q*.17. & idem repetit hîc *n*.10. His positis,

19. Respondetur ad dubium non dari species proprias singularium, quibus ipsa intrinseca singularitas præsentetur, pro statu. Ita Scotus 3. *d*.14. *quæst*.3.*fin*. & patet ea ratione quartæ conclusionis, alioquin pro nunc haberemus propriam notitiam de tali singularitate, cuius oppositum est ibi probatum; dantur tamen species singularium de facto, quæ ipsa confusè repræsentent. Quid autem sit confusè, & distinctè repræsentare, latè dictum est ad *quæst* 16. Hanc partem probant efficaciter rationes Scoti adductæ suprà *num* 6. *pro* 2. *conclus*. quia alioquin non cognosceremus pro nunc singularia. Probabile etiam est speciem hanc singularis repræsentare vniuersale; & sic vnam esse vtriusque speciem, vt suprà dictum est, & hîc insinuat Doctor ad quartum. Probatur hæc pars primò, ratione posita quarto notabili. Secundò si intellectus agens abstrahit duas species hominis, nempe singularis, & vniuersalis; idem erit de omnibus gradibus superioribus. Tertiò, qui solùm videret albedinem, non facilè eam discerneret à colore; signum ergo est hæc non habere diuersas species; quia per eas facilè discernerentur. Iuxta hunc modum sic cognoscitur vniuersale; cùm intellectus abstrahit plures species singulares eiusdem rationis, à variis phantasmatibus, illæ habent aliquid sibi commune, nempe omnia prædicata essentialia, quæ repræsentant, & alia quibus differunt, scilicet singularitates, & intellectus potest considerare id in quo conueniunt; & sic vniuersale cognoscit, vel ea, quibus differunt, & sic tendit in singularia.

Non dantur pro nunc species quibus singularia intrinsecè repræsententur.

An inferiorã & superiorã gradus sint diuersæ species?

Quomodo cognoscitur vniuersale, & singulare?

Obiicitur, receptum est in recipiente per modum eius: ergo singulare sensibile non potest esse in intellectu, nec aliquid repræsentans illud. Respondetur speciem intelligibilem singularis esse entitatiuè spiritualem sicut intellectus in quo recipitur, sed repræsentatiuè materialis est.

Obiicitur secundò, species repræsentat obiectum secundùm illam rationem quâ gignitur ab eo; ergo si non gignitur à singularitate, non repræsentat eam. Respondetur ex Scoto 1. *dist*.3. *quæst*.6.*ad* 1. *princip*. *num*.16. Singularitatem non esse rationem agendi, sed conditionem agentis; & ratio agendi est natura, quæ est singularis; repræsentatur ergo per se natura, & confusè eius conditio. Secundò, dicit Doctor, quando species totaliter gignitur ab obiecto, vt in spiritualibus, tunc repræsentat totum quod est in eo, & sic singularitatem; quâ ratione intellectus separatus potest per propriam speciem cernere singularitatem in se, hoc tamen non currit in specie sensibili, licèt totaliter fiat ab obiecto, alioquin visus discerneret inter duo alba, omnino similia, & æqualia, quod falsum est, ex conclusione quarta: sed defectus, vt videtur, non est ex parte speciei, sed potentiæ, quæ singularitatem non potest cognoscere, nisi confusè. 20.

Singularitas non est ratio agendi, sed conditio agentis.

Obiicitur tertiò, quia si eadem species repræsentat singulare, & vniuersale, frustrà ponitur species alia repræsentans vniuersale. Respondetur speciem singularis habere singulare vt obiectum primum adæquatum, & vniuersale vt secundarium inadæquatum; ideò non frustrà ponitur species vniuersalis, vt per se, & adæquati obiecti; & hoc fit quando intellectus agens abstrahit, non solùm à conditionibus materialibus, sed etiam ab ipsa indiuidualitate. Adde fortè nullam dari speciem nisi singularis, quæ etiam vniuersale repræsentat; quia nihil cogit ad ponendum aliam, si species singularis sufficit: probabile tamen est aliam poni, vt intellectus promptè sine impedimento singularitatis intelligat quidditatem, pro quo facit experientia.

Si species singularis repræsentat vniuersale, an alia sit admittenda?

DVBIVM ALIVD.

An singulare cognoscatur directè, vel tantùm reflexè?

NEgantes singulare esse per se intelligibile, 21.
quos citaui *num*.5. dicunt illud cognosci tantùm

tantùm reflexè, sed ex dictis patet directè intelligi: quidquid enim cognoscitur per propriam speciem, directè cognoscitur. Patet etiam ex eo quòd anima separata retinet memoriam singularium, quæ gessit in hac vita, vt constat ex colloquio illo diuitis cum Abrahamo, de quo optimè Scotus 4.*d.*45.*quæst.*3. Qui verò tenent reflexè tantùm cognosci, vatiè id ponunt. D.Thom. *loco citat.* & *de ver. quæst.* 2. *art.*6. ponit cognosci quatenus intellectus cognitâ naturâ vniuersali, reflectitur ad phantasma, & per illud cognoscit singulare.

Refutatur D.Thom.

Contrà, quia vel cognoscit singulare in phantasmate, vt in obiecto cognito, vel vt in specie: non potest dici primum, quia sic ipsum phantasma priùs foret cognitum; quod experientiâ constat esse falsum; quia multi norunt singularia, qui nihil de Phantasmate sciunt.

In cognitione vniuersalis non cognosci singulare.

Præterea, ipsum phantasma est singulare: ergo si cognoscitur, & in ipso res singularis, directè cognoscitur singulare, quod negant.

Tertiò, si cognoscitur in phantasmate, id fit per speciem vniuersalis, quia est indifferens ad omnia singularia: ergo danda est propria species singularis, quâ directè cognoscatur, vel nullo modo cognoscitur. Neque potest dici secundum, scilicet quòd cognoscitur singulare per phantasma, vt per speciem; quia intellectus non vtitur specie corporeâ, vel materiali. Præterea nulla potentia vtitur specie, nisi inhærente sibi.

22\. Scotus 1.*Physicor. quæst.*2. *art.*1. tenet intelligi singulare per determinationem ad phantasma; sed hoc efficaciter reijcitur rationibus contra D. Thom. adductis. Alij ducent intelligi per collectionem accidentium illius cognitam. Contrà, quæro an ipsa accidentia cognoscantur vt singularia? Si sic, habetur intentum, scilicet quòd directè: si verò tantùm in vniuersali; ergo per ea non cognoscuntur singularia.

Singulare per collectionem accidentium non cognosci.

Præterea, contra omnes illos modos cognitionis reflexæ arguitur primò; quia rusticos nouit singularia, qui tamen non nouit facere istas reflexiones; neque enim naturam vniuersalem nouit. Secundò, si per speciem vniuersalis, verbi gratiâ, hominis, cognoscerentur singularia hominis, productâ vnâ specie, occurrentibus aliis hominibus, intellectus nullam aliam produceret, & sic illos non cognosceret, quia nullam haberet speciem ab eorum phantasmatibus desumptam. Tertiò, nec ratio, nec experientia cogit vt denegetur intellectui nostro directa cognitio singularium, quia non potest esse ex perfectione eius, aliàs non conueniret Deo, vel Angelo; neque ex imperfectione, aliàs non conueniret sensui.

Conclvsio V.

Indiuiduum vagum priùs cognosci, deinde naturam, & postea indiuiduum determinatum.

23\. Q*Vartò, dico quantùm ad modum*, &c. Hic rursus repetit vt probabile, quod fusè tractatum est *quæst.*17. non dari species intelligibiles, de quo ibi plura adduxi à *num.*16. Probatur conclusio quoad primam partem; primò, quia ars, & intellectus imitantur naturam; sed hæc in agendo non intendit vniuersale, alioqnin producto corpore non ageret vlteriùs ad animatum, vel brutum; nec intendit indiuiduum designatum, alioqnin eo producto cessaret; ergo dicendum, quòd intendit primò Indiuiduum vagum: ergo sic species repræsentabit primò tale indiuiduum; postea naturam ipsam in se, ratione suppositi, non considerato, siue fiat collatio plurium indiuiduorum inter se, iuxta modum iam dictum cognoscendi vniuersale, siue non: quod fortè magis est ad mentem Scoti 1.*d.*3.*q.*6.*n.*15. loquendo de vniuersali Physico.

Indiuiduum vagum primò cognosci.

Secundò probatur, quia experientiâ constat, quòd aliquando intelligimus singulare vagum, nullâ intellectâ specie: igitur priùs cognosci videtur, quàm species. Antecedens patet, quando rem à longè videmus. Tertiò, ex Philos. 1.*Physic. text.*12. Facit etiam quod ait 1.*Post. text.*12. ea quæ sunt propinquiora sensui, esse notiora nobis. Quoad secundam partem, patet, quia hoc modo cognoscitur natura secundùm se, quando circumstantiis determinantibus non consideratis, ipsa repræsentatur, quod est naturam abstrahi ab inferioribus. Tertia pars declaratur, quia reflectendo naturam sic conceptam, ad circumstantias, loci, temporis, figuræ, magnitudinis, &c. concipimus ibi aliquid subesse, quod repugnat diuidi in plura; sed nescimus eius propriam rationem, alioquin possemus illud à quocumque alio discernere, quod constat experientiâ esse falsum. Vnde iste conceptus non est simplex, sed ex variis conceptibus circumstantiarum, quasi genitus, quod exemplo benè declarat Doctor; quia conceptum singularis signari non possumus aliter exprimere, quàm per varias illas circumstantias. Hic etiam insinuat per eandem speciem repræsentari singulare, & vniuersale, dum ait singulare signatum intelligi per conceptus variarum circumstantiarum vniuersalis conceptui additos.

Quomodo cognoscitur singulare determinatum?

24\. Sed hîc occurrit grauis, & molesta difficultas, quia Scotus suprà *quæst.*16.*num.*5.& 1.*d.*3.*quæst.*2. *num.*21. docet primum cognitum esse speciem specialissimam; hic docet esse indiuiduum vagum; ergo sibi contradicit. Respondetur, locis illis citatis, loquitur de iis quæ secundùm suam propriam rationem cognoscuntur, & de contentis in eis essentialiter, aut virtualiter, inter quæ primum cognitum est species specialissima: at singulare pro nunc non cognoscitur secundùm propriam rationem, ex conclusione quarta, aliàs possemus discernere hoc omnino penetratus aliud omnino simile: & sic tollitur contradictio.

Euitatur contradictio.

Secundò, dici potest, quòd illis locis comparat speciem infimam ad vniuersalia, nunc verò ad sua singularia, ex quibus eius cognitio dependet, quia ab eis abstrahitur.

Tertia ratio Scoti ibi pro hoc facit, quatenus ait ideò speciem specialissimam primò cognosci, quia causa naturalis priùs facit effectum perfectissimum, quem potest; sed hoc non currit quoad ea, quorum cognitio est quasi via ad cognitionem talis speciei. Præterea, cognitio singularis fortè est perfectior, si fiat per eandem speciem, quâ cognoscitur vniuersale; quia sicut plus est in eo entitatis, ita & intelligibilitatis. Dices, esse cognitionem confusam, & non secundùm propriam rationem singularis: ergo imperfectior est cognitione naturæ vniuersalis. Respondetur, esto sit cognitio confusa, & non secundùm propriam rationem singularis, tamen est propria naturæ, & additur aliqua modificatio, quâ determinatur ad notitiam indiuidui vagi, vt insinuat Doctor hîc ad quartum.

An cognitio singularis pro nunc sit perfectior cognitione vniuersalis?

25\. *Singulare repræsentare per speciem vniuersalem, modificatam.*

In re tam obscura, in qua ferè coniecturis proceditur,

ceditur, videtur mihi nou dari speciem, qoæ pro hoc statu repræsenret singulare, distioctam à specie voiuersalis; sed ipsam speciem vniuersalis, vel potiùs naturæ, quæ nec vniuersalis est, nec siogularis, nisi per accidens, ex Scoto 2.*dist*.3.*quæst*.1. adiunctis conceptibus circumstantiarum, repræsentare singulare confusè, sicot species creaturarum pro nunc repræsentant Deum confusè, vt explicat Scotus 1. *dist*.3. *quæst*. 2. *num*.18. vbi docet qoomodo ex speciebus boni summi, & actus, formamos de Deo conceptum booi summi actualissimi.

Quòd verò hoc sit secundùm meotem eius, habetur ex ipso 1.*dist*.3.*quæst*.6.*num*.15. vbi docet, quòd species per se, saltem pro nunc, tantùm repræseotat naturam, ex adiunctis autem colligimos banc naturam esse cootractam, licèt ipsam rationem contrabeotem noo videamus; & hoc contingit dupliciter: primò, quando concipio illam natoram in aliqoo indiuisibili in plura, quod idem est ac coocipere eam in supposito, seu in indiuiduo vago. Secundò, quando coocipio eam affectam his conditionibus loci, temporis, magnitudiois, &c. & bæc est consideratio indiuidui designati, ad qoam multæ species coocurrunt, vt baber Doctor hìc, *n*.10.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm in elicitione actus intelligendi, intellectus sit mouens motum ab obiecto, vel an intellectus, & obiectum relucens in specie concurrant ad actum intelligendi, vt duo agentia partialia perfecta in suo ordine, & sua causalitate, quorum causalitas, vt vnius non dependeat à causalitate alterius, licèt vnum sit principalius mouens alio?

Aristot. 2. *de Anima, text*.60. D.Thom. *ibid. lect*.12. *&* 1.*p. quæst*.56.*art*.1.*& quæst*.85.*art*.2.*& de veritat.art*.6.*&* 4.*dist*.49.*quæst*.2. *art*.1. *in corp*. Gonzales 1.*part. quæst*.12. *art*.2 *disp*.15 *sect*.5. Henric *quodlib*.4 *quæst*.7. Tolet. 2.*de Anima*. *quæst*.12. *concl*.4 Complut. *disp*.12. *de Anima, quæst*.5.§.1. Auersa *tom*.2.*quæst*.58.*sect*.5.

1. ET quòd sic intellectus non sit mouens motum, videtur; quia effectos magis assimilatur causæ propinqoæ, quàm remotæ: sed actus intelligendi magis assimilator obiecto quàm intellectui; quia per actum attingit obiectum; ergo obiectum est causa propinquior respectu elicitionis actus intelligendi, quàm intellectus; sed causa propinqua magis est moueos motum, quàm causa remota; ergo intellectus non est mouens motum, sed potiùs obiectum. Maior patet in naturalibus & artificialibus; quia qoando duæ causæ concorrunt ad aliquem effectum * sub ordine, effectus magis assimilatur propinquæ, quàm remotæ; nam ignis generatur ab igne & à Sole, & magis assimilatur igni quàm Soli.

* al. subordinatæ.

Similiter in artificialibus, impressio in cera magis assimilatur sigillo, quàm manui, quæ est causa remota; sed manifestum est, quòd intellectus, & obiectum concurrunt ad actum intelligendi, & de iotellectu manifestum est.

De obiecto dicit B. Augostinus 9. *de Trinitate, cap. vlt. A cognoscente, & cognito paritur notitia*; & similiter dicit, quòd omnes congenerant sui notitiam. Mioor etiam conceditur ab omnibos.

Præterea, si obiectum splendens in specie mouet iotellectum ad actum intelligendi; quæro quid caosat io intellectu per istam actionem, & motionem? Si eoim nihil causetur, intellectus noo esset mooens, & motom; sed oon causat potentiam intellectiuam, quia ista præsupponitur; nec etiam speciem intelligibilem, qoia posito quòd ista species, quæ imprimitur, sit vltimatè repræseotans obiectum: ergo ista non mouebit intellectum, causando io illo nouam speciem. Nec actum intelligendi, quia tunc intellectus oihil faceret ad actum intelligendi, sed tantùm repræsentat: coius oppositum præsupponit quæstio; ergo intellectus non est mouens motum ab obiecto.

RESOLVTIO.

Quòd intellectus sit mouens motum; quia vt intelligat, indiget specie in se receptá, etsi id non sit per se, de quo Doctor 1.dist.3. quæst 7. num. 20. *vbi* num. 22. *optimè explicat quomodo intellectus, & species sunt causæ subordinatæ, &* quæst.8. *ostendit intellectum esse principaliorem causam; & ibi ad secundum, declarat sensu præfato esse mouens motum: si tamen comparentur ad inuicem hæc duo in vtraque motione, scilicet ad speciei, & actus productionem, est potiùs mouens non motum, quia ad eius motum cogit species, non è contra.*

a DIcitur, quòd intellectus est mooens motum ab obiecto, ad boc quòd eliciat actum intelligendi; quia quando aliquid est in potentia essentiali ad aliquem actum, non reducitur de potentia ad actum, nisi per aliquid sibi impressum; sed iotellectos aotequam recipiat species, est in potentia essentiali ad actum intelligendi; ergo requiritur, quòd sit motus ab alio per aliquid sibi impressum. Maior patet per Philosophum 2.*de Anima, text*.55. quia in hoc distinguitur potentia essentialis ab accidentali. Minor etiam tenet per Philosophum 3.*de Anima, text*.31. quia anima est tanquam tabula rasa; igitur in potentia essentiali. 2.

b Ad primum argumentum, diceodum quòd minor est falsa, immò magis assimilator actus intelligendi intellectui, quàm obiecto; & ideò intellectus denominatur ab actu iotelligendi, & oon obiectum.

Ad secundum, dicitur qoòd species noo mouet intellectum; sed est sibi ratio mouendi; perficit enim intellectum in actu primo, & sic perfectus elicit actum secuodum; vnde ista impressio noo est motio, sicut nec impressio formæ in materia, ita quòd forma moueat materiam, sed mouetur ab obiecto in phantasmate, quod mouet intellectum possibilem, gignendo sibi suam similitudioem.

Quomodo intellectus mouetur ab obiecto

Contra

Contra iſtam minorem arguitur dupliciter; primò ſic, quia ex actibus generatur habitus, & habitus inclinat in ſimiles actus, ex quibus generatur; ſed habitus magis aſſimilatur obiecto ſecundùm actus in quos inclinat, quàm intellectui; quia habitus declarat obiectum, & principia, non autem intellectum; ergo actus magis aſſimilatur obiecto, quàm intellectui.

3\. Præterea, ad idem, motus magis denominatur à termino *ad quem*, quàm à termino *à quo*; ergo actus intelligendi, quo attingitur ipſum obiectum, magis aſſimilatur termino *ad quem*, quàm termino *à quo*; & præcipuè in propoſito ab obiecto, cùm ipſum ſit terminus *ad quem*, & *à quo*.

De hoc 1. d. 3. q. 7. n. 39.

Præterea, potentia actiua non requirit aliquid ſibi impreſſum ad hoc vt agat. Et hoc patet inductiuè in omni potentia actiua, tam in potentia perfecta, vt in potentia Solis, quæ non requirit niſi præſentiam diuerſorum obiectorum, ad hoc quòd determinetur ad agendum, quàm etiam in potentia imperfecta, vt in calore; ergo cùm intellectus eliciat actum intelligendi effectiuè, ſequitur quòd non requiritur aliquid ſibi impreſſum, ad hoc quòd intelligat.

1. diſt. 3. q. 7. n. 22.

Præterea, ſicut aliquid ſe habet ad *agere*, ſic ad *eſſe*; ſicut ergo dat *agere*, ita dabit *eſſe*; ſi ergo ſpecies in intellectu ſit ratio agendi ipſi intellectui; ergo eſt magis intellectiuum, & magis habet de *eſſe* intelligibili, & per conſequens eſſet ſpecies beatificabilis, magis quàm intellectus, cùm ſit magis intelligibile, quam intellectus.

Præterea, ſi ſit ipſi intellectui ratio intelligendi, ſicut calor ligno ratio calefaciendi & principium, tunc ſpecies ſeparata intelligeret, ſicut ſi calor eſſet ſeparatus, calefaceret.

Præterea, quod poteſt in plus, & in minus: ſed in viſionem beatificam poteſt intellectus ſine ſpecie, nec ibi requiritur aliquid informans, ſecundùm opinionem Commentatoris; ſed eſſentia diuina eſt ipſi loco ſpeciei, quæ non informat: ergo ſequitur, quòd intellectus in cognitionem ſibi naturalem poteſt ſine ſpecie. Ad confirmationem autem opinionis prædictæ, adducebantur authoritates Commentatoris ſuprà 3. *commento*. Et dicit, quòd neceſſe eſt inueniri in parte animæ, iſtam partem quæ dicitur intellectus, ſecundùm quam facit iſtum intellectum, qui eſt in potentia intelligere omnia in actu: cauſa enim propter quam facit intellectum, qui eſt in potentia intelligere omnia in actu, nihil aliud eſt, niſi quia ſit in actu. Hoc enim quod eſt in actu eſt cauſa vt intelligat in actu omnia. In hac authoritate notatur primò, quòd intellectus poſſibilis ſit in actu per actionem intellectus agentis imprimentis ſpeciem; & quando ſic eſt in actu, tunc poteſt actu intelligere, & ſpeciem, ſcilicet expreſſam, elicere: mouetur igitur ab obiecto, & ſpecies obiecti eſt ſibi ratio intelligendi, per quam eſt in actu.

Finis quæſtionum ſubtiliſſimi Doctoris Ioannis Scoti.

ANNOTATIONES in quæſtionem vigeſimam-tertiam.

4\. [a] D*Icitur, quòd intellectus eſt mouens motum*, &c. Explicat clarè quomodo intellectus eſt mouens motum ab obiecto, quatenus per ſpeciem eius reducitur à potentia eſſentiali ad accidentalem; illa eſt, quando cauſa habet incompletam virtutem; hæc quando accipit quod defuit ad completam virtutem productiuam effectus; vt docet Phil. 2. *de Anim. text. 25. & 55.* Exemplum ponens de ſenſu ſolo, & de eo ſimul cum ſpecie obiecti. Item, de homine ſecundùm ſe in ordine ad actum ſciendi, & de eodem cum habitu ſcientiæ, per quem de potentia eſſentiali reducitur ad accidentalem.

Potentia eſſentialis & accidentalis.

Hæc quæſtio facilis eſt, ſuppoſitis iis, quæ probata ſunt *quæſt.* 12. & ibi in annotationibus, nempe intellectum eſſe actiuum, & non merè paſſiuum, ſpeciem item actiuam eſſe, & ex ambobus conſtitui integram cauſam intellectionis; de quo videndus eſt Doctor locis in reſolutione citatis, in quibus fusè hanc materiam tractat; ſed habes ſubſtantiam totius quæſtionis in reſolutione à nobis poſita.

Ad primum argumentum, dicendum, &c. Oppoſitum huius ſolutionis habet Scotus 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 39. Reſpondendo ad argumenta D. Thom. vbi dicit, quòd in ſpecie ad actum, eſt ſimilitudo formalis, & quaſi vniuoca, & in intellectu ſimilitudo virtualis, & æquiuoca; ergo ſibi contradicit. Reſpondetur, hîc, §. *contra iſtam minorem*, recedit ab hac ſolutione, duobus argumentis probans actum aſſimilari magis obiecto, quàm intellectui, per quod tollitur contradictio.

5\. Sed dices, argumentum non ſolui per hoc. Reſpondetur, non vrget, quia eſto obiectum, vel ſpecies, magis aſſimiletur actui, quàm intellectus, hic tamen eſt mouens motum, quatenus recipit in ſe ſpeciem, quâ mouetur, & cum ſpecie ſe mouet ad actum. Et quando dicitur in argumento, cauſa magis propinqua eſt magis mouens motum; ſupponitur falſum, ſcilicet ſpeciem eſſe propinquiorem intellectu reſpectu actus: & dato quòd eſſet propinquior, cùm moueat aliud antecedenter ad actum, illud aliud eſt magis mouens motum. Sed comparando vtrumque ad actus productionem, etiam ſpecies dici poteſt mouens motum, quia intellectus trahit ſecum illam, vt cauſa principalior, vt docet Scotus 1. *d.* 3. *q.* 8.

Species nõ eſt cauſa magis propinqua quàm intellectus.

6\. *Præterea, potentia actiua*, &c. Arguit quadrupliciter contra ſolutionem ad ſecundum, quatenus dicit ſpeciem eſſe rationem agendi intellectui, ſicut, verbi gratiâ, calor eſt ratio calefaciendi ligno. Primò, quia cauſa actiua non petit aliquid ſibi imprimi vt agat, de quo 1. *d.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 22. Secundò, quia ſpecies eſſet tunc beatificabilis, quia magis eſſet intellectiua. Tertiò, ſeparata poſſet intelligere, ſicut & calor ſeparatus calefacere. Quartò, ſine ſpecie intelligit intellectus Deum in patria; ergo ſpe-

Species nõ eſt ratio agendi intellectui.

cies non est ei ratio intelligendi; quia sine intelligendi ratione, repugnat aliquid intelligi.

Resoluendo igitur quæstionem, explicat ex loco Commentatoris quomodo intellectus possibilis per actionem intellectus agentis speciem ei imprimentis, sit in actu, ita vt actu elicere possit aliam speciem, scilicet expressam; *& sic* (inquit) *mouetur ab obiecto, & species est sibi ratio intelligendi, per quam est in actu*, quæ vltima verba adiecit, ne putes esse ei rationem intelligendi, sicut est calor in ligno, quod iam reiecit; sed quatenus per speciem intellectus constituitur in actu, id est, in potentia accidentali, seu propinqua, vt intelligatur.

Expliciunt Annotationes, seu Commentaria in quæstiones subtilissimi Doctoris, de Anima, in Conuentu Aracæli, Ann. 1623. in vigilia S. Matthæi Apostoli, qui contempto mundo, & relictis omnibus secutus est Christum, cuius intercessione ego misellus Deum precor, vt eundem sic sequar, vt animam, de qua hæc paucula scripsi, saluare merear. Amen.

F I N I S.

Supplementum ad Quæſtiones R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

IN LIBROS DE ANIMA,

Diſcutiens & ad mentem eiuſdem Doctoris reſoluens reliquas quæſtiones & difficultates, ad materiam de Anima ſpectantes, tam ab antiquis, quàm à recentioribus tractari ſolitas.

Per fratrem HVGONEM CAVELLVM *Ord. Min. reg. Obſeru. prouinciæ Hiberniæ, olim ſacræ Theologiæ, in Collegio S. Antonij eiuſdem prouinciæ, apud Louanienſes Lectorem emeritum.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Animæ ſubſtantia & informatione.

SECTIO I.

Vtrùm anima ſit actus ſubſtantialis informans?

1\. GALEN. *lib.* 3 *de Locis affectis, c.*6. tenet animam eſſe temperamentum qualitatum, & cum iſtis immutari, *lib.* 3. *de Symptom.* & *lib.* 7. *de Vſu part. c.* 8. fatetur ſe ignorare animæ naturam. Alij tenuerunt animam eſſe harmoniam quandam, & proportionem contrariorum in corpore: quam opinionem refutat Ariſtoteles 1. *de Anima, text.* 54. 55. Plato & alij volunt animam eſſe formam aſſiſtentem, non informantem; vt Ariſtoteles loquitur de forma cœli 2. *de Cœl. cap.* 2. & 12. 4. Sed omiſſis variis Philoſophorum de hac re deliriis, de quibus Ariſtoteles 1. *de Anim. cap.* 1. & 2. & *per totum librum*,

Variæ opiniones de anima.

Dico primò, anima eſt ſubſtantia. Hæc videtur contra eos, qui præter materiam, nullum aliud rerum naturalium principium agnoſcunt. Qui ſunt Auicenna *lib. de Anim. cap.* 5. Albert. *in ſum. de Hom. quæſt.* 3. Auer. 2. *de Anim. comm.* 1. 2. vt referunt Conimbr. 1. *de Anim. cap.* 1. *quæſt.* 1. Probatur primò, ex Gregor. Nyſſeno *diſput. de Anima.* Quia ſicut ex concordia rerum variarum in vniuerſo colligitur adeſſe vim diuinam omnia regentem; ita ex conſenſu variarum qualitatum, & affectionum corporis, partiúmque eius adeſſe animam: neque enim vllum accidens cætera omnia accidentia ita temperare, vel concordare valet. Hæc tantùm ſuaſio eſt, & ponendo formam corporeitatis ſubſtantialem, nihil conficit.

Secundò, materia eſt ſubſtantia; ergo & anima, quia hæc eſt nobilior. Tertiò, viuens & non viuens ſubſtantialiter differunt. Quartò, non eſt qualitas prima, neque ex qualitatibus primis; ergo non eſt accidens. Antecedens patet, quia tales qualitates non poſſunt in multiplices operationes, & motus viuentis. Quòd verò anima rationalis ſit ſubſtantia, patet; quia aliàs non poſſet extra materiam per ſe ſtare. Concluſio eſt Ariſt. 1.

Animam eſſe ſubſtantiam.

*de Anim.c.*1. *& alias paſſim*, diffinitur *Clem. vnica de ſum.Trin. & cap.firmiter,eodem, & in Lateranenſ. ſub Leon. X. ſeſſ*8. loquendo de anima rationali.

2. Obiicitur primò, quia diſſoluto temperamento, perit vita, & aduenit mors; ergo illud eſt anima. Negatur conſequentia, quia etiam in corporibus inanimatis, corruptis qualitatibus quibuſdam, totum corrumpitur, tamen inde non ſequitur non eſſe formam ſubſtantialem, præter qualitates.

Obiicitur ſecundò, anima eſt in ſubiecto, ex Ariſtot. 1.*de Anim.text.*4. ergo non eſt ſubſtantia. Reſpondetur, eſt in ſubiecto informatiuè, non inhæſiuè.

Animam non eſſe corpus demonſtratur.

Dico ſecundò, anima non eſt corpus, eſt Ariſt. 1.*de An text.*72. Probatur ex ipſo, primò, quia anima eſt ſimul cum qualibet parte corporis, ſed duo corpora ſimul eſſe nequeunt. Secundò, non eſt corpus cœleſte, quia hoc eſt inalterabile, anima non; neque elementare, quia hoc habet determinatos motus ad ſurſum, vel deorſum, anima non; neque mixtum, quia tunc non cognoſceret multa accidentia, quia cognoſcẽs debet denudari à qualitate cogniti 2.*de An.text.*71 *&* 121. *&* 3.*text.*4. Et experientiâ conſtat, quòd manus calida non ſentit calorem alienum, & idem de aliis. Vnde ſi anima eſſet corpus mixtũ, haberet varia accidentia, quibus impediretur, à ſimilium cognitione. Tertiò, 8.*Phyſ.c.*4.*& tex.*28. Omne quod mouetur à ſe, habet partem motam non mouentem, & partem mouentem non motam; ſed in animali anima mouet, & corpus mouetur: ergo diſtinguuntur.

3. Obiicitur primò, anima patitur à corpore, vt patet in phreneſi & ebrietate; & corpus ab anima, vt patet in rubore cauſato à verecundia, & pallore ex timore orto; ſed ad mutuam actionem requiritur contactus, qui tantùm eſt inter corpora. Reſpondetur, non requiri tactum quantitatiuum; vnde vnus Angelus poteſt pati ab alio. de quo Scot. 2.*diſt.*9.*quæſt.*2.

Obiicitur ſecundò, ex Ariſtot. quia Auguſt. 22. *Ciuit.* 11. docet in doctrina Peripatetica animam eſſe quintam ſubſtantiam, id eſt, ex materia, & natura cœleſti conflatam. Reſpondetur, cõſtat Ariſtotelem oppoſitum ſenſiſſe ex ipſius diſputatione 1.*de An.c.*5. contra Democritum, Empedoclem & alios. Auguſtinus ergo videtur non ex ipſo Ariſtot. ſed ex Cicerone 1.*Tuſcul.quæſt.* ſumpſiſſe, quòd poſuerit mentem quintam ſubſtantiam à quatuor elementis diſtinctam, in quo Cicero falſus videtur.

Obiicitur tertiò, quia 2.*de Gen anim.c.*3. ait animam participare corpus quoddam, elementis diuinius. Reſpondetur, vel loquitur in ſententia Platonis, & Academicorum, qui poſuerunt animam ante eius vnionem ad corpora noſtra, corpuſculo illuſtri circũfuſam fuiſſe. Vel vocat corpus noſtrum elementis diuinius, qui a nulla ipſorum facultas ſufficit ad excellentes operationes, quæ mediante corpore noſtro fiunt per animam. Idem eſt de cœleſtibus corporibus, ſi teneatur ſecũdùm Philoſophũ eſſe animata: vocat enim 2.*de Cœl c.*2. cœlos animatos, de quo Scotus 2.*d.*14.*q.*1.

4. Dico tertiò, *Anima eſt forma, ſeu actus informans*, eſt Ariſt. 2 *de An. cap.* 1. vbi ponit duplicem definitionem animæ, & in vtraque ait eſſe actum. Diffinitur de fide quoad animam rationalem, locis citatis concluſione prima. Probatur primò, quia non eſt corpus, vt oſtẽſum eſt; neque eſt materia, quia viuens à non viuente in hoc non diſtinguitur, & materia præſupponitur, cùm anima introducitur, éſtque expers omnis actiuitatis, & anima eſt origo omniũ vitalium actionum: ergo. Secundò, vel in compoſito eſt aliqua forma ſubſtantialis, vel non? Si ſecundum, ergo materia manet ſine forma, & compoſitum cõſtat ex materia, & ſolis accidentibus, quæ ſunt abſurda. Si primum; ergo ei tribuuntur præcipuæ actiones; ergo vitales à forma ſubſtantiali fiunt; ſed repugnat fieri niſi ab anima; ergo, &c.

Obiicitur primò, quia Ariſt. 2.*de An.c.*1.*fin.* ait, nondum conſtare an anima ſit forma corporis, vel ei aſſiſtat vt auriga, vel gubernator nauis. Reſpondetur illo *c.* 1. id non probauit, ſed *cap.ſeq.*

Obiicitur ſecundò, anima eſt per ſe ſubſiſtens; ergo non eſt forma. Patet conſequentia, quia forma in alio ſubſiſtit, ſicut & eſt. Reſpondetur, quod ſubſiſtit vt natura completa, non poteſt eſſe forma, ſecus ſi incompletè ſubſiſtat, vt in caſu.

5. Obiicitur tertiò, ſi animam eſſe formam informantem, colligitur ex motu, ſequitur cœlos eſſe animatos; conſequens eſt falſum, & fidei parum conforme, vt docent Conimbr. 2.*de Cœlo,c.*1. Etſi quidã antiqui Philoſophi id tenuerint: ergo ſufficit animam eſſe aſſiſtẽtem. Reſpondetur, loquẽdo de aliis animabus à rationali, ſi anima eſſet tantùm aſſiſtens, non informans, tunc vel eſſet ſimplex, & ſic non eſſet anima corporea, ſed ſpiritus; vel compoſita ex materia, & forma; & ſic nõ eſſet anima alterius corporis, & de illa interrogabitur an ſit viuẽs nécne? Si primum, eius forma erit informans; ſi ſecũdum, forma reſpectu materiæ non erit anima. Secundò, forma aſſiſtens non cauſat actiones immanẽtes, nec vitales, ſed tantùm trãſeuntes: ergo non viuificat illud, cui aſſiſtit. Ad argumẽtum, ergo non ex ſolo motu colligitur animam eſſe formam informantem, ſed ex actionibus vitalibus, quæ formæ aſſiſtenti repugnãt. Vnde cœli, etſi moueantur, animati non ſunt, quia non habent altricem facultatem, cùm ſint incorruptibiles, alioquin excreſcerent & decreſcerent; neque ſenſitiuam vim habent, quia hæc indiget calore, cuius ſunt incapaces; neque habent organa ſenſuum, quia continuâ motione fatigarentur; neque poteſt dici, quòd habent animam rationalem, alioquin mereri atque demereri, Deúmque videre poſſent, quo nihil abſurdius.

An colligitur ex motu animam eſſe formam informantem?

Cœlos non eſſe animatos.

Sectio II.

An anima intellectiua ſit ſpiritualis ſubſtantia, & vera forma informans?

1. PLato in Alcibiade tenuit animã intellectiuam eſſe formam tantùm aſſiſtentem non informantem, ſicut Intelligentia mouens cœlum, dicitur eius anima; quidam tamen cùm Beſſarione, *lib.*3. *contra calumniatorem* excuſauit Platonem ab hoc errore, & ſic Scotus ſentire videtur 4.*d.*43.*q.*2.*n.*26. Sed eſt Themiſtij 2.*de An.c.*27.*vſque ad* 32. Auerr. 3.*de Anim.com.*5. ponit eſſe aſſiſtentem, vt vnam omnium hominum. Mirandulanus tenuit (vt refert Toler. 2.*de Anim. quæſt.* 2.) vnam eſſe omnium hominum animam, & informantem *lib.* 32.*de euerſione ſingularis certaminis ſect.*1. *& lib.*33. *ſect.*2. idem ait Achillinus *lib.de Intelligentiis quodl.* 3.*dub* 2. Sed aiunt hi duo aliud ſecundùm fidem dicendum, licèt hoc ſecundùm Philoſophiam & Ariſtotelem tenendum eſſet.

Pro explicatione, nota quòd forma informans facit cum materia per ſe vnum; forma aſſiſtens non,

non, sed solùm vnitur secundùm operatiooem quandam, vt naura naui; & hoc secundo modo intelligunt illi Philosophi animam intellectiuam esse formam corporit.

Animam esse formam.

Dico primò, anima intellectiua est forma informans hominis. Est de Fide ex locis ettatis *sect. praced. con.* 3. Patres, & Expositores in id Genes. 1. *Formauit igitur Deus hominem de limo terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vita*, id docent expressè, vel supponunt. Probatur ratione, primò ex Dioo Thoma 1. *part. q.* 76. intelligere est propria operatio hominis; ergo est à propria forma hominis, sed est ab intellectiua; ergo.

2. Contrà ex Scoto 4. *d.* 43. *q.* 2. *n.* 6. quia secundùm Diuum Thomá intellectus se habet tantùm passiuè; de quo idem Scotus 1. *d.* 3. *q.* 7. *num.* 14. & suprà *q.* 12. vbi *annot.* 1. plura Diui Thomæ loca ad hoc adduxit: ergo operatio non est ab eo, & sic noo arguit animam intellectiuam esse propriam formam. Vt ergo ratio valeat, tenendum est intellectum esse actiuum. Antecedens, scilicet intelligere esse propriam, & formalem hominis operationem, habetur ex Philosopho 3. *de An. text.* 1. & 5 2. *de An. text.* 24. 25. & 1. *Ethic. c.* 9. 10. & operatio distinguitur contra actionem, & factionem quod inest operanti, & non ab ipso in altero: vnde 10. *Ethic.* in *intelligere* ponit felicitatem hominis; & certum est, quòd hæc inest ei formaliter.

Probatur etiam idem antecedens ratione, quia cognoscit homo differentiam sensibilium ab insensibilibus: ergo habet notitiam non organicam, nec sensibilem. Hac ratione 2. *de Anima, text.* 49. & *circiter*, probat Philosophus dari sensum communem, quia cognoscimus differentias sensibilium propriorū inter se. Præterea, experimur quòd cognoscimus vniuersale, relationes rationis, secundas intentiones, & actus, quibus hæc cognoscimus; sed hæc sensitiuæ cognitioni repugnant. Qui proteruè negaret hos actus inesse homini, non esset (inquit Doctor) cum eo disputandum; sicut nec cū eo, qui diceret se non videre colorem præsenté, oculis nó impeditis; sed dicédú esset ei, quòd caret sensu.

3. Vide Doctorem *loc. cit.* probantem nullum horum actuum conuenire sensui: & vnicâ ratione suadetur facilè, quia nullum horum est sensibile.

Experimur actus intelligendi nobis inesse.

Consequentia prima, nempe principium intelligendi esse formam intrinsecam nostram, probat Doctor; quia illi *intelligere*, seu actui non sensitiuo, nec organico oportet assignare intrinsecū in nobis receptiuū; & hoc non potest esse extensum, cùm ille actus sit inextensus, seu spiritualis; ergo erit nostra forma, quia nihil aliud est inextensum in nobis. Antecedens patet, quia si intrinsecè in nobis non reciperentur illi actus, nó magis experiremur eos haberi, quàm quando Angelus intimè nobis præsens, similes actus habet. Aliam rationem Diui Thomæ reiicit Scotus ibi *n.* 9. quia videtur in vno sensu petitio; in alio non vrget.

Voluntatem esse nobis intrinsecam.

Secundò, probatur cóclusio, & dicta consequentia à Doctore, quia possumus nos determinare ad volendum quodcumque obiectum, vel eius oppositum: de quo 2. *d.* 25. *q.* 1. Sed hoc nequit fieri per appetitum, quia est ad determinata possibilia; nec potest ea non appetere, vel actum suspendere: ergo voluntas est forma spiritualis atque eius principium nobis intrinsecū, alioquin non experiremur talem potestatem nobis inesse ad appetendum, & non appetendum obiectum, quod falsum est.

Tertiò, ratiocinatio, seu discursus, & alij actus relati, qui à potentia organica elici nequeunt, dependent ab actibus phantasiæ, vt patet in pueris, & amentibus; ergo sunt nobis intrinseci: ergo & eorum principium saltem receptiuum, intrinsecum est, & inextensum. Consequentia patet, quia si essent à forma extrinseca, vel assistente, & in nobis non recepti, nihil dependerent à phantasia nostra, sicut nec actus Angelorū nobis assistentium.

Quartò, homo substantialiter differt à brutis, alioquin brutum esset: ergo habet aliquam formam intrinsecam, non irrationalem. Dices (& videtur Auerroïs) cogitatiuam hominis aliquo modo discurrere, & per hoc esse capacem coniunctionis ad principium intelligendi extrinsecum, in quo differt à brutis. 4.

Actus intelligendi nequeūt fieri à phantasia, vel cogitatiua.

Contrà, etiam secundùm Auerr. cogitatiua est materialis, quia facit eam corruptibilem; ergo nó elicit omnes actus cognoscendi, vel discurrendi circa sensibilia, & spiritualia, vniuersalia, & particularia, relationes rationis, & secundas intentiones; alioquin esset intellectus; quia efficeret, & reciperet omnes actus, qui competunt intellectui; ergo omnes isti actus ab alio fiunt; & si illud est extrinsecum, homo non discurrit, nec ratiocinatur, sed aliquid aliud ei assistens; & per cósequens, non erit rationalis, sed brutum ab intrinseco.

Animam secūdùm Arist. esse formá intrinsecam.

Quintò, ex Arist. 2. *de An. text.* 6. vbi definit *animam esse actum corporis organici*, &c. Et intelligit de actu primo substátiali, quia præmittit diuisionem substantiæ in materiam & formam, & compositum: & inde concludit animam esse substantiam, & nó compositum, nec materiam. Quòd ibi comprehendat animam rationalem, patet; quia *text.* 7. & 8. docet illam definitioné esse maxime vniuersalem. Et idem est 3. *de An. text.* 1. ibi, *de parte autem anima, quâ & cognoscit.* vbi ponit animá intellectiuam vt partem subiectiuam animæ vt sic, cuius definitionem dedit *lib.* 2. *c.* 1. & 2. Item, 2. *de Anim. text.* 12. & 13. docet intelligere esse proprium animæ, reliquas operationes, vt *sentire, mouere*, cómunes ipsi cum corpore; ergo posuit vnum principium harum communiū, & illius propriæ actionis; ergo & intrinsecū esse voluit, quia operationes communes ab intrinseco, sunt etiá secundùm Auerr. & alios, qui id negant de *intelligere*; & *ibid. text.* 90. reprehendit Platoné dicentem *intelligere, sentire*, &c. in homine, esse à diuersis animabus. Item, 2. *de An. text.* 74. & *tex.* 31. dicit animá esse principium formale, sicut sanitas, quâ dicimur sani: ergo vult animam esse intrinsecam formam. Et iterum ait intellectiuam continere sensitiuam, sicut tetragonum, trigonum; sed hæ non sunt distinctæ figuræ, sed vna in substantia, quia tantū est formaliter tetragonus, in quo virtualiter est trigonus.

Tetragonus, trigonus quomodo differāt.

Vide alia multa loca Philosophi ad hoc collecta à Toleto 2. *de Anima, quæst.* 2. vbi etiam idem probat ex variis principiis eius. 5.

Quare anima informat, Angelus non?

Obiicitur primò, nulla alia spiritualis substátia potest informare materiam: ergo nec anima. Antecedens patet de Intelligentiis: negatur consequentia, quia Angelica substantia est completa, & ideò nequit informare corpus, vt benè docent Diuus Thomas 1. *part. quæst.* 51. *artic.* 1. Scotus *quodlib.* 9. licèt Aureolus 2. *distinct.* 8. *quæst. vnic. art.* 2. oppositum teneat; anima verò est incompleta, & ideò vniri potest materiæ.

Anima naturaliter appetit corpus.

Obiicitur secundò, forma naturaliter inclinatur ad materiam, sed anima rationalis non sic ad corpus; quia per illud impeditur à sua operatione perfectissima, qualis est contemplatio. Respondetur, etsi per corpus impediatur à perfectiori modo

intelligendi, tamen mediante eo, exercet mltas operationes materiales ſenſitiuæ, & vegetatiuæ; quod ſufficit, vt naturaliter appetat corpus.

Contrà, obiicitur tertiò, vel appetit illud ſeparabiliter, & ſic vterqoe ſtatus vnionis, & ſeparationis eſſet ei naturalis, quod repugnat, cùm ſint oppoſiti; vel inſeparabiliter, & ſic ſeparatio eſſet ei violenta, & cùm *nullum violentum ſit perpetuum, 2. de Cælo, & Mundo, text. 17.* ſequitur reſurrectionem naturaliter ſciri poſſe futuram. Reſpondetur, animam in ſeparatione pati aliqualem violentiam, quia naturaliter petit vniri corpori; & hinc poteſt fieri coniectura pro reſurrectione futura, ſiſtendo in ſolo lumine naturali, ſed oõ cogit ad illud, *nullum violentum*, &c. Reſpondetur ex Scoto 4. *d.* 43. *q.* 2. *n.* 15. quando inclinatio naturalis eſt ad actum primum, & imperfecti ad perfectũ, ſecundùm Philoſophum, oppoſitum huius eſt violentum, & non perpetuum; quia, ſecuodùm ipſum, nulla imperfectio eſt perpetua; & ideò ponit in vniuerſo cauſas ablatiuas omnis imperfectionis. Quando autẽ inclinatio eſt ad actum ſecuodum, & perfecti ad perfectionem communicandam, violentum tunc oppoſitum poteſt ſecundùm eum eſſe perpetuom, quia non eſt propriè violentum; & hoc ſecundo modo inclinatur anima ad corpos, nempe ad communicandam ei perfectionem. Ita ad illam maximam iuxta mentem Ariſtotelis benè reſpondetur.

Anima patitur aliqualẽ violentiã in ſeparatione.

Nullum violentũ eſt perpetuum, exponitur.

6\. Cooſiderando rem ipſam, quando violentum eſt ſolùm per priuatiooem alicuius perfectionis naturaliter debitæ, vt eſſe cæcum, nihil prohibet tale eſſe perpetuum: ſi autem violentia indocat contrariam qualitatem, vt calorem in aquam, tollit perpetuitatem, quia inter contraria fit pugna, & tandem victoria. de hoc argumento videndi D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 1. & ibi Caiet. Henr. *quodl.* 7. *q.* 13. Conimb. *tract. de Anima separ. d.* 2. 2. *art.* 2. qui tenent ſtatum ſeparationis non eſſe naturalem, neque violentum ſimpliciter, de quo poſtea *diſp.* 2. *ſect.* 1. reſolutiuè loquar.

Violentum per contrariam qualitatem, non eſt perpetuum.

Obiicitur vltimò ex Ariſtotele *de Anima, text.* 32. qui ait intellectum eſſe ſecundùm naturam, diuinum, & antiquiſſimum, & 2. *de Anima, text.* 11. ait non eſſe actum corporis, & *lib.* 3. *text.* 5. ait eſſe immixtum, & ſeparatũ, & 2. *de gen. animal.* de foris venire. Ad primum, loquitur in ſeutentia Empedoclis, qui poſuit intellectum eſſe Deum. Ad alia doo loca, tantùm vult, quòd poteſt per ſe ſine corpore ſubſiſtere. Ad quartum locũ, tantùm volt quòd nõ educitur de potẽtia materiæ, & ſic venit de foris.

7\. Dico ſeeundò, anima rationalis eſt forma ſpiritualis. Hæc ſatis probata eſt rationibus adductis pro conclosione prima, quia ex actibus ſpiritualibus oſtenſum eſt in oobis eſſe formam intrinſecam, à qua profluunt, quæ materialis eſſe nequit, eſt contra delitia multorũ Philoſophorum. Zeno poſuit eſſe ignem, Anaxagoras, & Anaximaoder aërem (quos ſecotus videtur Varro, teſte Lactãtio *lib. de Opificio Dei*) Empedocles ſanguioem. Apollinaris etiam Alexandrious, Tertullianos, & alij poſuerunt animam eſſe corporeã, qoos ſuprà citaoi *ad q.* 15. *n.* 20. Probatur ex Scriptura 1. *Corinth.* 2. *Quis enim ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis?* & c. 5. *Iudicaui tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat*; & Eccl. 12. *Reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum.* Concluſio benè ſtat, eſto teneatur animam habere materiam; quia hæc non erit corporea, de qoo fusè dixi *ad q.* 15.

Animam eſſe formam ſpiritualem.

Obiicitur, quod in aliquo recipitur, per modum recipientis recipitur; ergo nihil ſpirituale recipitur io corpore. Reſpondetur, intalligitur maximè, quando recipiens cauſat receptum: aliter non eſt neceſſarium modum eſſendi eſſe eundem in recipiente, & recepto, quantum ad extenſionem: curtit tamen de recepto inhærente.

8\. Dico tertiò, anima rationalis non eſt pars diuinæ mentis. Eſt contra Carpocratem, teſte Irenæo 1. *contra Hæreſ. c.* 24. Cerdonem, teſte Theodoreto *de diuinis decretis*, & Manichæos, ac Priſcillianiſtas, ex Auguſtino *de Hæreſ. c.* 46. 70. qoi dixerunt animã hominis eſſe Dei ſubſtantiam progoatam; definitur in Braccar. 1. *c.* 5. & à Leon. *epiſt.* 91. *c.* 5. Aoguſtin. *lib. de orig. anim.* c. 2. Cuius ratio probatur, qoia ſequeretor Deum eſſe mutabilem, vel animã immutabilem, & ſic non deficeret, nec proficeret, nec aliquid habere inciperet, vel deſineret. Probatur etiam rationibos primæ conclosionis; quia repugnat cuicumque entitati diuinæ eſſe formam. Vide Dioum Thomam 1. *p. q.* 90 *art.* 1. & Chryſoſtom. *Hom.* 13. *in cap.* 2. *Gen.*

Animam non eſſe partẽ diuinæ mentis.

SECTIO III.

An repugnet vnam eſſe animam informantem omnium hominum?

1\. AVerroës poſuit vnam omnium hominum animam, ſed aſſiſtentem, non informantem. Mirandulanus, & Archillinus idem dixerunt tenendum eſſe ſecondùm Philoſophom de ioformanti, qoos citaui *ſect. præced.* io initio.

Dicendum, ſecundùm veram Philoſophiam, & Ariſtotelem, conſtat vnam animam non poſſe eſſe formam informantẽ, omniom hominum. Probatur prima pars primò, quia tõc eadem eſſe omniũ hominom voluntas, & idem intellectus, & conſequenter eædem operationes. Secundò iſtæ eædem potentiæ haberent ſimul habitus, & actos virtorom, & vitiorum oppoſitos, eſſẽtque eadem anima ſimul ſapiens, & ſtulta, miſera, & beata. Tertiò, eadem res eſſet in locis ferè infinitis ſimul. Quartò, eadem materia non poteſt eſſe ſimul multarũ formarum completarũ: ergo idem de forma; alioquin erit infinitæ capacitatis, quia haberet inclinationẽ ad plures materias omni nomero determinato. Ex quo ſeqoitur, quòd ſemper eſſet violentata. Quintò, eâdem libertate poſſet dicere vnam numero animam eſſe in omnibus equis, & idem de omni alia ſpecie aoimatorum.

Vnam nõ poſſe eſſe omnium informantem animam.

Secuoda pars probatur: 2. *Phyſ.* dicitur quòd eadẽ eſt ratio materiæ, & formæ, quia ſont correlatiua; & 2. *de An. text.* 16. quòd vnoſqoiſque actus eſt in propria materia, & non in multis, & *ibidem*, & 7. *Metaphyſic. text.* 7. 24. & 49. quòd vnitas, & diſtinctio, & eſſe rei ſumitor à forma. Ex quibus expreſſè conſtat ſecundùm Ariſt. non eſſe vnã omnium hominum animam. Quòd verò plores ſiot animæ ſecundùm fidem, habetur diffinitũ in Lateran. ſub Leon X. *ſeſſ.* 8. & *c. firmiter, de ſum. Trin.* ex Lateran. ſo. Innoc. III. & Clem. vn. *de ſum. Trin.* Et contra hũc errorẽ videri poſſunt, Nyſſ. *lib.* 2. *Phil. c.* 7. & 8. Epiph. *lib* 2. *cont. hæreſ.* & D. Thom. 2. *cont. Gent. c.* 73.

Ariſt. non poſuit vnã omnium animã.

2\. Obiicitor primò, moltitudo ſecundùm numerũ, non conoenit niſi formis pendentibus à materia, ex 12. *Met. text.* 49. ſed anima rationalis independens eſt à materia; ergo eſt tantùm vna. Reſpoodetur, negando antecedens: & Ariſt. fortè per materiam, ſine qua non multiplicantur indiuidua, intelligit differẽtias iodiuiduales, de quo vide Scot. 1. d. 3.

2.d.3.q.7.ad primũ. Si verò teneatur Ariſtoteles ita ſenſiſſe, in eo errauit, vt ibi docet Scotus; ſed aliter, & aliter exponitur, ne id ſenſiſſe videatur.

Obiicitur ſecundò, ſi eadem non eſt omniũ anima, vnus non poteſt alium docere ſcientiam: quia vna ſcientia non generat aliá, ergo eadem eſt magiſtri, & diſcipuli ſcientia; & conſequenter idem intellectus. Reſpondetur, diuerſam eſſe diſcipuli ſcientiam; docetur autem, quando proponũtur ei aliqua ſigna ipſi nota, circa quæ attentè occupatur, vel quando principia ipſi nota ad particulares concluſiones à magiſtro applicantur, & ſic ad ignotas veritates, quaſi manuducitur; de quo Scot. 2. *d.*11.*n.*5. vbi explicat differentiá inter ſcientiæ acquiſitionem per doctrinam, & propriam adinuentionem. Si argumentum valeret, probaret eandem eſſe pſitaci, & hominis phantaſiam, quia auis illa ab homine doctrinatur.

Quando vnus docetur ab alio?

Obiicitur tertiò, ex Ariſt. 2. *de Gen. animal. c.*3. ait intellectũ de foris venire: ergo non eſt quòd multiplicetur. Item, quia in eius ſententia mundus eſt æternus; ergo ſi multiplicarẽtur animæ, ſecundùm ipſum, eſſent infinitæ, & tamen ipſe negat infinitũ dabile eſſe 3. *Phyſ. c.*8. Reſpondetur ad primum *ſect. preced. ad vlt.* Ad ſecundum in hac re Ariſt. eſt valdè obſcurus. Quidam putant eum non negaſſe infinitatem rerum materiá carentium. Alij nihil certum protuliſſe de immortalitate animæ, de quo Scot. 4.*d.*43.*q.*3. & D. Thom. 2. *contra Gent. c.*81.

Sectio IV.

Definitio animæ exponitur, & forma corporeitatis aſſeritur.

1. Ariſtoteles 2. *de Anima, cap.* 1. *&* 2. ponit duas animæ definitiones. Vna: *Anima eſt actus primus corporis organici potentiá vitam habentis.* Altera: *Anima eſt id quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Quoad primam definitionem oſtenſum eſt *ſect.* 1. *de Anima*, vt ſic, quòd ſit actus, ſeu forma; & idem oſtenſum eſt de anima rationali, *ſect.* 2. Pro maiori explicatione, notandum primò, actum primum hîc ſumi pro eo, quo nullus datur prior; forma enim, potentia, & habitus ſunt actus primi, quibus correſpondent actus ſecundi. Sed forma prior eſt cæteris, éſtque eorum radix, & origo. Nota ſecundò, in hoc differre viuentia à non viuentibus, quòd illa per ſe non ſe mouent, vel ſaltem in ſe non operantur ad acquirendam ſuam perfectionem; hæc verò ſic, vt conſtat in plantis, animalibus, & hominibus: actus ergo primus, qui dat hanc perfectionem, anima eſt, ſeu ſubſtantia vitalis.

Explicatur diffinitio animæ.

Viuentia, & non viuentia quomodo differunt.

Controuerſia autem eſt, quid per corpus intelligatur in hac definitione, an ſola materia prima, vel ſubſtátia compoſita ex ipſa, & forma ſubſtantiali. D. Thom. 2. *de An. text.* 4. *&* 1. *p. q.* 76. *art.* 4. *ad* 1. vbi Caiet. & alij. Suar. *in Met. d.* 13 *ſect.* 3. *num.* 4. *& diſp.* 15. *ſect.* 10. *n.* 8. & Thomiſtæ communiter tenent, per corpus intelligi materiam primam; quia negát plures formas ſubſtantiales in eodem compoſito, de quo Bannes *de Gener. c.* 4. *q.* 8. *art.* 2. Alij tenent ſumi pro compoſito ex materia, & forma dante *eſſe* corporeum præcisè; non quòd talis ſit diſtincta ab ipſa anima, ita fusè Suar. 3. *p.* 3. *tom. d.* 51. *ſect.* 4. Capr. 2. *d.* 15. *q.* 1. *ar.* 1. ſumitur ex D. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 6. Caietanus *ibi art.* 4. *& in* 1. *ſentent. diſput.* 25. *queſt.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

2. Dicendum, per corpus hîc intelligi compoſitum ex materia prima, & forma ſubſtantiali corporeitatis. Ita Scot. 4. *d.* 11. *q.* 3. *n.* 29. vbi agit de termino conuerſionis panis in conſecratione. Idem tenent Henr. *quodl.* 2. *q.* 2. Rich. 2. *d.* 17. *art.* 1. *q.* 5. Argent. 4. *d.* 13. *art.* 1. dicens eſſe omnium Anglorũ. Bacon. 3. *d.* 19. *q. vnic.* Auicen. 1. *Suffic. c.* 2. Baſſol. 2. *d.* 17. *q.* 1. *art.* 2. Maior. 2. *d.* 16. *q. vnic.* Anton. Andr. 7. *Metaph. q.* 17. & omnes Scotiſtæ. Henr. *quodl.* 3. *q.* 6. 8. *&* 15. admittit in homine plures formas, non tamen in aliis animatis.

Probatur prima concluſio. Primò, quia Ariſtoteles 2. *de An. text.* 4. ait corpus poſitum in hac definitione eſſe ſubiectum animæ: ſed nec compoſitum ex materia prima, & anima, vt dante *eſſe* corporeum: nec materia prima ſolitariè ſumpta, eſt ſubiectum animæ; ergo. Reſpondet Suarez *lib.* 1. *de An. c.* 2. licèt corpus includat gradum corporeitatis ab anima, quæ forma eſt, comparari tamen ad animam, vt anima eſt, tanquam potentia, & ſubiectum, non inhæſionis, ſed compoſitionis. Contrà, nullum *eſſe* dat anima corpori, antequam informet illud; ſed tunc quamprimùm animat; ergo non priùs facit corpus, quàm viuens.

Corpus habere formá ante animam.

Si dicas priùs ratione conſtituere materiam in *eſſe* corporis; hoc nihil facit ad rem, quia agitur de compoſitione Phyſica reali, ad quam præciſiones rationis impertinentes ſunt. Pero an detur aliqua mutatio ſubſtantialis circa materiam, antequam anima eam informet, vel non? Si ſecundum, immediatè informat materiam nudam, quæ tamẽ non eſt corpus. Si primum, alia forma ſubſtantialis præcedit animam, quæ conſtituit corpus.

Animam non informare immediatè materiam.

Secundò, alia eſt mutatio ſubſtantialis ad corpus, & alia ad animam; quia illa eſt à generante, vel ſemen effundente: hæc à Deo, vel ab vniuerſali agente ſecundùm Phil. de quo poſtea; ergo corpus habet formam ſubſtantialem aliam ab anima. 3.

Tertiò, *eſſe* corporeum non dat anima intellectiua, quia inextenſa; neque vegetatiua, vel ſenſitiua in homine; quia modo inextenſo continentur in intellectiua; neque diſtinguuntur ab ea; ergo ab alia forma datur. Reſpondet Iauell. 7. *Met. q.* 19. Primò corpus eſſe quantum à materia, quæ eſt ratio receptiua dimenſionum, etſi non ſit earum ſubiectum. Secundò, intellectiuam dare *eſſe* quantum, quia æquipollet formæ extenſæ. Deſumpſit ex Caiet. 1. *p. q.* 76. *art.* 4. *&* 2. *de Anima, cap.* 1.

Contra primam ſolutionem, limitatio quantitatis non eſt à materia, ſed à forma, quia hæc eſt, quæ determinat, & requirit tantam, vel tantam materiam: non enim forma bouis poteſt informare corpus formicæ, neque forma huius corpus illius; ergo cùm limitatio quantitatis prærequiratur ad animam, & non fiat à materia, fit à forma præcedente animam.

Limitatio quantitatis, à forma.

Contra ſecundam ſolutionem, nulla forma dat virtualiter effectum ſibi repugnantem, alioquin poſſet ignis dare frigus; ſed extendi repugnat intellectiuæ; ergo. Item, forma dans *eſſe* per informationem, dat illud *eſſe* quod in ſe habet ſecundùm ſubſtantiam; ergo ſicut corporalis ſemper dat *eſſe* corporale, ita ſpiritualis ſpirituale.

Anima rationalis nequit dare eſſe extenſum.

Quartò, corpus mortuum habet formam ſubſtantialem; ergo & viuum; quia eſt idem corpus. Reſpondent, in morte produci formam cadaueris. Contrà, non poteſt idem effectus produci à quantumcumque diuerſis agẽtibus; ſed ſiue igne, ſiue gladio, ſiue aquá, ſiue fulmine, &c. intereat animatum, manet idem corpus, vel cadauer; ergo non eſt ibi aliqua forma de nouo producta. 4.

In cadauere non eſt noua forma.

Reſpondent Iauell. & Caiet. negando antecedens, quando tenditur ad deſitionem, & ad effectum vilem. Addit Caietanus dubium eſſe, an cadauer ſit eiuſdem rationis, nécne; & vtrumque dici poſſe. Contrà primò, ſequeretur quòd muſca, vel culex, vel alia vilia poſſent à variis ſpecie cauſis gigni. Secundò, alterationes interimentium ſunt diuerſæ, vt morbi, ignis, niuis, gladij, &c. licèt oppoſitum falsò dicat Caietanus: ergo ſi producunt aliquam formam ſubſtantialem, illa non erit vna, ſed diuerſæ.

Tertiò, ſi generatur forma cadaueris, falsò dicunt, quòd tenditur ad deſitionem, quia materia in generando non intendit corruptionem, nec à perfecto ad imperfectum procedit. Quartò, ad omnem generationem ſubſtantialem requiritur diſpoſitio præuia, & ſucceſſiua; ergo ictu gladij, vel fulminis nulla forma talis gignitur.

Si dicas cadauera hominis eſſe ſpecie diuerſa cum Caietano, id chimæricum eſt, cùm experientiâ diſcerni nequeat inter mortuos, quis hoc, vel illo inſtrumento, vel morbo periit.

5. Quintò, enecato animali manent caro, venæ, nerui, oſſa, &c. omnia eadem; ergo & eadem forma corporis, quæ fortè non diſtinguitur ab ipſis. Dicere autem, quòd iſta habeant nouas formas, chimæricum eſt; quia per concoctiones, & alterationes multas fiunt huiuſmodi formæ; ergo vno ictu interimentis fieri nequeunt.

Dices cum Caiet. ſuprà, & Bannes *lib.* 1. *de Gener.* *q.* 6. *art.* 1. formam cadaueris ſequi naturã elementi prædominãtis tempore interitus; vnde ſi intereat animal per ignẽ, vel cholerã, cadauer erit alterius rationis ab intereũte per phlegma, vel aquam; nec refert an gladio, vel laqueo pereat; quia iſta tantũ ſunt conditiones ſine qbibus non, & dominiũ elementi, ſeu humor prædominans cauſa per ſe formæ cadaueris. Sic defendunt cadauera eſſe ſpecie diuerſa, quod, inquit Bannes, probabilius eſt.

Humor prædominans nõ gignit formã cadaueris.

Contrà primò, forma carnis, oſſis, &c. vt dictum eſt, non fiunt ſine coctione, & multis alterationibus; quæ in ſubitaneis motibus gladij, vel fulminis interuenire nequeunt: ergo manent antiquæ formæ. Secundò, humor prædominans, non aliter gignere poteſt formam cadaueris, quàm pugnãdo, & agendo in alios humores, & reducendo eos ad certam qualitatum temperiem, quam ſequatur talis forma; ſed ad hoc requiritur ſpatiũ temporis, (quia ſinguli humores pro virili ſe defenderent, & in ſe mutuò agerẽt.) quod non interuenit, dum animal globo, vel fulmine perit. Antecedẽs patet; quia ſic fieret cadauer ex humoribus, ſicut mixtũ ex elementis. Sed ſecundùm Philoſ. 1. *de Gener. c.* 8.

Quid mixtio?

text. 90. *Mixtio eſt mixtibilium alteratorum vnio*: ad quam requiritur conuentio elementorũ in vnum locum, & mutua eorundem in ſe actio, quâ alterentur, vt fiat temperies primarum qualitatum, quam ſequetur forma aliqua mixti (vide Scot. 2. d. 15. *ad* 1. vbi explicat mixtionis definitionem) ſed in iis, qui ſubitò intereunt, non poteſt talis alteratio, vel qualitatum ad temperiem reductio, fieri; ergo, &c.

6. Præterea, illi humores compatiebantur in vno ante mortem; ergo & pòſt. Si dicas per mortem aliquem eorum augeri, id in illis ſubitaneis motibus eſt manifeſtè falſum; ergo. Sed detur gratis, non poterit tamen agere niſi per motum, maximè ſecundùm eos, qui negant ſubſtantiam eſſe immediatè actiuam; ergo in vno inſtanti ſeparationis animæ non poterit materiã diſponere ad formam cadaueris, & ipſam producere; nam in hac ſententia, quam impugnamus, primum *non eſſe* animæ eſt primum *eſſe* cadaueris.

Tertiò, contra eandem ſolutionẽ, humores ipſi ſunt corpora mixta. Peto ergo vtrùm ſeparatâ animâ, ſeruẽt ſuas formas nécne: Si primum, eſt contra eos, qui negant plures formas ſubſtantiales, etiam partiales in eodem compoſito. D. Thom. 1. *p.* *q.* 75. *art.* 5. *ad* 3. & 2. *contra Gent. c.* 64. qui *art.* 5. docet quatuor humores informari anima: & probat ex D. Thom. Caiet. & Sylu. & præterea cõſequenter idem debent admittere de carne, & neruo, &c. & non erunt fingendæ formæ cadauerum. Si ſecundum; ergo non poſſunt concurrere ad formam cadaueris, cùm ipſi formâ careant.

Humores an animâ informantur?

Sextò probatur concluſio: in animali mortuo manent eadem accidentia, vt longitudo, latitudo, color, &c. ergo & idem ſubiectum; quia accidentia non migrant de vno ſubiecto in aliud; ſed ſubiectum eſt compoſitum non ſola materia, quia prius eſt compoſitum ſubſtantiale, quàm accidentale: ergo manet ſubiectum accidentium, nempe compoſitum ex materia, & forma corporeitatis.

In mortuo manent eadẽ accidentia.

Confirmatur, quia ſi omnia accidentia pereant mortuo animali, & ſola maneat materia; non eſt ratio, quare hæc forma pluſquam illa introducatur; quia materia indifferẽter omnes reſpicit: ergo dicendum, manere accidentia, & compoſitũ ſubſtantiale, in quo ſubiectãtur ante, & poſt mortem. 7.

Reſpondetur cum Bannes ſuprà *art.* 2. accidentia viuentis non manere in mortuo, ſed in corruptione fieri reſolutionẽ in materiam primã, quod videtur D. Thom. dicere 4. *d.* 11. *q.* 1. *art.* 2. & *tract. de formis, q.* 7. & 1. *de Gener. c.* 4. *lect.* 9. Ad confirmationem propter diſpoſitiones, quæ præerant in materia, vel compoſito, eam determinari ad hanc formam potiùs, quàm ad illam, eſto forma immediatè materiam nudam informet.

Anima an informet materiam nudam.

Contrà, in cadauere ad oculum manet idem color, eadem figura, eadem lineamenta, & diſpoſitio partium, quæ fuerunt in viuo. Item, ramus abſciſſus habet eandem viriditatem, quam antea, & pomum ab arbore decerptum, eundem ſaporem. Dicere autem quòd omnia iſta ſunt de nouo producta, paradoxum, & incredibile videtur, cùm ſit contra ſenſum; neque aſſignari poſſit, à quo producatur de nouo.

Reſpondet Bannes *q.* 10. *art.* 1. *ad* 3. quòd ſenſus hîc fallitur, quódque accidentia ſunt eadem tantùm ſecundùm apparentiã, in re autẽ noua ſunt, & producuntur conſecutiuè ad productionẽ formæ cadaueris: & materia eſt ita diſpoſita per diſpoſitiones præcedentes, quòd non poteſt carere accidẽtibus ſimilibus iis, quæ habuit. Sed hæc tam incredibilia videntur, vt ſi inter credenda fide diuinâ ponerẽtur, inter difficiliora creditu locum haberẽt: paradoxum certè videtur, quòd corã oculis meis elephas, verbi gratiâ, fulmine percuſſus intereat, ita quòd omnia ſenſibilia, quæ antea in eo fuerunt, verè euaneſcãt, & in ictu oculi, immò in inſtanti ſimilia ſenſibilia per omnia, ita vt à nullo ſenſu, hæc ab illis diſcerni poſſint, producantur. 8.

Dicendum ergo eſt, ſecluſis his figmentis, eadem accidentia verè manere in mortuo, quæ fuerunt in viuo, & conſequenter eandem ſubſtantialem formam corporeitatis manere, quâ conſtituitur compoſitum, quo iſta ſubiectantur, vt habet Scotus 2. *diſtinct.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 17.

Si dicas, hæc etiam contra Scotum obiici poſſe, quia 4. *diſt.* 12. *q.* 5. *ad* 2. *dico, num.* 23. & *ſeq.* docet gradus

In generatione nõ viuentium, accidentia corrupta non manent in genito.

gradus qualitatum incompatibiles cum forma corrumpenda effici à forma genita,& gradus oppositos ab eadem corrumpi, & q.4.n.21. ideò ait quantitatem in Eucharistia non posse à creatura corrumpi,quia ibi nõ habet subiectum,cuius corruptione desineret esse: vbi supponit eius subiectum esse compositum,& non materiam;quia hæc est incorruptibilis: ergo secundùm ipsum, dum subitò fit ignis ex aqua,vel è contra,omnia antiqua accidentia pereunt, & succedunt noua. Respondetur,ita est dicendum,quando non remanet aliqua forma substantialis:sed tunc ad sensum patet esse accidentia noua,quia specie diuersa, vt in exemplo; at in proposito sunt omnia accidentia secundùm sensum eadem.

Formæ diuersæ speciæ nunquam habent accidentia omnia similia.

Ad id quod ait, accidentia omnia similia accidentibus viuentis cõsequi ad formam cadaueris, quia habent istæ formæ affinitatem, quia vna sequitur ad aliã,falsum est.Ad comprobationẽ falsi, quia formæ diuersæ specie nũquam habent accidẽtia per omnia similia,vt patet inductiue,neque forma cadaueris,si daretur,esset affinis formæ viuentis,cùm inter se maximè repugnẽt;neque sufficit ad hanc affinitatem, vel similia accidẽtia habenda,quòd vna sequatur ad aliam;alioquin acetum haberet eadem accidentia cùm vino; quia se habet ad illud sicut mortuum ad viuum;& eodem modo ex illo fit sicut mortuum ex viuo, vt docet Aristot.8.*Metaph.text.*14. vide Scot.4 *d.*43.*q* 3.

10\. Quod dicitur,materiam exigere accidentia similia iis, quæ præcesserunt,propter dispositiones præcedentes, non minùs falsum est;quia ex præteritis dispositionibus nihil in ea remanet, nisi respectus quidam rationis, per quem non potest determinari ad aliquid reale. Sed hoc parùm valet, quia etiam facit contra nouitatem accidentium in genito, vbi corruptum habet tantùm vnam formam. Vide Scotum 2. *dist.*3.*quæst.*4.

Vltimò, probatur ex Arist.in allata diffinitione; cùm enim dicit,quòd anima est actus corporis organici:ergo supponit corpus esse organicum,alioquin nõ esset actus formalis,sed efficiẽs organici.

Quid corpus organicum?

Pro quo Nota corpus organicum dici illud,quod habet partes dissimilares;ex Arist.2.*de Part.an.c.*1. cuiusmodi sunt oculi,manus,nares,&c.anima ergo talis naturæ est, vt nõ informet nisi corpus tales partes habens.Per particulam *Physici*,positã in definitione, discernitur à corpore Mathematico, quod est accidẽs,& ab artificiali;vel fortè meliùs dicitur quòd anima, quà forma respicit corpus Physicum, quà talis forma viuens organicum.

Organizatio alia accidentalis, alia substantialis.

Nota secundò, quòd organizatio alia est accidentalis,vt quòd hoc membrum sit durum, illud molle;hoc frigidum,illud calidũ;hoc huius figuræ,illud alterius;alia verò est substantialis consistens in variis formis substãtialibus partium corporis organici.Et de hac intelligitur dictio *organici*,in definitione animæ, vt ex dictis abũdè probatum est. Pro explicatione alterius particulæ, *In potentia vitam habentis*, in definitione positæ,

11\. *Vita alia substantialis, alia accidentalis.*

Nota tertiò, quòd vita est duplex;alia est substãtialis,& est ipsum *informari* corporis ab anima, quod est effectus formalis animæ,& non ipsa anima;vnde in Scriptura vocatur *spiraculũ vitæ,Gen.*2. In Intelligentiis nõ videtur distingui ab ipsa natura,vt se agit,& mouet;quia nõ est pars,quæ dat vitam,distincta ab ea cui datur,vt in homine. Alia est accidentalis,quæ est propria operatio viuẽtis, quo sensu Arist.7.*Polit.c.*2. diuidit vitam in actiuam, & contemplatiuam, & 1.*Ethic.ad Eudem.* in ciuilem, Philosophicã,& voluptuariam. Vnde & beatitudo,quæ consistit in operatione,dicitur vita æterna,iuxta id *Ioan.*17.*Hæc est vita æterna,vt cognoscant te*,&c. Itaque particula illa *potentia vitam habentis*,potest accipi vtroque modo;quia corpus est in potẽtia ad vitã vtramque:sed quoad vitam primo modo sumptam, idẽ est esse organicum,& vitam in potentia habere;& differentia est tãtùm in nomine.Quoad vitã secundo modo sumptam, non est idem,quia hæc est effectus animæ & efficientis. Vel dic,quòd ista particula, supra corpus organicum addit dispositiones accidentales, per quas est in proxima potẽtia ad receptionem animæ; & sic non erit superfluitas in definitione.

Probatur Theologicè, corpus organicum habere aliam formam distinctam ab anima.

12\. *Mysterium Eucharistiæ petit poni formam corporeitatis.*

Scot. 4.*d.*11.*q.*3.*num.*19.fusè rem hanc tractat; ex quo potiora sumemus, quibus addemus nostra. Probatur,quia sine forma corporeitatis nõ saluatur veritas Eucharistiæ: primò, quia corpus in quod fit conuersio,vel est Mathematicum,vel naturale;quia Aristoteles nõ ponit alia:sed Mathematicum nõ est,quia hoc est accidens,neque naturale per te; quia hoc formã constat; ergo sine forma nõ verè dicitur,*Hoc est corpus meum*,&c.Secundò,quando dicitur,*Hic est sanguis*, non potest fingi ibi tantùm esse materiam solam sanguinis, vel materiam cum modo quantitatiuo;ergo idem hîc dicendum. Tertiò,cùm dicitur: *hoc est corpus meum*, non ponitur distrahens à veritate carnis, ossis, &c. ergo sicut fictio esset, per carnem, vel os intelligi materiam, ita & hîc. Dicetur fortè cum Suar. in initio, citato, & ex D. Thom. 1.*p.q.*76.*art.*6. *& q.vn.de Anim.art.*9.*corp.* *& ad* 5. terminum conuersionis esse corpus,id est,ipsam materiam,quatenus accipit esse corporeũ ab anima.

13\. *In triduo consecratio haberet eundem terminum, quem modò.*

Contrà,ostensum est esse impossibile,quòd forma inextensa det *esse* extensum formaliter. Præterea,si consecratio fieret in triduo mortis,poneretur idem terminus,qui modò per formã corporis; sed tunc non poneretur anima,quia separata erat; neque vllum *esse* daret materiæ:ergo neque nunc ponitur,neque aliquod *esse* ab ea datum.Minor probatur,quia ex vi verborum,vt docet *Trid. sess.*13.*c.*3.non ponitur anima sub specie panis,vel vini ex vi verborũ, sed tãtùm ex vi naturalis connexionis cum corpore, & sanguine:ergo quando soluta esset naturalis cõnexio,nullo modo poneretur anima sub istis speciebus;neque aliquod *esse* ab ea datum; quia nullum dat non coniuncta;ergo ex vi verborum nunc, sicut & tunc ponitur verum corpus sub speciebus panis, & per consequẽs vera forma corporeitatis ab anima distincta.

Anima sub speciebus non ponitur sub speciebus.

Quartò, sequeretur quòd corpus Christi non esset idem,viuũ & mortuum;consequens est contra Sãctos. Sequela patet,quia haberet aliam formam specie, vel genere distinctam post mortem. Falsitas cõsequentis patet ex Ambr. & habetur *de consecr.d.*2.*c.omnia Idẽ est de virgine sumptũ,& quod est passum,sepultum*,&c,Leo *serm.de Ascens.*ait eandem naturam consedere in patris throno,quæ iacuit in sepulchro.Idem dicũt Greg.Aug.Damasc. Hieronym.quorum verba vide apud Scot.suprà.

14\. *Si generatur cadauer, non est idem corpus Christi viuum & mortuum.*

Respondet Caiet.suprà,corpus Christi viuum & mortuũ esse idem suppositaliter, materialiter, & quoad *esse* existẽtiæ actualis,non autem formaliter. Suar. suprà *dist.*15. *sect.*10.*fin.* respondet esse

idem

idem ſenſibiliter propter identitatem materiæ,& quantitatis, & ſenſibilium accidentium,vel ſuppoſitaliter propter idem ſuppoſitum, & addit propter locutiones Theologicas, quæ commodum ſenſum habent, non eſſe fingendas nouas formas in homine.

Contra Caietanum,non dicũt Sancti idem ſuppoſitum,nec eandem materiam, ſed idem corpus manere; at non eſt idem corpus manens,ſi mutatum eſt in aliam formam ſubſtantialem, alioquin dicas manere eundem ignem poſtquam conuerſus eſt in aërem,& eundem panem poſtquam conuerſus eſt in naturam aliti. Quòd verò maneat eadem materia eidem ſuppoſito vnita,nihil facit ad permanentiam corporis, alioquin ſi ſola manus ſic permanſiſſet vnita,(quod non repugnat,)diceres idem corpus humanum permanere vnitum. Quod dicitur eandem exiſtentiam actualem permanere,falſum omnino eſt; quia cùm ſit nouum compoſitum ſubſtantiale, & corrumpatur antiquum, perit antiqua exiſtentia, & ſuccedit noua. Non me latet ſecundùm Caietan. 3. *part. quæſt.* 17. *art.* 2. humanitatem aſſumptam exiſtere exiſtentiâ Verbi; ſed id falſum eſt, vt benè probat Scotus cum communi, 3. *d.* 6. *quæſt.* 1.

Ratione eiuſdem materiæ minimè manet idē compoſitum.

15. Contra Suarem eædem rationes valent; quia identitas ſuppoſiti nihil facit ad rem, neque eſt verum manere idem corpus;quod expreſsè aiunt Sancti, ſi non eſt idem compoſitum ſubſtantiale, eſto maneat materia,& aliquot accidentia eadem, quia ſecundùm ipſum Suar. *diſp.* 14. *ſect.* 3. *n.* 37. omnia accidentia corrupti manent in genito, ſi non repugnant eius formæ, & tamen falſum eſſe corruptum eſſe genitum,licèt ambo habeant eandem materiam, & multa, licèt non omnia accidentia eadem; ergo gloſſa illa omnino reiicienda tanquam apertè contra Sanctos. Præterea,ipſe dicit ibi *n.* 21. ideò manere eadem accidentia, maximè qualitates in genito,quæ fuerũt in corrupto;quia non habent cauſam, à qua fiant noua; quia non fiunt à forma cadaueris,cùm non ſint ei connaturalia, nam ſi eſſent, non ita citò euaneſcerent. Neque fiunt ab extrinſeco, quia ſæpè nullũ adeſt à quo talis calor,vel tẽperamentum produci poſſet,qualia in cadauere,maximè quãdo mors contigit per iugulationem,ſuffocationem,vel ictum, apparent: neque fiunt à ſpiritibus vitalibus, vel humoribus, quia fortè hi omnes animâ informantur, & ſic cum ipſa pereunt: & eſto alias formas habeant, non poſſunt cauſare illas qualitates, quia citiſſimè corrumpuntur, & qualitates illæ diutiùs durant.

Accidentia cadaueris non ſunt noua.

16. Totus ille diſcurſus æquè benè probat manere eandem formam corporis,& nullã ſubſtantialem de nouo in interitu animalis produci;quia nõ eſt aſſignare cauſam eius,& cùm maneant eadẽ accidentia,ſecũdùm eum,& benè, quia nihil eſt quod cogit in hoc corrigere ſenſum;tenendum eſt manere eandem ſubſtãtiam: quâ ratione,quia eadem accidentia in hoſtia conſecrata manent,quæ fuerunt in non conſecrata,teneremus certò ſubſtantiam panis manere,ſi fides non cogeret ad oppoſitum. Quod ſubiungit Suarez contra Scotũ propter locutiones Theologicas, quæ congruum habere poſſunt ſenſum,non eſſe fingẽdas nouas formas,minùs rectè dictum eſt, tum quia ipſe fingit Scotum fingere nouas formas,cùm tamen eas neget Scotus, aſſerẽs antiquas formas manere; tum etiam,quia congruum ſenſum non aſſignat dictis Sanctorũ dicentium abſolutè manere idẽ Chriſti corpus mortuum, quod fuit viuum, qui abſolutè negat idem corpus manere, eſto aſſerat eandem materiam,& aliquot accidentia perſeuerare. Non fingit ergo Scotus propter locutiones Sanctorum nouas formas, ſed ex eis infert expreſsè manere antiquã corporis formam. Suarez autem propter locutiones Philoſophicas, & maximè propter illud, *Generatio vnius eſt corruptio alterius*, & è cõtra; quæ maximè congruum poſſunt habere ſenſum, vt poſtea patebit, fingit nouas cadauerum formas, vt videtur, contra Sanctorum loquutiones.

Loquutiones Sanctorũ cogunt ad aſſerendam formam corporeitatis.

Soluuntur argumenta contra formam corporeitatis.

17. Arguitur primò contra reſolutionem huius quæſtionis, ex D. Thom. *dicto art.* 4. vnius entis eſt vnicum *eſſe*; ergo vnica forma; quia forma dat eſſe; ergo in eodem compoſito non ſunt plures formæ. Reſpondetur ex Scot. 4. *d.* 11. *q.* 3. *n* 46. non obſtare vnitati entis, pluralitatem formarum, modò vna ſit vltima,& completa, ad quam cæteræ ordinentur; quia compoſitum integrale eſt vnum, & tamen ſingulæ eius partes habent ſuas partiales formas in veriore opinione; quidquid teneatur de forma corporeitatis, quæ ſit ab his diſtincta. Hæc ſolutio eſt ad mentem Phil. 4. *Met. in fine*, vbi dicit ſolam vltimam formam eſſe abſolutè formam,& actum: intermedias autem eſſe etiam materias. Contrà ex 7. *Met c. de vnitate definitionis, ibi: In ſubſtantiis nõ eſt ordo*; ergo vna forma ſubſtãtialis non ordinatur ad aliam. Reſpondetur, ibi ait, ſi eſt nugatio addere priorem differentiam poſteriori, idem erit ſi è conuerſo fiat; quia quantum ad hoc, non eſt ordo in ſubſtantiis harum differẽtiarum; quod nihil eſt ad rem. Alia ex eodem capite adducuntur contra pluralitatẽ formarum, quæ Scotus optimè explicat *loco citato*; vbi etiam ſe remittit ad explicationem, quam fecit in Metaphyſica.

Pluralitas formarũ non obſtat vnitati compoſiti.

18. Caiet. *dicto a.* 4. pro ſua modeſtia replicat contra hanc, quòd Scotus,& alij cæcitate tenentur; quia ſequitur hinc, quòd vna res abſolutè,& ſimpliciter eſt,& fit: eſt per primã formam,& fit per aduenientẽm, *Quod* (inquit) *quanta ſit ſtultitia eis relinquo iudicandum.* Reſpondetur, eſt incõpletè per formas præcedentes,& fit per vltimã completè:& ſi per abſolutè,& ſimpliciter, intelligit vltimã eſſe, falsũ ſubſumit. Si ſufficit ad hoc, quodcumque *eſſe* formale ſubſtantiale; verificatur de eodem ſimul, quod abſolutè eſt,& fit, ſenſu iam explicato; & ex tam futili argumento redarguere Doctorem ſubtilem cæcitatis & ſtultitiæ, minùs prudentem, & humilem ſapit ſpiritum.

Sed contrà, quia abutitur Scotus terminis, ſumens eos, non ſicut Philoſophi, apud quos ſimpliciter ſignificat ſine addito: vnde quod ſimpliciter eſt, habet ſuum complementum ſubſtantiale. Reſpondetur ex Scoto ſuprà *n.* 43. & 50. *apud Phil.* 1. *de gener. text.* 11. ſumi ens ſimpliciter, pro omni entitate, cuius oppoſitum, ſcilicet non eſſe ſimpliciter, eſt purum nihil. Sumitur etiam prout opponitur enti ſecundùm quid; & ſic omnis forma ſubſtantialis eſt ens ſimpliciter, & idem eſt de materia: & hoc ſenſu plura *eſſe* ſimpliciter ſunt in eodem compoſito, ſed non plura completa.

Ens ſimpliciter ſumitur.

1 Arguitur ſecundò, ex eodem ſequeretur quòd ſecunda forma ſubſtantialis daret eſſe accidentale; quia aduenit enti in actu, & ſic non diſtingueretur à forma accidẽtali. Reſpondetur ex Scoto ſuprà, quòd aduenit enti in actu completo per vltimam

vltimam formam, eſt accidẽtale, non aliter. Contrà ex 5. *Phyſ. text.* 8. *quod mouetur eſt, quod generatur non eſt.* Sed adductio vltimæ formæ eſt generatio; ergo id ex quo deducitur, non eſt ſimpliciter, alioquin haberet *eſſe*, ſicut & illud quod mouetur, vel alteratur. Reſpondetur ex Doctore *n.* 50. ſenſus eſt, quòd ſubiectum generationis caret *eſſe* ſimpliciter, cſtu habeat aliud *eſſe* ſimpliciter, ſed incompletum. Quod autem mouetur, vel alteratur, non petit carentiam *eſſe* ſimpliciter, ſed poteſt nullo *eſſe* ſimpliciter carere.

Quod mouetur eſt, & quod generatur non eſt, exponitur.

Tertiò, arguitur ex eodẽ *a.* 3. prædicatio ſumpta à diuerſis formis nõ ſubordinatis, eſt accidẽtalis, vt album eſt dulce; ſi à ſubordinatis, eſt in ſecundo modo per ſe, vt ſuperficiatum eſt coloratum: ergo ſi ponamus plures formas in homine, genus ſumptum ab vna forma, non prædicabitur primo modo de ſpecie ſumpta ab alia; & ſic, hęc non erit per ſe primo modo, *homo eſt animal*, quod eſt falſum.

20. Reſpondetur, tantùm probat prædicatum ſumptum à forma poſteriori, non prædicari per ſe de pręedicato ſumpto à forma priori, vt hîc, *animal eſt homo*; quia vna harum nõ includit aliam: negatur; ergo etſi pręedicata ſumantur à formis ſubordinatis, ideò prædicationẽ eorum de ſe inuicẽ eſſe per ſe ſecundo modo; ſed erit potiùs per accidens, vt hæc, *homo eſt albus, animal eſt rationale*. Intellige de prædicatis, quãdo ſumuntur à priori, & poſteriori forma, & ponendo genus ſumi à priori, & differentiã à poſteriori; nec prædicatur hoc de illo per ſe, nec è contra. Sed nõ ſequitur hinc, quòd genus non prædicetur de ſpecie, quia hæc etſi importet prædicatum ſumptum à poſteriori forma, ſcilicet differentiam, non tamen præcisè illud, ſed etiam genus includit, per quod euaneſcit quædam obiectio Caietani *dicto art.* 3. quod ſequitur ex ſolutione Scoti, hanc non eſſe per ſe, *homo eſt animal*. Vide Scot. 1. *Poſter. quæſt.* 18. vbi diſputat an hæc ſit per ſe, *animal eſt homo*.

Prædicata ſumpta à formis ſubordinatis, an de ſe dicantur ſecundo modo per ſe?

Genus non prædicatur per ſe de differentia, nec è contra.

21. Contra hanc ſolutionem obiicit Caietanus primò, quia iſtæ ſunt per ſe, *Terra eſt grauis, ignis eſt calidus*, tamen extrema ſumũtur à diuerſis formis. Reſpõdet Phil. Fab. *Theorem.* 73. *c.* 3. quòd terra & grauitas nõ ſunt duæ formę diſtinctæ, conſtituentes eãdem rem, ſed grauitas eſt propria paſſio terræ, cui vt ſubiecto ineſt. Hæc ſolutio non eſt reiiciẽda, quia hîc tãtùm agitur de variis formis conſtituentibus vnũ per ſe; & dicitur non inde ſequi, extrema pręedicationis ſumpta ab his formis, de ſe inuicem dici per ſe; ſed nõ puto illud prædicatum eſſe per ſe, niſi tantùm reductiuè ad ſecũdum modũ, quia eſt quarti modi, quo prædicatur effectus da neceſſaria cauſa; & iſte modus non propriè dicendus eſt per ſe, quod puto ſecũdùm Scotum dicendum, qui 1. *Poſt. q.* 16. cum Linconienſi, videtur tantùm ponere duos modos prædicandi per ſe, nempe primum & ſecundum.

Duo modi prædicandi per ſe.

Arguitur quartò, quia generatio vnius eſt corruptio alterius, & è contrà, 1. *de Gen. text.* 17. *&* 20. *&* 3. *Phyſ. text.* 73. *&* 27 ergo cùm corrũpitur animal, generatur cadauer; & per conſequens nõ datur forma corporis, alioquin hæc eſſet ſimul cum forma cadaueris. Reſpõdetur, vtrobique adducit Ariſtoteles hanc maximã, ad probandum æternitatem generationũ ſine infinita materia; ad cuius intẽtum ſufficit, quòd ad quamcunque corruptionem ſubſtantialem ſequitur mediatè generatio; & hoc habetur, etiamſi non generetur cadauer, quia ſtatim corpus mortuum tendit ad aliam formam, & ſic non ceſſabit generatio, quod ſolùm intendit Philoſophus; eatenus autem generans vnũ compoſitum, corrumpit aliud, quatenus forma vnius eſt incompatibilis cum forma alterius; & quando plures formæ ſunt in eodẽ, benè ſtat quoad vnam ipſarum corrumpi compoſitum: ſine vlla generatione alterius compoſiti. de quo vide Scot. 2. *d.* 1. *q.* 3. *ad* 3. *princ. & d.* 2. *q.* 7. *& d.* 12. *q.* 1. *n.* 4. *&* 5. Quòd verò illud axioma non ſit vniuerſaliter verum, patet in accidentibus multis, quorum generationem nulla comitatur corruptio, cuiuſmodi ſunt lumen in aëre, ſpecies in medio, ſcientia quando non præcedit error poſitiuè oppoſitus, & alia.

Generatio vnius eſt corruptio alterius, exponitur.

Arguitur quintò, aut plures formæ educuntur de vna potentia materiæ, aut de pluribus: non primum, quia ſecũdùm Comment. 12. *Met.* numerus potentiarum eſt ſecundùm numerũ ſpecierum, & ſic illæ formę eſſẽt vnius ſpecici, quod eſt falſum: neque ſecundum, quia, cùm illæ potentię ineſſent materiæ ſine ordine, formæ eis correſpondentes ſic ineſſent, & per conſequens non facerent vnum per ſe. Reſpõdetur cum Scot. ſuprà *n.* 41. id eſt, eſſe vnam potentiam. Ad authoritatem, non procedit de potentia receptiua, ſed de potentia & actu, vt ſunt differentiæ entis. Quod patet in exemplo ibi adducto, de poſſe ſanari, & ſanare; quomodo etiã intelligitur quod dicitur 3. *Phyſ.* potentias diſtingui ſicut actus. Secundò, dando eſſe plures potentias, negatur non eſſe inter ſe ordinatas; quia potentia ad formam incompletam præcedit aliam. 22.

Vna potentia ad plures formas.

Arguitur ſextò, quia generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili manente, in quo differt ab alteratione, ex 1. *de Gen. text.* 14. ergo cùm generatur animatum, nullum ſenſibile, quod præfuit, manet; & idem eſt, quando corrumpitur. Reſpondetur cum Tatareto, ibi loqui de ſenſibili completo. Vel dico loqui de generatione inanimatorum, quia ibi exempla ex his adducit; vt quando aqua conuertitur in ignem, vel hic in aërem. Tertiò, dici poteſt, quòd loquitur de generatione compoſiti animati, ſed totali, vt comprehendit tam vltimam formam, quàm præcedentem formam corporeitatis, quia vtriuſque eductio ad generationem animati requiritur, neque eſſet adæquatè generans, qui ſolam vltimam introduceret.

Quid eſt generatio?

Generatio eſt mutatio totius in totũ, nullo ſenſibili manente, exponitur.

Arguitur ſeptimò, quia ſequitur quòd caro viua, & mortua eſſent vniuoca; quod eſt abſurdum. Præterea, caro haberet duas formas vltimas, quia vltra propriam haberet animam. Reſpondetur quoad formam carnis, ibi eſt vniuocatio, quatenus altera caret anima, non eſt. Ad ſecundam partem, forma carnis quatenus ordinatur ad animam, non eſt vltima. 23.

Caro viua, & mortua vniuocè tales.

Arguitur octauò, ſi anima immediatè cum quantitate vniretur materiæ, (quod ſecundùm Scotum probabile eſt, quia ponit materiam poſſe eſſe ſine forma, 2. *d.* 12. *q.* 2.) eſſet animal; ſed repugnat animal eſſe ſine corpore; ergo per ipſam animam tunc fieret corpus. Reſpondetur caſum eſſe impoſſibilem, quia anima nequit per vllam potentiam informare quod corpus non eſt, cùm ipſa eſſẽtialiter ſit actus corporis; & ſi per impoſſibile informaret materiã nullã præcedẽte formã corporis, animal non eſſet; quia nullam animalem functionem exercere poſſet, quia careret organis.

Anima nequit informare materiam immediatè.

Arguitur nonò, poteſt forma prior eſſe ſine poſteriori, & per Scotum ſic ſemper eſt forma corporis, quando interit animal; ergo manet genus ſine vlla ſpecie, quia corpus eſt genus. Reſpondetur hoc nihil eſſe; nam licèt corpus poſſet manere

Corpus quod informatur ab anima, nõ ponitur directè in Prædicamento.

fine

ſine vlla anima, non ideò eſſet genus, ſed indiuiduũ; quia genus per abſtractionẽ, vel collationem fit: & ſi abſtrahatur, corpus non poteſt contrahi ſine ſpeciebus corporis; benè tamen ſine ſpeciebus animatorum, quæ corpori ſuperueniũt. Vnde corpus vt hîc ſumitur, pro altera parte compoſiti animati, non eſt illud quod in ſerie Prędicamẽtali ſubſtantiæ dicitur corpus, qoia hoc prædicatur de animali, à quo & abſtrahitur; illud autem non, quia pars Phyſica animalis noo dicitur de toto.

SECTIO V.

De ſecunda animæ definitione.

Quod ſit principium vegetandi, ſentiendi, intelligendi, & loco mouendi,

1\. PHil. 2. *de An.c.* 2. adiungit hanc ſecundam definitionem primæ, quam *ſect. præced* examinauimus, & habetur *cap.* 1. eiuſdem libri. Pro explicatione, Nota per *principium* intelligi intrinſecũ, & cõſtitutiuum, per quod excloditur Deus, (licèt ſit intimè præſens cũctis,) ab hac diffinitione. Secundò, nota quatuor patriculas in definitione poſitas oon ſumi coniunctim, nec diſtinctiuè, quoad ſiogulas; ſed ita vt diſiunctio fiat cum coniunctione ad particulas præcedentes: ſic *Anima eſt id quo viuimus, aut etiam ſentimus, aut etiam loco mouemur, aut etiam intelligimus.* Vnde fallitur Simplicius Themiſtius, qui aſſerit hîc ſolam iotellectiuã definiri, quia Philoſopbus ait ibidem corpora ob ſolam vegetandi rationem, eſſe vioentia; alia ob ſentiendi talia eſſe: itaque nõ tantùm de intellectiua agit, ſed voluit vbicumque reperitur aliqua harum operatio, ibi eius principium, animam ineſſe.

Secunda animæ diffinitio explicatur.

Nota tertiò, hanc ſecundam definitionem differre in hoc à prima; quòd prima datur in ordine ad corpus, quod eſt ſubiectum animæ, & ad cõpoſitum, quod per animam conſtituitur formaliter: hæc verò datur in ordine ad operationes animæ. Ex his ſatis patet ſecundã definitionem benè traditam eſſe, & obiectiones contra eam, per hæc notata facilè euertuotur. Sed qoomodo vna harum diffinitionum per alterã manifeſtetur variè ſentiunt DD. omiſſis multis, quæ ad hoc afferuntor.

2\. Dico primò, poſterior definitio conſiderata, vt traditur per principium operationom animæ, poteſt per priorem demonſtrari *propter quid*. Ratio eſt, quia prius eſt animam eſſe actum corporis, & compoſitum conſtituere, quàm principium eſſe harum operationum, & illud eſt caoſa huius. Et ſi dicas, qoòd anima ſeparata eſt principium intellectionis, id verom eſt, vt *quod*, ſed vt principium *quo* ſupponit compoſitum, quod conſtituit.

Secunda definitio animæ per priorem demõſtratur.

Dico ſecundò, eadem poſterior definitio, vt traditur per operationes, demonſtrat priorem à poſteriori. Ratio, quia huioſmodi operationes ſunt proprij effectus illius, quod actuat corpus, & conſtituit cõpoſitum animatum. Præterea, Ariſtoteles initio *cap.* 2. dicit enitendum eſſe priorem per poſteriorem oſtendere, ſicut ſolet qood ſecundùm ſe nouos eſt, ſed nobis obſcurios, per nobis notiora demonſtrari: ſed progrediendo à notioribus nobis, ad notiora ſecundùm ſe, eſt progredi ab effectibus nobis notis, ad cauſas latentes. Ex quibus ſequitur primam definitionem eſſe eſſentialem, quia datur per genus propriom, ſcilicet formam ſubſtantialem, & per differentiam, qoà nulla propinquior ad tale genus contrahendum, ſcilicet formã talis corporis Phyſici organici. Nec obſtat quòd *eſſe* formam talis corporis dicat reſpectum, qui non poteſt eſſe de eſſeotia abſoluti, cuiuſmodi eſt anima; quia etiam rationale dicit reſpectum principij ad actum, & tamẽ per illud eſſentialiter defioimus hominem; quia nihil aliud magis propinqoum reperitur ad animal contrahendum ad hominem, & eſſentiæ rerum in ſe, ſunt oobis pro hoc ſtatu incognitæ.

Prima animæ definitio eſt eſſentialis.

3\. Sequitur etiam ſecundam definitionem non eſſe eſſentialem, quia ſopponit animam in ſua eſſentia; operatio eoim ſupponit ſuas caoſas: non enim anima ideò eſt anima, quia eſt principiũ operandi, ſed è conuerſo. Probatur ex Ariſt. *dicto c.* 2. vbi ſumit pro fundamento ſuæ demonſtrationis, *animatum ab inanimato vita* (id eſt, operatione vitæ) *ſeiungi*, ſcilicet à poſteriori, & quoad nor.

Secunda definitio animæ an eſſentialis?

Obiicies, *vnumquodque eſt gratiâ ſuæ operationis*, 1. *de Cœl.c.* 3. *text.* 17. ergo defioitio animæ io ordine ad ſuas operationes, eſt à priori, quia per cauſam finalem. Reſpõdetur, operationes eſſe finẽ animæ, quantum ad eius exiſtentiã, & iotentionem agentis, non quoad eius quiditatem, & eſſentiam; qoia non ideò habet anima talem eſſentiam, qoia eſt principium taliũ actionum, ſed contrà; & eo modo quo finis ſoot, poteſt definitio ſecunda admitti vt à priori; quia per eas redditor cauſa, quare ex intentione agentis, anima vt forma tali corpori organico adiuncta eſt: & hoc eſt dicere, qoòd reſpectos ad tales operationes habet ſe vt caoſa motiua ad productionem animæ; cum quo ſtat, quòd ſimpliciter ſit definitio à poſteriori; quia profluunt operationes ab anima, & ſic ſupponũt eam.

Quomodo operationes ſint finis animæ?

SECTIO VI.

Quot ſunt animarum genera; & qualis animæ in illa diuiſio?

DIco primò, tres tantùm eſſe animarum gradus, ſeu genera, ita Ariſt. 2. *de An.c.* 2. & communis Philoſophorũ, Aug. *lib. de quant. Anim.c.* 33. vbi licèt ſeptem gradus vitæ ponat, tres tamẽ primi tantùm ad diſtinctionẽ animatum, & ad Phyſicam pertinent, reliqui ad moralem, & ſupernaturalem ſtatum. D. Tb. 1. *p.q.* 78. *a.* 1. Primus gradus eſt vegetatiuæ, conueniens omnibus plantis. Secundus ſenſitiuæ, animalibus. Tertius intellectiuæ, ſoli homini conueniens. Colligitur ex eleuatiori operandi modo, quo viuentia operãtur; eleuantur enim in hoc quòd ab interno priocipio in ſe agunt, & ad ſuam perfectionem acquirẽdam: & in hoc viuens à non viuenti diſtinguitur; quia in non viuẽti nulla eſt operatio ab intrinſeco, vt dixi *ſect.* 1. *n.* 2. ſed inter viuentia ipſa ſunt tres modi eleuatæ operationis. Primus eſt operandi per organa, & qualitates corporeas, & quidem primas; & hic eſt vegetatiuæ, cuius operationes ſũt ab intrinſeco, & exercentor per calorem naturalem, recipiuntórque in cooiuncto. Secundus eſt, quando operatio non eſt à qualitate prima, ſed ab ipſa potentia corporea, mediâ aliquâ qualitate aliqualiter incorporeâ, cuiuſmodi ſunt ſpecies; & recipitur in ſuo principio, & hic eſt ſenſitiuæ. Tertius eſt, quando operatio nullo modo eſt ab organo, nec recipitur in aliquo corporeo; & hic eſt animæ intellectiuæ proprius, facitque genus diſtinctũ à ſenſitiua, quia eſt altioris eleuationis, at cæterorũ animaliũ animæ tantùm faciunt diuerſas ſpecies, non autem diſtincta genera, quia habent eandem eleuationẽ ſupra non viuentia, in qua cõueniunt. 1.

Viuens à non viuente quomodo distinguitur.

Tres vitæ gradus.

Ex

2. Ex quibus sequitur varias Philosophorum sententias de animabus falsas esse, de quo author librorum de Plantis, qui Aristoteli tribuitur, *lib.* 1. *c.* 1. Plutarc. *c.* 26. *lib.* 5. *de Placitis*, Clem. Alex. *lib.* 8. *Strom.* Galen. *lib. de natural. facult.* Stoici ponebant plantas non viuere, quia cupiditate carent. Plato *in Timæo* post Empedoclem & Anaxag. posuit eas viuere, & sentire non ita acutè sicut bruta. Sed contra Stoicos est, quòd ad viuere sufficit motio ab interno, quam videmus plantis conuenire.

Qui plantas sentire dixerunt?

Contra Platonem (quòd plantæ læsæ significarẽt dolorem, si sentirent, & quia vbi est sensus, ibi est vigilia, & somnus) August. suprà, hanc opinionem rusticanam impietatem vocat, propter dogma Manichæorum, qui (ex eodem *hæres.* 46.) animam rationalem plantis tribuebant, & folium fructùmque excerpere, homicidium putabant.

Sequitur etiam falsam esse aliam opinionem eiusdem Platonis *ibidem*, quæ ponit animam diuidi in irascibilem, concupiscibilem, & rationalem, tum quia relinquit vegetatiuam, tum etiam quia eadem est eleuatio irascibilis, & concupiscibilis, quæ sunt facultates animę sensitiuę; ibidem etiam ponit tres animas in homine, de quo postea.

Obiicitur primò, contra conclusionem; quia si sunt tres animæ, vel sunt tria genera, vel tres species animarum; non primum, quia anima rationalis est vnius speciei: nec secundum, quia animæ sensitiuæ specie differunt. Respondetur, ita est in re; dicuntur tamen tria animarum genera, quia sensitiua habet genus eleuationis supra vegetatiuam, & intellectiua supra vtramque.

3. *Cucumer fugit oleum.*

Obiicitur secundò, plantæ habent sensum; ergo vegetatiua non benè ponitur seorsim à sensitiua. Antecedens patet, cucumer ad terræ humorem repẽs, oleum, quo emoritur, fugit, ita vt si ei supponatur, recuruetur. Item, vitis lauri vicinitatem fugit, quia suo calore eius incremento officit. Itẽ, in arboribus datur sexus masculus, & fœmineus, & quædam vt fœcundentur, petunt aliarum vicinitatem. de quo Plin. *lib.* 3. *cap.* 4. *& lib.* 16. *cap.* 26.

An in arboribus detur sensus?

Respondetur, sufficere ad ista, vim altricem sine vlla sensuum operationẽ; vnde prosecutio, aut fuga circa proficua, vel noxia, à natiuis plantarum viribus, & occulta antipathiâ, vel sympathiâ oriuntur. Sexus autem eis metaphoricè tantùm tribui potest.

Gradus viuentium quomodo subordinati?

Obiicitur tertiò, quæ ordinatim in aliqua serie ponuntur, non faciunt plura membra, vt viuens, animal, homo; sed sic sunt vegetatiua, sensitiua, intellectiua; quia prima dicitur in recta serie de secunda, & hæc de tertia. Respondetur, membra huius diuisionis sic intelligenda sunt, vt primum sit vegetatiua tantùm, non autem vegetatiua, quæ est quasi genus vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuę: secundum sensitiua tantùm, non vt est superius ad se, & ad intellectiuam. Tertium intellectiua tantùm, & hoc sensu non ordinantur in recta linea, vel serie. Aduerte tamen vegetatiuam virtualiter contineri in sensitiua; quia hæc non tantùm sensuum functiones, quæ sunt propriæ, sed etiam vegetatiuæ, exercet; & eàdem ratione vtraque virtute continentur in intellectiua.

4. *Quinque genera potentiarum, & vnde iste numerus?*

Dico secundò, sunt quinque genera potentiarum animæ, scilicet vegetatiua, sensitiua, loco motiua, appetitiua, & intellectiua, ita Phil. 2. *de Anima, text.* 27. cum communi. Dices, ergo erunt quinque animæ, quia potentiæ immediatè fluunt ab anima, & ideò penes numerum earum, ponendus est animarum numerus. Respondetur, in eadem anima plures esse potentias, & multiplicari sæpè posteriora, non multiplicato priori; numerus autem harum potentiarum sumitur ex diuerso modo tendendi in obiectum, vt explicat D. Thom. 1. *p. q.* 78. *art.* 1. de quo dixi suprà *ad q.* 1 *num* 5. 6.

Appetitus triplex, naturalis, sensitiuus, rationalis.

Obiicies, quia sicut ponitur potentia sensitiua, & appetitiua respectu animalium, ita ponenda esset appetitiua respectu plantæ, & sic essent sex potentiæ. Pro solutione, nota quòd appetitus est triplex; primus, est naturalis, sic dictus, quia immediatè sequitur ad formam, quâ rei natura constituitur, & hic tantùm conuenit elementis, mixtis, & plantis. Cõuenit etiam cuicumque rei, quia nihil aliud est quàm inclinatio naturæ ad sibi commoda, vt leuis ad sursum, grauis ad deorsum. Secundus est sensitiuus, sic dictus, quia sequitur non immediatè naturam, sed apprehensionem sensus, proponentis aliquod commodum in quod fertur appetitus. Tertius est rationalis, qui sequitur propositionem intellectus, & is est voluntas.

Quare appetitus plantæ non est potentia.

Respondetur ergo, ideò appetitum plantæ, licèt ab anima proueniat, non computari ab Aristotele distinctã potentiam; quia eodem planè modo sequitur formam à natura datam, sicut appetitus inanimatorum: secus est de appetitu cognitionem sequente.

5. Dico tertiò, quatuor sunt genera, seu gradus viuentium, ita Aristoteles 2. *de Anima, text.* 13. D. Thom. sup. & communis. Explicatur. Quædam tãtùm vegetantur, alia etiam sentiunt, alia vltrà loco mouentur; quædam verò vltra ista, intelligunt. Aduertè hìc non agi de veris generibus, sed diuersis gradibus viuentium, quorum priores sine posterioribus seorsim reperiuntur, sed non è contra. Ex quo patet, quàre appetitus non facit gradum vitæ, ab aliis distinctum; est enim inseparabilis à sensitiua, & intellectiua Eâdem ratione generatiua non facit gradum distinctum à vegetatiua, quia vel indistincta, vel saltem inseparabilis ab ipsa.

Obiicies primò, sequitur hinc esse plures animas tribus, quia sicut vegetatiua separari potest à sensitiua, non è contra, & sensitiua à loco motiua, non è contra, ita loco motiua separabilis est ab intellectiua; ergo ponenda est anima loco motiua, & sic erunt quatuor animæ. Confirmatur, quia eadem est ratio de concreto, & abstracto; sed Aristoteles ponit quatuor genera animatorum; ergo & totidem animas. Respondetur primò, non sufficere illam separabilitatem, quæ consurgit ex maiori, vel minori potentiarum numero, vt si vna habet aliquam facultatem, quâ aliæ carent (quæ differentia potest prouenire ex maiore, vel minore perfectione specifica intra eundem gradum animæ) modò omnes illæ facultates habeant eandem in operationibus eleuationem, vt explicatum est conclusione prima; quia numerus animarum sumitur ex diuersis modis eleuationis operationis supra non viuentia.

Omne sensitiuum est loco motiuum?

Respondetur secundò, nullum esse sensitiuum, quod non sit aliquo modo loco motiuum; quia etsi imperfecta sensitiua, scilicet quæ tantùm habent tactum, non moueant se ab vno loco integro in alium, tamen se stringunt, vel dilatant, idque experientiâ constat, cùm punguntur: quâ ratione contra Platonem probatur plantas non sentire, quia omne viuens exteriùs sentiens, habet phantasiam, & appetitum, & consequenter dolorem, & voluptatem, atque per motum aliquem, harum affectionum signa dat, alioquin non haberetur pro sensitiuo Sicut ergo sensitiua non multiplicatur, ex eo quòd vna sit perfectiur aliâ, ita de loco motiua dicendum est.

Obiicitur ſecundò, 2. *de Anima, c.3. text.32.* dicitur, viuentibus mortalibus, quibus conuenit ratio, & cæteros gradus eiſdem conuenire; ergo ſupponit eſſe aliqua viuentia rationalia, quibus non competunt, & per conſequens malè dictum eſt, priores gradus ſeparari à poſterioribus, non è contra. Reſpondetur, Philoponus hîc interpretatur Philoſophū vt velit corpora cœleſtia eſſe rationalia, ſed non ſenſitiua, de quo in libris *de Cœlo* agitur. Vide Scotum 2. *d.14. q.1.* & quos ibi citaui *ſchol. ad n.5.* verius videtur Ariſtotelem illa verba protuliſſe in fauorem Platonicorū; qui ponebant dæmones corporeos, rationales, non ſenſitiuos.

SECTIO VII.

Quomodo tres prædictæ animæ diſtinguuntur?

1\. NOta primò, quæſtionem poſſe intelligi de his animabus prout reſpiciunt idem compoſitum, vel diuerſa: & in ſecundo ſenſu, quæſtio clara eſt, nempe diſtingui realiter, quandoquidem conſtituant viuentia realiter diſtincta, quibus conferunt effectus formales diſtinctos. Sed difficultas eſt, quando ſenſatio, & vegetatio reperiantur in eodem, & cum his intellectio vt in homine, vtrùm tunc principia harum functionum ſint realiter diſtincta?

In plantis animæ differunt eſſentialiter quando plantæ ſunt diuerſæ ſpeciei: idem de ſenſitiuis.

Nota ſecundò, certum eſſe in quibuſdam viuentibus ſolâ vitâ plantarum eſſe animas eſſentialiter diuerſas; quia conſtat arbores, aliáſque plantas ſic diſtingui, quod à formis habent vltimis: in aliis quæ ſunt eiuſdem ſpeciei non eſſentialiter, ſed numericè differunt: & idem dicendum de vegetatiuis in animalibus. Ratio eſt, quia in his animæ vegetatiuæ ſubordinantur ſenſitiuæ, & ſic differunt inter ſe, ſicut ipſæ; ſenſitiuæ autem in diuerſis ſpecie animalibus eſſentialiter, in iiſdem ſpecie numericè realiter differunt.

Nota tertiò, certum eſſe & commune animam non multiplicari ſecundùm prædicata eſſentialia in vegetabilibus, ita vt anima viuificans hanc plantam, verbi gratiâ, myrrham, ſit diſtincta realiter ab anima plantæ, vel arboris, vt ſic; eſt contra Iandun. 1. *de Anima, q.8. & 2. Met. q.10.* docentem tot eſſe formas ſubſtantiales, quot prædicata quiditatiua.

Nota quartò, certum eſſe non dari in eodem duas animas eiuſdem rationis, vt duas ſenſitiuas, & de rationali definitur in Concilio VIII. generali Conſtantinopolitano *can.11. act.10.*

2\. *Errores de numero animarum.*

Quidam Philoſophi poſuerunt vnam animam omnium, quæ reſpectu diuerſarum diſpoſitionum corporum, varia operatur: quem errorem reieci ſuprà *ſect.3.* Alij ponunt in homine tres realiter diſtinctas animas. Philopon. 1. *de Anima, text.91.* Zabarella *lib. de Facultate animæ cap.8.* Gandau. 7. *Phyſic. q.8.* Iandun. *lib.1. q.12.* Paulus Venetus *ſum. de Anima, cap.5.* ponit in homine duas animas totales re diſtinctas; ſenſibilem, quæ eſt corruptibilis, & rationalem immortalem; & vltra has, multas vegetatiuas ſpecie diſtinctas, vt vnam in oſſe, aliam in carne, &c.

Dico primò, in homine tantùm eſt vna anima, quæ eſt formaliter rationalis, vegetatiuam, & ſenſitiuam virtualiter continens. Eſt Ariſtotelis 2. *de Anima, text.31.* vbi ait vegetatiuum eſſe in ſenſitiuo, & hoc in intellectiuo, ſicut figura ſuperior in inferiori: verbi gratiâ, trigonus in tetragono, & *lib.1. text.91.* reprehendit Platonem, ponentem plures animas in vno. Eſt etiam Auguſtini *lib. de Eccleſ. dog. cap.15* & aliàs ſæpè. D. Thomæ 1. *p. q.76. art.4.* Auicen. 6. *Natural. par.1 cap.3.* Scoti *d.44. q.1. num.4* & communis.

3\. *In homine vnam tantùm eſſe animam.*

Probatur primò, quia alioquin homo non eſſet vnum per ſe, ſed per accidens; quia compoſitum ex corpore organico, & vegetatiua facit vnum per ſe; & idem de ſenſitiua: ergo adueniens intellectiua facit vnum per accidens. Neque hinc ſequitur, admittendo formam corporeitatis, animam aduenire per accidens; quia forma corporeitatis eſt naturâ ſuâ forma incompleta, diſponens materiam animæ; & ideò ſtatim perit ablatâ animâ; at vegetatiua in ſua ratione eſt forma completa perſiſtens ſine ſenſitiua, & intellectiua.

Probatur ſecundò, quia ſi rationalis non eſſet idem cum ſenſitiua, non poſſet eſſe forma, quia eſſet purè intellectiua, ſicut Angelus. Propter hoc Tolet. *lib.2. de Anima, q.7.* putat ſententiam Philoponi, & Pauli Veneti, damnari in *Clem. Vnic. de ſumm. Trin.* vbi definitur formam hominis eſſe animam rationalem. Sed facilè reſponderent intellectiuum purè, quod eſt entitas completa, non poſſe eſſe formam; ſecus eſſe de intellectiuo purè incompleto.

Probatur tertiò, ex Auicenna, quia ſenſatio, & nutritio impediunt contemplationem, & è contra; ergo ſunt ab eadem anima. Hac vnicâ ratione contentus eſt Auicenna; nec vult ponere aliam. Sed poſſet reſponderi, intellectionem impediri per phantaſiæ operationes; quia pro hoc ſtatu, ex peccato, dependet noſtrum intelligere à ſenſibus. Functiones etiam vegetatiuæ à ſenſationibus impediri poſſunt, quia attrahunt ad ſe ſpiritus vitales; eſto dicamus has eſſe diuerſas animas, quæ informant idem corpus, in quo ſunt varij ſpiritus, & accidentia, quibus vtuntur ad ſuas operationes.

4\. *Quomodo phantaſiatio impedit contemplationē, vel è contra.*

Dices, at phantaſiatio non poſſet impediri per contemplationem; cuius oppoſitum experimur. Reſpondetur, ſi phantaſiatio eſt circa diuerſum ab eo quod intelligitur, impeditur; quia intellectus inclinat ad aliud intelligendum, & propter ſubordinationem animarum, retardat actiones ſenſitiuæ; ſic habitus vitij re diſtinctus à voluntate, retardat eam, & impedit ab actibus virtutis oppoſitæ; quia ſuo pondere inclinat in oppoſitum. Si verò phantaſia operetur circa idem obiectum, quod intelligitur, non impeditur, ſed potiùs firmatur per intellectionem, vt tenet Scotus 2. *diſt. 42. quæſt.4.* quia diuerſæ potentiæ circa idem operantes, ſe mutuò fortificant, & iuuant; intenſiùs enim intelligitur, quod feruentiùs amatur. Ratio tamen Auicennæ bona eſt, etſi non conuincat.

Diuerſæ potentiæ circa idem operantes ſe fortificant.

Quartò, ſi ſenſitiua hominis re diſtingueretur ab intellectiua, poſſet manere, ſeparatâ intellectiuâ, & functiones ſuas exercere, & idem eſſet de vegetatiua, corruptâ ſenſitiuâ; conſequens autem eſt impoſſibile.

Quintò, tunc genus ſumeretur à ſenſitiua, & ſpecies à rationali, & ſic hæc eſſet falſa; *homo eſt animal.* Plures rationes ad hoc congerunt authores; ſed nullas vidi conuincentes; longè tamen probabiliores ſunt adductis pro oppoſita ſententia. Sed tenenda eſt firmiter concluſio propter definitionem Concilij IV. Conſtantinopolitani ſuprà citatam, & authoritatem D. Auguſtini *ſup. & lib. de Spir. & Lit. cap 9.* & Damaſc. *lib.2. cap.12.* & aliorum Patrum; ſed Concilium loquitur de pluribus animabus rationalibus non admittendis in vno.

Adducuntur

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.

5\. Arguitur primò, homo priùs viuit vitâ plantæ, pòſt animalis, tandem hominis, 2. *de Gen. anim. c. 3.* ergo habet tres animas. Quòd verò loquatur de prioritate temporis, patet in text. D. Thom. 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *ad* 2. *& q.* 76. *art.* 3. *ad* 3. cum ſuis admittũt hãc ſucceſſionem animarum cum prioritate temporis. Si inferas; ergo ſemen fit primò planta, & pòſt brutum: negandum erit, quia iſtæ ſunt formæ imperfectæ, non permanentes, ſed diſponentes ad perfectiores formas; & ſic non faciunt propriè plantam, nec animal, ſed embryones vtriuſque. Contrà, quia viuens ſenſibile eſt animal; ſed fœtus informatus animâ ſenſitiuâ eſt talis; & idem eſt de viuenti vegetabili: ergo. Sed dici poteſt, hoc non ſufficere, niſi forma ſit permanens, & completa.

An priùs habeat homo vegetatiuam & ſenſitiuã, quàm intellectiuam?

An fœtus humanus ſit primò plãta?

Secundò, reſpondetur cum Alenſi 2. *part. q.* 87. *memb.* 2. *art.* 6. nullam animam ante rationalem introduci, ſed motus embryonis fieri, vel ab anima matris, vel à forma ſeminis; anima autem introducta non ſtatim exercet omnes ſuas operationes, ſed primò vegetatiuæ, deinde ſenſitiuæ, tandem proprias elicit: & ita Philoponus & Themiſtius Ariſtotelem interpretantur.

Alij dicunt, priùs tempore hepar animari vegetatiuâ, poſtea cor ſenſitiuâ, & poſtea introduci perfectam ſenſitiuam, quâ informatur corpus organizatum ex præcipuis membris, vt hepate, corde, cerebro. Ita Suar. 2. *de Anima, c.* 3. ſine vlla probatione. Scotus 1. *d.* 29. *q.* 3. *n.* 11. ponit corpus formari, ſecutus Ariſtotelem 5. *Met. c.* 1. *&* 2. *de Gen. animal. cap.* 4.

6\. Arguitur ſecundò; ab eadem forma non procedunt effectus oppoſiti ſimul, niſi concauſæ trahãt eam ad illam diuerſitatem. Quod addo propter Solem, qui ſimul ex diuerſitate diſpoſitionum ſubiectorum, in quæ agit, mollificat ceram, & indurat lutum: ſed quod vult ſenſus, renuit intellectus, & quod vult appetitus ſenſitiuus, renuit rationalis; ergo non ſunt vna forma realiter, nec ab eadem anima. Reſpondent, tenentes potentias inter ſe, & ab anima realiter diſtingui, facilè ſoluerent hoc argumentum; quia effectus illi ſunt à principiis realiter diſtinctis ſecundùm eos; ſed tenendo non ita diſtingui, de quo poſtea.

Effectus oppoſiti an ſimul eſſe poſſint ab eadem anima?

Reſpondetur illos effectus etſi aliqualiter oppoſiti, poſſe emanare ab eadem forma, aliter, & aliter diſpoſita, & affecta: appetit anima affectione commodi bonum delectabile; ſed vt affecta affectione iuſtitiæ, renuit illud; neque iſti actus ſunt ſimpliciter oppoſiti, quia ſunt à diuerſis motiuis. Adde ipſum appetitum ſenſitiuum, verbi gratiâ, in cane, appetere carnem, quà delectabilem, & refugere quatenus videt coniunctam virgam vindicatiuã. Quo exemplo vtitur Scotus 3. *d.* 34. *n.* 10. & tamen nemo dicit in cane eſſe duas animas ſenſitiuas. Adde etiam vnam potẽtiam, ſcilicet voluntatem, habere ſæpiùs actus oppoſitos, vt velle, & nolle reſpectu eiuſdem; & intellectus habet aſſenſum, & diſſenſum de eodem, etſi non ſimul. Sed voluntas fortè ſimul habet volitionem efficacem, & nolitionem inefficacem; vt quando volt ex metu. Hoc argumentum eſt Philoponi & Manichæorum.

Canis appetit & refugit carnem, videns adiunctam virgam.

7\. Arguitur tertiò, in homine ſunt tria *eſſe*, hominis, animalis, viuentis: ergo & tres animæ, quia vna anima dat tantùm vnum *eſſe*. Reſpondetur, illa tria eſſe tantùm vnum realiter. Argumentum tantùm probat eſſe tria *eſſe* formaliter diſtincta.

Arguitur quartò, quia ſequitur animal conſtitui per formam hominis, leonis, equi, &c. quod eſt abſurdum. Reſpondetur, id verum eſſe, intelligendo per animal, gradum communem imbibitum in inferioribus; at inconueniens eſſet loquendo de animali ſingulari.

Arguitur quintò, vbi eſt operatio propria formæ, ibi & ipſa; ſed in homine eſt vegetatio, & ſenſatio: ergo & anima vegetatiua & ſenſitiua. Reſpondetur, ſufficit eſſe in eo animam, quæ virtualiter & eminenter iſtas contineat.

Arguitur ſextò, corruptibile, & incorruptibile differunt genere 10. *Met. c.* 3. *text.* 16. ergo intellectiua incorruptibilis non eſt idem ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, quæ ſunt corruptibiles. Reſpondetur, argumentum ſupponit animam ſenſitiuam eſſe in homine, & in ipſo mortalẽ eſſe, quod falſum eſt. Dices, ergo homo non eſt vniuocè animal cũ brutis; quia eius ſenſitiua eſt incorruptibilis. Negatur, quia ſufficit id quod ponitur in genere, eſſe corruptibile, & hoc eſt homo, non anima. Adde etiam, ſi homo incorruptibilis eſſet, adhuc eſſet vniuocè animal; quia cœlum eſt vniuocè corpus cum ſublunaribus; de quo dixi ſuprà *ad q.* 15. *annot.* 5. *n.* 9. Vide quæ adduxi *ad q.* 21. *n.* 11. et. anima intelligitur de genere Phyſico, non Logico, quæ enim ſunt in genere Phyſico, ſunt tranſmutabilia. Vide Scotum 4. *d.* 6. *q.* 10. *n.* 13. *& in illum textum.*

Corruptibile & incorruptibile differunt genere, exponitur.

Peres an cenſuranda ſit ſententia ponens plures animas in homine, etiamſi non ponat plures rationales? Herueus *tract. de Vnitate formarum, q.* 28. vocat eam erroneam. Idem ait Tolet. ſuprà *ex Clement. vn. de Sum. Trin.* Conimbr. 1. *de Gen. c.* 4. *q.* 21. *art.* 2. docent non eſſe tutam; quia multa loca Patrum aſſerunt eſſe vnam in homine animam. Faciunt loca Scripturæ, vt illud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Sed prima cenſura facilè reiicitur, quia *Clem. & VIII. Synod.* loquuntur de pluralitate animarum rationalium contra Manichæos. Secunda etiam malè fundatur; quia Patres loquuntur de vnitate animæ rationalis, nec de aliis animabus tractant. Et per idem patet ad loca Scripturæ; nec facilè condemnanda eſt ſententia, quam graues Doctores tenent, & præter ſuprà citatos, ponunt plures animas in homine Occam 4. *quaſt.* 7. *& quodlib.* 2. *q.* 10. Mayron. 2. *d.* 17. *quaſt. vn.* Mirandul. *lib.* 33. *euerſ. ſingul. certam. ſect.* 2. Thomas Garbius *lib.* 1. *tract.* 5. *q.* 49. 8.

Obiicies cum Conimbric. ſi ſenſitiua eſſet cum anima Chriſti, viueret corpus eius in ſepulchro; vel ſi periret, reproduceretur in reſurrectione. Reſpondetur, hoc, & alia argumenta facere hanc partem longè veriorem: ſed dicens quòd ſic reproduceretur, non video quare cenſurâ dignus eſſet: perire illam animam diceret, quia ab iiſdem diſpoſitionibus dependeret, à quibus anima rationalis, & ideò ſicut cum hac ſimul incipit, etiam deſinit.

Dico ſecundò, in bruto non eſt anima vegetatiua diſtincta à ſenſitiua, ſed hæc ſola virtualiter continens illam. Probatur iiſdem rationibus, quibus præcedens concluſio, eámque tenent omnes tenentes illam.

SECTIO VIII.

Vtrùm omnes animæ ſint indiuiſibiles?

NOtandum ex D. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 8. diuiſibile, quantùm ad præſens ſpectat, ſumi poſſe triplíciter. Primò, in partes eſſentiales Phyſicas, 1.

vel Metaphysicas. Secundò, in potentias. Tertiò, in partes integrales, & extensas, siue sint extensæ per se, siue per adiunctum. De animæ diuisibilitate in partes Physicas non agitur hîc: supponitur enim quòd eas non habeat, etsi oppositum improbabile non sit. de quo dixi fusè ad *q.* 15. Supponitur etiam diuisibilem esse in genus ac differentiã, (sed reductiuè; quia non est completum,) atque in varias potentias. Quæritur ergo tertio sensu, an anima sit diuisibilis in partes integrantes, & extẽsas ratione adiunctæ quantitatis, quia diuisibilitas in partes, per se primò competit soli quantitati.

Diuisibile in partes integrantes tripliciter.

Nota secundò, aliquid posse diuidi in partes integrãles tripliciter. Vno modo per se primò, id est, ratione sui, non alterius: & hoc conuenit soli quantitati. Alio modo per se secundò, vt quando aliquid diuiditur ratione adiũcti, quod est in ipso primò, sic subiectum quantitatis. Tertiò, per accidens, vt quando aliquid est simul cum eo, quod est diuisibile primo, vel secundo modo; sic albedo dicitur diuisibilis; & hoc sensu quæritur de anima, quia non est quantitas, nec primum subiectum quantitatis.

2. Quidam tenent omnes animas insectibiles esse; ita Plato, vt multi volunt apud G. Nyssen. *lib.* 2. *de Anima, cap.* 1. quod tenet Simplic. 1. *de Anima, text.* 47. *& lib.* 2. *text.* 20. & Thienien. *ibid.*

Alij tenent è conuerso, omnes animas esse diuisibiles, etiam rationalem. Iandun. 3. *de Anima, q.* 5. accedit ad hanc, ait enim, quòd solâ fide tenet rationalem esse indiuisibilem. & *lib.* 1. *q.* 7. ait omnem formam in materia esse diuisibilem. Pompõ. *lib* 1. *de Nutrit. c.* 11. idem ait tenendum, secundùm Philosophum. Authores huius sententiæ memorat Siatus Senen. *lib.* 1. *Bibl. annot.* 8. & pro eadem refert Argent. 2. *d.* 8. *q.* 2. *art.* 1. quemdam Gerardum.

Ratio docet animam rationalem esse indiuisibilẽ.

Dico primò, ambæ hæ sententiæ falsæ sunt. De prima patet, quia ramus abscissus virescit, & frondescit, & reptantia animalcula diuisa mouentur, quod fieri non posset, si anima in his non esset diuisibilis; residet ergo in partibus diuisis: & ita tenet Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 2. *text.* 20. *lib. de Senect. c.* 1. Idem habet August. *lib. de quant. animæ, c.* 31. Secunda pars probatur, quia sequeretur animam rationalem non esse spiritualem, cuius oppositum probatum est *sect.* 2. neque immortalem. de quo postea. Reprehendendus ergo Iandon. quia ex rationibus benè probatur rationalem esse spiritualem, de quo diximus *dicta sect.* 2. vide Scotum 4. *d.* 43 *quæst.* 2.

3.

Quod recipitur, per modũ recipientis recipitur.

Obiicitur primò, pro secunda sententia; quod recipitur in diuisibili, diuisibile est; sed omnis anima sic recipitur: ergo. Antecedẽs patet; quia quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Respondetur, negando antecedens, alioquin Deus & Angelus, cùm assistant corporibus, diuisibiles essent. Ad probationem, anima rationalis est virtualiter diuisibilis, quia ita adest corpori omnibúsque eius partibus, ac si verè diuisibilis esset, & sic per modum recipientis recipitur.

Arguitur secundò, substantia compositis, scilicet homo, est subiectum quantitatis; sed homo non est aliud quàm materia, & forma: ergo vtraque erit diuisibilis. Respondetur, vrget negantes formam corporeitatis; quã admissâ dicitur subiectum quantitatis esse compositum ex ipsa, & materia, quod habet Scotus 2. *d.* 3. *quæst.* 4. de quo fusè dictum est *sect.* 4.

Arguitur tertiò, sensitiua in homine est diuisibilis: ergo & intellectiua, quæ est eadem ipsi. Respondetur, supponitur sensitiuam esse in homine distinctam à rationali, cuius oppositum ostendi *sect. præced.* assumptum ergo est de subiecto non supponente, quia sensitiua est tantùm virtualiter in homine.

4. Arguitur quartò, pars hominis abscissa vitaliter mouetur; ergo in ea est anima: ergo est diuisibilis, quia etiam manet in reliquo corpore. Respondetur cum Alberto Mag. *Summ. de homine q.* 2. *art.* 3. motum illum tribuendum impetui spirituũ, & caloris, instar impetus in proiectis; & sic animam nõ esse in parte abscissa. Si dicas idẽ dici posse de imperfectis animalibus, negatur, quia in eis multùm durat motus, & vita; testatur Augustinus suprà, oblongum, & multipedem vermiculum diuisum æquè expeditè secundùm vtramque partem currere, & moueri; & de quibusdam plantis, vt de salice constat, quòd partes earum scissæ crescant.

A quo sit motus partis animalis abscissæ

Quomodo fit nutritio?

Arguitur octauò pro prima sententia: cùm fit nutritio, quæro an noua pars animæ inducatur in materiam nutrimenti; vel non, sed quæ fuit in materia propinqua, etiam informat materiam aduenientem? Si primum, non erit propriè nutritio, quia sic ignis augetur per additionem. Si secundum, erit anima indiuisibilis; quia sola indiuisibilis potest materiam, quam habet, & aliam superuenientem informare.

Respondetur, in aliis præter hominem, nouam partem animæ produci in nutritione; & nihilominùs differt hîc auctio ab augmentatione inanimatorum, quia fit per intus susceptionem, & secundùm omnes partes. Vide Scotum 4. *dist.* 44 *q.* 1. *n.* 7. *& seq.* vbi ostendit in nutritione nouam formam substantialem induci in materiam alimenti.

Tertia sententia est, animas perfectorum animalium indiuisibiles esse, sed imperfectorum diuisibiles. D. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 8. vbi Caiet. & 1. *contra Gent. c.* 72. & 4. *de Anima, art.* 10. Albert. 1. *de Anima, c. vlt.* Alexand. 2. *de Anima, c.* 10. D. Bonau. 1. *d.* 3. 2. *par q* 3. Alex. 7. *Met. ad text.* 56. 5.

Vltima sententia solam animam rationalem esse indiuisibilem.

Dico secundò, hæc vltima sententia præferenda est. Ita Alens. etsi non expressè 2. *p. q.* 61. *membr.* 1. Ric. 2. *d.* 15. 2. *prin. q.* 2. Comm. 8. *physic. Comment.* 78. Dur. 1. *d.* 8. *q* 3. 2. *p. dist* Ægidius *ibi q. vlt.* Argentin. *q.* 2. Suar. *in Met. d.* 15. *sect.* 10. *n.* 32. etsi oppositum habeat de formis perfectorum 1. *de Anima, c.* 13. sed in Metaphysica, quam posteriùs scripsit, se retraxit, vt ibi habetur in adiuncta annotatione: Capr. 2. *d.* 15. *q.* 1 *ad vlt. contra vlt. con.* Mars. 2. *q* 11. *art.* 1. Iandun. 2. *de Anima, q.* 6. Est etiam Scoti, etsi ex professo eam non tractet 4. *d.* 1. *q.* 5. *n.* 8. vbi habet solam rationalem esse totam in toto, & in qualibet parte. *& d.* 43. *q.* 2. *n* 7. *& seq.* probat solam illam esse immaterialem. *& d.* 44 *q.* 1. *num.* 11. vbi dicit, quòd sola intellectiua informat nouas partes materiæ, sine eo quòd ipsa accipiat partes nouas. Quoad plantas, & imperfecta animalia, habet Aristoteles 2. *de Anima, text.* 10.

Omnem animam præter rationalẽ esse diuisibilem.

Probatur primò, quælibet forma dependens à materia habet coextensionem ad eam, nec est tota in qualibet eius parte. Secundò, animæ aliorum animalium ab homine, educuntur de potentia materiæ quantæ; ergo sunt per accidens quantæ; alioquin educerentur totæ de qualibet parte materiæ, quod falsum est. Tertiò, actio generatiua animalium præter hominem, est diuisibilis & extensa; quia in extenso recepta; ergo talis est eius terminus formalis, scilicet sensitiua. Quartò, vix intelligibile est, quomodo anima sit indiuisibilis, & non spiritualis.

Obiicitur

Forma tripliciter respiciūt materiam.

Obiicitur primò ea D. Thom. sed præmitto ea Caiet. *loco cit.* formas tripliciter respicere materiā: quædam indifferenter, & æquè primò respiciunt materiam, & singulas eius partes, & sunt formæ inanimatorum. Aliæ ita respiciunt materiā, quòd non respiciant eius partes, quia in eis non inueniūt diuersitatem organorum, aliásque dispositiones, quas exigūt, & ideò nullam partem seorsim à toto informant; & huiusmodi sunt formæ perfectorum animalium. Aliæ verò medio modo se habentes, sic respiciunt materiam, vt non æquè primò respiciant partes; respiciunt tamē secundariò, & in eis seorsim manēt; & huiusmodi sunt formæ plantarum, & imperfectorū animaliū. Supposità hac diuisione, quæ colligitur ea D. Thom. arguitur, quia solæ formæ, quæ æquè respiciūt totum, & partes abscissas, sunt diuisibiles: sed solæ formæ inanimatorum, & imperfectorum animaliū, sunt huiusmodi; ergo. Respondetur. Maior est falsa: neque enim sequitur, non manet forma in partibus abscissis: ergo neque in eisdem vnitis est extensa. Ideò enim manere nequit in illis partibus, quia non habet in eis diuersitatem organorum, & dispositionum, quas exigit. Si argumentum valeret, probaret formam in minimo naturali esse inextensam, quia nequit manere in parte illius, defectu quantitatis, de quo vide Scotum 2. *d. q.* 5. *à n.* 16. & experientiā constat, si imperfectum animalculum secetur in partes valde paruas, vel secundùm longitudinem, singulas non viuere; & per consequens, si illa ratio valet, etiam contra arguentem, anima istorum animalium non erit diuisibilis.

Animalia imperfecta secundùm longitudinem, scissa, non viuunt.

7. Obiicitur secundò, Aristoteles 1. *de Gen. c.* 5. *text.* 35. loquens de animalibus perfectis ait, in augmentatione, quòd pars secundùm formam manet, non autem secundùm materiam; ergo forma indiuisibilis alioquin secundùm partes augeretur, & minueretur. Respondetur, per formam intelligi speciem, quia res aucta manet quoad speciem, & fluit eius materia. Ita D. Thom. 1. *p. quæst.* 119. *art.* 1. *ad* 2. quia solutio ad mentē Aristotelis non est, quia ibi agit de nutritione, nec limitat eā ad perfecta animantia; & si limitasset secundùm D. Thom. potiùs dicendum esset, manere partes secūdùm formam; quia hæc indiuisibilis est, nec accipit nouas partes. Locus, fateor, est difficilis valde, de eius sensu controuersia est non parua. Dicendum videtur secundùm Scotum 4. *d.* 44. *q.* 1. *n.* 11. *& seq.* partes secundùm formam dici illas, quæ certam habent magnitudinem, atque virtutem, vt possint habere propriam actionem in toto; partes verò secūdùm materiam, quæ his opponūtur, & hæ non nutriūtur, sed fluūt. De hoc loco vide Scotum ibi *à n.* 8. *&* 2. *d.* 2. *q.* 9. *à n.* 16. Quomodo autem nutritio fiat, latè traditur primo loco, & videri potest Faber *Theorem.* 40. qui ad mentem Doctoris, de eodem agit.

In augmentatione pars secundùm formam manet, non autem secundùm materiam: exponitur.

8. Obiicitur tertiò ex D. Thoma, sicut in homine, parte abscissâ, ipsa statim moritur, & si est principalis, moritur totum; ita & in omni animali perfecto: ergo in his sicut & in homine, anima est indiuisibilis; alioquin pars eius partem abscissam informaret. Respondetur, partem animæ dependere ab vnione cum aliis partibus, vt informet; & argumentum contra ipsum probaret animas imperfectorum animalium indiuisibiles esse; quia pars minima horum seorsum non viuit; neque pars magna, si secundùm longitudinem secetur.

Animata quo maiora, an eo fortiora?

Obiicitur quartò, ea Caiet. quia animalia perfecta non augentur per additionem formæ, alioquin quo maiora essent, eo fortiora: quod tamen est falsum; quia quò maiora sunt, eò minores vires habent. Respondetur, militat contra ipsum quoad animas plantarum, quia arbores nimiùm crescentes minus fructificant. Illud ergo non prouenit ex indiuisibilitate animæ, sed vel ea magnitudine organorum, quæ non facilè applicantur ad opus; vel ea defectu alimenti; vel ex imperfectione ipsius animæ; vel malâ dispositione corporis; licèt enim anima rationalis æquè perfecta sit in paruulo, & adulto, ob indispositionem membrorum, non habet æquales vires corporeas in vtroque.

Si autem ponas cætera paria, falsum est assumptum Caietani, quò maior est forma, maiúsque corpus informat, eò minores esse corporis vires: constat enim equos, mulos, canes communiter, quò maiores corpore, eò viribus esse fortiores; & quando oppositum contingit, in causas relatas referendum erit. Suar. suprà citat. August. 6. *Trin.* 6. asserentem animas perfectorum animalium esse indiuisibiles; sed ibi tantùm loquitur de anima rationali, quam dicit mole non occupare spatium.

Sectio IX.

Vtrùm anima sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte?

NOta primò, ea Aristotele 1. *Hist. c.* 1. alias esse partes similares, quæ scilicet habent eandem denominationem cum suis particulis, vt os, caro, &c. & alias dissimilares, quæ ex his componuntur, & non habent eandem denominationem cum suis particulis, vt caput, pes, oculus, &c. & hæ vocantur membra *lib.* 2. *Hist. cap.* 1. 1.

Partes similares & dissimilares.

Nota secundò, similares alias esse solidas, ad consistentiam aliarum partium spectantes; alias fluidas, quæ ad temperiem, nutritionem, & vitæ conseruationem faciunt; huiusmodi sunt humores, & spiritus vitales, per quos vita conseruatur, & operationes vitales fiunt, & species deferuntur ad organa interna, sicut per aërem ad externa; alia verò sunt, quæ non censentur partes, sed ad ornatum spectant, vt vngues, capilli, barba.

Nota tertiò ex D. Thom. 1. *p. q.* 78. *art.* 8. totum esse triplex. Vnum est integrale, seu quantum. Aliud totum potentiale, quod, scilicet plures potentias, seu virtutes continet, quæ ab Aristotele partes vocantur. Tertium totum essentiale, quod partibus essentialibus Physicis vel Metaphysicis constat.

Totum triplex, integrale, potentiale, & essentiale.

Circa hoc sunt variæ sententiæ: prima veterum, vt referunt Gregorius Nyssenus *lib. de hominis opificio c.* 12. Tertull. *lib. de Anima*, Cicero *lib.* 1. *Tusc. quæst.* Quidam posuerunt animam in capite, ea quibus alij in cerebro, alij in vertice, alij in concauo cerebri. Plato, vt refert Galen. 5. *&* 6. *de Placitis*, ponebat animam nostram coalescere ex pluribus animalibus, atque animam concupiscibilem collocabat in hepate, irascibilem in corde, rationalem in capite. Hieron. *lib.* 2. *in Matth. c.* 14. ponit animam rationalem in corde, reprehendens Platonem, quòd eam posuerit in cerebro; & adducens ad hoc probandum, illud Matth. 23. *De corde exeunt cogitationes praua.* Idem ait Tertull. *lib. de Anima, cap. de principali gradu animæ.* Albert. *de Anima, tract.* 1. *cap.* 7. sensitiuam ponit in corde, vel æquiualenti, vt in spina, in imperfectis animalibus, vel in anulis, quoad anulosa, vt sunt vespæ, apes; & ob hæc ait, cùm scinduntur hæc secundùm longitudinem, partes eorum non viuere, quia scinduntur spina, vel anulus. 2.

Quod est animæ subiectum?

Dico primò, anima tam diuiſibilis, quàm indiuiſibilis informat omnes partes conſiſtentes corporis. Eſt communis D.Thom. 2. *contr. Gent. cap.72. & quæſt. de Anima, art.* 10. Scoti 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *num.*8. (vbi tantùm de rationali agit) Ariſtotelis 2. *de Anima, text.* 20. Probatur primò, quia omnes iſtæ viuont, vegetantur enim, & ſentiunt; nec poteſt aliquid viuere niſi animâ informante. Secundò, in qualibet parte ſunt potentiæ, & operationes animæ: ergo & ipſa. Antecedens patet experientiâ. Conſequentia patet, quia potentia & operationes, non ſeparantur à ſuis principiis. Tertiò, anima eſt actus primus dans eſſe toti corpori; ea eius definitione 2. *de Anima, cap* 1. ergo informat ſingulas eius partes. Hinc ſequitur animam ſubſtantiam, eſſe in qualibet parte, quia non informat niſi id in quo eſt.

3\. *Anima diuiſibilis non eſt tota in qualibet parte.* Dico ſecundò, anima diuiſibilis, vt eſt totum integrale, non eſt in qualibet parte corporis. Ratio eſt, quia coextenditur per quantitatem materiæ, & ſic partes eius coextenduntur partibus materiæ: quænam autem animæ ſint diuiſibiles, dictum eſt ſectione præcedenti.

Anima vt totum potentiale non eſt in ſingulis partibus. Dico tertiò, anima vt totum potentiale, ſiue ſit diuiſibilis, ſiue non, non eſt in ſingulis partibus: excipio intellectum, & voluntatem. Ratio, quia vires organicæ præter paucas, vt ſunt nutritiua, & tactiua, ſunt ſobiectiè diſtinctæ: anima ergo eſt ſecundùm viſum in oculis, auditum in auribus, &c.

Rationalis anima eſt in qualibet parte. Dico quartò, anima rationalis, vt totum eſſentiale, eſt poſitiuè in qualibet parte, atque etiam vt totum integrale negatiuè. Ratio primæ partis, quia cùm quamlibet partem informet, ex prima concluſione, in qualibet habet totam ſuam eſſentiam. Ratio ſecundæ partis, quia nullam partem habet integrantem extra quamcumque partem, quam informat; & ſic totaliter integraliter negatiuè eſt in qualibet parte.

Anima non informat humores. Dico quintò, anima non animat ſanguinem, nec reliquos humores. Ita Galen. 2. *de Elem. & lib.* 4. *de Vſu partium.* D.Thom. 1. *p.quæſt.vlt.art.*1. *ad* 3. Alenſ. 1. *p* q.29. Scotus 3. *d.*3. *q.*2. *&* 4. *d.*10. *q.*4. *n.*3. *& in Report.* 3. *d.*33. Durand. *d.*10. *q.*1. Capreol. *d.* 44. vbi Scotus *art.*3. Suar. *a. de Anima, c.*3. colligitur ex Ariſtot. 2. *de Part. c.*3. *& lib.*3. *c.*5. vbi vocat ſanguinem materiam corporis, & potentiam membra, comparátque aquæ. Secundò, ſanguis eſt alimentum corporis; ergo non adhuc tranſmutatum in ipſum. Tertiò, ex eo fit lac, & ſemen, & iſta non ſunt animata: ergo. Quartò, nulla operatio vitæ, eſt in ſanguine, vel aliis humoribus; quia non ſentiunt, neque continuantur cum parte ſentiente, quia ex Ariſtotele 3. *de Hiſt.* c.19. ſanguis eſt in venis, ſicut in vaſe: (& idem de aliis) neque nutriuntur, ſed per additionē, ſicut aqua, augentur. Quintò, abſurdum eſt, quòd animal ſuis partibus nutriretur. Confirmatur, ſi ſanguis animatus nutrit, ergo amittit formam ſubſtantialem, alioquin non nutritio eſſet alteratio: conſequēs eſt falsū, quia manente formâ ſubſtantiali vltimâ, non perit p[r]iùs; neque ipſam vltimâ amittere poteſt, ſi eam habet.

4\. *Sanguis non tantum eſt alimentum, ſed etiam facit ad organizationem.* Aduertendum tamen, ſanguinem eſſe neceſſarium ad organizationem, & integritatem corporis humani, & non tantùm deſeruire vt alimentum; quia etiam in Beatis erit. Item, fuiſſe vnitum hypoſtatiè Verbo ex *Epheſino Concilio, can.* 5. *Chalcedonen. act.* 1. *& V. Synod. act.*6.

Obiicitur, & primò contra vltimam concluſionem, cuius oppoſitum tenet Caiet. 3. *p.q.*5. *art.*1. *&* 3. *p.q.*119. *art.*1. Contad. 1. 2. q.54. quos ſequitur P. Hurtad. *diſp.* 1. *de Anima, ſect.* 6. *n.* 53. ſanguis, & alii humores ſunt partes, & ſpectant ad integritatem naturæ animalis: ergo animantur, & ſe habent ad illud, ſicut quatuor elementa ad vniuerſa. Reſpondetur, non eſſe partes eſſentiales, nec integrales, ſed requiſitas ad conſeruationem vitæ, quas non eſt neceſſe informari animâ.

Sanguis à ſe non mouetur. Obiicitur ſecundò, ſanguis verſùs omnem partē ſe mouet, pudore ad extra, timore ad intra cutris; lætitia ſpargitur, ita ſeruefeit: ſed moueri ad omnem partem prouenit ab anima informante. Reſpondetur, à ſe non moueri; quia tale ſenſitiuum eſt, ex Ariſtotele 3. *Hiſt.* c.19. *&* 3. *de Part.* c.10. loco; motiuum enim ab intrinſecu eſt inferius ad ſenſitiuum, vt dictum eſt *ſect.* 5. *con.* 5. mouetur ergo ab anima, ſicut & cibus ab eadem deiicitur in ſtomachum, & inde aliquando euomitur.

5\. *Verbum aſſumpſit ſanguinem. Tamen non ſenſu animatum.* Obiicitur tertiò, Verbū aſſumpſit ſanguinem; ergo eſt animatus, vel aſſumptæ ſunt duæ naturæ, vna animata, altera inanimata. Reſpondetur, etſi ſanguis in ſua ſpecie completus ſit, eſſe tamen aliquid ſpectans ad naturam humanam; ideò vnam tantùm naturam aſſumpſit Verbum.

Obiicitur quartò, contra eandem 3. *de Part.* c.41. dicitur ſanguinem eſſe partem animalis, & 3. *Hiſt.* 19. animati dicitur, dum animal viuit.

Reſpondetur, primo loco latè ſumit partem: ſecundo loco dic quòd 2. *de Part.* c.7. *& ſect.* 17. *problem* q.10. vocat calorē, quaſi animantē & eo ſenſu vult ſanguinem animati; vel vult quòd *in fieri* eſt animatus, quia conuertitur in carnem animandā.

Turbato cerebro, turbatur intellectus, & quare. Obiicitur quintò, contra concluſionem primā & quartam, in capite excubant omnes ſenſus, & continet totius corporis regimen, eiúſque læſo cerebro, perditur ratiocinandi poteſtas; ergo ibi eſt anima. Reſpondetur, probat tertiam concluſionem, nihil aliud. Quòd verò læſo cerebro impeditur ratiocinatio, id contingit, quia pro hoc ſtato non poſſumus intelligere ſine cooperatione phantaſiæ, quâ turbatâ, turbatur intellectus.

Obiicitur ſextò, contra eaſdem, quia cor eſt fons à quo omnis vitæ actio adminiſtratur, & calor per omnes partes diffunditur; ergo in eo tantùm eſt anima: pro quo facit locos adductus per Hieronymum ſuprà. Reſpondetur, ibi eſſe vi in fonte caloris, & ſpirituum: & iuxta hoc intellige Ariſtotelem *lib. de Iuuent. cap* 2. *&* 3 *de Part. cap.*4. dum ait: *principium ſenſus eſſe in corde.* 6. *Quo ſenſu anima eſt in corde.*

Obiicitur ſeptimò contra concluſionem quartā, quia ſi anima eſſet tota, in qualibet parte: ergo quieſcente mano, & pede moto, tota ſimul moueretur, & quieſceret. Cōfirmatur, quādo aliquid eſt totum in alio, nihil illius eſt extra illud. Reſpōdet Caiet. 1. p. q.76. n 8. animam, motā parte non moueri, etiā per accidens; quia ſpiritualē nullo modo mouetur, niſi moto eo in quo eſt diffinitiuè, & nō eſt ſic in parte. Idem ait D.Thom. 1. *d.*37. *q.*1. *art.*3. *ad* 4. Contrà, motā manu, etiamſi reliquum corpus quieſcat, anima perdit vnam præſentiam, & acquirit aliam, éſtque verè, & realiter indiſtans alicui per hunc motum, cui antea fuit diſtans; ergo. Præterea, ſi Angelus poneretur in duobus locis, vtrobique moueri poſſet per accidens; verbi gratiâ, in corpore aſſumpto, & tamen in neutro eſſet diffinitiuè. Confirmatur, corpus poſitum in duobus locis poſſet in vno moueri, licèt quieſceret in altero; ergo idem de ſpiritu. *Anima ſimul mouetur ſola in vna parte, & quieſcit in alia.*

7\. Confirmatur ſecundò, corpus Chriſti modo ſpirituali eſt in hoſtia, & per accidens mouetur in vna, licèt non moueretur in altera. de quo vide Scotum 4 *d.*10. *quæſt.*6.

Reſponde

Respondetur, ergo non esse inconueniens animam in vna parte moueri, & in altera quiescere; neque hic timenda est contradictio, quia non sunt secundùm idem; & exemplum est de facto in Eucharistia, in qua corpus Christi mouetur, licèt in cœlo quiescat. Hanc solutionem tenet D. Thom. *quæst. vn. de spiritualibus, art.* 4. *ad* 7. *&* 9. *de Anima, art.* 10. *ad* 12. Ægid. 1. *d.* 8. 1. *par. dist. princip.* éstque conformis Scoto 4. *d.* 10. *quæst.* 2. *ad* 4. vbi sic respondet ad simile argumentum de corpore replicato, quòd simul moueratur, & quiesceret.

Quare pars animalis imperfecti, non autem perfecti, abscissa viuit?

Obiicitur octauò contra eandem, si anima esset in qualibet parte tota, abscissâ illâ parte viueret, quia anima non perit, nisi præuiis dispositionibus. Respondetur, ab adæquato materiali non separatur, nisi præuiis dispositionibus, secus est de partibus, quæ non sunt principales. Contrà, quia partes imperfectorum abscissæ viuunt; ergo, &c. Respondetur, hoc ideò est, quia membrum præcipuum est humor aqueus homogeneus, per animal, vel plantam diffusus.

Obiicitur vltimò, quia sequitur quamlibet partem hominis, esse animal, & manum intelligere, quia habet intellectum. Respondetur, ad rationem animalis requiri corpus totum organicum: per idem ad illud de manu, etsi in ea sit intellectus, tamen solùm denominat totum: sic, manus hypostaticè vnita est Verbo, tamen Verbum non est manus, sed homo.

Sectio X.

Vtrùm animæ rationales sint perfectione pares?

1\. NEgant Ioan. Maior 2. *dist.* 31. *quæst.* 1. *con.* 6. Richard. *quæst.* 1. *circa* 4. *principale.* Albert. *ibid. art.* 6. Ægid. *quæst.* 3. Caietan. 1. *part. quæst* 85. *art.* 7. dicens cæcos esse qui in hoc dubitant de mente D. Thomæ. Abul. *in cap.* 14. *Matth. quæst.* 656. articulus Parisiens. habetur inter præmissos editioni Magistri.

Affirmant Dur. 2. *dist.* 32. Argent. *ibid. quæst.* 1. *art.* 1. Suocin. 8. *Metaph. quæst.* 26. Sotus *cap. de Substantia, quæst.* 1. Tolet. 3. *de Anima, quæst.* 17. Quid circa hoc teneat Scotus, expressè traditum non reperio. Solùm ait 3. *d.* 15. *num.* 18. animam Christi fuisse omnium perfectissimam, neque explicat de qua perfectione loquatur.

Suppono certum esse quasdam animas rationales esse aliis perfectiores accidentaliter: constat enim alios esse aliis ingeniosiores, & perspicaciores, quod prouenire potest ex meliori dispositione organorum. Vnde refert Plin. *lib.* 35. *cap.* 5. Carneadem se helleboro albo purgasse, vt subtiliùs posset Stoicorum dogmata impugnare: quæstio ergo est de æqualitate substantiali.

2\. Dico primò, probabilius videtur animas rationales æquales esse in substantiali perfectione; ita authores secundæ sententiæ. Probatur primò, ex Aristotele 3. *Metaph. text.* 11. vbi dicit, quòd in genere est prius, & posterius, non in specie, & 7. *Physic. cap.* 4. *text.* 13. *&* 10. *Metaph. cap.* 13. *text.* 16. ait in genera esse analogiam; quia perfectius est in vna specie, quàm in aliis. Item, ex eodem, substantia non suscipit magis, & minùs, *cap. de Substantia.* Secundò, ratione, quia in aliis formis substantialibus, non datur substantialis inæqualitas. Tertiò, si ex perfectiori operatione infertetur perfectio maior substantialis, animæ simplicium deuotorum forent in gloria substantialiter perfectiores, iis quibus in via fuerunt imperfectiores. Quartò vna forma ignis non est substantialiter perfectior aliâ eiusdem speciei. Quintò, non est ponenda substantialis inæqualitas sine necessitate; sed hic nulla est, quia quicumque excessus reperitur quoad operationes animæ inter diuersos homines, reperitur etiam in eodem homine, secundùm diuersa tempora; & certum est, quòd anima eiusdem hominis non est nunc perfectior, nunc imperfectior seipsâ substantialiter. Minor patet, quia contingit eundem hominem, nunc esse rudem, nunc ingeniosum, & subtilem, ex morbo, vel diuersa affectione organorum.

Animæ rationales omnes substantialiter æquales.

Obiicitur primò ex Aristotele 2. *de Gen. animal. cap.* 3. vbi ait, *sicut anima est perfecta magis, vel minùs, ita corpus preparat.* Respondetur, loqui de diuersis specie animabus; vel si de eisdem specie, intelligi debet de maiori perfectione accidentali; sed prima solutio melior videtur.

Obiicitur secundò, sicut genera contrahuntur per differentias specificas inæquales, ita species per numericas. Negatur similitudo, quia vltima contractio debet esse, quantum fieri potest, minimè diuersa, quod fiet si differentiæ fuerint æquales, quandoquidem idem esse nequeant. Ratio est, quia quanto natura communis ad ima descendit, tanto per minùs diuersa contrahitur. 3.

Differentiæ indiuiduales, an æquales?

Obiicitur tertiò, sequeretur quòd duæ animæ separatæ nihil haberent, quo distinguerentur, quia per omnia essent similes. Respondetur, suis hæcceitatibus distinguuntur, & non per respectus ad corpora diuersa, vt benè probat Doctor suprà *quæst.* 17.

Obiicitur quartò, absurdum est dicere animam Christi non fuisse perfectiorem animâ Iudæ. Respondetur fuisse accidentaliter, & donis gratiæ, non substantialiter, quia repugnat. Ad articulum Parisien. oportet eum negare.

An anima Christi fuit perfectior anima Iudæ?

Dico secundò, satis probabile est animas rationales esse substantialiter inæquales. Pro hac facit dictus articulus, & secunda ratio allata vrget, cui non adeò plenè satisfit. Item, quia inæqualitas magis ornat vniuersum. De mente Doctoris, vt dixi, nihil mihi constat, tantùm ait animam Christi esse perfectissimam, quod potest pro hac, vel illa sententia intelligi: si enim de substantiali perfectione intelligatur, pro secunda sententia est; si de accidentali, pro prima. Antonius Andreas 11. *Metaph. quæst. vn.* inæquales esse animas docet, & probat quatuor argumentis, quæ facilè soluuntur. Loca Philos. 6. *Physic. text.* 2. *&* 32. vrget, vbi ait, quod mouetur partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: & Commentator ait, locum habere in quatuor generibus; & per consequens in substantia, sed non potest sic esse, nisi sint gradus in forma. Respondetur, tantùm loquitur de motione. Vide Scot. 1. *d.* 2. *quæst.* 9. *ad* 3. *princ.*

Animas rationales esse inæquales in perfectione substantiali, probabile.

Sectio XI.

Vtrùm anima rationalis sit immortalis ab intrinseco?

VAriæ fuerunt Philosophorum circa hoc sententiæ. Plato constanter asseruit animæ 1.

immortalitatem, & poſt mortem, pœnam. Ita in Timæo, Phædone, Philebo, & libris de Republica. Refert Auguſt. 1. *de Ciuitat.* 22. Cleombrotum, lecto Platonis Phædone, præcipitem de muro ſe dediſſe, & ſic tranſiiſſe ad illam vitam, quam putauit meliorem. Plinius mortalem poſuit 7. *Hiſtor. cap.* 55. Galenus dubius, quia *lib. quòd animi mores ſequuntur temperaturam corporis*, impugnat dictam Platonis ſententiam. & *lib. de Tremore, & Rigore*, oppoſitum tenen ſed & dubius fuit de ipſa animæ natura, de quo ſuprà *ſect.* 1. & 2. Arabici, teſte Auguſt. *Hæreſ.* 83. tenuerunt animam ſimul cum corpore extingui, ſed in fine ſæculi reproduci. Euſeb. 6. *Hiſtor. cap.* 37. ait authores huius erroris ab Origene in magno Concilio, hac de cauſa congregato, fuiſſe conuictos. Alij dixerunt pro aliquo tempore *Errores de anima immortalitate.* poſt ſeparationem perſeueraturam, vt refert Euſeb. *lib.* 15. *de Præparat. cap.* 19. quem errorem tribuit Zenoni. Iſidor. *lib.* 1. *de Doctrinis, & Dogmat. fidei, cap.* 15. Epicurus abſolutè animam mortalem aſſeruit, teſte Plutarch. *lib.* 4. *de Placitis, cap.* 7. & Tertullian. *lib. de Anima, cap.* 3. Luther. *art.* 17. *inter damnatos à Leone X. idem ait.*

Mortale dupliciter ſumitur. Notandum, immortale hîc ſumi, non pro eo quod repugnat deſinere; quo ſenſu ſoli Deo competit, iuxta id ad Timoth. 6. *Regi ſæculorum immortali*, &c. Sed pro eo quòd iuxta naturam ſuam non eſt capax deſitionis, niſi Deus deneget conſeruationem.

2. *Anima non perit cũ corpore.* Dico primò, de fide eſt animam non extingui cum corpore. Suadetur ex vet. Teſtamento, Sap. 3. *Iuſtorum anima* in *manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et ex apparitione animæ Samuelis 1. Reg. 28. & de Onia, & Ieremia 2. Mach. vlt. & ex Teſtam. nouo Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, & ex deſcenſu Chriſti ad inferos vbi prædicauit 1. Pet. 3. & ex hiſtoria Lazari, & epulonis. Lucæ 16.

Anima humana nunquam deſinit. Dico ſecundò, nullo tempore deſinunt animæ humanæ. Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent.* Ioan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam*, &c. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Eccleſ. 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi erit.* Gen. 37. *Deſcendam ad filium meum lugens*, in infernum.

Anima rationalis naturâ ſuâ immortalis eſt. Dico tertiò, anima rationalis naturâ ſuâ immortalis eſt, ſicut & Angeli. Faciunt loca allata, & definitur in *Concil. Lateranen. ſub* Leone X. *ſeſſ.* 8. vbi damnantur ij, qui auſi ſunt dicere, de natura animæ rationalis eſſe, quòd mortalis ſit. & *Clement. vn. de ſumm. Trinit.* §. *porro.* Ita Patres apud Coccium 2. *par. lib.* 1. *art.* 2. Iren. *lib.* 5. *cap.* 7. *Hoc enim* (mori) *nec animæ euenit: flatus enim eſt vitæ, nec ſpiritui, incompoſitus eſt enim, & ſimplex ſpiritus.* Nazianz. *lib. de Anima, quòd eſt ſimplex, & immortale.* Nyſſen. *Orat. Catech. cap.* 8. *Quomodo enim diſſolui poteſt, quod non eſt compoſitum?* Cyprian. *de Cardinal. Chriſti oper. Serm. de Reſurrect. Domini, Cuius natura diſſolutionis non admittit interitum.* Gregor. 4. *Dial. cap.* 45. *Natura ſua vitam perdere non valet.* Probatur ratione, quia multi Philoſophi hanc veritatem docuerunt, & non aliunde indagare potuerunt, quàm ex natura ipſius animæ. Ita Plato, Pythagoras, Empedocles, Stoici, vt habet Tertullian. *lib. de Anima, cap.* 1. Vide Eugubin. *lib.* 9. *de Perenni Philoſophia, cap.* 3. & Nicolaum Sabantinum *lib.* 1. *de immortalitate animæ, cap.* 11.

Obiicitur Eccleſiaſtes 3. *Vnus eſt interitus hominum, & iumentorum*, & mox: *æqua eſt vtriſque conditio.* Reſpondetur cum Hieronymo ibi, verum eſſe quoad conditionem corporis. Secundò, cum Scoto 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 2. loquitur ibi Salomon in perſona ſtulti, non ſecundùm rei veritatem. de quo Gregor. 4. *Dial. cap.* 4.

Obiicitur ſecundò, Sophron. in *VI. Syn. act.* 11. & approbatur *act.* 13. à Concilio, ait animam immortalem eſſe, non per naturam, ſed per gratiam. Reſpondetur, loqui de gratia largiùs, & ſic comprehendit beneficium creationis, & conſeruationis.

Obiicitur tertiò, anima naturâ ſuâ eſt forma corporis corruptibilis: ergo talis eſt ipſa; alioquin non eſſet proportio. Confirmatur, ſi tali 3.
corpori violenter vnitur, inconueniens eſt, & ſi naturaliter, erit violentata poſt ſeparationem in perpetuum, ſecundùm naturalis rationis iudicium. Reſpondetur, non repugnare formam incorruptibilem, conuenire ſubiecto corruptibili; ſicut forma ſpiritualis conuenit ſubiecto corporali. Ad confirmationem, naturaliter vnitur, & aliqualiter violentatur, dum eſt ſeparata; quia naturali appetitu appetit eſſe totius, & operationes, ſenſuum. Ex alia parte meliùs congruit ei ſeparatio quoad operationes proprias, quas ſine dependentia à phantaſia operatur: & ſic abſolutè non eſt ei violenta ſeparatio, & quia vnita eſt corpori ſeparabiliter, & ſatiatus eius appetitus vnicâ vnione. Vide Scotum 4. d. 43. à quæſt. 2. §. de tertio de quo poſtea.

SECTIO XII.

Quid Ariſtoteles ſenſerit de animæ immortalitate?

EVſeb. *lib.* 1. *de Præparat. Euangel. cap.* 9. 10. 1.
11. refert Atticum, Plotinum, & Porphyrium dicentes Ariſtotelem in Platonis inuidiam docuiſſe animam eſſe mortalem. Quòd ſic ſenſerit, tenent Iuſtin. *in orat. ad Gentes, prope initium.* Gregor. Nyſſen. *lib.* 2. *Philoſ. cap.* 4. 6. Nazianz. *contra Eunom.* Galen. *in Hiſtor. Philoſophorum.* Caiet. 3. *de Anima, cap.* 2. *text.* 12.

Suadetur ex eo, quia 1. *de Anima, & lib.* 3. *cap.* 5. *text.* 39. tenet eam ſine phantaſmate neminem poſſe intelligere; ergo indicauit animam non poſſe ſeparari, quia nihil ſeparata efficere poſſet. Item, cùm ponat mundum ab æterno, daretur infinitas animarum, ſi eſſent immortales, ipſe tamen infinitum negat eſſe poſſibile 3. *Phyſicor. text.* 16. Item, 1. *de Cæl.* 12. ait omne factum eſſe corruptibile, & 12. *Metaph. cap.* 3. ponit animam ſumpſiſſe initium. Item, immortalia non poſſunt incipere, niſi creatione, quam neſciuit Ariſtoteles, quia ſi ſciret, poneret omnes animas ab æterno creatas, quia tenet Deum ex neceſſitate operari, & ex loco iam citato, ponit animam in tempore factam. *Quid Ariſt. de animæ immortalitate ſenſit.*

Communior ſententia eſt Ariſtotelem agnouiſſe animæ immortalitatem. Ita ferè omnes eius interpretes, Theophraſtus, Philop. Simplic. Comment. *circa text.* 12. & 13. *Proœmij de Anima, & lib.* 3. *text.* 30. D. Thom. *ibi, &* 12. *Metaph. lect.* 3. & 2. *contra Gent. cap.* 79. Mirandula *lib.* 4. *de Exam. vanitatis, cap.* 9. Albert. *tract.* 2. *de Anima*, 20. Ægid. *lib.* 3. *de Anima, ad cap.* 4. Dur. 2. *d.* 18. *quæſt.* 3. Eugubin. *de Perenni Philoſ. à cap.* 18. Suadetur, quia 1. *de*

de Anima, vocat intellectum nostrom diuinum, interitus expertem, *& lib.2. text.* 11. *&* 21. ait partes animæ esse separabiles; & iterom, intellectum esse genere distinctum à sensitiua, & vegetatiua, & perpetuum. Præterea, ponit intellectum immaterialem *lib. 3. de Anima, cap.* 1. *text.*4. *& 6. & 1. de Partib. animal. cap.1. & 2. de Gent. cap.* 3. docet mentem extrinsecus venire. Vide alia loca in Scot. *4.d.43. quæst.2. num.*1. quia hæc sententia communior est. Soluenda sont io contrarium adducta.

2. Ad ptimom, loqoitor de anima vnita. Ad secundum, reiicit ab aoima separata illam felicitatem opum, vel voloptatum, de qua Philosophi disputabant. Ad tertiom, secundùm D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 81. admitteret Philosophus infinitum in immaterialibus, sed non rectè. Vel dic, quòd pugnaotia dixerit, cùm æternitatem generationum posuerit, & infinitatem negauerit, quod admittunt Conimbr. 3. *Physic. cap.*8. *quæst.*1. *art.* 5. addcotes eam soam sententiam de animæ immortalitate disputationom ambage implicuisse, & obscuritatis obuoluisse pallio. Adde, etsi homo ab æterno creatus fuisset, qoòd oon generasset ab æterno; & sie non daretur animatum infinitas, de qoo Doctor 2. *d.* 1. *quæst.* 3. Ad qoartum, loqoitur de iis, quæ ineipiunt per motom, val generationem. Ad quintum, oouit creationem animarum, & non posuit æternam, quia necessitatem æternam tantùm tribuit iis, quæ Deus sine vlla dependentia à caosa secunda facit. Ad animæ autem iufusionem requiritor organizatio, & dispositio accidentium, quas faciunt caosæ secundæ. Vel dic, cum Scoto suprà, fuisse dubium de animæ creatione: & fortè diceret eam comprodaci ad productionem compositi.

Circa infiniti possibilitatem Aristot. sibi contrarius.

Si homo ab æterno creatus fuisset, ab æterno nō genuisset.

Nihil certò nouit Arist. de anima productione.

Alij iudicant, & veriùs, Aristotelem fuisse in hac parte dubimm, & nunc huic, nnne illi parti fauisse, pro commoditate materiæ, de qua agebat. Scot. 4. *d* 43. *quæst.* 2. *num.* 13. Heruæus 1. *d.* 1. *quæst.* 1. *& quodl.* 1. *quæst.* 11. Nyphus *Opusc. de immort. anim. cap.* 1. Conimbr. *tract. de Anima, separata d.* 1. *art.* 2. addocit Scotus multa loca Philosophi pro immortalitate, & ea soluit. Vide prolixam disputationem apod Soarez *lib.1. de Anima, cap.* 11. sed vide ne fatigeris, si toram legeris. Ratio huius est, quia nisi ita dubius in hac re fuisset, non haberet tot loca sibi inoicem (vt videtur) circa hoc opposita; sunt enim plura præter allata.

Sectio XIII.

Vtrùm anima rationalis immortalitas demonstretur ratione naturali?

1. Communior sententia affirmat. Probatur primò ex D. Thom. *1. part. 1. quæst. 75. art. 6. & 50. art. 5.* anima rationalis est per se subsistens: ergo incorruptibilis. Patet consequentia, quia non potest talis res corrompi per accidens ad corruptionem alterios, alioquin non esset per se subsistens; nec per se, qoia non est compositum. obscuriùs positur probatio hæc à D. Thom.

Secuodò, ex eodem ibi *art. 2. d. 19 quæst.* 1: quia homo innato, & elicito appetitu immortalitatem desiderat, qoia apprehendit esse, non tantùm pro nooc, vt cætera animalia, sed pro omni tempore; ergo cùm hoc desideriom non debeat esse inane, anima eius est immortalis.

Tertiò, ex aliis, nulla forma substantialis corrumpi potest, nisi alia forma substantialis generetur; sed anima rationalis est talis, & nulla forma generatur, quando ipsa separatur à corpore; ergo.

Qoartò ecstasin contingere perfectam, id est, attentionem partis rationalis ad sublimia, sine vllo concursu sensuum, atque id naturaliter euenire multi tenent: de quo suprà egi ad quæst. 18. ergo anima ratioonalis natoraliter sine corpore esse potest, qoia non minùs dependet ab eo in operari, quàm in esse. 2.

Quiotò, habemos natorale desiderium beatitudinis, & hæc est æterna; ergo altera pars nostri æterna est, vel hoc desiderium erit inane, vt suprà tactum est.

Sextò, ad iostitiam Dei spectat ne mala maneant impunita, neque bona irremunerata; sed in hac vita cootingit optimos affligi, & peruersos in delitiis esse: ergo anima naturâ suâ immortalitatis est, vt puniatur, vel præmietur in alia vita.

Septimò, in nobis est operatio excedens omnem operationem sensibilem, vt ostendit Scot. *4. d. 43. quæst. 2. num. 10. & quodl. 9. art.* 2. infert ex immaterialitate actionis, recipi in animam, & animam separari posse à materia; ergo in via Scoti hæc veritas demonstrabilis est. Item, Aristoteles passim hoc docet.

His non obstantibus, Scotus citatus *in* 4. videtur tenere immortalitatem animæ rationalis non demonstrari, loquendo de demonstratione in rigore; quem sequuntur omnes Scotistæ, & Caietan. *in cap. 9. ep. ad Rom. & in cap. 3. Eccles.* Scaliger *Exercit.* 907. *num.* 33. ait eam persuasionibus tantùm probari. Conimbric. *tract. de Anima separata d. 1. art. 3.* fatentur, quòd strictè, & euidenter non probator, quasi Mathematicè; sed iuxta materiam, pro qoo est locus Aristotelis 1. *Ethic. cap. 3. Est enim eruditi, exactum ipsum in vnoquoque genere efflagitare, quatenus fert ipsius rei natura; simile namque videtur esse (id est, ineptum) Mathematicum suadentem probare, & ab oratore demonstrationes exigere*: contingit enim vt de materia, de qua agitur, à nullo intellectu exactior probatio offerri possit. 3.

Immortalitatem animæ in rigore non demonstrari.

Ex quibos verbis patet hos authores fateri, hîc non dari demonstrationem in rigore: & tamen asserunt hac ætate teoentem immortalitatem animæ rationalis, non posse demonstrari, temerarium censeri, quòd minùs consequenter dictum est, minúsqoe verè.

Suarez *lib. 1. de Anima, cap. 10. num.* 33. vbi fusè hanc rem tractat, fatetur hîc tantùm esse vnam demoostrationem speculatiuam, nempe illam, qoæ ex propria operatione demoostrat animam esse immaterialem, & consequenter immortalem; & alteram moralem ex retributione bonorum, & malorum; *Reliquæ rationes* (inquit) *simul collectæ multùm persuadent rem: & iuuant illas rationes.* Vbi etiam fatetur non esse demonstrationes Mathematicas, vel Metaphysicas, *sed Physicas, quæ mentem benè institutam persuadere debent, & hoc modo dicimus veritatem hanc esse demonstrabilem.* Vbi expresè fatetur non esse in rigore hîc demonstrationem. Pro solutione 4.

Nota, quòd demonstratio dupliciter sumitur: vno modo largè, pro omni discursu sufficienti ad rem aliqoam persoadendam, sine formidine de opposito, cuicumque benè disposito; & huiusmodi

Demonstratio dupliciter sumitur.

Quatuor conditiones scientiæ.

eiusmodi demonstratio passim in moralibus occurrit. Alio modo presse, pro causa scientiæ propriè dictæ (demonstratio est syllogismus faciens scire, 1. *Poster. text.* 7.) quæ quatuor habet conditiones; quarum prima est, quòd sit certa. Secunda, quòd necessaria. Tertia, quòd causa sit euidens. Quarta, quòd per discursum syllogisticum applicetur ad conclusionem; de quibus Scot. 3. *d.* 24. *ex Philos. lib.* 1. *Poster. text.* 5. ibi, *Scire arbitramur vnumquodque simpliciter, cùm causam arbitramur cognoscere propter quam est, & quia eius est causa*, &c.

5. In primo sensu, certum est immortalitatem animæ demonstrari; in secundo autem verius videtur cum Scoto, & aliis citatis demonstrari non posse: & Conimbric. Suarez & nonnulli alij, qui videntur in verbis oppositum tenere, in re cum Scoto conueniunt, vt ostensum est. Non oportet hoc probare, sed respondere argumentis in oppositum adductis. Præmittimus tamen, si hæc veritas esset in rigore demonstrata, quòd tot tantique Philosophi circa eam non errarent, neque Aristoteles fuisset in ea ita dubius, & lubricus, vt in multis locis oppositum asseruerit, vt *sect. præced.* ostendi. de quo Scot. *loc. cit.*

Pauci Philosophi assecuti sunt notitiã immortalitatis animæ.

Adde S. August. 13. *Trinit.* 8. asserere difficile esse astruere viribus naturalibus animæ immortalitatem, & quòd pauci ex Philosophis illud assecuti sint: hoc autem non dixisset, si tenuisset eam demonstrari posse rigorosâ demonstratione. Iuxta hoc argumenta allata probant ita sufficienter, vel demonstratiuè moraliter intentum, vt nullus non proteruus non assentiatur; sed non sunt rigorosæ demonstrationes, facientes scire, vt sumitur 1. *Poster. cap.* 1.

Ad primum, si vult quòd anima sit per se subsistens, id est, naturâ suâ independenter à corpore manens, assumit probandum: hoc enim est, quod controuertitur. de quo vide Scot. *d.* 4. 2.

6. Contrà, replicat Caietanus in Comment. illius *art.* 6. quia id probatum est ex operatione quę est intelligere; quia cùm anima sit cognoscitiua omnium, nullam habet rationem corporis; quia si vteretur organo, eius operatio non posset esse ita vniuersalis, vt patet in sensibus. Respondetur, dici potest hoc tantùm probare, quòd anima non operatur proprias actiones per organum; & hoc sensu est separabilis à corpore, non quòd desinat ipsum informare, vel possit esse sine eo, quia naturâ suâ est forma eius, petitque informare illud. Fateor tamen rationem esse valde vrgentem, sed non demonstrationem rigorosam.

**An intellectio demonstrat animæ immortalitatem?*

Ad secundum, etiam bruta appetunt suum *esse* conseruari.

Inclinatio naturalis nõ est ad impossibile.

Dices, non pro tempore futuro; quia sensus tantùm cognoscit hic & nunc. Respondetur, neque homo demonstratiuè nouit immortalitatem, ac ideò non necessariò appetit eam appetitu elicito; & si appetit, non demonstratur, id non fieri per rationem erroneam; neque appetitu innato, quia hic, cùm sit inclinatio naturæ ad aliquid, non potest ostendi, an adsit donec priùs ostendatur possibilitas illius ad quod esse dicitur.

7. Dices, constat nos habere appetitum elicitum ad immortalitatem, statim ac apprehenditur; sed hæc pronitas arguit inclinationem naturalem; ergo. Respondetur id verum esse, quando constat appetitum illum elicitum, esse secundùm rationem rectam, & non erroneam; & hic, licèt sit secundùm rationem rectam, tamen de hoc demonstratiuè non constat. Vide Scotum suprà *ad* 1.

In corruptione hominis nulla forma generatur.

Ad tertium, latè ostendi suprà *sect.* 4. nullam formam substantialem generari in corruptione hominis, sed formam corporeitatis eius perseuerare, & formam cadaueris esse merum figmentum.

Ecstasis an habet aliquas operationes partis inferioris comitantes?

Ad quartum, dixi ad *quæst.* 18. ecstasim naturalem semper habere comitantes aliquas operationes imperfectas partis inferioris: & esto hoc negetur, inde tantùm habetur animam necessariò indigere organo corporeo ad suas operationes; ex quo tamen non demonstratur quòd à natura sua sit immortalis, esto argumentum non parùm vrgeat. Calor in aqua sine vllo aquæ concursu calefacit, & tamen non inde sequitur quòd esse possit sine aqua, vel alio subiecto.

Ad quintum, patet ex solutione secundi. Vide Scot. suprà *ad* 2. *& dist.* 49. *quæst.* 10. *&* 3. *d.* 13. *quæst.* 5. *ad* 2. vbi agit de appetitu beatitudinis.

Euidens non est aliquam esse futuram retributionẽ.

Ad sextum, euidens non est lumine naturæ, an sit aliqua futura retributio? neque Deum ad hanc teneri, vel nunc, vel postea: sed detur quòd hoc esset euidens, bona opera trahunt secum consolationem suam; & mala suum vermem, iuxta id August. 1. *Confess.* 12. *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sibi sit omnis animus inordinatus.*

Peccatum pœna peccati.

Dices, ex Suarez suprà: nulla fuit natio tam barbara, quæ non cognosceret retributionem post hanc vitam; ergo agnouit & immortalitatem animæ. Respondetur, aliquas id non nouisse; & licèt, vt plurimum id nouerint, hoc potuit ex traditione orium habuisse; vel ex rationibus satis vrgentibus non demonstratiuis. Vide Scot. *d. quæst.* 2. cuius rationes contemnit Canus 12 *de Locis, cap. vlt.* prope finem, contemnendus sed ipse. 8.

Ad septimum, patet ex solutione primi; tantùm haberi potest ex Scoto, animam habere operationem non organicam, seu dependentem ab organo, aliàs excellens obiectum corrumperet ipsum; sicut excellens sensibile sensum, 3. *de Anima, text.* 7. tamen hinc non sequitur (inquit Scot. *d. quæst.* 2. *num.* 18.) non dependere à toto corpore in essendo. Quod ait, *Quodlib.* 9. *art.* 2. actionem animæ, quia spiritualis est, recipi in ipsam, & hinc concludi volunt separabilitatem eius à materia, non sibi contradicit, in quo fallitur Caietanus suprà; neque enim idem est animam esse immortalem, & hoc demonstrari. Secundum hoc ei imponunt Conimbric. citati, nisi velint omnem conclusionem esse rigorosam demonstrationem, quo nihil absurdius. Quod addunt hac ætate temerarium censendum esse, qui immortalitatem animæ demonstrari negaret: insinuat eos reperisse nouas demonstrationes antea non inuentas, sed nobis tales non videntur: demus tamen esse demonstrationes morales, vt ipsi velle videntur; quia fatentur non dari demonstrationem rigorosam in hac re.

Ad octauum, dictum est *sect. præced.* de mente Aristotelis: & Doctor *d. quæst.* 2. adducit varia loca ipsius, quibus videtur negare animæ immortalitatem, soluitque septem loca, quibus eandem astruere videtur; itaque nihil certi est de mente eius. Secundò, esto, id asseruisset, non probauit demonstratiuè: quia plura retinuit opinatiuè 9.

Multa tenuit Aristoteles opinatiué tantùm.

natiuè, quàm demonstratiuè; vnde 2. *de Cal. text.* 60. tractans duas difficiles quæstiones, approbat stando pro Philosophia, *paruas sufficientias deligere, de quibus maximas habemus dubitationes.* & ibidem ait, quòd ab Ægyptiis, & Babyloniis, *multas credulitates habemus de vnoquoque astrorum.* Addo etiam, quòd ipse 1. *de Anima, text.* 4. ait animam ita obscuram nobis esse, *vt difficillimum sit fidem aliquam de ipsa tandem accipere.*

Omitto multa Patrum loca: quia nullus eorum loquitur de rigorosa demonstratione huius veritatis. Vnde quando dicunt eam esse patentem, vel naturaliter sciri, aut lumine naturæ cognosci, non intendunt esse demonstrabilem, sed menti benè dispositæ optimè persuasibilem. Citant Conimbric. suprà, Chrysostom. *Homil. 4. de Prouidentia*, dicentem: *Qui dubitat de anima immortalitate, etiam dubitare posse, an in meridie dies sit.* Sed si id haberet, hyperbolicè concionis feruore (sicut & aliàs sæpè loquitur) dictum videtur. Vel fortè meliùs, quòd suppositâ fide, ad fideles sermonem dirigit: hoc certum, de demonstratione rigida secundùm conditiones Aristotelicas, ipsum minimè fuisse locutum. Verùm neque illa verba habet illa Homilia IV. quæ habetur *lib. 3. de Propaganda fide, tom. 3.* Sed tantùm vrget colligi immortalitatem ex futura retributione, quòd fusiùs tractat concione 4. *de Lazaro, tom. 2.* Frustra quidam obiiciunt *Clem. vn. de summ. Trinit.* quia tantùm definit animam esse immortalem, & formam intrinsecam corporis, quod magis oppositum est: arguit enim potiùs non demonstrari.

Obiiciunt etiam *Concil. Lateranen. sub Leone X. sess. 8.* sed ibi tantùm damnantur asserentes, animam esse mortalem, vel vnam in omnibus; quod nihil est ad rem.

SECTIO XIV.

Vtrùm animæ rationales immediatè à Deo producantur.

1. Circa hoc varij fuerunt errores. vt videre est *in Hieronymo epistola ad Marcellin.* & in August. *lib. de Orig. an. & lib. 3. de Libero arbitrio, cap. 21.* Primus, fuisse creatas extra corpora, & propter peccata in corpora missas. Ita Origen. *lib. 1. Periarchon, cap. 7. expressè*, & Plato in *Timæo*. Secundos, fuisse ab æterno, & intrasse corpora nunc hæc, nunc illa. Ita Pythagoras ex Ægyptiis, vt refert Herodotus *lib. 1.* Tertius, creari in tempore ab Angelis: ita Auicenna, Seleucius & Hermas ex *lib. 7. tripart. cap. 11.* Quartus, propagari ex semine. ita Tertull. & Apollinaris ex August. *de hæres. cap. 86.*

Errores de origine animæ.

Dico primò, animæ non fuerunt ante corpora, sed simul cum corporibus creantur. Ita Epiphan. *epist. ad Ioan. Hierosolym.* Hieronym. *epist. ad Pammachium*, Cyrill. Alexand. *lib. 1. in Ioan. cap. 9.* August. optimè *lib. 12. Ciuit. cap. vlt. & Tertull. lib. de Anima.* Damnatur oppositum in Bracarensi 1. *cap. 6.* & à Leone X. *epist. 91.* ad Turibium, à Damasc. 2. *de fide cap. 12.*

Probatur primò, prius est, quod est secundùm naturam, eo quod est præter naturam; sed animam vniri corpori, est secundùm naturam: ergo. Confirmatur, quia Deus primò fecit res secundùm statum naturalem earum Secundò actus in eodem, est posterior potentia, *ex 9. Metaph. text. 13.* Tertiò, alioquin intrarent cum scientia in corpora, cuius oppositum docet experientia. Nec valet cum Academicis, & Platone *lib. 10. de Republica, & in Phædro*, dicere, quòd per ingressum corporis obliuiscuntur omnium; quia per statum naturalem, non possent ita priorari; alioquin non appeterent vnionem cum corpore, quia sic appeterent malum, quod repugnat.

Quartò, ex 5. ad Rom vbi dicitur: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & cap. 9.* de Iacob. & Esau dicitur: antequam nati essent, nihil boni, vel mali egisse; ergo eorum animæ antea non fuerunt, quia non poterant esse otiosæ, & sine propria operatione, ex 10. *Ethic. cap. 8. text.* 14. Quintò, quòd hoc sit secundùm Aristotelem patet, quia 1. *Poster. cap. 1. & 3. de an. cap. 4.* contra Platonem in *Phædro*, ponentem notiones omnium in anima ante vnionem; docet intellectum de se esse tabulam rasam, & 12. *Metaph. cap. 3. text. 16.* docet causam efficientem præcedere suum effectum, formalem non; & secundùm ipsum, anima est causa formalis. 2.

Animas non fuisse ante corpora.

Obiicies primò, quia 2. *de Gen. anim. cap. 3.* dicitur, quòd mens de foris venit. Respondetur, hoc est creari, non educi de potentia materiæ, vel non dependere ab organo, sicut cæteræ animæ, de quibus ibi Philosophus.

Anima de foris venit, explicatur.

Obiicitur secundò, quia August. 7. *de Gen. ad lit. 24. & 12. Ciuit. 23.* Author. scholast. Histor. *in Genes.* Hugo de S. Victore *sum. sent. tract. 3. cap. 2. fin.* Magister 2. *d. 17.* tenent animam Adæ fuisse ante corpus creatam, quod asserit Philastrius *lib. de Hæres. Catal. Hæres. quæ extiterunt post Apostolos.* Respondetur, doctrinam datam esse vniuersaliter veram: & August. tantùm dubitat de anima Adæ, an ante corpus creata fuerit, & semper dubius fuit de origine animæ; tamen in hanc partem magis inclinat 12. *Ciuit. 23.* vide Gregor. Nyssen. *lib. de Hom. cap. 29. 30.* Damasc. Hieron. & Leo citati etiam de anima Adæ in particulari agunt.

Dico secundò, anima rationalis non fit ex virtute seminali. Probatur primò: quia agens naturale non potest agere supra materiam; & anima rationalis est supra eam, vt constat ex operatione, quam habet independenter ab ea. de quo dixi *sect. praced.* Secundò, quod generatur corrumpitur. Tertiò, forma quæ cum composito Physico producitur, non producitur per se, sed in composito: ergo non habet *esse* per se extra compositum; & sic anima rationalis non posset separari. Conclusio est communis Catholicorum, cuius oppositum damnat August. *hær. 86.* & hæresim vocat D. Thom. 1. *par. quæst. 118 art. 2. & 2. contra Gent. cap. 86.* habetur 32. *quæst. 1. cap. Moyses.* Vide Scot. 4. *d 43. quæst. 2. in 2. propositione, & 2. d. 18.* vbi negat semen vllam animam attingere posse. 3.

Anima non fit ex virtute seminali.

Obiicitur, in materia est naturalis in potentia, ad recipiendam animam; ergo datur naturalis potentia actiua ipsius, quia passiuæ correspondet actiua eiusdem generis, ex 5. *Metaph. cap. 12. text. 17. & lib. 9. cap. 2. text. 2.* Respondetur, cum Scoto *quæst. 1. Prol. & 1. d. 5. quæst. 2. ad 3. pro 2. opin. & 4. d. 43. quæst. 3. ad 1.* intelligendo per causam naturalem, causam creatam, non omni passiuæ correspondere actiuam naturalem, alioquin posset cæcus naturaliter fieri videns, & Deus naturaliter videri. Aristoteles *locus cit.* tantùm dixit potentiæ passiuæ correspondere actiuam;

Potentia passiua correspondet actiua explicatur.

eisi

etſi aliud diceret, ſibi contradiceret, 2. *de Gen. animal. cap.* 3. vbi tenet mentem extrinſecus venira; qood negat de aliis formis:& hoc eſt creari, vel ſaltem non à cauſa naturali produci. Qui citant dicta loca, non benè ea ponderant.

4. Obiicitur ſecundò, cætera animalia ex vi ſeminis prodoeunt ſibi ſimilia; ergo & homo perfectiſſimum animal. Reſpondetur, negando anteeedens, de quo *ſect. ſeq.* Secundò, negaodo conſequentiam, quia ex dignitate animæ rationalis eſt, quòd à creatura fieri nequeat; homo tamen generat hominem, quia dat materiam,& diſpoſitiones præuias, vt docet D. Thom. 1. *par. quaſt.* 118. *art.* 2. *ad* 3. ſed prima ſolutio melior eſt.

Quomodo homo generat hominem, ſi animam non producit?

Obiicitur tertiò, attingens vltimam diſpoſitionem, formam producit; ſed homo omnes qualitates diſponentes ad animam efficit, & vi formatrici, organa delineat, & effigiat: ergo. Maior probatur; potens in media, poteſt in finem, 7. *Metaph. cap.* 9. *text.* 30. & forma eſt finis generationis, 2. *Phyſicor. cap.* 7. Reſpondetur primò, antecedens verum eſſe, quando forma eſt eiuſdem ordinis cum diſpoſitionibus, ſed hic non eſt; quia ſpiritualis eſt. Reſpondetur ſecundò meliùs, negando antecedens, quia calor ſeparatus induceret vltimam diſpoſitionem ad ignem, non tamen ignem, vt habet Doctor 4. *d.* 12. *quaſt.* 3. *num.* 7. & 22. Neque Ariſtoteles dixit potentem in media, poſſe etiam in finem, ſed ſæpiſſimè ei imponitur.

Efficiens vltimam diſpoſitionem an efficiat formam.

5. Dico tertiò, anima rationalis creatur à Deo, non ab Angelis. Ita Patres, Hieron. *epiſt.* 17. & *in apolog. ad Pammachium*, Ambroſ *lib. de Noe & arca*, Chryſoſt. *Homil.* 23. *in varia loca Matth.* Gregor. Nyſſen. *de Anima, cap.* 6. Bernard. *ſerm.* 17 *in Cant.* Quòd verò creatur, patet, quia non generatur per ſe; quia non eſt compoſitum: neque per accidens, ad generationem compoſiti, quia non fit ex vi ſeminis. Ita D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 87. Addendum eſt, eſſe improportionatam materiæ, vt educatur ex ea, quia ſpiritus eſt; quòd non creatur ab Angelis, docet communis Theologorum 2. *d.* 1. de quo latè Scot. 4. *d.* 1. *quaſt.* 1. vbi reiectis rationibus D. Thom. ad hoc, adducit proprias. Idem docet Auguſt. 3. *de Trinit.* 8. & *lib.* 9. *in Geneſ ad lit. c.* 15. Damaſc. 2. *fid. cap.* 3. Cyrill. *lib.* 2. *in Iul.* Athan. *ſerm.* 3. *contra Arian.* Baſil. *lib.* 4. *contra Eunom* Proſp. *lib. ſent.* Auguſt. *ſerm.* 146. Ex quibus ſequitur animam rationalem à Deo creari, quia non generatur, nec ab alio creari poteſt.

6. Si petas quid de hoc ſentit Ariſtoteles Scotus 4. *d.* 43. *quaſt.* 2. *a num.* 19. tenet dubiom eſſe, qoid de origine animæ voluerit, tamen verius videtor, quòd poſuerit eam immediatè à Deo fieri; ſed hoc non vocaret creationem, quia ſecundùm eum omnis effectus nouus præciſè dependens à cauſa effectiua, reduceretur in aliquam variationem ipſius cauſæ; ſed quando dependet etiam à receptiuo, poteſt eius nouitas reduci in illud, & ſic eſt in productiooe animæ ſecundùm eum; quia Deus naturaliter, & neceſſariò tranſmutat corpus factum organicum, ad animationem. de quo vide Scotum 1. *d.* 8. *quaſt.* 5.

An anima ſecundùm Ariſtot. creatur à Deo?

Obiicitur primò, operatio omnibus maximè naturalis, ex 2. *de Anima, cap.* 4. *text.* 34. eſt generare ſibi ſimile; ergo conuenit ſubſtantiis ſpiritualibus. Reſpondetur, ibi loqui de corporeis: ſubſtantia autem ſpiritualis adeò perfecta eſt, vt à ſolo Deo produci poſſit.

Quare ſpiritualis ſubſtantia non generat?

Obiicitur ſecundò, inferiora corpora ſecundòm Dionyſ. *cap.* 4. *de Diu. Nomin.* adminiſtrantur per ſuperiora; ergo idem de ſpiritibus? Reſpondetur, inferiora tranſmutari, & aliquando fieri à ſuperioribus, ſed ex ſubiecto antecedente; ſpiritus autem ex nullo ſubiecto fieri poſſunt.

SECTIO XV.

Vtrùm aliæ animæ à rationali ex vi ſeminis fiant, ita vt ſemen attingat earum productionem?

PRo reſolutione, Nota ex Scoto 2. *d.* 18. quòd aliqua producant ſibi diſſimilia in genere, & in forma, vt Sol ranam: alia verò producunt ſibi ſimilia, & hoc vel immediatè, vt ignis, ignem; vel mediante propagatione, vt equus equum. In primo, & ſecundo modo productionis, non requiritur ratio ſeminalis, quia hæc agit abſente generante, eſtque medium inter ipſum, & genitum; ſed in tertio interuenit ſemen. 1.

Generatio duplex.

Secundò nota, ſemen nihil aliud eſſe, quàm corpus quoddam, cuius forma intenta eſt, vt ex illo fiat aliud perfectius ſimile generanti. Ratio autem ſeminalis, ſeu ſeminis, eſt forma ipſius, vel qualitas eam conſequens.

Quid ſemen, & ratio ſeminalis?

Nota tertiò, ſi ſemen eſt vnigeneum, & vniforme, quòd non agit alterando ſeipſum; qaia nihil vniforme agit in ſe, & actiuum difformitatis ſupponit paſſiuum eiuſdem: ideò multi ponunt diuerſitatem partium in ſemine: & Caietanus 1. *par. quaſt.* 118. *art.* 1. ideò vocat illud heterogeneum. Idem tenet Ferrar. 2. *contra Gent. c.* 57. Et videtur D. Thom. *ibi cap.* 89. & *de potentia quaſt.* 3 *art.* 9. Scotus *loco cit.* dubius de hoc manſit, ſed 3. *d.* 4. *num.* 13. docet ſemen eſſe actiuum in alteratione præuia ad introductionem formæ, & conſequenter admittit in eo diuerſas, & difformes partes, alioquin non ſe alteraret.

Semen an ſit heterogeneum?

Communior ſententiâ tenet ſemen ſaltem ſecundùm partes ſubtiliores attingere productionem animæ. Ita Suarez 2. *de Anima, cap. vlt.* Caiet. citatus, Germanus *in Epitome librorum de Anima*, Conimbr. *lib.* 1. *de Gen. c.* 4. *quaſt.* 26. & 27. Iauel. 7. *Metaph. quaſt.* 14. 2.

Veriùs videtur oppoſitum. Scotus *loc. citatis*, Philipon. Simplic. Ægid. Albert. *in* 2. *de Anima, text.* 10. & expreſsè D. Thom. 1. *p quaſt.* 118. *art.* 1. *ad* 3. & 4. & *de potentia, quaſt.* 3. *art.* 9. *ad* 9. Probatur ex Scot. Primò, quia ſemen in inſtanti generationis non eſt; ergo noo agit; quia agere ſupponit eſſe. Antecedens patet, quia tunc deſinit eſſe forma ſeminis. Secundò, ſi dicas pro tunc manere ſemen, non poteſt producere perfectius ſe, qualis eſt proles.

Dices, in virtute generantis producere ſe perfectius. Contrà, in virtute non entis, nihil poteſt effici; ſed per accidens eſt, quòd decidens ſemen exiſtat, quando producitur forma geniti. Et contra hoc procedunt omnia argumenta, quibus Doctor 4. *d.* 12. *q.* 3. & *d.* 13. *quaſt.* 1. oſtendit accidens in virtute ſubſtantiæ non poſſe attingere ad productionem ſubſtantiæ. Tertiò, ſemen eſt non viuens: ergo non poteſt producere viuum. Reſpondet quidam cû Platone, *in Timæo*, ſemen viuere, Valleſ. 2. *Controu. c.* 9. Zimara 2. *de An. ad tex.* 43. Text. 01

Semen non attingit animam effectiuè.

3. Verius tamen eſt oppoſitum, quod tenet Ariſtoteles 2. *de Anima, cap.* 1. & 2. *de Gen anim. cap.* 1. & *c.* 3. D. Thom. 2. *contr. Gent c.* 89. Scot. 4. *d.* 44. *q.* 1.

Semen non viuit.

& communis: & suadetur, quia non haber eandem animam cum generante, cùm non sit ei continuom, oec diuersum, quia esset aliud animal, vel planta. Item, non nutritor, nec erescit, vt constat de seminibus stirpiom, & herbarum, quæ multo tempore seruantor sine alimento: & esto viueret semen animâ vegetatiuâ; ergo saltem non attingeret animam sensitiuam, qualis est anima animaliom.

Obiicies primò; ergo viuentia non producunt sibi similia. Respondetur cum D. Thom. suprà *ad* 3. hominem generare hominem, quia ministrat materiam, & disponit eam ad receptionem nouæ formæ, non quòd ipsam formam attingat: & idem est de alin animalibus. Secundò, diei potest cum Scoto 3. *d.* 4. *num.* 13. matres immediatè attingere formas fœtus generabiles; hoc enim longè facilius est, quàm ponere ipsum semen eas attingere; & iuxta hoc matres longè perfectiùs generant, quàm patres; qoidquid dicat D. Thom. cum sois 3. *p. quæst.* 32. *art.* 4. Si hoc oon placet, recurrendum est cum eodem Scoto 2. *d.* 18. ad causam superiorem, ad quam necesse est currere, quoad plantas, qoarum semen seorsum à generante generat. Neqoe sufficit recorsus ad corpora cœlestia, quia viua non suot, & nemo dat, quod oon habet; & ideò fortè Galenus citatus à Doct. virtotes seminum vocat diuinas: vnde Doctor 2. *d.* 14. *q.* 3. *num.* 6. tenet influentiam astrorom in inanimata agere generando, sed in animata tantùm alterando: & Augost. *lib. de duabus Animabus, cap.* 4. docet muscam esse nobiliorem cœlo; quia animata est, & per coosequens noo potest à cœlo produci.

Vtrùm mater attingat formam fœtus?

4. Obiicitur secundò, 2. *de Gen. animal. cap.* 3. dicit Aristoteles omnem animam produci virtute seminis, præter iotellectiuam qoæ de foris venit. Respoodetur, nihil tale habet, sed omnem animam præter rationalem, ibi osteodit educi de potentia seminis, & solam rationalem extrinsecus venire; qoia spiritualis est, & inorganica.

Sola rationalis de foris venit.

Obiicitor tertiò, 2. *Physic. text.* 26. *Sol & homo generant hominem.* Respondetur, de homine iam dixi; de Sole eatenus generat, quatenus congruis qualitatibos fouet semen, atque disponit ad formam vltimam. de qoo Aristoteles *loco cit. de Gen. animal.*

Quomodo Sol generat hominem?

Obiicitur quartò, qoia seqoitur animas omnes creari. Negatur, quia præter rationalem omnes educuntor ex potentia materiæ; alioquin dicendum esset Deum oihil posse generare, quod falsum est; quia potest admittere, vel non admittere coocursum materiæ, qoaliscumque ille sit.

Sectio XVI.

Vtrùm anima sit composita, ex materia, & forma?

1. Dixi de hac re satis fusè ad *quæst.* 15. vbi tenui com Doctore, & aliis, non esse improbabile, talem compositiooem in anima admittere. Et prætetquam, quòd id habeat Doctor expresè *dist. quæst.* 5. insinuat idem *Quodlib.* 9. *art.* 2. §. 3. *intellectus*, ibi, *proximum receptiuum* (*intellectionis*) non includit materiam *saltem corporalem*. Quibus verbis iodirectè insinuat animam habere materiam, non corporalem, quia asserens receptiuum intellectionis nostræ, id est, animam, carere materiâ saltem corporeâ, incorpoream habere in-

nuit, ioxta regulam; quod de vno negator, de altero affirmatur, *cap. nonne, de præsumpt.*

Sectio XVII.

Vtrùm anima immediatè informans materiam?

Hæc qoæstio ab aliis fusè traditur, sed nos ab eios tractatione abstinebimus; quia suprà *sect.* 4. latè ostendimus formam corporeitatis præcedere, & sequi animam; obiter tamen resoluimus hoc quoad formam sobstantialem, vt sic, an immediatè afficiat materiam. 2.

Dico primò, qualitates corrupti non maoent in genito. Est contra multos, quos citat Suarez *in Metaph. d.* 14. *sect.* 3. sed eam tenet Scot. 4. *d.* 12. *q.* 3. *n.* 21. 25. 26. vbi benè docet qualitatem corrumpentis, nunquam producere qualitatem incompossibilem formæ corrumpeodæ: sed quando venitur ad vltimū gradum quantitatis compossibilis cum ea, tuoc geoerans iotroducendo suam formam, corrumpit aliam, cuius corruptione perit qualitas eam sequens, quæ eousque mansit in gradu necessario ad conseruatiooem illius formæ. Vnde, vt ibi habet Doctor *num.* 9. si calor ignis separaretur ab eo, & guttola aquæ in medio eius collocaretur; nunquam introduceret calorem incompossibilem formæ illius guttolæ, neque expelleret ab ea gradus humiditatis, & frigiditatis ad eius *conseruari* requisitos; quia sicut accidentia noo possunt prodocere substantiam, vt ibi solidè ostendit Doctor, ita neque corrumpere: corrumperent autem si qualitates ei incompossibiles in eam ioducerent. Vide eum 2. *d.* 3. *quæst.* 4. Eandem sententiam tenet D. Thom. *de Formis q.* 7. *&* 4. *d.* 11. *q.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. *& lib.* 1. *de Gen. cap.* 4. *lect.* 9. & eius discipuli communiter cum eo docent in generatiooe fieri resolutiooem vsque ad materiam primam.

Qualitas incompossibilis formæ corrumpenda à quo producitur?

3. Probatur primò, ex Aristotele 1. *de Gen. c.* 4. vbi docet, quòd generatio est mutatio huius totius in hoc totum, nullo sensibili manente; si autem permanerent eadem accideotia, id oon esset verum; quia hæc sola sunt sensibilia per se. Item, 5. *Physic. text.* 18. *quod mouetur est, quod generatur non est.* de quibus locis vide Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. per *esse* intelligit Philosophus *esse* compositi, seu formale; & hoc denegat subiecto generationis, coocedens illud subiecto mutationis, non autem *esse* entitatiuum; quia hoc competit materiæ, vt ibi conuincit Scotus.

Generatio quid?

Secundò materia prima oon est subiectum accidentium, vt docet D. Thom. *de ente, cap.* 7. *&* 1. *par. quæst.* 76. *art.* 6. *& quæst.* 77. *art.* 6. tum quia totum per accidens supponit totum per se; tum etiam, quia secundùm Aristotelem *cap. de Subst.* prima substantia, primò substat accidentibus, & eâ corruptâ, nihil remanet. Tum tertiò, quia materia priùs respicit actum sui generis, quàm alterius; & alioqoin substantia non esset prior accidente, contra Aristotelem 7 *Metaph. text.* 4. ergo compositum substantiale est subiectum accidentium; & per consequens, eo corrupto, illa corrumpuntur: quia non migrant de subiecto in subiectum; quia, vt ait Aristoteles *cap. de Substantia*, & 5. *Metaph. text.* 15. *destructis primis substantiis impossibile est aliquid remanere.* Sed de hoc ex professo agitor 1. *de Gen. cap.* 4.

Materia prima non est subiectum accidentium.

Obiicitur primò, sequitur quòd ignis destruet- 4.

eiuſdem generis cum eo. Aliomodo, accipitur potentia, vt ponitur actui, & ſic non tantùm ſunt eiuſdem generis, ſed etiam eiuſdem numeri, vt dicitur 9. *Metaph.text.* 13. quia quod oune eſt in actu, idipſum fuit in potentia.

Effectus formalis inſeparabilis à forma in ſubiecto, effectiuus ſic.

7\. Obiicitur ſecundò, ex eodem, ſi anima immediatè ageret: ergo homo ſemper intelligeret, ſicut neceſſariò ſemper viuit, dum habet animam. Negatur conſequentia, quia cauſa efficiens poteſt carere ſuo actu; formalis non, ſi applicetur; vnde, quia viuere eſt effectus formalis animæ, nun poteſt eo carere, ſi informat; benè tamen operatione, quam efficit. Et ſi argumentum valet, probat, quòd intellectus, dato quòd ſit re diſtinctus ab anima, ſit ſemper in operatione, & quod ad hoc eeſponderet D. Thomas, ſuo argumento ſatisfaciet. Reſpondet Caietan. 1. *par. quæſt.* 77. *art.* 1. D. Thomam ſumere potentiam pro ea quæ eſſentialiter ordinatur ad actum. Contrà, quia ſi non ſumit pro potentia effectiua, argumentum nullo modo eſt ad propoſitum: ſi ſic ſumit, impugnatio eſt efficaciſſima. Reſpondet Iauell. 2. *de Anima*, *quæſt* 12. quando D. Thom. dicit potentiam, & actum eſſe eiuſdem generis, eum loqui de potentia pro peimo principio actiuo, vel paſſiuo; & anima primò producit *eſſe* ſubſtantiale, conſtituendo animatum, vt ſic actus eſt eioſdem generis: ſecundariò autem producit potentias, quæ ſunt accidentia, & non eiuſdem generis.

Potentia, & actus ſunt eiuſdem generis, explicatur.

8\. Contra primò, anima in ſubiecto nullam ſubſtantiam efficit, niſi nutrieodo alitum, vel augendo, & hoc per potentiam vegatatiuam, quæ non diſtinguitur ab ipſa. Secundò, implicatio eſt, animam priùs producere *eſſe* ſubſtantiale, quàm habeat potentias. Tertiò, dat anima *eſſe* animatuo non per productionem, ſed per infurmationem, alioquin poſſet eſſe in materia per informationem, & non animare illam, quod abſurdum eſt. Dicendum ergo, quòd dat *eſſe* viuum in re per potentiam vegetandi, & eſſe animal per ſenſitiuam, & eſſe rationale per intellectiuam.

Idem agit in ſe.

Obiicitur tertiò, idem non mouet ſeipſum; quia inter agens, & patiens debet eſſe diſtinctio, ſed potentia cognitiua mouet appetitum: ergo nnn ſunt idem. Reſpondetur, non eſſe idem formaliter, & hoc ſufficit, vt ſecundùm vnam rationem animam moueat, & ſecundùm aliam moueatur. Vide Scot. 2 *d.* 2 *quæſt.* 10 *ad* 1. vbi docet Angelum ſe mouere, *& diſt.* 3. *quæſt.* 8. vbi oſtendit Angelum cognoſcere ſe per ſuam eſſentiam, *& d.* 25. *ad* 2. vbi docet voluntatem agere in ſe, *&* 1. *d.* 3. *quæſt.* 7. *num.* 17. quòd intellectus agit in ſe, quia hoc benè conuenit agenti æquiuoco, etſi non vniuoco; neque hæc negabunt aduerſarij.

Obiicitur quartò, accidens variabile non poteſt ineſſe, niſi mediante inuariabili; ſed intelligere, & velle ſunt accidentia variabilia; ergo. Reſpondetur, ſubſtantiam animæ eſſe magis inuariabilem, quàm vllum accidens; & ſic ſuſtentare poſſe immediatè accidentia illa.

Vnũ, & idem poteſt eſſe principium actiuum, & receptiuum variarum formarum.

9\. Obiicitur quintò, vnum & idem indiſtinctum non poteſt eſſe principium receptiuum, vel actiuum multarum formarum, niſi mediis variis diſpoſitionibus, alioquin quodlibet in quolibet recipi poſſet, contra Philoſ. 1. *Phyſic. text.* 37. 42. Reſpondetur, etiam ſecundùm eos, anima eſt immediatum ſuſceptiuum, & actiuum potentiarum; & nos ſic dicimus eſſe operatiuum. Quod dicitur, materiam non poſſe recipere varias formas, niſi variis diſpoſitionibus mediis: verum eſt de formis ſubſtantialibus, quæ non introducuntur ſine præuia actione ſuorum accidentium in accidentia corrumpendi; ſed non ita dè formis accidentalibus, per ſe loquendo, alioquin daretur proceſſus. Vide Scotum ſupra *ad* 3. *num.* 8.

Obiicitur ſextò, ex Suarez cit. habitus perficientes animam, ſunt inter ſe diſtincti: ergo & eorum ſubiecta. Confirmatur, actus intellectus & voluntatis, vt fidei & charitatis, & earum habitus, ſunt diſtincti: ergo conſonum fidei eſt, eorum ſubiecta eſſe diſtincta. Reſpondetur. Conſequentia eſt nulla; & ſi valeret, illæ potentiæ, quas ipſi ponunt accidentia, deberent habere ſubiecta diſtincta. Per idem ad confirmationem, & ſi valeret, ſpes, & charitas haberent voluntates re diſtinctas, quibus ſubiectarentur; & lumen gloriæ, ſcientia, fides, opinio, haberent quatuor intellectus re diſtinctos, quos perficerent.

Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. exponitur

10\. Obiicitur ſeptimò, ex eodem. Luc 10. *Dilige Deum tuum ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*: vbi per vires intelligit potentias, quas ponit diſtinctas ab anima. Item, ex illo Pſalm. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt*. Reſpondetur, eſſe ad oppoſitum, quia ipſe negat animam, vt diſtinctam à potentiis diligere poſſe, quod tamen hîc dicitur. Sed primo loco intenditur, Deum diligendum eſſe ſuper omnia, neque id fieri poteſt per diuerſas vires, ſed per vnam: iubetur autem totis viribus diligi illius poteſtatis, vt ſignificetur Deum ſuper omnia diligendum, ſiue intenſiuè, ſiue appretiatiuè, de quo non eſt huius loci agere. Vide Scot. 3. *d.* 27 & D. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 3. *&* 4. Lyran. *in id. Deut.* 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Per cor intelligit voluntatẽ, per animam intellectum, per fortitudinem externa opera; & eodem modo exponi poteſt locus iſte. Gloſſa ordinaria ait, amoris ſciſſionem, vel diuiſionem, ibi prohiberi.

Obiicitur octauò, ex Conimbric. *ſuprà*, quia *Philoſ. lib. de Senſ. cap.* 2. ait ignem, terram, cæteráque elementa non eſſe apta agere, niſi vt habent contrarietatem, vt calorem, frigus, &c. Reſpondetur, nihil tale eſſe in toto illo capite, & ſi alicubi habetur, ſenſus eſt, iſta elementa (& idem eſt de aliis) non producere ſubſtantiam, niſi præuiâ actione accidentali.

Grauitas an diſtinguatur à grauit[ate]

11\. Obiicitur nonò, ex eiſdem, grauitas, & leuitas ſunt potentiæ diſtinctæ à ſubiectis: ergo idem de potentiis animæ. Reſpondetur; antecedens verum eſſe de ſeparabili leuitate, & grauitate, non autem de inſeparabili. Ratio eſt, quia neganda eſt diſtinctio realis, vbi impoſſibilis inſeparabilitas in abſolutis (maximè ſi vnum non includit alterum eſſentialiter, ſicut totum partes,) & entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate.

Obiicitur vltimò, potentiæ ſunt in ſecunda ſpecie Qualitatis: ergo non ſont animæ ſubſtantia. Reſpondetur, Ariſtotelem *cap. de Qualitate*, non dicere omnem potentiam naturalem eſſe qualitatem, ſed potentiam facilè faciendi, vel patiendi; & ſic de accidentalibus potentiis tantùm loquitur. Ita Scotus 2. *d.* 16 *fine*, vbi id probat exemplis Philoſophi, de pugillatore, & curſore. Hæc ſunt præcipua, quæ contra Scotũ in hac ſententia adducuntur, alia minoris momẽti omitto.

12\. Quòd verò noſtra ſententia ſit Ariſtotelis patet; quia 2. *de Anima, text.* 13. diuidit gradus animæ in quatuor ſpecies, vegetandi, ſentiendi, intelligendi, loco mouendi. & *ibid. text.* 19. ait eſſe partes animæ, & *text.* 27. vocat illos gradus, potentias.

tentias. Quòd autem sit Augustini *lib. de Spir. & An. som. 3. c. 4.* patet ex his verbis: *Dicitur namque sensus imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quàm ipsa.* mox, *secundum essentiam verò, vnum sunt in anima, & idem cum ipsa.* & *cap. 13. Dicitur namque talis anima, dum vegetat, spiritus, dum contemplatur, sensus, dum sentit, animus, dum sapit, ista tamen non differunt in substantia, quoniam omnia ista vna anima est.* Iterum, loquens de potentiis: *habet (anima) naturalia, & ipsa anima est, potentia namque, & vires eius, idem sunt, quod ipsa habet, & accidentalia, & ipsa non est, non enim est sua temperantia.*

Potentiæ secundùm Philos. non distinguntur ab anima, vel inter se.

Expressissimè pro nobis est August.

SECTIO XIX.

Vtrùm potentiæ distinguuntur per actus, vel obiecta?

1. PRo explicatione, Nota quòd potentia est duplex, actiua, & passiua; illa est ad agendum; & hoc, vel immanenter agendo in se, vt quando intellectus in se producit intellectionem; vel transeunter, producendo terminum in alio, vt quando calor lignum calefacit. Vtraque agit circa aliud, sed differenter; quia prima respicit aliud vt obiectum, quod cognoscit, vel amat, neque semper respicit aliud a se distinctum. Seconda respicit vt subiectum. Item, hæc operatur suum obiectum, quod non est aliud à suo effectu; illa non, sed supponit illud. Vide Scot. *1. d. 2. quæst. 7. art. 3. & Quodl. 13. art. 3.* Passiua potentia est, quæ ad recipiendum ordinatur, & aliquando recipit formam Physicam per alterationem, & cum resistentia; & tunc correspondet actiuæ transeunti, vt in exemplo: aliquando solam formam perfectiuam, non exigentem dispositionem præuiam; vt cùm recipitur species in sensu, vel intellectu; & hæc est admixta actiuæ immanenti, quia, verbi gratiâ, potentia mediante tali formâ, elicit in se actum. Quæstio intelligitur de vtraque potentia.

Potentia immanens, & transiens, quomodo differunt?

Potentia passiua duplex.

D. Thom. *1. par. quæst. 77. art. 3.* Caiet. *ib.* Ferrar. *4. contra Gent. cap. 24.* & alij tenent potentias distingui intrinsecè, & essentialiter, per actus, vel ordinem ad eos; quos sequitur Suarez *2. de Anima, c. 2.* Pro resolutione

Nota ex Scoto *Quodl. 13. art. 3. fin.* quòd potentiam distingui per actus, vel obiecta, vel actus per obiecta, potest dupliciter intelligi; primò, essentialiter, intrinsecè, & à priori; secundò, à posteriori, seu extrinsecè.

2. Dicendum, potentias intrinsecè non distingui per actus, & obiecta. Ita Scot. *cit. & 1. d. 6. num. 34. & 2. d. 16. ad 2.* Probatur primò, ex dictis *sect. præced.* quia probatum est potentias esse idem animæ: ergo non constituuntur, vel distinguuntur per aliquid ipsis extrinsecum, sicut nec anima. Secundò, potentia est prior actu; ergo ab eo non distinguitur: nec constituitur in suo *esse*. Et eadem ratio potest esse de obiecto; quia quandoque non existit, potentiâ existente; & si existit, per accidens est, licèt quoad aliquos actus potentiæ cognitiuæ requiratur eius existentia, scilicet quoad intentionem. Tertiò, ex Scot. *2. d. 1. quæst. 6.* vbi contra D. Thomam tenentem Angelum, & animam distingui specie; quia hæc cum discursu, illa sine discursu intelligit; ostendit quòd ambo priùs constituantur, & distinguantur in se, quàm in ordine ad actum secundum. Et ratio est, quia omne ens, quod est principium alicuius operationis, ideò est tale principium, quia est in se tale ens in se. Vnde si quæras primam distinctionem Solis à planta, non est quia Sol generat multa, & diuersa mixta, planta non; sed quia Sol in se habet talem formam, à qua tam variæ generationes proueniunt: alioquin potentiæ essent relationes, quia tales tantùm definiuntur per habitudinem ad aliud. Caietanus dicit ista extrinseca includi in definitione potentiæ; sicut correlatiuum in definitione relatiui; quod tamen contra ipsos est, quia dicunt esse qualitates de secunda specie.

Potentia non distinguitur per actus, vel obiecta.

Prima distinctio absoluti non est per respectū.

Respondet Caietanus, quòd absolutum à termino, & propriè absolutum, vt substantia, qualitas, &c. Absolutum verò ab actu, ac obiecto, est quod non respicit ista; & relatiuum huic oppositum non est de genere Relationis. Sic saluat etiam respectum constituentem animam intellectiuam, & indiuiduantem accidentia. 3.

Contrà primò, quia hæc distinctio est efficta. Secundò, non sunt ista relatiua secundùm *dici*, quia etiam partes substantiæ sunt huiusmodi: ergo secundùm *esse*; quia eorum *esse* est ad aliud se habere, quia eorum definitio includit illa extrinseca; nam secundùm Caietanum in definitione includitur habitudo ad obiectum, & huius habitudinis terminus est obiectum; quia omnis habitudo habet terminum, & absolutum sibi sufficiens, & in se manens, nullum habet terminum; ergo nec habitudinem. Eædem rationes procedunt contra Suarez dicentem ordinem ad obiecta esse potentiis intrinsecum.

Fista distinctio absoluti à termino, & absoluti ab obiecto.

Obiicitur primò, *2. de An. text. 33.* dicitur, quòd potentiæ distinguuntur per actus, & hi per obiecta. Respondetur cum Scot. *loc. cit. maximè Quodl. 13.* loqui Aristotelem de distinctione à posteriori, seu per manifestationem, non autem de distinctione à priori, seu intrinseca. Vel loquitur de distinctione per principia extrinseca, quæ sunt finis & efficiens, quia actus sunt finis potentiæ, & obiecta concausæ necessariò requisitæ, vt simul cum potentiis eliciant actum effectiuè.

Potentia distinguuntur per obiecta, exponitur.

Dices, absoluta non distinguuntur per extrinseca, sed per intrinseca. Respondetur, non distinguuntur per extrinseca tanquam per formalia distinctiua, sed per intrinseca; neque distinguuntur per extrinseca, tanquam per correlatiua, vel terminum relationis, sed sensu explicato, manifestatiuè. 4.

Obiicitur secundò, ex Caietan. *d. art. 3.* quia distinctio à fine est à priori, quia à causa: ergo malè negatur, quod admittitur. Respondetur finē non esse causam realem, sed metaphoricam; & ideò à priori non distinguit, quia realiter non dat *esse*, sed tantùm mouet agens, vt det illud; tantùm ergo distinguit in ratione posterioris, & termini.

Finis non distinguitur à priori, quia non est causa realis.

Obiicitur tertiò, actus diuersi sunt ab eadem potentia, vt amor, & odium à voluntate, visio & creditio ab intellectu; & in diuersa obiecta tendit eadem potentia, vt intellectus in sensibile, & intelligibile; & idem obiectum à diuersis potentiis cognoscitur, vt visibile à visu, sensu communi, & intellectu: ergo neque à posteriori potentiæ distinguuntur per actus, vel obiecta. Respondetur ex Scot. *1. dist. 6. num. 4.* potentias distingui per actus adæquatos, sic intellectus per *intelligere*, non per hoc, vel illud *intelligere*, voluntas per *velle* vt sic, sensus per *sentire*, &c. Quando enim constat aliquem videntem non percipere sonum, patet aliam esse potentiam;

Potentia distinguuntur per actus adæquatos.

Dico primò, anima tam diuisibilis, quàm indiuisibilis informat omnes partes consistentes corporis. Est communis D. Thom. 1. *contr. Gent. cap.* 72. *& quæst. de Anima, art.* 10. Scoti 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *num.* 8. (vbi tantùm de rationali agit) Aristotelis 2. *de Anima*, *text.* 10. Probatur primò, quia omnes istæ viuunt, vegetantur enim, & sentiunt; nec potest aliquid viuere nisi animâ informante. Secundò, in qualibet parte sunt potentiæ, & operationes animæ: ergo & ipsa. Antecedens patet experientiâ. Consequentia patet, quia potentia & operationes, non separantur à suis principiis. Tertiò, anima est actus primus dans esse toti corpori; ex eius definitione 2. *de Anima, cap* 1. ergo informat singulas eius partes. Hinc sequitur animam substantiam, esse in qualibet parte, quia non informat nisi id in quo est.

3. Dico secundò, anima diuisibilis, vt est totum integrale, non est in qualibet parte corporis. Ratio est, quia coextenditur per quantitatem materiæ, & sic partes eius coextenduntur partibus materiæ: quænam autem animæ sint diuisibiles, dictum est sectione præcedenti.

Anima diuisibilis non est tota in qualibet parte.

Dico tertiò, anima vt totum potentiale, siue sit diuisibilis, siue non, non est in singulis partibus: excipio intellectum, & voluntatem. Ratio, quia vires organicæ præter paucas, vt sunt nutritiua, & tactiua, sunt subiectis distinctæ: anima ergo est secundùm visum in oculis, auditum in auribus, &c.

Anima vt totum potentiale non est in singulis partibus.

Dico quartò, anima rationalis, vt totum essentiale, est positiuè in qualibet parte, atque etiam vt totum integrale negatiuè. Ratio primæ partis, quia cùm quamlibet partem informet, ex prima conclusione, in qualibet habet totam suam essentiam. Ratio secundæ partis, quia nullam partem habet integrantem extra quamcumque partem, quam informat; & sic totaliter integraliter negatiuè est in qualibet parte.

Rationalis anima est in qualibet parte.

Dico quintò, anima non animat sanguinem, nec reliquos humores. Ita Galen. 1. *de Elem. & lib.* 4. *de Vsu partium.* D. Thom. 1. *p. quæst. vlt. art.* 1. *ad* 3. Alens. 1. *p. q.* 29. Scotus 3. *d.* 3. *q.* 1. *&* 4. *d.* 10. *q.* 4. *n.* 3. *& in Report.* 1. *d.* 33. Durand. *d.* 10. *q.* 1. Capreol. *d.* 44. vbi Scotus *art.* 3. Suar. 2. *de Anima, c.* 3. colligitur ex Aristot. 1. *de Part.* c. 3. *& lib.* 3. *c.* 5. vbi vocat sanguinem materiam corporis, & potentiam membra, compararque aquæ. Secundò, sanguis est alimentum corporis: ergo non adhuc transmutatum in ipsum. Tertiò, ex eo fit lac, & semen, & ista non sunt animata: ergo. Quartò, nulla operatio vitæ, est in sanguine, vel aliis humoribus; quia non sentiunt, neque continuantur cum parte sentiente, quia ex Aristotele 3. *de Hist. c.* 19. sanguis est in venis, sicut in vase: (& idem de aliis) neque nutriuntur, sed per additionē, sicut aqua, augentur. Quintò, absurdum est, quòd animal suis partibus nutriretur. Confirmatur, si sanguis animatus nutrit, ergo amittit formam substantialem, alioquin enutritio esset alteratio: consequēs est falsū, quia manente formâ substantiali vltimâ, non perit prçuia; neque ipsam vltimâ amittere potest, si eam habet.

Anima non informat humores.

4. Aduertendum tamen, sanguinem esse necessarium ad organizationem, & integritatem corporis humani, & non tantùm deseruire vt alimentum; quia etiam in Beatis erit. Item, fuisse vnitum hypostaticè Verbo ex *Ephesino Concilio*, *can.* 5. *Chalcedonen. act.* 1. *& V. Synod. act.* 6.

Sanguis non tantum est alimentum, sed etiam facit ad organizationem.

Obiicitur, & primò contra vltimam conclusionem, cuius oppositum tenet Caiet. 3. *p. q.* 5. *art.* 1. *&* 1. *p. q.* 119. *art.* 1. Conrad. 1. 2. *q.* 54. quos sequitur P. Hurtad. *disp.* 1. *de Anima, sect.* 6. *n.* 33. sanguis, & alij humores sunt partes, & spectant ad integritatem naturæ animalis: ergo animantur, & se habent ad illud, sicut quatuor elementa ad vniuersa. Respondetur, non esse partes essentiales, nec integrales, sed requisitas ad conseruationem vitæ, quas non est necesse informari animâ.

Obiicitur secundò, sanguis versùs omnem partē se mouet, pudore ad extra, timore ad intra currit; lætitia spargitur, ira feruescit: sed mouere ad omnem partem prouenit ab anima informante. Respondetur, à se non moueri; quia tale sensitiuum est, ex Aristotele 3. *Hist. c.* 19. *&* 2. *de Part. c.* 10. locis; motiuum enim ab intrinseco est inferius ad sensitiuum, vt dictum est *sect.* 5. *con.* 3. mouetur ergo ab anima, sicut & cibus ab eadem deiicitur in stomachum, & inde aliquando euomitur.

Sanguis à se non mouetur.

Obiicitur tertiò, Verbū assumpsit sanguinem; ergo est animatus, vel assumptæ sunt duæ naturæ, vna animata, altera inanimata. Respondetur, etsi sanguis in sua specie completus sit, esse tamen aliquid spectans ad naturam humanam; ideò vnam tantùm naturam assumpsit Verbum. 5.

Verbum assumpsit sanguinem. Sanguis quo sensu animatus?

Obiicitur quartò, contra eandem 2. *de Part. c.* 42. dicitur sanguinem esse partem animalis, & 3. *Hist.* 19. animari dicitur, dum animal viuit.

Respondetur, primo loco latè sumit partem: secundo loco dic quòd 2. *de Part. c.* 7. *& sect.* 17. *problem. q.* 10. vocat calorē, quasi animantē & eo sensu vult sanguinem animari; vel vult quòd in *fieri* est animatus, quia conuertitur in carnem animandā.

Obiicitur quintò, contra conclusionem primā & quartam, in capite excubant omnes sensus, & continet totius corporis regimen, eiúsque læso cerebro, perditur ratiocinandi potestas; ergo ibi est anima. Respondetur, probat tertiam conclusionem, nihil aliud. Quòd verò læso cerebro impediatur ratiocinatio, id contingit, quia pro hoc statu non possumus intelligere sine cooperatione phantasiæ, quâ turbatâ, turbatur intellectus.

Turbato cerebro, turbatur intellectus, & quare?

Obiicitur sextò, contra easdem, quia cor est fons à quo omnis vitæ actio administratur, & calor per omnes partes diffunditur; ergo in eo tantùm est anima: pro quo facit locus adductus per Hieronymum suprà. Respondetur, ibi esse vt in fonte caloris, & spirituum: & iuxta hoc intellige Aristotelem *lib. de Iuuent. cap* 2. *&* 3. *de Part. cap.* 4. dum ait: *principium sensus esse in corde.* 6.

Quo sensu anima est in corde?

Obiicitur septimò contra conclusionem quartā; quia si anima esset tota, in qualibet parte: ergo quiescente manu, & pede moto, tota simul moueretur, & quiesceret. Cōfirmatur, quādo aliquid est totum in alio, nihil illius est extra illud. Respōdet Caiet. 1. *p. q.* 76. *n.* 8. animam, motâ parte non moueri, etiā per accidens; quia spirituale nullo modo mouetur, nisi moto eo in quo est diffinitiuè, & nō est sic in parte. Idem ait D. Thom. 1. *d.* 37. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. Contrà, motâ manu, etiamsi reliquum corpus quiescat, anima perdit vnam præsentiam, & acquirit aliam, éstque verè, & realiter indistans alicui per hunc motum, cui antea fuit distans; ergo. Præterea, si Angelus poneretur in duobus locis, vtrobique moueri posset per accidens: verbi gratiâ, in corpore assumpto, & tamen in neutro esset diffinitiuè. Confirmatur, corpus positum in duobus locis posset in vno moueri, licèt quiesceret in altero; ergo idem de spiritu.

Anima simul mouetur tota in vna parte, & quiescit in alia.

Confirmatur secundò, corpus Christi modo spirituali est in hostia, & per accidens mouetur in vna, licèt non moueretur in altera. de quo vide Scotum 4 *d.* 10. *quæst.* 6. 7.

Responde

Respondetur, ergo non esse inconueniens animam in vna parte moueri, & in altera quiescere; neque hic timenda est contradictio, quia non sunt secundùm idem; & exemplum est de facto in Eucharistia, in qua corpus Christi mouetur, licèt in cœlo quiescat. Hanc solutionem tenet D. Thom. *quæst. vn. de spiritualibus, art. 4. ad 7. & 9. de Anima, art. 10. ad 12. Ægid. 1. d. 8. 2. par. dist. princip.* estque conformis Scoto 4. *d. 10. quæst. 2. ad 4.* vbi sic respondet ad simile argumentum de corpore replicato, quòd simul moueretur, & quiesceret.

Quare pars animalis imperfecti, non autem perfecti, abscissa viuat?

Obiicitur octauò contra eandem, si anima esset in qualibet parte tota, abscissâ illâ parte, viueret, quia anima non perit, nisi prauis dispositionibus. Respondetur, ab adæquato materiali non separatur, nisi prauis dispositionibus, secus est de partibus, quæ non sunt principales. Contrà, quia partes imperfectorum abscissæ viuunt; ergo, &c. Respondetur, hoc ideò est, quia membrum præcipuum est humor aqueus homogeneus, per animal, vel plantam diffusus.

Obiicitur vltimò, quia sequitur quamlibet partem hominis, esse animal, & manum intelligere, quia habet intellectum. Respondetur, ad rationem animalis requiri corpus totum organicum: per idem ad illud de manu, etsi in ea sit intellectus, tamen solùm denominat totum: sic, manus hypostaticè vnita est Verbo, tamen Verbum non est manus, sed homo.

SECTIO X.

Vtrùm animæ rationales sint perfectione pares?

1. NEgant Ioan. Maior 2. *dist. 32. quæst. 2. con. 6.* Richard. *quæst. 1. circa 4. principale.* Albert. *ibid. art. 6.* Ægid. *quæst. 5.* Caietan. *1. part. quæst. 85. art. 7.* dicens cæcos esse qui in hoc dubitant de mente D. Thomæ. Abul. *in cap. 14. Matth. quæst. 656.* articulus Parisiens. habetur inter præmissos editioni Magistri.

Affirmant Dur. 2. *dist. 32.* Argent. *ibid. quæst. 1. art. 2.* Soncin. 8. *Metaph. quæst. 26.* Sotus *cap. de Substantia, quæst. 2.* Tolet. 3. *de Anima, quæst. 17.* Quid circa hoc teneat Scotus, expressè traditum non reperio. Solùm ait 3. *d. 15. num. 18.* animam Christi fuisse omnium perfectissimam, atque explicat de qua perfectione loquatur.

Suppono certum esse quasdam animas rationales esse aliis perfectiores accidentaliter: constat enim alios esse aliis ingeniosiores, & perspicaciores, quod prouenire potest ex meliori dispositione organorum. Vnde refert Plin. *lib. 35. cap. 5.* Carneadem se helleboro albo purgasse, vt subtiliùs posset Stoicorum dogmata impugnare: quæstio ergo est de æqualitate substantiali.

2. Dico primò, probabilius videtur animas rationales æquales esse in substantiali perfectione; ita authores secundæ sententiæ. Probatur primò, ex Aristotele 3. *Metaph. text. 11.* vbi dicit, quòd in genere est prius, & posterius, non in specie, & 7. *Physic. cap. 4. text. 13. & 10. Metaph. cap. 13. text. 26.* ait in genere esse analogiam; quia perfectius est in vna specie, quàm in aliis. Item, ex eodem, substantia non suscipit magis, & minus, *cap. de Substantia.* Secundò, ratione, quia in aliis formis substantialibus, non datur substantialis inæqualitas. Tertiò, si ex perfectiori operatione inferretur perfectio maior substantialis, animæ simpliciùm deuotorum forent in gloria substantialiter perfectiores, iis quibus in via fuerunt imperfectiores. Quartò vna forma ignis non est substantialiter perfectior aliâ eiusdem speciei. Quintò, non est ponenda substantialis inæqualitas sine necessitate; sed hic nulla est, quia quicumque excessus reperitur quoad operationes animæ inter diuersos homines, reperitur etiam in eodem homine, secundùm diuersa tempora; & certum est, quòd anima eiusdem hominis non est nunc perfectior, nunc imperfectior seipsâ substantialiter. Minor patet, quia contingit eundem hominem, nunc esse rudem, nunc ingeniosum, & subtilem, ex morbo, vel diuersa affectione organorum.

Animæ rationales omnes substantialiter æquales.

Obiicitur primò ex Aristotele 1. *de Gen. animal. cap. 3.* vbi ait, *sicut anima est perfecta magis, vel minùs, ita corpus præparat.* Respondetur, loqui de diuersis specie animabus; vel si de eisdem specie, intelligi debet de maiori perfectione accidentali; sed prima solutio melior videtur.

3. Obiicitur secundò, sicut genera contrahuntur per differentias specificas inæquales, ita species per numericas. Negatur similitudo, quia vltima contractio debet esse, quantum fieri potest, minimè diuersa, quod fiet si differentiæ fuerint æquales, quandoquidem idem esse nequeant. Ratio est, quia quanto natura communis ad ima descendit, tanto per minùs diuersa contrahitur.

Differentiæ individuales, an æquales?

Obiicitur tertiò, sequeretur quòd duæ animæ separatæ nihil haberent, quo distinguerentur, quia per omnia essent similes. Respondetur, suis hæcceitatibus distinguuntur, & non per respectus ad corpora diuersa, vt benè probat Doctor suprà *quæst. 17.*

An anima Christi fuit perfectior anima Iudæ?

Obiicitur quartò, absurdum est dicere animam Christi non fuisse perfectiorem animâ Iudæ. Respondetur fuisse accidentaliter, & donis gratiæ, non substantialiter, quia repugnat. Ad articulum Parisien. oportet eum negare.

Animas rationales esse inæquales in perfectione substantiali, probabile.

Dico secundò, satis probabile est animas rationales esse substantialiter inæquales. Pro hac facit dictus articulus, & secunda ratio allata vrget, cui non adeò plenè satisfit. Item, quia inæqualitas magis ornat vniuersum. De mente Doctoris, vt dixi, nihil mihi constat, tantùm ait animam Christi esse perfectissimam, quod potest pro hac, vel illa sententia intelligi: si enim de substantiali perfectione intelligatur, pro secunda sententia est; si de accidentali, pro prima. Antonius Andreas 11. *Metaph. quæst. vn.* inæquales esse animas docet, & probat quatuor argumentis, quæ facilè soluuntur. Loca Philos. 6. *Physic. text. 2. & 32.* vrget, vbi ait, quod mouetur partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: & Commentator ait, locum habere in quatuor generibus; & per consequens in substantia, sed non potest sic esse, nisi sint gradus in forma. Respondetur, tantùm loquitur de motione. Vide Scot. 2. *d. 2. quæst. 9. ad 3. princ.*

SECTIO XI.

Vtrùm anima rationalis sit immortalis ab intrinseco?

VAriæ fuerunt Philosophorum circa hoc sententiæ. Plato constanter asseruit animæ 1.

immortalitatem, & post mortem, pœnam. Ita in Timæo, Phædone, Philebo, & libris de Republica. Refert August. 1. *de Ciuitat.* 22. Cleombrotum, lecto Platonis Phædone, præcipitem de muro se dedisse, & sic transiisse ad illam vitam, quam putauit meliorem. Plinius mortalem posuit 7. *Histor. cap.* 55. Galenus dubius, quia *lib. quòd animi mores sequuntur temperaturam corporis*, impugnat dictam Platonis sententiam: & *lib. de Tremore, & Rigore*, oppositum tenet: sed & dubius fuit de ipsa animæ natura, de quo suprà *sect.* 1. *&* 2. Arabici, teste August. *Hæres.* 83. tenuerunt animam simul cum corpore extingui, sed in fine sæculi reproduci. Euseb. 6. *Histor. cap.* 37. ait authores huius erroris ab Origene in magno Concilio, hac de causa congregato, fuisse conuictos. Alij dixerunt pro aliquo tempore post separationem perseueraturam, vt refert

Errores de animæ immortalitate.

Euseb. *lib.* 15. *de Præparat. cap.* 19. quem errorem tribuit Zenoni. Isidor. *lib.* 1. *de Doctrinis, & Dogmat. fide, cap.* 15. Epicurus absolutè animam mortalem asseruit, teste Plutarch. *lib.* 4. *de Placitis, cap.* 7. & Tertullian. *lib. de Anima, cap.* 3. Luther. *art.* 17. *inter damnatos a Leone X. idem ait.*

Mortale dupliciter sumitur.

Notandum, immortale hîc sumi, non pro eo quod repugnat desinere; quo sensu soli Deo competit, iuxta id ad Timoth. 6. *Regi seculorum immortali*, &c. Sed pro eo quòd iuxta naturam suam non est capax desitionis, nisi Deus deneget conseruationem.

2\. *Anima non perit cũ corpore.*

Dico primò, de fide est animam non extingui cum corpore. Suadetur ex vet. Testamento, Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et ex apparitione animæ Samuelis 1. Reg. 28. & de Onia, & Ieremia 2. Mach. vlt. & ex Testam. nouo Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, & ex descensu Christi ad inferos vbi prædicauit 1. Pet. 3. & ex historia Lazari, & epulonis. Lucæ 16.

Anima humana nunquam desinet.

Dico secundò, nullo tempore desinunt animæ humanæ. Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent.* Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam*, &c. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Eccles. 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi erit.* Gen. 37. *Descendam ad filium meum lugens, in infernum.*

Anima rationalis naturâ suâ immortalis est.

Dico tertiò, anima rationalis naturâ suâ immortalis est, sicut & Angeli. Faciunt loca allata, & definitur in *Concil. Lateranen. sub* Leone X. *sess.* 8. vbi damnantur ij, qui ausi sunt dicere, de natura animæ rationalis esse, quòd mortalis sit. & *Clement. vn. de summ. Trinit.* §. *porro.* Ita Patres apud Coccium 2. *par. lib.* 1. *art.* 2. Iren. *lib.* 5. *cap.* 7. *Hoc enim* (mori) *nec animæ euenit: flatus enim est vitæ, nec spiritui, incompositus est enim, & simplex spiritus.* Nazianz. lib. *de Anima, quòd est simplex, & immortale.* Nyssen. *Orat. Catech. cap.* 8. *Quomodo enim dissolui potest, quod non est compositum?* Cyprian. *de Cardinal. Christi oper. Serm. de Resurrect. Domini, Cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam.* Gregor. 4. *Dial. cap.* 45. *Naturæ sua vitam perdere non valet.* Probatur ratione, quia multi Philosophi hanc veritatem docuerunt, & non aliunde indagare potuerunt, quàm ex natura ipsius animæ. Ita Plato, Pythagoras, Empedocles, Stoici, vt habet Tertullian. *lib. de Anima, cap.* 1. Vide Eugubin. *lib* 9. *de Perenni Philosophia, cap.* 3. & Nicolaum Sabautinum *lib.* 1. *de immortalitate animæ, cap.* 11.

Obiicitur Ecclesiastes 3. *Vnus est interitus hominum, & iumentorum*, & mox: *æqua est vtrisque conditio.* Respondetur cum Hieronymo ibi, verum esse quoad conditionem corporis. Secundò, cum Scoto 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. loquitur ibi Salomon in persona stulti, non secundùm rei veritatem. de quo Gregor. 4. *Dial. cap.* 4.

2\. Obiicitur secundò, Sophron. in *VI. Syn. act.* 11. & approbatur *act.* 13. à Concilio, ait animam immortalem esse, non per naturam, sed per gratiam. Respondetur, loqui de gratia largiùs, & sic comprehendit beneficium creationis, & conseruationis.

3\. Obiicitur tertiò, anima naturâ suâ est forma corporis corruptibilis: ergo talis est ipsa; alioquin non esset proportio. Confirmatur, si tali corpori violenter vnitur, inconueniens est, & si naturaliter, erit violentata post separationem in perpetuum, secundùm naturalis rationis indicium. Respondetur, non repugnare formam incorruptibilem, conuenire subiecto corruptibili, sicut forma spiritualis conuenit subiecto corporali. Ad confirmationem, naturaliter vnitur, & aliqualiter violentatur, dum est separata; quia naturali appetitu appetit esse totius, & operationes, sensuum. Ex alia parte meliùs congruit ei separatio quoad operationes proprias, quas sine dependentia à phantasia operatur: & sic absolute non est ei violenta separatio, & quia vnita est corpori separabiliter, & satiatus eius appetitus vnicâ vnione. Vide Scotum 4. d. 43. à *quæst.* 2. §. de tertio de quo postea.

Sectio XII.

Quid Aristoteles senserit de animæ immortalitate?

Euseb. *lib.* 1. *de Præparat. Euangel. cap.* 9. 10. 11. refert Atticum, Plotinum, & Porphyrium dicentes Aristotelem in Platonis inuidiam docuisse animam esse mortalem. Quòd sic senserit, tenent Iustin. *in orat. ad Gentes, prope initium.* Gregor. Nyssen. *lib.* 2. *Philos. cap.* 4. 6. Nazianz. *contra Eunom.* Galen. *in Histor. Philosophorum* Caiet. 3. *de Anima, cap.* 2. *text.* 12. 1.

Quid Arist. de animæ immortalitate senserit

Suadetur ex eo, quia 1. *de Anima, & lib.* 3. *cap.* 5. *text.* 39. tenet eam sine phantasmate neminem posse intelligere; ergo indicauit animam non posse separari, quia nihil separata efficere posset. Item, cùm ponat mundum ab æterno, daretur infinitas animarum, si essent immortales, ipse tamen infinitum negat esse possibile 3. *Physicor. text.* 16. Item, 1. *de Cæl.* 12. ait omne factum esse corruptibile, & 12. *Metaph. cap.* 3. ponit animam sumpsisse initium. Item, immortalia non possunt incipere, nisi creatione, quam nesciuit Aristoteles, quia si sciret, poneret omnes animas ab æterno creatas, quia tenet Deum ex necessitate operari, & ex loco iam citato, ponit animam in tempore factam.

Communior sententia est Aristotelem agnouisse animæ immortalitatem. Ita ferè omnes eius interpretes, Theophrastus, Philop. Simplic. Comment. *circa text.* 12. *&* 13. *Proœmij de Anima, & lib.* 3. *text.* 30. D. Thom. *ibi, &* 12. *Metaph. lect.* 3. *&* 2. *contra Gent. cap* 79. Mirandula *lib.* 4. *de Exam. vanitatis, cap.* 9. Albert. *tract.* 1. *de Anima,* 20. Ægid. *lib.* 3. *de Anima, ad cap.* 4. Dur. 2. *d.* 18. *quæst.* 3. Eugubin. *de Perenni Philos.* à *cap.* 18. Suadetur, quia 1.

de

de Anima, vocat intellectum nostrum diuinum, interitus expertem, *& lib. 2. text. 11. & 21.* ait partes animæ esse separabiles; & iterum, intellectum esse genere distinctum à sensitiua, & vegetatiua, & perpetuum. Præterea, ponit intellectum immaterialem *lib. 3. de Anima, cap. 1. text. 4. & 6. & 1. de Partib. animal. cap. 1. & 2. de Gent. cap. 3.* docet mentem extrinsecus venire. Vide alia loca in Scot. *4. d. 43. quæst. 2. num. 1.* quia hæc sententia communior est. Soluenda sunt in contrarium adducta.

2. Ad primum, loquitur de anima vnita. Ad secundum, reiicit ab anima separata illam felicitatem opum, vel voluptatum, de qua Philosophi disputabant. Ad tertium, secundùm D. Thom. *2. contra Gent. cap. 81.* admitteret Philosophus infinitum in immaterialibus, sed non rectè. Vel dic, quòd pugnantia dixerit, cùm æternitatem generationum posuerit, & infinitatem negauerit, quod admittunt Conimbr. *3. Physic. cap. 8. quæst. 1. art. 5.* addentes eum suam sententiam de animæ immortalitate disputationum ambage implicuisse, & obscuritatis obuoluisse pallio. Adde, etsi homo ab æterno creatus fuisset, quòd non generasset ab æterno; & sic non daretur animarum infinitas, de quo Doctor *2. d. 1. quæst. 3.* Ad quartum, loquitur de iis, quæ incipiunt per motum, vel generationem. Ad quintum, nouit creationem animarum, & non posuit æternam, quia necessitatem æternam tantùm tribuit iis, quæ Deus sine vlla dependentia à causa secunda facit. Ad animæ autem infusionem requiritur organizatio, & dispositio accidentium, quas faciunt causæ secundæ. Vel dic, cum Scoto suprà, fuisse dubium de animæ creatione: & fortè diceret eam comproduci ad productionem compositi.

Circa infiniti possibilitatem Aristot. sibi contrarius.

Si homo ab æterno creatus fuisset, ab æterno nō genuisset.

Nihil certò nouit Arist. de anima productione.

Alij iudicant, & veriùs, Aristotelem fuisse in hac parte dubium, & nunc huic, nunc illi parti fauisse, pro commoditate materiæ, de qua agebat. Scot. *4. d. 43. quæst. 2. num. 13.* Heruæus *1. d. 1. quæst. 1. & quodl. 1. quæst. 11.* Nyphus *Opusc. de immort. anim. cap. 1.* Conimbr. *tract. de Anima, separata d. 1. art. 2.* adducit Scotus multa loca Philosophi pro immortalitate, & ea soluit. Vide prolixam disputationem apud Suarez *lib. 1. de Anima, cap. 11.* sed vide ne fatigeris, si totam legeris. Ratio huius est, quia nisi ita dubius in hac re fuisset, non haberet tot loca sibi inuicem (vt videntur) circa hoc opposita; sunt enim plura præter allata.

Sectio XIII.

Vtrùm animæ rationalis immortalitas demonstretur ratione naturali?

1. Communior sententia affirmat. Probatur primò ex D. Thom. *1. part. 1. quæst. 75. art. 6. & 50. art. 5.* anima rationalis est per se subsistens: ergo incorruptibilis. Patet consequentia, quia non potest talis res corrumpi per accidens ad corruptionem alterius, alioquin non esset per se subsistens; nec per se, quia non est composita. obscuriùs ponitur probatio hæc à D. Thom.

Secundò, ex eodem ibi *art. 2. d. 19 quæst. 1.* quia homo innato, & elicito appetitu immortalitatem desiderat, quia apprehendit esse, non tantùm pro nunc, vt cætera animalia, sed pro omni tempore; ergo cùm hoc desiderium non debeat esse inane, anima eius est immortalis.

Tertiò, ex aliis, nulla forma substantialis corrumpi potest, nisi alia forma substantialis generetur; sed anima rationalis est talis, & nulla forma generatur, quando ipsa separatur à corpore; ergo.

Quartò ecstasin contingere perfectam, id est, attentionem partis rationalis ad sublimia, sine vllo concursu sensuum, atque id naturaliter euenire multi tenent: de quo suprà egi ad *quæst. 18.* ergo anima rationalis naturaliter sine corpore esse potest, quia non minùs dependet ab eo in *operari*, quàm in *esse*. 2.

Quintò, habemus naturale desiderium beatitudinis, & hæc est æterna; ergo altera pars nostri æterna est, vel hoc desiderium erit inane, vt suprà tactum est.

Sextò, ad iustitiam Dei spectat ne mala maneant impunita, neque bona irremunerata; sed in hac vita contingit optimos affligi, & peruersos in delitiis esse: ergo anima naturâ suâ immortalitatis est, vt puniatur, vel præmietur in alia vita.

Septimò, in nobis est operatio excedens omnem operationem sensibilem, vt ostendit Scot. *4. d. 43. quæst. 2. num. 10. & quodl. 9. art. 2.* infert ex immaterialitate actionis, recipi in animam, & animam separari posse à materia; ergo in via Scoti hæc veritas demonstrabilis est. Item, Aristoteles passim hoc docet.

His non obstantibus, Scotus citatus *in 4.* videtur tenere immortalitatem animæ rationalis non demonstrari, loquendo de demonstratione in rigore; quem sequuntur omnes Scotistæ, & Caietan. *in cap. 9. ep. ad Rom. & in cap. 3. Eccles.* Scaliger *Exercit. 907. num. 33.* ait eam persuasionibus tantùm probari. Conimbric. *tract. de Anima separata d. 1. art. 3.* fatentur, quòd strictè, & euidenter non probatur, quasi Mathematicè; sed iuxta materiam, pro quo est locus Aristotelis *1. Ethic. cap. 3. Est enim eruditi, exactum ipsum in vnoquoque genere efflagitare, quatenus fert ipsius rei natura; simile namque videtur esse (id est, ineptum) Mathematicum suadentem probare, & ab oratore demonstrationes exigere:* contingit enim vt de materia, de qua agitur, à nullo intellectu exactior probatio offerri possit. 3.

Immortalitatem animæ in rigore non demonstrari.

Ex quibus verbis patet hos authores fateri, hîc non dari demonstrationem in rigore: & tamen asserunt hac ætate tenentem immortalitatem animæ rationalis, non posse demonstrari, temerarium censeri, quòd minùs consequenter dictum est, minúsque verè.

Suarez *lib. 1. de Anima, cap. 10. num. 35.* vbi fusè hanc rem tractat, fatetur hîc tantùm esse vnam demonstrationem speculatiuam, nempe illam, quæ ex propria operatione demonstrat animam esse immaterialem, & consequenter immortalem; & alteram moralem ex retributione bonorum, & malorum; *Reliquæ rationes* (inquit) *simul collectæ multùm persuadent rem: & iuuant illas rationes.* Vbi etiam fatetur non esse demonstrationes Mathematicas, vel Metaphysicas, *sed Physicas, quæ mentem benè institutam persuadere debent, & hoc modo dicimus veritatem hanc esse demonstrabilem.* Vbi expressè fatetur non esse in rigore hîc demonstrationem. Pro solutione 4.

Nota, quòd demonstratio dupliciter sumitur: vno modo largè, pro omni discursu sufficienti ad rem aliquam persuadendam, sine formidine de opposito, cuicumque bene disposito; & huiusmodi

Demonstratio dupliciter sumitur.

iuſmodi demonſtratio paſſim in moralibus occurrit. Alio modo preſsè, pro cauſa ſcientiæ propriè dictæ (demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, 1. *Poſter. text.*7.) quæ quatuor habet conditiones; quarum prima eſt, quòd ſit certa. Secunda, quòd neceſſaria. Tertia, quòd cauſa ſit euidens. Quarta, quòd per diſcurſum ſyllogiſticum applicetur ad concluſionem; de quibus Scot. 3. *d.* 14. *ex Philoſ. lib.* 1. *Poſter. text.* 5. ibi, *Scire arbitramur vnumquodque ſimpliciter, cùm cauſam arbitramur cognoſcere propter quam eſt, & quia eius eſt cauſa*, &c.

Quatuor conditiones ſcientia.

5. In primo ſenſu, certum eſt immortalitatem animæ demonſtrari; in ſecundo autem verius videtur cum Scoto, & aliis citatis demonſtrari non poſſe: & Conimbric. Suarez & nonnulli alij, qui videntur in verbis oppoſitum tenere, in re cum Scoto conueniunt, vt oſtenſum eſt. Non oportet hoc probare, ſed reſpondere argumentis in oppoſitum adductis. Præmittimus tamen, ſi hæc veritas eſſet in rigore demonſtrata, quòd tot tantíque Philoſophi circa eam non errarent, neque Ariſtoteles fuiſſet in ea ita dubius, & lubricus, vt in multis locis oppoſitum aſſeruerit, vt *ſect. præced.* oſtendi. de quo Scot. *loc. cit.*

Pauci Philoſophi aſſecuti ſunt notitiã immortalitatu animæ.

Adde S. Auguſt. 13. *Trinit.* 8. aſſerere difficile eſſe aſtruere viribus naturalibus animæ immortalitatem, & quòd pauci ex Philoſophis illud aſſecuti ſint: hoc autem non dixiſſet, ſi tenuiſſet eam demonſtrari poſſe rigoroſâ demonſtratione. Iuxta hoc argumenta allata probant ita ſufficienter, vel demonſtratiuè moraliter intentum, vt nullus non proteruus non aſſentiatur; ſed non ſunt rigoroſæ demonſtrationes, facientes ſcire, vt ſumitur 1. *Poſter. cap.* 1.

Ad primum, ſi vult quòd anima ſit per ſe ſubſiſtens, id eſt, naturâ ſuâ independenter à corpore manens, aſſumit probandum: hoc enim eſt, quod controuertitur. de quo vide Scot. *d.* 4.2.

6. Contrà, replicat Caietanus in Comment. illius *art.* 6. quia id probatum eſt ex operatione quæ eſt intelligere; quia cùm anima ſit cognoſcitiua omnium, nullam habet rationem corporis; quia ſi vteretur organo, eius operatio non poſſet eſſe ita vniuerſalis, vt patet in ſenſibus. Reſpondetur, dici poteſt hoc tantùm probare, quòd anima non operatur proprias actiones per organum; & hoc ſenſu eſt ſeparabilis à corpore, non quòd deſinat ipſum informare, vel poſſit eſſe ſine eo, quia naturâ ſuâ eſt forma eius, petitque informare illud. Fateor tamen rationem eſſe valde vrgentem, ſed non demonſtrationem rigoroſam.

** An intellectio demonſtrat animæ immortalitatem?*

Ad ſecundum, etiam bruta appetunt ſuum *eſſe* conſeruari.

Dices, non pro tempore futuro; quia ſenſus tantùm cognoſcit hic & nunc. Reſpondetur, neque homo demonſtratiuè nouit immortalitatem, ac ideò non neceſſariò appetit eam appetitu elicito; & ſi appetit, non demonſtratur, id non fieri per rationem erroneam; neque appetitu innato, quia hic, cùm ſit inclinatio naturæ ad aliquid, non poteſt oſtendi, an adſit donec priùs oſtendatur poſſibilitas illius ad quod eſſe dicitur.

Inclinatio naturalis nõ eſt ad impoſſibile.

7. Dices, conſtat nos habere appetitum elicitum ad immortalitatem, ſtatim ac apprehenditur; ſed hæc pronitas arguit inclinationem naturalem; ergo. Reſpondetur id verum eſſe, quando conſtat appetitum illum elicitum, eſſe ſecundùm rationem rectam, & non erroneam; & hic, licèt ſit ſecundùm rationem rectam, tamen de hoc demonſtratiuè non conſtat. Vide Scotum ſuprà *ad* 1.

Ad tertium, latè oſtendi ſuprà *ſect.* 4. nullam formam ſubſtantialem generari in corruptione hominis, ſed formam corporeitatis eius perſeuerare, & formam cadaueris eſſe merum figmentum.

In corruptione hominis nulla forma generatur.

Ad quartum, dixi ad *quæſt.* 18. ecſtaſim naturalem ſemper habere comitantes aliquas operationes imperfectas partis inferioris: & eſto hoc negetur, inde tantùm habetur animam neceſſariò indigere organo corporeo ad ſuas operationes; ex quo tamen non demonſtratur quòd à natura ſua ſit immortalis, eſto argumentum non parùm vrgeat. Calor in aqua ſine vllo aquæ concurſu calefacit, & tamen non inde ſequitur quòd eſſe poſſit ſine aqua, vel alio ſubiecto.

Ecſtaſis an habet aliquas operationes partis inferioris comitantes?

Ad quintum, patet ex ſolutione ſecundi. Vide Scot. ſuprà *ad* 2. *& diſt.* 49. *quæſt.* 10. *&* 3. *d.* 13. *quæſt.* 2. *ad* 2. vbi agit de appetitu beatitudinis.

Ad ſextum, euidens non eſt lumine naturæ, an ſit aliqua futura retributio? neque Deum ad hanc teneri, vel nunc, vel poſtea: ſed dicitur quòd hoc eſſet euidens, bona opera trahunt ſecum conſolationem ſuam; & mala ſuum vermem, iuxta id Auguſt. 1. *Confeſſ.* 12. *Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt pœna ſibi ſit omnis animus inordinatus.*

Euidens non eſt aliquam eſſe futuram retributionẽ.

Dices, ex Suarez ſuprà: nulla fuit natio tam barbara, quæ non cognoſceret retributionem poſt hanc vitam; ergo agnouit & immortalitatem animæ. Reſpondetur, aliquas id non nouiſſe; & licèt, vt plurimum id nouerint, hoc potuit ex traditione ortum habuiſſe; vel ex rationibus ſatis vrgentibus non demonſtratiuis. Vide Scot. *d. quæſt.* 2. cuius rationes contemnit Canus 12 *de Locis, cap. vlt.* prope finem, contemnendus ſed ipſe. 8.

Peccatum pœna peccati.

Ad ſeptimum, patet ex ſolutione primi; tantùm haberi poteſt ex Scoto, animam habere operationem non organicam, ſeu dependentem ab organo, aliàs excellens obiectum corrumperet ipſum; ſicut excellens ſenſibile ſenſum, 3. *de Anima, text.* 7. tamen hinc non ſequitur (inquit Scot. *d. quæſt.* 2. *num.* 18.) non dependere à toto corpore in eſſendo. Quod ait, *Quodlib.* 9. *art.* 2. actionem animæ, quia ſpiritualis eſt, recipi in ipſam, & hinc concludi voluit ſeparabilitatem eius à materia, non ſibi contradicit, in quo fallitur Caietanus ſuprà; neque enim idem eſt animam eſſe immortalem, & hoc demonſtrari. Secundum hoc ei imponunt Conimbric. citati, niſi velint omnem concluſionem eſſe rigoroſam demonſtrationem, quo nihil abſurdius. Quod addunt hac ætate temerarium cenſendum eſſe, qui immortalitatem animæ demonſtrari negaret: inſinuat eos reperiſſe nouas demonſtrationes antea non inuentas, ſed nobis tales non videntur: demus tamen eſſe demonſtrationes morales, vt ipſi velle videntur; quia fatentur non dari demonſtrationem rigoroſam in hac re.

Ad octauum, dictum eſt *ſect. præced.* de mente Ariſtotelis: & Doctor *d. quæſt.* 2. adducit varia loca ipſius, quibus videtur negare animæ immortalitatem, ſoluitque ſeptem loca, quibus eandem aſtruere videtur; itaque nihil certi eſt de mente eius. Secundò, eſto, id aſſeruiſſet, non probauit demonſtratiuè: quia plura tenuit opinatiuè 9.

natiuè, quàm demonstratiuè; vnde 2. *de Cæl. text.* 60. tractans duas difficiles quæstiones, approbat stando pro Philosophia, *paruas sufficientias diligere, de quibus maximas habemus dubitationes.* & ibidem ait, quòd ab Ægyptiis, & Babylonlis, *multas credulitates habemus de vnoquoque astrorum.* Addo etiam, quòd ipse 1. *de Anima, text.* 4. ait animam ita obscuram nobis esse, *vt difficillimum sit fidem aliquam de ipsa tandem accipere.*

Multa tamen Aristoteles opinatus est tantùm.

Omitto multa Patrum loca; quia nullus eorum loquitur de rigorosa demonstratione huius veritatis. Vnde quando dicunt eam esse patentem, vel naturaliter sciri, aut lumine naturæ cognosci, non intendunt esse demonstrabilem, sed menti benè dispositæ optimè persuasibilem. Citant Conimbric. suprà, Chrysostom. *Homil.* 4. *de Prouidentia*, dicentem: *Qui dubitas de anima immortalitate, etiam dubitare posse, an in meridie dies sit.* Sed si id haberet, hyperbolicè concionis feruore (sicut & aliàs sæpè loquitur) dictum videtur. Vel fortè meliùs, quòd suppositâ fide, ad fideles sermonem dirigit: hoc certum, de demonstratione rigida secundùm conditiones Aristotelicas, ipsum minimè fuisse locutum. Verùm neque illa verba habet illa Humilia IV. quę habetur *lib.* 3. *de Propaganda fide, tom.* 5. Sed tantùm vrget colligi immortalitatem ea futura retributione, quòd fusiùs tractat concione 4. *de Lazaro, tom.* 2. Frustra quidam obiiciunt *Clem. vn. de summ. Trinit.* quia tantùm definit animam esse immortalem, & formam intrinsecam corporis, quod magis oppositum est: arguit enim potiùs non demonstrari.

Obiiciunt etiam *Concil. Lateranen. sub Leone X. sess.* 8. sed ibi tantùm damnantur asserentes, animam esse mortalem, vel vnam in omnibus; quod nihil est ad rem.

SECTIO XIV.

Vtrùm anima rationales immediatè à Deo producantur.

1. CIrca hoc varij fuerunt errores, vt videre est in *Hieronymo epistola ad Marcellin.* & in August. *lib. de Orig. an. & lib.* 3. *de Libero arbitrio, cap.* 21. Primus, fuisse creatas extra corpora, & propter peccata in corpora missas. Ita Origen. *lib.* 1. *Periarchon, cap.* 7. *expressè*, & Plato *in Timæo.* Secundus, fuisse ab æterno, & intrasse corpora nunc hæc, nunc illa. Ita Pythagoras ex Ægyptiis, vt refert Herodotus *lib.* 2. Tertius, creari in tempore ab Angelis: ita Auicenna, Seleucius & Hermas ex *lib.* 7. *tripart. cap.* 11. Quartus, propagari ex semine. ita Tertull. & Apollinaris ex August. *de hæres. cap.* 86.

Errores de origine animæ.

Dico primò, animæ non fuerunt ante corpora, sed simul cum corporibus creantur. Ita Epiphan. *epist. ad Ioan. Hierosolym.* Hieronym. *epist. ad Pammachium*, Cyrill. Alexand. *lib.* 1. *in Ioan. cap.* 9. August. optimè *lib.* 12. *Ciuit. cap. vlt.* & Tertull. *lib. de Anima.* Damnatur oppositum in Braccarensi I. *cap.* 6. & à Leone X. *epist.* 91. ad Turibium, à Damasc. 2. *de fide cap.* 12.

Probatur primò, prius est, quod est secundùm naturam, eo quod est præter naturam; sed animam vniri corpori, est secundùm naturam: ergo. Confirmatur, quia Deus primò fecit res secundùm statum naturalem earum. Secundò, actus in eodem, est posterior potentia, *ex* 9. *Metaph. text.* 13. Tertiò, alioquin intrarent cum scientia in corpora, cuius oppositum docet experientia. Nec valet cum Academicis, & Platone *lib.* 10. *de Republica, & in Phædro*, dicere, quòd per ingressum corporis obliuiscuntur omnium; quia per statum naturalem, non possent ita priorari; alioquin non appeterent vnionem cum corpore; quia sic appeterent malum, quod repugnat.

Quartò, ex 5. ad Rom vbi dicitur: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & cap.* 9. de Iacob. & Esau dicitur: antequam nati essent, nihil boni, vel mali egisse; ergo eorum animæ antea non fuerunt, quia non poterant esse otiosæ, & sine propria operatione, ex 10. *Ethic. cap.* 8. *text.* 14. Quintò, quòd hoc sit secundùm Aristotelem patet, quia 1. *Poster. cap.* 1. & 3. *de an. cap.* 4. contra Platonem in *Phædro*, ponentem notiones omnium in anima ante vnionem; docet intellectum de se esse tabulam rasam, & 12. *Metaph. cap.* 3. *text.* 16. docet causam efficientem præcedere suum effectum, formalem non; & secundùm ipsum, anima est causa formalis. 2.

Animas non fuisse ante corpora.

Obiicies primò, quia 2. *de Gen. anim. cap.* 3. dicitur, quòd mens de foris venit. Respondetur, hoc est creari, non educi de potentia materiæ, vel non dependere ab organo, sicut cæteræ animæ, de quibus ibi Philosophus.

Obiicitur secundò, quia August. 7. *de Gen. ad lit.* 24. & 12. *Ciuit.* 23. Author. scholast. Histor. *in Genes.* Hugo de S. Victore *sum. sent. tract.* 3. *cap.* 2. *fin.* Magister 2. *d.* 17. tenent animam Adæ fuisse ante corpus creatam, quod asserit Philastrius *lib. de Hæres. Catal. Hæres. quæ extiterunt post Apostolos.* Respondetur, doctrinam datam esse vniuersaliter veram: & August. tantùm dubitat de anima Adæ, an ante corpus creata fuerit, & semper dubius fuit de origine animæ; tamen in hanc partem magis inclinat 12. *Ciuit.* 23. vide Gregor. Nyssen. *lib. de Hom. cap.* 29. 30. Damasc. Hieron. & Leo citati etiam de anima Adæ in particulari agunt.

Anima de foris venit, explicatur.

Dico secundò, anima rationalis non fit ex virtute seminali. Probatur primò: quia agens naturale non potest agere supra materiam; & anima rationalis est supra eam, vt constat ex operatione, quam habet independenter ab ea. de quo dixi *sect. præced.* Secundò, quod generatur corrumpitur. Tertiò, forma quæ cum composito Physico producitur, non producitur per se, sed in composito: ergo non habet *esse* per se extra compositum; & sic anima rationalis non posset separari. Conclusio est communis Catholicorum, cuius oppositum damnat August. *hær.* 86. & hæresim vocat D. Thom. 1. *par. quæst.* 118 *art.* 2. & 2. *contra Gent. cap.* 86. habetur 32. *quæst.* 1. *cap. Moyses.* Vide Scot. 4. *d* 43. *quæst.* 1. *in* 2. *propositione, &* 2. *d.* 18. vbi negat semen vllam animam attingere posse. 3.

Anima non fit ex virtute seminali.

Obiicitur, in materia est naturalis in potentia, ad recipiendam animam; ergo datur naturalis potentia actiua ipsius, quia passiuæ correspondet actiua eiusdem generis, ex 5. *Metaph. cap.* 12. *text.* 17. & *lib.* 9. *cap.* 2. *text.* 2. Respondetur, cum Scoto *quæst.* 1. *Prol.* & 1. *d.* 5. *quæst.* 2. *ad* 3. *pro* 2. *opin.* & 4. *d.* 43. *quæst.* 3. *ad* 1. intelligendo per causam naturalem, causam creatam, non omni passiuæ correspondere actiuam naturalem, alioquin posset cęcus naturaliter fieri videns, & Deus naturaliter videri. Aristoteles *locu cit.* tantùm dixit potentiæ passiuæ correspondere actiuam;

Potentiæ passiua corre spondet actiua explicatur.

etsi

etſi aliud diceret, ſibi contradiceret, 2. *de Gen. animal. cap.* 3. vbi tenet mentem extrinſecus venire; quod negat de aliis formis: & hoc eſt creari, vel ſaltem non à cauſa naturali produci. Qui citant dicta loca, non benè ea ponderant.

4. *Quomodo homo generat hominem, ſi animam non producit?*

Obiicitur ſecundò, cætera animalia ex vi ſeminis producunt ſibi ſimilia; ergo & homo perfectiſſimum animal. Reſpondetur, negando antecedens, de quo *ſect. ſeq.* Secundò, negando conſequentiam, quia ex dignitate animæ rationalis eſt, quòd à creatura fieri nequeat; homo tamen generat hominem, quia dat materiam, & diſpoſitiones præuias, vt docet D. Thom. 1. *par. quæſt.* 118. *art.* 2. *ad* 3. ſed prima ſolutio melior eſt.

Obiicitur tertiò, attingens vltimam diſpoſitionem, formam producit; ſed homo omnes qualitates diſponentes ad animam efficit, & vi formatrici, organa delineat, & effigiat: ergo. Maior probatur; potens in media, poteſt in finem, 7. *Metaph. cap.* 9. *text.* 30. & forma eſt finis generationis, 2. *Phyſicor. cap.* 7. Reſpondetur primò, antecedens verum eſſe, quando forma eſt eiuſdem ordinis cum diſpoſitionibus, ſed hîc non eſt; quia ſpiritualis eſt. Reſpondetur ſecundò

Efficiens vltimam diſpoſitionem an efficiat formam.

meliùs, negando antecedens, quia calor ſeparatus induceret vltimam diſpoſitionem ad ignem, non tamen ignem, vt habet Doctor 4. *d.* 12. *quæſt.* 3. *num.* 7. *&* 22. Neque Ariſtoteles dixit potentem in media, poſſe etiam in finem, ſed ſæpiſſimè ei imponitur.

5. Dico tertiò, anima rationalis creatur à Deo, non ab Angelis. Ita Patres, Hieron. *epiſt.* 17. *& in apolog. ad Pammachium*, Ambroſ *lib. de Noe & arca*, Chryſoſt. *Homil.* 23. *in varia loca Matth.* Gregor. Nyſſen. *de Anima, cap.* 6. Bernard. *ſerm.* 17 *in Cant.* Quòd verò creatur, patet, quia non generatur per ſe; quia non eſt compoſitum: neque per accidens, ad generationem compoſiti, quia non fit ex vi ſeminis. Ita D. Thom. 2. *contra Gent. cap.* 87. Addendum eſt, eſſe improportionatam materiæ, vt educatur ex ea, quia ſpiritus eſt; quòd non creatur ab Angelis, docet communis Theologorum 2. *d.* 1. de quo latè Scot. 4. *d.* 1. *quæſt.* 1. vbi reiectis rationibus D. Thom. ad hoc, adducit proprias. Idem docet Auguſt. 3. *de Trinit.* 8. *& lib.* 9. *in Geneſ ad lit. c.* 15. Damaſc. 2. *fid. cap.* 3. Cyrill. *lib.* 2. *in Iul.* Athan. *ſerm.* 3. *contra Arian.* Baſil. *lib.* 4. *contra Eunom* Proſp. *lib. ſent.* Auguſt. *ſerm.* 146. Ex quibus ſequitur animam rationalem à Deo creari, quia non generatur, nec ab alio creari poteſt.

6. *An anima ſecundùm Ariſtot. creatur à Deo?*

Si petas quid de hoc ſentit Ariſtoteles Scotus 4. *d.* 43. *quæſt.* 2. *a num.* 19. tenet dubium eſſe, quid de origine animæ voluerit, tamen verius videtur, quòd poſuerit eam immediatè à Deo fieri; ſed hoc non vocaret creationem, quia ſecundùm eum omnis effectus nouus præcisè dependens à cauſa effectiua, reduceretur in aliquam variationem ipſius cauſæ; ſed quando dependet etiam à receptiuo, poteſt eius nouitas reduci in illud, & ſic eſt in productione animæ ſecundùm eum; quia Deus naturaliter, & neceſſariò tranſmutat corpus factum organicum, ad animationem. de quo vide Scotum 1. *d.* 8. *quæſt.* 5.

Quare ſpiritualis ſubſtantia non generat?

Obiicitur primò, operatio omnibus maximè naturalis, ex 2. *de Anima, cap.* 4. *text.* 34. eſt generare ſibi ſimile; ergo conuenit ſubſtantiis ſpiritualibus. Reſpondetur, ibi loqui de corporeis: ſubſtantia autem ſpiritualis adeò perfecta eſt, vt à ſolo Deo produci poſſit.

Obiicitur ſecundò, inferiora corpora ſecundùm Dionyſ. *cap.* 4. *de Diu. Nomin.* adminiſtrantur per ſuperiora; ergo idem de ſpiritibus? Reſpondetur, inferiora tranſmutari, & aliquando fieri à ſuperioribus, ſed ex ſubiecto antecedente; ſpiritus autem ex nullo ſubiecto fieri poſſunt.

SECTIO XV.

Vtrùm aliæ animæ à rationali ex vi ſeminis fiant, ita vt ſemen attingat earum productionem?

PRo reſolutione, Nota ex Scoto 2. *d.* 18. quòd aliqua producant ſibi diſſimilia in genere, & in forma, vt Sol ranam: alia verò producunt ſibi ſimilia, & hoc vel immediatè, vt ignis, ignem; vel mediante propagatione, vt equus equum. In primo, & ſecundo modo productionis, non requiritur ratio ſeminalis, quia hæc agit abſente generante, éſtque medium inter ipſum, & genitum; ſed in tertio interuenit ſemen. 1.

Generatio duplex.

Secundò nota, ſemen nihil aliud eſſe, quàm corpus quoddam, cuius forma intenta eſt, vt ex illo fiat aliud perfectius ſimile generanti. Ratio autem ſeminalis, ſeu ſeminis, eſt forma ipſius, vel qualitas eam conſequens.

Quid ſemen, & ratio ſeminalis?

Nota tertiò, ſi ſemen eſt vnigeneum, & vniforme, quòd non agit alterando ſeipſum; quia nihil vniforme agit in ſe, & actiuum difformitatis ſupponit paſſiuum eiuſdem: ideò multi ponunt diuerſitatem partium in ſemine: & Caietanus 1. *par. quæſt.* 118. *art.* 1. ideò vocat illud heterogeneum. Idem tenet Ferrar. 2. *contra Gent. c.* 57. Et videtur D. Thom *ibi cap.* 89. *& de potentia quæſt.* 3. *art.* 9. Scotus *loco cit.* dubius de hoc manſit, ſed 3. *d.* 4. *num.* 13. docet ſemen eſſe actiuum in alteratione præuia ad introductionem formæ, & conſequenter admittit in eo diuerſas, & difformes partes, alioquin non ſe alteraret.

Semen an ſit heterogeneũ?

Communior ſententia tenet ſemen ſaltem ſecundùm partes ſubtiliores attingere productionem animæ. Ita Soarez 2. *de Anima, cap. vlt.* Caiet. citatus, Germanus *in Epitome librorum de Anima*, Conimbr. *lib.* 1. *de Gen. c.* 4. *quæſt.* 26. *&* 27. Iauel. 7. *Metaph. quæſt.* 14. 2.

Veriùs videtur oppoſitum. Scotus *loc. citatis*, Philipon. Simplic. Ægid. Albert. *in* 2. *de Anima, text.* 10. & expreſsè D. Thom. 1. *p quæſt.* 118. *art.* 2. *ad* 3. *&* 4. *& de potentia, quæſt.* 3. *art.* 9. *ad* 9. Probatur ex Scot. Primò, quia ſemen in inſtanti generationis non eſt; ergo non agit; quia agere ſupponit eſſe. Antecedens patet, quia tunc deſinit eſſe forma ſeminis. Secundò, ſi dicas pro tunc manere ſemen, non poteſt producere perfectius ſe, qualis eſt proles.

Dices, in virtute generantis producere ſe perfectius. Contrà, in virtute non entis, nihil poteſt effici; ſed per accidens eſt, quòd decidens ſemen exiſtat, quando producitur forma geniti. Et contra hoc procedunt omnia argumenta, quibus Doctor 4. *d.* 12. *q.* 3. *& d.* 13. *quæſt.* 1. oſtendit accidens in virtute ſubſtantiæ non poſſe attingere ad productionem ſubſtantiæ. Tertiò, ſemen eſt non viuens: ergo non poteſt producere viuum. Reſpondet quidam cũ Platone, *in Timæo*, ſemen viuere, Valleſ. 2. *Controu c.* 9. Zimara 2. *de An. ad tex.* 43.

Semen non attingit animam effectiuè.

Verius tamen eſt oppoſitum, quod tenet Ariſtoteles 2. *de Anima, cap.* 1. *&* 2. *de Gen anim. cap.* 1. *& c.* 3. D. Thom. 2. *contr. Gent c.* 89. Scot. 4. *d.* 44. *q.* 1. 3.

Semen non viuit.

& com

& communis: & suadetur, quia non habet eandem animam cum generante, cùm non sit ei continuum, nec diuersum, quia esset aliud animal, vel planta. Item, non nutritur, nec crescit, vt constat de seminibus stirpium, & herbarum, quæ multo tempore seruantur sine alimento: & esto viueret semen animâ vegetatiuâ; ergo saltem non attingeret animam sensitiuam, qualis est anima animalium.

Obiicies primò; ergo viuentia non producunt sibi similia. Respondetur cum D. Thom. suprà *ad* 3. hominem generare hominem, quia ministrat materiam, & disponit eam ad receptionem nouæ formæ, non quòd ipsam formam attingat: & idem est de aliis animalibus. Secundò, *Vtrùm mater attingat formam fœtus?* dici potest cum Scoto 3. *d.* 4. *num.* 13. matres immediatè attingere formas fœtus generabiles; hoc enim longè facilius est, quàm ponere ipsum semen eas attingere; & iuxta hoc matres longè perfectiùs generant, quàm patres; quidquid dicat D. Thom. cum suis 3. *p. quæst.* 32. *art.* 4. Si hoc non placet, recurrendum est cum eodem Scoto 2. *d.* 18. ad causam superiorem, ad quam necesse est currere, quoad plantas, quarum semen seorsum à generante generat. Neque sufficit recursus ad corpora cœlestia, quia viua non sunt, & nemo dat, quod non habet; & ideò fortè Galenus citatus à Doct. virtutes seminum vocat diuinas: vnde Doctor 2. *d.* 14. *q.* 3. *num.* 6. tenet influentiam astrorum in inanimata agere, generando, sed in animata tantùm alterando: & August. *lib. de duabus Animabus, cap.* 4. docet muscam esse nobiliorem cœlo; quia animata est, & per consequens non potest à cœlo produci.

4. *Sola rationalis de foris venit.* Obiicitur secundò, 2. *de Gen. animal. cap.* 3. dicit Aristoteles omnem animam produci virtute seminis, præter intellectiuam quæ de foris venit. Respondetur, nihil tale habet, sed omnem animam præter rationalem, ibi ostendit educi de potentia seminis, & solam rationalem extrinsecus venire; quia spiritualis est, & inorganica.

Obiicitur tertiò, 2. *Physic. text.* 26. *Sol & homo generant hominem.* Respondetur, de homine iam dixi; de Sole eatenus generat, quatenus congruis qualitatibus fouet semen, atque disponit ad formam vltimam, de quo Aristoteles *loco cit. de Gen. animal.*

Quomodo Sol generat hominem? Obiicitur quartò, quia sequitur animas omnes creari. Negatur, quia præter rationalem omnes educuntur ex potentia materiæ; alioquin dicendum esset Deum nihil posse generare, quod falsum est; quia potest admittere, vel non admittere concursum materiæ, qualiscumque ille sit.

Sectio XVI.

Vtrùm anima sit composita, ex materia, & forma?

1. Dixi de hac re satis fusè ad *quæst.* 15. vbi tenui cum Doctore, & aliis, non esse improbabile, talem compositionem in anima admittere. Et præterquam, quòd id habeat Doctor expressè *dict. quæst.* 5. insinuat idem *Quodlib.* 9. *art.* 2. §. 3. *intellectus*, ibi, *proximum receptiuum* (*intellectionis*) non includit materiam *saltem corporalem*. Quibus verbis indicectè insinuat animam habere materiam, non corporalem, quia asserens receptiuum intellectionis nostræ, id est, animam, carere materiâ saltem corporeâ, incorpoream habere in-

nuit, iuxta regulam; quod de vno negatur, de altero affirmatur, *cap. nonne, de præsumpt.*

Sectio XVII.

Vtrùm animæ immediatè informant materiam?

Hæc quæstio ab aliis fusè traditur, sed nos ab eius tractatione abstinebimus; quia suprà *sect.* 4. latè ostendimus formam corporeitatis præcedere, & sequi animam; obiter tamen resoluimus hoc quoad formam substantialem, vt sic, an immediatè afficiat materiam. 2.

Dico primò, qualitates corrupti non manent in genito. Est contra multos, quos citat Suarez *in Metaph. d.* 14. *sect.* 3. sed eam tenet Scot. 4. *d.* 12. *q.* 3. *n.* 21. 25. 26. vbi benè docet qualitatem corrumpentis, nunquam producere qualitatem incompossibilem formæ corrumpendæ: sed quando venitur ad vltimû gradum quantitatis compossibilis cum ea, tunc generans introducendo suam formam, corrumpit aliam, cuius corruptione perit qualitas eam sequens, quæ eousque mansit in gradu necessario ad conseruationem illius formæ. Vnde, vt ibi habet Doctor *num.* 9. si calor ignis separaretur ab eo, & guttula aquæ in medio eius collocaretur; nunquam introduceret calorem incompossibilem formæ illius guttulæ, neque expelleret ab ea gradus humiditatis, & frigiditatis ad eius *conseruari* requisitos; quia sicut accidentia non possunt producere substantiam, vt ibi solidè ostendit Doctor, ita neque corrumpere: corrumperent autem si qualitates ei incompossibiles in eam inducerent. Vide eum 2. *d.* 3. *quæst.* 4. Eandem sententiam tenet D. Thom. *de Formis q.* 7. & 4. *d.* 11. *q.* 1 *art.* 1. *quæst.* 3. & *lib.* 1. *de Gen. cap.* 4. *lect.* 9. & eius discipuli communiter cum eo docent in generatione fieri resolutionem vsque ad materiam primam. *Qualitas incompossibilis formæ corrumpenda à quo producitur?*

Probatur primò, ex Aristotele 1. *de Gen. c.* 4. vbi docet, quòd generatio est mutatio huius totius in hoc totum, nullo sensibili manente: si autem permanerent eadem accidentia, id non esset verum; quia hæc sola sunt sensibilia per se. Item, 5. *Physic. text.* 18. *quod mouetur est, quod generatur non est*. de quibus locis vide Scot. 2. *d.* 12. *q.* 1. per *esse* intelligit Philosophus *esse* compositi, seu formale; & hoc denegat subiecto generationis, concedens illud subiecto mutationis, non autem *esse* entitatiuum; quia hoc competit materiæ, vt ibi conuincit Scotus. 3. *Generatio quid?*

Secundò materia prima non est subiectum accidentium, vt docet D. Thom. *de ente, cap.* 7. & 1. *par. quæst.* 76 *art.* 6. & *quæst.* 77. *art.* 6. tum quia totum per accidens supponit totum per se; tum etiam, quia secundùm Aristotelem *cap. de Subst.* prima substantia, primò substat accidentibus, & eâ corruptâ, nihil remanet. Tum tertiò, quia materia prius respicit actum sui generis, quàm alterius; & alioquin substantia non esset prior accidente, contra Aristotelem 7 *Metaph. text.* 4. ergo compositum substantiale est subiectum accidentium; & per consequens, eo corrupto, illa corrumpuntur: quia non migrant de subiecto in subiectum; quia, vt ait Aristoteles *cap. de Substan.* & 5. *Metaph. text.* 15. *destructis primis substantiis impossibile est aliquid remanere.* Sed de hoc ex professo agitur 1. *de Gen. cap.* 4. *Materia prima non est subiectum accidentium.*

Obiicitur primò, sequitur quòd ignis destruc- 4.

ret calorem, quem ipſe introduxit in corrumpendum, quia cùm ſuam formam introducit, pereunt omnia accidentia, quæ præceſſerunt. Reſpondetur id verum eſſe. Pro quo Nota quòd accidens quadrupliciter corrumpitur. Primò, per contrarium, vt frigus per calorem. Secundò, per abſentiam cauſæ, vt lumen amoto luminoſo. Tertiò, per corruptionem ſubiecti, vt hîc. Quartò, per corruptionem termini in reſpectiuis; vt ablato albo, tollitur ſimilitudo; & quatuor modis oppoſitis generantur accidentia.

Accidens quadrupliciter corrumpitur, & generatur.

An pereant formæ ſimplicium in mixtionibus medicinalibus?

Obiicitur ſecundò, in mixtionibus medicinalibus pereunt formæ herbarum, & aliorum ſimplicium, tamen manent virtutes eorum, per quas proſunt infirmis. Reſpondetur, vel manere formas ſimplicium, vel ſi pereunt, generari nouas qualitates conſequentes formam compoſiti, quæ magis proficiunt infirmis, quàm virtutes ſimplicium.

5. Obiicitur tertiò, ſequitur materiam in inſtanti generationis eſſe indifferentem ad omnem formam; quia ſine accidentibus non plus determinatur ad hanc, quàm ad illam. Reſpondetur, ſufficere præceſſiſſe diſpoſitiones, & determinationes immediatè ante inſtans generationis. Dices, tunc nihil eſt, niſi reſpectus rationis ad illas diſpoſitiones. Reſpondetur tamen eſſe ſubordinationem inter formam ſubſtantialem, & tales diſpoſitiones, quòd non introducetur, niſi præuiis illis; & ſic præceſſiſſe ſufficit, etſi pro nunc tantùm ſit actu reſpectus rationis ad eas: ſic forma embryonis prærequirit formam ſeminis, non tamen coëxiſtentem; & in multorum opinione ſenſitiua prærequirit vegetatiuam, ſed expellendam: & rationalis eodem modo vegetatiuam, & ſenſitiuam. Quod tenere expreſsè videtur D. Thom. 1. *par. quæſt.* 118. *art.* 2. *ad* 2. de quo dixi ſuprà *ſect.* 7. *conc.* 1. *ad* 1. & multi tenent, etſi ſpecies, quoad *fieri* dependeant à phantaſmate, non tamen quoad vſum. de quo ſuprà *ad quæſt.* 17. Vel dic non requiri diſpoſitiones, niſi per accidens ad expellenda oppoſita accidentia. Vnde ſi generans reperiret materiam nudam, generaret. Colligitur ex Scot. 2. *d.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 17. vbi benè explicat, quomodo in generatione fit ex non corpore corpus, quando ſcilicet denudatur corrumpendum ab omnibus accidentibus, vt introducatur in eius materiam forma noua. Thomiſtæ quidam tenent diſpoſitiones effectiuè cauſatas à forma geniti præcedere ipſam natiuâ in materia; quod perinde eſt, ac ſi diceret filiam præcedere matrem, vel fructum arborem.

An requirantur diſpoſitiones coëxiſtentes introductioni formæ generandæ?

6. Obiicitur quartò, 1. *de Gen. cap.* 4. dicitur: quando ex aëre fit aqua, permanet eadem diaphaneitas. Reſpondetur, manet eadem ſpecie, non numero.

Quantitas corrupti non manet in genito.

Dico ſecundò, neque quantitas corrupti manet in genito. Hæc difficilior eſt, quàm præcedens: quia Auerr. 1. *Phyſic. text.* 61. *& cap.* 1. *de Subſtantia orbis*, tenet dimenſiones interminatas in materia prima ſubiectari, & nunquam ab ea ſeparari. Quod etiam multi cum eo ampleaantur, quos citat Suarez *in Metaph. d.* 14. *ſect. num.* 10. 11. ſed concluſio eſt Scoti 2. *d.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 17. *&* 4. *d.* 11. *q.* 1. Bañes 1. *de Gen. cap.* 4. *q.* 1. *art.* 1. D. Thom. *loc. cit. concl. præced.* & eiſdem rationibus ſuadetur.

Obiicitur primò; quia, vt habet *Phil.* 6 *Phyſic. text.* 2. quantum non poteſt fieri ex non quanto; ſed ſi non ſupponitur quantitas in materia, ita fieret & corpus ex non corpore. Reſpondetur, additione verum eſt, generatione falſum. Vel dic materiam eſſe virtualiter quantam, quod ſufficit, ex Scoto *d. quæſt.* 4. *num.* 17.

Quantitas quomodo de nouo fit?

Obiicitur ſecundò; quantitas eſt ingenerabilis; quia non generatur à forma, cùm hæc non ſit quanta; nec quantitate, quia hæc non eſt actiua; nec æqualitate, quia hæc eſt poſterior; ergo non producitur de nouo: ergo antiqua manet in genito. Reſpondetur, per ſe non generari, nec corrumpi, ſed ad generationem, vel corruptionem ſubiecti fit, vel deſinit: ſicut & alia accidentia, maximè quæ contrarium non habent.

Obiicitur tertiò; ad oculum patet, quando ex aqua fit aër, quantitatem manere, & augeri. Reſpondetur id ſenſu minimè conſtare, & ratio docet falſum eſſe. 7.

Materia habet partes entitatiuas?

Obiicitur quartò, forma non dat materiæ *eſſe* ſubiectum, immò ſupponit tale *eſſe*; ſed fit ſubiectum aptum per quantitatem, ſine qua non habet partes diſtinctas; ergo. Reſpondetur, ſecundùm ſe habet partes entitatiuas, non quantitatiuas; quod ſufficit; neque enim ablatâ quantitate, confluerent partes ſubſtantiæ in punctum, vt quidam Thomiſtæ fingunt.

Obiicitur quintò; ſequitur animam rationalem eſſe ſubiectum quantitatis, quia ipſa cum materia facit totum cui inhæret. Reſpondetur, quantitatem inhærere toti ex materia, & forma corporeitatis; vnde manet eadem quantitas in mortuo, quæ fuit in viuo.

Argumentum vrget Thomiſtas, negantes plures formas ſubſtantiales in eodem ſubiecto, & totum diſtingui à partibus ſimul ſumptis.

SECTIO XVIII.

Vtrùm anima ſit eadem ſuis potentiis.

Non eſt quæſtio de potentiis ſenſitiuis comparatis ad animam; quia dicunt organum cum potentia, vel virtute animæ in eis exiſtente, vt docet Scot. 1. *d.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 8. certum eſt tales ab ea diſtingui, quia conſtat exiſtere ſine eis, verbi gratia, ſine viſu, auditu, &c. Quæſtio ergo eſt de potentiis ſpiritualibus, intellectu, & voluntate, nihil corporeum includentibus, comparatis ad animam rationalem, ac etiam de aliis potentiis collaris ad animas corporeas. 1.

Prima ſententia eſt, nullo modo diſtingui etiam formaliter. Ita Greg. 1 l. *d.* 16. *quæſt.* 3. Occam *quæſt.* 24. *&* 26. Gabr. *q.* 1. Marſil. 1. *q.* 7. *art.* 3. Marcell. *lib.* 3. *de Anima, cap.* 75. & omnes Nominales.

Secunda ſententia ait realiter diſtingui D. Thom. 3. *par. quæſt.* 77. *art.* 1. *& q.* 54. *art.* 3. vbi ait, nullam potentiam operatiuam ſubſtantiæ eſſe idem cum ea, *& in diſp.* 9. *q.* 1. *de Spir. creat. art.* 11. *& quæſt. vn. de Anima, art.* 12. ait impoſſibile eſſe animam immediatè concurrere ad actus vitales, ſequuntur Thomiſtæ. Caietan *dict. loc.* Capreol. 1. *d.* 3. *quæſt.* 4. Soto *cap. de Proprio*. Conimbr. 2. *de Anima, cap.* 3. *quæſt.* 4. qui plures pro hoc citant Suarez 2. *de Anima, cap.* 2. *&* *d.* 18. *Metaph. ſect.* 3.

Tertia ſententia Scoti 2. *d.* 16. quam explico ſequentibus concluſionibus.

Dico primò, potentiæ animæ formaliter ab ea diſtinguuntur. Hanc præter Scotum citatum, tenent authores ſecundæ ſententiæ.

Probatur primò, quia potentiæ omnes aliquo modo fluunt ab anima; ergo non ſunt formaliter ipſa. Secundò, anima rationalis non eſt formaliter 2.

malitet

maliter libera, sicut voluntas est, nec formaliter necessaria, vt est intellectus. Tertiò probatur, per has potentias determinatur anima ad varias operationes, ad quas secundùm se indifferens est. Quartò, quæcomque habent aliquam distinctionem realem, vbi sunt separatæ, eandem habent formaliter vbi sunt vnitiuè contenta. Quâ ratione, si vnum esset prius vero, si esset separata, etiam erit prius eo in ente, in quo vnitiuè ambo continentur: ergo intellectus, & voluntas cùm vnitiuè contineantur in anima, (non vt priora, quia huiusmodi sunt tantùm prædicata essentialia) seruabunt eundem ordinem, & distinctionem secundùm formalitatem, quam realiter seruarent si essent separata. de quo Scot. *d.* 16. *num.* 18. 5. Quintò, (& fortè efficaciùs) quia sine hac saltem distinctione, multæ authoritates in oppositum vix solui possunt. Dicunt enim potentias egredi ab anima; esse medias inter substantiales, & accidentales formas; & à nonnullis vocantur

Potentia dicuntur partes animæ.

partes. Dicit enim Anselm. citatus à Scoto suprà *lib. de Concord. gratiæ, & Liberi arbitry, cap.* 19. quòd potentiæ sunt in anima, sicut membra in corpore. Item, August. 6. *de Trinit. cap.* 6. dicit animam deficere à simplicitate diuina, propter multitudinem operationum, & virtutum: ergo istæ aliquo modo distinguuntur ab illa. & *lib.* 15. *cap.* 7. ait mentem distingui ab anima. & Anselm. *lib. de Cas. diaboli*, dicit, etsi potentiæ non sint substantiæ, non tamen esse nihil.

3. Aduerte tamen, etiam in diuinis, cum simplicitate stare formalem distinctionem quodammodò, sicut in creatis: sed operationes in creatis distinguuntur realiter à suis potentiis, in diuinis non, de quo vide Scot. 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 41. *& d.* 8. *q* 4.

Sextò, quia definitio animæ est alia à definitione potentiarum suarum; ergo formaliter ab eis differt. Consequentia est clara: & antecedens patet, quia, vt tenet Scot. *d. d.* 16. *num.* 5. anima essentialiter ordinatur ad dandum viuere, quod nihil aliud est, quàm talis formæ informatio; éstque actus corporis Physici organici, &c. de quo *sect.* 4. & potentia in ordine ad operationem de-

Distinctio formalis admittenda in diuinis.

finitur: ergo hæc formaliter differt ab illa. De distinctione formali videndus est Scot. *d.* 2. *quest.* 7. *num.* 41. *& d.* 8. *quest.* 4. *d.* 13. *num.* 23. *& d.* 26. *contra solut. secundi princip.* quibus locis, & aliàs sæpè admittit eam in diuinis.

Dico secundò, potentiæ inter se distinguuntur formaliter. hanc probant omnes rationes aliatæ *con. praced.* alioquin intellectus formaliter amaret, & voluntas formaliter intelligeret.

Dico tertiò, potentiæ non distinguuntur in-
4. ter se, nec ab anima realiter. Ita Scot. 2. *d.* 16. *num.* 15. *&* 4. *d.* 44. *q.* 2. *num.* 5. sequuntur omnes Scotistæ, & à fortiori eandem tenent Doctores primæ sententiæ. D. Bonau. 1. *d.* 3. *quest.* 3. ait potentias idem esse cum anima, non tamen omnino idem per essentiam: Durand. ait vim vegetandi, augendi, generandi, esse idem cum anima, non tamen alias facultates, vt sentiendi, intelligendi: sed 2. *d.* 3. *q.* 5. *de Angelis*, cum Scoto conuenit expressè August. 10. *Trinit.* 11. *& lib.* 9. *cap.* 5. vbi ait potentias esse animæ substantiam. Idem habet *lib. de Spir. & An. c.* a. 8. *& in terminis, c.* 4. Bern. *Serm.* 11. *in Cant. In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem; & hac tria esse eandem animam.*

Probatur primò, ex Scoto, quod melius est, si possibile sit, poni debet, 2. *de Gen. text.* 50. *&* 1. *Comment.* 56. *&* 8. *Physic. text.* 35. 41. 50. sed paucitas est melior si sit possibilis, quia entia non sunt multiplicanda sine necessitate, 1. *Physic.* ergo cùm hic paucitas si possibilia, vt patebit in solutione argumentorum, tenendum est, potentias esse vnum, & idem realiter cum anima.

Secundò, aliàs anima, quæ post Angelum est perfectissima creatura, nullam habet per se operationem, vel actionem; quod est valde absurdum: quia perfectionis est in accidente esse actiuum; ergo id non est denegandum substantiæ tam perfectæ.

Absurdum animam per se non esse actiuam.

Nec sufficit dicere, quòd agit mediante accidente; quia perfectionis est in accidente separato agere: ergo id non est denegandum substantiæ secundùm se consideratæ. Respondet Caietan. 1. *par. quest.* 54. *art.* 3. animam esse principium primum, & per se agendi, tamen agere mediatè, scilicet mediis potentiis; sed est implicatio, quòd sit per se agens, si potentia per quam agit, est realiter ab ea distincta; nec est primum agendi principium, vel operandi, si tantùm sustinet potentias sic distinctas, sicut lignum calorem. 5.

Confirmatur, si potentiæ sunt re distinctæ ab anima, possunt ab ea separari per Dei potentiam; quia ambæ sunt absolutæ, quod tenet Ferrar. 2. *cont. Gent. cap.* 65. & Soto *cap. de Proprio. &* 4. *d* 9. *q.* 2. *art.* 3. sed tunc anima posset velle, & intelligere, vel esset instar trunci mortui, quod est absurdum. Caietanus negat separari posse; sed malè, quia etsi distinctio realis in relatis non inferat separabilitatem, infert in absolutis; nam ideò ens absolutum dicitur, quòd à nullo re distincto dependeat. de quo Scot. optimè 2. *d.* 1 *q* 4 *num.* 21. & si contra hoc non leue argumentum fieri possit, si teneatur secundùm eum 3. *d.* 2. *q.* 2. compositum re distingui à partibus vnitis, quod mihi dubium est. Confirmatur secundò, ordinatum ad finem nobilius est, si immediatè per se attingat illum, quàm si per aliquid à se distinctum.

Anima separata ab omni accidēte, posset intelligere, & velle.

Tertiò, accidens non generat substantiam, vt fusè probat Doctor 4. *distinct.* 13. *quæstion.* 3. *& distinct.* 13. *quæstion.* 1. quia causa totalis necessariò est perfectior effectu, vel ei æquè perfecta; sed potentia vegetatiua est principium aliendi, & generādi, ex 2. *de An. tex.* 34. 42. 48. ergo ista est substantia, quia per generationem, & nutritionem fit noua substantia: ergo idem est de aliis animæ potentiis, quia eadem est ratio; non enim intellectiua potentia imperfectior est vegetatiua. 6.

Accidens non generat substantiam.

Si quæras, quænam est illa substantia, quæ immediatè nutrit, vel generat? dixi *sect.* 15. esse formam substantialem alentis, seu aliti, & generantis; si tamen hæc non adsit, vt quando semen est omnino separatum à decidente, recurrendum erit ad causam superiorem. Vide alias rationes in Scoto *suprà*.

Quæ causa actiua generationis?

Obiicitur primò, ex D. Thom. 1. *par q.* 77. *art.* 1. actus, & potentia sunt eiusdem generis; sed actus intelligendi, & volendi sunt accidentia: ergo & potentiæ. Respondetur, ex Scot. *d.* 15. *num.* 5. Potentia vno modo sumitur pro principio operandi; & sic diuiditur in actiuam, & passiuam, *ex* 5. *Metaph. text.* 17. *&* 9. *text.* 2. *&* 3. Hoc modo est principium transmutandi aliud, vt aliud; vel ab alio, vt ab alio; & non est eiusdem generis cum actu, quia accidens recipitur in substantia, & efficitur ab ea, etiam in opinione D. Thomæ, loquendo de ipsis potentiis, si admittantur esse accidentia. Præterea, Thomistæ clamant, per accidens produci substantiam, quæ tamen non est

eiuſdem generis cum eo. Alio modo, accipitur potentia, vt ponitur actui, & ſic non tantùm ſunt eiuſdem generis, ſed etiam eiuſdem numeri, vt dicitur 9. *Metaph. text.* 13. quia quod nunc eſt in actu, idipſum fuit in potentia.

7. *Effectus formalis inſeparabilis à forma in ſubiecto, effectiuus ſic.*

Obiicitur ſecundò, ex eodem, ſi anima immediatè ageret: ergo homo ſemper intelligeret, ſicut neceſſariò ſemper viuit, dum habet animam. Negatur conſequentia, quia cauſa efficiens poteſt carere ſuo actu; formalis non, ſi applicetur; vnde, quia viuere eſt effectus formalis animæ, non poteſt eo carere, ſi informat; benè tamen operatione, quam efficit. Et ſi argumentum valet, probat, quòd intellectus, dato quòd ſit re diſtinctus ab anima, ſit ſemper in operatione, & quod ad hoc reſponderet D. Thomas, ſuo argumento ſatisfaciet. Reſpondet Caietan. 1. *par. quæſt.* 77. *art.* 1. D. Thomam ſumere potentiam pro ea quæ eſſentialiter ordinatur ad actum. Contrà, quia ſi non ſumit pro potentia effectiua, argumentum nullo modo eſt ad propoſitum: ſi ſic ſumit, impugnatio eſt efficaciſſima. Reſpondet Iauell. 2. *de Anima, quæſt* 15. quando D. Thom. dicit potentiam, & actum eſſe eiuſdem generis, eum loqui de potentia pro primo principio actiuo, vel paſſiuo; & anima primò producit *eſſe* ſubſtantiale, conſtituendo animatum, vt ſic actus eſt eiuſdem generis: ſecundariò autem producit potentias, quæ ſunt accidentia, & non eiuſdem generis.

8. *Potentia, & actus ſunt eiuſdem generis, explicatur.*

Contra primò, anima in ſubiecto nullam ſubſtantiam efficit, niſi nutriendo alitum, vel augendo, & hoc per potentiam vegatatiuam, quæ non diſtinguitur ab ipſa. Secundò, implicatio eſt, animam priùs producere *eſſe* ſubſtantiale, quàm habeat potentias. Tertiò, dat anima *eſſe* animatum non per productionem, ſed per informationem, alioquin poſſet eſſe in materia per informationem, & non animare illam, quod abſurdum eſt. Dicendum ergo, quòd dat *eſſe* viuum in re per potentiam vegetandi, & eſſe animal per ſenſitiuam, & eſſe rationale per intellectiuam.

Idem agit in ſe.

Obiicitur tertiò, idem non mouet ſeipſum; quia inter agens, & patiens debet eſſe diſtinctio, ſed potentia cognitiua mouet appetitum: ergo non ſunt idem. Reſpondetur, non eſſe idem formaliter, & hoc ſufficit, vt ſecundùm vnam rationem animam moueat, & ſecundùm aliam moueatur. Vide Scot. 2 *d.* 2 *quæſt.* 10 *ad* 1. vbi docet Angelum ſe mouere, *&* *diſt.* 3. *quæſt.* 8. vbi oſtendit Angelum cognoſcere ſe per ſuam eſſentiam, *&* *d.* 25. *ad* 1. vbi docet voluntatem agere in ſe, *&* 1. *d.* 3 *quæſt.* 7. *num.* 17. quòd intellectus agit in ſe, quia hoc benè conuenit agenti æquiuoco, etſi non vniuoco; neque hæc negabunt aduerſarij.

Obiicitur quartò, accidens variabile non poteſt ineſſe, niſi mediante inuariabili; ſed intelligere, & velle ſunt accidentia variabilia; ergo. Reſpondetur, ſubſtantiam animæ eſſe magis inuariabilem, quàm vllum accidens; & ſic ſuſteotare poſſe immediatè accidentia illa.

9.

Obiicitur quintò, vnum & idem indiſtinctum non poteſt eſſe principium receptiuum, vel actiuum multarum formarum, niſi mediis variis diſpoſitionibus, alioquin quodlibet in quolibet recipi poſſet, contra Philoſ. 1. *Phyſic. text.* 37. 45.

Vnũ, & idem poteſt eſſe principium actiuum, & receptiuum variarum formarum.

Reſpondetur, etiam ſecundùm eos, anima eſt immediatum ſuſceptiuum, & actiuum potentiarum; & nos ſic dicimus eſſe operatiuum. Quod dicitur, materiam non poſſe recipere varias formas, niſi variis diſpoſitionibus mediis; verum eſt de formis ſubſtantialibus, quæ non introducuntur ſine præuia actione ſuorum accidentium in accidentia corrumpendi; ſed non ita de formis accidentalibus, per ſe loquendo, alioquin daretur proceſſus. Vide Scotum ſuprà *ad* 3. *num.* 8.

Obiicitur ſextò, ex Suarez cit. habitus perficientes animam, ſunt inter ſe diſtincti: ergo & eorum ſubiecta. Confirmatur, actus intellectus & voluntatis, vt fidei & charitatis, & earum habitus, ſunt diſtincti: ergo conſonum fidei eſt, eorum ſubiecta eſſe diſtincta. Reſpondetur. Conſequentia eſt nulla; & ſi valeret, illæ potentiæ, quas ipſi ponunt accidentia, deberent habere ſubiecta diſtincta. Per idem ad confirmationem, & ſi valeret, ſpes, & charitas haberent voluntates re diſtinctas, quibus ſubiectarentur; & lumen gloriæ, ſcientia, fides, opinio, haberent quatuor intellectus re diſtinctos, quos perficerent.

Obiicitur ſeptimò, ex eodem. Luc 10. *Diliges Deum tuum ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis*: vbi per vires intelligit potentias, quas ponit diſtinctas ab anima. Item, ex illo Pſalm. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt*. Reſpondetur, eſſe ad oppoſitum, quia ipſe negat animam, vt diſtinctam à potentiis diligere poſſe, quod tamen hic dicitur. Sed primo loco intenditur, Deum diligendum eſſe ſuper omnia, neque id fieri poteſt per diuerſas vires, ſed per vnam: iubetur autem totis viribus diligi illius poteſtatis, vt ſignificetur Deum ſuper omnia diligendum, ſiue intenſiuè, ſiue appretiatiuè, de quo non eſt huius loci agere. Vide Scot. 3. *d.* 27 & D. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 3. *&* 4. Lyran. *in id. Deut.* 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Per cor intelligit voluntatē, per animam intellectum, per fortitudinem externa opera; & eodem modo exponi poteſt locus iſte. Gloſſa ordinaria ait, amoris ſciſſionem, vel diuiſionem, ibi prohiberi. 10. *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde, &c. exponitur*

Obiicitur octauò, ex Conimbric. *ſuprà*, quia *Philoſ. lib. de Senſ. cap.* 2. ait ignem, terram, cæteráque elementa non eſſe apta agere, niſi vt habent contrarietatem, vt calorem, frigus, &c. Reſpondetur, nihil tale eſſe in toto illo capite, & ſi alicubi habetur, ſenſus eſt, iſta elementa (& idem eſt de aliis) non producere ſubſtantiam, niſi præuiâ actione accidentali.

Obiicitur nonò, ex eiſdem, grauitas, & leuitas ſunt potentiæ diſtinctæ à ſubiectis: ergo idem de potentiis animæ. Reſpondetur; antecedens verum eſſe de ſeparabili leuitate, & grauitate, non autem de inſeparabili. Ratio eſt, quia negandà eſt diſtinctio realis, vbi impoſſibilis inſeparabilitas in abſolutis (maximè ſi vnum non includit alterum eſſentialiter, ſicut totum partes), & entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate. 11. *Grauitas non diſtinguitur à re graui*

Obiicitur vltimò, potentiæ ſunt in ſecunda ſpecie Qualitatis: ergo non ſunt animæ ſubſtantia. Reſpondetur, Ariſtotelem *cap. de Qualitate*, non dicere omnem potentiam naturalem eſſe qualitatem, ſed potentiam facilè faciendi, vel patiendi; & ſic de accidentalibus potentiis tantùm loquitur. Ita Scotus 2. *d.* 16 *fine*, vbi id probat exemplis Philoſophi, de pugillatore, & curſore. Hæc ſunt præcipua, quæ contra Scotũ in hac ſententia adducuntur, alia minoris momẽti omitto.

Quòd verò noſtra ſententia ſit Ariſtotelis patet; quia 2. *de Anima, text.* 13. diuidit gradus animæ in quatuor ſpecies, vegetandi, ſentiendi, intelligendi, loco mouendi, & *ibid. text.* 19. ait eſſe partes animæ, & *text.* 27. vocat illos gradus, potentias. 12.

Potentiæ secundùm Philos. non distinguuntur ab anima, vel inter se.

tentiis. Quòd autem sit Augustini *lib. de Spir. & An. tom. 3. c. 4.* patet ex his verbis: *Dicitur namque sensus imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quàm ipsa, non secundùm essentiam verò, vnum sunt in anima, & idem cum ipsa.* & *cap. 13. Dicitur namque talis anima, dum vegetat, spiritus, dum contemplatur, sensus, dum sentit, animus, dum sapit, ista tamen non differunt in substantia, quoniam omnia ista vna anima est.* Iterum, loquens de potentiis: *habet* (anima) *naturalia, & ipsa anima est, potentia namque, & vires eius, idem sunt, quod ipsa habet, & accidentalia, & ipsa non est, non enim est sua temperantia.*

Expressissimè pro nobis est August.

SECTIO XIX.

Vtrùm potentiæ distinguuntur per actus, vel obiecta?

1. PRo explicatione, Nota quòd potentia est duplex, actiua, & passiua; illa est ad agendum; & hoc, vel immanenter agendo in se, vt quando intellectus in se producit intellectionem; vel transeunter, producendo terminum in alio, vt quando calor lignum calefacit. Vtraque agit circa aliud, sed differenter; quia prima respicit aliud vt obiectum, quod cognoscit, vel amat, neque semper respicit aliud à se distinctum. Secunda respicit vt subiectum. Item, hæc operatur suum obiectum, quod non est aliud à suo effectu; illa non, sed supponit illud. Vide Scot. 1. *d. 2. quæst. 7. art. 3. & Quodl. 13. art. 3.* Passiua potentia est, quæ ad recipiendum ordinatur, & aliquando recipit formam Physicam per alterationem, & cum resistentia; & tunc correspondet actiuæ transeunti, vt in exemplo: aliquando solam formam perfectiuam, non exigentem dispositionem præuiam; vt cùm recipitur species in sensu, vel intellectu; & hæc est admixta actiuæ immanenti, quia, verbi gratiâ, potentia mediante tali formâ, elicit in se actum. Quæstio intelligitur de vtraque potentia.

Potentia immanens, & transiens, quomodo differunt?

Potentia passiua duplex

D. Thom. 1. *par. quæst. 77. art. 3.* Caiet. *ib.* Ferrar. *4. contra Gent. cap. 24.* & alij tenent potentias distingui intrinsecè, & essentialiter, per actus, vel ordinem ad eos; quos sequitur Suarez 2. *de Anima, c. 2.* Pro resolutione

Nota ex Scoto *Quodl. 13. art. 3. fin.* quòd potentiam distingui per actus, vel obiecta, vel actus per obiecta, potest dupliciter intelligi; primò, essentialiter, intrinsecè, & à priori: secundò, à posteriori, seu extrinsecè.

2. Dicendum, potentias intrinsecè non distingui per actus, & obiecta. Ita Scot. *cit. & 1. d. 6. num. 34. & 2. d. 16. ad* 1. Probatur primò, ex dictis *sect. præced.* quia probatum est potentias esse idem animæ: ergo non constituuntur, vel distinguuntur per aliquid ipsis extrinsecum, sicut nec anima. Secundò, potentia est prior actu; ergo ab eo non distinguitur: nec constituitur in suo *esse*. Et eadem ratio potest esse de obiecto; quia quandoque non existit, potentiâ existente; & si existit, per accidens est, licèt quoad aliquos actus potentiæ cognitiuæ requiratur eius existentia, scilicet quoad intentionem. Tertiò, ex Scot. 2. *d.* 1. *quæst. 6.* vbi contra D. Thomam tenentem Angelum, & animam distingui specie; quia hæc cum discursu, illa sine discursu intelligit; ostendit quòd ambo priùs constituantur, & distinguantur in se, quàm in ordine ad actum secundum. Et ratio est, quia omne ens, quod est principium alicuius operationis, ideò est tale principium, quia est in se tale ens in se. Vnde si quæras primam distinctionem Solis à planta, non est quia Sol generat multa, & diuersa mixta, planta non; sed quia Sol in se habet talem formam, à qua iam variæ generationes proueniunt: alioquin potentiæ essent relationes, quia tales tantùm definiuntur per habitudinem ad aliud. Caietanus dicit ista extrinseca includi in definitione potentiæ; sicut correlatiuum in definitione relationis; quod tamen contra ipsos est, quia dicunt esse qualitates de secunda specie.

Potentia non distinguūtur per actus, vel obiecta.

Prima distinctio absoluti non est per respectū.

Respondet Caietanus, quòd absolutum à termino, & propriè absolutum, vt substantia, qualitas, &c. Absolutum verò ab actu, ac obiecto, est quod non respicit ista; & relatiuum huic oppositum non est de genere Relationis. Sic saluat etiam respectum constituentem animam intellectiuam, & indiuiduantem accidentia. 3.

Contrà primò, quia hæc distinctio est efficta. Secundò, non sunt ista relatiua secundùm *dici*, quia etiam partes substantiæ sunt huiusmodi: ergo secundùm *esse*; quia eorum *esse* est ad aliud se habere, quia eorum definitio includit illa extrinseca; nam secundùm Caietanum in definitione includitur habitudo ad obiectum, & huius habitudinis terminus est obiectum; quia omnis habitudo habet terminum, & absolutum sibi sufficiens, & in se manens, nullum habet terminum; ergo nec habitudinem. Eædem rationes procedunt contra Suarez dicentem ordinem ad obiecta esse potentiis intrinsecum.

Ficta distinctio absoluti à termino, & absoluti ab obiecto.

Obiicitur primò, 2. *de An. text.* 33. dicitur, quòd potentiæ distinguuntur per actus, & hi per obiecta. Respondetur cum Scot. *loc. cit. maximè Quodl.* 13. loqui Aristotelem de distinctione à posteriori, seu per manifestationem, non autem de distinctione à priori, seu intrinseca. Vel loquitur de distinctione per principia extrinseca, quæ sunt finis & efficiens, quia actus sunt finis potentiæ, & obiecta concausæ necessariò requisitæ, vt simul cum potentiis eliciant actum effectiuè.

Potentia distinguuntur per obiecta, exponitur.

Dices, absoluta non distinguuntur per extrinseca, sed per intrinseca. Respondetur, non distinguuntur per extrinseca tanquam per formalia distinctiua, sed per intrinseca; neque distinguuntur per extrinseca, tanquam per correlatiua, vel terminum relationis, sed sensu explicato, manifestatiuè. 4.

Obiicitur secundò, ex Caietan. *d. art.* 3. quia distinctio à fine est à priori, quia à causa: ergo malè negatur, quod admittitur. Respondetur finē non esse causam realem, sed metaphoricam; & ideò à priori non distinguit, quia realiter non dat *esse*, sed tantùm mouet agens, vt det illud; tantùm ergo distinguit in ratione posterioris, & termini.

Finis non distinguitur à priori, quia non est causa realis.

Obiicitur tertiò, actus diuersi sunt ab eadem potentia, vt amor, & odium à voluntate, visio & creditio ab intellectu; & in diuersa obiecta tendit eadem potentia, vt intellectus in sensibile, & intelligibile; & idem obiectum à diuersis potentiis cognoscitur, vt visibile à visu, sensu communi, & intellectu: ergo neque à posteriori potentiæ distinguuntur per actus, vel obiecta. Respondetur ex Scot. 1. *dist. 6. num.* 4. potentias distingui per actus adæquatos, sic intellectus per *intelligere*, non per hoc, vel illud *intelligere*, voluntas per *velle* vt sic, sensus per *sentire*, &c. Quando enim constat aliquem videntem non percipere sonum, patet aliam esse potentiam,

Potentia distinguuntur per actus adæquatos.

quâ sonus percipitur, distinctam à visiua: & sic de aliis.

Quomodo ex obiectis colligitur distinctio potentiarum?

Quoad obiecta, quomodo arguant diuersas potentias, Notandum ex Scot. 1. *quæst.* 3. *num.* 22. potentias esse aut omnino disparatas, & tunc habent obiecta diuersa, vt visus, auditus, aut subordinatas in eodem genere, vt cognitiua inferior, & intellectus: & tunc obiecta prima sunt diuersa, quia obiectum inferioris, est pars obiecti superioris potentiæ; vt sensibile pars obiecti intellectus: aut subordinatas in diuerso genere, vt cognitiua, cum sua appetitiua; & tunc (inquit Doctor) si voluntas, verbi gratia, habere potest actum circa omne id, quod intelligitur, idem erit vtriusque obiectum; si verò tantùm tendere possit in finem, & extra finem, obiecta erunt distincta: iuxta hoc, non semper potentiæ distinguuntur per obiecta: sed tunc, quando actus vnius non potest tendere in obiectum alterius.

DISPVTATIO II.

De potentiis corporeis animæ.

SECTIO I.

Vtrùm sensus sit actiuus speciei, & sensationis?

1. COMMENTATOR, vt ei tribuunt Iauell. *quæst.* 51. *art.* 1. *ad* 1. & alij, negauit species sensibiles produci ab obiecto, sed ab Intelligentia aliqua. Idem ait Nyphus 2. *de Anima*, *tr.* 60. Alij tribuunt earum productionem cœlo. Caietan. 3. *de Anima, cap.* 12. ait obiectum ex se non esse speciei actiuum, sed benè vt participat naturam substantiarum immaterialium. Sed hæc participatio chimærica videtur; quia si est participatio alicuius intrinseci obiecto, iam obiectum ex se erit actiuum: si extrinseci superadditi, tribuetur Intelligentiæ, vel virtuti cœlesti: quia nihil aliud assignari potest, quod extrinsecè afficiens obiectum, posset species producere.

Qui negant species produci ab obiectis?

Dico primò, species sensibiles externæ producuntur ab obiectis sine concursu sensuum. Ita Aristoteles 2. *de Anima, text.* 121. vbi ait *sensum pati à sensibili*, August. 10. *de Trinit.* 2. D. Thom. 1. *par quæst.* 11. *art.* 4. Scot. *Quodl.* 15. *expressè* 1. *d.* 3. *quæst.* 6. *ad* 1. Aristoteles ait, quòd sensus patitur à sensibili; & August. quòd obiectum ad extra mouet sensum. Ratio est, quia cùm obiectum sit sufficiens causa specierum sensibilium, non est assignanda alia. Nec valet quòd species sit perfectior obiecto; quia è contra est. Et quando dicitur immaterialior, sensus est, esse minoris entitatis, non maioris spiritualitatis. Præterea, experientia speciei in speculo, hoc suadet.

Species non est perfectior obiecto.

2. Dices potiùs esse ad oppositum; quia obiectum quod retrò est, non potest causare speciem reflexam. Respondetur, eam causare reflexè, quando ex oppositione corporis politi opaci impeditur agere directè. Vide Scot. 2. *d.* 13. *art.* 3. *&* 4 *d.* 10. 4. 9 *fin.*

Species reflexa à speculo, fit ab obiecto.

Obiicitur: Intellectus concurrit ad speciem intelligibilem; ergo idem de sensu; & per consequens datur sensus agens, sicut & intellectus. Respondetur, quia obiectum materiale improportionatum est ad speciem spiritualem producendam, recurritur ad intellectum, & ideò ponitur intellectus agens: at obiectum sensibile, proportionatum est speciei sensibili producendæ; & hinc patet argumentum potiùs esse ad oppositum: sed loquendo de obiectis spiritualibus, eadem est ratio de vtraque potentia. Maior difficultas est de specie sensibili interna, an ab aliquo sensu efficiatur?

Quare ponitur intellectus agens, & non sensus agens?

Fonseca *primo Metaphysicæ, capite* 1. *quæstione* 3. *sectione* 8. & alij, dicunt has species produci ab obiecto mediante sensatione externa: alij, quòd ab ipsis speciebus externis. Nota species internas communiter poni triplices, sensatas, compositas, & insensatas. Sensatæ sunt, quæ proprias particularium obiectorum sensationes supponunt, vt species interna parietis ex visu eiusdem. Compositæ, quando plures species sensatæ vniuntur; vt cùm imaginamur montem aureum. Insensatæ, quæ repræsentant aliquid non sensatum sensu externo; vt quando agnus videt lupum, imaginatiua apprehendit inimicum. 3.

Species internæ triplices sunt.

Dico secundò, verius videtur, quòd species sensatæ internæ non causantur ab obiectu mediante specie, vel sensatione externâ; primò, quia sunt perfectiores, quia perfectioris potentiæ, & ad perfectiores actus. Secundò, species, vel sensatio in oculo, aut tactio in pede, non possunt transfundere speciem ad sensum internum, qui est in cerebro, quia media non sunt capacia; & saltem quoad visibile, patet eius speciem in medio recipi.

Species internæ non causantur ab obiectis.

Tertiò, experientiâ constat specie in sensu externo receptâ, quando quis distractus, non gigni speciem internam; ergo hæc non fit ab illa, alioquin semper fieret, cùm sit causa naturalis applicata debitè. Et eâdem ratione probaut de sensatione externa, quia hæc etiam quandoque habetur non habitâ specie internâ, quâ ratione Scot. 1. *d.* 3. *quæst.* 4. *num.* 18. probat contra Ægid. speciem non esse visionem; quia contingit eam recipi in oculo cæco, vel dormientis, & non fieri visionẽ: sed ratio nihil probat, quia præter speciem, tam in sensu externo, quàm interno, requiritur concursus, & attentio potentiæ. Quartò, sequeretur quòd per sensationem internã videretur species, vel sensatio externa, non obiectum: quia species sensibilis est similitudo eius à quo efficitur. 4.

Quod sensatio externa, non causat speciem internam.

Dico tertiò, probabile videtur effici talem speciem à sensu externo mediâ sensatione. Probatur, quia non à specie, neque ab obiecto, neque est assignabile aliud à quo efficeretur. Præterea, sensu externo non operante, non recipit internus species, eóque operante recipit, & quò externus meliùs operatur, eò meliores species recipit internus; ergo ab externo efficitur species.

An sensus externus efficiat speciem internam?

Obiicitur, quia sequeretur quòd species interna repræsentaret sensum externum. Negatur, alioquin species intelligibilis repræsentaret intellectum, à quo efficitur, & etiam phantasma, si ab eo fit. 5.

Obiicitur secundò, illud Augustini 9. *Trinit.* ab obiecto, & potentia paritur notitia; quia hæc sententia nullum concursum relinquit obiecto, quoad sensationem internam. Respondetur, si demus sensationem, externam esse concausam speciei internæ, obiectum concurrit mediatè ad eam; & hoc est probabile: si autem hoc negatur, dictum illud de cognitione intellectiua procedit.

Contrà:

Contrà: sed secundùm hanc sententiam cognitio intellectualis de sensatione interna non est ab obiecto. Respondetur, sufficere quòd sit ab obiecto determinatiuè, quantùm est ad illam locutionem; & sic est in proposito, sed nihil hîc certum habetur. Prima solutio melior videtur.

Ex his sequitur, speciem internam specie distingui ab externa, alioquin vna efficere posset aliam. Praeterea, vna dependet in *esse* ab obiecto, altera non. Sequitur etiam à fortiori internam speciem specie distingui ab vtraque sensatione, quia haec est vitalis, illa non.

Probabile dari sensum agentem.

6. Dico quartò, probabilius fortè est ipsum sensum internum producere suam speciem. Suadetur primò, quia non satis capi potest, quomodo sensus, vel sensatio externa, hanc possit producere. Secundò, si produceretur à sensatione, dependeret in *esse* ab ea, sicut species externa ab obiecto. Tertiò, videtur sensus internus se habere ad suam speciem, sicuti intellectus ad suam. Tenendo hanc, oportet dicere Aristotelem non negasse sensum agentem internum, neque oppositum ex eius verbis colligi conuincitur. Dixi conformiter ad hoc in *Comment. ad quaest.* 17. *num.* 6. sensationem externam non efficere speciem internam; aut si asseruit non dari sensum agentem, de externo loquitur.

Dico quintò, verisimile est cùm fingimus montem aureum, speciem etiam fieri, quâ repraesentatur, quia alioquin illa duo non repraesentarentur per modum vnius, sed tanquam disparata: nec hîc interuenit iudicium; quia hoc non conuenit sensui, sed comparatiua quaedam apprehensio: de quo dixi in Comment. *ad q.* 8.

An dentur species insensata, & quae earum causa?

7. De speciebus insensatis an dentur, néne, dubium est: de quo dixi in Commentat. *ad quaest.* 9. *num.* 10. Quidam putant Scotum eas negare 1. *dist.* 3. *quaest.* 2. *num.* 18. vbi negat ouem ex speciebus accidentium lupi, cognoscere inimicitiam. Sed potiùs videtur ad oppositum, quia negando ouem cognoscere rationem nociui ex illis accidentibus, & eorum speciebus, quia eodem modo (inquit) cognosceret ouis lupum in illis accidentibus, si eis subesset non lupus, sed alia ouis; videtur insinuare quòd per aliam speciem cognoscatur ratio mali. Sed neutram partem ibi docuit, quia tantùm egit contra illud exemplum adductum ab Henrico tenente Deum à nobis cognosci per creaturas, quasi suffodiendo, sicut ouis suffodiendo visis accidentibus lupi, cognoscit inimicum, quem antea nunquam vidit. Si teneatur has insensatas dari, oportet admittere sensum internum, vel externum esse agentem respectu earum, iuxta tertiam & quartam conclusionem. Si autem negetur, dicetur rationem nociui, & conuenientis, & sic de aliis, per ipsas species sensatas accidentium modificatas, cognosci; quomodo suprà in Commentat. *ad quaest.* 6. dictum est de sensibilibus communibus, quae per species propriorum sensibilium sic modificatas, percipiuntur: in qua re coniecturis tantùm proceditur, quia nihil certi habetur.

Sensum esse actiuum & passiuum suae sensationis.

8. Dico vltimò, sensus omnis est actiuus, & passiuus suae sensationis. Est communis contra Henric. 2. *de Anima, quaest.* 16. & Apollinar. *quaest.* 19. qui volunt quinque sensus agentes realiter distinctos à passiuis. Probatur prima pars (secunda est patens experientiâ) ex Aristotele 2. *de Anima, text.* 127. vbi ait sensum non tantùm esse passiuum, sed etiam agere, & 9. *Met. text.* 16. ait sentiendi, & videndi munus, esse actiones immanentes: ergo ab eo efficiuntur in quo recipiuntur. Item, nullibi posuit sensum agentem, neque plures quinque sensibus. Secundò, res non sunt multiplicandae sine necessitate: ergo vnus sensus erit actiuus, & passiuus simul, quia nihil vrget ad plures sensus ponendos. Tertiò, intellectus & voluntas efficiunt suos actus vitales: ergo. De hac conclusione latè dixi in Commentar. *ad quaest.* 12. vide Doct. ibi, & fusiùs 1. *dist.* 3. *quaest.* 7. vbi quinque, vel sex sententias circa hoc refutat, & *quaest.* 8. vbi ostendit potentiam esse principaliorem causam actus vitalis: & ibi *ad primum princip.* expressè docet sensum esse actiuum. Vide Bargium *ibi ad* 1. qui fusè ex Philosopho hanc conclusionem probat.

Sensatio non est speciei receptio.

Hinc sequitur falsam esse sententiam Nyphi *lib. de Sensu agente*, Veneti *in sum. de Anima, cap.* 10. & Thienen. 2. *de Anima, text.* 61. & Caietani, ibi tenentium sensationem esse ipsam speciei receptionem. Addit Caiet. oppositum tenentes esse pauperes, non spiritu, sed ingenio; sed additio diues est spiritu non humilitatis, nec modestiae; cùm communis Doctorum, & Sanctorum ita teneat, & alioquin visio non esset actio immanens, contra Aristotelem cit. nec actio vitalis, quia non ab interno principio. Sequitur etiam falsum esse quod ait Albertus 2. *part. summ. de homine tract. de Sensibus animae*, sensationem fieri ab anima, non à potentia: quia quomodocumque haec distinguitur ab anima, actiua est. 9.

Sensus est actiuus, & passiuus.

Obiicitur primò, Aristoteles 2. *de Anima, cap.* 7. ait absolutè sensum esse potentiam passiuam. Respondetur, ita est vt recipit speciem, & sensationem, sed actiua est, vt elicit actum: loquendo de sensu interno, diximus, probabile etiam esse, quòd est suae speciei actiuus. Illo autem loco Aristoteles confert potentias cum obiectis, & sic sensus est passiuus, saltem loquendo de externo.

Obiicitur secundò, potentia actiua, ex 5. *Met. text.* 17. est principium transmutandi aliud; sed hoc non conuenit sensui. Respondetur tantùm loqui de potentia Physica, seu actionis transeuntis. 10.

Potentia actiua quid? Quomodo aliquid in potentia & actu simul?

Obiicitur tertiò, nihil agit in seipsum; quia alioquin esset in actu, & potentia simul. Respondetur, verum est actione vniuocâ, benè tamen aequiuocâ; quia aqua se reducit ad frigiditatem; nec repugnat aliquid esse virtualiter in actu, per formam ab ipso producendam, & idem esse patiens formaliter tale in potentia. Vide Scotum 1. *d.* 3. *quaest.* 7. *ad* 1. *pro sent.* Goffredi, & 2. *d.* 25. *n.* 17.

Materia & efficiens, an coincidunt?

Obiicitur quartò, materia, & efficiens non coincidunt, ex 2. *Physic. text.* 70. Respondetur, cum Scoto citato, intelligi de materia prima, non de secunda.

Respectus actiui ad passiuũ an semper sit realis?

Obiicitur quintò, sequeretur idem ad se referri realiter, contra Aristotelem 5. *Met. tex.* 17. & 20. & 3. *Physic. text.* 3. Consequentia patet, quia idem esset actiuum simul, & passiuum: haec autem dicunt relationes reales. Respondetur, fortè non esse inconueniens, quando relatio non est producti, vel causati ad causans, vel producens, de quo Doct. cit. & Leuchet. 1. *d.* 3. *quaest.* 7. sed relatio haec non est Praedicamentalis, seu de genere Relationis; sed de genere Actionis, vel Passionis; & huiusmodi potest stare sine reali distinctione agentis à patiente; sed relatio de genere Relationis petit realem distinctionem inter sua extrema: & haec interuenit in proposito, inter sensum, & sensationem, quae est producentis ad productum. De 11.

tribus conditionibus requisitis ad relationem realem, vide Scotum 1.*d.*31. vbi pulchrè probat æqualitatem, similitudinem, & identitatem esse reales in diuinis. Iuxta hanc solutionem exponi potest Doctor 2.*d.*25.*n.*17. vbi negare videtur relationem mouentis ad motum esse realem. *Vide disp. seq. sect. 15. concl. 5. fin.*

SECTIO II.

Vtrùm in quolibet cognoscente sit appetitus?

1. *Quid naturalis appetitus naturæ?* NOta quòd appetitus naturalis est duplex, ex Scoto 3.*d.*17.*num.*5. vnus, qui non est vllus actus elicitus, vt habet Doctor *ibi, & d.* 18. *fin. &* 4.*d.*49.*quæst.*10. *num.*3. sed est ipsamet natura cuiuslibet rei, vt inclinata ad sibi conuenientia; vnde non magis conuenit voluntati, quàm graui in ordine ad locum sursum. De hoc appetitu non quæritur, sed de potentia quadam vitali, consequente cognitionem: & pro nunc non quæritur de appetitu libero, seu rationali; de quo postea.

Respondetur, dari appetitum naturalem, qui in quolibet cognoscente est potentia, per quam appetit conuenientia, & fugit nociua. Ita Aristoteles 3. *de Anima, cap.* 3 *text.* 17. *& lib.* 1. *Mag. Moral. cap.* 17. Scotus 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *n.* 6. *&* 3. *d.* 15. *n.* 10. est communis. Aristoteles ibi ponit duplicem appetitum, naturalem, & rationalem; ille sequitur imaginationem, hic rationem: ille in corporalia, & singularia, hic etiam in communia, & spiritualis fertur. *Dari duas potentias appetitiuas.* Probatur ab Aristotele *d. cap.* 10. quia experimur in nobis simul eiusdem rei appetitum, & fugam; vt quando appetimus delectabile, & voluntas ob aliquod inconueniens ei annexum sibi ostensum, cohibet appetitum, sed hæc duo possunt simul ab eadem potentia esse: ergo sunt duo appetitus.

2. Secundò, animalia frustra cognoscerent sibi conuenientia, si non haberent appetitum ad ea acquirenda. Tertiò, hæc vltrò se mouent, ad sua commoda, inanimata verò non se mouent, sed mouentur ad ea. *Quidam trahuntur plus ad quædam vitia, & non ad alia, & quare?* Quartò, ex Scoto 2. *dist.* 6. *q.* 2. §. *Quantum igitur ad istum*, experientia constat, quòd secundùm diuersitatem complexionum est prædominium appetitus sensitiui; vnde in aliquibus trahitur voluntas ad consentiendum in luxuriam, in aliis ad superbiam, propter sympathiam vtriusque appetitus, & radicationem in eadem anima. Quintò, ex eodem 3. *d.* 15. quia virtutes morales ponuntur in appetitu sensitiuo, & non in potentia cognitiua, quia non eo est quis virtuosior, quo plura cognoscit. Ad idem adducit Damasc. *ibi.* Sextò, Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Matth. 17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.*

3. Dices, hæc non probare, appetitum distingui ab ipsa potentia cognitiua. Respondetur, iam dixi *sect. præced. d.* 1. potentias nec inter se, nec ab anima realiter distingui, si organa secludas; distinguuntur tamen formaliter, quod sufficit.

An sit appetitus in Deo? Obiicitur, sequi etiam in Deo esse appetitum, quia cognoscens est. Respondetur appetere bona in nobis, non sibi, qui nullius eget; seclusis ergo imperfectionibus, non inconueniens appetitum ei tribuere.

Obiicitur secundò, sufficere in homine vnum appetitum rationalem; ergo alius superfluit. Negatur antecedens, sed sicut habet cognitiuas potentias, corpoream, & spiritualem, ita de appetitiua. Contrà, sufficit ei vna anima spiritualis sine sensitiua; ergo idem de appetitu spirituali. Negatur consequentia, quia illa anima cum organis sufficit ad actiones etiam corporeas, non sic de appetitu spirituali, quia tantùm elicit actus spirituales, sicut & intellectus.

Obiicitur tertiò, sicut appetitio sequitur cognitionem, ita motio appetitionem; sed eadem est vis motiua in his, quæ rationem habent, & eâ carent: ergo & idem appetitus, & sic non erunt duo. 4. *An sint in homine duæ potentiæ motiuæ?* Respondetur, in anima est duplex vis motiua, vna spiritualis, quæ se moueret, si separata esset, altera organica, seu progressiua, quæ corpus mouet.

Quid est admiratio? Obiicitur quartò, admiratio est affectio non conueniens appetitui sensitiuo, neque intellectiuo; ergo si ex huiusmodi actibus probatur esse appetitum, ponendus erit tertius. Respondetur, admiratio est sola consideratio insoliti obiecti, cuius causa ignoratur, & sic ad cognitiuam potentiam spectat. Dices Christum, qui omnium causas nouit, admiratum fuisse. *Vnde illa admiratio Christi?* Respondetur admirationem eius ortum habuisse ex scientia experimentali, in qua profecit.

Risus vnde constatur? Petes de risu, an ad appetitum spectet? Respondetur, obiectum risus est res noua repentina, leuis, vel ludicra, habens facetiam, vel argutiam, quibus mimi vtuntur: vt si quis vanè & profanè incedens in lutum incideret. Dum autem talia occurrunt, cor gaudio affectum se dilatat, fitque sanguinis, & spirituum diffusio, quam sequitur musculorum, thoracis & membranæ præcordiorum motus, & ad hunc finem extenduntur musculi ad latera buccæ, fitque ille oris gestus, qui risus dicitur: causa ergo principalis risus secundùm quosdam, est anima, instrumentalis, appetitus, & vis motrix. Verius videtur appetitum esse causam remotam, vim motricem, proximam; quia in illo oris gestu formaliter consistit risus, vt tamen sit verus, non effictus, debet supponere gaudium. *Risus supponit gaudium.*

Ex quibus sequitur ignaros, cæteris paribus, esse ad risum procliuiores, quia faciliùs occurrit eis obiectum ignotum; ideò Philosophi minùs hilares sunt, plebecula è contra; quâ ratione dicitur, qui plus habent scientiæ, minus habere fortunæ; quia ille dicitur benè fortunatus, cui non præcognita eueniunt bona, de quo vide Doctorē *Quodlib. vlt.* vide de risu Fracastorium §. *de sympathia, cap.* 20. Cicero, 2. *de oratore*, fatetur se nescire quid sit, nec vnde concitetur; & optimè, quia coniecturis incertis cognosci potest. *Cicero nescit causam risus.* Sequitur etiam requiri admirationem ad risum: vnde iucunda non causant risum, nisi sint rara, vt admirationem causent. *Quæ causa fletus?* Fletus prouenit ex contrariis causis; sicut enim delectatione cor dilatatur, & thorax, & musculi, ita dolore restringitur cor & partes oculis vicinæ, & ex hoc motu, & calore excitato, humor soluitur in lachrymas. *Pueri & mulieres, quare faciliùs flent?* Vnde pueri & fœminæ faciliùs flent, quia humidiores, magisque passionibus affecti. Vide Aristotelem *sect.* 31. *Probl.*

Petes an tot sint appetitus, quot cognitiuæ potentiæ. Respondetur affirmatiuè. Ita Scotus 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *num.* 6. D. Thom. 1. *part. quæst.* 80. *art.* 3. Ratio est, quia bonum apprehensum est obiectum appetitus: ergo pro diuersitate apprehensionum internarum, & externarum, erit diuersitas appetituum. Vide Scotum 3. *dist.* 17. *num.* 2. vbi ait tot fuisse in Christo appetitus, quot potentiæ cognitiuæ.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrùm obiectum appetitus sit bonum, quà tale?

1\. SCotus 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *ad argumen. pro opin.* & 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. *num.* 13. & *dist.* 43. *q.* 2. & 1. *d.* 3. *quæst.* 3. *num.* 22. dubius manet, vel potiùs non decidit, an voluntas possit velle malum: quod tenet Occam 3. *dist.* 13. *dub.* 3. Gab. 2. *d.* 6. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 10. Angest 2. *part. Moral. cap.* 2. Alm. *tract.* 3. *Moral. c.* 4. *fin.* Maior 2. *d.* 28. *q.* 1. *ad* 1. & 4. *q.* 4. *d.* 49. *q.* 7. *con.* 2. sed Doct. 4. *d.* 49. *quæst.* 10. *n.* 8. §. *sed est hic bonum*, tenet non dari nolle respectu boni, neque velle respectu mali; & esto dubium hoc esset de appetitu libero; non ideò de appetitu sensitiuo dubitandum esset.

Bonum obiectum volitionis, & malè nolitionis. Dicendum, bonum esse obiectum prosecutionis appetitus, & malum obiectum fugæ. Est communis cum Aristotele *in princip. Ethic.* & *lib.* 3. *cap.* 1. vbi habet, quòd omnis prauus est ignorans, quia scilicet malum admittit sub colore boni. Dionys. *de Diu. Nom. c.* 4. & 6. *Nemo ad malum adspiciens operatur.* Scotus citat. 3. *d.* 33. *num.* 6. & 2. *d.* 23. *quæst. vnic. num.* 4. §. *ad quæst.* D. Thom. 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 1. Probatur primò, quia de sensitiua, experientiâ constat, quòd semper appetit bonum, & fugit malum: de rationali etiam eâdem experientiâ constat, quòd in obiecto, quod prosequitur, semper quærit aliquam rationem boni. Secundò, quod quis appetit, eo inuento, quiescit; sed hoc tantùm est bonum; & quod fugit, eo posito dolet, & hoc tantùm est malum.

2\. *Non operatur quà malum, nisi sub ratione boni.* Obiicitur primò, optamus aliis malum: ergo non tantùm bonum appetitur. Respondetur id appeti sub ratione boni apparentis. Vide *disp. seq. sect.* 12.

Obiicitur secundò, damnati appetunt non esse, hoc est malum, quia oppositum ipsi *esse*, quod est bonum. Antecedens patet ex Augustino *serm.* 26. *ad fratr.* & 5. *contra Iulian.* 8. Bernard. *serm.* 35. *in Cant.* & facit illud *Apocal.* 9. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Respondetur non esse, *Miseria magis odibilis quàm non esse.* vt euitetur miseria æterna, esse bonum. Contrà, quod magis opponitur bono, est magis odibile; sed *non esse* magis opponitur *esse*, quia contradictoriè, quàm miserum esse, quia contrariè: non ergo appetitur *non esse*, vt euitetur miseria, sed potiùs è contra. Respondetur, quod magis opponitur bono contrariè, esse odibilius, & sic opponitur miseria; non autem *non esse*, de quo fusè Doctor 4. *d.* 50. *q.* 2.

3\. *Quomodo quis nolendo esse, non vult beatitudinē?* Dices, impossibile est, quòd quis vellet se non esse beatum; sed hoc vellet volendo *non esse*: ergo. Respondetur, tantùm vellet hoc, non simpliciter, sed ea suppositione miseriæ, & impossibilitatis beatitudinis.

Impossibile apprehenditur vt bonū, & sic appetitur. Obiicitur tertiò, appetimus impossibilia; sed in his nulla est ratio boni; ergo. Respondetur, ea apprehendi vt bonum, vt cùm quis apprehendit se vt Papam, vel Cæsarem, & in hoc delectatur, licèt iudicet sibi impossibile esse, talem fieri. de quo vide Doct. 2. *d.* 6. *q.* 1. *n.* 3. 4. vbi docet Angelum malum appetiisse æqualitatem Dei; sed appetitu inefficaci.

SECTIO IV.

Appetitio à quo fit?

1\. QVidam putant quòd partialiter ab obiecto efficiatur. Henric. *quodlib.* 3. & 12. *q.* 5. Greg. 2. *d.* 15. *q.* 1. & 2. Gabr. *quæst.* 1. *dub.* 3. Palud. 4. *d.* 43. Caiet. 1. *part. quæst.* 80. *art.* 2. ait obiectum efficere specificationem actus, non substantiam. Goffred. *Quodlib.* 6. *quæst.* 7. & *Quodlib.* 8. *quæst.* 11. tenet appetitionem fieri à phantasmate.

Verius multo est, solum appetitum efficere suum actum. Ita Scotus 2. *d.* 25. *q.* 1. *annon.* 6. & *n.* 22. §. *Dico ergo.* D. Thom. 1. *part. quæst.* 82. *art.* 4. *de Ver. quæst.* 22. *art.* 12. Capreol. est communis, tamen à marginistis Scoti citati tribuitur sententia Henrici D. Thomæ & ei fauet 1. *p. q.* 80. *ar.* 2. vbi ait appetitum esse potentiâ passiuam; & alibi passim ait finem agere actus voluntatis. Probatur primò ex Scoto, quia voluntas nunc habet nolle, nunc velle circa idem obiectum: ergo non possunt ista esse ab obiecto, quod est causa naturalis; & idem est de phantasmate. Secundò, aliàs tolleretur omnis libertas, vt fusè ostendit Scotus ibi. Hæ duæ rationes tantùm probant obiectum, vel phantasma non esse causas totales intellectionis. Tertiò probatur, quia ipse appetitus habet sufficientem virtutem ad suos actus, siue sint spirituales, siue materiales; & per cognitionem determinatur appetitus sensitiuus, & per se rationalis, suppositâ cognitione. *Actum appetitus ab ipso effici.*

2\. Confirmatur, quia nec obiectum, nec phantasma quidquam producunt in ipso appetitu, quo constituatur in actu primo, nec per se immediatè concurrunt ad eius actum. Ex quibus sequitur rationabile esse quod ait Caiet quia repugnat actus speciem fieri, nisi ab efficiente eius substantiam.

Obiicitur primò, intellectus se solo non efficit suos actus; ergo idem de appetitu. Antecedens patet ex dictis ad *quæstionem* 12. & *quæst.* 13. de quo fusè Doctor 1. *d.* 3. *quæst.* 7. Respondetur ex Scoto *suprà num.* 12. intellectum non supponere aliam operationem proportionatam, circa suum obiectum, & sic eius dependentia ab eo debet esse efficientiæ: at appetitus supponit aliam operationem circa illud, & ideò non est necessariò recurrendum ad eius efficientiam. Præterea, in potentiis cognoscitiuis actus assimilantur obiectis, & ideò censentur meritò ab eis effici: fatcor tamen argumentum suadere non esse improbabile, & cognitionem concurrere ad actum appetitus: & ita sentit Scotus *ibi num.* 21. §. *ad illud de balneo*, & *ad* 1. & 4. *d.* 49. *q.* 4. *num.* 16. §. *respondeo nec actus.* de quo *disp. seq. sect.* 13. *con.* 2. *Quare actus intellectus sit ab obiecto, & actus appetitus non?*

Obiicitur secundò, quia nihil agit in seipsum. 3.
Responsum est *sect.* 4. *ad* 4. & 5. contrà, sic dici poterit, quòd lignum se comburit ad præsentiam ignis, sicut voluntas in se agit positâ cognitione. Negatur consequentia, quia nihil agit in se ad suam destructionem, cùm omnia appetant suum *esse*; benè tamen ad acquirendam suam perfectionem, vt in proposito; & quando aqua se reducit ad frigiditatem perditam.

Obiicitur tertiò, obiectum præsens magis allicit appetitum; ergo efficit. Respondetur, id euenire ex perfectiori notitia.

Obiicitur quartò, notitia genita Dei producit amorem increatum: ergo idem de notitia nostra. Negatur consequentia, quia etiam illa notitia est intelligens, & amans, habétque intellectum, & volontatem, quæ minimè conueniunt notitiæ nostræ. *Quare notitia nostra nō producit amorem, sicut notitia Dei?*

Obiicitur quintò, 2. *de Anima, text.* 52. dicitur, si sensus esset actiuus, quòd semper ageret, sicut ignis si habetur combustibile applicatum. Respondetur cum Scoto, cùm sensus externus de quo *Sensus si esset actiuus, semper ageret, exponitur.*

quo id verum est, nullam operationem præsupponat, si esset totalis causa sui actus, semper ageret, quia nec egeret concausâ, nec præuiâ operatione, & ipse esset suum receptiuum. Sed non est idem de appetitu, quia supponit alias operationes.

Sectio V.

Vtrùm appetitus sensitiuus subditur voluntati?

1. *Subiectio despotica & politica.*

NOta subiectionem esse duplicem; vnà est despotica instar seruorum, quæ nequit vllo modo resistere: altera politica, instar ciuium, quæ quandoque resistit. Nota secundò, appetitum sensitiuum habere actum elicitum, quem in se recipit, & actum imperatum circa motum localem, & operationes aliarum potentiarum.

Dicendum, quòd appetitus subditur voluntati politicè, non despoticè. Ita Aristoteles 1. *Pol.* 3. Scotus 2. *d.* 29. *q. vn.* D. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 7. & communis: modus autem, quo voluntas eum dirigit, est, vt iubeat intellectum ponderare, & attentiùs considerare illud in quod intendere cupit appetitum, & hinc cognitiua inferior, à quo immediatè mouetur appetitus, efficaciùs illud ipsum ostendit, & sic trahitur appetitus, vt illud velit. Constat enim experientiâ, dum contra voluntatem insurgunt inordinati motus, & tentationes partis inferioris, quòd variis inductis rationibus, quasi disputando, & consulendo, reiicit, & refrænat eos, & sic moderatur passiones, vt docet 3. *d.* 33. *num.* 9. §. *Tertia ratio.*

Quomodo appetitus subest voluntati, vt eum refrænet?

Obiicitur primò, hinc sequi in appetitu sensitiuo dari propriam libertatem, alioquin non esset indifferens ad obediendum, & resistendum. Concedit Caiet. 1. 2. *q.* 74. *art.* 4. & conatur ea D. Thoma probare.

Caietan. tribuit libertatem appetitui.

2. Sed hoc reprehensione dignum est, quia contra Patres & Doctores docentes peccatum adeò esse voluntarium, vt si voluntarium non sit, quòd peccatum esse desinit. Ita Augustinus 1. *Retract.* 9. & 14. & 3. *de Lib. arb.* 18. Chrysost. *Hom.* 13. *in ad Rom.* Basil. *in instruct. eorum qui vitam perfectam ducere volunt.* D. Thom. 2. *d.* 24. *q.* 3. *art.* 2. D. Bonau. *ibi.* Scotus 2. *d.* 42. *q.* 4. *num.* 19. At secundùm opinionem Caietani peccaretur etiam contra voluntatem, vel saltem voluntate non consentiente, quod damnauit Trident. *sess.* 5. *dec. de Pecc. original.* Ratio autem, quare appetitui non conuenit libertas, est quia cognitio sensitiua, quam sequitur, non est discursiua, nec inquisitiua mediorum, nec vniuersalis. Respondetur, ergo appetitum non esse liberum, sed eatenus politicè obedit, quia quandoque præualescente passione, vel alteratione complexionis, resistit, & suum obiectum, non voluntatis, sequitur: de quo Scotus 2. *dist.* 6. *q.* 2. §. *Quantum igitur.*

Trident. damnat, peccatum committi sine voluntate libera.

Obiicitur secundò, sequeretur quòd appetitus obediret circa supernaturalia; consequens est falsum, quia hæc excedunt eius capacitatem. Respondetur, ita est. Cùm enim intellectus, & voluntas operantur circa supernaturalia, vel spiritualia, cognitiua, inferior format sibi idola conformia obiectis illarum potentiarum, & sic appetitus tendit in illa, & hinc in eo fiunt motus delectationis, & tristitiæ, & erumpit aliquando in lachrymas, risum, vel cantum. Vide D. Thom. 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 1. *ad* 1.

Quomodo appetitus circa supernaturalia versatur?

Sectio VI.

Vtrùm appetitus efficit motum localem totaliter, vel partialiter.

NOtandum primò, ex D. Thom. *Opusc.* 35. *de motu cordis*, duplicem esse vim motricem in animali. Vna dicitur naturalis, quæ cognitionem non sequitur, vt vis pulsatilis, quæ cor cõstringit, & dilatat. Altera animalis, quæ cognitionem & appetitum seqüitur, diciturque progressiuus communiter, licèt in conchyliis quæ gustu tantùm, & tactu pollent, per contractionem, & dilatationem fiat. Prima non pendet ab appetitu, etsi ab eo, quantum ad aëris retentionem, vel celeriorem expulsionem excitari, & impediri aliquantulùm possit. De secunda autem est quæstio. 1.

Motus naturalis & animalis.

Nota secundò, certum esse ad motum progressiuum prærequiri cognitionem, vt docet Aristoteles 3. *de Anima, text.* 48. quia institutus est ad euitandum noxium, & prosequendum commodum; & ideò ista debent priùs repræsentari. Certum etiam est, quòd eiusmodi motus imperatur ab appetitu, cuius est commoda prosequi, & fugere noxia, ex dictis *sect.* 4. ita Aristoteles *d. cap.* 10. *text.* 52. & experientia. Sed est differentia in hoc inter brutũ & hominem, quòd appetitus inferior huius dependet à ratione, & voluntate, illius non.

Certum etiam est, ad motum hunc requiri membra disposita, quia si congruis qualitatibus careant, arescunt, & si spiritu vitali non foueantur, non mouentur; vt contingit in his qui ex deliquio animi, vel nimio timore corruunt, quia spiritus animalis, qui membra fulciebat, ad cerebrum confluit: & eâdem ratione in gyrum acti cadunt, quia spiritus qui per neruos deducendus erat, illâ circulatione impeditur, ne rectè descendat. 2.

Qua causa deliquium animi?

Quare in gyrum acti cadunt?

Difficultas autem in eo est, an in membris sit vis actiua motus? & quidam negant, D. Thom. 2. *contr. Gen. cap.* 82. vbi Ferrar. & 1. *p. q.* 75. *art.* 3. Capreol. 2. *d.* 1. *q.* 2. *ad argumentum Aureoli.* Caiet. 3. *de Anima, cap.* 6.

Dico primò, in membris est vis actiua motus animalis. ita Henric. *quodlib.* 1. *q.* 6. Gofred. *quodlib.* 1. *q.* 4. Conimbr. 3. *de Anima, c.* 13. *q.* 5. *art.* 3. Probatur ex Aristotele 2. *de Anima, cap.* 3. *text.* 27. & *lib.* 3. *c.* 9. *text.* 41. qui distribuit vim animalem in vegetatiuam, sensitiuã, appetitiuam, loco motiuam & intellectiuam: ergo cùm reliquæ omnes sint actiuę, idem erit de locomotiua. Secundò, vis motiua in membris existit: ergo actiua est, vel sensus tales non erunt. Tertiò, appetitus tantùm imperat motum, siue sermo sit de appetitu naturali, siue de rationali; ergo elicitur ab ipsa virtute membri. Antecedens patet, quia omnis actus appetitus est appetitio, vel volitio, vel horum opposita; & experientiâ constat, aliquot motus fieri non volitos, nec appetitos, quia aliqui præueniunt appetitum, & cognitionem, vt contingit in primis motibus. Quartò, sequeretur quòd membra ad nutum mouerentur ab appetitu: nec sufficit dicere, quòd indispositio impedit, quia hæc, vt recipiatur motus, non impedit, vt patet in ligno, vel lapide; sed ideò impedit, quia effectiuè concurrere debet. 3.

Vis animalis quadruplex.

Dispositio membris non requiritur ad recipiendum motum.

Obiicitur primò. Aristoteles *lib. de communi animalium motu, in princip.* & 3. *de Anima, cap.* 9. & 10. *text.* 44. ait appetitum esse principalem causam motus. Respondetur, verum est, quia imperat, & membra despoticè ei obediunt.

Dormientium actiones, an ratione dirigantur?

Obiicitur

4. Obiicitur secundò, positâ efficaciâ appetitus, & dispositione in membris, nihil aliud requiritur ad motum progressiuum: ergo nun est ponenda vis actiua in membris, quia superuacua esset. Respondetur, propter rationes allatas requiri dispositionem actiuam in membris.

Obiicitur tertiò, contra id, quod dictum est a. *notab.* motum in homine ratione dirigi, quia contingit somno oppressos surgere, & aliqua facere. Respondetur, vel eo casu hominem non perfectè dormire, sed aliqualem habere rationis vsum, etsi imperfectum valde: vel si nullus sit huiusmodi vsus, motus ille non erit rationalis, sed instar bruti, vt in amentibus.

Ad actum appetitus non requiri actum voluntatis. Obiicitur quartò, contra eandem partem, quatenus ait motum nostrum dirigi à voluntate, quia appetitus in nobis, non est minoris efficaciæ, quàm in brutis: ergo non eget voluntatis actu. Respondetur, sufficit quòd voluntas non contrà moueat; & tunc potest esse peccatum sine actu positiuo voluntatis. Ita Scotus a *d.* 42. *quæst.* 4. *n.* 19. vide nostrum scholium *ibi*. Idem tenet in simili de actu fidei, ad quem non putat requiri actum positiuum voluntatis, sed vt non contrà moueat. Ita 3. *d.* 25. *q.* 2. Vide ibi etiam schol. nostrum, in quo soluimus, quæ contra hoc adducuntur.

5. Obiicitur quintò, si motus dependeret ab appetitu, cùm hic voluntati resistere possit, vt dixi *sect. praced.* sequeretur contra Aristotelem 1. *Polit.* 3. & Doct. 2 *d.* 42. *q.* 4. membra non obedire despoticè voluntati. Respondetur, appetitum quoad suos actus resistere posse, non verò quoad actus potentiæ loco motiuæ; vnde quandoque contra ipsius inclinationem voluntas imperat motum. *Voluntas contra appetitū imperat motum.*

Obiicitur sextò, quia vermes, & imperfecta animalia habent motum animalem, & non appetitum, quia carent corde, in quo residet. Respondetur, etiam ista imperfecta animalia habere appetitum, etsi non certà corporis parte, alioquin non prosequerentur commoda, & fugerent incommoda.

6. *Pudor, & quadam membra contra voluntatem mouentur?* Obiicitur vltimò, quia experientia docet, ex sola imaginatione quarundam rerum motum fieri; ergo nec appetitus, nec alia vis, ad eum concurrit; immò contra voluntatem fieri, sæpe constat. Respondetur, imaginationem secum trahere appetitum: fit autem motus cordis præter ordinariam eius agitationem, atque membri pudendi, sæpe contra voluntatis imperium; & quoad secundam partem. Augustinus 14. *Ciuit.* 16. ait esse pœnam peccati. Aristoteles *lib. de Causis motus animalium cap.* 8. *princ.* dicit ex apprehensione, aliqua repræsentari, ex quibus causantur passiones animæ, quæ causant vtriusque membri motum, & inuoluntariè: ergo dum ait membra despoticè obedire rationi, ista duo excludit. Vide D. Thom. 1. 2. *q.* 17. *art.* 3.

7. *Vbi sit vis motrix.* Petes in qua parte sit vis motrix. Respondetur, virtus influens ad motum, sensúmque functiones, secundùm Aristotelem 2. *Gen. animal. c.* 4. *&* 2. *de Part. cap.* 7. & aliàs, est in corde: sed verior videtur sententia Galeni *lib.* 6. *de Placitis*, & Nysseni 4. *de Philosophia cap.* 16. & aliorum, esse immediatè in cerebro; tum quia eo læso, constat sensationes, & motiones impediri; tum etiam, quia occlusâ vaporibus viâ à cerebro ad sensus exteriores, oritur somnus. Tum tertiò, quia per dissectionem constat neruos deriuari à cerebro, vel spinali medulla, de quo dixi *ad q.* 10. *annot.* 2. Vide Vallesium 2. *Controuers. cap.* 20. *& lib.* 5. *c.* 10. Organum autem particulare motricis potentiæ, est neruus, seu musculus ossa copulans, in quo est veluti cardo motus. Ita Aristoteles 5 *de Gen. anim.* 6. est tamen quædam vis motiua per contractionem, & dilatationem in palpebris, & supercilijs, & carnosâ cute frontis, & residet etiam in musculis. *Quod organum motus?*

8. Dico secundò, anima rationalis habet in se vim mouendi inorganicè; & ad talem motum membra nihil efficiunt, sed tantùm passiuè se habent. Est Scoti quoad primam partem 4. *d.* 10. *q.* 7. *ad* 2. *& d.* 49. *quæst.* 14. §. 3. *videndum*. & docet Christum vsum fuisse hac potestate, quando elapsus est è manibus Iudæorum, dum eum vellent præcipitare. *Luc.* 4. Probatur, quia anima secundùm se considerata habet easdem operationes, quas Angelus, immanentes, & transeuntes; & inconueniens est, negare animam posse mouere muscam. Secundò, huiusmodi motus non repugnat ei ratione imperfectionis eius, quia habet longè præstantiores operationes: nec ratione perfectionis, alioquin non conueniret Angelo. *Christus motuit se inorganicè.*

Quare anima de facto nequit mouere inorganicè? Obiicitur; ergo de facto potest anima ita mouere. Respondetur, fortè non posse, ex peccato est, sicut & dependere à phantasmatibus, de quo dixi *ad q.* 18. *& etiam ad q.* 17. & ea August. *suprà*, ex eodem capite motus quorumdam membrorum voluntati non subsunt, & appetitus secundùm quosdam ei resistunt. Vel ratione informationis, ab hac operatione impeditur, nisi dotibus gloriæ fortificetur; de quo nihil certum.

Secunda pars conclusionis probatur; quia in tali motu, membra per musculos non cierentur, sed eodem planè modo, ac si lignea essent, vel ferrea: de quo tamen *disp. vlt. sect.* 5. *fin.* alium ponam dicendi modum.

SECTIO VII.

Vtrùm appetitus diuidatur in irascibilem, & concupiscibilem, vt in duas potentias realiter distinctas?

1. SVar. 5 *de Anima, cap.* 4. Hurtad. *de Anima, disp.* 17. *sect.* 10. & alij, negant esse duas, sed vnam potentiam, idque ait Suar. sentire Scotum cū suis.

Irascibilem, & concupiscibilem re distingui. Verius tamen est distingui realiter. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 81. *art.* 2. *& de Ver. q.* 15. *art.* 3. Scotus 3. *d.* 34. *n.* 10. §. *quarum distinctio*. Galen. 6. *de Vsu part.* 18. Conimbr. *lib. Ethic. d.* 6. *art.* 2. Tolet. 3. *de An. q.* 26. & communis. Probatur primò, quia obiecta sunt diuersa; concupiscibilis, conueniens, aut inconueniens; irascibilis, offendens, vt puuibile, aut vindicabile. Secundò, habent simul suos actus diuersos: verbi gratiâ, concupiscibilis appetit cibum, & irascibilis repellit impediens. Item, ille tristatur ex eo quòd non possit habere cibum, hic ex eo quòd non possit vindicare in impedientem; & contra motum concupiscibilis ingerit se tristibus. Item, dolor illius causat restrictionem cordis, sicut delectatio ei oppositam dilatationem; at dolor huius fit cum calefactione, quâ colligitur sanguis circa cor. Ex quibus infert Scotus, quòd habent diuersa organa. Et per hæc patet, quàm sine fundamento asserat Suar. Scotum cum sequacibus tenere has potentias indistinctas esse. Tertiò, irascibilis amat tristia, vt repugnet contrarijs, concupiscibilis, non. Quartò, at deus ira minuit concupiscentiam, & è contra.

Obiicitur primò, vna est potentia sensitiua vniuersalis:

Quare non est vna appetitiua, sicut & sensitiua? vniuersalis: ergo & vna appetitiua. Respondetur ex actibus, obiectis, & passionibus diuersis, colligi distinctionem appetitus, & nihil horum locum habet in sensu communi. Secundò satis communis sententia, plures esse potentias sensitiuas communes, cognitiuas. de quo dixi *comm. ad q. 9.*

Obiicitur secundò, cuius est velle vnum oppositorum, eius est nolle alterum; sed concupiscibilis est velle conueniens; ergo & nolle oppositum; & per consequens frustra ponitur irascibilis. Respondetur cum Scoto, irascibilis habet aliud nolle, distinctum à nolle concupiscibilis, quia nolitum huius est carere cibo; & ex hoc sequitur in eo tristitia, quâ refugit, non quâ repellit nolitum; *Alia est tristitia concupiscibilis, alia irascibilis.* illius verò nolitum est, impediens volitum concupiscibilis: & ex hoc sequitur in eo tristitia repulsiua noliti. Fateor oppositam sententiam esse æquè probabilem, quam libentiùs sequerer, nisi hanc expressè docuisset Scotus.

3. Obiicitur tertiò, bonum est obiectum concupiscibilis, & bonum arduum, irascibilis, vt docet D. Thom. *d. art. 2.* Sed bonum esse maius, non mutat speciem: ergo. Respondetur ex Scoto, illud non esse obiectum irascibilis, sed impediens concupitum, vt punibile; est enim defensor concupiscibilis.

Vbi residet appetitus? Petes, vbi residet appetitus? Respondetur, verius in cerebro, vbi est sensus communis, vt dixi *comment. ad q. 10.* & Aristoteles 3. *de anim.* dicit sensum, & appetitum esse idem, quod saltem secundùm subiectum verum est. Alij tenent esse in corde. Vide Conimbr. *lib. Ethic. disp. 6. q. 2. art. 2.*

SECTIO VIII.

De passionibus concupiscibilis, & irascibilis.

4. *Passio quid?* NOta primò, quòd passio communiter sumitur in malam partem pro actu immediato appetitus sensitiui. ex Hieronym. in id *Matth. 5. qui viderit mulierem, ad,* &c. & in id *c. 53. cœpit contristari.* Sumitur tamen vt indifferens est ex Damasc. 3. *fidei.* 50. Nota etiam, quòd actus irascibilis supponunt actus concupiscibilis. His prænotatis,

Sex passiones concupiscibilis. Dico primò, sex ponuntur passiones concupiscibilis. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 28. *art.* 4. & sunt, amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, tristitia. Si bonum attendatur absolute, ponitur amor; si vt futurum, desiderium, si vt præsens, & possessum, delectatio: & similiter tres alij actus oppositi de malo. Dices, quare non respicitur bonum, vt præteritum? Respondetur, quia vt sic, non est obiectum appetitus, quia nihil est, vel impossibile. de his latè agit D. Thom. *suprà*, per sex quæstiones.

Delectatio nō est operatio. De delectatione, an sit actus appetitus, necne, controuertitur: & tenendo non esse operationem cum Scoto 1. *d.* 1. *q.* 3. & 4. *d.* 49. *q.* 7. inter Scotistas controuertitur à quo efficitur. de quo dixi *comment. ad q. 3. annot. 1. & ad q. 11. num.* 8. vide Doct. *quodlib.* 13. Eodem modo per contrarium dicendum est, de dolore: de quo dixi *locis citatis*, & tractat optimè Doct. 3. *d.* 15 *à num.* 5. 6. *aliter potest dici.* De duplici effectu delectationis & doloris, nempe risu, & fletu dixi *sect.* 4 *in fin.* Vide Fracastorium *lib. de sympathia cap.* 10. & Valesium *lib.* 5. *Controuers. cap.* 9.

5. *Quinque sūt passiones irascibilis.* Dico secundò, quinque sunt passiones irascibilis, spes, desperatio, audacia, timor, ira. Declaratur, cùm concupiscibilis desiderat bonum, ne deficiat, animatur ab irascibili per passionem spei; quæ est inclinatio circa bonum arduum; si verò arduum malum ostendatur, insurgit audacia, quæ est eleuatio appetitus ad superandum. Si autem concupitum apparet impossibile, vel multùm difficile, oritur desperatio; quæ est displicentia, vel abiectio persecutionis; quando etiam ostenditur cum magna difficultate, licèt superabili, insurgit timor, qui est depressio, & turbatio appetitus: si tandem malum est præsens, & percipit animal, quòd non potest se ab eo liberare, oritur ira, ex præcedenti tristitia. Ita multi ex D. Thom. 1. 2. *q.* 59. *art.* 3. sed res nullâ certitudine nititur, sed moralibus coniecturis: posset quis plures, vel pauciores coniecturaliter ponere.

SECTIO IX.

De visu.

DVBIVM I.

Quid sit lumen?

DIco primò, lux non est substantia. est Scoti 2. *d.* 13. & communis contra Philop. *in opere de mundi æternitate, c.* 6. Probatur primò, quia est per se sensibilis. Secundò, in igne est accidens; ergo & vbique. Antecedens patet, quia si esset vltima forma substantialis, omnia lucida essent eiusdem speciei. Nec est, quòd fingatur esse formam substantialem non vltimam; quia nec ratio nec experientia pro hoc faciunt. Vide Scotum *suprà*. 1. *Lux non est substantia.*

Dico secundò, lux est qualitas. Patet ex prima; quia non est substantia. Præterea, quia non est assignare aliam qualitatem consequentem formas corporum cœlestium.

Dico tertiò, lumen non est substantia spiritualis, quia extensibilis; nec corporalis, quia est simul cum aëre, & non penetrat; nec forma, quia id, cui aduenit, manet eo absente, perfectum, vt patet in aëre tenebroso; nec materia, quia hæc est ingenerabilis, & incorruptibilis. Præterea, lumen diffunditur per totum hemisphærium in instanti, quod nulli horum conuenit. hæc videtur esse contra Simplicium 2. *de Cæl. text.* 29. vbi videtur dicere esse corpus. Sequitur ergo lumen esse accidens: neque aliud à qualitate esse potest, tum quia est forma intensibilis, tum quia per se sensibilis est. In his conuenitur. Sed controuertitur cuiusmodi qualitas sit. de qua conclusione sequenti. *Lumen est qualitas.*

Obiicitur primò, Aristoteles *Problem sect.* 11. *quæst.* 33. ait ideò strepitus meliùs nocte, quàm die audiri, quia medium per lumen fit densius: ergo lumen est corpus. Respondetur, quia loquitur more inuestigantis; & postea subiungit veram rationem, nempe quia die intellectus est distractus aliis functionibus, propriis, & aliorum sensuum. 2. *Quare strepitus melius nocte audiatur?*

Obiicitur secundò, lumen mouetur per se, vt patet ex decremento vmbræ; ergo est corpus. Antecedens patet, quia quiescente aëre, videmus illuminari hanc partem medij, quæ antè fuit obscura. Respondetur, moueri videtur, & accedere, vel recedere, cùm iuxta luminosi accessum, vel recessum, partes eius corrūpuntur, vel producuntur. *Lumen an per se moueatur?*

Obiicitur tertiò, si radius Solis pertransiens foramen, facit in corpore figuram rotundam; ergo est corpus, quia nihil aliud est figuratum. Respondetur, habet hoc difficultatem in Perspectiuis. Quidam volunt illam figuram fieri à Sole, qui 3. *Radius transiens foramen quare rotundus?*

rotundus

rotundus est, si tamen totus agere possit: nam si corpus ponatur propè foramen, apparet foraminis figura: sed quidquid sit, illa figura est à causa extrinseca, non ab ipso lumine.

Obiicitur quartò, lumen dicitur refringi, & reflecti, quæ sunt propria corporum. Respondetur, hæc ad similitudinem dici, quia radius reflexus, non est idem lumen cum recto, sed alia pars luminis. Pro quo, Nota ex Scoto citato triplicem esse radium: rectum, qui diffunditur à luminoso per medium eiusdem diaphaneitatis; reflexum, qui occurrente corpore opaco, multiplicat se in oppositum, & fractum, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, multiplicat se in eo, vel versùs perpendicularem; si medium occurrens est densius, vel è contra, si est rarius: de quo optimè tractat noster Ioan. Pechanus in sua Perspectiua. vide eum *concl.* 14. *& seq.*

Radius triplex explicatur.

4\. Ex hoc patet, quando Sol citiùs solito manè apparet, signum esse pluuiæ, quia antequam ascendit super horizontem, illuminat nubem aliquam opacam, à qua lumen ad nos veluti à speculo reflectitur; & hinc colligitur futuram pluuiam, quia nubes illa Solis calore in eam resoluetur. Item, cùm ponitur nummus aureus, vel argenteus in scutella vacua, ita vt eum non videam; si repleatur aqua, videbitur, quia radius ab eo prodiens ad superficiem aquæ, occurrente aëre, medio rariore frangitur à perpendiculari. Hinc etiam vt puto, res videtur maior in aqua, quàm verè est, quia ob occursum medij rarioris, radij sic franguntur à perpendiculari.

Sol citiùs manè exurgens significat pluuiam.

Nummus in fundo vasis videtur à nō vidente fundum.

Obiicitur octauò, contingit aërem variari lumine manente; ergo non est accidens, quia hoc non migrat in aliud subiectum. Respondetur, nouum lumen effici, amoto aëre iam illuminato, sicut aëre ab igne calefacto, per ventum amoto, statim succedens aër ab eodem calefit.

Aër an varietur, manente lumine?

5\. Obiicitur vltimò, quia lumina non miscentur, vt patet de lumine lucernæ, quando simul est cum lumine Solis, quia albescit; & de luminibus duarum lucernarum etiam patet, quia posito vno opaco, duæ apparent vmbræ, & vna tantùm esset, si vnum esset lumen: ergo non sunt duo accidentia, quia essent eiusdem speciei, & coalescerent in vnum. Respondetur, ad hæc exactè tractanda, oporteret multa ex Perspectiua mutuari. Videtur magis secundùm Scoti mentem, quòd non miscentur, sed quòd sunt plura lumina in eodem, siue numero, siue specie distincta; sicut sunt plures species sensibiles in eodem, quia lumen est species.

An dentur plura lumina in eodem.

6\. Dico quartò, lumen est species intentionalis lucis. Est contra D.Thom. 1.*p.q.*67. *art.*3. *&* 1.*de An. text.*70. & communem Thomist. Tolet. 2. *de An.q.*17. & Suar. 3.*de An. cap.*14. & alios: sed eam tenent Scot. 2. *d.*13. Ægid. 2.*de An text.*76.*dub.*2. *&* 3. Thienen. *text.*71. Buridan. *q.* 17. Alliac. *in qq. Perspectiuæ.* Zabarell. *lib.*1. *de Visu, cap.*9. Picolominæus *lib.*1. *de Visu, cap.*9. Probatur primò, ex Scot. quia secundùm Arist. 2.*de An. text.*68 lux est per se sensibilis; sed non habet aliam speciem à lumine; ergo. Secundò, si non esset species, positum super sensum impediret sensationem, quod est falsum, ex Arist. *de Sensu, cap.* 2. Tertiò, durat tantùm in præsentia lucidi, contrario vacat, & stat cum alio lumine; hæc autem sunt propria specierum.

Lumen esse speciem.

Obiicitur ex D.Thom. *d. art.*3. species non denominant subiectum; non enim dicitur oculus albus, à specie albi; at lumen denominat subiectum; ergo. Respōdetur ex Scoto, quòd omne accidens denominaret suum subiectum si essent nomina imposita ad hoc: sed in quibusdam imposita non sunt: quoad lumen autem impositum est: sicut nec quoad effectum speciei in mediu.

Quare species non denominat subiectum.

Obiicitur secundò, ex eodem, lumen causat alterationes naturales: ergo non est species intentionalis. Respondetur, species intensas, vel multiplicatas, realiter alterare, vt patet in sono vehementi: vide suprà *Comment. ad q.*10. vbi ex Doctore ostendi, quòd imaginatio facit casum, & quomodo. 7.

Species intentionalis alterat.

Obiicitur tertiò, lumen videtur, species autem non; ergo. Respondetur cum Doct. § *Ex hoc patet, n.*5. ex Comment. *c.*1. *de Sensu, & Sensato*, speciem intensam esse visibilem; constat enim lumine reflexo ad plantas virides parietem oppositum colorari, non vero colore; quia hic est permanens, sed specie coloris plantarum, quæ videtur. Similiter species non gignunt species, nisi contiguentur opacis: & hinc radius transiens per vitrum rubeum in medio non videtur, benè tamen in pariete, vbi gignit sui speciem, & ibi videtur rubeus color, qui tantùm est species coloris, quæ amoto vitro euanescit. Contrà, species odoris non odoratur, nec saporis gustatur; ergo idem de specie visibilis. Negatur consequentia, quia sicut visus est cæteris sensibus perfectior, & nobilior, vt ostendi *Comment. ad q.*6. ita eius species est perfectior; & sic potest esse sensibilis, etsi aliorum sensuum species tales non sint. Adde allatas experiētias pro visu, non haberi in aliis sensibus. 8.

Speciem visibilem quandoque videri.

Species gignit sui speciem, non tamen in medio.

Dices, vitrum antequam per radium illustraretur, emittebat species: quare ergo non videbuntur, si pòst videantur. Respondetur, in illo radio emittere perfectiores, & aliarum specierum genitrices: sicut nocte lucentia in paruo lumine emittunt species lucis, non colorum, & dicè contra: de quo Scot. 1.*d.*3.*q.*6.*num.*7. & suprà *q.*17. vbi *in Comment. num.*1. *&* 2. dixi alias huius rei causas; de quo etiam Arist. 2.*de An. text.*72.

Quare quædā nocte videntur non die.

Obiicitur quartò, ex Suar. radij Solis incidentes in speculum, vel aquam, reflexi ad oculum repræsentant Solem; & hoc ideò, quia speciem aliquam distinctam à lumine producunt, quia lumen antea emittebatur, & non repræsentabat. Respondetur, hoc & alia argumenta Suar. procedunt ex falso intellectu opinionis, quasi Scotus diceret, lumen esse speciem ipsius corporis lucidi, cùm tamen asseruerit tantùm esse speciem lucis, & præuiam ad speciem coloris, tam quoad medium, quàm quoad visum disponendum. ita habet §. *Modus ponitur, num.* 3. 9.

DVBIVM II.

Vtrùm lumen requiritur ratione medij, obiecti, vel visus?

QVi dicunt lumen non distingui à colore, necesse est asserant, tantùm ratione obiecti requiri; quia est ipsum obiectum, de quo *dubio sequenti.* 10.

Alij tenent, etsi color non sit, tamen ratione obiecti tantùm requiri. Ita Auicen. 6. *Nat. p.* 3. *cap.* 1. Alij ratione medij tantùm requirunt lumen. Ita D.Thom. 2.*de An. cap.*7. *circa text.*72. sed ratione obiecti requiri ait, 1.*p. q.* 79. *art.* 3. *& de veritat. q.*8. *art.*14.

Dicendum tameo cum communi, ex parte vtriusque requiri, ac etiam ex parte organi. Ita Doctor 2. *d.* 13. *num.* 3. §. *Modus ponitur*, & suprà *q.* 4. vbi rationem assignat quare ad visionem requiritur medium extrinsecum; quia scilicet color non videtur nisi in lumine; & vt videatur, requiritur medium illuminari. Probatur quoad obiectum, experientiâ; quia constat cùm noctu videmus lucida, eas partes rei visæ luce destitutas non videri. De medio suadetur ex Arist. 2. *de An. text.* 75. vbi ait obiectum, vt videatur, oportere priùs alterare medium actu illustratum. De organo patet, quia est perspicuum, & cùm lumen sit actus perspicui, ex Arist. citat. non posset sine eo species coloris in organo recipi, sicut nec io medio; & ita Commentator à Scotu citatus, *de Sensu, & Sensato*, tenet in oculo, vt videat, lumen requiri.

Lumen propter quid requiritur ad visionem?

11. Obiicitur primò, constat eos, qui in tenebris sunt, videre obiectum remotum illustratum, esto nec in organo, nec in medio sit lumen. Respondetur, aliquam illuminationem etsi exiguam, tunc ad oculum effundi, etsi non appareat, quia alioquin visibile positum super visum videretur, contra experientiam.

Obiicitur secundò, quia Arist. 2. *de An. text.* 66. ait colorem de se esse visibilem: ergo non eget lumine. Confirmatur, quia reliqua sensuum obiecta, vt sonus, sapor, non petunt alias concausas, vt emittant species. Respondetur, de se talis est, tamen vt actu videatur, requiritur lumen. Ad confirmationem, hoc est proprium colori, sicut & non posse percipi sine illustratione perspicui, seu diaphani; neque est quærenda alia ratio, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud.

Obiicitur tertiò, si lumen in medio requireretur, quo remissius in eo esset, eo imperfectiùs videretur obiectum; sed hoc est contra experientiam, quia modò non minuatur lumen in obiecto, non erit imperfectior eius visio, etiamsi minuatur in medio, vt patet quando videmus è loco tenebroso rem lucidam. Respondetur, vel negandam experientiam illam, quia perfectior erit visio, quo perfectior medij illustratio, modò non lædat organum: vel si admittatur, fatendum erit lumen requiri tantùm per accidens in medio; quia si esset causa, vel dispositio visionis, faceret ad eius perfectionem: cùm enim tam luminis, quàm aliarum specierum effusio fiat sine contrario, & ab agente naturali, sese semper comitantur actio illuminatiua, & actio specierum visualium productiua.

An visio eo perfectior erit, quo magis illustratũ medium?

12. Huc & primum argumentum satis probabiliter suadẽt lumen per se non requiri in medio. Secũdò respondetur, ideò remissione luminis in medio, non remitti visionẽ obiecti; quia tunc defectu illustrationis in medio, non tendit visus in alia obiecta: & ex hoc capite fortificatur circa obiectum illustratum; quia circa alia obiecta impeditur ab actu; pluribus enim intentus minùs, minùs perfectè singula cernetet. Sed fortè verius est, non requiri per se lumen in medio, alioquin, cùm nocte videtur distãs, videtentur etiã quæ sont in medio.

Probabile, lumen per se nõ requiri in medio.

Nec valet si dicas, lumen esse valde remissum, quia sufficit vt species coloris distantis producatur; ergo à fortiori, vt species propinquiorum colorum efficiantur. Respondetur tamen colorem distantem producere sui speciem, quia habet secum lumen proportionatum; & hoc deest in casu, propinquioribus coloribus, & ideò non effundunt species, quibus videantur.

DVBIVM III.

Quid color, & vnde oritur?

Plato *in Timæo*. Auicenna *lib.* 6. *p.* 3. c. 1. & alij dicunt colorem esse ipsum lumen, quo absente nullum admittuot existere colorem. Et fauet Aristoteles *de Sensu, & Sensib. cap.* 3. dicens colorem esse *extremitatem perspicui in corpore terminato*, i. denso; quia in hoc tantùm terminatur visus. Idem tenet Caiet. 2. *de Anim. cap.* 7. Iauell. *q.* 33. Soncin. 10. *Met. q.* 2. 13.

Dico primò cum communi colorem esse qualitatem à luce & lumine distinctum. Primò, visus discernit colorem à luce, quia videns aliqua æquè lucida, vel illuminata, videt sæpè esse colore distincta. Secundò, nigredo esset albedo, & rubedo, quia hæc eadem essent luci. Tertiò, Luna, & aliæ stellæ lucida sunt, vel illuminata, non tamen colorata. Quartò, ad lucem noo est propria alteratio, benè tamen ad colorem, 7. *Phys. cap* 3.

Color non est lux.

Obiicitur primò, quia in collo columbæ, & cauda pauonis, ex diuerso lucis aspectu, diuersi colores apparent; & similiter in iride. Responsio cõmunis est, illos colores esse appareotes. Contrà, quia gustus nõ percipit sapores apparẽtes, neque auditus tales sonos: ergo nec visus tales colores.

Colores apparentes nõ videntur, sicut nec sapor apparens gustatur.

Respondetur ergo meliùs, secundùm Scot. 2. *d.* 13. nihil ibi videri nisi lumen, seu speciem lucis; & hoc argumentum probat sententiam Scoti, quòd lumen sit species intentionalis; quia, vt dixi, non percipitur color non verus à visu, & cùm percipit illos, qui dicuntur tales, lumina sunt, non colores. De quo vide qoæ dixi *in Comment. ad q.* 10. *num.* 11. De colore iridis, fortè est verus; quia ibi esse potest mixtio qualitatum, etsi non permanens, qualis in permanentibus contingit; causæ enim ad hoc videotur sufficientes ibi reperiri, & res visa in se variatur. At quando nec causa sufficiens apparet, nec res visa in se variatur, vt in exemplo de collo columbæ, & cauda pauonis, & de rubedine causata ex radiu transeunte vitrum rubrum, quo vtitur Scotus, color non est verus, sed dicitur apparens, quia putatur verus. 14.

Color iridis, an verus?

Color colli columbæ non verus.

Obiicitur secundò, Arist 3. *de Anim. text.* 67. definit colorem esse, quod mouet actu perspicuum; sed hoc lumini conuenit. Respondetur, colorem sumi laxiùs, vt compreheodit etiam lumen. Quo sensu dicit Aristot. *de Sensu, & Sensib. cap.* 1. omnia corpora colorem participare.

Dico secundò, color resultat ex mixtione elementorum, & immediatè ex mixtione primarum qualitatum. Probatur, quia tantùm in mixtis reperitur. Explicatur, inter elementa, aqua, & aër sunt diaphana, ignis actu lucidus, terra aquea; mixta ergo ex his retinent aliquo modo diaphaneitatem, lucem, & opacitatem, corruptis elementis, & ex his resultat qualitas, quæ est color, ratione lucis & diaphaneitatis ad opacitatem terminatæ. Hinc Arist. *lib. de Colorib.* ait colores sequi hæc elementa, plusquam illa; nam in quibus aër dominatur, & aqua, sunt magis candida, quia ista elemẽta sunt diaphana; in quibus ignis, flaua; in quibus terra, nigra. Tria prædicta occurrunt in aëre, quando gignitur in eo color, scilicet lumen à Sole, diaphaneitas ab aëre, & opacitas à nube, color iste dicitur apparens; sed si est aliquid à lumine distinctum, est verus color, licet ad modicum durans. Ita rem hãc explicat Plato *in dial. nat.* 15.

Vnde oritur color?

Vnde corpora sunt bruna, vel aliter colorata?

Arist. citat. Albert. *sum. de homine, quæst. de Substantia coloris.* & D.Thom. 2. *de Anim. lect.* 14. relati à Suar. 3. *de An. cap.* 15.

Elementa non sunt colorata.

16. Ex quibus sequitur ipsa elementa pura, non esse colorata; vnde quòd ignis noster appareat flauus, ex commixtione terræ habet: sed neque in omnibus mixtis color reperitur, nam humor crystallinus oculi coloratus non est, alioquin colorem non videret. de quo Scot. 2. *d.* 3. *q.* 8. *ad* 3. ex Arist. 2. *de An. text.* 71 *&* 12?.

Definitio coloris.

Sequitur etiam posse colorem sic definiri, quòd sit *qualitas afficiens mixtum, quatenus habet diaphaneitatem, opacitate terminatam.* Aristot. duas dat definitiones, & in re cum hac coincidunt. Prima posita est in initio dubij. Secunda posita in secunda obiectione.

An color sit tantùm in superficie?

Contra primam est, quia non tantùm in extremitate, sed interiùs quoque est color, vt ad oculum patet. Respondetur loqui Arist. de colore vt visibilis est. Contrà, quia colores in profunditate quorumdam lapidum videntur. Respondetur, id negandum esse: neque experientia oppositum docet. Contra secundam definitionem est, quod Solis lux mouet actu perspicuum, transferendo species, & tamen non est color. Respondetur, color actu mouet perspicuum, non faciendo illud tale, quod luci conuenit.

Colores extremi & medij.

17. Pro huius dubij complemento, Nota, duos esse extremos colores, album & nigrum; ille prouenit ex abundantia luminis, & exigua opacitate, hic è contra. Inter hos sex sunt præcipui colores medij, non quòd componantur ex illis extremis, quia tam simplices sunt, ac illi, ex Arist. 3. *de Sens. & Sensib.* sed sic dicuntur propter aliquam similitudinem ad alterum extremorum.

DVBIVM IV.

Quod est obiectum visus, & an petit medium?

Lucidum esse obiectum adæquatum visus.

Respondetur, lucidum, seu luminosum esse adæquatum obiectum visus. Probatur primò, quia omne tale videtur, & nihil non tale videtur; constat enim Solem, & astra videri, licèt colorata non sint; nullum tamen colorarum videri, si lucidum non sit. Secundò Arist. 3. *de Anim. text.* 18. ait, *lumen facere colores actu*, scilicet visibiles, & 2. *de An. cap.* 7. ait, omnia visibilia reduci ad vnum: in quo conueniunt, nempe ad lumen, quia non est aliud in quo conueniant visibilia, quia lucida sine vllo alio extrinseco videri possunt, & nulla alia sine luce visibilia sunt. Præterea constat, quo perfectiùs color illuminatur, eò perfectiùs cerni, quátum est de se. Hæc est communior sententia, quam tenet D.Thom. 1. *part. q.* 67. *art.* 3. *ad* 3. *&* 1. *d.* 48. *art.* 2. vbi docet lucem facere colores actu visibiles, & colorem in obiecto visus, esse materiale.

18. Ex quibus sequitur, quando color dicitur adæquatum obiectum visus, id non posse intelligi de vero colore, sed de lumine, pro quo apud Arist. 2. *de An. text.* 69. *& de Sensu, & Sensib. cap.* 3. *text.* 72. sumitur color.

Visibile triplex. Oculi feliũ, & quædam similia, quare tãtùm noctu videntur lucida?

Sequitur secundò, ad rationem obiecti visus accidentale esse, quòd sit coloratum. Sequitur tertiò, illam diuisionem visibilium 2. *de An.* in tenebris, in luce, & vtrobique, esse accidentalem, quia per se tantùm requiritur, visibile esse illustratum proprio, vel alieno lumine; quæ in se parum habet luminis proprij, vt oculi felium, quercus putrida, & quædam animalcula, non videntur vt lucida, si medium est maiori lumine illustratum; quia hoc absorbet minus lumen, sicut lumen Solis, lumen astrorum; & sic non videntur nisi in tenebris, neque tunc videntur vt colorata, sed tantùm vt lucida, vt ait Arist. cit. de quo vide Doct. 1. *d.* 3. *q.* 6. *n.* 7. quæ autem ab extrinseco illustrantur, non videntur in tenebris. Quod intellige iuxta dicta *dub.* 2. Illa verò, quæ fortè lumen proprium habent, vt Sol, ignis, vtrobique cernuntur. Vide quæ dixi circa hæc *Comment. ad quæst.* 10. *ad* 3.

Quare ad visionem requiritur mediũ?

Ad secundam partem dubij, patet medium requiri ad visionem, quia sensibile positum super sensum impedit sensationem, ex dictis suprà *q.* 4. *& in eius Comment.* Patet etiam non posse esse opacum, quia hoc impedit effusionem specierum. Debet ergo esse diaphanum; quia si vacuum esset, non fieret visio, cùm species non haberent subiectum in medio, vt habet Doct. 2. *d.* 9. *q.* 2. *num.* 18. ex Arist. 2. *de An. text.* 74. si tamen visus esset specie formatus, & obiectum illustratum, quidam putant quòd fieret visio, etiamsi medium esset vacuum: sed tenendo requiri illustrationem medij, iuxta dicta *dub.* 2. oppositum tenendum est. 19.

An visio in vacuo fieri possit?

Vtrùm lynx videat post parietem?

Obiicitur, quia lynx videt post parietem, & inspectores aquarum vident aquas subterraneas, de quibus Plin. *lib.* 31. *Nat. Hist. cap.* 3. Respondetur hæc falsa esse, de quo videri possunt Conimbr. 2. *de An. cap.* 7. *quæst. vlt.* Ægid. *Theor.* 13. Albert. *lib.* 21. *de Anim.* vbi id de lynce ait esse fabulosum; Scot. 4. *d.* 49. *q.* 15. *ad* 1. illud de lynce non asserit, sed vt ab aliis assertum adducit in exemplum.

DVBIVM V.

Quod est organum visus, & an videat per extramissionem?

Humores, tunicæ, musculi oculi.

In oculo, iuxta Anatomistas, tres sunt humores, septem musculi, & tunicæ quinque; de quo videri possunt Vesalius *de compositione corporis humani lib.* 2. Theophyl. *lib.* 4. *de fabrica corporis humani.* Conimbr. 2. *de An. c.* 7. *q.* 6. *art.* 7. qui Anatomiam non norunt, tantùm de his possunt habere fidem: & si Anatomici adderent aliquot etiam camisias illis tunicis, fortè crederetur eis. 20.

Vbi fit visio.

Dico primò, communis sententia est, visionem fieri in humore crystallino, qui est in centro oculi, nec differt ab ipsa pupilla, circumdaturque pellicula, quasi tunicâ, ad eius conseruationem, & hic dicitur aranea, quia similis telæ araneæ, & etiam specularis; immergitur autem hic humor alteri vitreo, præter partem anteriorem, quæ instar fenestræ recipit species. Hæc sententia est Aristor. 1. *de Hist. cap.* 9. *& lib.* 4. *cap.* 8. *&* 5. *de Gen. animal. cap.* 1. vt citatur à Suar. *lib.* 3. *de An. cap.* 8. & Galen. 8. *de Vsu part. cap.* 6.

Obiicitur primò, pupilla nigra est; ergo non potest elicere visionem; quia ex Arist. 2. *de Anim. text.* 71. coloratum non potest percipere colorem.

Pupilla an colorata?

Respondetur, apparet nigra propter humoris copiam, qui penetrari nequit visu; ex Phil. 5. *de Gen. animal. cap.* 1.

Contrà, pupilla est corpus mixtum; ergo coloratum. Negatur consequentia, quia non habet densitatem & opacitatem requisitas ad colorem. Contrà, saltem accipit lumen: ergo non percipit alia lumina, sicut nec perciperet alios colores si coloratus esset. Negatur consequentia, quia 21.

lumen est obiectum, & medium, color tantùm obiectum.

Quare oculus compressus scintillat? Obicitur secundò, pupilla aquea; vt constat experientiâ, & docet Aristoteles *de Sensu, & Sensib. cap. 2. & 2. de Part. cap.* 10. sed organum visus debet esse igneum, cùm sit maximè perspicuum, & quia constat, cùm in tenebris comprimitur, quòd scintillat. Respondetur, aqueum esse organum, & sic aptius esse ad recipiendum species, atque sufficienter diaphanum: causa illius scintillationis, secundùm Aristotelem, est, quia id quod nigricat in oculis, est politum, & dum comprimitur, exilis videtur fulgor, & idem contingit in aliis; vt in squamis piscium, fungis, putridâ quercu, quæ noctu lucent; sed hæc per compressionem non fulgent, magis quàm si non comprimerentur. *Oculus compressus quare lucet?* Verius ergo videtur, quòd oculi habent in se aliquid lucis, quam ita compressi simul cum spiritu vitali emittunt; vt patet de oculis felium, qui tunc maximè lucent, quando irascuntur, quia emittunt copiam spirituum vitalium calidorum.

22\. Obicitur tertiò, sequitur esse duas potentias visiuas, cùm sint duæ pupillæ, & per consequens; res apparerent duplices, & semper duæ essent visiones. Respondetur primò cum Albert. 2. *de An. tract.* 3. *c.* 14. Auicen. *p.* 3. *c.* 8. Vitellio *lib.* 3. *Theor.* 4. *&* 20. *Quare res nō videntur duplices?* visionem fieri in confinio neruorum opticorum, seu visoriorum, qui à cerebro parte dexterâ, & sinistrâ progressi, coëunt, & iterum separantur, antequam oculos subintrant, & ideò vnicá esse visioné, & res videri vt simplices. Sed hoc reiicitur à Galeno 10. *de Vsu part. c.* 12. qui *c.* 14. probat ad hunc finem congressum illum organorum non fieri, sed præcipuè, vt spiritus vitales à cerebro manantes possint omnes in vnum oculum recipi, si alter impediatur; & hinc est quòd altero oculo clauso, alter oculus videt, vt ait Aristoteles *sect.* 31 *Problem. q.* 4. *Quare vno oculo clauso, alter acutius videt?* Præterea, ex Anatome constat, quandoque illos neruos non coïre, & tamen in talibus res non videbantur duplices. de quo Vesalius *lib.* 4 *c.* 4. *de Fabrica corporis humani.*

23\. Respondetur ergo, etsi duæ sint potentiæ visiuæ, duæque visiones, obiectum non apparet duplex, quia oculi sunt in æquali situ, eodémque modo immutantur ab obiecto. Ita Aristoteles 2. *de Part.* 9 Galen. *suprà.* Vnde si digito oculi pupillam eleues, duplex apparebit obiectum. *Eleuato oculo quare res apparet duplex?* Pro quo nota ex Perspectiuis (& habet Scot. 4. *d.* 10. *q.* 9.) quòd visio fit per pyramidem, cuius basis est in obiecto, & conus, seu punctum in centro oculi, intra lineas autem pyramidis est vna ab oculo ad obiectum rectà tendens, quæ dicitur axis. Vnde licèt imagines visuales per duplicem pyramidem terminentur ad oculos, tamen cùm axes tendant ad obiectum secundùm idem punctum, à quo in vtrumque oculum species diuidi incipiunt, quodlibet simplum, non duplum apparet, quia scilicet duo illi oculorum axes ad idem punctum terminantur: de quo videndus noster Cantuar. *lib.* 1. *Perspect. c.* 3. *conc.* 6. Vitel. *lib.* 3. *Theor.* 45. Quare autem res non appareat duplex, optimè tradit Galenus *suprà* ex Arist. *sect.* 21. *Problem quæst.* 11. 18. vide Conimbr. *tract. de Problem. sect.* 1.

24\. *Visio non fit per extramissionem.* Dico secundò, visio non fit per extramissionem, sed est terminus actionis immanentis, elicitus ab oculo in seipso. Ita communis contra Platonem & alios. de quo dixi *Comment. ad q.* 17. *n.* 23. vbi egi de speciebus sensibilibus. Pulchra, & varia problemata de visu videri possunt apud Conimb. *loco citato.* Sed inscrutabilia homini pro hoc statu sunt secreta, quæ natura in paruo oculi corpusculo recondit, *Cuius* (inquit Leonardus Lessius Societatis IESV, eruditione & pietate decus eximium, cuius memoria in benedictione est *lib.* 6. *de Perfect. diuin. c.* 2.) *celeritas tanta est, vt in puncto temporis plusquam* 80. *milliones milliarium conficiat, (tantum enim & ampliùs distant stellæ à terra secundùm Astronomos) tanta verò capacitas, vt totam cæli medietatem comprehendat, imò si non obstaret terra, posset intra se condere totum mundum; tam verò arcana est eius operatio, vt hactenus nemo mortalium illam assequi potuerit.* Hæc vir ille piissimus, & mihi dum viueret dilectissimus, in sapientiæ Dei admirationem excitans.

SECTIO X.

De auditu.

Dico primò, organum auditus est pars quædam aërea intra aurem tecta pellicula, quæ tympanum dicitur. Ita Arist. *de Sensu, & Sensib. c.* 1. 1. & communis *in* 2. *de An. c.* 8. Pro quo nota quòd aures externæ datæ sint, vt aër sono commotus, in earum anfractibus refrangatur, & sensorium non lædat. *Organum auditus.* Intrà est neruus descendens à cerebro, qui auditorius dici potest, per quem spiritus vitales deriuantur; & in cauitate est pars quædam animata spiritosa aërea, tecta per mēbranulam tympani, & reliqua cauitas aëre plena, & sola illa pars est organum, ad cuius pelliculam veniunt species, & intrant. *Fabrica auditus.* Sed de his aliísque similibus sola fides humana habetur, nisi per Anatomen experientia fiat. de quo videri possunt Vesalius *lib.* 1. *de Fabr. c.* 8. Valuerde *lib.* 1. *cap.* 3. Dicunt tamen, quòd per Anatomen non reperitur illa pars aërea; sed fortè quia aërea, & spiritosa per dissolutionem animæ dissipatur. In quibusdam animalibus secundùm Arist. 4. *de Hist. anim. c.* 8. non prominent aures, sed aliquid habent proportionatum auribus, per quod audiunt. *Quædam animalia habent aliquid instar aurium quo audiunt.* Vide Conimb. 2. *de An. c.* 8. *q.* 4. Arist. 2. *de An. text.* 83. ait illud sensorium esse immobile: vnde cùm dicat *text.* 82. *&* 84. moueri, intelligit ob malam auris dispositionem.

2\. *Sonus quid?* Dico secundò, sonus est qualitas sensibilis proueniens ex violenta collisione, vel diuisione, in corpore apto ad eius receptionem. Prima pars patet, quia passionem causat in sensu, nec ad aliud Prædicamentum spectare potest. De aliis partibus præter vltimam, patet; quia si sine violentia fiat collisio, non fit sonus, vt habet Arist. 2. *de An. c.* 8. Vltima pars sine determinatione subiecti ponitur; quia sub opinione est quodnam illud sit: & communior sententia, 2. *de Anim. text.* 76. *&* 77. tenet esse medium, non ipsa corpora, quæ colliduntur. *Quod sit subiectum.*

Obiicies, collisio corporum est motus: ergo non facit illam qualitatem, quæ est longe perfectior. Respondetur, fieri à virtute rei sonantis, & motum esse tantùm conditionem: sicut quando dicimus, quòd motus est causa caloris. *Motus quomodo causet sonum?*

3\. Obiicitur secundò, quia si per motum fieret sonus, esset successiuus, incipiens, & desinens cum motu; consequens est falsum, quia incipit cum contactu, & hic in instanti incipit, quando desinit motus corporis contingentis. Respondetur, sonum immediatè post contactum incipere, sicut & motus causatus à contactu. *Motus quando incipiat.*

Obiicitur tertiò, si sonus tantùm esset in aëre,

maiur

maior percuſſio faceret maiorem ſonum; ſed conſtat in vna cithara paruum ictum edere maiorem ſonum, quàm magnum ictum in alia. Reſpondetur, ex diuerſitate figuræ, vel diſpoſitionis rei ſonantis, prouenit aërem diuerſimodè percuti, & reflecti, & ſic ex minori ictu poteſt maior ſequi ſonus. Dices, cauſatur ſonus ex aëris diuiſione, vt in bombardis, & tunc in partibus aëris ſubiectatur; ergo ſimiliter cùm rumpitur aliud corpus, vt lignum, vel lapis, ſonus erit in partibus ruptis. Negatur conſequentia, quia ruptio, vel ſciſſio non cauſat ſonum, niſi ratione aëris incluſi, vel circundantis rem, quæ rumpitur.

Minor ictus quando cauſat maiorem ſonum.

4\. Dico tertiò, non tantùm aër, ſed etiam aqua eſt medium ſoni. Ita Ariſtoteles 2. *de Anima, c. 8. text.* 78. vbi Diuus Thomas *text.* 79. *&* 83. Caietan. & Ægid. Patet, quia lapides & lebetes ſub aqua ſonant; & piſces, quia audiunt ſonum nauium, fugiunt. 4. *Hiſt. c.* 8. & ſtrepitu in littore terrentur: & idem dicendum eſt de liquoribus aquæ ſimilibus; experientiâ etiam conſtat, ſi quid rumpatur in flamma, ſonum edere.

Aqua eſt medium ſoni.

Obiicies, quia motus piſcium ſub aquis ſonum non edit. Reſpondetur, ideò eſt, quia non diuidunt cum violentia aquas, ſolida tamen in aquis ſe collidentia, ſonum edunt, ex contraria cauſa. Vel dic edere ſonum, etſi valde paruum. Ariſtoteles multis in locis, ſolius aëris tanquam medij meminit; ſed ideò fecit, quia eſt medium maximè aptum; aquam tamen aſſeruit eius eſſe medium *loco citato*.

Sonus ſub aqua editur.

5\. Obiicitur ſecundò, Ariſt. 2. *de An. text.* 76. dicit, quòd mediũ auditus eſt aër, olfactus, aër, & aqua. Reſpondetur, fortè velle aërẽ eſſe omnino neceſſarium ad auditum, ſaltem loquendo de aëre intra aurem, non tamẽ eſt neceſſarius ad olfactum. Vel vult aërem eſſe medium præcipuum, & facilè auditus, aquam verò non ita facilè; & tam aër, quàm aqua ſunt commodum medium olfactus. Hæc ſolutio ſufficit, cùm conſtet eum poſuiſſe aquam medium auditus.

Dico quartò, diuiditur ſonus primò in vocem, & non vocem. Secundò, in directum, & reflexum. Tertiò, in grauem, & acutum; ita communis, & experientiâ conſtat. Quoad primam diuiſionem, aduerte vocẽ edi tantùm ab animalibus pulmonem habentibus, cuius cauſa eſt anima: ſed inſtrumẽta habet plura: primum eſt pulmo aërem continens. Secundum, aſpera arteria, à pulmone ad linguam vſque attingens. Tertiũ, larynx, quæ inſtar nucis in ſummitate illius arteriæ ſe prodit. Quartũ, lingula, ſeu coopercolũ laryngis, ne aliquid ex iis, quæ in ſtomachum mittenda ſunt, ſubintret. Quintum, palatum, vocis refractoriũ deſeruiens ad eam augendam, vel minuendam: de quo Gal. *lib. de vocis inſtrum. c.* 4. 7. qui *c.* 13. integrum vocis inſtrumentum comparat fiſtulæ, & buccis; arteria reſpondet fiſtulæ, pulmo buccis aërem impellentibus, laryngis lingua foramini ſuperioris partis fiſtulæ; & ſicut per varia foramina, modò clauſa, modò aperta variatur ſonus, ſic rimulâ laryngis dilatatâ, vel compreſsâ, variatur vox.

Diuiſio ſoni triplex.

Vocis inſtrumentum deſcribitur.

6\. Ex quibus poteſt *vox* ſic definiri, quòd ſit *ſonus ab anima cauſatus per vocalia inſtrumenta.* Quæ definitio coincidit cum ea, quam dat Ariſtoteles *d. c.* 7. *text.* 90. Aliqui addunt particulam, *cum imaginatione aliquid ſignificandi*, quâ excludunt tuſſim: ſed hoc excluditur, quòd vox per ſe, voluntariè formatur: quòd ſi voluntariè, & ad aliquid ſignificandum fiat tuſſis, id per accidens eſt. Locutio ſuper vocem addit, quòd ſit expreſſiua rationalis conceptus, vnde locutio pſittaci, & hominis dormientis, ſecundùm quid tantùm locutio eſt.

Vocis definitio.

Locutio quid addit ſuper vocem.

Secunda diuiſio ſic explicatur: ſonus rectus eſt, qui per rectas lineas orbiculatim diffunditur inſtar circulorum, quos efficit lapis in aquam proiectos; reflexus verò, ſeu actio fit, quando rectus incurrit in corpus ſolidum concauum, à quo tanquam pila reſilit ad aures, tamen non neceſſe eſt reflecti ipſum aërem, quo ſonus reuehatur, neque ipſum realem ſonum; quia ſæpè ſufficit reflecti ſpecies eius, ſicut in ſpeculo videt quis ſeipſum per ſolas ſpecies reflectentes ad oculum: ita in Echo audis ſuas voces per ſolas ſpecies eius reflectentes ad aures.

Echo quid ſit.

7\. Præterea, conſtat fieri Echo ad magnam diſtantiam, ad quam neque aëris commotio, neque realis ſonus pertingit. Non audiuntur autem in Echo niſi vltima verba, quia reflexio fit ordine retrogrado, & quoniam ſonus eſt ſucceſſiuus, priores eius partes facilè euaneſcunt, ita vt ſaltẽ quoad articulationem non percipiantur; ad quod facit, quòd vltimæ partes propellentes priores turbant. Contingit autem ob varios anfractus, voces non ſemel, ſed ſæpiùs reflecti, vt refert Plin. *lib.* 36. *Nat. Hiſt. c.* 15. Olympiæ in porticu fuiſſe eandem vocem ſepties reddi ſolitam. Sonus acutus eſt, qui breui tempore penetradit inſtar ferri acuti, grauis è contra, inſtar obtuſi ferri.

In Echo non reflectitur aer, neque idẽ ſonus.

Quare vltima verba in Echo audiantur?

Eadẽ vox aliquando ſæpiùs reflectitur.

Dico quartò, ſonus ab ea parte, in qua incipit, multiplicat ſpecies ad diſtantiam, ad quam non multiplicat ſe realiter. Patet, ad tam magnam diſtantiam, in qua auditur, veriſimile non eſt poſſe realiter peruenire. Secundò, niſi ab eo loco, quo incipit, ſonus effunderet ſpecies, non perciperemus vnde veniret. Tertiò, ſi non effunderet illas ſpecies, in loco diſtanti non audiretur, quia omnis ſenſatio eſt per ſpecies.

Sonus efficit ſpecies, vbi ipſe non eſt.

8\. Quidam putant ſonum, in eo ſpatio, quo fit impetuoſo conatu medij non producere ſpecies; quia ibi multiplicat ſe realiter. Sed verius eſt oppoſitum, quod tenet Diuus Thomas 1. *p. q.* 77. *art.* 1. quia audimus ſonum vbi incipit ab ore animalis, & immediatè ad lyram.

Obiicitur primò, ſonus eſt ſucceſſiuus: ergo non producit ſpecies, quia nihil habet præſens niſi indiuiſibile. Reſpondetur, producere eas, & immutare ſucceſſiuè, & ſic agit per partes ſuas ſucceſſiuas: & ſicut obiectum ſucceſſiuè fit, ita cognoſcitur; neque eſt contra rationem actionis ſenſitiuæ fieri ſucceſſiuè.

Sonus an ſucceſſiuus.

9\. Obiicitur ſecundò, ſi ſonus multiplicat ſpecies quando incipit, ſequitur quòd auditur in inſtanti, quia effundit ſpecies ſine reſiſtentia contrarij, ſicut viſibile; conſequens eſt contra experientiam, quia priùs audit, qui eſt prope rem ſonantem, quàm qui procul diſtat; & fulgur priùs ab oculo cernitur, quàm tonitruum ab auditu percipitur, & tamen hoc eſt cauſa illius. Reſpondetur, ſonum ad certam paruam ſphæram emittere ſpecies, ſimul ac incipit, ſicut res viſibilis, & à quocunque intra illam ſphæram ſimul audiri poteſt, quod experientiâ conſtat; at in magna diſtantia ſpecies non poſſunt effundi, donec ſonus ipſe priùs inſenſiè multiplicetur, & hoc fit neceſſariò in tempore, quod allata experientia probat. Si petas, quare viſibile, etiam ad remota, in inſtãti multiplicat ſpecies, & non ſonus? Reſpondetur, ſicut viſus eſt perfectior ſenſus, vt oſtendi ſuprà *ad q.* 6. ita eius obiectum perfectius, & efficacius eſt ad agendum ad maiorem diſtantiam. Iuxta hoc explica

6. *Cerebrũ quomodo odore confortatur.* Obiicies, cerebrum confortatur odore, & etiam læditur; ergo est eius organuio. Respondetur, lædi, vel coofortari qualitatibus comitantibus habitum.

Obiicitur secundò, Aristoteles *sect.* 13. *q.* 5. ait tune nos odorari, cùm odores ad cerebrum veniunt. Respoodetur, varius in hoc est: tamen 1. *de Hist. c.* 12. ait nares continere meatus odorandi. Aduerte tamen animalia non respirantia, quia naribus carent, olfactum habere in fistulls, vel branchiis, vt tenet Aristoteles 2. *de Part. cap.* 16. *&* 4. *de Hist. cap.* 10.

Quod hîc ait Aristoteles *text.* 100. intra nasum dari operculum sensorij, quod respiratione eleuatur, & ideò sine respiratione odorationem noo fieri; irridetur à Galeno *lib. de instrumento odorationis.* Sed fortè per illud opereulum intelligit viam arctam nasi, quæ respiratione dilatatur.

Petes, an odoratus hominis sit perfectior aliorum animalium. Respondetur suprà *in Comment. ad q.* 6. Vide Conimbr. 2. *de Anima, c.* 9. *q.* 5. & Toletum *ibi, q.* 14.

SECTIO XII.

De Gustu, & Tactu.

1\. DE gostu agit Aristoteles, & Interpretes eius 2. *de Anima, c.* 10. & de tactu, *c.* 11.

Definitio saporis. Dico primò, *sapor est qualitas secunda resultans ex mixtione, qua calor cum humiditate vincunt.* Ita Aristoteles *de Sens. & Sensib. cap.* 4. Prima pars patet, quia oullum elementum, in quo sunt qualitates primæ, aptum est ad outriendum; ergo nec sapidum. De humiditate patet, qoia quædam sapiunt irrigata, & humor saliualis ad actum requiritur. *Sapor, & odor, vicinæ qualitates.* De calore etiam constar, quia coquit siccum, & humidum, vt debitè misceantur, & inde resultat vapor; si autem oimis coqoat, vt resoluat materiam homidam in sobtiliorem, orietur odor, vnde sapor, & odor, sunt qoalitates vicinæ.

Obiicies. Cineres, piper, & alimenta multa noo sunt humida. Respoodemr noo requiri humidum prædominari io sapido, sed sapor prouenit ab eo magis, quà homidum est, neque hîc adsunt rationes vrgentes.

2\. *Quare quæ sapida brutis, insipida sunt hominibus, & contrà?* Obiicitur secundò, si sapor sic resultaret, in re sapida iobæreret, quod falsum est; quia tunc eodem modo saperet hominibus, & brutis, contra experientiam. Respondetur, res secundùm se sapiunt eodem modo omni gustui non impedito; vnde cùm homines effugiant aliméta brutorum, non est ex eo quòd non percipiaot eodẽ modo sapores; sed quia ratione temperamenti, nociua sunt homini, quæ bruto conueniunt, & è contra.

Sapores extremi, & medij. Dico secuodò, sunt doo sapores exttemi, dulcis & amatos, & sex medij. Ita Aristoreles *de Sens. & Sensib. c.* 4. *&* 2. *de Anima text.* 105. Alij addunt acutum, quem ille omisir. Pingue est prope dulce, salsum prnpe amarum; reliqui omnino medij, vt acurus in pipere, taphano; aosterus in fructu immaturo; stypticus in fructu myrti; ponricus in limooiis, acetosus in aceto. *Exempla saporum.* Galenus 4. *de simplicium medicamentorum facultate. c.* 10. ponit acotum, & ponticum esse extremos, sed Arist. sequuntur D. Thomas 2. *de Gen. sect.* 11. Auerroës 2. *de Anima, com.* 105. Iauellus *q.* 46. & communis, & experientiâ constat amarum, & dulce, maximè contrario modo mouere gustum. Nec obstat, quòd ponticus magis frigori, & acutus magis calori accedunt; quia accessus ad primas qualitates hîc non attenditur, sed ad rationem afficiendi gustum cum delectatione, vel dolore.

Dico tertiò, gustus differt realiter à tactu. Ita Aristoteles 2. *de Anima, & de Sens.* & communis *circa text.* 11. Probatur; quia sapor non est obiectum tactus, sed primæ qualitates. Secondò, saluo tacto, perditur quandoque gustus. Tertiò, organum est diuersum, quia in gustu, est vena linguæ, ex Scoto suprà *q.* 1. io tactu, est per torum corpus. 3. *Quomodo gustus differt à tactu.*

Obiicies primò, quia gustus percipit aquam, quæ saporem ooo babet, ergo vt tangibilem seorit. Respondetur, si omni sapore caret, gustari nequit; sed tantùm tangi. Aristoteles sæpiùs dicit gustum esse quemdam tactum; quia tactum suppooit, vel quia circa idem materiale versantur; & quia vbicumque est gustus, ibidem est tactus, etsi oon è contra: de quo suprà *annot.* 1. *ad q.* 6. *Gustus est quidã tactus, exponitur.*

Dico quartò, organum gustus est cuspis linguæ. Aristoteles 1. *de Hist.* 11. *&* 3. *de Part. c.* 17. Probatur experientiâ, quia cùm aliquid perfectè gustare volumus, applicamus linguæ cuspidem: è contra cùm gustare nolumus, ad linguæ radicem deiicimus, vt io medicamentis sumendis cooriogit. Palatum aliquid de organo participat, vt tenet Damascenus 2. *fide* 18. & alij; vode oetui gustatorij eò se extendunt. 4. *Organum gustus.*

Dico quintò, organum tactus est neruus, & med um caro: hanc docet Scotus suprà *q.* 2. *& in Comment.* solui rationes, quæ fiunt contra eam. *Organum tactus.*

Dico sextò, suot duo tactus, specie distiocti: hanc tractaui cum Doctore *q.* 1.

Dico septimò, neque gustus, neque tactus requirunt medium extrinsecum: hanc fuse tractaui cum Doctore suprà *q.* 3. & 4 Difficultas autem est an isti duo sensus immutentur per species intentiooales. Quidam oegant, quos citaui *in Comment. ad q.* 5. *in fine.* *Nec gustus, nec tactus requirunt medium.*

Dico octauò, oppositum est verius. Ita Scotus soprà *q.* 4. & Diuos Thomas 1. *p. q.* 78. *art.* 3. & communis. Probatur primò, quia non aliter cognoscere possunt qualitates sensibiles, quàm per species, sicut io aliis sensibus contingit. Secundò, non sentiunt qualitates sibi inhærentes, vt ostendi, *in Comment. ad q.* 3. *annot.* 1. ergo externas; sed has nequeunt sentire, nisi ab eis accipiant species. Tertiò, gustus non immutatur realirer a sapore, quia actiuus non est; ergo intenrionaliter, alioquin nullo modo sentiret. Quartò, constar quando tactus habet intensom frigus, quòd tunc perfectiùs sentit calotem, qui tamen propter resistentiam contrarij tunc minùs naturaliter imioutar; ergo iotentionaliter immutat. Vide Scotum suprà *q.* 5. Item, durities, & mollities non producunt sibi similes qoalitates in tactu; ergo iotentiones rantùm: alioquin nullo modo sentirentur. Ratio à priori in hoc esse videtor, qoòd qualitares reales, sunt nimis materiales, & crassæ ad causandam sensationem. 5. *Gustus, & tactus immutãtur per species.* *Aliquando quod minùs immutat naturaliter, intēsiùs immutat intentionaliter.*

Obiicitur primò, manus æquè calidum obiectum non sentit, quia ab eo nõ alteratur; ergo per alterationem sentit. Respoodetur, hoc esse peculiare seosibili tactus, quòd non immutat intentionaliter, nisi quando immutat realiter; vode intentionalis eius actio supponit realem; & experientia id testatur: ideò calidom, quia æquè calidũ non alterat, neque speciem io illud immittit. Conimb. 2. *de An. c.* 11. *q.* 3. *art.* 3. dicũt tunc effundi speciem in sensorium, non tameo effici sensatiooem, quia requiritur alteratio. Sed non placet, quia senso- 6. *Tangibilis actio intentionalis, supponit naturalem.*

tium calidum, vt quatuor cum specie, calidi vt quatuor, aliquam sensationem elicere potest, saltem imperfectam, calor enim ad id nō concurrit.

Quare gustus non sentit in absentia, cùm non mutetur realiter à sapore?

Obiicitur secundò, gustus non immutatur realiter à sapore; ergo si per species sentit, in absentia saporis sentiet. Negatur consequentia, quia esto à sapore non immutetur, tamen debet immutari à qualitate tangibili, quia hi sensus sunt subordinati, vt *suprà* dixi.

7. Obiicitur tertiò, quia nec in olfactu datur species: ergo minùs in gustu, & tactu, qui sunt perfectiores. Antecedens probat Hurtado *de An. d.* 12. *n.* 9. Primò, quia non discernit olfactus, vnde incipit odor. Secundò, quia manet odor in cubili animo odorifero, at non manent species. Respondetur, ad primum, experientiâ constat nos aduertere, an à dexteris, vel sinistris venit. Adde fortè non sentiri odorem sine contactu, vt in gusto, quod sentire videtur Scotus suprà *q.* 4. *ad* 1. manent etiam ibi odoris species, cum suo obiecto: neque odor separatur à suo subiecto, exhalatione fumeâ.

Ex quibus patet, species horum sensuum produci successiuè, quia sic fiunt illæ reales alterationes, verùm istæ actiones non se comitantur secundùm gradus, quia contingit sensationem esse intensam, vbi alteratio talis non est, vt si applices manum nimis frigidam ad ignem: de quo dixi *in Comment. ad q.* 3. *ad* 2.

Petes an sint plures, vel pauciores sensus, quàm quinque? Respondetur, suprà *q.* 6. *vbi in Comment.* de comparatione eorum quoad perfectionem, & de sensibilibus communibus, dixi quod verius visum est.

Sectio XIII.

De Sensu communi.

1. Ponendum esse sensum communem, ostensum est à Doctore suprà *q.* 9. & *ibi in Comment.* tractaui an externi cognoscant suos actus; & verius esse dixi hos percipi ab interno. Item, vnum tantùm esse sensum internum. Item, actum est de ratione vnitatis eius, organo, & obiecto *q.* 10. in cuius Comment. etiam discussi an sit in omni animali, & an sensus decipiatur.

Sectio XIV.

De Speciebus sensibilibus.

1. *Species sensibiles necessariò esse ponendas.*

Suprà *in comment ad q.* 17. *n.* 25. secundùm communiorem sententiam, ostendi dandas esse species sensibiles, etsi multi non inferioris notæ, eas negent. Adde hîc ad huius confirmationem rationes sequentes. Prima, secundùm communem ad sensationem in omnibus sensibus requiritur medium; & saltem requiri in visu à nemine negari potest; de quo Doctor suprà *q.* 4. sed nullum agens petit medium, nisi vt per illud fiat aliqua actio, neque hîc alia esse potest, nisi effusio specierum. Secunda, alioquin in quacumque distantia videret sensus obiectum. Tertia, sensibilia videntur ad longam distantiam, in qua nihil reale producere possunt, præter species: quod de visu patet, & de auditu ostendi *sect.* 10. *con.* 4. & de olfactu, *sect.* 11. *con.* 2. Quòd verò aliquid producant, patet, alioquin sensus non exirent in actus; quia nihil esset, quo determinarentur ad agendum, potiùs quàm ad non agendum. Quarta, reflexio specierum ex speculo id ipsum ostendit, quia per hanc videmus, quod à tergo est, quod non fieret, si nihil produceret obiectum in speculo. Quinta, baculus, cuius pars est in aqua, apparet fractus, nec oculus est causa; quia vniformis est, nec baculus, quia integer, & rectus est: ergo ex diuersitate medij hoc prouenit; & per consequens aliquid recipitur in medio, alioquin nulla fieret deceptio ratione ipsius. Sexta, alioquin opacum interiectum non impediret visionem, nec auditionem contra experientiam. Septima, ideò auersis oculis non videmus, benè tamen audimus, quia species visiua per lineam rectam traiicitur, auditiua non.

Sensibilia remota non possent percipi sine speciebus.

Baculus cuius vna pars est in aqua, altera in aere, quare appareat fractus?

2. *Species sunt actiuæ.*

Petes an species sint actiuæ? Respondetur, sic: de quo Doctor suprà *q.* 12. & 1. *d.* 3. *q.* 7. Vide quæ adduxi *d. q.* 12 *in Comment. annot.* 3.

Species esse diuisibiles.

Petes secundò, an species hæ sint diuisibiles? Ita, primò, quia sunt in subiectis diuisibilibus. Secundò, fiunt à diuisibilibus qualitatibus. Tertiò, aliàs non possent reflecti, nec refrangi. Quartò, esset species tota in toto, & tota in qualibet parte, quod soli spiritui conuenit. Quintò, eadem species esset in multis locis discontinuis.

Quomodo species visibiles emittitur, & qua figura.

Pro maiori explicatione huius, & solutione argumentorum; Aduerte quòd à quauis parte obiecti emittitur similitudo pyramidalis ad quoduis punctum medij illustrati, cuius basis est in superficie rei visæ, & conus in quolibet puncto, & idem de luminoso, quod secundùm perspectiuos in quolibet puncto spatij terminat suam pyramidem, vnde quo res sunt maiores, eo efficaciores species emittunt; & hinc remotiùs videri possunt. Hinc etiam est, quòd in quolibet puncto medij, totum obiectum, & singulæ eius partes, à quibus sine obstaculo ad illud punctum lineæ duci possunt, repræsentantur; quia scilicet ibi est conus illius pyramidis, quod fieri non posset, nisi obiectum, & singulæ eius partes, in quauis parte medij sui similitudinem producerent. Ratio huius 3.
est, quia, vt docet Scotus 2. *d.* 13 *n.* 9. *ad* 3. agens naturale non impeditum agit in medium sphæricè, & ideò quælibet pars obiecti, cùm naturaliter agat in quamlibet partem medij, speciem producit, & per consequens in qualibet parte medij, omnes partes obiecti repræsentantur; modò ab eis ad illam partem lineæ rectæ duci possint: alioquin è quauis parte medij non videretur totum obiectum, sed tantùm illa pars, cuius tantùm species esset in illa medij parte, quod est contra experientiam, species autem sic effusa à singulis partibus obiecti ad singulas partes medij, repræsentat partes à quibus effunditur secundùm situm, colorem, & extensionem; & per consequens species per accidens, sicut & albedo extensa est ad extensionem subiecti, & sic diuisibilis.

Agens naturale non impeditum agit sphæricè.

Species repræsentat obiecti secundùm situm, colorem, & extensionem.

4. *Quare obiectū dicitur effundere species in plurali?*

Ex dictis patet, quare obiectum dicitur effundere species in plurali, cùm vnam tantùm effundat, quia quælibet pars speciei sufficit vt totum videatur, & eàdem ratione dicuntur species multiplicari; quia ita deseruiunt potentiæ, ac si plures essent: producuntur autem ab obiecto vsque ad organum, continuè si medium est eiusdem rationis, vel contiguè, si alterius; & tunc per accidens species non est vna. Ratio est, quia obiectum continet eas intra suam sphæram, & quia species non repræsentat, nisi id à quo fit. Alij dicunt vnam speciem efficere aliam, & sic vsque ad organum.

Quo sensu species dicuntur multiplicari?

Aduerte secundò, quòd species visibilis aliquando effunditur obliquè, vel reflexè ad potentiam,

Vnde res apparent duplices?

tiam, non ſecundùm axem rectum; & tunc accidit error circa ſitum obiecti: & hinc eſt, quòd quando comprimendo oculum, ipſum eleuamus, apparet res extra locum ſuum, quia axis illius oculi non eſt rectus, & quia axis alterius oculi rectus eſt, res apparet in ſuo loco; & ſic dupla: eâdem ratione, quia pars baculi in aqua priùs ſpargit ſpecies per aquam, & inde veniunt ad oculum, à perpendiculari fractæ, apparet baculus fractus, quia per aliam lineam venit ſpecies partis immerſæ, & per aliam partis non immerſæ.

Quare res videtur in ſpeculo, non vbi eſt? & quare in profundo ſpeculi videtur?

5. Similiter; quia linea non ſeruatur recta in reflexione à ſpeculo, res videtur non vbi eſt, ſed vbi incipit reflecti ſpecies eius. Non videtur autem in ſuperficie, ſed in profundo, quia non tantùm rem, ſed etiam diſtantiam aliquo modo repræſentat; vnde cùm plures retrò exiſtentes repræſentantur in ſpeculo, profundiùs apparent, qui remotiores ſunt. vide de hoc Vitellium *lib. 5. Perſpect.* Hinc etiam animalia dum iuxta flumen incedunt, apparent, quaſi dorſo inuerſo; quia ab aqua ſpecies reflectitur, ſicut à ſpeculo: & apparent repræſentata per tales ſpecies eſſe, vbi reflexio incipit. Turres ſub aqua apparent inuerſæ, quia ſpecies cœli ibi reflectitur, & repræſentat diſtantiam, quæ minor eſt inter ſummitatem turrium, & ipſum, quàm inter ipſum, & earum fundamenta; quod fieri nequit, niſi turres inuerſæ appareant; & fortè hæc eſt verior ratio, quare animalia ſub aqua inuerſa videntur, & homo iuxta ripam incedens verſo capite apparet. Ex quibus patet nihil valere argumentum Galeni apud Nyſſenum *de viribus An. cap. 2.* ſcilicet oculos non poſſe recipere ſpecies cœli, & magnarum rerum, quia ſunt nimis parui; oſtenſum enim eſt, ſufficere conum pyramidis recipi in oculum, vt totum obiectum videat.

Quare animalia iuxta aquã inuerſa videntur?

Cur homo iuxta ripam incedens in uerſo capite apparet?

6. Obiicies, ſi ſpecies ſunt diuiſibiles; ergo occupant locum, & ſic plures non poſſunt eſſe ſimul in parua pupilla, & per conſequens, tanta multitudo rerum non videtur per ſpecies. Reſpondetur, non ſe excludunt; quia non ſunt quantæ per ſe, ſed compatiuntur in eodem, ſicut albedo, & dulcedo. Contrà; ergo per eas non repræſentantur obiecta, niſi in eodem ſitu, quia illæ ſunt in eodem. Negatur conſequentia, quia ſeruant varias oppoſitiones, ſecundùm lineas rectas ad diuerſa obiecta, ad eum modum, quo lineæ à centro ad circumferentiam ducuntur, & ſic repræſentant res in diuerſis ſitibus.

Plures ſpecies in eodem ſubiecto.

Obiicitur ſecundò, ſi ſunt diuiſibiles; ergo materiales: ergo educuntur de potentia materiæ; ergo non fiunt in inſtanti: conſequens eſt falſum, quia oculus in inſtanti videt. Reſpondetur, educi de potentia materiæ, quia non creantur: cum quo ſtat, quòd viſibiles, cùm contrarium non habeant, nec dependeant ab aliquo ſucceſſiuè, in inſtanti emittantur: audibiles autem, & olfactibiles, quia cum motu fiunt, in tempore diffunduntur, vt explicatum eſt *ſect. 10. conc. 4. & ſect. 11. conc. 2.*

Quare ſpecies viſibiles in inſtanti effunduntur, alia non ita?

7. Petes tertiò, an ſpecies rei, vel res ipſa videtur in ſpeculo? Quidam dicunt vtrumque ſimul videri, D. Thom. *de Verit. quæſt. 8. art. 5. & 15. & 1. part. quæſt. 58. art. 3.* Auerr. *lib. de Senſu, cap. 1.* Capr. *1. diſt. 35. quæſt. 2. art. 1. in ſol. arg. contr. 2. concluſ.*

Verior ſententia eſt, tantùm videri rem ipſam in tali reflexione. Ita Scot. *2. diſt. 13. §. dico tunc, num. 4.* vbi ait, quòd in tali reflexione, *videtur res ipſa, & non aliqua ſpecies rei viſa* & *quodl. 14. fin.* Richard. *4. diſt. 11. quæſt. 1.* Palatius *2. diſt. 3. diſp. 5.* Vitellius *lib. 5.* & alij apud Conimbr. *2. de Anim. cap. 7. quæſt. 8.* qui tamen Scotum contra expreſſa eius verba citata, citant pro altera parte; qui etiam idem expreſsè tenet *4. diſt. 10. quæſt. 9. fine.* Probatur primò, quia ſi ſpecies videretur, non appareret maior ſpeculo, contra experientiam. Secundò, ſpecies tantùm eſt in ſuperficie ſpeculi, ex chalybe, quia non penetrat opacum, & tamen quod videtur, apparet in eius profundo. Tertiò, ſi videretur ſpecies, hoc deberet eſſe per aliam ſpeciem ab ipſa diſtinctam ſpecie, vt in aliis contingit; & hinc viſio eſſet recta, non reflexa. Hanc, & alias rationes adducunt Conimbricenſes, quibus vltra concluſionem probant impoſſibile eſſe ſpeciem videri; cuius oppoſitum oſtendi ex Doctore *ſect. 13. dub.*

Res ipſa videtur in ſpeculo, non eius ſpecies.

Obiicies primò, quia ſi res videretur, appareret in ſuo ſitu. Reſpondetur. Ratio huius iam data eſt; de quo videri poteſt Vitellius citatus. Secundò, in ſpeculo fracto res videtur gemina, & in ſpeculis quibuſdam vna res nimis multiplicata videtur. Reſpondetur, hoc oriri ex ipſo ſitu, vel varia compoſitione ſpeculi; de quo Perſpectiui. Tertiò, ex *3. Meteor. cap. 4.* quidam Antipheron imaginem ſuam ab aëre repercuſſam videre ſolebat. Reſpondetur; non ait Ariſtoteles quòd ſui imaginem viderit, ſed ſuam formam; verùm fortè non in ſua, ſed in aliorum ſententia, tenentium viſionem per extramiſſionem fieri, locutus eſt; fortè etiam læſâ imaginatione, id quod interiùs concipiebat, exteriùs videri putabat Antipheron, vt multis contingit, maximè febricitantibus, de quo Galen. *lib. 3. de Loc. affect. cap. 3.* Aliam ſolutionem poſui *in Comment. ad quæſt. 17. num. 21.* Alia huc ſpectantia omitto; tot enim ſunt de viſibili abſtruſæ difficultates, vt vita hominis ad hæc ſola exactè indaganda, non ſufficeret. 8.

Quare res multiplicata videtur in quibuſdam ſpeculis?

Ob læſam phantaſiam quidam putant, quod imaginatur, exteriùs videri.

Petes quartò, an ſit poſſibilis ſpecies repræſentans indiuiſibile? Reſpondetur cum Scoto *4. diſt. 10. quæſt. 9. §. ad quæſtionem,* ſenſationem corporis indiuiſibiliter exiſtentis (vt corpus Chriſti in Euchariſtia) cùm ſit quid abſolutum, de potentia Dei poſſe poni in oculo; non repræſentaret tamen corpus, vt ſic exiſtens, quia taliter exiſtens, non eſt aptum eam cauſare, vel terminare; ſed an tendere poſſet potentia tali ſpecie affecta, in obiectum ſecundùm ſe excluſo modo exiſtendi, Doctor non reſoluit, & difficile valde eſt, maximè ponendo corpus nuſquam alibi eſſe, vt ibi admittit Doctor. 9.

An viſio corporea dari poſſit repræſentans indiuiſibile.

Pro parte negatiua eſt, quia ſenſatio extenſa, & diuiſibilis non poteſt repræſentare corpus inextenſum, aut indiuiſibile, etiam ſecundùm ſubſtantiam, præſcindendo à modo, quia repræſentans debet proportionari repræſentato. Confirmatur, quia viſio fit per ſimilitudinem pyramidalem, cuius baſis eſt in obiecto, & conus in centro oculi, ſed in caſu, baſis non poſſet eſſe extenſa, alioquin videretur obiectum vt extenſum, quod repugnat, cùm ſit inextenſum: ſi autem baſis eſſet indiuiſibilis, videretur tantùm vnum indiuiſibile in obiecto, neque abſtrahere poteſt baſis ab altero horum modorum.

Pro affirmatiua parte eſt, quòd illa ſenſatio eſſet operatio vitalis; ergo terminaretur vitaliter ad aliquid. Item, quòd eius effectus formalis 10.

eſt

est facere videntem, sicut albedinis, facere album; sicut enim intelligere non est agere, sed habere in se qualitatem, quæ est intellectio, vt docet Doct. 1. *d. 3. q. 6. num. 31. & 4. d. 12. q. 3. ad 5.* ita de visione tenendum est.

Propter hæc, & alia, res hæc mihi est explicatu difficillima; occurrunt tamen duo, vel tres modi dicendi. Primus, quòd per illum actum vitalem verè tendit potentia in corpus, propter rationes partis affirmatiuæ, non tamen in corpus, vt hîc; quia hoc repugnat, vt tenet Doctor; sed in corpus; abstrahendo à præsentia, quia dicit Doctor, quòd visiu produci potest à Deo, etiamsi corpus nusquam esset, nisi in Eucharistia. Ex quo sequitur, cùm secundùm eum, non posset videri vt hîc, neque vt alibi; quia nullibi esset nisi hîc, quòd abstractiue videretur: & per consequens, admittenda esset de potentia Dei sensatio externa abstractiua, vel sine præsentia obiecti, quod tenet Molina 1. *p. q. 55. art. 2. d. 2. n. 5.* Buridan. 2. *de Anim. q. 21.* Rubius *q. 13.* & Scot. 4. *d. 10. q. 5.* admittit de facto in sensu, Christi in Eucharistia esse sensationem obiectorum, quæ videt in cœlo, & sic sine præsentia obiecti datur sensatio, saltem per concomitantiam.

An dabilis sensatio externa abstractiua.

11\. Secundus modus, si dicamus à Deo produci posse qualitatem illam absolutam, nihil tamen per eam actu repræsentari; quia hoc est respectus ab ea separabilis, & impedibilis, quando obiectum non est in debita dispositione. Pro quo facit, quòd iste respectus distinguitur realiter à visione, ex Doct. 2. *d. 1. q. 4. num. 5. §. contra istam*, & quòd prius potest esse sine posteriori, si non est ei idem realiter, vt habet 1. *d. 1. q. 4. num. 14. & 2. d. 1. q. 4. num. 21. & d. 12. q. 1. n. 3.* Secundùm hoc negandum esset effectum formalem primarium visionis secundùm *esse* absolutum, esse facere videntem; sed hunc esse secundarium: & alium dari primarium, cuius nomen non nouimus, sicut nec nouimus nomen effectus speciei intentionalis in medio, vt docet Doctor 3. *d. 13. num. 8.* quia impositum non est.

An poni possit actus vitalis, sine actuali tendentia in obiectũ suum?

Tertius, quòd potentia per talem visionem tenderet in colores, non videndo molem, vel existendi modum; quia hoc est sensibile commune, & color sensibile proprium, & potentiæ Dei denegandum non videtur, quòd possit facere vt videatur sensibile proprium sine communi; quo casu esset proportio inter entitatem speciei repræsentantis, & repræsentatum, licèt maneret disproportio in modo extensionis speciei, per quem nihil repræsentaret.

12\. Ad id de pyramide, tunc non esset, quia hæc requiritur ad eliciendam visionem; & in casu nostro Deus per se eam eliceret. Verùm hoc non videtur conforme Doctori *d. quæst. 9.* qui negat per vllam potentiam corpus vt hîc, posse causare, vel terminare primò visionem; quia caret debitâ dispositione: ergo etiam per nullam potentiam sensatio extensa, illud repræsentabit vt hîc: quia non magis requiritur extensio in corpore, vt causet, vel terminet, quàm in sensatione concursus extensionis, vt repræsentet: tamen tenendo hunc modum, explicabis Doctorem, quòd intelligit per causare, vel terminare vt hîc, ipsum existendi modum, qui est indiuisibilis, operari, & percipi, quod repugnat: non tamen negat colores, qui subsunt illi modo, terminare posse. Si nullus horum modorum arridet, quære alium. Hic modus videtur ad mentem Doctorum pro primo modo citatorum, & secundùm Suar. 3. *de An. art. 12.* vbi tenet virtute diuinà posse sensum externum elicere sensationem sine præsentia obiecti; ergo à fortiori, sine præsentia modi obiecti, ipso obiecto præsente.

SECTIO XV.

De potentia nutritiua, vegetatiua, generatiua.

DE his Arist. & eius interpretes 2. *de An. c. 4.* Nota animæ vegetantis tres esse functiones, scilicet nutritionem, augmentationem, & generationem. Prima spectat ad conseruationem indiuidui, vt restauretur, quantum per actionem caloris naturalis deperditur; altera ad eius perfectionem, vt debitam molem acquirat compositum. Tertia ad conseruationem speciei. 1.

Tres functiones animæ vegetantis.

Dico primò, istæ tres potentiæ, si considerentur, vt virtutes sunt, & facultates animæ, nec inter se, nec ab anima distinguuntur realiter. Hæc satis constant ex dictis suprà de distinctione potentiarum *disp. 1. sect. pen. & ex concl. seq.* probatur; sed verùm habito respectu ad organa realiter distinguuntur, vt visus, auditus, &c.

Potentiæ istæ tres non distinguuntur ab anima.

Dico secundò, neque hoc sensu distinguuntur inter se realiter; est contra Caiet. 2. *de An. text. 5.* Ianduu. *q. 13.* Iauell. *q. 18.* &, vt videtur, contra D. Thom. 1. *p. q. 78. artic. 2. & q. 79. artic. 7.* eam tenent Durand. 1. *dist. 3. quæst. 5.* Valesius *cap. 5. controu. cap. 20.* Conimbr. 2. *de Anim. cap. 4. q. vnic.* Tolet. *q. 10.* tamen non loquitur de generatiua. Est Arist. *text. 42.* vbi ait, quòd eadem est vis nutriendi, & generandi, & 5. *de Gen. anim. cap. 4.* idem sit de generatiua, & augmentatiua. Probatur ratione, quia vis generans sufficit ad nutriendum; quia hoc est partialiter generare, seu aggenerare, & ipsa aggeneratione fit augmentatio; si nutribile, non declinat à statu sibi debito. Sic eâdem virtute, quâ ignis generatur, augetur; & nutriretur si viuens esset. Sed cùm entia non sint multiplicanda sine necessitate, sufficienter probatur hæc respondendo ad argumenta contraria.

Generatiua, nutritiua, & vegetatiua, eadem potentia realiter.

Obiicies, cùm peruenitur ad statum, manet nutritiua perditâ augmentatiuâ: ergo differunt. Respondetur, manet auctiua tunc, sed debilior; quia non tantum apponit, quantum priùs; sic manet eadem visiua in puero, & sene, sed non æquè perfecta. 2.

Obiicitur secundò, obiectum, seu materia circa quam nutritiuæ, est substãtia alimenti, auctiuæ, quantitas: ergo. Respondetur, eadem potentia est nutritiua, vt conuertit substantiam alimenti in alitum, & augmentatiua dicitur, quatenus per partem appositum alitum augetur: alimentũ ergo est obiectum vtriusque; sed sub diuersa ratione.

Alimentũ est obiectum nutritiuæ, & augmentatiuæ.

Obiicitur tertiò, reperitur nutritiua, & auctiua sine generatiua. Respondetur, id negando, sed eadem potentia manet, etsi in pueris, & senibus, & quibusdam animalium speciebus, non habeat actum, defectu dispositionis debitæ. Sic eadem est vis attractiua, & retentiua alimenti, & tamen aliquando attrahit, & non potest retinere.

Eadẽ est vis attractiua, & retentiua alimenti.

Obiicitur quartò, generatiua efformat membra, quod nequeunt illæ aliæ potentiæ; non enim potest nutritiua brachium abscissum ex sua materia formare; ergo. Respondetur, patet ramos abscissos per nutritiuam efformari, & in paruulis aliqua membra regenerari solent; sed solida 3.

An nutritiua membra efformat aliquando?

membra

membra rarò ſic regenerantur, quia ſemen eſt ad hoc aptius, quàm alimentum. de quo Galen *lib. de ſem. cap.* 17.

Quare dicitur generatiua eſſe in parte determinata?

Obiicitur quintò, generatiua eſt in parte determinata, reliquæ per totum corpus ſunt ſparſæ; ergo. Reſpondetur, ideò dicitur eſſe in determinata parte, quia ibi tantùm habet materiam aptam, ſeu concauſam, nempe ſemen; quod eſt dicere, non poſſe habere actum niſi ibi; ſed etiam quando nec ibi actum habere poteſt, adhuc manet potentia.

Obiicitur ſextò, calor facit nutritionem, & auctionem, *de Senſ. & Senſib. cap.* 4. & generatio fit à ſubſtantia. Reſpondetur, 2. *de Gen. an.* 4. dicit Ariſt. vegetatiuam efficere nutritionem, vtendo calore, vt inſtrumento.

Vegetatiua, nutritiua, & altrix ſparſa ſunt per omnes partes.

4. Dico tertiò, potentia vegetatiua, nutritiua, & augmentatiua, ſparſa eſt per ſingulas corporis partes, habétque varias virtutes in eis, quia in oſſe conuertit alimentum in os, in carne in carnem; & iſtæ virtutes ſunt incompletè ſpecie diſtinctæ, ſicut & partes, quibus inſunt: faciunt tamen vnam potentiam etiam numero totalem, ſicut & illæ partes vnum totum. Si tamen conſideretur in eis modus agendi ſunt eiuſdem ſpeciei, ad eum modum, quo Scotus dicit 2. *d.* 1. *q.* 5. intellectum hominis, & Angeli eſſe eiuſdem ſpeciei Prima pars patet, quia ex Ariſt. *de Iuuent. c.* 2. omnes partes habent natiuum calorem, quo cibum conficiunt. & idem 6. *Hiſt.* 3. Ratio eſt, quia nutritio eſt actio vitalis ab intrinſeco, & anima eſt in ſingulis partibus cum temperamento, & potentia attrahendi, retinendi, & expellendi, reliquæ particulæ ſunt elatæ.

5. De generatiua Hippoc. *lib. de Genitura.* Albert. 2. *de An. cap.* 7 *tract.* 2. dicunt ſemen decidi ab omnibus membris; & ſic in omnibus erit potentia generatiua, ſeu formatiua ſeminis. Sed hoc reiicit Ariſt. 1. *de Gen. anim.* 17. D. Thom. 1. *p. q.* 119. *art.* 2.

Vbi reſidet ſemen?

Quidam ſubiectum generatiuæ ponunt eſſe cor: alij hepar, alij arteriam renum, alij inferiores partes: ego relinquo hoc Medicis. Vide Valeſ. 2. *controu. c.* 5. Qui aſſerunt eſſe in ipſo ſemine, omnino falluntur, quia non eſt vnum, ex Ariſt. 2. *de Gen. anim. cap.* 3. & docet cum communi Scotus 2. *d.* 35. & 4. *d.* 44. *q.* 1. Aſſerentes etiam decidi ab omnibus partibus, nullo, vt videtur, fundamento nituntur. Nec obſtat, quòd ſeminis nimiâ effuſione omnia membra debilitentur; quia cauſa eſt, quòd euacuato eius ſubiecto, pars ſeminis effectrix attrahit ſanguinē à partibus vicinis, & illæ ex aliis.

Quare nimiâ ſeminis effuſione omnia membra debilitantur?

Contrà, quia ſemen eſt excrementum, vel ſuperfluum alimenti, 1. *de Gen. anim. cap.* 18. ergo non fit ex nimia attractione ſanguinis alimentalis. Reſpondetur, verum eſt per ſe, ſi nimia tamen ſit eius effuſio, cauſa eius, quæ quantum poteſt, quærit quæ ſua ſunt, eripit aliquid vicinis partibus; & hinc ex nimia ſeminis effuſione videmus etiam bruta viribus deſtitui.

Tria ad potentiam generatiuā requiſita.

6. Petes quæ viuentia potentiâ generatiuâ carent? Reſpondetur, Ariſt. *hîc cap.* 4. tria petit ad hanc potentiam. Primum, ætatem perfectam. Secundum, non eſſe orbatum, nec impeditum, vt ſunt exſecti, frigidi. de quo 8. *Hiſt.* 12. & huiuſmodi ſunt ſpecies animalium. de quibus 3. *de Gen. anim. c.* 6. Tertium, quòd viuens ex ſemine productum fuerit. Vnde vult ex putrefactione genitâ, nō eſſe generatiua; ſed fortè excludit tantùm illa, quæ ex putrefactione fiunt, & ſexuum differentiam non habent. Hæc enim non generant ſibi ſimile, vt de anguillis ipſe dicit 6. *Hiſt. cap.* 15. etſi quandoque generent diſſimile, vt de bombyce dicitur, & de iis, quæ oua pariunt abſque coïtu maris. Ita ſe explicat 1. *de Gen. anim. cap.* 1. & *lib.* 5. *cap.* 1. 8. & *ſect.* 10. *Problem. q.* 14.

Generans, aliud viuiparum, aliud ouiparum, aliud vermiparum.

Aduerte generantium, alia eſſe viuipara, quæ pariunt fœtum viuum: alia ouipara, quæ oua; alia vermipera, quæ vermem, informem, inuolutum papiliune, cum foramine, quo attrahit alimentum. de quo 1. *Hiſt.* 5. ſic formicæ, apes, veſpæ, de quo 5. *Hiſt.* 22.

Petes ſecundò, à quo efficiuntur animalia ex putrefactione. Reſpondetur, non à Sole, vt multi dicunt, ſed à ſuperiori cauſa; quod etiam locum habet in genitis ex ſemine. de quo dixi ex Doct. *diſp.* 1. *ſect.* 15. quia anima fit à ſolo Deo, ex Scot. 2. *d.* 18. *n.* 10. 7.

Genita ex ſemine, & putrefactione an eiuſdem ſpeciei?

Petes tertiò, an genita ex ſemine, & putrefactione, ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita ex Ariſt. 7. *Met. cap.* 7. Scot. 1. *d.* 2. *q.* 7. *ad* 1. *n.* 27. alioquin creatum, & generatum differrent ſpecie, & calor Solis, & ignis. Item, mus ex putrefactione genitus, generat ex ſemine murem ſibi ſimilem ſpecie.

Generatio quare dicitur opus naturaliſſimum?

Petes quartò, quomodo generare ſibi ſimile, eſt opus naturaliſſimum naturæ, vt dicit Ariſt. *hic cap.* 4. Quidam ideò dictum putant primò, quia habet finem perfectiorem aliis vegetatiuæ functionibus, nempe perpetuitatem, quia eſt ad conſeruationem ſpeciei. Secundò, quia eſt tantùm in perfectis plantis, & animalibus. Tertiò, quia includit ſecum nutritionem, & auctionem, non è contra.

Fortè verius eſt; ideò dici naturaliſſimum, quia conuenit omni enti naturali, tam viuenti, quàm non viuenti; quia naturaliter quodlibet determinatur ad ſui conſeruationē, ex 2. *de Gen. text.* 56. & ſicut non poteſt haberi perpetuitas ſine generatione, ſic nec ſine nutritione, & res magis naturaliter, quantum eſt ex parte ſui, inclinatur ad ſui, quàm ad boni communis commodum; & ideò aqua appetitu proprio non aſcendit ſurſum, ad impediendum vacuum, vt benè docet Doct. 3. *d.* 27. *q.* 1. *num.* 12. §. *Iſtæ rationes.* Reſpondetur, non eſſe eſſentialiter, quia ſunt eiuſdem rationis, ſicut generatio ignis, & eius auctio. Præterea, communiter in generatione viuens concurrit diſpoſitiuè tantùm; & in nutritione introducit partem nouæ formæ in materiam alimenti, vt optimè oſtendit Doctor contra Henr. 4. *d.* 44. *quæſt.* 1. *n.* 7. §. *Quantū ergo.* vide ſuprà *diſp.* 1. *ſect.* 8. vbi oſtenſum eſt animas, exceptâ rationali, eſſe diuiſibiles. 8.

Aqua appetitu proprio non aſcendit ad impediendū vacuum.

Ad tertium, nutritio eſt aggeneratio, vel ingeneratio, vt docet Scotus citat. & idem eſt de augmentatione, & vt diſtinguuntur à generatione, & eidem adueniunt vt ſubſtantialiter perficiant, & conſeruent genitum, in quo potiùs perfectiores videntur, quàm generatio. 9.

Generatio viuentis in quatuor differt à non viuentis.

Aduerte pro generatione viuentis intelligenda, in quatuor eam differre à generatione non viuentis. Primum eſt, quòd viuens ſecundùm partem generat. Secundum, quòd ex ſe materiam ſumit. Tertium, quòd etiam materiam augmenti ex ſe miniſtrat, etſi non ſemper, vt patet in fœtu, & fructu. Quartum, quòd non ſtatim generat, ſed primò ſemen diſponit, ex quo poſtea ſibi ſimile gignit; & nullum horum conuenit non viuenti generanti.

Varia genera actionum concurrunt ad generationē.

Petes quintò, quomodo fiat nutritio? Pro quo, Nota varia genera actionum ad hanc concurrere, primum eſt remotarum, attractionis, retentionis,

nls,espulsionis. Secundum, alterationum dispouentium materiam ad formam aliti. Tertium, ipsius conuersionis substantialis, quâ forma aliti introducitur in materiam cibi. Primæ actiones fiunt à loco motiua, de qua dixi suprà *sect.* 6. & concurrunt qualitates quædam, vt in magnete respectu ferri. Secundæ, à temperamento primarum qualitatum; quia temperamentum conseruans formam in sua materia, disponit aliam ad eius receptionem, vt patet in non viuentibus: vltima actio fit à forma substantiali aliti, quia accidens non potest producere substantiam. Sed à qua forma, an ab anima, vel ab alia? Respondetur, forma carnis inducit partem nouam formæ in materiam cibi (& sic de aliis partibus) & anima partem nouam animæ in eandem, si sit diuisibilis; rationalis verò, quia indiuisibilis est, se extendit ad nouam partem. Suppono ex *disp.* 1. *sect.* 8. quòd animæ, præter rationalem, sunt diuisibiles. Ratio est, quia forma carnis, & membrorum, ac anima corporea æquè generant sibi similia, ac alia agentia; & quod datur inferioribus, non est negandum perfectioribus.

In nutritione noua partes forma inducitur in materiam.

11.
Calor naturalis in corde residet.

Nota secundò, quòd calor naturalis fouetur in omnibus membris per influentiam à corde; & ideò in corde residet calor vitalis, quia inde veniunt spiritus vitales ad membra.

Conuersiones cibi.

Nota tertiò, quòd cibus in ventriculo transit in chylum; inde per venas meseraicas traiicitur ad hepar, vbi in sanguinem conuertitur, & ad omnia membra per varias venas instar aquæductus, distribuitur. Ita Galen. *lib.* 6. *de Placitis.* Plato *dial. de nat.* Arist. tamen 2. *de Gen. n.* 4. nutriendi potentiam ponit in corde; magis tamen Galeno in re medica adhærendum. vide Albert. 2. *de Anim. tract.* 1.

12.
Quomodo conuertatur alimentum in alitum?

Dico quintò, factis sequestrationibus, & depurationibus cibi, vt iam sit sub forma proxima formæ nutriendi (siue hoc sit antequam localiter mittatur ad partes, siue non,) quando defertur per venas præfatas, vel aliquid eis correspondēs, vt in plantis, ad partes nutriendas, & recipitur in poris earum, relictis quasi vacuis, vel humore repletis ex fluxu aliarum partium, quæ ibi fuerunt, amissâ propriâ formâ, accipit formam partis sibi contiguæ; & sic conuertitur in nutriendum; & sicut ante conuersionem iuxtà ponebatur, contiguè partibus eius, ita post eam, eisdem iuxtà ponitur continuæ. ita Scotus rem hanc declarat 4. *d.* 44. *q.* 7. §. *Ad* 3. *dico*, *n.* 13. vbi docet non omnes partes quantumuis minimas nutriri, & augeri; alioquin auctum semper augeretur in notabili quantitate. Pro cuius intellectione explicar etiam ad longum id quod habet Arist. 1. *de Gen. cap.* 5. quomodo in nutritione, pars secundùm speciem, vel formam manet, & pars secundùm materiam non manet, de quo vide *disp.* 1. *sect.* 8. *conc.* 1. *ad* 2.

Pars secundùm speciem manet, secūdùm materiam non.

13.
Quæ partes nutriantur?

Quænam partes propriè nutriantur, colligi potest ex modo augmenti earum: si enim secundùm omnes partes augeantur, seruando eandem figuram, nutriuntur, & non aliter. Et hinc colligitur in plantis, radices, folia, fructus, truncum, ramos nutriri; & quia secundùm omnes partes augescūt, licèt post adeptum statum magnitudinis tantùm crescunt secundùm partem superiorem, quia ex hac tantùm parte consolidantur, sicut & dentes; quâ ratione dixit Arist. 2. *de Part. an. cap.* 34. dentes totâ vitâ crescere. De capillis autem, oppositum est probabilius ex Galen. *lib. de Temperamentis*, qui explicat earum incrementum instar vaporis, in angusto loco, qui alio supposito exurgit. Et ratio facit, quia ad omnem partem crescunt. Ita Arist. 3. *Hist. cap.* 11.

An nutriantur vngues, & capilli?

Sanguis vltimum alimentum.

Ex quibus habetur, & docet Arist. 1. *de Part. cap.* 3. 4. 5. sanguinem esse vltimum alimentum; & hinc tota vita fit sanguis nouus; & ideò dicitur vita hominis in sanguine consistere. Neque tantùm deseruit nutritioni viuentis, sed generationi alterius; postquam enim vis nutritiua sumpsit, quod sibi sufficit, reliqua pars conuertitur in semen; & ideò Arist. 1. *de Gen. an.* 18. vocat semen excrementum alimenti, quia fit ex sanguine non necessario nutritioni. Hinc qui in cibo & potu excedunt, abundant semine, & pollutionibus sordescunt. Habetur etiam obiectum nutritiuæ in ventriculo, esse chylum, in hepate sanguinem, in quadam parte inferiori, semen in membris, partes nouas appositas, & propriè loquendo hic tantùm fit nutritio; & præcedentes actiones sunt potiùs generationes.

14.
Vita in quo consistat?

Petes vltimò, an viuens sine alimento viuere possit? Respondetur, aliquamdiu cessare potest nutritio sine morte, vt patet in iis, qui multis diebus sine cibo viuunt: non tamen longo tempore; vt etiam experientiâ constat. Pro quo, Nota, quòd vita specialiter consistit in calido, & humido; & calor, nisi ei detur alimentum in quod agat, consumit humidū, & hinc arbor euulsa arescit. Hinc etiam alia diutiùs viuunt aliis, quia plus habent humiditatis, & resistentiæ ad calorem; mors etiam quandoque euenit ex defectu caloris, cuius certa quædam quantitas ad vitam requiritur. Ita Arist. 2. *de An. text.* 47. *& lib.* 3. *text.* 59. *&* 1. *de Gen. anim. text.* 41. vbi ait nutritiuæ non obrepere somnum; quod intellige quin secundùm aliquam actionem agat, quia non semper conuertit alimentum in materiam aliti.

Mors aliquādo defectu caloris.
Nutritiua aliquam cessat quomodo?

Varia animalia longo tempore à cibo abstinent.

Sed contrà, quia constat quosdam aliquot annis sine cibo viuere; & de quadam Sorore S. Claræ in vrbe Canionensi in Hispania, à fide dignis refertur, quòd à quindecim circiter annis à cibo abstinet. De vrsa habet Arist. 6. *Hist. an.* 30. quòd quadraginta dies à cibo abstinet, quibus diebus pinguescit magis, *& lib.* 8. *cap.* 15. de quibusdam aliis animalibus, ait totâ hyeme alimentu carere, & de gliribus ait, per id tempus multum pinguedinis acquirere: quorum vnus apud Martialem *in Xeniis* ita de se canit,

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum quo me nil, nisi somnus alit.

15.
Soror Lucia diuinitus vixit sine cibo.

Respondetur tamen cùm causæ naturales internæ in animalibus, in se mutuò agant, nisi sit instauratio deperditi, necesse est breui intereant. Ad illud de sancta illa Sorore, cuius vitam, & prodigia examinarunt viri grauissimi, Episcopi, Archiepiscopi, & alij Fidei Inquisitores solertissimi, & à Deo esse iudicarunt, dubium vix esse potest, quin illud sit numerandum inter alia portenta gratiæ, quâ Deus eam ditauit.

Dices, de aliis etiam similia habentur. Albertus *summa de homine*, *tract. de nutrit.* ait fœminam quandam quadraginta diebus à cibo abstinuisse. Aponensis 10. *Problematum*, ait quandam mulierem in Normannia octodecim annis nullum cibum sumpsisse. Respondetur, si vera dicunt, miracula sunt. Ad illa animalia, in tempore, pituitâ, vel concreto humore aluntur, nimis lentè calore naturali multum debilitato. Vide Albertum citatum, & Auicennam 7. *de Anima*, quod fortè contigisse potuit illi fœminæ, quæ quadraginta diebus ieiunauit.

Dices,

Nutritiua quare non quiescit sicut aliæ potentiæ. Dices, quare non quiescit nutritiua, sicut aliæ potentiæ? Adde quòd Aristoteles dicat *de Somno, cap.5.* potentiam, si diutiùs operetur egere quiete. Respondetur, non habet otium, quia est fundamentum totius vitæ: neque petit alternam requiem, quia se habet vt causa naturalis inanimata semper applicata; & hac ratione non lassatur, sicut nec similes causæ; solùm enim lassantur potentiæ quæ egent applicatione, cuiusmodi sunt cæteræ vitales: debilitatur tamen repassione à contrariis. Vide Diuum Thomam *quæst. 129. art. 1. ad 3.*

16. *Nulla semina viuunt, quædam tamen germinant domi.* Dices, semina plantarum, & stirpium longo tempore viuunt, & domi reseruata, quædam germinant, vt constat experientià, quod sine vita fieri non posset, & tamen non nutriuntur. Respondetur, nullum semen viuit, ex Aristotele *2. Anima, cap. 1. & 2. de Gen. annot. 1.* Quòd quædam domi germinent, non plus arguit in eis existere vitam, quàm in iis, quæ germinant cum terræ mandantur: habent cepæ, allia, & alia huiusmodi intra se aliquid alimenti, & adueniente commodo tempore crescunt, & germinant. Vide Aristotelem *in Problem. sect. 20 quæst. 16. & 18.*

DISPVTATIO III.

De Intellectu, & Voluntate.

De intellectu iam tractata sunt in quæstionibus Scoti, & nostro Commentario sequentia.

1 *Vtrùm sit actiuus, vel merè passiuus? quæst. 12. vbi in Commentario, varias sententias de hoc discussi.*
2 *Vtrùm secundùm Philosophum intellectus agens sit aliquid animæ, & quid intrinsecum homini? q. 13. & in Commentario.*
3 *Vtrùm intellectus agens, & possibilis realiter distinguuntur? ibi in Comment.*
4 *Vtrùm cessante actu intelligendi, maneant species? q. 24. & in Comment.*
5 *Vtrùm intellectus noster sit immaterialis? q. 15.*
6 *Vtrùm probabile sit, quod habeat materiam? ibi in Comment.*
7 *Vtrùm magis vniuersale priùs intelligatur? q. 16.*
8 *Vtrùm species vltima priùs intelligitur intellectione confusa? ibi in Comment.*
9 *Vtrùm dentur species intelligibiles? q. 17.*
10 *Vtrùm phantasia physicè concurrat ad eas? ibi in Comment num 4.*
11 *Quarum rerum species efficit intellectus agens? ibi num. 9.*
12 *Vtrùm habeamus pro nunc species substantiarum? ibi num 11.*
13 *Vtrùm probabile sit nullas dari species intelligibiles? ibi num. 16.*
14 *Vtrùm intellectus intelligere possit sine phantasmate? quæst. 18.*
15 *Vtrùm Beata Virgo ad intelligendum indiguit phantasmate? ibi in Comment. num. 9.*
16 *Vtrùm quiditas rei sensibilis sit obiectum intellectus? quæst. 19.*
17 *Vtrùm verum sit obiectum intellectus? q. 20.*
18 *Vtrùm ens sit obiectum intellectus? q. 21.*
19 *Quid comprehendis ens vt est obiectum intellectus? ibi in Comment. num. 9.*
20 *Vtrùm ens, quod est obiectum eius, sit vniuocum, vel analogum substantiæ, & accidenti? ibi num. 12.*
21 *Vtrùm sit vniuocum Deo, & creaturæ? ibi numero 16.*
22 *Vtrùm singulare sit à nobis intelligibile pro hoc statu, & quomodo? quæst. 22.*
23 *Vtrùm detur propria species singularis, & an hæc repræsentet naturam communem? in Comment. num 9.*
24 *Vtrùm quando intellectus elicit actum, sit mouens motum? quæst. 23.*
25 *Vtrùm realiter differt à voluntate? Disputat. 1. sect. penult.*

Hîc subiungemus quædam alia, ad intellectum spectantia, quæ in Commentario congruè collocari non potuerunt, vt materiam non relinquamus mutilam.

Sectio I.

Vtrùm intellectus sit nobilior voluntate?

DIVVS Thomas cum suis 1. *p. q. 82. art. 3.* asserunt intellectum esse nobiliorem. Ita Paludanus 4. *d.* 49. *q.* 3. Durandus q 4. Capreolus 1. *distinct.* 1. *quæst.* 2. 1.

Suppono ex disputatione prima, sectione penultima, voluntatem non distingui realiter ab intellectu: itaque hîc non est quæstio de reali excessu, in hac sententia, sed tantùm de formali. Diuus Thomas tamen quia realiter distingui tenet, etiam de reali excessu intelligendus videtur.

Oppositum tamen verius videtur. Sic Scotus 4. *d.* 49. *q.* 4. §. *Iuxta hoc, art.* 9. *n.* 10. Alensis 3. *p. q.* 80. *m.* 1. & 4 *p. q.* 92. *m.* 2. Albertus 1. *d.* 1. *q.* 14. Occam *ibi* *q.* 2. Probatur primò, voluntas habet nobiliorem habitũ charitatem, 1. *Corinth.* 13. *Tria hæc, maior horum est charitas.* Respondent, lumen gloriæ perfectius esse. Contrà, ex Scoto; quia in oppositum est Hugo *super Ang. Hierar. c.* 7. vbi ait ex Dionysio quòd dilectio supereminet scientiæ. Item ex eodem Dionysio *ibi*, supremus Angelorum ordo, à charitate nomen habet, secundus a scientia. Præterea, si voluntati datur nobilior habitus viæ, cur non & patriæ? *Volũtas nobilior intellectu.* *Charitas nobilissimus habituum.*

Secundò, ex Anselmo *de Conceptu virginali, cap.* 4. voluntas vt regina mouet cæteras potentias, & sola illa potest dicere, *sic volo, sic iubeo*, &c. Vnde Bernardus *de lib. arbitrio* vocat rationem pedissequam. Respondent etiam intellectum mouere voluntatem dirigendo, regendo, & imperando. Contrà, falsum est; tantùm enim ei deseruit mouendo, & referendo, sicut consiliarij suis dominis: & voluntas potest illum auertere, & conuertere, de quo agit Doctor 2. *distinct.* 42. *quæst.* 4. Vide quæ dixi *ad quæst.* 11. 2. *Voluntas potentiarum regina.*

Tertiò, actus charitatis absolutè bonum facit, intellectus non. Respondetur, moraliter esse verum, non tamen in entitate. Contrà, quia etiam Physicè magis vnit summo bono, quia actui amoris eius repugnat auersio ab eo, non autem intellectioni eius. Confirmatur, quia oppositum charitatis est peius opposito intellectionis; ergo & ipsa melior: ex regula illa 7. *Ethicor.* 10. *Illa sunt meliora quorum opposita sunt deteriora.* Nec potest responderi quòd moraliter tantùm, *Amor magis vnit Deo, quã visio.* *Illa sunt meliora, quorum opposita sunt peiora.*

intellectus est facilis ad quædam obiecta intelligenda, & difficilis ad alia, & tamen non ideò distinguitur à seipso.

Quare mouetur intellectus priùs ad hæc obiecta quàm ad illa?

Petes, quomodo ex multis speciebus inhærentibus intellectui, vna potiùs quàm aliæ mouet ad recordandum? Respondetur, illa priùs mouet, cuius phantasma fortiùs excitat, ex Scoto 1. *dist.* 3. *q.* 8. *n.* 24. quia intellectus dependet à phantasione in vsu specierum, ex dictis ad *q.* 18.

5. *Vnde quidam ad hæc vitia plusquam ad alia tententur?*

Dices, vnde est quòd vnum phantasma fortius alio moueat? Respondetur, vel ab obiecto externo, vel ab Angelo bono, vel malo, commouente humores, vel à complexione, ratione cuius phantasia determinatur ad hæc sensibilia, plus quam ad illa; & hinc aliqui magis tentantur ad hæc vitia, quàm ad illa; vt dixi *disp.* 2. *sect.* 2. ex Scoto 2. *d.* 6. *q.* 2.

An prima cogitatio sit in manu nostra?

Petes secundò, an in hominis potestate sit prima cogitatio? Respondetur non esse, vt dixi ad *q.* 11. quia nihil volitum quin præcognitum, & sic ipsa præcognitio non est nobis libera, quo sensu intelligendus est Aristoteles 7. *Ethic. ad Eudem.* 18. & 2. *Mag. Mor.* 8. dum ait, primam voluntatem esse à bona fortuna, prima à causa dante cognitionem ad eam, quam operans non intendebat: hanc autem bonam fortunam, ibi docet esse ipsum Deum; & idem ait August. 3. *Ciuit* 9. Petes, an memoria sit intellectus agens, vel possibilis? Respondetur, Doctor *quodl.* 15. problematicus est, an intellectio fiat ab hoc, vel illo: & idem hìc tenendum: quòd verò non distinguuntur realiter, dixi ad *quæst.* 13.

SECTIO III.

De intellectione & verbo mentis.

1. *In intellectione tria concurrunt.*

NOta intellectionem vt sic, non esse aliud à cognitione spirituali: in qua tria reperiuntur: actio, passio, & qualitas, vt tenet Doct. 1. *d.* 3. *q.* 7. §. *Ad authoritatem n.* 37. *& q.* 6. §. *Hic sunt tres, num.* 31. *& q* 9. *num.* 10. *& d.* 6 *n.* 3. *& d.* 27 *q.* 3. *n.* 12. *& quodlib.* 13. §. Ad ista, *& num.* 15. §. De primo: & sequuntur Molina 1. *p. q* 12. *art.* 5. *d.* 1. Suar. *tom.* 2. 3. *p. d.* 5. *sect.* 1. *con.* 3. Ratio est, quia intellectus per actionem reducit se ad actum secundum intelligendi, & terminus illius actionis, qui est qualitas, (vt habet Doct. passim, & *locus citatus*) recipitur in eo, mediâ passione.

Dico primò, intellectio consistit in qualitate vitali, quâ assimilatur intellectus obiecto. Ita Scotus *locis citatis*, Henric. *quodlib.* 11. *q.* 3. Durand. 1. *d.* 27. *q.* 4. Occam & Gabr. *ibi q.* 2. Capr. 2. *d.* 1 *q* 2. *ar.* 3. Caiet. 1. *p. q.* 79. *art.* 2. Vasq. 1 *p. d.* 115. *c.* 4. *& disp.* 141. *c.* 4 & alij. Probatur primò, quia non est actio, nec passio, quia ad has non datur actio, sed intellectio terminat actionem; quia (vt ait August. 9. *Trin. vlt*) *Notitia gignitur verè, & volitio procedit.* Item, istæ sunt alicuius termini accipientis *esse* per eas; sed nullus terminus accipit *esse* per intellectionem, *ex* 6. *Ethic cap.* 4. 5. *&* 9. *Metaph. text.* 16. Dices producere habitus.

2. *Intellectio est qualitas.*

Contrà primò, quia producunt eos vt formæ, non vt actio, vel passio, ex Scoto 1. *d.* 3. *q n.* 35. §. *Si quæratur.* Secundò, actio & passio semper habent terminum; at intellectio in patria, vbi intensissima est, nullum habitum gignit. Quòd verò substantia non sit, patet, quia abest, & adest sine subiecti corruptione. Quòd verò non sit relatio, patet, quia ex Aug. 7. *de Trin.* 1. *Omnis essentia quæ relatiuè dicitur, est aliquid, excepto relatiuo*: ergo cùm

Omne quod relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo.

intellectio relatiuè dicatur ad obiectum, est aliquid absolutum: quòd autem non sit Quantitas, vel aliquid ex aliis Prædicamentis, de se patet; ergo est Qualitas.

Secundò probatur, intellectio diuina saltem essentialis non est actio; nec passio, nec relatio, sed absolutum ab his distinctum: ergo idem in creatis. Dices, sequi etiam, si hoc valet, non esse qualitatem in creatis; quia talis non est in Deo. Negatur sequela, quia in Deo accidens esse repugnat; at non repugnat ei actio, vel relatio: vide plures rationes *quodlib.* 13. *art.* 3.

3. *Actus vitalis potest esse ab extrinseco.*

Obiicies, actus vitalis est à principio intrinseco: ergo includit actionem, alioquin posset esse ab extrinseco. Respondetur, non requiri essentialiter quòd efficiatur ab eo in quo est, sed si ab alio fieret, & poneretur in debito subiecto, vitaliter operaretur: in creatis tamen, naturaliter debet esse ab intrinseco effectiuè; in Deo autem essentialis intellectio, & volitio sunt vitales actus, & tamen non producti.

Quònam sensu operationes non sunt qualitates.

Obiicitur secundò, 1. *Eth* 3. dicitur operationes & fælicitatem non esse qualitates, & cùm *c.* 7 ibi dicatur, fælicitatem consistere in contemplatione, per consequens negatur esse in qualitate. Respondetur, loqui de actione productiua operationum, quæ qualitas non est; bonum tamen esse ostendit, contra Platonem dicentem, quòd *Omne bonum qualitas est.* Vel sumit qualitatem pressiùs, prout distinguitur etiam contra operationes, quæ dicuntur actiones; tum quia dependēt ab obiecto in *fieri*, tum etiam quia in obiectum tendunt: propriè tamen actiones non sunt, quia terminum non producūt. Vide Scotum *quodl.* 13. §. Ad ista. *&* 1. *d.* 3. *q.* 6. *ad* 1. *prin.* vnde *q* 9. *Met. text.* 16. actio diuiditur in immanentem, & transeuntem, non est diuisio vniuoci, si per immanentem intelligatur operatio; quia actio nihil habet his commune, præter vocem: si tamen per immanentem intelligatur actio productiua immanētis, diuisio erit vniuoca, & generis in species de quo Scot. *locis iam citatis.*

Actio in immanentem & transeuntem diuiditur vniuocè & æquiuocè.

4. *Intelligere est quoddā pati.*

Obiicitur, ex 3. *de Anima*, *Intelligere est quoddam pati*: ergo non qualitas. Respondetur ex Scot. 1. *d.* 3. *q.* 6. *ad* 4. *& q.* 7. 37. *&* 4 *d.* 12. *q.* 3. *ad* 5. ideò dici pati, quia fit quis intelligens, per hoc quòd intellectionem in se recipit, non per hoc, quòd eam eliciat; vnde eam recipi sine elicere sufficit.

Petes, vtrùm intellectio à solo Deo produci potest? Negant plures apud Vasq. 12. *d.* 9. *cap.* 1. quos ipse sequitur.

Intellectio potest produci à solo Deo.

Dico secundò, intellectio nostra (idem est de aliis operationibus) producibilis est à solo Deo. Ita Scotus 1. *d* 3. *q.* 7. *n.* 37. *&* 3. *d.* 13. *q.* 4. §. Ad 3. quæstiones *num.* 18. *& d.* 14. *q* 2 *n.* 2. *&* 4. *d* 49. *q* 11. Suar. *Met. d.* 48. *sect.* 5. *num.* 12. Mol. 1. *p d.* 12. *art.* 5. Ratio huius est, quia intellectio est qualitas, & absoluta res, & per consequens à solo Deo fieri potest; quia omne absolutum, quod facit cum causis secundis, potest se solo facere, ex Scoto 1. *d.* 5. *q.* 2. vbi docet eum supplere vicem materiæ in genere causæ efficientis. Secundò, termini aliarum actionum vitalium, vt nutritionis, generationis, augmentationis, possunt à solo Deo fieri; ergo & actionis intellectus. Tertiò, quia nulla in hoc datur repugnantia: vt patet respondendo argumēto.

5. *Actus à solo Deo productus an voluntarius?*

Obiicies, ex Vasquez, quia sequeretur etiam actum voluntatis à solo Deo produci posse, & consequenter non esset voluntarius. Respondetur, non foret in produci, sed benè in conseruari.

Attentio est ipsa operatio.

Obiicitur secundò, quia non potest dari intel

lectio sine attentione; at sine actione nulla est attentio. Respondetur, attentionem esse ipsam intellectionem, & non eius *elicere*: Deus enim perfectissimè attendit per intellectionem essentialem, quam non elicit.

Operatio spiritualis nequit poni in corpore.

Obiicies tertiò, sequi quòd posset poni in alio subiecto. Respondetur, id non sequi, quia non est aliud subiectum ei realiter disproportionatum, nisi corpus, & repugnat spiritualem qualitatem poni in corpore, sicut & corporalem in spiritu, de quo Scotus *quodlib.9.*

An volitio poni potest sine cognitione, per Dei potentiam?

Obiicies quartò, sequi amorem produci posse sine cognitione, quia est absolutum; & tunc voluntas amaret incognitum, quod repugnat. Respondetur, non sequi, quia poneretur actus sine suo obiecto, quod repugnat; obiectum enim voluntatis est bonum, vel ens cognitum. Vel dic, quòd posset poni absoluta qualitas amoris, sed fortè sine respectu tendentiæ ad obiectum, iuxta dicta *disp.2.sect.*14. de sensatione indiuisibilis; & hoc verius videtur, de quo infrà *sect.*11.*con.*3.*& sect.*13.*con.*1.

6.

Verbum oris & cordis comparantur.

Petes secundò, an intellectio sit verbum mentis? Pro huius explicatione, Nota primò, quòd verbum mentis est ita propriè verbum, sicut & oris; quia spiritus inter se loquuntur, & verba proferunt. Conueniunt autem primò, quòd sicut verbum oris est signum conceptus, sic mentis est rei conceptæ. Secundò, illud producitur per *dicere* corporeum, hoc per *dicere* spirituale. Tertiò, vtrumque dicit relationem realem ad dicentem; sed illud dicit tantùm relationem rationis ad rem significatam; hoc etiam non dicit relationem realem ad rem declaratam, etiamsi existat, ex Scoto 1.*d.*32.*q.*2.*n.*6. *& d.*27.*q.*3.

Verbi mentis descriptio.

Secundò, nota verbum nostrum sic posse describi, ex variis locis August. *Verbum est actus intelligentiæ productus à memoria fœcunda, non habens esse sine actuali intellectione, verbum diuinum repræsentans.* Dicitur *actus intelligentiæ*, quia constituit intelligentem, sicut calor est actus calidi. Dicitur *productus* etiam, quia est proles memoriæ, in quo differt ab intellectione non producta à memoria: *non habet esse absque actuali intellectione*, quia est ipsa intellectio, secundùm Doctorem & secundùm omnes, habet eam comitantem: *verbum diuinum repræsentat*; quia est secunda pars imaginis, de qua 1.*d.*3.*q.*9. Vide Scotum 1.*d.*27.*q.*3.§. Ad quæstiones, *n.*11. varia loca August. ad hoc adducentem.

7.

Verbum est ipsa intellectio actualis.

Dico tertiò, verbum nostrum est ipsa actualis intellectio; ita Scotus *citatus* §. Ideò istis, *num.*16. *&* 1.*d.*2.*q.*7.*n.*22.*& quodl.*1. Est contra D.Thom. 1.*p.q.*47.*art.*1 *& q.*87.*art.*1.& alios apud Conimb. 3.*de Anima, cap.*8.*q.*3. Probatur ex August. 1.*Trin.* 10. *Formata cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est & lib.*9.*c.vltimo*; *Est igitur quadam imago Trinitatis ipsa mens & notitia eius, quæ est proles eius, ac de seipsa verbum eius, & amor tertius.* Alia eius loca vide in Scoto d.*d.*27.*q*.3. Similiter loquitur Ans. in *Monol.cap.*31. Item. *lib.*2.*Hæres. cap.*47. Damasc.1. *fidei* 18. Probatur ratione, quia ex dictis *con.*1. verbum non est substantia, nec actio, passio, relatio, vel quantitas: ergo qualitas. Nec potest esse alia ab intellectione distincta. Respondent esse terminum intellectionis. Contrarium ostendi, intellectionem non esse actionem, sed qualitatem, & sic nullum habere terminum. Respondent Conimb. suprà *ad* 2. ex D.Thom. *d.art.*3. actiones immanentes habere terminum ad intrà, non ad extrà; & dici vltimum operationis, quia non sunt gratiâ termini, sicut factio, vt ædificatio est gratiâ rei factæ. Contrà, quia actio immanens de genere Actionis, habet terminum intrà, vt in casu, *dicere*; & hic terminus est intellectio, seu verbum; & si per actionem immanentem intelligunt hanc, conuenimus in re; quia per intellectionem intelligunt dictionem, cuius terminus est verbum; si tamen volunt per intellectionem vt à *dicere* distinguitur, aliquid produci, falsum videtur; alioquin etiam per dilectionem debebunt assignare terminum productum, & similiter per visionem, & auditionem: quod falsum est.

Respondet D.Thom. 1.*p.q.*85.*art.*2.*ad* 3. concedendo aliquid proportionale verbo, in sensatione interna, non autem externa produci. Sed contrà, si sensatio est actio, repugnat quin habeat terminum siue sit externa, siue interna. Præterea, ipse ait opusc.48.*c.*1. quòd *intelligere & sentire sunt actiones immanentes, & hæ actiones non sunt de genere Actionis*: ergo nihil producunt. Ad id de dilectione, ait etiam 1.*d.*27.*art.*1. vbi Caiet. produci per eam impressionem, quæ est amor. Contrà si per dilectionem intelligit elicitionem amoris, & sic in aliis, hoc est quod nos dicimus in re; si verò aliquid aliud distinctum, oportebit ponere actionem productiuam dilectionis, & aliam quâ hæc producat amorem; & idem proportionabiliter in omnibus aliis actibus vitalibus, quod absurdum & fictitium videtur. Falsum etiam esse videtur, quod Conimbr. aiunt, intellectionem non esse propter verbum, sed è contra: si enim est actio, & eius terminus verbum, est potiùs propter verbum, cùm sit via ad illud, quàm è contra. 8.

An sensatio aliquid producat?

Dilectio nihil producit, vt alia.

Secundò probatur, quia verbum non est species, vt probat Scotus 1.*d.*3.*q.*7.*n.*18. contra Ægid. *quodl.*3.*q.*22.13. & Capreol.1.*d.*35.*q.*1. quia est speciei effectus; & repugnaret esse speciem sine verbo; neque est obiectum, quia hoc non producitur, & est extrà, (quicquid dicat Aureol. 1.*d.*1.) neque est habitus, quia hic non est actus secundus, sed eius causa, vel effectus: ergo est ipsa intellectio; quia nihil aliud assignari potest, ab hac distinctum, cui ratio verbi conuenire possit. 9.

Verbum non est species, obiectum, vel habitus.

Dicere & intelligere, pro eodem sumuntur aliquando.

Obiicies, quia Fulgent. & quidam alij Patres vocant *dicere intelligere*: sed per *dicere* producitur verbum; ergo & per *intelligere*. Respondetur, si ita sit, in re conuenimus: sed sumunt illi Patres *intelligere*, latiori significatione: sic alia sententia. Respondet ad loca Patrum à nobis adducta, quòd verbum & intellectio sunt idem; quòd scilicet latiùs sumunt intellectionem, vel quia sunt idem realiter tanquam actio & terminus.

Obiicies secundò, 3. *de Anima, c.*4. *&* 12. *Met. textu* 13. numeratur intellectio inter actiones; ergo habet terminum non alium, quàm verbum; ergo non est illud. Respondetur, esse actionem immanentem, propter similitudinem cum actione propriè dicta, in actuali dependentia ab obiecto: non est tamen propriè actio, quia nihil producit. 10.

Visio à Deo producta an verbum foret?

Petes, an visio beata, vel intellectio à solo Deo producta sit verbum? Respondetur de secundo, verbum non esset, quia non esset proles intelligentis per illud: verbum enim & filius dicunt eandem relationem, sed hic connotat naturam viuentem rationalem, vel saltem sensitiuam; illud notitiam intellectualem expressam: vt habet Scotus 1.*d.*27.*q.*3.*ad* 3.*pro* 2.*q.*

De visione beata controuertitur etiam inter Scotistas, an sit verbum, & Rada *Controuer.*10.*ar.*2. negat. Pro quo videtur esse Scotus *quodl.*14.§. 11.

Et

& propter istud, longè ante finem. Mihi videtur verius oppositum; quia visio est actualis intellectio, & proles intellectus beati, dicens realem relationem geniti ad ipsum: nec Scotus oppositum vult, sed resoluens essentiam diuinam non mouere ad visionem beatam intellectus creati, sed fieri à voluntate; quia nihil naturaliter agit ad extrà. Subiungit, *propter istud posset dici quod Beatus non habet verbum de Deo*: hoc est, ratione motionis essentiæ, potest dici non esse verbum; at ex alio capite, quatenus intellectus naturaliter eam elicit, & non liberè, verbum est. Neque requiritur ad rationem generationis, quòd vtraque causa naturaliter concurrat: alioquin Beata Virgo non fuisset mater Dei, nec Deus eius Filius, quia Spiritus sanctus concurrit ad generationem eius, vt causa libera, non vt naturalis; consequens est falsum, vt probat Doctor 1. 3. d. 8. §. *Ad quæstionem*. Dices, Scotus *quodlib*. 15. § *Sed de creatura*, ante solutionem argumentorum, fusè tractat visionem creaturæ in verbo non esse verbum. Respondetur, pro vtraque parte optimè disputat, & nihil resoluit, vt intuēri eius literam patet. Quòd verò visio beata verbum sit, tenet expressè August. 14. *Trin.* 17. *Cum videbimus eum sicuti est, tunc verbum nostrum non erit falsum*. & Scotus expressè 3. *d*. 2. *q*. 7. § *Tertius art. num*. 17. & *d*. 17. *q*. 3. §. *Aliter dicitur*, *n*. 15. vbi Viguer. & Vurillon. ita eum explicant & sequuntur.

Ad rationem Verbi, vel filij non requiritur vtramque causam concurrere naturaliter.

In Christo fuerunt duæ filiationes.

SECTIO IV.

De intellectu practico & speculatiuo.

1\. *Praxis quid?*

DE hoc agit Aristoteles 3. *de Anima, cap* 9. & 10. & 6. *Met. à cap*. 1. Nota primò ex Scoto *q*. 4. *Prol. num*. 3. praxim strictè sumptam esse actum elicitum, vel imperatum voluntatis, quia est actus liber; nemo enim de eo quod aliter se habere nequit, consultat, vt ait Aristoteles 6. *Eth. cap*. 1. & 5. Si autem praxis fuerit recta, requirit rationem dirigentem rectam esse, vt ibi habetur *cap*. 5. cognitio verò tales actus dirigens, practica dicitur, ad quam duo requiruntur aptitudinales respectus, scilicet prioritatis, & conformitatis ad praxim; est enim ea prior, quia actus intellectus est directiuus eius, seu conformatiuus ad regulas rectitudinis: & hinc habetur rationes practici & speculatiui, non esse essentiales scientiæ, quia hæc non consistit in respectibus, sed in absoluto; & ratio practici dicit duplicem illum respectum ad praxim, vt ad terminum; & ratio speculatiui dicit priuationem eorundem; non tamen sunt differentiæ omnino accidentales scientiæ, sed instar passionum se habent. de quo Scotus citatus art. 2.

Ratio practici & speculatiui non est essentialis scientiæ.

2\. *Quomodo differat practica & speculatiua scientia.*

Secundò, nota quòd intellectus noster aliquando versatur circa res ipsas in se, cognoscendo tantùm naturam earum & proprietates; & hæc consideratio est speculatiua, cuius materia est res cognita, & finis veritas: aliquando verò versatur circa operationes humanas, regulando eas, & tunc cognitio est practica, cuius materia sunt ipsæ actiones, & finis earum rectitudo, seu passiua regulatio. Iuxta hæc ait Aristoteles 2. *Met. textu* 3. quòd *finis speculatiuæ est veritas, practicæ opus*.

Hinc speculatiua potissimè versatur circa vniuersalia, vt Metaphysica; & practica circa particularia, vel in ordine ad illa. Item, illa de necessariis agit, & æternis; & hæc de contingentibus; quia de actionibus humanis. Vnde speculatiuus considerat passiones animæ secundùm sua principia vniuersalia, & necessaria, practicus verò, (verbi gratiâ, Philosophus moralis) easdem considerat, vt reducibiles ad medioeritatē per virtutes.

Aliter Metaphysicus, aliter moralis considerat passiones animæ.

Dico primò, intellectus, (idem est de habitu) non est practicus ex suo actu. Ita Scotus suprà *num*. 13. §. *Concedo ergo*. Probatur, quia principia practica sumuntur quandoque à fine praxis, qui est causa prior: verbi gratiâ, hæc cognitio, *proximum est diligendum*, sumit sua principia practica à fine, qui est summum bonum: verbi gratiâ, ista, *summum bonum est diligendū, & omne aliud propter ipsum*. 3.

Cognitio practica sumit principium à fine.

Dico secundò, intellectus non dicitur practicus, à fine, quà talis; Scotus citatus. Suadetur primò, quia quando dicitur 3. *de Anima, text*. 49 quòd intellectus extensione fit practicus, non intelligitur de extensione actuali; alioqin nulla esset notitia practica in fabro, vel Medico, nisi quando actu operarentur, fabricando, vel medendo: intelligitur ergo de extensione aptitudinali; sed huiusmodi aptitudo non conueniret practicæ, repugnans speculatiuæ, nisi aliquid absolutum esset in vna, & non in altera: de quo Scotus 1. *d*. 28. *n*. 10. §. *Ad quæstionem*, vbi optimè docet nullam negationem, vel repugnantiam conuenire alicui, nisi ratione alicuius absoluti. Tunc sic: illud absolutum non potest habere pro causa, finem, quia ab eo quà talis, non sumuntur principia in quæ actus resolui potest.

Intellectus extensione fit practicus: exponitur.

Negatio non conuenit alicui, nisi ratione alicuius positiui.

Dices, quòd finis est prima causa; ergo benè stat, quòd causet illud absolutum, quod fundat aptitudinem illam prioritatis, & conformitatis in practica notitia. Contrà, finis nihil causat, nisi vt amatus à voluntate; at scientia practica, est necessaria, habétque causas & principia talia: ergo non dependet ab illo actu voluntatis. 4.

Dices, quòd finis est aptus amari, antequam ratio practici sit in scientia: ergo vt sic potest hanc causare. Contrà, nil fit à causa vt apta est causare, sed vt actu causat. Præterea, vel finis causat notitiam practicam, vt acquisitus: & hoc non, quia sequitur eam vt effectus eius: vel vt intentus; & nec sic, eâdem ratione: ergo.

Secundò, ratio finis est respectus quidam rationis; & ideò non amatur ù ratione obiecti finibilis, vt tenet Scotus 1. *d*. 1. *q*. 1. *art*. 4. ergo non causat absolutam qualitatem scientiæ practicæ, quà intellectus dicitur formaliter practicus. Antecedens patet, quia nihil est aliud, quàm media esse ordinata ad ipsum.

Ratio finis, aliquid rationis.

Tertiò, ex Aristotele, qui 6. *Met. text*. 2. & 6. *Eth. c*. 2. & 3. *de An. text*. 51. distinguit practicam & speculatiuam, non penes finem, sed penes obiectum. 5.

Obiicies primò, pro Henrico *quodlib*. 8. *q*. 1. qui oppositum tenet ex Aristotele citato, *intellectus extensione fit practicus*; ergo qui priùs fuit speculatiuus: verbi gratiâ, considerando herbam, vel virtutem secundùm se; fit practicus dum ordinat has ad finem operis. Respondetur, loqui de extensione aptitudinali, vt dictum est, non de actuali: & illa extensio includit duplicem respectum prioritatis & conformitatis ad praxim. Vide Scotum sup. *ad* 1. Quod subiungit, practicum differre à speculatiuo, fine: loquitur de fine cognito, non vt amato, & sic est obiectum.

Practica differt à speculatiua, fine; quomodo?

Obiicies secundò, quia medicina, alia est practica, alia speculatiua; sed fit practica, eo solùm quòd ordinatur ad finem. Respondetur verius esse

Medicina absolutè practica.

esse absolutè practicam; illa tamen pars quæ agit de membrorum constitutione, humoribus, & causis vniuersalibus sanitatis, & infirmitatis, dicitur specolatiua; quia remotior est à praxi, quæ immediatè dirigitur per particularia dictamina; quo enim magis aliquid recedit ab vno opposito, eo magis accedit ad aliud. Vnde (inquit Scotus *num* 44.) ars potest dici speculariua respectu habitus experti, quia est habitus vniuersalior, non ita immediatè dirigens, & ideò 1. *Met. in Proœm.* dicitur, *artifex frequenter errabit, expertus non ita.*

Bonitas principaliù. est ab obiecto, quàm à fine.

6. Obiicies tertiò, practica notitia præcipuè versatur circa bonitatem, vel malitiam: sed hæ conueniunt actibus principaliter à fine: ergo. Respondetur principaliùs multò ab obiecto, vt habet Scotus 2. *dist* 40. *& quodlib.* 18. & esto tota bonitas & malitia à fine esset, non ideò practica notitia inde sumeretur, quia rectè dictare, est à principio, & hoc ab obiecto, & necessario; & per consequens independenter à fine, quia hic, vt distinguitur ab obiecto, includit tantùm respectum, vel *esse amatum.*

Practica scientia talis est primò ab obiecto.

Ex dictis sequitur primò, practicam scientiam, talem dici, à suo obiecto, sicut & speculatiua; & si quandoque tribuitur fini, quòd eam distinguat, non intelligitur de fine formaliter, sed quatenus obiectum est; vel non est sermo de prima distinctione.

Practica scient. tia à fine operis non operantis.

7. Sequitur secundò, contra Soncin. 6. *Met. q.* 4. & Iauell. *quæst* 5. habitum non dici practicum à fine operantis, sed à fine operis. Primò, ab obiecto in se operabili, vel dirigente ad operationes: quia scientia est necessaria, & intentio finis operantis omnino contingens: & secundùm istum modum, vana foret distinctio scientiæ in speculatiuam & practicam.

Intellectus practicus & speculatiuus, eadem potentia.

Dico tertiò, intellectus practicus & speculatiuus est vna & eadem potentia. Hæc de se patet, quia dicitur practicus ab habitu practico, & speculatiuus à speculatiuo; & secundùm distinctionem habituum vel actuum, non oportet distinguere potentias; alioquin intellectus opinatiuus esset potentia distincta à scientifico, & intuitiuus ab abstractiuo. Vide D. Thom. 1. *p. q* 79. *art.* 11.

8. Obiicies primò 6. *Ethic. cap.* 1. *& lib. Mag Mor. cap.* 35 dicuntur duæ partes animæ: & 3. *de Anima, text.* 53. Practicos dicitur virtus deliberatiua, speculatiuus, principium intelligendi: & quòd magis distinguuntur quam irascibilis, & concupiscibilis. Confirmatur, quia diuersa habent obiecta, & actus. Respondetur, tantum vult habere diuersa munera, ac si essent partes diuersæ Ad tertium locum, loquitur ratione habituum, qui distinguuntur realiter. De distinctione irascibilis & concupiscibilis dixi *disp. præced. sect.* 7.

Ad confirmationem, illa obiecta sunt habituum, non potentiæ, quæ vnum tantùm habet obiectum, nempe ens, de quo latè dictum est ad *q.* 19. *& duas sequentes.*

Habitus nequit esse speculatiuus & practicus simul.

Obiicies secundò, vnus habitus non potest esse speculatiuus & practicus; ergo. Respondetur, D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. *&* 2. *quæst* 4 *art.* 2. *ad* 3. ponit vnum habitum infusum simul practicum & speculatiuum, quod reiicit Scotus *q.* 4. *Prol. num.* 27. quia modi sunt oppositi: negatur ergo consequentia, quia potentia est vniuersalior longè, quàm habitus, nec generatur ex actibus; actus autem diuersi specie, vt practicatio & speculatio, non possunt gignere eundem habitum specie.

Practica dirigit etiam actus intellectus.

9. Petes, an notitia practica detur in ordine ad actus ipsius intellectus dirigendos; quod est dicere an praxis sit aliquando actus intellectus? Scotus citatus, quem sequitur Suncinas *supra*, negare videtur; & consentit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 1. *ad* 1. Sed loquuntur vt in plurimum, vel tantùm volunt, quòd notitia practica immediatè non dirigit actum intellectus: constat enim quòd prudentia actus intellectuales dirigit.

Practica alia actiua, alia factiua.

Aduerte practicam scientiam diuidi in actiuam & factiuam, ex Aristotele 6. *Ethic.* Illa dirigit actiones quæ transeunt in materiam non permanentem, quæ dicitur agibile, vt citharizatio, loquutio; hæc versatur circa factibilia, vt sunt ædificium, pictura, quæ permanent: ars versatur circa factibile, prudentia circa agibile, *ex lib. Magnor. Mor. cap. vlt.* Vide Scotum 3. *d.* 34. *q.* 1. *n.* 10. 14.

Ars versatur circa factibile, prudentia circa agibile.

Aduerte secundò, duplicem esse rectitudinem; alia est morum, quam prudentia dirigit; alia naturæ, vt pictio, scriptio, quam dirigit ars. Illa rectitudo est simpliciter talis, quia facit bonum hominem, & voluntatem gubernat; hæc secundùm quid, quia non facit bonum hominem. Alia multa, quæ fusiùs quàm vtiliùs à Theologis tractantur in Prologo Theologiæ, de hac quæstione videntur esse parui momenti: & magna ea parte de modo loquendi controuerti: an scilicet sufficit ad rationem scientiæ, vel intellectus practici, proximè, vel remotè dirigere, aptitudinaliter ad praxim, nécne: de quo vide Scotum *q.* 4. *Prol.* n. 44. & ibi scholium nostrum. 10.

Quæstio de practica ad speculatiua, parui momenti videtur.

SECTIO V.

De synteresi & conscientia.

HEnricus *quodlib.* 18. *quæst.* 1. dicit synteresim esse pondus voluntatis tendens in bonum, & conscientiam habitum eius: & hoc secundum tenet Durand. 2. *d.* 9. *q.* 2. 1.

Synteresis & conscientia ad intellectum spectant.

Dico primò, hæ ad intellectum spectant. Ita Scotus 1. *d.* 39. *quæst.* 2. D. Thom. 1. *par. q.* 79. *art.* 12. 13. Magister 2. *d.* 39. *cap.* 3. ex Hieron. *in cap.* 2. *Ezechiel*. Vbi dicit quòd superior portio rationis, est synteresis. Probatur ex Scoto 1. *de synteresi*, quia eius actus est necessarius, & nullus talis datur in voluntate, vt ostendit Scotus 1. *d.* 1. *q.* 4. *&* 4. *d* 49. *q.* 9. *& quodlib.* 16. Secundò, si tenderet sic necessariò in bonum, faceret voluntatem impeccabilem. De conscientia probatur, quia causatur per actum intellectus, & vnicum. Secundò, aut necessariò agit voluntas secundùm illum habitum; & sic non est libera, quia agens illius habitus est causa naturalis & consequenter effectus: si non necessariò agit, potest stante conscientià rectà velle oppositum dictati per eam, & sic nunquam per voluntatem corrumpi poterit.

Voluntas nihil vult necessariò.

Obiicies ex Anselmo *de concordia* 26. *&* 44. ibi, *commoda non velle nequit* (voluntas:) sed æquè vult iustitiam, & id quo necessariò vult bonum, est synteresis. Respondetur de voluntate, vt præcisè affecta est, affectione commodi, non est libera, sed sic non elicit actum. Vide Doct. 2. *d.* 6 *q.* 2. *&* 1. *d.* 1. *q.* 4. per idem patet ad id quod ait August. 13. *Trin.* 5. omnes naturaliter velle beatitudinem, nempe appetitu naturali, non elicito.

Obiicies secundò, natura irrationalis habet principium necessariò tendendi in id quod sibi conuenit; ergo & voluntas in iustitiam, quia hæc maximè ei conuenit. Negatur consequentia, quia voluntas est libera. 2.

Obiicitur

Quomodo magis ſciens eſt magis conſcientioſus

Obiicitur tertiò, ſi conſcientia eſſet aliquid in Intellectu, tunc magis ſciens eſſet magis conſcientioſus, cuius oppoſitum patet. Reſpondetur, verum eſſe, cæteris paribus: ſi tamen plura ſciens, ſit paſſionibus obnoxius, ex hoc capite, eſt minùs conſcientioſus, quia eius bona dictamina impediuntur à dictando, & ſic intelligit Ariſtoteles 7. *Ethic.* 3. dum ait exiſtentes in paſſionibus, non ſcire.

Dico ſecundò, ſynteresis eſt habitus principiorum; & conſcientia habitus concluſionum practicarum, de bona electione morali. Ita Scot. citatus. Non explicat tamen, an ille habitus ſit aliquid diſtinctum à potentia, & videtur quòd non, licèt D. Thom. aſſerat quòd ſic, quia negat eſſe ipſam potentiam. Ratio eſt quia ſine neceſſitate entia non ſunt multiplicanda. Præterea, in naturalibus potentiis, quia ſunt determinatæ ad vnum, non ponitur habitus, ex Scot. 3. *d.* 33. *num.* 7. ſed intellectus eſt determinatus ad principia; ergo.

Dices cum Capreol. *quaeſt.* 3. *Prol. ad* 5. & Viguer. *cap.* 3. eſſe habitum naturaliter inditum ſimul cum potentia: hoc gratis dicitur, & ſine neceſſitate multiplicantur entia. D. Thomas ait conſcientiam eſſe actum, non habitum: tenendum tamen dari actualem, & habitualem; neque enim dicendum eſt, cùm dormimus, nullam teſtate conſcientiam. Concluſio hæc habetur ex concluſione præcedenti: quia cùm hæc ſpectent ad intellectum, non poſſunt eſſe aliud ab ipſo, vel eius affectione, vt verſatur circa principia, & concluſionem practicam. Habetur etiam ex illo Eccleſ. 7. *Scis enim conſcientia tua te crebrò maledixiſſi.*

An conſcientia ſit habitus practicus.

Aduerte, cùm conſcientia iudicat malum eſſe quod agimus, oriri in voluntate vermem, remorſum, ſeu triſtitiam, iuxta id Auguſt. 1. *Confeſſ.* 12. *Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt pœna ſibi ſit omnis animus inordinatus.* Quando autem iudicat bonum eſſe quod fit, reſultat gaudium, iuxta id 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Si quæras an conſcientia ſit aliquis habitus peculiaris? Reſpondetur, non diſtingui ab habitu ſcientiæ moralis. Etſi quæras, an ſit practica. Reſpondetur eſſe, quando dirigit ad aliquid faciendum, vel omittendum: quando tamen accuſat de præſenti, ſpeculatiuus eſſe videtur.

SECTIO VI.

De euidentia, & certitudine.

1. Nota primò, tunc intellectum clarè, & euidenter cognoſcere obiectum, quando tendit in illud inſtar oculi in lucem, vel colorem: ita vt manifeſtè videat connexionem prædicati cum ſubiecto, vel immediatè per ipſos terminos, vel per medium notius.

Quid euidentia

Nota ſecundò, euidentiam, ſeu claritatem non diſtingui realiter ab actu claro: quia nullum eſt fundamentum talis diſtinctionis, cùm repugnet actum ſcientiæ poni ſine claritate, vel fidei, ſine obſcuritate: ablato enim quocunque alio à viſione Intuitiua, manebit clara & euidens; & idem eſt per oppoſitum de actu fidei. Si dicas euidentiam eſſe modum diſtinctum. Contrà, peto an cognoſci poſſit per actum, vel an ſit ratio cognoſcendi. Si ſecundum, erit ipſe actus, quia ſpecies eſſe nequit. Si primum, vel cognoſcitur euidenter, & dabitur proceſſus; vel obſcurè, & idem erit de obſcuritate. Neque dici poteſt, quòd nullo modo cognoſcitur, ſi non ipſe actus. Ex quibus patet euidentiam eſſe quid eſſentiale, vel ſaltem propriam paſſionem actus clari; & idem eſt de obſcuritate reſpectu obſcuri.

An euidentia diſtinguitur ab actu

Nota tertiò, euidentiam eſſe triplicem; alia 2.
eſt moralis, vt quando viri graues, fide digni aliquid aſſerunt, quibus iuxta regulas prudentiæ credendum eſt. Supremum gradum huius euidentiæ obtinent myſteria fidei, quæ aſſeruntur à viris ſanctiſſimis, ſibi conſentientibus, & multis miraculis confirmantur: ſed hæc euidentia eſt tantùm ſecundùm quid talis, quia reuelatio ad quam nos manuducit, ſimpliciter obſcura eſt. Vnde euidentiæ morali poteſt ſubeſſe falſum, vt ſi multi doctiſſimi dicerent aliquid eſſe de fide, quod non eſt; ſed tunc aſſenſus credentis non eſſet fidei infuſæ, quæ tantùm tendit in reuelatum verè. Alia eſt euidentia Phyſica, vt quando aliquid clarè ſcitur ex principiis Phyſicis, vt ignem exiſtere ex nimio calore, ſubiectum adeſſe ex colore viſo. Huic etiam euidentiæ ſubeſt falſum aliquando, vt patet in Euchariſtia. Et ratio eſt, quia Deus poteſt ſupplere vicem principij Phyſici quoad efficientiam. Tertia euidentia eſt Metaphyſica, vt quando per principia Metaphyſica, ita res clarè videtur, vel ſcitur, vt repugnet aliter fieri, vt quodlibet eſt, vel non eſt; & huic euidentiæ repugnat ſubeſſe falſum. Quidam putant euidentiam, quâ in remotis creditur Romam eſſe, non moralem, ſed Phyſicam eſſe, quia non eſt minùs euidens quàm ignem eſſe calefactiuum. Sed ineptè dicitur; repugnat enim ignem non eſſe calefactiuum, & ſi miraculum non impediat, applicatum neceſſariò calefacit: at ſine vllo miraculo poſſet Roma in cineres redigi, & conſequenter non exiſtere. Ineptiùs etiam negarent actum quo cognoſcitur Romam exiſtere, non eſſe fidei humanæ, ſed ſcientificum; quia qui Romam non vident, humano tantùm teſtimonio credunt illam eſſe, & nullo alio medio, vel extremorum connexione.

Euidentia triplex moralis, Phyſica, & Metaphyſica.

Euidentia Metaphyſica nequit ſubeſſe falſum.

Dico primò, intellectus noſter euidenter ſuis 3.
viribus cognoſcit prima principia, & concluſiones ex eis demonſtrabiles, & veritates per experientiam notas. Ita Scot. 1. *diſt.* 3. *quaeſt.* 4. *num* 5. contra Academicos, eſt Henricus *in ſumm. art.* 1. *quaeſt.* 2. Eſt Ariſtoteles 2. *Metaph. textu* 1. vbi ait *prima principia eſſe omnibus nota ſicut ianua in domo.* Ad idem eſt Auguſt. & Boëtius à Scot. citati. Declaratur, termini principiorum primorum, ita ſe habent, quòd vnus alterum includat; & ideò, cùm intellectus eos componit, habet neceſſariam cauſam conformitatis ſui actus ad illos, vt in hoc principio, *omne totum eſt maius ſua parte*: ex hac autem principij euidentia, & bonæ illationis, dependet notitia concluſionis, & ſic naturaliter habetur, & euidenter. De cognitis per experientiam, patet; quia quod ſemper, aut ferè ſemper contingit fieri, & non à cauſa libera, eſt effectus naturalis illius à quo fit, quia cauſa non libera, non poteſt in pluribus effectum producere, niſi ad quem naturâ ſuâ determinata eſt: cùm ergo ſemper experimur ignem calefacere, colligimus hoc eſſe illi à natura inditum; & ſic veritas hæc euidenter cognoſcitur.

Prima principia omnibus nota.

Veritas per experientiam quomodo euidens.

4.

Ex concluſione experimentali, deuenitur ad principium per ſe notum aliquando.

Aduerte quòd quandoque cognitâ concluſione per experientiam, verbi gratia, hac, *Luna frequenter eclipſatur*, deuenitur reſolutiuo modo ad

principium ex se notum, quod est causa illius: verbi gratia, *opacum interpositum inter luminosum, & perspicuum obfuscat*. Et per idem, conclusio à priori demonstratur. Aliquando verò sistitur in ipsa cognitione experimentali, ita vt non appareat vlla causa ipsius, verbi gratia, quòd herba talis speciei, est semper calida: sed neutra experientia est euidens Metaphysicè, quia non repugnat hîc subesse falsum, vt dixi *notabili* 3. & docet Scotus suprà §. *Quandoque autem, num.* 9.

Species mutabilis causat scientiam immutabilē.

Obiicies primò, id quo veritas repræsentatur, nempe species, est mutabilis, quia ab obiecto mutabili; & subiectum est erroris capax, nempe anima: ergo nulla est in eis veritas euidens, & immutabilis. Respondetur, speciem etsi in sua entitate mutabilis sit, immutabiliter repræsentare; sicut imago depicta, licèt destrui possit, repræsentat immutabiliter suum prototypum: nec obstat obiectum esse immutabile; quia non quà tale causat speciem, sed quà natura. Vnde si hæc habet aliquam habitudinem necessariam ad aliam, vtraque per suas species repræsentantur vt vnita. Ad illud de mutabilitate animæ, respondetur, non esse mutabilem quoad errorem, circa euidentia ex terminis, vel conclusiones ex eis demonstrabiles, cognitá euidentiá syllogisticæ illationis. Vide Scot. *ad* 1. & 2. Henricum *num.* 13. 14.

5. Obiicies secundò, species potest repræsentare se, vt se, vel vt obiectum; & secundo modo contingit in somniis; ergo nulla est certitudo, vel euidentia; quia si repræsentat se vt obiectum, error est, & non possumus discernere, quando sic vel sic facit. Respondetur, non speciem, sed phantasma se repræsentare, vt obiectum in somniis.

Intellectus nouit quando phantasia errat.

Dices ergo, ea illa phantastica repræsentatione errare potest intellectus; vt patet in somno & phrenesi; & sic cognitio non erit euidens. Respondetur, intellectus euidenter nouit inferiorem potentiam non errare circa suum obiectum debitè applicatum, nisi sit indisposita; & nouit quando indisposita est, vt in exemplis: non enim dicimus prædictas veritates semper sine errore sciri; quia in somno contingit præsentati oppositum primi principij; & tamen non ideò hoc non est per se notum. Vide Scotum ad 3.

Deceptio sensus non decipit intellectū.

Obiicies tertiò, species terminorum primi principij dependet à sensibus; & hi sæpè decipiuntur: ergo & assensus intellectus circa principia. Respondetur, etsi in acquisitione specierum dependeat intellectus à sensuum ministerio, tamen illis vtitur componendo, & diuidendo, virtute propria: & sic error sensus ei non obstat, verbi gratia, visus deceptus iudicat id quod est totum, esse minus eo quod est pars; non propterea intellectus decipitur, dicens totum esse maius sua parte.

6. *Euidenter noti sunt nobis actus sensuum nostrorum.*

Dico secundò, euidentem, & certam habemus notitiam de nostris actibus; verbi gratia, quòd vigilamus, videmus, &c. & esto illusio contingere possit, ratione obiecti, medij, vel organi, non tamen obstat quo minus certò, & euidenter cognoscamus tales actus nobis inesse. Ita Scot. *loco citato, num* 10. est Aristotelis 4. *Metaph.*

Obiicies, August. *lib.* 83. *q.* 9. ait, *A sensibus nulla est expectanda sincera veritas, quia sine intermissione mutantur*. Respondetur, non ab eis haberi, sed ab intellectu de eorum operationibus.

Obiicies secundò, visus iudicat obiectum quo remotius, eo minus esse, & baculum cuius pars est in aqua, & pars alia in aëre, esse fractum; ergo de his nulla est certitudo. Respondetur, intellectum euidenter scire, visum falli in exemplo de baculo, per hanc propositionem, *nullum durum frangitur ad tactum mollis sibi cedentis*: & in alio exemplo, per hanc propositionem: *idem quantum applicatum quanto, est ei aquale*, sed idem quantum potest applicari quanto viso remoto & propinquo: ergo visum remotum non est minus propinquo: & sic intellectus euidenter iudicat, per species terminorum, licèt accipiantur à sensu errante.

Intellectus euidenter nouit deceptionem sensus, etsi non semper.

Obiicies tertiò, August. 12. *Confess.* 25. ait, *Si ambo videmus veritatem, nec tu in me, nec ego in te, sed ambo in illa, qua super mentem est, incommutabili veritate*. Respondetur, propter hoc & alia multa similia loca Augustini, Scotus suprà §. *Ad quest. num.* 18. explicat quatuor modis veritates necessarias videri in regulis æternis: primò, quia intellectus diuinus dat esse intelligibile creaturis ab æterno (de quo 2. *d.* 1. *quæst.* 1.) in quo relucent veritates. Secundò, quia instar libri continet omnia vera. Tertiò, quia dat rationem mouendi obiectis, cùm ea producit in esse intelligibili. Quartò, quia essentia diuina est primum principium speculabilium, & vltimus finis practicabilium. Vide Doct. fusè ista explicantem *loco citato*. 7.

Veritates necessariæ quatuor modis intelliguntur in regulis æternis.

De certitudine multa occurrunt dicenda, sed ob breuitatem pauca dicemus; in quo consistat, controuertitur, sed fortè magis de voce quàm de re.

Dico quartò, veritates omnes euidentes, de quibus in conclusionibus præcedentibus, sunt certæ. Ratio est, quia sunt necessariæ, & consequenter non incertæ, nec abstrahentes à certitudine. Itaque certitudo, & euidentia se habent vt inferius, & superius; omne enim euidens, est certum, non è contra; quia credita, fide diuiná, certissima sunt, sed obscura. 8.

Omne euidens est certū, non è contra.

Pro hoc, Nota duplicem esse certitudinem; altera orta ex euidentia obiecti, & ab ea, ad summum ratione, distinguitur: altera oritur ex infallibilitate, vel veracitate testis. Hæc, si a Dei testimonio pendeat, certior est in se quàm altera, quia perfectior cognitio; altera tamen quia clarior, minùs sinit subiectum in quo est, hæsitare de veritate.

Certitudo duplex.

Aduerte secundò certitudinem posse esse moralem, Physicam, vel Metaphysicam, vt *suprà* explicui de euidentia: incertitudo etiam tribus modis oppositis. Hinc sequitur in certitudine dari gradus: quo enim actus est euidentior in naturalibus, eo certior: fides tamen diuina, quia tam ex parte habitus, quàm ex parte motiui formalis, repugnat ei ferri in falsum, est maximè certa inter cognitiones viatoris. Minùs tamen excludit dubitationem ab intellectu propter obscuritatem: & secundùm hoc intelligitur D. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 4. dicens assensum fidei secundùm se esse certiorem actu scientiæ, non verò quoad nos.

Certitudo, Physica Moralis Metaphysica.

Fides certior scientia: minùs tamē excludit dubitationem à subiecto.

SECTIO VII.

De veritate cognitionis.

1. NOta 1. ex Scot. 6. *Metaph. quæst.* 3. quòd alia est veritas in rebus, alia in intellectu. Prima dupliciter consideratur: vno modo per comparationem ad causam producentem, & hoc vel per adæqua

Verum duplex, in ordine ad causam, & intellect.

adæquationem in natura singulari, quomodo verbum in diuinis est verissimum; vel per imitationem, quomodo omnis creatura est vera in essendo, vt participat diuinam essentiam secundùm mensuram sui esemplaris. Alio modo est veritas in rebus, comparatiuè ad intellectum, quatenus sunt manifestatiuæ sui intellectui, & assimilatiuæ eius intelligibili; & etiam prout facta manifestatione, intellectus verè intentionaliter fit res cognita, sicut est à parte rei. Veritas intellectus, seu in cognoscendo, consistit in conformitate cognitionis ad rem. Ita Scot. *ibi, & 1. d.3. quæst. 3. & dist. 48. ad 1. & 4. d.49. quæst. 4. §.* Iuxta hoc, *num.* 10.

Veritas cognitionis quid est?

2\. Secundò nota, etsi veritas loquutionis consistat præcipuè in conformitate ad rem, vt habet Doctor 1. *d.* 27. *ad* 2. *quæstionis* 1. tamen requirit etiam conformitatem ad mentem loquentis, vt sit completa veritas: contingit enim aliquem mentiendo, verum obiectiuè dicere, & non mentiendo dicere falsum. Vt ergo vox, vel loquutio sit completè vera, petit vtrique, menti, & obiecto conformari, quia vtrumque significat ordine quodam, vt optimè explicat Doct. *loc. cit.* Sumit præterea veritatem pro aggregatione omnium quæ iuxta rectam rationem debentur actui, ita *quodl.* 18. *art.* 1. sed non distinguitur hæc veritas ab aliis.

Aliquando mentiendo dicitur verum, & non mentiendo falsum.

Loquutio vera conformis menti, & obiecto.

Nota tertiò veritatem non dicere aliquid absolutum, sed respectum: habetur ea Doct. *loc. cit. notab.* 1. & clariùs *ex loco Metaph & quodl.* 13. *art.* 2 §. vbi sciendum. Declaratur, quia vt est affectio entis vt sic, tantùm addit conformitatem adæquationis, vel immutationis ad aliud in ratione producentis; vel conformitatem manifestationis, vel intentionalis similationis ad aliud, in ratione cognoscentis: & altera harum omni enti, creato, increato, producto, & improducto conuenit. De creaturis explicatur exemplo: quia sicut arte facta dicuntur vera, quando sunt conformia regulis artis; ita creaturæ veræ sunt per conformitatem ad artem Dei, in qua sunt omnium exemplaria, seu ideæ, de quibus Scot. 1. *d.* 35.

Veritas non est aliquid absolutum.

3\. Ratio huius est, quia nihil absolutum commodè hic assignari potest, nec veritas conuenit per modum negationis, vel priuationis, sed sub aliqua ratione positiua. Neque obstat, si dicas cum Suarez *in Metaph. d. 8. sect. 7. num.* 24. ablato quocumque modo, vel respectu, entitatem esse veram; quia non erit formaliter, sed fundamentaliter talia, sicut albedo seclusâ relatione similitudinis, erit tantùm fundamentaliter similis: pluses habet ibi obiectiones, quæ ea dictis facilè expediuntur. His positis pro explicatione veritatis, vt sic; circa præsentem quæstionem,

Dur. Heruæus apud Vasquez 1. *par. d.* 76. *cap.* 1. negant veritatem intellectus esse formaliter in actu, sed in obiectiuo conceptu.

Veritas cognitionis est in actu formaliter.

Dicendum tamen primò, veritatem cognitionis esse formaliter in ipso actu, ex Scoto *suprà*, cum communi; de quo Suarez citatus quia tamen terminus assimilationis intentionalis, in qua consistit veritas, est obiectum; etiam dici potest verum veritate cognitionis, vt tamen sit completa veritas loquutionis (vt dixi) requiritur conformitas etiam ad mentem loquentis: & per hoc cessat inutilis circa hanc rem controuersia.

4\. Obiicies, actus est verus, quia obiectum est tale; ergo & hoc est magis verum, iuxta id, *Propter quod vnumquodque*, &c. Antecedens patet, quia ex Aristotele, *ab eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Respondetur veritatem cognitionis sumi in ordine ad obiectum, secundùm se, non verò vt in *esse* obiectiuo, quia sic non præcedit actum, & terminus relationis præintelligitur ipsi, vt habet Doct. 1. *d.* 8. *quæst.* 3. §. Contra istud, *num.* 4. de quo fusiùs agit *d.* 30. Non ergo sumitur veritas cognitionis à veritate obiectiua, sed entitatiua rei.

Veritas quomodo sumitur ab obiecto.

Dico secundò, in simplicium apprehensione est aliqualis veritas. Patet, quia ibi est quædam conformitas, seu assimilatio passiua actus ad obiectum simplex: hic tamen actus non est capax falsitatis, sicut nec sensatio, quia & similitudo naturalis sui simplicis obiecti. Ita Aristot. 3. *de Anima, cap.* 6. de quo Vasquez 1. *p. d.* 75. *cap.* 3.

Veritas an in apprehensione simplici?

Aduerte, apprehensionem simplicem non semper esse de altero extremo, sed etiam de ipsa propositione, vt quando audio Papam esse mortuum, apprehendo eum mortuum, sine compositione. In simili actu esse potest veritas, vel falsitas incompleta, prout est conformitas, vel difformitas ad rem: non est tamen in eo veritas, vel falsitas complexa, seu compositionis; & de hac loquitur Aristoteles. Scot. 2. *d.* 6. *quæst.* 1 *ad* 3. est communis, cum negant apprehensioni veritatem, & falsitatem: sufficit tamen talis notitia ad actum voluntatis; & Doct. *ibi* tenet Angelum ea tali apprehensione, non errante compositione, appetiisse Dei æqualitatem.

Apprehensio simplex aliquando est de propositione.

Quæ veritas non conuenit apprehensioni.

Obiicies ex Aristotele cit. in apprehensione simplicis extremi, subiecti, vel prædicati, non potest esse vlla falsitas; ergo nec in apprehensione propositionis, negatur consequentia, quia species expressa hominis, verbi gratia, (& sic de aliis) repræsentat semper ipsum, sicut imago prototypum. Et si dicas, quòd repræsentat aliud; tunc non erit hominis, sed illius alterius, cui erit conformis; & consequenter actus verus: at apprehensio duorum extremorum, vt corui & albedinis, per modum vnius, quandammodò exprimit obiectum, etsi sine assertione, aliter quàm est, & sic est aliqualis falsitas in actu. 5.

Quare in apprehensione propositionis, potest esse falsitas, & non in apprehensione simplicis extremi?

Dico tertiò, in iudicio negationis, vel affirmationis, est veritas cognitionis simpliciter. Ita Aristoteles & Scot. citati, cum communi. Ratio est, quia per iudicium absolutè, negatur, vel affirmatur vnum extremum de altero, & si ita res sit, vt iudicatur, est completa, & complexa veritas; si aliter, erit opposita falsitas.

Veritas cognitionis simpliciter est in iudicio.

Sectio VIII.

Vtrùm veritas distinguitur realiter ab actu?

Vasquez 1. *par. disp.* 75. *cap.* 2. docet esse relationem rationis, & consequenter non esse idem actui. Communior sententia est, quòd veritas cognitionis realiter distinguitur ab actu: colligitur ex Scoto 2. *d.* 1. *quæst.* 4. *vbi* §. Contra istam, *à num.* 5. fusè probat relationem distingui à fundamento, cùm hoc potest esse sine termino: & *locis citatis notab.* 3. ponit veritatem esse respectum, & expressiùs 4. *d.* 8. *quæst* 2. *num* 23. vbi ait veritatem esse accidentalem actui. Probatur ex ipso, *ibi*; quia manere potest actus sine veritate: ergo. Secundò, nihil finitum identificat sibi opposita; & ideò concludit fundamentum distingui à similitudine, & dissimilitudine, æqualitate, & inæqualitate; ergo actus non identificat 1.

cat

eat sibi veritatem, & falsitatem. Tertiò, actus potest mutari de vero in falsum, nullâ factâ mutatione in eius entitate absoluta. Est Aristotelis, quia *ab eo quòd res est, vel non est, &c. cap. de Substantia*; vbi expressè ait orationem de vera fieri falsam successiuè: & docet D.Thom. *1. par. quæst. 16. art. 8. ad 3.* de quo fusè Suarez *in Metaph. dist. 8. sect. 2.* Et suadetur ratione, quia si elicio hunc actum intellectualem, *Scotus speculatur*, & eundem continuò, potest esse priùs verus, & pòst falsus, vel è contra: ergo veritas non est idem actui.

Quomodo contingit actum fieri de vero falsum?

2. Aduerte tamen propositionem consignificantem certam aliquam partem temporis, verbi gratia, hanc, *speculatur Scotus tota hora quarta*, non posse sic mutari; quia si vel vno momento illius horæ non speculatur, propositio tota est falsa, & nullo modo vera: propositio ergo interna à vero mutabilis, consignificat durationem æui, coëxistětem tempori indeterminato, saltem vt in plurimùm. Quod addo, quia multi tenent nullam actionem posse vno tantùm instanti durare, quia repugnat desinere per vltimum sui *esse*, sed per primum *non esse*. Ita Gregor. II. *d. 3. quæst. 1. art. 2. ad 4.* Almain. *quæst. de Libertate voluntatis art. 7. in 5. opin. & tract. 2. Mor. cap. 9.* Vasquez 1. *p. d. 229. cap. 10.* Quæ sententia, licèt falsa sit, quatenus ait hoc repugnare, rarissimum tamen est, aut fortè nunquam euenit, quòd actus nostri vno tantùm instanti durent. Dum itaque incipit propositio, de præsenti consignificat, pro aliqua duratione instantanea, vel temporali, obiectū ita esse, vt exprimitur: & si idem assensus duret vltra minimam durationem assignabilem, vel determinabilem, consignificat etiam tunc, obiectum eodem modo se habere, & si non ita sit, de vero factus est actus falsus. Per hoc reiiciuntur quorundam recentiorum multæ cauillationes circa hāc difficultatem.

Qui dicunt repugnare actum vno tantùm instanti durare?

3. Nec valet, quod quidam recens author ait, propositionem de præsenti consignificare vnum instans, nec posse consignificare aliud; tum quia tot essent diuersæ propositiones, quot instantia in tempore, quo vnus assensus durat; tum etiam, quia verius est actus intellectus mensurari æuo, non tempore; quia habent totum suum *esse* simul, vt docet Scot. 1. *d. 2. quæst. 4.* tum tertiò, quia propositio includens motum, vt *homo currit*, non potest esse in instanti vera, quando copula consignificat tempus, vel instans; fusè, & optimè tradit Doct. *4. d. 8. quæst. 2. con. 5. num. 16.*

Quando copula consignificat tempus, vel instans.

Quartò, bonitas moralis distinguitur re ab actu voluntatis, potestque ab eo separari, ex Scot. 1. *d. 17. quæst. 3. §. Quantum ad istum, n. 3.* Bonau. 2. *dist. 41. art. 1. quæst. 2.* Duran. 2. *d. 40. quæst. 3.* Maior *d. 41. q. 2. Met. 2. p.* Caiet. 1. 2. *q. 19. art. 1.* Et alij, quos citat, & sequitur Vasquez 1. 2. *d. 55. cap. 2.* qui etiam dicunt actum voluntatis eundem de bono fieri malum; ergo sic veritas distinguitur ab actu intellectus, éstque ab eo amouibilis. Antecedens, præter authoritates allatas, ratione probatur, quia posset quis incipere aliquē actum licitè, ex ignorantia inculpabili: verbi gratia, comedere carnes in vigilia ieiunanda, & monitus de vigilia, adhuc perseuerare in illa voluntate, & comestione; quo casu idem actus fieret de bono malus: quia (vt ait Doctor *loco citato, & 2. d. 40.*) bonitas actus est conformitas eius ad omnia quę secundùm rectam rationem, vel dictamen prudentię ei conueniunt. Vide eum 2. *d. 7. num. 11.* vbi explicat triplicem bonitatem in actu.

Idem actus an de bono fit malus.

Quid bonitas moralis actus?

4. Dico tamen, verius videtur veritatem ab actu realiter minimè distingui; hæc ex variis locis Scoti habetur, expressissimè 2. *d. 16. num. 17.* docet verum esse realiter idem enti: & *quodl. 13. art. 2. §.* Circa secundùm, *vers. secundus autem actus*, docet actum abstractiuum non dicere relationem realem actualem ad obiectum, quia non petit illud existere; & ad relationem realem requiritur termini existentia, de quo ipse latè 1. *d. 31.* verum est quod habet eodem *art. 2. vers. ista distinctione, & ad 5.* actum intuitiuum habere annexam relationem realem actualem; sed hæc ad veritatem non requiritur, alioquin in actu abstractiuo non esset veritas. Adde dubium esse apud Scotum, an talis relatio separari possit ab actu intuitiuo, etiam beatifico, & in partem affirmantem inclinat, 4. *d. 49. quæst. 2. n. 28. & d. art. 5. ad 1.* vbi ait: si quis haberet qualitatem absolutam beatitudinis sine relatione coniunctionis, quòd esset beatus; quia etiam beatitudo Dei sine vlla relatione est; quo casu notitia foret vera. Et hoc videtur tenendum: quia nullum absolutum videtur essentialiter dependere ab aliquo extrinseco, nisi dependentia effectus à prima causa; & beata visio, quà talis, non dependet hac dependentiâ ab obiecto; sed eodem modo, quo aliæ visiones à suis obiectis. Præterea, *eodem quodl. art. 3. § Ex his*, docet, quòd actus cognoscendi non esset per se vnum, si includeret eum qualitate relationem: & resoluit ibi *vers. si quæratur*, esse per se vnum, & in genere Qualitatis, & diffusè probat: de quo suprà *sect. 3.*

Veritatem nihil reale addere actui.

An beatitudo formalis, sit possibilis sine relatione consecutiua ad obiectum?

Ex quibus patet manifestè secundùm Scotum, veritatem non addere relationem realem, ad actum; & si eam addat in intuitione, id esse per accidens: & per consequens, non est aliquid realiter distinctum ab actu; quia nullus asserit aliquid absolutum per veritatem ei addi, neque ad hoc vllum fundamentum esse potest. 5.

Confirmatur primò, veritas Dei in suo actu cognoscendi sine aliquo superaddito, consistit, nec petit relationem sibi addi. Confirmatur secundò, actus per se est repræsentatio obiecti: ergo nullo addito illud exprimit: & hoc esse de mente Scoti patet, alioquin non dixisset, quòd operatio beata secundùm absolutum, quod habet, etiamsi nullam haberet relationem, bearet: certum enim est, quòd non bearet, nisi vt vera, quatenus est ex parte intellectus. Confirmatur tertiò, quando cognosco falsò ens rationis esse, quod non est, expositione illius entis, fiet cognitio vera, & tamen nihil absolutum ei aduenit, vt patet; neque relatio realis, quia terminus, nempe obiectum, est ens rationis. Quartò, ex Scoto 3. *d. 32. quæst. 2. & d. 27. q. 3.* relatio verbi, seu cognitionis ad cognitum, non est realis.

Constat in quibusdam propositionibus veritatem nil addere, nisi ens rationis.

Obiicies, quia actus cognoscendi non potest intelligi, nisi intelligendo terminum, qui est eius obiectum: ergo necessariò includit relationem realem: quia omne absolutum intelligi potest, alio quocumque non intellecto; quis etiam potest esse sine alio quocumque, exceptâ primâ causâ. Antecedens probatur, quia nequit intelligi visio, quin intelligatur esse alicuius visibilis. Respondetur ex Doct. *d. quodl. 13. ad arg. princ.* si vox imponeretur ad significandum qualitatem absolutam, actus cognoscendi intelligi posset, non intellecto obiecto, vt termino: sed communiter voces impositæ ad significandas operationes, important relationem, vel principaliter, vel connotatiuè; quia sic communiter intelligitur operatio. 6.

An intellectus conceptus possit nō concepto obiecto?

Exem

An species intelligibilis possit intelligi sine relatione ad obiectum?

Exemplum de specie inrelligibili, quæ est qualitas absoluta, tamen dicitur similitudo, non quòd sit relatio, sed quia apta nata est, per imitatiooem repræsentare obiectum: & ideò per hoc nomen *species* non tantùm significatur absolutum, sed etiam iste respectus.

7. Contrà, cognitio abstractiua, non haber relationem actualem ad obiectum, sed potentialem per se: & tamen non potest illa intelligi, nisi cointelligendo obiectum, non tantùm vt cognoscibile, sed etiam vt cognitum; & sic intelligitur relatio actualis, etiam vbi tu asseris nullam esse, in qua ponenda sit ratio veritatis. Respondetur cum Doctore *ibi*; relatio quæ quátum est ex parte fundamenti, est actualis, & defectu termini possibilis denominat sæpè fundamentum, vel subiectum, ac si actualiter inesset: sic anima separata, non tantùm inclinabilis, sed etiam dicitur inclinata ad corpus, & tamen non est ibi actualis relatio, quia terminus non est. Similiter scientia dicitur practica à dirigendo, quamuis non sit actualis directio. Secundò, dico ex eodem, ibi intelligi actualem relationem non mensurabilis ad mensuram; quia hæc realis est, & non datur in abstractiua notitia ad obiectum; sed attingentiæ, vel tendentiæ in illud, quæ est rationis: sic cùm audio vocem, *bos*, statim concipio rem significatam, & relationem actualem ad eam; noo realem, quia nulla talis est in voce ad rem significatam, sed rationis, ex hominum impositione. Operatio sub simili relatione communiter concipitur, & ideò cointelligitur obiectum terminans illam: vnde Angelus quià non dependet ab hoc significandi, vel concipiendi modo, videre potest talem actum abstractiuum sine vlla relatione actuali.

Relatio potentialis quomodo actualiter denominat?

Obiectū cointelligitur cum actu, etiamsi ad illud nō sit relatio actualis realis in actu.

8. Quòd verò relatio attingentiæ distinguatur à relatione mensurabilis, probat Doctor *ibi art. 2. §. Vna potest*, quia in essentiis superior habet relationem mensuræ ad inferiorem; & hæc mensurabilis ad illam, tamen non attingit eam, nec habet hanc attingentiæ relationem.

Relatio mensuræ, & attingentia differunt.

Obiicitur secundò, summa nostra perfectio beata est visio Dei formaliter, vel virtualiter; sed talis non potest esse aliquid ad se; ergo essentialiter respicit aliud, cuius coniunctione beat. Confirmatur ex Augustino 13. *Trinit.* 5. *Beatus est qui habet quicquid vult, & nihil mali vult*: ergo beatitudo est habitio; sed hæc includit relationem; ergo. Respondetur eam consistere in qualitate absoluta, quæ est apta nata fundare illam relationem: etsi per impossibile hanc non haberet, adhuc esset vltima perfectio, vt tenet Scotus *dict. art. 2. ad* 1. per quod patet ad Confirmationem.

Beatitudo an includit relationem?

Soluuntur adducta in oppositum.

9. Ad loca Scoti *num. 3.* posita *sect. præced.* Respondetur, quandò videtur ponere veritatem in respectu, intelligit de aptitudinali, vel potentiali, modo explicato, vel de relatione rationis; non verò de relatione actuali reali. Ad primum, manere potest sine veritate, non quòd aliquid reale perdat, sed quia actus non est aptus conformari obiecto, vt modò est: sic vox *homo*, si imponeretur ad significandum bouem, non esset ampliùs signum hominis, tamen nihil reale perderet, sed tantùm quòd non esset apta nata significare hominem, supposità mutatione impositionis eius. Ad secundum, non identificat actus opposita realia, quia veritas non est aliquid reale ab eo distinctum; & si detur esse, falsitas nequit esse realis; quia est veritatis priuatio.

Quomodo actus sine mutatione, sui desinat esse verus?

Ad tertium, eo quòd actus non est aptus natus conformari obiecto, perdit veritatem, & quando obiectum aliter se habet, quàm per actum exprimitur, non adest talis aptitudo; & sic sine deperditione vllius realis, actus de vero fit falsus. Dices, illa aptitudo, cùm sit idem actui, manebit manente actu; ergo actus non est mutabilis a veritate. Respondetur, manet actus secundùm entitatem idem, sed non secundùm illam formalitatem apti nati, quia hæc dependet ab obiecto

Ad quartum, bonitas moralis non distinguitur re ab actu; quia consistit præcipuè in conformitate ad legem: & hæc non est aliquid existens, nisi in *esse* obiectiuo; quia nihil aliud est lex, quàm stabile præceptum eius, cui commissum est reipublicæ regimen; & actus præcepti transiuit, manétque tantùm in scriptura, vt in signo rememoratiuo, aut in intellectu, vel memoria in *esse* cognito; & sic nullum respectum realem terminare potest. 10.

Bonitas moralis non distinguitur realiter ab actu.

Sed adhuc obiicies, quia ex dictis sequi videtur, quòd veritas sit ens rationis, quod est contra Scotum 1. *d. q. 3.* & 2. *d. 16. num. 17. & q. 3. Prol.* vbi, & aliàs passim, ponit passiones entis à parte rei reales. Sequela patet, quia tantùm dicit respectum aptitudinalem conformitatis, per quem nihil reale additur actui; & idem erit de quocumque alio vero etiam in essendo. Respondetur, verum addit formalitatem quandam enti, quæ non distinguitur realiter ab eo, & fortè non est absoluta, sed respectiua, vt ait Scotus 4. *d. 49 q. 4. num.* 10. & idem est de bono: illa enim aptitudo conformitatis ad obiectum, quæ est veritas cognitionis, vel ad se manifestandum intellectui, quod conuenit veritati in essendo, sufficit vt verum formaliter differat ab ente, vel actu. Eodem modo bonum, passio entis, addit ei aptitudinem appetitionis passiuæ ad potentiam appetitiuam. Sic anima quatenus intelligit, distinguitur formaliter à se ipsa, quatenus vult; neque multùm differt hæc distinctio formalis Scoto satis familiaris, à distinctione rationis ratiocinatæ aliorum.

Veritas an ens rationis?

Dices, respectum non posse esse realem, quando terminus non est realis. Respondetur, verum habet pro termino intellectum Dei, & bonum appetitum eius. Contrà, istæ potentiæ non distinguuntur à vero, & bono in Deo. Respondetur, sufficit distingui formaliter, vt respectus non sit omnino rationis. 11.

Dices, ipse intellectus Dei est verus, & appetitus bonus, tamen terminos non habent vllo modo distinctos. Respondetur hoc satis vrgere: nec mihi occurrit, quomodo hic assignarem terminos reales formaliter distinctos; sed respectus est verè potentialis, non fictus, quia voluntas Dei est à se verè amabilis, & intellectus verè à se intelligibilis, & Deus dicitur à parte rei bonus; quia summè appetibilis, secundùm Scotum 4. *distinct. 49. quæst. 2. §. Ad 1. quæst.* & hoc conuenit eius voluntati sine vlla intellectus negotiatione, etiam si comparetur ad se ipsam. Si verò dicatur bonum & verum addere enti formalitates absolutas, vt censeantur formaliter ab eo distinctæ, sufficit non posse à nobis concipi, sine tali aptitudine ad appetitum, & intellectum; & ens sine vlla tali aptitudine concipi posse.

An voluntas Dei sit bona, bonitate à se formaliter distincta, aut intellectus verus veritate similiter à se distincta?

Sectio IX.

De falsitate cognitionis.

1\. *In rebus non est simpliciter falsitas.*

Dico primò, falsitas simpliciter non est in rebus. Ita Diuua Thomas *q.1.de Ver.art.10.&* 1.*p.q.17.ar.1.*& communis Doctorum apud Suar. *in Metaph. disp.9.sect.1.* Probatur, falsitas est priuatio veritatis, sicut malitia bonitatis; sed hæc non est io rebus: ergo. Secundò, veritas est passio entis: ergo eius oppositum nulli enti coouenit. Tertiò, veritas dicit respectum ad intellectum; sed intellectus diuinus à quo res simpliciter dependent, à nullo falli potest: ergo nolla res est simpliciter falsa.

Quomodo res dicitur falsa.

Dico secundò, res dicuntur secundùm quid falsæ, quando natæ sunt io nobis facere opinionem falsam. Hac ratione, externa accidentia habentia similitudinem aliarum rerum, falsa dicuntur. Cùm enim pro hoc statu, per ea quæ exteriùs apparent, indicemus de iis, quæ sub sensum non cadunt, putamus vnum esse aliud, quando habet similia accidentia cum illo: sic aurichalcum dicitur falsum aurum, & stannum falsum argentum. Iuxta quod Augustinus ait 2. *Soliloq.*10. quòd verus tragœdus est falsus Hector. & *lib. 2.cap.6. Eas res falsas nominamus, quas verisimilia apprehendimus.* Et, Aristoteles ait 5. *Metaphysic. text.*34. falsa sunt quæcumque *apta nata sunt videri, aut qualia non sunt, aut quæ non sunt.* Vide expositiunem Scoti in dictum locum.

Verus tragœdus, falsus Hector.

2\. Obiicies. Augustinus 1.*Sol.*8.dicit, *Si verum est, id quod est, falsum non esse, vbiam concludetur quomo repugnante:* ergo falsitas neque secundùm quid est in rebus. Respondetur, si *esse* sumatur latè, tam pro vero, quam pro apparente *esse*, & omne tale sit verum, nusquam erit falsum; sed dicitur esse falsum, quatenus non est verè, sed apparenter; & hoc est absolutè non esse, quia verus tragœdus, vt ait Augustinus, est falsus Hector.

Dico tertiò, falsitas propriè est in actu intellectus. Ita communis cum Diuo Thoma 1 *par.quæst.* 17.*art.*3. Probatur, quia *sect.* 7. ostensum est veritatem cognitionis simpliciter, tantùm esse in compositione, quæ intellectui tantùm conuenit: quando enim tribuit alicui, quod ei non conuenit, vel remouet ab eo, quod ei coniunctum est, fallitur: vnde sicut sensus quoad propria sensibilia non fallitur, sic nec intellectus quoad simplicium apprehensionem, vt ibi dixi; potest tamen esse falsitas incompleta in apprehensiooe propositionis, de qoo ibi *con.*2.

Quomodo contingit deceptio.

3\. *In quo quis fallitur non intelligit, exponitur.*

Obiicies primò, id in qno quis fallitnr, oon intelligit, ex Augustino *lib.*83.*q.*32.ergo in intellectione non est falsitas. Respondetur, si intelligeret quis causam falsitatis, iam desineret falli: verbi gratiâ, si perciperet aurichalcum esse, non indicaret aurum esse, quod tale apparet. Diuus Thomas citatus *ad* 2. dat aliam solutionem, quam vix capies.

Obiicitnr secundò, 3.*de Anima text.*51. intellectus est semper rectus. Respondetur, loqui de intellectu principiorum.

Quomodo veritas in sensu.

Obiicitur tertiò, constat sensus falli: & Augustinus 2.*Sol.*6.ait, *Apparet nos omnibus sensibus similitudine lenocinante falli.* Respondetur, impropriè dicitor veritas esse in sensu, quando apprehendit rem vt est; & falsitas quando apprehendit aliter; si tamen est benè dispositus, non decipitur circa propria seosibilia, sed benè circa communia, & sensibilia per accidens: de quo dixi *in comment. ad quæst.*10.

Obiicitur quartò, quia 4.*Met text.*24. dicitur, falsitas non est propria sensui, sed phantasiæ; ergo in hac est falsitas. Respondetur, hoc est, quia phantasia repræsentat rem in absentia, vt io somno, qnod non facit sensus externus. Vide Scotum *ibi.* 4.

Dico qoartò, falsitas non opponitur veritati contrariè, sed priuatiuè. Est contra Diuum Thomam 1.*p.q.17.art.*4. Probatur, malitia est priuatio bonitatis, seu rectitudinis, ex Scoto 2.*d.37.q.1.§. Concedo igitur, num.*6. ergo & falsitas veritatis. Secundò, eo ipso, quòd actus noo est conformis obiecto, est falsus. Tertiò, veritas consistit præcisè in respectu coonformitatis ad rem; ergo præcisa carentia huius est falsitas, sicut carentia potentiæ videndi, est cæcitas. Confirmatur, veritas dicit obiectum sic esse, vt exprimitur, falsitas, sic non esse, sed esse, & non esse priuatiuè opponontur respectu subiecti, cui vtrumque conuenire potest.

Quartò, oratio affirmans rem esse verè, re annihilatâ, sine vllo addito, fit falsa: ergo falsitas non opponitur positiuè veritati: quia per annihilationem nihil positiuum fit. Quintò, entia sine necessitate non sunt multiplicanda, & hîc nulla est. 5.

Quo sensu falsitas contraria veritati secundum Aristotelem.

Obiicitur ex Dioo Thoma, quia Aristoteles 1. *Periherm. cap. vltim.* ponit veritatem, & falsitatem contrarias. Respondetur, potiùs ibi oppositum ait, quia affirmationem vniuersalem ait esse contrariam negationi vniuersali de eodem, sed negationi particulari contradictoriam: & tamen in veritate, & falsitate æquè repugnat vniuersalis negatiua, & particularis negatiua vniuersali affirmatiuæ: sumit ergo contrarietatem ibi ratione quantitatis propositiunum, non resoloens an falsitas sit aliquid positiuum, vel priuatiuum.

Obiicies secundò, ex eodem: falsitas ponit conceptionem rei non adæquatam; veritas adæquatam: ergo vtraque positiuè. Negatur consequentia, quia non adæquari rei, est veritate priuari.

Sectio X.

De opinione, fide, dubio, suspicione, formidine, quomodo differunt?

Opinio est actus intellectus deductus ex principiis intrinsecis, quæ veritatem, vel falsitatem noo ostendunt euidenter: vt hæc conclusio: *quantitas distinguitur à re quanta.* cui potest intellectus assentiri, vel dissentiri. Differt à fide, quòd hæc nititur testimonio diceotis; etsi sit diuina, quòd ei nequeat subesse falsum. Vide Aristotelem 3.*Ethic.*2. & 2.*Periherm.cap.*3. & 1.*Poster cap.*24. qui vltimo loco ait scientiam & opinionem non esse de eodem. Diuiditur in probabilem, & improbabilem; illa nititur ita sufficientibus rationibus, vt sequens eam non censeatur imprudenter agere; hæc è contra, quò efficaciores, & plures sunt rationes, eò probabilior est opinio. & è contra. Sed in conscientia sufficit sequi probabilem, nec teneris ad probabiliorem, neque ad tutiorem: cootingit enim, minùs tutam esse probabiliorem; vt si plura argumenta à restituendo excosent, tutiùs tamen est restituere, potes contra propriam aliorum probabilem opinionem

1\. *Quid opinio, & quomodo differt à fide?*

Quæ opinio dicitur probabilis?

oioocm

nionem sequi, sed tunc magis propriè fidem sequeris.

2. *Fides humana firmior opinione.* Fides humana est assensus propter testimonium hominis, vixque differt ab opinione; quia vtraque nititur medio obscuro fallibili. Vt eam sequaris in conscientia, testes sint fide digni; qui *enim citò credit, leuis est corde.* Differt tamen ab opinione in firmitate, quia sæpè excludit omnem formidinem, vt cùm credo mundum fuisse ante me, vel Romam existere; & sic (inquit Scot. 3. *d.* 55. §. *Ex istis sequitur, num.* 5.) est medium inter scientiam, & opinionem; quia hæc habet secum formidinem, opinio non.

Quid dubium? Dubium, seu hæsitatio est actus, quo iudicatur neutri parti adhærendum esse determinatè; quia non reperit intellectus maiorem connexionem extremorum in hac parte, quàm in illa. Si nullus actus eliciatur, dubium erit negatiuum, atque multùm refert hoc aduertere, quia tale dubium in re fidei non facit hæreticum, sed requiritur dubium esse positiuum. *Dubium differt à formidine.* Differt à formidine, quia hæc est actus reflexus, quo iudicas oppositum fortè esse verius, & non excludit assensum vnius partis: vnde cum formidine de opposito licet aliquid facere, sed non cum dubio; quia *omne quod non est ex fide*, id est, ex iudicio conscientiæ, *peccatum est.*

Contra dubium quando licet operari. Si tamen dubius sis per intrinseca principia, potes alteram partem sequi per extrinseca: verbi gratia, ex aliorum sententia: si enim licet contra propriam opinionem sequi aliorum, multò magis licebit, quando tantùm dubitas: neque eo casu teneris sequi tutiorem partem, vt vult Nau. *cap. si quis, de Pœn. d.* 7. *num.* 56. sicut nec quando contra propriam opinionem, alienam sequeris.

3. *Dubium practicum, & speculatiuũ.* Dubium, aliud est speculatiuum, aliud practicum. Exemplum primi, vt si dubitem an res inter hæreditarias inuenta, sit mea. Secundi, vt an liceat rem talem retinere. Licet operari cum speculatiuo, non cum practico dubio; de quo ex professo *tract. de actibus humanis.* Hîc tantum ista gustantor, vt ad intellectum spectant.

Duæ autem regulæ circa hæc mouent difficultatem. Vna ex *cap. Ad audientiam, & c. Significasti, de hom. In dubiis tutior pars est eligenda*: & altera regula, *in dubiis, de reg. iuris* 6. *In dubiis potior est conditio possidentis.* De quibus videri possunt Summistæ *ver. dubium*, Nau. cit. *num.* 35. Couarr. *clem. si furiosus, de hom. princip. num.* 3. Vasquez 1. 2. *d.* 66. *cap.* 1. 2. Sancius *de Metaph. lib.* 2. *d.* 41. *num.* 32. & *lib.* 1. *d.* 18. *num.* 6. & fusiùs *lib.* 7. *d.* 103. Asor. 1. *p. lib.* 2. *cap.* 19.

Suspicio est actus, quo quis coniectura alium hoc, vel illud moliri, vel fecisse, nun videtur differre ab opinione: ideò est probabilis, vel improbabilis; vt opinio temeraria dicitur, quando leui nititur fundamento.

SECTIO XI.

De scientia abstractiua, & intuitiua.

1. *Scientia abstractiua, & practica.* DIco primò, abstractiua rem repræsentat in aliqua similitudine, quæ abstrahit ab existentia, & præsentia: intuitiua est rei existentis & præsentis. Ita Scot. 2. *d.* 3. *q.* 9. *n.* 6. & 4. *d.* 10. *q.* 8. *n.* 5. Inesse nobis abstractiuam, constat, alioquin non intelligeremus quiditates; & consequenter nullam haberemus sciẽtiam immutabilem, quia nulla talis est nisi quiditatis; (Deus enim non potest à nobis pro nunc cognosci notitia sibi propria.)

De intuitiua, patet, quòd nobis competit, quia potentia inferior, nempe sensus eam habet, estque in ea perfectionis, de quo dixi *com. ad q.* 21. ergo non est deneganda intellectui, cognitiua perfectissimę. Explicatur vtrumque exemplo phantasię & sensus particularis; hic enim tantùm in obiecta existentia tendit, illa abstrahit ab hîc & nunc.

Abstractiua & intuitiua specie differunt. Dico secundò, abstractiua, & intuitiua specie differunt. Scot. 4. *d.* 49. *q.* 12. & 2. 55. & *d.* 3. *quæst.* 9. & 2. *Metaph. q.* 3. & 7. *Metaph q.* 5. & *quodl.* 13. *art.* 2. §. *Circa* s. Ratio, quia requirunt causas specie distinctas: illa fit à specie, hæc ab ea fieri nequit, ex eodem 2. *d.* 3. *quæst.* 9. *num.* 11.

Proquo nota, ex Scot. 4. *d.* 12. *ad* 5. speciem poni, vt suppleat concursum obiecti, non autem ob necessitatem potentiæ, quæ nihil ab ea recipit, 2. *Triplex necessitas ponendi speciem.*
sed suâ virtute concurrit cum obiecto, vnam causam totalem intellectionis cum eo constituens; ex Scot. 1. *d.* 3. *q.* 7. *num.* 20. §. *Ad quæst.* hæc autem suppletio vna ex tribus causis fit. Prima, quando obiectum non est de se intelligibile, sed sensibile, necessaria est species, vt proportionetur potentiæ spiritnali, ex Scot. 1. *d.* 3. *q.* 6. *num.* 10. Secunda, quando obiectum intelligibile est absens. Tertia, quando est intelligibile & præsens, tamen disproportionatum potentiæ, nisi ponatur in ea species, actus intelligendi non erit in eius potestate. Scot. 2. *d.* 3. *q.* 9. *ad vlt.* hac ratione putat datam fuisse Angelu in via speciem, repræsentantem diuinam essentiam abstractiuè.

An species sit causa intuitionis. Ex quibus videtur sequi, speciem non esse causam intuitionis, sed effectum præuium: quod tenet Bargius 1. *d.* 3. *q.* 6. *ad* 2. & idem ait consequenter de specie sensibili. Ratio est, quia obiectum quando adest, non eget aliquo supplente eius vicem. Præterea, species non potest totam vicem obiecti supplere ad intuitionem, alioquin fieret intuitio absentis. Nec valet, si dicatur partialiter concurrere cum obiecto; quia tunc species subordinaretur obiecto, vel è contra; & neutrum commodè dici potest. Neque etiam dici potest, quòd sint causæ eiusdem rationis, quia tunc species perfectior, sine obiecto sufficeret.

Fateor hoc non videri dictum sine fundamento in Scoto, tamen nihil certum ex eo habetur 3.
circa hoc; quia *quodl.* 15. *art.* 1. §. *Si verò*, dubius manet, an res actu intelligibilis cum intellectu totaliter concurrat ad sui intuitionem, an verò species aliquid efficiat; videtur tamen tenere talem rem totaliter suam speciem efficere, sine vllo intellectus concursu. *Res spiritualis totaliter suam speciem efficit in intellectu.* Sed siue species concurrat, siue non, ad intuitiuam: saltem obiectum ad eam concurrit, vel totaliter, vel partialiter immediatè; quod sufficit vt censeantur intuitiua, & abstractiua specie distinctæ; quandoquidem aliquid alterius speciei quasi essentialiter requiritur ad vnam, & non ad alteram; quia ad intuitiuam requiritur obiectum præsens, non ad abstractiuam.

Maior difficultas est, an intuitiua haberi possit etiam de potentia Dei, absente obiecto. Affirmat Vasquez 1. *par. d.* 38. *cap.* 5 Molin. 1. *p. q.* 55. *art.* 2. *d.* 2. *Metaph.* Hurtado *d.* 10. *sect.* 2. Buridan. 2. *de Anima. q.* 15. Leucbet. 2. *d.* 1. *q.* 4. *ad vlt.* Occam. Alij oppositum tenent.

Dico tertiò, satis probabile est talem visionem, 4.
seu actum intuitiuum poni posse a Deo, absente obiecto. Colligi videtur ex Scot. *loc. cit. sect.* 8. & 4. *d.* 10. *q.* 9. & *quæst* 5. §. *Ad quæst.* vbi ait omnem formam absolutam poni posse a solo Deo: & ex ipso *ibi*, & *quodlib.* 13. cognitio, omnisque

Visionem posse à Deo produci sine præsentia obiecti.

operatio est qualitas absolnta. de qoo dixi *sect.* 3. *con.* 1. *&* 2. Probatur, quia potest Deus conseruare prius sine suo posteriori, quod non est et idem realiter, ex Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 14. *&* 2. *d.* 1. *q.* 4. *num.* 21. Tertiò, potest Deus snpplere vicem omois caosæ secundæ io genere efficientis; etgo & vieem ohiecti ad iotuitiunm. Quartò, in boe nulla est eontradictio, vt patet soiuendo argumeota; ergo non est denegandum Deo.

Ohiieitur primò, illa cognitio tone esset abstractiua, quia esset obiecti non vt præsentis; eonsequens est falsum, quia istæ scientiæ specie distinguuntur; & pet eonsequens vna noo potest esse alia. Respondetur, si teneator per talem actum obiectum eognosei, dieendum est adhue esse intuitiuum; quia quantum est de se, faceret iotellectum actualiter intuentem; & hoe tantùm est ei intrinseeum, non autem quocumque easu esse actualem intuitionem. Dixi, *si teneatur per talem actum obiectum cognosci*, quia fortè oppositú verum est. de quo dixi *sect.* 4. *dub.* 4. & tenet Leucher. cit.

5\. *Quis effectus formalis intuitionis?*

Obiieitur, effectus formalis actus intuitiui, est faeere intuentem, sicut alhediois facere album; quia intneri, vel intelligere noo eonsistit in *elicere*, sed io reeeptiooe visionis, vel iotellectionis, ea Seoto 1. *d.* 3. *quæst.* 6. *& passim*; ergo implicat poni in subiecto actum intuitiuum, quin illud sit intuens. Respondetur, negando hune esse primarium effectum buins actus, sed aliquem alinm innominatum, sicut de specie sensibili in medio dicit Scot. 2. *d.* 13. de qnu suprà in simili, *sect.* 7. *dub.* 4. *in* 2. *modo dicendi*.

Obiieitur tettiò, ille actus habet omoem entitatem, quam haberet, si obiectum esset præsens: ergu & omnem reptæseotationem. Antecedens probatur, quia eognitio, & verbum non dicit respectum realem ad rem significatam, vel eonceptam, ea Doct. 1. *d.* 32. *q.* 2. *& d.* 27. *q.* 3. sed benè ad eognoseentem: etgo nihil ei perit absentiâ obiecti; & per consequeos eodem modo reptæseotabit, siue adsit, siue absit. Respondetur, ibi deesse relatiunem realem dependentiæ ad obiectum præsens eaistens, defectu euius non est actualis intuitio. Contrà, ista dependentia est effectus à causa; etgo à Deo supplebilis. Respondetur, suppleri potest, ita vt pooatut effectus sine illa causa; tamen quoad eonnotationem, & denominationem iotuitionis, suppleri oequit. Sicut enim Deus potest supplere eoncursum patris, respectu eius, qui est filius, ereando illum, oon tamen facere quòd sit filius patris, sine generatione paterna: sic potest faeere actum intuitiuum sine obiecto, vt tamen eaereeatur iotuitio actualis, & quasi geoeretur, vt filia obiecti, sioe ipso nequit fieri.

Quomodo Deus potest supplere vicē obiecti, ad visionem?

6\. Coottà, ad intuitionem ereaturæ io essentia diuina, si hæc eausaret visiooem, oon teqniritur eius præsentia propria ad terminandum actum, ex Scot. 4. *d.* 10. *q.* 5. *num.* 4. ergo. Respoodetur primò, ibi non esse proptiam, & rigorosam intuitionem. Secundò, præsentiam ereaturæ ibi contineri eminentet, & perfectiori modo, quàm io seipsa. Contrà hæc

Obiicitur quartò, sequi, etiamsi poneretur præsens illud obiectum, quòd adhuc actus non repræsentaret illud actualiter; quia non mutaretur realiter per hoe. Respondetur, tune influeret eonseruando, & quasi aggenerando actum, eúmque terminando. Contrà, idem faceret obiectum euiusque actus abstractiui, si pooeretut præsens; ergo non differunt specie isti actus, contra secundam eonclusionem. Responderur, ratio satis probabilitet ostendit, non distingui specie quoad absolotum, sed tantùm quoad formalitates respectiuas; & sie intelligendā esse secundā cooclusionem.

Vrgetur non distingui abstractiuā, & intuitiuam scientiam.

Secundò dico, actum abstractiuum oon esse eapacem talis influxus, quia naturâ suâ, etiam quoad absolutum, petit non fieri ab obiecto præsente, sed ab aliquo supplente vieem eius: & de visione beata, compatata ad intellectionem abstractiuā de Deo, boc magis certò tenendum videtur.

7\. Dices, iuxta dicta, non intnitiuum, sed potiùs abstractiunm actum suppleri à Deo; quia tantùm fit à Deo actus, quo res repræsentatur, abstrahendo ab existentia, & præseotia; hoe autem fieri potest à specie obiecti, sine vllo Dei speciali concursu. Respondetur, actum illum de per accidens repræsentare rem, sine existentia, & præsentia; quia de per se petit, & ex natura sua, hæc repræsentare; & quaodo non potest hoc præstare, vt in casu, facit quod potest, rem ipsam repræsentaodo, non vt hîc, & nunc. At actus abstractiuus, de per se tantùm rem ipsam repræsentat, & nullo modo præsentiam, vel eaistentiam. Verùm, quia couiecturis tantùm proceditur, posset diei, vieem obiecti præsentis suppleri posse à Deo, ita vt actus verè esset intuitiuus, loquendo de repræsentatione, seu apptebensione simpliei, non eomposita; quia talem actum posset Deus se solo infundere, non tamen posset supplere vieem obiecti præsentis quoad actum compositom, oeque bune infundere; quia esset author falsi, qnod repugnat: de quo 2. 2. *q.* 1. *art.* 3. *&* 3. *d.* 38. vbi vide *Schol. nostrum, n.* 6. Pro hoe est Suarez 3. *de Anima, cap.* 12. vbi tenet virtute diuina sensum exteroom posse habere actum in absentia obiecti: eóque easu Deum tantùm permittere deeeptionem; si tamen actum eompositum causaret Deus, vel suppleret obiecta respectu ipsius, videtur quòd autbor foret falsi: quod expresè repugnat: quidquid dicat Vasquez 1. 2. *d.* 90. *cap.* 4. vbi tenet posse Deum infundere actum erroris; si aliquem infundere potest: quod minùs aduertenter dictum est. Hinc enim sequitur non repugnare, reuelare falsum, & consequenter dicta Dei non esse infallibilis: nec ipsum infallibilem testem.

Fortè Deus potest facere intuitionem sine obiecti præsentia.

SECTIO XII.

Quid sit voluntas, & quod eius obiectum?

HÆc est secunda pars huius disputationis, in qua de voluntate agendum. Nota ex dictis *sect.* 2. *disp.* 2. præter appetitum naturalem communem omni creaturæ, esse in quolibet cognoseeote appetitum vitalem, seu potentiam specialem; quia vitaliter apperit commoda, & fugit noxia. Cùm autem ex eognitione velut ex fonte hæc potentia dimanet, iuxta diuersitatem cognitionis, & ipsa variatur; & hine datur appetitus sensitiuus sequens sensationem in brutis; & rationalis, seu intellectiuus io Angelis, & vtrque in bominė. Ita communis Philosophorum, & Theologorum; & hoe quoad vltimam partem de fide esse videtur: ex vatiis Scripturæ locis. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis*, &c. Galat. 5. *Caro concupiscit aduersùs spiritum*, &c. Matth. 17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, & Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas ne abeas*. Ex quibus expresè habetur io homine duos 1.

In omni cognoscente est appetitus vitalis.

In homine duos esse appetitus fides docere videtur.

esse

esse appetitus, & contrarius: quorum alter, scilicet rationalis, dicitur voluntas.

Voluntas sumitur multipliciter.

Nota secundò, quòd voluntas multipliciter sumitur: primò, pro hac potentia condistincta contra intellectum. Secundò, pro ipsa volitione; quo sensu dixit August. 1. *Retract.* 9. *&* 11. *Nihil tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas.* De quo Scot. 1. *d.* 1. *quæst.* 4. §. *Contra* 1. *art. num.* 3. Tertiò, pro appetitu sensitiuo, ex Doct. 3. *d.* 17. Et sic sumitur impropriè; & ideò cùm definitur *in VI. Synod. act.* 8. *&* 11. inesse Christo duas voluntates, sermo est de rationali, & diuina.

Quid sit voluntas.

2\. Dico primò, *voluntas est appetitus cum ratione liber.* Ita Scot. 3. *d.* 17. D. Thom. 1. *par. quæst.* 63. *art.* 5. Quòd sit appetitus, patet ex 1. *notab.* & *ex sect.* 2. *disput. praeced.* Per particulam, *cum ratione*, differt à sensitiuo; particula, *liber*, ad maiorem explicationem ponitur; vel quia, si fortè voluntas violentatur, in eo videtur magis esse dicendam naturam, quàm voluntatem, vt quando consideratur secundùm affectionem commodi, non iustitiæ. de quo Scot. 2. *d.* 6. *quæst.* 2. vel vt est inclinatio naturalis. Scot. 3. *d.* 17. August. *lib. de duabus animabus*, *cap.* 10. sic diffinit voluntatem; quòd *est animi motus cogente nullo ad aliquid non amittendum, vel adipiscendum.* quæ definitio benè explicata in idem recidit.

Diffinitio voluntatis secundum Aug.

Obiicies, appetitus est imperfecti, quia respectu eius, quod non est; sed voluntas est perfecta, alioquin non esset in Deo, vel Beatis. Respondetur, appetitum, quo aliquid ab appetente distinctum desideratur, supponere eius rei indigentiam; & voluntas creata sub hoc respectu imperfecta est, diuina verò non, quia nullius indiget.

Voluntas, vt imperfecta, appetit distinctum.

3\. Obiicitur secundò, appetitus mouetur, & ducitur; sed voluntas ducit, & mouet se, & alias potentias; ergo non est appetitus. Respondetur, sensitiuus ducitur, & non ducit, intellectiuus è contra, ex Damasc. *lib.* 2. *cap.* 22. 23.

Voluntas ducit, appetitus ducitur.

Bonum esse obiectum voluntatis.

Dico secundò, *bonum* est obiectum voluntatis. Ita Aristoteles *in princip. Ethic. & lib.* 3. *cap.* 1. vbi habet illud, *omnis prauus est ignorans*: quia malum semper sub ratione boni appetitur. Alia loca, & rationes ad hoc adduxi *disp. praced. sect.* 3. vbi ex Scot. ostendi voluntatem non posse velle malum, neque nolle bonum; & esto in variis locis manserit circa hoc dubius 3. *d.* 33. *num.* 6. expressè habet bonum vt sic esse obiectum voluntatis, & bonum particulare, seu vt hîc, & nunc, appetitus.

Omne nolle supponit velle.

Obiicitur, voluntas tendit in malum, saltem nolendo; ergo bonum non est eius obiectum adæquatum, quia non continet sub se malum. Respondetur, materialiter tantùm tendit in malum, quia omne nolle supponit velle, ex Scot. 2. *d.* 6. *q.* 2. *num.* 3. §. *In ista quæst.* & ideò ponitur nolitio, seu fuga mali, quia posita est volitio boni, sicut appetitur medium propter finem; & secundùm hoc *bonum* est obiectum adæquatum voluntatis. Simile est de intellectu, ponendo *verum* esse eius obiectū, quia cognoscit falsum materialiter, quia in eo nō est verum. Per habitus enim cognoscuntur priuationes, & malum est priuatio boni.

In malum tantùm materialiter tēdit voluntas.

4\. Obiicitur secundò, voluntas libera est; libertate contrarietatis, & contradictionis, in ordine ad omne obiectum, saltem in via: ergo potest circa bonum ostensum habere velle, & nolle, vel nullum actum. Et idem est de malo. Respondetur, potest etiam nolle quod est bonum, saltem creatum, sed nō sub ratione boni, sed mali alicuius, veri, vel apparentis. Et idem est per oppositum de malo.

Quomodo voluntas est libera cōtrariè circa omne creatum?

Contrà, non necessitatur ratione ipsius bonitatis, vel malitiæ; ergo potest hanc velle, & illam nolle. Respondetur, ad hæc necessitari necessitate specificationis, sicut & omnis potentia circa suum obiectum, non tamen exercitij, in quo ab aliis differt.

Obiicitur tertiò, appetunt damnati non esse, & sæpè desideramus impossibile; hæc autem mala sunt, quia bona esse nequeunt. Respondetur suprà *disp.* 2. *sect.* 3.

Quomodo volumus peccatum?

Obiicitur quartò, voluntas vult peccatum; hoc autem est malum: ergo. Respondetur, vult 5. materiale peccati, quod est bonum, vel sub ratione boni ostensum, & malitiam in se non vult: imputatur tamen ei in peccatum, quia vult id cui est annexum, de quo latiùs in materia de peccatis. Vel clariùs, volumus malum, sed sub ratione boni, vt cùm optamus mortem inimici ratione boni nostri, & è contra, nolumus bonum inimico, attamen ratione mali ipsius, sed vltimatè ratione boni nostri, quia malum illius reputamus bonum nostrum: per quod soluitur aliud argumentum de obduratione damnatorum ad malum: quia sub ratione boni sui in malum tendunt.

Quatuor bonitates.

Pro maiori huius rei explicatione, Notandum, quòd bonum non vno, sed variis modis sumitur. Scot. 2. *d.* 7. *num.* 7 *& quodl.* 8. *art.* 7. tres ponit bonitates; naturalem, & moralem, & meritoriam. Prima dicit tantùm entitatem. Secunda, conformitatem cum recto dictamine, & aggregationem omnium, quę secundùm illud debent adesse. Scot. 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 3. *&* 2. *d.* 40. *n.* 3. Tertia ex inclinatione gratiæ ius addit ad accipiendum præmium.

Tres etiam malitiæ his oppositæ dantur, & per 6. opposita harum explicantur. Tertia bonitas vocatur à Scoto *quodl.* 17. charitatiua, & gratuita *quodl.* 18. Assignat etiam quartam bonitatem, quæ dicitur beatifica 4. *d.* 49. *q.* 2. *n.* 22. Item, ex eodem duobus vltimis locis bonitas alia est primaria, seu essentialis; vt quando nihil deest spectans ad primum *esse* rei; & hæc est ipsa rei quiditas, ex Scot. 1. *d.* 1. *q.* 2. *ad* 2. *princ.* Alia secundaria consistens in integritate conuenientiæ vnius rei respectu alterius, vel quando nihil deest ad secundum *esse* rei. Dixi *respectu alterius*, quia integritas, & perfectio entis in se est ipsa quiditas, seu bonitas essentialis, ex Scot. *d. quodl.* 18. Pro quo

Bonitas primaria, & secundaria.

Res dicitur bona tripliciter.

Nota secundò, rem posse perfici, vel bonam esse tripliciter. Primò essentialiter, sic homo ex anima, & corpore. Secundò, substantialiter ex partibus integrantibus. Tertiò, accidentaliter ex accidentibus rei conuenientibus, tam in actu primo, quàm secundò. Omne ens est bonum primo modo, & sic intelligitur August. *lib. de natura boni, cap.* 16. dum ait nullam naturam esse malam, quia eo ipso quòd corrumpatur, natura non est. Secundo & tertio modo tantùm creaturæ spirituales possunt non esse bonæ. Bonum primo modo dicitur bonum bonitate absolutâ: aliis duobus modis, dicitur bonum relatè.

Bonitas absoluta, & respectiua.

Nota tertiò, bonum etiam sumi pro apto nato, 7. vt appeti possit, seu pro appetibili, ex Scot. 4. *d.* 49. *q.* 2. *num.* 19. *& seq.* vbi docet aliud esse appetibile propter se, aliud propter aliud, & dari vltimum appetibile, ne detur processus. In huiusmodi respectu, seu appetibilitate, videtur consistere bonitas transcendens, quæ est passio, seu proprietas entis; & dixi in simili de vero *sect.* 7. *&* 8. Item, ponit bonum sumi pro delectabili *d.* 48. *q.* 1. *n.* 6. sed pro quadam specie boni sic sumitur.

Bonum de appetibili, & delectabili.

Bonum honestum, & delectabile.

Nota quartò, bonum aliud esse honestum, aliud commodum, seu delectabile. Ita Scot. 4. *d.* 46. *q.* 4. §. *Ad quaest. num.* 4. vbi non distinguit vtile ab his, quamuis 8. *Ethic.* 2. ponatur tertium bonum. *Quia* (inquit) *ad alterum horum reducitur, secundùm quod ad ipsum ordinatur.* Omne honestum, est delectabile; sed non è contra. Quòd verò sumat Doctor commodum pro delectabili, ex eo patet; quia distinguit illud ab vtili: & sic sumit Anselm. 1. *de concord. lib. arbitr. & praedestin.* dicens, *Quidquid vult* (voluntas,) *aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult.* Idem habet *de casu diaboli, cap.* 4. *&* 15.

8. *Bonum verum, & apparens.* Nota quintò, ex Doct. 3. *d.* 53. *num.* 4 *&* 3. *d.* 33. *num.* 6. quòd bonum aliud est verum, scilicet, cui à parte rei conuenit bonitas aliquo sensu ex dictis; aliud apparens, scilicet quod in re bonum non est, sed vt tale apprehenditur, & voluntati proponitur. Voluntas tendit in bonum omnibus praedictis modis sumptum, & eius adaequatum obiectum est bonum abstrahens ab omnibus illis.

Bonum an sit idem cum fine? Petes, vtrùm bonum, quod est obiectum voluntatis, sit idem cum fine? De hoc disputatur 1. 2. *quaest.* 1 *art.* 1. & controuertitur, an in medio sit aliqua propria bonitas. Verius mihi videtur solum finem esse rationem motiuam voluntatis; & media, quà talia, tantùm esse terminatiua. *An medium mouet voluntatem?* Colligitur ex Aristotele 2. *Physic. cap.* 3. *&* 1. *Ethic. cap.* 7. nam primo loco ait finem, & bonum idem esse; & secundo loco, *illud esse cuique bonum, cuius gratia operatur.* & ex Scot. 4. *d* 46. *quaest.* 4 §. *Ad quaest. num.* 4 vbi non ponit vtile, vt bonum distinctum ab honesto, & delectabili; *quia* (inquit) *ad alterum horum reducitur, ad quod ordinatur, &* 3. *d.* 18. *ad* 3. vbi ait solam bonitatem Dei mouere ad amorem charitatis proximi. Vnde, cùm vnum medium praefertur aliis, aliquid in se continet bonitatis, praeter meram vtilitatem, verbi gratia, cùm praefero equitationem peditationi, vt eam Ierosolymam, praeter vtilitatem est ibi bonum delectabile, & sic de aliis mediis, per quod soluitur fundamentum, quo innititur Vasquez 1. 2. *d.* 1. *cap.* 2. ad oppositum. *Media sine vlla mutatione Physica fiunt inutilia quae antea fuerunt vtilia.* Praeterea, quia constat, sublato fine, tolli omnem bonitatem medij: & media, quae sunt vtilia, immutata Physicè, fieri inutilia per solam mutationem finis: verbi gratia, potio amata, recuperatâ sanitate, fit inutilis, quę antea, manẽte infirmitate, fuit vtilis.

9. Dices, etsi media propter finem appetantur, alioquin media non essent, tamen vnum aliis praefertur; quia in se vtilius est ad finis assecutionem; ergo non tantùm propter bonitatem finis eligitur, alioquin cùm finis sit idem, & immutatus, aequaliter omnia media appeterentur. *Quomodo vnum medium praeferatur aliis, si non habet propriam bonitatem?* Contrà, si propter se appetitur medium, quod praeeligitur, iam non est medium; si propter aliud; ergo praecisè propter finem. Quando verò vnum medium aliis praefertur; tunc vel in eo apparet aliquod bonum delectabile, vel honestum, vt in exemplo: vel finis magis mouet, vt intensiùs respectu medij aptioris; & sic non est immutatus moraliter: verbi gratia, cùm proponitur bonum, complacet in eo appetitus, si ostendatur assecutio eius possibilis, intendit illud, & si media facilia, & apta occurrant, intensè intenditur; si autem difficilia, & incommoda occurrunt, vel impediunt, vel remittunt intentionem, de quo latè 2. *Physic.*

An intentio & electio differant? Dices, hinc sequi intentionem non distingui realiter ab electione. Respondetur, ita est, quidquid dicat Vasquez 1. 2. *d.* 33. quia in omni electione, id quod mouet, est bonitas finis, & actus dicitur intentio, quatenus tendit in finem, & electio, quatenus in medium. Verùm si intenditur finis nullis mediis in particulari ostensis, & postea factâ consultatione, determinatur medium: actus, quo hoc eligitur, est noua intentio, à priori re distincta. Ita Bon. 2. *d.* 3. *dub.* 4. Ric. *art.* 3 *q.* 4 Dur. *q.* 3. Aegid. *art.* 3. Occam 1. *d.* 1. *q.* 1. *dub.* 5. Gabr. *q.* 1 *art.* 1.

Sed aduerte, hîc sumi finem, non ita rigidè, quòd solùm significet obiectum fruitionis, ita vt expressè, & positiuè propter se appetatur: quia Scot. 1. *d.* 1. *q.* 3. §. 2. *differentia, num* 2. ponit actum voluntatis neutrum absque actuali relatione ad aliud, & fruitione propter se. Quod etiam tenent Aureol. *ibi*, & Gabr. *d.* 1. *q.* 1. & Occam *d.* 1. *q.* 1. sed Scotus per actum illum intelligit simplicem complacentiam, quia subiungit: *vlterius potest* (voluntas) *imperare intellectui, vt inquirat, quale illud bonum sit, & qualiter volendum, & tunc potest illi assentire sic, vel sic.* Ex quibus verbis patet manifestè loqui de simplici affectu, vel complacentia rei, quae habetur, antequam eliciens actum resoluit, an eam appetat propter se, vel propter aliud. 10. *Actus neuter qui non sit finis nec medij.*

Dico tertiò, satis probabile est ipsum ens esse obiectum voluntatis. Ita Scot. 1. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *&* 2. *d.* 3. *q.* 10. *num.* 10. *& d.* 6. *q.* 1 *n.* 2. sed dubius mansit 1. *d.* 3 *q.* 3. *num.* 25. Ratio est, quia aequè vniuersalis potẽtia est volũtas, ac intellectus: ergo quidquid proponit intellectus, potest voluntas in illud tendere; at potest proponere ens vt sic: ergo. *An ens possit esse obiectum voluntatis?*

Dices; ergo voluntas potest velle non bonum. Respondetur, ens esse bonum virtualiter, quod sufficit. Contrà, non potest velle, nisi appetibile, seu volibile; sed hoc est formaliter bonum. Respondetur, non posse velle, nisi volibile in re, & tale est ens vt sic, & omne ens; tamen potest velle, vel complacere in ente, non ostensâ sibi istâ appetibilitate; & tunc tendit in ipsum ens praecisè. Et suadetur adhuc ex Scoto suprà 1. *d.* 1. *q.* 3. ponente actum neutrum, qui non sit vsus, nec fruitio; quia sicut proponi potest bonum, abstrahendo, an propter se, vel propter aliud; ita etiam proponi potest ens, non propositâ eius conuenientiâ, vel inconuenientiâ; & non dicendum, quòd voluntas circa illud, nullum actum elicere possit. 11. *Potest voluntas velle ens, sine expressa ratione boni.*

Secundò, alioquin intellectus esset perfectior voluntate; quia eius obiectum, scilicet ens, perfectius est sua passione; consequens est contra Scot. 4. *d.* 49. *q.* 4. de quo *sect.* 1. Hanc tenent communiter Scotistae. Vide Bargium 1. *d* 3 9. §. *Media autem ratio.* Leuchet. 2. *d.* 6. *q.* 1 *princ.* 3. Scot. *d.d.* 6. *q.* 1. sit totum ens esse obiectum voluntatis, & tamen *quodl.* 14. dicit tantùm ens finitum esse obiectum intellectus: ergo obiectum voluntatis excedit. Respondetur, totũ ens terminatiuè esse obiectum intellectus: & nihil esse obiectum volũtatis, quod non priùs fuit in intellectu: & sic obiectũ vtriusque est aequale, & idem. Vide Leuchet. citatum.

Sectio XIII.

De dependentia actuum voluntatis ab actibus intellectus.

1. *Varij sunt actus voluntatis.* Nota ex Scot. 2. *d.* 1. *q.* 3. *num.* 2. in voluntate varios esse actus. Primus est fruitio, seu volitio obiecti propter se. Secundus est vsus, seu volitio eius propter aliud. Tertius actus neuter, qui

qui non sit medij, nec finis; & is, vt dixi, videtur esse simplex complacentia; & iuxta vltimam conclusionem *sect. praced.* potest esse neuter, ita quòd non apprehendatur obiectum, vt conueniens, nec disconueniens. Nec obstat si dicas, complacentiam semper esse in bono, vel conuenienti; quia sufficit virtualis, seu fundamentalis bonitas, vel conuenientia, & non requiritur formalis ostensa; alioquin appetitus sensitiuus non posset complacere in obiecto, quia talis conuenientia, quasi reflexo non potest ei proponi. His addit Scotus quartum, nempe delectationem, quæ sequitur actum perfectum, ex 10. *Ethic. cap.* 4. 5. sed hæc non est actus elicitus, neque operatio, ex Scot. 4. *d.* 49. *quæst.* 7. vbi docet eam separari posse à visione beata. Et idem habet 1. *d.* 17. *quæst.* 3. *num.* 11. *&* 3. *d.* 15. §. Aliter post, *num.* 8. A quibus autem causa fit, controuertitur. Scot. tenet non fieri à potentia, de quo dixi *comment. ad q.* 11. sed 1. *d.* 17. *q.* 3. *ad* 4. *pro opinione num.* 34. videtur sibi contrarius, ibi, *Delectatio est ab obiecto, & non tantùm à potētia.* Bargius ibi putat ly (*tantùm*) mendosè positum; quia principium apud Scotum est, *quodl.* 16. *&* 1. *d.* 8. *q.* 4 *&* 2. *d.* 25. Quando principium naturale concurrit cum libero, totam actionem esse liberam; at constat delectationem non esse liberam.

Delectatio à quo causatur?

Quando causa naturalis concurrit cū libera, tota actio est libera.

Sed dici potest, quòd illud obiter asseruit, respondens illi argumento, quia non *ibi*, sed 3. *d.* 15. res declaranda erat; quod etiam notauit Bargius. Prima solutio fundari potest in textu; quia argumentum intendit non dari habitum charitatis; quia nemo experitur per eum se delectabiliter operari. Contingit enim contemplatiuos cum æquali, vel maiori conatu, minùs delectari. Et respondet Scotus causam esse, quia delectatio est ab obiecto, & non à potentia; vnde si poneret ly *tantùm*, non redderet rationem sufficientem; quia si etiam particulariter concurreret potentia, deberet operans experiri delectabilitatem operationis.

Secundò Scot. 4. *d.* 14. *q.* 2. *n.* 18. §. *Si quæras*, videtur ponere tristitiam effici à voluntate; & idem erit secundùm eum de delectatione, *ex locis citat.* ait enim, quòd is, cuius appetitus sensitiuus non facilè dolet, eius voluntas non facilè tristatur: ergo tristari est actus voluntatis, alioquin non esset in manu eius facilè, vel difficilè tristari. Respondetur, actum nolitionis mali, esse in manu voluntatis; & quando appetitus intensè delectatur de aliquo obiecto, voluntas impeditur à nolitione intensa appositi mali, & consequenter à tristitia illam sequente. Ex quo non habetur, tristitiam esse actum voluntatis, subest tamen ei mediatè, & eius causa, nolitio immediatè.

3\. *Quomodo cum minori conatu voluntatis, detur delectatio maior?*

Sed difficile est, quod ait Scot. 1. *d.* 17. *quæst.* 3. *ad* 4. aliquando cum maiori conatu voluntatis delectationem esse minorem, & è contra; quia in ipsius sententia causa immediata delectationis est naturalis, non libera; & licet ponat esse obiectum, intelligi videtur de causa remota; & certum est, obiectum non existens, vel sensibile, non causare Physicè aliquid in voluntate. Videtur mihi sic intelligendum esse Scotum, quòd quando conatus voluntatis est maior, vel æqualis, potest delectatio esse minor, modò apprehensio sit remissa. Quod ex ipso colligo. Primò, quia ibi subiungit: *Nunc autem quando obiectum non est præsens in se, sed in ænigmate, potest ab eo delectatio diuersimodè causari, nunc plus, nunc minùs.* Certum est non causare Physicè, vel mediatè, quod non est in se præsens; ergo eatenus causat delectationem, quatenus eius apprehensio ad eam concurrit. Secundò, Scotus 1. *d.* 1 *q.* 4. *ad* 4. *&* 3. *d.* 15. §. Præter illum, *num.* 16. tenet, vt probabile non requiri ad delectationem, volitionem obiecti, neque nolitionem ad tristitiam, sed sufficere apprehensionem obiecti conuenientis, & disconuenientis. Quà ratione delectatio surreptitia præcedit quandoque omnem actum liberum voluntatis; quo casu non est assignabilis ei causa, præter apprehensionem, supposito, quòd potentia eam non causet: & sic stare potest cum minori conatu voluntatis, poni intensam delectationem, si apprehensio sit talis.

Tertiò, tenendo, quòd verius est, apprehensionem, & actum voluntatis simul esse immediatas causas delectationis, vt habet Doctor 2. *d.* 14. *q.* 1. §. Supposito ergo, *num.* 12. 13. *&* *d.* 44 *q.* 2. *num.* 7. stat cum maiori conatu voluntatis, minorem esse delectationem, vel è contra, ob intensionem, vel remissionem alterius concausæ.

4\. *Apprehensio & actus voluntatis immediata causa delectationis.*

Dices sic admitti cognitionem Physicè concurrere ad aliquid in voluntate producendum. Respondetur, non esse absurdum; & videtur necessarium ad saluandum Doctorem. Adde ex ipso 2. *d.* 25. §. Ad illud de balneo, *num.* 21. non esse improbabile cognitionem concurrere, etiam ad actum voluntate, de quo postea: & multo minùs ad delectationem eius, quæ non est actus.

Cognitio an concurrit ad actum voluntatis?

Sed habet Scotus alium locum, 4. *d.* 14. *quæst.* 2. *num.* 18. §. *Ad propositum*, cui dicta solutio, & expositio non potest satisfacere. Ait enim, etiam quando intellectus considerat, & voluntas detestatur peccatum, interdum non sequi tristitiam, non ea causa relata, sed ex eo, quòd voluntas conformatur appetitui sensitiuo, & si hic non est aptus ad dolendum, impeditur illa à tristando. Respondetur primò, quòd expositio assignata posset etiam hic habere locum, quia quando appetitus inferior delectatur de suo obiecto, verbi gratia, gulæ, vel luxuriæ, intellectus minùs perfectè considerat eius malitiam; & sic parua, vel nulla sequitur tristitia in voluntate, quia dependet à consideratione intellectus, & à propria detestatione, quæ tunc imperfecta est, tam ex parte intellectus, quàm ex sympathia ad appetitum, intensè circa oppositum, operantem. Scotus autem ibi ait tristitiam impediri quandoque propter multas causas, & ideò non præcisè ex parte appetitus oppositi. Secundò dico, si ponatur consideratio, & detestatio mali iam positi, sequitur proportionata tristitia; sed quando appetitus inferior, vehementer in oppositum obiectum fertur, censetur parua, vel nulla, quia statim euanescit, non immediatè, sed priùs causis eius cessantibus, scilicet consideratione, & detestatione mali. Et hæc expositio quadrare potest etiam illi loco ex *d.* 17. *primi* adducto. vbi Doctor adhuc non videtur resoluere, quid tenendum esset de causa delectationis, vt iam notaui. Sed *in lib.* 3. id remisit. Quod ibi dicit in iis, qui orationi, & contemplationi vacant, aliquando magnam delectationem oriri ex remisso actu, verum esse potest, & experientiâ constat; sed id ascribendum erit Deo, qui in dulcedine sua parat pauperi. Vnde non semper est effectus actus præcedentis delectatio, sed sæpe à Deo datur, sicut inspiratio, & illustratio, vt alliciat paruulos, ne deficiant, sed sequantur fortiter id, cuius dulcedinem pergustarunt; iuxta illud, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.*

5\. *Difficilis locus Scoti, exponitur.*

6. Pro hac secunda solutione facit, quòd Doctor non asserat *d. loco ex 4. citato*, positis perfectè illis duabus causis tristitiæ, scilicet consideratione, & delectatione mali, eam oon sequi, sed tantùm ait *licèt moueantur*, (potentiæ considerandi, & detestandi) quòd potest intelligi de motione imperfecta, & inefficaci *quandoque non sequitur tristitia*, ratiooe iam dictâ, ex parte appetitus inferioris. Vnde, vt corollarium hinc infert, aliquando actum maximum Pœniteotiæ primo modo sumptæ, nimirum imperium applicandi dictas causas tristitiæ, poni sine tristitia: non tamen infert secundùm actum Pœnitentiæ, id est, considerationem, & detestationem intensè, poni sine tristitia: quod tamen inferendum erat, si io senso argumenti loqueretur.

Actus efficax & inefficax.

Nota secundò, qoòd actus alij sunt inefficaces, seu complacentiæ, qui non sufficiunt ad electionem mediorum, & aliquando præueniunt libertatem; vt quando sunt primò primi Alij sont efficaces, qui imperaot media. Vide Scot. 3. *d.* 15. *n.* 17. *&* 4. *d.* 49. *q.* 10. *n.* 12. *&* 2. *d.* 6. *q.* 1. docet actum inefficacem significari per, *vellem*, non quòd non sit actus absolutus, sed qoia tantùm deootas effectum insufficientem ad effectum.

7. Dico primò, omnes præfati actos, & delectatio dependent à notitia intellectus, ita vt nullum elicere possit voluntas sine tali notitia; ita communis. Scotus 1. *d.* 10. *n.* 14. *&* 2. *d.* 25. D. Thom. 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. August. 8. *Trinit. cap.* 4 *& lib.* 10. *cap.* 1. cuius est illud, *Nihil volitum quin præcognitum.* Probatur primò experientiâ, quâ nobis constat nos scire ea, quæ volumus, & nolumus; & manet de eis memoria. Secundò, appetitus sensitiuus non tendit in cognitum, immò quo intensiùs agit, eo perfectiùs appetitum cognoscitur, experientiâ id testante. Tertiò, in ecstasi, vbi minùs videtur necessaria cognitio propter abstractionem à sensibus, semper adest, vt docet August. *in Psal.* 67. *Ibi Benjamin adolescentulus.* Anselm. & Beda *in id* 2. *Corinth.* 5. *Siue mente excedimus*, & ipse Paolus testatur 1. Cor. 12. *Audiui arcana*, &c. Quartò, quia obiectum omnis potentiæ debet esse sibi præsens, nec aliter præsens potest esse volũtati, nisi per intellectionem. D. Bonau. 2. *to. Opusc. tract. de Mystica Theol. q. vn.* Gerson *alphab* 66. *lib.* 10. *& de Myst. Theol. lit. L.* & alij tenent perfectiores operationes voluntatis non indigere cognitione. Pro hac

In ecstasi est cognitio obiecti.

Obiicitur ex Dionys. 7. *de Diuin. Nom. & cap.* 1. *de Myst Theol.* vbi dicitur tunc perfectissimè hominem coniungi Deo, quando relictâ cognitione corporalium, & spiritualium, ei vnitur. Respondetur, tantùm vult Deum cognosci per dictam ignorantiam, quâ negantur omnia alia de eo, ita tamen vt sciatur esse aliquid nostram cognitionem excedens. Fateor in verbis Dionysij non malè fundati argumenta pro hac sententia.

Obiicitur secundò, amor non dependet essen-
8. tialiter à cognitione, cùm sit entitas absoluta: ergo non est negandum, quin Deus aliquando viris perfectis det amorem sui sine cognitione. Antecedens patet, quia potest Deus conseruare amorem à me elicitum, sine cognitione: ergo & producere. Vasquez 1. 2. *d.* 35. *cap.* 3. multis conatur ostendere, hoc repugnare, etiam de potentia Dei. Oppositum tamen verios puto, & secundùm Scoti mentem; quia potest Deus omnem formam absolutam ponere, & conseruare se solo (si non sit intrinsecè mala, vt odium sui, vel error) *ex loc. cit. sect.* 11. *concl.* 3. & io hoc casu tenent Palud. 4. *dist.* 49 *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 19. Ferrara 3. *contra Gent. c.* 89. §. *Ad euidentiam.* Nec adducit Vasquez ratiooem, quæ repugnantiam probet.

Non repugnat amorem poni sine cognitione.

Dico secundò, actus voluntatis oon dependeot à cognitiooe efficienter. Ita Scot. 2. *d.* 25. §. Dico igitur, *num.* 19. *& seq.* Capreol. *ibi q.* 1 *art.* 3. *ad* 2. *contr.* 1. *concl.* Ferrar. 1. *contr. Gent. cap.* 44. colligitur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. Probatur primò, quia voluntas est sufficiẽs causa suorum actuum, maximè si habet proprios habitos: ergo non est admittenda alia causa. Secundò, sequeretur quòd actos fidei infusæ causaret peccatum: verbi gratia, credo esse peccatum, negare Deum, & nullum actum habeo in intellectu, qoòd possibile est, saltem Deo sic disponere; consequens est absurdum, quia nulla caosa supernaturalis influit in peccatũ.

Cognitionem non efficere amorem nisi partialiter.

Vide plura apud Scot. *suprà*, qui fusè refutat
Gofredum asserentem phantasma causare volitionem, & alios asserentes fieri ab ipso obiecto. Marsil. 2. *quæst.* 16 *art.* 3. *contra* 2. teoet actus subitaneos voluntatis fieri à sola cognitiooe. Alij putant omnem eius actum fieri ab ipsa, & à cognitiooe simul. Gabriel. 2. d. 25. *q. vn. art.* 3. Cistercien. *q.* 3. *art.* 2. Caiet. 1. *par. quæst.* 80 *art.* 2. Molin. 1. *par. quæst.* 19. *art.* 2. *disput.* 3. Pro quibus 9.

Qui tenent actum voluntatis fieri à cognitione.

Obiicitur primò, ex Caietano. Verbum æternum producit amorem: ergo idem de verbo creato. Negatur conseqoentia, qoia Verbom Patris est substaotia, habens voluntatem, nostrum tale non est.

Obiicitur secuodò, effectos distinguitor specie per cognitiones: ergo efficiuntur ab eis. Negatur consequentia, quia possont facere ad talem distinctionem, repræsentando varia specie obiecta, sine influxu Physico. Tertiò, arguit Caietan. quia imperium est actus intellectus: ergo mouet Physicè voluntatem. Respondetur, antecedens est falsum, quia potiùs est voluntatis, ex Scot. 4. *d.* 49. *quæst.* 4. *num.* 16. *&* 2. *d.* 6. *q.* 1. Henric. *quodl.* 9. *q.* 6. Occam 3. *d.* 15. *art.* 3. *concl.* 3. & consequentia est nulla, qoia actus imperans non efficit imperatom, verbi gratia, internus, actum externum. de quo *disp. præced. sect.* 6. Futilia sunt hæc argumenta, quibus Caiet. à communi discedit; laboret vt secum trahat D. Thom. per me licèt.

Imperium actus voluntatis.

Obiicitur quartò, oon potest voluntas elicere actum sine cognitione, vt dictum est: ergo hæc efficit. 10.

Dices esse tantùm condisionem; quia cùm appetitus non posset facere obiectum sibi præsens, vt potest potentia cognitiua, eget operâ huiua, vt fiat præsens, & tunc elicit circa illa suâ virtute actom. Cootrà, sic dicere potes, lignum ad præsentiam ignis se comburere, & ignem esse conditionem, sioe qua non: & sic de alijs. Respondetur, lignum non posse se destruere, neque ad hoc habet principium; & ideò præsentia ignis non est conditio pura, sed applicat causam combustionis. Vide Scotom *d. d.* 25. *num.* 20.

Quare lignum non se comburat ad præsentiã ignis.

Dices; ergo præsentia obiecti ad intellectum, erit conditio, contra Doct. 1. *d.* 3. *q.* 7. Respondetur, cùm intellectus non præsupponat aliquando operationem circa suum obiectum, non potest habere aliam dependentiam ab eo, nisi efficientiæ; & idem est de sensu: secus est de appetitu, qoi ex natora sua præsupponit notitiam; sicut & intellectio pro hoc statu, imaginationem, quæ tamen in eam non influit.

Quare obiectum causat actum intellectus, & non voluntatis.

Obiicitur quintò, qoia relatio actiui, & passiui, 11.
mouentis,

Relationes oppositæ quando possunt esse in eodem?

mouentis, & moti sunt oppositæ: ergo non sunt in eodem. Respondetur, relationes oppositæ, quæ dicunt dependentiam simpliciter, vt causari ad causam, non possunt esse in eadem natura, vel supposito; oppositæ secundùm originem possunt esse in eadem natura infinita, sed non in eadem persona, vt in diuinis. Aliæ relationes oppositæ accidentales, possunt esse in eodem, & huiusmodi sunt mouentis, & moti, actiui, & passiui, saltem respectu rei spiritualis. vide Scotum 1. *d.* 3. *q.* 7. *ad* 1. *pro* 2. *opin.* & 2. *d.* 25. *num.* 17. & fusè 9. *Met. q.* 14. vbi habes septem propositiones, de his quæ agunt in se.

Cùm voluntas elicit actum, an resultet actio realis?

Dices; ergo ibi non est relatio realis: negatur, quia est inter voluntatem, & suum actum. Contrà; ergo non est actio realis de genere Actionis; quia hæc est respectus transmutantis ad transmutatum, *ex comment. ad q.* 7. & hæc duo hîc non distinguuntur realiter; ergo nec relatio erit realis, quia hæc petit extrema realiter distincta ex *Phil.* 5. *Met. cap. ad aliquid.* de quo latè Doctor 1. *d.* 31. Respondetur, Doctor hoc argumentum tetigit 1. *d.* 3. *quæst.* 7. *num* 5. & 2. *dist.* 25. *pro* 2. *opin. num.* 3. & fusiùs 9. *Met. q.* 14. & non soluit, sed tantùm asserit relationes mouentis, & moti non compati in eodem. Mihi videtur concedendum esse intentum argumenti, quia cogit.

12. Dices, ibi est effectus realis; ergo & realis actio. Respondetur, sumendo actionem pro respectu ad effectum, verum est: sed sumendo eam pro respectu transmutantis ad transmutatum, in quo secundùm Scotum propriè consistit actio de genere Actionis, falsum est.

Materia, & efficiens non coincidunt, exponitur.

Obiicitur vltimò, 2. *Physic. text.* 70. materia, & efficiens non coincidunt: ergo. Respondetur, cum Scoto 1. *d.* 3. *q.* 7. *num.* 29. intelligi de materia prima, non de subiecto in se agente. Secundò, ex eodem 9. *Met. q.* 14. intelligi de efficiente extra, vt distinguitur contra agens, quia agit in aliud.

Ad actû voluntatis non requiri iudicium.

Dico tertiò, sufficit ad actum voluntatis simplex apprehensio, & non requiritur iudicium compositionis. Ita Scotus 2. *d.* 6. *q.* 1. *ad* 1. 2. & 3. Gab *q.* 1. *art.* 3. est contra Caiet. 1. 2. *q.* 14. *art.* 1. & alios Thomistas vrgentes secum sentire D. Thomam. Probatur primò, quia sufficit talis apprehensio ad actum appetitus sensitiui. Secundò, experimur nos delectari ex obiecto impossibili apprehenso. Fatendum tamen ad actus efficaces requiri iudicium; nemo enim eligit media, nisi iudicet consecutionem finis esse possibilem, & hoc sensu exponitur Aristoteles 3. *de Anima, text.* 30. & 154. vbi videtur requirere iudicium.

13. Obiicies, quia sequeretur quòd quacumque apprehensione possemus sperare, vel timere, si non requiritur iudicium; & per consequens si apprehendatur beatitudo vt mala, poterit odio haberi. Respondetur, verum est, si res apprehendatur vt bona, vel mala; sed beatitudo non potest vt mala apprehendi, sicut nec ipsum bonum.

Defectus voluntatis non supponit defectum intellectus.

Dico quartò, defectus in actu voluntatis non necessariò supponit defectum in actibus intellectus. Scotus 3. *d.* 36. §. Contra hoc arguitur, *à num.* 12. vbi fusè probat dari posse dictamina prudentiæ sine actibus virtutis moralis consequentibus, & consequenter defectum in voluntate, sine præuio defectu in intellectu. Probatur primò, ex illo Luc. 12. *Seruus qui cognouit voluntatem Domini, & non fecit*, &c. & Iac. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* ex Aug. in id Psalm. 123. *Fortè viuum deglutiissent nos. Hi sunt* (inquit) *qui viui absorbentur, qui sciunt malum esse, & consentiunt.* Alia duo expressa loca August. vide ibi apud Doctorem ex Aristotele 2. *Ethic.* 2. *Ratio parum, aut nihil valet ad virtutem.* Ergo secundùm hos, stat defectum dari in voluntate, sine defectu in intellectu, alioquin non parùm, aut nihil, sed plurimùm valeret ratio ad virtutem, siquidem illâ rectè dictante, semper actus virtutis sequeretur. Ad idem est Augustin. 12. *Ciuit.* 6. vbi ait ex duobus æqualiter animâ & corpore affectis videntibus corporis alicuius pulchritudinem, alterum posse illicitè concupiscere, altero in casta voluntate perseuerante: & præcisam causam huius differentiæ ait esse, *vnum voluisse, alium noluisse à castitate deficere*; æquales autem animo non essent, si alter haberet perfectam obiecti scientiam, alter non; neque tunc refunderetur tota differentiæ causa in velle, vel nolle, sed in scire, vel nescire.

Duorũ æqualiter corpore & animâ affectorum, alter potest obiectum illicitum velle, altero id nolente.

Item, contra oppositam sententiam sunt tres articuli Parisienses, quorum vnum affert Doctor, nempe, *Stante scientiâ vniuersali, & in particulari voluntatem non posse velle oppositum, error.* Alter est, *Si ratio recta, & voluntas recta.* Tertius, *existente voluntate in vltima dispositione, quòd non possit in oppositum, error.* Probatur ratione. Primò, quia alioquin nemo esset exhortandus odio habere vitia, & amare virtutes, sed considerare; quia benè considerando, voluntas non potest non esse recta per se. Secundò, experientiâ constat aliquos peccare cum actuali dictamine, quòd melius esset non peccare. 14.

Parisienses condemnant asserentes, defectum voluntatis supponere necessariò defectũ intellectus.

Dices tunc efficaciùs proponi obiectum malum, & tunc voluntatem necessitari ad illud quoad specificationem. Contrà, sequitur hinc tolli omnem libertatem: si enim duo obiecta æqualiter repræsententur; voluntas neutrum malè potest amare, quia tunc non est defectus in intellectu, quem ais necessarium ad peccatum; & sic libertas specificationis auferretur; ac etiam exercitij, quia hæc est ad actum eliciendum, vel suspendendum, & tunc necessariò suspenditur; quia in malum æqualiter repræsentatum non potest per se tendere voluntas. Si autem inæqualiter repræsententur, tunc multò minùs erit libertas respectu obiecti minùs efficaciter repræsentati quoad specificationem; sed neque quoad exercitium, quia si efficaciùs proponitur peccatum, quàm abstinentia ab eo; hæc erit impossibilis, alioquin dares contra te, quod minùs efficaciter proponitur, eligi posse.

Minùs efficaciter propositum ab intellectu opponi potest.

Confirmatur, dum audio pulsum Missæ die Dominico, proponit intellectus Missam audiendam sub mortali, sine vllo errore; quo casu liberè possum omittere, peccando, sine vllo defectu intellectus. 15.

Dices, quòd proponit tunc non auditionem præferendam. Contrà primò, quia hoc iudicando proponere, esset hæreticum; & sic in omni peccato esset hæresis, vel peccatum contra fidem. Secundò, admittendo puram omissionem, non opus est non auditionem sub aliqua ratione boni proponere. Tertiò, vel repræsentatur æqualiter cum auditione, & tunc si eligi potest, sine defectu in intellectu, peccatur; si non potest, libertas tollitur. Si verò efficaciùs proponitur, ita determinabit voluntatem, vt auditionem velle non possit: & si auditio efficaciùs proponatur, non auditio eligi non poterit. Vide alias rationes apud Doctorem *suprà*, quem sequuntur Adrian *d.* 4. *art.* 1. Occam 3. *d.* 12. *ar.* 3. & *quodl.* 4. *q.* 6. Cord. *lib.* 2. *q.* 13.

Si minus, vel æquè perfectè propositũ, non potest eligi, tollitur libertas.

Gabr. 3. *d.* 36. *q. vn. art.* 2. *&* 2. *d.* 25. *q. vn. art.* 3. Bassol. *d.* 25. *q. vn.* Alm. *tract.* 3. *Mor.* 4.

Oppositum tenet D. Thom. 1. 2. *q.* 77. *art.* 2. *& q.* 58. *art.* 5. cum suis; latè Vasquez 1. 2. *d.* 128. per totam, vbi *cap.* 1. Scotum contra expressa eius verba pro illa sententia citat. Pro quibus

16. *Omnis peccans est ignorans. exponitur.* Obiicitur primò, 3. *Ethic.* 1. *Vnusquisque prauus, quid agendum sit ignorat.* Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum.* & Prou. 14. *Errant qui operantur malum.* Respondetur cum Scoto eatenus intellectum dici errare, non quòd falsum enunciet, sed quia aliquod malum proponit faciendum: licèt enim verè de eo enunciet, tamen illa propositio est error in agibilibus, & imprudentia.

Obiicitur secundò, ex 7. *Ethic. cap.* 3. *&* 7. vbi incontinentem comparat vinolento, aut dormienti; & explicat variis modis, qualiter semper peccat ex ignorantia: ergo semper contingit peccatum luxuriæ ex ignorantia, vel inconsideratione. *Non obstante quacumque cognitione via, voluntas potest peccare, vel non peccare.* Respondetur, explicari posse, quòd tantùm vult incontinentes ita voluptate agi, vt sicut ebrij, effrænatè in turpitudinem tendant, esto eam benè aduertant, & notam habeant. Secundò, detur in hoc contingere ignorantiam, non ideò necessariò contingit in aliis, maximè, in peccatis ex malitia. Tertiò, demus sæpissimè, & vt in plurimum, inconsiderationem aliquam præcedere peccatum; quia si attentè omnia quæ auertunt ab eo, perpenderentur, vt in plurimum abstineretur; tamen hoc non est necessarium, quia non obstante quacumque cognitione viæ, manet voluntas libera ad quodcumque peccatum committendum, vel omittendum. Aristoteles, fateor, difficilis est explicatu hic, sicut in aliis multis.

17. Obiicitur tertiò, Ierem. 12. *Desolatione desolata est terra, quia non est, qui recogitet corde.* Vbi reducit desolationem in defectum intellectus. Respondetur, non in eum tantùm, sed præcipuè in defectum compunctionis cordis, quam recogitatio cordis includit.

Passio nō trahit rationem contra id quod scit. Obiicitur quartò, Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; ergo trahit passio, quæ est lex membrorum, rationem contra hoc, quod scit. Respondetur, hanc consequentiam, quam facit D. Thom. *dict. art.* 2. nullam esse; sed passio trahit rationem, seu mentem, vt proponat, & verè bonum delectabile; sed non contra id quod scit, immò antè & pòst scit illud esse delectabile, sed scit etiam esse turpe, vt vtrumque verè sine errore; verum est quòd eo minùs efficaciter proponit bonum honestum, quo magis insurgit passio: potest tamen vtriusque bonitatis motiua, & quasi merita causæ, instar Aduocati communis sine errore proponere, vt voluntas tanquam iudex & domina eligat, quam voluerit partem.

Sectio XIV.

Vtrùm libertas conueniat omnibus actibus voluntatis?

1. *Potentia libera quæ?* Nota primò, potentiam liberam esse illam, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari, & non operari. Potentia naturalis è contra se habet; quia positis prærequisitis, non potest non agere, vt ignis, approximato combustibili. Hæc definitio potentiæ liberæ est communis consensus Doctorum. Scoti 2. *dist.* 25. *fine.* Gabr. 2. *dist.* 48. *quæst.* 3. vbi Occam, *& quodlib.* 1. *quæst.* 10. Soto 1. *de natura, cap.* 16. Henric. *quodlib.* 14. Suar. citantis multos, *tom.* 1. *de gratia. Prolog.* 1. *cap.* 3. D. Thom. 1. 2. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *& q.* 13. *&* 1. *part. quæst.* 83.

Nota secundò, ex Scoto 1. *d.* 39. §. Quantùm ad 2. *num.* 15. in voluntate creata triplicem esse libertatem; scilicet ad oppositos actus, obiecta, & effectus. Prima dicit imperfectionem; & ideò non est in Deo; vnde definitio libertatis assignata non conuenit diuinæ. Aliæ duæ non dicunt imperfectionem, & Deo conueniunt, ex eodem, *ibi num.* 11. *&* 12. *Triplex libertas voluntatis creatæ.*

Nota tertiò, si causa prima naturaliter ageret, quòd nulla esset libertas in secunda, quia hæc non mouet, nisi vt mota, & si necessariò moueretur à causa in impedibili, necessariò moueret. Quod fusiùs probat Doctor 1. *d.* 1. *q.* 2. *num.* 20. *& d.* 8. *q.* 5. *n.* 20. contra D. Thom. 1. *p. q.* 14. *art.* 13. de quo etiam fusè Vasq. 1. 2. *d.* 100. qui Scotum non intellectum ab eo, impugnat. Si enim Deus ageret necessariò, cùm sit infinitæ virtutis, quidquid agit voluntas creata ab ipso fieret, ita quòd non posset ab ea impediri: & per consequens, si auferretur ab eo libertas, nulla in creatis maneret. Alia multa absurda infert Doct. ex illo Philosophi errore, *d.* *q.* 5. *n.* 17 §. *Istis rationibus.* 2. *Si causa naturaliter ageret, nulla maneret libertas in secunda.*

Nota quartò, ex Scoto 1. *d.* 10. §. *Ad* 2. *dub.* & latiùs *quodl.* 16 *art.* 2. *&* 3. liberum sumi aliquando non vt opponitur necessario, sed agenti naturaliter; & dicitur hoc liberum libertate essentiali; & consistit in hoc, quòd voluntas delectabiliter, & eligibiliter & necessariò se determinat ad amandum, vel eliciendum amorem; quâ libertate productus est Spiritus sanctus, sed summè necessariò, quia necessitas non opponitur libero, sed contingenti, vt habet Aristoteles 2. *Periher. c.* 5. *de modalibus. &* 9. *Met. text.* 10. vbi vide expositionem Scoti. *Libertas essentialis non excludens necessitatem.*

Quæstio circa hoc de processione Spiritus sancti magis est de modo loquendi, quàm de re ipsa; sed Scotus eo vtitur, quo Aristoteles citatus, & Augustinus *in Enchir.* 73. vbi ait liberam esse voluntatem *quâ ita volumus esse beati, vt non possimus velle esse miseri.* & Anselm. *de lib. arb. cap.* 1. ait eum esse liberiorem, qui malum velle nequit. Vide Scotum 1. *d.* 7. *q.* 1. *num.* 25. Hanc libertatem tantùm habet Deus ad intrà, quia omnia in se necessariò vult, & omnia alia contingenter, vt habet Scotus *quodlib.* 16. *art.* 2. *&* 1. *dist.* 10. §. Ad 2. dub *& d.* 39. §. Quantum ad 1. *&* 2. *d.* 1. *q.* 2. Alia verò est libertas contrarietatis; vt quando potentia positis prærequisitis potest velle, vel nolle quod proponitur. Alia adhuc contradictionis; vt quando potest quis elicere & suspendere actum, non tamen habere actum oppositum: & vtramque libertatem habet Deus respectu existentium ad extrà; quia potest velle & nolle cuilibet creaturæ suum *esse*, & suspendere concursum conseruatiuum eius. Vide Scotum 1. *dist.* 38. *ad* 1. Quidam tamen putant, circa factibilia, Deum non potuisse suspendere actum, vel potuisse omissionem habuisse. Libertas contrarietatis dicitur specificationis, quia potest potentia elicere actus vnius, & alterius speciei oppositos. Contradictionis dicitur exercitij, quia ad exercendum actum, & non exercendum: hæc includitur in libertate speciei, sed necessitas exercitij è contra non includit necessitatem speciei. de quo Scotus 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *ad* 3. *pro* 3. *art. num.* 18. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 6. De libertate contrarietatis, vel contradictionis intelligitur 3. *Liberè productus Spiritus sanctus, & controuersia de hoc, non est realis.* *Triplex libertas, essentialis, contrarietatis, & contradictionis.* *Libertas contrarietatis quare dicitur specificationis, & contradictionis exercitij.*

definitio

definitio data, non autem de libertate eſſentiali; quia non eſt contingens, ſed neceſſaria.

4. *Libertas moralis & Phyſica.*

Nota quintò, quòd libertas, alia eſt moralis, alia Phyſica, illa præſupponit cognitionem boni, vel mali moralis, virtutis, & vitij; hæc tantùm cognitionem commodi naturalis. Vnde in pueris hæc præuenit illam; conſtat enim, quòd liberè circa cibum, veſtem, & alia huiuſmodi operantur, antequam ſciant conformitatem, vel difformitatem actionum ad rationem, & legem: ita Victoria *relect. de puero veniente ad vſum rationis*. Molin. 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *d.* 2. Vaſq. 1. 2. *d.* 41. Contingit etiam in adultis, quòd aliquid liberè Phyſicè agant, non tamen moraliter; vt quando quis comedit carnes feria ſexta, nihil cogitans de obligatione ieiunij, vel circumſtantia temporis.

5. *Actus deliberati, & ſubiti.*

Nota ſextò, alios eſſe actus voluntatis deliberatos, alios ſubitos: ad primos requiritur conſideratio obiecti, & circunſtantiarum, qualis ad electionem neceſſaria eſt: vt habet Scotus 4. *diſt.* 49. *q.* 10. *n.* 7. Alij ſunt in duplici differentia; quidam ſunt primò primi, qui tangunt voluntatem inopinatè: & hi nullam habent libertatem. Alij ſunt ſecundò primi, qui ſuccedunt primis motibus, & hi habent aliqualem libertatem, vt imperfectam deliberationem, qualem habent ſemidormientes, & ſemiebrij, vt notat Caiet. *ſum. verb. delectatio*, & Nauarr. *Prælud.* 9 De his motibus loquitur Scotus 2. *d.* 42. *ad* 1. *pro* 3. *q.* quando dicit, motus primos voluntatis in malum, eſſe peccata. de qua diuiſione motuum videri poteſt Alenſ. 2. *p. q.* 108. *membr.* 2. & D. Thom. *q.* 7. *de malo. art.* 6.

Motus primo primi, & motus ſecundo primi.

6. *Voluntatem in via ſemper eſſe liberam.*

Dico primò, voluntas noſtra in via eſt libera quoad exercitium reſpectu omnium obiectorum, (ſecluſo motus primò primos, de quibus iam dixi:) ita Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. & 4. *d.* 29. §. *Ad quæſtiones*, & *d.* 49. *q.* 10. & *quodl.* 16. *art.* 1. vbi & aliàs paſſim docet voluntatem non poſſe violentari, aut vim pati ad ſuas operationes eliciendas. quod tenent D. Bonau. 2. *d.* 25. 2 *p q.* 4. 5. Richar. *ar.* 4. *q.* 1. 2. Dur. *quæſt.* 4. Caiet. & alij multi, quos citat, & ſequitur Vaſq. 1. 2. *d.* 26. *cap.* 1. & *d.* 39. *c.* 2. Probatur primò à poſteriori, experientiâ; quia experimur nos ceſſare ab amore cuiuſcumque obiecti, non tantùm ceſſante eius conſideratione, ſed etiam ipsâ perſeuerante. Secundò, quia nullum bonum pro nunc oſtenditur, circa cuius amorem non poſſit intellectus inuenire aliquam rationem mali, moleſtiæ, vel fatigationis; & ſic ab eo abſtinere; & eſto nulla talis apprehendatur, adhuc voluntas poteſt ſuſpendere actum, vt benè docet Doctor. citat. 1. & *vlt. loco*.

7. Oppoſitum tenet D. Thom. 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. & 2. & clariùs 1 *p. q.* 8. *art.* 1. docens vltimum finem in communi voluntatem neceſſitare ad ſui amorem. Pro quo arguitur primò: finis ſe habet in operatione, ſicut principium in ſpeculatione, 2. *Phyſ. tex.* 89. ergo neceſſitat voluntatem, ſicut principium intellectum. Reſpondetur, ſimilitudo eſt in eo quòd ſicut principio propter ſe aſſentitur intellectus, & propter illud, concluſionibus: ſic voluntas amat finem propter ſe, & media propter ipſum. Vide Scotum 1. *d.* 1. *q.* 4. *ad* 1.

Obiicitur ſecundò, Auguſt. 13. *Ciuit.* 3. referens Comicum quendam dixiſſe ſe die ſequenti pronunciaturum, quid ſinguli in theatro vellent, & conueniente multitudine protuliſſe: *Omnes vultis vili emere, & carè vendere.* Subiungit; *ſi dixiſſet minus, omnes beati eſſe vultis, & miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid, quod nullus in ſua non agnoſceret voluntate*; ergo ſecundùm Auguſt. beatitudo neceſſitat ad amorem, & miſeria ad odium. Reſpondetur, quia neceſſitant quoad ſpecificationem, frequens eſt vnius deſiderium, & alterius fuga; & iuxta hoc, dicitur quis ſemper eſſe cum deſiderio beatitudinis, quia nunquam poteſt habere oppoſitum actum; hinc tamen non ſequitur neceſſitas exercitij.

An beatitudo neceſſitat voluntatem?

Obiicitur tertiò, nulla ratio mali eſt in beatitudine; ergo non poterit quis ab eius amore ceſſare. Reſpondetur in via poteſt in exercitio aliquid apprehendi vt moleſtum, vel fatigans. De beatitudine patriæ, poſtea ſtatim. 8.

Dico ſecundò, non eſt libertas ſpecificationis, quoad beatitudinem, vel miſeriam; quia nulla eſt ratio boni in hac vt ametur, nec ratio mali in illa vt odio haberi poſſit. Ita Scotus 1. *diſt.* 1. *q* 4. & 4. *d.* 49. *q.* 10. § *Dico ergo, num.* 10. & communis. Probatur ex dictis *ſect.* 12. *concl.* 2. & *diſp.* 2. *ſect.* 7.

Quoad beatitudinem & miſeriam eſt neceſſitas ſpecificationis.

Dico tertiò, poteſt voluntas violentari ſecundùm quid, quoad actus aliarum facultatum: vt ſi per Deum, vel Angelum facultas motiua moueret membra contra eius imperium, vel ſenſus externi ipsâ inuitâ applicarentur obiectis; quo caſu illæ facultates non paterentur vim, quia hæc eſt ab extrinſeco, & illæ tunc ab intrinſeco elicerent ſuas operationes. Dices, violentum eſt ipſis, quod eſt contra bonum totius, ſcilicet hominis, eſto ſit conforme inclinationi particulari; ſicut aquæ violentum eſſet, ſi impediretur, ne aſcenderet, ad impediendum vacuum, quia magis inclinat in bonũ vniuerſi, quàm in ſuum. Reſpondetur, tantùm inclinat in ſuum bonum, & inclinatio in bonum totius eſt à toto; vnde ille aſcenſus aquæ non fit ab ipſa, ſed à rectore vniuerſi, & contra ipſius inclinationem, vt habet Doctor 3. *diſt.* 27. *num.* 12. §. *Iſtæ rationes.*

Aſcenſus aquæ ad impediendum vacuum, an violentus?

Petes an per Deum poſſit voluntas neceſſitari ad actum eliciendum, ſtante iudicio indifferenti, id eſt, non proponente ſummum bonum clarè? Negant Bannes 1. *p. q.* 19. *art.* 10. *dub.* 1 Zumel *ibi in appendice concl.* 2. Aluar. *diſp.* 126. *concl.* 5. Vaſq 1. *p. d.* 99. *c.* 8. & aliàs ſæpe. Excipit tamen voluntatem humanam vnitam hypoſtaticè Deo, & fauet Scot. 1. *d.* 1. *q.* 4. § *Item potentia libera.* vbi vocat voluntatem per eſſentiam, liberam. Vnde Bargius *ibi*, & aliàs Scotiſtæ tenent, eam eſſe eſſentialiter liberã. 9.

Oppoſitum tamen longè verius eſt, & tenet Scotus 4. *d.* 49. *q.* 6. §. *Dico ergo*; vbi ait quòd voluntas Dei præueniens humanam, neceſſitat eam; & paſſim docet quòd prædeterminatio Philoſophica reiicienda ſit. Vide eum 4. *d.* 1. *q.* 1. *ad vlt* & *d.* 43. *q.* 3. § *Tertia opinio, n* 9. & *d.* 12. *q.* 3. §. *Hic eſt, num.* 5. quibus locis reiicit illam prædeterminationem. Idem habet D. Thom. *q.* 12. *de verit. art.* 8. Alm. *tract.* 1. *Mor. c.* 1. Soto 1. *de nat. c.* 16 Valentia 1. 2. *d.* 2. *q.* 1. *p.* 3. latè Bellarm. *lib.* 4. *de Gratia & lib. arb. cap.* 11. & alij multi apud Suar. *tom.* 1. *de gratia, Prolog.* 1. *cap.* 4. *n.* 9. Vbi fusè hoc probat; quia alioquin nulla maneret libertas, neque poſſet poni neceſſitas niſi in viſione clara Dei, vel ablatione iudicij indifferentis: & ſi ſecundum diceretur, Patres impugnantes libertatis hoſtes, laborarent oſtendere Deum non auferre tale iudicium, quod tamen non præſtiterunt, ſed aſſerunt Deum ſua gratia liberè mouere voluntatem, quam ipſi aſſerebant ab eo neceſſitari.

An voluntas neceſſitari poſſit ad eliciendum actũ?

Ad Scotum, non vult voluntatem ita eſſe liberam, vt nullum actum elicere poſſit, niſi libertate proximâ; quia non ſic elicit actus primò primos, 10.

neque

Quomodo voluntas libera dicitur per essentiam.

neque fruitionem patriæ, ex ipso *d.quæst.6. §. Dico ergo* sed vult esse liberam per essentiam, id est, per suam entitatem, non autem per aliquid distinctum; qualiter liberæ sunt aliæ potentiæ, quas ibi vocat per participationem liberas. Vult etiam semper esse intrinsecè liberam, ita quòd per nihil ei inhærens, positâ aduertentiâ, hoc ei auferri possit: vnde negat per habitum posse eam necessitari, quia ipsa superior est quocumque habitu, quod satis probabile est. Nunquam tamen asseruit, quin extrinsecè necessitari possit. de quo in materia de gratia exactiùs.

Voluntas beata liberè Deũ amat.

Dico quartò; etiam vltimos finis clarè visus liberè à nobis amatur. Scotus 1.*d.1.q.4.* & fusiùs 4. *dist.49.q.6. & num.6.§. Contra 2.opin. & quodl.16. art.1.* Probatur ex August. 1. *Retract.9. & 22. nihil magis est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas.* Vbi loquitur de actu voluntatis, quia eius entitas non est in sua potestate. Secundò, quia voluntas potest habere eadem intrinseca in via, & in patria; ergo & eundem modum libertatis. Nec obstat diuersitas in visione, quia non mutat modum hunc, sicut nec diuersitas notitiæ in via.

11. Confirmatur, quia notitia est approximatio causæ ad sua obiecta; sed hæc non mutat modum operandi potentiæ, vt patet in igne, vel calore, aliisque causis naturalibus, quicquid sit an colligatur diuersitas specifica in actibus voluntatis ex diuersitate cognitionis; videtur enim Doctor 4. *d.49.q.5.§. Conclusio*, tenere fruitionem viæ, & patriæ specie distingui. Et idem habet 3.*d.26. n.5. & d.3 §. Dico quòd respectu*; sed hinc non colligitur modum operandi potentiæ liberum mutari in naturalem ex diuersa cognitione; quia hoc longè maius est, quàm actus eiusdem potentiæ specie distingui. Hæc conclusio, fateor, satis difficilis est: de qua *in 4.d.49 q.6.* ex professo agitur; neque est huius tractatus fusiùs de ea disserere. Eam præter Scotistas tenent Gabr. 1.*dist.1.q. vlt.art.2.con.3 & suppl.4.d.49 q.2.art 3.* Occam 4.*q vlt.art 3.d.4 & 5. & 2.q.19.* Holcot *in suis determinationibus q.9. art.2.* Greg. 2.*d.7.quæst. vn. art.1.* oppositum tenet D. Thom. 1.2.*quæst.10. art.2. & 3. contra Gen. cap.62.* & communis.

Fruitio via an specie differt à fruitione patriæ?

Obiicitur primò, quia ex August *in Ench.c.86. vel 73. Anima nostra, sicut habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est.* Sed repugnat velle infelicitatem ex *conc.2.* ergo & iniquitatem in futuro statu beatitudinis; sed iniquum esset ab amore beato cessare: ergo. Respondetur cum Scoto: verum est, sed hoc non est ex intrinseca natura potentiæ, sed ex Dei manutenentia, quâ repugnat Beatum peccare, qui tamen sibi relictus peccare posset. Contrà, ex D.Thoma

12. Obiicitur secundò, quia nemo potest cessare ab amore boni, nisi ostenso aliquo malo in eo; at nihil tale ostendi potest Beato. Respondetur, ad nolitionem requiri malum aliquod ostendi, non tamen ad suspensionem amoris; quia sicut bonum non necessitat ad amorem eliciendum, ita neque ad eum continuandum, & idem est per oppositum de malo, quia nullum tale necessitat ad eliciendum, vel continuandum odium. Vnde falluntur, qui ad libertatem exercitij requiri putant cognitionem boni, & mali, etiam in via. Præterea, ratio non errans in via, nihil mali ostendit in Deo, tamen voluntas cessat ab eius amore. Contrà, ex Vasq.1.2.*d.16.cap.8.* vbi & *d.18.* prolixè hoc tractat.

Obiicitur tertiò, quia ideò in via cessare possumus à Dei amore, quia occurrit molestia, tædium, vel aliquid incompatibile distrahens; sed nihil horum in beatitudine occurret: ergo. Respondetur, verius esse contemplatiuos, sine aliquo horum merâ suâ libertate, quandoque ab amore Dei cessare, quia sicut liberè inchoant amorem sine vllo malo ostenso, ita liberè eum continuant, & sine vllius mali ostensione; & esto demus cùm cessant, quòd semper occurrat aliquod malum molestiæ, vel tædij, dicimus hoc non esse causam libertatis, sed ipsam voluntatem. Vnde Gabr. & Holcot citati tenent, quòd videns Deum clarè posset cessare ab eius amore; sed etiam in casu eum odio habere: verbi gratiâ, si ei reuelaretur sua damnatio.

In via an cessatur ab amore, sine vllo malo vel molestia ostensa amanti?

Qui teneant Deum clarè videntes posse eum odire?

Obiicitur quartò, quia defectus in voluntate supponit errorem in intellectu, sed nullus error potest esse in intellectu Beati; ergo ab intrinseco impeccabilis est, & consequenter necessariò adhæret per amorem summo bono. Respondetur, antecedens esse falsum, vt ostendi *sect. præced. con.4.* Secundò, non repugnaret Beatum sibi relictum, circa aliqua alia ab obiecto visionis errare & circa illa peccare. Plura habet argumenta D.Thom. 4.*contr.Gen.cap.92.* & ex ipso, & aliis, Vasq.1.2. *d.13.* sed facillimæ solutionis. 13.

Quomodo Beati sunt securi de statu perpetuitate?

Obiicitur quintò, quia iuxta hæc, beatitudo de se non esset perpetua, & per consequens, nec beatitudo; quia de ratione eius est securitas. Respondetur, non esse de ratione eius intrinseca, sed extrinseca, habetur tamen à Beatis securitas, non ex natura potentiæ, vel actuum, sed ex Dei speciali dono. de quo vide Doct.4.*d.49. quæst.6. art.n.18.§. De tertio dubio.*

SECTIO XV.

In quo consistat libertas voluntatis?

NOtandum, eam potentiam dici liberam, quæ omnibus prærequisitis positis operari potest, & non operari. vt dictum est *sect. præced.* & docet Aristoteles 2. *Mag. Mor. cap.11.* & meliùs 3. *Ethic.cap.2.* vbi docet spontaneum esse nobis, pueris, brutisque commune; electionem verò nobis propriam. & idem 9.*Met.cap.3. text.12.* Secundò notandum, libertatem in sola voluntate residere formaliter, non autem in vlla alia potentia. de quo dixi *disp.2. sect.5.* contra Caietanum ponentem propriam libertatem in appetitu sensitiuo. In Deo solo voluntas est libera, & nulla alia potentia; quia intellectus eius necessariò intelligit omne intelligibile; idem ergo in creatis. 1.

Quid est potentia libera?

Libertas voluntatis non distinguitur realiter ab ipsa.

Nota tertiò, libertatem quâ voluntas dicitur libera, non esse aliud, quàm ipsam voluntatem cum aptitudinali dominio suorum actuum; quod nihil est distinctum ab ipsa. Sicut enim aptitudinalis respectus intellectus ad suos actus naturaliter eliciendos, non est aliquid realiter distinctum ab ipso, ita de voluntate dicendum est, & sic per seipsam est tale principium potens in suos actus. Neque dici potest, quòd aliquid reale ei superadditur ad posse non elicere eos. Si tamen per libertatem intelligantur omnia prærequisita ad operandum liberè, vt cognitio, indifferens concursus Dei, & si quæ sunt alia; certum est quòd re distinguantur à voluntate. De actu ergo præcipua difficultas est, an libertas consistat in eius entitate, vel aliquo ipsi extrinseco. Pro quo

Libertas non est in iudicio indifferenti.

2. Nota quartò, libertatem formaliter non esse in iudicio indifferenti; quia hoc prærequiritur (etsi

(etsi non semper, quia sufficit quandoque apprehensio, vt dixi *sect.* 15.) & illo posito nulla est actualis libertas, donec voluntas exeat in actum, ex dictis *sect. praced. v & post, con.* 2. Praeterea, ideò dicitur iudicium indifferens, quia voluntatem relinquit indifferentem. Nec refert voluntatem non posse liberè agere sine tali iudicio, quia etiam nequit sic agere sine concursu indifferenti; & tamen nullus in hoc ponit libertatem formalem. Vide Suar. *Met. d.* 29. *sect.* 3. vbi impugnat illam sententiam.

Voluntas est causa totalis suorũ actuũ.

Nota quintò, voluntatem esse causam totalem suorum actuum, vt fusè probat Doctor 2. *dist.* 15. de quo dixi *sect.* 13. *con.* 2. concurrit tamen Deus immediatè ad eos vt tradit Doct. 2. *d.* 37. *quaest.* 2. §. *Contra istam, n.* 7. Relinquitur ergo tantùm actum voluntatis elicitum esse formaliter liberum.

3. *Libertas non est modus realiter distinctus ab actu.*

Dico primò, libertas non videtur esse modus realis distinctus ab actu voluntatis. Probatur primò, quia ipse actus, secluso omni modo, est liber sicut potentia, secluso omni alio re distincto, libera est, vt iam dixi. Secundò, modi tribuunt rebus determinationem, vt patet in intrinsecis rerum, sed libertas dat indeterminationem.

Libertas non est relatio realis in actu.

Dico secundò, libertas non est relatio realis in actu libero. Patet, quia non ad obiectum, quia hoc potest non existere, & aequè liber est actus tunc, ac quando existit: nec ad voluntatem: quia tantùm dicit ad eam relationem causati; & haec est communis omni causato, etiam naturali ad suam causam.

Dices esse relationem causati potentis non fieri. Contrà, eo praecisè est existentis potentis non esse, quia est à potentia potente non agere; sed hoc nihil est positiuum à potentia distinctum: ergo.

4. *Libertas an actui libero essentialis?*

Dico tertiò, libertas non est actui libero essentialis. videtur contra D. Thom. 1. 2. *d.* 19. *art.* 1. est tamen Scoti, D. Bonau. Caiet. & Vasq. quos citaui *sect.* 8. qui tenent bonitatem non esse aliquid re distinctum ab eo cuius est; & idem dixi ibi de veritate. Probatur primò, actio elicita à potentia potente non operari, eadem esset, si illa potentia esset determinata ad ipsam: verbi gratia, si dilectio, quam liberè elicio, ab aliqua causa extrinseca ita determinaretur, vt non possem eam non elicere, esset eiusdem speciei, immò eadem numero; ergo libertas in ea non facit differre specie. Antecedens probatur, quia potentia tunc esset determinata per hoc, quòd non posset non operari; sed nihil positiuum petit potentiae operandi, per hoc quòd caret potentia non operandi; ergo. Probo enim, quia coniungi potentiam non operandi potentiae operandi est omnino ei extrinsecum, quoad entitatem effectus. Respondent, ablatâ potentiâ non operandi, auferri & potentiam operandi; quia est vna, & eadem à parte rei. Contrà, potest Deus necessitare voluntatem ad aliquem actum, qui aliàs esset liber: quo casu nullam potentiam realem positiuam auferret, sed tantùm potentiam non operandi, vel potiùs indifferentiam potentiae: ergo quoad entitatem, maneret eadem potentia, eadémque actio.

Actum liberum esse eiusdem rationis, cum actu necessario.

5. Confirmatur, si Deus (vt Philosophus errauit,) ageret ex necessitate naturae, effectus essent eiusdem rationis, cuius modò sunt, & tamen essent tunc necessarij; & modò sunt liberi: ergo libertas non est essentialis actui libero, alioquin homo liberè productus à Deo differret specie intrinseca ab homine producto ab eodem necessariò. Nequa

An requiritur ad libertatẽ, actum, vel effectum inhaerere potentia libera?

valet dicere libertatem dictam tantùm esse in actibus elicitis voluntatis; quia ideò praecisè ponitur libertas propria, & formalis in actibus voluntatis nostrae, quia immediatè dependent ab eius dominio, quoad *fieri*, & *conseruari*; sed sic omnes effectus immediatissimè dependent à voluntate Dei, & per accidens est, quòd actus inhaereant, vel non, vt subsint huiusmodi dominio; nam si per impossibile voluntas nostra posset ponere suos actus per se cum eadem ab ea dependentia, aequè liberi essent ac modò sunt.

Actus necessarius quoad specificationẽ, an possit esse liber?

Secundò, idem actus necessarius fit liber; ergo libertas, & necessitas in actu non sunt essentiales differentiae. Antecedens probatur, & primò de actu necessario, quoad specificationem: verbi gratiâ, ostendatur mihi tantùm obiectum vnius virtutis, & nihil repraesentetur de malitia oppositi; actus erit quoad specificationem necessarius, quia non potero habere nolitionem illius obiecti, cùm nihil mali praesentetur in eo, neque volitionem vllius alterius obiecti; quia illud tantùm ostenditur, sed positâ cognitione mali oppositi, vel alterius speciei, possum continuare illum actum sine vlla mutatione; & tunc erit liber quoad specificationem, quia potest haberi actus ei oppositus, vel disparatae speciei; ergo ista libertas non est quid intrinsecum actui. Dices, nihil referre ad libertatem huius actus, quòd adsit, vel absit potentia ad alios actus specie diuersos, quia potest haberi principium, & dominium huius actus, independenter ab illis.

Contrà, etsi hoc verum sit quoad actus disparatos, tamen non adest plenum dominium huius actus, si non possum eius oppositum (vt in casu) elicere; esto possim ab eo abstinere: sed tunc caret altera libertatis specie. 6.

Dices manere essentiam libertatis, quoties ita actus elicitur, vt possit non elici, vel ita non elicitur, vt possit elici; & haec est libertas exercitij. Contra hoc, probatur antecedens de actu necessario quoad exercitium; quia motus primò primos, talis est, qui elicitur sine aduertentia, quâ positâ, sine vlla mutatione conseruari potest, & liberè quoad exercitium. Item, secundùm communem opinionem, positâ visione beatâ, amor, qui antea fuit liber, fit necessarius. Item, dum elicio liberè amorem, potest Deus me necessitare secundùm communem, ad actum, quo vellem perseuerare: quo casu amor ille fit de libero necessarius sine intrinseca mutatione. Item, admittendo puram omissionem, de qua postea, potest quis liberè cessare à furto. Deo offerente concursum generalem: quo rursus denegato, ab eodem cessabit necessariò, & tamen eadem erit omissio.

Qui motus primò primi?

Eadem omissio libera, & necessaria.

Obiicitur primò, vitalitas, & eius carentia sunt essentiales actibus; ergo & libertas, & necessitas. Negatur consequentia, quia idem actus, vt ostensum est, fit de necessario liber, vel è contra, per mutationem cognitionis, vel concursus, vel positionem actus reflexi, qui tollit libertatem immediatam ab actu recto; vt si vellem amorem à me elicitum, tunc enim rectus dependeret à voluntate, mediante reflexo, sicut actus imperatus intellectus dependeret ab ea; sed nunquam actus vitalis, fit non vitalis, vel è contra. Dices; ergo actus liberi voluntatis non differunt essentialiter ab actibus appetitus sensitiui. Respondetur, sub illis rationibus *liberi*, & *necessarij*, verum est; differunt tamen, quia alij spirituales, alij non; & quia appetitus non est aptus sequi apprehensionem intel 7.

Idem actus an potest esse vitalis, & non vitalis?

intellectus, sed tantùm sensus, quæ nullam relinquit indifferentiam potentiæ.

Obiicitur secundò, libertas est causa, quare Deus complacet sibi in actibus bonis; & propter eam displicent ei actus mali, & hos punit, illos autem præmiat: ergo est aliquid intrinsecum in actibus. Respondetur, sufficere esse conditionem sine qua actus non placerent, nec displicerent Deo. Adde quòd omissio pura placet, & displicet Deo, quæ tamen nihil entitatis intrinsecæ habet. de quo postea.

An libertas sit aliquid intrinsecum actui

8. Obiicitur tertiò, libertas in actu secundo est terminus potentiæ operatiuæ: ergo & ipsa est physica, & intrinseca. Respondetur potentiam physicè producere suos actus, in quibus nunc resultat libertas, nunc necessitas per varios respectus ad extrinseca, vt dictum est: & sic libertas non videtur aliquid intrinsecum actui. Ex quibus sequitur, libertatem, & necessitatem actuum, esse denominationem extrinsecam desumptam à positione, vel carentia dominij potentiæ in eos.

Sectio XVI.

Vtrùm voluntas quandoque habeat puram omissionem, & an talis sit pœna, vel præmio digna?

Quid omissio pura?

1. Omissio est priuatio actus, quem debebas elicere. Si contingat per volitionem alicuius incompossibilis cum actu, non est mera & pura omissio, quia habet actum positiuum sibi admixtum: si autem nullo actu positiuo elici contingat, dicitur pura omissio, seu simplex, nihil commissionis habens admixtum. Potest autem omissio dupliciter causari ab actu. Vno modo, quando quis directè vult omittere auditionem sacri, vel dare eleemosynam. Alio modo, quando aduertens se teneri ad actum, etsi directè non velit eum omittere, vult tamen aliquod obiectum illi incompatibile, vt ludere tempore sacri audiendi, & actus iste dicitur causa, vel occasio omissionis. Quòd verò nulla omissio fieri possit sine actu cognitionis, ex eo patet; quia nequit actus voluntatis elici sine cognitione, ex sect. 13. & sic eius omissio sine cognitione non est priuatio, sed mera negatio, quæ etiam in lapide est.

Omissio dupliciter causari potest ab actu.

Omissio non est directè semper volita.

2. Dico primò, contingit omissio sine actu, quo ipsa directè operatur: hæc est communis, & sine controuersia, quam tenent D.Thom. 1.2. *quæst.* 6. *art.* 3. & *q.* 71. *art.* 5. Scotus 4. *d.* 49. *q.* 10. *n.* 10. Constat experientiâ, experimur enim, cùm actus à nobis exercendus est, aliquando omitti sine vlla formali volitione omissionis.

Omissio possibilis sine omni actu.

Dico secundò, contingere potest pura omissio, ita vt nullus habeatur actus, qui sit causa, vel occasio eius. Ita D.Thom. & Scotus citati, Richard. 2. *d.* 35. *art.* 1 *q.* 1. & *quodl.* 1. *q.* 22. Durand. *eadem d. q.* 2. Occam 3. *q.* 10. *ad* 1. *dub.* Almain. *tract.* 3. *Mor. cap.* 13. Adrian. 4 *q* 3. Marsil. 2. *q.* 21. *art.* 2. Cajet. 1. *p. q.* 63. *art.* 3. Valent. 2. *tom. d.* 2 *q.* 1. *part.* 1. Probatur primò, quia in hoc consistit libertas exercitij, quòd possit voluntas elicere actum, & suspendere illum; non autem in eo quòd possit habere hunc actum, & alios.

Actus liberè conseruatur, etiamsi ad omnem alium actum denegetur concursus.

Dices, requiri aliquem actum, qui sit causa omissionis. Contrà; eliciat quis amorem liberè, & denegetur amanti concursus ad omnem alium actum, liberè continuabit illum, & hoc solùm, quia potest eum omittere sine vllo actu positiuo; ergo simpliciter potest alium actum non elicitum, sine vllo actu omittere. Antecedens patet quoad primam partem, quia in manu amantis est, vt perseueret, vel non. Et quoad secundam partem, quia non est libertas in illo actu, eo quòd sit potestas ad alios actus, quia supponitur, quòd denegetur concursus ad eos.

Dices, actum fieri necessarium per denegationem concursus ad oppositum, vel disparatum. 3.
Contrà, principia eius, & concursus nullam subeunt mutationem: ergo manet actus sicuti fuit, liber: & impertinens est, quòd adsit potentia ad actus alterius speciei. Præterea, quidam ex authoribus oppositæ sententiæ negant actum fieri de libero necessarium, vel è contra, de quo *sect. præced.* Consequentia illa probatur; quia si amor ille est liber, etiamsi eliciens non possit habere nolitionem eius, ita & omissio, quando proponitur, libera, aut etiam si nulla sit potentia ad volitionem eius, vel alicuius ei incompossibilis: per hoc tamen, quòd actus præceptus possit elici.

Actus esse liber etiamsi nihil aliud præter vnum obiectum ostenderetur voluntati.

Confirmatur, demus quòd Deus auferret mihi omnem actualem notitiam, præter illam, quæ est de bonitate obiecti, circa quod elicere debeo actum: certum est, quòd tunc sicut liberè elicerem actum, ita liberè ab eo cessarem; & tamen nullum actum alium elicere possem. Secundò, voluntas æquè libera est ad actum præceptum, & ad quemcumque alium, qui posset esse causa, vel occasio omissionis eius; quia nullius obiectum saltem in via, eam necessitat: ergo sicut liberè ab illo actu, ita & à quocumque actu causatiuo omissionis abstinere potest.

Respondet Vasquez 1. 2. *quæst.* 92. *cap.* 2. (vbi citat multos, nescio an ita candidè, secum tenentes, impossibile esse peccatum omissionis sine actu positiuo) liberè posse voluntatem à quocumque actu determinato abstinere ratione assignatâ, necessariò tamen circa aliquod determinatè operari, quia intellectus in aliquid semper eam trahit, à quo ad summum tam minutulà duratione abstinere potest, vt in ea non possit esse peccatum. 4

Contrà, an voluntas possit ab omni actu cessare, néene, ad propositum impertinens est; quia tantùm quæritur an cessare possit ab actu, qui sit volitio, causa vel occasio omissionis, & ipse dicit quòd non; & argumentum probat, quòd sic. Respondere autem, quòd aliquem alium disparatum necessariò eliciet, non est ad intentum conclusionis, nec argumenti. Suppono quòd in voluntate possunt esse plures actus simul; habeat ergo actum spei, & proponatur actus religionis ex præcepto eliciendus, quem simul cum actu spei habere potest voluntas. Argumentum probat quòd sine vllo actu positiuo potest abstinere ab actu religionis; & impertinens est, quòd habeat actum spei compatibilem cum actu Religionis, quia non est volitio omissionis, vel causa, vel occasio eius. Confirmatur, cùm audio pulsum ad sacrum ex præcepto audiendum, possum omittere sine volitione vllius exterioris incompossibilis: ergo idem de interna omissione. Respondet Vasquez semper illud omitti propter aliquid externum, quale est ambulare, ludere, & scribere, &c. idque experientià constare.

Contrà, experientia testatur vt in plurimum ita esse; sed agitur an possit voluntas aliquando non velle aliquod oppositum, & ipse ait nullo modo, & sic secum trahit D.Thom. qui tamen 5.
ait

ait *loco cit.* absolutè aliquando sine vllo actu omissionem reperiri. Præterea, cùm decumbens in lecto audit pulsum, non est opus quòd velit aliquid externum incompatibile Sacro audiendo, quia potest manere vbi est. Respondet hoc esse per modum actus externi, quia perinde est ac ludere, scribere, &c. Contrà, potest nullum actum voluntaris tunc elicere, de manendo in lecto, sed per negationem actus volendi surgere, ibi manet; ergo iam ad omissionem non requiritur actus vllus positiuus, qui sit eius causa, vel occasio. Si dicas, virtualiter, vel interpretatiuè interuenire actum, quo velit permanentiam in lecto; sic nos dicimus interpretatiuè omissionem puram esse volitam, eo ipso quòd non ponitur actus præceptus, sicuti & cubatio, quia non est volita surrectio.

Occurrente præcepto positiuo, potest voluntas ab omni actu circa illud abstinere.

Interpretatiuè volita est pura omissio.

6\. Dico tertiò, pura omissio potest esse peccatum. Est contra Caiet. citatum, fatentem Angelum primo instanti potuisse puram omissionem; non tamen potuisse peccare; quia ad hoc requiritur positiua deordinatio: & contra Vasq. citatum tenentem puram omissionem tantùm breuissimo tempore dari posse; & pro tantillo tempore præceptum affirmatiuum non obligare. Est communis, quam habet expressè D. Thom. *2.2.q.79. art. 1.* vbi ait omissionem esse peccatum actuale, non quia habet aliquem actum, sed quia negatio actus reducitur ad genus actus. Probatur, quia pura omissio est libera, (vt probatum est, & quia positis prærequisitis potest voluntas operari circa eam, & non operari) & esse potest contra legem: vt in casu de auditione Sacri; ergo. Secundò, pura omissio est possibilis, (vt ostensum est, & aduersarij concedunt) & potest præcipi si est bona, vel prohiberi si est mala: ergo capax est malitiæ. Dices, præceptum non egrediendi, à dormiente impleri; sed non liberè, quia eius omissio non subest voluntati. Contrà, dormiens non implet præceptum, sed tantùm illud non violat, quia non est capax præcepti affirmatiui, cùm sit determinatus ad omissionem. Tertiò, contra Vasq. est, quòd sicut liberè continuatur omissio pura, breui illo spatio, vt concedit, ita liberè alterius continuari potest, quia eadem sunt principia, & requisita libertatis, pro illo breui spatio, & pro longiori sequenti.

Pura omissio, pœna, vel præmio digna.

7\. Præterea, potest præceptũ imponi saltem Angelo, & animæ separatę de eliciẽdo actu pro certa, & determinata duratione, vel instanti: quo casu eius pura omissio esset possibilis, & peccaminosa. Quartò, sequeretur quòd omittẽtes semper deberent confiteri tanquã dubia, sua peccata omissionis, quod tamen nullus facit. Patet sequela, quia sæpissimè non habẽt illum actũ, quo velint ipsam omissionem, vel aliquid ei oppositum, vel incompatibile, sed negatiuè se habent, vt in exemplo de decumbente in lecto, cùm audit pulsum ad Sacrum. Saltem sequitur virum doctum, qui opinatur se nullum actum huiusmodi habuisse, circa omissionem, posse abstinere ab eius confessione.

Præceptũ de actu pro certo instãti potest imponi Angelo, vel animæ separatæ.

Obiicitur primò, omissio non est voluntaria: ergo nec peccatum. Antecedens probatur, quia ratio voluntarij, est ad velle, vel nolle. Respondet esse etiam ad negationem vtriusque, vt probatum est. Contrà

Omissio pura quomodo voluntaria.

Obiicitur secundò, voluntas exercet suam libertatem vitaliter, & intentionaliter tendendo in obiectum: ergo sine actu nullam exercet. Respondetur, exercere eam non eliciendo actum, quem elicere potest: & hoc priuatiuè, non positiuè.

Obiicitur tertiò, per puram omissionem non mutatur omittens, sed se habet sicut antea: ergo per eam non efficitur peccator. Respondetur, mutari moraliter, quia occurrente præcepto affirmatiuo; si non elicit eius actum, habet eius priuationem, & antea habuit tantùm eius negationem. 8.

Omissio pura quomodo mutat omittentem.

Petes, vtrùm actus, qui est causa, vel occasio malæ omissionis, sit peccatum? Respondetur, esse malitiâ omissionis infectum, esto aliàs esset actus virtutis; quia circumstantia mali inficit actum de se bonum, & sic est hic, quia eligitur omissio Sacri: verbi gratiâ, propter studium, vel ludum; quã ratione datio eleemosynę inficitur ex fine mœchiæ, vel ex medio furti. Vasquez *1.2.d.93.cap.2.* vt regulam tenet, omnem operationem, quæ incompossibilis est cum adimpletione præcepti, esse malam, etiamsi post efficax omittendi decretum eligatur.

Actus causans omissionem malã est malus.

Mihi videtur hoc verum non esse, nisi quando talis operatio aufert libertatem adimplendi præceptum, etiamsi propositum malum mutaretur; qualis est proiectio vnici breuiarij in fluuiũ post resolutionem non recitandi horas. Ratio est, quia si non propter illam operationem fit omissio, non est finis eius, nec medium, nec vllo modo circumstantia ad eum concurrit, sed perinde se habet, ac si in otio maneret omittens, quem relinquit in eadem libertate ad mutandum malum propositum, ac si in otio esset. Neque video, quâ ratione magis peccaret is, qui post firmam resolutionem omittendi, cibaret pauperes, vel doceret ignorantes, quàm qui post similem resolutionem omnino otiaretur, vel dormiret. Si tamen aliquis post similem resolutionem omittendo de nouo propter aliquam operationem, iteratò vellet omittere, hæc operatio esset mala, quia finis, & causa mali. Huc obiter dictum: quia ex professo tractatur in materia de Peccatis. 9.

Actus, qui nõ est finis, nec mediũ omissionis, nec aliàs ad eam concurrens, peccatum non est.

Sectio XVII.

Vtrùm voluntas diuidi possit in irascibilem, & concupiscibilem?

1\. Dictum est *disp. præced. sect. 7.* appetitum inferiorem diuidi in irascibilem & concupiscibilem; & hos inter se realiter distingui, quamuis oppositum non sit minùs probabile. Hic quæritur an similiter voluntas diuidatur?

Respondetur affirmatiuè, & Scot. *3.d.34.§. In parte autem, n.13.* Probatur primò, omnibus illis rationibus, quibus idipsum probatum est loco citato de appetitu. Secundò, sex passiones concupiscibilis, amor, desiderium, delectatio, odium, fuga, tristitia. Item, quinque passiones irascibilis, spes, desperatio, audacia, timor, ira, de quibus *disp. 2. sect. 8.* conueniunt cum proprietate voluntati; ergo diuiditur in concupiscibilem & irascibilem. Tertiò, Dionys. *4. de Diu. Nomin.* tribuit Angelis concupiscentiam, & furorem. Quartò, in voluntate sunt virtutes morales, fortitudo, quæ ad irascibilem, & iustitia, ac temperantia, quæ ad concupiscibilem spectant, vt probat Scot. *3.d.33.* adducens tres rationes D. Thomæ ad oppositum; ergo in ea est concupiscibilis, & irascibilis.

Voluntas diuiditur in irascibilẽ & concupiscibilem.

Morales virtutes sunt in voluntate.

2\. Obiicies ex D. Thom. *1.p.q.59. art.4.* vbi oppositum habet, primò, quia Phil. *3. de An. text. 41.* dicit, quòd irascibilis, & cõcupiscibilis sunt in parte

sensitiua. Respondetur, cùm ibi definiret animam nostram esse id, quo viuimus, sentimus, locò mouemur, & intelligimus, moueretque quæstiones dubias de virtute motrice, vt eis satisfaceret; mouet dubitationem de facultatibus animæ, & arguit non sufficere illam diuisionem Platonis, quæ eam secat in concupiscentiam, iram, & rationem; neque eam, qua ipse Phil. 1. *Ethic. cap. vltimo*, eam partitur in rationis participem, & non participem. Per hæc autem non ponit irascibilem, & concupiscibilem in parte sensitiua; & si poneret, intelligeret de facultatibus appetitus sensitiui, quod non est contra nos, sed potiùs à simili ponendæ sunt in appetitu rationali.

Vnitas obiecti non infert vnitatem potentiæ.

Obiicitur *secundò*, ex eodem: obiectum voluntatis est bonum in communi: ergo non diuiditur, secundùm rationes particularium bonorum. Respondetur, etiam obiectum appetitus sensitiui, est bonum delectabile in communi: de quo *disp. præced. sect.* 3. & tamen admittit D. Thom. ibi eam diuidi in irascibilem, & concupiscibilem; ergo vnitas communis obiecti non obstat diuisioni, si aliunde constat eam ponendam esse; quia vnitas obiecti non infert vnitatem potentiarum. de quo *disp* 1, *sect. vlt.*

Irascibilis, & concupiscibilis in voluntate an re distinguantur.

Sed vtrùm concedendæ sint duæ istæ facultates re distinctæ in voluntate? Respondetur negatiuè cum Scot. 3. *d.* 34. § In parte autem, *n.* 13. vbi dicit, non ita distingui, sicut in parte sensitiua defectu organi: si tamen concedas formaliter, vel ratione ratiocinata distingui, non est quòd multum altercemur: absolutè tamen dicenda est voluntas vna potentia, quidquid sit de illis facultatibus ejus, an formaliter distinguátur, nécne.

SECTIO XVIII.

Vtrùm voluntas hominis differt specie à voluntate Angeli?

Potentia tripliciter sumitur.

1. NOta ex Scot. 1. *d.* 7. *n.* 8. & 3. *d.* 15. *num.* 8. potentiam varie sumi: nunc pro fundamento relationis actiui, vel passiui; nunc pro ipsa relatione; nunc pro vtroque simul.

Intellectus Angeli & hominis in entitate absoluta differunt specie.

Dico primò, intellectus Angeli, & intellectus hominis in entitate absoluta differunt specie. Ita
2 Scot. 2. *d.* 1. *q.* 5. D. Thom. *cum suis* 1. *p. q.* 79. *art.* 2. & 8. Ratio est secundum Scotum, quia intellectus Angeli non distinguitur re ab Angelo, nec animæ ab anima. Quod fusè probat 2. *d.* 16. de quo actum est suprà, *disp.* 1. *sect. pen.* Quòd verò Angelus & anima specie differant, tenent omnes, de quo Doct. *d. q* 5. vbi reiicit rationem, quâ D. Thom. id probat, nempe quòd anima sit discursiua, Angelus non; tum quia hoc falsum est, tum quia eo dato ens absolutum priùs constituitur, & distinguitur secundũ se, & in actu primo, quàm in cõparatione ad actũ secundum, vel aliquid aliud.

2. Dico secundò, probabile est quòd hi intellectus, vt fundant relationem intellectiui, non differant specie. Ita tenet vt probabile Scotus citatus 1. *loco*, vbi nihil resoluit. Albert. 1. *de Anim. cap. pen.* Caiet. 1. *p. q.* 77. *art.* 3. Ferrar. 2. *contra Gent. cap.* 94. Thienen, 2. *de Anim. text.* 9. Ratio est, quia esto secundùm entitatem suam absolutam, vt sunt idem subiectis, specificè distinguuntur, in hac formalitate potẽtiæ respiciendi intelligibile conueniunt, quia idem habent obiectum, & eodem modo per se tendunt in illud. Quòd verò obiectum sit idem, patet ex dictis *q.* 21. & in commentario eius; vbi fusè ostensum est, ens in sua latitudine esse obiectum intellectus nostri secundùm se, esto pro hoc statu, non possit moueri, nisi per phantasmata sensibilium accidentium. Quòd etiam Angelus discurrat, probat Scot. *q* 3. *Prol. a n.* 2. Quare non est ponenda distinctio harum potentiarum ratione discursus, vt facit D. Thom. suprà, & 1. *p. q.* 75. *art.* 2. & 2. *contra Gent. cap.* 94. & Suar. 9. *de Anim. cap.* 1.

Confirmatur, quia sensus hominis, & brutorum hac ratione sunt eiusdem speciei, vt tenent cum Scoto citato Conimbr. 3. *de Anim. c.* 1. *q. vnic. art.* 2. Caiet. 2. *de Anim. t. de Tactu*, & alij, ibi, Apollinar. *q* 4. *art.* 1. Victoria 1. *p. relect. de peruenient ad vsum rationis*, *n.* 4. & vt probabilem admittit Suar. citatus. Probatur secundò, quia potentia specie distincta ab alia, potest aliquos actus specie distinctos elicere, ab omnibus actibus alterius potentiæ; sed intellectus Angeli nullos elicere potest, quin intellectus animæ similes in specie elicere valeat; ergo. Maior patet, quia si visus eliceret omnes actus eiusdem speciei cum auditu, vel è contra, non esset distinctio specifica inter has potentias.

Obiicitur; quorum essentiæ sunt diuersæ, & proprietates; sed intellectus est proprietas Angeli, & animæ; ergo. Respondetur, si sit proprietas, hoc ei non conuenire secundùm illum respectum, sed secundùm absolutum: neque arguit aliqua esse diuersa specie, quòd dimanẽt à sic diuersis, alioquin calor ab igne esset diuersus specie à calore, à Sole, & ignis, quia calefactiuus differret specie à Sole. Præterea, quantitas profluit ab omni composito Physico in veriori opinione, de quo Scot. 2. *d.* 3. *q.* 4 tamen est eiusdem rationis in omnibus. Item, vnitas hominis, & vnitas lapidis, non differunt specie, etsi subiecta sic differant. Confirmatur secundò, in eodem continentur identicè quædam distincta formaliter, vt ratio intellectiua, & sensitiua in anima: ergo & in diuersis, quæ sunt indistincta formaliter, vt in casu. 3.

Obiicitur secundò, ex Suar. *lib.* 3. *de Angelis*, *c.* 3. potentia habet vnam differentiam specificam essentialem: ergo si aliqua alia ratio specifica conueniat, erit accidentalis; sed ordo ad obiecta nequit esse accidentalia intellectui, quia per se ei conuenit: ergo erit essentialis, & omnis alia specificatio accidẽtalis: & per consequens si vllo modo differunt hi intellectus essentialiter, id erit per ordinem ad sua obiecta. Respondetur, nullum respectiuum est essentiale absoluto. De quo Doct. 4. *d.* 13. *q.* 1. & *Quodl.* 11. *art.* 1. & *in text.* 4. 7. *Met.* & per consequens ratio cõstituens essentialiter speciem intellectiua, est absolutum. Contrà, non potest intelligi intellectiua, vel vlla potentia, quin apprehendatur respectiua: ergo hic est de essentia eius. Respondetur, ex Scot. *Quodl.* 13. *ad* 1. quòd benè posset, si nomen impositum esset ad significandum absolutum eius præcisè; sed de facto nomẽ significat respectum, saltem connotatiuè, & idem est de operatione, de qua ibi egit Doctor. 4

Quare potentia recipit nomen quod sine respectu non sit absolutum.

Obiicitur tertiò, quia Scot. 1. *d.* 3. *q.* 1. videtur velle idem esse obiectũ voluntatis, & intellectus: ergo si valet ratio huius conclusionis, erunt eiusdem speciei. Respondetur, rationem esse bonam, quando potentiæ non sunt subordinatæ, nec vna alteram supponit, sicut voluntas supponit actum intellectus; quia tunc si obiectum est idem, non est vnde colligatur specifica distinctio, vt in casu; quia duo illi intellectus Angeli, & hominis 5.

Quando ex vnitate obiecti colligatur vnitas potentiæ.

non

non sunt subordinati, nec alter alterius actum supponit, & ideò cùm vnum sit obiectum, idémque modus, quo tenditur in illud, erunt eiusdem rationis; & idem est de visu hominis, & aquilæ, eâdem ratione. Vide Scotum *loco citato*.

Dico tertiò, idem dicendum est de voluntate nostra comparata ad Angelicam, sicut de vtroque intellectu dictum est. Hæc de se patet, & ex rationibus allatis.

An voluntas Angeli sit nobilior voluntate hominis?

Obiicies: quælibet voluntas Angelica est nobilior qualibet voluntate humanâ; ergo distinguuntur specie: quia inter indiuidua eiusdem speciei non est ordo, & vnum potest perfici, vt excedat alia, vel sunt omnia æqualia. Respondetur primò, ratione identitatis cum perfectiori natura, esse nobiliorem voluntatem Angeli, non formaliter. Secundò, probabile est etiam ipsas animas rationales esse nobilitate impares; de quo suprà *disput.* 1. *sect.* 10. quamuis eiusdem speciei: & sic non est inconueniens, quamlibet voluntatem Angeli esse nobiliorem omni voluntate humanâ, licèt ambæ sint eiusdem speciei.

DISPVTATIO IV.

De Anima separata.

ANIMAM esse naturâ suâ immortalem, fusè ostensum est *disp.* 1. *sect.* 11. & quamuis eius immortalitas rigidâ demonstratione non probetur *ex sect.* 13. quia tamẽ ex fide certò constat, & ex vrgẽtissimis rationibus naturalibus suadetur nullus Christianus de statu separationis eius dubitare potest. Vt igitur eius natura, & facultates meliùs capiantur, de statu eius solitario, seu à corpore seiuncto, sequentia adiungere libuit.

SECTIO I.

Vtrùm separatio sit Animæ violenta.

1. NOta per separationem intelligi animæ rationalis existentiam sine informatione, quia eius vnio cum corpore, informatio est: itaque separatio animæ priuatiuè opponitur informationi. Vnde nihil positiuum acquirit anima per separationem, quia illud præter, vel potiùs supra naturam foret, & consequenter perficeretur separatione, quod falsum est. Falsum ergo videtur Caietani assertum 3. *part. quæst.* 6. *art.* 3. *Animam dum separatur, semipersonam fieri*, quem meritò impugnant Conimbr. 2. *de Anima, cap.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2.

Quid sit violentum?

Nota secundò, ex Scoto 4. *d.* 43. *q.* 4. & *q.* 1. *Prol.* §. *Ad quæst.* Violentum illud esse, quod opponitur naturali inclinationi. Pro cuius explicatione aduertendum, si naturale sumatur vt principium actiuum, quòd tunc opponitur vel principio libero, (quia hoc libere se ad agendum determinat, illud necessitate naturali determinatum est,) vel supernaturali principio; quia hoc excedit ordinem actiui naturalis ad passum. Si verò consideretur vt passiuum, tunc ad suas perfectiones recipiendas naturaliter inclinatur; & quando contra hanc inclinationem patitur, violentari dicitur. Contingit autem passum quandoque non inclinari ad id quod recipit, neque ad oppositum

Naturale tripliciter sumitur.

eius, & tunc neutraliter se habet, id est, nec naturaliter, nec violenter; vt quando superficies recipit albedinem, quia non magis petit eam, quàm nigredinem. Et hinc infert Doctor, non violentari materiam primam, quia secundùm se non magis petit hanc formam, quàm illam, nec inclinatur contra aliquid, cuius est receptiua. Iuxta hoc expone definitionem violenti, datam 3. *Ethic. cap.* 1. *Violentum est, cuius principium est extra, non conferente vim passo.* Dicitur tamen aliquid violentari, latiori sensu, quando impeditur à suo effectu, vt ignis, si denegetur ei concursus ad comburendum, & accidens si non inhæreat; hoc ergo sensu quæritur, an anima violentetur, dum separatur.

Nota tertiò, certum esse, vt saluetur integritas, & pulchritudo vniuersi, naturale esse, quòd animæ vniantur suis corporibus, quia id postulat natura vniuersi. Sed quæstio est de particulari inclinatione ipsius animæ, quia particularis inclinatio sæpè est contraria inclinationi vniuersi, vt in ascensu aquæ ne detur vacuum, qui, (vt habet Doctor 3. *d.* 27. *n.* 15.) est aquæ violentus, licèt respectu vniuersi, sit naturalis. Vnde cùm dicit 4. *d.* 49. *q.* 13. *ad* 3. aquam esse sursum, vt saluetur plenum, non esse simpliciter violentum, immò quòd magis violentum esset, si descenderet, relicto vacuo; intelligit de violentia respectu vniuersi, non verò respectu ipsius aquæ, alioquin sibi contradiceret. 2.

Ascensus aquæ ad impediendum vacuum an sit naturalis.

Dico primò, separatio non est simpliciter violenta animæ rationali. est Scoti 4. *d.* 43. *q.* 2. §. *De tertia.* Auicen. 9. *Metaph.* 1. dicentis statum vnionis animæ, esse naturalem imperfectè, & separationis perfectè. Conimb. *tract. de An. separ. d.* 2. *art.* 2. Suar. *lib.* 6. *de An. c.* 9. Probatur primò. Quia animæ debetur perpetua duratio, & non in corpore, quod de se est mortale; ergo extrà. Secundò, anima clariùs cognoscet veritates separata, vt tenet Auic. 6. *Natur.* 1. *p. cap.* 6. & colligitur *ex illo Sap.* 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Vide Scot. 4. *dist.* 45. *q.* 1. *Argumento ad oppositum.* Tertiò, anima nata est informare corpus amissibiliter. Dices, mors est violenta homini; ergo. Respondetur homini sic, sed animæ non, ex 3. notabili.

Separatio non est simpliciter violenta animæ.

3. Dico secundò, separatio est naturalis secundariò animæ. Ratio, quia ex natura sua primariò desiderat informare corpus, & quia hoc non petit inamissibiliter, sed iuxta naturam corporis, secundariò inclinatur naturaliter ad statum separationis. Colligitur ex Scoto *d.* 5. *De tertia, n.* 15. Ferrar. 1. *cont. Gent. cap.* 83. Alij tenent separationem esse violentam. Conimbr *suprà* tenent esse neutralem, seu præter naturam.

Separatio est naturalis animæ secundariò.

Obiicitur primò, pars extra totum est imperfecta: ergo violenta. Respondetur antecedens verum esse de parte recipiente perfectionem à toto, anima autem potiùs dat; detur tamen esse aliqualem violentiam secundùm quid.

Obiicitur secundò, informare est animæ naturale; ergo separati violentum; quia hoc priuatinè opponitur illi. Respondetur, informare amissibiliter esse ei naturale, vnde secundariò petit separari.

4. Obiicitur tertiò, anima separata appetit naturaliter reuniri, vt tenet expresse Scotus 4. *d.* 43. *q.* 4. §. *Ad propositum*, vbi vult dari appetitum naturalem ad resurrectionem, & 2. *d.* 16. §. 2. *ratio, n.* 5. vbi admittit animam essentialiter (intellige radicaliter) esse actum corporis; ergo separari est ei violentum. Patet consequentia, quia non appetit simul opposita. Pro solutione huius

Dico tertiò, si compatetur anima ad corpus mortale, satis probabile est, nec illud appetere, nec oppositum naturaliter; & sic status separationis erit ei neuter. Colligi videtur ex Scoto *dicto* §. *De tertia*, vbi negat animam naturaliter propriè inclinari ad corpus; vel si sic inclinatur, quòd eius appetitus satiatus est, per hoc, quòd semel illud informauit; ergo secundùm eum, non manet ampliùs appetitus naturalis animæ ad illud; sed neque contra naturam est, vt vniatur; alioquin resurrectio foret contra naturam. Secundò, quia *d. q. 4.* dicit materiam primam non violentari, quia illi benè est, tam sub hac, quàm sub illa forma; sed animæ benè est in corpore propter sensationes, quas sine ipso habere nequit: & hac ratione vnitio cum corpore est ei aliqualiter naturalis, vt docet Scotus *dict.* §. *De tertia*. Eidem etiam benè est extra corpus, quia sic suas operationes spirituales perfectiùs, & expeditiùs exercet: ergo simpliciter naturaliter, neutrum horum statuum appetit. Per quod patet ad tertium argumentum in illo sensu.

Appetitus reunionis animæ an naturalis?

Anima non appetit naturaliter corpus mortale.

5\. Dico quartò, simpliciter naturaliter appetit animæ statum vnionis cum corpore immortali. Colligitur ex Scoto citato; si enim eatenus secundùm ipsum appetit vniri corpori mortali, vt habeat sensationes, & necesse est secundùm quid tantùm naturaliter appetat, quia illà vnione impeditur à suis perfectioribus operationibus; ergo simpliciter appetit statum illum, quo vtrasque operationes habebit perfectè; & hic est status resurrectionis, quem naturaliter appetit anima, vt docet Scotus *distinctione 43. quæstione 4.* Iuxta hunc sensum patet ad tertium argumentum.

Anima appetit naturali per vnionē ad corpus immortale.

Obiicitur: ergo resurrectio actiua erit naturalis, quia inclinationi passiuæ naturali, respondet actiua naturalis. Negatur sequela cum sua probatione; sed erit naturalis, vt opponitur violento, vt ait Doctor; non autem vt opponitur supernaturali; & datur appetitus naturalis inclinationis sine possibilitate assecutionis in appetente, vel vlla causa naturali, vt habet Doctor *ibi.* & *q.1. Prol. ad 1. pro opin. num. 25.* vbi etiam ad primum principale docet Deum clarè visum esse finem nostrum naturalem, sed non naturaliter attingibilem.

Resurrectio est naturalis, sed non naturaliter attingibilis.

6\. Obiicitur secundò, sequi hominem sine illo statu violentari; quia caret illo statu, quem naturaliter appetit: quâ ratione lapis sursum violentatur. Negatur sequela, cum Scoto *3. d. 13. q. 4. ad 2. pro q. 2.* sed tunc tantùm violentatur res, quando habet oppositum eius, ad quod inclinatur cum principio intrinseco determinato ad illud, vt in exemplo de lapide; & huiusmodi inclinatio est naturalis strictè sumpta: latiùs verò loquendo, res inclinatur ad suas perfectiones, vndecumque proueniat; & hoc sensu appetitus materiæ ad quamlibet formam potest dici naturalis; & cessabit inutilis contentio quorumdam Scotistarum de materiæ appetitu, an sit naturalis, vel neuter: non est naturalis strictè, ad hanc formam, alioquin sub alia esset violenter.

Carentia eius, ad quod est inclinatio naturalis, quando violentat?

Dico quintò, anima separata actu elicito appetere potest reunionem. Hæc de se satis patet, sed explicanda est; si enim non cognoscat possibilitatem vnionis, tantùm appetit actu inefficaci, seu conditionato, ex Scoto *2. d. 6. q. 1. §. Ad argumenta.* Si verò cognoscat, vt animæ beatæ; efficaciter appetit, iuxta illud *Apoc. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum, & clamabant: Vsquequo Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum.*

Anima actu elicito quomodo appetit resurrectionem?

SECTIO II.

Vtrùm species, & habitus manent in anima separata?

DE potentiis non quæritur; quia non distinguuntur realiter ab ipsa anima, & sic eam comitantur: verum est tamen organicas, quatenus includunt organum, distingui, & consequenter non comitari. 1.

Suppono ex dictis *quæst. 17. & in eius comment.* dari species, & sensibiles, & intelligibiles, ac etiam habitus ex Diuo Thoma *1. 2. q. 49. art. 1. & 4.* & Scoto *1. d. 17. q. 2. & 3.* Suppono etiam species manere pro aliquo tempore post actum transactum, ex dictis *in q. 14. & eius commentario*, de quo fusè Doct. *1. d. 3. q. 6. à n. 26.*

Dico primò, manent species, & habitus intellectus, & voluntatis hìc acquisiti, in anima separata. est communis, Scoti *4. d. 45. q. 1. §. Hic est, n. 3.* Diui Thomæ *1 part. quæst. 89. art. 5.* Probatur primò, quia huiusmodi qualitates sunt spirituales à corpore independentes; ergo manentibus suis subiectis non est quòd pereant. Aduerte tamen, non manere habitus imperfectos in Beatis, neque supernaturales in damnatis; sunt tamen quædam Thologica dubia circa hoc, quorum examinatio non est huius loci. Secundò, animæ separatæ recordantur præteritorum, *ex Luc. 16.* de quo postea, & tactum est *suprà in comment. ad q. 14.* Tertiò, species non dependent in *conseruari* à phantasmatibus, sicut nec ista à speciebus externis, neque habet contrarium: ergo.

Habitus, & species manent in anima separata.

2\. Obiicitur primò, quia species, & habitus intellectus non habent actus sine phantasmatibus; sed his caret anima separata: ergo. Respondetur, antecedens verum esse tantùm in statu vnionis cum corpore mortali.

Scientia quomodo destruatur in patria?

Obiicitur secundò, *1. Cor. 13.* dicitur scientiam destruendam post mortem. Respondetur cum Diuo Thoma *ibi lect. 3. & 1. p. quæst. 89. art. 5.* intelligi quoad ministerium sensuum: vel loquitur de scientia sumpta pro cognitione obscura.

Obiicitur tertiò, sequi impios doctos, futuros maioris scientiæ post mortem, quàm pios ignorantes. Respondetur, à Deo infundi maiorem scientiam ei qui sanctioris fuit vitæ. Diuus Thomas *d. art. 5. ad 2.* videtur concedere sequelam.

Doctiores in futura vita erunt, qui hic fuerunt sanctiores.

Dico secondò, nulli habitus corporei manent in anima separata. Ratio, quia accidentia pereunt cum subiecto, nec migrant de vno in aliud.

SECTIO III.

Vtrùm anima separata acquirit nouas species?

RESpondetur affirmatiuè. Scotus *4. d. 45. q. 1. § Contra istum, num. 5.* & idem tenet *de Angelo*, de quo est eadem ratio *2. d. 3. q. 11.* Conimbric. *tract. de Anima separ. d. 2. art. 5.* Gabr. *lect. 32 in can.* sed Conimbric. & Suarez *lib. 6. de statu Animæ, c. 6.* problematici sunt. Probatur primò, quia anima separata cognoscet res spirituales intuitiuè, sed huiusmodi res imprimunt species intellectui, sicut sensibilia sensui, vt habet Doctor *quodlibet. 15. artic. 1, §. Si verò teneretur.* Secundò, alioquin 1.

Spiritualia imprimunt species intellectui, sicut sensibilia sensui.

cum

cum communi concursu anima nullam posset habere actionem; per quod in imperfectissimo omnium creaturarum statu collocaretur, quia omnis alia creatura, cum communi influxu potest operari: & anima non potest operari, nisi per voluntatem, vel intellectum, & sibi relicta neutrius actum habere valet, secundùm oppositam sententiam. Tertiò, perfectionis est in anima vnita, quòd acquirat species, quibus cognoscat; & ad hunc finem habet intellectum agentem: ergo hoc ei non est denegandum in statu perfectiori separationis, quia *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, Sap 9. Quartò, nimiam distantiam obiecti impedire cognitionem spiritus creati ex eo constat, quòd Angeli in terram descendisse ad quædam exploranda leguntur. Et docet August. *lib de cura pro mortuis, cap.* 13. & Greg. 12. *Mor.* 13. quos sequitur D.Thom. 1.*p.q.*89.*art.*8. ergo necesse est species ab eis acquiri; quia si nihil facerent, non est cur eorum præsentia requiratur. D.Thom. 1.*p.q.*89.*art.*1.*ad* 3. negat animam separatam vllas species acquirere, vel conseruare, sed intelligere per species ab influentia diuini luminis participatas. Idem tenet de Angelis *q* 55.*art.*2. Pro qua sententia

Angeli ad nimiam distantiam non intelligũt obiecta.

2. Obiicitur primò, si anima separata posset acquirere species, frustra vniretur materiæ; & tamen hac ratione materia dicitur esse propter formam, 2. *Phys.text.*23. Respondetur cum Scot. cit. *ad* 1. esto ad hunc finem vniretur, non frustra vniri, licèt aliâ viâ idem finis acquiri possit, quia possunt esse diuersa media ad eundẽ finem. Secundò, anima primariò vnitur ad constituendum totum, & non præcisè gratiâ specierum colligendarum.

Anima non vnitur ad adquirendam cognitionem.

Obiicitur secundò, anima separata non accipit species à corporeis, quia contra eius dignitatem est, ab his dependere in sua cognitione: verbi gratiâ, quòd non possit videre colores sub terra, nisi emittant species, neque à spiritibus, quia hi nihil extra faciunt, nisi motum localem. Præterea non possent mittere nisi corporeas species; quia spatium tale est. Respondetur, animam (idem est de Angelo) cum re corporea coëfficere speciem, etiamsi res illa nõ emittat species ad ipsam, modò sit intra debitam distantiam: neque requiritur, quòd vna concausa insit alteri: de spirito, si vt causa totalis efficit speciem, (quod videtur tenere Scotus *quodlib.* 15 *cit.*) efficit eam in intellectu animæ, nihil causans in medio, cùm non sit capax huius formæ, neque alterius instar dispositionis ad eam requisitæ. de quo Doct. 2.*d.*9.*q.*2. & 1.*d.*37. Si verò vt causa partialis concurrit cum intellectu ad efficiendum speciem, & tunc etiam nihil fit in medio. Quod additur spiritum nihil ad extra facere, nisi motum localem; verum est, loquendo de actione in corpus, vel causatione totali, non aliter. Adde, verius esse, causare impulsum in corpus, de quo *sect. vltima*, contra primam partem huius solutionis.

Quomodo corpus concurrat ad speciẽ spiritualem?

Species intelligibilis non fit in medio.

3. Obiicitur tertiò, agens est præstantius patiente, ex August. 12. *de Gen. ad lit.* 26. ergo corpus non agit quicquam in spiritum. Respondetur cum Doct. 2.*d.*3.*q.*11. *ad* 2. verum esse actione totali, sed partiali benè potest agere, manente præstantiâ spiritus super corpus. vide plura in Doctor. vtroque loco cit.

Petes an per species tales cognoscat anima separata Angelos, & alias animas? Respondetur cognoscere cointuitiuè, & abstractiuè in particulari, distinctè, & determinatè, & quoad abstractiuam, hoc fit per illas species acquisitas, nisi fortè Deus in separatione aliquas infuderit: quo casu ad earum obiecta cognoscenda non est opus alias acquirere. Est contra D.Thom. *d.q.*89.*art.*2. & 3. vbi tantùm tribuit animæ separatæ cognitionem confusam, & veluti in genere respectu Angelorum, & consequenter idem diceret quoad alias animas. Sed cùm contineantur intra obiectum proportionatum intellectus animæ si debitè approximentur, manifestum est, quod distinctè, & in particulari ab ea cognosci possunt.

Anima separata distinctè cognoscit Angelos & alias animas.

4. Petes secundò, an anima separata potest ab omni cognitione sui cessare? D. Thom. *q.* 8. *de verit. art.* 6. *ad* 7. Capr. 2.*d.*3.*q.*2.*ad* 2. *contra* 5. *concl.* & alij Thomistæ hoc de Angelo negant: de quo est eadem ratio, ac de anima separata. Primò, quia apertis oculis non possumus non videre lucida approximata. Secundò, non potest quis cessare à consideratione doloris vehementis: ergo neque à consideratione delectationis intensa, qualem habet Angelus de sua essentia, etiamsi diuinam essentiam non videret. Verius tamen videtur oppositum, quod tenet Molin. 1.*p.q.*56.*art.*1. *ad* 2. Conimbr. *tr. de Anim. separ. d.* 4.*art.*1. quia Angelus est finitus, liber, & intellectus eius est ad certum numerum obiectorum determinatus; nihil ergo obstat, quominus se applicet ad alia obiecta, ita vt se non videat. Ad primum, diuersio intellectus est instar auersionis oculorum. Ad secundum possunt alia æquè, & quandoque pulchriora occurrere, delectationem causantia, & à propria consideratione diuertentia.

An Angelus possit se non videre?

SECTIO IV.

Vtrùm anima separata recordatur eorum, quæ coniuncta nouit, vel fecit?

1. DE hoc fusè tradit Scotus 4.*d.*45 *q.*3. Ex quo describi potest recordatio, sic; quòd sit *Cogita o actus præteriti in quantum præteriti* Quatenus est circa præteritum, requiritur primò, quòd sit post tempus; secundò, quòd cognoscatur distantia temporis, quo habitus est actus, ab eo quo habetur eius recordatio. Tertiò, quòd ubiectum sit præsens in specie. Item, quoad actum recordationis, habet duplex obiectum. Remotum, circa quod aliàs actus habitus est; & proximum, ipsum actum præteritum, & proprium; quia de alio non est recordatio. Requiritur etiam species ipsius actus præteriti manens, sine qua non differret recordatio ab abstractiua rei notitia. de his fusè Doctor citatus.

Obiectum recordationis duplex: proximum, & remotum!

Dico primò, datur memoria intellectiua. est Arist. *lib de Mem. & Reminiscentia*, vbi dicit, quòd quorundam intelligibilium recordamur. Vnde alia loca eius apud Scot. *art.* 2. Probatur experientiâ, quia recordamur volitionum, & intellectionum præteritarum, quas non nouit sensus. de quo dixi *disp.*3.*sect.*2.

2. Dico secundò, anima separata potest recordari præteritorum: habetur ex illo Lucæ 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, &c. Idem habet August. in id, *Fiant filij eius orphani*, Psalm. 108. & docet Gregor. 4. *Mor. circa finem in id Iob* 32. & fundat se super illud Psalm. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo. Quomodo* (inquit) *in æternum misericordiam canit, qui miseriæ non meminerit?* Probatur ratione, primò ex Doct. quia alioquin, non haberent animæ materiam agendi

Anima separata recordatur præteritorum.

gratias Deo pro peccatis eis remissis, & ridiculum est dicere, quòd Lucifer non recordatur se offendisse Deum. Secundò, manent species in anima separata, *ex sect.2.* ergo recordatur per eas. Vide dicta *disput.3. sect.2.*

Sectio V.

Vtrùm anima separata cognoscere potest secreta cordis, seu actus liberos internos aliorum?

1. DE hoc fusè agitur in materia de Angelis. D.Thomas cum suis negat 1.*p.q.*57. *artic.*4. Ratio eorum est, quia voluntas rationalis soli Deo subest, & ideò quæ ex ea dependent, soli Deo sunt nota. Oppositum tenet Scot.2.*d.*9.*q.*2. *ad* 1. & 4.*d.*10.*q.*8. *ad* 3. & *d.*45. *q.*4. *ad* 2. quibus locis tenet Angelum(idem est de anima separata) posse videre cogitationes cordis, si permitteretur. Sequitur Occam 2. *quæst.*20. & *quodl.*14.*quæst.*13. Gabr. 2. *d.*9. *q.*2. *art.*2. & *lect.*31. *in Can.* Bassol. 2. *d.*9.*q.*2. Maior *q.*3. Leuchet.*q.*1. Holcot.2.*q.*4.*ad* 2. Fauet Herueus 3.*d.*8.*q.*3. Durand. 2.*d.*3.*q.*7.*n.*18. & *q.*8 *num.*6. dicentes solùm abscondi posse actus intentionem. Probatur primò, ex Scot. quia non est magis improportionatus actus voluntatis intellectui separato, quàm ipsa voluntas, quam tamen videre potest.

Si dicas, quòd occultatur actus. Contrà, hoc erit aliâ volitione; ergo illa videri potest, nisi aliâ volitione occultetur; & sic in infinitum. Respondet Caiet. voluntatem esse ordinis naturalis, actum non. Contrà, non magis dependet actus à dominio voluntatis, quàm hæc à dominio Dei: ergo si ista dependentia excludit ab ordine naturali actum, idem erit de voluntate Confirmatur, libertas non est aliquid essentiale, vel intrinsecum actui, sed tantùm respectus ad dominium causæ, ex dictis *sect* 15. *disp. præced.* ergo si videt anima actum necessarium, idem erit de libero. Patet consequentia; quia contingit eundem actum de necessario fieri liberum, vt *ibi* dixi.

2. *Causæ æquè perfectæ possunt in effectum æquè perfectos.*

Secundò, intellectus videt actus liberos proprios: ergo aliàs intellectus, saltem perfectior, videre potest eosdem: quia causæ æquè perfectæ possunt in effectus æquè perfectos eiusdem rationis: verbi gratia, si hic ignis comburit hoc lignum, omnis ignis æquè perfectus, vel perfectior idem præstare potest: & si hoc coloratum videri potest ab hoc oculo, potest & ab omni alio æquè perfecto, vel perfectiori.

Responderi potest ex Caiet.*d.art.*4. quòd argumentum supponit falsum, nempe Angelum, vel animam accipere cognitionem à rebus, cùm tantùm cognoscat per species innatas. Contrà. Primò, quia optimè probat Scot.2. *d.*3. *q.*11. Angelum posse accipere species à rebus, alioquin esset imperfectissimus inter substantias. Secundò, quâcumque specie acquisitâ, vel innatâ, cognoscit actum necessarium, vel licentiante eliciente liberum secundùm se, per eandem, posse videre actum liberum secundùm se, probat argumentum. Præterea, habet quis speciem, quâ actum suum liberum cognoscit, vel eum sine specie intuetur: ergo habet etiam, vel potest habere speciem acquisitam, vel innatam ad similem actum in alio cognoscendum, vel eum sine specie intuebitur; alioquin non poterit eum videre, etiamsi voluerit operans.

Quicquid actum necessarium repræsentat, videtur repræsentare actū liberum, saltem secundùm entitatem.

3. *An cognoscat anima separata actus appetitus, & phantasias.*

Tertiò, sequeretur quòd intellectus separatus non posset videre actus appetitus, vel phantasiæ, quia participant rationem, & libertatem, vt ait D.Thom. citatus *ad* 3. consequens est absurdum: ergo. Sequela patet, quia actus illi dependent à dominio voluntatis, quo imperantur; & præterea sunt minùs proportionati voluntati, quia corporei; quàm actus spirituales intellectus.

Dices, non dependere immediatè à dominio voluntatis. Contrà primò, quia idem est de actibus intellectus: ergo omnes cogitationes intellectus videri possunt ab intellectu separato, quod negas. Secundò, effectus omnes dependent immediatè quoad *esse*, & *non esse* à dominio voluntatis Dei; & propter hoc non effugiunt cognitionem intellectus separati: ergo neque effugient actus propter dominium immediatum voluntatis creatæ. Confirmatur, si Deus reproduceret actum meum internum, posset ab intellectu separato videri; ergo, & antea potuit. Patet consequentia, quia actus est idem numero & potentia cognitiua eadem, omnino immutata, & naturalis; ergo sequetur idem effectus. Patet consequentia, quia, vt ait Aristot. 2. *de Gen. an. com.*56. *Idem manens idem, semper natum est facere idem.*

Si Deus reproduceret actum meum liberum, posset videri ab anima separata.

4. Obiicies ex D.Thoma citato Ierem.17 *Ego Dominus, scrutans, & probans renes.* Respondetur hinc, & ex multis aliis locis Scripturæ & Patrum, constat intellectum separatum non habere potentiam proximam ad cogitationes cordis intelligendas, non tamen probatur quin ex parte sua habeat, quod requiritur, si reliqua extrinseca ponerentur; quare autem non ponantur, Deus scit; nobis certò constat multa posse spiritus malos circa nos, quæ facere non permittuntur, vt ait Magister 2.*d.*7.*c.vlt.* & Scot.4.*d.*10.*q* 8.*ad* 3. Deo, vel superioribus Angelis impedientibus. Quâ ratione magi, qui operâ dæmonum fecerunt ranas, cyniphes facere non potuerunt. Vnde August.3 *sup. Gen.*9. *Quid autem per naturam possint, & non possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem, non sinantur homini explorare difficile, imò impossibile est.* Per hoc expediuntur multa argumenta contra hanc sententiam: quia fatemur intellectum separatum non habere potentiam proximam ad cogitationes cordis cognoscendas per quod satisfit omnibus authoritatibus, id reseruantibus Deo. Addimus tamen, si haberet paratum Dei concursum, quòd posset eas cognoscere; quod est habere potentiam remotam, non proximam, vt benè explicat Doct. 4. *d.* 49. *q.*6. §. *Dico ergo, num.*10. Sed quia ex professo de hoc agitur, tractando de Angelis, non immoror.

Multa possunt dæmones, quæ facere ut permittuntur.

Sectio VI.

De loco, & motione locali animæ separatæ.

CErtum est animam non esse in loco quantitatiuè, vel descriptiuè; quia quantitate, & partibus caret; sed quæritur de eius præsentia reali, an sit hic, vel ibi. Ad quod 1.

Dico primò, anima est in aliquo determinato *vbi*, seu præsentia. In hoc omnes conueniunt, quia non est vbique, neque nullibi: & fides est, quòd animæ beatæ sunt in cœlo, & damnatæ in inferno.

Dico secundò, anima non est in loco per operationem. est Scoti 2.*d.*2.*q.*6.& contra D.Thom.

1.p.

1 p.q.52. art.1. & eius discipulos ibi, tenentes Angelos, (idem est de anima,) esse in loco per operationem, seu applicationem virtutis, vt loquitur D. Thomas. Probatur primò, ex articulo Parisiensi, quo oppositum damnatur. Secundò, ad hominem; quia D. Thomas *1. part. q.8. art.1.* probat Deum ex operatione esse vbique secundùm substantiam; ergo petit principium, vel admittit præsentiam distinctam ab operatione. Tertiò, si operatio est spiritualis, non est maior ratio de eius locatione, quàm de ipsius animæ, si transiens, & corporea, erit in loco commensuratiuè.

Animam nõ esse in loco per operationem.

2. Quartò, sit anima, vel Angelus in manu mea per operationem, vt tu dicis; & denegет Deus ei concursum ad omnem operationem; (quod non repugnat) manebit ibidem; quia sine actione non potest inde discedere; ergo sine operatione est præsens manui. Hoc manuali argumento vexaui semel quendam Thomistam in disputatione publica, qui sustinebat, (sed à se solo intellectus,) eo casu Angelum illum nullibi esse. Contrà, replicabam ab altero Angelo intuitiuè videri in superficie concaua manus, sicut ante denegatum concursum videbatur; & responsum est per clamores satis quidem audibiles, sed auditorio inintelligibiles. Quintò sequeretur quòd posset nullibi esse; quia cessare posset, saltem Deo denegante concursum, ab omni operatione. Vide plura apud Scotum citatum, qui pro hoc adducit Damasc. Nazianzenum, Augustinum. de quo fusiùs in materia de Angelis.

3. Dico tertiò, anima est in loco fundamentaliter per suam substantiam, & formaliter per præsentiam, quæ est respectus ad id, cui præsens est. Doctor citatus. Prima pars patet ex *conclus.2.* quia si operatio, vel accidens non est fundamentum illius præsentiæ, ipsa substantia erit. Secunda pars probatur, quia anima non habet aliud *esse* in loco, quàm *esse* præsens alicui spatio, hoc autem conuenit ei formaliter per ipsam præsentiam, verbi gratiâ, anima pueri in Lymbo, etiamsi cessarent circa eam omnes passiones, præsens esset illi spatio, & nihil tunc haberet nisi substantiam, & respectum præsentiæ. de quo latè Doct. *d.q.6.*

Anima per substantiam est in loco.

Dico quartò, habet locum determinatum secundùm magnitudinem, quia non est immensa; & fortè etiam secundùm paruitatem. Ita Scot. *1. d. 2. q 6.* vbi dubius est an Angelus potest esse in puncto, vel in loco minori quocumque designato; videtur verius, quod non, propter argumentum Mathematicum, quod ibi habet; quia quod potest esse in vno æqualium, potest esse & in reliquo, si non obstat figura; & sic si anima potest esse in loco minori quocumque assignabili, sequitur quòd poterit à cœlo vsque in terram protendi, quia corpus quodcumque in quo esset, posset in infinitum protendi; consequens est absurdum, quia Damasc. *lib.2. cap 3. ante medium,* ait non esse in cœlo cùm versatur in terra, & idem habet Greg. *1. Mor. cap. 1. & Hom 34. in Euangelia.* & Didymus *lib.1 de Spiritu sancto, post princip.* Respondet Caiet. *1. p q.52. art.1.* & Vasq. *ibi d.192. cap. 3.* id tantùm esse verum de corporibus, quia habent partes.

Quod potest esse in vno æqualium, potest esse in reliquo, si non obstat figura.

4. Contrà, etsi spiritus non habeat partes, tamen extenditur, & occupat totum spatium corporis, quod informat, vel cui assistit. Neque ratione figuræ, quia nullam habet; repugnat ei sic, vel sic extendi; quia nullum petit situm; ergo quantum dimittit secundùm latitudinem, & profunditatem sui loci, posset assumere secundùm longitudinem. Possunt autem illæ duæ dimensiones in infinitum diuidi; ergo & longitudo in infinitum protendi. Vnde Maior *1. d. 2. q.9.* concedit Angelum posse esse in linea à cœlo vsque ad terram protésa; quod & ego verum puto, si teneatur posse esse in puncto, vel in loco minori quocumque assignabili. Neque id videtur contra Patres citatos, qui tantùm volunt, non posse esse in cœlo, & in terra, replendo vtrumque.

Dico quintò, non est in loco naturaliter: Scot. *suprà*, quia alioquin esset alicubi violenter, & locus esset cõseruatiuus, vel corruptiuus eius. Confirmatur, quia hac ratione Auicen. *9. Met. c.2.* docet motum cœli non esse naturalem, quia terminaretur ad quietem naturalem, & motus ab illa quiete foret violentus. Ex quo sequitur quòd potentia passiua animæ ad essẽdum in loco, est neutra, sicut superficiei ad albedinem, quia nõ magis petit hunc locum, quàm eius oppositum; quod intellige iuxta dicta *sect.1. conc.4 obiect.2.* scilicet esse neutrum, vt opponitur appetitui naturali, & violento strictè sumptis, quia latiùs sumendo appetitum naturalem, est ad omnem perfectionem passiui; & sic materia prima naturaliter appetit formam, & homo beatitudinem, & superficies albedinem; per quod conciliata manent loca Scoti ibi adducta.

Anima non est in loco naturaliter.

Potentia animæ ad essendum in loco est neutra, & quo sensu.

Dico sextò, anima separata mouetur localiter, 5.
cùm eius præsentia ad spatium mutatur, vt cùm anima Christi descendit ad inferos, & cùm cæteræ in cœlum, purgatorium, vel infernum migrãt. Sed dubium est an anima se mutare potest; & quidam negant Ita præter Dur. *3. d.22. q.3.* & Mirand. *q.1. Apologetici,* qui de hac re malè sentiũt; quia vidẽtur asserere eã omnino immobilem. Quos citat Suar. *2. tom.3 p d.45 sect.2.* Tenent quidã Thomistæ, vt referũt Conimb. *tr. de An. separata, d.6. a.2.*

Quomodo anima separata mouetur localiter?

Dico septimò, anima separata potest se loco mouere; Scot. *4. d.10. q.7* §. Respondeo, *& d.49. q.14.* Probatur ex descensu animæ Christi; & quia hoc conuenit omnibus animalibus: ergo & animæ. Secundò, in corpore se mouet; ergo & extra. Tertiò, aliæ actiones perfectiores conueniunt ei, vt intelligere, & velle: ergo. Quartò, ex rationibus conclusionis sequentis.

Anima potest se loco mouere.

Maior difficultas est an anima separata possit secum mouere aliquid aliud. Et negat D. Thom. *1. p. q.114 a.4.* vbi Caiet. *& q.16 de malo, art.10.* Suar. *6. de An. cap.2. & in Met. d.35. sect.46.* Soto *4. d 45. q.1 art.3.*

Dico octauò, potest anima mouere secum alias 6.
res instar Angeli. Ita Scot. citatus, Abulens. *in 9. Matth q.124.* Ægid *quodl.4. q.17.* Bassul. *4. d.49. q.2. art.1.* Maior *q 8.* Aureol. apud Capreolum *4. d vlt. q 2.* Conimbr. *suprà,* qui cum his citant Galenum, *lib. de Tremore, & Rigore,* & Clem. Alex. *6. Strom.* Probatur primò, omne quod se mouet, siue animatum sit, siue non, potest aliquid secum mouere; vt patet experientiâ, & inductione: ergo hoc non est denegandum animæ. Secundò, hoc non est denegandum animæ ratione perfectionis eius, cùm conueniat Angelo; neque imperfectionis, cùm competat corpori, & perfectiores actus ei conueniant. Tertiò, quia corpora gloriosa mouebuntur, iuxta illud, *Volabunt, & non deficient,* & non nisi ab anima. de quo *4. d.49 q.14.* Quartò, non potest assignari ratio cur hoc conueniat Angelo, & non animæ. Quintò, Christus *Luc. 4.* videtur vsus hac potestate, mouendo corpus inorganicè, quando

Anima potest secum mouere alias res.

Anima separata potest mouere corpus.

An Christus aliquãdo mouit corpus suũ inorganicè, ante resurrectionem?

volebant eum præcipitare. Sextò, quia animæ defunctorum apparent cum corporibus assumptis, Deo id aliquo bono fine permittente, vt cum Chrysost. latiùs tradit Abulens. citatus; & tenent Augustinus, Gregorius, Eusebius, Theodorus, quos citat Bellarminus *lib. 2. de Purgat. c.* 8. de quo videri potest etiam Abulens. *in* 25. *Matth. q.* 75. D.Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 8. talem regressum animarum miraculo ascribit, quod verum est; quia etsi suis viribus relictæ redire possint, statutum est, ne redeant, nisi specialiter permittantur: & ratione illius statuti communis, quidam Patres omnino eis negant regressum. de quo 4. *Reg.* 22. *& Iob* 23. & alibi.

Animæ defunctorũ assumũt quandoque corpora.

7. Et hinc orta est controuersia de anima Samuelis, an verè apparuit Sauli, néc ne, 1 *Reg.* 18. de quo Aug. *lib.* 2. *ad Simplic. q.* 2. *& q.* 27. *in vetus, nouumque Testamentum*, *& lib.* 2. *de mirab. S. Scripturæ, cap.* 11. Iustin. *q.* 52. *ad Gentes* Abul. Lyran & alij interpretes *in dictum locum*; & verior videtur pars affirmans, maximè *ex cap* 46. *Ecclesiastici*, vbi inter laudes Samuelis ponitur, prophetasse post mortem, vt notauit D.Thom. *suprà*; neque enim laus esset si dæmon aliquis prædixisset, quæ ipsi tribuuntur. Sed contra has duas conclusiones

An anima Samuelis verè apparuit Sauli?

Obiicitur primò, *Luc.* 16. mendicus Lazarus portatur in sinum Abrahæ: & idem refert Greg. 1. *dial.* 9. *de Anima Marcelli*; ergo ipsæ animæ non se mouent, alioquin non mouerentur. Respondetur, ipsæ se mouent, siue in cœlum, purgatorium, vel infernum eant; tamen deportari dicuntur, quia si in cœlum eunt, honorantur comitatu Angelorum, vt passim in vitis Sanctorum legitur; si in infernum, à dæmonibus, vt captiui ducuntur. Vnde Aug. *Serm.* 176. & alij dicunt Christum in ascensione, non in auxilium necessitatis, sed in obsequium diuinitatis euectum, illatúmque cœlo fuisse.

Quomodo Christus in cœlum euectus dicitur?

8. Obiicitur secundò, animæ hîc nulla signa præbent talis potentiæ motricis, sicut præbent voluntatis, & intellectus; ergo gratis ponitur. Respondetur, Christus & multi Sancti vsi sunt illâ potentiâ mouendi inorganicè, neque ita necessarius est eius vsus sicut voluntaris, & intellectus, vt signa eius sæpiùs ostendantur.

Dices, Sanctos miraculo sic motos. Respondetur, miraculum potuit esse in permissione motionis præter regulatem, & communem modum: sic miraculum fuit transfiguratio Domini, in eo quòd permissa est gloria animæ in corpus redundare, cùm reliquo vitæ tempore in ipsa anima repressa esset. Vide Scot. 3. *d.* 18. *num.* 15. Si defectus permissionis non sit causa, fateor me nescire, quare anima in hac vita non sic mouet suum corpus, sicut post resurrectionem mouebit, tenendo quòd suis viribus tunc mouebit.

9. Obiicitur tertiò, ex Suar. *suprà*, quia anima est forma interna corporis: ergo non potest aliquid corporeum mouere, nisi medio corpore, quod informat. Respondetur, etsi forma sit, quia tamen spiritus est per se subsistens, habet omnes potentias, quas habet Angelus: & indignum videtur, quòd ei denegetur posse ferre vnum granum tritici, quod formicæ conceditur.

Obiicitur quartò, sequi animam posse se corpore expedire, & ad illud redire. Respondetur, motionem localem esse liberam animæ, vnionem verò cum corpore naturalem; & ideò non potest eam soluere, sicut nec facere. Dices, abscisso brachio retrahit se, dissoluendo vnionem, & similiter

An anima potest soluere vnionẽ cum aliqua parte corporis, vel eam facere?

ab extremis pedum, dum quis est moribundus. Item, extendit se ad partes alimenti, in augmento; faciens nouam vnionem. Respondetur, hæc experientia satis probabiliter suadet intra magnitudinem debitam corpori, animam posse se retrahere & extendere; verius tamen est quòd vnionem non efficit. Occam tamen 4. *q.* 10. tenet id ratione non probari. Scaliger *Exercit.* 307. *n.* 18. putat huiusmodi experimenta vrgere pro sententia Platonis tenentis animam esse in corpore instar nautæ in naui. vide Henric. *quodl.* 11. *q.* 14.

Obiicitur quintò, sequi in anima esse duas potentias motiuas, organicam, & inorganicam: ergo similiter habet duos appetitus, organicum, & inorganicum, & sic de aliis potentiis. Respondetur, potentia operatiua organica dicitur, cuius subiectum est organum corporeum, quod est pars aliqua corporis. Inorganica ei opposita, est quæ tali organo caret; qualis est omnis potentia spiritualis; at potentia factiua organica, qualis est locomotiua, dicitur quæ mouet vnam partem mediante aliâ; & sic mouet progressiuè. Si autem simul omnes partes mouet, inorganica dicitur: & sic benè, vna tantùm potentia est, quæ duplici modo mouet, & de se magis inorganica est. vt docet Scot. *d.* 14. *q.* 14. §. *Sed de potentia*, quia ex indispositione partium est, quòd non mouet omnes simul: vnde videtur quòd inorganicè mouet totum cor, quia partes eius videntur omnino conformes. Contrà, demus quòd omnes partes totius corporis fierent omnino vniformes, adhuc anima non moueret inorganicè, alioquin hic haberet corpora agilitatis. Respondet Doctor §. *Respondeo ergo*, dotem illam conferri sine vllo supernaturali superaddito, per hoc tantùm quòd vis motrix animæ perficiatur, & impedimentum duplex corporis tollatur; vnum ex iuncturis, & neruis, cuius ablatio expeditissimum facit mutũ progressiuum, alterum ex toto corpore, commutando eius humores, & spiritus grossos in subtiles, & viuidos, quo reddatur agile, & aptum ad motum inorganicum. 10.

Potentia organica, & inorganica.

Eadem potentia est motiua organicè, & inorganicè.

Dos agilitatis in quo consistat.

Verum plura hic occurrunt difficilia, sed in proprium locum remittuntur exactiùs examinanda. Breuiter dico, illa impedimenta corporis non obstare motui inorganico eius, sed tantùm maioris facilitati motus; quia corpus mortuum habet grauiores, & grossiores spiritus, vt ibi dicit Doctor, & tamen potest ab anima separata inorganicè moueri, vt ipse etiam dicit, §. *Sed de potentia.* Potest ergo dici horum impedimentorum ablationem requiri, non tantùm, vt corpus sit aptius passiuè moueri, sed etiam vt concurrat actiuè ad motionem, etiam inorganicam. Pro quo facit, quod suprà dixi *disp.* 2. *sect.* 6. vim motricem inesse ipsis membris. 11.

Anima separata potest inorganicè mouere corpus mortuũ.

Sed hoc difficile est, quia per musculos in tali motu membra non cientur, sed se habent ac si ferrea essent, & sine vllis iuncturis: & sic vis motrix in eis, nihil facit. Responderi potest, ad hunc motum facere, quòd membra citissimè, & agillimè se aptent, & moueant, secundùm situm, vt sic vel sic ab anima inorganicè moueantur, in hoc enim relcuatur vix motrix animæ magis quàm si cadauer mouetet.

Dices, esto aliquid fiat hac viâ, vt motus hic facilitetur, sequitur tamen ex dictis, quòd in hac vita potest anima sic mouere, esto non ita facilè, ac post resurrectionem. Respondetur, ita videtur tenendum, secundùm Scotum, quantum est ex parte animæ, si concursus ex parte Dei adesset. 12.

An anima pro hoc statu potest mouere aliquid inorganicè?

Fateor

Fateor mihi non occurrere rationem, quæ oppositum suadeat: hoc certum de facto regulariter, sic non posse mouere; an verò defectu intrinsecæ potentiæ id eueniat, vel aliunde, non constat. Vide *disp. 2. sect. 6. fine*. Scotus *supra* asserens dotem agilitatis, sine vllo supernaturali addito obtineri, videtur innuere, motum huiusmodi ipsis animæ viribus competere, modò nullum habeat impedimentum, quod minime habet, si sit separata, vel corpori glorioso vnita: sed nihil hîc assero, præter meam ignorantiam.

13. *Quomodo ait Doctor vim motricē animæ intendi?*

Quod ait vim motricem intendi in statu gloriæ, quia pro nunc vel impedita est per corpus, vel imminuta, ne sic mouere possit, obscurum est; fortè vult ob peccatum, propter quod anima corpus mortale, vt miserum (cuius membra, & potentiæ inferiores rebellant) informat, talem motum impediri, & per intensionem virtutis motiuæ intelligit cessationem huius infirmationis, & rebellionis; quia tunc anima expeditiùs potest vacare motioni; vel per eam intelligit qualitates superadditas facilitaotes motum, ipsi corpori inhærentes. Dixi, *qualitates*, quia vna ad omnia vbi minimè sufficeret, vt habet Doctor *loco citato, §. 4. est videndum*. Quòd verò non intendat vim motiuam animæ in se intendi, ex eo patet; quia hæc secundùm ipsum, & aliæ potentiæ non distinguuntur ab ipsa anima, quæ minimè intendi potest. Adde, posse dici vim motricem accidentalem spiritualem intendi posse, quia etiam impulsus talis datur, vt dicam *sect. seq.* & sicut datur qualitas aliqua in magnete, per quam causet impulsum attractiuum in ferro, ita diceretur causari qualitatem spiritualem nobis ignotam in anima, quâ causet impulsum in corpore. Sed hæc sufficiant in re dubia, vbi & ipse Doctor dubius manere voluit. De dote agilitatis tot ferè Doctorum sensus, quot capita; an verò animæ sint pares perfectione, dixi *disp. 1.*

SECTIO VII.

Vtrùm anima separata moueat per impulsum?

1. *Impulsum causari in proiecto, vel re mota.*

QVando vnum corpus mouet aliud, motus fit per aliquam qualitatem à mouente, in id quod mouetur, impressam, quæ impetus, vel impulsus dicitur. Ratio est, quia tale non mouetur à se, alioquin motus esset naturalis; nec ab aëre à parte antè; quia is potiùs impellitur; nec à parte pòst, quia is mouetur ad replendum vacuum: nec à proiiciente, quia potest non existere, antequam cesset motus; ne ergo detur effectus sine causa, oportet concedere impulsum in re mota, seu proiecta. Quæritur igitur, an quando spiritus mouet corpus, talem in eo causet impulsum? Negat Suarez *in Metaph. disp. 35. sect. 6.* admittit tamen, si spiritus moueat vnum corpus, mediante alio, in corpore mediatè moto, causari impulsum, sed ab altero corpore, quod immediatè à spiritu sine impulsu mouetur. Ratio eius est, quia spiritus creatus nullam qualitatem efficere potest, educendo eam de potentia subiecti.

Anima imprimit impulsum in mobile.

Verius tamen videtur, animam, & Angelum impulsum imprimere in corpora, quæ mouent. Ita Vasquez *1. p. d. 192. c. 2.* Probatur; quia si hoc negetur, etiam eâdem ratione negandum erit à corpore mouente impulsum imprimi: si enim semel demus motum sine tali impulsu, omnino negandus erit. Imprimitur ergo à spiritu aliqua qualitas similis grauitati, leuitati, vel illi, quam imprimit magnes, vel illi, quam forte habent omnia corpora ad replendum vacuum. Si tamen resistentia corporis mouendi sit maior, quàm qualitas illa, non habebit actum motionis, vt cùm quis percutit truncum arboris, vel magnum saxum. Contingit autem talem impulsum esse naturalem, vt cùm proiicitur graue deorsum, & tunc suo motu augetur, eo fere modo quo habitus suo actu; sed absente mouente successiuè minuitur, eius naturâ id postulante; quia motus efficiendi causa, qui successiuus est, à natura datur.

Impulsus quomodo augetur, & diminuitur?

Ad rationem Suarez Angelus potest ipsum motum de corpore educere: ergo nihil vetat, quin qualitatem ad eum requisitam sic educere valeat. Verùm est quòd illas formas producere nequeunt spiritus, quæ ad generationes substantiales ordinantur, vel sequuntur. 2.

Quas formas potest Angelus educere de potentia subiecti?

Obiicitur secundò, sequitur quòd Deus non posset mouere sine impulsu; aut si potest, idem erit de anima separata. Respondetur, Deum se solo facere posse, quidquid per aliud absolutum facit, non sic de anima: loquor de efficientia, quia effectus formalis suppleri nequit.

Obiicitur tertiò, anima ipsa moueri potest ab Angelo sine impulsu: ergo idem de corpore. Respondetur, consequenter loquendo, potentiam motricem spiritualem, imprimere impulsum spiritualem, vel corporalem, iuxta naturam mobilis.

An detur impulsus spiritualis in mobili.

Obiicitur quartò, sequeretur impulsus esse diuersæ speciei, quia impulsus sursum corrumpit impulsum deorsum. Consequens videtur falsum, quia virtus attractiua magnetis sursum, & deorsum est eadem, etiam numero; & sicut actus huius est coniungere aliud corpus attrahenti, ita actus impulsus est separare proiectum a proiiciente. Respondetur, vnum illorum impulsuum non corrumpere alium, nisi per accidens, quatenus mediante impulsu deorsum, aliquod mobile obuiat corpori moto sursum, quod resistit motui, & resisteret si ibi esset, etiam sine vllo impulsu. Contrà, esto corpus ita obuians sine impulsu resisteret, tamen constat experientiâ, maiori velocitate moueri deorsum, quod proiiciebatur sursum, quando obuiat aliud corpus impulsu motum deorsum: ergo ille excessus contrarij motus, in velocitate est ab illo impulsu deorsum, & per consequens vnus impulsus alteri contrarius est, & diuersæ speciei. 3.

Vna est virtus, quâ magnes ab omni parte attrahit ferrum.

Respondetur, Scotus *2. d. 13 art. 3.* ait, dum virtus actiua non potest agere in rectum, quòd agit in obliquum, vel reflectit; vnde ibidem, & *quodlib. 14. in fine*, docet rem, quæ emittit speciem, in speculo videri, & non ipsam speciem, quia obiectum efficit illam speciem reflexe, cùm non potuerit, obstante speculo, eam facere in rectum. Iuxta hoc videtur dicendum, impulsum, quando in rectum mouere nequit, obstante alio corpore, vt cùm percutitur pila ad parietem, mouere reflexè. Vnde sicut idem numero radius, partim rectè, & partim reflexè efficitur, sic idem impulsus partim sursum, & partim deorsum mouet; quia hinc est partim reflexè mouere. 4.

An impulsus sint sibi contrarij, vel diuersæ speciei?

An idem impulsus sursum & deorsum moueat?

Sed adhuc manet difficultas, vnde causatur illa maior velocitas motus deorsum, quando occurrit corpori moto sursum, vt pilæ, aliud motum deorsum. Respondetur, vtrumque impulsum tunc mouere deorsum: neque est inconueniens admittere plures impulsus numero distinctus simul inesse

Probabile impulsus esse diuersæ speciei, & contrarios.

Inesse eidem: de quo Doctor 3.*d*.8.*q.vn*. Adde fortè impulsus illos sæpiùs inesse diuersis partibus mobilis. Fateor tamen argumentum satis vrgere, quòd impulsus sint contrarij, & consequenter, non eiusdem speciei, quod tenet Vasquez *part*. 2. *d*.81.*cap*.3.

5. Petes, in puncto reflexionis in casu illo an detur quies priuatiua, seu temporalis, an tantùm negatiua, vel instantanea? Respondetur in puncto reflexionis à motu violento ad naturalem, quietem esse tantùm instantaneam, alioquin magnum pondus motum deorsum, obuians pilæ sursum motæ, aliquo tempore quiesceret in reflexione pilæ. Contrà; ergo motus pilæ sursum, & deorsum erit continuus vno indiuisibili copulatus, quod est falsum, cùm sint diuersæ speciei. Respondetur, fortè verius esse eiusdem speciei; sed illud admittendo non continuantur, quia sunt duo indiuisibilia; alterum terminatiuum vnius, & alterum initiatiuum alterius. Sed de impulsibus fusè agunt Philosophi interpretes 8. *Phys. cap*.10. Vide Conimbr. 7.*Phys. cap*.2.*quæst*.1.*art*.8. Sotum 8.*Phys.quæst*.3.& alios *ibi*.

An detur quies in puncto reflexionis, & qualis?

Quinam agãt de impulsibus.

6. Specialis difficultas est de tractione, vectione, alligatione, & reuolutione, an conueniant animabus: & videtur quòd isti motus petant contactum, & per consequens non conueniant animæ separatæ respectu corporis; quod enim vehitur, motu fertur alieno, & sic non eget impulsu, quo tantùm competit spiritui mouere. Respondetur tamen, eas motiones conuenire animæ per impulsum; cùm enim impulsum imprimit, si ipsa comitatur corpus, quod mouetur, dicitur vectio, vel tractio, si mobile resistat: aut si ad aliud impulsu applicetur, vt inde se mouere nequeat, erit alligatio, quomodo stipula vento agitata, quasi immobilis adhærescit parieti.

An vectio, tractio, ligatio conueniãt animæ separatæ?

Petes primò, vtrùm vna anima possit mouere aliam? Respondetur, si teneatur animas esse pares, nulla inuita potest ab alia moueri: sicut nec homo potest moueri inuitus ab alio æqualis fortitudinis: potest tamen, si sinat, vt in exemplo de homine. Ab Angelo autem moueri potest, & inuita, sicut & inferiores Angeli à superioribus; & fortè hoc modo, non solâ voluntatum dissensione factum est prælium in cœlo; de quo *Apocal*. 12. & sic dæmones leguntur sæpiùs ab Angelis superati; si tamen hi non sint superiores naturâ, beneficio gratiæ id præstant, sicut & præstiterunt velut sancti, vt passim in eorum vitis habetur.

An vna anima possit mouere aliam?

Prælium Angelorum, an per impulsus factum?

Petes secundò, vtrùm huiusmodi motus sint naturales, vel violenti? Respondetur, animæ motum non esse propriè naturalem, vel violentum; quia non habet locum naturalem, vel violentum, *ex sect. præcedent. conclus*.5. sed potiùs, neutrum. Si tamen inuita moueatur, erit motus secundùm modum violentus; & naturalis secundùm modum, si ipsa se moueat. 7.

Petes tertiò, vtrùm anima habeat in mouendo corpore limitatam virtutem, quoad magnitudinem mobilis, & celeritatem motionis? Diuus Thomas 1.*p*.*q*.53.*art*.2. tenet Angelum (idem est de anima) posse se mouere instantaneè ad extremum sine medio. & Maior idem tenet de Anima, 4.*dist*.49.*quæst*.8.*in principio*.

Respondetur tamen, ad vtrumque, vim motricem limitatam esse; & quoad celeritatem docet Scotus 2. *dist*. 2. *quæst. vltima* cum communi, non posse ab extremo in extremum transire sine transitione medij. Et ratio est, quia ordo proximioris *vbi* ad remotius, non potest tolli per vllum agens naturale, sicut nec ex aceto immediatè fieri vinum ob similem ordinem. Intra latitudinem autem celeritatis temporalis cum medij transitione, anima minùs celeriter mouet corpus, quàm Angelus; quia est minùs perfectæ potentiæ motiuæ. Eâdem ratione, non potest corpus quantumcumque magnum mouere; sed quàm magnum potest, Deus & ipsa nouit.

Nihil potest naturaliter moueri ab extremo, in extremum sine medio.

Anima minùs celeriter mouet corpus, quã Angelus.

Dices, solâ voluntate mouet; sed hæc volendi terminum non habet: ergo. Respondetur, iam dixi quòd imprimit impulsum, quando mouet aliud; vnde non ex sola volitione mouet. Vide Diuum Thomam *de malo, quæst*.16.*art*.9.*ad* 7. Molinam 1.*part*.*quæst*.54.*art*.5. qui dicunt modum præscribi ab intellectione; sed si illa præscriptio est libera, quare non potest corpus quantumcumque magnum præscribere mouendum? 8.

Anima non potest corpus, quantumcumque magnum mouere.

Dices secundò, si mobile aliquod mouere nequiret anima, conando ad motum, fatigaretur. Respondetur, fatigatio contingit per absumptionem spirituum vitalium ex operatione, quam sequitur dolor; & sic non habet locum in anima separata; quæ tamen tristari potest, quòd corpus aliquod mouere nequeat, si sibi relinquatur. Sed non se applicat ad mouendum vltra suas vires, & sic nihil ægrè, aut difficulter mouet.

Vnde oritur fatigatio?

Anima non mouet ægrè, vel difficulter.

F I N I S.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc secundo Tomo Doctoris subtilis continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad marginales notas Arithmeticas remittit.

A B

A C

Actio,

efficiens

Concu

Index Rerum.

Dele

aliud

E R

E S

E V

E X

Expi

ste[illegible]

Ignis

Index Rerum.

Motus

Index Rerum.

nec

M V

primum

in

P O

vna

R A

R E

R I

S A

S C

Mathe

V A

V E

V I

Vnitas

F I N I S.

E R R A T A.

In hac editione lib. Phys. vsi sumus exemplari Coloniæ impresso, Anno 1618. tot mendis scatente, vt singula vix potuerint emendari, sed serò moniti, sequentia notauimus.

Pag. 35. n. 13. lin. 10. pro *partes sunt* leg. *totum est priores.*
54. n 3. lin. 19 leg *agentia.*
97. n. 8 Responsiones ad 3 & 4. Argum. sunt transpositæ.
Ibid. lin. 19. scilicet *Ad quintam*, &c tota deleatur cum sequente, & earũ loco substituatur *Ad quintã & sextam, patet responsio ex notabilibus in corpore quæstionis positis.*
Ibid. lin. 21. leg. *Ad septimam.* ibid. lin. 24. leg. *Ad octauam.*
112. col. 1. lin. penult. post *secunda*, adde *parte quæstionis*, & pro *Quo ad tertiam* leg. *Quo ad primam.*
129 text. 30 lin. 16. post *causis per se*, adde *vt statua as est causa materialis, sed statua factor*, &c.
145 n 3. lin. 6. post *omnis* adde *populus sequitur.*
155. n. 10. & 11. Responsiones ad 3. & 4 Arg sunt trãspositæ.

Pag. 159. num. 2. lin. 2. leg. *euentus.*
160. n. 5. lin. 18 pro *quàm transmutatio* leg. *quàm motus.*
171. n. 6 & 7. Responsiones ad 1 & 2. Arg. transpositæ sunt.
172. n. 10. lin. 32. pro *esset* leg. *& non est.*
173 n. 2. lin leg. *nullius.*
175. n. 9. solutiones ad 4. & 5. Argum sunt transpositæ.
176. n. 3. lin 19. post *patet* adde 3. *huius.*
177. n. 8. lin. 10 post *caliditatis*, leg. *verumetiam per nouæ frigiditatis inductionem frigescimus, & gradatim frigus intenditur, patet*, &c.
180. n. 9. lin. 14. pro *modo* leg. *agente.*
187. n. 8. lin. 16. post *in instanti* adde *motus.*
401. col. 2. in tit. quæst. pro *mentibus* leg. *mouentibus.*

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,
Meteorologicorum
LIBRI QVATVOR.

Opus quod non antea lucem vidit, ex ANGLIA transmissum.

Aduertat compactor librorum, hunc Tractatum æquo tardiùs ad nos delatum, ante Tomum III. ponendum esse, ne erret.

R. P. F. LVCÆ
WADDINGI
DE
Hoc Meteororum Opuſculo
CENSVRA.

SCripsisse Scotum in Meteora Ariſtotelis, teſtis eſt Ioannes Pitſeus, qui Opus ipſum M S. extare monet Oxonij in Collegiis S. Mariæ Magdalenæ, Balliolenſi, & Orialenſi. Ego hoc iteratis precibus ab erudito viro, & charo amico recepi ex Anglia, cùm reliqua omnia huius editionis opera iam fermè è prælo prodibant. Miſi qua potui celeritate, vt ſimul etiam lucem poſt longas tenebras videret. Exſcriptum eſt ex vetuſto codice M S. qui Scoti nomen præferebat, ídque iterum affigitur fini libri ſecundi. Adfuit etiam alius codex, calamo exaratus, charactere antiquo, ex quo libri prioris multa correcta ſunt, aliæ variæ lectiones ad marginem appoſitæ.

Ego, quantum per breue tempus licuit, totum percurri, & licèt Scoti eſſe non diffidam, tres mihi occurrunt ſcrupuli. Primus, quòd Pitſeus referat Scotum in Meteora ſcripſiſſe librum vnum; in hoc tamen Opere numerantur libri quatuor. Secundus, quòd *lib.* 1. *quæſt.* 10. hic author Thomam Aquinatem, nondum à Ioanne XXII. canonizatum, titulo afficiat *Beati*. Tertius, quòd *ibidem quæſt.* 14. citet Thomam Bradvvardinum tractatu de proportionibus; ille autem in Præſulatu Cantuarienſi obierit anno 1350. anno videlicet ab exceſſu Scoti quadrageſimo ſecundo.

Tolli verò poſſe hos ſcrupulos non inaniter conicio, ſi primò ſatisfiat, dicendo Pitſeum per librum vnum intellexiſſe volumen, vel Tomum vnum, aut Opuſculum vnum, attamen in libros quatuor diſtinctum; ita enim ipſum argumentum, & opus Ariſtotelis totidem libris diſpartitum, quod ille elucidabat, expoſtulabat. Secundò facilè occurritur, aſſerendo longè ante canonizationis ſolennitatem S. Thomam per crebra miracula, notiſſimáſque virtutes, *Sancti*, & *Beati* titulos obtinuiſſe: cui argumento eſt, quòd Surius in eius vita referat, diuinitùs plexum quendam, qui longè ante Apotheoſim ei *Sancti* honorem, aut nomen denegauerat. Quare credibile eſt, ſaltem inter ſuos conſodales, Scoto familiares, paſſim his titulis *Sancti*, & *Beati* audiuiſſe. Inter Thomæ autem & Scoti mortes anni elapſi ſunt triginta quatuor, ante quos expletos iam conſtanti famâ viri *Beati*,

Aquinas feliciter tendebat ad canonizationem. Tertiò haud difficilè respondere poterit, asserendo Bradvvardinum grauiori ætate decessisse,& ante illos annos 42.& Scoti mortem,tractatulum illum scripsisse.

His neque contortis, neque violentis rationibus solui possunt leuiora illa obiecta: & quidem pro Scoto addo in secundi codicis margine quempiam addidisse rationem, quæ affertur *lib. 2. quæst. 4. conclus. 3.* vt probetur spiritus,siue bonos, siue malos,non mouere ventos: *Scoti,*inquit,*ratio hæc inefficax est*, deducta, scilicet à figura, vel proportione,&c. Ab eius etiam doctrina Philosophica parum,vel nihil differt hoc Opusculum,& sæpè eisdem alibi vtitur principiis.

Si verò sint, qui pertinaciter resistant, & hoc Opus Scoto inuideant, aut solidâ aliquâ denegent ratione, alium propono Franciscanum authorem, in hoc studij genere commendatissimum, cui non immeritò tribui possit, Simonem Tunstedum Anglum, *quem Meteororum contemplatio*, teste Pirseo, *tam sublimem rapuit, vt quodammodo semper in tertio cælo versari videretur.* Hic porrò,vti scribunt authores Angli,libros quatuor(totidem sunt isti) scripsit in Meteora, obiitque anno 1369. ante quem & Bradvvardinus iam decesserat,& Thomas canonizatus est.

Tractatus porrò doctus est, curiosus, & perutilis, neque vllum vidi in hoc genere ab antiquis potiori, aut ampliori studio exaratum. Versatum satis se ostendit author in re Mathematica,Astrologica,Perspectiua,aliisque scientiis. Quartum librum non absoluit; desunt enim Commentarij in reliquas tres partes, in quibus Aristoteles agit de passiuis qualitatibus; de passionibus, ac differentiis similarium corporum, à passiuis qualitatibus prodeuntibus,& de temperaturis corporum similarium.

INDEX

INDEX
Quæstionum Meteorologicarum,

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

R.P.F.

R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILIS Ordinis Minorum.

METEOROLOGICORVM *LIBER PRIMVS.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm de impreßionibus meteoricis ſit ſcientia, tanquam de ſubiecto?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd noo, quia de impreſſionibus ſolùm habetur notitia cum formidine ad oppoſitum. ergo, &c. Tenet conſequentia, quia talis notitia eſt opinio, quæ eſt contraria ſcientiæ, vt vult expreſsè Ariſtoteles *in primo Poſteriorum.* Et antecedens apparet, nam de ſtellis comatis, quę ſunt quædam impreſſiones Meteororum, non poteſt haberi notitia certa, ſed opinio ſolùm.

Secundum. Secuodò, de illis impreſſionibus meteororum habetur experientia ſenſus; igitur de eis non habetur ſcientia. Conſequentia tenet, nam experientia ſenſus eſt ootitia dignior quàm ſcientia. Noo quærere ratiooem habetur dignius, ratione infirmitatis intellectus: vt vult Philoſophus *ſexto Phyſicorum.*

Tertium. Tertiò, impreſſiones meteororum fiunt inordinatè, ergo de iis non habetur ſcientia. Tenet conſequentia, quia ſi modò fiant ſecundùm vnum ordinem, & ſcientia de iis ſit verificata ſecundùm finem illius ordinis, tunc mutato ordine, mutabitur, ſiue falſificabitur ſcientia. Et antecedens patet per Ariſtot. *in proœm.* Vbi vult quòd impreſſiones meteororum fiunt ſecundùm naturam inordinatiorem; ergo ſi fiant ſecundùm naturam inordinatiorem, fiunt ſecundùm naturam inordinatá, cùm comparatiuus præſupponat ſuum poſitiuum.

Quartò, quia huiuſmodi impreſſiones, vt in præſentibus noo ſunt, ſicut patet de tonitru, fulmine, iride, & huiuſmodi; ergo de talibus non eſt ſcientia. *Quartum.*

Quintò, ſequitur quòd de iis oon eſt ſcientia, tanquam de obiectis, quia impreſſiones Meteororum ſunt res extra animam; ergo non ſunt obiecta ſcientiæ. Antecedens eſt apertè notum. Tenet conſequentia, quia huiuſmodi res ſunt permutabiles; ſed ſcientia eſt illorum, quæ impermutabilem ſortiuntur naturam, vt patet *primo Poſteriorum*: ergo, &c. *Quintum.*

Sextò, quia ſi res extra animam eſſet obiectum ſcientiæ, eâdem ratione eſſet credulitatis, quia idem videtur iudicium de vtroque. Conſequens eſt falſum, nam tunc idem ſimul & ſemel poſſet ſciri, opinari, & credi; & ita poſſet de eodem error eſſe & igoorantia. Sicut, verbi gratiâ, de Deo poſſumus ſcire ipſum eſſe, & dubitare ipſum eſſe vnum, & credere ipſum eſſe trinum. Et ſic de aliis prædicatis. *Sextum.*

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem *in primo Poſteriorum.* *Oppoſitum.*

In iſta quæſtione videbitur ſecundùm viam triplicem, quid eſt ſubiectum ſcientiæ; & tunc videbitur ad quæſitum. 2.

Quantùm ad primum. Eſt vna via, quæ ponit quòd ſubiectum ſcientiæ eſt ipſa concluſio ſcita. Quæ via probatur ſic: Nihil ſcitur niſi verum; nam omnis demonſtratio eſt ex veris; vt patet per Ariſtotelem *primo Poſteriorum*: ſed ſola propoſitio eſt vera; ergo ſola propoſitio ſcitur, & non alia, quàm concluſio; igitur, &c. *Prima via.* *Ratio 1.*

Secundò, quia obiectum ſcientiæ vniuerſale vel eſt ipſa concluſio vniuerſalis, & habetur intentum; vel eſt ipſa res ſignata per terminos *Ratio 2.*

 iſtius

istius conclusionis, & tunc vel res vniuersalis, & hoc non, cùm nulla talis sit; vel res singularis, & hoc non, quia quâ ratione vna res singularis est obiectum istius notitiæ, eadem ratione alia, & per consequens nulla res est obiectum istius.

Ratio 3. Tertiò, Quia ista conclusio est scita, *Nulla Chimæra est hircoceruus.* Vel igitur obiectum istius conclusionis est res ad extrà signata per cõclusionem, & hoc non est, cùm nulla talis est; vel ipsa conclusio; & habetur intentum.

Ratio 4. Quartò, quia cõclusio scita est id cui assẽtimus; quando conclusio scita est id, quod scimus. Tenet consequentia, quia idem videtur id, quod scimus, & id, cui assentimus. Antecedens apparet, quia nulli assentimus, nisi quod ab intellectu iudicatur esse verum; sed solum tale est propositio, & maximè conclusio.

3\. Contra istam opinionem opponitur, quia si conclusio esset obiectum scientiæ habitæ per conclusionem, *Impugnatur.* sequeretur quòd quilibet actu sciens haberet actum cognoscendi conclusionem. Consequens falsum; quia nunquam, vel rarò habemus actum reflexum super nostram cognitionem, quamuis sæpè cognoscamus. Consequentia tenet, *Obiectum cognitionis quod?* quia obiectum cognitionis dicitur illud, de quo est notitia, & ad quod illa notitia terminatur obiectiuè.

Secondò, Si conclusio esset obiectum, tunc conclusio apprehenderetur ab intellectu, & tunc quæratur, vtrùm apprehensione incomplexâ, vel complexâ? non incomplexâ, quia talis non est scientia, cùm sit acquiribile ab intellectu de quocunque complexo, vel incomplexo. Modò scientia non acquiritur sine euidentia alicuius principij, vel experientiæ, prædeterminante intellectum. Non complexâ, quia maximè esset talis conclusio vera: sed illud est falsum, quia multoties scimus, & cognoscimus per conclusiones, cùm non consideramus de veritate, vel de falsitate earum.

4\. Alia via est, quòd obiectum scientiæ est significabile complexè, per conclusionem scitam, *Secunda via.* sicut obiectum istius, *Homo est risibilis*, est, hominem esse risibilem, quod probatur, quia obiectum notitiæ habitæ per experientiam est tale significabile complexè; igitur & cuiuslibet alterius notitiæ. Consequentia tenet, quia vbique videtur iudicium idem esse. Et antecedens patet, quia si sentiam ignem calidum, per istam experientiam non solùm cognosco ignem, nec solùm caliditatem, sed cognosco ignem esse calidum.

Secundò, Quia addiscens per Geometriam centrum circuli inuenire, non addiscit aliud quàm id quod scitur à latomo, siue Geometra: sed à latomo non scitur ista conclusio, sed significabile per ipsam.

Contra istam viam arguitur, primò, quia vel *Refellitur.* tale significabile complexè est res distincta à re significata, vel non. Si sic, contrà, primò per Aristotelem 5. *Metaphysic.* Vbi dicit quòd in dictis secundùm se, idem est esse ipsum, & ipsum, sicut idem est esse Deum, & Deus.

Secundò, Quòd si esset tale distinctum, sequeretur quòd est aliquod ens coæternum cum Deo quod Deus, nec posset augmentare, nec diminuere, nec annullare, dato quòd Deus esset infiniti vigoris, sicut concedimus ipsum esse Consequens impossibile, & contra fidem. Probatur *Deus non potest annullare seipsum.* consequentia, quia Deus non potest annullare seipsum; igitur æternatur. Sic ex parte rei est, quòd Deum esse, est, & istud, sit esse, scilicet Deum esse, Deus non potest annullare, nisi seipsum annullaret; igitur, &c. Si autem tale significabile non distinguitur à re significata per subiectum, vel prædicatum conclusionis, tum sequitur quòd nil aliud esset subiectum huius scientiæ, quàm tales res significatæ; quod intendimus.

5\. *Tertia via.* Pro tertia via sit conclusio ista: Res significatæ per terminos conclusionis scitæ, sunt obiecta scientiæ. Probatur. Quia istud est obiectum *Res significata per terminos conclusionis scitæ sunt obiecta scientiæ.* conclusionis, ad quod vltimatè terminatur notitia per istam conclusionem; sed hoc est ad rem extrà, & non ad conclusionem, vel ad significabile per ipsum; ergo, &c. Istud apparet in exemplo, nam obiectum sensationis, sicut visionis, non dicitur species, quæ immediatè mouet visum; sed obiectum dicitur res ad extrà, sicut paries, vel aliquod huiusmodi, à quo causatur ista species. Minor apparet, quia si sciatur illud, quòd Iris causatur ex refractione radiorum, cognitio ista non terminatur ad conclusionem, nec ad significabile per illam, sed ad rem extrà, sicut ad Iridem, à qua vltimatè deriuatur cognitio istius conclusionis.

Et si dicatur quòd non est similitudo de obiecto visionis, & notitiæ conclusionis, eò quòd visus non apprehendit id, nisi incomplexè; quia si dicam quòd complexè apprehenditur, tunc dicam quòd obiectum illius conclusionis non est res extrà, sed significabile complexè per illud iudicium complexum. Id non valet, quia cognitio complexa sensus interioris de re absente iudicat, sicut est cognitio, quam habeo modò de pariete nudo, quamuis in mente determinetur ad species animalis, & similitudinem existentem in phantasia, tamen vltimatè terminatur ad rem extrà, quia ab illa fuerit causata illa similitudo.

Sciendum tamen, concordando istas opiniones, quòd quidlibet istorum potest dici obiectum scientiæ, scilicet tam conclusio scita, quàm significabile per conclusionem, quàm etiam res significata per ipsum. Vnde conclusio potest dici obiectum, eò quòd ipsa immediatè obijcitur intellectui: sed de notitia incomplexa terminorum est scientia, tanquam de subiecto magis mediato, sed vltimatè. Res extrà est obiectum, à quo aliæ notitiæ tam terminorum, quàm conclusionis deriuantur.

Tunc ad rationes primæ opinionis, quæ sunt contra conclusionem. 6.

Ad rationem 1. primæ opinionis. nihil scitur nisi verum, quomodo? Ad primam, *Nihil scitur nisi verum.* Apertum est quòd nihil scitur nisi verum; tanquam conclusio scita, tamen aliquid scitur verum, tanquam res significata per subiectum conclusionis scitæ, quando tum neque est verum, nec falsum.

Ad 2. Ad secundam, Quòd *obiectum est cognitionis vniuersalis*, &c. Dico quòd obiectum conclusionis vniuersalis est quælibet res singularis significata per obiectum istius conclusionis, quia quælibet talis apprehenditur per conclusionem vniuersalem, saltem conceptu confuso. Et si dicatur, possibile est quòd cognitio vniuersalis fuerit causata à duabus rebus singularibus, vel à tribus, & non à pluribus; igitur videtur quòd illæ res, à quibus causatur, essent obiectum ipsius, & nihil aliud. Negatur consequentia. Concipio omnes homines mundi conceptu confuso, & tamen conceptus iste non erit causatus nisi à valdè paucis.

Ad 3. Ad tertiam. *Nulla Chimæra est hircoceruus*, &c.

Dico

Dico quòd obiectum istius est caput Draconis, cauda Leonis, corpus Equi, vel sic de huiusmodi, quæ imaginantur conceptione adueniente quasi compositum vnum, qualiter non componuntur, nec possibile est ea componi.

Ad 4. Ad quartam: *Illud cui assentimus*, &c. Negatur, quia illud scimus tanquã obiectum scientiæ, quod significatur per partes illius cui assentimus.

7. Ad rationes alterius, primò ad primam. Negatur assumptum, quia obiectum notitiæ experimentalis est res significata per terminos istius notitiæ, sicut in experiendo ignem esse calidum, ignis est obiectum, à quo deriuatur ista notitia experimentalis, & suorum terminorum euidentia. Eodem modo ad secundam patet. Igitur ex istis qualitatibus de rebus significatis per terminos conclusionis est scientia tanquam de subiectis. Et tantùm de prima.

Ad rationes 2. opin.

Quantùm ad secundam, sciendum est quòd in proposito *scientia* dicitur notitia vera, & notitia priùs dubia, tum nata fieri euidens per principia notiora.

Meteoros quid? Secundò, sciendum est quòd *Meteoros* dicitur quasi *eleuatio*: eò quòd istæ impressiones, quæ dicuntur Meteoricæ, pro maiori parte fiunt per eleuationem vaporum, & fumorum; quamuis tamen aliquæ fiunt sub terra, sicut fontes, & terræmotus.

Impressio quid? Tertiò, sciendum est quòd *impressio* in proposito non capitur largè pro omni actione, quâ imprimitur aliqua forma, vel qualitas; sed in proposito *impressio* potest dici de quatuor. Primò, de alteratione ad aliquam qualitatem secundam, quę immediatè consequitur alterationem primarum qualitatum, vel etiam elementorum, & talis alteratio est sicut inflammatio, vel coloratio, vel congelatio.

Secundò, Impressio illa non solùm dicitur de alteratione ista, sed de mixto consequente istam alterationem, sicut de hiatibus, voraginibus, de grandine, pluuia, & huiusmodi.

Tertiò, dicitur impressio de qualitatibus & operationibus huiusmodi mixtorũ, sicut color nubis, sonus tonitrui, ictus fulminis, motus venti, & huiusmodi, possunt dici impressiones Meteoricæ.

Quartò, dicitur de impressionibus apparentibus ex reflexione radiorum corporis luminosi, sicut de halo, Iride, parabeliis & virgis.

Quartò sciendum est, quòd de aliquo potest esse multiplex scientia, scilicet vt categorica affirmatiua de præsenti, vel negatiua, hypothetica, conditionalis, & temporalis.

8. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd de impressionibus Meteoricis est scientia, tanquam de obiectis. Probatur, quia tales impressiones habent causas determinatas, proprias passiones, & principia, per quæ istæ passiones possunt de iis demonstrari. Consequentia tenet per primam partem conclusionis, & arguitur, quia hoc sufficit ad hoc quòd de aliquo sit scientia.

Conclusio 1. De meteoricis impressionibus est scientia.

Conclusio 2. Secunda conclusio est, quòd de aliquibus impressionibus est scientia categorica affirmatiua de præsenti v.g. Ista conclusio est summè necessaria, *Media aeris regio est frigida*; sed plures aliæ conditiones huius libri, & pro maiori parte sunt solùm temporales. v. g. *Quandocumque fit tonitrus, est sonus in nubibus; & quandocunque fit stella comata, tunc fit vapor terrensus, habens partes fortiter adiacentes, eleuatas ad mediam regionem aeris, astus mutatione principium aliarum magnarum rerum significans in hoc mundo.* Similiter dico, quòd aliæ conclusiones huius libri sunt solùm opinatiuæ, & maximè illæ quæ sunt de stella comata, & Galaxia.

Tertia conclusio est ista, quòd scientia illa est valdè vtilis, & pulchra: Est enim vtilis. *Conclusio 3.*

Primò ad futurorum præcognitionem, vt dicunt Astrologi, quòd homo qui inclinatus fuerit à natura ad iudicandum de futuris per stellas, & impressiones, quæ fiunt sub orbe Lunæ, citiùs iudicabit, quàm ille qui iudicat secundùm stellas fixas.

Secundò, videlicet ad periculorũ euitationem, quia per illam scientiam homo potest eligere loca, vbi melius potest præseruari à fulmine, terræmotu & huiusmodi periculis.

Tertiò, valet ad habitationis electionem, nam per illam scientiam cognoscitur vbi est bonitas fontium, & fluminum, & huiusmodi, quæ requiruntur ad conuenientem habitationem.

Quartò, est pulchra, & nobilis. Pulchra, quia pulchrum est scire causas huiusmodi mirabilium effectuum, qui accidunt sub cælo, sicut sunt stellæ cadentes, capræ saltantes, cometæ, Galaxia, & huiusmodi.

Ad rationes. Ad primam, concedo quòd quantùm ad aliqua, quæ demonstrantur in ista scientia, solùm habetur notitia cum formidine ad oppositum, sicut de Cometis, Galaxia; sed de aliis vera habetur notitia, & conclusio ad tertium librum licèt non habeatur notitia ita certa, sicut in Mathematica & perspectiua. *Ad 1. arg. principale.*

Ad secundam. *De illis habetur*, &c. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ad rationem dico, quòd quantùm ad diuersa habemus experientiam sensus, & notitiam scientificam de istis. Nam quantùm ad quod est huiusmodi impressionum habemus experientiam sensus, & scientificè inquirimus causas ipsarum. *Ad 2.*

Ad tertiam, videbitur in proxima quæstione. *Ad 3.*

Ad quartam, dico quòd quæcunque non sunt huiusmodi impressiones, de iis est solùm scientia conditionalis, & non categorica affirmatiua demonstratio. *Ad 4.*

Ad quintam, *Ista impressiones*, &c. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, *scientia est*, &c. Dico quòd hoc intelligitur quòd conclusiones scitæ, quandocumque proponuntur debent esse veræ. *Ad 5.*

Ad sextam, concedo consequens, quia res extrà est obiectum credulitatis, & concedo consequens, ad quod deducitur, quòd de eodem simul & semel est scientia, error, opinio, & ignorantia, quoad diuersa prædicata. *Ad 6.*

Qvæstio II.

An impressiones Meteoricæ fiant per naturam inordinatiorem eâ naturâ, quæ est propria elementorum?

Arg. princ. Arguitur quòd non, quia impressiones tales non fiunt secundùm naturam; ergo, &c. Consequentia nota est, & antecedens patet, quia illa non fiunt secun-

dùm naturam, quorum generationibus necessariò concomitantur motus violenti, sed sic est de istis impressionibus, nam in ictu fulminis descendit ignis, in generatione nobium, & ventorum ascendit exhalatio terrena, sed descensus ignis, & ascensus terræ sunt motus violenti, ergo, &c.

Secundum. Secundò, nam istæ impressiones meteoricæ fiunt à casu, ergo non fiunt à naturâ. Consequentia tenet, quia ista, quæ fiunt à casu, fiunt præter intentum agentis, sed agens intendit ea, quæ fiunt à naturâ, vt vult Philosophus 2. *Physicorum*: ergo, &c. Antecedens patet, nam istæ impressiones eueniunt extrà non semper, & frequenter, & per consequens à casu.

Tertium. Tertiò, impressiones meteoricæ non fiunt inordinatè, ergo non secundùm naturam inordinatiorem. Consequentia nota est, & antecedens apparet per Philosophum *in fine* 12. *Met.* vbi dicit quòd entia nolunt malè disponi.

Quartum. Quartò. Si impressiones meteoricæ fierent inordinatè, sequitur quòd Astrologia de iudiciis, saltem ad illam partem, quæ est de impressionibus aëris, esset falsa, & incerta. Consequens falsum, & probatur, quia in Astrologia de iudiciis ponuntur certæ regulæ de aduentu huiusmodi impressionum, modò, si fiant inordinatè, de adueutu illarum non possit poni certa regula. Vnde Astrologi de euentu pluuiæ ponunt talem regulam, quòd si in hora coniunctionis Solis, & Lunæ, aēt ascendens super aliquam regionem pluuiosus fuerit, cùm Luna fuerit ad gradum ascendentem, pluet in illâ regione.

Quintum. Quintò, quia ordo in causâ ponit ordinem in effectu, sed causæ istarum impressionum sunt ordinatæ: ergo & impressiones fiunt ordinatæ. Maior apparet, quia aliunde non potest argui ordo effectus. Et minor apparet per Philosophum *in proœmio*, vbi dicit quòd motus corporum cœlestium sunt causæ illarum impressionum, qui motus sunt ordinati.

Sextum. Sextò, quia in naturâ nihil est inordinatum; sed istæ impressiones sunt à naturâ; ergo non sunt inordinatæ. Maior apparet, quia hæc natura in omnibus est causa ordinis; & minor patet, quia istæ impressiones fiunt à causâ naturaliter agente propter determinatum finem.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in primo capite huius*.

Diuisio quæstionis. In ista quæstione, primò videbitur si impressiones meteoricæ fiunt secundùm naturam.

Secundò videbitur in generali de ordine vniuersi, & in quibus ordo consistit.

Tertiò, videbitur specialiter de ordine istarum impressionum.

ARTICVLVS I.

An impressiones meteoricæ fiant secundùm naturam?

2. QVantùm ad primum, sciendum, vt dictum fuit, quòd impressiones meteoricæ sunt mixta, imperfecta; operationes, vel qualitates huiusmodi mixtorum, vel operationes immediatæ ad talia mixta, & tales impressiones, sunt in multiplici differentia. Nam quædam sunt igneæ, vt hiatus, & voragines; quædam aëriæ, vt venrus; quædam aqueæ; vt grando, pluuia, nix, & generationes fontium, & fluminum; quædam terrenæ, vt generationes mineralium, & terræmotus; quædam aëriæ & aqueæ, vt fulmen; & quædam sunt tantùm causatæ ex refractione radiorum, vt halo, iris, parahelius, virgæ, & colores oubium.

Impressiones sunt in multiplici differentia.

Secundò sciendum, quòd natura dicitur tam de principio actiuo, quàm etiam passiuo, id est, de materiâ & formâ; & tale principium actiuum, vel est mediatum, sicut Deus, & cœlum; vel est immediatum; & hoc vel principale, sicut forma ignis; vel instrumentale, vt calor; vel aliqua alia qualitas. Eodem modo natura dicitur de principio passiuo mediatè, sicut est materia prima, & etiam de principio passiuo, & immediatè, sicut est elementum, vel mixtum.

Tertiò sciendum est, quòd aliquid dici potest naturale vno modo, vt *naturale* distinguitur contra *violentum*; alio modo, vt distinguitur contra *voluntarium*; tertio, vt distinguitur contra *casuale*. *Aliquid dicitur naturale tripliciter.*

Quartò sciendum, quòd aliquid potest fieri naturaliter respectu agentis, & respectu passi. Vnde illud dicitur naturaliter fieri respectu agentis, quod agens natura intendit; sed id dicitur fieri secundùm naturam respectu passi, quod fit cum inclinatione passi. *Aliquid fieri naturaliter quid est tum respectu agentis, tum passi.*

3. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd quædam impressiones meteoricæ fiunt violentè respectu passi. Probatur, quia ista fiunt violentè respectu passi, quæ fiunt contra inclinationem eius; sed plures impressiones meteoricæ fiunt contra inclinationem passi, vt patet de ictu fulminis, in quo descendit ignis, modò igni non confert inclinationem tali motui, tamen istæ impressiones fiunt naturaliter respectu agentis. *Conclusio prima.*

Secunda conclusio est, quòd aliquæ impressiones fiunt naturaliter, tum respectu agentis, tum respectu passi, vt patet de casu pluuiæ, vbi agens, scilicet forma grauis intendit istum motum & passum confert inclinationem. *Secunda.*

Tertia conclusio est, quòd aliquæ impressiones fiunt à casu respectu agentium particularium; sicut patet de quibusdam mirabilibus, quæ quoque generantur in mediâ regione; tamen illa fiunt naturaliter respectu causæ vniuersalis; eò quòd nil fit à casu respectu cuiuscunque causæ. Et hoc de primo. *Tertia.*

ARTICVLVS II.

In quo Vniuersi ordo consistat.

4. DE secundo sciendum est, quòd ordo consistit in quatuor, scilicet in situ, tempore, perfectione, & causalitate. Ordo in situ non est aliud quàm regula certa, secundùm quam res se habent ad inuicem secundùm differentias positionum. Vel est, istæ res sic se habentes secundùm istas differentias, sicut quatuor elementa, & corpus cœleste ordinantur in situ secundùm sursum & deorsum, & partes hominis, scilicet manus, & costæ, secundùm dextram & sinistram, & sic de aliis. *Ordo consistit in quatuor. Ordo in situ, quid.*

Sed ordo, qui consistit in tempore, est certa lex, vel regula, secundùm quam res se habent ad inuicem in tempore, secundùm priùs & posteriùs; sicut reuolutiones cæli, ortus, & occasus stellarum, *Ordo in tempore.*

ſtellarum, oppoſitiones, & coniunctiones, & eclipſes ſe habent ordinatè in cælo ſecundùm prius & poſterius in tempore.

Ordo in cauſalitate. Ordo conſiſtens in cauſalitate eſt certa lex, vel regula rerum ſe habentium ad inuicem ordinatè; ſicut in genere cauſæ efficientis eſt talis ordo: primò eſt Deus, poſteà Intelligentiæ, demùm corpora cœleſtia, poſteà hæc forma particularis, vel iſta demùm caliditas, vel aliqua qualitas mediatè, quâ fit operatio tanquam inſtrumento. *Ordo in perfectione.* Ordo conſiſtens in perfectione eſt certa lex, vel regula rerum ſic ſe habentium ad inuicem ſecundùm maius & minus in perfectione. Et ſic ordinantur ſubſtantiæ, vel ſpecies vniuerſi, ita quòd primò eſt vna perfectiſsima, deinde ſubſequitur alia perfectio, & ſic ſubordinatè. Ex quo patet quòd ordo non eſt aliud, quàm ens debitè & ordinatè ſe habentes, ſecundùm prius & poſterius, tempore, ſitu, cauſalitate, & perfectione.

5. *Vniformitas eſt in ordine vniuerſi.* Secundò ſciendũ, quòd in tali ordine quãdoque eſt vniformitas, & regularitas cum tẽporibus determinatis, ſicut quandoque eſt maius tempus inter duas eclipſes vnâ vice, quàm alâ; & tunc quantò difformitas fuerit magis propinqua vniformitati, tantò faciliùs, & quantò remotior, tantò difficiliùs, percipitur. Et ſecundùm hoc ponitur alia concluſio ad quæſitum, quòd vniuerſum, & omnia corpora vniuerſi ſunt debitè ordinata, & hoc comparando quodlibet corpus vniuerſi ad omnia alia, & non ad vnum ſolùm, neque ad alia. Probatur, quia totum vniuerſum ordinatur ſecundùm quandam proportionem harmonicam, ſiue ſecundùm quandam conſonantiam, ergo totum vniuerſum eſt benè ordinatum. Conſequentia tenet, quia conſonantia conſiſtit in debita proportione, & ordine ſonorum. Antecedens probatur, quia ſicut in conſonantia muſicali ſi tota conſonantia fieret ſecundùm eandem altitudinem, & depreſsionem, ſecundùm quam vox ſit magis ſuauiter incidens auditui. ampliùs conſonantia non fuerit pulchra, nec debitè ordinata. Similiter eſt de vniuerſo, quòd ſi omnia corpora vniuerſi eſſent æquè perfecta, tunc ampliùs non eſſet vniuerſum pulchrum, nec benè ordinatum.

6. Et ſi arguitur quòd in vniuerſo fiunt multa monſtra, quæ ſunt defectus naturæ, ergo ſi iſta non fierent, vniuerſum meliùs ordinaretur. Dicitur, negando conſequentiam, quia ſicut in conſonantiâ muſicali intercipitur quoque aliqua diſſonantia, propter quam tota melodia eſt pulchrior, ita totum vniuerſum eſt pulchrius, & melius ordinatum. in hoc quòd monſtra cauſantur, ſemper comparando monſtra ad omnia alia corpora vniuerſi.

Secundò probatur concluſio. Quia omne pulchrum eſt ordinatum; ſed vniuerſum eſt pulchrum; igitur, &c. Maior patet, quia pulchritudo conſiſtit in ordinatione, vt patet inducendo. nam facies dicitur pulchra, in qua lineationes cutis & coloris eiuſdem debitè ordinantur, ſecundùm quod delectat viſum. Et apparet etiam, quia nihil eſt pulchrius, vel mirabilius vniuerſo, vt communiter dicunt omnes Philoſophi.

Tertiò, quia omnia entia ſunt benè ordinata, & debitè diſpoſita, & hoc intendit Philoſophus 12. *Metaphyſic.* cùm dicit quòd *entia nolunt malè diſponi*; & etiam cùm dicitur, quòd in omnibus natura eſt quaſi cauſa ordinis.

ARTICVLVS III.

De ordine impreſſionum meteoricarum.

7. *Impreſſiones meteoricæ poſſunt comparari dupliciter.* QVANTVM ad tertium, ſciendum eſt, quòd impreſſiones meteoricæ, vel poſſunt comparari ad omnia alia corpora, vel ad naturam cæli.

Concluſio 1. Secundùm hoc ſequitur prima concluſio, Impreſſiones meteoricæ ſunt, & fiunt ordinatè cõparando ipſas ad omnia corpora vniuerſi. Patet per ſecundam partem concluſionis, quia omnia corpora vniuerſi ſunt debitè diſpoſita, vel ordinata, ſed impreſſiones meteoricæ ſunt corpora vniuerſi, ergo, &c. Ad hoc poſſet deduci ſignum, quia iſtæ impreſſiones in tantùm ſunt ordinatæ, quia per alias iſtarum poteſt haberi præſcientia de aliis; ſicut vnus Philoſophus prognoſticauit motum terræ per apparitionem cuiuſdam columnæ igneæ aſcendentis à terra; & idem magis patebit in ſequentibus.

Concluſio 2. Secunda concluſio eſt, ſuppoſito quòd omnes propoſitiones aſtrologicæ de iudiciis eſſent veræ, ita quòd ad talem conſtellationem neceſſariò & determinatè ſequeretur talis impreſſio aëris, adhuc difficilius eſſet cognoſcere ordinem iſtarum impreſſionum, quàm ordinem motuum cæleſtium corporum. Probatur, quia in corporibus cæleſtibus eſt vnus ſolus motus, ſcilicet localis, quem oporteret cognoſcere; ſed in iſtis inferioribus ſunt multi motus, ergo difficiliùs cognoſcitur ordo iſtorum, quàm corporum cæleſtium. Conſequentia tenet, quia vbi oportet plura cognoſcere, vt plures mutationes, ex quarum qualitatibus poſſet ordo variari, difficiliùs ordo cognoſcitur, quàm vbi oportet vnum ſolum motum cognoſcere. Antecedens apparet, quia in iſtis impreſſionibus eſt motus alterationis, generationis, corruptionis, augmentationis.

8. Secundò, patet ad experientiam, nam facilius eſt homini cognoſcere oppoſitiones, & coniunctiones planetæ, quàm cognoſcere quòd cras pluet, vel poſt cras fiet grando. Et ſic mixtam iſtam concluſionem gloſſat Ariſtoteles cùm dicit, quòd impreſſiones meteoricæ fiunt minùs ordinatè quàm natura cæli, & ordo impreſſionum difficiliùs cognoſcitur, quàm ordo motuum ſupra cæleſtium.

Concluſio 3. Tertia concluſio eſt, quòd ſimpliciter loquendo, iſtæ impreſſiones meteoricæ fiunt minùs ordinatè, quàm corpora cæleſtia, ex quo ſequitur quòd propoſitiones de iudiciis Aſtrologiæ nõ ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſaltem quoad iſtam partem, quæ eſt de impreſſionibus aëris. *Impreſſiones meteoricæ minùs ordinatè fiunt quàm corpora cæleſtia.* Probatur, quamuis aër aſcendens ſupra aliquam regionem, vel ciuitatem, fuerit pluuioſus, tamen poſſibile eſt quòd non pluat, propter indiſpoſitionem materiæ.

Secundò, Dato quòd fuerit materia diſpoſita, adhuc poteſt artificialiter impediri caſus pluuiæ, ſicut ſi per multitudinem ignis in illa regione conſumatur materia, ex qua pluuia illa deberet generari.

Ad argumenta. Tunc ad rationes. Ad primam, dictum eſt in concluſione, quòd quamuis deſcenſus ignis non ſit naturalis reſpectu paſſi, benè tamen eſt naturalis reſpectu agentis.

2. Ad ſecundam dico quòd iſtæ impreſſiones non fiunt extrà ſemper,& frequenter, & hoc in comparatione ad ſuas cauſas.

Ad 3. Ad tertiam, *entia nolunt malè diſponi.* Ariſtoteles intelligit comparando quodlibet ens ad omnia alia, & hoc eſt conceſſum. eodem modo ad vltimum argumentum eſt dicendum.

Ad 4. Ad quartam, *quia ordo*, &c. Negatur conſequentia,quia iſta iudicia,& iſtæ regulæ ſunt veræ vt in pluribus, quamuis quædam falſificentur propter indiſpoſitionem materiæ.

Ad 5. Ad quintam, *quia ordo in cauſa*,&c.dico quòd cauſa iſtarum impreſſionum non ſolùm eſt corpus cœleſte, ſed ipſum cum qualitatibus primis hic inferiùs: modò in illis qualitatibus poteſt eſſe inordinatio.

QVÆSTIO III.

Vtrùm neceſſe ſit iſtum mundum inferiorem eſſe continuum lationibus ſuperioribus, vt tota virtus eius inde gubernetur?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non; quia iſta non ſunt continua,quorum vltima non ſunt vnum; ſed mundi inferioris, & corporis cœleſtis vltima non ſunt vnum. Maior patet 4. *Phyſicorum*. Et minor probatur, quia mundi inferioris partes omnes ſunt corporales; ſed corpus cœleſte non eſt corporale; modò corporalis, & incorporalis vltima non ſunt vnum,ergo,&c.

Secundum. Secundò,quia prima cauſa ſe ſola poteſt regere iſtum mundum inferiorem: ergo non eſt neceſſe, &c. Conſequentia tenet, & antecedens probatur, quia prima cauſa, mediante corpore cœleſti,quod eſt cauſa ſecunda, gubernat mundum inferiorem; igitur ſe ſola poteſt; quia quicquid poteſt prima cauſa mediante ſecundâ facere,poteſt ſe ſolâ facere.

Tertium. Tertiò,voluntas noſtra eſt quædam virtus inferior,& non gubernatur à corpore cœleſti;ergo. Maior nota eſt, & minor apparet, quia ſi voluntas regeretur à corpore cœleſti, iam non eſſet libera,nec aliquid eſſet ei imputandum ad bonitatem,vel malitiam.

Quartum. Quartò, latio ſuperior non cognoſcit; ergo non gubernat iſtum mundum inferiorem. Conſequentia patet,quia ſcientis & prudentis eſt gubernare, & regere, vt patet *ex primo Politicor.* Antecedens apparet, quia latio ſuperior vel eſt motus corporis cœleſtis,vel corpus cœleſte,quorum neutrum cognoſcit.

Quintum. Quintò, ſequeretur quòd in iſtis inferioribus non accideret error; conſequens falſum vt patet 2. *Phyſicorum*,de monſtro. Et apparet conſequentia, quia iſta inferiora reguntur à lationibus, in quibus non accidit error.

2. *Sextum.* Sextò, ſequeretur quòd omnia iſta inferiora euenirent de neceſſitate. Conſequens falſum, vt patet 2. *Phyſicorum*. Probatur conſequentia,quia lationes ſuperiores eueniunt de neceſſitate,à quibus reguntur iſta inferiora.

Septimum. Septimò, ſequeretur quòd finis regeretur à ſuo efficiente; conſequens contra Philoſophum 4. *Phyſicorum*. Vbi dicit quòd ſecundùm exigentiam finis oportet cætera moderari,& ideò agens dicitur gubernari ſecundùm exigentiam finis, & non finis ſecundùm exigentiam agentis. Probatur conſequentia,quia ſecundùm Commentatorem 2. *Cæli*, Omne agens eſt gratia ſui operis; modò iſta inferiora ſunt opus corporis cœleſtis, & per conſequens finis illius; igitur ſecundùm exigentiam huius mundi inferioris habent corpora cœleſtia regere,& non è contrà.

Octauum. Octauò, ſequeretur quòd in iſtis inferioribus eſſet tantus ordo, quantus in lationibus corporum cœleſtium: conſequens falſum, vt patet præcedente concluſione. Et probatur conſequentia, quia ſi ſint horologia, quorum motus vnius dependet à motu alterius totaliter, tunc quantus eſt ordo vnius, tantus eſt ordo alterius: igitur ſi totus iſte mundus inferior gubernetur à ſuperioribus,æqualis eſſet ordo &c.

Oppoſitum. Ad oppoſitum eſt Philoſophus in proœmio. Vbi dicit quòd *ex neceſſitate continuus eſt iſte mundus inferior lationibus ſuperioribus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur.*

Sciendum eſt propter iſtas concluſiones,quòd per *mundum* Ariſtoteles intelligit aggregationem ex omnibus illis, quæ continentur infrà concauum orbis Lunæ. Sed per *lationes ſuperiores* intelligit motus corporum cœleſtium, vel corpora cœleſtia. Sed per *virtutem* intelligit tam virtutem actiuam, quàm paſſiuam, cuiuſmodi ſunt formæ, vel qualitates, quibus mediantibus fit aliqua operatio actiua,vel paſſiua.Sed per *gubernare* intelligit per congregationem aliquod fieri bonum agere intendenti. 3.

In iſta quæſtione, arguendo tangendæ ſunt tres difficultates. Prima eſt, vtrùm mundus iſte inferior ſit continuus corporibus cœleſtibus? Secunda, vtrùm prima cauſa poſſit immediatè regere iſtum mundum inferiorem? Tertia,vtrùm voluntas noſtra ſubſit corporibus cœleſtibus recipiendo impreſſiones ab eis?

ARTICVLVS I.

An mundus iſte inferior ſit continuus corporibus cœleſtibus?

QVantùm ad primam difficultatem, ſit prima concluſio; Iſte mundus inferior non eſt continuus corporibus cœleſtibus. Probatur,quia iſta non ſunt continua, quorum motus non eſt vnus, *ex* 5. *Phyſicorum*; ſed mundi inferioris, & corporis cœleſtis motus non eſt vnus, nam cuiuſlibet partis mundi inferioris motus eſt rectus; ſed corporis cœleſtis, & cuiuſlibet partis illius motus eſt circularis: ergo,&c. 4. *Mundus inferior non eſt contiguus corporibus cœleſtibus.*

Secunda concluſio eſt, quòd iſte mundus inferior eſt contiguus corpori cœleſti. Probatur, quia vel corpus cœleſte,& mundus inferior,ſunt contigua,vel continua,vel inter ipſa eſt vacuum, vel aliquod corpus alterius naturæ eſt intermedium. Si contigua, habetur propoſitum; & non ſunt continua per præcedentem concluſionem; nec inter ipſa eſt vacuum, quia nullum vacuum eſt,vt ait Philoſophus 4. *Phyſicor*. Similiter ſi vacuum eſſet intermedium,ſequeretur quòd mundus inferior non reciperet aliquam actionem, vel impreſſionem à corpore cœleſti. Conſequens *Eſt contiguus.*

contra

contra experientiam, & poſteà probabitur eſſe falſum. Probatur conſequentia, quia actio non poteſt multiplicari per vacuum. Si ſit corpus alterius naturæ, vel illud eſt mixtum, vel ſimplex; ſi ſit mixtum, tunc eſt de natura mundi inferioris, eo quòd corpus cœleſte non cadit in compoſitionem aliorum elementorum. Si ſimplex, hoc eſt falſum, quia *primo Cæli* probatum eſt, quòd præter quatuor elementa, & corpus cœleſte, non eſt aliud corpus ſimplex.

Obijcitur primo.

Secundò. Secundò, ſi tale corpus eſt intermedium, vel corporale, vel non: ſi non, cùm non habeat contrarietatem, ſequitur quòd ſit de naturâ cæli: & ſi ſic, ſequitur quòd ſit de natura inferioris. Secundò, quia omne agens in aliquod paſſum tanquam in primum & proximum paſſum ſuſceptiuum ſuæ actionis, eſt continuum, vel contiguum illi paſſo; ſed corpus cœleſte agit in mundum inferiorem, tanquam in primum, &c. ergo vel eſt contiguum, vel continuum; ſed non continuum per primam concluſionem: ergo contiguum. Ex quo patet quòd cùm Ariſtoteles dicit quòd *mundus iſte inferior eſt continuus lationibus ſuperioribus*, per *continuum* intelligit contiguum.

Ad 1. obiect. Contra concluſionem obiicitur, primò, quia ſi mundus inferior eſſet contiguus corpori cœleſti, hoc eſſet vt influentiam ab eo reciperet; ſed propter hoc non, nam corpus cœleſte recipit influentiam ſine hoc, quòd Intelligentiæ contiguentur.

Ad 2. Secundò, ſequeretur quòd mudus inferior & cælum mutuò agerent in ſe inuicem; conſequens falſum, quia corpus cœleſte non eſt ſuſceptiuum peregrinarum impreſſionum, vt patet 1. *Cæli*. Conſequentia patet, quia proprium eſt contingentium agere & pati.

Ad primum, concedo quòd mundus inferior contiguatur cælo ad recipiendam influentiam ab ipſo. Nec eſt ſimile de Intelligentia, quia Intelligentia eſt res incorporea, ideò poteſt recipere influentiam mediante aliquo corpore, cui contiguatur.

Ad ſecundum, dico quòd non oportet vt illa, quæ ſunt contigua mutuò agant in ſe inuicem, niſi quodlibet iſtorum natum ſit recipere actionem alterius; modò corpus cœleſte non eſt natum ſuſcipiendo actionem mundi inferioris.

Articvlvs II.

An prima cauſa poſſit immediatè regere iſtum mundum inferiorem?

6. DE ſecunda difficultate ſit prima concluſio, quòd prima cauſa non poteſt immediatè regere iſta inferiora; probatur, quia prima cauſa non poteſt immediatè producere operationes, mediantibus quibus iſta inferiora attingunt fines ſuos: ergo, &c. Patet conſequentia, quia reſpectu iſtorum inferiorum requiritur quòd attingant fines, inquantùm poſſunt, ad quos naturaliter ordinantur. Antecedens probatur, quia fines iſtorum inferiorum ſunt contrarij, ſicut aquæ frigefacere, ignis calefacere, modò ab eodem non poſſunt profluere effectus contrarij ſimul & ſemel.

Prima cauſa non poteſt immediatè regere iſta inferiora. ſecundùm Philoſophos.

Secundò, quia prima cauſa eſt omnino ſimplex, & inuariabilis; ergo prima cauſa non poteſt immediatè agere in aliquam nouam operationem. Conſequentia tenet, quia à voluntate antiquâ non prouenit actio noua, per Commentatorem 8. *Phyſicorum*. Et antecedens patet 12. *Metaph.*

Sed cõtra concluſionem obiicitur, quòd Deus continet in ſe virtutes, & perfectiones omnium iſtorum inferiorum; igitur immediatè poteſt regere iſta inferiora. Conſequentia tenet, quia aliter non contineret virtutem cuiuſlibet inferioris. Antecedens apparet 5. *Metaphyſic. capite de perfecto.* 7.

Obiectio prima.

Secunda. Secundò, Deus eſt omnipotens, vt patet 12. *Metaph.* ergo poteſt immediatè iſtum mundum inferiorem regere.

Tertia. Tertiò, quia prima cauſa mediante corpore cœleſti regit iſta inferiora; ergo ſe ſola poteſt id facere. Conſequentia tenet, quia cauſa prima poteſt ſe ſolâ facere, quicquid poteſt cauſa ſecunda.

Quarta. Quartò, per Auctorem de Cauſis, qui dicit quòd cauſa prima plus influit in effectum, quàm cauſa ſecunda. Tunc ſignetur illud, in quo prima cauſa plus influit, & vocetur *A*. Tunc *A* regitur à prima cauſa immediatè quantùm ad illud plus: ergo & quodlibet aliud conſimiliter poteſt regi. Conſequentia tenet, quia non eſt dare rationem quare prima cauſa poteſt magis immediatè in vnum iſtorum, quàm in alterum.

Ad iſta, & primò ad primum. Dico quòd non intelligitur quòd in Deo ſunt aliquæ perfectiones, vel virtutes diſtinctæ à Deo; ſed ſic intelligitur quòd Deus eſt ſimpliciter perfectus ſecundùm quantitatem virtutis, ita quòd eſt perfectiſſimè ſuper omnia bona bonus, & virtuoſus; ſed propter hoc non oportet quòd iſtam bonitatem, vel virtutem poteſt exercere ad quodlibet immediatè. 8.

Ad 1. obiect.

Deus eſt ſimpliciter perfectus.

Ad ſecundum dico quòd Deum mundum immediatè regere eſt impoſſibile, ſed non ſequitur quòd Deus non ſit omnipotens, eo quòd non poteſt impoſſibile facere. *Ad 2.*

Ad tertium negatur quòd *quicquid poteſt prima cauſa*, &c. *Ad 3.*

Ad quartum, *prima cauſa plus influit*, dico quòd non intelligitur quòd prima cauſa aliquid influat in inferiora mediante cauſa ſecunda, & aliquid mediante ſeipſa; ſed intelligitur quòd prima cauſa plus influit, id eſt, proprius eſt cauſa illius effectus quàm cauſa ſecunda. *Ad 4.*

Sed ſecunda concluſio eſt ſecundùm fidem, quòd Deus poſſit immediatè regere, & gubernare iſtum mundum inferiorẽ, circumſcripta quacunque concurrente causâ ſecundâ; & hoc habemus credere ex fide.

Cõcluſio Doctorum Deus poteſt immediatè regere iſta inferiora.

Articvlvs III.

An voluntas noſtra ſubſit corporibus cœleſtibus, recipiendo impreſſiones ab eis?

QVantùm ad tertium, ſit prima concluſio, quòd corpus cœleſte non agit in voluntatem noſtram aliquid mediatè neceſſitate ad agendum ſic; quoniam voluntas per ſuam libertatem poteſt in oppoſitum illius actus priuatiuè, vel poſitiuè. Probatur, quia aliter ſequeretur quòd voluntas non eſſet libera, nec aliquid eſſet ei imputandum ad bonitatem, vel malitiam, ad laudem, 9.

Concluſ. 1. Corpus cœleſte non agit in voluntatem noſtram.

vel

vel vituperium. Consequens falsum, sed probatur consequentia, quia postquam incitatetur ad aliquem actum, in eius oppositum non posset, scilicet nec eliciendo actum contrarium, nec omittendo.

Obiectio. Contra conclusionem arguitur, quia Astrologi iudicant per corpora cœlestia de his, quæ fiunt in voluntate hominis, quod non esset, nisi corpora cœlestia aliquid agerent in voluntatem, per quod voluntas incitatetur, quia dato quòd non, tum iudicium eorum esset falsum.

Conclus. 2. Agunt quasdam inclinationes. Propter illud ponitur secunda conclusio, quòd corpora cœlestia agunt quasdam inclinationes, siue impressiones, mediantibus quibus voluntas magis inclinatur ad illum actum, quàm ad oppositum. Probatur ad experientiam, nam nulli naturaliter plus inclinantur ad vnum actum, quàm alij, vt tales inclinationes benè præsciunt Astrologi.

Secundò patet id per Theologos, qui ponunt quòd postquam intellectus apprehendit per modum boni, & conuenientis, naturaliter consequitur quædam voluntas, & in ista non consistit peccatum, sed cùm habita fuerit deliberatio, tunc in voluntate mala consistit malum.

Qua non incitant voluntatem. Dico tamen quòd tales inclinationes non incitant voluntatem; quinimò voluntas liberè potest in oppositum illius, ad quod inclinatur, sed tamen eum maiori difficultate.

10\. *Ad argum. 1. principale.* Tunc ad rationes. Ad primam dico quòd Aristoteles per *continuum* intellexit *contiguum*, vt dictum fuit in prima parte quæstionis.

Ad 2. Ad secundam, negatur antecedens, quia prima causa se sola non potest aliquem effectum immediatè producere de nouo.

Ad 3. Ad tertiam, concessum est, quòd voluntas nostra non subest regimini corporis cœlestis; verum est tamen quòd corpus cœleste agit in voluntatem nostram quasdam inclinationes, mediantibus quibus voluntas facilitatur, vel difficultatur in operando.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd cælum cognoscit inquantum mouetur ab Intelligentia cognoscente.

Ad 5. 6. & 8. Ad quintam, sextam, & octauam, de errore, necessitate, ordine, dicitur quòd non oportet vt sit tantus ordo, vel necessitas in istis impressionibus, quantus in corporibus cœlestibus; propter hoc, quòd non est in istis inferioribus aliqua virtus libera, quæ non regitur à corpore cœlesti; & ista potest multos effectus impedire, qui secundùm corpus cœleste venturi essent. Et ideò dicit Ptolemæus in Centilogio suo, propositione 5. *Sapiens astrologus multa mala prohibere potest, quæ secundùm stellas essent ventura.* Et in propositione 8. dicit quòd *sapiens astrologus iuuabit opus stellarum, quemadmodum seminator vires herbarum.*

Ad 7. Ad aliam, sequitur quòd *finis*, &c. concedo, quòd finis alicuius secundariâ intentione benè regitur secundùm exigentiam istius, sed de fine primariâ intentione non est verum, nam corpora cœlestia non agunt primariâ intentione propter ista inferiora.

***

Quæstio IV.

Vtrùm cælum sit de natura ignis?

Arg. 1. Arguitur quòd sic, quia cælum est de natura elementi; igitur cælum est de natura ignis. Consequentia tenet, quia magis videtur esse de natura ignis, quàm alicuius aliorum elementorum. Antecedens probatur, quia id quod est graue, vel leue, est de natura inferiorum; sed cælum est graue, vel leue; igitur est de natura inferiorum. Maior patet, quia grauitas, & leuitas sunt qualitates secundæ, præsupponentes actiones, siue consequentes actiones primarum qualitatum. Et minor apparet, quia corpus cœleste, vel aliqua eius pars secundùm lineam rectam quandoque est propinquior nobis, quandoque remotior. 1.

Secundo. Secundò, aliqua pars cæli est de natura ignis; ergo totum cælum. Consequentia tenet, quia in corporibus simplicibus totum & pars sunt eiusdem naturæ. Et antecedens probatur, quia Galaxia & stella comata sunt partes cæli, & maximè Galaxia, vt posteà patebit; & illa sunt de natura ignis, vt patet primo huius.

Tertiò. Tertiò, illa corpora simplicia sunt eiusdem naturæ, quorum idem est motus simplex secundùm naturam; sed corporis cœlestis, & ipsius ignis est idem motus simplex secundùm naturam; ergo illa sunt eiusdem naturæ. Maior patet *primo de Cælo*; vbi dicitur quòd vnius corporis simplicis est solùm vnus motus simplex secundùm naturam, Et minor apparet, nam tam cælum, quàm ignis mouetur circulariter.

Quartum. Quartò, illæ sunt eiusdem naturæ, quæ habent materiam consimilem; sed corpus cœleste, & ignis habent materiam consimilem; ergo, &c. Maior patet, quia materia est natura: tam illa, quæ sunt eiusdem materiæ sunt eiusdem naturæ. Et minor, quia in omnibus est materia eiusdem rationis, vt patet 1. *Physicorum*. Modò cælum habet materiam, cùm sit corpus sensile, & omne tale habet materiam, vt dicit Commentator *primo de Cælo*.

Quintum. Quintò, quia illa sunt eiusdem naturæ, quibus insunt proprietates, & operationes consimiles, & accidentia consimilia; sed cælo & igni insunt huiusmodi, &c. Maior patet, quia eædem operationes, eædem proprietates, & consimilia accidentia non possunt inesse nisi in illis, quæ sunt eiusdem naturæ. Et minor, quia proprietates, & operationes ignis sunt illuminare, calefacere, & desiccare; & accidentia eius sunt raritas, diaphaneitas, quæ omnia insunt cælo; ergo, &c.

Sextum. Sextò, arguitur per interpretationem huius nominis, *cælum*. Nam cælum vocatur *æther*, modò *æther* interpretatur *ardens*, vt dicit Empedocles *in 1. Physicorum*, quod non esset, nisi cælum arderet, & esset ignis; ergo, &c.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem *in primo Physicorum cap. 3.*

Ista fuerint mota propter opinionem Empedoclis recitatam in textu, qui ponebat quòd solus locus sursum repletur aëre, & igne; aëre vsque ad certam distantiam, & igne deinum sursum, & 2.

& mouebatur per aliquas rationes factas. Iſtâ opinione dimiſsâ, primò oſtendetur quòd præter quatuor corpora ſimplicia, ſcilicet elementa, neceſſe eſt ponere corpus quintum. Et hoc per Ariſtotelem *in libro de Cælo*. Secundò, oſtendetur quòd illud corpus quintum non eſt de natura ignis.

ARTICVLVS I.

Præter elementa quatuor neceſſe eſt ponere corpus quintum.

3. *Suppoſitio 1.* QVantùm ad primum præmittentur ſuppoſitiones. Prima, quòd tantùm ſunt tres motus locales ſimplices, accipiendo *tantùm*, vt excludat maiorem numerum, & illi motus ſunt, motus ad medium, ſcilicet motus deorſum, & motus circa medium, ſcilicet motus circularis; & motus à medio, ſcilicet motus ſurſùm.

Secunda. Secunda ſuppoſitio, quòd vnius ſolius corporis ſimplicis eſt vnus ſolus motus ſecundùm naturam, & è contrà, vnus ſolus motus ſimplex eſt vnius ſolius corporis ſimplicis ſecundùm naturam.

Tertia. Tertia ſuppoſitio, quòd motus circularis non habet contrarium.

Quarta. Quarta ſuppoſitio, quòd graue eſt id, quod natum eſt ferri ad medium, ſed leue, quod natum *Concluſio 1.* eſt ferri à medio. Et ſecundùm hoc ſit prima concluſio, quòd præter quatuor corpora ſimplicia, quæ dicuntur elementa generabilium, & corruptibilium, neceſſe eſt eſſe corpus quintum, ſcilicet corpus cœleſte. Probatur concluſio, quia per primam ſuppoſitionem, motus circularis eſt quidam motus ſimplex; igitur per ſecundam eſt alicuius corporis ſimplicis ſecundùm naturam, & non alicuius quatuor elementorum, quia quodlibet illorum habet vnum motum ſimplicem ſibi naturalem. Maior patet, vnius corporis ſimplicis ſolius eſt vnus ſolus motus ſimplex ſecundùm naturam; igitur præter quatuor elementa neceſſe eſt ponere corpus quintum, cui ſecundùm naturam inſit motus naturalis.

4. Ex quæſtione ſequitur primò quòd cælum non eſt natum ferri à medio, vel ad medium, quia dato quòd ſic, tunc ipſius eſſent plures motus ſimplices ſecundùm naturam, quod eſt contra ſecundam ſuppoſitionem.

Secundò, nota, quòd cœlum non eſt graue, nec leue, quod patet, quia tunc natum eſt ferri vel à medio, vel ad medium.

Solutio. Sed dubitatur, quare eſt igitur quòd quædam corpora cœleſtia quandoque ſunt in propinquiori diſtantia ſecundùm lineam rectam ad terram; & quandoque in remotiori?

Dubium. Ad id dico quòd hoc non eſt mediante motu recto, quo idem corpus aliâ vice deſcendit, & aliâ aſcendit, ſed hoc eſt propter diuerſitatem partium eccentrici, & Epicycli, in quo corpus illud mouetur benè, ſi imaginetur linea recta tranſire per centrum terræ ab Oriente in Occidentem, applicata ad extremitates ſphæræ Solis ab vtrâque parte, tunc pars ſphæræ Solis verſus Tropicum Cancri eſſet maior, quàm pars oppoſita propter eccentricitatem iſtius ſphæræ, & ideò, cùm Sol fuerit in Tropico Cancri magis diſtat ſecundùm lineam rectam, quàm cùm fuerit in Tropico Capricorni. Et ex iſto poteſt reddi cauſa inclinationis terrenorum naturalium, & eodem modo poteſt demonſtrari in Epicyclis, cùm Luna fuerit in ſuperiori parte Epicycli, magis diſtat ſecundùm lineam rectam à terrâ, quàm cùm fuerit in inferiori.

Secunda concluſio eſt, quòd cælum non habet contrarium. Probatur, quia motui cæli non eſt contrarium; ergo nec ipſi cælo. Conſequentia tenet, quia contrarietas in cauſa arguit contrarietatem in effectu; & per conſequens cùm ſecundùm effectum non ſit contrarietas, nec etiam erit ſecundùm cauſam. Antecedens apparet per tertiam ſuppoſitionem. Ex iſto patet quòd cælum non eſt generabile, nec corruptibile, quia omne quod generatur, generatur ex ſuo contrario, & omne quod corrumpitur, corrumpitur à ſuo contrario: modò cælum non habet contrarium; igitur, &c. 5.

Secundò ſequitur quòd cælum non eſt alterabile alteratione propriè dictâ, quia talis ordinatur finaliter ad generationem, & corruptionem, vt patet 10. *de Generatione*, modò cælum non generatur, nec corrumpitur; igitur, &c.

Tertiò ſequitur quòd cælum non eſt augmentabile, nec diminuibile. Probatur, quia omnis augmentatio, vel diminutio, fit mediante alteratione propriè dictâ, ſed cælum non eſt alterabile tale.

Ex iſtis patet quòd præter quatuor elementa neceſſe eſt poni corpus quintum, & quæ ſunt conditiones ipſius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Corpus quintum non eſt de natura ignis.

DE ſecundo eſt dicendum, quòd illa dicuntur eſſe eiuſdem naturæ, quæ ſunt conſimilis formæ; vt duo homines dicuntur eiuſdem naturæ, eò quòd habent animas conſimiles; & ideò quamuis materia ſit natura, tamen ab identitate ipſius non dicuntur aliqua eſſe eiuſdem naturæ, eò quòd in omnibus eſt eadem materia, ſcilicet materia eiuſdem rationis. 6. *Quæ dicũtur eiuſdem naturæ.*

Secundùm hoc ſit concluſio prima. Corpus cœleſte non eſt de natura ignis, imò nec alicuius iſtorum inferiorum. Probatur primò ex prædictis, quia omne corpus hîc inferius eſt vel graue, vel leue; generabile vel corruptibile; augmentabile, vel diminuibile; ſed corpus cœleſte neutrum iſtorum eſt; ergo, &c. *Corpus cœleſte non eſt de natura ignis.*

Secundò, ſi corpus cœleſte eſſet de natura ignis, ſequeretur quòd vnius corporis ſimplicis eſſent plures motus ſimplices ſecundùm naturam: conſequens falſum per ſuppoſitionem priùs poſitam. Probatur conſequentia, quia ipſius eſſet motus circularis, & etiam motus ſurſum, qui naturaliter ineſt igni.

Tertiò, arguitur per rationem Ariſtotelis, quia ſi cælum eſſet de natura ignis, ſequeretur quòd quodlibet aliud elementum iam eſſet corruptum: conſequens contra experientiam. Et probatur conſequentia, quia ignis eſſet valde exceſſiuè magnus in comparatione ad alia elementa, & per conſequens ſuper ipſa obtineret dominium in magna proportione.

7. Quartò, arguitur quòd si cælum esset de natura ignis, sequeretur quòd nunquam aliquod elementum posset infrigidari vltra gradum frigiditatis, quem sibi naturaliter determinat. Consequens contra experientiam, quia videmus aquam infrigidari vsque ad coagulationem, & tamen aqua non determinat sibi à natura quòd sit coagulata, imò potiùs fluxibilis est. Ideò dicit Aristoteles 2. *de Cælo, & 2. huius*, quòd semper aqua petit locum decliuiorem. Probatur consequentia, quia corpus cœleste cùm sit de natura ignis, non haberet aliquam virtutem infrigidandi, ideò non apparet de quo ista frigiditas produceretur, quæ induit vltimum gradum propositum.

Quintò sequitur, quòd multi effectus, quos attribuimus cælo, non possunt reduci in cæluto tanquam in causam efficientem. Consequens falsum per præcedentem conclusionem. Et probatur consequentia, quia non apparet quare secundùm motum ignis fierent fluxus, & refluxus maris, & huiusmodi, nisi in corporibus animalium & plantarum.

8. Sextò, lumen cæli, & lumen ignis specificè distinguuntur; igitur cælum & ignis non sunt eiusdem naturæ. Consequentia tenet, quia quorum accidentia propria sunt diuersarum naturarum, ista non sunt eiusdem naturæ. Et antecedens probatur, primò, quia lux ignis est qualitas naturaliter consequens proportionem primarum qualitatum, scilicet fortem digestionem humidi inflammabilis cum sicco; & ideò oleum, adeps, & huiusmodi pinguia, benè sunt inflammabilia; modò lumen cœleste nunquam sequitur huiusmodi qualitates.

Secundò probatur antecedens, si lux ignis, & lux cæli essent eiusdem naturæ, sequeretur quòd aliquâ horâ diei à meridie vsque ad tenebras noctis appareret hemisphærium consimiliter illuminatum luce Solis, sicut aliqua pars eiusdem apparet illuminari lumine ignis. Consequens est falsum, maximè de quibusdam floribus, & pannis, qui nunquam apparent eiusdem coloris in lumine ignis, & in lumine Solis. Probatur consequentia, quia à meridie vsque ad tenebras noctis remittitur continuè lumen Solis, sicut quod primò gradus intensior, & postea est gradus remissior; ergo si essent eiusdem naturæ, intermedia essent gradus æquales.

9. *Obiectio.* Arguitur contra rationem tertiam, quæ est Aristotelis, Vtrùm posito quòd corpus cœleste esset ignis, sequeretur quòd omnia alia corrumperet?

Responsio. Respondetur quòd non sequeretur, imò non plus ageret caliditatem in ista inferiora, quàm de facto agit, nam non oportet, nec est possibile, quòd quodlibet agens approximatum ad passum, ageret secundùm totam profunditatem suam; imò dato quòd ignis esset infinitum extensus ad sursum, adhuc non plus ageret in sphæra aëris, quàm de facto agit, & hoc habetur 3. *Physicorum*.

Corpus cœleste non est de natura horũ inferiorum. Secunda conclusio est, quòd corpus cœleste non est de natura alicuius istorum inferiorum; probatur pro prima parte conclusionis ex secunda ratione adducta ad præcedentem conclusionem.

Ad 1. argum. principale. Ad rationes. Ad primum dictum est quòd ascensus iste, & descensus non est per motum rectum.

Ad 2. Ad secundam, dico quòd stella comata non est pars cæli, sicut Galaxia non est de natura ignis, & ista postea videbuntur.

Ad 3. Ad tertiam, dico quòd ignis non mouetur circulariter secundùm naturam, sed præter naturam.

Ad 4. Ad quartam de materia, dico quòd ex identitate, vel diuersitate materiæ non arguitur identitas, vel diuersitas naturæ, vt dictum est.

Ad 5. Ad quintam, dico quòd & proprietates, & operationes non inueniuntur eiusdem rationis in igne & corpore cœlesti.

Ad 6. Ad sextam, dico quòd secundùm Aristotelem dicitur *æther* interpretari quasi *semper currens* *. Ideò dicitur *libro primo Cœli*, quòd antiqui appellauerunt supremum locum *æthera*, à *currere sempiterno tempore*, ponentes denominationem.

Æther vnde. * *ab ἀεὶ θεῖν id est, semper currere, non ab αἴθειν, id est, ardere.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm infinities eadem opiniones reiterentur?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non; quia si sic, sequeretur quòd scientia non esset æterna. Consequens contra Aristotelem 1 *Posteriorum*; & probatur consequentia, quia si aliqua propositio iam sit scita, & postea mutetur in ignorantiam, vel opinionem contrariam, ampliùs non est scita, & per consequens illa scientia non esset æterna.

Secundum. Secundò, si aliqua propositio vera sit probata, ipsa est tenenda; ergo non infinitiès opiniones reiterabuntur. Tenet consequentia, quia dato quòd reiteraretur, iam ista non fuerat tenenda. Et antecedens probatur per Commentatorem *primo de Cœlo*, vbi dicit quòd semper opiniones Aristotelis sunt tenendæ, quia remotiores sunt à contradictione.

Tertium. Tertiò, si opiniones sic reiterentur, sequitur quòd aliquod esset tempus, quo homines naturaliter errarent. Consequens falsum, quia non apparet per quantum tempus error iste deberet durare, & per quantum non. Probatur consequentia, quia si nunc aliqua opinio sit vera, & illi, & aliæ opiniones, in quas ipsa mutabitur, erunt falsæ, & erroneæ, & per consequens per certum tempus homines errabunt.

Quartum. Quartò, sicut sensus non reiterat iudicium de suo sensili, ita videtur quòd intellectus non deberet reiterare de suo intellectibili, nam sicut sensus ad sensilia, sic intellectus ad intelligibilia, ex 3. *de anima*. Et antecedens apparet, quia si sensus iudicet de aliquo quòd sit album, non reiterat illud, nisi fuerit mutatio à parte rei; vnde sensus benè dispositus non iudicaret de nigro quòd esset album.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo libro, cap. 3. vbi dicit: *Non enim vtique dicemus semel neque rarò easdem opiniones reiteratas fore in hominibus, sed infinities.*

2. *Diuisio quæstionis.* In ista quæstione primò videbitur quæ opiniones sunt variabiles, & quæ non, & circa quas scientias sit huiusmodi variatio opinionum. Secundò videbitur de causa efficiente in vniuersali

huiusmo

huiuſmodi variationis. Tertiò de cauſa efficiente particulari. Et quartò de cauſa finali.

ARTICVLVS I.

Quæ opiniones ſint variabiles, & circa quas ſcientias ſit huiuſmodi variatio opinionum.

Veritates multiplices. QVantùm ad primum, ſciendum eſt, quòd ſunt quędam veritates neceſſariò venientes, ſicut prima principia, & multa principia naturalia, & moralia, ſicut quòd ignis naturaliter calefacit ſtupam. In moralibus, quòd pater eſt honorandus. Quales veritates ſunt concluſiones meteoricæ præſuppoſitis principiis, & circa tales veritates non accidit variatio in opinionem contrariam, quamuis benè in ignorantiam.

Aliæ ſunt veritates, de quibus neutro modo opinamur, ſcilicet ad cuius neutram partem contradictionis poteſt adduci aliqua probatio, cùm altera pars ſit vera, & neceſſaria, ſicut in his, *ſtellæ ſunt pares; ſtellæ ſunt impares*: & circa tales non accidit variatio opinionum.

Aliæ ſunt, quarum vtraque pars eſt aliqualiter probabilis, vel vna modicum magis quàm alia, ſicut, numquid anima ſit æterna, vel vtrùm qualitas ſymbola maneat eadem in generato & corrupto? Et circa tales veritates ſolùm accidit variatio opinionum in opiniones contrarias, non propter mutationem ex parte rei, quia illa eodem modo ſe habet, ſed ſolummodò propter mutationem in hominibus, & rationibus, ſecundùm quas homo ducitur ad aſſentiendum vni parti, vel alteri.

Aliæ ſunt veritates, circa quas contingit variatio opinionum propter mutationem ex parte rei, verbi gratia, ſecundùm diuerſitates temporum competunt diuerſa cibaria, diuerſus modus ædificandi, fingendi, armandi: & quia in omnibus actibus humanis accidit talis variatio, & in talibus eſt principaliter mutatio rerum, & conſequenter mutatio opinionum.

3. *Opiniones circa quid varientur.* Ex iſtis apparet, quæ ſit materia, ſecundùm quam eſt huiuſmodi variatio. Nam non ſolùm fit variatio opinionum circa ſcientias ſpeculatiuas; imò & circa practicas ſcilicet leges, & politias, & maximè circa artes mechanicas, vt patet per experientiam.

Secundò ſciendum eſt, quòd quandoque opinio mutatur in opinionem contrariam; & quandoque in notitiam; & quandoque in ignorantiam; & hoc vel apud omnes homines mundi, vel apud omnes vnius regionis, vel apud multos, vel paucos.

Tertiò eſt ſciendum, quòd quædam ſunt veritates, circa quas ſolùm poſſunt teneri duæ viæ, ſicut de perpetuitate animæ.

Aliæ ſunt veritates, circa quas contingit habere plures opiniones, tamen finitas; ſicut patet de quæſtionibus multis Philoſophiæ naturalis. Patet igitur, quare diuerſimodè fiunt mutationes opinionum, & circa quam materiam. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De cauſa efficiente in vniuerſali variationis opinionum.

DE ſecundo ſit cõcluſio iſta, quòd huiuſmodi variatio opinionum ſit principaliter à corpore cœleſti, tanquam à cauſa agente vniuerſali. Probatur, quia tota virtus mundi inferioris gubernatur à cælo, vt patuit per vnam concluſionem præcedentem; ergo & regitur ab eo quantùm ad huiuſmodi variationem opinionum. 4. *Opinionũ variatio ſit præcipuè à corpore cœleſti.*

Obiectio. Sed contrà, quia actus liberi non reguntur à corpore cœleſti, vt dictum fuit priùs; modò huiuſmodi variationes opinionum ſunt à libertate voluntatis: ergo non reguntur à cælo, & per conſequens cælum non eſt cauſa huiuſmodi variationum.

Reſponſio. Ad id reſpondetur, quòd quamuis voluntas non regatur à corpore cœleſti ſic, vt incitetur ab ipſo; tamen regitur à corpore cœleſti inclinatiuè, eò quòd recipit inclinationes ad aliquos actus magis quàm ad alios; & quia homines communiter, & in pluribus, plus inſequuntur ſuas inclinationes, quàm illa, quæ ſuis inclinationibus opponuntur; ergo rationaliter poteſt dici quòd actus liberi regantur à cælo, ſaltem inclinatiuè.

Secundò arguitur ad concluſionem, per Aſtrologos, qui ponunt quòd quædam magnæ coniunctiones ſunt cauſæ inceptionis Sectarum, Religionum, & regnorum. Et ideò in terris, quas aſpiciunt huiuſmodi coniunctiones, generantur prophetiæ; & ad iſta ſequitur deſtructio quarundam opinionum; & renouationes aliarum. Et tempus durationis huiuſmodi opinionum diuerſificatur ſecundùm magnitudinem, & paruitatem coniunctionum, à quibus cauſabatur iſta variatio. Et ideò concludo ab hoc, poſſibile eſt quòd magnæ opiniones regantur à magnis coniunctionibus, & paruæ à paruis. Et hoc pro ſecundo.

ARTICVLVS III.

De cauſa efficiente in particulari variationis opinionum.

DE tertio dico, quòd cauſæ particulares poſſunt reduci ad duas, quarum vna eſt paucitas, vel deſtructio hominum; alia inclinatio ipſorum. Et quia paucitas hominum poteſt fieri diuerſis modis, ideò quilibet iſtorum modorum poteſt dici cauſa particularis. Vnus eſt modus per peſtilentiam, & mortalitatem, de quo loquitur Ariſtoteles in libro ſuo de Mundo, vbi dicit quòd per huiuſmodi mortalitates euacuantur regna. Alter modus eſt per diluuium ignis, & de hoc loquitur Ariſtoteles in eodem libro. Tertius modus eſt per diluuium aquæ, & hoc quandoque per diluuium vniuerſale, ſecundùm quod dicit Seneca *in ſexto de naturalibus quæſtionibus*. Quartus modus per guerras, & bella, per deordinationes ciuitatum, & politiarum, quia tunc homines minùs poſſunt vacare ſtudiis. 5. *Cauſæ particulares poſſunt reduci ad duas.*

Cauſa ſecunda eſt propter inclinationes hominum.

minum. Et hoc poteſt eſſe vel per inclinationes ipſorum ad deſidiam, & tunc opiniones mutantur in ignorantiam, vel propter inclinationes hominum ad nouitatem, ſicut quandoque Athenienſes ad nil aliud vacabant, niſi ad inueniendas nouas opiniones. Et conſimiliter de Anglicis.

Tertiò inclinatio illa poterit prouenire ex inhonoratione Clericorum, quia tunc magis deſiſtunt à ſtudio, quia inhonorati: & quandoque ex nimia occupatione hominum in aliis, ſicut quandoque multi ſunt ita dediti practicis quòd non poſſunt inſiſtere ad inquirendam veritatem. Et hoc de tertio.

Articvlvs IV.

De cauſa finali variationis opinionum.

6. *Triplex cauſa variationũ opinionũ. Prima.* De quarto dico, quòd triplex poteſt eſſe cauſa huiuſmodi variationis opinionum. Prima eſt, ad reprimendam malitiam hominum. Nam multoties error in ſpeculatiuis multùm valet ad reprimendam hominum malitiam. Verbi gratia. Dato quòd, per impoſſibile, nullus eſſet infernus, vel paradiſus, adhuc bonum eſſet fingere infernum eſſe, vt propter timorem homines deſiſterent à malis, & bonum eſſet fingere paradiſum eſſe, vt per ſpem continuarent in bonis.

Secunda. Secunda cauſa finalis, eſt propter exercitium humani ingenij, nam quia homines, vt in pluribus, delectantur in nouitatibus, ideò bonum eſt vt opiniones corrumpantur, & aliæ per exercitium renouentur.

Tertia. Tertia cauſa eſt propter decorem vniuerſi. Nam quandoque ab aliquo turpi tota congregatio redditur pulchrior; ita ſimiliter vniuerſum redditur pulchrius, & magis ordinatum, ex hoc, quòd quandoque interſeruntur errores.

Ad 1. arg. principale. Per hoc ad rationes. Ad primam, *ſequitur quòd ſententia*, &c. Negatur conſequentia. igitur ſcientia eſt æterna, quia ante quodlibet tempus erat ſcientia, & poſt quodlibet tempus; poſſibile tamen eſt quòd interciſa ſit, quia quandoque poſſet eſſe verum dicere, Nulla ſcientia eſt.

Ad 2. Ad ſecundam, *ſi aliqua ſcientia ſit probata*, &c. Verùm eſt, ſi non ſuperuenerit aliqua prædictarum cauſarum.

Ad 3. Ad tertiam, *ſequitur quòd aliquod*, &c. Concedo quòd poſſibile eſt eſſe aliquod tale tempus, in quo homines errent, & quantitas vnius temporis talis eſt ſecundùm magnitudinem coniunctionis, vel conſtellationis à qua prouenit iſte error.

Ad 4. Ad quartam, *ſicut ſenſus*, &c. Dico quòd non, eò quòd ſenſus non poteſt errare circa ſuum obiectum, intellectus bene poteſt.

Qvæstio VI.

Utrùm vapor ſit de natura aëris, & exhalatio de natura ignis?

Argvitvr quòd non, quia illud quod per ſolum motum localem ſegregatur ab aqua non eſt de natura aëris, ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo vapor non eſt de natura aëris. Maior apparet, quia per ſolum motum localem vnum elementum non tranſmutatur in aliud. Et minor patet per Ariſtotelem in iſto primo, vbi dicit quòd vapor primò eſt diſgregatio aquæ. 1. *Arg. princ.*

Secundò, illud quod propriæ naturæ derelictum conuertitur in aquam, eſt de natura aquæ; ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior apparet, nam ideò dicimus quòd aqua calefacta adhuc remanet aqua, eò quòd dimiſſa propriæ naturæ communiter ſe reducit ad frigiditatem. Et minor apparet, nam vapor tenuis, ex quo natus eſt fieri ros, ſtatim cùm deficit calor eleuans, conuertitur in aquam. *Secundum.*

Tertiò, quia illud quod differt ab aqua ſolùm ſecundùm differentias accidentales, eſt de natura aquæ; ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior apparet, quia ſolùm mutatio in accidentalibus non conſtituit diuerſitatem ſpecificam. Et minor apparet, quia vapor & aqua ſolùm differunt ab inuicem ſecundùm magis & minùs graue; ſecundùm denſum & rarum, &c. & huiuſmodi qualitates. *Tertium.*

Quartò arguitur quòd exhalatio non eſt de natura ignis. Quia ſi ſic, ſequeretur quòd poſſemus percipere exhalationem aſcendere per aërem. Conſequens contra experientiam, ſaltem in pluribus. Et probatur conſequentia, quia ignis, vel illud quod eſt igneum faciliter eſt perceptibile. *Quartum.*

Quintò, quia exhalatio ab igne incenditur, & conſumitur, igitur exhalatio non eſt de natura ignis. Conſequentia tenet, nam cùm omnis actio proueniat à cõtrarietate, illud quod eſt de natura alicuius elementorum, non conſumeretur ab eodem, vel conſimili elemento. Antecedens patet per Ariſtotelem in iſto primo capite tractatus ſecundi, vbi vult quòd impreſſiones igneæ generantur per incenſionem exhalationis. *Quintum.*

Sextò, quia exhalatio per ſolum motum localem ſeparatur à terra; igitur exhalatio non eſt de natura ignis. Conſequentia tenet, quia ſolus motus localis ſine aliqua alteratione non ſufficit mutare vnum elementum in aliud. Et antecedens apparet, quia ſtatim, cùm aliqua pars terræ liquefit, ſegregatur à toto, cuius eſt pars, & aſcendit per modum exhalationis. *Sextum.*

Septimò, exhalatio ſolùm differt à terra ſecundùm magis & minùs; ergo, &c. Tam antecedens, quàm conſequens probatur, ſicut probantur de vapore. *Septimum.*

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, cap 4. vbi dicit in fine. *Vapores enim naturâ ſunt calidi, & humidi, exhalationes calida, & ſicca.* *Oppoſit.*

De iſtâ quæſtione eſt vna opinio, quòd vapor non eſt de natura aëris, imò de natura aquæ; 2. *Opinio 1.*

&

& ſimiliter exhalatio non eſt de natura ignis, ſed de oatura terræ. Et hoc probatur per rationes priùs factas.

Opinio 2. Alia opinio eſt, quòd vapor non eſt de natura alicuius elementi ſimplicis, imò eſt quoddam mixtum, imperfectum, ex duobus elementis, puta, vapor de aëre, & aqua, exhalatio de igne, & terra. Probatur, quia non ſolùm vapor conoertitur in aquam, imò etiam in aërem, nam non tota nubes conuertitur in aquam, imò alia pars eius in aërem.

3\. *Aër ſumitur dupliciter.* Iſtis omiſſis, reſpondetur ad quæſtionem, modo primo, *Aer* poteſt accipi dupliciter. Primò pro corpore ſimplici habeote formam ſubſtantialem, colus diſpoſitiones naturales, ſcilicet caliditas, & humiditas, non ſuot admixtæ diſpoſitionibus contrariis. Et vocatur io propoſito forma ſubſtantialis ſimplex, nou propter hoc, quòd non ſit compoſita ex diuerſis formis ſubſtantialibus, quia nulla eſt taliter compoſita, ſed præcipuè ideò dicitur eſſe ſimplex, quia nata eſt prouenire ex actioonibus duarum qualitatum primarum, & non ex commixtione, vel proportione omnium qualitatum primarum. Alio modo accipitur *aer* pro tali corpore ſimplici habeote formam ſimplicem, cuius tamen naturales diſpoſitiones, ſcilicet caliditas, & humiditas, ſunt admixtæ cum ſuis contrariis.

Quæ dicuntur eiuſdem naturæ. Secundò ſciendum eſt, quòd illa dicuntur eioſdem naturæ, quæ habent formam conſimilem, ita quòd materia nil facit ad diuerſitatem ſecundùm naturam.

Tertiò eſt ſciendum de definitionibus vaporum, & exhalationis. *Vapor quid?* Vnde *vapor* eſt quidam fumus per aſtrorum & Solis actionem eleuatus ab aqua, & corporibus aqueis, cuius naturalis complexio eſt calida & humida, ex quo natæ ſunt fieri nubes, pluuiæ, grandines, rores, & pruinæ. *Exhalatio quid?* Sed *exhalatio* eſt fumus per actionem Solis, & aliorum aſtrorum calefacientium, à terra, & corporibus terrenis eleuatus, qui naturaliter eſt calidus & ſiccus, & ex qon natæ ſunt fieri impreſſiones ignitæ, ſtellæ comatæ, veoti, & terræmotus.

4\. *Concluſ. 1. Vapor & exhalatio non ſunt de natura terræ, vel aquæ.* Secundùm hoc ponuotur concluſiones. Prima eſt hæc, quòd vapor, vel exhalatio non eſt de natura terræ, vel aquæ. Et hoc eſt verum de exhalatione, quantùm ad ſuas diſpoſitiones qualitatiuas, quamuis non quantùm ad ſuam formam ſubſtantialem. Probatur concluſio, quia iſta oon ſunt eiuſdem naturæ, quæ habent naturales inclinationes oppoſitas; modò ſic eſt quòd vapor & exhalatio habẽt oaturales inclinationes oppoſitas inclinationibus, quas habent aqua. & terra: igitur, &c. Maior patet, quia eadem, vel conſimilis natura eodem modo, vel conſimili inclinat. Et minor apparet, nam vapor & exhalatio ex ſuis naturis inclinantur ferri ſurſum; ſed terra, & aqua deorſum.

Concluſio 2. Vapor eſt de natura aëris. Secunda conclusio eſt, quòd vapor eſt de natura aëris. Probatur primò, quia vapor habet naturales diſpoſitiones aëris, ſcilicet caliditatem, & humiditatem; caliditatem ratione agentis, quod eleuat ipſum ab aqua; & humiditatem ratione paſſi, à quo eleuatur.

Secundò, ſi noo eſſet de natora aëris, maximè eſſet de natura aquæ, eò quòd alia elementa non participant humiditatem, modò conſequens falſum. Primò per præcedentem concluſionem. Secundò, quia tunc vapor non conuerteretur in aquam, quod eſt contra experientiam. Et probatur conſequentia, quia idem non conuertitur in naturam ſuiipſius, vel conſimilem.

5\. *Concluſio 3. Exhalatio eſt de natura ignis, quomodo?* Tertia concluſio eſt, quòd exhalatio quantùm ad diſpoſitiones qualitatiuas primas, eſt de natora ignis. Probatur, nam id, quod eſt calidum & ſiccum, eſt de natura ignis; ſed exhalatio eſt huiuſmodi; ergo, &c. Nam aliter non eſſet faciliter inflammabilis. Secundò, quia habet caliditatem reſpectu agentis, & ſiccitatem reſpectu paſſi, à quo eleuatur.

Concluſio 4. Quomodo non? Quarta concluſio eſt, quòd exhalatio non eſt de natura ignis, quantùm ad formam ſuam ſubſtantialem. Probatur, ſupponendo quòd non quælibet caliditas ſufficit ad generationem ignis, imò nulla citra ſummam, niſi fuerit materia optimè diſpoſita ad introductionem formæ ignis. Iſta ſoppoſitio patet, nam aliter non poſſet aſſignari quis gradus ſufficeret ad introductionem ignis, & quis non. Tunc hoc ſuppoſito, patet quòd terra ſit valdè ioeptè diſpoſita ad introductionem formæ ignis, quia io ipſa non poteſt introduci forma ignis, niſi fuerit multum intenſa, quia dato quòd ſic, iam experiremur videre caliditatem io eius aſcenſu, quod eſt falſum.

6\. *Obiect. 1. contra 2. concl.* Contra ſecundam concluſionem, quæ dicit quòd *vapor eſt de natura aëris*, arguitur quòd non, quia illud non eſt de natura aëris, quod per modicam actionem poteſt conuerti in aquam: ſed vapor per paruam actionem poteſt conuerti in aquam; & ita ſimiliter de aëre mediæ regionis; ergo, &c. Et minor apparet, oam vapor, ex quo natus eſt ros generari, ſuperuenieote frigiditate noctis valdè repeote, conuertitur in aquam.

Obiectio 2. Secundò arguitur per quandam experientiam Alberti, qui dicit quòd ſi argentum viuum ponatur io aqua roſacea, citò exhalatur illud argentum; & ſi ſupponatur vas ſpiſſum, & frigidum, tuoc illud argentum viuum exhalatum iterum conuertitur in argentum viuum; quod non poſſit fieri, ſi illud argentum per exhalationem fuiſſet conuerſum in aërem. Ergo à ſimili, vapor exhalatus ab aqoa noo ſtatim coouertitur io aërem, ſed adhuc manet aqua.

7\. *Reſponſ. ad 1.* Ad primum, *id quod per modicam*, &c. Negatur maior, propter duas cauſas. Prima eſt, nam vapor iſte noo ſtatim reſolutus eſt ab aqua, ideò per valdè modicam actionem poteſt reuerti ad propriam naturam, tamen qualitates ſymbolæ adhuc manent in ipſo valdè intenſæ. Alia cauſa eſt, quia voum contrarium cùm multum fuerit paſſum à contrario, faciliùs eſt receptiuum cuiuſcunque impreſſionis, quàm aliud ſimile, quod noo eſt paſſum à ſuo contrario; modò cùm vapor iſte, priuſquam fuerat reſolutus multum paſſus erat à caliditate, multò faciliùs poteſt recipere impreſſionem à frigido, quàm aqua non paſſa à caliditate.

Ad 2. Ad ſecundum poteſt dici dupliciter. Voo modo, quòd illud argentum viuum non mutatur in aliam naturam, ſed præciſè diminuitur ſecundùm partes diminutas, & ideò ſuperueniente frigiditate partes iſtæ reuertuntur in propriam naturam. Aliter dicitur ſicot ad præcedentem, quòd non eſt inconueniens quòd iſtud exhalatum ex argento viuo faciliter conuertatur in argentum viuum, eò quòd adhuc eſt valdè propinquum ſuæ naturæ, propter qualitates ſymbolas exiſteotes in eo.

Ad argum. 1. principale. Ad rationes, & ad primam *quod per solum motum*, &c. Concedo consequentiam, & nego minorem, quia quamuis vapor disgregetur ab aqua, hoc tamen est per primam alterationem, imò etiam cum generatione.

Ad 2. Ad secundam conceditur maior, & negatur minor, nisi superuenerit frigiditas ingrossans illum vaporem.

Ad 3. Ad tertiam, *illud quod solum*, &c. Conceditur maior, & negatur minor, eò quòd vapor natus est conuerti in aquam, quod non esset, si esset eiusdem formæ substantialis eum aqua.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd si exhalatio esset ignis purus, adhuc in ascensu suo non perciperetur à visu. Nam solus ignis existens in corporibus mixtis non percipitur à visu.

Ad 5. Ad quintam, *exhalatio incenditur*, &c. Concedo, quia adhuc non est perfectè assimilata igni, secundùm gradum suæ qualitatis.

Ad 6. Ad sextam, *quia exhalatio per motum solum*, &c. Negatur consequentia, imò eleuatur mediante alteratione: vt dictum fuit de vapore.

Ad 7. Ad septimam, illa probat verum, nam concessum est quòd exhalatio antequam inflammetur non differt substantialiter à terra. Dictum est

QVÆSTIO VII.

Utrùm ignis in concauo orbis Lunæ circulariter moueatur.

1. *Arg. 1.* ARGVITVR quòd non, quia tunc ista elementa inferiora, vt Aqua, & Terra, deberent etiam circulariter moueri. Consequens falsum, vt patet per experientiam, nam si erigatur baculus super terram, super cuius extremum superius ponatur aliquod graue, si postea remoueatur baculus localiter, graue cadet super istum punctum terræ, quod directè substabat baculo, quod non esset, si terra fuisset mota circulariter; ergo, &c. Probatur consequentia, quia non est maior ratio de vno elemento, quàm de alio.

Secundum. Secundò, quia vel ignis mouetur circulariter naturaliter, vel violenter; non naturaliter, quia ignis non habet naturales dispositiones, à quibus de natura proueniret huiusmodi motus; si violenter, hoc est falsum, quia tunc non posset perpetuari, & tamen in perpetuo cælum mouetur circulariter.

Tertium. Tertiò, si sic, sequeretur quòd eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam: consequens contra Aristotelem *in primo Cæli*. Nam vnius corporis simplicis est vnus solùm motus simplex, vt patet *ibid.* Probatur consequentia, nam ignis esset motus circularis in suâ sphærâ, & etiam motus sursum, vt patet *primo Cæli*.

Quartum. Quartò, si moueretur circulariter, esset pro tanto, quia traheretur à cælo: consequens falsum; igitur & antecedens. Consequentia tenet, quia aliunde non potest esse causa istius circulationis. Falsitas consequentis patet, quia trahens, & tractum debent ad inuicem religari, vt patet *7. Physicorum*, & tamen non apparet aliqua colligantia, imò nec potest esse inter cælum & ignem; ergo, &c.

Quintò, quia omne corpus naturale, cùm peruenerit ad locum, ad quem naturaliter tendit, naturaliter quiescit, modò ignis est quoddam corpus naturale, naturaliter inclinatum ad locum sursum: ergo cùm ad illum peruenerit, dicitur ibi naturaliter quiescere. Maior patet, quia frustra mouetur ad illum locum, vbi non potest quiescere. Et minor apparet, primò, quòd sit corpus naturale, quia habet in se principium motus, & quietis. Et quòd inclinetur ad sursum patet, nam hoc est de ratione leuitatis, quam sibi determinat ignis. *Quintum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Opposit.*

In ista quæstione primò videbitur de supposito; deinde de quæsito. Vnde quod supponit est, quòd ignis est in concauo orbis Lunæ, & hoc supposito, Vtrùm ibi mouetur circulariter? 2.

ARTICVLVS I.

Ignis est in concauo orbis Lunæ.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd non debemus imaginari ignem in sua sphæra ad modum, quo est ignis hîc inferiùs, flamma, vel carbo, sed debemus imaginari sicut in fornace, vbi liquefiunt vitra. Nam vbi vitrum in flamma ponitur, vel carbonibus illius fornacis, longo tempore durat priusquam liquefiat; sed si ponatur prope in isto, vbi apparet clarus, & diaphanus aër, tunc statim liquefit. Modò certum est quòd ibidem non est aër, quia aër non potest pati tantam caliditatem; igitur veraciter est ignis talis, qualis est in concauo orbis Lunæ. *Ignis in sua sphæra qualis.*

Secundò sciendum est, quòd ignis est corpus simplex quoddam, habens duas qualitates primas, & non plures, scilicet caliditatem, & siccitatem, non admixtas cum suis contrariis, quia inter omnia generabilia, & corruptibilia est magis calidum, & leue, magis rarum, & diaphanum. 3. *Est corpus simplex.*

Tertiò, præmittendum est de finibus grauium, & leuium; vnde quoddam elementum magis mouetur finaliter, vt coniungatur totali elemento, cuius ipsum est pars, quàm vt propriè sit in tali loco, vel tali: verbi gratia, particula terræ, vel aquæ existens sursum potius descendit, si sit aqua, vt coniungatur aquæ; si sit terra, terræ, quàm propriè esse in tali loco, vel tali. cuius signum est, quòd cum particula suo toti est coniuncta, quamuis actus grauitatem habet, non tamen habet tractum grauitatis; & ideò elementa non sunt grauia in suis sphæris, vel locis propriis. *Finis grauium.*

Alius finis potest esse, quia semper elementum grauius mouetur vt subsit leuiori, sicut terra naturaliter mouetur, vt subsit aquæ, & aër vt supereminéat aquæ.

Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd in concauo orbis Lunæ est ignis. Quæ conclusio probatur sic, quia ad experientiam videmus quòd corpora leuia, quæ sunt de natura ignis, ascendunt superiùs per aërem naturaliter; tunc ergo vel iste ascensus est, vt illud ascendens coniungatur alicui consimili naturæ, vel propriè vt possit supereminere aëri. Si primo 4. *Conclusio 1. Ignis est in concauo Lunæ.*

modo

modo habetur propositi, videlicet quòd ibi superius est aliquid consimilis naturę, scilicet ignis. Si detur secundum, sequeretur quòd frustra ascenderet versus illum locum, ex quo ita citò sicut ibi veniret corrumperetur. Secundò, dato quòd totum intermedium dehinc vsque ad orbem Lunæ esset repletum aëre, statim præ nimia velocitate aër iste calefieret ad gradum caloris, sub quo non posset forma aëris stare, & sic statim conuerteretur in ignem.

Tertiò, sicut se habet exhalatio ad vaporem, sic se habet ignis ad aërem; sed exhalatio altiùs ascendit quàm vapor; ergo ignis altiùs ascendit quàm aër, & istam rationem ponit Aristoteles in isto primo.

Quartò, necesse est semper terram esse; ergo semper ignem esse. Tenet consequentia, quia ignis & terra contrariantur; nam ignis est leuissimus, & rarissimus, terra grauissima, & densissima: modò si vnum contrariorum sit in natura, & reliquum esset. Antecedens apparet, quia si necesse est cælum semper moueri, necesse est terram semper esse; & illud ponit Aristoteles *2. Cali*.

5\. *Obiectio.* Contra conclusionem arguitur, quia si inter nos, & cælum esset ignis, sequeretur quòd nunquam possemus comprehendere vera loca Planetarum, & stellarum. Consequens contra Astrologos, qui loca Planetarum obseruauerunt. Probatur consequentia, quia semper Planetæ viderentur extra sua propria loca; nam ignis & aër essent inter nos, & cælum secundùm medium diuersæ diaphaneitatis, & occurrente medio diuersæ diaphaneitatis frangitur radius visualis, vt patet in Perspectiua, quæ fractio facit rem apparere alibi quàm est.

Responsio. Ad illud dicitur negando consequentiam, quia dato quòd adhuc radiùs refrangeretur in occursu eius ad sphęram aëris, adhuc per Perspectiuam potest inueniri anguli quātitas, vel refractionis; & sic adhuc poterunt inueniri, vel haberi vera loca Planetarum. Aliter dicitur, quòd ignis & aër non multùm differunt in raritate, & densitate; ideò diuersitas ista non sufficit refrangere radium, nisi dicatur quòd quælibet difformitas aliquid refrangit de radio sibi occurrente. Sed probatur quòd non, quia si *A* radius refrangatur in occursu *B*, & *C*. medij, tunc intendatur *A* vsque ad duplum, & remittatur *C* medium densius vsque ad subduplum, & iterum radius consimiliter augmentetur, & medium conformiter remittatur in densitate. Tunc quæro vtrùm per talem continuam intensionem radij, & conformem remissionem densitatis mediorum radius iste pertransibit irrefractus, vel non? si sic, habetur propositum; si non, contrà, quia per talem augmentationem radij deueniet ad maiorem fortitudinem in gradu intensionis, quàm sit intensio radij perpendicularis super duo media diuersarum diaphaneitatum, & iste perpendicularis transit irrefractus, vt patet per Perspectiuam; ergo à multò fortiori iste radius, qui est multò fortior eo.

6\. *Obiectio.* Secundò arguitur contra conclusionem, quia si inter nos & cælum esset ignis, sequeretur quòd prohiberet nos à visione stellarum. Consequens contra experientiam. Et probatur consequentia, quia nos videmus in istis inferioribus quòd ignis positus inter visum, & aliquod visibile prohibet visionem istius.

Ad illud, negatur consequentia, quia ignis hic inferiùs existens, non est similis igni existenti extra orbem Lunæ, imò, vt dictum est, ignis infra orbem Lunæ est magis perspicuus, & diaphanus, quàm sit aër. *Responsio.*

Secunda conclusio est, quòd ignis est in concauo orbis Lunæ, tanquam in loco naturali. *Conclusio 2. Ignis est in cōcauo Lunæ. vt in loco naturali.* Probatur, quia elemento leuissimo, & nobilissimo debetur locus maximè sursum; sed nobilissimus; sed ignis est elementum leuissimum, & nobilissimum, & concauum orbis Lunæ est locus maximè sursum, inter loca corruptibilium, & generabilium; igitur, &c. Maior patet, quia locus & locatum debent adinuicem proportionari. Prima pars minoris apparet *2. de Generatione, & 1. Cali*, & secunda pars nota quantùm ad hoc quòd iste locus est maximè sursum inter loca generabilium, & corruptibilium: sed quòd sit locus nobilissimus apparet, quia quantò loca sunt à nobis remotiora, tantò sunt nobiliora.

Contra conclusionem arguitur sic; illud non est locus ignis, quod aptum natum est corrumpere ignem, & habet dispositiones contrarias dispositionibus ignis; modò sic est de orbe Lunæ, qui est frigidus & humidus, cùm sit de natura stellæ, quam defert, scilicet Lunæ, quæ est frigida, & humida. 7. *Obiectio prima.*

Secundò, orbis Lunæ est mobilis: ergo non est locus ignis. Consequentia tenet, quia locus dicitur esse immobilis *ex 4. Physicorum*. *Secunda.*

Tertiò medium mundi est locus nobilissimus; igitur debetur igni. Consequentia tenet, quia est elementum nobilius. Antecedens apparet. quia medius mundi locus est magis remotus ab extraneis contrarietatibus. *Tertia.*

Ad ista, & primò ad primum, dicendum est quòd orbis Lunæ, propter velocitatem sui motus, est sans conseruatiuus ignis, quamuis sit contrarius sibi secundùm dispositiones virtuales, quos habet. *Ad 1. obiect.*

Ad secundum, *locus est immobilis*, &c. de hoc debet videri *in 4. Physicorum*, quia sic est immobilis secundùm æquiualentiam. *Ad 2.*

Ad tertium, negatur quòd medium mundi sit locus nobilissimus, imò est magni vilis inter alia loca, & magis subiectus contrarietatibus. Et hoc est de primo. *Ad 3.*

ARTICVLVS II.

An ignis moueatur circulariter in concauo orbis Lunæ?

De secundo, sit cōclusio ista, quòd ignis mouetur circulariter in concauo orbis Lunæ. 8. *Conclusio 1. Ignis mouetur circulariter in concauo Lunæ.* Probatur, quia cælum mouetur circulariter, & superior regio aëris mouetur circulariter; ergo & ignis, &c. Consequentia tenet, quia non est benè imaginabile, vel saltem consonum rationi, quòd illa duo loca extrema moueantur circulariter, & medium non. Prima pars antecedentis est apertè nota, & secunda apparet per quoddam signum. Nam stella comata, quæ generatur in suprema regione aëris mouetur circulariter, & non diuidendo aërem, quia tunc statim coolumeretur; igitur mouetur ad motum aëris.

Sed dubitatur, quomodo est hoc, quòd ignis & superior aëris regio moueantur ad motum cæli

cæli circulariter, & elementa inferiora non? Causa potest esse duplex. Vna, quia locus scilicet illius ignis non tantùm elongatur inferius. Alia, quia ignis & superior aëris regio sunt multùm leues, & propter suam leuitatem multùm inclinantur sursum, & ratione istius inclinationis fortiter inhærent cælo, propter quam adhærentiam deferuntur vnà cum motu cæli. Sed media aëris regio, & quicquid est hîc inferius sunt grauia quodammodo, & ideò non adhærent sursum, nec oportet ea moueri tali motu.

Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam. Negatur consequentia, & iam solutio est.

Ad 2. Ad secundam, *vel naturaliter*, &c. dico quòd motus iste fit præter naturam, quia nec fit cum inclinatione mobilis, nec contra inclinationem.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc vnius*, &c. Negatur consequentia, nam iste motus circularis non est secundùm naturam.

Ad 4. Ad quartam, *hoc esset quia traheretur*, &c. concedatur, dico quòd est sufficiens colligatio, scilicet adhærentia ignis ad ipsum cælum per inclinationem ipsius ignis ad sursum.

Ad 5. Ad quintam, *omne corpus naturale cum peruenerit*, &c. verum est quiete oppositâ motui, quo mouebatur ad suum locum.

QVÆSTIO VIII.

Utrùm aër sit naturaliter calidus & humidus?

1. *Arg. princ.* ARGVITVR quòd non, quia duæ qualitates non possunt inesse alicui elemento puro; ergo non naturaliter. Consequentia tenet per simile, & antecedens 2. *de Generatione*.

Secundum. Secundò, illud quod est quandoque calidum, quandoque frigidum, non est naturaliter calidum; sed de aëre ita est: ergo, &c. Minor apparet ad experientiam, nam aër in hyeme est frigidus, in æstate calidus. Maior quoque patet, quia quod est naturale alicui, eidem inest eodem modo.

Tertium. Tertiò, illud quod est magis frigidum, quàm corpus humanum, non est naturaliter calidum; sed aër est magis frigidus quàm corpus humanum; ergo. Maior apparet, quia corpus humanum est magis frigidum, quàm calidum; vt patet ex duobus. Primò, quia in ipso dominatur terra, vt patet 4. *huius*; modò terra est frigida & sicca. Secundò, eò quòd nos sumus magis perceptiui caliditatis, quàm frigiditatis, vt patet per experientiam; sed non esset ita, nisi plus haberemus de frigiditate, quàm caliditate: ergo, &c.

Quartum. Quartò arguitur, quòd non sit naturaliter humidus, quia vnumquodque elementum magis participat naturam elementi locantis, quàm elementi locati; sed ignis locat aërem; igitur aër plus participat de natura ignis, quàm aquæ, cùm ignis sit locus aëris, & aër sit locus aquæ, & cùm ignis sit siccus, sequitur quòd aër sit siccus. Maior patet, quia locus dicitur esse conseruatiuus locati; & minor apparet per præcedentem quæstionem.

Quintum. Quintò, si aër esset naturaliter humidus, sequeretur quod maximè esset inferior regio aëris; sed aliqua pars illius non est humida; ergo, &c. Maior patet, quia pars inferior est magis propinqua aquæ, quæ est elementum humidum, quàm aliqua pars eius superior, à quo potest alterari ad humiditatem. Et minor patet, quia experimur in nobis corpus nostrum magis desiccari ab isto aëre inferiori, quàm humectari.

Sextum. Sextò arguitur quòd aër non sit naturaliter calidus, quia aer non est summè calidus; ergo, &c. Consequétia tenet quia in hoc differunt elementa simplicia à corporibus mixtis; nam quælibet qualitas, quam sibi determinat corpus simplex, dicitur esse in summo, & qualitates corporu mixti citra summum. Et antecedens apparet, quia nulla sunt corpora calidiora aëre, sicut ignis.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

2. *Quatuor sunt elementa simplicia.* Pro quæstione est sciendum secundùm quod apparet 2. *de Generatione*, quòd quatuor sunt elementa simplicia, scilicet ignē, aër, &c. quorum cuilibet attribuuntur duæ qualitates primæ in sua naturali dispositione, scilicet igni caliditas, & siccitas, &c. & cuilibet istorum inest vna primarum qualitatum in summo, & alia non. Et hoc potest multipliciter exponi. Vno modo, tenendo quòd qualitates symbolæ in diuersis elementis sunt eiusdem speciei, sicut caliditas ignis, & caliditas aëris, & tunc dico quòd cuilibet istorum elementorum inest vna qualitas prima, eò quòd vna inest sibi in summo, & alia citra summum, & eo ordine, quo ponit Aristoteles 2. *de Generatione*. Sed si teneretur quòd qualitates symbolæ diuersorum elementorum essent diuersarum specierum, tunc oporteret concedere quamlibet qualitatem elementi esse in summo, ita quòd æquè intensa esset caliditas aëris, ac ignis, nec oportet quòd ista appareant æquè intensa, quæ sunt diuersarum rationum.

3. *Qualitas inest naturaliter alicui dupliciter.* Secundò est sciendum, quòd aliquam qualitatem inesse alicui naturaliter, intelligitur dupliciter. Vno modo, quia illud non potest esse sine ista qualitate, quemadmodū diceremus quòd caliditas inest naturaliter homini, eò quòd sine ipsa non potest viuere. Alio modo potest dici quòd qualitas naturalis inest alicui elemento, non quia sit nata sibi, sed nata est ad sui generationem, eò quòd elementum illud non potest sine ipsa generari. Sicut dicimus frigiditatem naturam aquæ, quia sine ipsa non potest aqua generari, quamuis sine ipsa possit bene esse, & permanere.

Tertiò sciendum est, quòd nunquam elementum aliquod corrumpitur per intensionem vnius qualitatis, quam sibi determinat primò, quamuis benè possit corrumpi per intensionem alterius, quam scilicet sibi determinat citra summum.

Conclus. 1. Aër non est naturaliter calidus. Secundùm hoc sit prima conclusio, quòd aër non est naturaliter calidus. Probo sic: quia caliditas est sibi natura ad *esse*. Probatur, illud non est naturaliter calidum, quod quandoque est calidum, quandoque frigidum; sed aër est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia quod potest esse sine caliditate non determinat sibi caliditatem ad *esse* sui. Et minor apparet ad experientiam.

Conclus. 2. Aër est naturaliter humidus. Secunda conclusio, quòd aër est naturaliter humidus. Probo, quia nullum elementum potest esse sine qualitate ista, quam sibi primò determinat: sed aër primò sibi determinat humiditatem;

ditatem : ergo, &c. Maior patet inducendo. Nam ignis non poteſt eſſe ſine caliditate, nec terra ſine ſiccitate, nec aqua ſine frigiditate virtuali, cuius ſignum eſt, quòd quandocunque aqua fuerit calida, vel redacta extra naturalem diſpoſitionem, adhuc ſi dimittatur propriæ naturæ, ſe reducet ad frigiditatem. Et minor apparet per Ariſtotelem *ſecundo de Generatione.*

5. *Obiectio.* Sed contra minorem obiicitur, quia aqua eſt magis humida quàm aër, igitur aër non eſt primò humidus. Conſequentia tenet, quia qualitas primò inexiſtens elemento debet eſſe ſumma. Et antecedens apparet, nam corpora ſicca citiùs humefiunt in aqua, quàm in aëre, vt patet ad experientiam.

Solutio. Ad illud, negatur antecedens. Ad probationem, dico quòd aqua benè plus humefacit per commixtionem ipſius cum aliquo ſicco, ſed per actionem non ſic, quia alterando humiditas aëris plus humefacit, ſed commiſcendo humiditas aquæ.

6. *Concluſio 3. Aër eſt naturaliter calidus & humidus.* Tertia concluſio eſt, quòd aër eſt naturaliter calidus & humidus, capiendo *naturaliter* ſecundo modo. Probo. Illud eſt naturaliter calidum & humidum, quod non poteſt generari ſine caliditate, & humiditate; ſed aër non poteſt : ergo, &c. Maior patet, quia hoc intelligimus per *naturaliter.* Et minor apparet in omnibus modis, quibus conſtat aërem generari, nec vna iſtarum qualitatum ſufficeret ad ſuipſius generationem; nam ſi humiditas remittatur per ſiccitatem remanente caliditate, tunc ex ipſa generatur ignis; & ſi è contrario caliditas remittatur, per frigiditatem, generabitur aqua.

Secundò, quia aër eſt calidus & humidus : ergo naturaliter eſt. Et quamuis conſequentia non tenet de forma, tamen tenet in propoſito, pro tanto quòd nec aër, nec aliquod aliud elementum, habet ſuas diſpoſitiones ab aliquo extrinſeco.

7. *Obiectio prima.* Contra concluſionem arguitur primò quòd aër non ſit naturaliter calidus, quia media regio aëris non eſt calida; igitur nec aliqua pars eius. Antecedens patet per Ariſtotelem *in primo Phyſicorum.* Et probatur conſequentia, quia aliæ partes aëris à media regione ſunt propinquæ elementis contrariis, à quibus poſſunt alterari in contrarias diſpoſitiones illis, quas determinant ſibi naturaliter; ſed ſola media regio aëris ſtat remota ab elementis contrariis, ideò potiùs dicitur eſſe in ſua naturali diſpoſitione.

Secunda. Secundò, quia aër cùm fuerit calefactus à Sole, ſi dimittatur propriæ naturæ, reducit ſe in frigiditatem; ergo aër non eſt naturaliter calidus. Conſequentia tenet, quia tunc de ſua diſpoſitione naturali in aliam diſpoſitionem innaturalem ſe tranſmutaret. Et antecedens patet per experientiam, quia videmus quòd quantumcunque aër fuerit calefactus de die, remoto Sole reducit ſe ad frigiditatem.

Tertia. Tertiò dubitatur, qualiter aër cùm ſit naturaliter calidus, appetatur ad refrigerium animantium.

Quarta. Quartò arguitur quòd non ſit humidus, quia ſi ſic, maximè eſſet pars aëris in noſtra regione exiſtens; ſed hoc non : ergo, &c. Maior patet, quia ille aër hîc inferius eſt magis propinquus aquæ, quæ eſt elementum frigidum, à quo poſſit alterari ad humiditatem. Et minor patet, quia videmus aërem deſiccare humida, circumſcripto lumine Solis, vel aliquo deſiccante.

Quintò, maior pars aëris, ſiue principalior, *Quinta* non eſt humida; igitur aër non eſt humidus. Conſequentia tenet, quia à maiori parte habet fieri denominatio. Antecedens apparet, quia ſuperior regio eſt pars principalior, & maior, quæ non eſt humida; quia ſecundùm Ariſtotelem *in iſto primo*, eſt velut ignis; modò ignis eſt ſiccus.

8. *Ad 1 obiect. Sole recedente elementa frigida alterant aërem violenter ad frigiditatẽ.* Ad iſta. Ad primum negatur conſequentia, quia media regio aëris eſt ſemper frigida, & cauſa dicetur in quæſtione ſuper hoc.

Ad 2. Ad ſecundum, *id quod reducit ſe*, &c. concedo ſi ex ſua natura reducit ſe ad frigiditatem; modò ſic non eſt de aëre, quia tranſeunte Sole extra hemiſphærium, tunc elementa frigida, ſcilicet aqua & terra, alterant aërem violenter ad frigiditatem. Similiter exhalationes, & vapores eleuati à terra & ab aqua, propter remotionem calefacientis reuertuntur ad propriam naturam, & ipſæ alterant aërem ipſum infrigidando. Similiter quandoque tranſacto Sole extra hemiſphærium, aër infrigidatur ab aliqua conſtellatione cæli, quæ virtualiter eſt frigida. Sicut patet quòd eſt triplex alterans aërem ad frigiditatem, ſcilicet elementa frigida; exhalationes, & vapores eleuati; & corpus cœleſte.

Ad 3. Aër ſi eſſet purus, nõ eſſet aptus refrigerio animalium. Ad tertium, dico quòd aër, ſi eſſet purus, nullo modo conueniret ad refrigerium animatorum, eò quòd iſte aër eſſet nimis calidus, ſcilicet vltra caliditatem naturalem omnium, vel ſaltem plurium viuentium, vt probat vna ratio. Optimum igitur refrigerium, quod habemus ex aëre, prouenit ex duobus, vel altero duorum, ſcilicet ex primis corporibus commixtis aëri, quæ reſoluta ſunt ab elementis frigidis, ſcilicet aquâ & terrâ, quæ corpora adhuc habent naturam frigiditatis; vel prouenit refrigerium ex frigiditate cauſatâ in aërem ab elementis frigidis, ſuppoſito quòd non eſſent huiuſmodi corpora prima.

9. *Ad 4. Aër quomodo deſiccet corpora.* Ad aliam de humiditate poteſt dici quòd aër deſiccat corpora madida, humefacta humiditate aqueâ, ratione ſui caloris reſoluentis, & non ratione ſiccitatis. Aliter poteſt dici, quòd deſiccatio iſta prouenit ex parte corporum commixtorum aëri, quæ eleuantur à terra.

Ad 5. Ad aliud argumentum, poteſt negari antecedens, quia ſi imaginetur diametrum ſpiſſitudinis ſuperioris regionis aëris diuidi in duo æqualia, tunc poteſt dici fortè veriſimiliter, & benè, quòd medietas inferior eſt aër purus, ſecundùm quod aër conuenientiſſimè exigit caliditatem cum humiditate, ſed ſuperior medietas eſt aliqualiter deſiccata, & aduſta, ratione ignis ſibi propinqui.

***

QVÆSTIO IX.

Utrùm media regio aëris sit semper frigida?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd media regio aëris citò descenderet, propter frigiditatem, ad terram. Probatur consequentia, quia media regio aëris cùm semper sit frigida, semper grauescit, & condensatur, & per consequens debet descendere.

Secundum. Secundò, sequitur quòd media regio aëris statim deberet conuerti in aquam. Consequens falsum, quia tunc non esset media regio aëris ampliùs, & per consequens non semper esset frigida. Probatur consequentia, quia ex aëre per infrigidationem generatur aqua, remanente humiditate.

Tertium. Tertiò, vel media regio aëris semper est frigida ex sua propria natura, vel ex natura loci. Non de sua propria natura, quia omnis aër est naturaliter calidus, & humidus, vt patet præcedente quæstione. Nec ex natura loci, quia elementa, quantò sunt remotiora à nobis versùs sursum, sunt calidiora, cùm sint propinqua causis calefactiuis.

2. *Quartum.* Quartò, quia vel media regio aëris semper est frigida naturaliter; & hoc non, quia aër determinat sibi naturaliter qualitatem oppositam; vel violenter, & hoc non, quia nullum violentum est perpetuum, & tamen perpetuò est media regio aëris frigida.

Quintum. Quintò, quia vel ista frigiditas prouenit à natura intrinseca aëris, vel ab aliquo alio agente; non ex natura, quia aër est naturaliter calidus, vt dictum est; nec ex natura alterius agentis, quia vel hoc esset ex parte elementorum frigidorum, vel ex parte corporis cœlestis. Non primo modo, quia cùm ista elementa, etiam quodcunque aliud agens, priùs agant in partem passi propinquiorem iis, quàm in partem remotiorem, sequitur quòd priùs frigesfiet ab iis inferior regio aëris, quàm media, quod est falsum per experientiam: nec ex parte corporis cœlestis, nam corpus cœleste agit in ista inferiora, per motum, & lumen; modò motus est calefactiuus; vt patet *s. huius*. Similiter omne lumen est calefactiuum, si sit corporis cœlestis; quod probatur primò, quia lumen Solis est calefactiuum; igitur quodlibet aliud lumen cæli. Tenet consequentia, quia inter astra cæli solus Sol habet lumen de natura propria, ita quòd omnes aliæ stellæ recipiunt ab ipso lumen ad modum, quo speculum obiectum candelæ recipit lumen ab illa candela, vt patet in libro de proprietatibus elementorum.

Secundò probatur illud, quia si aliquod lumen cæli non esset calefactiuum, maximè esset lumen Lunæ, eò quòd Luna ponitur esse magis frigida; sed hoc non, quia dicit Aristoteles *lib. de historijs animalium*, quòd noctes in plenilunio cæteris paribus sunt calidiores, quàm in coniunctione, vel quadraturis, quod non esset, nisi lumen Lunæ calefaceret: ergo, &c.

3. *Sextum.* Sextò, vnumquodque elementum potiùs in medio habet dispositiones suas naturales, quàm in aliqua alia parte eius: ergo, &c. Antecedens apparet, quia medius locus sphæræ alicuius elementi est magis remotus ab elementis contrariis, à quibus illud elementum possit corrumpi. Et consequentia tenet, ex quo ista regio stat in medio aëris: ergo, &c.

Septimò, ista pars aëris, quæ est magis propinqua causis caliditatis, & remotior à causis frigiditatis, potiùs est calida, quàm frigida; modò media regio aëris sic se habet: ergo, &c. Maior patet, quia propinquitas, vel remotio passi ab agente confert ad intentionem qualitatis introducendæ. Et minor apparet, quia media regio aëris est propinquior sphæræ ignis, & corpori cœlesti, & remotior à terra, & ab aqua, quàm sit inferior regio aëris: ergo ipsa est calidior inferiori regione. *Septimum.*

Octauò, quia alia elementa non habent difformitatem in partibus suis, quantùm ad quantitates: ergo nec etiam aër. Consequentia tenet, quia non videtur minor ratio de aere quàm de aliis elementis. *Octauum.*

Nonò, sequeretur quòd in media regione non possent fieri impressiones ignitæ. Consequens falsum; nam ibi sunt tonitrua, fulgura, & coruscationes, vt patet per Aristotelem. Tenet consequentia, quia exhalationes illæ statim congelarentur à frigiditate mediæ regionis, & prohiberetur eorum inflammatio; ideò media regio aëris non semper est calida: ergo nec frigida. *Nonum.*

Oppositum arguitur per expositores in isto primo. *Opposi.*

In ista quæstione tria sunt videnda. Primò, de distinctione regionum aëris secundùm situm, qualitatem, & figuram. Secundò de frigiditate mediæ regionis, & de causis ipsius, agente & finali. Tertiò, mouebuntur dubia contra dicta.

ARTICVLVS I.

De distinctione regionum aëris, secundùm situm, qualitatem, & figuram.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd tota sphæra aëris imaginatur diuidi in tres partes, quarum prima est inferior circa nos, quæ incipit à superficie terræ, & aquæ, eleuata superiùs secundùm spissitudinem vsque ad istum locum, ad quam terminantur radij Solis refracti à terra. Et illa prima regio continuè mutatur ab vna dispositione in aliam, propter actionem elementorum frigidorum, & propter actionem corporum cœlestium. 4 *Aëris tres regiones. Prima.*

Sed post istam est media regio aëris, quæ incipit à parte inferiori in illo loco, ad quem terminantur radij Solis refracti à terra, & durat secundùm spissitudinem vsque ad locum illum, ad quem altissimè possunt ascendere nubes; & hoc est altè à terra per quadraginta vnum milliaria, quadraginta autem minuta, & 31. secunda, vt vult Alhazenus *in tractatu de crepusculo*, & ista media regio aëris, vel aliqua eius pars semper stat in eadem dispositione, quia semper est *Secunda.*

est frigida. Deinde, pars aëris, quæ est ab ascensione nubium vsque ad sphæram ignis, videtur suprema regio aëris, cuius pars inferior satis magna habet dispositiones naturales, secundùm quòd aer exigit in sua naturalissima dispositione. Sed pars superior illius tam propter motum, quàm propinquitatem ad ignem, semper est calida, & sicca, & de ista parte dicit Aristoteles *in isto primo*, quòd est velut ignis; & hoc est verum quantùm ad dispositiones qualitatiuas. Patet igitur qualiter istæ regiones distinguuntur secundùm situm, & qualitatem.

5. *Dubium 1.* Sed dubitatur, cùm media aëris regio incipiat à parte inferiori, in loco isto, ad quem radij Solis refracti à terra terminantur, quæro vbi est locus, ad quem terminantur illi radij?

Secundum. Secundò, vtrùm in omni regione ascensiones nubium sunt æquè altè?

Tertium. Tertiò dubitatur de figura mediæ regionis.

Ad 1. dub. Radij Solis variè terminantur. Quantùm ad primum, dico quòd in diuersis partibus terræ radij isti in diuersis locis terminantur, secundùm quòd Sol magis, vel minùs de directo aspicit aliquam partem terræ. Nam quantò directiùs respicit aliquam terram, tantò radij ipsius ab ipsa terra refracti altiùs terminantur. Cuius causa est, quòd quantò radius, mediante quo diffunditur actio alicuius agentis, refrangitur magis prope perpendicularem, tantò radius ille fortiùs & altiùs potest eleuari.

6. *Corollariũ 1.* Ex isto inferunt aliqui duo corollaria. Primum est, quòd media regio aëris sub polis mundi contingit terram. Probatur, nam radij à polis mundi refracti non eleuantur in altum.

Secundum. Secundum est, quòd sub Æquinoctiali, nec inter duos Tropicos, est media regio aëris. Probatur, quia illi radij prouenientes à Sole refranguntur in seipsos, cùm sint perpendiculares; ideò non est diuersitas fractionis, & per consequens nec media regio aëris.

Cõtra 1. partem 2. Coroll. Contra primam partem secundi corollarij obiicitur, quia sequeretur quòd esset falsum in æstate, quia quantùm media regio aëris debet esse magis prope terram ratione elongationis à Sole, tantùm per longam præsentiam, & permanentiam Solis super illa parte poterit recompensari. Imò in æstate Sol aspicit partem terræ suppositam polo, per dimidium annum integrè, exceptis crepusculis; igitur videtur quòd ibi sit sufficiens caliditas, & quantum media aëris regio poterit eleuari in æstate, & quantum dicuntur radij Solis non eleuari in altum. Dico quòd radij incidentes ad partem suppositam polo refranguntur eleuando se vltra polum, & quòd refracti similiter vltra illam partem directè eleuantur versùs sursum istum polum.

7. *Cõtra 2. partem.* Contra secundam partem secundi corollarij obiicitur, quia nisi inter Tropicos esset media regio aëris, sequeretur quòd ibi non possent fieri impressiones aquæ. Consequens falsum, & contra experientiam. Et probatur consequentia, quia tales impressiones fiunt per ingrossationem à frigiditate mediæ regionis, & ideò non obstante quòd Sol aspiciat aliquam partem, eleuantem versùs polum perpendiculariter, tamen radius iste refractus in seipsum continuè remittitur, & debilitatur in tantum, quòd lumen eius non sufficit ad frigiditatem. Ex quo patet quòd non aspiciat aliquam partem terræ perpendiculariter; imò si iam aspicit aliquam partem terræ perpendiculariter, per totum residuum diei aspiciet illam partem obliquè.

8. Ex isto sequitur quòd continuè procedendo versùs Austrum, media regio aëris est magis eleuata super terram, quàm procedendo magis versùs Septentrionem, cæteris paribus, quia semper radij Solis versùs Austrum refranguntur magis propè perpendicularem.

Secundò, sequitur quòd inter duos Tropicos est media regio aëris altissima, propter causam prædictam.

Tertiò, sequitur quòd concauitas mediæ regionis non est figuræ conformis; patet, quia altiùs eleuatur in vna parte, & bassiùs in alia: ergò est difformis.

Quartò, sequitur quòd in æstate altior est media regio aëris super aliquam partem terræ, quàm sit super eandem in hyeme; patet, quia in æstate Sol aspicit magis directè terram, saltem versùs nos quàm in hyeme.

Quintò, sequitur quòd in hyeme, vel aliqua parte hyemis, media regio aëris contingit terram sub polis mundi; patet, quia tunc ibi non pertingunt radij Solis, qui possunt eleuare vapores ibidem resolutos, si sint aliqui.

9. *Ad 2. dub. Nubes inæqualiter ascendunt.* Ad secundum de ascensione nubium, dico quòd nubes inæqualiter ascendunt secundùm quòd Sol potest inæqualiter fumos, & vapores eleuare super loca terræ, & ideò vbi media regio aëris est altior, ibi altiores sunt nubes, & vbi est bassior, ibi minùs ascendunt nubes.

10. *Ad 3. dub. Figura mediæ regionis aëris difformis.* Ad tertium de figura, dico quòd media regio aëris quantùm ad eius concauitatem est valde difformis, sed quantùm ad eius conuexitatem, potest quodammodo dici quòd sit figuræ ouualis. Ad quod sciendum est, quòd figura quantùm ad eius conuexum, attenditur penes caliditatem superioris regionis; nam versùs Æquinoctialem aër superioris regionis velociùs mouetur, quàm propè polos mundi, ideò ibi calefit vsque ad maiorem distantiam versùs inferius, sed versùs polos mundi aër iste superior tardiùs mouetur: ideò media regio ibi magis eleuatur, & est quasi per modum aëris spissi, cùm nubes ibi non eleuantur ita altè, sicut durat media regio aëris propter defectum caloris eleuantis.

Ex istis primò sequitur, quòd inter duos Tropicos media regio aeris est strictissima. Probatur, quia à parte superiori magis venit versùs terram, & à parte inferiori magis eleuatur.

Crepuscula matutina priùs apparẽt habitantibus sub polis. Secundò, sequitur quòd habitantibus sub polis mundi priùs apparent crepuscula matutina, quàm alibi. Probatur, quia altiùs super tropicos ipsorum est aër grossus, quasi vaporibus inspissatus, modò Sol citiùs aspicit vaporem altiorem, quàm minùs altum; igitur cùm crepuscula causentur ex refractione luminis Solis ad vapores grossos eleuatos, sequitur propositum.

Tertiò, sequitur quòd plus durant iis crepuscula serotina propter eandem causam.

ARTICVLVS II.

De frigiditate mediæ regionis, & de causis ipsius, agente, & finali.

11. *Aeris media regio est semper frigida.* QVantùm ad secundum, sit ista conclusio, quòd semper media aëris regio est frigida. Probatur, quia nisi ita esset, sequitur quòd in istis inferioribus non possent fieri impressiones aqoæ, vt grando, ros, pruina, pluuia, & huiusmodi. Consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia tales impressiones generantur per ingrossationem fumorum, qui eleuantur à corporibus inferioribus per frigiditatem mediæ regionis.

Secundò, quia in montibus altissimis est perpetuò frigiditas; igitur est in media regione aëris. Tenet consequentia, quia illi montes attingunt mediam regionem aëris, vel saltem propè. Antecedens patet experientia.

12. Tunc de causis istius dico quòd perpetuò media aëris regio fuerat frigida, supposito quòd mundus fuit æternus, modò in perpetuis non est quærenda causa efficiens; ideò dico quòd causæ conseruantes, & intendentes possunt reduci ad quatuor, quarum prima principalis est corpus cœleste, quantùm ad astra frigidantia. *Causa prima agens huius frigiditatis.* Patet, quia omnis virtus mundi inferioris gubernatur ab ipso, vt dictum fuit priùs.

Secunda. Secunda causa est, propter quam præmitto tria. Primum est, quòd vnum contrarium approximatum alteri natum est fugere ipsum. Probatur per experientiam; primò, quia propter hoc videmus caliditatem sub terra in hyeme, & frigiditatem in æstate. Secundò, quia per hoc dat Philosophus modum generationis grandinis, vt patet in hoc primo.

Tertiò, quia aqua bullit in olla, eò quòd nata est fugere suum contrarium, scilicet ignem, quamuis per grauitatem postea descendat. Quartò, quia videmus aquam exire ex igni approximatis igni, quod non esset, nisi aqua illa nata esset fugere illum ignem.

13. Secundò præmitto, quòd ex vnione partium alicuius corporis in se inuicem fortificatur, & intenditur virtus illius corporis. Probatur per experientiam, quia videmus quòd in ferro compacto, est calor intensior, quàm in flamma tenui. Similiter videmus in aqua congelata maiorem frigiditatem, quàm in aëre congelato propter tenuitatem maiorem. Tertiò, quia cæteris paribus, quantò aliqua qualitas fuerit minùs extensa, tantò est magis intensa ex vnione partium. Patet consequentia, quia si virtus corporis poneretur in medietate istius ista medietas est in duplo intensior, quàm totum. Et consimiliter esset de difformi, cùm omnis difformitas reducitur ad vniformitatem.

Tertiò præmitto, quòd superior aëris regio est calida, propter motum ipsius, & propinquitatem ad sphæram ignis. Et inferior regio aëris est calida propter radios solares refractos à terra. Ex istis sequitur causa istius frigiditatis, quia per primam conclusionem, media aëris regio est frigida; & per tertiam suppositionem, ipsam circumstant duo corpora calida; igitur per primam, ipsa nata est fugere quodlibet contrariorum istorum circumstantium, & per consequens ex illa fuga partes ipsius vnientur ad inuicem: igitur per tertiam suppositionem virtus mediæ regionis intenditur & fortificatur, sicut ipsum qualificatur per antiperistasin, sicut conseruatur, & intenditur frigiditas mediæ regionis.

Tertia causa est motus superioris regionis aëris, nam per suum motum ista regio rarefit; modò rarefacta vna parte mediæ regionis aëris, oportet aliam partem aëris sibi propinquam condensari. & per consequens infrigidari; modo media regio aëris est propinquissima superiori regioni. 14. *Tertia.*

Quarta causa, quia vapores, & exhalationes eleuatæ ab istis inferioribus adhuc quodammodo retinent virtutem ipsorum inferiorum, ideò cùm eleuati fuerint ad mediam regionem per modicam actionem frigiditatis, possunt redire ad proprias naturas, ad quas cùm fuerint reuersi alterant mediam regionem, intendendo eius frigiditatem. *Quarta.*

Quinta causa est, quòd elementa frigida derelicta propriis naturis à Sole, alterant aërem propinquum eis, & iste propinquus aër elementis frigidis alterat alium sibi propinquum, sicut continuè vsque ad mediam regionem aëris. Sed postea subueniente calore Solis corrumpitur frigiditas inferioris regionis, sed manet frigiditas mediæ regionis, quia ad istam non potest pertingere radius refractus cum fortitudine virtutis, & ita continuatur ista frigiditas. Ex quo patet, dato quòd mundus fuisset creatus, & media regio aëris non fuisset creata frigida, adhuc per istum motum fuisset effecta frigida. *Quinta.*

Sexta causa non est propria, sed occasionalis tantùm, scilicet remissio luminis in media regione. Et hoc est ad modum, quo diceremus absentiam nautæ esse causam periclitationis nauis. Illud patet, quia lumen intensum esset natum causare calorem; igitur remissio illius videtur esse causa quodammodo occasionaliter oppositæ qualitatis. *Sexta.*

Septima causa est etiam occasionalis, scilicet remotio à causis caloris, præcipuè à corpore cœlesti, & refractiones radiorum Solis à terra. *Septima.*

Tunc de causa finali, dico quòd ipsa frigiditas est principaliter propter tria. Primò propter acquisitionem elementorum. Vnde per actionem Solis, & astrorum calefacientium multum resoluitur de elementis frigidis, in tantum quòd citò consumerentur, nisi augmentarentur per frigiditatem mediæ regionis, quæ iterum conuertit fumos & exhalationes in elementa frigida. 15. *Prima causa finalis.*

Secundò, est ista frigiditas propter productionem animatorum, vt plantarum, & huiusmodi, que non possunt venire sine pluuia, quæ causatur ab ipsa frigiditate. *Secunda.*

Tertiò, propter generationem mixtorum, & ad hoc etiam finaliter ordinantur elementa. Patet igitur recolligendo, quòd causæ frigiditatis mediæ regionis occasionales, sunt luminis remissio; à causis caloris remotio; sed principales sunt elementorum frigidorum actio; fumorum ab eis in istam regionem eleuatio; aëris superioris per motum rarefactio; per antiperistasin intensio medietatum quarundam stellarum; & finaliter propter animatorum productionem, & conseruationem, propter mixtorum generationem, & propter elementorum acquisitionem. Et hoc de secundo. *Tertia.*

ARTI

Articvlvs III.

Dubia circa prædicta.

16. *Dubium 1.* Quantùm ad tertium primò arguitur contra conclusionem, quia si media aëris regio sit frigida, vel est in summo, vel citra summum. Si in summo, ergo non est aër, quia nullum elementum, præter aquam, potest pati frigiditatem summam; si citra summum, contrà, tunc sequitur quòd aliquid ageret vltra gradum suum proprium. Consequens falsum, quia qua ratione potest producere vnum gradum vltra proprium, eadem ratione alium quemcunque, sicut minimus calor mundi potest producere infinitam caliditatem. Probatur consequentia, quia media regio aëris est frigida citra summum, & per ipsam frigiditatem sufficit media regio aëris ingrossare vaporem, & ex ipso generare aquam, quæ infrigidata excedit frigiditatem mediæ regionis, cùm sit aqua summè frigida; ergo. &c.

Solutio. Ad istud respondetur, concedo conclusionem, & ad probationem, *quia tunc sequeretur*, &c. Conceditur consequentia ab aliquibus, & hoc propter duas causas, scilicet propter inclinationem passi ad qualitatem quam debet recipere; vel etiam propter densitatem passi. Aliter dicitur negando consequentiam; & ad probationem dico quòd aqua potest generari cum frigiditate satis remissâ, dum tamen materia ex qua generatur, sit disposita per aliquas qualitates, vt per humiditatē, & densitatem; & ideò dico quòd frigiditas mediæ regionis sufficit ingrossare vaporem, & ex ipso generare aquam; sed cùm aqua fuerit genita, tunc seipsam reducit ad frigiditatem ita intensam, sicut exigit per suam dispositionem naturalem.

17. *Dubium 2.* Secundò dubitatur contra causam secundam istius frigiditatis datam, in qua præmittebatur quòd vnum contrariorum natum est fugere reliquum. *Obiectio prima.* Nam si ita esset, sequitur quòd essent duo mobilia localiter, quorum quodlibet penetraret reliquum, quorum quodlibet moueretur ad oppositas differentias positionis. Consequens impossibile, & probatur consequentia, quia si sint contraria approximata æquè fortia, tum quodlibet istorum per incursum alterius natum est fugere reliquum; & cùm omne impellens sequatur pulsus incursum, vt patet 7. *Physicorum*, sequitur quòd quodlibet illorum fugeret ad vnam partem, & insequeretur reliquum ad oppositam partem.

Secunda. Secundò, vel vnum contrariorum est fortius, vel ambo æquè fortia; videtur quòd neutrum possit moueri si vnum sit fortius; igitur debilius non fortificabitur, sed corrumpetur.

Tertia. Tertiò, quia hæc fuga vnius contrarij à reliquo est motus naturalis, vel violentus; non naturalis, quia tunc eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam; nec violentus, quia fit à propria forma fugiente, vt postea videbitur.

Quarta. Quartò, quia vel quodlibet contrarium indifferenter natum est fugere reliquum, vel aliquod non. Non primo modo, quia lapis marmoreus frigidus maximè, appositus ferro ignito non fugit propter ipsum; nec è contra, si aliquod sic, & aliquod non, quæratur quæ sunt illa?

Ad ista respondeo, præmittendo modum, per quem fit fuga vnius contrarij à reliquo. 18. Omne ens mundi appetit, & diligit seipsum permanere inquantùm potest, & ideò cùm approximatum fuerit corrumpens, natum est fugere, scilicet per suam propriam formam, per quam se appetit permanere.

Aliter, modus istius motus potest esse eò quòd quodlibet contrariorum, quantum potest, natum est dilatare circa se suam actionem, & cùm obuiauerit contrario, tunc actio illa quodammodo repercutitur, & remittitur vt fortificetur in ipso.

Per hoc ad argumenta. Ad primum, negatur *Ad 1 obiect.* consequentia, quia ille modus fugiendi non fit per motum impulsus, sed fit à propria forma contrarij fugientis, quæ forma inclinatur ad illum motum contrario approximato.

Ad secundum, *vel vnum*, &c. dico quòd possi- *Ad 2.* bile est quòd vtroque modo, quia quamuis vnum sit fortius reliquo in agendo, tamen vtrumque potest esse debilius in resistendo, quàm aliquod illorum in agendo; & sic vtrumque illorum potest agere in reliquum.

Et si dicas, si sic vnum fugit à reliquo amplius 19. vnum non agit in reliquum, cùm sint ab inuicem remota. Dicitur quòd imò, quia adhuc possunt in se inuicem agere per corpus intermedium.

Ad tertium quòd *motus iste*, &c. dico quòd *Ad 3.* motus iste fugiendi est violentus, quamuis prouenit à propria forma fugientis, eò quòd præsupponit alium motum violentum, scilicet actionem contrarij in ipsum; & est simile, sicut de ascensu aquę ad replendum vacuum, nam quamuis ascensus iste prouenit à propria forma aquæ, tamen est violentus, eò quòd præsupponit violentam destructionem alicuius corporis alterius.

Ad quartum, *vel quodlibet*, &c. dicitur quòd *Ad 4.* non, quia quandoque contraria approximata, vel aliquid illorum est ita densum, quòd forma eius non sufficit ipsum remouere, vt patet in exemplo priùs posito, & etiam de ferro frigido approximato flammæ, quod per actionem flammæ non fugit ad aliam differentiam positionis.

Tertiò dubitatur, vtrùm quodlibet elementū *Dubium 3.* contrarium, quantumcunque medicum fuerit positum in medio alterius contrarij, fugiet aliqualiter inter se vniendo partes eius, & fortificando virtutem propriam? Dato quòd sic, sequi- *Obiectio 1.* tur quòd gutta aquæ posita in medio ignis potiùs fortificabitur, quàm corrumpetur, & sequitur quòd panes frigidi positi in furno, potiùs frigescant, quàm calefiant, quod est contra experientiam; & dato quòd non, tunc sequitur quòd nec quodcunque aliud contrarium fortificabitur per circumstantiam sui contrarij, quia non videtur maior ratio de vno, quàm de alio.

Ad illud dico quòd quodlibet contrarium *Solutio.* mundi, quantumcunque modicum, vel paruum in principio, in quo ponitur, in medio sui contrarij sufficientis agere in ipsum, fugit vniendo partes eius, & fortificando virtutem modo priùs dicto. Sed postea cùm actio contrarij circumstantis fuerit fortior, quàm intensio virtutis proueniens ex condensatione, & vnione partium eius, tunc contrarium circundatum corrumpitur; ex quo sequitur quòd panes per longum tempus frigescunt in furno, & hoc plus, quia sunt in igne intensiore. Secundò sequitur quòd guttula aquæ posita in medio ignis pro certo tempore intendi-

tur in frigiditate, sed postea dominante actione ignis super intentionem frigiditatis, quam habet guttula, ex condensatione partium fortificatur virtus.

21. Dubium 1. Sed dubitatur, quia si ita esset, sequitur quòd per deperditionem latitudinis finitæ, posset acquiri latitudo intensionis. Consequens impossibile, quia proportionaliter se habent inductio qualitatis producendæ, & corruptio corrumpendæ. Probatur consequentia, quia si corpus condensatur ad subduplum, tunc esset in duplo intensius tale, quàm priùs erat, vel saltem in aliqua alia proportione; sed si condensetur ad subtriplum adhuc in maiori proportione esset intensum, & sic in infinitum; igitur si esset possibile magnitudinem corporis per condensationem talem diminui ad non gradum, possibile esset virtutum ipsius esse infinitam intensiuè, solà magnitudine deperditâ, quæ est latitudo finita.

Et si conceditur consequens, contrà, quia tunc sequitur quòd si ad imaginationem ex illo indiuisibili iterum fieret diuisibile aliquod, tunc ex illo indiuisibili fierent infinita, quorum quodlibet esset certæ intensionis, modò consequens est falsum quia dato quòd Angelus per imaginationem extenderetur, adhuc eo ipso non fierent infiniti Angeli, nec etiam in intentu infiniti intentus.

Dubium 2. Secundò sequitur quòd in eodem subiecto simul & semel duæ qualitates contrariæ continuè intenderentur, & hoc æqualiter. Consequens impossibile, quia posito quòd contraria possunt esse simul; semper intensio vnius esset remissio alterius. Probatur consequentia, quia si subiectum, in quo simul erant caliditas, & frigiditas, condensetur, tunc vtraque illarum intenderetur, eò quòd ex vnione partium corporis virtus eius nata est intendi.

Dubium 3. Tertiò, quæritur, à quo producuntur illi gradus virtutis, quibus virtus corporis condensati excedit virtutem eiusdem, dum erat rarefactum, siue dum erat magis rarum?

22. Ad 1. Ad ista, & primò ad primum, vbi dicitur, *sequitur quod per deperditionem*, &c. Concedo hoc esse possibile quantùm ad imaginem, sicut verbi gratià, si in aliquo tempore pertransicat spatium pedale, tunc motus est æqualiter velox, & si fiat in medietate temporis est in duplo velocior, & sic in infinitum; & ita per diminutionem temporis, quod solum est finitum, acquiretur intensio velocitatis infinitæ; tum exemplum in proposito nostro est magis ad propositum conueniens, quàm sit illud. Et tunc cùm arguitur, *sequitur quòd si ex ipsa*, &c. Concedo quòd ex ipsa fierent infinita, scilicet infinitæ partes eiusdem corporis, quarum quælibet esset intensionis alicuius. Et consequentia probatur, quòd non. De Angelo dico quòd si per imaginationem, anima, Intelligentia, vel Angelus extenderetur, quòd nullius fieret virtutis, imò non esset imaginabile, quòd aliquod indiuisibile, si non esset infinitæ virtutis intensiuè, esset alicuius virtutis, si sit diuisibile.

23. Ad 2. Ad secundum, negatur consequentia, & ad probationem dicitur vno modo, si illa condensatio fiat ab aliqua illarum qualitatum, vel à consimili, tunc illa per condensationem intendetur, & reliqua remittetur; sed si à neutra illarum, nec ab iis consimiliter fiat illa condensatio, & vna illarum fuerit fortior reliqua, tunc fortior intendetur, debiliori remissâ; sed si ambæ sint æquales, tunc dicemus quòd non est possibile subiectum illud condensari aliquo modo, cum vna illarum qualitatum est nata intendi, & per consequens reliqua remitti.

Ad tertium, de hoc est magna dubitatio, vtrùm per talem condensationem producantur noui gradus, vel non? Si teneatur quòd sic, potest tunc dici quòd gradus illi producuntur à forma corporis condensati, mediante adiutorio cæli, & quandoque principaliter à condensante & quandoque occasionaliter solùm. Aliter tamen potest dici, quòd per condensationem per se non producitur aliquis nouus gradus, sed fortior apparet operatio corporis condensati, quàm antè, propter hoc quòd sunt multò plures virtutes consimiles, sibi inuicem adiacentes, & propinquæ magis quàm antè. Et illud videtur innuere Albertus, super primo huius, reddendo causam quare exhalatio altius eleuatur quàm vapor. Et hoc de tertio. Ad 3.

Ad rationes. Ad primam, & secundam simul, *sequeretur quòd media aëris regio descenderet*, negatur consequentia, quia frigiditas mediæ regionis non est sufficiens vertere aërem in aquam, nisi fuerit aër euaporatus. Ad 1. & 2. arg. prin.

Ad tertiam, *vel ex natura*, &c. dico quòd est ex natura loci, scilicet ex natura situs, in quo situatur media regio aëris, & non sumitur *locus* pro superficie corporis locantis, vel pro corpore locante; sed pro situ illo, quo sic se habet media aëris regio ad alia corpora vniuersi. Ad 3.

Ad quartam, *vel naturaliter, vel violenter*, &c. dico quòd violenter. Et cùm dicitur quòd nullum violentum est perpetuum, verum est, tamen perpetuò est frigiditas mediæ regionis, propter continuam intentionem ipsius per causas priùs dictas. Ad 4.

Ad quintam, dico quòd ab aliquo agente extrinseco, scilicet ab elementis frigidis, & aliis causis, quæ dictæ fuerunt. Ad probationem quòd non, *quia agens naturale priùs agit*, &c. Concedo, & ita est in proposito, quia elementa frigida priùs alterant partem aëris sibi propinquam, quàm remotam, tum superueniente Sole pars illa iterum calefit, & remotior non. Et cùm arguitur de corporibus cœlestibus; dicunt quòd non solùm agunt motu, & lumine, sed etiam aliis influentiis, mediantibus quibus fiunt multæ actiones frigiditatis, & aliarum qualitatum in istis inferioribus. De lumine vtrum agat frigiditatem, vel non, videbitur postea. Ad 5.

Ad sextam *vnumquodque elementum*, &c. Verum est, nisi violenter ab aliis agentibus, modò sic est de media regione. Ad 6.

Ad septimam, *quòd est propinquius causis caliditatis*, &c. Concedo maiorem, & nego minorem, quia causæ caliditatis sunt corpora cœlestia, & refractio radiorum à terra, & aqua, à quorum vtroque media aëris regio est valde remota. Ad 7.

Ad octauam, *non est difformitas in aliis elementis*, &c. dico quòd non est simile, quòd in aliis elementis non concurrunt huiusmodi causæ violentantes partes ipsorum. Ad 8.

Ad nonam, *sequitur quòd impressiones igniæ*, &c. Negatur consequentia, quia quamuis impressiones non possunt fieri ex sola frigiditate tamen benè possunt fieri occasionaliter à frigiditate, eò quòd frigiditas circumstat materiam calidam, ex qua impressiones igneæ debent generari. Ad 9.

Ad

Ad 10. Ad decimam, debet intelligi quòd semper media aëris regio est frigida.

QVÆSTIO X.

Vtrùm motus localis sit causatiuus caloris?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non; primò, quia sic sequitur quòd corpus cœleste maximè calefaceret suo mediante motu. Consequentia tenet, quia corpus cœleste violentissimè mouetur. Et consequens falsum, quia vel calefaceret seipsum, vel ignem sibi propinquum. Ista consequentia patet, quia non potest calefacere ista inferiora, nisi mediante igne, sed seipsum non, quia cælum non est receptiuum huiusmodi impressionis; nec ignem, quia tunc calefaceret ipsum trahendo, quod est falsum, quia cælum est corpus positum, & vniforme; modò trahens, & tractum secundùm aliquas partes sui debent ad inuicem penetrare, vt patet in istis inferioribus.

Secundum. Secundò, sequitur quòd quantò aliquid esset frigidius, tantò esset calidius; consequens falsum, quia quantò plus habet de vno contrario, tantò minus de reliquo; & consequentia probatur, quia aliquod graue existens sursum, sicut est vapor, quantò est frigidius tantò efficitur magis graue, & magis inclinatur ad descendendum; modò quantò magis descendit, cùm motus sit causa caloris, sequitur quòd magis calefit; igitur, &c.

Tertium. Tertiò, sequitur quòd idem effectus esset naturaliter producibilis à diuersis agentibus secundùm speciem. Consequens falsum, quia sicut idem, inquantùm idem, natum est facere idem, ita idem natum est fieri ab eodem. Probatur consequentia, quia calor, qui per se, generatur ex motu, natus est generari ex lumine, & ab alio calore; modò motus, lumen, & calor, specie differunt.

Quartum. Quartò, sequitur quòd non omne, quod fieret, fieret à sibi simili secundùm speciem. Consequens falsum, vt patet 7. *Metaphysic.* Et probatur consequentia, quia calor non est similis in se cum motu.

Quintum. Quintò, sequitur quòd effectus esset perfectior suâ causâ. Consequens falsum, quia non videtur à quo posset produci gradus perfectionis, quo effectus excederet causam; & probatur consequentia, quia caliditas est quidam actus perfectus, cùm sit qualitas perfecta, & motus est actus imperfectus, vt patet 3. *Physicorum.*

Sextum. Sextò, arguitur per experientiam, quia homines calefacti mouent aërem, vt frigefiant, quod non esset, si motus calefaceret; igitur, &c. Secundò, videmus quòd volentes frigefacere aliquod liquidum calefactum, mouent ipsum hinc & inde, vt patet de potagio. Tertiò videmus quòd aqua stans calidior est aqua fluente, quod non esset, si motus esset causa caloris.

Oppositum. Oppositum fit verum per Aristotelem in isto primo.

Diuisio quæstionis. In ista quæstione primò recitandæ sunt quædam opiniones de modo, per quem generatur calor ex motu corporis, supposito quòd calefiat, vt postea probabitur. Secundò assignanda est veritas huiusmodi calefactionis. Et tertiò specialiter de calefactione ignis à motu corporis cœlestis.

ARTICVLVS I.

Opiniones de modo quo generatur calor ex motu corporis.

QVantùm ad primum, erat opinio B. Thomæ, quòd motus calefacit pro tanto, quòd primum in vnoquoque genere est causa omnium aliorum, quæ sunt in eodem genere; modò motus localis est primus motuum, ideò est causa calefactionis, maximè cùm calefactio sit nobilissima mutatio præter motum localem, ideò ipsum immediatè consequitur. 2. *Opinio 1. D. Thomæ.*

Contra hoc obiicitur primò, quia motus localis violentus benè est causa caloris, & tamen impossibile est quòd aliquis motus violentus sit primus motuum, imò propriè motus localis cæli. Secundò, sequitur quòd motus localis esset ita benè causa frigiditatis, albedinis, & cuiuscunque alterius qualitatis. Consequens falsum, vt patet per experientiam. Probatur consequentia, cùm frigefactio, & albefactio sint de genere mutationis. *Impugnatio.*

Secunda opinio est Commentatoris, qui dicit quòd motus est perfectio corporum calidorum, & iam istam perfectionem, quæ est motus, consequitur perfectio, quæ est caliditas. Sed ista opinio nullam, vel saltem paucam, habet experientiam. 3. *Opinio 2. Commentatoris.*

Tertia opinio est Petri de Aluernia, qui ponit quòd motus est causa caloris altero duorum modorum, scilicet, vel quia plures partes corporis calefacti tanguntur per motum, & sæpiùs, vel quia per motum partes corporis calefacti vniuntur, ex qua vnione si in ipso sit aliqua virtus calefactiua, illa fortificatur & intenditur. *Opinio 3. Petri de Aluernia.*

Contra hoc arguitur, quia si ex hoc, quòd partes mobilis sæpiùs tangerentur, ipsum calefieret, sequeretur quòd tale corpus potiùs deberet calefieri, si ipsum tangeret corpus quiescens, quàm corpus motum. Consequens falsum, vt patet per experientiam. Et consequentia probatur, quia vnum corpus non potest sæpiùs tangere aliud, quàm continuè; modò corpus quiescens continuè tangit illud, super quod quiescit; igitur, &c. 4. *Refellitur.*

Secundò, si talis calor causaretur per motum, eò quòd corpus illud condensaretur, sequitur quòd nunquam fieret calefactio, eò quòd partes corporis calefacti condensarentur. Consequens falsum, quia multoties partes rarefiunt, & corrumpuntur, vt patet per experientiam.

Quarta opinio est, quòd calor causatur per motum propter oppositas inclinationes motus. Sed id non videtur, quia tunc sequeretur quòd graue simplex non posset calefieri. Consequens falsum. Probatur consequentia, quia graue simplex non habet huiusmodi oppositas inclinationes. Et hoc de primo. 5. *Opinio 4. Refellitur.*

ARTI

Articvlvs II.

Assignatur veritas modi calefactionis ex motu corporis.

6. *Motus localis duplex.* De secundo sciendum est, quòd duplex est motus localis, quidam cum magna confricatione, & collisione partium illius quod mouetur ad aliquod aliud sibi propinquum. Aliter est motus localis, in quo non fit huiusmodi collisio, seu confricatio.

Conclusio 1. Motus localis est causa caloris. Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd motus localis est causatiuus caloris. Probatur experientiis. Primò, quia videmus axem rotæ quadrigæ quandoque per motum inflammari. Secundò, videmus ferrum molendini valde intensè calefieri. Tertiò, videmus quod si carbones ignis moueantur per aërem intenditur ignis. Quartò, videmus quòd candela extincta per aërem, si moueatur per aërem iterum incenditur. Hoc præter experientiam docet Aristoteles in isto primo, qui dicit quòd si sagitta velocius deferatur per aërem, liquefit plumbum circumueniens ipsam. Et ad istam conclusionem sufficiunt experientiæ, quia rationes non possunt introduci; ideò dicit Aristoteles quòd est infirmitas quædam intellectus.

7. *Conclusio 2.* Secunda conclusio, quòd confricatio, seu collisio partium corporis moti ad partes corporis propinqui, est præcisa causa quare motus causat calorem, & hoc per istum motum, quia per talem confricationem partium diuersorum corporum aliquæ partes rarefiunt, & ad istorum rarefactionem nata est consequi caliditas, vt vult Albertus *super isto primo*, sicut videmus, sicut patet in percussione alicuius ad ferrum. Probatur consequentia, primò, quia nisi confricatio esset causa talis caloris, sequeretur quòd sic non esset confricatio, sed omnia corpora mouerentur partibus habentibus eundem situm ad inuicem, quia adhuc per motum generaretur calor. Consequens falsum, quia si axis rotæ quadrigæ esset fixus circulo, qui super ipsum voluitur, non calefieret, sed conformiter moueretur, dato quòd totum moueretur motu veloci: nec etiam ferrum molendini calefieret, si conformiter moueretur cum ligno, ad quod confricatur.

Secundò, nisi confricatio esset causa, sequeretur quòd partes interiores corporis calefacti per motum calefierent. Consequens falsum, nisi hoc fuerit ex sequenti, sic quòd partes exteriores calefactæ calefaciant interiores, & ideò partes interiores axis non calefiunt, vt patet per experientiam. Probatur consequentia, quia æquè mouentur velociter partes interiores corporis sicut exteriores.

Tertiò per experientiam, nam si plumbum ponatur in medio sagittæ impetuosè delatæ per aërem non liquefiet plumbum, sed si coniungatur ad partes exteriores statim liquefiet.

Quartò, quia videmus quòd si duo ferra, vel duo ligna, vel vnum ferrum, vel vnum lignum fortiter motum confricetur ad inuicem, statim sequitur calor ex huiusmodi confricatione; & omnia signant quòd confricatio est per se causa productionis caloris à motu.

8. *Obiectio 1.* Contra istum modum obiicitur, primò, quia si ad rarefactionem factam ex confricatione sequitur caliditas, tunc sequitur quòd raritas sit qualitas prima. Consequens falsum, vt patet 2. *de Generatione*. Probatur consequentia, quia ad ipsam sequitur calor, qui est qualitas prima.

Secundò, quia ex motu hominis, satis tardè homo multum calefit, & tum non videmus quòd tantus calor possit generari ex ista parua confricatione, & ad corpus ita subtile, sicut est aër. *Secunda.*

Ad ista. Ad primum, dico quòd non est inconueniens quòd in aliquibus raritas sit qualitas prima, in aliquibus secunda. *Ad 1. obiect.*

Ad secundum, dico quòd caliditas hominis, seu calefactio, quam habet ex motu, vel cursu, non præcisè prouenit ex confricatione hominis ad medium per quod mouetur; sed prouenit ex hoc, quòd natura sentiens membra exteriora aliqualiter debilitari propter resolutionem spirituum factam per motum, ideò natura mittit à corde spiritus calidos ad membra exteriora, mediantibus quibus illa membra exteriùs calefiunt. *Ad 2.*

Articvlvs III.

De calefactione ignis à motu corporis cœlestis.

De tertio sit conclusio ista, quòd corpus cœleste mediante motu calefacit sphæram ignis. Probatur, quia ignis propter inclinationem sui ad sursum valdè fortiter adhæret corpori cœlesti, nam corpus cœleste attrahit ipsum motu suo: ergo calefacit. Antecedens apparet, quia sicut grauia inclinantur deorsum, sic & leuia sursum. Et prima consequentia tenet, quia hoc sufficit ad motum tractus. Et secunda consequentia tenet; quia ibi quodammodo est confricatio ignis ad cælum; imò ibi quandoque potest imaginari valdè nobilis confricatio per ipsum motum, quia si aliquis ignis multum leuis generetur inferiùs prope regionem superiorem aëris, vel infrà, qui sursum ascendit, sequitur quòd impetus eius ad descendendum non sit totaliter deperditus, donec peruenerit ad cælum; nec tunc penetret sphæram ignis, quia per fortiores impetus reuerberatur à cælo, & tunc alter ignis insequitur in superius, & sic per longum tempus potest huiusmodi insecutio fieri, & confricatio. 9. *Corpus cœleste suo motu calefacit.* *Sphæra ignis.*

Contra conclusionem obiicitur, primò, quia cælum est corpus politum, leue, & vniforme; igitur non potest secum trahere ignem. Consequentia tenet, quia semper aliquæ partes trahentis dicuntur subintrare aliquas partes corporis tracti. Secundò, sequeretur quòd eadem ratione essent inter orbes cœlestes huiusmodi motus tractus. Consequens falsum, quia ibi non est violentia, cùm motus illi sint perpetui. Et propter rationes aliqui nituntur ponere quandam qualitatem spiritualem causatam à cælo in sphæram ignis, mediante qua sphæra ignis mouetur circulariter, ad modum illum, quo ab adamante causatur qualitas attractiua ferri. Secundò, inferunt isti quòd sphæra ignis non calefit per motum cæli per se, sed per lumen, & alias influentias. 10. *Obiectio 1.* *Secunda.*

Ad primum, conceditur quòd est corpus politum, & leue, & hoc non obest quin benè possit attrahere aliquod corpus sibi immediatum propter fortem inclinationem illius alterius corporis *Ad 1. obiect.*

poris ad adhærendum sibi, sicut dictum erat de igne.

Ad 2. Ad secundum posset concedi quòd in corporibus cœlestibus est huiusmodi raptus, & violentia, & hoc in primo tractatu de sphæra, capitulo primo. Nec obstat quod talis violentia possit perpetuari, quia per ipsam subiectum non disponitur ad corruptionem, nec ad receptionem alicuius qualitatis, mediante qua corrumpetur.

Aliter dicitur negando consequentiam, quia in corporibus cœlestibus non est talis inclinatio huius nubis, vt adhæreat alteri, quemadmodum est inclinatio ignis vt adhæreat cælo.

11\. *Ad argum. 1. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, concedo quòd cælum motu suo calefacit non seipsum, quia non est susceptiuum talis qualitatis, sed ignem sibi propinquum, & obiectio dubij iam soluta est.

Ad 2. Ad secundam negatur consequentia, quia non oportet quòd motus calefaciat semper, vbi per alterationem fortiorem inducitur qualitas contraria calori, vt frigiditas.

Ad 3. Ad tertiam conceditur consequens, quia effectus consimilis benè est producibilis à diuersis agentibus, imò quia hoc concludit contrarium esse verum de accidentibus. *septimo Metaphysicorum.*

Ad 4. Ad quartam, *tunc non omnino*, &c. Illud est concedendum, sed sufficit quòd sit quodammodo consimile in virtute, modò motus in tali confricatione sunt consimiles virtute ipsi calori.

Ad 5. Ad quintam, dicitur quòd motus non est causa principalis istius caloris, sed forma corporis confricati mediante motu, & confricatione producit illum calorem.

Aliter dicitur, quòd sufficit quòd causæ vniuersales sint nobiliores, cuiusmodi sunt Deus, & Intelligentiæ.

Ad 6. Ad experientias. Ad primam dico quòd aqua stans calidior aqua fluente, eò quòd ad ipsam melius refranguntur radij Solis, & super eam diuturniorem habent permanentiam.

Ad secundam, de motu aëris coram facie, dico quòd hoc est, quia facies est calidior aëre sibi propinquo, idcò alterat aliqualiter ipsum ad caliditatem, sed postea per motum superuenit aër recens, & non alteratus, & apparet frigidior.

Ad tertiam, de potagio, dicitur quòd in talibus liquidis calefactis includuntur quædam exhalationes, & fumi calidi, qui per motum exeunt.

QVÆSTIO XI.

Utrùm omne lumen sit causatiuum caloris?

1\. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non; quia illud quod subitò producitur non potest esse causa illius, quod successiuè generatur; sed lumen subitò producitur, & caliditas successiuè generatur; igitur, &c. Maior patet, quia illud quod subitò p[...]icitur in primo instanti sui *esse* non producit caliditatem, eò quòd caliditas subitò generaretur, & si non in illo, igitur non in quocunque alio. Et minor apparet quoad primam partem 2 *de Anima*, & quoad secundam apparet in 5. *Physicorum*, nam ad caliditatem est vera alteratio successiua.

Secundò, nullum lumen durat nisi solùm per instans: igitur lumen non est causa caloris. Consequentia tenet, quia caliditas non potest generari in instanti. Et antecedens probatur, quia lumen dependet à corpore luminoso se habente in tali, vel tali situ, tanquam à conseruante ipsum, modò corpus luminosum, cùm continuè moueatur non potest esse in eodem situ, nisi per Solem. *Secundum.*

Tertiò, si lumen calefaceret, hoc maximè esset lumen Solis. Consequens falsum, quia tunc Sol, quantò est propinquior nobis, tantò nos magis calefaceret, quòd est falsum, quia in hyeme Sol est propinquior nobis quàm in æstate, & tamen tunc minùs calefacit. Modò consequentia patet, quia Sol habet plus de lumine inter cætera corpora luminosa. *Tertium.*

Quartò, sequitur quòd omnia corpora lucida; sicut omnes stellæ cæli, calefacerent. Consequens falsum, quia Luna, & Saturnus, & quædam stellæ fixæ de naturis earum ponuntur esse frigefactiuæ. Probatur consequentia, ex quo omnia corpora talia lucida habent lumen. *Quartum.*

Quintò, sequeretur quòd caliditas non esset qualitas prima. Consequens falsum, vt patet 2. *de Generatione*; & probatur consequentia, quia consequitur aliam qualitatem, scilicet lumen in sui generatione. *Quintum.*

Sextò, sequeretur quòd montes alti, & media regio aëris essent multum calidi. Consequens falsum, vt patuit priùs. Et probatur consequentia, quia sunt propinquiora corporibus cœlestibus habentibus lumen, quàm sint illa inferiora; modò omne agens naturale priùs & intensiùs agit in partem sibi propinquam, quàm in partem à se remotam. *Sextum.*

Septimò, sequeretur quòd priuatio luminis pura, tenebræ, esset causa frigiditatis. Consequens falsum, quia pura priuatio non potest esse causa alterius alicuius qualitatis positiuæ. Et probatur consequentia, quia si vnum oppositorum est causa vnius qualitatis, reliquum esset causa oppositæ qualitatis, sicut si calefactio sit causa caliditatis, frigefactio esset causa frigiditatis. *Septimum.*

Octauò, quia vel corpora cœlestia per lumen agerent calorem in istis inferioribus per se, vel per accidens; non per se, quia tunc semper calefacerent, quod est contra experientiam; nec per accidens, quia corpus cœleste semper vniformiter mouetur, nec in eius motu contingit fieri error. *Octauum.*

Nonò, sequeretur quòd quantò aliquod corpus fuerit albius, tantò magis calefaceret. Consequens falsum, quia homines generati versùs Septentrionem sunt frigidiores, quàm generati versùs Austrum, & tum sunt albiores. Et probatur consequentia, quia quantò corpus est magis album, tantò magis participat de luce. *Nonum.*

Decimò, quia squamæ piscium, & putredines quercuum sunt quædam corpora luminosa, & tamen non apparet qualitet possunt calefacere; igitur, &c.

Oppositum. Oppositum arguitur authoritate Aristotelis in isto primo, vbi dicit quòd per *lumen Solis, & astrorum eleuantur ab istis inferioribus vapores, & exhalationes, ex quibus impressiones generantur meteoricæ.*

In ista quæstione sunt duo videnda. Primò, si lumen sit causa caloris. Secundò, de modo generationis caloris à lumine, & de causa istius generationis.

Articvlvs I.

An lumen sit causa caloris.

2. *Differentia inter lumen, lucem, splendorem, & fulgorem.* QVantùm ad primum, notanda est differentia inter *lumen, lucem, splendorem, & fulgorem.* Vnde *lux* est qualitas incorporea luminosi in medio diaphano. Et *lumen* est quodammodo species, vel similitudo lucis. Sed *splendor* est claritas refracta ad aliquod corpus densum. Et *fulgor* est qualitas, vel dispositio fecunda, mediante qua relucet corpus tersum, & politum.

Lumen multiplicatur directè à corpore luminoso. Secundò sciendum, quòd omne lumen multiplicatur directè à corpore luminoso. Et ideò quidam est radius rectus secundùm quem diffuoditur lumen. Alter est radius reflexus, scilicet qui reuerberatur in superficie alicuius corporis densi. Sed alter est radius fractus, qui transit secundùm angulum per media diuersarum diaphaneitatum. Sed alius est radius circumflexus, qui est aggregatus ex pluribus radiis incidentibus directè, & ex pluribus fractis & reflexis.

* Tertiò sciendum, quòd specialiter mota est quæstio propter corpora cœlestia, vt videatur qualiter per lumen alterant ista inferiora.

3. *Conclusio 1. Sol calefacit lumine inferiora.* Tunc ponontur conclusiones. Prima est, quòd Sol calefacit ista inferiora mediante suo lumine. Probatur, quia videmus quòd in æstate est caliditas intensior in istis inferioribus, quàm in hyeme, & non est alia causa, nisi quòd Sol aspicit magis directè ista inferiora secundùm radium luminis, quo natus est causare calorem. Secundò videmus quòd in vmbra Solis est minor caliditas, quàm in lumine; ideò in æstate quærimus vmbras.

Tertiò, quia videmus quòd cùm radij Solis refranguntur ad speculum concauum, vel ad vrinale sphæricum plenum aqua frigida, generatur ignis.

4. *Conclusio 2. Luna calefacit suo lumine hæc inferiora.* Secunda conclusio est, quòd Luna mediante suo lumine calefacit ista inferiora. Probatur per experientiam Aristot. *in quarto de animalibus*, vbi dicit quòd noctes in plenilunio sunt calidiores, quàm in coniunctione, vel quadraturis, quod non esset nisi lumen Lunæ calefaceret.

Secundò, quia lumen Solis calefacit: ergo lumen Lunæ. Antecedens patet per præcedentem conclusionem; & consequentia per Aristotelem *primo de proprietatibus elementorum*, vbi vult quòd Luna, & omnia alia astra recipiant lumen à Sole; & aliqui imaginantur ibi quòd Luna, & omnia astra sunt quasi speculum; & ideò sicut speculum illuminatur à candel[a] sibi obiecta, ita consimiliter Luna, & alia astr[a] illuminantur à Sole.

Tertia conclusio quòd quodlibet aliud astrum calefacit mediante suo lumine. Probatur primò, quia cuiuslibet alterius astri lumen est reflexum à Sole; igitur est calefactitium. Tenet consequentia, vt priùs, & antecedens similiter. Secundò, si lumen Lunæ est calefactitium, igitur & lumen cuiuslibet alterius astri: sed sic est; igitur, &c. Antecedens patet, quia inter omnia alia astra Luna ponitur magis esse de natura frigiditatis. Et minor apparet per præcedentem conclusionem. 5. *Conclusio 3. Astra calefaciunt lumine.*

Quarta conclusio est, quòd corpora cœlestia causant frigiditatem in istis inferioribus. Probatur de Luna, cui attribuitur fluxus & refluxus maris; & etiam de Saturno, cui attribuuntur multi effectus frigiditatis. Secundò, quia quandoque in æstate videmus frigiditatem quasi subitò venire; modò non est alia causa à qua possit produci ista frigiditas, nisi à corpore cœlesti; igitur, &c. *Conclusio 4. Corpora cœlestia causant frigiditatem in his inferioribus.*

Quinta conclusio est, quòd corpora agunt in istis inferioribus per aliam influentiam quàm per lumen. Probatur, quia per præcedentem conclusionem corpora cœlestia frigefaciunt ista inferiora, & non per lumen, quia quodlibet astrum est calefactitium suo lumine; igitur per aliam influentiam; igitur, &c. *Conclusio 5. Agunt per aliam influentiam.*

Articvlvs II.

Quomodo calor à lumine generetur.

6. *Radiorum Solis refractio est causa caloris.* QVantùm ad secundum* sit conclusio ista, quòd refractio radiorum luminis est causa productionis caloris à lumine, ita quòd si non esset huiusmodi refractio, vel reflexio nullo modo lumen causaret calorem. Probatur, nam videmus quòd ista loca non calefiunt, ad quæ non pertingunt radij reflexi, vt pat[et] de cacuminibus montium, & in media regione. Secundò, quia videmus quòd ibi radij incidentes non concurrunt cum refractis, vel reflexis, vt patet de superficie terræ. Tertiò hoc patet maximè de speculis concauis, in quibus propter concursum radiorum incidentium ad radios reflexos ab illis speculis generatur ignis.

Obiectio. Contra conclusionem arguitur primò, quia vel radius incidens est infinitum debilior radio incidente cum reflexo, vel in aliqua certa proportione, non infinitum, quia radius reflexus causatur ab incidente; modò radius incidens non est infinitum debilior seipso; nec etiam reflexus per se est debilior incidente; igitur nec aggregatum ex eis. Si in aliqua proportione certa tunc intendatur radius incidens in gradum luminis in eadem proportione; igitur tunc producet calorem sine fractione, vel reflexione.

Responsio. Ad illud dicitur, quòd ad generationem caloris multum, vel totaliter, facit oppositio radiorum; nam sicut in generatione caloris ex motu oportet vt sit contrarietas, & confricatio, ita consimiliter in generatione caloris ex lumine, oportet vt sit concursus duorum radiorum, vel luminum, quorum vnus opponitur alteri, sicut patet in concauo speculo, quia ignis ibi generatur ex concursu

concursu radiorum, qui incidunt ad speculum, ad radios qui reflectuntur à speculo.

8. Contrà, quia per vas vitreum sphæricum plenum aqua generatur ignis à parte remotiori, à corpore luminoso, & tamen ibi non est talis oppositio radiorum, quia omnes radij pertranseunt vitrum.

Ad illud dico, quòd quamuis in refractione radiorum non sit oppositio ita directè sicut in reflexo, tamen ibi est oppositio aliqualiter lateralis, quæ sufficit ad generationem ignis, cæteris causis concurrentibus, quemadmodum diceremus quòd Oriens & astrum opponuntur secundùm situm. Ex istis inferuntur aliqua corollaria.

9. *Corollariũ 1.* Primum est, quòd si omnes orbes cæli essent calefactibiles, sicut stupa, & in ipsis non essent astra, nunquam tempore æterno incenderentur à lumine, nec etiam calefierent. Probatur, quia priusquam illi orbes essent vniformes, & non esset ibi aliquod reflectens, vel refrangens, non producerentur calor, cùm talis reflexio, vel refractio sit per se causa productionis caloris à lumine.

Secundum. Secundum corollarium est, quòd si omnia corpora vniuersi essent vniformia in raritate, & densitate, nunquam aliquid calefieret à lumine. Probatur, quia tunc non esset refrangens, vel reflectens.

Tertium. Tertiò sequitur quòd causa quare in vallibus sit calor intensior, quàm in montibus; nam radij incidentes ad montes, cùm reflectantur tendũt ad inferius, & concurrunt cum radiis incidentibus, & etiam reflexis à vallibus; modò talis concursus radiorum oppositorum est causa caloris per conclusionem.

Quartum. Quartò, sequitur quòd sphæra ignis non calefit à lumine Solis, nec superior regio aëris, si inter ipsas non sit notabilis diuersitas in raritate, & densitate. Patet, quia postquam non est ibi diuersitas, non esset aliquid refrangens, vel reflectens radios luminis.

Quintum. Quintò, sequitur quòd media regio aëris non calefit à lumine Solis, nisi cùm fuerit in ipsa nubes spissa. Patet, quia aliter radius luminis transiret irrefractus.

Sextum. Sextò, sequitur corollarium priùs positum, quòd quantocunque radij Solis reflexi à terra altius descendunt, tanto eleuatior est media aëris regio super terram.

10. *Dubium 1.* Contra ista arguitur, primò de secunda conclusione primæ partis, in qua dicebatur quòd lumen Lunæ est calefactiuum, quia videmus quòd dormientes in lumine Lunæ sunt valde rheumatici, modò secundùm medicos, rheuma generatur à frigido.

Solutio. Ad illud dicitur quòd rheuma illud non generatur à lumine, sed ab alia influentia Lunæ, quam habet præter lumen.

Et si dicatur, æquè benè multiplicatur ista alia influentia infra radios, sicut extra radios. Dicitur quòd licèt ista influentia multiplicetur tam in vmbra, quàm in lumine Lunæ, non magis infrigidat, sed quia magis ex directo aspicit passum frigefactibile.

Dubium 2. Solutio quorundam. Secundò dubitatur, quare multiplicetur talis influentia vsque inferius. Dicunt aliqui quòd influentia ista est ita spiritualis quòd non oportet, ipsum diffundi per medium, sed immediatè corpus cœleste causat istam influentiam hîc inferius, & in visceribus terræ, siue hoc quòd causatur per ignem, vel aërem inter medium.

11. *Impugnatur.* Contrà hoc obijcitur, quòd omne mouens est simul cum moto ex 7. *Physicorum*, & omne agens simul cum passo, vt patet 1. *de Generatione*, igitur ista qualitas non posset immediatè causari in istis inferioribus nisi priùs causetur per intermedium.

Alia solutio. Item aliter dicitur, quòd ista influentia causatur insensibiliter à cælo alteratione per cælum medium, quemadmodum lumen insensibiliter producitur.

Dubium 3. Tertiò dubitatur circa conclusionem secundæ partis, vtrùm si radius fortior, & debilior occurrentes duobus medijs diuersarum diaphaneitatum, refracti ad angulos æquales, producant calores æquales. Et videtur quòd sic, quia aliter non sola oppositio radiorum esset causa huiusmodi caloris. Sed quòd non, videtur ad experientiam, quia radij Lunæ reflexi ad speculum concauum non producunt ignem, sicut radij Solis.

Responsio. Ad ista dicitur, quòd ista dubitatio præsupponit vnum satis dubium, scilicet quòd radius intensior, & remissior ad æquales angulos refrangantur, cæteris paribus; quia dato quòd non refrangerentur ad æquales, tunc certum est quòd non æqualiter causarent calorem; sed supposito quòd franganiur ad angulos æquales, adhuc non producent æqualem calorem; & causa est quod radius incidens ad aliquod medium alterius diaphaneitatis, ex quo inuenit obstaculum, natus est redire secundùm lineam consimilem, secundùm quam incessisset, si non fuisset impedimentum, vt patet per Lincon. 1. *Posteriorum*, modò cùm radius fortiùs incessisset ad maiorem distantiam, sequitur quòd etiam ad maiorem distantiam reflectatur, & sic est ibi maior oppositio saltem extensiuè, & intensiuè, posito quòd luminosum causaret lumen cum impetu, vel conatu.

12. *Dubium 4.* Quartò dubitatur, quæ sit causa, quare radij sic oppositi nati sint causare calorem? Dicunt quidam quòd lumen est qualitas nobilissima inter qualitates corporales, quam antiqui Philosophi maximè laudauerunt; ideò nata est ipsam sequi caliditas, quæ est nobilissima qualitas excepto lumine.

Dubium 5. Solutio. Ignis aliter calefacit lumine, quàm calore. Quintò dubitatur, vtrùm lumen ignis calefacit? Ad quod dicendum quòd sic, aliter tamen calefacit ignis lumine, quàm calore. Probatur, quia calor ignis calefacit successiuè partes quantitatiuas passi, scilicet priùs vnam partem, & pòst aliam, sed lumen totum simul calefacit. Secundò, quia ignis mediante lumine calefacit valde remissè, sed mediante calore intensè.

Dubium 6. An oculi catorum calefaciant. Sextò dubitatur, vtrùm squamæ piscium, & oculi catorum possint calefacere? Ad quod dicitur quòd sic, hoc tamen est valdè remissè, & fortè talis habet aliquam virtutem frigefaciendi, propter quam non potest apparere calefactio per lumen, sufficit tamen quòd per illud lumen aliqualiter remittatur actio frigiditatis. Aliter dicitur quòd non oportet quòd lumen ignis, nec etiam huiusmodi rerum, lumen calefaciat, quia in talibus lumen est quædam qualitas secunda, proueniens ex actione primarum qualitatum, nec est eiusdem rationis cum lumine corporis cœlestis.

13. Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam, *nullum subitò productum*, &c. Negatur maior, quia quod producitur subitò potest continuari successiuè, & ite potest producere illud, quod natum est successiuè produci.

Ad 2. Ad secundam, *nullum lumen*, &c. Negatur antecedens, quia lumen vnius dici durat per vnum diem, & lumen horæ per vnam horam.

Ad 3. Ad tertiam, *hoc maximè*, &c. Concedo, & cùm dicitur, tunc intensiùs calefaceret propè, quàm remotè. Negatur consequentia, quia calefactio per lumen non attenditur penes propinquum, & remotum à corpore luminoso, sed penes concursum radiorum oppositorum.

Ad 4. Ad quartam, *sequitur quòd omnia*, &c. Conceditur quòd astra omnia calefaciunt lumine, aliqua tamen frigefaciunt aliis influentiis.

Ad 6. Ad sextam, *tunc montes*, &c. Respondetur negando consequentiam, propter causam dictam 10 corollario.

Ad 7. Ad septimam, *sunt tenebræ*, &c. Negatur consequentia, quia tenebra non est aliqua qoalitas positiua.

Ad 8. Ad octauam, *vel per se. vel per accidens*, dico quòd per se, & hoc semper fit concurrentibus aliis causis, scilicet sufficienti intensione luminis, oppositione radiorum, & dispositione materiæ.

Ad 9. Ad nonam, dicetur quòd talia corpora alba non sunt lucida, & dato quòd aliqua essent lucida, sicut margaritæ, non tameo oportet illa calefacere, quia lumen eorum est alterius naturæ à lumioe cœlesti.

Aliæ rationer sunt solutæ in quæstionis corpore. Et hoc de ista quæstione.

QVÆSTIO XII.

Utrùm sphæra Solis per suum motum magis calefaciat ista inferiora, quàm aliæ sphæræ cœlestes?

1. Arg. primũ. ARGVITVR quòd ooo, quia vel hoc esset, quia sphæra Solis est maior; vel quia defert maius astrum, sed neutro modo; igitur, &c. Maior patet, nam ista videtur causa potissima. Et minor apparet, primò non, quia sphæra est maior, nam sphæræ superiores sunt multò maiorer; nec quia defert maius astrum, qoia in octaua sphæra sunt astra ita multa, quia multitudo ipsorum faceret magnitudinem maiorem, quàm sit magnitudo Solis, & per consequenr illa astra haberent plus calefacere per motum.

Secundum. Secundò, vel hoc esset, quia Sol velociùs mouetur, vel quia est propinquior nobir; sed neutro modo; igitur, &c. Maior patet per Aristotelem in litera. Et minor apparet, noo quia velociùs mouetur. nam sphæra Lunæ complet suam circulationem in vno mense, sphæra autem Solis oon nisi in anno, & per consequens velociùs mouetur Luna, quàm Sol; nec quia Sol est propinquior, quia notum est quòd Luna est propinquior nobis.

Tertium. Tertiò, vel hoc fieret mediatè, vel immediatè; non mediatè, qoia sphæra Solis non calefacit sphæras intermediar; nec immediatè, quia omne naturale agent in aliqood passum distans, priùs agit in medium inter illud, & ipsum.

Quartum. Quartò, quia si sic, hoc esset pro tanto quia sphæra Solis defert corpur, vel astrum magis luminosum; modò consequens est falsum, quia ad hoc quòd lumen calefaciat non confert motus, imò potiùs impedit; nam si passum quiesceret, plus pateretur ab agente.

Quintum. Quintò, quia si magis calefaceret, etiam hoc pro tanto, quia sphæra Solis magis disgregaret à se inuicem partes illorum inferiorum, nam istam causam multi assignant: sed propter hoc non, quia propter sphæram Solir partes istorum inferiorum non mouentur localiter.

Sextum. Sextò, nulla sphæra cœlestir calefacit ista inferiora per motum; igitur non magis sphæra Solis, quàm alia. Consequentia tenet. Et aotecedens probatur, quia calefactio causatur per motum ex confricatione vnius corporis ad aliud, modo nulla sphæra cœlestis confricatur ad ista inferiora: igitur, &c.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

2. Quomodo calor producitur à lumine. In ista quæstione supponendi sunt modi, per quos calor potest produci à lumine vel motu. Vnde calor generatur à lumine ex coocursu radiorum oppositorum, qui sunt radius incidens, & reflexus, seu refractus: sed calor generatur à motu ex confricatione corporis calefactibilis ad aliquod aliud corpus.

Conclusio 1. Hoc præsupposito, ponuntur conclusiones. Prima est, quòd nulla sphæra cœlestis agit calorem in istir inferioribus per motum citra mediam regionem aëris circumscripto lumine, & aliis influentiis spiritualibus. Probatur, quia illud non potest generare calorem per motum in ista inferiora, quod oon confricatur ad aliquod illorum inferiorum, nec quod mouet ista, nec aliqua alia, quæ ad ista confricentur: sed quælibet sphæra cœlestis est huiusmodi: igitur, &c. Maior patet, nam pluribur modis non potest imaginari, quòd motus alicuius corporis producat calorem. Et minor apparet, nam corpora cœlestia non tangunt ista inferiora, nec moueot ipsa localiter, vt manifestum est.

3. Conclusio 2. Secunda conclusio est, quòd circumscripto lumine, & influentia speciali cæli, corpus cœleste agit calorem per suum motum in sphæram ignis, & superiorem regionem aëris. Probatur per oppositum rationis prædictæ, nam cælum mouet sphæram ignis, & superiorem partem aëris, & illa ad cælum conficantur; igitur, &c. Ex quo patet quòd circumscriptir aliis influentiis cæli à motu non producitur in aliquod istorum inferiorum calor, nisi per se in sphæram ignis, & superiorem regionem aërir.

Dubium. Sed dubitatur, vtrùm in tali confricatione ignis ad cælum aliqua pars possit propelli deorsum à cælo? Et videtur quòd sic, quia à tota circulariter mota benè propellitur aër, citra quem mouetur; sed videtur quòd non; quia cælum est corpur, nec tendens sursum, nec deorsum, cuius superficies concaua est æquè distans à centro mundi vndique: ergo nihil habet propellere deorsum.

Responsio. Ad illud, dico quòd ignis benè potest propelli deorsum ab isto cælo, nam propter fortem impetum, quem habet ignis ad ascendendum reflectitur à cælo ad istam partem, ad quam tendit

motus

motus cæli. Quemadmodum videmus quòd faba proiecta conuexa superficiem rotæ superioris circumuolutæ, tendit deorsum versus illam partem, ad quam rota mouetur.

4. *Conclusio 3.* Tertia conclusio est, quòd circumscripto lumine Solis, sphæra Solis non plus calefaceret ista inferiora, quàm aliæ sphæræ cœlestes. Probatur, quia esset ratione influentiæ maioris, vel ratione motus; sed neutro modo, quia in aliis partibus cæli inuenitur æqualis influentia, & motus æquè velox.

Conclusio 4. Quarta conclusio est, quòd sphæra Solis mediante lumine non plus intensiuè calefacit ista inferiora per suum motú, quàm si non moueretur. Probatur, quia si sic, corpus Solis produceret intensiorem calorem in istis inferioribus, quàm de facto producit, igitur per motum mediante lumine non producit intensiorem, &c. Consequentia tenet de se, & antecedens apparet à simili, nam videmus quòd ferrum si continuè moueatur hinc inde propè ignem, tardiùs & remissiùs calefit, quàm si quiesceret; similiter videmus quòd quantò diutiùs Sol permanet super hemisphærium nostrum, tantò generatur intensior calor in istis inferioribus, modò diutiùs permaneret Sol si quiesceret, quàm si moueretur; igitur.

5. *Conclusio 5. Sol per suum motum lumine magis calefacit, quàm si non moueretur.* Quinta conclusio est, quòd Sol per suum motum mediante lumine magis calefacit ista inferiora extensiuè quàm si non moueretur. Probatur, quia omne corpus motum circa aliquod plures partes ipsius aspicit, quàm si quiesceret, aspiciendo vnam partem tantùm: modò corpus cæli mouetur circulariter circa inferiora per motum suum, mediante lumine magis, quàm aliqua alia sphæra cœlestis. Cuius possunt assignari tres causæ.

Prima est, quæ dicta sunt, nam Sol magis calefacit per suum lumen, quàm aliquod aliud cæli astrum; & quia per motum defertur ad diuersas partes istorum inferiorum, ideò plures partes suo lumine potest calefacere, & per consequens magis calefacit, saltem extensiuè.

Secunda causa est vno supposito, scilicet quòd in istis inferioribus fiunt continuè generationes, & corruptiones mixtorum perfectorum, & animatorum, tunc hoc supposito, patet quòd nisi Sol moueretur, iam non producerentur huiusmodi mixta perfecta; eò quòd Sol continuè aspiceret vnam partem terræ, & non aliam, & in ista parte; quam continuè aspiceret, non generatur nisi ignis, vt in parte sibi apposita non nisi aqua. Ex quo patet quòd sphæra Solis magis calefacit extensiuè per suum motum, & magis moderatè, secundùm quod exigitur ad generationem mixtorum perfectorum, & animatorum.

6. Tertia causa est præsupponendo aliqua. Primò, quòd agens naturale in aliquod passum non agit per se, secundùm superficiem propinquam illi passo, sed agit secundùm partes, quæ sunt in profundo. Patet, nam ignis aliquantò spissius intẽsiùs calefacit passũ approximatũ sibi, quàm ignis æqualis longitudinis, & latitudinis cum minore tamen spissitudine. Secunda suppositio est, quòd si alicuius agentis vna pars sit nobilior, & efficacior aliis ad agendum, actio istius agentis tribuitur illi parti, sicut patet in viuentibus, nam quia anima pars est nobilior corporis animati, & efficacior ad operandum, iam actio corporis animati attribuitur animæ; eodem modo est de corde respectu membrorum corporis. Tertia suppositio est, quòd corpus cœleste, scilicet aggregatum ex omnibus sphæris est quodammodo agens in istis inferioribus; istud patet ex quadam quæstione præcedente. Quarta suppositio est, quòd corporis cœlestis pars nobilior, & efficacior ad agendum est corpus Solis. Patet, quia Sol est astrum magis lucidum, & situatum in medio sphærarum, vnde est pars nobilior. Et tenet consequentia per simile, quia videmus in corpore humano, quòd cor est pars nobilissima ipsius, & situatur in medio ipsius. Tunc de istis patet quare Sol magis calefacit ista inferiora, nam per tertiam suppositionem, cælum est quoddam agens influens in ista inferiora, quod non agit solùm secundùm superficiem, imò secundùm profundum per primam suppositionem; & eius pars nobilissima & perfectior, vel efficacior ad agendum est Sol; igitur per quartam suppositionem Soli debet attribui actio cæli per secundam suppositionem, & per consequens magis sibi, quàm alicui alteri sphæræ cœlesti.

Sed dubitatur de prima suppositione, quia si 7.
partes profundæ agerent, sequitur quòd simile in *Dubium 1.*
suum simile agit. Consequens est falsum 1. *de Generatione.* Consequentia probatur, quia pars existens in profundo ageret in partem remotiorem.

Ad istud dicitur negando consequentiam, *Solutio.*
quia actio partis profundæ non est distincta à parte superficiali, imò eadem est actio vtriusque.

Secundò dubitatur ad aliquantam distantiam *Dubium 2.*
in profundo agerent, & ad aliquantam non? *Solutio.*
Ad illud dicitur quòd illud est difficile assignare, tamen pro nunc potest dici quòd partes in profundo agunt ad istam partem, cuius actio terminaretur ad superficiem passi, dato quòd non essent aliæ partes intermediæ, & non vltra.

Rationes aliæ procedunt viis suis.

Quæstio XIII.

Utrùm quatuor elementa sint proportionalia continuè?

ARGVITVR quòd non; quia vel erunt 1.
continuè proportionalia proportione 1.
æqualitatis, vel proportione inæqualitatis; *Arg. primũ.*
non proportione æqualitatis, quia cùm ignis sit magis actiuus aliis elementis, & sit per se æqualis illis, sequitur quòd omnia elementa alia corrumperet; nec proportione inæqualitatis, quia tunc maximus terminus excederet elementa omnia alia, & per consequens ipsa corrumperet. Confirmatur, quia sicut est in mundo inferiori, quòd nullum mixtum potest perpetuari, nisi in ipso elementa reducerentur ad temperamentum, ita est in mundo maiori, quòd non potest durari, nisi quatuor elementa sint ad inuicem adæquata; igitur quatuor elementa non sunt proportionalia proportione inæqualitatis, sed potiùs proportione æqualitatis.

Secundò, si elementa secundo modo, sequitur *Secundum.*
quòd ignis esset maximum omnium elementorum. Consequens est falsum, quia magnitudo aliorum elementorum debet proportionari acti-

uitati ignis. Et tenet consequentia, quia in tali continua proportione est ignis primus, maximus.

Tertium. Tertio, sequeretur quòd aqua esset minùs elementum, quàm sit terra. Consequens falsum, quia aqua habet maiorem spissitudinem, quàm sit spissitudo terræ, & locum eleuatiorem versùs cælum, & per consequens debet esse maioris quantitatis. Et patet consequentia, quia tota aqua continetur in concauitatibus terræ.

Quartum. Quartò, elementa non sunt continuè proportionabilia in qualitatibus primis; igitur nec in magnitudine, nec in aliquibus aliis. Consequentia tenet, quia secundùm proportionem qualitatum primarum sunt proportiones magnitudinum formarum substantialium, & aliorum accidentium. Et antecedens apparet, quia nulla est qualitas prima communis quatuor elementis, in qua elementa possint continuè proportionari. Nam non est verum quòd sicut se habet ignis ad aërem in calore, ita aër ad aquam, & aqua ad terram, quia aqua & terra non sunt calida.

Quintum. Quintò, sphæræ cœlestes non sunt continuè proportionabiles; igitur nec quatuor elementa. Consequentia tenet per Aristotelem *in isto primo*, vbi dicit quòd maior est ordo in corporibus cœlestibus, quàm in istis inferioribus. Et antecedens apparet, nam octaua sphæra in multò maiori proportione excedit sphæram sibi immediatam, quàm aliqua sphæra inferior excedit reliquam.

Sextum. Sextò, quatuor elementa non sunt continuè proportionabilia corpori cœlesti; igitur nec etiam inter se inuicem. Consequentia tenet, quia sicut quatuor elementa inter se ordinantur secundùm situm, ita cum eis ordinatur corpus cœleste. Et antecedens apparet per Aristotelem *in isto primo*, vbi vult quòd quodlibet elementorum sit valdè modicæ quantitatis in comparatione ad cælum.

Septimum. Septimò, quia mixta ex elementis non sunt continuè proportionabilia; igitur nec ipsa elementa. Tenet consequentia, nam cùm mixta componantur ex elementis, qualiter se habent elementa, debent se habere mixta composita ex eis.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, vbi dicit: *Si enim & distantia plena igne, & corpora constant ex igne, olim annihilatum esset vtique vnumquodque aliorum*; itaque videtur arguere quòd non, nisi elementa essent continuè proportionabilia, quia elementum excedens omnia alia corrumperet.

Diuisio quæstionis. In ista quæstione sunt quatuor videnda. Primò, quædam distinctiones generales pertinentes ad propositum. Secundò de æqualitate elementorum. Tertiò de proportionalitate. Quartò, dato quòd elementa essent inæqualia, qualiter possunt conseruari, ne vnum corrumpatur.

ARTICVLVS I.

Quædam distinctiones generales ad elementorum proportionalitatem pertinentes.

2. *Elementa quatuor.* QVantùm ad primum, sciendum est, quòd in proposito accipimus *elementa*, pro primis corporibus actu existentibus, ex quibus generabilia, & corruptibilia nata sunt componi, sicut sunt, ignis, aer, aqua, terra.

Secundò sciendum est, quòd in proposito capimus elementum terræ pro ipsa terra, & pro omnibus mixtis generatis infra & supra terram; & aquam pro aqua, & illis quæ continentur infra locum aquæ.

Tertiò est sciendum, quòd proportio est duarum qualitatum eiusdem generis vnius ad alteram certa relatio in quantitate; verbi gratia, proportio dupla, sicut duorum ad vnum est certa relatio istorum duorum numerorum, qui sunt eiusdem generis in quantitate. Proportio diuiditur in tres species, scilicet in proportionem æqualitatis, maioris inæqualitatis, & proportionem minoris inæqualitatis. Proportio æqualitatis est habitudo duarum qualitatum æqualium ad inuicem, sicut proportio duorum ad duo, & talis non habet plures species, imò consistit in indiuisibili. *3. Proportio quid. Eius diu. Æqualitatis.*

Sed proportio maioris inæqualitatis est habitudo maioris qualitatis ad minorem, sicut trium ad duo est proportio sesquialtera. Et ista proportio maioris inæqualitatis subdiuiditur in proportionem multiplicem, superparticularem, & superpartientem, & quælibet illarum diuiditur in species infinitas. *Maioris inæqualitatis.*

Sed proportio minoris inæqualitatis est habitudo minoris qualitatis ad maiorem, sicut duorum ad quatuor est proportio subdupla, & illa subdiuiditur in proportionem submultiplicem, subsuperparticularem, & subsuperpartientem, & quælibet illarum diuiditur in species infinitas proportionales speciebus proportionum maioris inæqualitatis. *Minoris inæqualitatis.*

Quartò sciendum est, quòd proportionalitas est similitudo proportionis. Sicut si dicatur quòd sicut se habet octo ad quatuor, ita quatuor ad duo, & talis proportionalitas est triplex, nam quædam est Arithmetica; quædam Geometrica, quædam Harmonica. *4. Proportionalitas quid?*

Proportionalitas Arithmetica est illa quæ attenditur penes æqualitatem differentiarum vnius qualitatis ad aliam, sicut dicendo, scilicet quatuor duo, & vocatur differentia in proportione excessus, quo maior quantitas excedit minorem, sic & dicitur excessus sex ad quatuor. *Proportionalitas arithmetica.*

Sed proportionalitas Geometrica consistit in æqualitate proportionum, sicut dicendo 8. 4. 2. 1. nam qualis est proportio 8. ad 4. eadem est proportio duorum ad vnum. *Geometria.*

Quintò sciendum est, quòd quælibet istarum proportionum potest esse duplex, scilicet continua, & discontinua.

Proportionalitas continua est, cùm quilibet terminus est antecedens, & consequens præter primum & vltimum. Nam primus terminus est tantùm antecedens, & vltimus tantùm consequens, verbi gratia, si dicatur, qualis est proportio inter octo & quatuor, talis est proportio quatuor ad duo, & duorum ad vnum; in ista proportione iste terminus *octo* primus est antecedens tantùm, & ille terminus, *vnum*, qui est vltimus, est tantùm consequens, sed duo termini intermedij, scilicet *duo* & *quatuor*, quilibet eorum est antecedens & consequens. *Continua.*

Sed proportionalitas discontinua est, quando nullus terminus est antecedens & consequens, vel antecedens tantùm, vel consequens tantùm, sicut, verbi gratia, dicendo, qualis est proportio *Discontinua.*

sex

sex ad tria, talis est proportio quatuor duo; in ista enim similitudine proportionum nullus terminus est simul antecedens & consequens, sed quilibet vel tantùm antecedens est, vel tantùm consequens.

Harmonica. Sextò sciendum est, quòd proportionalitas harmonica vocatur, cùm eadem est proportio maximi termini ad minimum, & differentia maximi termini ad medium ad differentiam medij ad minimum, verbi gratia 6. 4. 3. eadem est proportio 6. ad 3. scilicet maximi termini ad minimum, quæ est proportio duorum, quæ differentia est inter 6. & 4. ad vnum, quod est differentia inter 4. & 3.

Septimò, sciendum quòd elementa possunt imaginari esse proportionalia, vel improportionalia: & si proportionalia, vel continuè, vel discontinuè; & iterum vel in magnitudine vel in qualitatibus primis, vel in qualitatibus secundis, cuiusmodi sunt grauitas, leuitas, raritas, densitas, spissitudo, tenuitas. Et hoc de primo.

Articvlvs II.

De æqualitate elementorum.

7. Quantùm ad secundum est sciendum, quòd elementa possunt imaginari esse æqualia, vel in magnitudine, vel in virtute; in materia, vel in spissitudine.

Conclusio 1. Elementa nō sunt æqualia in magnitudine. Tunc ponuntur conclusiones sequentes. Prima est, quòd quatuor elementa non sunt æqualia in magnitudine. Probatur, aër est multò maior, quàm sit terra; igitur quatuor elementa non sunt æqualia in magnitudine. Consequentia tenet de se, & antecedens apparet, vt potest inuestigari inueniendo distantiam, ad quam ascendunt impressiones ignitæ, quæ distantia maior est semidiametro terræ, & tamen istæ impressiones non ascendunt vltra aërem, quare, &c.

Secundò, si quatuor elementa essent æqualia, sequeretur quòd tota sphæra generabilium, & corruptibilium esset per se quadrupla ad sphæram terræ. Consequens falsum & impossibile; igitur & antecedens. Consequentia probatur, quia aggregatum ex quatuor corporibus æqualibus est per se quadruplum ad vnum illorum. Et falsitas antecedentis apparet per Astrologos, & maximè per Ptolemæum, qui ponit sphæram generabilium, & corruptibilium, plus quàm mille vicibus excedere sphæram terræ.

Tertiò, quia orbes cœlestes non sunt sibi inuicem æquales; igitur nec quatuor elementa. Tenet consequentia, quia in corporibus cœlestibus maior est ordo, quàm in illis inferioribus, vt patet in illo primo. Et antecedens apparet, nam sphæræ superiores, multò sunt maiores inferioribus.

Quartò, quia aqua est maior terra, vt postea probabitur; igitur quatuor elementa non sunt æqualia.

8. Secunda conclusio est, quòd quatuor ele-
Conclusio 2. Nec in virtute. menta non sunt æqualia in virtute. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd terra esset maximum elementorum omnium; consequens falsum, primò quia sphæra ignis circundat omnia alia elementa; videtur igitur quòd illa sit maior aliis. Secundò, quia dictum est quare per ascensiones impressionum ignitarum potest inueniri quòd quantitas aëris sit maior quantitate terræ. Probatur consequentia quia in æquali quantitate terræ est minor virtus, quàm in æquali quantitate alterius elementi; si igitur virtus terræ debet esse æqualis virtuti alterius elementi tantum per magnitudinem, debet recompensari, quantum virtus alterius elementi excedit virtutem terræ in æquali quantitate.

Secundò sequeretur quòd ignis esset minimum omnium elementorum. consequens est falsum, quia cùm obtineat locum superiorem & contineat alia elementa, videtur esse maioris quantitatis aliis elementis. Probatur consequentia primò, sicut probatur præcedens nam ignis in aliquanta quantitate habet maiorem virtutem, quàm aliud elementum in æquali magnitudine; igitur oportet quod per paruitatem ipsius tantum recompensetur, quantum virtus eius excedit virtutes aliorum elementorum in æquali quantitate.

Tertia conclusio est, quòd quatuor elementa 9.
non sunt æqualia in materia. Probatur, quia si *Conclusio 3. Nec in materia.* ita esset, sequeretur quòd si aqua esset condensata ad gradum densitatis terræ, tunc aqua & terra essent sibi inuicem æquales. Consequens falsum, quia de facto terra est maior aqua, igitur si esset condensata ad densitatem terræ non esset æqualis. Consequentia tenet, quia si fieret condensata minor esset, quàm si non esset condensata. Antecedens apparet, quia nisi aqua esset minor terra, cùm semper aqua tendat ad locum decliuiorem, sequitur quòd aqua deberet cooperire totam terram, & ipsam sphæricè circundare, & istud magis postea probabitur.

Quarta conclusio est ista, quòd quatuor ele- *Conclusio 4. Nec in spissitudine.* menta non sunt æqualia in spissitudine. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd sphæra generabilium, & corruptibilium contineret sphæram terræ multò minùs quàm tribus mille vicibus. Consequens est contra Astrologos, vt priùs allegatum est. Et probatur consequentia, quia postquam eleuata sunt ex aqua spissa, & notū est diametrum terræ, faciliter potest cognosci per calculationes diametri cuiuslibet aliorum elementorum, & inuenietur quòd totalis sphæra generabilium, & corruptibilium modicum plus quàm mille, & vndecim vicibus continebit sphæram terræ.

Contra istas conclusiones arguitur, primò 10.
contra primam & secundam simul, quia nisi *Obiect contra 1. & 2. concl.* elementa essent æqualia in magnitudine, ac virtute, sequeretur quòd elementum maius elementa reliqua corrumperet. Consequens est falsum, quia tunc deficeret vna pars principalis vniuersi, & per consequens ordo, & decor ipsius. Probatur consequentia, quia elementum excedens esset appropinquatum aliis super ipsam proportionem maioris inæqualitatis.

Contra 3 concl. Contra tertiam conclusionem probantur duæ conclusiones. Prima est, quòd cuiuslibet elementi materia est æqualis materiæ alterius.

Secunda est, quòd magnitudo vnius elementi, sicut terræ, est per se subdecupla ad magnitudinem elementi proximi; scilicet aquæ, & in eadem proportione se habet aqua respectu aëris, & aër respectu ignis. Et ex isto sequitur quòd raritas ignis est in decuplo maior raritate aëris; & densitas terræ est in decuplo maior densitate aquæ.

Prima consequentia probatur, quia verisimile
est

est quòd tota materia generabilium & corruptibilium sit diuisa in quatuor proportiones æquales, quarum cuilibet elementorum attribuitur vna. Secundò, quia æqualis est materia proportionis, aëris generati ex vna proportione materiæ illius aquæ, igitur materia totius sphæræ aëris est æqualis materiæ totius sphæræ aquæ. Tenet consequentia per Philosophum *in isto primo*, vbi volt quòd secundùm eandem proportionem se habet totum vnum elementum cùm alio, & pars vnius cum parte alterius, si ex inuicem generentur. Tertiò, quia secundùm eandem proportionem se debent habere magnitudines elementorum, secundùm quam se habent grauitas, & leuitas, eodem modo quantò terra est grauior aqua, tantò aqua est grauior aëre, & aër igne.

11. Secunda consequentia probatur ex duobus, primò ex dicto Aristotelis, vbi vult quòd ex vno pugillo terræ possunt fieri decem aquæ, & ex vno aquæ decem aëris, & sic conformiter in alio. Secundò ex dictis illius *in isto primo*, vbi vult quòd in eadem proportione se habet totus aër ad totam aquam, quemadmodum se habet proportio aëris facta ex proportione aquæ. Et sunt verba ista; *Necesse autem eandem rationem habere, quantam habet tantilla, & parua ad factum ex ipsa aërem, & totus ad totam aquam.* Istis suppositis, patet quòd elementa se habent ad inuicem in proportione decupla; nam eadem est proportio elementorum & partium illorum, cùm ex inuicem generantur, sed illarum partium est proportio decupla; igitur, &c.

Secundò confirmatur persuasione, quia in eadem proportione se habent, vel habere debent elementa generabilium, in qua se habent numeri, quibus numeramus tanquam principiis in omni idiomate, sed illi numeri se habent secundùm decuplam proportionem; igitur, &c. Maior patet, quia sicut quatuor elementa sunt principia generabilium, & corruptibilium, ita illi numeri sunt principia aliorum numerorum. Et minor apparet, nam illi numeri sunt decem, centum, mille, & sic procedendo secundùm decuplam proportionem, & omnes alij numeri componuntur ex istis.

12. *Obiectio contra 4. concl.* Contra quartam conclusionem arguitur, quòd sursum & deorsum sunt loca contraria grauium, & leuium; igitur signato medio puncto inter ista duo loca, quidquid est superius erit leue, & quidquid inferius graue; igitur elementa grauia sunt æqualis spissitudinis cum elementis leuibus.

Similiter probatur quòd eadem sit spissitudo terræ, & aquæ, signato medio puncto inter centrum terræ, & medium punctum priùs assignatum. Et ex isto sequitur quòd si diametrum terræ assignetur sicut vnum aggregatum ex diametro terræ & aquæ, & vt duo, quæ est proportio dupla, & tum proportio sphærarum sit sicut diametrorum proportio triplicata, & dupla triplicata est octupla, sequitur quòd aggregatum ex sphæra aquæ, & sphæra terræ se habebit in octupla proportione respectu sphæræ terræ tantùm.

13. Secundò arguitur contra conclusionem, quia ibi supponitur ab Astrologis demonstratum, quòd sphæra generabilium, & corruptibilium continet sphæram terræ plus quàm tribus mille vicibus, modò hoc ego nego, quia hoc non demonstrat, nisi capiatur tota sphæra generabilium pro distantia, quæ est inter glob[illegible] corporis Lunæ, & centrum terræ; modò non est probatum, quantum globus ille situatur profundè infra sphæram suam, ita quòd sphæra e[illegible]us descendat citra globum per magnam partem.

Ad 1. Ad primam, ista ratio soluetur in vltimo articulo. *Ad 2.* Ad aliam nego ambas conclusiones. Ad probationem primò dico, quòd non est verisimile, cù quòd experientia, & ratio efficax est ad oppositum. Ad secundam, *in eadem proportione*, &c. negatur maior, quia quamuis ex proportione terræ fiat proportio aquæ maior quàm sit ista proportio terræ, tamen hoc non obstante tota sphæra aquæ est minor sphæra terræ, vt posteà probabitur.

Ad 3. Ad tertiam, negatur quod grauitas & leuitas istorum elementorum sunt proportionales, nam in multò maiori proportione terra est grauior & densior aqua, & aqua quàm ignis, & ignis leuior & rarior aëre, quod probatur ex duobus, primò quia prope superiorem regionem aëris ignis venit vniter difformis in raritate, & taliter vsque ad sphæram aëris; igitur ibi inter aër[illegible] & ignem modica est diuersitas, vel difformit[illegible]s. Secundò patet per experientiam, hîc inferiu[illegible], nam videmus in furno vbi sunt vitra, qu[illegible] modica est differentia inter aërem, & ignem v[illegible] liquefiunt vitra.

14. *Ad 1 rationem 2 concl.* Tunc ad rationes secundæ conclusion[illegible] præsupponitur, &c. negatur suppositum, imò est falsum, & demonstratio ad oppositum, v[illegible]tem ratio efficax, nec Aristoteles dixit, n[illegible] reprehenderet antiquos.

De secundo suppo[illegible], dico quòd ne[c] est expertum, nec bene probatum quòd ex vno pugillo terræ fiant decem aquæ, & dato quòd [i]ta esset, non oporteret eandem esse proportionem totius ad totum, & partis ad partem.

Ad 2. Ad secundam neganda est similitudo q[illegible] ita consimiliter agerent, quòd sicut totu[illegible] cumueoit totum aërem, & aër totam aquam, ita videtur quòd aqua circumueni[illegible] terram, modò certum est hoc esse falsum.

Ad rationem contra 4. conclus. Ad rationem contra quartam cum dicitur, *signetur medium punctum semidiametri*, &c. dico quòd iste punctus non diuidit grauia a leuibus, nec hoc apparet, sed punctus diuidens grauia à leuibus est multò propinquior terræ ce[n]tro, quàm circumferentiæ cæli. Ad aliam dic[o] q[uò]d, ista demonstratio tenet, præsupposito quòd globus Lunæ tangat sphæram generabilium & corruptibilium, cùm fuerit ex pane inferiori sui Epicycli, seu eum fuerit maximè prope terram.

ARTICVLVS III.

De proportionalitate elementorum.

15. DE tertio est opinio Thomæ Br[illegible] *cap. vlt. tract. de proportionib.* qui [illegible] ponit quòd elementa sunt ad inuicem continuè proportionalia. Hoc supposito, capit totum diametrum sphæræ generabilium & corruptibilium, quæ se habent ad semidiametrum terræ, sicut 33. ad vnum, & tunc illum [illegible]rum diuidit in quatuor numeros continuè proportionales, quorum primus est semidiametrum terræ; secundus

ſemidiametrum aquæ, tertius ſemidiametrum aëris, quartus ſemidiametrum ignis: & quia eadem eſt proportio ſemidiametrorum totalium, ideò triplicata proportione ſemidiametrorum totalium habetur proportio ſphærarum, & per illam concluſionem proportio ſphærarum eſt diametrorum proportio triplicata, & ſecundum ipſam illi quatuor termini continuè proportionabiles ſunt, 31. 30. 80. 89. 35. millia 90c. & 83.

16. *Elementa nō ſunt cõtinuè proportionabilia.* Sed iſta opinio eſt falſa, vt patebit ex quæſtione, ideò ſequitur concluſio iſta, quòd elementa non ſunt continuè proportionalia. Probatur, quia ſi ita eſſet, ſequeretur quòd vnum elementum non poſſet augmentari reliquo non augmentato. Conſequentia tenet, nam dato quòd vnum augmentaretur, & reliquum non; amplius non eſſent proportionalia continuè: ſed falſitas conſequentis probatur, primò, quia voluntarie poteſt intendi calor per combuſtionem, & per conſequens augmentari poteſt ignis, reliquis elementis frigidis remanentibus, vt priùs. Secundò patet falſitas quia quandoque multa aſtra frigefacta ad inuicem coniunguntur; igitur pro eodem tempore maior eſt frigiditas in iſtis inferioribus, quàm alio tempore, & per conſequens plus de elemento frigido. Tertiò patet, quia quando Sol eſt propinquior ad terram, tunc eſt plus de elementis calidis, eò quòd Sol eſt productiuus caloris; modò in hyeme eſt Sol propinquior ad terram per Aſtrologos; igitur tunc eſt maior caliditas, quamuis non ſentiatur.

17. Secundò arguitur ad concluſionem, aqua eſt minor terra; igitur elementa, &c. Conſequentia tenet, quia ſi eſſent continuè proportionalia, tunc quantò ignis eſſet maior aëre, aër maior aqua, & aqua terra. Antecedens probatur, quia aqua & terra non ſimul cauſant maiorem vmbram, quàm terra ſe ſola cauſaret: igitur aqua non eſt maior terra. Conſequentia tenet, quia à maiori corpore cauſaretur maior vmbra. Et antecedens patet, quia per demonſtrationes Aſtrologicas poteſt ſciri quantitas diametri Solis, & diſtantia terræ à Sole; igitur poteſt inueniri quantitas diametri vmbræ cauſatæ in loco Lunæ in eclipſi, & per alias demonſtrationes poſſit ſciri quantitas vmbræ de facto cauſatæ ab aqua & terra ſimul in eclipſi Lunæ, & inuenietur quòd vmbra vna non eſt multo maior aliâ. Tertiò, nam ſequeretur quòd tota terra eſſet ſubmerſa. Conſequens eſt contra experientiam. Probatur conſequentia, quia ſi imaginaretur terram eſſe extra locum ſuum, & aquam eſſe in centro, tunc ſi terra deſcenderet, antequam centrum eius fieret centrum mundi, ipſa tota eſſet ſubmerſa, cùm aqua ſit maior ea, & de facto non minùs ſubmergeretur, cùm aqua non ſit minor quàm tunc eſſet.

Sed poſſit dici, quòd terra ponitur quaſi ſub vna parte centri mundi, & aqua ſibi contra ponderat ab alia parte.

Sed contrà, quia ſi ſic, ſequeretur quòd mare continuè profundaretur à terra. Conſequens eſt falſum, vt patet per experientiam. Secundò, quia terra naturaliter nata eſt eſſe ſub aqua; igitur aqua non contra ponderat ſibi ab oppoſita parte.

Tertiò, quia aggregatum ex terra & aqua non eſſet ſphæricum, conſequens falſum, quia eius vmbra eſt ſphærica vt patet in eclipſi. Et patet conſequentia poſtquam aqua eſſet maior, & aliqua pars terræ eleuaretur. Et hoc de tertio.

ARTICVLVS IV.

Dato quòd elementa eſſent inæqualia, qualiter poſſunt conſeruari ne vnum corrumpatur.

DE quarto, dico quòd dupliciter poteſt induci quòd elementa non corrumpunt ſeipſa inuicem, dato quòd ſint inæqualia. Primò, ſic, & ſit concluſio iſta, quòd non quodlibet agens in aliquod paſſum agit ſecundùm quamlibet partem ſui in profundo. Probatur, quia ſi ita eſſet, ſequitur quòd minima ſcintilla aëris poſſit agere in quamcunque diſtantiam. Conſequens eſt impoſſibile, quia tunc maius & fortius agens non poſſit ad maiorem diſtantiam agere, quàm minus. Probatur conſequentia, quia aër exalterat, igitur cùm agat ſecundùm quamlibet partem in profundo, ſequitur quòd pars aëris adhuc ad Romam * alterat ane, cùm partes illæ ſunt in profundo aëris 18. *Prima via.* ** Locus obſcurus, videtur aliquid deeſſe.*

Secunda concluſio eſt, quòd cuiuſlibet agentis aliquæ partes agunt ſecundùm profundum. Probatur per experientiam, nam videmus quòd ignis aliquantæ ſpiſſitudinis agit intenſiorem calorem, quàm ignis ſibi æqualis ſecundùm longitudinem, & latitudinem, cum minori tamen ſpiſſitudine. Ex iſto ſequitur quòd cùm aliquæ partes aëris in profundo agunt, & non quælibet, ſequitur quòd longitudo paſſi menſurat, & maximam partem agentis, quæ ſecundùm ſe, & quamlibet ſui agit in paſſum, & minimam quæ non.

Secundò ſequitur, dato quòd ignis excedat alia elementa, & ſit ſufficienter applicatus eis, non propter hoc ipſa corrumperet. Patet, quia non agit ſecundùm omnes partes ſui, ſed ſolùm ſecundùm aliquas approximatas paſſo, quæ ſunt maioris potentiæ, quàm paſſum ſit reſiſteotiæ.

Alia via indocendi eſt per conſequentia, ſupponitur primò, quòd quodlibet elementum determinat ſibi certum gradum raritatis, vel denſitatis, quem naturaliter non poteſt tranſgredi, non poteſt naturaliter, nec violenter, niſi corrumpatur. Secundò, ſupponitur quòd tota ſphæra generabilium, & corruptibilium replet locum inter orbem Lunæ, & centrum terræ, nec poteſt replere maiorem, nec minorem; tunc ex iſtis ſequeretur quòd ſi vnum elementum rarefieret, oporteret ipſum, vel adiunctum condenſari. 19. *Secunda via*

Tunc ponitur iſta concluſio, quòd ſi ignis debet generare ignem ex aliis elementis, generatio illius non poteſt fieri, niſi vſque ad determinatam quantitatem. Probatur, quia ignis requirit maiorem locum, quàm elementum ex quo generatur, & cùm locus non poteſt maiorari, ſequitur quòd nec ignis quantumlibet generari; imò per talem generationem tandem condenſaretur, & tenderet ad *non eſſe*, ſeu ad corruptionem

nem ſui, & ex iſto ſequeretur quòd tantum de igne poſſet generari ab aliis elementis, quòd ignis non poſſet plus generari. Probatur, quia ignis non poteſt ex aliis elementis generari, niſi facta condenſatione violenta, modò ipſa non poteſt fieri quantumlibet.

Secundò ſequitur quòd ignis poſſit eſſe in tantum augmentatus, quòd non poteſt comburere ſtupam appropinquatam ſibi. Probatur, quia condenſato igne, quantum poſſibile eſt præter eius corruptionem, & etiam aliis elementis, quæro, ſi ſtupa combureretur, vel ignis genitus ex ipſa tantum occupat locum per ſe, quantum antea, vel maiorem? Non tantum, quia ignis requirit maiorem extenſionem quàm ſtupa; nec maiorem, quia tunc alibi ignis condenſaretur, quod eſt falſum, quia ignis in tantum eſt condenſatus, quantum naturaliter, vel violenter poſſet condenſari. Et ex iſta ſolutione intelligitur ratio prima facta in ſecunda parte quæſtionis, quia dato quòd vnum elementum, ſicut ignis; excedat alia, tum non habet locum, in quo alia poſſunt recipi, ſed ipſa conuertet in ſuam naturam.

Rationes ſoluuntur hinc inde per dicta.

Quæstio XIV.

Utrùm impreſſionum ignitarum exhalatio calida & ſicca, ſit materia?

I. *Arg. primũ.* Arguitur quòd non; quia ſi ita eſſet, ſequeretur quòd omnes impreſſiones igniæ mouerentur ſurſum: conſequens contra experientiam; nam aliquas videmus moueri ſurſum, & alias deorſum, vt ſtellas cadentes; & quædam mouentur lateraliter, vt patet de materia ſtellæ comatæ, quæ multoties experta eſt cadere deorſum. Probatur conſequentia, nam exhalatio calida & ſicca, cùm ſit leuis tendit ſurſum.

Secundum. Secundò, quia illud non eſt materia impreſſionum ignitarum, quod non eſt faciliter inflammabile; ſed exhalatio non eſt, &c. Maior patet, quia huiuſmodi impreſſiones generantur per inflammationem. Et antecedens apparet, nam ad inflammationem requiritur humiditas; modò talis exhalatio non eſt humida, quia ſi ſic, ſimul eſſent humida, & ſicca.

Tertium. Tertiò, quia ſtella comata & Galaxia ſunt impreſſiones igniæ, & ipſarum non eſt materia exhalatio; igitur, &c. Maior patet, de ipſis determinat Ariſtoteles tanquam de impreſſionibus ignitis. Et minor patet, nam Galaxia eſt de natura cæli, prout patet per Ariſtotelem in antiqua tranſlatione, & etiam ſtella comata, quæ mouetur ad motum cæli.

Quartum. Quartò, ſi ita eſſet, ſequeretur quòd omnes impreſſiones igniæ eſſent eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & quòd fierent iiſdem temporibus. Conſequens eſt contra experientiam, quia videmus quòd ſemper eſt Galaxia, rarò ſtella comata, quandoque ſtellæ cadentes, & quandoque non; ſed primum conſequens poteſt eſſe falſum, nam plus differunt ſtella comata & ſtella cadens, quàm duæ comatæ differunt, quòd duæ comatæ differunt numero; igitur illæ plus differunt quàm numero, & per conſequens ſpecie. Probatur conſequentia, quia cùm omnium impreſſionum ignitarum ſit eadem materia, ſcilicet exhalatio & idem efficiens, ſcilicet inflammatio, ſequitur quòd effectus erit vnus, ſaltem in ſpecie.

Quintum. Quintò, ſequeretur quòd in æſtate citiùs fierent impreſſiones igniæ, quàm aliis temporibus: conſequens eſt falſum, & contra experientiam, imò potiùs fiunt in Autumno. Probatur conſequentia, quia tempus tunc eſt magis calidum & ſiccum.

Sextum. Sextò, auctoritate Senecæ, quam allegat Albertus *ſuper iſto primo*, qui dicit quòd ex confricatione aëris poteſt generari impreſſio ignita, & per conſequens iſtius non poteſt eſſe materia calida exhalatio, & ſicca, imò materia eſt aër.

Oppoſi. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo.

2 *Exhalatio quid.* Pro quæſtione, ſciendum primò, quòd exhalatio eſt fumus eleuatus à terra per actionem Solis, & aliarum calefacientium ſtellarum propter mixta perfecta, calidus & ſiccus leuis, rarus, tenax, ſubtilis, & quodammodo inuiſibilis. Per hoc quod dicitur, *fumus eleuatus a terra*; tangitur eius cauſa materialis. Propter quod ſciendum eſt, quòd terra hic circa nos non eſt purè ſimplex; imò eſt quodammodo commixta aqua pluuiali, & quibuſdam mixtis, & eſt quodammodo poroſa, ideò ipſam poſſunt intrare fumi calidi, ſicut in hyeme & frigida æſtate. Et propter hoc quòd iſta terra non eſt ſimplex, dicit Seneca quòd iſta terra habet tres cruſtas à circumferentia ad centrum, quarum prima eſt commixta aqua pluuiali; ſecunda eſt commixta mineralibus quæ generantur, & tertia eſt pura de ibi vſque ad centrum. Sed per hoc quod dicitur quòd *per calefactionem Solis*; tangitur cauſa efficiens exhalationis. Propterea ſciendum, quòd quandoque exhalatio illa eleuatur per calefactionem Solis mediante lumine, & quandoque aliter, nam infra terram includitur fumus calidus, qui calefacit, rarefacit, & leuefacit terram, & ex hoc generantur alij fumi, & tunc illi coniungentes ſe ad inuicem propter ſimilitudinem ad modum guttulatum; tandem iſti fumi in magna quantitate exiſtunt, & eſt exhalatio calida & ſicca.

Sed propter hoc quod dicitur, *propter mixta perfecta*, tangitur cauſa finalis iſtarum impreſſionum; nam omnes impreſſiones, vel actio[illegible], tam elementorum, quàm mixtorum imperfectorum, ſunt propter mixta perfecta. Sed per alias particulas ſequentes tanguntur qualitates, & diſpoſitiones exhalationis.

3. *Eius materia.* Secundò ſciendum, quòd exhalationis calidæ & ſiccæ quædam eſt materia vnctuoſa, quædam non, vt materia venti. Vbi ſciendum quod exhalatio calida & ſicca vnctuoſa differt à non vnctuoſa. Et à vapore aqueo in [illegible], quòd altiùs aſcendit. Et aſſignat Albertus *iſto primo*. quatuor cauſas, quare altiùs aſcendit quàm vapor. *Cur altius aſcendat quàm vapor.* Prima eſt, quòd quamuis talis exhalatio terreſtris ſit groſſa, & materiæ ſubtilabilis, tamen recipit calorem in materia illa, quæ eſt vnctuoſa, & faci-

litèr

liter inflammabilis in materia impressionum ignitarum, sed aliter est de vapore, cum materia sit magis subtilis. Modò illud quod in se habet maiorem vnctuositatem cæteris paribus, altius potest ascendere.

Secunda causa, quia exhalatio ratione suæ compactiuitatis est magis retentiua caloris, quàm vapor, cùm vapor sit minùs compactus; modò quantò aliquid diutiùs retinet calorem, tantò diutiùs potest ascendere, & per consequens altiùs.

Tertia causa, quia exhalatio habet duas qualitates symbolas cum igne, qui habet altissimè ascendere, scilicet caliditatem, & siccitatem ab illo, à quo eleuatur; sed vapor habet vnam solam qualitatem symbolam, paruam caliditatem.

Quarta causa est, quia vapor, quamuis sit materia magis subtilis, tamen faciliter est resolubilis à modico calore, propter sui subtilitatem, & faciliter est congelabilis à modico frigore; ideò antequam perueniat ad locum superioris regionis aëris, resoluitur per calorem Solis, vel congelatur in aquam per frigiditatem; non tamen est sic de exhalatione.

4. *Obiectio.* Et si obiiciatur, quia videmus quòd in istis inferioribus ita diu durat ignis, quamdiu durat humidum in quod agit; igitur cùm vapor sit humidus, & exhalatio non, sequitur quòd calor diutiùs potest permanere in vapore, quàm in exhalatione, & per consequens vapor altiùs ascenderet.

Solutio. Ad istud dico quòd quamuis vapor sit magis humidus, tamen propter sui subtilitatem est faciliùs resolubilis in aërem, vel congelabilis in aquam; ideò non oportet quòd diutiùs retineat calorem. Similiter dico quòd exhalatio non caret tali humiditate, nam cùm sit quodammodo tenax, est ibi humiditas continuans partes, & ideò terra puta si per se esset, caderet in puluerem.

5. Tertiò notandum, quòd impressiones ignitæ, quæ generantur ex exhalatione calida & sicca vnctuosa, sunt stellæ comatæ, stellæ cadentes, capræ saltantes, hiatus, voragines, quæ fiunt per inflammationem, & etiam coruscationes in nubibus; & istæ impressiones differunt quoad loca, in quibus generantur, nam si eleuetur exhalatio prope ignem in superiori regione aëris in magna multitudine, tunc fit stella comata; sed si eleuetur per se vsque ad inferiorem partem superioris regionis, tunc generantur inde stellæ cadentes, capræ saltantes; sed si non eleuetur vltra mediam regionem, sed in media regione includatur inibi tunc fiunt coruscationes. Patet igitur ex istis quid sit exhalatio, qualis sit, quæ sint causæ & effectus ipsius, & quomodo differt à vapore, quantum ad hoc quòd altiùs ascendat quàm vapor. Tunc ponuntur conclusiones.

Conclusio 1. Impressio ignita vnde generetur. Prima est, quòd per solam confricationem partium aëris non potest generari impressio ignita. Probatur, quia nulla impressio ignita potest generari sine inflammatione, sed per solam confricationem aëris non potest fieri inflammatio; igitur, &c. Maior patet per Aristotelem in hoc primo, vbi vult quòd omnes impressiones ignitæ fiunt per inflammationem. Et minor patet, quia inflammatio non fit sine materia grossiori quàm sit aër, & etiam qualiter vnctuosus; modò aër non est vnctuosus.

Secunda conclusio est, quòd omnium impressionum ignitarum materia est exhalatio calida & sicca vnctuosa. *Conclusio 2.* Probatur, quia omnium impressionum ignitarum est illud materia, quod est citò inflammabile; sed exhalatio vnctuosa est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia istæ inflammationes fiunt per inflammationem. & minor apparet, quia inflammatio immediatè sequitur vnctuositatem digestam cum quadam siccitate.

Sed dubitatur, vtrùm in exhalationem introducatur noua forma substantialis cùm eleuetur à terra, vel non? si sic, quare plus denominatur de natura terræ, quàm alterius elementi? 7. *Dubium 1.*

Ad istud dico quòd non est necessarium quòd noua forma substantialis introducatur in exhalationē, quia si semper noua forma introduceretur, tunc ex terra non posset fieri immediatè ignis, vel saltem ignis staret sub maiori densitate, quàm sit densitas aquæ vel aëris, & istud habet videri 2. *de Generatione.* *Responsio.*

Secundò dico quòd quandoque in illam exhalationem introducitur noua forma, scilicet mixta imperfecta, & tunc denominatur de natura terræ, propter qualitatem symbolam, quam habet cum terra, & propter eius resolutionem ab ipsa.

Secundò dubitatur, vtrùm exhalatio possit eleuari ab aqua? Ad hoc dicitur quòd non, nisi aqua illa fuerit multum grossa, & admixta terrestreitati. *Dubium 2.* *Solutio.*

Tertiò dubitatur, vtrùm exhalatio possit terminare visum? *Dubium 3.*

Ad illud dicitur, quòd exhalatio non inflammata non potest terminare visum, nisi fuerit valde multa in spissitudine, sed cùm fuerit inflammata benè potest. Ex hoc patet quòd rarius terminat visum, cùm densius non sufficit, quia per inflammationem efficitur rarior, & causa communiter non est alia, nisi inflammatio, quia de natura lucis est visum terminare. *Solutio.*

Ad rationes. Ad primam, *sequeretur*, &c. Negatur consequentia, quia quandoque materia illa leuis deorsum potest pelli à frigiditate, vt postea patebit. 8. *Ad argum. 1. principale.*

Ad secundam, dico quòd exhalatio vnctuosa est faciliter inflammabilis, & illa est materia impressionum ignitarum. *Ad 2.*

Ad tertiam, de comata & Galaxia, posteà videbitur. *Ad 3.*

Ad quartam, vtrùm sint eiusdem speciei, vel non, videbitur posteà, sed negatur consequentia, quòd deberent fieri iisdem temporibus, nam quandoque calor est ita paruus quòd non sufficiat exhalationem eleuare ad generationem quarundam impressionum, cùm tamen est sufficienter eleuata ad generationem aliarum, & etiam multæ aliæ causæ possunt non concurrere. *Ad 4.*

Ad quintam, negatur consequentia, quia quamuis plus de exhalatione eleuetur in æstate, tamen cum hoc plus consumitur. *Ad 5.*

Ad sextam, potest dici quòd Seneca intellexit, dato quòd aër fuerit vnctuosus, & aliqualiter inspissatus. *Ad 6.*

QVÆSTIO XV.

Utrùm omnes impreßiones ignitæ sint eiusdem speciei specialißimæ?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia ista sunt diuersarum specierum specialissimarum quæ habent operationes,& significationes diuersas; modò sic est de impressionibus igniris; igitur, &c. Maior patet, quia diuersitas operationum arguit diuersitatem formarum; nam operatio arguit formam: modò si sit ibi diuersitas formæ, cùm forma sit natura, sequitur quòd ibi sit diuersitas naturæ,& per consequens diuersitas specifica. Et minor apparet, nam stella comata signat mortem Principum,& aliæ impressiones ignitæ non.

Secundum. Secundò, illa quæ habent figuras naturales diuersas non sunt eiusdem speciei; sed impressiones, &c. Maior apparet inducendo in omnibus, nam illa quæ sunt eiusdem speciei determinant sibi consimilem figuram, sicut omnes homines; & alia quæ sunt diuersarum specierum determinant sibi diuersas figuras, vt nunquam canis habeat figuram hominis,nec equus. Et minor apparet, nam quædam sunt impressiones ignitæ oblongæ,vt dali †,& æges †, & quædam sphærica, vt stellæ comatæ,& huiusmodi.

† trabes. † capra.

Tertium. Tertiò, quia impressiones ignitæ solùm differunt accidentaliter, vel essentialiter; si accidentaliter solùm, tunc sequitur quòd de eis debent fieri diuersæ considerationes; si essentialiter,tunc sequitur quòd differunt specificè.

Quartum. Quartò, quia plus differunt ab inuicem stella comata, & area stipulæ ardentis, quàm duæ stellæ comatæ, sed duæ stellæ comatæ differunt numero,& per consequens differunt specie.

Quintum. Quintò, sequeretur quòd omnium impressionum ignitarum esset idem motus. Consequens est contra experientiam,nam quædam mouentur circulariter, quædam sursum, & quædam deorsum. Probatur consequentia,quia cùm omnium impressionum ignitarum eadem sit natura,& natura sit principium motus,sequeretur quòd omnium impressionum esset idem motus.

Sextum. Sextò, quia illa quæ sunt à materiis diuersis, & ab agentibus diuersis secundùm speciem differunt specificè; sed impressiones ignitæ sunt huiusmodi; igitur,&c. Maior patet, nam *idem inquantùm idem semper natum est facere idem*, & per consequens diuersum semper natum est facere diuersum. Similiter patet maior per Commentatorem 12. *Metaphysic.* vbi vult quòd si agens fuerit vnum,& materia vna,quod factum est erit vnum; igitur si agens fuerit diuersum, & materia diuersa, effectus est diuersus. Et minor patet, nam aliquæ istarum impressionum sunt à frigido propellente, & aliquæ à calido inflammante. Similiter aliquæ fiunt à materia grossa,& vnctuosa, & aliquæ fiunt à materia debili, & subtili.

2. *Opposit.* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, vbi vult quòd omnia ista idem sunt, & propter eandem causam fiunt, sed differunt per magis & minùs.

Impressiones ignitæ quæ. Pro quæstione est sciendum quòd impressiones ignitæ, de quibus loquimur in proposito, sunt stellæ comatæ, stellæ cadentes, capræ saliantes, dali, æges, area stipularum ardentium, coruscationes, fulmina, tonitrua, candelæ, & totiæ apparentes hic circa nos, & ista differunt ab inuicem secundùm magnitudinem, & paruitatem, secundùm durationem maiorem, & minorem, secundùm locum altiorem & bassiorem, in quo generantur; secundùm raritatem,& densitatem, luciditatem & tenebrositatem,& secundùm diuersitatem materiæ,ex qua fiunt.

Earum materia. Secundò sciendum ex præcedenti quæstione, quòd omnium istarum impressionum ignitarum materia est exhalatio calida & sicca, eleuata superiùs,qua inflammata per calorem,apparent istæ impressiones ignitæ.

3. *Modus generationis earũ in superiori regione aëris.* Tertiò sciendum est de modo generationis impressionum ignitarum in superiori parte superioris regionis aëris. Nam cùm exhalatio calida & sicca, eleuata ad istam partem aëris fuerit vnctuosa fortiter vnita sine difformitate in suis partibus,si inflammatur, apparet esse quædam stella, & dato quòd diu duret post inflammationem, non tamen possemus percipere, verùm sit stella cæli, vel de regione elementari, nisi per longas obseruationes, & aliquam difformitatem in motu. Sed aliquantisper materia ista vnctuosa, fortiter vnita, habet difformitatem in suis partibus, ita quòd aliqua pars eius vltrà extenditur, & tunc illa materia inflammata vocatur stella caudata,& sic illa materia fit aliqualiter difformis in partibus secundùm raritatem, & densitatem sine longâ extensione alicuius partis, tunc vocatur stella comata, eò quòd vna pars apparet magis clara,& alia minùs propinqua ad inuicem. Et istæ impressiones differunt ab inuicem secundùm magnitudinem, & paruitatem, secundùm colores, vt posteà parebit; & secundùm durabilitatem,nam aliquæ stellæ comatæ durant per e per duos dies, aliquæ per septem, aliquæ per sex menses.

4. *Modus generationis earũ super mediã regionẽ aëris.* Quartò, sciendum est de modo generationis impressionum ignitarum, quæ modicum durant, cuiusmodi sunt impressiones generatæ per motum super mediam regionem aëris; nam aliqua exhalatio calida & sicca est subtilis, & eleuabilis vsque ad inferiorem partem superioris regionis aëris,& ibi propter caliditatem aëris, vel propter motum ipsius inflammatur,& apparent istæ impressiones. Vnde materia est aliquantum congregata in vno globo magno,& amplo,qui simul incenditur in omnibus partibus eius,& tunc vocatur area stipulæ ardentis. Sed aliquantum materia illa est congregata in vno globo modico in vna parte medij,& in alio in alia parte; & sic de multis aliis globis, qui continuantur ad inuicem per modicam exhalationem subtilem intermediam Et tunc cùm vnus illorum globorum fuerit inflammatus apparet stella ardens, & inflammatio illa vadit continuè inflammando per illam exhalationem subtilem intermediam vsque ad alium globum,qui cùm fuerit inflammatus apparet alia stella,& sic consequenter, & tunc apparent multæ stellæ lucentes ad inuicem. Sed aliquando illa materia est dispersa in duobus globis per se, continuata per mediam valde subtilem, & tunc inflammato vno illorum globorum inflammatur media intermedia vsque ad reliquum, & tunc apparet stella moueri de loco ad locum,

locum, non transeundo per medium: sed quandoque materia est ita subtilis, quòd eius inflammatio non sufficit mouere visum, & tunc apparet stella illa moueri de loco ad locum non transeundo per medium. Aliquando autem materia est vniformiter dispersa secundùm longum, & quandoque secundùm sursum, & quandoque ad latus, & tunc apparet quasi lancea incensa.

Ex ista apparet causa quare tales impressiones apparent moueri, & in veritate non mouentur, quare aliquæ magis durent, & quare aliquæ minùs, & quare aliquæ sunt maiores, & aliquæ minores, & ita de aliis differentiis.

5. *Quomodo in media regione generetur.* Secundum notandum est de modo generationis impressionum ignitarum quæ fiunt in media regione, quæ sunt fulmen, tonitruum, & coruscationes, quæ generantur per hunc modum, nam exhalatio calida & sicca eleuata vsque ad mediam regionem aëris, cuius aliqua pars est vnctuosa, scilicet illa quæ est materia impressionum ignitarum, includitur in nube aquosa, & propter frigitatem nubis fortificatur illa exhalatio, & intenditur in suis qualitatibus in tantum quòd propter sui leuitatem mouetur hinc inde petendo exitum, & ex illo motu causatur sonus, qui dicitur tonitrus, & tandem illa exhalatio sic agitata infrà nubem propter fortificationem suarum qualitatum frangit nubem in parte inferiori, vbi est debilis, & ex tali violenta fractione pars illa vnctuosa inflammatur, cuius claritas est coruscatio, & residua pars propter sui sobtilitatem propellitur deorsum, & quandoque præ nimia calididitate incrematur illud super quod cadit, vt postea apparebit.

6. *Quomodo in inferiori regione.* Deinde sciendum de modo generationum impressionum ignitarum, quæ fiunt in inferiori regione aëris, & tales sunt duplices, nam quædam generantur immediatè sub media regione, vt satis propè; & aliæ hîc inferius circa nos. Modus generationis talium est iste, quia exhalatio calida & sicca, aliqualiter vnctuosa eleuata superius obuiat frigiditati mediæ regionis sibi contrariæ, à qua violenter propellitur deorsum, & ex tali propulsione violenta inferius exhalatio illa inflammatur, & quaodoque apparent impressiones ignitæ, quandoque stellæ cadentes, aliquando aliæ impressiones. Et ex isto reddit Aristoteles in quadam Epistola ad Alexandrum causam cuiusdam apparentiæ, quæ sibi contingebat in India: vnde Alexandro & exercitui suo apparebat, quòd ignis flueret super eos, tamen scintillæ ignis nō descendebant ita inferius, quòd eos attingebant. Causa erat, quia propter multitudinem hominum, & cadauerum, qui èrant in exercitu, multæ exhalationes pingues eleuabantur sursum, quæ obulantes frigiditati mediæ regionis iteratò propellebantur deorsum, & tunc per caliditatem aëris inferioris, & per velocitatem propulsus inflammabantur, & apparebat ignis descendere, & posteà antequam ignis ille veniret totaliter deorsum, pinguedo materiæ erat consumpta, & iterum per alias exhalationes eleuabatur sursum, & continuè quousque materia consumebatur; & ignis ille cadebat per scintillas, propter raritatem materiæ non poterat cadere tanta simul.

7. *Quomodo prope terrā.* Sed aliæ impressiones ignitæ, quæ generantur prope terram, fiunt per hunc modum; quia exhalatio calida & sicca eleuata à terra, cùm venerit ad aërem, naturaliter cadit, & velociter motum faciliter inflammatur, & ideò equitantibus in nocte circa cœmeteria, vel patibula apparent candelæ ardentes ipsos præcedere ad aures equi, quandoque apparent in temporis multæ tortæ illuminatæ, & hoc non est, nisi propter multitudinem exhalationis ibidem accensæ.

Ex istis apparet de modo generationis omnium impressionum ignitarum, & de causis diuersitatis ipsarum secundùm magnitudinem, & durationem, &c. Item, quòd aliquæ possunt dici eiusdem speciei specialissimæ, dupliciter: Vno modo, quia de eis verificatur vnus terminus specificus, sicut de Socrate & Platone verificatur iste terminus, *homo*. Alio modo, quia habente substantias consimiles, vel saltem sunt ferè consimiles.

Secundùm hoc ponitur ista concusio, quòd omnes impressiones ignitæ sunt eiusdem speciei specialissimæ. Et solùm loquor de impressionibus priùs dictis, quæ fiunt per inflammationem. Probatur, quia ista non fit, nec fieri potest ab aliquo agente, quin ab isto, vel à sibi simili, aliud possit fieri, vel sibi consimile; sed nulla impressio ignita potest fieri ab aliquo agente, saltem immediatè, quin ab illo agente, vel sibi consimili, quælibet alia impressio ignita possit fieri; igitur non sunt diuersarum specierum. Maior patet, quia hoc sufficit ad arguendam identitatem specificam. Et minor apparet, nam omnes illæ impressiones fiunt ab aliquo inflammante, siue sit motus, siue calor; similiter omnes fiunt ex consimili materia, scilicet ex exhalatione vnctuosa. 8. *Omnes impressiones ignita sunt eiusdem rationis.*

Secundò, quia quæ solùm differunt secundùm figuram, & magnitudinem, non differunt specie; sed istæ impressiones sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia corporibus homogeneis magnitudo, & figura non arguit diuersitatem specificam. Et minor apparet ex causis prædictis.

Sed dubitatur primò vtrùm istæ impressiones fiunt naturaliter? & videtur quòd non, quia non est naturale ignem generari à frigido; modò aliæ istarum impressionum fiunt à frigido, vt dictum est; igitur, &c. Secundò, quia contra naturam est vt gradus remissior producat intensiorem, scilicet calorem ignis: ergo non fiunt naturaliter. 9. *Dubium 1.*

Ad illud, dico, quòd istæ impressiones ignitæ fiunt naturaliter tam ex parte agentis vniuersalis, quàm ex parte particularis, eò quòd intendunt ipsas producere, & naturaliter agunt. Similiter dico, quòd fiunt naturaliter ex partè exhalationis, quantùm est ex inclinatione dispositionum naturalium exhalationis, sed violenter quantùm est ex inclinatione formæ substantialis exhalationis, sicut caliditas, siccitas, vnctuositas, inflammatio, quæ sunt dispositiones propinquissimè inclinatores ad generationem ignis. Causa secundi, quia nulla forma inclinatur naturaliter ad sui corruptionem. *Responsio.*

Ad argumenta. Ad primum, dico quòd ignis benè potest generari à frigido occasionaliter, eò quòd frigiditas potest esse occasio generationis caloris, vel motus, quam consequitur ignis. *Ad rationes.*

Ad secundum, concessum fuit aliàs quòd modico calore potest produci ignis, dum tamen materia fuerit in dispositione propinqua quantùm ad alias qualitates, sed posteà ignis productus intendit suum calorem proprium vsque ad

gradum, quem exigit in sua naturali dispositione ad modum, quo aqua alterat se ad frigiditatem cùm fuerit calefacta.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quarè stellæ cadentes mouentur localiter? Respondet Aristoteles quòd hoc est pro tanto, quia stella illa cùm sit leuis, inclinatur ad sursum, sed per frigiditatem mediæ regionis propellitur deorsum: modò per istas inclinationes contrarias non fit motus secundùm aliquam istarum totaliter, sed medio modo inter ipsas. Aliter fortè dicitur, quòd directè descendit deorsum, tum apparet sic lateraliter descendere, si fuerit alibi, quàm supra zenith capitis nostri.

Dubium 3. Tertiò dubitatur, vtrùm talis inflammatio, seu quælibet talis impressio combureret manum, vel *Responsio.* aliquid combustibile? Respondetur quòd sic de iis, quæ sunt in superiori, vel media regione aëris, & sic de illis quæ sunt in superiori parte inferioris regionis, sed de his quæ sunt hic, quasi circa nos, fortè non comburerent, nec sentirentur calores earum, quia non est expertum quòd plantæ, vel domus, vel aliqua huiusmodi fuissent combusta per ipsas.

11. Quartò dubitatur, ad quid valent istæ impres- *Dubium 4.* siones ignitæ, & ad quem finem ordinentur? *Responsio.* Respondetur, quòd ordinantur ad duo, scilicet ad generationem mixtorum perfectorum, nam ad hoc ordinantur omnes alterationes, omnes actiones tam elementorum, quàm mixtorum imperfectorum. Secundò, præualent ad præscientiam futurorum, nam quando super aliquam partem terræ apparet magnus concursus siderum volantium, signum est quod venti venient ab ista parte, tam in aqua quàm in terra. Similiter magnæ, & multæ impressiones, inflammationes, seu coruscationes, stellæ comatæ, & similia ostendunt siccitates, & mortalitates Principum: & dicit Seneca *de naturalibus quæstionibus*, quòd modica candela accensa, in malo nauis est signum serenitatis.

12. Ad rationes. Ad primam, *quia illa quæ habent* *Ad 1. argum. principale.* *diuersas significationes*, &c. Negatur maior, quia illa diuersitas significationis potest prouenire ex multitudine, & paucitate materiæ, & etiam ex diuersitate qualitatum.

Ad 2. Ad secundam, de figura, dicitur quòd in corporibus homogeneis figura non arguit diuersitatem specificam.

Ad 3. Ad tertiam, *vel differunt*, &c. dico quòd differunt accidentaliter, & negatur consequentia, quia de eis debet fieri diuersa terminatio ratione accidentium, & diuersarum opinionum, quæ ab eis proueniunt.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd non plus differunt essentialiter.

Ad 5. Ad quintam, concedo, nisi aliunde esset motus violentus, modò quandoque mouentur ab inclinatione naturali, & quandoque propelluntur à frigido.

Ad 6. Ad sextam, *quæ fiunt ex diuersis*, &c. Conceditur maior, si differunt specie, & negatur maior, quia materiæ istarum impressionum solùm differunt secundùm magis & minùs, & secundùm dispositiones qualitatiuas. Et sic est dictum ad quæstionem.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm de nocte serenitate existente appareant in cælo hiatus, voragines, & rubei colores?

ARGVITVR primò quòd non de nocte, quia visibile omne paruæ entitatis potiùs videtur de die, quàm nocte: 1. *Arg. primū.* modò hiatus & voragines sunt visibilia paruæ entitatis; igitur, &c. Maior patet, nam corpora atomalia non possunt de nocte videri, benè tamen videntur de die, & minor apparet per experientiam.

Secundò, color non potest videri sine lumine, *Secundum.* vt patet *secundo de Anima*; modò hiatus & voragines sunt colores, vel habentes colores; igitur non possunt videri sine lumine, ergo potiùs de die.

Tertiò probatur, quia non fit serenitate existente, *Tertium.* quia illud quod fit per refractionem à nube, non fit serenitate existente, sed hiatus, & voragines sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia nubes est priuatio serenitatis, quemadmodum silentium est priuatio soni, modò simul possunt stare nubes, & priuatio nubis. Et minor per Aristotelem in primo huius.

Quartò, arguitur quòd non apparent in cælo, *Quartum.* quia tunc visus deciperetur circa proprium obiectum; modò consequens est falsum, vt patet *secundo de Anima*. Consequentia tenet, talis enim hiatus non fit in cælo, sed in regione elementari; igitur, &c.

Quintò, arguitur quòd non apparent sanguinei coloris, *Quintum.* quia non est ratio quare ille color plus appareat, quàm viriditas.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto *Oppositum.* primo.

In ista quæstione, primò notanda sunt aliqua *Diuisio quæstionis.* de istis apparentiis. Secundò, dandæ sunt causæ illarum.

ARTICVLVS I.

Notanda de apparentiis.

QVantùm ad primum, notandum quòd duplex est color rubeus; quidam tendens ad 5. *Color rubeus duplex* albedinem, vel claritatem, & vocatur *puniceus*; alter tendens ad nigredinem & obscuritatem, & vocatur *purpureus*.

Secundò sciendum, quòd quando in plana superficie depinguntur duo colores, quorum vnus est clarior, & alter obscurior, tunc color obscurior apparet esse in profundo, & magis remotè, quàm color clarus, & ista superficies non apparet plana, sed eleuatior, vbi est color clarior. Et ideò pictores volentes pingere supereminentias, & concauitates, superiùs ponunt colores claros, vbi debet apparere concauitas, ponunt obscurum. Causa est, quia color talis magis mouet visum, cùm plus participet naturam lucis, & color obscurus minùs.

Tertiò est sciendum, quòd aliquando de no-

Cte

& videmus in cælo quandam apparentiam, quæ si sit tota rubea vocatur *hiatus*, sed si in medio fuerit nigredo, & in lateribus rubedo, tunc apparet vorago. Secundò videmus Solem, & stellas quandoque mutari de vno colore in alium, sicut dicit Albertus, & quandoque Luna apparet sanguinei coloris, sicut in eclipsi.

Quartò dicunt aliqui quòd auditus est sonus in aëre sine nube, & quandoque ac si esset vox audita de cælis. Istæ igitur sunt apparentiæ, quarum causas, & modum generationis inquirit quæstio præsens. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II

Causæ apparentiarum.

3. *Causa materialis apparentiarum.* DE secundo, dico quòd materialis causa huiusmodi apparentiarum potest esse duplex, scilicet vapor eleuatus ab istis inferioribus per actionem Solis vsque ad mediam regionem, mixtus aliqualiter exhalationi calidæ, & siccæ adustæ, & ibidem ingrossatus per frigiditatem mediæ regionis. Secunda causa materialis potest esse aër, nam superueniente frigiditate noctis aër quodammodo inspissatur, & ingrossatur in tantum, quòd sufficiat refrangere lumen, vel etiam reflectere. Et quòd aër potest sic inspissari demonstrat Albertus per quoddã experimentum, nam si capiatur vas vitreum, plenum aëre, & os eius ponatur in aqua, tunc de die apparent, vel videntur quædam ampullæ exire per aquam; sed de nocte apparet aër in quiete sine exitu alicuius talis ampullæ, quod non esset, nisi de die aër esset magis rarefactus, & de nocte ingrossatus. Et hoc de causa materiali.

Causa 3. efficiens. De causa efficiente, dico quòd ponitur esse triplex, nam est calor eleuans vaporem, vel exhalationem. Secundò est frigiditas condensans illum vaporem, & ingrossans. Sed tertia caosa est aliqua stella, vel aliquæ stellæ lucentes, quarum lux refrangitur in aliam materiam, & facit apparere talem colorem. Nam si materia fuerit rarior in lateribus, & spissior in medio, tunc materia illuminatur in illis lateribus, in medio non, & tunc apparet vorago; sed si materia fuerit vniformis, ita quòd lux vbique incorporetur, & reflectatur vniformiter, tunc apparet hiatus.

4. Sed quare magis apparet rubedo, dico quòd causa est, quia non solùm lux reflectitur ad illam materiam, imò cùm materia sit minùs densa nube, tunc in ipsa incorporatur lumen, ideò ex admixtione luminis tunc illa materia, quæ est terrestris, & adusta apparet color rubeus, nam in istis inferioribus videmus rubedinem generari ex terrestreitate, vel terrestri adusto commixto luci, vt patet de carbonibus ignitis.

Dubium 1. Responsio. Sed dubitatur primò vtrùm tales apparentiæ possunt causari à lumine Solis? Respondetur quòd sic, quia longo tempore post occasum Solis, & ante eius ortum Sol lucet in media regione aëris, vbi materia illa eleuatur, ex qua fiunt istæ apparentiæ. Imò etiam post occasum Solis Sol dum lucet in media regione aëris suprà cacumina montium.

Dubium 2. Responsio. Secundò dubitatur, quare tales apparentiæ citò disparent à visu? Dicit Aristoteles quòd causa est, qu[ia] mot[u]s [eo]rum causatum est valdè velox [sicut] motus stellæ, cuius stellæ lumen incorporatur in ill[a] materia.

Dubium 3. Responsio. [T]ertiò dubitatur, quare plus fiunt de nocte, & serenitate existente, quam alias: Cau[s]a pri[ma] est, quia luces maiores obfuscant minores, ideò de die non videmus stellas, modò lux diei est magna valde in comparatione ad lucem talis apparentiæ, & ideò dato quòd fiat in die, tum non appareret nobis. Causa [sec]undi est quia nubes impediret visionem talis apparentiæ vbi inest, tamen quò[d] quandoque fuerit ex[is]tente nube, tum nubes non est vndique includens illam materiam, ideò adhuc est aliqua [apparen]tias.

5. *Dubium 4. Solutio.* Similiter dubitatur, vtrùm ibi si[t] noua forma substantialis inducta, vel non? Respondetur quòd non, secundùm Aristotelem imò solum est apparentia quædam, sicut est in Iride facta per mixtionem, & incorporationem lucis ad opacum terrestre adustum, commistum aliqualiter vapori aquoso, vel ad aërem ingrossatum.

Ex istis potest elici causa, quare apparent sanguinei colores in cælo, & mutationes colorum in stellis, nam cùm nubes existens suprà ipsam fuerit fortis, tunc apparet color albus, cùm nubes fuerit admixta exhalationi siccæ terrestri, & adustæ, tunc per incorporationem lucis apparet color sanguineus, ita quòd si lux fuerit fortis, & materia adusta satis tenuis, tunc apparet color poniceus; sed si materia fuerit grossa, & lux aliqualiter debilis in comparatione ad materiam, tunc causatur color purpureus; quemadmodum videmus quòd Sol, vel aliud astrum visum per fumum apparet rubeum, & si fumus fuerit multum spissus, apparet astrum illud tendere ad nigredinem. Istæ igitur sunt causæ istarum secundùm Aristotelem, apparentiarum, quæ priùs numeratæ fuerunt.

Obiectio. Sed contra istum processum obiicitur quia imaginabile videtur quòd aliqua stella, vel aliqua res mundi ita velociter moueatur sicut hiatus, & voragines disparent à visu, non ideò non est verisimile quòd fiant per alterationem nubis à luce.

Responsio. Et propter istud tenent multi alij, quòd hiatus, & voragines fiunt per inflammationem, & tunc possunt elici ex præcedente quæstione, de sonis, qui audiuntur in aëre siue nube. Vnde tales soni sunt diuersi: nam quandoq; apparet ac si esset vox hominis, aliquando vt vox, vel vlulatus alterius animalis, & quandoque vt esset fragor arborum. Caosa est, quia in vapore aqueo subtili includitur exhalatio calida & sicca subtilis, quæ petit exitum ab isto vapore, & sicut videmus quòd causatur sonus, quando ferrum calidum submergitur in aquam, ita consimiliter in exitu exhalationis ex illo vapore causatur sonus; & diuersitas illius soni est diuersitas medij, sicut in alliis impressionibus.

Ad argum 1. principale. Per hoc ad rationes. Ad primam, verum est, nisi fuerit de se lucidum, & tunc permanet lumen, & benè potest tunc obscurari.

Ad 2. Ad secundam, dicitur eodem modo.

Ad 3. Ad tertiam, dico, quòd hiatus & vorago sunt ex materia subtiliori, quàm sit nubes. Et dato adhuc quòd sit nubes, benè possunt apparere talia, eò quòd locus apparitionis non est circundatus vndique nube.

Ad 4. Ad aliam, dicitur quòd apparent in cælo pro tanto, quia quando inter visum & aliquod visibile

bile ponitur aliud visibile directè, tum illud videtur cohærere alteri visibili, & causa est, quia distantia corporum non percipitur, nisi percipiendo situm corporum continuè ordinatorum inter ipsa: modò quando vnum corpus ponitur directè inter visum & aliud, non percipiuntur corpora intermedia continuè ordinata, ideo non est dicendum quòd non est conueniens visum decipi iudicando de situ.

Ad 5. Ad vltimum, dicendum quòd plus sanguineæ sunt huiusmodi apparentiæ propter adustionem.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm stella comata sit de natura cæli?

1. Arg. primũ. ARGVITVR quòd sic. Omne corpus simplex circulariter motum est de natura cæli, sed stella comata est huiusmodi; igitur, &c. quia aliter eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam. Et prima pars minoris patet, quia si stella comata esset corpus mixtum, tunc in ipso dominaretur terra, cùm in omni mixto dominetur terra, vt patet 4. huius; & per consequens stella comata descenderet deorsum, quod est contra experientiam. Item, si esset mixtum, cùm omne mixtum moueatur ad motum elementi dominantis in eo, sequitur quòd in stella comata dominatur terra, quod est impossibile. Secunda pars patet per experientiam.

Secundum. Secundò, nisi esset de natura cæli, sequeretur quòd non semper appareret secundùm formam stellæ. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia nihil apparet continuè secundùm formam stellæ, nisi sit de natura cæli.

Tertium. Tertiò, sequeretur quòd non semper appareret cum coma. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia postquam est de natura elementari, potest variari, sic quòd quandoque appareat cum coma, & quandoque sine coma.

Quartum. Quartò, si aliqua stella comata est de natura cæli, igitur & qualiber. Consequentia tenet, quia consimiliter arguit Aristoteles *secundo Cæli*, vbi dicit quòd si aliqua stella sit sphærica, sequitur quòd sphærica qualibet sit. Et antecedens patet per Philosophum in isto primo.

Quintum. Quintò, quia si non esset de natura cæli, tunc esset de natura inferioris, & maximè ignis. Consequens falsum. Consequentia tenet per Aristotelem in litera. Sed falsitas consequentis probatur, quia si esset de natura ignis, illa niteretur ascendere sursum, & non circulariter. Similiter si esset de natura ignis, ad modum flammæ, dimitteret post se quandam flammam ad modum candelæ, vt patet de candela per æstem, tunc flamma dimittit post se caudam.

Sextum. Sextò, quia impressiones illæ, quæ sunt de natura elementari, sunt modicæ durationis, & faciliter transmutabile de vna dispositione in aliam; sed sic non est de stella comata; igitur. &c. Maior patet inductione, nam nobes, pluuia, coruscatio, stellæ cadentes, & huiusmodi, sunt paruæ durationis, & etiam faciliter transmutantur. Et minor apparet, nam aliquæ stellæ comatæ durant per quinque menses vt vult Seneca in naturalibus quæstionibus. Et aliquæ per sex, vt vult Aristoteles *in isto primo*. Similiter stella comata non variatur faciliter, quia semper apparet in cauda, vel coma ad formam stellæ.

Septimum, quia stella comata non significat aliqua, quæ sunt solùm de propè ventura, sed quæ sunt ventura per longum tempus; igitur stella comata non est de natura elementari. Antecedens apparet, quia designat siccitates, sterilitates, & Principum mortalitates, & huiusmodi, quæ diu eueniunt, post eius apparentiam. Et consequentia tenet, quia sic signare est proprium stellarum cæli. Nam impressiones istæ de natura elementari vel designant nil, vel suum signatum est propè venturum, sic patet de densitate nubis, quæ signat pluuiam citò venturam. Septimum.

Oppositum vult Aristoteles in isto primo. Oppositum.

In ista quæstione primò recitandi sunt modi ponendi stellam comatam esse de naturam cæli. Secundò ponentur differentiæ cometarum, & respondebitur ad quæsitum.

ARTICVLVS I.

Recitantur varij modi ponendi stellam comatam esse de natura cæli.

VNa opinio ponit stellam comatam esse coniunctionem duorum planetarum, vel vnius planetæ cùm vna stella fixa, ita quòd illud aggregatum ex illis duobus apparet maius quàm alterum illorum apparet, & disgregatio luminis illorum planetarum est coma, vel cauda. 1. Opinio 1.

Contra illud arguitur primò, quia sequitur, quòd disparente stella comata apparent duæ stellæ ab inuicem separatæ; consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia facta coniunctione duarum stellarum apparent illæ duæ stellæ separatæ. Secundò, quia multoties visæ sunt coniunctiones, quando tamen non apparuit stella comata ita magna sicut illa, de qua loquitur Aristoteles in litera. Refellitur.

Tertiò, quia aggregatum ex omnibus planetis non posset apparere ita magnum præter Solem & Lunam.

Quartò, impossibile est aliquam coniunctionem per sex menses durare, tamen vt Seneca dicit *in naturalibus quæstionibus*, aliquando stellæ comatæ apparuerunt per sex menses.

Secunda opinio erat, quòd stella comata fuit aliquis planetarum, & coma eius fieret ex attractione humorum ab istis inferioribus, ad quem refrangeretur lumen illius planetæ, & ex hoc apparet coma, vel cauda. 3. Opinio 2.

Sed contra istud obiicitur, quia quandoque visæ sunt cometæ omnibus quinque planetis simul visis suprà horizontem. Impugnatur.

Secundò, si sic, tum stella comata quandoque appareret sine coma, quòd est contra experientiam.

Opinio 3. Tertia via, quia stella comata esset quædam stella de natura cæli, habens comã ex dispersione sui luminis, vel ex materia propria, quæ quandoque apparet, & quandoque non, propter hoc quòd in pluribus occultatur sub radiis Solis, & secundùm istos motus istius stellæ, aut motus

eius

eius nondum peruenit ad nos. Huius opinionis videtur esse Seneca *in naturalibus quæstionibus*.

Improbatur. Ista opinio improbabitur respondendo ad quæstionem.

4. *Opinio 4.* Quarta opinio est, quòd stella comata non fit naturaliter, sed Deus facit eam miraculosè ad designandam mortem alicuius Principis vel aliquam aliam mutationem, sicut apparet de stella comata, quæ apparuit de morte Christi.

Impugnatur. Sed contrà; Omnis effectus productus miraculosè à Deo producitur totus simul, & non pars post partem; sed stella comata successiuè producitur, & corrumpitur; igitur, &c.

Opinio 5. Quinta opinio, quòd stella comata sit de natura elementari, sed fit per hunc modum, quia ab istis inferioribus eleuatur quidã vapor aqueus vsque ad superiorem regionem aëris, supra quem vaporem inspissatum refranguntur radij Solis, & cùm vapor ille non sit simpliciter densus, aliqualiter incorporat lumen Solis, & apparet lucidus, & ille vapor lucidus est stella comata.

Reijcitur. Sed contra hoc arguitur, quia stella comata quandoque apparet in vmbra terræ, ergo non causatur ex refractione luminis Solis. Secundò, sequitur quòd coma, vel cauda stellæ comatæ semper apparet ad oppositum Solis. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia radij refracti in vapore refranguntur in oppositum Solis ad angulos æquales angulis incidentium radiorum.

5. *Opinio 6.* Sexta opinio est, quòd stella comata est quædam stella cæli visa per exhalationem grossam interpositam visui nostro, & astro; ex qua interpositione stella illa apparet maior; quemadmodum videmus quòd Sol & Luna apparent maiores in ortu, & occasu propter vapores interpositos.

Sed contra, tunc sequeretur quòd nunquam stella comata appareret habitantibus in diuersis climatibus. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia eadem exhalatio non potest poni inter visus habitantium in diuersis climatibus, & aliquod astrum.

Secundò sequeretur quòd non semper stella comata appareret habere eundem situm respectu cæli: consequens contra experientiam; vt patet in prioribus. Probatur consequentia, quia exhalatio ista per modum astri, vel modum exhalationis supponeretur alteri stellæ. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Ponuntur differentiæ Cometarum.

6. *Cometarum differentiæ.* QVantùm ad secundum, sciendum quòd multæ sunt differentiæ cometarum. Primò enim differunt magnitudine; nam quandoque apparuerunt aliquæ de magnitudine Solis, & Lunæ, & aliquando satis paruæ, & aliquando à difficili visibiles, propter paruitatem. Secundò differunt numero, quia quandoque apparent plures simul, sed vt in pluribus vna sola.

Tertiò differunt figurâ, nam quandoque apparent habere comam circumquaque, quandoque ad vnam partem tantùm, quæ si sit recta, & longata vocatur *stella caudata*, sed si sit à parte inferiori, *stella barbata*. Similiter quandoque est aliqua stella cæli, quam insequitur per attractionem vapor, vel exhalatio terrestris illuminatus, & ista stella cæli apparet *comata*.

Quartò, differunt colore, imò secundùm Senecam, sunt valdè dispares in colore, & ideò quædam sunt rubicundæ, quædam candidæ.

Quintò, differunt motu, & quiete, nam secundùm Senecam aliqua non mutat locum, & illa non potest esse caudata, sed comata; sed differunt secundùm motum, nam quædam mouentur ad Orientem, quædam ad Occidentem, & hoc de pluribus quædam transuertantur.

Sextò, differunt loco, quia quandoque aliquæ, & in pluribus apparent versùs Septentrionem, & prope viam lacteam, secundùm Senecam, & quandoque versùs Austrum, sed hoc est rarò; similiter quædam sunt eleuatiores à terra, & quædam propinquiores terræ.

Septimò, differunt tempore, quia quandoque aliquæ cometæ durant magis, quandoque minùs; vnde secundùm Philosophum, ad minus durat stella comata per septem dies, & ad maius per septemdecim, tamen secundùm Senecam, & Aristotelem, potest durare per sex menses.

Aliquæ differunt tempore, quia quandoque magnum tempus est antequam appareat aliqua stella comata, & aliquando intra duos dies apparet vna, vel plures.

Octauò differunt in significatione, & hoc videbitur in quæstione de signato stellæ comatæ.

Nonò differunt variatione, nam quædam continuè variantur, augendo, vel diminuendo, & quædam similiter manent vsquequo incipiant disparere.

Istæ igitur sunt differentiæ habitæ per experientias de cometis, quarum causæ postea videbuntur.

Tertiò est sciendum quòd stella comata vel potest considerari quantùm ad corpus stellæ, vel quantùm ad caudam, vel comam; modò possibile est aliquando quòd corpus stellæ comatæ sit de natura cæli, sicut dicit Aristoteles: sed hoc est valdè rarò, cauda tamen eius erit de natura elementari. 8.

Secundùm hoc ponitur ista conclusio, quòd stella comata non est de natura cæli. Probatur, quia si sic, sequeretur quòd stella comata esset perfectè sphærica: consequens est contra experientiam, quia semper apparet cum coma, vel cauda. Consequentia probatur, quia quælibet stella cæli est sphærica, vt patet *secundo Cæli*. *Stella comata non est de natura cæli.*

Secundò, si esset de natura cæli, sequeretur quòd semper vniformiter moueretur ad motum cæli: consequens est contra experientiam, vt dictum est. Probatur consequentia, quia in cælo non apparet variatio in motu, nec irregularitas. Sed posset responderi, quòd ista stella comata non esset aliquis planetarum, vel stella fixa, sed quædam alia stella habens motum valde diuersum, & nobis ignotum. Istud non valet, quia tunc non posset saluari qualiter simul possunt apparere plures stellæ comatæ.

Sequeretur tertiò, quòd nunquam dispareret stella comata, nisi per ingressum radiorum Solis. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia stellæ cæli non possunt alicubi disparere à visu nostro, quamdiu sunt super horizontem.

Quartò, nullum generabile, aut corruptibile,

le, augmentabile, aut diminuibile est de natura cæli; stella comata est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet 1. *Cæli*. Et minor apparet ad experientiam: videmus enim generari stellam comatam successiuè, & augeri per partem ante partem, dein continuè minorari, quousque ampliùs non appareat.

Quintò arguitur ex dubitatione, quia omnis stella est perpetua, sed stella comata oon.

9. Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam, *omne corpus simplex*, &c. Concedo maiotem, si mooeatur circulariter secundùm naturam; nego minotem, quoad vtramque partem. Primò, dico quòd stella comata non est corpus simplex, imò est quoddam mixtum imperfectum, nec in talibus oportet dominari terram. Similiter non mouetur circulariter secundùm naturam, sed ad motum aëris, in quo locatur, quemadmodum clauus in naui mouetur ad motum nauis.

Ad 2. Ad secundam, *sequeretur quòd semper*, &c. Concedo consequens, quòd noo semper apparet perfectè sphærica ad modum stellæ, sed cum coma, vel cauda.

Ad 3. Ad tertiam, *non semper*, &c. Dico quòd imò semper debet apparere cum coma & cauda, eò quòd materia illa noo potest esse ita perfectè sphærica, quin aliquæ partes teneant sphæricitatem, & tunc ibi apparebit coma, vel cauda: similiter dato quòd esset perfectè sphærica, adhuc in materia sua potest esse diuersitas in raritate, & densitate, & tunc apparet sine coma, vel cauda, sed tunc non ponimus differentiam inter illam stellam, & aliam.

Ad 4. Ad quartam, *aliqua stella*, &c. Negatur consequentia, quia sic argueretur, quòd aliqua stella de natura sua habet lumen.

Ad 5. Ad quintam, *maximè esset*, &c. Concedo, nec oportet propter hoc quòd ascendat, quia eius viscositas, & tenacitas impedit eius ascensum.

Ad 6. Ad sextam, dico quòd aliquæ sunt maioris durationis, & aliæ minoris secundùm fortitudinem materiæ maiorem, vel minorem, ex qua fiunt. Et similiter hoc non arguit quòd suot de natura cæli, quia ista, quæ sunt de natura cæli sunt simpliciter perpetua.

Ad 7. Ad septimam, de significatione stellæ comatæ dicetur aliàs.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm stella comata sit vapor terrenus?

1. Arg. primũ. ARGVITVR quòd oon, quia vel motus eius esset naturalis, vel violentus; non violentus, quia talis motus competit cuilibet eiusdem speciei cum stella comata. Similiter est vniformis, & quandoque velocior in fine, quod non posset esse nisi esset naturalis: non naturalis, quia nullum graue naturaliter mouetur motu circulari; modò stella comata est naturaliter grauis, cùm sit vapor terrenus. Similiter stella comata apparet moueri ad diuersas differentias positionis; modò nullum inanimatum potest ita mooeri naturaliter.

Secundum. Secundò, si sic, maximè tunc fieret in superiori regione aëris; modò consequens est falsum, quia materia ista transeundo per mediam regionem, vel propelleretur à frigiditate, vel congelaretur. Si sic, dato quòd transitet mediam regionem, tunc dissolueretur à superiori regione, propter caliditatem. Et patet coosequentia per Aristotelem in litera.

Tertium. Tertiò, quia materia, ex qua generaretur esset vel multa, vel pauca; non pauca, quia tunc statim consumeretur à caliditate continentis; nec multa, quia tunc totum intra modicum tempus incenderetur, sicut videmus hîc inferiùs, quòd multa combustibilia apposita igni comburerentur intra modicum tempus.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In ista quæstione primò videbitur de modo generationis cometæ. Secundò, de motu eius.

ARTICVLVS I.

De modo generationis cometæ.

AD primum, dimissis opinionibus de modo generatioois, restat opinio Aristotelis, quæ est ista, quòd ab istis inferioribus eleuatur multa exhalatio, terrestris, tenax, vnctuosa, & inflammabilis, vsque ad superiorem regiooem aëris, in quam agit calor ipsius superioris regionis, qui noo est multùm intensus, cum adiutorio corporis cœlestis, qui calor ipsam inflammat & apparet stella comata, & continuè oova exhalatio, scilicet consimilis, eleuatur sursum, & concurrit ad istam materiam accensam, vel per ascensum, vel per attractionem, sicut guttulæ aquæ circumquaque generatæ concurrunt ad principium fontis, & ex tali cootinuo ascensu exhalationis continuatur stella comata in durationem; & propter diuersitatem illius exhalationis secoodùm situm, vel secundùm raritatem, vel secundùm densitatem apparet cauda, vel coma. Quòd autem per istum modum generetur, signum est, eò quòd tempore apparitionis stellæ comatæ sunt multi venti, siccitates, sterilitates, impressiones ignitæ, quæ omnia ex consimili materia habent generari. 2. Quomodo cometa generetur.

Et ex isto modo generationis possunt dari causæ differentiarum, & apparentiarum, quæ fuerunt priùs enumeratæ. Nam diuersitas secundùm multitudinem prouenit ex hoc, quia aliqua materia eleuata est io diuersis partibus; sed dioersitas secundùm colorem prouenit, quia quando materia est fortis, spissa, & densa, tunc apparet rubicundus, sed cùm materia est subtilis, & tenuis, apparet albi coloris, & ita discurrendo per alias differentias, & apparentias, datur causa, propter diuersitatem materiæ, vel fortitudinem, vel debilitatem agentis. 3. Cometarum diuersitas.

Sed si stella comata sit de natura cæli, quantùm ad corpus stellæ, & eius cauda, vel coma sit de oatura elemeotari, tunc fit per hunc modum; quia aliqua stella fixa, vel erratica attrahit sibi ab istis ioferioribus talem exhalationem terrestrem, vsque ad superiorem regionem aëris, quæ propter nimiam remotionem à nobis apparet esse cootinua illi stellæ, quamuis io rei 4.

veri

veritate multùm diſtent; in quam exhalationem agit iſta ſtella alterando, donec incendatur, vel efficiatur luminoſa.

Ex iſto poteſt inferri, quòd ſi ſtella cæli, quæ videtur habere caudam, vel comam, ſit versùs Septentrionem, poſſibile eſt quòd illa moueatur ab Oriente in Occidenté ſiue ortu & occaſu, tamen cauda ſua orietur & occidet, ſicut poteſt demonſtrari in exemplo de nube, quæ ſupponitur alicui ſtellæ versùs Septentrionem, quæ nunquam oritur & occidit, & tamen nubes illa de facto occidit, & poteſt oriri.

5\. *Dubium 1. An cometa fieri poſſit in ſphæra ignis.* Sed dubitatur primò, verùm ſtella comata poſſit fieri in ſphæra ignis? Videtur quòd ſic, quia ſphæra ignis eſt valde intensè calida, potens faciliter incendere materiam inflammabilem: modò ſtella comata fit per inflammationem; igitur, &c. Secundo, quia in quolibet aliorum elementorum fit aliqua impreſſio, vt patet per experientiam; igitur conſimiliter in ſphæra ignis debet aliqua fieri, & non alia, quàm ſtella comata, cùm alia altiùs aſcendat; igitur, &c.

Solutio. Ad iſtud reſpondetur dicendo quòd non, & hoc duplici de cauſa; prima eſt, propter caliditatem iſtius ignis faciliter conſumeretur ipſa materia, ex qua deberet generari, imò materia totaliter diſſolueretur antequam perfectè intraret ſphæram ignis. Secunda eſt, quia propter raritatem, & nimiam ſubtilitatem ignis materia denſa, & quodammodo grauis, cuiuſmodi eſt materia ſtellæ comatæ, non poſſet in ipſo ſuſtentari, quin caderet deorſum.

Dubium 2. Cur apparet cum coma, vel cauda? Secundò dubitatur, quare ſtella comata ſemper apparet cum coma, vel cauda? Reſpondetur dupliciter, primò, quia ſi appareret ſine cauda, vel coma, tunc non poneremus differentiam inter ipſam, & vnam ſtellam de natura cæli, & ſic non iudicaremus eſſe de natura elementari. Secundò, quia ſemper, vel vt in pluribus eſt difformitas in partibus iſtius exhalationis, vel ſecundùm raritatem, vel denſitatem, & tunc apparet coma, vel barba, vel ſecundùm ſitum, ita vt vna pars materiæ protendatur extra alias, & tunc apparet cauda.

6\. *Dubium 3. Cur ſine figura ſphærica?* Tertiò dubitatur, quare ſemper apparet ſine figura ſphærica. Ad hoc dico quòd hoc eſt, quia materia propter ſui tenacitatem, & viſcoſitatem inclinatur vnire ſuas partes ad inuicem, & ipſas ſibi inuicem fortiter adiicere, & quamuis fortè quandoque ſit modica difformitas in lateribus, tamen illa propter nimiam diſtantiam non apparet nobis.

Dubium 4. Quartò dubitatur, quare in ſtella comata non apparet flamma aſcendere ad modum pyramidis, ſicut in candela aſcendit flamma, & videtur quòd ſic, quia ſemper partes materiæ leuiores inclinantur aſcendere.

Solutio. Reſpondetur quòd in rei veritate talis flamma aſcendit de ſtella comata, niſi quandoque impediat nimia tenacitas materiæ; ſed flamma illa non apparet nobis, eò quòd corpus cometæ ponitur inter nos, & ipſam.

Dubium 5. Quintò dubitatur, quare ſtella comata non dimittit caudam flammæ ſequentem ſe, quemadmodum candela mota per aërem habet flammam proiectam à parte poſteriori.

Reſponſio. Reſpondetur quòd cauſa eſt, quia ſtella comata non mouetur continuè diuidendo, ſed ad motum continentis, quemadmodum clauus mouetur ad motum nauis, cui infigitur, modò videmus ſi candela includatur in laterna, quantumcunque velociter moueatur laterna, candela non faceret flammam ſequentem.

Ex iſtis poteſt colligi definitio cometæ. *Cometa eſt vapor terrenus habens partes fortiter cohærentes eleuatus ad ſupremam regionem aeris, actus regnorum, & aliarum magnarum rerum alterationem ſignans in hoc mundo.* *Cometa quid?*

ARTICVLVS II.

De motu Cometæ.

Qvantùm ad ſecundum de motu ſtellæ comatæ, imaginantur aliqui quòd ſtella comata non mutat locum, ſed imaginantur quòd exhalatio eleuata ſuperiùs diſponatur continuè ab Oriente in Occidentem ad modum lineæ gyratiuæ, quia linea cùm fuerit flammata in vno extremo, vadit continuè inflammando, donec tota illa linea ſit conſumpta, tunc ceſſat apparere cometa. Et ſic patet quòd ſtella comata continuè mouetur, quamuis videatur oppoſitum, propter continuam inflammationem nouæ materiæ. 7. *Cometa quomodo moueatur.*

Sed contra iſtud obiicitur, primò, quia non videtur quomodo materia poteſt ſic diſponi in circuitu. *Obiectiones.*

Secundò, quia non apparet poſſibile quòd tanta materia poſſit eſſe continuè vniformis, cùm ſtella comata appareat eiuſdem magnitudinis donec incipiat diſparere.

Tertiò, ſi ſic, tunc longa portio vnius lineæ incenderetur, quod eſt contra experientiam.

Quartò, quia perfecta vna circulatione, per inflammationem tota materia debet eſſe conſumpta.

Iam de motu ipſius, ſciendum eſt primò, quòd triplex eſt motus, quidam naturalis, qui fit per inclinationem mobilis, & motus grauis deorſum; alter violentus. Sed tertius eſt præter naturam, vt motus ignis in concauo orbis Lunæ, ſcilicet, qui nec eſt per inclinationem mobilis, nec contra eius inclinationem. 8. *Motus triplex.*

Secundò eſt ſciendum, quòd quandoque motibus diuerſis viſa eſt ſtella comata moueri, motu diurno, ab Oriente in Occidentem, & ille motus eſt ad motum ſui continentis, ſcilicet ad motum ſuperioris regionis aëris, quæ trahitur motu diurno circa terram ab ipſo cælo; modò certum eſt quòd iſte motus ſtellæ comatæ nec eſt naturalis, nec violentus, ſed præter naturam.

Secundò, apparet ſtella comata moueri aſcendendo, & hoc poteſt prouenire altero quatuor modorum. Vno modo, quia ſtella comata trahitur, & tunc apparet eleuari à nobis. Alio modo, quia materia ſtellæ comatæ leuefit per caliditatem, vel in rei veritate ſecundùm inclinationem ſui aſcendit ſurſum, & iſto modo motus eius eſt naturalis.

Tertiò, quia ſtella, à qua materia comata eleuatur, fortificatur per aliquam conſtellationem, ideò ſufficit materia altiùs aſcendere. Quartò, quia iſta ſtella per quam eleuatur materia cometæ altiùs aſcendit in ſuo Epicyclo, ideò directiùs aſpicit materiam eleuatam, & fortiùs poteſt ipſam attrahere.

Quintò apparet moueri præcipitando motum diurnum, scilicet velociùs mouendo, quàm moueatur stella motu diurno, & aliquando tardiùs. Et hoc potest prouenire propter fluxibilitatem aëris continentis, qui præcipitat motum diurnum. Alio modo potest esse, quia fortè aliqua stella existens in medio cæli, trahit istam materiam, & posteà fortè versùs Occasum prouenit alia constellatio, quæ fortiùs sufficit attrahere, & tunc cometa velociùs mouetur ad Occasum.

Sextò apparet moueri de Septentrione in Austrum, & è contrà quandoque, & hoc fit per istum modum, quia materia cometæ attracta est per aliquam stellam existentem in Septentrione, & posteà in Austro superuenit constellatio fortior, & tunc cometa per fortitudinem tractus diuertit se à Septentrione ad Austrum.

Septimò apparet cometa moueri deorsum, & hoc est, vel quia materia augmentabatur, vel quia descendit propter grauitatem, vel quia defuit virtus attractiua.

Ex isto apparet quæ sit stella comata, quomodo generetur, & qui sit motus, & postea dicetur de eius significatione.

Rationes sunt solutæ per dicta; & sic finis quæstionis.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm stella comata significet mortem Principum?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non, quia non significat mortem pauperum; igitur nec Principum. Consequentia tenet, quia tam pauperes quàm Principes existentes in eadem regione, sunt sub eadem constellatione. Et antecedens patet, quia nullus posuit eam sic significare.

Secundum. Secundò, aliæ impressiones ignitæ non signant mortem Principum; ergo nec stella comata. Consequentia tenet, quia fiunt ex consimili materia. Et antecedens apparet ad experientiam.

Tertium. Tertiò, quia stella comata signat ventos, & siccitatem; igitur non significat mortem Principum. Consequentia tenet, quia vnius signi debet esse vnum signatum. Et antecedens apparet per Aristotelem in isto primo.

Quartum. Quartò, Galaxia non significat mortem Principum: ergo nec stella comata. Consequentia patet, quia sunt similis naturæ. Et antecedens apparet, quia si sic, semper morerentur Principes, quod est contra experientiam.

Quintum. Quintò, quia stella comata significaret mortem Principum, vel vt causa istius mortis, vel vt effectus ipsius, vel vt signum; non vt causa, quia tunc stellâ comatâ positâ poneretur mors Principum quod est contra experientiam. & patet consequentia, quia positâ causâ ponitur effectus. Similiter multæ sunt aliæ causæ mortis Principum, sicut corpora cœlestia. Nec sicut effectus, quia stella comata præcedit mortem Principum, & tamen effectus debet sequi suam causam. Nec sicut signum, quia mors Principum & stella comata in nullo conueniunt: ergo vnum non potest esse signum alterius.

Sextò, quia si cometa causata à stellis maleuolis esset signum, vel causa mortis Principum, sequeretur quod comata stella causata à stellis beneuolis esset signum, vel causa vitæ ipsorum, & per consequens non quælibet stella comata signabit mortem Principum. *Sextum.*

Oppositum arguitur authoritate Alberti super isto primo, & omnium Astrologorum. *Oppositum.*

In ista quæstione primò, signandæ sunt diuersitates cometarum. Et secundò, considerandæ sunt eorum significationes & causæ.

ARTICVLVS I.

Cometarum diuersitas assignatur.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd triplex assignatur diuersitas cometarum, primò, secundùm Albertum *super isto primo*, signatur diuersitas eorum ex parte materiæ; nam materia stellæ comatæ est valde subtilis, & tunc est vna species; vel multùm grossa, & tunc est alia; vel medium inter grossum & subtile, & tunc est tertia; vel medium inter grossum & primum medium, & tunc est quarta; vel medium inter subtile & primum medium, & tunc est quinta. 2. *Cometarum diuersitas triplex.*

Similiter assignat Albertus diuersitatem ex parte figuræ. Nam vel cometa habet caudam sursum, vel deorsum, vel ante, vel retrò, & sic fiunt diuersæ species. *Albertus.*

Quòd autem diuersitas cometarum sit sumenda penes diuersitatem materiæ probat Albertus, quia si non, tunc illa diuersitas maximè proueniret ex parte agentium planetarum, à quibus attrahetur illa materia. Consequens est falsum, quia tunc planetæ nunquam exeunt Zodiacum, ita nec cometæ fierent extra Zodiacum quod est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia diuersitas effectuum in istis inferioribus si non proueniat ex parte materiæ, maximè prouenit ex diuersitate planetarum. *Probat.*

Sed contra hoc arguitur, quia non videtur modus, per quem signaretur medium inter illud grossum, & subtile. 3. *Refellitur eius modus assignandi.*

Secundò, quia qua ratione tu assignares vnum medium inter duo extrema, eadem ratione inter duo media assignaretur, & sic in infinitum.

Tertiò, non apparet verisimile quòd tanta diuersitas, sicut prouenit à cometis, possit prouenire ex sola diuersitate materiæ, secundum raritatem, & densitatem.

Tunc ad rationem Alberti, si non hoc proueniret ex parte planetarum, concedo, nec valet consequentia vlterius, quia extra Zodiacum sunt stellæ fixæ, de natura planetarum, ideò secundùm quod materia cometæ attrahetur ab vno planetarum, vel alio, vel à stellâ fixâ de natura illius planetæ, tunc cometa denominatur ab illo planeta, de cuius natura erat stella fixa, a qua stella comata causabatur. Alio modo assignant Astrologi aliqui diuersitatem cometarum. scilicet quòd quidam est de natura Saturni, quidam de natura Iouis, quidam de natura Martis. Sed si obiicitur quòd Sol præ nimia sua caliditate potiùs habet consumere materiam cometæ. Respondetur quòd non oportet materiam eleuari à Sole ex qua generatur cometa de natura Solis, sed

sufficit

ſufficit quòd eleuetur ab aliqua ſtella fixa, quæ ſit de natura Solis.

4. *Alius modus.* Sed adhuc alij aſſignant diuerſitatem cometarum, præmittendo, quòd nullus cometa ſit de natura Solis, cuius eſt, quia Sol potiùs habet conſumere exhalationes, quàm ipſas conſeruare, vt inde generetur coma.

Secundò, quia nec aliquis cometa eſt de natura Lunæ, patet, quia Luna non habet commouere humiditates vnctuoſas, ex quibus natus eſt fieri cometa, ſed potiùs humiditates aqueas. Et ideò omnes cometæ ſunt de naturis aliorum quinque planetarum. Vnde de natura Saturni eſt vnus cometes aliqualiter nigri coloris, vel pallidi, cum quadam luce coniuncta, & eſt paruæ quantitatis, & iſte cometes inter omnia aſtra cæli, & omnes cometes eſt nigri coloris magis, & vocatur *cometa niger*. Sed Iouis ſunt duæ ſtellæ comatæ, quarum prima vocatur *argentea*, & habet colorem ſpiſſi argenti, & alia vocatur *roſea*, & eſt albi coloris. Sed de natura Martis ſunt quatuor cometæ, quorum primus vocatur *veru*, & eſt valdè horribilis in aſpectu. Secundus vocatur *pertica*. Tertius *teracula*. Quartus autem *matula rubea*. Et omnes iſti ſunt rubicundi coloris. Sed de natura Veneris eſt vnus cometes, qui dicitur *nubes*. Sed de natura Mercurij eſt vnus, qui vocatur *Domina Aſtaſue*, minor inter alios. Hæc de primo.

Articvlvs II.

Cometarum ſignificationes, & cauſæ ſignatorum.

5. *Cometa ſignant 10. effectus.* Qvantùm ad ſecundum nota, quòd nouem, vel decem ſunt effectus, quos vniuerſaliter ſignat omnis cometa. Primò ſignat ventos, ita quòd annus quo apparet cometa erit ventoſus, maximè in patria in qua apparet. Secundò ſignat caliditatem, & ſiccitatem. Tertiò terræmotum. Quartò ſterilitatem fructuum, & terrâ naſcentium. Quintò inundationes aquarum. Sextò mortalitates, & epidimias omnium viuentium in aëre. Sec͂ùdò, cõtentiones, rixas, & bella. Octauò mortem Principum. Nonò mutationes regionum. Et decimò, variationes legum, & ſectarum; ex quibus apparet quòd vniuerſaliter omnis cometa ſignat malum; & quòd cometa ſignet iſta, probatur per obſeruationes: nam iſta experti ſunt omnes prædeceſſores noſtri, & obſeruauerunt in libris.

Tunc de cauſis iſtorum ſignatorum.

6. *Cauſa 1. ſignatorum.* Vna cauſa primi eſt, quare ſcilicet ſignat ventos, quia cometa generatur ex exhalatione calida & ſicca, vnctuoſa & tenaci, ideò tempore, quo apparet cometa, multæ exhalationes eleuantur à terra, quarum tenaces, vnctuoſæ, & fortiores eleuantur ſuperiùs, & cedunt in materiam cometæ, ſed debiliores, & minùs vnctuoſæ, cedunt in materiam ventorum.

Cauſa 2. Cauſa igitur ſecundi eſt, quia cùm cometa fiat per eleuationem exhalationis calidæ & ſiccæ, non poteſt generari, niſi tempore calido exiſtente, & ſicco; tum propter commixtionem exhalationis cum aëre; tum propter caliditatem, quæ prouenit ex parte temporis.

Cauſa tertij eſt, quia terræmotus cauſantur propter exhalationem calidam, & ſiccam, incluſam in concauitatibus terræ, quæ propter contrarietatem, quam habet cum frigiditate terræ, intenditur & fortificatur, & concutit latera terræ concauitatum, petendo exitum, & tunc ex exitu eius cauſatur terræmotus; modò tempore apparitionis cometæ oportet multas exhalationes eleuari, tam intra terram, quàm extra. *Cauſa 3.*

Sed contrà obijcitur, quia ſtella comata ſignat ventos: igitur non ſignat terræmotum. Conſequentia tenet per Ariſtotelem *in iſto primo*, vbi dicit quòd tranquillitas eſt ſignum terræmotus. Antecedens apparet per primum ſignatum cometæ. *Obiectio.*

Ad hoc reſpondetur quòd ſtella comata ſignat ventos, & terræmotum diſiunctiuè, ſic ſcilicet, quòd tempore apparitionis cometæ, vel debent fieri venti, vel terræmotus, ita ſcilicet quòd ſi tempore apparitionis non ſunt venti, ſignum eſt quòd exhalatio, quæ eſt materia venti, ſit incluſa in terra, & timendum eſt de terræmotu in locis diſpoſitis; ſed ſi exhalatio habeat liberum exitum à terra, tunc fiunt venti, & non terræmotus. *Reſponſio.*

Cauſa quarti eſt, quia tempore apparitionis cometæ aër eſt valdè calidus, & ſiccus, vt dicit ſecundum ſignum, ideò tunc aër ponitur extra naturales diſpoſitiones conuenientes vitam, nam omnis vita conſiſtit in calido & humido, vt patet *in lib. de Morte & Vita*. *Cauſa 4.*

Alia cauſa eſt, quia aër propter commixtionem exhalationis cum ipſo eſt valdè calidus & ſiccus, & ideò adurit plantas, & terrâ naſcentia, cùm fuerint recentia.

Contra quintum ſignum obijcitur, quia cometa ſignat diminutiones fontium & fluminum, cùm fuerit ſignum caliditatis & ſiccitatis, igitur. Conſequentia tenet per Ptolemæum, & alios Aſtrologos.

Ad iſtud dico quòd ſtella comata de per ſe non ſignat inundationes aquarum, ſed per accidens, & conſequenter ad terræmotum. Nam ſtella comata ſignat motum terræ, vt dictum eſt, modò ad motum terræ conſequitur inundatio aquæ. *Cauſa 5.*

Cauſa ſexti eſt, quia ſtella comata notat ſiccitates, & caliditates, vt dictum eſt, ideò tempore, quo cometæ apparent, aër mutatur de ſuis naturalibus diſpoſitionibus in alias diſpoſitiones, ſcilicet in caliditatem & ſiccitatem; modò ex tali mutatione aëris cauſantur mortalitates & epidimiæ. Alia cauſa eſt, quia tempore, quo fiunt cometæ, multa exhalatio, tenax & vnctuoſa, & quodammodo venenoſa admiſcetur aëri, quem aërem viuentia ſuper terram inſpirant; modò dicit Albertus *de ſenſu & ſenſato*, quòd citiùs homo ex aëre infecto inſpirato moritur, quàm ex veneno comeſto; cuius cauſa eſt, quia aër infectus, & venenatus, inſpiratus à viuente immediatè vadit ad cor eius, & læſo corde moritur animal, ſed venenum non pertingit ad cor, niſi per tranſmutationes intermedias, nam primò reponitur in ſtomacho, & digeritur, vel quodammodo commouetur à calore ſtomachi, priuſquam perueniat ad cor. *Cauſa 6.* *Nota hanc auctoritatem pro infectione aeris.*

Cauſa ſeptimi eſt, quia propter caliditatem, & ſiccitatem temporis, quo apparent cometæ incitatur & augetur cholera in hominibus; modò cholera eſt maxima cauſa rixationis, & iræ; & *Cauſa 7.*

ideò dicit Ptolemæus *in Quadripartito*, quòd cometa mutat homines ad omnes res, quæ ſunt facilis motus. Quòd autem tẽpore cometæ cholera augetur, patet ex ſigno, quia iſto tempore homines plus patiuntur febres acutas, quàm quocunque alio tempore.

10. *Cauſa 8.* Cauſa octaui, quia ſtella comata ſignat vniuerſaliter mortalitates, & epidemica omnium viuentium ſuper terram, vt dictum fuit, & quia Rex eſt quoddam viuens, ſignat igitur mortem *Quare ſtella comata dicitur ſignare mortẽ Principis.* Regis, & Principis, ſed quòd mors Principis magis notatur quàm aliorum, ideò potiùs dicitur ſignare mortem Principis quàm aliorum alterius. Alia cauſa eſt, quia dictum eſt quòd ſtella comata ſignat contentiones, & rixas, & bella; modò Principes ſolent plus incitari aliis hominibus, ideò quamuis in bello plures alij moriantur, magis tamen notatur mors Principis. Tertia cauſa eſt, quia Principes magis delicatè nutriuntur aliis, ideò ſunt ſubtiliores, quia magis delicati faciliùs ſuſceptibiles nouæ alterationis, & cùm ſtella comata ſignet peſtilentias, & permutationes aëris, ideò ab huiuſmodi peſtilentiis faciliùs patiuntur aliis hominibus.

11. *Cauſa 9.* Cauſa noni, quia permutationes regnorum conſequuntur ad bella, & mortalitates hominum; modò ſtella comata ſignat bella, & mortalitates; igitur, &c..

Cauſa 10. Cauſa decimi eſt, quia per ſtellam comatam quodammodo mutantur homines ratione caloris ad aliter credendum, vel aliter opinandum. Iſta igitur ſunt illa, quæ vniuerſaliter ſignat omnis ſtella comata. Sed de ſignis ſpiritualibus ipſarum non pertinet ad iſtam ſcientiam, ſed ad Aſtrologum iudicialem. Hæc de ſecundo.

Ad rationes.

Ad argum. 1. principale. Ad primam, negatur conſequentia. Primò, quia mors pauperum non notatur ſicut mors Principum. Secundò, quia pauperes non ita delicatè nutriuntur ſicut Principes. Tertiò, quia præter influentias generales, quas habet ſtella in pauperes & Principes generaliter, habet alias ſpeciales ad Principes.

Ad 2. Ad ſecundam. *Aliæ impreſſiones ignitæ*, &c. negatur antecedens, imò aliæ impreſſiones ignitæ, ſi ſint magnæ, frequenter ſignant ſiccitates, ventos, & mortes; & ſi ſint paruæ, ſunt quodammodo diſpoſitiones.

Ad 3. Ad tertiam. *Cometa ſignat ventos*, &c. negatur conſequentia, nec oportet quòd vnius ſigni ſit vnum ſolum ſignatum, ſicut, verbi gratiâ, conceptus communis huic termino *Animal* eſt vnum ſignum, & tamen ſibi correſpondent plura ſignata.

Ad 4. Ad quartam, de Galaxia, negatur conſequentia, quia Galaxia eſt de natura cæli, & non de natura elementari.

Ad 5. Ad quintam, *Vel ſicut cauſa*, &c. Dico quòd ſicut cauſa, & ſicut ſignum. Primò, ſicut cauſa, quia cometa eſt cauſa multarum ſiccitatum, & aliarum qualitatum, quæ inficiunt aërem, & aër infectus eſt cauſa illorum quæ ſunt dicta priùs. Similiter ſicut ſignum, quia ſtella comata eſt effectus immediatè conſequens cauſas illorum ſignatorum, quæ dicta ſunt, ideò ſignat iſtos effectus tanquam ſignum.

Ad 6. Ad ſextam dico, quòd ſiue cometa fiat à ſtellis beneuolis, ſiue maleuolis, ſemper ſignat malum, eò quòd non poteſt fieri ſine calefactione, & exſiccatione aëris, & elementorum hîc inferiùs, ad quam calefactionem, & exſiccationem ſequuntur effectus priùs nominati.

QVÆSTIO XX.

Utrùm Galaxia ſit de natura cæli?

ARGVITVR quòd ſit, nam omnis ſubſtantia ſolùm tranſmutabilis localiter eſt de natura cæli; ſed Galaxia eſt huiuſmodi; igitur, &c. Maior patet, quia cælum ſolum eſt in potentia ad *vbi*, vt vult Commentator 8. *Metaph.* & minor apparet, quia nunquam videmus Galaxiam, nec prædeceſſores noſtri aliter mutari, quàm localiter. 1. *Arg. primũ*

Secundò, Omnis ſubſtantia corporea perpetua eſt de natura cæli: ſed Galaxia eſt huiuſmodi, igitur, &c. Maior patet, quia de natura elementari non eſt aliquod corpus perpetuum. Et minor apparet, quia nunquam viſa fuit tranſmutatio in Galaxia. *Secundum*

Tertiò, Galaxia eſt corpus ſimplex naturaliter motum circulariter; igitur eſt de natura cæli. Tenet conſequentia, quia ſi naturaliter mouentur, & cùm hoc ſit de natura elementari, ſequitur quòd motus circularis inerit naturaliter pluribus corporibus ſimplicibus, quod eſt falſum, vt patet 1. *cæli*. Minor patet per experientiam, ſcilicet quòd moueatur circulariter; ſed quòd moueatur naturaliter apparet, quia ſi moueatur violenter motus eius non poſſit perpetuari. *Tertium*

Quartò Galaxia non eſt de natura elementari; igitur eſt de natura cæli. Conſequentia tenet, & antecedens apparet, quia non apparet qualiter vniformiter continuè ſe haberet, poſt eſſet de natura elementari. *Quartum.*

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo. *Oppoſit.*

In quæſtione primò recitandæ ſunt opiniones de Galaxia. Secundò, ponetur verus modus vnde appareat Galaxia.

ARTICVLVS I.

Opiniones de Galaxia recitantur.

QVantùm ad primum, ſunt quatuor opiniones, tres antiquiorum, & vna Philoſophi.

Prima opinio erat, quòd Sol, & alia aſtra calefacientia diſcurrebant ſub illa parte cæli, in qua apparet Galaxia, & illam partem combuſſerunt, modò videmus in iſtis inferioribus quæ adusta apparent magis clara, & alba, quàm priùs. 2. *Opinio 1.*

Sed contrà, tunc ſequeretur quòd totus Zodiacus appareret ſicut via lactea. Conſequens eſt contra experientiam. Probatur conſequentia, quia ſub Zodiaco diſcurrit Sol, & planetæ calefacientes, & per conſequens potiùs deberet comburere illam, quàm quamcunque aliam. *Refellitur*

Secundò, quia cælum non eſt alterabile tali alteratione, vt patet 1. *cæli*.

Alia opinio fuit, quòd Galaxia cauſatur ex 3.

reſte

Opinio 2. reflexione radiorum Solis ad viſum noſtrum vſque ad aſtra, vbi apparet Galaxia.

Refellitur. Sed contrà, ſequeretur tum, quòd Galaxia non appareret in eodem ſitu reſpectu aſtrorum cæli, ſicut reſpectu cæli. Conſequens contra experientiam, nam ſemper apparet fieri ab iiſdem aſtris. Et tenet conſequentia, quia Sol continuè variatur quantùm ad ſitum reſpectu Galaxiæ; modò variato ſpeculo, ad quod refrangitur, vel reflectitur imago, vel cauſante imaginem variato, imago debet apparere in alio ſitu ſpeciali, ſicut patet ad experientiam.

Secundò, quia de nocte videmus Galaxiam in aqua ſuppoſita Galaxiæ, & tamen tunc non apparet qualiter radius Solis poſſit refrangi ad viſum noſtrum, & vſque ad illa aſtra.

4. *Opinio 3.* Tertia opinio ponit quòd omnes ſtellæ habent lumen de ſuis propriis naturis, ſed non poſſunt lumen iſtud dimittere propter obfuſcationem à Sole, niſi aliquid ponatur inter ipſas & Solem; modò de nocte, quando apparet Galaxia, aliqua pars terræ ponitur inter Solem & aſtra.

Impugnatur. Sed contra hoc obiicitur primò, quia ſemper Sol aſpicit omnia aſtra cæli, ſcilicet octauæ ſphæræ; igitur Galaxia iſta non cauſatur per prædictum modum. Conſequentia tenet, quia hoc ſupponit ſuppoſitio illa. Et antecedens apparet, nam per demonſtrationes Aſtrologicas patet quòd Sol eſt multò maior quàm terra. Similiter patet quòd vmbra terræ non pertingit vltra ſphæram Mercurij.

5. *Opinio 4.* Quarta opinio eſt Philoſophi, qui ponit Galaxiam eſſe de natura elementari, per hunc modum, quia ſtellæ illæ, cùm apparet Galaxia attrahunt ſibi exhalationem calidam & ſiccam inflammabilem, quæ poſita inter ſtellas illas, & viſum noſtrum, vel per inflammationem ab illis ſtellis, vel per refractionem luminis ipſarum, facit apparere talem claritatem, & hoc per ſignum, quia videmus quòd rarò fiunt cometæ, eò quòd materia cedit in compoſitionem Galaxiæ, ex qua poſſunt generari cometæ. Secundò, quia vna ſtella ſufficit attrahere exhalationem, ex qua fiat tanta claritas, vel albedo, ſicut albedo ſtellæ comatæ; igitur tanta multitudo ſtellarum, ſicut eſt in Galaxia poſſunt tot exhalationes extrahere, quòd ſufficienter facit claritatem Galaxiæ. Tertiò, videmus Galaxiam diuiſam in duas partes, quarum vna pars eſt quaſi dupla ad aliam ſecundùm magnitudinem, in qua parte maiori ſunt plures ſtellæ, & maiores, quod non eſſet, niſi iſtæ plures, & maiores maiorem exhalationem ſufficiant attrahere.

Quartò, quia aliter ſequeretur quòd determinare de Galaxia non pertineret ad iſtum librum, ſed ad librum Cæli, & mundi. Conſequens eſt falſum, vt patet in proceſſu librorum. Probatur conſequentia, quia in libro Cæli & mundi debet determinari de partibus cæli.

6. *Contra arguitur.* Contra iſtam opinionem arguitur primò, quia non apparet poſſibile quòd tanta exhalatio poſſit eleuari ab iſtis inferioribus continuè, quòd ſufficeret agere, vel facere tantam claritatem, quanta eſt claritas Galaxiæ in magnitudine.

Secundò, quia ſi eſſet exhalatio, tunc ſequeretur quòd quandoque claritas eſſet intenſior, quandoque remiſſior, quandoque maior, quandoque minor. Conſequens nunquam fuit expertum, & probatur conſequentia, quia ſecundùm quod iſta inferiora eſſent magis, vel minùs benè diſpoſita, & ab ipſis eleuaretur exhalatio, ſecundùm hoc magis, vel minùs claritas iſta debet eſſe intenſa, vel remiſſa, maior, vel minor.

Tertiò, ſequitur quòd non ſemper apparet Galaxia ſub iiſdem ſtellis cæli. Conſequens eſt contra experientiam. Probatur conſequentia, quia cùm eleuatio illa eleuata ſit infra orbem Lunæ, cauſaret magnam diuerſitatem aſpectus.

Quartò ſequitur quòd in Zodiaco debet apparere Galaxia, quod eſt contra experientiam. Probatur conſequentia, quia in Zodiaco ſunt plures ſtellæ, quæ plus ſufficiunt eleuare, quàm ſtellæ illius partis, in qua apparet Galaxia.

Sed reſpondet Ariſtoteles negando conſequentiam, quia quamuis ſtellæ in Zodiaco plus ſufficiant eleuare, ſic etiam plus ſufficiunt conſumere.

Sed contra hoc obiicitur, quia tunc ſequitur quòd nulla parte Zodiaci debet apparere Galaxia: conſequens contra experientiam, quia in Geminis & Sagittario interſecat Zodiacum. Patet igitur ex iſtis rationibus, vnà cum aliis ante oppoſitum, quòd Galaxia non ſit de natura cæli.

ARTICVLVS II.

Verus modus quo apparet Galaxia, ſtatuitur.

QVantùm ad ſecundum præmitto tres ſuppoſitiones. 7. *Cælum eſt tranſparens.*

Prima eſt, quòd cælum eſt corpus perſpicuum, & tranſparens, vt patet ad experientiam.

Secunda ſuppoſitio eſt, quòd perſpicuitas cæli eſt difformis. *Eius perſpicuitas eſt difformis.* Probatur, quia ſi perſpicuitas cæli eſſet vniformis, ſequeretur quòd partes cæli, à quibus reflectuntur radij Solis, non ſolùm reflecterent lucem, ſed etiam figuram. Conſequens eſt contra experientiam, nam Luna reflectit lumen Solis, & non figuram ipſius; & non eſt cauſa, niſi difformitas perſpicuitatis in partibus Lunæ, nam talis difformitas, vel diſparitas eſt ſufficiens cauſa, quare ab aliquo corpore reflectatur lux, vel color, & non figura. Probatur conſequentia, quia videmus quòd corpora vniformia perſpicua, ſicut eſt aqua profunda, reflectunt ad modum ſpeculi non modò lucem, vel colorem, ſed cum hoc figuram, vt patet ad experientiam.

Tertia ſuppoſitio eſt, quòd in partibus cæli, vbi eſt minor perſpicuitas, eſt minor claritas, & vbi eſt maior ſpiſſitudo, apparet maior claritas. Probatur, quia videmus in alabaſtro quòd partes raræ, quas pertranſeunt radij Solis, vel luminis, apparent magis obſcuræ, & aliæ partes opacæ, & ſpiſſæ, apparent magis claræ & albæ. Secundò patet hoc idem de corpore Lunæ, nam vbi Luna eſt rarior in partibus ſuis, ibi apparet macula, & vbi eſt denſior apparet lux & claritas.

Ex iſtis apparet cauſa quare apparet Galaxia, 8. *Cur appareat Galaxia?* quia perſpicuitas cæli eſt difformis in ſuis partibus denſioribus, nam apparet maior claritas propter incorporationem, & reflexionem intenſioris luminis; modò partes cæli, in quibus apparet Galaxia, ſunt denſiores aliis partibus, cuius ſignum eſt, quia ibi eſt maior multitudo ſtellarum; modò

modò stella est densior pars sui orbis, ideò in istis partibus potiùs deberet apparere claritas, & albedo, quæ vocatur *Galaxia*, quàm in aliis partibus cæli.

Obiectio. Sed contrà obiicitur, & primò contra primam suppositionem, quia si cælum esset perspicuum, sequeretur quòd in eclipsi Solis lumen cæli, vel Solis veniret ad nos pertransenndo corpus Lunæ: consequens est contra experientiam, & probatur consequentia, quia radius Solis benè potest penetrare corpus perspicuum, sicut patet de aëre, aqua, & aliis similibus.

Solutio. Ad istud negatur consequentia, quia spissitudo, & magnitudo corporis Lunæ impedit transitum luminis Solis.

9. Obiectio. Secundò arguitur contra rationem secundæ supositionis, quia dato hoc, sequitur quòd corpus Lunæ, imò cuiuslibet alterius planetæ, est multò maius, quàm sit claritas apparens in plenilunio, nam ista claritas est imago & figura Solis reflexa ad corpus Lunæ, sicut ad speculum, quia partes cæli reflectunt lumen, imò cum hoc figuram.

Solutio. Ad illud dico quòd hoc est falsum, nam si ita esset, sequeretur quòd cum aliqua stella superior debeat eclipsari per Lunam, vel aliquam stellam inferiorem, quod prius erat eclipsata, quàm aliqua pars claritatis Lunæ ponatur inter visum & ipsam. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia pars densa Lunæ, in qua non apparet claritas priùs interponeretur.

Tertiò dubitatur, vnde appareat illa difformitas partium cæli in perspicuitate. Dicitur quòd est de natura cæli; igitur non est quærenda alia causa.

Ad arg. 1. Ad Rationes. Ad primam, dico quòd illa non
10. est causa, sed quòd difficile est tantam materiam eleuari, quanta requiritur ad generationem, & continnationem stellæ comatæ.

Ad 2. Ad secundam, *quia vna stella*, &c. Negatur consequentia, quia tanta materia non est eleuabilis ab istis inferioribus.

Ad 3. Ad tertiam *ille circulus dicitur*, &c. dico quòd hoc prouenit ex diuersitate partium cæli in perspicuitate.

Ad 4. Ad quartam posset concedi consequens.

Ad auctoritatem post oppositum, dico quòd illa non est auctoritas Aristotelis, sed translatoris, quia tantùm habetur in antiqua translatione.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm aqua pluuialis generetur in media regione aëris?

1. Arg. 1. PROBATVR quòd non, quia quodlibet elementum potiùs debet generari in loco suo naturali, quàm extrà, sed locus naturalis aquæ est locus, quem mare occupat; igitur, &c. Maior patet, quia locus naturalis est sibi magis conueniens. Et minor patet per Aristotelem 2. *huius*.

Secundum. Secundò, si in media regione aëris generetur pluuia, hoc est per conuersionem nubis in aquam à frigiditate; sed consequens est falsum, quia eadem ratione dicerem quòd ex exhalatione superiùs eleuata deberet generari terra ex conuersione ipsius in terram à frigiditate, & sic deberent pluere pulueres terræ, quod extat contra experientiam.

Tertium. Tertiò, aqua pluuialis generatur à calido, igitur non à frigido. Consequentia tenet, quia idem non est effectus contrariorum. Et antecedens apparet, quia grando fit à caliditate, vt patet *primo huius*; igitur si grando congelatur à calido, multò fortiùs pluuia à calido debet congelari.

Quartum. Quartò, idem non est locus duorum contrariorum; sed media regio aëris est locus generationis ignis; igitur non aquæ. Maior patet, quia tunc idem locus esset simul vtrique contrariorum. Antecedens apparet, quia in media regione aëris generantur coruscationes, & ignis descendens cum fulmine.

Oppositum. Oppositum vult Aristoteles in isto primo.

In ista quæstione primò videbitur de modo generationis, & causis pluuiæ. Secundò, videbitur de accidentibus pluuiæ, & casu ipsarum.

ARTICVLVS I.

De modo generationis, & causis pluuiæ.

QVantùm ad primum, sciendum est, quòd ab istis inferioribus eleuatur duplex fumus, scilicet exhalatio, & vapor; de exhalatione, quæ est materia impressionum ignitarum, dictum est priùs; sed de vapore est sciendum quòd vapor est quidam fumus subtilis, & inuisibilis, per caliditatem Solis, & astrorum calefacientium, eleuatus ab aqua, & corporibus humidis, retinens humiditatem corporum, à quibus eleuatur, sed habens caliditatem, & leuitatem ab eleuante. 2.

Secundò sciendum, quòd cum vapore aqueo eleuantur guttulæ aquæ, quemadmodum cum exhalatione eleuantur partes terræ, & quandoque vapor eleuatur à terra, vel corporibus terrenis, eò quòd eis admixta est aliqua humiditas, & cum tali vapore eleuatur exhalatio sicca.

Tunc de modo generationis pluuiæ, dico quòd generatur per hunc modum, quia vapor eleuatus ab istis inferioribus vsque ad mediam regionem aëris, ingrossatur, & inspissatur per frigiditatem & conuertitur in nubem, quæ conuersa in nubem per vlteriorem frigefactionem vlterius inspissatur, & conuertitur in aquam, & illa guttatim cadens, vocatur *pluuia*. Quomodo generatur pluuia.

Sed sciendum quòd nubes generata ex vapore est duplex; quædam est subtilis, & tenuis, & ex illa propter defectum materiæ, vel propter defectum intensæ frigiditatis condensantis, non generatur pluuia. Sed alia nubes est magis grossa, & spissa, & illa per frigiditatem conuertitur in aquam. 3.

Alio modo generatur pluuia, quia sicut videmus quòd guttulæ aquæ generantur per reflexionem ad coopertoriũ ollæ effumantis, & similiter aqua rosea per reflexionem ad latera vesicæ, consimiliter vapor aqueus eleuatus ab istis inferioribus ascendit quousque obuiet frigiditati mediæ regionis, à qua reflectendo propellitur, & aqua modo prædicto generatur.

Et

4. Cur phlegma magis abundat in hyeme. Et ex isto potest reddi causa, quare in corporibus animalium plus abundat phlegma tempore hyemali, quàm aliis temporibus. Causa est, quia fumi, & vapores ascendentes à nutrimento inueniunt poros cutis oppilatos, & obstrusos à frigiditate exteriori, per quos non possunt exire, vt reflectuntur ad interius, & conuertuntur in phlegma.

Item, sciendum, quòd non solùm generatur pluuia ex vapore aquoso eleuato superius, imò tamen potest generari ex aëre mediæ regionis, si frigiditas fuerit multùm intensa, quæ sufficiat ipsum condensare, & causa est, quia quodlibet elementum est transmutabile in reliquum, vt patet 2. *de Generatione*.

Causæ pluuiæ. Et ex istis patent causæ pluuiæ; nam causa materialis vel est aer mediæ regionis; vel vapor eleuatus superius. Causa efficiens est calor eleuans vaporem, & frigiditas ipsum condensans, siue deorsùm propellens. Causa formalis, vel est forma aquæ, vel forma mixti imperfecti satis propinqui aquæ naturæ. Et causa finalis est, quia natura inuenit istum modum conuenientissimum ad rigandum terram, & terra nascentia; patet igitur quomodo generatur pluuia, & quæ sunt causæ eius. Et hæc de primo.

Articvlvs II.

De accidentibus pluuiæ.

5. Quantùm ad secundum, sciendum quòd accidentia pluuiæ sunt vapor, color, figura, magnitudo, paruitas guttularum, modus cadendi, locus generationis, & tempus durationis.

Pluuia sapor. De sapore sciendum, quòd quandoque pluuia est dulcis, viscosa, & quodammodo pinguis, & ista generatur ex vapore magis aëreo, & maximè conuenit planetis. Alia est quodammodo stiptica, & tendit quandoque ad amaritudinem, vel salsedinem: & talis generatur ex vapore commixto sicco terrestri, & ista pluuia cadit in guttulis minoribus, propter defectum viscositatis ad tenendam aquam; & quamuis pluuia quælibet generetur ex vapore sicco terrestri, eò quòd quælibet restringit fluxum ventris, tamen illa pluuia, quæ sic est stiptica, habet plus de terrestri sibi commixto.

Color. Secundò sciendum, quòd color pluuiæ, vt in pluribus, est sicut aquæ, tamen quandoque cadit alterius coloris, vt rubicundi; quandoque lactei, quandoque sanguinei, & quandoque cadit quasi lana, vel spongia, & ista sunt mirabilia, & de istis est difficile dare causam: tamen causa rubedinis pluuiæ potest esse fortis adustio exhalationis commixtæ in vapore aquoso. Sed causæ aliarum experientiarum est inconsueta proportio qualitatum primarum, quam difficile est assignare.

6. Diuersitas. Tertiò sciendum est de diuersitate pluuiæ, secundùm grossitiem, & paruitatem: nam diuersitas illa potest prouenire ex parte materiæ, quia si materia sit tenax, & vnctuosa, tunc cadunt guttæ maiores, quàm si pluuiæ esset admixtum siccum terrestre, ideò est quòd guttæ difficiliùs diuiduntur ratione viscositatis. Secundò, prouenit per agens, siue ex parte eius, nam cùm frigidum condensans fuerit fortificatum, & intensum propter contrarium circundans per antiperistasin, tunc cadunt grossiores, quàm quando frigidum non fuerit fortificatum à contrario circundante. Tertiò, prouenit ex motu locali, nam quandoque guttæ superiores velociùs cadunt in inferioribus, propter maiorem grauitatem, & coniungunt se guttis inferioribus, & cadunt grossiores.

Et quartò prouenit ex loco generationis, eò quòd quandoque cadit, & generatur magis altè, vt in media regione aëris, & quandoque minùs altè, sicut infra mediam; & hoc, quando vapor propellitur à frigido. Similiter generatur magis in vna parte terræ, quàm in alia, magis tum versus Septentrionem, quàm propè Austrum, in quibus propter intensionem caloris consumentis materiam, & propter paucitatem materiæ, raro fiunt pluuiæ, sicut in terra Ægypti, & in aliis regionibus calidis.

Quartò sciendum est de modo cadendi, quòd quandoque pluuia cadit directè ad terram, & quandoque obliquè, & hoc ex duobus, vel ex delatione nubis per ventum; vel per expulsum vaporis lateraliter à frigiditate mediæ regionis. 7. Modus quo cadit pluuia.

Tempus durationis. Sed de tempore durationis, sciendum quòd quandoque nubes conuertitur tota simul in aquam, & tunc fit magna inundatio super partem terræ, in qua cadit; & quandoque nubes conuertitur paulatim in aquam, & cum hoc defertur à vento, & tunc minùs durat pluuia super eandem partem terræ, nisi continuè vapores ascendant, & augmententur nubem, quia si sic nubes augmentetur, tunc pluuia durabit longiori tempore.

Figura pluuiæ. Sextò est sciendum de figura guttularum, quòd ista figura est sphærica, cuius duplex est causa. Prima secundùm authorem de sphæra, quia est corpus homogeneum, & quælibet pars eius naturaliter tendit ad consimilem figuram, inquantùm potest, sed tota aqua est sphærica, vt probat idem author, de transeuntibus in naui, à litore, &c. Ex quo sequitur, quòd similiter gutta aquæ habebit sphæricitatem.

Alia causa est, quia figura sphærica, est figura sub qua res naturalis diutiùs potest conseruari, eò quòd sub tali figura virtus eius est magis vnita, ideò videmus quòd ros, & grando determinant sibi figuram sphæricam; modò cùm quælibet res appetat se permanere, potiùs determinat sibi figuram sphæricam.

Tertia causa est secundùm Albertum, quia quamuis aqua pluuialis generetur alterius figuræ, quàm sphæricæ, tamen generata descendit, voluendo & titubando, & in tali volutione rotundatur. Et sic patet de accidentibus ipsius.

8. Ad 1. argum. principale. Ad rationes. Ad primam, dico quòd non oportet quòd elementum generetur in suo loco naturali, nam videmus ignem generari in terra, & aëre, & aërem in aliis elementis.

Ad 2. Ad secundam, *tunc exhalatio conuerteretur in terram*, negatur consequentia, imò debet conuerti in ignem per exhalationem modo, quo dictum est.

Ad 3. Ad tertiam, *non est locus*, &c. Negatur, imò in eodem loco possunt generari successiuè.

Ad 4. Ad quartam, concedo quòd pluuia generatur à calido, tanquam à causa mediata, eò quòd calidum eleuat vaporem, ex quo pluuia generatur, sed immediatè generatur à frigido, vel frigiditate per conuersionem vaporis eleuati in aquam. Et sic finis quæstionis.

QVÆSTIO XXII.

Utrùm omnes impreßiones aqueæ sint eiusdem species specialißimæ?

1. *Arg. princ.* ARGVITVR quòd non, quia ista sunt diuersarum specierum, quorum loca, & tempora suæ generationis sunt diuersa: sed impressionum aquearum loca & tempora generationis sunt diuersa; igitur, &c. Maior patet, quia postquam vnum generatur in aliquo loco, & aliquo tempore, reliquum non est natum generari in eodem; igitur ista differunt specificè. Et minor apparet, quia ros, grando, & pluuia fiunt in æstate; sed nix & pruina in hyeme; similiter nix & pluuia fiunt in media regione aëris; sed grando, & ros, & pruina fiunt infra mediam regionem.

Secundum. Secundò, ista quæ habent complexiones naturales diuersas differunt specie; sed impressiones aqueæ sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia in corporibus homogeneis diuersitas complexionis arguit diuersitatem specificam. Et patet minor, quia pluuia est humida & frigida, ros calidus & humidus, & nix frigida & sicca.

Tertium. Tertiò, ista quæ fiunt ab agentibus diuersis, & ex materiis propinquis diuersis differunt specificè; sed impressiones aqueæ sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia si agens fuerit vnum, & materia vna, sequitur quòd effectus erit vnus, & per consequens si agens & materia diuersificantur, diuersus habebitur effectus. Et minor patet, quia ros & pruina fiunt à frigido remisso, & ex materia subtili; sed nix & pluuia fiunt è contrario.

Quartum. Quartò, illa differunt specie, quorum effectus naturales specificè distinguuntur; sed impressionum aquearum effectus distinguuntur; igitur, &c. Maior patet, quia ab iis quæ sunt consimilis speciei nati sunt consimiles effectus prouenire. Et minor apparet, nam ex rore per incorporationem ipsius intra testas conchæ generatur margarita, quæ ex niue, vel grandine maxima non possit generari. *Generatio margaritæ.*

Quintum. Quintò, quia impressiones aqueæ habent diuersas definitiones: igitur sunt diuersarum specierum. Tenet consequentia, nam definitio dicit essentiam, &c. ideò alia & alia definitio dicit aliam & aliam essentiam. Et antecedens apparet in textu.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem, qui vult quòd omnia ista idem sint.

In ista quæstione primò dicendum est de niue, & modo generationis eius. Secundò, dicetur de rore.

ARTICVLVS I.

De niue; & modo generationis eius.

2. *Generatio niuis.* QVantùm ad primum dicendum est, quòd nix generatur per istum modum, quia vapor grossus per calorem Solis eleuatus superiùs in magna multitudine, vsque ad mediam regionem aëris, ibidem condensatur per frigiditatem mediæ regionis, & priùs congelatur quàm conuertatur in aquam, & si priùs conuerteretur in aquam, tunc efficeretur pluuia. Ex quo patet quòd nix & pluuia conueniunt, primò, eò quòd vtraque fit ex vapore grosso, eleuato in magna multitudine. Secundò, conueniunt, quia vtraque fit à calore eleuante istum grossum vaporem. Tertiò, quia vtraque fit à frigido vaporem condensante. Quartò, conueniunt in loco generationis, nam vtraque fit in media regione aëris. Per hoc differunt à rore, grandine, & pruina. Quintò conueniunt, quia vtraque fit ex eadem nube, quæ primò conuertitur in niuem, & postea cadens deorsum, inueniens caliditatem inferioris regionis liquescit, & cadit pluuia; cuius signum est, quòd in istis montibus altis priùs ningit in cacumine, quàm in pede montis. *Quomodo priùs generetur nix ex nube, & per deorsum pluuia.* Et ex hoc potest reddi causa, quare in aliquibus montibus nix est quasi perpetua, vel saltem longo tempore durat: causa est, quia ibi aliquo tempore cecidit nix, & propter defectum caloris dissoluentis longo tempore durat non corrupta, & sic patet in quibus conueniunt nix & pluuia.

3. *Obiectio 1.* Sed contrà obiicitur, primò, quia si nix fuerit in media regione aëris, sequeretur quòd semper caderet in figura rotunda. Consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, sicut probat Aristoteles de grandine *in isto primo*, quia non videtur quare nix possit descendere in tanta distantia, quin partes angulares deponerentur per confricationem, & per consequens debet rotundari. *Secunda.* Secundò, sequeretur quòd nunquam caderet nix nisi cum pluuia. Consequens contra experientiam, & probatur consequentia; quia non videtur quòd nix possit à tanta distantia descendere, quin aliquæ partes eius liquefiant, & conuertantur in aquam. *Tertia.* Tertiò, sequeretur quòd in media regione non generaretur pluuia, quia semper est ibi frigus ita intensum, quòd priùs debet vapor congelari, quàm conuertatur in aquam.

Resp. ad 1. Ad ista, & ad primum negatur consequentia, quia nix est valde leuis in comparatione ad alias impressiones aqueas, & ideò casus eius deorsum est valdè lentus, nam propter tarditatem motus ipsius non oportet partes angulares ipsius resecari per confricationem ad aërem.

Ad 2. Ad secundum dicitur eodem modo, quòd motus est ita lentus, quòd nec mobile, nec medium calefit ex tali motu.

Ad 3. Ad tertium, dico quòd nunquam in media regione aëris generatur pluuia, nisi vapor, ex quo generetur, priùs conuertatur in niuem, & quòd nix ista cadens deorsum vsque ad nos maneat nix, requiritur intensa frigiditas congelans vaporem, priusquam conuertatur in aquam, & sufficiens frigiditas per totum medium, quo nix debet descendere, ita quòd calor medij non liquefaciat niuem.

4. *Nix & pluuia differunt quoad tempus.* Tunc de differentiis niuis & pluuiæ, dico quòd differunt primò, quoad tempus suæ generationis, quia nix solùm generatur in hyeme, sed pluuia indifferenter in diuersis partibus anni. Causa est, quia nix non descendit ad nos, nisi fuerit continua frigiditas à terra vsque ad mediam regionem; modò talis frigiditas, saltem sufficiens, non potest continuari, nisi in hyeme.

Secun

In modo generationis. Secundò differunt in modo generationis, quia nix generator per congelationem vaporis, sed pluuia per conuerſionem vaporis in aquam.

In colore. Tertiò differunt in calore, quia pluuia habet colorem aquæ, ſaltem vt in pluribus, ſed nix eſt alba: cuius cauſa eſt duplex, primò, quia fit ex materia tranſparente quodammodo, & diſpoſita ad lucem, & talis debet apparere alba. Alia cauſa, quia frigiditas valde intenſa agens in materiam humidam, ſupra quam totaliter obtinet, vel ſaltem pro maiori parte, nata eſt albefacere; ideò videmus quòd in partibus Septentrionalibus corpora animalium ſunt magis alba, quàm in partibus meridionalibus; modò in generatione niuis frigiditas eſt valde intenſa, & vapor in quem agit eſt humidus.

In figura. Quartò, quia differunt in figura, quia pluuia cadit in figura ſphærica; ſed nix cadit quodammodo ſicut lana, vel aliquoties ſecundùm figuram quorundam florum, & reddere cauſam eius oportet recurrere ad influentiam cæli.

5. Quintò differunt, quia nix eſt frigida & ſicca, & pluuia eſt frigida & humida. Cauſa primi eſt, quia priuſquam vapor ſit perfectè humefactus, ex quo nix generatur, congelatur.

In continuatione. Sextò differunt in continuatione, quia ſæpiùs continuantur ſibi inuicem caſus pluuiæ, quàm caſus niuis. Cauſa eſt, quia terra madefacta per pluuiam magis diſpoſita eſt ad generationem pluuiæ, & ab illa terra plures vapores eleuantur; ſed vt in pluribus poſt caſum niuis nix congelatur, & prohibetur aſcenſus vaporis ex tali congelatione, ideò terra minùs diſponitur ad generationem niuis, & per conſequens pluuia diuturnior eſt niue.

Nix & pluuia differunt ſpecie. Septimò reſpondendo ad quæſitum, poteſt dici quòd non differunt ſpecie, probatur, quia non illud quod eſt de natura aëris differt ab eo, quod eſt de natura aquæ; ſed nix eſt de natura aëris, & pluuia de natura aquæ; igitur, &c. Maior patet, quia aër non ſpecificè differt ab aqua. Et minor patet, quia nix eſt vapor congelatus; modò vapor congelatus non differt ſpecificè à vapore non congelato, quia ſola congelatio non diuerſificat ſpeciem; modò vapor non congelatus eſt de natura aëris.

6. *Obiectio prima.* Contra iſta obiicitur, primò contra hoc, quod dicitur quòd nix eſt ſicca magis quàm pluuia, quia videmus ad experientiam quòd aquæ magis augmentatur poſt caſum niuis, quàm poſt caſum pluuiæ, quod non eſſet, niſi nix eſſet magis humida. Tenet conſequentia, quia aqua non augmentatur niſi mediante humido.

Secunda. Secundò contra hoc, quod dicebatur, quòd terra madefacta magis diſponitur ad generationem pluuiæ, quia tunc ſequeretur quòd pluuia deberet perpetuari continuè: conſequens eſt contra experientiam: & patet conſequentia, ex quo terra madefacta magis diſponitur ad pluuiam, quàm non madefacta.

Tertia. Tertiò, ſi nix eſſet de natura aëris, ſequeretur quòd propter ſolam actionem caloris in aërem poſſet ex aëre generari aqua. Conſequens falſum, quia aqua non generatur ex aëre, niſi per condenſationem, modò calor potius habet rarefacere, ex quàm condenſare, & patet conſequentia, quia niue per ſolam actionem caloris generatur aqua.

Reſp. ad 1. Ad iſta. Ad primum, dico quòd augmentatio aquarum per niues non prouenit ex maiori humiditate niuis quàm pluuiæ, ſed prouenit ex hoc, quia niues, quaſi ſimul liquefiunt in cumulo, & quodammodo repentè intrant aquam; ſed aqua pluuialis paulatim intrat aquam, ideò minùs benè poteſt apparere augmentatio per pluuiam, quàm per niuem.

Ad ſecundum, concedo quòd pluuia perpetuatur, non continuè, ſed diſcontinuè; & iſta diſcontinuitas quandoque eſt parua, quandoque magna, ſecundùm conſtellationem ſupracæleſtium, quæ ſibi inuicem ſuccedunt, à quibus natæ ſunt prouenire niues, vel pluuiæ. *Ad 2.*

Ad tertium, conceditur quòd aër, vel aliquid de natura aëris, poteſt aliquando diſponi in qualitatibus, quòd per ſolam actionem caloris poteſt conuerti in aquam; ſed de aëre puro, vel ſatis propinquo ad aërem purum non eſt poſſibile. Hoc de primo. *Ad 3.*

ARTICVLVS II.

De generatione roris, & de eius accidentibus.

QVantùm ad ſecundum, ſciendum quòd ros generatur ex vapore ſubtili. Vnde materia roris inter materias omnium impreſſionũ aquearum eſt materia magis ſubtilis, cuius ſignum eſt, quia propter ſui ſubtilitatem faciliùs reſoluitur à calore Solis. Secundum ſignum eſt, quia propter ſubtilitatem roris ex ipſo generatur lapis pretioſus, vt margarita, quæ tamen non poteſt generari ex aliis impreſſionibus. 7. *Ros vnde generetur.*

Secundò ſciendum de modo generationis roris, qui eſt talis. Vnde de die per calorem Solis eleuantur tales vapores ſubtiles, maximè ante occaſum Solis, qui ſupercueniente frigiditate noctis condenſantur, & conuertuntur in aquam infra mediam regionem aëris ſatis propè terram, qui vapores ſic conuerſi in aquam cadunt per partes inſenſibiles ad terram, quæ partes inſenſibiles generantur, & congregantur ſuper herbas, & faciunt guttulas ſenſibiles. *Quomodo generetur.*

Tunc de accidentibus roris: primò enim accidit quòd ros non videtur cadere ſuper pulueres terræ, vel ſupra tegulas, niſi rarò. Cauſa eſt, quia in rei veritate ibi cadit ros, ſicut in aliis partibus, tamen partes inſenſibiles iſtius roris, ſicut continuè cadunt, ſic continuè deſiccantur à ſiccitate pulueris, & tegularum. 8. *Eius accidentia.*

Secundò contingit quòd ros non fit tempore nebuloſo: cauſa eſt, quia propter groſſitiem nebularum, prohibetur vapor, ita ſubtilis ſicut ros, eleuari.

Tertiò, contingit quòd ros non fit tempore ventoſo, cauſa eſt, quia materia roris propter ſui ſubtilitatem diſſoluitur à vento.

Quartò, accidit quòd ros non fit tempore hyemis frigido, quia tunc vapor iſte vel prohibetur ne poſſit eleuari, vel priùs congelatur, quàm conuertatur in aquam.

Quintò, nec ros fit tempore nimis calido, quia tunc propter intenſionem caloris materia conſumitur. Ex quo patet quòd ros non fit niſi temporibus, & locis temperatis, claris, & tranquillis, hoc accidit, quia ros eſt ſignum ſerenitatis; cauſa eſt, quia in generatione roris eleuantur vapores ſubtiles, & non vapores groſſi, qui ſunt materia pluuiarum.

Sextò accidit quòd ros habet quandam dulcedinem, quasi mellis, sibi admixtam. Causa est propter digestionem alicuius terrestris cum aqua roris; & quòd quandoque tale terrestre misceatur rori, patet per signum; quia quandoque videmus per herbas illud terrestre ad modum farinæ albæ puluerizatæ, & quandoque ad modum mellis conglutinati vapori subtiliori resoluto: & secundùm Albertum, talis ros interficit herbas, & omnes ex eò comedentes putrefiunt interiùs. Patet igitur quis est modus generationis roris, & quę sunt accidentia eius.

9. Sed de differentia roris ad alias impressiones omnes aqueas, potest dici quòd ros est eiusdem speciei cum pluuia, & grandine, & ista fiunt ex eadem materia propinqua, & ab agente consimili. Secundò, dato quòd differt specificè à niue & pruina, probatur sicut primò de pluuia. Et hoc de secundo.

Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam, potest negari maior, quia diuersitas generationis secundùm locum & tempus potest prouenire ex diuersitate materiæ secundùm grossum, & leue, & diuersitate agentis secundùm intensum & remissum. Et eodem modo ad alias.

QVÆSTIO XXIII.

Utrùm grando magis debeat fieri Vere, & Autumno, quàm hyeme, & æstate?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia grando nullo modo debet fieri, igitur non potiùs vno tempore, quàm alio. Consequentia nota est. Et antecedens probatur, quia vel vapor priùs conuertitur in aquam, ex quo generatur grando, quàm congelatur, vel è contrario: si priùs congeletur tunc fit nix, & per consequens non grando. Si priùs conuertatur in aquam, sequitur quòd aqua ista descendet deorsum, nec expectat vlteriùs donec congeletur.

Secundum. Secundò, quia grando fit à frigitate intemperata: ergo non fit temporibus temperatis, quæ sunt Ver, & Autumnus. Consequentia tenet, quia tempore temperato non est aliqua qualitas intemperata, quia dato quòd sic, iam esset tempus temperatum. Et antecedens apparet per Aristotelem in textu, & per Albertum, qui voluit quòd grando fiat ex excellenti frigiditate.

Tertium. Tertiò, quia grando fit ab excellenti frigido, vel à frigido remisso; si ab excellenti, cùm in hyeme sit frigiditas magis excellens, sequeretur quòd in hyeme potiùs deberet generari grando, quàm aliis temporibus; si à frigido debili, tunc illud non sufficiet congregare vaporem conuersum in aquam, & per consequens non generabitur grando.

Quartum. Quartò, si illo tempore debet grando generari, & sæpiùs, in quo est intensior frigiditas causata per antiperistasin à calore circumstante; sed hoc est in æstate; igitur in æstate magis debet fieri grando, quàm Vere, vel Autumno. Maior patet ex modo generationis grandinis. Et minor patet, quia in æstate est maior calor circumstans nubem aquosam.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

Opposit. In ista quæstione primò videndum est de pruina, & modo generationis eius, nam priùs visum est de aliis impressionibus aqueis. Secundò videbitur de quæsito.

ARTICVLVS I.

De pruina & modo generationis eius.

QVantùm ad primum, sciendum quòd pruina generatur ex vapore modico, & subtili, eleuato per calorem in inferiorem partem regionis aëris, qui vapor priusquam sit sufficienter humefactus, congelatur, & congelatus cadit secundùm partes insensibiles. Ex quo patet quòd ros & pruina conueniunt in materia, in qua generantur, quia vtrumque generatur ex vapore modico & subtili. Secundò conueniunt in loco suæ generationis, quia vtrumque generatur in inferiori regione aëris. Tertiò conueniunt in modo cadendi, quia tam ros, quàm pruina cadit secundùm partes insensibiles. Quartò, conueniunt in aliquibus qualitatibus temporis, quia vtrumque fit tempore sereno existente tranquillitate. 2. *Pruina vnde generetur.* *Conuenit cum rore.*

Sed differunt, primò, quia ros ingrossatur à debiliori frigido, & pruina ab intensiori. Secundò differunt, quia pruina fit tempore frigido, sed ros in tempore calido, vel saltem temperato tendente ad caliditatem. Tertiò differunt in modo generationis, quia materia pruinæ priùs congelatur, quàm conuertatur in aquam, sed è contrà est de materia roris. Quartò, differunt in colore, quemadmodum nix & pluuia, & eadem est causa albedinis pruinæ & niuis. Quintò differunt, quia ros est signum serenitatis, & pruina est signum futuræ pluuiæ. 3. *Differt à rore.*

Causa potest esse, quia ad generationem pluuiæ concurrunt duo, vt dictum est, scilicet multitudo vaporis supra terram, & intensio caloris ad illum eleuandum; modò cùm ros fiat tempore calido, signum est quòd non est defectus caloris sufficientis eleuare vapores, & cùm tunc non fiat pluuia, oportet quòd sit defectus vaporis, ex quo pluuia deberet generari; modò defectus vaporis grossi, ex quo pluuia nata est generari, est signum serenitatis; sed quia pruina fit tempore frigido, in quo est abundantia vaporis grossi, ideò cùm tunc non fiat pluuia, signum est quòd est defectus caloris sufficientis eleuare istos vapores grossos, & quia calor tunc eleuat vapores subtiles, à quibus generatur pruina, signum est quòd calor incipit fortificari, & intendi; & cùm non possit tantùm intendi, vt sufficiat vapores consumere propter frigiditatem temporis, ideò ipsos tunc sufficit commouere; modò commotio vaporis sine consumptione est causa pluuiæ, & ideò pruina est signum pluuiæ futuræ.

Sed contrà ista obiicitur, quia dicebatur quòd ros, & pruina conueniunt in loco suæ generationis, eò quòd vtrumque fit in inferiori regione aëris; sed contrà arguitur, quòd ros non fit in inferiori regione aëris; quia si sic, sequeretur quòd generatio roris non impediretur per nubes: consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia nubes sunt in media regione 4. *Obiectio 1.*

aëris,

aëris, & ros per ſe generatur citra mediam regionem; igitur generatio roris non poteſt impediri à nobe.

Secunda. Secundò, ſi ros generaretur in inferiori regione aëris, vel hoc eſſet hyeme, vel æſtate; non in hyeme, quia totus aër à terra vſque ad mediam regionem eſt cootinuè frigidus per byemem, & per conſeqoens vapor iſte priùs congelaretur, quàm conuerteretur in aquam. Nec in æſtate, qoia tunc propter calorem diſſoloeretur materia; & ideò dicit Ariſtoteles quòd ros non ſit tempore nimis calido: modò inter cætera tempora æſtas eſt tempus calidiſſimum.

Tertia. Tertiò, quia ros generatur altiùs quàm pluuia, ideò ros oon generatur in inferiori regione aëris. Conſequentia tenet, quia pluuia generatur in media regione aëris, vt priùs dicebatur. Et antecedens probatur, quia illud altiùs aſcendit, ſeu generatur, cuius materia eſt ſubtilior & leuior; modò materia roris ſubtilior eſt, & leuior materia pluuiæ; igitur, &c. Maior patet quia leuitas cum ſubtilitate eſt cauſa motus ſurſum; & minor patet, quia per boc differuot ros & pluuia.

Quarta. Quartò, quia ſicut ſe habet aër ad aquam, ita ros ad pluuiam; ſed aër natus eſt aſceodere ſuper aquam; igitur & ros ſuper pluuiam. Maior patet, quia ros eſt de natura aëris, cùm ſit calidus & bumidus, ſecundùm Albertum. Et pluuia de natura aquæ, cùm ſit frigida, & bumida.

Quinta. Quiotò, dicit Albertus *ſuper iſto primo*; quòd ros generatur in ſuperiori regione aëris.

5. *Ros nō poteſt generari in ſuperiori regione aëris.* Ad iſtud dubium, dico primò, quòd ros non poteſt generari in ſuperiori regione aëris. Probatur, quia vbi materia roris non poteſt pertingere, ibi non poteſt generari: ſed materia roris noo poteſt pertingere ad ſuperiorem regionem aëris. Maior patet, quia nil generatur ſuper ſuo principio materiali. Et mioor apparet, quia materia iſta cùm ſit ſubtilis, priùs ingroſſaretur à frigiditate mediæ regionis, quàm pertranſiret, & iteratò repelleretur deorſum.

Secundò, quia ſuperior regio aëris eſt perpetuò calida, igitur in ſuperiori regione non poteſt generari ros. Tenet conſequentia, quia immediatum principium roris effectiuum eſt frigiditas condenſans vaporem ſubtilem. Et antecedens apparet ex iſto primo.

Secundò, dico quòd ros non generatur in media regione. Probatur, quia materia roris non poteſt ibi pertingere; igitur, &c. Conſequentia tenet ſicut priùs. Antecedens apparet, propter ſubtilitatem materiæ roris, & inteoſionem frigiditatis mediæ regionis, vapor iſte ſtatim conuerteretur in aliquod durum, ſiue materiam duram, vt glaciem tenuem, aut pruinam duram. Secundò, ſi generaretur in media regiooe, ſequeretur quòd caderet ſecundùm guttas ſenſiles. Et probatur conſequeotia, quia deſcendendo de loco tam alto, guttæ per motum ſibi inuicem continuarentur, ſicut dicebatur de pluuia.

Ex iſtis ſequitur quòd ros generatur in inferiori regione aëris, cuius ſignum, quia ſuper montes altos non cadit ros.

6. *Ad 1. obiect.* Tunc ad inſtantias. Ad primam, *ſequitur quòd nubes ſuperior*, &c. Negatur conſequentia, quia nubes impedit eleuationem vaporis propter interpoſitionem ipſius inter calorem Solis, & terram.

Ad 2. Ad ſecundam, *vel in æſtate*, &c. Dico qoòd in æſtate. & quando dicitur illud eſt tempus calidum, dico quòd ros non generatur in meridie, quando eſt intenſa caliditas; ſed generatur circa occaſum Solis, cùm calor fuerit remiſſus, & quodammodo temperatus, & ſic oon generatur in tempore nimis calido.

Ad tertiam, *quia ros altiùs*, &c. Negatur antecedens, & ad probationem, *quia eius materia*, &c. Dico quòd materia roris, quantùm eſt de ſe nata eſſet altiùs aſcendere, ſed impeditur à frigiditate modica, quam inuenit in inferiori parte regionis aëris, quæ conuertit ipſum io aquam, & propellit deorſum. *Ad 3.*

Ad quartam, *ſicut*, &c. Negatur maior. quia quamuis res ſit de natura aëris, in boc quòd eſt calidus & humidus, tamen veraciter eſt aqua, ſicut & pluuia. *Ad 4.*

ARTICVLVS II.

De grandine.

QVantùm ad ſecundum de grandine, videndum eſt de loco generationis grandinis, de materia, de modo generationis, & de figura ipſius. 7.

De loco, dico quòd duplex eſt locus, in quo poteſt generari grando. Primò enim quandoque generatur in media regione aëris, ſuperiùs quàm ſit generatio pluuiæ. Cauſa eſt, quia vapor, ex quo generatur grando, eleuatur ex forti calore, ideò altè poteſt aſceodere ſurſum. Et quòd ibi generetur grando, inouit Albertus, & poteſt elici ex antiqua tranſlatione. Alter eſt locus generationis grandinis, ſcilicet inferior regio aëris, ſed quaodo vapor groſſus, qui eſt materia grandinis propellitur à frigiditate mediæ regionis vſque deorsùm, & ibidem propter circumſtantiam caloris, & per antiperiſtaſin congelatur, ſed dico quòd ſæpiùs generatur grando in loco ſecundo, putà in inferiori regione aëris: cuius ſignum eſt primò, quòd in montibus altis non cadit grando, quod non eſſet, ſi grando fieret multùm altè à nobu Secundò, quia in caſu grandinis audimus ſonum factum in nube, ex qua grando generatur, & non eſſet, ſi nubes illa eſſet multùm remota. *Grando vbi generetur.*

Tertiò, quia in pluribus cadunt grandines cornutæ, angulares, non perfectè ſphæricæ, & hoc non eſſet, ſi grandines iſtæ caderent de loco multùm alto.

Secundò, ſciendum de modo generationis. 8.
Quomodo. Dico quòd quando generatur in media regione aëris, non generatur immediatè per antiperiſtaſio, ſed quia quòd locus ille multum eſt frigidus propter antiperiſtaſin, ideò vaporem eleuatum in ipſo faciliter congelat frigidum illius loci, priùs tum conuertit vaporem in aquam, quàm congeletur; & ad boc multū facit præcalefactio vaporis; nam calefacta faciliùs præcōgelantur, vt patet de aqua calefacta, quæ citiùs congelatur quàm aqua frigida. Sed in inferiori regione aëris generatur per iſtū modum, quia ex vaporibus eleuatis ſuperiùs congelatur nubes in inferiori regione aëris, quæ habet frigiditatem quandam connaturalem ſibi ratione aquæ, à qua eleuabatur, quæ frigiditas ratione caloris vndique circumſtantis intenditur per antiperiſtaſin, ita quòd partes nubis fugiendo contrarium corrumpunt inter ſe, & per talem

intensionem frigiditatis partes nubis conuertuntur in aquam, & postea congelantur priusquàm pertranseant nubem.

Quòd autem vapor conuertatur in aquam priusquàm congeletur, signum est, quia grando faciliùs est conuertibilis in aquam quàm nix, sicut dicit Albertus.

Secundum signum est, quia videmus ante casum grandinis cadere quasdam guttas pluuiæ grossas. Causa est, quia partes inferiores nubis conuersæ in aquam descendunt, & priùs veniunt ad locum calidum descendendo, quàm congelentur à frigido.

9. *Quando.* Tunc de tempore generationis grandinis, dico quòd grando non habet fieri in hyeme, primò, non in inferiori regione aëris, quia tunc nulla causa est per antiperistasin, per quam fortificetur frigiditas per calorem circumstantem: modò deficiente causa deficiet & effectus; nec etiam in media regione, quia ibi raró fiuor. Similiter in hyeme non est vapor multùm calefactus, quemadmodum in æstate. Secundò, dico quòd etiam in æstate non fiunt grandines, saltem consequenter, quia vapores consumuntur propter intensionem caloris, sed temporibus intermediis, Autumno, & Vere, benè possunt fieri.

Ex quo sequitur quòd in regionibus australibus benè fiunt grandines in hyeme, quia hyems in regionibus australibus est complexionata illis, sicut tempora intermedia sunt complexionata nobis; modò positâ causâ ponitur effectus.

Item sciendum, quòd quandoque auditur sonus in casu grandinis, & hoc est propter motum vaporis hinc inde infra nubem, & propter confricationem grandinum ad medium, ad quod descendunt, vel ad se inuicem.

10. *Quæ figura.* De figura, dico quòd quandoque apparent sub figura triangulari, sed tunc signum est quòd veniunt de loco basso prope terram. Et quandoque descendunt sub figura sphærica, & tunc signum est, quòd sint de loco magis alto, & quandoque formata est in iis imago animalis; & tunc requirendo causam illarum, recurrendum est ad corpus cœleste. Tunc grandines differunt magnitudine; nam quandoque cadunt grossiores, quandoque minores.

Causa grandinis. Patet igitur quæ sunt causæ grandinum, nam materialis causa est vapor grossus; causa efficiens immediata est frigiditas agens in illum vaporem; sed mediata est calor circumstans illum vaporem; causa formalis, vel est forma aquæ, vel alicuius mixti imperfecti, quæ est propinqua formæ aquæ. Causa finalis est adæquatio elementorum, & irrigatio terræ, vel generatio mixtorum.

Accidentia. Patet etiam de accidentibus grandinis, quæ sunt, magnitudo, figura, color, sonus, locus, tempus, & grossities.

11. *Dubium 1.* Sed circa hoc dubitatur, primò, quare vapor, qui est materia grandinis, priùs conuertatur in *Responsio.* aquam, quàm congeletur? Causa est abundantia humoris in isto vapore, & grossities ipsius, nam vapor iste non est ita subtilis, sicut est materia niuis, ideò per grossitiem, & humiditatem conuertitur in aquam.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quare non est aliqua impressio correspondens grandini, quemadmodum pruina correspondet niui, & ros pluuiæ, quia vapor conuersus in rorem potest postmodùm, vt videtur, congelari, quæ congelatio se habet, respectu grandinis, quemadmodum pruina respectu niuis?

Dicitur quòd causa est ista, quia vapor subtilis eleuatus superiùs, vel primò congelatur antequam conuertatur in aquam, & tunc est pruina, vel è contrà, & est ros; vel primò conuertitur in aquam, & postea congelatur, & tunc non est differentia inter ipsum, & pruinam, imò est sicut pruina quædam grossa. Vel potest dici quòd non est possibile rorem congelari, quia ros non generatur nisi de sicco, superueniente frigiditate noctis, modò de nocte in æstate non est antiperistasis, per quam possit intendi frigiditas in inferiori regione aëris. *Solutio.*

Tertiò dubitatur, quare grando non generatur prope terram, & in inferiori regione aëris? Causa est, quia grando non generatur nisi in æstate, vel in temporibus intermediis, quando non est intensa caliditas, & tunc prope terram est intensior caliditas, quæ continuè eleuat vaporem, propter sui intensionem, ideò vapor non potest ibi manere. Alia causa potest esse, quia vapor iste non est sufficienter digestus, seu dispositus, vt ab ipso generetur grando. 12. *Dubium 3.* *Solutio.*

Quartò dubitatur, quare quandoque circa grandines apparet quasi forma alba ad modum pruinæ, & circundare globum grandinis. Causa est, quia grando in descensu suo obuiat multis vaporibus ascendentibus sursum, quos præ sui frigiditate congelat, & vapores illi congelati adhærent grandini, & ipsum circumstant, & sic cum grandine quandoque cadit pruina. *Dubium 4.* *Solutio.*

Ad rationes. Ad primam, *vel vaporis*, &c. Dico quòd vapor priùs conuertitur in aquam, quàm congelatur, propter grossitudinem vaporis, & abundantiam humiditatis in ipso. & quando dicitur ista caderet deorsum, concedo quòd continuè cadit deorsum, cùm motus congelationis propter eius velocitatem semper præcipitet motum localem. Et si obiicitur quòd descensus ille, cùm sit quidam motus, erit alicuius caloris, concedo, tamen frigefactio est motus intensior. 13. *Ad 1. argum. principale.*

Ad secundam, *partibus temperatis*, &c. Dico quòd imò quia quamuis sit temperatum, tamen per antiperistasin potest fieri qualitas intemperata, sicut frigiditas, à qua causatur grando. *Ad 2.*

Ad tertiam, dico quòd fit intenso frigido. & quando dicitur, in hyeme, dico quòd in hyeme non est antiperistasis, quæ requiritur ad generationem grandinis. *Ad 3.*

Ad quartam, *quando*, &c. Verum est, nisi calor iste esset nimis intensus, & consumptiuus vaporis. *Ad 4.*

QVÆSTIO XXIV.

Utrùm rubedo matutina sit signum pluuiæ?

ARGVITVR quòd non, quia rubedo matutina est signum siccitatis: igitur non est signum pluuiæ. Tenet consequentia, quia pluuia generatur ex causa humida. Et antecedens apparet, quia rubedo causatur ex permixtione lucis cum humiditate adusta, quæ est causa siccitatis. 1. *Arg. primi.*

Secundò,

Secundum. Secundò, si sic, hoc maximè esset rubedo Solis de manè orientis, vt communiter dicitur: sed hoc non, quia rubedo Lunæ non designat pluuiam; igitur nec rubedo Solis. Tenet consequentia, quia idem videtur esse iudicium vtriusque. Et antecedens apparet, quia ex rubedine Lunæ nullus accipit signum.

Tertium. Tertiò, rubedo vespertina est signum serenitatis; igitur & rubedo matutina. Tenet consequentia, quia causæ consimiles videntur esse vtrobique. Et antecedens apparet ad experientiam.

Oppos. Oppositum arguitur per experientiam, & per Aristotelem in litera.

In ista quæstione primò videbitur de diuersitate signorum in generali. Secundò videbitur specialiter de signis apparentibus in cælo. Tertiò de signis pluuiæ apparentibus in aëre. Quartò, de signis pluuiæ repertis hic inferiùs in corporibus inanimatis. Et quintò, de repertis in corporibus animatis.

ARTICVLVS I.

De diuersitate signorum in generali.

2. QVantùm ad primum, sciendum quòd signum est relatio ad signatum; & ideò signum est, per quod deuenimus ad significationem signati; sicut per fumum deuenimus in cognitionem ignis.

Secundò, sciendum quòd quædam sunt signa rei futuræ, & quædam rei præteritæ. Item, quædam sunt signa rei futuræ, quæ propè est futura, & quædam illius, quod à longinquo est futurum. Item, sciendum quòd quædam sunt signa, quæ causæ sunt rei signatæ, sicut in proposito constellationes, saltem aliquæ, sunt signa, & etiam plurimæ.

Alia sunt signa, quæ sunt effectus rei signatæ, sicut fumus est signum ignis, & effectus ipsius. Item, aliquod est signum alterius, quando ista communiter se habent quantùm ad sui generationem, ita quòd quodlibet poterit esse causa alterius, quantùm ad sui generationem, vel ita, vt in pluribus, ventus est signum pluuiæ futuræ, & è contrà, vt in pluribus magnus ventus terminatur per pluuiam, & è contrà, sicut dicitur in litera. Tunc igitur de signis pluuiarum, quæ sunt causæ effectiuæ pluuiarum, sicut sunt constellationes cæli, non spectant ad istam scientiam, sed ad Astrologiam de iudiciis, & de illis fiunt quidam tractatus, qui dicuntur, *De impressionibus aeris*, ideò dimittantur, tamen dicunt ipsi, quòd Sol, & Luna inter cæteros planetas, & stellas faciunt ad generationem pluuiæ, dein quædam stellæ fixæ, & posteà inter planetas Saturnus, & Mercurius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De signis apparentibus in cælo.

3. *Primũ signũ pluuiæ apparens in cælo.* DE secundo, dico quòd magnitudo Solis orientis de manè est signum pluuiæ. Causa est, quia signum est, quòd exhalationes, & vapores ponuntur inter visum nostrum, & Solem, propter quos prohibetur visio Solis. & quia hoc fit sine nube, signum est quòd vapores illi, & exhalationes, non sunt eleuati ad locum frigidationis, scilicet ad mediam regionem aëris; ideò oriente Sole vapores superiores consumuntur à calore Solis, & vapores infrigidantes, & reuertentes ad primam naturam cadunt deorsum, & sic circa meridiem, vel ante sequitur pulchra dies.

Secũdò, quia Sol de manè lucet clarè, & circa ipsam apparet nubes nigra, longa, & extensa, quam Sol ingreditur; si tunc Sol obscuretur, non oportet vt significet pluuiam; causa est, quia si Sol obscuretur, signum est multitudinis vaporum eleuatorum superiùs, & quòd calor Solis est impotens consumere istum vaporem, quia de manè calor Solis est magis eleuatiuus, quàm consumptiuus; modò abundantia materiæ superiùs est causa pluuiæ *Secundum.*

Tertiò, rubedo Solis de manè orientis signat pluuiam; sed rubedo Occidentis signat serenitatem; causa est, quia lux visa per nigrum terrestre facit apparere rubedinem, vt patet de Sole viso per fumum ignis; ideò cùm de manè Sol apparet rubeus, multæ exhalationes, & vapores interponuntur inter visum nostrum, & Solem, quia tunc est impotens consumere istos vapores, signum est quòd conuertantur in pluuiam; sed non sic est de rubedine vespertina; tunc est signum quòd vapores illi, & exhalationes interpositi inter nos & Solem cadunt super terram propter frigiditatem noctis. *Tertium.*

Quartò, pallor, vel flauitas Solis orientis designat pluuiam. Causa est, quia tunc multi vapores eleuati sunt inter nos, & Solem, & propter pororum aquositatem apparet pallor, & non rubedo. 4. *Quartum.*

Quintò, Ortus Solis nimis matutinus designat pluuiam, ita quòd diluculum matutinum sit minus solito. Causa est, quia tunc eleuati sunt multi vapores superiùs in aëre, ad quos refranguntur, & disperguntur radij Solis, propter quorum refractionem Sol existens sub horizonte apparet super horizontem, sicut patet de denario posito in pelui plena aqua, qui apparet visui ab aliqua distantia propter dispersionem, & refractionem radiorum denarij ad aquam, à qua distantia non videretur, si in pelui esset aër & non aqua. *Quintum.*

Sextò, corona circa Solem, vel Lunam, est signum ventorum, vel pluuiæ: causa, est quia corona, siue halo causatur ex interpositione vaporis roridi inter visum nostrum, & astrum circa quod apparet; & maximè signum est verum, si corona ista apparet circa Solem; quia si appareat circa Lunam, & disgregetur illa corona, tunc est signum ventorum, sed si non disgregetur, tunc est signum pluuiæ. *Sextum.*

Septimò, parahelij signãt pluuiam, imò signant abundantiam humiditatis totius regionis, in qua apparent, & dicuntur parahelij, quia simul apparent in firmamento, duo, vel tres Soles, causa est, quia illi parahelij causantur ex multitudine vaporis diuisi, ad quem refranguntur radij Solis; modò multitudo vaporum est signum pluuiæ & causa. *Septimum.*

Octauò, raritas stellarum est signum pluuiæ. Causa est, quia cùm stellæ apparent minùs densæ solito, signum est quòd media regio aëris incipit spissari, propter cuius spissitudinem prohibetur visio plurium stellarum; modò inspissatio mediæ regionis signat pluuiam, non tamen de propè futuram, *Octauum.*

futuram, sed de longo, vt secundo, vel tertio die.

9. *Nonum.* Nonò, idem significat obtusitas cornuum in nouilunio. Causa est eadem cum præcedente, quia spissitudo aëris prohibet visionem acutiei cornuum, quæ tamen non sufficit prohibere visionem aliarum partium. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

De signis pluuiæ apparentibus in aëre.

Primum signum pluuiæ apparens in aëre. DE tertio, scilicet de signis pluuiæ apparentibus in aëre.

Primò, rubedo nubium serotina signat serenitatem & matutina signat pluuiam, & causa est eadem cum ea, quæ signabatur de rubedine Solis.

Secundum. Secundò, frequens mutatio ventorum signat pluuiam, maximè quando simul venti feruntur ad oppositas partes, verbi gratiâ, quando ventus hîc inferiùs circa nos vadit ad vnam partem horizontis, & nubes deferuntur ad oppositam. Causa est, quia signum est magnæ eleuationis, exhalationis, & vaporis.

Tertium. Tertiò, caligo ascendens superiùs signat pluuiam, sed descendens deorsum signat serenitatem. Causa est, quia caligo postquam ascendit superiùs conuertitur in nubem, quæ est materia pluuiæ, sed cùm cadit deorsum, relinquit aërem serenum, & calor Solis est sufficiens consumere vaporem eleuatum.

Quartum. Quartò, defectus roris signat pluuiam; & causa sumitur per oppositum causæ, quæ signabatur in alia quæstione, quare ros est signum serenitatis.

Quintum. Quintò, nebula est signum serenitatis; sed duplex est nebula, quædam præcedens pluuiam, & quædam subsequens. Nebula præcedens pluuiam signat pluuiam, & causa est, quia ista est materia pluuiæ: & signum est, quia tunc vapores congregantur. Sed nebula sequens pluuiam est signum serenitatis, causa est, quia cùm nubes est conuersa in aquam, in quantùm potest, non remanet aliquid, nisi quod est magis siccum, & rarum, & quasi ampliùs nô conuertibile in aquam; modò postquam non est materia conuertibilis in aquam signum est defectus pluuiæ.

Sextum. Sextò, multitudo pruinæ designat pluuiam, non tamen ita propè futuram. Causa est, quia per degelationem ipsius terra disponitur, vt sit apta ad eleuationem vaporis.

Septimum. Septimò, asperitas radiorum Solis, ita quòd subitò appareat calor intensus plus quàm solito; causa est, quia calor iste est valdè eleuatiuus vaporis; igitur Iris signat pluuiam modicam, & tamen de hoc in quæstionibus de Iride. Et hoc de tertio.

ARTICVLVS IV.

De signis pluuiæ repertis hîc inferiùs in corporibus inanimatis.

Signũ 1. pluuiæ in inanimatis. QVantùm ad quartum. Primò eleuatio puluerum a terrâ in magna multitudine est signum pluuiæ & causa est, quia tunc est signum magnæ eleuationis, exhalationis, & vaporis.

Secundò, fragor arborum, & motus foliorum arborum sine vento signat pluuiam. Causa est eadem, quia tunc plures exhalationes eleuantur. *Secundum.*

Tertiò, scintillatio olei in lampade est signum pluuiæ. *Tertium.*

Quartò, mutatio coloris falcis, quâ tondentur prata, ita quòd si ferrum illius falcis mutetur in rubeum, nigrum, vel liuidum colorem, signat pluuiam. *Quartum.*

Quintò, desiccatio fontium, & fluuiorum, subitò facta, quia tunc signum est quòd ab eis eleuatur. *Quintum.*

Sextò, casus fuliginis in domibus. Et hoc de quarto. *Sextum.*

ARTICVLVS V.

De signis pluuiæ repertis in corporibus animatis.

DE quinto, scilicet de signis repertis in corporibus animatis. *Signũ 1. pluuiæ in animatis.*

Primò, confricatio aurium asini. Causa est, quia in radicibus aurium sunt nerui quidam subtiles valdè, & modicum sensibiles tactui, & ideò, saltem quando aër incipit ingrossari, sequitur confricationem istius grossitiei ad illos neruos, & tunc mouet aures confricando.

Secundò, præscitur pluuia ex saltu piscium aquæ dulcis super aquam. *Secundum.*

Tertiò, ex motu, vel fremitu delphinorum in mari, & hoc insinuat magnam tempestatem, & de istis & aliis sequentibus non potest reddi causa, nisi quòd huiusmodi animalia habent quendam instinctum naturalem ad ista præcognoscenda. *Tertium.*

Quartò, inconsuetus cantus ranarum. *Quartum.*

Quintò, præscitur pluuia ex volatu corui, quia tunc coruus volat cum sonantibus alis. *Quintum.*

Sextò, clamor cornicis cum eleuatione, & depressione colli, collum quodammodo elongando. *Sextum.*

Septimò, præscitur pluuia ex pastu animalium, quia tunc animalia robustiùs comedunt. *Septimum.*

Octauò, præscitur ex apertura concharum maris, & piscium motu, vt dicit author in proprietatibus elementorum: per istum modum generatur margarita in capite conchæ, nam concha in casu roris aperit se, accipiendo guttulas roris, quem cùm in copia recepit, se iterato claudit, & tunc ex illo rore cum qualitatibus propriis, vnà cum influentia cæli generat margaritam. *Octauum.*

Nonò, insinuat pluuiam volatus hirundinum, quia tunc hirundines volant magis propè terram transuersim circumferendo. *Nonum.*

Decimò; præscitur pluuia ex ludo muscarum. *Decimum.*

Et ex istis apparet, quæ sunt signa pluuiæ, & quæ serenitatis. Et per hoc patet responsio ad quæsitum, quòd rubedo matutina est signum pluuiæ, & vespertina serenitatis, vt patet per dicta. *Conclusio quæstionis.*

Ad

Ad argum. principale. Ad rationes. Ad primam, *Rubedo*, &c. Dico quòd quamuis significet siccitatem, tamen cum illis exhalationibus siccis eleuantur plures vapores aquei, qui sunt materia pluuiæ.

Ad 2. Ad secundam de rubedine Lunæ. Dico quòd si Luna appareat rubea in occasu Solis, & etiam propè occasum, tunc est signum serenitatis: si autem in ortu & propè ortum, est signum pluuiæ.

Ad 3. Ad tertiam, *quia rubedo vespertina*, &c. Dico quòd non est simile, quia rubedo vespertina signat exhalationes, & vapores descendere propter frigiditatem noctis; ideò si appareat rubedo, est signum serenitatis; sed si circa occasum apparet nubes magna, & spissa, signum est pluuiæ illius noctis, vel crastinæ diei, signum est multitudo vaporum eleuatorum in alto. Et hæc de quæstiune.

QVÆSTIO XXV.

Utrùm fontes & fluuij generentur ex aqua pluuiali, congregatâ in visceribus terræ?

1. *Arg. princ.* ARGVITVR quòd sic. Primò, quia videmus quòd quidam fontes durant per annum, & alij non: modò hoc non esset, nisi quia illi plus durantes venirent ex maiori concauitate.

Secundum. Secundò, quia videmus quòd patriæ, in quibus modicè pluit, habent fontes, quod non esset, nisi fontes haberent ortum, vel principium ex aqua pluuiali.

Tertium. Tertiò, quia fontes augmentantur in tempore pluuioso, & diminuuntur in tempore sicco, quod non esset, nisi haberent principium ex aqua pluuiali.

Quartum. Quartò, in terræmotu apparent quidam fontes, qui priùs non apparuerunt, & hoc non est, nisi quia aperta est concauitas, in qua aqua concludebatur.

Quintum. Quintò, quia aliter non videretur quò deueniret aqua pluuialis.

Sextum. Sextò, quia sub terra inuenitur aqua, vel igitur illa præexistebat ex aqua pluuiali, & habetur propositum; vel generatur ex nouo, & tunc vel à calido, & hoc non, quia calidi potiùs est consumere aquam, quàm generare; vel à frigido, & hoc non, quia tunc tota terra debet conuerti in aquam.

Septimum. Septimò, si de nouo generatur infra terram, vel ascenderet ad orificia fontis naturaliter, vel violenter; non naturaliter, quia cùm aqua sit grauis, nō mouetur naturaliter sursùm; nec violenter, quia sicut aqua naturaliter descendit de aëre, ita videtur quòd naturaliter ascendit à terra, tanquam de loco sibi naturali.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In ista quæstione primò videbitur de loco, de quo veniunt fontes. Secundò videbitur si fontes fiant ex aqua pluuiali. Tertiò videbitur de modo generationis fontium.

ARTICVLVS I.

Unde veniant fontes?

QVantùm ad primum, sciendum quòd de loco, à quo veniunt fontes, erant tres opiniones. Vna Platonis, quæ posuit fontes venire à quadam charybdi existente sub terra. Secunda posuit, aquam ascendere ad ora fontium, per compressionem alicuius grauioris. Tertia posuit fontes venire à mari. 2.

Fontes vnde. Istis dimissis, sciendum quòd quatuor modis potest imaginari aquam ascendere. Vno modo simpliciter violenter, vt per rotas, vasa, & alia artificialia trahendo, vel expellendo. Alio modo naturaliter per compressionem alicuius grauioris, vt cùm terra puluerizata proiicitur in scyphum, aqua existens in scypho altiùs ascendit; eodem modo de vino, & aliis liquoribus, & hoc est pro tanto, quoniam natura ordinauit grauiora substare leuioribus. Tertiò potest aqua ascendere per conductus, & canales, vt patet ad experientiam. Quartò, non solùm per motum localem, sed cum hoc per alterationem, sicut quando aqua euaporatur à calore, tunc enim vapor ascendit, qui conuertibilis est in aquam faciliter, & ideò dicitur aqua ascendere.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est contra primam opinionem, quòd aqua non ascendit ad ora fontium violenter primo modo. Probatur, quia non apparet ibi aliquod violentans, quia nec rotæ, nec vasa, nec alia artificialia, quibus aqua possit eleuari: nec est ibi ignis expellens, nec aliquid huiusmodi, vnde esset principium talis motus. 3. *Conclusio 1.*

Secundò, si sub terra esset talis charybdis, sequeretur quòd iam terra esset tota submersa. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia grauiora nata sunt substare leuioribus, ideò terra cùm sit grauior aqua, nata esset descendere infra aquam.

Conclusio 2. Secunda cōclusio est, quòd aqua non ascendit ad ora fontium propter compressionem ab aliquo grauiori. Probatur primò, quia si sic, sequeretur quòd tota terra esset tandē submersa aquis. Consequēs falsum, Probatur consequentia, quia continuè per descensum terræ aqua fit eleuatior supra terram; igitur per talem continuum descensum, tandem aqua poterit eleuari supra totam terram. Secundò, quia multa corpora terræ, vnde proueniunt aquæ, sunt solida; igitur ex eis non exit aqua per compressionem alicuius grauioris. Tenet consequentia, quia compressio talis non fit nisi in terra puluerizata, ideò si terra tota pulueriżaretur, tandem per talem compressionem circumdaretur aqua. Ex quo patet quòd imaginatio Senecæ non est vera, quā imaginatur quòd per talem compressionem partium terræ quandoque fiet diluuium uniuersale: & etiam quando non appareret, vnde possit posteà desiccari.

Tertia conclusio est, quòd aqua possit ascendere naturaliter per canales, & conductus, vsque ad altitudinem æqualem altitudinis illius loci, in quo aqua sic ascendens generabatur. istud patet ad experientiam. Nam si canalis per quem discurrit aqua, fiat altior loco generationis illius aquæ, non exiret de canali, sed potiùs exiret de foote suę originis. Et causa quare vsque ad illum locum ascendit, 4. *Conclusio 3.*

ascendit, est grauitas partium aquæ existentium in sua regione. Ex isto sequitur quòd quamuis aqua ista dicatur ascendere, propriè tamen non est ascensus, sed semper est à loco altiori. Secundò, sequitur quòd in terra plana non possunt statui fontes, patet, quia tunc altiùs ascenderet aqua, quàm esset locus suæ generationis. & illud patet per experientiam, quia semper fontes
5. sunt sub aliquo monte.

Obiectio 1. Et si obiciatur primò, quòd alicubi videntur *Secunda.* fontes in cacuminibus montium. Secundò, quia in aliquibus terris sunt aquæ valdè profundæ in cacuminibus montium altissimorum, quorum ta-
Tertia. men latera sunt dura & sicca. Tertiò si in aliquo monte sit concauitas, cuius latera sunt densa, & compacta, & partes superiores sunt porosæ, plenę meatibus, tunc aqua ibidem genita, non exiret à lateribus propter compactitatem ipsorum; igitur in tanta copia potest ibi aqua generari, quòd exeat per partes superiores, & per consequens aqua ascendit altiùs, quàm sit locus suæ originis.

Ad 1. Ad ista est dicendum. Ad primum, Dico quòd si fiant fontes in cacuminibus montium, aqua illorum montium generatur in monte altiori, & decurrit per quosdam aquæductus & canales, vsque ad os illius fontis.

Ad 2. Ad secundum dico quòd aqua illa in cacuminibus montium potest prouenire ex duobus, vno modo ex aqua pluuiali, ex niue, vel ex aliis impressionibus aqueis, quæ cadunt super illos montes, & tunc per frigiditatem mediæ regionis non est calor sufficiens istas humiditates digerere, sed ibidem remanent indigestæ. Ex quo potest hoc prouenire, scilicet ex spissitudine materiæ terrestris in illis montibus, antequam perueniatur ad lapides; modò materia illa mixta aquæ pluuiali efficitur mollis, & lutosa, ideò est ibi maior profonditas, quàm si totus mons esset saxosus.

Ad 3. Ad tertium, Dico quòd non est possibile concauitatum latera esse ita compacta, quin per ipsa possit aqua percurrere, & hoc dico, quia si essent ita compacta, tunc aqua ibidem existens putrefieret, & corrumperetur, vt non posset alia subintrare propter compactitatem laterum concauitatis.

6. Secundò sequitur ex quæstione, quòd mare non est locus originis fontium: Probatur, quia nunquam aqua statuitur in loco altiori, quàm sit locus suæ generationis, cùm mare non sit locus altior montibus, vnde procedunt fontes, imò nec etiam planis terræ, quia omnis aqua decurrit ad ipsa, tanquam ad locum decliuiorem.

Conclusio 4. Quarta conclusio est, quòd aqua ascendit quarto modo, vel non solum per motum localem, imò per euaporationem, vt patet ad experientiam, quia propter hoc super terra generantur niues, grandines, pluuiæ, rores & pruinæ, & infra terram fontes, & fluuij, vt postea patebit. Concluditur igitur ex istis, quare aqua naturaliter ascendit ad orificia fontium, scilicet vsque ad altitudinem suæ originis. & hoc propter solum motum localem, sequitur quòd vaporando naturaliter ascendit per motum localem, & alterationem. Et hoc de primo.

Articvlvs II.

An fontes fiant ex aqua pluuiali?

De secundo sit conclusio ista, quòd fontes & fluuij non generantur ex aqua pluuiali, 7. *Fontes & flumina non generantur ex aqua pluuiali.*
ita quòd aqua pluuialis congregata in concauitatibus terræ sit sufficiens principium generationis fontium & fluuiorum. Probatur consequentia, quia si ita esset, sequeretur quòd concauitates terræ, in quibus includuntur, essent altiores orificiis fontium: consequens falsum, quia tunc tota aqua interiùs congregata iaceret super orificium fontis, & sic hyeme, & æstate æqualiter fluerent fontes. Quemadmodum videmus quòd si os vasis pleni aquæ perforetur inferiùs, continuè decurrit æqualiter, donec non sit ampliùs aqua in vase. Et patet consequentia per tertiam conclusionem primæ partis, quia semper locus originis aquæ debet esse altior, vel saltem æquè altus loco exitus.

Secundò, quia si aqua pluuialis esset principium sufficiens &c. tunc fontes non possent per suum perpetuari, nisi tantùm per vnam pluuiam, vel plus esset restitutum, quàm exiret tempore præcedenti. Consequens falsum. quia in magnis siccitatibus inter duas pluuias plus aquę decurrit de vno monte, quàm sit tota grossities illius montis, si imaginaretur poni tota terra simul, quod non esset, si aqua esset inclusa simul in illo monte.

Tertiò, quia aqua pluuialis non inuenitur sub terra, nisi per decem pedes, vt vult Seneca *de naturalibus quæstionibus*, tamen aqua inuenitur sub terra plus quàm centum pedes fodientibus terram, quod non esset, si aqua illa inferior generaretur ex aqua pluuiali.

Quartò, quia videmus quòd per modicam partem pluuiæ humectatur terra, & ipsâ humectatâ residuum pluuiæ descendit ad flumina, & mediante ipsa flumina augmentantur, quod non esset, si multa pluuia congregaretur in visceribus terræ.

Quintò, quia videmus in locis montuosis vbi maximè generantur fontes, quòd aqua pluuialis cadit deorsum, propter densitatem montium. Similiter videmus quòd suprà quosdam fontes est magna spissitudo montis, quam non potest aqua pluuialis penetrare. Et hoc de secundo.

De tertio dicetur in alia quæstione.

Ad rationes. Ad primam, *quidam fontes*, &c. 8.
Dico quòd causa est, quia illi fontes, qui durant *Ad 1. argum. principale.*
per annum habent loca concauitatum, & pororum terræ sufficienter frigida ad conuertendum aërem inclusum, vel vaporem in aquam, & cum hoc habent sufficientiam talis aëris, vel vaporis, sed in illis qui modico tempore durant deficit altera istarum causarum.

Aliter dicitur, quòd fontes illi, qui non durant, non sunt veri fontes, sed fiunt ex congregatione aquæ pluuialis, & cùm ipsa deficit, & iste fons.

Ad secundam. Verum est pro tanto, quòd *Ad 2.*
terra sicca minùs est disposita ad generationem aquarum, quàm terra frigida, & humida.

Ad tertiam, de augmentatione fluuiorum, di- *Ad 3.*
co quòd ista augmentatio non solùm venit ex

parte

parte pluuiæ, sed ex hoc quòd tempus est magis dispositum tam infra terram, quàm extrà ad generationem aquarum.

Ad 4. Ad quartam de terræmotu, dico quòd aqua ista generatur ibi de nouo, sed iam habet locum alium exitus, quàm antè habebat.

Ad 5. Ad quintam, *non videtur quò*, &c. Dico quòd pars consumitur à siccitate terræ, & pars resoluitur à Sole, & residuum cum fluuiis intrat mare.

Ad 6. Ad sextam. Concedo quòd generatur infra terram, sed non à calore euaporante, sed à frigiditate condensante.

Ad 7. Ad septimam, qualiter est motus naturalis, & qualiter est motus violentus, dictum est in quæstione.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm in concauitatibus terræ generetur aqua fontium ex aëre euaporato?

1. *Arg. 1.* ARGVITVR quòd non, quia in terra non sunt aliquæ concauitates; igitur, &c. Tenet consequentia & antecedens probatur, quia terra est quoddam corpus homogeneum, quod non esset, si haberet concauitates, nam istæ replentur corporibus alterius rationis.

Secundum. Secundò, Terra est notabiliter frigida, igitur non habet concauitates. Consequentia tenet, quia frigiditas comprimit, & condensat, & antecedens apparet ex complexionibus elementorum.

Tertium. Tertiò, terra est similiter grauis, ergo non habet concauitates. Tenet consequentia, quia terra caderet inferiùs, infra illas concauitates, quia graue naturaliter tendit deorsùm.

Quartum. Quartò, nam infra terram non includitur aër; igitur aquæ fontium non generantur ex aëre incluso infra terram. Tenet consequentia de se; & antecedens probatur, quia aër cùm sit naturaliter leuis, natus est ascendere supra terram.

Quintum. Quintò, quia dato quòd aër esset ibi, non posset ibidem euaporare, quia non est ibi calidum euaporans.

Sextum. Sextò, quia vel aqua ibi generatur à calido, vel à frigido; non à calido, quia sub terra non est caliditas: nec à frigido, quia tunc cùm tota terra sit frigida tota deberet conuerti in aquam.

Oppositum. Ad oppositum est Aristoteles in isto primo.

2. *Fontium diuersitas.* Notandum est hîc primò, quòd quidam sunt fontes, qui fluunt per totum annum; alij qui non fluunt per totum annum, sed desiccantur: & illorum, qui desiccantur, quidam fiunt ex aqua pluuiali, vel ex aqua, quæ resoluta est ex niue, vel glacie, & isti non sunt veri fontes; alij generati sunt ex aëre, vel vapore incluso infra terram, vt pòst videbitur, & de primis fontibus non intelligitur quæstio.

Secundò, quòd quidam sunt fontes generati sub terra, qui non habent locum decliuiorem super terram, per quem possint decurrere, & tales generantur in stagnis sub terra, & quandoque stant sine decursu, sed quandoque fluunt per vias subterraneas, & intrant mare, in profundo eius, & in talibus aquis inclusis sub terra generantur pisces, & quædam alia animalia, quæ propter defectum lucis sunt cæca, turpia, & quodammodo venenosa; vt narrat Seneca de quadam tali aqua inuenta sub terra, de cuius piscibus comedentes homines moriebantur.

Alij sunt fontes, siue aquæ, sub terra, qui habent locum decliuiorem, ad quem possent decurrere; & quandoque talis aqua exit statim post suam generationem; & tunc non sunt fontes parui; sed aliquando plures riuuli congregantur, ita quòd posteà exeunt, & faciunt vnum fontem maiorem, & aliquando tot riuuli concurrunt in aliqua concauitate, quòd ibi quasi concurrunt stagna sub terra, ex quo in aliquo loco exit quidam fons paruus: & in tali concauitate quandoque generantur pisces, & anguillæ, & aliqua quæ sunt cæca, & venenosa, & quandoque aqua illa erumpit terrâ, & exit in magna copia. Istæ igitur sunt diuersitates fontium generatorum sub terra.

Tunc ponuntur conclusiones. Et quia quæstio 3.
vnum supponit, scilicet quòd sub terra sunt quæ- *Conclusio 1.*
dam concauitates, ideò de hoc sit prima conclu- *Concauitates*
sio, quòd infra terram sunt quædam concauita- *terræ pro-*
tes. Probatur, nam per experientiam videmus *bantur.*
quosdam fluuios subintrare terram, & per longum spatium decurrere sub terra, & posteà exire in alio loco, quod non esset, nisi infra terram essent tales concauitates. Secundò, quia quandoque videmus quasdam concauitates totaliter submergi infra terram, & includi à terra, quod non esset, nisi infra terram essent tales concauitates. Tertiò per experientiam, quia fodientes quandoque inueniunt tales concauitates sub terra.

Secunda conclusio est de supposito quæstionis, *Conclusio 2.* quia infra terram sunt quædam; vel igitur sunt plenæ, vel vacuæ; non vacuæ, vt patet 4. *Physicorum*; igitur sunt plenæ, & non alio corpore, quàm aëre, vel vapore, vt patet ad experientiam, igitur, &c.

Tertia conclusio, quòd infra terram aqua ge- *Conclusio 3.* neratur. Probatur primò, quia infrà inuenitur, vel igitur illa venit à mari, vel à charybdi sub terra, vel ex aqua pluuiali: sed neutro illorum modorum, vt patet ex præcedenti quæstione; igitur oportet quòd ibi generetur. Secundò, quia fodientes terram inueniunt guttulas aquæ distillare per ipsam. Tertiò, nam sub terra potest generari ignis; igitur similiter sub terra potest generari aqua. Consequentia tenet, quia plus conuenit aqua cum terra, quàm conuenit ignis.

Sed de modo generationis dico quòd genera- 4.
tur illo modo, quia infra concauitates terræ in- *Aqua quo-*
cluditur aër, qui infrigidatur, & condensatur à *modo genera-*
latere illarum concauitatum, & aër ille sic frigi- *tur?*
datus conuertitur in aquam, & istæ aquæ congregant se ad inuicem propter similitudinem, & efficiunt paruulos riuulos sub terra; & illi riuuli maiorem, & sic continuè vsque ad aliquem locum exeunt per modum fontis. Et hoc demonstratur exemplariter in animali, quia à partibus inferioribus animalis eleuantur fumi, & vapores vsque ad caput, vbi propter frigiditatem cerebri condensantur, & conuertuntur in inteosam densitatem, & exeunt per nares: ita consimiliter aër eleuatus ad concauitatem montium infrigidatus, vel ingrossatus à latere montis, & conuersus in in aquam, descendit per partes inferiores, & quia locus ille, quem occupabat aër, non potest remanere vacuus, ideò illi succedit alter aër, & propter talem successionem perpetuatur fontes & fluuij.

Ex istis posset reddi causa, quare quidam fon-

Cur quidam fontes non durant per annum? tes non durant per annum. Causa est, quia possibile est quòd latera concauitatum, in quibus generatur illa aqua, desiccentur per calorem, in tantùm quòd ampliùs non sufficit conuertere aërem in aquam, vel quia aqua ibidem generata diuertit se ad alium locum exitus, quàm vbi priùs exibat.

Dubium 1. Quare aqua exit terrâ bulliendo? Circa ista dubitatur primò, quare quidam fontes exeunt bulliendo? Ad illud dicunt aliqui, quòd causa est, quia aqua ibidem exiens propellitur ab aëre inferiori, inclinante ascendere sursum, & propter talem impulsum apparet quasi bulliret.

Solutio. Istud non videtur, quia tunc sequeretur quòd aqua ibidem exiens esset ibi generata, quod est falsum, quia semper aqua generatur in loco altiori, quàm sit locus sui exitus. Ideò causa est, quia aqua sic bulliens, vt in pluribus exit à terra arenosa, & descendit de loco altiori, & ratione altitudinis venit cum magno impetu ad locum exitus, & ex tali impetu vnà cum arenositate terræ causatur talis bullitio.

Dubium 2. Secundò, dubitatur quare in medio interstitio terræ nō generantur fontes, & fluuij, quemadmodum in media regione aëris generantur pluuiæ, & aliæ aquæ.

Solutio. Ad istud dico, quòd distinctio regionum aëris fit per reflexionem radiorum Solis; modò talis reflexio radiorum Solis non habet locum in terra; saltem quoad hoc, quòd causet distinctionem regionum terræ.

Dubium 3. Tertiò dubitatur, quia si concauitates debent poni infra terram propter introitum aquæ in terram, tunc sequitur quòd infinitæ deberent poni tales concauitates. Consequens falsum, quia tunc nulla pars esset alteri continua. Et patet consequentia, quia perpetuò concurrunt fluuij in ipsam terram.

Solutio. Ad istud dico, quòd non oportet infinitas concauitates esse, quia multæ partes aquæ continuè consumuntur, quemadmodum & aliæ generantur.

Dubium 4. Quartò dubitatur, vtrùm in hyeme fontes debeant esse maiores quàm in æstate? & arguitur quòd non, quia sicut in æstate pauciores sunt aquæ quàm in hyeme super terram, eò quòd in æstate maior est caliditas, ita videtur quòd in hyeme pauciores debent fieri aquæ sub terra quàm in æstate; quia in hyeme est quodammodo æstas sub terra propter caliditatem.

Responsio. Ad illud, dicitur quòd in æstate debent esse fontes minores. Causa est, quia in æstate latera terræ sunt sicciora; modò ad generationem aquæ sub terra multùm concurrit humiditas. Alia causa est, quia in æstate est nimia frigiditas sub terra, ideò exhalatio, siue aër inclusus infra terram, est quodammodo congelatus, ita quòd non eleuatur ad concauitates montium, vbi generantur aquæ.

Dubium 5. Quintò dubitatur, quare aliqui fontes rident hominibus accedentibus ad ipsos, id est, altiùs saltant. Causa est, quia fontes illi sunt in locis paludosis; ideò accedente aliquo, aqua subtùs exiens comprimitur, & ex ista compressione aqua saltat altiùs.

Ad 1. arg. Per hoc ad rationes. Ad primam, *terra non habet*, &c. Negatur antecedens. Ad probationem, terra est simplex elementum, dicitur quòd non, imò terra circa nos est mixta, cuius signum est, quòd fodientes inueniunt partes diuersarum naturarum, putà argillam, lapides, metalla, & huiusmodi.

Ad 2. Ad secundam, *terra est frigida*, &c. Negatur consequentia, quia frigiditas terræ non est ita intensa, quòd sufficiat ipsam comprimere, sic quòd in ea non includantur concauitates.

Ad 3. Ad tertiam, *terra est grauis*, &c. Negatur consequentia, quia terra existens super illas concauitates continuatur aliis partibus, in quibus nō sunt concauitates, & ideò totum quiescit naturaliter.

Ad 4. & 5. Ad quartam, & quintam simul, dico quòd aër propter replere vacuum potest descendere deorsum, & tunc aër existens infra potest euaporari sursum ad illas partes terræ.

Ad 6. Ad sextam, *vel à calido*, dico quòd aqua illa non generatur à calido euaporante, sed à frigido condensante.

Explicit primus Liber Meteororum.

LIBER

LIBER SECVNDVS METEORORVM.

Qvæstio Prima.

Vtrum semper mare fluat à Septentrione ad Austrum?

1. *Arg. primi.* Arguitur quòd non, quia nullum corpus naturale mouetur à loco conseruatiuo ipsius ad locum suæ corruptionis; locus Septentrionalis est conseruatiuus maris, & meridionalis corruptiuus eiusdem; igitur, &c. Maior patet, quia quodlibet ens naturale diligit se permanere, & conseruari, vt patet 1. *Physicorum*, & 2. *de Anima*. Et minor patet, quia locus Septentrionalis est frigidus & humidus, cùm ibi plures fontes & fluuij generentur; sed locus meridionalis est calidus & siccus, cùm pauciores ibidem generentur; modò caliditas & siccitas sunt dispositiones corruptiuæ aquæ.

Secundum. Secundò, quia nullum corpus naturale existens in suo loco naturali, mouetur extra ipsum; sed locus maris Septentrionalis est eius locus; igitur, &c. Maior patet 4 *Physicorum*, quia quodlibet corpus naturale naturaliter quiescit in suo loco naturali. Et minor patet, quia locus, quem occupat mare est locus naturalis aquæ, vt patet *ex isto secundo*, & non apparet tanto quare locus meridionalis magis sit locus naturalis maris, quàm locus Septentrionalis.

Tertium. Tertiò, sequeretur quòd mare Septentrionale non esset salsum, imò dulce, consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia ex ipso continuè exit aqua salsa versùs meridiem, & in ipsum intrant riuuli, & fluuij dulces, & per consequens totum debet fieri dulce.

Quartum. Quartò, si hoc esset, esset pro tanto, quòd terra in Septentrione sit altior, quàm sit terra meridiei; modò consequens est falsum, quia tota terra est sphærica, vt patet 2. *Cæli*, & *tractatu de sphæra*. Secundò, patet falsitas consequentis, quia qua ratione terra versùs Septentrionem esset altior terra versùs meridiem, eadem ratione terra sub polo Antarctico esset altior terra sub Æquinoctiali, & sic terra non esset regularis figuræ, sed altior in extremis, & bassior in medio.

Oppositum. Ad oppositum est Aristoteles *in isto secundo, cap. primo*, vbi dicit quòd mare Mæotidis fluit in Pontum, & Pontus in Ægeum, & Ægæus in Pelagum; modò Mæotis est mare situatum versùs Septentrionem, & Pelagus situatur sub Æquinoctiali, scilicèt versùs meridiem.

In ista quæstione primò videbitur de generatione maris. Secundò, si mare sit locus naturalis aquarum. Et tertiò, de quæsito.

Articvlvs I.

De generatione maris.

Qvantùm ad primum, dicunt aliqui quòd mare est perpetuum. Alij dicunt quòd generatur ex fontibus existentibus sub mari. Et hoc est falsum, quia mare non est altius loco suæ originis. Alij dicunt quòd venit à quodam coarctato in visceribus terræ. Et illud improbatum est superiùs. 2.

Mare generatur & corrumpitur. Istis omissis, est prima conclusio, quòd mare generatur, & corrumpitur. Probatur, quia omne materiale est generabile & corruptibile, &c. Maior patet, quia materia est sufficiens causa generationis, & corruptionis, vt patet 1. *Physicorum*, & 2. *de Generatione*. Et minor patet, quia mare est infra orbem Lunæ, & omne tale est materiale.

Secunda conclusio est, quòd mare generatur ex fontibus, & fluuiis ingredientibus ipsum mare. Patet, quia non apparet alius modus vnde generaretur, nisi per fontes & flumina, per pluuias & niues, & alias impressiones aqueas, quæ intrant ipsum mare.

Dubium 1. Sed dubitatur, quare est hoc, quòd si mare generetur, & corrumpatur continuè apparet eodem modo, & continuè, consimiliter se habere sine generatione & corruptione?

Solutio. Dico quòd hoc est propter continuam successionem partium consimiliũ partibus illis, quæ de nouo corrumpuntur, & hoc continuè quemadmodum videmus in alijs, sicut flamma candelæ apparet nobis eadem à principio incensionis vsque ad extinctionem, & tamen in rei veritate est continuè alia, & alia, sicut patet *in isto secundo*. Et hoc est propter similitudinem flammæ succedentis continuè, per continuam generationem flammæ, quæ continuè corrumpebatur. Similiter apparens nobis quidam perpetui lapides, eò quòd in vita hominis diminuuntur solùm secundùm partes insensibiles.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quare mare cum generetur ex fontibus & fluuiis non apparet augmentari ab ipsis?

Solutio. Dico quòd ad hoc faciunt tres causæ. Prima est, quia partes maris continuè consumuntur per desiccationem à partibus terræ, per quas transit mare; modò cùm partes continuè consumuntur, sic aliundè augmentantur, ideò non oportet quòd mare appareat augmentari. Sicut patet in exemplo, nam lacus inclusus infra terram, à quo

nullus patet exitus, tandem totaliter desiccaretur à terra, nisi essent quidam riuuli parui ipsam ingredientes, qui in eadem proportione lacum conseruarent, sicut partes illius consumuntur à terra; modò sicut se habent illi riuuli parui ad aquam, ita videntur omnes se habere fontes, & fluuij ad mare.

Secunda causa ad hoc faciens, est ventus, & motus ipsius maris: nam ventus est calidus & siccus, ideò plures partes maris per ipsum desiccantur, & consumuntur. Similiter ad hoc facit motus per confricationem maris, & aëris, ideò plures partes ipsius consumuntur.

Et si dicatur quòd quandoque potest esse, quòd aër propinquus mari conuertatur in aquam, & sic non solùm habebit mare generationem ex fontibus, & fluuiis, & impressionibus aqueis. Respondetur quòd quamuis multoties ita fiat, tamen mare illo modo non recipit notabilem generationem, & augmentationem in comparatione ad sui magnitudinem.

Tertia causa est potissima, per quam supponatur primò, quòd aqua exposita Soli consumitur à Sole. Istud patet ad experientiam. Secundò, supponitur quòd quando aqua exponitur Soli magis diffusa, & extensa in partes, tantò faciliùs & citiùs corrumpitur à Sole, & quocunque alio desiccante. Patet, quia si scyphus plenus aqua expanditur hinc inde super tabulam, & exponatur Soli; modico tempore consumitur, quæ si retenta esset in scypho, non ita citò consumeretur.

Ex istis patet, quòd cùm mare sit aqua consumptibilis à Sole, & exponatur sibi secundùm magnam superficiem, eò quòd mare est magnum, & latum, multum de mari consumitur à Sole, imò æqualiter, sicut ipsum ingreditur per fontes, & fluuios, & quandoque magis, & quandoque minùs; & ideò per talem introitum fontium, & fluuiorum in mare non oportet mare augmentari, plus quam oportet terram diminui per exitum fontium, & fluuiorum de ipsa terra, & hoc, quia fontes & fluuij continuè generantur infra terram. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

An mare sit locus naturalis aquarum?

4. *Locus quem occupat mare, est locus naturalis aquarum.*

DE secundo sit conclusio ista, quòd locus, quem occupat mare, est locus naturalis aquarum, ad quam omnes aquæ mouentur naturaliter, sed tamen ad locum, quem occupat mare ita fit; igitur, &c. Maior patet, quia locus sursum dicitur locus naturalis leuium, eò quòd ad ipsum leuia naturaliter mouentur, & ita de aliis Minor patet ad experientiam, videmus enim quòd omnes aquæ fluunt in mare.

Dubium 1. Dubitatur igitur primò, quia grauioris & leuioris non est idem locus naturalis: sed aqua dulcis est leuior, & subtilior, & aqua maris grossior, & grauior: ergo ipsorum non est idem locus naturalis. Maior patet, quia subtilius & leuius natum est altiùs locari, quàm grauius. Minor patet per Aristotelem 2. *huius*, quia nil est locus partis subtilioris nutrimenti, & partis grossioris nutrimenti, igitur à simili, nullus esset locus naturalis aquæ dulcis & maris. Tenet consequentia, quia sicut subtilius nutrimenti est dulce, & grossum terrestre est amarum, & salsum; ita est de aqua dulci & maris. Et antecedens apparet, quia subtilius nutrimentorum mittitur ad singula membra, sed grossius & terrestrius remanet in fundo stomachi.

Tertiò sola declinatio, siue decliuitas loci est causa omnis motus aquæ, per quem fit fluxus, & refluxus ipsius maris; igitur aqua non habet aliquem locum naturalem, ad quem naturaliter mouetur. Tenet consequentia, quia si esset locus, ad quem naturaliter moueretur, siue esset decliuior, siue non, ad ipsum moueretur. Et antecedens patet per Senecam 3. *de naturalibus quæstionibus*, & ipsum allegat Albertus *in secundo huius*.

Quartò, vel aqua mouetur ad eundém locum, ad quem mouetur terra, vel non; si ad eundem, sequeretur quòd centrum terræ esset locus naturalis aquæ, sicut est terra; si ad alium, tunc non est idem centrum totius grauitatis mundi.

Ad ista, ad primum, & secundum simul, dico quòd locus primariò receptioni omnium aquarum est locus, quem occupat mare, quemadmodum stomachus est locus primariò receptionis omnium ciborum, sed postea sicut euaporantur partes subtilioris nutrimenti, & eleuantur, & mittuntur ad singula membra, & quod grossius & terrestrius est manet in ipso stomacho; ita consimiliter per actionem Solis euaporantur partes subtiliores aquæ, & ascendunt sursum, sed grossius, & terrestrius manet in illo loco. 5. *Solutio.*

Ad tertium, *sola decliuitas*, &c. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia motus sursum est causa motus leuium, quod si non esset eleuatio loci, leue non ascenderet, & tamen hoc non obstante leue habet locum naturalem.

Ad quartum, *vel aqua mouetur ad idem centrum*, &c. de isto est magna difficultas. Et imaginatur. Campanus *tractatu suo de sphæra, cap. 5.* quòd terra sit eleuata extra centrum mundi, & aqua ponatur ab opposita parte contraponderando terræ, & sic secundùm ipsum diuersa sunt centra grauitatis terræ, & aquæ; & imaginatur quòd terra fuisset cooperta aquis, & postea iussu diuino aquæ congregarentur ad vnum locum, vt terra appareat arida finaliter, vt homo & alia animalia haberent locum congruentem suæ habitationi, & quia talis concursus aquarum non potest fieri terra remanente in suo centro, quia adhuc aqua niteretur cooperire terram, ideò oportuit terram ascendere de suo loco. & sunt verba Campani, postquam numerauit situs, & ordines sphærarum cæli, & ordinem ignis & aëris, sic dicit: *Secunda est sphæra aquæ, cuius orbicularis ambitus est diuino præcepto discissus à terra, & sua discissionis parte media consurgente diuinum præceptum erat, vt congregarentur aquæ*, &c. *Campani opinio.*

Sed contra istud arguitur primò, quia si ita esset, sequeretur quòd aliquis esset locus terræ, super quem si poneretur portio terræ, & portio aquæ, non mouerentur deorsum per eandem viam. Consequens est contra experientiam; semper enim aqua posita sursum descendit per eandem viam, per quam descenderet terra, si esset ibidem posita. Probatur consequentia, aqua moueretur ad centrum aquæ, & terra ad centrum terræ; modò ipsarum sunt diuersa centra, cùm sint sphæræ eccentricæ. Secundò, sequeretur quòd portio terræ inhabitata esset figuræ circularis. 6. *Refutatur.*

laris. Consequens impossibile, vt patet per Aristotelem *in isto secundo*, & alios, qui ponunt maiorem esse distantiam terræ habitabilis ab Oriente in Occidentem, quàm à Septenthrione in Austrum. Et probatur consequens, quia semper est portio sphæræ eleuata super aliam sphæram, cui est eccentrica, est portio circularis.

7. *Terra est concentrica mundo & aqua.* Ideò istis dimissis, dico quòd terra est concentrica mundo, & etiam aquæ, quantùm ad grauitatem, ita quòd idem est centrum grauitatis terræ, & aquæ, sed non est idem centrum magnitudinis; propter quod præmitto primò, quòd tota terra non est purè simplex, imò pars, quam inhabitamus est commixta, & per consequens leuior parte pura, quæ est deorsum. Istud patet, quia fodientes terram semper inueniunt partes diuersarum rationum, vt arenam, lapides, & huiusmodi, quæ sunt mixta.

Secundò præmittitur, quòd si sit aliquod difforme in grauitate, & cadit ad centrum mundi, centrum suæ grauitatis esset in centro mundi, & non centrum suæ magnitudinis. Patet, quia si in centro mundi non esset terra, nec aqua, sed præcisè aër circundans vndique vsque ad centrum, tunc si proiiceretur scyphus aquæ vsque ad centrum, aqua illa congregaretur in centrum per modum cuiusdam modicæ sphæræ; & tunc si caperetur vnus clauus ferreus longus, cuius caput esset valde grossum; tunc ab vna parte aquæ existentis in centro clauus eleuaretur super aquam, sed ab alia parte non, vt patet intelligenti.

Aliud est centrum magnitudinis terræ, & aliud eius grauitatis. Ex istis patet quòd aliud est centrum magnitudinis terræ, & aliud suæ grauitatis, quia per primam suppositionem, terra est difformis in grauitate, & pars eius leuior est versùs nos, cùm sit commixta; igitur minor pars eius est citra centrum, quàm sit vltrà, & cùm in centro mundi sit centrum suæ grauitatis, sequeretur quòd citra centrum mundi esset centrum suæ magnitudinis. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

Resolutio quæstionis.

8. *Fluxus maris triplex.* QVantùm ad tertium, sciendum quòd tres apparent fluxus maris: vnus est à Septentrione ad Austrum; alter est fluxus, & refluxus ipsius maris quolibet die naturali bis; tertius fluxus & refluxus ipsius quolibet mense semel; modò in proposito solum intendo loqui de primo fluxu, quia de aliis postea dicetur.

Secundò sciendum, quòd Septentrio dicitur locus suppositus Æquinoctiali: vnde quantò locus aliquis est propè magis polum Arcticum, dicitur Septentrionalior, & quantò magis propè Æquinoctialem, tanto meridionalior.

Mare semper fluit à Septentrione ad Austrum. Secundùm hoc sit ista conclusio, quòd semper mare fluit à Septentrione ad Austrum. Concludo quantùm ad hoc, quia est ad experientiam. Sed ad reddendam causam præmitto aliqua. Primum est, quòd semper aqua fluit ad locum decliuiorem, cuius signum est secundùm Albertum, quia aqua mouetur alicubi ab Oriente ad Occidentem, & alicubi è contrà; alicubi à Septentrione ad Austrum, & alicubi è contrà; quod non esset, si haberet aliquem locum determinatum, ad quem moueretur, ideò semper fluit ad locum decliuiorem.

Secundò supponitur, quòd plus de aqua generatur in Septentrione, quàm in Austro. Patet, quia locus Septentrionalis cum sit frigidus & humidus propter elongationem à Sole, magis aptus est ad generationem aquæ, quàm alia loca terræ. Tertiò supponitur quòd in loco meridionali plus de aqua consumitur, quàm in loco Septentrionali. Patet, quia Sol est propinquior parti meridionali, & aspicit illam directiùs, quàm aspicit locum Septentrionalem, ideò fortiùs potest ibi agere, & per consequens plus consumere.

Ex istis patet causa illius fluxus, quia in Septentrione plus aquæ generatur, & in meridie plus consumitur; igitur aqua in meridie bassior est non secundùm situm, sed secundùm depressionem aquæ, propter corruptionem; igitur per primam suppositionem mare currit de loco Septentrionali ad locum meridionalem. *Ratio.*

9. *Ad 1. argum. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, *nullum corpus naturale*, &c. Istud negatur, quia semper aqua petit locum decliuiorem, siue locus iste sit conseruatiuus sui, siue non; & ita aqua mouetur ad locum meridionalem, non propter conseruationem, sed decliuitatem.

Ad 2. Ad secundam concedo, modò dico quòd locus naturalis maris potest sibi fieri innaturalis, propter nimiam multiplicitatem aquæ. causa est, quia semper aqua determinat sibi, quod eius conuexa superficies sit sphærica in loco suo naturali, modò tantùm potest multiplicari de aqua in vna parte, quæ nisi decurreret ad locum decliuiorem, ampliùs non esset sphæricæ figuræ, sed figuræ valdè difformis.

Ad 3. Ad tertiam *sequeretur quòd non esset salsum.* Negatur consequentia, quia quamuis multum de salsedine exeat versùs meridiem, cum hoc etiam multum generatur per commixtionem exhalationis in parte Septentrionali, & etiam per actionem Solis.

Ad 4. Ad quartam, *Hoc esset*, &c. Dico quòd non, Sed quia aqua esset altior, propter continuam generationem ipsius in loco Septentrionali.

QVÆSTIO II.

Utrùm mare fluat?

1, *Arg. primũ.* ARGVITVR primò quòd non, quia vel motus ille est naturalis, vel violentus; non violentus, quia tunc motus ille non posset perpetuari; nec naturalis, quia vnius corporis simplicis est vnus solus motus simplex secundùm naturam: modò aquæ est motus deorsùm, cùm aqua sit naturaliter grauis, &c.

Secundum. Secundò, alia elementa non mouentur in locis suis motu fluxus & refluxus: ergo nec etiam mare. Tenet consequentia, quia idem videtur iudicium de aqua in loco suo naturali, & de aliis elementis: & consequens apparet per experientiam

Tertium. Tertiò, aliæ aquæ nec fluunt, nec refluunt; igitur nec mare. Tenet consequentia, quia omnes aquæ sunt eiusdem speciei; igitur videtur si vna istarum nata est fluere; igitur & reliquæ.

Et

Et antecedens apparet ad experientiam de fontibus, & fluuiis, lacubus, & stagnis.

Quartum. Quartò, quia mare Mediterraneum non fluit, nec refluit; igitur nec aliquod aliud mare. Antecedens patet ad experientiam. Et probatur consequentia, quia vt communiter assignatur, fluxus & refluxus maris prouenit à motu Lunæ; modò Luna influit in mare Mediterraneum, sicut in mare Oceanum, imò Luna plus influit in mare Mediterraneum, cùm sit sibi propinquius, quàm nulla maria situata versùs Septentrionem, quæ fluunt, & refluunt.

Quintum. Quintò, omne corpus naturale naturaliter quiescit in loco suo naturali; igitur mare non debet fluere, & refluere. Maior patet 4. *Physicorum*, & minor patet ex præcedenti quæstione.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo.

In ista quæstione primò præmittenda sunt aliqua; deinde reddendæ sunt causæ fluxus, & refluxus maris.

Articvlvs I.

Quædam præmittuntur, de maris fluxu & marium diuersitate.

2. *Fluxus maris varius.* QVantùm ad primum, sciendum quòd quidam est fluxus maris à Septentrione ad Austrum, qui continuè fit ad modum, quo vnus fluuius ingreditur in alium, & dictum est de isto in præcedenti quæstione.

Sed alter est fluxus, quo bis in die naturali, vel modicum minus mare fluit & refluit, & de isto intendimus in proposito.

Mare multiplex. Secundò, sciendum quòd maria sunt in triplici differentia, quia quædam sunt maria, quæ nec fluunt, nec refluunt, nec apparent fluere. Alia sunt quæ fluunt, & non apparent fluere, alia sunt, quæ fluunt, & apparent fluere.

Primum genus marium est in triplici differentia, nam quædam sunt lacus, stagna, & huiusmodi, quæ includuntur montibus, quæ nec fluunt, nec refluunt. Alia sunt quæ non fluunt propter mobilitatem terræ, super quam fundantur. Alia sunt, quæ non fluunt propter remotionem à Luna.

Secundum genus marium est in triplici differentia; nam quædam sunt maria, quæ fluunt, & refluunt, & non apparent fluere propter remotionem à litoribus, ita quòd amplitudo maris impedit apparentiam fluxus; & ideò vbi mare magnum intercipitur insulis, vbi est via strictior, ibi magis apparet fluxus, & vbi amplior ibi minus apparet. Sed alia sunt maria, quæ fluunt, & non apparent fluere propter altitudinem, & habitationem rupium, & riparum, quibus includitur illud mare. Sed tertia sunt, quorum fluxus non apparet propter hoc, quia vnum fluit in reliquum, & è contra.

Sed tertium genus marium est, quod fluit, & apparet fluere, sicut mare Oceanum, & alia maria sibi contiguata. Verum est tamen quòd aliqua maria sunt continuata per vias strictas mari Oceano, quæ tamen non fluunt, nec refluunt; ideò maria, quæ non continuantur ad Oceanum non fluunt, nec etiam ista quæ continuantur solùm per vias strictas, sicut est mare Mediterraneum. Vnde mare Oceanum dicitur illud mare magnum, inpertransibile, quod circuit totam terram habitabilem ab Oriente in Occidentem per Meridiem, & Septentrionalem, ita quòd terra habitabilis est insula istius maris.

Tertiò sciendum, quòd fluxus ille, & refluxus quolibet die naturali fit bis, vel modicum minus, ita quòd Luna accedente ab Oriente ad Meridianum fluit, & iterum Luna accedente ad punctum mediæ noctis iteratò fluit, & ita quolibet mense fiunt tot; nam qualibet die naturali fluit, & refluit mare bis, imò duo fluxus, & vna dies excipiuntur in mense; fluxus & refluxus duplicati, quot sunt dies in mense, duobus fluxibus, & vna die, exceptis, quam diem Luna acquirit motu proprio contra firmamentum in mense. 3. *Fluxus maris fit bis in die naturali.*

Quartò sciendum, quòd in mari sunt quædam voragines, quæ etiam consequuntur illum motum Lunæ, ita quòd quando mare refluit, tunc voragines illæ attrahunt sibi magnã aquam cum magno impetu, & absorbent; postea in fluxu iteratò emittunt. *Voragines in mari.*

Quintò sciendum est de augmentatione, & diminutione istius fluxus, quòd in hyeme fluxus iste est maior quàm in æstate, & adhuc maior circa Æquinoctium, quàm in hyeme, vel in æstate. Similiter fluxus iste est minor Lunâ existẽte in eclypsi, cæteris paribus, quàm Lunâ nõ eclypsatâ; & existẽte plenilunio maiores fiunt fluxus; & ideò in mense assignantur variationes, nam in prima septimana fluctus decrescit, in secunda crescit, in tertia decrescit; in quarta crescit. Isti igitur sunt effectus & experientiæ, quæ apparent in fluxu, & refluxu, de quibus posteà assignatæ sunt causæ.

Articvlvs II.

De causa fluxus & refluxus maris.

QVantùm ad secundum, dicunt aliqui quòd causa est reflexio ipsius ad montes. Nam quandoque aqua maris defertur per ventos ad ripas cum impetu, à quibus reflectitur, & reflexa iteratò vadit ad alias ripas, & sic continuè. 4. *Opinio 1.*

Istud non videtur, quia tandem cessarent impetus illi, nec fierent determinatis temporibus sicut fluxus & refluxus. *Reijcitur.*

Alij posuerunt quòd causa fluxus, & refluxus maris, esset ebullitio aquæ maris, quæ supponitur viæ Solis, nam talis ebullitio est nata causare tumorem, sicut patet de olla bulliente. *Opinio 2.*

Istud non videtur, quia ebullitio illa non sufficit causare tumorem ad tantam distantiam, ad quantam mare fluit & refluit. Similiter continuè fieret fluxus, cùm continuè fiat illa ebullitio. *Relinquitur.*

Alij posuerunt, quòd fluxus ille, & refluxus fit ex hoc, quòd corpora inferiora nata sunt obedire superioribus, & ideò illa, quæ sunt propinquiora magis obediunt. *Opinio 3.*

Istud non videtur, nam tunc mare flueret ab Oriente in Occidentem, scilicet secundùm motum cæli, & non aliter. *Non placet.*

Alij posuerunt causam fluxus maris esse quasdam voragines existentes sub terra, quæ quandoque attrahunt aquam maris in magna multitudine

tudine, & absorbent, & tunc fit refluxus, sed aliquando aquam remittunt, & tunc fit fluxus.

Refutatur. Sed contra illud arguitur, quia non videtur verum quòd sub terra possint tot concauitates, seu voragines contineri, quòd tanta aqua, quanta mare tumet, possit simul contineri, ideò de modo sorbitionis illarum voraginum postea dicetur. Secundò, quia adhuc concesso quòd per istum modum fieret fluxus, & refluxus, adhuc staret difficultas, quare voragines determinatis temporibus aquam emittunt, & determinatis absorbent.

5. *Luna est causa fluxus maris.* Istis opinionibus omissis, ponuntur conclusiones. Prima est, quòd Luna per suum motum, & influentiam, est causa effectiua fluxus & refluxus maris. Probatur per experientias positas in prima parte quæstionis, nam fluxus maris fit determinate Luna oriente, quousque perueniat ad circulum meridianum, fit etiam fluxus Luna existente in parte opposita, & in reliquis duabus quadris fit refluxus.

Secundò probatur à causa, quia Luna habet dominium supra corpora humida, igitur, &c. & habet dominium supra ipsum mare. Tenet consequentia, quia postquam habet dominium supra humida, magis rationale videtur quòd habeat dominium supra mare, quàm super aliquod aliud, cùm mare sit maximè corpus humidum. Et consequens patet ad experientiam, nam in corporibus & partibus animalium, cerebrum, medulla, sanguis, pinguedo, & huiusmodi partes, abundè augmentantur, & diminuuntur, secundùm augmentum, & decrementum Lunæ. Et istud patet ex tertia quæstione primi libri.

6. *Quomodo.* Sed de modo, per quem Luna fit causa fluxus, & refluxus maris, dico quòd modus est iste, quem ponit Lincolniensis *tractatu suo de refractionibus radiorum, cap. 1. medicum post medium*, quia quando radij Lunares oriuntur super mare alicuius regionis, tunc habent lineas longiores, & pyramides, quibus defertur actio, & influentia Lunæ; & lineæ illæ, & pyramides sunt indirectiores, & minùs franguntur ad angulos æquales, & minùs reflectuntur in seipsas, & magis franguntur, ideò causæ sunt debilioris operationis, quàm quando Luna ascendit ad medium cæli, istæ lineæ, & pyramides sunt magis directæ, breuiores, magis redeuntes in seipsas, & minùs franguntur, sed magis ad angulos æquales, & ideò tunc sunt maioris operationis, & fortioris; ideò quando Luna sic oritur radij sui propter debilitatem non sufficiunt, nisi resoluere vapores à terra, & à fundo maris, & eleuant ipsas infra corpus maris, & propter debilitatem non sufficiunt vapores resolutos consumere, & in aërem completè conuertere, siue ad aërem attrahere; & ideò vapores illi, cùm sint corpora, quæ non possint simul stare cum partibus aquæ, compelliunt aquas maris eleuari, & generant in ipso mari ampullas, & tumores, & tunc mare fluit. Sed quando Luna ascendit ad medium cæli, tunc radij & pyramides, quibus defertur influentia Lunæ, sunt breuiores, & fortiores, & ideò tunc sufficiunt vapores resoluere, & consumere, & ad aërem perfectè contrahere, & in aërem resoluere, & quia cessante causa cessat & effectus, ideò tunc cessat fluxus, & mare refluit. Patet igitur quæ sit causa fluxus maris accedente Luna ab Oriente vsque ad meridianum, & quæ est causa refluxus à meridiano vsque ad Occidentem.

Sed de causa fluxus Luna accedente ab Occidente vsque ad punctum mediæ noctis, est difficilius: & dicit Lincolniensis quòd causa est, quia radij Lunæ incidentes ad octauam sphæram, quæ est valdè spissa, & in tantum quòd terminant visum, & reflectuntur ab octaua sphæra vsque ad quartam terræ oppositam ad angulos satis æquales, & ad lineas, & pyramides directiores; ideò illi radij sic reflexi ad quartam oppositam sufficiunt commouere vapores vsque in corpus maris, quos propter debilitatem non sufficiunt consumere, ideò tunc fit fluxus; sed postea accedente Luna à puncto mediæ noctis versùs Orientem, deficiunt radij illi reflexi ad angulos super partem oppositam, & tunc vapores illi condensantur, & redeunt ad propriam naturam, & cadunt deorsum, & tunc mare refluit. 7. *Causa fluxus maris à Luna.*

Sed contra istud obijcitur, quia si ex tali reflexione Luna haberet aliquam fortitudinem super quartam sibi oppositam, eadem ratione Sol haberet consimilem fortitudinem super quartam sibi oppositam, & sic vsque ad medium noctis esset valde calida, vel luminosa. 8. *Obiectio.*

Ad illud potest dici, concedendo quòd Sol, imò quilibet planeta, habet aliquam fortitudinem à puncto mediæ noctis, vel ante: sed non oportet quòd Sol habeat illam fortitudinem secundùm radios luminis, vel secundùm calefactionem, quæ lumen consequitur, sed secundùm aliam influentiam specialem, quæ fortè est causa galli cantus in illa hora. *Responsio.*

Ex quæstione, & modo ponendi sequitur primò, quòd sub polis mundi non fit fluxus, & refluxus maris, saltem iisdem temporibus, quibus fit nobis; & hoc propter debilitatem radiorum Lunæ, qui ibidem pertingunt; ideò fortè, quia quolibet mense semel fiat ibi fluxus, vt sub polo Arctico Luna existente in Geminis, vel modicum ante, quia tunc radij Lunæ sunt quodammodo directiores; ideò sufficiunt vapores commouere; sed postea ipsa existente in Marte, fit refluxus, quia tunc propter fortitudinem sufficit consumere. Vel fortè dato quòd ibi fit fluxus, & refluxus, tamen propter amplitudinem maris non potest ibi apparere. 9.

Secundò, sequitur quòd eiusdem regionis priùs fluit vna pars maris quàm alia, ita quòd priùs fluit versùs Orientem, quàm versùs Occidentem. Patet, quia radij Lunares orientes super illam regionem priùs aspiciunt partem Orientalem, quàm Occidentalem.

Ex quo patet quòd fluxus, & refluxus maris fit quodammodo circulariter ab Oriente in Occidentem, non quòd eædem partes circulariter moueantur, sed priùs vna pars, quàm alia.

Tertiò, sequitur quòd fluxus, & refluxus maris fit per aliquam influentiam specialem Lunæ, aliam ab influentia luminis. Patet, quia Luna accedens ad punctum mediæ noctis, habet aliquam fortitudinem talis influentiæ, quam tamen non habet ex fortitudine luminis.

Secunda conclusio est, quòd Sol & alij planetæ, & etiam quædam stellæ, sunt concausæ illius fluxus, & refluxus. Probatur, quia quandoque fluxus mouetur ante ortum Lunæ, quandoque post; quandoque est intensior, quandoque remissior, alternatis temporibus, & hoc non potest esse, nisi secundùm quod Luna aspicit Solem, 10. *Sol & alij planetæ sunt concausæ fluxus maris.*

vel aliquam stellam, per quam fortificatur actio eius, & hoc cum aspectu, qui confert ad fortitudinem. Similiter ad hoc facit diuersitas signorum Zodiaci, & etiam partes eius, quia cum Luna fuerit in signo humido cæteris paribus, fluxus sit maior.

Fluxus & refluxus maris fit ob eius conseruationem. Tertia conclusio, quòd fluxus, & refluxus iste sit finaliter ad conseruationem maris, & hoc dicit Auctor *de proprietatibus rerum, lib. 3.* sub istis verbis: *Mare est mobile, & inquietum, vt per suum motum sua substantia à corruptionis periculo sit conseruatum, & per suum motum subtiliatur, & sic ne putrescat à corruptione praeseruatur.*

11. *Dubium 1.* Sed dubitatur primò, quare quædam voragines in mari determinante secundùm motum Lunæ absorbent aquas, & euomunt. *Solutio.* Dicitur quòd hoc potest esse, quia tales voragines per quasdam vias, & concauitates subterraneas ad magnum mare continuantur, & ideò magno mari fluente emittitur aqua per istas à magno mari per illas vias subterraneas, vnde quidam alij fontes, & putei fluunt, & refluunt, & hoc propter eandem causam, quia continuantur ad mare per vias subterraneas. Similiter dicit Plinius quòd est quidam puteus, qui ter fluit in die naturali, & de hoc difficile est reddere causam, nisi recurrendo ad aliam influentiam specialem Lunæ, quam potiùs habet super illum puteum, quàm super alium.

12. *Dubium 2.* Secundò dubitatur, quare mare Mediterraneũ non fluit & refluit, nec etiam mare mortuum; & videtur quòd sic, cùm Luna oriatur & occidat super illa maria, & influat in ista sicut in alia maria.

Responsio. Respondetur vno modo, quòd ad hoc quòd mare fluat, & refluat per motum Lunæ, oportet quòd sit debitè proportionatum actioni ipsius Lunæ. Et ideò quando aqua est minùs parua, sicut patet de fontibus, & fluuiis, quòd radij Lunæ non possunt benè attingere, tunc non possunt facere fluxum. Ita similiter quando mare est nimis profundum, tunc Luna propter profunditatem nimiam non sufficit aquas illas commouere; & ideò mare Mediterraneum, nec fluit, nec refluit.

Alia causa potest esse, quia Luna habet specialem influentiam ad mare Oceanum, & alia maria sibi concomitata per vias amplas, quam non habet super alia maria.

Aliter potest dici, quòd illud mare fluit, & refluit, tamen propter magnitudinem illius, fluxus ille non apparet nobis. Illius signum est, quòd mare Mediterraneũ continuatur ad mare Oceanum per quandam viam strictam, ideò oportet quòd Oceano fluente aquæ ipsius redundent, & intrent mare Mediterraneum, & tamen introitus non apparet propter magnitudinem, & profunditatem ipsius maris.

Dubium 3. *Responsio.* Tertiò dubitatur, quare fontes & fluuij non fluunt, & refluunt? Dicitur quòd vno modo causa potest esse, quia aquæ dulces sunt magis subtiles, & leues, ideò sunt magis receptiuæ actionis Lunæ, quàm aqua maris propter grossitiem, ideò adhuc faciliùs passibilis, quemadmodum à qua passa à Sole magis passibilis est ab eodem. Tertia causa est, quòd fortè Luna habet specialem influentiam super aquas maris, & non super aquam dulcem.

Quartò, potest dici quòd aquæ dulces proportionabiliter fluunt, & refluunt secundùm quantitatem ipsarum, tamen hoc non apparet propter paruitatem.

Et rationes solutæ sunt per dicta, &c.

QVÆSTIO III.

Utrùm mare debeat esse salsum?

1. *Arg. princ.* ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd locus, quem occupat mare, non esset naturalis ipsius. Consequens est contra Aristotelem *in isto secundo*. Probatur consequentia, quia elementum debet esse purius, & simplicius in loco suo naturali, quàm alicubi alibi.

Secundum. Secundò, sequeretur quòd tandem mare efficeretur dulce: consequens falsum. Tenet consequentia, propter introitum fluuiorum.

Tertium. Tertiò, mare est principium, & mater aliarum aquarum; igitur non est salsum. Tenet consequentia, quia principium, & principiatum debent conuenire; modò aquæ dulces non sunt salsæ. Et antecedens apparet, quia mare est mater aquarũ.

Quartum. Quartò, si sic, hoc esset propter commixtionem exhalationis cum aqua maris, sicut dicit Aristoteles *in isto secundo*, sed propter hoc non, quia propter abundantiam aquæ, & humiditatis faciliter consumeret istam siccitatem.

Quintum. Quintò, quia aquæ pluuiales, & stagna non sunt salsa; igitur nec mare. Tenet consequentia, quia sunt eiusdem rationis. Et antecedẽs patet ad experientiam.

Opposit. Oppositum arguitur per experientiam.

2. In ista quæstione primò præmittendę sunt suppositiones de generatione salsedinis. Et prima est, *Salsedo vnde generetur.* quòd salsedo generatur ex commixtione sicci terrestris cum humido. Probatur per experientiam, quia lixiuum est salsum propter commixtionem ad aquam; & quòd ibi sit commixtio patet, quia aqua per talem colationem, redditur colorata, spissior, & ponderosior quã ante, quod non esset, nisi partes superiores cinerũ essent sibi commixtę.

Secunda experientia, quia videmus quòd vrina est salsa, propter commixtionem superflui nutrimenti cum sicco terrestri remanente post digestionem, cuiusmodi est hypostasis vrinæ.

Tertia experientia est de sudore, & de salsedine sudoris, quæ prouenit ex commixtione humiditatis cum partibus terrestribus ablutis à carne, quas defert sudor distillando per carnem. Ideò dicit Arist. *in lib. 2.* quòd sudor est ablutio carnis.

Quarta experientia est de quadam aqua in Palæstina, in qua homo ligatus non potest cadere ad profundum, & ideò fluuius, siue stagnum illud est valde salsum, & hoc non prouenit, nisi ex commixtione terrestrieratis sibi admixtæ.

Quintum signum est ponderositas, & grossities aquæ salsæ; nam aqua putei salsi plus ponderat, quàm aqua dulcis in æquali quantitate, & hoc non, nisi per terrestreitatem admixtam aquæ.

Quid ad eius generationem concurrat? Secunda suppositio est, quòd ad generationem salsedinis concurrit actio caloris euaporantis illud quod dulce est, & subtile adiacentis, sed grossum, & terrestre remanet. Probatur primò, quia videmus corpora assata esse magis salsa, vel tendere magis ad salsedinem, & hoc non nisi

propter

propter adustionem terrestris remanentis, & euaporationem subtilioris.

Secundò patet, quia est quidam fons in Arabia, circa quem crescunt herbæ, quæ dicuntur *Stirpes arundines*, quæ si comburantur, & cineres earum mittantur in aquam, conuertuntur in salem, aqua frigefacta, quod non esset sine adustione caloris.

Tertiò, quia lixiuium nunquam fieret, nisi ex cineribus adustis, saltem non fieret bonum. Similiter meliùs fit cum aqua calida, quàm cum aqua frigida, quod non esset, nisi actio caloris faceret ad generationem salsedinis.

Quartò patet illud de salsedine superfluorum nutrimentorum; nam per calorem naturalem subtilius nutrimenti resoluitur, & siccum terrestre aduritur; cuius signum est, quantò diutiùs applicatum calori remanet siccum, tantò efficitur salsius.

Quintò patet, quia per actionẽ caloris resoluitur humiditas, quæ est causa putrefactionis, ideò remanet siccum, ex quo generatur salsedo, quæ præseruat à putrefactione.

4. Tertia suppositio est, quòd commixtio sicci terrestris, vnà cum actione caloris, non sufficiunt ad generationem salsedinis. Et hoc est verum, nisi materia fuerit propinqua dispositioni ad salsedinem, vt patet de cineribus adustis.

Patet suppositio per Aristotelem *in lib. de sensu & sensato*, vbi vult quòd si cui simplex, vel etiam humidum non poterit esse subiectum vaporis, vel odoris, vt patet ad experientiam. Nam Sol non statim generat salsedinem in luto per calorem; vbi tamen est commixtio sicci terrestris cum humido.

Dulcedo quomodo generetur.

Et omnes istæ suppositiones possunt patere ex modo generationis dulcedinis, quæ opponitur salsedini. Nam dulcedo fit ex commixtione humiditatis digestæ, quodammodo conueniente aëre cum sicco terrestri moderato, & calore moderato coadiuuante; ideò vbi fuerit calor immoderatus, siccitas immoderata, & non conueniens digestio, sed potiùs adustio, ibi generabitur salsedo.

5. *Conclusio 1. In mari est siccum terrestre.*

Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd in mari est siccum terrestre. Probatur conclusio, quia multæ partes terrestres deferuntur ad mare per flumina, quæ non cadunt ad fundum maris, sed propter motum fluxus, & refluxus semper tenentur commixtæ mari. Et quòd non cadant ad profundum patet, quia fundus maris inuenitur arenosus, & non lutosus.

Secundò, ad hoc facit calor Solis, qui cum vaporibus resolutis à terra & aqua eleuant exhalationes calidas, & siccas eis admixtas, quæ iteratò cum pluuia cadunt deorsum, tunc iteratò per actionem caloris subtile euaporatur, & grossum remanet.

Tertiò, patet hoc ex grossitie aquæ maris, in qua nauis plus portat, quàm in aqua dulci.

Quartò, patet ex ponderositate aquæ maris.

Quintò, patet per experientiam Aristotelis: nam si capiatur vas ferreum, cuius omnes rimæ sunt perfectè obturatæ, & ponatur in mari, intrabit aqua dulcis; & hoc signum est, quòd siccum terrestre propter grossitiem non poterit intrare. Et dicit Auctor de proprietatibus rerum quòd oportet vas illud iacere in mari per diem naturalem.

Conclusio 2. Est actio caloris.

Secunda conclusio est, quòd in mari est actio caloris resoluentis subtilius, & quodammodo adurentis partes grossiores, & terrestres. Probatur, quia mare per latera superiora exponitur Soli, qui natus est resoluere partes subtiliores. Secundò, facit ad hoc motus maris, & etiam motus ventorum, vt dicebatur in prima quæstione huius secundi.

Conclusio 3. Mare debet esse salsum.

Tertia conclusio est, quòd mare debet esse salsum. Probatur, in mari reperiuntur salsedines; igitur ipsum debet esse salsum. Tenet consequentia, quia in agentibus naturalibus positâ causâ ponitur effectus. Et apparet antecedens, quia causæ salsedinis sunt commixtio sicci terrestris, & actio caloris; non tamen sit permanentia caloris agentis super illud passum; modò ista reperiuntur in mari per præcedentes conclusiones.

Causa salsedinis maris.

Aliter potest imaginari causa salsedinis maris, vnde sicut sub eodem genere propinquo fructus sunt multa poma diuersarum naturarum, quorum aliqua determinant sibi calorem, saporem, & odorem, quædam alia non determinant; ita sub eodem genere aquæ multæ sunt contentæ diuersarum specierum, sicut aquæ maris, & aqua fontis, & huiusmodi, & aqua maris determinat sibi de sui natura salsedinem, & commixtionem exhalationis, quam immediatè consequitur salsedo, per quam salsedinem conuertit saporem aquarum dulcium in sui naturam, per commixtionem.

7. *Conclusio 4. Fluuij & fontes cur nõ sint salsi.*

Quarta conclusio est, quòd aquæ fluuiales, & fontes non debent esse salsæ, cuius causa datur in tertia suppositione, quia ad hoc quòd per actionem Solis, aliquid efficiatur salsum, requiritur longa actio Solis in ipsum, vt patet de mari; & aquæ fluuiales modico tempore durant à principiis fontium vsque ad mare, ideò Sol non sufficit ipsas conuertere in salsedinem.

Nec lacus.

Et si quæratur de aquis stagnalibus, & lacubus, quæ permanent in eodem loco.

Respondetur quòd de talibus aquis continuè partes resoluuntur, nec permanent, sicut apparet, sed nouæ aquæ semper succedunt, ideò non potest Sol aquas illas alterare ad salsedinem.

Conclusio 5. Causa finalis salsedinis maris.

Quinta conclusio de causa finali, & potest dici quòd finaliter salsedo maris est propter conseruationem quorundam piscium, & animalium, quæ ad *esse* eorum requirunt mare salsum, quemadmodum homines requirunt aërem.

Ad argum. 1. principale.

Per hoc ad rationes. Et ad primam, *sequeretur*, &c. Negatur consequentia, quia non oportet quòd elementum sit purius in loco suo naturali.

Ad 2.

Ad secundam, *tandem deberet fieri dulce*. Negatur consequentia propter duas causas, vt dictum est. Vna, quia continuè cum aquæ dulces fluunt in mari partes terrestres, quæ non descendunt ad fundum, sed retinentur commixtæ partibus maris propter eius motum, & grossitiem. Similiter ex alio propter calorem Solis, qui aquas dulces consumit, & euaporat, & grossiores remanent deorsùm.

Ad 3.

Ad tertiam, *mare est mater*, &c. dicitur quòd intelligitur, quòd aliæ aquæ fluunt ad mare.

Ad 4.

Ad quartam, *tunc humiditas consumeret*, &c. dico quòd non, quia humiditas non est causa nisi accidentaliter.

Ad aliam rationem dictum est in vna quæstione.

QVÆSTIO IV.

Utrùm ventus ſit exhalatio calida & ſicca?

1. *Arg. prim.* ARGVITVR quòd non, quia ſi ſic, ſequeretur quòd tempore ventoſo eſſet maior caliditas, quàm aliis temporibus. Conſequens cootra experientiam, vt in pluribus, nam in vento ponimus res calidas, vt frigideotur. Probatur conſequentia, ex quo ventus eſt exhalatio calida & ſicca, tempore ventoſo eſſet maior caliditas illius exhalationũ.

Secundum. Secundò, aliquis ventus eſt frigidus; igitur ille ventus non eſt exhalatio calida. Conſeqnentia paret, quia idem oon eſt calidum & frigidum. Et antecedens appatet ex ventorum differentiis, nam venti ſic differunt, quòd quidam ſunt calidi, quidam frigidi.

Tertium. Tertiò, aliquis ventus eſt humidus; igitur non omnis ventus eſt ſiccus. Tenet conſequentia, qoia idem oon eſt humidom, & ſiccum. Et antecedens apparet in iſto ſecundo, nam Aoſter eſt ventus humidus, qui adducit nobis pluuias.

Quartum. Quartò, ſequeretur quòd plures venti fierent exiſtente ſerenitate, quàm aliis temporibus nebuloſis. Conſequens eſt contra experientiam, nam tempore ſereno, vt in æſtate, pauciores ſunt venti. Probatur conſeqoenna, ex quo ventus eſt exhalatio, & exiſtente ſetenitate maior eſt ſiccitas.

Quintum. Quintò, ſi ſic, ſequeretur quòd ventus deberet aſcendere ſursùm. Conſequens contra experientiam, cùm moueatur ad latus, & ad dioerſas differentias poſitionis. Et probatur conſequentia, quia exhalatio calida & ſicca eſt leuis, & talis nata eſt aſcendere ſorſom.

Sextum. Sextò, quia ventus eſt aër motus; igitur non eſt exhalatio calida & ſicca. Tenet conſeqoentia, quia aër eſt calidus & humidus, & aër oon eſt exhalatio. Et probatur antecedens, nam ignis mouetur in ſua ſphæra, & etiam aqua mouetur per motum fluxus, & refluxus, & ſic ſimiliter aër cùm ſit elementum fluxibile mouebitur in loco ſuo, ex quo motu cauſabitur ventus.

Secundò, confirmatur antecedens per Senecam, & Auctorem de imagine mundi, qui poſuit quòd aër motus ſit veotus. Tertiò patet illud, quia aliquis ventus eſt aër motus; igitur & qoilibet. Tenet conſequentia, quia quilibet ventus alteri videtur eiuſdem rationis. Antecedens probatur, nam ventus ſufflatus per folles eſt aër motus, & nil aliud.

Oppoſitum. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem 2 *huius*, *tractatu de ventis*.

In quæſtione iſta videndum eſt primò de cauſa materiali ventorum. Secundò, de cauſa formali. Tertiò, de efficiente. Quartò, de cauſa finali.

ARTICVLVS I.

De cauſa materiali ventorum.

QVantùm ad primum, ſit prima concluſio iſta, quòd ventus oon ſit aër motus. Probatur, quia vel aër ſic mouetur ex ſua naturali inclinatione, vel ab aliquo alio violentante ipſum; non primo modo, qnia tunc non fieret vna vice, & ceſſaret alia; nec ſecundo modo, quia quæritur vnde eſſet principium motus, quo nunc mouetur ab vna parte, poſtea ab alia, & non videtur ſignabile tale mouens. 2. *Ventus nõ eſt aër motus.*

Secunda concluſio eſt, quòd ventus eſt exhalatio calida & ſicca. Probatur, quia ventus & pluuia conueniuot inuicem per motationem factam; igitur ventus eſt exhalatio calida & ſicca. Tenet conſequentia, quia pluuia generatur ex vapore, & pluuia eſt frigida & humida, & per conſequens illud, in quod habet permutationem, debet eſſe ex exhalatione; igitur calidum & ſiccum, nam omnis permutatio eſt de contrario in contrarium. Et antecedens apparet, nam magni venti faciunt ceſſare magnas pluuias, & è contrario, eò quòd materia vnius per alterationem cedit in materiam alterius. *Eſt exhalatio calida & ſicca.*

Secundò, quia ventus eſt aër motus, vel vapor, vel exhalatio; ſed non eſt aër motus, nec vapor; igitur exhalatio. Maior patet, quia non videtur quid aliud poteſt eſſe ventus, niſi vel aër, vel impreſſio cauſata in aëre, & omnis talis impreſſio eſt vapor, vel exhalatio, vel aliquid aliud genitum ex eis. Et antecedens patet, primò non eſt aër per primam concluſionem: nec eſt vapor, quia deſiccat, vapor humectat; igitur eſt exhalatio.

Tertiò, arguitur per quoddam ſignum, quia videmus quòd maximi venti fiunt tempore, quo apparent flammæ intenſæ, coruſcationes, ſtellæ comatæ, & huiuſmodi; quod non eſſet, niſi ventus eſſet ex conſimili materia materiæ ipſarum; modò iſtarum materia eſt exhalatio; igitur, &c. Patet igitur quæ ſit materia venti.

ARTICVLVS II.

De cauſa formali venti.

TVnc de forma ſit concluſio iſta, quòd forma eius dicitur motus, ita quòd exhalatio dicitur ventus à motu eius, quemadmodum corpus dicitur eſſe album, ab albedine eius. Patet, quia ſi exhalatio non moueatur, tunc nullo modo dicitur ventus, & ſi moueatur directè ſurſum, adhuc non dicitur ventus; ſed ſi moueatur directè deorſum, vocatur *ecnephias*, & ſi circulariter moueatur deorſum, dicitur *turbo*, & ſi moueatur ad latus, & cum hoc quandoque ad diuerſas differentias poſitionis, tunc vocatur *ventus*. 3. *Exhalatio dicitur ventus à motu eius denominatiuè.*

Ex iſto ſequitur quòd hoc nomen *ventus*, eſt nomen connotatiuum, & ſupponit pro exhalatione calida & ſicca, connotando ipſam lateraliter moueri.

Secunda concluſio eſt, quòd in aëre ſemper eſt talis motus exhalationis, quamuis quandoque ſit maior, quandoque minor, & quandoque nobis *In aëre ſemper eſt exhalatio.*

inſenſibilis. Probatur per hoc, quia ſemper in radio Solis videmus corpora atomalia moueri, & hoc non eſſet, niſi per exhalationem, quia hoc non eſt de natura aëris.

Secundò, veriſimile eſt, quòd ſemper eleuantur tales fumi ſurſum, quamuis quandoque in maiori copia, quandoque in minori.

Tertia concluſio eſt, quòd cùm exhalatio ſit mota, defertur aër. Patet; quia aër propter ſui leuitatem & fluxibilitatem, faciliter eſt ducibilis ab aliquo impellente. Ex quo patet quare ventus minor nunquam eſt in principio ſuæ generationis quàm magis longinquè ab eodem. Patet, quia exhalatio in principio ſui eſt modica, & defert ſecum aërem, ex quo efficitur maior flatus, & poſtea maiorem aërem vnà cum exhalatione noua, & ſic continuè ad modum, quo fluuius augmentatur à principio ſuæ originis vſque ad introitum maris.

Sed ſciendum eſt quòd differentia eſt inter modum augmentationis fluuij & venti: quia fluuius augmentatur, & defluit per vnum canalem ſolum, ideò perſeuerat augmentando vſque ad introitum maris. Sed ventus non ſic defertur per vnum canalem, ſed propter leuitatem eius cùm fuerit congregatus in magna copia, diſpergitur hinc inde, & conſumitur à Sole, & ſic ceſſat ventus. Patet ergo quæ ſit forma illius venti.

ARTICVLVS III.

De cauſa efficiente ventorum.

5. *Opinio 1.* SEd nunc reſtat difficultas magna de principio effectiuo motus ipſius venti, à quo effectiuè ventus mouetur. Et de iſto imaginati ſunt aliqui quòd in aëre eſſent quidam ſpiritus, ſiue quædam Intelligentiæ, quæ communiter dicuntur dæmones, qui ſpiritus ad hoc deſeruiant naturæ, quòd deferant ventos ad loca diuerſa hinc inde ſecundùm voluntatem Domini, cui ſunt ſubditi. Et hoc probatur: quia vel principium illius motus eſt immediatè ab aliquo cognoſcente, vel non: ſi ſic, non videtur aliud quàm tales ſpiritus, vel Intelligentiæ. Si à non cognoſcente, hoc eſt falſum, quia in iſtis inferioribus non inuenitur aliquid non cognoſcens, quod ſit principium motus localis, niſi grauitas, vel leuitas. Modò venti non mouentur à grauitate, quia tunc caderent deorſum, nec à leuitate, quia tunc aſcenderent ſurſum.

Secundò, quia videmus ventos localiter moueri, & incipere circuire à parte ſuperiori, ita quòd per prius nubes deferuntur ſuperiùs à vento quàm pertingunt inferiùs: modò non videtur quòd talis circulatio poſſit prouenire ab aliquo inanimato.

Refutatur. Sed iſta opinio eſt falſa, nec naturaliter poſita, quia quæreretur de figura huiuſmodi inanimatorum, vel an eſſent ſphæricæ figuræ, & tunc non poſſent ſecum quicquam deferre, ſed mouerentur per aërem, ipſum diuidendo; vel eſſent alterius figuræ, ita quòd habeant difformitatem in ſuis partibus: & hoc non videtur verum, cùm aër, vel ignis, qui eſt materia ipſorum, non ſit dura, nec poteſt facere difformitatem in partibus.

Hæc additio habetur in margine ſecundi codicis. *Et arguitur quòd ſpiritus non poſſunt eſſe principia motiua ventorum, quia non mali, quia venti per ſuum motum aliquoties, imò ſemper, vt videtur, aliquod bonum faciunt: ſed maligni ſpiritus non directè operantur tale bonum. Nec ſunt ſpiritus boni qui principiant motum ventorum; cùm tantus labor eis non debetur, nec tot mala facere, quot per ventorum flatus contingunt.*

Illud additur quia nõ videtur quod ratio Scoti multum militat contra iſtã opinionẽ, quia ſupponit falſũ negandũ ab eodem videlicet tales ſpiritus figurari.

Pro iſta difficultate ſit prima concluſio, quòd cauſa effectiua motus ventorum, eſt frigiditas propellẽs exhalationem deorſum. Probatur, quia talis motus non prouenit ab intrinſeco videlicet grauitate, leuitate, vel Intelligentia mouente; igitur prouenit ab aliquo extrinſeco violentante; igitur non ab alio, quàm frigiditate; & hoc per iſtum modum, quia exhalatio calida & ſicca eleuata ſuperiùs à calore Solis obuiat frigiditati mediæ regionis, vel alterius vaporis frigidi interpoſiti: à qua ratione contrarietatis propellitur deorſum, & quia materia leuis eſt & inclinata ſurſum, ideò mouetur ad latus, & vna parte mota, propter leuitatem aliam faciliter impellitur vnà cum aëre, & ſic continuatur ventus ille vſque ad magnam diſtantiam, quo vſque materia ſic diſperſa per partes diuerſas, conſumatur à Sole, vt dictum fuit. Secundò dico, quòd ſecundùm Aſtrologos, eſt verum quòd ad hoc faciunt influentiæ, & ſpecialiter quòd conſtellationes, quarum vna nata eſt mouere exhalationem ab vna parte, & alia ad aliam. *Cauſa effectiua generationis ventorum.*

Ex iſtis patet magna diuerſitas opinionum de principio talis motus. Nam Philoſophi naturales nituntur totaliter cauſam illius motus aſſignare ex parte materiæ: ſcilicet propter diuerſas inclinationes exhalationis, vt dictum eſt iam. Sed Aſtrologi nituntur reducere cauſam in corpora cœleſtia & conſtellationes cœleſtes: ſed alij, putà Necromantici, & huiuſmodi, reducunt in ſpiritus & ſuper Intelligentias mouentes. Sed tunc dubitatur vtrùm vniuerſaliter omnis ventus moueatur tali modo: ſcilicet per propulſum à frigiditate. Secundò, dubitatur vtrùm motus venti ſit naturalis?

Ad primum dicitur, quòd non oportet, ſaltem in aliquibus: verbi gratia, videmus quòd ſi lignum frigidum, & humidum valde, ponatur ad ignem, cùm fuerit benè digeſtum, & alteratum ab igne, exit fumus cum impetu, ac ſi ignis ſufflaret. Similiter videmus de aliquibus montibus exire fumum cum magno flatu, ac ſi violenter ſufflaretur: ſicut dicit Ariſtoteles de quibuſdam montibus Siciliæ. Vna cauſa illius motus eſt iſta, quòd exhalatio incluſa in monte, vel igne, benè digeritur, & alteratur à calore, ita quòd eſt benè lenificata priuſquam poſſet habere exitum: ideò cùm pateat ſibi exitus strictus, exit cum impetu magno, & forti, ac ſi partes præcedentes ſufflarentur à partibus ſubſequentibus.

Ad ſecundum, dico quòd motus venti non eſt naturalis, imò violentus, & contra inclinationem exhalationis.

ARTICVLVS IV.

De cauſa finali ventorum.

DE cauſa finali dicitur quòd ventus eſt principaliter & primò propter congregare nubes. Et ideò dicit Ariſtoteles quòd Cæcias attrahit nubem ſicut auarus pecuniam. Secundò, mo- 7. *Cauſa finalis ventorum.*

uenit ventus propter deferre nubes de vna regione in aliam, propter irrigationem terræ, ita quòd per conuersionem nubis in aquam diuersæ partes terræ irrigentur propter motum nubis à vento. Tertiò, potest dici quòd est propter salutem arborum: quia sicut homo & alia animalia præter nutrimentum indigent quodammodo exercitio, vt meliùs conseruentur in sanitate: ita consimiliter motus arborum, est eis per ventum exercitium.

Patet igitur ex istis, quæ sit materia venti, quæ forma: vnde est principium motus ipsius, & propter quem finem fiat.

8. *Ad 1. argum. principale.* Ad rationes: ad primam, conceditur quòd tempore ventoso esset maior calor, nisi aliunde esset impeditum: scilicet, quia ventus ille deferret secum aërem recentem, vel quia transiret super niues, & glacies, vnde infrigidaretur: ideò ad ventum recentis aëris ponimus calida, vt frigefiant à vento.

Ad 2. Ad secundam: *aliquis ventus est frigidus*, &c. Negatur antecedens, quantùm est ex parte sui: & hoc propter frigiditatem loci, per quem transeunt.

Eodem modo respondetur ad aliam de humiditate.

Ad 3. Ad aliam: *tunc tempore sereno*, &c. Concedo consequentiam, & consequens, nisi impediret consumptio exhalationis à calore Solis.

Ad 4. Ad aliam: *tunc ventus ascenderet*: concedo quòd ventus ascenderet sursum, nisi propelleretur à frigiditate.

Ad 5. Ad aliam: *ventus est aër motus*; negetur. Ad probationem dico quòd non est simile, quia ignis mouetur per naturam, & aqua mouetur quodammodò violenter per influentiam Lunæ; modò neutra istarum causarum concurrit in aëre.

Ad 6. Ad aliam: *aliquis ventus*, &c. negetur. Ad probationem de follibus, dico quòd talis aër artificialiter motus non est ventus, nec est simile de huiusmodi aëre moto, & de vento; quia non possent imaginari talia artificia, quibus aër moueretur ad modum venti. Et sic finimus.

QVÆSTIO V.

Utrùm Sol faciat cessare ventos?

1. *Arg. primũ.* VIDETVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd in absentia Solis plures fierent venti, quàm in eius præsentia. Consequens est falsum, & contra Aristotelem *2. huius*, vbi tractat de ventis *cap. 2.* vbi dicit quòd *etesiæ*, id est, tales venti boreales diebus flant, sed in noctibus cessant. Similiter hoc idem dicit *in tract. de terræ motu cap. 2.* vnde dicit noctes esse diebus tranquilliores propter absentiam Solis. Et in fine eiusdem dicitur quòd maior est tranquillitas in aëre facto calido Solis, & spiritu transflato in terram: probat consequentiam, nam priusquam Sol sit causa cessationis venti, absente Sole plures venti debent fieri.

Secundum. Secundò, quia Sol est causa commotionis venti; ergo Sol non est causa cessationis. Tenet consequentia, quia idem non est causa oppositorum: & antecedens patet *in isto secundo*.

Tertiò, pluuiæ habent cessare ventos; ergo Sol non facit cessare ventos. Consequentia tenet, quia pluuia habet humectare, & Sol desiccare: modò contraria non sunt causa eiusdem effectus. Et antecedens patet ex præcedente quæstione. *Tertium.*

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 2. tract. de ventis, cap. 2.* *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de locis vnde proueniant venti originaliter. Secundò, videbitur de causis commotionis, & cessationis ventorum. Et tertiò de causis quorundam effectuum ventorum.

ARTICVLVS I.

Unde proueniant venti?

QVantùm ad primum, sit prima conclusio ista; quòd venti veniunt originaliter à montibus, quemadmodum & fluuij, ita quòd veniunt à locis aliis quodammodo tendentibus ad decliuitatem, sicut sunt latera montium, quæ sunt loca conuexa. Probatur: De illis locis veniunt venti originaliter, quæ sunt aptissima ad generationem ventorum: sed loca montosa sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior nota est: & minor patet, quia montes sunt loca concaua, porosa ad modum spongiæ: modò talia loca sunt maximè disposita ad generationem exhalationis, sicut patuit in tractatu de modo generationis fluuiorum: modò ventus est exhalatio calida & sicca: igitur, &c. 1. *Vnde veniãt venti?*

Secundò, quia videmus magnos ventos, & multos circa loca montosa, propter multitudinem exhalationis in montibus illis generatam.

Tertiò, quia Boreas & Auster veniunt à montibus: igitur & omnes alij venti. Tenet consequentia: quia isti sunt venti validiores: & antecedens patet: primò de Austro, qui venit de montibus versùs meridiem: quia vel venit à Polo Antarctico, vel à Tropico Cancri, vel à montibus, qui situantur versùs meridiem. Non à Polo: quia exhalatio priùs consumeretur, quàm veniret ad nos, transeundo per regionem superiorem, vt Solis. Non à Tropico Cancri, tunc enim sequeretur quòd veniendo versùs nos, transiret super cacumina altissimorum montium: consequens est falsum, quia tunc cineres dimissi ex sacrificiis Deorum non remansissent per annum super cacumina montium. Et patet consequentia: quia venti non possunt montes penetrare.

Relinquitur ergo quòd veniant à montibus. Confirmatur, quia si Auster veniret à Polo, vel à Tropico, tunc sequeretur quòd nunquam flaret Auster in septimo climate, nisi flaret in omnibus aliis vsque ad meridiem. Consequens contra experientiam. Et probatur consequentia: quia si flet in septimo climate, & non in sexto; sequitur quòd venit de loco vltra sextum: & per istas easdem rationes probabitur quòd Boreas non venit à Polo Arctico. *Venti veniũt à montibus.*

Quartò, arguitur ad quæstionem, per experientiam: quia quandoque videmus ventum venire ab vna parte montis, & etiam à parte sibi opposita; & flat ventus sibi contrarius, quasi ambo illi venti venirent vel exirent de illo monte: quod non esset, nisi venti procederent originaliter à montibus.

Quintò, quia sic posito ventum venire de montibus, faciliùs possent prouenire effectus, & apparentiæ ventorum, vt patebit in vltima parte quæstionis: igitur hoc ponere, est rationabile.

3. Secunda conclusio est, quòd ad huiusmodi generationem ventorum non facit solùm exhalatio generata in montibus: imò eum huiusmodi exhalationes generatæ in locis decliuioribus, quas secum deferunt venti venientes de montibus. Patet, primò per Aristotelem in litera; qui ponit circa mare loca concaua, & porosa, quæ sunt apta ad generationem exhalationis. Secundò, ad hoc facit humectatio terræ à pluuia, quia tunc terra est magis disposita, & apta ad eleuationem vaporis, & exhalationum, quæ in illis commiscentur. Verum est tamen quòd in locis decliuioribus non tantum generatur de exhalatione quantum in montibus.

Ex istis potest inferri primò, quòd causa motus ventorum non est præcisè frigiditas propellens exhalationem deorsum. Patet, quia exhalatio inclusa infra montem, habet exitum in latere montis; ex quo exitu acquirit quodammodo impetum ad lateraliter mouendum: & postea frigiditas propellit, ne directè possit ascendere sursum, & sic possunt esse duæ causæ huiusmodi motus * naturalis: scilicet exitus lateralis de monte, & frigiditas propellens.

** al. lateralis (etsi original. habet naturalis) quia posuit suprà huiusmodi ventorum motum esse violentum.*

Secundò nota, quòd non potest benè præsciri quis ventus flabit in aliqua regione, & hoc per Astrologiam vniuersalem: imò in qualibet regione oportet habere obseruantias speciales ad hoc præsciendum. Patet, quia per talia principia vniuersalia potest sciri quando ventorum materia, quæ est in montibus, est consumpta, vel quando non.

Tertiò nota, quare sit gyratio ad diuersas partes Horizontis in generatione ventorum; quia cùm materia per actionem Solis sit consumpta in vna parte, & in alia parte sit multiplicata, tunc ventus cessat in vna parte, & incipit in alia: & ad hoc multum faciunt constellationes cæli, sicut ponit Aristoteles in textu.

Patet igitur à quibus locis originaliter veniunt venti.

Articvlvs II.

De causa commotionis, & cessationis ventorum.

4. *Causæ commotionis ventorum.*

Qvantùm ad secundum, dico quòd causæ commotionis venti sunt duæ, scilicet causa materialis, & est abundantia humiditatis & viscositatis, & propter hoc dicit Aristoteles, quòd terra depluta magis est apta ad generationem ventorum, quàm terra arida: quia dato quòd tunc fiant multi vapores, propter humiditatem, tamen cum illis vaporibus plures exhalationes eleuantur, & maiores: & cum hoc vapores illi faciliter sunt conuertibiles in materiam venti, vt patuit in præcedente quæstione. Et quòd talis abundantia materiæ humidæ sit causa venti, est signum, quòd lignum humidum expositum igni priùs effumat quàm lignum siccum.

Secundò, causa commotionis venti est caliditas sufficiens materiam humidam eleuare, & propter hoc in hyeme quamuis sit abundantia materiæ, tamen pauci fiunt venti, propter defectum caloris eleuantis: & per oppositum, in æstate, quamuis sit calor eleuans, tamen pauci fiunt venti propter defectum materiæ. Ideò temporibus intermediis plures fiunt venti.

Tunc de causis cessationis, dico quòd causæ cessationis sunt duæ, scilicet caliditas & frigiditas: tamen diuersimodè. Vnde caliditas dupliciter potest esse causa cessationis venti. Vno modo, quia prouenit desiccando terram, priusquam fumus eleuetur, & sic quodammodo suffocat exhalationem: verbi gratia, in exemplo: nam paruum lignum priùs est combustum in igne magno quàm emittat fumum. *Causa cessationis ventorum.*

Alio modo caliditas facit cessare ventum, consumendo materiam venti, resoluendo ipsam in aërem & dispergendo per loca diuersa, & sic in æstate faciliter cessant venti propter intensionem caloris Solis. Similiter frigiditas dupliciter est causa venti cessationis: vno modo quia per congelationem constringit poros, & meatus terræ, & prohibet eleuationem exhalationis. Alio modo quodammodo submergendo exhalationem, quando est magna frigiditas, & humiditas simul cooperiens locum, à quo debet exhalatio eleuari: & sic fortè est quòd à fundo maris paucæ exhalationes eleuantur, quæ conuertuntur in ventum. Patet ergo quæ sit causa commotionis, & faciens cessare ventos. Et hoc de secundo.

Articvlvs III.

De causis quorundam effectuum ventorum.

Qvantùm ad tertium: dandæ sunt causæ diuersitatis quorundam ventorum: maximè Boreæ & Austri; quia de aliis satis patet in textu. Vnde primò Boreas est ventus siccus, serenus, & sanus, quia secundùm medicos confert ad digestionem, & confortat vim generatiuam, in tantum quòd flante Borea potiùs generantur masculi. Sed Auster est ventus pluuiosus, humidus, inducens ægritudines acutas, & tunc homines magis appetunt somnum. 5. *Boreas qualis.* *Auster.*

Secundò apparet, quia sæpiùs fiunt venti Boreales quàm Australes.

Tertiò, quia venti australes maiores sunt Borealibus. Causa primi est ista, quia ventus Borealis venit à lateribus montium, quæ obiiciuntur ad Solem, & respiciuntur à Sole, & ideò fumus ille, qui cedit in materiam venti Borealis magis est alteratus à caliditate, & magis digestus, & magis depuratus, & ideò ventus ille est siccior, propter digestionem factam à calore, & est frigidior propter loca frigidiora, per quæ transit.

Sed ventus Australis venit à lateribus montium, quæ obiiciuntur ad Aquilonem, & respiciuntur ab Aquilone, & non à Sole, sed potiùs stant in vmbra Solis: ideò vapores ibidem eleuati, sunt humidiores, crassiores, & minùs puri, & ideò ventus Australis est humidus ratione vaporis crassi, ex quo generatur, & est calidus propter regiones, per quas transit: nam regiones meridionales calidiores sunt Septentrionalibus.

Causa secundi, scilicet quare plures Boreæ fiunt, &c. est ista: quia versùs Septentrionem est 6.

abun

abundantia materiæ magis quàm sit versùs meridiem, propter caliditatem regionum meridionalium, & quia latera montium, quæ obiecta sunt Soli, longiori tempore respiciuntur à Sole: scilicet ab Ortu vsque ad Occasum: ideò calor sæpiùs materiam istam potest eleuare versùs Septentrionem quàm versùs Austrum.

Et ex isto potest reddi causa, quare *Esochias* id est, venti Boreales magis flant de die quàm nocte, quia de nocte latera montium, ex quibus venti generati sunt, non respiciuntur à Sole: ideò tunc deficit calor eleuans, quamuis sit abundantia materiæ: sed de die flant, propter sufficientiam caloris & materiæ.

7\. De causa tertij, dico primò, quòd quantùm est de se, quia ventus Septentrionalis debet esse maior, & impetuosior, quia in partibus, à quibus venit Boreas, est maior abundantia materiæ, & cum hoc materia illa magis aspicitur à Sole.

Secundò, dico quòd per accidens ventus Australis potest fieri maior, quia terra habitabilis, procedendo versùs Septentrionem continuè est magis arcta, & stricta; ideò exhalationes delatæ per ventum Australem semper magis vniuntur. Sed quia per oppositum est procedendo versùs Austrum, terra habitabilis vadit dilatando, ideò ventus Borealis vadit continuè se ampliando, & ex tali dispositione & ampliatione debilitatur impetus eiusdem de naturis aliorum ventorum & de situ & positione ventorum patet in textu. Et hoc de tertio.

8\. Ad rationes: Ad primam, *sequeretur quòd in absentia Solis*, &c. Negatur consequentia, quia diuersimodè Sol facit cessare ventos & commotionem, vt dictum est. *Ad 1. argum. principale.*

Ad secundum & tertium simul, dicitur quòd idem potest esse causa contrariorum propter diuersitatem materiæ dispositionis. Similiter contraria possunt esse causa eiusdem. Hoc tamen erit diuersimodè, vt dictum est in Quæstione. Et sic finis. *Ad 2. & 3.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm terræmotus sit possibilis?

1\. ARGVITVR quòd non: quia tunc terra moueretur circulariter, vel motu recto: non circulariter, quia non apparet vnde esset principium illius motus: nec motu recto, quia tunc terra ascenderet à centro mundi: quod est impossibile. *Arg. primũ.*

Secundò, terra sic frangendo, vel moueretur naturaliter, vel violentè: non naturaliter, quia terra est elementum solidum, durum, & graue: tale autem de natura sua non debet frangi, & moueri, maximè cùm sit in loco suo naturali: quia non apparet vnde vis mouens, & frangens habeat tantam virtutem mouendi, & frangendi; & hoc cùm terra sit corpus valdè compactum. *Secundum.*

Tertiò, si sic, maximè fieret ab exhalatione, &c. modò hoc est falsum: quia exhalatio cùm sit leuis, non est nata descendere infra terram: & dato quòd includatur à terra, tunc propter subtilitatem exibit per poros terræ, & per consequens non fiet terræmotus. *Tertium.*

Oppositum apparet per experientiam, & per Aristotelem in isto secundo, & tradit ante tertio. *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de causa & modo generationis terræmotus. Secundò, videbitur de loco & tempore, quibus fiunt terræmotus.

ARTICVLVS I.

De causis, & modo generationis terræmotus.

QVantùm ad primum, sciendum quòd terræmotus potest imaginari vno modo fieri circulariter circa centrum mundi. Alio modo potest imaginari moueri tota simul motu recto. Tertio modo, quòd moueatur motu recto per rarefactionem, secundùm aliquas partes sui expositas calori: sicut imaginantur aliqui quòd superficies obiecta Soli in æstate sit extansior propter rarefactionem quàm in hyeme: & de istis tribus modis non intelligimus in proposito. Quarto modo mouetur terra secundùm aliquam partem sui, quæ per fractionem, seu diruptionem cadit deorsum infra terram, & de isto modo loquimur in proposito. 2.

Secundò sciendum, quòd talis casus siue motus terræ, potest prouenire vno modo, quando pars terræ alicuius regionis est multùm concaua, & quasi columnis subtus existentibus: & tunc columnæ istæ sustinentes incipiunt deficere, & terra propter pondus, & grauedinem cadit deorsum, & talis casus terræ maximè accidit in locis vbi fodiuntur carbones naturales, vt in * Leonia, Anglia, & Scotia. *al. Leodio.*

Alio modo potest prouenire talis casus terræ propter aquam, quæ currit per vias subterraneas: quia aqua propter eius decursum quodammodò corrodit partes terræ subtus, in tantùm quòd tandem terra superstans propter pondus cadit deorsum. Et quamuis isti modi terræmotus sint valdè similes terræmotui propriè dicto, tamen propriè non debent dici terræmotus.

Tertiò sciendum, quòd aliquando mouetur terra secundùm partem isto modo: quia quandò homo accedit versùs illam partem terræ, pars remotior incipit ascendere, & hoc est propter aliquam glebam tenuem, quæ cooperit aquam inclusam sub ipsam; cuius glebæ superficies est quodammodo tenax, & de facili frangibilis: & iste modus mouendi non est terræmotus, de quo quærit Quæstio.

Ideò istis dimissis, ad habendam veram causam terræmotus sit prima conclusio ista, quòd infra terram in profundo includitur magna multitudo exhalationis calidæ, & siccæ. Probatur primò, quia sæpè videmus de terra exire multam talem exhalationem; quod non esset, nisi prius fuisset inclusa infra terram. 3.

Secundò, apparet per rationem Aristotelis, quòd terra humectata interius per imbres & pluuias, desiccatur calore Solis, & virtute astrorum & ex tali siccitate fiunt rimæ, & concauitates sub terra, in quibus exhalatio interius virtute astrorum includitur: & per istas rimas in superficie alia exhalatio subintrat.

Tertiò, quia aliquando ventus decurrit per superficiem terræ, & quandoque subintrat terram propter eius subtilitatem; & tunc accidit quòd pori

poti terræ clauduntur, & exhalationi non patet liber exitus, tunc includitur infra terram.

Quartò, quia aliquando aër, vel exhalatio, vel aqua inclusa infra terram condensatur à frigiditate intrinseca terræ, & comprimitur ita, quòd exhalatio illa, vel aqua occupat minorem locum quàm occupabat, & tunc ad replendum locum subintrat alter aër, vel exhalatio, quæ postea includitur in concauitatibus terræ. Quòd autem sub terra sint tales concauitates, patet ex quæstionibus de generatione fontium, & fluuiorum.

4. *Causa terræmotus.* Secunda conclusio, quam ponit Aristoteles est ista, quòd talis exhalatio inclusa infra terram est velox nata ferri ad longinquam distantiam, & fortissimè percutit, ita quòd est fortis in pellendo, & in mouendo: & hoc ponit *tract. 5. cap. 2. huius secundi*. Ista conclusio probatur ex modis, quibus exhalatio inclusa infra terram, potest habere vigorē & fortitudinē, &c. Primò, quia exhalatio sic inclusa est leuis, nata ascendere sursum, & de facto ascendit infra terram quantum potest; & quia obuiat superficiei terræ, quam non sufficit diuidere, repercutitur ab illa superficie infra seipsam, & ex illa vnione in seipsam fortificatur in virtute.

Quomodo exhalatio fortificatur. Secundò, quia illa exhalatio inclusa interiùs, calefit, & rarefit: & propter sui rarefactionem, appetit seipsam dilatare, & quia non habet locum, in quo se dilatet, ideò infra seipsam fortificatur, & intenditur; quemadmodum videmus quòd ignis inclusus muris, vt in caminis, est fortior, & intensior, quàm si vndique haberet liberam diffusionem.

Tertiò, quandoque exhalatio illa inclusa comprimitur ab aqua subterranea, vel alia exhalatione superueniente, & ex compressione intenditur, & fortificatur vigor exhalationis, quemadmodum ventus transiens loco strictiori fortiùs impellit, cæteris paribus, quàm ventus habens ampliorem diffusionem.

Quartò, per antiperistasim potest fortificari vis exhalationis, & hoc à frigiditate circumstante.

Isti sunt modi & causæ, quibus vis exhalationis inclusæ infra terrā potest fortificari. Et istam conclusionem declarat Aristoteles duobus signis: scilicet quòd talis exhalatio sit magnæ virtutis ad mouendum, & percutiendum: quia videmus quòd fulmen generatum in nube, quæ est quædam exhalatio mirabiliter est magnæ virtutis motiuæ, & vehementis ictus, in tantum quòd eradicat arbores, deiicit domus, & castra, & incinerat fructus.

Exemplum. Secundò, quia videmus in corporibus nostris, quòd spiritus inclusi infra nos, scilicet spiritus vitales, quandoque mouentur ita velociter, & impetuosè, quòd motus illorum spirituum, non potest reprimi, & si quandoque reprimitur, hoc tamen est cum magna difficultate; sicut patet in animantibus patientibus febres acutas, & in animantibus infrigidatis, quæ à partibus inferioribus patiuntur tremorem, qui de facili non potest reprimi: ita consimiliter est de vaporibus inclusis infra terram.

5. Ex istis conclusionibus sequitur causa terræmotus: quia infra terram includitur exhalatio calida, & sicca, quæ fortificata interiùs aliquo dictorum modorum fortiter percutit, & agitat latera terræ, & tandem in tantum fortificata frangit terram nimio impulsu, & exit, & fit terræmotus. De eius signis, & accidentibus dicetur in alia quæstione.

Secunda conclusio est, quòd impossibile est totam terram simul, & semel sic moueri, nisi fuerit miraculosè. Probatur; quia non est possibile naturaliter quòd terra vndique sit concaua, & porosa, vel quòd vbique simul & semel illa exhalatio inclusa posset fortificari: imò aliqua sunt loca terræ ita compacta, quòd vix, vel nunquam, aut nullæ sunt concauitates ibi: ideò rarò fit ibi terræmotus. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De loco & tempore, quibus fiunt terræmotus.

QVantùm ad secundum, de loco, patet primò ex præcedentibus, quòd non fit, nec potest fieri simul & semel per totam terram. Se- 6. *In quibus locis fit terræmotus.*
cundò, non fit communiter, & ita sæpe in insulis sicut in aliis partibus; eò quòd minùs de exhalatione ibidem includitur; vel si sit inclusa, infrigidatur quodammodo ab aqua circumstante, vel ab aqua, quæ sibi commiscetur.

Tertiò, minùs fit in locis Septentrionalibus quàm Meridionalibus. Causa est, quia exhalatio est magis crassa versùs Septentrionem, propter frigiditatem terræ, ideò minùs faciliter potest intrare terram. Quartò, non fit circa Ægyptum, quia ibi est terra valde compacta, & densa, ita quòd subtus terram propter compactionem non sunt concauitates, quibus includatur spiritus. Quintò, terræmotus fit in locis montuosis, propter concauitatum multitudinem, in quibus includitur exhalatio. Sextò magis fit in regionibus, quæ sunt spongiosæ, & cauernosæ, cuiusmodi sunt Achaia, Sicilia, Eubœa.

De tempore, primò terræmotus fit post multas 7. *Tempus terræmotus.*
pluuias, & imbres, quia tunc exhalatio propellitur sub terra. Secundò, fit post multas siccitates, quia tunc plurimæ exhalationes propter multitudinem subintrant terram.

Tertiò, minùs fiunt hyeme, & æstate, sed magis temporibus intermediis, & hoc propter eandem causam, quæ dicebatur de ventis. Quartò, magis fiunt de nocte quàm de die, quia noctes sunt tranquilliores; & signum est quòd exhalatio includitur sub terra. Quintò, si fiunt de die, maximè fiunt in meridie, quia tunc sedatus est impetus exhalationis super terram propter calorem. Sextò, fit circa eclipsim Lunæ; scilicet modicum antè, vel pòst, quia tunc sedatus ventus exterior, propter defectum caloris Lunæ. Et hoc de secundo.

Ad rationes: Ad primam, patet quòd non in- 8. *Ad argum. 1. principale.*
telligitur de tali motu.

Ad secundam, dico quòd talis motus, scilicet *Ad 2.*
fractio terræ fit violenter: & quamuis hoc non posset fieri naturaliter, propter soliditatem terræ, potest tamen fieri violenter ab aliquo alio impellente. & quando quæritur vnde veniat tanta vis illius impellentis? Respondetur, quòd aliquo modorum, qui prius dicti sunt.

Ad tertiam, *exhalatio illa propter leuitatem*, *Ad 3.*
&c. Concedo quòd exhalatio illa exit propter leuitatem, quanquam tum contingit quòd non potest exire, & ideò quando exit per poros, tunc

sit ventus, & non terræmotus. Et sic dictum est ad quæstionem.

QUÆSTIO VII.

Utrùm tranquillitas sit signum terræmotus?

1. *Arg. primũ.* ARGUITUR quòd non, quia tunc sæpe fieret terræmotus: consequens est contra experientiam, & contra Aristotelem *in isto secundo*. Probatur consequentia, quia sæpè sit tranquillitas.

Secundum. Secundò, aliquando sit terræmotus, non existente tranquillitate: ergo tranquillitas non est signum terræmotus. Tenet consequentia, quia iam signum id esset falsum, & non certum. Et antecedens patet *in isto secundo*.

Tertium. Tertiò, hoc maximè esset, quia tunc exhalatio includeretur infra terram, sed propter hoc non: ergo, &c. Consequentia tenet, & maior patet per Aristotelem *in isto secundo*. Et minor patet, quia tranquillitas potest fieri per alias causas quàm per introitum exhalationis in terram, sicut per conversionem exhalationis in aquam, vel per consumptionem ipsius à Sole.

Quartum. Quartò, quia dato quòd exhalatio includatur infra terram, adhuc possibile est quòd non fortificetur vis eius ad impellendum, vel mouendum; ergo tunc non fieret terræmotus, & per consequens tranquillitas non est signum terræmotus.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 2. tract. 3. cap. 3.*

In ista quæstione primò notanda sunt signa præcedentia terræmotum, ex quibus scilicet posset prognosticari terræmotus. Secundò, enudabuntur signa sequentia, & effectus principales consequentes terræmotum.

ARTICULUS I.

Signa præcedentia terræmotum.

2. *Signũ primũ terræmotus.* QUantùm ad primum, ponit Auerroës quòd unum signum terræmotus est, quando aues non nisi cum tremore sedent super terram, ita quòd volant modicum ascendendo, & descendendo, quasi non essent securæ permanere super terram. Et causa non est alia, quia hoc habent ex instinctu naturæ; siue instinctus ille sit cognitio, siue non.

Secundum. Secundum signum est turbulentia aquæ puteorum & salsedo, vel alter vapor inconsuetus, & hoc est propter commixtionem exhalationis infra terram cum aqua illius putei.

Tertium. Tertium signum est, quando res existentes in mari quodammodo tremunt, & mouentur: & fortè causa est, quia aliqualiter mouentur à parte exhalationis exeuntis de terra.

Quartum. Quartum signum est tumor maris inconsuetus sine vento: & causa huius est, quia exhalationes inclusæ infra terram appetentes ascendere sursùm, de facto ascendunt, saltem partes subtiliores, quæ commiscentur mari in ascensu, & in illa commixtione efficitur tumor maris.

Quintum signum est, de quo quærit quæstio, & etiam ponit Aristoteles, scilicet tranquillitas, quia existente tranquillitate, exhalatio quæ est materia venti, includitur infra terram, & ex tali inclusione causatur terræmotus, unà cum aliis causis. *Quintum.*

Sed sciendum, propter rationes in oppositum, quòd tranquillitas non est signum conuertibile terræmotus, quia sæpè fiunt terræmotus, ut dicit Aristoteles *in isto secundo*, non existente tranquillitate. Causa est, quia una pars exhalationis inclusa est infra terram, & alia supra, per quam causatur ventus, & hoc contingit quandoque ex hoc, quia ventus veniens ab una parte totus intrat terram per rimas, & concauitates terræ, & postea ventus veniens ab alia parte transit sic per terram. Verum est tamen quòd tunc fiunt maiores terræmotus, quando tota exhalatio includitur infra terram, & est tranquillitas supra terram. 3.

Secundò patet, quòd non sit signum conuertibile, quia sæpè fit tranquillitas non existente terræmotu: & hoc pro tanto, quia tranquillitas illa fit propter alias causas, quàm propter introitum exhalationis infra terram: quia propter consumptionem exhalationis à Sole, aut per conuersionem ipsius in vaporem & materiam aquæ; vel etiam alio modo: scilicet, quando exhalatio est supra terram, & quando est magnus ventus, & tunc frigiditas superueniens præuenit congelando, & constringendo poros terræ priusquam subintret exhalatio, & tunc existente gelu fiunt magni venti.

Sextum signum, est quidam sonus, ad modum mugitus, vel tubæ, auditus infra terram. Causa est, quia tunc exhalatio interiùs inclusa incipit fortificari, & percutitur ad latera terræ, quibus continetur, & ex illa percussione causatur sonus, qui multiplicatur ad auditum nostrum per partes subtiliores exhalationis exeuntis per poros terræ. *Sextum.*

Septimum signum, est quædam nubecula parua, longa, & alba, situata versùs Occasum. Causa est, quia tunc signum est, quòd non sunt venti superiùs, quibus distrahatur illa nubecula, & ideò permanet immobilis, & quieta. Et cùm etiam non sit ventus hic * inferius, signum est quòd sola exhalatio sit inclusa infra terram; & hoc signum modicum præcedit terræmotum, & id idem est signum, ut dicit Aristoteles, serenitatis in mari. *Septimum.* ** al. superius. sed originale habet inferius.*

Octauum signum, est frigiditas aëris inconsueta ante ortum Solis sine vento. Causa est, quia exhalatio cùm de sui natura sit calida, reddit aërem calidiorem, cùm fuerit permixta aëri: & ideò deficiente exhalatione, redditur aër frigidior, & sic frigiditas illa est signum quòd exhalatio sit inclusa infra terram, & non permixta aëri super terram. Alia causa est, quia per talem frigiditatem inconsuetam, pori terræ clauduntur, & constringuntur, & prohibetur exitus exhalationis: modò exhalatio inclusa fortificatur per antiperistasin, & ipsa fortificata est causa terræmotus. Ista ergo sunt signa, quibus homo potest primò scire terræmotum esse futurum. Et hoc de primo. *Octauum.*

ARTICVLVS II.

Signa sequentia, & effectus consequentes terræmotum.

4. *Primus effectus sequens terræmotum.* QVantùm ad secundum, dicit Aristoteles, quòd primum signum, siue effectus concomitans terræmotum, est magnus sonus auditus in loco terræmotus: & quandoque sonus ille est maior, & quandoque minor, ad modum soni tubæ, vel mugitus animalium: & quandoque sonus ille est valdè terribilis. causa est, quia in terræmotu, terra dirumpitur ex impetu exhalationis impellentis sursùm, & ex tali fractione, & ex tali percussione ad latera concauitatis, causatur sonus: & diuersitas sonorum prouenit ex diuersitate exhalationis impellentis secundùm fortitudinem, & debilitatem, & ex diuersitate laterum concauitatis in figura, ad quam fit reflexio: nam quando exhalatio est multa, & fortis, & foramen exitus fit magnum, & amplum, tunc causatur sonus magnus, & terribilis. Sed quando locus exitus fuerit strictus ad modum meatus, vel tubæ, & exhalatio fuerit fortis impellendo, tunc auditur sonus altus, & acutus.

Secundus. Secundus effectus consequens terræmotum, est fractura terrarum, casus ciuitatum, vel subuersio, & ruina domorum. Causa est, quia propter fortitudinem exhalationis inclusæ, terra superstans nō sufficit resistere, & ideò diuiditur impetu exhalationis, & partes cadunt deorsùm in concauitatem, & similiter domus, vel ciuitas, si fuerint vicinæ loco exitus exhalationis.

Tertius. Tertius effectus, est generatio nouorum fontium, lacuum, & stagnorum. causa est, quia concauitas, in qua includebatur exhalatio, est valdè profunda, & decliuis, & ideò aquæ generatæ in locis superioribus circumstantibus decurrunt ad illam concauitatem, tanquam ad locum decliuiorem.

Quartus. Quartus effectus, est effusio maris super terram ad modum inundationis. causa est secundùm Aristotelem, quia exhalatio exiens de loco terræ, cùm fuerit multa, exit cum impetu magno, & accidit, quia obuiat exhalationi venienti in contrarium, quæ etiam est fortis, & impetuosa, & ex tali concursu ventorum contrariorum, qui sunt magnæ virtutis, eleuatur magna portio maris, & defertur vsque ad alia loca, vbi fit diffusio ipsius super terram, & quandoque submersio, & alia mala.

5. *Quintus.* Quintus effectus, est obscuratio Solis sine nube. Causa est, quia exhalatio ista exiens de loco terræmotus, ascendit superiùs cum quibusdam fumis spissis secum eleuatis, qui interponuntur inter visum nostrum; propter quam interpositionem Sol obscuratur, & quandoque stellæ de nocte.

Sextus. Sextus effectus, est generatio nouorum montium. & causa est, quia exhalationes eleuatæ secum deferunt multos pulueres, & partes terræ, & etiam lapides, & huiusmodi, quæ sunt in concauitate, quæ post exitum vniuntur ad inuicem, & cadunt in vnum locum, efficiendo montem.

Septimus. Septimus effectus, est diuisio terrarum, & aliquorum montium, qui priùs erant coniuncti. Sicut dicūt Authores, quòd Sicilia priùs erat continuata Italiæ, sed postrà per terræmotum, & mare separatæ sunt ab inuicem. Causa est, quia per terræmotum inter montes remanet quædam concauitas, quam propter decliuitatem subintrat aqua.

Octauus. Octauus effectus, est apertio nouarum Insularum, & hoc propter eandem causam.

Nonus. Nonus, sequitur incineratio, vel combustio locorum, vel ciuitatum. Causa est, quia quandoque exhalatio propter velocitatem motus, & impetum, quæ exit de terra, incenditur, & inflammatur, & defertur vsque ad aliquas ciuitates, vel loca, quæ comburuntur ab exhalatione incensa.

Decimus. Decimus consequitur mortalitas, pestilentia & multitudo morborum, quandoque hominum, quandoque aliorum animalium. Causa est, quia exhalatio illa inficitur malis qualitatibus existentibus sub terra, à quibus alterabatur. Et quia exhalatio talis commiscetur aëri, quem inspirant animalia, ideò faciliter inficiuntur ab huiusmodi exhalatione. Vel potest dici, quòd huiusmodi pestilentia prouenit ex desiccatione aëris ab exhalatione eleuata de terræmotu, ad modum quo dicebatur de mortalitate consequente stellam comatam. Ista ergo sunt signa, & effectus consequentes terræmotum.

Tunc de remediis contra terræmotum dicit Plinius, quòd melius est habitare in vallibus quàm in montibus, & tamen melius est habere domos subterraneas, vel etiam bassas, quàm altas. Rationes sunt solutæ per dicta.

QVÆSTIO VIII.

Utrùm tonitruum sit extinctio ignis in nube?

ARGVITVR quòd sic. Quia sicut est de sono causato post impositionem ferri candentis in aquam, ita videtur esse de sono, qui est tonitruum: sed sonus talis fit ex extinctione, &c. Maior patet, quia isti duo videntur esse consimiles, nec differunt ab inuicem, nisi secundùm magnum, & paruum, intensum & remissum: & minor patet, quia sonus ille causatur ex extinctione ferri candentis in aqua, in quam ponitur. 1. *Arg. 1.*

Secundum. Secundò, quia in generatione tonitrui ignis includitur in nube aquosa, vel saltem aliquid, quod est de natura illius: scilicet exhalatio calida & sicca: ergo in nube ex extinctione causatur sonus, sicut per similitudinem in aliis extinctionibus hîc inferiùs: ergo ille sonus videtur esse tonitruum, & per consequens generatur, &c.

Tertium. Tertiò arguitur per Aristotelem & Lincolniensem, *primo Posteriorum*, vbi definiunt tonitruum, dicentes, quòd *Tonitruum est extinctio ignis in nube.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. In ista quæstione videndum est de materia, de forma, agente, fine, & effectibus tonitrui. Et sic prima conclusio, sit ista: quòd tonitruum generatur ex exhalatione calida & sicca. Probatur, primò, quia eadem videtur esse materia coruscationis & fulminis, & tonitrui: nam ista simul & semel fiunt in eadem nube, siue in eodem loco: 2. *Materia tonitrui.*

ſed materia coruſcationis & fulminis eſt exhalatio: idem etiam tonitrui. Secundò, quia ſimul aſcendunt vapores & exhalatio vſque ad mediam regionem aëris: ergo probabile eſt quòd in illa media regione exhalatio includatur infra vaporem: ergo in illo vapore fortificabitur exhalatio in virtute, & hoc per antiperiſtaſim, eò quòd circumdata contrario: ergo ex illa fortificatione petit exitum à nube, propter ſui leuitatem, & hoc non niſi percutiendo latera nubis: igitur ex tali percuſſione cauſabitur ſonus, qui ſonus vocatur *Tonitruum*, quia ex tali percuſſione generatur ſonus, vt patet 2. *de Anima*. Tertiò, quia ſimile eſt de generatione ſoni facti quando flamma, vel ferrum extinguitur in aqua, & de ſono facto in nubibus: modò ſonus ille cauſatur ex quibuſdam fumis leuibus, qui propter leuitatem appetunt aſcendere à ferro per aquam: ita conſimili modo ſonus tonitrui cauſatur ex motu talis fumi, ſcilicet exhalationis per nubem, vel aërem ipſum diuidendo. Quartò, quia omnium impreſſionum quæ fiunt, materia eſt exhalatio, vel vapor: ſed non apparet quomodo vapor poteſt eſſe materia talis ſoni: ergo non oportet quòd ſit exhalatio.

3. *Modus generationis tonitrui.* Tunc igitur de modo generationis tonitrui ex exhalatione, ſciendum, quòd tonitruum poteſt generari tripliciter: vno modo ex percuſſione exhalationis ad latera nubis, in qua includitur. Alio modo ex diruptione, vel fractione illius nubis per impetum exhalationis. Tertiò, per motum flammæ per aërem, ita quòd exhalatio ſic inflammata & mouetur, & ex motu illius flammæ fit ſonus, quem antiqui vocabant *Riſum Vulcani*, quemadmodum videmus quòd flamma candelæ per aërem facit ſonum. Si primo modo fiat tonitruum, hoc poteſt eſſe dupliciter, vno modo, quia exhalatio percutiens latera nubis, ſit inflammata: & alio modo, quia non ſit inflammata: & quocunque modo fiat ſonus ille, eſt longus, magnus, & fortis, ad modum ſonorum, qui fiunt ex rotis quadrigarum: & ſic dicit Albertus. Si ſecundo modo, etiam poteſt eſſe, quia exhalatio ſit inflammata, vel non: & ſiue ſit, ſiue non, dum tamen nubes rumpantur per impetum exhalationis, fit vnus ſonus magnus & fortis, non tamen longus, ſicut ſi pannus rumperetur velociter ſecundùm longum: verbi gratia; in exemplo: nam cùm caſtaneæ fiunt benè calefactæ in igne, ita quòd fumi incluſi infra pellem fortificantur, & intenduntur, tunc petentes exitum, propter intenſionem maiorem caloris, rumpunt pellem caſtaneæ, & fit magnus ſonus ſecundùm quantitatem materiæ, quæ tamen eſt breuis. Ita conſimiliter nubes aquoſa eſt quaſi pellis circumdans exhalationem, quæ fortificata concutit nubem & cauſat ſonum, & quandoque diſrumpit. Patet igitur ex iſtis, quòd efficiens tonitruum eſt exhalatio percutiens latera nubis. & flamma coruſcationis mota per aërem, ſed huiuſmodi materia eſt nubes, ad quam percutitur, vel etiam exhalatio, vel aër, per quem mouetur.

4. *Forma tonitrui.* Sed forma tonitrui eſt ſonus, quia à ſono exhalato denominatur tonitruum, & aliunde non. Sed de diuerſitate ſonorum tonitrui dicit Ariſtoteles, quòd hoc proueniat ex diuerſitate nubis, ſecundùm magnitudinem, vel paruitatem, ſeu denſitatem, & raritatem: & ſecundùm difformitatem figuræ nubis in ſua concauitate. Prouenit etiam ex diſconformitate exhalationis ſecundùm fortitudinem & debilitatem impellendo: & ideò aliter cauſatur ſonus quando nubes dirumpitur, quàm quando percutitur indirupta.

Cauſa finalis. Tunc de cauſa finali: poteſt dici vno modo quòd tonitruum ſit finaliter ad terrendum homines, & præ timore illius magis ſint moti ad cogitandum de Deo, & attribuendum ſibi reuerentias. Aliter poteſt dici quòd tonitruum ſit finaliter ad purgandum aërem, ſcilicet quia ex tremore conſequente tonitruum, corrumpatur eius viſcoſitas, & aliæ qualitates inficientes. Et ideò ponit Albertus quòd aliquando mortalitas ceſſabit per tonitruum.

Effectus. Tunc de effectibus tonitrui, dicitur communiter, quòd duo effectus ipſum conſequuntur; vnus quando aër fortiter tremit, conſequenter ad tonitruum, & ex iſto tremore ſiue illo fulmine, animalia proſternuntur & arbores, & huiuſmodi effectus, qui fulmini attribuuntur. Alius effectus, quia quædam animalia efficiuntur ſurda, & quandoque homines per tonitruum. Cauſa eſt, quia ex tali forti tremore aëris dirumpitur quædam ſubtilis pellicula includens aërem connaturalem auri, quæ vocatur *Meninga*, & tunc euaneſcit aër, ad quem, ſiue apud quem debet fieri auditio. Ex quo patet quæ ſunt cauſæ huiuſmodi effectus fulminis & tonitrui.

Sed dubitatur primò vtrùm exhalatio incluſa infra nubem occupet totum locum concauitatis nubis. Si non videtur quòd ibi ſit vacuum: ſi ſic, ergo non mouebitur concutiendo latera nubis. 5. *Dubium 1.*
Reſponſio. Ad iſtud reſpondetur, quòd in principio exhalatio, cui aër eſt commixtus, occupat totum locum nubis, ſed poſteà per circumſtantiam nubis contrario exhalatio fugiendo condenſatur, & aër ſibi permixtus rareſit, & hoc per locum, à quo fugit exhalatio, & poſteà exhalatio fortificata propter circumſtantiam petit exitum à parte ſuperiori, propter leuitatem eius, vbi nubes eſt ſpiſſior, & denſior, & idem reflectitur à nube, quandoque deorſum, quandoque ad latus.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quomodo nubes, cùm ſit materia rara, & poroſa ad modum fumi, vel caliginis, qualiter poſſit reflectere materiam ita impetuoſam, vel etiam detinere, ſicut eſt exhalatio calida, & ſicca, cùm ipſa ſit ſubtilis, vel valdè penetratiua propter ſui leuitatem? *Reſponſio.* Reſpondetur, quòd nubes, in qua fit tonitruum, non eſt ita rara ſicut eſt fumus, vel caligo, ſed benè denſa eſt, & ſpiſſa, modicum differens à natura aquæ propter ſpiſſitudinem: cuius ſignum eſt, quòd nubes talis, in qua auditur tonitruum, ſemper eſt magna, & quandoque ex ipſa fiunt grandines.

Ex iſto poteſt patere quare temporibus intermediis potiùs fit tonitruum, quàm hyeme, vel æſtate. Cauſa eſt, quia hîc maior copia eſt exhalationis, & cum hoc, eſt ſufficiens frigiditas mediæ regionis.

Et ſi dicas; videtur quòd ſemper tonitruum fieri debeat, vel vt in pluribus, quia exhalatio ſemper eleuatur cum vapore, in quo includitur. Reſpondetur, quòd hoc non ſufficit, ſicut dictum eſt; ſed requiritur multitudo exhalationis, & cum hoc intenſio frigiditatis circumſtantis, & fortè quia multoties fit tonitruum, quando tamen non audimus propter paruitatem.

Dubium 3. Tertiò, dubitatur, quare dicit Seneca quòd quandoque auditur tonitruum exiſtente ſerenitate: ergo non requiritur nubes circumſtans exhalationem? *Solutio.* Reſpondetur, quòd ſi ita ſit, quòd

tonitruum

tonitruum fiat existente serenitate, quòd tunc exhalatio includitur in aëre frigido mediæ regionis, & tunc consimilis effectus sequitur, sicut si includeretur in nube.

6. *Tonitruum non est extinctio ignis in nube.* Secundum hoc respondetur ad quæsitum, quòd tonitruum non sit extinctio ignis in nube. Probatur ex dictis: quia tonitruum est sonus factus ex motu exhalationis in nube, vel per nubem, vel per aërem. Secundò, si ita esset, sequeretur quòd priùs fieret coruscatio, quàm tonitruum: consequens est falsum, vt determinat Aristoteles *in isto secundo*, vbi vult quòd priùs fiat tonitruum quàm coruscatio, cùm priùs appareat coruscatio ex hoc, quia visus anticipat auditum. Et probatur consequentia, quia priùs mutatur ignis quàm extinguitur. Tertiò, quia vel ignis ille esset ibi generatus, vel aliunde veniret. Si ibidem generetur, non videtur quòd statim debeat ibi extingui: nec aliunde venit, vt probat Aristoteles in litera. Quartò, quia quandoque post tonitruum videmus ignem de nube exire & descendere ad terram, quod non esset, si esset extinctus in nube.

7. *Ad 1. argum. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, *simile est*, &c. Dico quòd simile est in hoc, quòd sonus, qui est tonitruum, causatur ex motu exhalationis in nube, vel per nubem, quemadmodum videmus quòd sonus in extinctione ignis causatur ex motu fumorum calidorum ipsius ignis per aquam, qui fiunt sont ad modum exhalationis. Sed dissimile est quòd in nube non extinguitur ignis, nec est ignis extinguendus quando fit tonitruum, sicut est quando ignis ponitur in aquam.

Ad 2. Ad secundum, dico quòd exhalatio illa non extinguitur in nube, sed frangit nubem, & tota simul exit descendendo deorsum.

Ad 3. fortè experimentaliter. Ad tertiam, dico quòd Aristoteles & Lincolniensis loquuntur exoterice, secundùm opiniones antiquorum.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm coruscatio sit possibilis?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non. Nam si sic, tunc coruscatio fieret in nube: modò consequens est contra experientiam, quia sæpe fit coruscatio existente serenitate. Et similiter, cùm coruscatio sit quædam claritas, minùs debet apparere in locis densioribus vbi sunt nubes, quàm in rarioribus sine nube. Tenet consequentia per Aristotelem *in isto secundo*.

Secundum. Secundò, quia si coruscatio sit possibilis, tunc fieret ex eadem materia, ex qua fit tonitruum: modò consequens est falsum, quia citò disparet coruscatio, & tamen diu auditur tonitruum: quod non esset, si fieret ex eadem materia: & consequentia tenet per Aristotelem *in secundo huius*.

Tertium. Tertiò, quia aliquæ impressiones ignitæ non causant claritatem, nec possunt causare, quanta est claritas coruscationis; ergo nec etiam coruscatio. Consequentia tenet, quia omnium impressionum ignitarum, eadem est materia, & efficiens consimile, vt dictum fuit in primo libro. Patet autem de stellis cadentibus, & capris saltantibus, quæ non faciunt claritatem tantam.

Oppositum patet per Aristotelem *in isto secundo*: & patet per experientiam: & ista quæstio non est dubia: sed dubium est de causis, & modo generationis ipsius. Et ideo in ista quæstione videbitur primò, de causis, & modo generationis coruscationis. Secundò, videbitur de causis apparentibus, quæ contingunt circa coruscationes. Et tertiò breuiter de effectibus eius.

ARTICVLVS I.

De causis, & modo generationis coruscationis.

QVantùm ad primum, sciendum quòd infra nubem aquosam quandoque includuntur multæ exhalationes calidæ & siccæ, quodammodo tenaces & vnctuosæ, quæ intenduntur & fortificantur per antiperistasin, propter frigiditatem nubis circumstantis, quæ fortificatæ petunt exitum à nube, à qua propellunt quandoque deorsum, quandoque ad alias differentias positionis: & quia motus habet calefacere & inflammare, vt dictum fuit, ideò quandoque inflammantur exhalationes istæ à propulsu à nube, & apparent coruscationes, & tunc nubes diuiditur, & ex illa diuisione fit sonus, & apparet fulgor, & propter claritatem, & splendorem vocatur *coruscatio*, ita quòd eadem est materia, & propter sonum vocatur *tonitruum*. 2.

Secundò, sciendum quòd non solùm illæ exhalationes inflammantur per motu localem, sed quandoque igniuntur per solam fortificationem caloris à frigido circumstante.

Ex illis patet, quis sit modus generationis coruscationis, & quæ sunt causæ eius: nam causa coruscationis materialis, est exhalatio calida & sicca, aliqualiter vnctuosa. Sed causa efficiens remota est frigiditas nubis circumdantis exhalationem. Sed causa propinqua, & immediata eius, vel est motus inflammans propter velocitatem, vel calor fortificatus per antiperistasin. Sed causa eius formalis est splendor, vel claritas, quia à claritate exhalatio vocatur *coruscatio*, & aliter non. Et fortè causa finalis est salus quorundam viuentium hic inferiùs; quia per talem inflammationem consumuntur multæ humiditates viscosæ, & infectuosæ aëris: quamuis etiam corrumpantur aliqua viuentia, vt postea dicetur. 3.

Tertiò, sciendum quòd quamuis tonitruum & coruscatio fiant ex eadem materia: tamen differunt, quia priùs causatur sonus ex illa materia quàm fiat coruscatio: scilicet ex eo quòd exhalatio priùs mouetur per nubem, quàm sufficiat nubem diuidere; & ex tali motu causatur sonus, & quandoque simul fiunt coruscatio & tonitruum, tamen partialiter. Verum tamen est, quòd quamuis priùs fiat tonitruum, priùs tamen apparet coruscatio. Cuius causa est, quia lumen multiplicat se per alterationem, & quodammodo subitò, & non temporaneè: sed sonus multiplicatur per motum localem, quia ad hoc quòd audiatur tonitruum, requiritur quòd sit quidam tremor aëris prouenients de nube ad aërem: modò semper motus localis requirit temporaneam successionem. 4. *Tonitruum & coruscatio differunt.*

Quintò, sciendum de magnitudine coruscationis, quia non solùm fit coruscatio per inflamma- 5.

tionem materiæ, sed moltæ partes eius fiunt per reflexionem luminis. Vbi sciendum, quòd corpora densiora magis nata sunt reflectere lumen quàm corpora rariora, & ideò nubes circumstantes materiam inflammatam resplendent, propter reflexionem luminis ad ipsas nubes, & ideò hic apparet coruscatio maior, quàm si non esset nubes. Et sic patet quòd tempore nebuloso, & obscuro, maiores debent apparere coruscationes quàm tempore sereno, & lucido, propter duo. Primò, propter reflexionem maioris claritatis. Secundò, quia tempore obscuro, minùs obfuscatur claritas coruscationis, quàm tempore sereno, vel lucido. Ideò non solùm talis reflexio claritatis fit ad nubes, sed etiam ad aërem inspissatum, cui sunt multi vapores admixti; & propter hoc dicunt Perspectiui quòd crepuscula ante ortum & post occasum solùm fiunt propter reflexionem radiorum Solis existentis sub Horizonte ad aërem inspissatum propter vaporem admixtum. Patet ergo de natura & causis coruscationis, & quomodo generatur. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De causis apparentibus, quæ contingunt circa coruscationem.

6. QVantùm ad secundum, numeranda sunt accidentia, quæ contingunt circa coruscationes. Accidunt enim primò, quia coruscationes sæpiùs fiunt quàm tonitrua. Causa est ista, quia aliquando fit coruscatio ex fortibus causis, sicut ex multa exhalatione, & forti; à frigido circumstante multo, & satis intenso, quia hic propter fortitudinem materiæ & agentis, non solùm coruscatio fit, imò & tonitruum; sed aliquando fit coruscatio ex leui materia, & absolutè debili; & tunc causæ non sufficiunt causare tonitruum, quamuis sufficiant causare coruscationem. Modò sæpiùs patet fieri coruscatio ex materia forti, vel ex materia leui, quàm tonitruum ex forti solùm.

Secundò accidit quòd coruscatio sæpiùs fit locis, & temporibus temperatis, quàm intemperatis: Causa est, quia ad generationem coruscationis requiritur competens multitudo exhalationis eleuatæ sursum, & cum hoc frigidum in medio interstitio satis intensum: modò ista fiunt meliùs tempore temperato vt Vere, vel Autumno, quàm in Hyeme, vel Æstate. Et consimiliter de locis, nam in frigidis prohibetur eleuatio exhalationis, propter constrictionem pororum terræ. Sed in æstate exhalatio consumitur, & etiam in locis excessiuè calidis. Et ideò dicit Plinius, quòd sæpiùs fiunt coruscationes in Italia, quàm in aliis partibus; eò quòd locus ille est temperatior.

7. Tertiò, accidit qoòd plures fiunt coruscationes in extremitatibus nubium, quàm in medio nubis. Causa est ista, quia quandoque fit coruscatio per inclusionem exhalationis infra nubem, vt fuit dictum. Sed quandoque fit per motum exhalationis inter nubes; & hoc post diruptionem nubis spissæ & magnæ, in qua materia includebatur: modò coruscatio facta ex huiusmodi motu colorat extremitates nubium, inter quas mouetur: & quia sæpiùs fit ex tali motu quàm per inclusionem, ideò sæpiùs apparet coruscatio in extremitatibus nubium, quàm in medio.

Quartò, accidit quòd coruscationes apparentes in medio nubis sunt tortuosæ: ita quòd apertura illa, in qua apparet claritas, non est directa, sed torta. Causa est ista, quia coruscatio apparens in medio nubis fit per inclusionem exhalationis in nube, & ideò apparet per diuisionem nubis; & quia nubes est difformis in raritate, & densitate, ideò non diuiditur regulariter, sed difformiter, & tortuosè: modò secundùm figuram diuisionis nubis apparet figura coruscationis.

Quintò, accidit quòd audiuntur tonitrua quando apparet coruscatio in medio nubis, & non audiuntur quando apparent in extremitatibus. Causa est, quia quando apparet in medio nubis, tunc materia includitur in nube, per cuius motum infra nubem causatur sonus, & etiam per diruptionem nubis ex impetu exhalationis: sed cùm coruscatio apparet in extremitatibus nubium, tunc materia non includitur, nec fit sonus, nisi fuerit modicus, ad modum illius soni, qui fit ex ascensu flammæ. 8.

Sextò, accidit quòd magis fiunt coruscationes post transitum tempestatis, quàm durante tempestate. Causa est, quia humiditates aqueæ sunt deploratæ deorsum post tempestatem, & humiditates remanentes superiùs magis sunt digestæ per calorem, & aptiores sunt ad recipiendam inflammationem, quàm anteà.

Septimò accidit, sicut tactum fuit in argumentis, quòd quandoque apparent coruscationes sine nube. Causa est ista, quia quamuis in Horizonte nostro non sint aliquæ nubes; tamen in Horizonte satis propinquo, sunt nubes, in quibus fiunt coruscationes, & hic claritas illius coruscationis reflectitur ad aërem inspissatum superiùs in Horizonte nostro. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

De effectibus coruscationis.

DE tertio, scilicet effectibus coruscationis: primò in generali consumitur humiditas vnctuosa aëris. Secundò, coruscatio interficit quasdam plantas & vegetabilia, consumendo flores, & fructus arborum, & plantarum, & hoc facit ipsos marcescere; & quandoque decolorando solùm. Tertiò decolorat vultum hominis. Et quartò nocet oculis; & omnia ista proueniunt ratione siccitatis, & malitiæ materiæ. Ex istis patet quæ sit natura coruscationis; quæ accidentia eius, quomodo generetur, & qui sint eius effectus. 9.

Ad rationes. Ad primam. *Tunc fieret in nube,* &c. Verum est, quandoque fit in nube, quandoque sine nube per reflexionem claritatis ad aërem inspissatum. *Ad argum. 1. principale.*

Et quando dicitur, *Minùs debet fieri,* &c. Dico quòd imò similiter debet apparere tempore nebuloso, quàm tempore claro, & sereno, propter causas priùs dictas: quemadmodum videmus quòd combustio domus à remotiori videtur, & magis incensa de nocte, quàm de die, & adhuc magis *Ad 2.*

magis de die, ſi tempus fuerit obſcurum, quàm ſi fuerit clarum & ſerenum. Concedo tamen quòd ſæpiùs fit coruſcatio quàm tonitruum, eò quòd quandoque fit per incluſionem materiæ infra nubem, & quandoque per motum materiæ inter nubes: ſed tonitruum ſolùm fit cùm materia includitur infra nubem. Similiter coruſcatio citò diſparet, cùm materia eſt rara, & faciliter conſumitur vnctuoſitas per inflammationem.

Ad 3. Ad tertiam, *Aliæ impreſſiones*, &c. Negatur conſequentia: primò, quia aliæ impreſſiones fiunt remotiùs à nobis, in ſuperiori regione aëris: ideò dato quòd facerent tantam claritatem, non tamen apparet nobis propter diſtantiam. Secundò, poſſibile eſt quòd ibi non ſit tanta abundantia materiæ, quanta eſt vbi apparet maior. Tertiò, quia coruſcatio apparet maior quando fit per inflammationem, propter reflexionem claritatis ad nubem circumſtantem. Et hæc ſint dicta de ſecundo Libro.

Expliciunt quæſtiones ſecundi libri Meteororum.

LIBER

LIBER TERTIVS METEORORVM.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Typhon, Ecnephias, & Incensio sint exhalationes siccæ?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non: quia tunc descenderent de nube. Consequens est falsum, quia exhalatio sicca est, & per consequens habet ascendere sursum, potiùs quàm descendere deorsum; & patet consequentia per Aristotelem in principio tertij.

Secundum. Secundò, istæ impressiones quandoque existente serenitate apparent; igitur non est necessarium quòd descendant de nube, cuius tamen oppositum dicit Aristoteles. Antecedens patet ad experientiam, & etiam dicit Seneca in *naturalibus quæstionibus.*

Tertium. Tertiò, arguitur specialiter de Typhone, quia si exhalatio sicca esset Typhon, tunc illa moueretur circulariter; modò consequens est falsum, quia cùm Typhon sit quoddam mixtum imperfectum, oportet quòd moueatur secundùm naturam elementi prædominantis; modò cùm in ipso non prædominetur cælum, sequitur quòd ipsum non moueretur circulariter. Et patet consequentia, quia soli cælo inest motus circularis secundùm naturam, vt patet 1. *Cæli.*

Quartum. Quartò, Typhon ascendit à terra; igitur non descendit à nube. Tenet consequentia, quia isti sunt motus contrarij. Et antecedens apparet, quia in ascensu suo eleuat res iacentes super terram.

Quintum. Quintò, vel descenderet à nube naturaliter, vel violenter? si violenter, hoc maximè esset motu expulsionis à nube; modò hoc non potest esse, quia omne mouens simul est cum moto, 3. *Physicorum*: modò ibi non apparet mouens cum exhalatione: nec naturaliter, cùm sit de natura ignis.

Sextum. Sextò, non est verisimile, nec apparet quomodo tanta materia possit includi, quanta est moles, & magnitudo ipsius Ecnephiæ.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto tertio.

In ista quæstione primò videndum est de Typhone. Secundò, de Ecnephia. Tertiò, de Incensione.

ARTICVLVS I.

De Typhone.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd Typhon est ventus ille, qui directè descendit de nube circulariter vsque ad terram, super paruam portionem terræ, mediante quo eleuantur pulueres, & stramina; & quando est fortior, tunc eleuatur aliquod aliud magnum. 2. *Typhon quid.*

Secundò sciendum, quòd ventus iste generatur per hunc modum: quia in nube aquosa sufficienter frigida includitur exhalatio satis subtilis, quæ fortificata interiùs propter circumstantiam contrarij petit exitum de nube; & quia est materia leuis, ideò cum impetu ascendit ad partem superiorem nubis, à qua iteratò propellitur deorsum, & ex ista violentia propulsus diuidit nubem in parte inferiori, vbi est debilior, & in eodem impulsu descendit circulariter vsque ad terram, & iteratò reflectitur à terra. Ex quo patet quæ sunt causæ Typhonis, quia eius materia est exhalatio sicca, sed propulsus à nube est efficiens, & motus circularis est eius forma, à qua denominatur *Typhon*, & eius causa finalis fortè est purgatio aëris. *Quomodo generetur.* *Eius causæ.*

Nunc igitur de differentia eius à fulmine, de quo priùs dicebatur, dico quòd differunt à parte materiæ, quia Typhon est ex materia grossiori, quàm sit fulmen, nam fulmen est magis penetratiuum. Secundò, differunt ex parte motus, quia fulmen mouetur deorsum, sine circulatione, Typhon autem mouetur circulariter. Tertiò, differunt ex parte qualitatum, quia materia Typhonis est sicca ad modum materiæ venti, & non inflammatur, sed materia fulminis est incensa, ideò secundùm Aristotelem non solùm fulmen percutit, sed cum hoc etiam adurit. 3. *Quomodo differat à fulmine.*

Contrà dubitatur primò, quia Typhon diuidit nubem in parte inferiori, eò quòd in illa parte est debilior. Contrà, primò, quia videmus quòd si aër includatur infra aquam, ita quòd maior spissitudo aquæ sit suprà aërem, quàm subtus, tum aër non petit exitum à parte inferiori, quamuis ibidem aqua sit debilior, sed propter leuitatem eius nititur ascendere in parte superiori, quamuis inferior sit debilior. *Obiectio prima.*

Secundò, quia ista pars nubis est fortior, & magis compacta vbi est frigiditas magis condensans aërem, vel vaporem, sed hoc est in parte inferiori, cùm sit remotior ab elementis calidis, & à cælo. *Secunda.*

Tertiò probatur quòd impossibile est fieri Typhonem, quia impossibile est exhalationem, quæ *Tertia.*

est

est materia venti, ascendere vsque ad mediam regionem aëris; igitur impossibile est fieri Typhonem. Antecedens per Aristot. 2. *huius*, & propter hoc non flant venti in cacuminibus montium. Et probatur consequentia, quia Typhon non potest generari, nisi per inclusionem materiæ venti infra nubem in media regione aëris. Et continuatur consequentia, quia nunquam mouetur ventus circulariter, ideò omnis ventus est lateralis, vt patet *in 2. huius*, sed Typhon est quidam ventus, vt patet *in isto 3.* igitur, &c.

Quarta. Quartò, dubitatur de modo generationis, vnde generatur motus circularis illius Typhonis.

5. *Ad 1.* Ad ista, & ad primum dico, quòd non est simile de aëre ascendente per aquam, & de Typhone ascendente per nubem; nam aër petit exitum ab aqua solùm propter eius leuitatem existens in aqua, & non propter magnam contrarietatem, quam habet cum qualitatibus primis ad qualitates nubis.

Ad 2. Ad secundum, *in ista parte*, &c. Concedo quòd vbi est remissior frigiditas ibi est nubes tenuior, supposita æquè longa actione; modò in medio mediæ regionis est frigiditas intensior ibi, vel prope quam est superior pars nubis: sed in inferiori parte est pars nubis inferiùs, quæ est magis propinqua calori prouenienti ex refractionibus radiorum Solis. Et si dicas contrà, quòd possibile est partem nubis superiorem esse in superiori parte mediæ regionis, quæ est propinquior elementis calidis, & per consequens pars inferior nubis esset magis compacta. Dicitur quòd si quandoque ita sit quòd nubes vna cum exhalatione eleuetur vltra medium mediæ regionis, quòd tunc exhalatio diuidit nubem in parte superiori; sed hoc non experimur propter interpositionem nubis. Aliter, quòd nunquam nubes ascendit vltra medium mediæ regionis, saltem notabiliter, quia priùs condensaretur antequam ibi veniat; vel materia non est ita compacta quòd ad tantum sufficit eleuari.

6. *Ad 3.* Ad tertium, *exhalatio*, &c. Nego antecedens, imò exhalatio, quæ est materia ventorum, benè potest eleuari mixta cum vaporibus grossis ad mediam regionem aëris, & quamuis priùs fuerit debilis, tamen post congregata infra nubem incenditur, & efficitur magnæ virtutis ad impellendum, & mouendum, vt dictum fuit priùs.

Ad 4. Aliter etiam dicitur, quòd materia ex qua generatur Typhon, seu Ecnephias non est sicca ita purè, sicut est materia venti, sed est vnctuosa, vel saltem aliqualiter magis tenax; & ideò diutiùs retinet calorem eleuantem, & minùs potest repelli à frigiditate mediæ regionis, & ideò altiùs ascendit, ita quòd materia ista est quodammodo media inter materiam impressionum ignitarum, quæ generantur in alto, & materiam venti. Et per illud ad confirmationem.

Ad quartam dico quòd motus circularis Typhonis prouenit ex hoc, quòd ventus veniens de loco ampliori in locum magis angustum incedit non rectè, sed lateraliter, & quodammodo circumueniendo, vt patet vbi ventus intrat per portam, vel viam strictam in medio duorum murorum. Et hoc est, quia à lateribus strictioris loci ventus reflectitur ad latus, & alia pars insequitur, & sic fit ibi quædam gyratio; modò sic fit de exitu exhalationis de nube: quia concauitas nubis est ampla, & locus vbi est nubes diuisa satis angustus, in comparatione ad concauitatem.

Aliter dicunt alij, quòd Typhon venit motu directo ad terram, sine gyro, à qua reflectitur in seipsum; & sic ex transitu illorum ventorum contrariorum, vnus incedit ad terram, & reliquus reflectitur à terra, & sic caussatur motus circularis.

Tunc de effectibus Typhonis. Vndè primus effectus istius est calefactio, quia per propulsum, & velocitatem motus, acquirit calorem. Secundò, Typhon alterat animalia, sicut homines ad infirmitates mediante illo calore, & etiam per alias qualitates. Tertiò, dat nocumentum oculis, & maculat faciem. Quartò, quandoque quando fuerit fortis eradicat arbores, quia per impetum suæ gyrationis circumdat ramos arborum, & posteà per reflexionem à terra, quodammodo retorquendo arborem, ipsam extrahit, vel eradicat. Quintò, quandoque eleuat aliqua corpora, & violenter disportat de vno loco in alium sicut hominem, & quandoque eleuat nauem de mari, sicut dicit Seneca, & quandoque eleuat magnam partem aquæ, & multa alia. Et hoc de primo. 8. *Effectus Typhonis.*

ARTICVLVS II.

De Ecnephia.

QVantùm ad secundum, sciendum quòd *Ecnephias* dicitur iste magnus ventus, qui cum impetu magno simul descendit motu recto ad terram, & prosternit, seu percutit, quicquid sibi subest prope terram. Et generatur isto modo, quia infra nubem valde intensè frigidam includitur exhalatio multa terrestris ad modum, quo multus aër includitur intra vesicam, quæ exhalatio fortificata intus per antiperistasim petit exitum à nube, & tandem deferendo secum magnam partem nubis descendit cum impetu vsque ad terram, & hoc propulsa à parte superiori nubis. 9. *Ecnephias quid.* *Quomodo generetur.*

De differentiis eius ad Typhonem, primò enim Typhon est ex materia subtili, sed Ecnephias ex materia valde grossa. Secundò differunt, quia Typhon mouetur circulariter, & Ecnephias motu recto. Causa est, quia Ecnephias non exit de nube per locum angustum, sed amplum, secum deferendo inferiorem partem nubis. *Quomodo à Typhone differat.*

De effectibus eius dicit Aristoteles, quòd in descendente Ecnephia apparet magna obscuritas super terram, & hoc propter commixtionem multarum exhalationum aëri, quæ sunt valdè grossæ, & terrestres. Secundò, accidit post casum Ecnephiæ magna pluuia, & hoc propter partes nubis, quas secum attulit in descendendo. *Eius effectus.*

ARTICVLVS III.

De Incensione.

DE tertio, de Incensione sciendum est, quòd quandoque contingit quòd Typhon descendens deorsum, quandoque incenditur & inflammatur præ velocitate motus, & etiam præ intensione suæ qualitatis, & tunc materia illa inflammata vocatur *incensio*, & apparet quasi rota quadrigæ ignitæ circumuoluta. Quandoque etiã contingit quòd materia Ecnephiæ incendatur ex 10. *Incensio quid.*

consimili casu, & etiam illa vocatur *incensio*, & apparet quasi diluuium ignis, & per tales ciuitates comburuntur, & regiones, & hoc testantur multi auctores, & etiam videtur innuere Aristoteles *in libro suo de Mundo*. Patet igitur quomodo generatur,

11. *Ad argum. 5. principale.* Ad rationes. Ad primam, *tunc*, &c. Concedo consequentiá & consequens, & ad probationem, concedo quòd est leuis, tamen violenter propellitur deorsum, quemadmodum quandoque constitutus inter digitos violentes propellitur sursum.

Ad 2. Ad secundam, *ista quandoque apparent in serenitate*. Multi negant illud, & nescio si sit expertum, tamen si ita sit, tunc exhalationes istæ eleuatæ superiùs intenduntur, & fortificantur à frigiditate mediæ regionis, & tandem fortificatæ consimiliter propelluntur, ac si includerentur in nube. Verum est tamen quòd si appareant existente serenitate, multò sunt remissiores & minùs impetuosi, quàm si venirent de nube.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc mouerentur circulariter*; concedo: & tunc quando dicitur, *est quoddam mixtum*, verum est quòd in motu suo naturali debet moueri per naturam elementi dominantis in eo, sed tamen motu violento, vt ex pulsu, vel aliquo huiusmodi potest moueri circulariter.

Ad 4. Ad quartam, dictum est in positione, quòd hoc non fit per ascensum eius à terra; sed per eius reflexionem à terra.

Ad 5. Ad quintam, dico quòd violenter, & quando dicitur quòd omne mouens, &c. concedo, &c. Et ideo dico, quòd quale est mouens immediatum in motibus proiectorum, tale etiam esset mouens immediatum Typhonis, & Ecnephiæ, siue mouens ille sit impetus, influxus, siue medium.

Ad 6. Ad vltimam visum est qualiter benè potest congregari tanta multitudo exhalationis.

QVÆSTIO II.

Vtrùm fulmen sit ignis descendens de nube?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, primò, vel iste ignis esset generatus in nube, vel aliunde; non primo modo, quia aqua non est locus generationis ignis, plus quàm ignis est locus generationis aquæ; nec aliunde venit, quia non apparet vnde possit venire.

Secundum. Secundò, si sic, sequeretur quòd combureret omne illud super quod caderet. Consequens est contra experientiam, quia multoties interficit hominem sine combustione, vt patet ad experientiam. Et probatur consequentia, quia semper ignis natus est comburere.

Tertium. Tertiò, quia implicat falsum, quòd fulmen sit ignis, & quòd descendat de nube, quia omnis ignis est natus ascendere sursum.

Quartum. Quartò, quia vel fulmen generaretur indifferenter in quolibet loco & tempore, vel in aliquibus maius, & aliquibus minus: non primo modo, propter eandem causam, quæ dicebatur de Typhone, & aliis impressionibus; nec secundo modo, quia magis tunc fieret temporibus, & locis temperatis. quod est falsum, quia vbi est temperies non est sufficiens calor ad generationem ignis.

[Quint]um. Quintò, vel indifferenter quælibet res percutitur à fulmine, vel aliqua magis, & aliqua minùs; non secundo modo, quia fulmen videtur quodammodo fieri à casu; & ideò quantùm est ex parte sui, indifferenter percutit quodlibet; nec primo modo, quia vt in pluribus, dicitur quòd templa deorum potiùs percutiuntur fulminibus aliis rebus.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 3*. *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de generatione fulminum, & de diuersitate. Secundò, videbitur de effectibus eius.

ARTICVLVS I.

De generatione fulminum.

QVantùm ad primum, sciendum, sicut dictum fuit priùs, quòd aliquando in nube includitur exhalatio calida & sicca, subtilis, dispersa per nubem, quæ propter contrarietatem eius cum nube, fortificatur, & incenditur; & eadem fortificata petit exitum, & in parte superiori frangit nubem, vbi est debilior; quâ fractâ, ex impetu motus inflammatur exhalatio, & tunc quandoque contingit quòd exhalatio dispergatur in altum, & latum, & tunc vocatur *fulguratio*: sed quandoque per impetum & impulsum venit vsque ad terram, vniendo se per viam strictam, & tunc vocatur *fulmen*; ex quo patet quòd fulmen & fulguratio dupliciter differunt; primò, quia fulguratio est ignis latè expansus; sed fulmen est ignis strictus, & violenter tactus deorsum. Secundò, quia maior virtus requiritur ad causalitatem fulminis, quàm ad causandam fulgurationem; nam fulguratio fit propter defectum impellentis materiam deorsum. 2. *Fulmen & fulguratio differunt.*

Secundò, sciendum quòd Aristoteles distinguit duplex fulmen, scilicet grossum, & subtile; sed alij ponunt triplex; nam aliquod est fulmen penetrans, sicut illud quod percutit super lignum, & non comburit, sed penetrat, & pertransit poros lignorum, & tale fulmen est valde subtile. Aliud est fulmen discolorans, & tale est magis fortè & conglobatum, & quodammodo viscosum. Sed tertium est adurens. 3.

Sed tertiò sciendum, quòd etiam differunt in aliis accidentibus, sicut in colore, aut motu; nam quoddam fulmen est albi coloris ad modum flammæ albæ; quoddam est rubeum; quoddam croceum; quoddam nigrum; & quoddam rubicundum Et diuersitas ista prouenit ex diuersitate materiæ fulminis, quemadmodũ diuersitas coloris flammæ ignis prouenit ex diuersitate materiæ. *Fulmina varia.*

Secundò differunt fulmina motu, nam contingit aliquod fulmen moueri transuersaliter, ad modum volatus auis. Aliud mouetur quasi directè deorsum, & quandoque attingit terram. & quandoque non. & dixi notabiliter *quasi deorsum*, quia omne fulmen, imò vniuersaliter omnis impressio ignita veniens de sursum, non descendit directè deorsum, sed quodam motu laterali, & transuersali.

Quartò sciendum, quòd non solùm fulmina differunt secundùm accidentia, sed etiam secundùm naturam: nam aliquod fulmen generatur in nube, vt modò tactum est; sed aliud generatur in terra, sicut quandoque visum fuit exire fulmen de monte Ætna, & tale fortè generatur ex

quibusdam

quibuſdam fontibus ſulphuris, qui habent decurſum ſub terra.

Cauſa fulminis. Ex iſtis poteſt elici quæ ſint cauſæ fulminis, nam cauſa materialis eſt exhalatio calida & ſicca. Cauſa efficiens eſt frigiditas propellens deorſum, vel motus, aut calor inflammans exhalationem, ſicut dicebatur de coruſcatione. Patet igitur quo modo generatur fulmen, & quæ ſint differentiæ eius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De effectibus fulminis.

4 *Fulminis effectus primus.* QVantùm ad ſecundum, ſcilicet de effectibus fulminis, eſt expertum quòd quandoque gladius eſt liquefactus incluſus in vagina, ſimiliter pecunia liquefacta, quæ includitur in burſa, & oſſa animalis ſunt incuruata, vagina, corio, burſa, cute, carne, omninò illæſis. Cauſa eſt iſta, quia fulmen percutiens propter ſui ſubtilitatem, erat valdè penetratiuum, & ideò penetrauit poros corij, cutis, & carnis, vſquequo peruenerit ad aliquod durum, & reſiſtens ſibi, quod non poterat faciliter penetrare, & propter motum fulminis ſuper illud reſiſtens ipſum combuſſit, & incinerauit s quemadmodum videmus quòd digitus quieſcens in flamma citò læditur, & comburitur, ſed motus velociter per flammam non facilitèr recipit impreſſionem. Et propter eandem cauſam dicunt aliqui, quòd quandoque fulmen adurit omnes carnes hominis, non tamen adurendo veſtes, quia materia carnis, & pili, eſt groſſior, & magis reſiſtens, quàm ſit lana, ex qua ſiunt panni.

5 *Secundus.* Secundò contingit quòd fulmen quandoque non penetrat, nec adurit, ſed diſſipat, & frangit corpora ſolida vt ligna, & lapides, & huiuſmodi, & tale vocatur fulmen diſſipans. Cauſa eſt, quia materia illa eſt fortis valdè, & viſcoſa, & ideò ictus eius, propter impulſum, eſt impetuoſior, & fortior.

Alij dicunt quòd cum tali fulmine caduot lapides, & metalla geòerata ſuperiùs, à quibus fit huiuſmodi diſſipatio; & illud eſt benè poſſibile, non tamen ſemper eſt ita, quando fit diſſipatio, ideò cauſa præcedens eſt veriſimilior.

Tertius. Tertiò, contingit quòd aliquod fulmen totaliter adurit, & per hoc quandoque comburuntur domus; quandoque nemora; quandoque ciuitates.

Quartus. Quartò, aliquod fulmen colorat denigrando, & facit corpora tacta crocea, & quandoque nigra, quaſi eſſent adusta, ſicut patet quandoque de vultibus hominum, quorum colores mutantur de fulmine; & etiam quandoque patet de folijs vinearum, & hoc accidit propter leuitatem, & ſubtilitatem flammæ ipſius fulminis.

Quintus. Quintò, accidit poſt combuſtionem corporum à fulmine quidam odor ſulphureus, & fœtidus, & hoc propter malitiam, & viſcoſitatem ipſius materiæ, ex qua fiebat fulmen.

Sextus. Sextò, ſecundùm Ariſtotelem, nam magnus ventus concomitatur fulmen, & etiam magnus ventus ipſum præcedit. Cauſa eſt, quia ex impulſu exhalationis ab hoc aër mouetur interpoſitus exhalationi, & terræ; & iſte aër motus mouet alium, & ſic communiter vſque ad terram; modò aër taliter motus apparet quaſi ventus. Alia cauſa eſt, quia quando generabatur fulmen magna pars exhalationis exit nubem priuſquam inflammatur, & tunc illa exhalatio propulſa à frigiditate nubis, aut mediæ regionis aëris, cauſat ventum. 6.

Septimus. Septimò, fulmen eſt venenoſum, & ideo animalia, & plantæ, quæ percutiuntur fulmine ſunt periculoſæ ad comedendum, & hoc prouenit ex malitia qualitatum materiæ, ex qua generatur fulmen.

Octauus. Octauò, accidit quòd quandoque dolium vini erit percuſſum fulmine, & totum vas erit combuſtum, & diſſipatum, & tamen vinum remanebit, quaſi congelatum, vel contentum vaſe. Cauſa eſt iſta, quia virtute fulminis tota viſcoſitas vini extrahitur ad ſuperficiem, & ex iſta viſcoſitate fiebat ſuperficies quædam circundans vinum ad modum pellis: & tali modo poteſt durare tribus diebus, & non amplius, & tale vinum etiam eſt valde venenoſum, & periculoſum, & ideò potantes de ipſo ſtatim morerentur.

Nonus. Nonò, contingit quòd ſi fulmen percutiat venenoſum, remouet venenum, & amplius non erit venenoſum; ſed ſi percutiat aliquod ſanum ſtatim efficitur venenoſum. Et huius eſt difficile aſſignare cauſam; tamen poſſibile eſt quòd idem ſimul faciat diuerſos actus, ſiue effectus, propter diuerſitatem diſpoſitionum materiæ, quemadmodum videmus quòd aër ſufflatus extinguit candelam accenſam, & accendit extinctam.

Decimus. Decimò, eſt aliquod fulmen, quod ſtatim interimit hominem, vbicunque contigerit ipſum, ſiue tetigerit ipſum in digito, ſiue in parte poſteriori pedis, ſeu alibi. Cauſa eſt, quia ſicut dictum eſt, fulmen eſt venenoſum, & ideò vna parte percuſſa à fulmine, iſta ſtatim alterat aliam, & ſic deinceps per totum corpus, quemadmodum eſt de morſu lupi, vel rabidi canis. 7.

Vndecimus. Vndecimò, nullum aliud percuſſum fulmine euadit à morte, excepto ſolo homine, qui quandoque percuſſus à fulmine euadit; & hoc videtur, quia natura magis adhibet reuerentiam homini quàm alijs animalibus.

Duodecimus. Duodecimò, accidit quòd ſi dormiens percutiatur fulmine, inuenitur habere oculos apertos; ſed ſi vigilans ſit percuſſus, inuenitur habere oculos clauſos. Cauſa eſt, quia dormiens propter ſubitam læſionem, quam ſentit quodammodo expergiſcitur, & aperit oculos, & priùs moritur, quàm poſſit iteratò claudere, ſed è contrà eſt de vigilante.

Decimustertius. Decimotertiò, conceditur quod omnia percuſſa fulmine ſe ponunt contra ictum. Cauſa eſt, nam in inanimatis hoc fuit propter alterationem, ſicut videmus quòd lignum appoſitum igni, quodammodo eleuatur contra ignem, ſiue elatum; ſed corpora animata anima ſenſitiua hoc faciunt propter ſubitam ſtupefactionem, quam habent ex læſione.

Decimusquartus. Decimoquartò, accidit quòd fœtus exiſtens in vtero matris corrumpatur matre illæſa, & hoc eſt fortè propter teneritatem fœtus, & ſubtilitatem eius. 8.

Decimusquintus. Decimoquintò, accidit quòd in corporibus intoxicatis veneno, & mortuis non innaſcitur vermis; ſed tamen ſi moriantur fulmine infrà paucos dies generantur vermes in ipſis. Et hoc eſt mirabile, cùm dictum fuerit priùs quòd fulmen ſit venenoſum, & non poteſt dari alia cauſa, quàm dicendo quòd iſta venena ſunt diuerſarum naturarum.

9. *Decimusſextus.* Decimoſextò, accidit quòd quidam fuit interfectus fulmine tempore ſereno: & cauſa poteſt aſſignari, quia exhalatio, quæ eſt materia fulminis, includitur in parte aëris valdè frigida. propter quam frigiditatem per antiperiſtaſin exhalatio illa intédebatur in virtute, & fortificata propellebatur deorſum à frigiditate iſtius aëris, ita quòd aër frigidus gerebat ibi vicem nubis, ſicut priùs dictum eſt de tonitruo cauſato in ſerenitate.

10. *Decimuſſeptimus.* Decimoſeptimò, accidit quòd homines meliùs præſeruantur à fulmine in locis ſubterraneis, & vbi eſt ſpiſſitudo muri lapidei ſuper caput, quàm alibi; quia locus talis meliùs poteſt reſiſtere ictui fulminis, ideò non poteſt deprimi, niſi ictus ille nimis impetuoſus fuerit. Ideò antiqui Reges, & Principes volentes ſe præſeruare à fulmine, cooperiebant domos ſuas, in quibus habitabant, de pellibus vitulorum marinorum, quia dicitur quòd illi vituli nunquam poſſunt percuti fulmine, & difficile eſt dare cauſam, niſi diceretur quòd huiuſmodi vitulus haberet naturalem virtutem fugandi fulmen, ſicut adamas habet virtutem attrahendi ferrum, & ſicut eſt adamas, cuius vna pars nata eſt attrahere ferrum, & alia fugare.

Patet igitur ex iſtis quomodo generatur fulmen, qui ſunt modi, & quot, & quot ſunt effectus fulminis, & ſi ſint aliqui alij, reducendi ſunt ad cauſas eorum.

11. *Ad 1. argum. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, dico quòd generatur in nube, vel ſaltem in exitu de nube, propter velocitatem impulſus: & quando dicitur *Aqua*, &c. dico quòd imò, infra terram poteſt generari ignis per antiperiſtaſin, ſi ſit materia ibi diſpoſita ad generationem ignis. Similiter ſicut aqua generatur infra locum valdè calidū, per antiperiſtaſin, vt patet de generatione grandinis.

Ad 2. Ad ſecundam, *Tunc ſequeretur*, &c. Negatur conſequentia, quia quandoque non tantùm permanet ſuper paſſum, quòd ſufficiat ipſum comburere.

Ad 3. Ad tertiam, *Falſum implicatur*, &c. Dico quòd non, quia ignis benè poteſt violenter deſcendere, quemadmodum aqua, quæ eſt grauis, ſi comprimatur inter manus, violenter aſcendit.

Ad 4. Ad quartam. *Vel generaretur*, &c. Dico quòd generatur in media regione aëris, quandoque citra medium, quandoque magis inferiùs: & magis ſæpè fit in locis, & temporibus temperatis, quàm in aliis temporibus, & locis. Cauſa eſt, quia in locis exceſſiuè calidis, exhalatio, quæ eſt materia fulminis, conſumitur; & in locis exceſſiuè frigidis propter conſtrictionem pororum non eleuatur, ideò in regionibus, & temporibus temperatis magis fit fulmen, quia tunc poteſt materia ſufficienter eleuari; nec eſt aliquid conſumens ipſam notabiliter. Similiter de loco patet, quia quandoque generatur ſub terra, quandoque ſupra terram, vt dictum fuit.

Ad 5. Ad quintam, *vel quodlibet*, &c. Dicunt Authores quòd non quodlibet poteſt indifferenter percuti; imò aliqua ſunt, quæ nullo modo percutiuntur, ſicut arbores habentes poros clauſos ſuperius, ſecundùm Albertum, nec cortices lauri. Tertiò, nec aquila, & ideò ab antiquis aquila vocabatur *Armiger Iouis*. Quartò, nec quædam bellua marina, quæ vocatur *vitulus marinus*; & quando dicitur de templo, dico quòd à caſu eſt quòd fulmen magis percutiar ſuper templa, quàm ſuper res alias. & etiam ex caſu, quòd magis percutiat alios homines, quàm alios; & ideò illi non ſunt reprobandi, quantùm ad animas eorum, qui percuſſi ſunt fulmine, ſicut aliqui crediderunt.

QVÆSTIO III.

Vtrùm viſus refrangatur ab aëre, & ab aqua, & à corporibus denſis?

ARGVITVR primò quòd non, quia viſus frangitur ab aëre, & aqua, igitur non refrangitur. Tenet conſequentia, quia illud quod refrangitur, conuertitur, vel reuertitur in eandem partem, à qua venit, ſed quod frangitur tranſit vltrà. Antecedens patet ad experientiam, quia videtur baculus, cuius vna medietas eſt in aëre, & alia in aqua. 1. *Arg. princ.*

Secundò, aër & aqua non habent ſuperficies denſas; igitur ab ipſis non fit refractio. Tenet conſequentia, quia videmus in aliis quòd non fit refractio, niſi à ſuperficie denſa, vt patet de ſpeculis. Antecedens patet, quia aër & aqua ſunt corpora diaphana. *Secundum.*

Tertiò, quia viſus accipitur pro anima viſiua, vel pro radio viſuali; ſed neutro modo refrangitur; igitur, &c. Maior nota eſt; & minor apparet de radio; talis enim non frangitur, cùm ſit corpus: nec etiam viſus, vt manifeſtum eſt. *Tertium.*

Quartò, ſequeretur quòd viſus fieret extrà mittendo; conſequens falſum, *lib. de ſenſu, & ſenſato.* Probatur conſequentia, quia radius non diceretur, niſi qui venit à viſu. *Quartum.*

Quintò, alij ſenſus non refranguntur; igitur nec viſus. *Quintum.*

Oppoſitum vult Ariſtoteles in iſto tertio. *Oppoſit.*

Primò eſt dicendum de cauſis: Secundò de refractione. Tertiò de diuerſitate refractionis.


ARTICVLVS I.

De cauſis refractionis viſus.


2. *Viſus pro radio viſuali capitur.* DE primo, dico quòd Philoſophus in propoſito capit *viſum* pro radio viſuali, & non eſt differentia in propoſito, vtrùm radius iſte veniat ab obiecto, vel ab ipſo viſu, quia quocunque modo fiunt, imaginandi ſunt conſimiles radij, & anguli conſimiles, ideò quoad propoſitum non fiet difficultas, vtrùm viſus fiat intùs ſuſcipiendo, aut extrà mittendo.

Secundò ſciendum, propter iſtum terminum *refrangere*, primò quòd *linea incidentiæ* dicitur linea, ſecundùm quam forma directè diffunditur per medium vnius diaphani, ſicut ſi à luminoſo *B* ad punctum *A* diffundatur forma, quæ eſt lumen, tunc linea *A B* dicitur linea incidentiæ; ſed *refractio* dicitur incuruatio lineæ ad angulum, ſicut, verbi grattâ, ſi linea *A B* incuruetur ad viſum *C*, & tunc totalis incuruatio *B* ad *C* vocatur *refractio*. Sed punctus refractionis eſt punctus medij diaphani, à quo linea incidentiæ incuruatur ad viſum, ſicut eſt punctus *A*. Sed *linea refracta* dicitur linea à puncto refractionis vſque ad viſum directè extenſa, ſicut eſt linea *A C*. Sed *angulus incidentiæ* dicitur minor angulus, *Linea incidentiæ, quid?* *Refractio, quid?* *Punctum refractionis.* *Linea refracta.* *Angulus incidentiæ.*

lus, quem côntinet linea incidentiæ cum linea perpendiculari educta à pũcto refractionis super superficiẽ duo media diuidentem, vel etiam cum ipsa superficie. verbi gratia, sit perpendicularis ducta à puncto *A* super superficiem *D E*, quæ perpendicularis sit *F G*, dico quòd angulus *A B F*, est angulus incidentiæ, vel etiam angulus *B A D*; sed angulus refractionis dicitur minor



angulus, quem tenet *C* linea refracta cum eadem perpendiculari; vel angulus *C A E*. Sed linea reflexionis dicitur linea, secundùm quam forma reuertitur in eandem partem, à qua venit, propter soliditatem superficiei, aut speculi, quam transire non potest; vt si linea *A B* sit superficies speculi, tunc linea *C D*, dicetur linea incidentiæ, sed *D, E*, dicetur linea refractionis.



3. Item sciendum, quòd linearum incidentiæ, siue directi incessus, quædam incidunt perpendiculariter, quædam obliquè. Linea perpendiculariter incidens super aliquam superficiem, dicitur illa, quæ super illam superficiem causat vtrobique angulos rectos. Sed linea illa dicitur obliquè incidere, quæ incidit super aliquam superficiem ad angulos impares, & inæquales.

Et ex istis patet quòd quædam est visio facta per lineam rectam, sicut quando visibile directè opponitur visui, sine diuersitate mediorum in densitate, & raritate. Alia est visio per lineas refractas, sicut quando inter visum & visibile sunt media diuersarum diaphaneitatum: tunc enim radij, vel species venientes ab obiecto non incidunt directè ad visum, sed curuè faciendo angulum. Alia est visio facta per lineas reflexas, sicut per specula.

Istæ igitur definitiones sunt præmissæ, vt termini sint noti, si postea vtamur in assignatione causarum. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De refractione visus.

4. QVantùm ad secundum sit prima conclusio, quòd nullus radius visualis frangitur in medio vniformi. Probatur, quia tunc sequeretur quòd non fieret fractio ad angulum. Consequens est contra definitionem priùs positam. nam fractio est incuruatio lineæ ad angulum. Probatur consequentia, quia si medio vniformi radius refrágatur, fieret fractio secundùm circulum, quia qua ratione frangeretur ad vnam partem, eadem ratione ad aliam, & per consequens ad quamcunque, vel ad nullam, & habetur propositum. *Conclusio 1. Nullus radius visualis frangitur in medio vniformi*

Secundò, si sic, sequeretur quòd nunquam possemus aliquam rem percipere in aëre. in loco in quo est, sed semper alibi, quàm est. Consequens falsum, quia tunc non possumus certificari de vno loco rei. Probatur consequentia, quia omnis res visa per lineam fractam videtur alibi quàm sit, vt patet ex Perspectiua.

Secunda conclusio est, quòd omnis radius, qui non est perpendicularis, incidens super superficiem diuidentem duo media diuersarum diaphaneitatum, sub qua sit aqua, & super quam sit aër, frangitur in illa superficie, nisi super ipsam sit perpendicularis. Probatur per experientiam primò, quia si capiatur vas habens latera eleuata, plenum aqua, tunc denarius positus in fundo aquę videtur ab aliqua distantia, à qua non posset videri, si vas esset plenum solùm aëre. Alio modo patet illud, si capiatur vas vitreum plenum aqua, & teneatur inter visum, & Solem manifestè apparebit fractio radiorum, qui incidunt obliquè, quia quandoque ex concursu eorum ad radium perpendicularem generatur ignis à parte ista, à qua est visus, vasis vitrei. 5. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio est, quòd nullus radius perpendicularis incidens ad superficiem inter duo media diuersarum diaphaneitatum diuidentem, frangitur in illa superficie Probatur primò, quia postquam est perpendicularis qua ratione frangeretur ad vnum, eadem ratione ad alium; igitur ad nullum. Secundò, quia denarius visus in fundo aquæ perpendiculariter, videtur in loco vbi est, ideò radius perpendicularis non frangitur Tenet consequentia, quia si frangeretur, iam appareret alibi. Et antecedens apparet ad experientiam, & etiam per causam, quia tunc eadem est linea directa incessus à visu, & perpendicularis educta à re visa ad superficiem duo media diuidentem. 6. *Conclusio 3.*

Tertiò, quia linea perpendicularis aliter reflectitur ad superficiem speculi, quàm linea incidens obliquè; igitur à consimili linea perpendicularis habebit alium incessum, quando transit per media diuersarum diaphaneitatum, quàm linea cadens obliquè: & quia obliqua frangitur, sequitur quòd perpendicularis transibit irrefracta. Et antecedens apparet, quia in reflexione linea perpendicularis reflectitur ad seipsam, & linea obliqua non. Quartò, patet conclusio ad experientias priùs positas, quia per illas experientias experimur quòd radius perpendicularis transit irrefractus, & omnis aliùs à perpendiculari frangitur.

Sed contra ista obiicitur, quia si ita esset, sequeretur quòd radius fortior, & debilior ad æquales angulos frangerentur. Consequens falsum, quia eadem ratione duo radij æquales consimiliter frangerentur ad media differentia in raritate, & densitate, quod est contra experientiam, quia quantò diuersitas mediorum in raritate maior est, tantò maior est fractio: & quantò minor, tantò minor est fractio. Consequentia ista, quia eadem est proportio radij fortis ad debilem. sicut 7. *Obiectio.*

diuersitatis medij maioris in raritate, ad minorem diuersitatem. Et consequentia principalis probatur, capiendo duos radios, quorum vnus sit Lunæ, & alter Solis, vterque æqualiter distet à suo perpendiculari; tunc per præcedentia probabitur quòd ista duo refrangerentur ad æquales angulos.


Solutio. Ad istud dico, quòd radius fortior, & debilior, dum tamen æqualiter distent à suo perpendiculari, æqualiter franguntur ad angulos æquales, si incidunt in media vniformiter differentia in raritate, & densitate.

Quod probatur per experientiam, quia capiatur aliquod continuum, cuius vna pars sit magis lucida, & alia minùs, & ponatur in fundo aquæ, tunc illud adhuc apparet continuum, quod non tamen contingeret, si radius fortior & debilior frangeretur ad angulos inæquales. Nam radius, siue species partis lucidioris est fortior, ideò de tanto apparet discontinuitas, quantum anguli essent inæquales, ad quos fieret refractio, & secundùm hoc, soluendo rationem dico quòd fortitudo, vel debilitas radij non sufficit ad magnitudinem, vel paruitatem refractionis, sed per se directio, vel obliquitas radij, vel etiam maior, & minor diaphaneitatis mediorum diuersitas. Hoc præmisso, dico ad rationem concedo primum antecedens, & nego aliud consequens, ad quod deducitur, nec est similis proportio, quia fortitudo, vel debilitas radij nil facit, sed per se maior, vel minor diaphaneitatis obliquitas.

ARTICVLVS III.

De diuersitate refractionis visus.

8. Conclusio 5. QVantùm ad tertium ponuntur conclusiones. Prima est, quòd radius, vel species veniens de medio rariori, in quo est visus ad medium densius, in quo est res visa, frangitur declinando ab incessu recto ad perpendicularem ductam à puncto refractionis super superficiem duo media diuidentem; verbi gratia, sit *A B* superficies diuidens aquam ab aëre, super quam incidat à visu *C*, radius *C D*, & sit res visa *E*. Dico quòd



E videtur per lineam *C G E*, & ista declinat ab incessu, scilicet à linea *C G D*, ad perpendicularem *K H* ductam à puncto *G* super superficiem *A B*. Ista conclusio patet ad sensum in duobus experimentis priùs allegatis, nam ad sensum videtur quòd denarius *E*, videtur per lineam *C G E*; & quia *G D* est incessus rectus, & *G H* est perpendicularis super superficiem, patet quòd *G E* declinat ab incessu accedendo ad perpendicularem.


Secunda conclusio, quòd si fiat è conuerso, quòd secundum medium sit rarius, tunc linea refrangitur non appropinquando ad perpendicularem, sed declinando à perpendiculari. verbi gratia in exemplo priùs dicto, ponatur quòd *E*, quod erat res visa, tunc sit visus, & quòd punctus *C* sit alter visus, tunc certum est quòd quilibet istorum oculorum *E C* reliquum videbit per eandem lineam; igitur visus *E* videt *C* per lineam *E G C*: imò declinat à perpendiculari, sicut patet inducendo incessum rectum ab *E G* vsque ad *M*. Ista etiam conclusio patet in experientiis priùs positis. 9. Conclusio.

Tertia conclusio, quòd omnis res visa per lineam fractam videtur in concursu lineæ directæ incidentis à visu, & lineæ perpendiculariter erectæ à re visa super superficiem duo media diuidentem. verbi gratia in exemplo priori visus *C* videt *E* in concursu lineæ directè incidentis à visu *C G D*, & lineæ perpendiculariter erectæ à visibili *E* ad superficiem *A B*, diuidentem aërem ab aqua sicut in puncto *D*. Istud probant Perspectiui per instrumenta, & patet ad experientiam in exemplis priùs allegatis; & è conuerso visus *E* videt visibile *C* in puncto, vbi concurrit radius incidens directè à visu *E* cū perpendiculari *B M* erecta à re visa *C*. Ex quo sequitur quòd *C* apparet remotiùs, quàm sit in rei veritate; sed *E* apparuit visui propinquiùs, quàm si videretur per vnum solum medium. Conclusio 3.

Secundò, sequitur quòd in loco, vel in situ rei visæ, vel in perceptione situs accidit deceptio propter fractionem. Patet, quia visibile *E* videtur in puncto, in quo non videretur, si solum esset vnum medium vniforme. 10.


Tertiò, sequitur quòd res, cuius vna pars est in aqua, & alia in aëre, apparebit fracta, sicut patet ad sensum de baculo. Causa est, quia pars existens in aqua videtur propinquior visui existenti in aëre, quàm sit in rei veritate, & alia pars existens in aëre videtur in loco suo; igitur totum continuum non potest apparere directè continuum, sed fractum; verbi gratia, sit baculus *C D*; cuius vna pars, scilicet *C F*, sit in aëre, & alia *F D* sit in aqua, & sit superficies diuidens aërem ab aqua *A F B*, dico quòd baculus non debet apparere secundùm lineam *C D* visui *G* existenti in aëre, sed secundùm lineam fractam *C F E*; eò quòd per primam conclusionem, radij, sub quibus videtur pars existens in aqua frangerentur versus visum declinando ab incessu recto. sed si visus *H* sit in aqua, tunc non apparebit baculus secundùm lineam *D C*, sed secundùm lineam declinantem à perpendiculari, quæ est *D F K*.

Quartò, sequitur quòd siue visus sit in aqua, siue in aëre, pars baculi existens in aëre, scilicet *F C* apparet longior quàm pars existens in aqua, scilicet *F D*, dato adhuc quòd vtraque pars sit medietas baculi. Probatur, quia visui *G* existenti 11.




ſtenti in aëre apparet extremum *D* in loco concurſus lineæ perpendicularis et erectæ à puncto *E*, cum linea directi inceſſus, & conſimiliter extremum *C*, ſicut poteſt inferri per vltimam concluſionem, & primo corollario. .

12. Quintò, ſequitur quòd denarius viſus in fundo aquæ apparebit maior, quàm ſit in rei veritate, & etiam propinquior viſui, dato adhuc quòd perpendiculariter inſpiciatur. Probatur, quia non omnes radij poſſunt eſſe perpendiculares, ſed de neceſſitate aliqui ſunt obliqui, qui per primam concluſionem, frangentur, declinando ad perpendicularem; igitur tunc denarius videbitur ſub maiori angulo, quàm ſi medio vniformi videretur. verbi gratia, denarius *A B* videbitur in medio vniformi à viſu *C* ſub angulo *B C A*.



Et quia eſt diuerſitas mediorum, & ſecundùm quòd medium eſt denſius, oportet quòd radij frangantur à directo inceſſu, accedendo ad perpendicularem ductam per locum fractionis, ita quòd linea, ſub qua videtur extremum *B*, erit b *G C*. Et linea, ſub qua videtur extremum *A*, eſſet a *D C*: modò quia patet quòd angulus *G C D*, maior eſt angulo *B C A*, ſequitur quòd res *A B* apparebit maior, quàm videretur per medium vniforme. Sed quod etiam denarius *A B* appareat propinquior viſui. Probatur, quia extremum *B* apparet in concurſu lineæ incidentis à viſu *C* per punctum fractionis *G*, & lineæ perpendiculariter erectæ ab extremo *B*, & ſit punctus iſtius concurſus *N*: dein *A* videtur in puncto concurſus lineæ *C D* cum linea perpendiculari ab *A*, & eſt punctus in *M*. Ex quo patet quòd denarius *A B* nunc appareat in loco *M N*, & priùs apparebat in loco *A B*, quando erat medium



vnius diaphani, ſequitur quòd nunc appareat propinquior viſui, quàm priùs; ſed ſi è contrà viſus eſſet in aqua, & denarius in aëre, tunc appareret minor, & remotior à viſu.

Ex iſtis patet quare radius perpendicularis tranſit irrefractus, & omnis alter à perpendiculari frangitur in concurſu mediorum diuerſarum diaphaneitatum, & etiam patet qualiter radius diuerſimodè frangitur, eò quòd primum medium eſt rarius quàm ſecundum; patet etiam de cauſis quorundam apparentium, quæ ex dictis fractionibus eliciuntur.

Per hæc patent rationum ſolutiones.

QVÆSTIO IV.

Utrùm omne corpus poßit reflectere lumen?

ARGVITVR quòd ſic, nam omne denſum poteſt reflectere lumen; ſed omne corpus eſt aliqualiter denſum; igitur, &c. Maior patet, quia denſitas eſt impedimentum multiplicis virtutis, ſicut poſſet induci in multis. Et minor apparet, quia omne rarum eſt denſum, & è contrà; modò omne corpus eſt vel rarum, vel denſum. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, ſi non omne corpus reflecteret lumen, maximè eſſet ignis, vel talia corpora diaphana, modò iſta reflectunt; igitur, &c. Maior patet, quia minùs videtur de iſtis. & minor apparet de aëre per Ariſtotelem in iſto tertio, vbi probat quòd ad aërem non inſpiſſatum fiet reflexio per hoc, quòd Antiphon ſemper videbat imaginem ſuam ipſum præcedere. *Secundum.*

Tertiò, quia ſi non omne corpus reflecteret, ſit igitur ſuperficies aëris, vel alterius corporis, quam tu dicis non reflectere lumen, probo imò quòd reflectat, quia retrò iſtam partem, ſcilicet remo- *Tertium.*

riùs

ciùs ab agente uiuus est lumen, quàm si pars esset rarior; igitur propter densitatem huius partis virtus reuertitur ad aliud, à quo nata erat, & non reuertitur per motum localem, sed per alterationem se multiplicando; igitur ab ipsa superficie virtus illa reflectebatur, quia talem multiplicationem vocamus reflexionem virtutis.

2. Quartum. Quartò, multiplicatio luminis, vel alterius actionis per medium, non est aliud quàm reflexio eius in quolibet puncto medij; igitur à quolibet corpore fit reflexio luminis siue alterius actionis agentis. Tenet consequentia, & antecedens apparet, quia in quolibet puncto medij non est aliud quàm similitudo, vel imago corporis luminosi, modò talis imago non excusatur nisi per reflexionem.

Quintum. Quintò, vbi est maior reflexio ibi apparet intensius lumen; igitur cùm vbique sit per medium aliquod lumen, vbique aliquid reflectitur, quamuis minus. Tenet consequentia, postquam vbi maior est reflexio, maior est claritas. Et antecedens apparet per experientiam, nam in medio denso maior apparet luminositas, quàm in medio raro. Similiter ad terram, vel parietem, ad quem fit reflexio, est maior claritas, quàm alibi in aëre.

Sextum. Sextò, arguitur quòd nullum corpus reflectat, quia tunc sequeretur quòd radius luminis moueretur. Consequens falsum, quia tunc accidens migraret à subiecto in subiectum. Et antecedens apparet, quia reflexio denotat motum localem.

3. Oppositum. Oppositum arguitur, quia sic sequeretur quòd nunquam fieret visio per lineam rectam, siue intuitum rectum. Consequens est contra Perspectiuos. Et patet consequentia, quia omnis radius proueniens ad visum esset reflexus. Secundò, quia quodlibet corpus repræsentat illud à quo diffunditur actio; igitur non quodliber corpus reflectit actionem. Tenet consequentia, quia videmus in speculis, in quibus reflectitur multiplicatio luminis, aut speciei, repræsentari illud, à quo fiebat diffusio istius luminis, vel species.

Sciendum primò, quòd quodlibet agens naturale diffundit vndique circa se suam actionem, sicut imaginatur Lincolniensis *in tractatu suo de refractione radiorum*, & etiam Commentator *2. de Anima, cap. de sono.* & posuit exemplum de circulis causatis à lapillo proiecto in aquam. Et agentium, quæ diffundunt suam virtutem: quædam nata sunt plus extensiuè multiplicare, quàm alia, adhuc tamen æquali resistentia; sicut caliditas nata est agere ad maiorem distantiam, quàm frigiditas cæteris paribus. Similiter ignis natus est per suum lumen remotiùs agere, & multiplicare suam virtutem quàm per caliditatem.

4. *Agentia variè diffundũt virtutem.* Item, quædam sunt agentia, quæ nata sunt diffundere successiuè, nec aliter possunt, sicut caliditas, & frigiditas. Alia sunt, quæ subitò quantùm est ex parte sui, sicut lumen sensus visibilis, & huiusmodi, quamuis talia successiuè multiplicentur de facto, vel propter successiuam remotionem obstaculi, vel propter successiuam generationem luminosi, aut eius successiuam approprinquationem, sicut actio agentis diuersificatur secundùm fortitudinem, & debilitatem, secundùm quòd est propinquior, vel remotior ab agente, & secundùm quòd fit in aliquod punctum per lineas perpendiculares, aut obliquas, vel secundùm quòd fit per pyramidem obtusiorem, vel acutiorem, secundùm quòd declaratur in eodem tractatu.

Similiter diuersificantur agentia, quia quædam sunt, quorum virtutes sufficiunt pertransire quamlibet densitatem, sicut caliditas sufficit alterare quodlibet densum sibi approximatum. Similiter aliqua agentia magis sufficiunt, aliqua minùs, sicut attractio adamantis diffunditur per medium densius, quàm lumen natum sit multiplicari.

Et si dicatur, quòd si omne agens sic diffundit sphæricè, quomodo ignis plus calefacit passum à parte superiori, quàm approximatum ab inferiori, aut à latere? *Obiectio.*

Respondetur, quòd si ignis esset purus, sicut & in sua sphæra, & esset in loco, vbi non inclinaretur magis ad vnam, quàm ad aliam partem, tunc æqualiter ageret, quantùm est ex parte sui orbicularitet circa se, sed quia ignis hîc inferiùs est in materia densa, à qua fumi calidi, & inflammati eleuantur propter leuitatem, ideò per tales fumos, qui magis inclinantur ad sursùm, quàm ad aliam partem calefacit corpus sibi suprapositum plus quàm ad aliam partem. Patet igitur quomodo virtus agentis diffunditur, & qualiter diuersimodè. *Responsio.*

Secundò sciendum, quòd ista multiplicatio virtutis impeditur quandoque, antequam perueniat ad tantam distantiam, ad quantam virtus sufficit multiplicari. Ideò ad sciendum quæ corpora impediunt, notandum quòd quædam sunt corpora diaphana, & rara, sicut aër, ignis, & cælum, quædam perspicua, sicut crystallus, & huiusmodi; sed & alia sunt corpora densa, & solida, sicut ferrum, aurum, specula, & huiusmodi, modò quòd ab huiusmodi corporibus densis impediatur multiplicatio virtutis, non indiget probatione, quia hoc patet ad experientiam: & similiter quòd corpora rara & diaphana reflectant, probant rationes ante oppositum, quibus tamen non credo. 6. *Corporum diuersitas.*

Tertiò sciendum, quòd talia corpora densa, quæ reflectunt, sunt in multiplici differentia; differunt enim primò colore, quia quædam sunt colorata, sicut aurum, ferrum, & huiusmodi; & alia non, nisi modicum, sicut specula & huiusmodi, & talia meliùs repræsentant lumen, vel colorem, quàm reflectunt.

Secundò, differunt in leuitate, & asperitate, nam quædam specula sunt leuia, & alia aspera, quæ scilicet habent vnam partem concauam, aliam conuexam, & multas diuersitates secundùm supereminentiam, & concauitatem; & talia nòn reflectunt imaginem, nisi distortam, & in pluribus non repræsentant secundùm colorem, vel lumen solum, sicut patet de pariete.


Differunt secundò specula in figuris, nam quædam sunt recta, quædam circularia; recta, sicut specula plana; circularia, sicut specula columnata, & pyramidalia; & specula quædam sunt concaua, quædam conuexa, quædam intus polita, quædam extrà. Item quædam sunt specula composita à visu, sicut patet ad experientiam in speculo, nam res, seu imago rei iudicatur esse in termino linearum radialium, ac si pertransiret speculum. *Specula varia.*

Ex isto patet quòd imago non solùm repræsentat obiectum, sed etiam radium, siue longitudinem radij, cuius ipsa est terminus.

Et si quæras, quare tunc per illam imaginem non 8.

non video radium? Dico quòd pro tanto, quòd totus ille radius eſt ſimilitudo alicuius rei, ſcilicet oculi, & totum iſtud patet ex 67. concluſione primi Perſpectiui. Hoc igitur habito, quòd longitudo radij apprehenditur à viſu, quamuis radius reflectatur à ſpeculo ad viſum, tamen viſus percipit longitudinem illius radij, quaſi procederet in continuum, etiam directum ſine reflexione.

9. *Concluſio 1.* Secundum hoc ponuntur concluſiones, & ſit prima concluſio iſta, in ſpeculis planis res percipitur ſub vera quantitate, & figura. Probatur, &



ſit *A B* ſuperficies ſpeculi, & *D F* res viſa, *E* viſus, & pertrahantur incidentes *D A*, & *F B*, poſtea lineæ reflexæ *A E*, & *B E*, dein ducantur catheti à punctis *D*, *F* quæ ſunt *D G*, *F H*, & pertrahatur linea *E A*, vſque ad punctum *G*, & *E B*, vſque ad punctũ *D H*, tunc probatur concluſio per tertiam ſuppoſitionem, res *D F* videtur in punctis *G H*, quia ibi concurrunt catheti, & radij viſuales, & quia catheti ſunt æquè diſtantes, ſequitur quod imago habet eandem quantitatem, & eandem figuram in punctis *G H*, qualem habet *D F*. In ſpeculo plano igitur *D F* videtur eiuſdem quantitatis, & figuræ, vt eſt.

10. Ex concluſione ſequitur quod ad hoc, quòd tota figura, vel tota quantitas alicuius rei repræſentetur in ſpeculo, oportet quòd illud ſpeculum ſit æquale illi rei, aut maius eo. Probatur ex corollario quodam, poſito priùs in præcedenti quæſtione, quia ſi ſpeculum eſſet minus, iam lineæ pertractæ à re viſa nec eſſent perpendiculares, nec æquè diſtantes ſuper ſuperficiem ſpeculi.

Secundò, ſequitur quòd ſi res directè obiiciatur ſpeculo plano apparet per ſe tanta, quanta appareret ſi res poneretur in loco ſpeculi.

11. *Concluſio 2.* Secunda concluſio, quòd in ſpeculis conuexis poteſt res apparere ſecundùm totam ſuam quantitatem, & figuram, quamuis ſit minus ipſa re viſa, verum eſt tamen quòd res non poteſt repræſentari ſecundùm totam eius quantitatem, & figuram in ſpeculo conuexo quocunque minori. Probatur concluſio ex tertio corollario priùs poſito; quia perpendiculares venientes ab extremitatibus rei viſæ, vadunt continuè approximantes ſuper ſuperficiem conuexam, & ſuper centrum eius. Ex quo ſequitur quòd res apparet maior, ſi poneretur in loco ſpeculi conuexi, quam appareret ſi videtur per illud ſpeculum.

Concluſio 3. Tertia concluſio, quòd ad hoc quòd tota quantitas, & figura rei repræſententur in ſpeculo concauo, requiritur quòd ſpeculum ſit maius quantitate rei viſæ. Probatur ex ſecundo corollario præmiſſo, quia radij perpẽdiculares incidentes ad ſuperficiem concauam, vadunt continuè elongando ſe vſque ad circumferentiam; modò ſi ſpeculum eſſet minus, vel æquale rei viſæ, non poſſunt procedere elongando ad ſuperficiem ſpeculi.

Ex iſtis poteſt inferri, quòd in ſpeculis columnaribus planis apparet longitudo rei tanta quanta eſſet per ſe, & latitudo ſicut in ſpeculis planis; & in columnaribus concauis apparet longitudo maior, & etiam latitudo, vt in conuexis minor.

Reſtat dicendum de differentiis aliis ſpeculorum, & eſt quædam alia diuerſitas; nam quædam ſpecula ſunt colorata; quædam non, aut modicum; & ſit tunc prima concluſio, quòd ſi res ſpeculata videatur reflexa ſpeculo colorato, non ſolùm apparebit color rei ſpeculatæ, ſed color mixtus ex colore ſpeculi, & colore rei ſpeculatæ. Iſtud patet per experientiam. Et cauſa eſt, quia non ſolùm mouent viſum rei radij ſpeculatæ reflexi à ſpeculo, ſed res illa repræſentatur viſui mixtum ſub radiis ſpeculi, & radiis rei ſpeculatæ. 12.

Secunda concluſio, quòd ſi inter rem viſam, & ſpeculum, vel etiam viſum, ſit diaphanum coloratum, res videbitur mixtim ſub colore ipſius ſpeculi, & ſub colore medij diaphani. Patet ad experientiam, quia propter hoc paries albus, ſuper quem incidit radius Solis, tranſiens per vitrum, apparet rubeus. Cauſa eſt eadem cum cauſa præcedente.

Sed contrà obiicitur, quia ponitur quòd ſpeculum ſit fortiter coloratum, vel luminoſum, tunc ſequitur quòd color rei ſpeculatæ non mouebit viſum reflexum ab illo ſpeculo, quia colores directè fortiores ſunt coloribus reflexis, & ſi ſint fortiores, mouebunt, & debiliores non. 13. *Obiectio.*

Reſpondetur vno modo quòd concluſiones intelliguntur, poſito quòd ſpeculum ſit moderatè coloratum à lucido, & non nimis exceſſiuè, quia non aliter viſui repræſentatur res ſpeculata ſub colore mixto ex colore ſpeculi, & rei viſæ. *Reſponſio.*

Aliter dicitur, quòd quantumcunque fortis ſit color, vel lux ſpeculi, tamen ſpeculum non mouebit per ſe ſecundùm colorem ſuum, ſed ſecundùm colorem mixtum ex ſuo, & colore incidente ſuper ipſum; & ideò lux fortis ſpeculi quodammodo remittitur, & debilitatur propter inceſſum alterius coloris, ſiue fortior ſit, ſiue debilior.

Propter quod ſciendum, quòd lux, vel color quadrupliciter poteſt debilitari. Vno modo per commixtionem ad alium colorem, ſicut iam tactum eſt. Alio modo per diſgregationem, & ideò vnita fortior eſt luce diſperſa, & propter hoc radij luminis vniti in ſpeculo concauo ad vnum punctum faciunt combuſtionem. Tertio modo per reflexionem, quia in omnibus actionibus naturalibus conatus agentis debilitatur ex reflexione ſuæ virtutis. Quarto modo propter elongationem à ſuo fonte, ſiue à ſuo principio, ſicut radius remotior à luminoſo eſt debilior propinquo. Ex quibus apparet quòd forma reflexa debilior eſt forma incidente propter duo, ſcilicet propter reflexionem, & propter remotionem ab agente. 14. *Color vel lux debilitatur quatuor modis.*

Tertia differentia ſpeculorum eſt, quia quoddam eſt denſum, & quoddam diaphanum, ſicut vitrum, vel cryſtallus, & tunc de hoc ſit conclo- 15. *Speculũ denſum & diaphanum.*

sio, quòd speculum diaphanum, quod non est notabiliter densum, non reflectit imaginem rei speculatæ, nisi fuerit subductum, aliquo corpore densiore obumbrante, verbi gratia, sicut vitrum si subducatur plumbo, benè reflectit imaginem: Conclusio patet ad experientiam, & vitrum purum in aëre non reflectit imaginem. Secundò, quia in speculis communibus, si plumbum, quod subducitur, esset abrasum non reflectitur imago rei visæ, & causa est ista, qui per tale corpus perspicuum, si non fuerit retrò obumbrans, transit lux directè, quamuis aliqua lux reflectatur, & quia lux directa est fortior ista luce reflexa, non magis apparet res, vel imago rei, secundùm lineam directam, quàm secundùm reflexam.

16. *Obiectio.* Sed contra illud obijcitur, quia homo videt imaginem suam in aqua, quæ tamen est corpus perspicuum, & diaphanum; similiter in vitro spisso, vel crystallo benè videmus imaginem, quæ tamen sunt corpora perspicua, & non densa.

Solutio. Ad istud dicitur, quòd conclusio intelligitur de corporibus diaphanis, & perspicuis paruæ spissitudinis secundùm profundum, quia si corpus diaphanum sit magnæ profunditatis, sicut aqua, tunc benè reflectitur, non tamen ab vna sola superficie aquæ, sicut fit in corporibus politis, & densis, sed fit reflexio secundùm quamlibet partem in profundo, & ad quemlibet punctum eius.

Obiectio. Sed contrà, quia tunc consimiliter dicerem quòd ab aëre rarò fuerit reflexio, quod tamen fuerat negatum in præcedenti conclusione. Probatur consequentia, quia per reflexionem à quolibet puncto alicuius partis in fundo tandem remotæ apparet imago.

Responsio. Respondetur negando consequentiam, quia in corporibus diaphanis solùm fit talis reflexio secundùm profundum, quando oculus est in medio alterius diaphaneitatis, scilicet rarioris, quàm sit medium reflectens: cuius signum est, quia quando aër est inspissatus superiùs, tunc per talem reflectitur lux Solis, vel Lunæ in apparitione Halo, vel Iridis. Ex quo patet quòd si oculus esset in aqua, vbi apparet imago, ampliùs non apparet sibi adhuc in quocunque situ poneretur oculus.

17. Quartò accidit diuersitas in visione per specula ex situ rei visæ, & etiam ex situ visus. & secundùm hoc ponitur ista conclusio, quòd in quolibet puncto speculi apparet punctus rei obiectæ, dum inter ipsum & speculum non est aliquod prohibens; & visio talis non fit ab eodem situ; sed à diuersis sitibus. Probatur, quia in quolibet puncto rei visæ, in quemlibet punctum speculi incidit radius directus, qui per primam suppositionem reflectitur ad angulum æqualem angulo, secundùm quem incessit; igitur si visus ponatur in linea reflexionis, vbicunque fuerit, videbit illam imaginem in quocunque puncto speculi, à quo fit reflexio. Ex quo sequitur quòd in eodem loco, siue in eodem puncto speculi, in quo videt oculus dexter, in eodem apparet oculus sinister ab alio situ, scilicet à situ isto, ad quem reflectitur radius proueniens ab oculo sinistro ad illum punctum. Secundò sequitur, quòd si cuiuslibet puncti obiecti imago sit impressiuè in speculo, tunc simul sunt imago oculi dextri, & oculi sinistri, imò simul sunt imagines omnium partium obiecti.

Tunc pro secunda conclusione ponatur, quòd imago obiecti non est impressiuè in oculo. Probatur, quia in aliquibus corporibus apparet imago in profundo, in quibus tamen non possit aliquid imprimere, sicut in auro, aut chalybe polito. Secundò, quia si imago esset impressa speculo, sequitur quòd à quocunque situ possit videri in eodem loco. Et probatur consequentia, quia postquam est impressa speculo potest vndique circa se diffundere suam similitudinem, sicut patet ex præcedenti, nam taliter diffundit suam virtutem omne agens naturale. Tertiò, quia turris existens in ripa aquæ, tamen videtur profundari infra terram, quantum in aere eleuatur super terram, & tamen illa imago non posset imprimi tantùm in profundo terræ. 18. *Imago obiecti non est impressa in speculo.*

Quintò, est diuersitas speculorum in magnitudine, & paruitate, & sic in asperitate, & lenitate.

Conclusio quæsiti. Secundùm hoc ponitur conclusio responsiua ad quæsitum, quòd quædam sunt specula reflectentia lucem, & figuram; quædam sunt quæ non possunt reflectere figuram, quamuis benè lucem. Et hoc intelligitur de figura corporis, cuius lucem reflectunt.

Per hoc soluuntur rationes ad ante oppositum. Probatur conclusio primò ex parte paruitatis, & magnitudinis speculorum, quia quædam specula sunt ita parua, quòd propter suam paruitatem non sufficiunt reflectere nisi partem modicam rei obiectæ, sicut patet ad experientiam. Ex quo patet quòd si sint multa talia specula, mixta se inuicem, dispersa hinc inde, tunc in multitudine speculorum non reflectitur figura illius corporis, sed color solùm. Et hoc est quod dicit Aristoteles *in isto* 3. de guttis aquæ hinc inde dispersis in nube, ad quam fit reflexio Iridis.

Secundò, probatur conclusio ex parte asperitatis, & lenitatis, quia corpora aspera non reflectunt sic figuram secundùm lucem, aut colorem solum, sicut dicebatur super primum in quæstione de Galaxia. Et patet ad experientiam, nam Luna propter eius difformitatem in raritate, & densitate non reflectit figuram Solis secundùm lucem eius. Consimiliter est de pariete, ad quem fit reflexio luminis Solis. Et causa est, quia radij incidentes ad superficiem asperam incidunt vniformiter, & consimiliter: sed in reflectendo diuariantur super asperitatem superficiei; ideò propter difformitatem diuariationis, non potest apparere figura, sed lux, aut color solùm. 19.

Ex quo sequitur quòd specula benè reflectentia non solùm lucem, vel colorem, sed cum hoc figuram, debent esse læuia, polita, & tersa; læuia, ita quòd in iis sit continuitas siue poris sensibilibus; polita, ita quòd in eis sit remotio tuberositatis scilicet, supereminentiarum, & concauitatum; sed debent esse tersa, ita quòd non sint sparsa puluere, anhelitu, aut alio humore inficiente.

Patet igitur qualiter diuersimodè fiunt reflexiones à speculis diuersis, tam secundùm lucem, & figuram, quàm secundùm rarum, & densum, & aliis diuersitatibus. Et hoc de primo, & de secundo dicetur in alia quæstione.

Rationes ad oppositum per ista sunt solutæ.

QVÆ

Quæstio V.

Utrùm in visione facta per specula accidat error?

1. *Arg. princip.* ARGVITVR quòd non, quia si esset error, ille maximè accideret in iudicio de quantitate rei visæ, sed hoc non potest accidere; igitur, &c. Maior patet per Perspectiuos. Et minor apparet, quia in speculis planis res apparet tanta, quanta est per se; nam linea recta inter extrema imaginis est æqualis per se lineæ rectæ inter extrema rei visæ, sicut patet in præcedenti quæstione.

Secundum. Secundò, quia in visione per reflexionem potest visus certificari per intuitum rectum; igitur in visione speculi minor accidit error. Tenet consequentia. Et antecedens apparet, quia quantitas rei non percipitur, non percipiendo certam proportionem ipsius ad quantitatem notam, & famosam; tunc igitur sit aliqua quantitas, quæ istam famosam excedit insensibiliter; isto casu posito, vera quantitas huius rei non potest percipi intuitu recto, quia semper iudicabitur æqualis quantitati famosæ, & tamen in rei veritate est maior. Sed si vtraque quantitas videretur per speculum concauum, cùm in illo res appareat maior, quàm sit, sequitur quòd excessus iste potest apparere sensibilis, & sic eius vera quantitas deprehenditur, & habetur intentum.

Tertium. Tertiò, visus non potest errare: igitur in visione per specula, &c. Tenet consequentia, & antecedens apparet, quia error solùm accidit in iudicio, modò sensus non habet iudicium, quia in hoc videtur sensus differre ab intellectu, vel è contrà.

Opposit. Oppositum arguitur per experientiam.

2. Pro quæstione sciendum, quòd error in visione per reflexionem potest vno modo accidere propter illa, vel aliquod illorum, ex quorum intemperantia accidit error in omni visione. Alio modo potest specialiter accidere error propter reflexionem magis, quàm intuitum rectum.

Error in visione vnde accidat. De primo modo sit prima conclusio, quòd in omni visione facta per reflexionem accidit error propter intemperantiam octo circumstantiarum, quæ sunt distantia, situs, lux, diaphaneitas, soliditas, magnitudo obiecti, tempus, & sanitas visus. Probatur, quia intemperantia istarum impedit rectum iudicium visus, quando videt per intuitum rectum; igitur multò fortiùs, quando videt reflexè. Tenet consequentia, quia minùs videtur quòd impediret intuitum rectum, quàm reflexum. Secundò, potest probari per experientiam inducendo; nam propter nimiam distantiam Solis à speculo, non comprehenditur vera quantitas Solis. Similiter propter defectum diaphaneitatis medij, erramus quandoque de colore iudicando, quandoque de magnitudine, quandoque de figura. Ex quo patet quòd ad hoc quòd fiat rectum iudicium de re, quàm visus videt reflexè, requiritur temperantia illarum octo temperantiarum, scilicet respectu visibilis ad speculum, & speculi ad visum nostrum.

Alio modo accidit error propter reflexionem posito adhuc quòd illæ circumstantiæ sint temperatæ; & hoc potest accidere in quatuor: primò in colore, secundò in quantitate, tertiò in figura, & quartò in situ.

Secundùm hoc sit prima conclusio, quòd propter reflexionem accidit error in iudicando de colore. 3. *Conclusio 1. Error in iudicando de colore, vnde.* Probatur, quia per reflexionem res visæ apparent nigriores, & obscuriores, quàm sunt in rei veritate, vel quàm apparerent, si inspicerentur per intuitum rectum; igitur in iudicio de colore accidit error. Tenet consequentia, nam postquam visus iudicat rem esse minùs albam, & minùs lucidam quàm sit, errat in iudicando. Et antecedens apparet, quia radij visuales debilitantur propter reflexionem, & per consequens minùs mouent sensum visus, quàm si non essent reflexi.

Secundò, patet conclusio per experientiam, nam vbi medium est sensibiliter densius in vna parte, quàm in alia, incorporatur lux, & ad quandam partem reflectitur, propter quam reflexionem apparentem in densiori parte medij, apparent colores consimiles coloribus Iridis, qui tamen non sunt ibi in rei veritate, vt pòst videbitur.

Tertiò, patet conclusio, quando obiectum videtur reflexè ad speculum coloratum, tunc enim apparet alterius coloris, quàm sit, vel quàm appareret, si videretur rectum.

Quartò patet, quando visibile videtur per medium coloratum, sicut quandò Sol videtur per vitrum rubeum reflexè ad murum.

Sed dubitatur quod est illud, quod videtur in muro? Respondetur quòd paries videtur directè, sed lux & vitrum videtur ibi reflexè, quia species ipsorum ad parietem reflectuntur.

Secunda conclusio est, quòd propter reflexionem accidit error in iudicando de quantitate rei visæ; 4. *Conclusio 2. Error in iudicando de quantitate rei visæ.* & hoc probatur ex præcedentibus, propter diuersitatem speculorum in figura. Itaque in speculis planis apparet res tanta, quanta est, supposito moderamine octo circumstantiarum, quæ priùs numerabantur, sed in speculis conuexis res apparet minor, & in concauis maior.


Secundò, probatur propter diuersitatem speculorum eiusdem generis in magnitudine, & paruitate, nam in speculis conuexis maioribus apparent res maiores, quàm in minoribus; verbi gratia, posito quòd sint duo specula conuexa, vnum infra aliud super idem centrum, manifestum est quòd in circumferentia speculi maioris est maior distantia inter lineas ab extremitatibus rei visæ ad centrum speculorum directè protractas, quàm sit inter easdem lineas in circumferentia speculi minoris; igitur res illa reflexa à superficie maioris apparebit maior, & reflexa à superficie minoris apparebit minor.

Tertia conclusio est, quòd propter reflexionem accidit error in iudicio de figura rei visæ. 5. *Conclusio 3. Error in figura.* Probatur ex prædictis in præcedenti quæstione, nam in speculis columnaribus res apparet oblongæ figuræ, in speculis conuexis apparet sphæricæ figuræ; sed in speculis planis apparet res rectæ, vel curuæ figuræ. Et causa potest inuestigari, inuestigando loca imaginum partium rei erectæ, per suppositionem priùs positam, scilicet, quòd imago rei visæ apparet in concursu radij visualis cum cathero incidente.

Quarta conclusio est ista, quòd propter reflexionem accidit error in situ rei visæ. 6. *Conclusio 4. Error in situ.* Probatur, quia in speculis concauis quandoque apparet imago

imago rei visæ vltra speculum, quandoque in speculo, quandoque inter speculum, & visum.

Similiter in speculis planis res apparet habere imagines euersas, ita quòd pars superior apparet inferior, & pars dextra apparet sinistra; & causa potest assignari ex prædicta suppositione; nam radius visibilis concurrit cum catheto partis inferioris rei visæ in loco superiori imaginis, & eodem modo de partibus dextra & sinistra, sicut patet infrà, vt sit superficies *A B*, res visa *D F*, & visus *E*, sint puncta reflexionis *A B*, & ducantur lineæ *D A*, *F B*, & lineæ *E A*, & *E B*; dein ducantur catheti super superficiem speculi à punctis *D*, *F* scilicet *D G*, & *F H*, & producantur radij visibiles, scilicet *E A*, & *E B* donec concurrant cum cathetis, ita quòd *E A* concurrat cum *D G* in puncto *G*; & *E B* cum *F H* in puncto *H*, tunc per suppositionem priùs positam imago puncti *D* apparebit in puncto *G*, & puncti *F*, in puncto *H*, & quia punctus *G*, superior est puncto *H*, sequitur quòd imago puncti *D*, apparebit superior quàm imago *F*. Eodem modo probatur quòd pars dextra apparebit esse sinistra.



7. Ex istis patet generaliter tangendo, in quibus accidit error propter reflexionem. & in aliquibus qualiter non; nam specialiter hæc tangere, & causas cuiuslibet pertractare, esset nimis diffusum; & propter hoc ego dimitto.

Ad 1. argum. principale. Ad rationes. Ad primam, *maximè accideret*, &c. Concedo, & quando dicitur de speculis planis, dico quòd quamuis in speculis planis res apparet tanta, quanta est, tamen in connexis apparet minor, & in concauis maior; & ideò accidit error iudicando de quantitate.

Ad 2. Ad secundam, *quia semper specula*, &c. Dico quòd casu posito, si per speculum concauum deprehendatur excessus, adhuc est error in iudicio, quia excessus ille, imò & tota res visa, apparet maior, quàm sit in rei veritate. Vel possit dici quòd excessus talis insensibilis non possit deprehendi per vnum speculum concauum; igitur si ponerentur plura, sicut duo, ita quòd imago replicata in vno repræsentaretur in reliquo, adhuc fortè non possit deprehendi iste excessus; & si multiplicarentur plura specula duobus, vel pluribus, tunc non possit species multiplicari sine confusione.

Ad 3. Ad tertiam, *quia visus*, &c. Negatur antecedens. Ad probationem *non iudicat*, &c. Dico quòd imò, cùm iudicium suum non possit ad tot extendi, siue ad tot terminari, sicut iudicium intellectus. Vnde non solùm animalia apprehendunt, sed cum hoc componunt & diuidunt, ac assentiunt, vel dissentiunt, quod non facerent sine iudicio.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm in generatione Halo vapor inspissatus interponatur inter visum nostrum, & astra?

ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequitur quòd Halo sit coloratus illo modo, quo Iris. Consequens contra experientiam, & probatur consequentia, quia colores Iridis causantur per reflexionem luminis ad vaporem inspissatum. 1. *Arg. princ.*

Secundò, sequeretur quòd Sol, vel aliud astrum, ita quòd sit Halo, appareret puniceum. Consequens est falsum, quia apparet fulgidum & album, & probatur consequentia, quia fulgidum visum per nigrum apparet puniceum. *Secundum*

Tertiò, sequeretur quòd non possemus videre astrum, ita quòd sit Halo, consequens contra experientiam. Et probatur consequentia, quia vapor inspissatus est nubes, quæ prohibet visionem visibilis, inter quod & visum ponitur. *Tertium.*

Quartò, sequeretur quòd astrum circa quod sit Halo, appareret alibi, quàm si non sit Halo. Consequens falsum, quia si notetur locus astri, & postea notetur locus eius, cùm Halo defecerit, non inueniretur diuersitas, nisi quantùm astrum pertransit motu suo. Probatur consequentia, quia astrum illud per vaporem interpositum videtur per lineam fractam, & tale videtur alibi, quàm sit, vt patet ex priùs dictis. *Quartum*

Quintò, sequeretur quòd grauius aëre superstaret aëreus: consequens falsum, quia semper grauius descendit in leuiorem. Et patet consequentia, quia vapor inspissatus grauior est aëre non inspissato. *Quintum.*

Sextò, sequeretur quòd Halo modico tempore duraret, quod est falsum. Et patet consequentia, quia vapor ille citò consumeretur à labore. *Sextum.*

Oppositum est apud Aristotelem *in hoc tertio*. *Oppositum*

In ista quæstione videbitur de causis ipsius Halo, scilicet materiali, & efficiente, dein in alia quæstione videbitur de eius fine, & coloribus.

ARTICVLVS Vnicus.

De causis Halo.

QVantùm ad primum, sciendum quòd *Halo*, Græcè est idem quòd *corona*, vnde Halo est ille circulus clarus quandoque apparens circa lunam, quandoque circa alias magnas stellas, & quandoque circa candelam; qui circulus quandoque est completus, & quandoque interruptus, vel propter defectum materiæ, vel propter indispositionem eius, quæ indispositio prouenit ex nimis intensa densitate. 2. *Halo quid*

Secundò sciendum, quòd in proposito non

solùm

ſolùm accipimus *vaporem*, pro fumo eleuato ab aqua, vel corporibus aqueis, ſed etiam pro aëre inſpiſſato, aut pro exhalatione inſpiſſata, & indifferenter, pro quolibet corpore denſiore aëre interpoſito inter viſum noſtrum, & aſtrum, ad quod poteſt fieri refractio luminis.

3. *Concluſio* 1. Secundùm hoc ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd in generatione Halo, ſiue coronæ, vapor inſpiſſatus interponitur inter viſum noſtrum, & aſtrum. Probatur primò, quia vbi apparet Halo eſt maior claritas, & lumen ſenſibilius, quàm in aliis partibus medij; igitur ibi eſt maior denſitas, quàm alibi in medio. Antecedens patet ad experientiam, & probatur conſequentia ex Perſpectiuo, vbi ponitur quòd non aggregatis radiis corporis luminoſi in corpore non luminoſo, impoſſibile eſt lumen ſenſibilius apparere.

Secundò arguitur per ſignum Ariſtotelis, quia videmus quòd ſi Halo diminuatur, & euaneſcat, tunc ſignum eſt ſerenitatis; cauſa eſt, quia tunc vapor, qui eſt materia pluuiæ, conſumitur, & calor ſuper ipſum obtinet; ſed ſi nigreſiat, & condenſetur, tunc ſignum eſt pluuiæ; cauſa eſt, quia tunc ſignum eſt quòd materia inſpiſſat ſuperius, ſcilicet vapor, qui per impreſſionem conuertitur in aquam. Sed ſi Halo diſtrahatur, tunc ſignum eſt ventorum, quia ſignum eſt quòd materia ſuperiùs diſtrahitur per ventum, & vento exiſtente ſuperiùs, ſtatim fit inferiùs. Patet igitur quòd vapor inſpiſſatus ponitur inter viſum & aſtrum, circa quod apparet Halo.

4. *Concluſio* 2. Secunda concluſio eſt, Halo, ſiue corona fit effectiuè ex refractione luminis ad illum vaporem. Probatur, quia vbi apparet Halo, eſt maior claritas; igitur ibi luminare frangitur, vel reflectitur. Tenet conſequentia, quia maior claritas non poteſt apparere, niſi vbi denſitas eſt maior, ad quam radij congregantur, modò radius veniens à medio rariori ad denſius vel refrangitur, vel reflectitur; ſed de generatione Halo radius ille non reflectitur, quia tranſit vltrà, vt patet de figura Halo; igitur refrangitur, & per conſequens Halo fit ex refractione luminis effectiuè.

Secundò arguitur, quod non fiet per reflexionem radij ab iſto vapore ad viſum, quia ſi in loco vaporis poneretur aqua, radius luminis tranſiret fractus, & irreflexus; igitur de facto tranſit per vaporem, & ab ipſo non reflectitur, & per conſequens apparet, quia videns ad ſenſum quòd radius veniens ab oculo per aquam, frangitur, & tranſit irreflexus, ſicut patet de denario viſo in fundo aquæ. Tenet conſequentia, quia vapor iſte rarior eſt aqua, ideò minùs ſufficiens eſt radium reflectere, ſicut patet ex præcedentibus. Verum eſt tamen quoad ipſum vaporem fit aliqualiter reflexio, quemadmodum radius luminis frangitur ad ſuperficiem aquæ, apparet ibi claritas aliqua ex lumine reflexo.

5. *Dubium.* Et ſi quæratur, quare in refractione, ſeu reflexione radij Solis ad vaporem non apparet imago Solis in vapore, quemadmodum apparet in aqua, cùm fit reflexio ad aquam?

Reſponſio. Dicitur quòd cauſa patet ex præcedentibus, nam aqua eſt leuis in ſuperficie, ſiue diuerſitate in raritate, & denſitate, ideò non ſolùm reflectit lucem, vel colorem; ſed cum hoc etiam figuram; ſed vapor eſt irregularis, vel difformis. ideò ad reflectendum eſt ſicut ſuperficies aſpera, propter quod ſolùm reflectit lucem, non figuram; patet igitur quòd vapor inſpiſſatus eſt materia Halo, ſeu fractio eius eſt cauſa efficiens.

Ex quo ſequitur quid ſit Halo, quia non eſt aliud, quàm circulus clarus apparens extra luminoſum ex refractione ſui luminis ad vaporem inſpiſſatum vſque ad viſum noſtrum.

Et ſi quæratur quid eſt illud quod videmus? 6.
Dubium 1. Dicitur quòd videmus inſpiſſatum vaporem, & Solem, non tamen directè, ſed reflexè, ſicut dicebatur de rubedine parietis, ad quem reflectitur radius tranſiens per vitrum rubeum.

Sed contra iſtud arguitur primò, quia corona fit à corpore luminoſo toto medio exiſtenti vniformis inter viſum & luminoſum; igitur non requiritur vapor inſpiſſatus. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur ad experientiam, videmus enim de nocte coronam circa candelam, quando tamen totum medium eſt vniforme.

Secundò dubitatur, vtrùm fortitudo, vel debilitas viſus conferat ad hoc, quòd appareat Halo? *Dubium* 2.
Videtur quòd non, quia tunc Halo fieret ex fractione radij egredientis ab oculo, & non ex refractione radij egredientis à luminoſo. Oppoſitum tamen videtur ad experientiam, videmus enim quando homo ſubitò expergeſit, coronam videt circa candelam, quam tamen non vident alij circumſtantes, & hoc non, niſi propter debilitatem ſui viſus ex fumis eleuatis ad caput.

Tertiò dubitatur, vtrùm ab omni corpore luminoſo poteſt indifferenter cauſari Halo, vel ab aliquo ſic, vel ab aliquo non? *Dubium* 3.

Quartò dubitatur de loco in quo fit. *Dubium* 4.

Ad primum iſtorum poteſt dici quòd Halo 7.
poteſt fieri à lumine candelæ in medio vniformi, & hoc propter debilitatem luminis candelæ, ſed à lumine aſtri non poteſt, quando fit inter medium denſius, ad quod fiat ſenſibilis refractio, & hoc, quia lux aſtri eſt fortior. *Ad* 1. *dub.*

Sed contrà, poſtquam medium eſt vniforme, qua ratione apparet Halo in vna parte medij inter viſum, & candelam, eadem ratione & in alia; igitur apparebit in quolibet, vel in nullo.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia lumen candelæ propter debilitatem non ſufficit cauſare coronam ſenſibilem ad quamlibet diſtantiam inter viſum, & candelam, nec etiam cauſabit coronam nimis propinquo loco intermedio.

Ad ſecundum poteſt concedi quòd fortitudo, vel debilitas confert ad viſionem Halo ratione alicuius cauſæ concomitantis debilitatem viſus, verbi gratia, ſi viſus ſit debilis, & ab ipſo euaporantur fumi vſque ad aërem, ad quos, cùm fuerint inſpiſſati, fieret refractio luminis, poſſibile eſt quòd tunc appareat Halo, & ita eſt de eo, qui nouiter expergeſit. *Ad* 2.

Ad tertium dicitur, quòd Halo non cauſatur ab omnibus ſtellis cæli, ſed aliquibus, & aliquibus non. Vnde dicunt Perſpectiui, quòd ſolùm fit Halo à Sole, & Luna, & à ſtellis primæ magnitudinis. Vbi ſciendum quòd Aſtrologi inter ſtellas cæli præter planetas notauerunt 16. maiores, & iſtæ vocantur ſtellæ primæ magnitudinis, quarum quælibet centum, & quindecim vicibus continet terram, & plus. Tunc dicunt Perſpectiui, quòd ſolùm ab iſtis, & à Sole, & Luna poteſt fieri corona. Tunc concedendum eſt quòd ab iſtis fiet corona, quod etiam ab aliis ſecundæ, & tertiæ magnitudinis, & planetis, qui non ſunt luminaria poſſit fieri corona, quamuis tamen remiſſior in claritate. *Ad* 3.

Ad 4. Ad quartum dico, quòd quamuis Halo appareat circa astrum, tamen fit satis propè nos in aere, sed sic apparet nobis eò quòd non percipimus distantiam inter vaporem, & astrum.

Secundò, dico quòd Halo potest apparere in sursum vsque ad locum, ad quem maximè ascendunt nubes, vel exhalationes spissatæ.

Ex istis patet quæ sit natura Halo, & qualiter fit, & pòst videbitur de eius accidentibus.

8. *Ad 1 argum. principale.* Ad rationes. Ad primam, negatur consequentia, quia non est sufficienter spissus, nec causat diuersitatem colorum, sicut est nubes, ad quam per reflexionem apparent colores Iridis.

Ad 2. Ad secundā, *tunc astrū appareret*, &c. Negatur consequentia, quia vapor non est sufficienter niger. Et quandoque Luna apparet sub colore puniceo, quando scilicet vapor est inspissatus.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc prohiberet*, &c. Negatur consequentia, quia vapor ille est latus, & rarus.

Ad 4. Ad quartam, *tunc non videremus astrum, vbi esset*. Negatur consequentia, quia radius perpendicularis transit irrefractus, ideò per illum potest fieri certificatio de loco, quemadmodum denarius visus in fundo aquæ videtur vbi est.

Ad 5. Ad quintam, *tunc aliquid grauius*. Et potest concedi quòd eius grauitas non est sufficiens, vt diuidat medium, quemadmodum lignum latum supernatat aquam, eò quòd aqua resistit suæ diuisioni.

Ad 6. Ad sextam, *tunc citò consumeretur*, &c. Negatur consequentia, quia non potest consumi, nisi actione caloris, vel per casus materiæ in pluuiam, modò neutrum istorum fit subitò, sed potest fieri tempore satis longo.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Halo debeat apparere secundùm circulum.

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non, quia videmus, quòd aliquando apparet secundùm portionem circuli, quandoque secundùm figuram irregularem.

Secundum. Secundò, Iris non apparet secundùm circulum; igitur nec Halo. Tenet consequentia, quia vtraque fit ex iisdem causis, scilicet ex refractione, vel reflexione luminis ad vaporem inspissatum; & antecedens probatum est in isto tertio, vbi probatum est quòd impossibile est Iridem apparere secundùm circulum completum.

Tertium. Tertiò, si esset figuræ circularis, hoc esset pro tanto, quòd causaretur à corpore sphærico. Consequens est falsum, quia quandoque circa candelam apparet Halo, quæ tamen non est corpus sphæricum. Similiter patet in figura Halo, quia lumen non imaginatur diffundi ab aliqua parte diuisibili, sed ab vno puncto solùm.

Quartum. Quartò, quia anguli, ad quos franguntur radij corporis luminosi ad superficiem vaporis sunt sibi inuicem dissimiles; igitur Halo non debet apparere secundùm circulum. Tenet consequentia, quia ex æqualitate angulorum fractionis arguitur circularis figuræ Halo. Antecedens probatur, quia ad superficiem vaporis non solùm veniunt radij à centro corporis luminosi, imò ab omni puncto corporis luminosi ad quodlibet punctum vaporis, à qua ad punctum potest protrahi linea recta; igitur si radij venientes ab vno puncto corporis luminosi refrangantur ad aliquos angulos dissimiles, & Halo non apparebit secundùm circulum.

Opposi. Oppositum conceditur ab Aristotele in isto tertio.

In ista quæstione primò videbitur de figura. Secundò, de aliis accidentibus eius, & mouebuntur dubia.

ARTICVLVS I.

De figura Halo.

QVantùm ad primum, præmittendæ sunt aliquæ suppositiones. Prima est definitio circuli, scilicet, quòd circulus est figura plana quibusdam lineis contenta, in cuius medio ponitur punctus, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt sibi inuicem æquales. 2. *Circulus quid.*

Secundò supponitur ex tertio Euclidis, quòd si ab aliquo puncto inter circulum exeant ad circumferentiam plures, quàm tres lineæ rectæ sibi inuicem æquales, punctus ille esset centrum circuli.

Tertiò supponitur ex præcedenti quæstione, quòd in generatione Halo, vapor inspissatus interponitur inter visum nostrum, & astrum, ad quem vaporem fit refractio, aut reflectio luminis.

Quartò, quia radius perpendicularis veniens ab astro per vaporem ad visum nostrum transit irreflexus; patet ex præcedentibus quæstionibus.


Quintò, quòd in omni refractione, vel reflexione angulus incidentiæ est æqualis angulo refractionis, siue etiam reflexionis.

Sextò supponitur, quòd nulli radij extremi venientes ab astro concurrunt in centro eiusdem visus, nisi qui refrangantur ad angulos æquales. Patet ex præcedenti suppositione, quia aliter angulus incidentiæ esset inæqualis angulo reflexionis.

Istis suppositis, ponitur ista conclusio, quòd nisi proueniat ex defectu, vel irregularitate vaporis, semper Halo debet apparere secundùm circulum. Probatur per demonstrationem Aristotelis ex præcedentibus suppositionibus. Et sit *A*, visus *B*, astrum, & superficies *D*, *G*, *F*, & sit centrum vaporis, ad quem fit ibi refractio luminis *E*, tunc per vltimam suppositionem, nulli radij extremi concurrent in centrum visus *A*, nisi qui refranguntur ad angulos æquales; igitur radius *B F A*, & *B G A*, refranguntur ad angulos æquales, & per eandem suppositionem radius *B A*, transit irrefractus; igitur omnes anguli causati ex lineis incidentiæ, & radiis refractionis, vnà cum linea *A B*, sunt sibi inuicem æquales, quia semper duo latera vnius sunt æqualia duobus lateribus alterius, & reliqui anguli vnius reliquis alterius, & totus triangulus toti triangulo, igitur triangolus *B F A*, est æqualis *B G A*, & ita de aliis triangulis causatis ex radiis incidentiæ ad superficiem vaporis, cum radiis refractis sunt sibi inuicem æquales. Dein imaginentur triangulos causatos ex radiis refra- 3. *Conclusio 1.*

ctis

Concipiatur hæc figura nō circularis plana, ſed ſphærica.



ctis ad ſuperficiem vaporis, qui omnes ſunt ſibi inuicem æquales, ſcilicet *A G E*, *A F E*, & *A D E*, & *A C E*, quia duo latera vnius ſunt æqualia duobus lateribus alterius. vt putà latus *A G*, & latus *A E*, quod eſt commune omnibus, ſunt æqualia lateribus *A F*, & *A E*, & etiam latera *A D*, & *A E*, ſunt æqualia lateribus *A E*, & *A C*. Igitur per tertiam ſuppoſitionem primi baſes illorum triangulorum erunt ſibi inuicem æquales; igitur ſuperficies *D G D F*, erit circularis per definitionem circuli, & punctus *E*, eſſet centrum eius, quia ab ipſo ad circumferentiam omnes lineæ ductæ ſunt æquales. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De accidentibus Halo.

4. *Accidentia Halo.* QVantùm ad ſecundum, ſciendum quòd quandoque in generatione Halo apparet circulus interruptus, & incompletus. Secundò accidit, quòd Halo magis fit in hyeme flante Euro, quàm aliis temporibus, circa candelam. Tertiò, quia ſæpiùs Halo apparet circa Lunam, quàm circa Solem. Et quartò, quia Halo Lunæ maior eſt, quàm Halo Solis. Quintò, in medio ipſius Halo eſt maior claritas, quæ videtur continuè verſus circumferentiam tendere ad obſcuritatem. Et ſextò accidit quandoque apparentia diuerſorū colorū, ſicut quòd alicubi apparet color puniceus, & aliter viridis, & ita diuerſimodè, ſicut in Iride.

5. *Cauſa Halo.* Nunc igitur aſſignandæ ſunt cauſæ iſtorum. De primo, dico quòd interruptio circuli ipſius Halo prouenit quandoque ex defectu materiæ, ſicut quòd deficit ſpiſſitudo nubis in aliqua parte circumferentiæ ipſius coronæ, ſiue Halo, quia tunc radius luminoſus pertranſit ad viſum irreflexus; igitur per præcedentem quæſtionem non cauſabitur ibi maior claritas, quàm in aliis partibus mediis. Secundò, prouenit interruptio circuli ex difformitate materiæ, quando ſcilicet vna pars vaporis eſt in tantùm denſa, quòd radius luminoſus non ſufficit pertranſire, ſed reflectitur in eandem partem, à qua venit. Cauſa autem eſt, quia in hyeme flante Euro aër eſt commixtus vaporibus, & inſpiſſatus, & ideò melius poteſt fieri fractio, aut reflexio luminis ad aërem. Cauſa huius eſt, quia Sol eſt maioris virtutis in calefaciendo, quàm Luna, & ideò præ intenſione caloris citò diſſoluit conſiſtentiam vaporis, ad quem debeat fieri reflexio, aut refractio luminis. Cauſa eſt, quia Luna eſt propinquior nobis, quàm ſit Sol; ideò lumen eius incidit ad vaporem ſecundùm angulos magis obtuſos in comparatione ad viſum noſtrum, ideò à Luna debet apparere Halo magis quàm à Sole.

Propter quintum, & ſextum, præmittendæ ſunt quædam ſuppoſitiones. Prima eſt, quòd Halo generatur ex commixtione lucis, cum opaco terreſtri; verbi gratia. nubes quandoque apparet rubea, quandoque alterius coloris, & tum in veritate, non eſt aliud, quàm lux, vel lumen ſic apparens propter opacum, ad quod refrangitur, vel reflectitur, aut etiam in quo incorporatur. 6.

Secunda ſuppoſitio, quòd ex diuerſitate lucis cum opaco, aut è contra, prouenit diuerſitas colorum. Patet per experientiam allegatam, quia per talium diuerſam commixtionem apparent diuerſimodè coloratæ.

Tertia eſt, quòd lux fortis cum opaco debili facit apparere albedinem. Patet, quia propter hoc apparet albedo in nubibus, & albedo flammæ ignis.

Quarta eſt, quòd propter debilitatem lucis in eodem denſo colores obſcurantur. Patet ex præcedenti, quia poſtquam opacitas eſt æqualis, & lumen remiſſius, oportet quòd color magis tendat ad rubedinem, & per conſequens ſit obſcurior.

Quinta, quia omnium radiorum Solis incidentium ad aliquam ſuperficiem radius perpendicularis eſt fortiſſimus. Patet expertum, quia ille tranſit irrefractus.

Sexta, quia radius luminis, quantò eſt propinquior perpendiculari, tantò eſt fortior, & quantò remotior, tantò debilior, ita quòd remotioribus propinquiores ſunt fortiores.

Ex iſtis ſuppoſitionibus apparet quare in medio Halo apparet maior claritas, quia vapor ad quem fit refractio, eſt vniformis, vel ſaltem videtur quòd ibi non eſt difformitas quoad ſenſum, & in medio incidit radius perpendicularis, qui per quintam ſuppoſitionem, eſt fortior inter alios; igitur in medio apparebit maior claritas, quàm in aliis partibus, & quia radij à perpendiculari vadunt continuè debilitando per ſextam ſuppoſitionem, eò quòd colores cauſati ex commixtione illorum radiorum cum vapore apparent continuè remiſſiores, & per conſequens obſcuriores. Patet igitur quare Halo apparet clarior in medio, quàm in circumferentia. 7. *Cur in medio Halo maior claritas appares.*

Sed tamen notandum eſt, quòd Ariſtoteles *in iſto tertio*, videtur innuere aliam cauſam, ſaltem quæ eſt iſta partialis, quare in medio apparet claritas intenſior, benè mouetur ex hoc, quia vnum contrarium iuxtapoſitum alteri, facit alterutrum apparere intenſius, ſicut albedo iuxtapoſita nigredini facit nigredinem intenſiorem, & è contra, quaſi neutra eſſet alteri iuxtapoſita. Et fortè non eſt alia cauſa, quàm conſideratio animæ. Nam anima ſimul comprehendit duo contraria. & propter repugnantiam ipſorum, facit diuerſitatem inter ea, & iudicat quodlibet eſſe intenſius. Et ideò dicitur in Perſpectiuo, quòd rerum diſſimilium percipitur diuerſitas in inſtanti,

ſimi

similium in tempore incli. Hoc supposito, patet quòd claritas in medio ipsius Halo iuxtaponitur nubi nigræ, quam vocat Aristoteles *Peripheriam nigram*, ideò illa claritas apparet intensior fortè quam sit, vel quàm appareret, si non esset nigredo iuxtaposita.

8. Propter causam textus, dicendum, quòd non solùm prouenit diuersitas colorū propter diuersitatem commixtionis lucis cum opaco, sed cum hoc, propter diuersitatem qualitatum ipsius opaci; verbi gratia, si opacum fuerit adustum, & lux incidens sit satis fortis, apparet albedo; sicut patet in carbonibus ignitis; & si opacum fuerit aquosum, tunc apparet viriditas; ita quòd propter commixtionem diuersam, vel iuxtapositionem adusti cum aquoso secundùm magis & minùs proueniunt diuersi colores, putà puniceus, & alij. Ex hoc patet causa, quare in Halo apparet talis diuersitas colorum, quia vni parti aquosæ vaporis iuxtaposita, & alia pars adusta, & secundùm hoc apparent diuersi colores.

9. Circa ista, & præcedentia, dubitatur, quia non solùm ab vno puncto corporis luminosi proueniunt radij ad vaporem, sed à quolibet, à quo ad ipsum potest protrahi linea recta, de quibus tamen tu nullam facis mentionem.

Dubium 1.

Responsio. Ad istud dico quòd non obstat hoc contra prædicta, quia radij prouenientes ab aliis punctis, quàm ab vno, quo incidit perpendiculariter ad visum, vel sunt perpendiculares, vel obliqui; si perpendiculares, tunc demonstratiuè probabitur ex vltima definitione primi, quòd non concurrent in centrum visus; si autem fuerint obliqui incidentes; igitur frangentur ad angulos æquales, vel dissimiles angulis causatis ex radiis refractis ad visum, cum eadem superficie. Maior patet in figura priùs posita; & minor apparet, scilicet quòd propinquior est visui, quia multò plus est de vapore ad Solem, quàm de visu nostro ad vaporem, & ideò angulus refractionis est minor, quàm si vapor esset æquè distans.

10. Secundò arguitur ad illud, quòd radij refracti à vapore nunquam concurrunt in eundem visum; igitur iste circulus non causatur per modum assignatum. Tenet consequentia, quia concursus illorum radiorum ad visum præsupponitur in argumento prædicto de figura Halo. Sed probatur antecedens ex natura fractionis linearum assignata in præcedentibus quæstionibus, nam radius incidens per media diuersarum diaphaneitatum, quorum secundum est densius, primò frangitur ad perpendicularem ductam per locum fractionis. Sed quando secundum medium est subtilius, frangitur recedendo ab eodem; igitur quando radius Solis venit de aëre superiori ad vaporem roridum frangitur declinando ab incessu recto versus perpendicularem; igitur quando posteà procedit ad istud medium rarius, in quo nos sumus, declinabit à perpendiculari ducta per locum fractionis; igitur nunquam concurrit cum illa perpendiculari in centrum visus.

Dubium 2.

11. Ad ista posset dici, quòd ad demonstrandum Halo esse figuræ circularis, non oportet præsupponere angulos incidentiæ esse æquales refractionis angulo, sed sufficit quòd omnes radij extremi venientes à Sole sunt sibi inuicem æquales, vel etiam omnes refracti à parte inferiori sunt sibi inuicem æquales. Et ideò fortè meliùs esset imaginari Halo fieri per alium modum, quàm per refractionem, qui fortè posteà tangetur.

Responsio.

Sed contrà esset dubium si non fieret per refractionem quæro, quare Halo apparet secundùm tantum angulum per se, & non secundùm maiorem. Et de hoc dicetur quòd non potest dari alia causa, quàm quòd talis est natura angulorum, sicut posteà dicetur de angulo, sub quo apparet Iris.

Ad rationes. Ad primam, soluta est. *Ad 1 argum. principalis.*

Ad secundam, de Iride non est simile. *Ad 2.*

Ad tertiam, dico quòd ista non est causa, sed æqualitas extremorum radiorum incidentium ad vaporem. *Ad 3.*

Ad quartam dictum est in corpore quæstionis. *Ad 4.*

QVÆSTIO VIII.

Utrùm colores Iridis sint veri colores, vel solùm apparentes?

ARGVITVR quòd solùm sunt apparentes, quia si essent veri, sequeretur quòd in qualibet parte nubis, vnò in qualibet parte Iridis vbilibet vnus color appareret alius, & de facto essent ibi. Consequens falsum, quia Iris repræsentatur nobis secundùm colores distinctos, & non secundùm colores confusos. Probatur consequentia, supponendo quòd nullus homo videt totalem Iridem, quàm videt alter, imò quilibet videt suam propriam Iridem, tunc supposito isto, patet quòd ibi apparet circumferentia superior Iridis vni homini, quæ apparet alicui alteri medium suæ Iridis, & alicui circumferentia infima suæ Iridis; igitur si illi sunt veri colores realiter existentes, sequitur quòd in eodem situ per se erunt omnes colores Iridis, & per illud arguitur quòd omnes essent in eadem parte nubis. 1. *Arg. primū.*

Secundò, sequitur quòd in aliquo tempore modico infiniti colores generentur, & infiniti corrumpantur, quorum tamen quilibet natus esset diu permanere. Consequens impossibile, quia color non corrumpitur, nisi consequente alteratione primarum qualitatum, quæ non possunt subitò inter se inuicem alterari. Et probatur consequentia, & ponatur quòd vnus oculus, cui apparet Iris, moueatur luminoso quiescente, vel quòd luminosum moueatur, vel etiam vapor, vel omnia simul, tunc sicut potest probari ex textu, continuè apparebit noua, & noua Iris; igitur continuè alter, & alter color, & quia motus est continuus, sequitur quòd continuè fiet talis generatio & corruptio colorum. *Secundum.*

Tertiò, ille est verus color realiter existens in subiecto, qui non solùm dependet à suo subiecto in *esse*, & conseruatur, imò cum hoc ab aliquo alio; sed color Iridis non solùm dependet à nube, in qua parte est subiectiuè; igitur, &c. Maior patet inducendo in omnibus coloribus. Et minor patet, quia colores illi dependent in conseruari à lumine corporis causantis Iridem, & sic non solùm dependet à subiecto. 2. *Tertium.*

Quartò, sequeretur quòd aliquod elementum simplex esset coloratum. Consequens est falsum, quia colores sunt qualitates, consequentes proportionem omnium primarum qualitatum, & hoc *Quartum.*

cum

c... debita opacitate ... patet *in libro de Sensu, & sensato*. Et probatur consequentia, quia nube, in qua apparet Iris, est elementum simplex, vel saltem non differens ab elemento simplici, quod sufficeret ad qualitatem colorum.

Quintum. Quintò, per Aristotelem *in libro de Mundo*, vbi dicit quòd Iris est apparentia talis: modò si colores Iridis essent veri colores non diceretur apparétia, sed patens existentia, & hoc idem dicit *in isto tertio*; apparet igitur talis.

3. *Oppositum.* Oppositum arguitur primò per Aristotelem, vbi dicit, quòd fulgidum visum per nigrum facit puniceum; modò non diceret, *facit*, nisi color puniceus realiter causaretur à fulgido, & nigro.

Secundò in nube est color verè, & realiter existens; igitur & potest esse quilibet alter. Tenet consequentia, quia non apparet maior ratio de vno, quàm de alio. Antecedens apparet, quia realiter in nubibus est nigredo.

Tertiò, si ita esset, sequeretur quòd sensus deciperetur circa suum proprium obiectum. Consequens falsum, 2. *de Anima*. Et maximè non decipitur iudicando aliquid esse coloratum, album, viride, aut puniceum, quia visus iudicat colores Iridis esse veros colores, qui tamen sunt solum apparentes.

In quæstione primò videndum est de causis apparentiæ coloris Iridis. Secundò, videbitur de dubiis.

ARTICVLVS I.

De causis apparentiæ coloris Iridis.

4. QVantùm ad primum, præmittendæ sunt suppositiones. Prima est, quòd radius luminis transiens per diaphanum spissum, & aliqualiter densatum, facit apparere colorem. *Corpora diaphana quæ.* Vnde corpora diaphana dicuntur, per quæ patet transitus luminis, sicut sunt aër, aqua, crystallus, vitrum, & huiusmodi. Probatur suppositio primò, quia Sol visus per fumum exeuntem de camino, apparet esse rubeus.

Secundò, quia Sol de manè visus per vapores grossos eleuatos à terra, apparet esse rubeus.

Tertiò, quia si Sol videatur per crystallum exactiorem apparent colores similes coloribus Iridis.

Quartò, quia si Sol videatur per vas sphæricum plenum aqua, tunc in vase illo apparent colores; & omnia illa signant quòd lumen visum per diaphanum spissum, vel aliqualiter densum, facit apparere colorem; & causa est, quia lumen cùm veniat de medio rariori ad medium densius frangitur, vt patet ex dictis: & ex tali fractione incorporatur lumen in diaphano spissiori, & tunc propter illam incorporationem, & propter opacitatem illius diaphani densi, secundùm colorem eius, qui est valde remissus, apparent tales colores.

Secunda suppositio, quòd si poneretur corpus reflectens, talis color appareret in corpore reflectente, qualis apparet in diaphano spisso, & per incorporationem luminis. Probatur per experientias, primò de vase vitreo sphærico, quia si retrò in vmbra eius obiiciatur manus, vel aliquod opacum reflectens, apparet color talis, qualis prius apparebat per refractionem, & incorporationem luminis. Secundò, quia si ponatur vitrum plenum aqua supra mensam, & incidat radius luminis per vitrum, tunc ad manum, vel ad mensam in vmbra vitri apparet color.

Tertia suppositio, quia si retrò diaphanum spissum in vmbra ponatur corpus speculare politum, & regulare, tunc non reflectitur color indifferenter ad quemlibet situm, sed ad aliquem situm determinate, & ad aliquem non. Probatur per experientias. Primò, quia si capiatur vas vitreum sphæricum plenum aqua, per quod incidat radius luminis, & retro in vmbra illius corporis ponatur reflectens asperum, & irregulare, sicut esset manus, vel lignum, tunc reflectitur aliqualiter color indifferenter ad omnem situm, sed loco manus, vel ligni ponatur aliud vas, continuè plenum aqua, tunc reflectitur lumen per se ad situm determinatum, & non ad quemlibet situm indifferenter; & tunc perquirit oculus hinc inde situs diuersos, donec inueniat situm, ad quem apparet reflexio talis. Et causa datur ex hoc, quòd semper angulus incidentiæ debet esse æqualis angulo reflexionis, nam lumen reflexum à speculo vniformiter non apparet ad aliquem situm, nisi ad quem radius veniens à luminoso reflectitur secundùm angulum æqualem angulo, secundùm quem incessit ad opacum reflectens. 5.

Secundò, patet alia experientia, quia capiatur vitrum plenum aqua super mensam, per quod transeat radius luminis, si retrò in vmbra vitri ponatur speculum politum, & tersum, reflectitur color per se ad situm determinatum, & causa est eadem cum præcedenti.

Ex istis suppositionibus potest elici causa apparentiæ coloris Iridis, quia radius luminis veniens à Sole ad nubem incidit super aliquam guttam, quæ est diaphanum spissum, vel densum; igitur per primam suppositionem, in vmbra istius guttæ apparebit color, & per secundam suppositionem, si in vmbra illa ponatur corpus reflectens, reflectitur, & apparebit color consimilis colori, qui apparuisset in vmbra guttæ prioris sine reflexione; & quia de facto est ibi gutta aquæ, eò quòd guttæ sunt separatim sparsæ, quæ gutta est speculum regulare, & vniforme, sequitur per tertiam suppositionem, quòd color reflectitur, non ad quemlibet situm, sed ad aliquem situm determinatum, & aliquem non; & sicut arguitur de vna gutta, per quam incidit radius luminis, ita potest argui de alia quacumque. 6. *Causa apparentiæ coloris Iridis.*

Ex quo patet de apparentia colorum Iridis, & quare eiusdem partis nubis color non apparet indifferenter ad quemlibet situm. Et quòd ita sit probatur per quoddam signum, primò quòd si ex opposito Solis poneretur mons, aut caligo, aut nubes non conuersa in guttas, tunc non apparet Iris, sicut patet experientiâ. Aliud signum, quia quando apparet Iris statim pluit, quod non esset, nisi nubes illa fuisset conuersa in guttas. Tertiò, hoc idem, quando artificialiter fit Iris, nam Vicoton, quod est quidam torrens, decurrens per saxa dispergitur in guttas, ad quas apparent colores Iridis. Similiter autem in molendinis apparent huiusmodi colores, ex dispersione aquæ per guttas. Patet etiam per quoddam signum Philosophi. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Dubia circa prædicta.

7. QVantùm ad secundum, dubitatur de causa diuersitatis istorum colorum. Secundò dubitatur, quid est illud quod videtur in apparentia. Tertiò dubitatur, vtrùm in qualibet parte nubis natus sit apparere talis color, & quilibet illorum colorum, & si sic, dubitatur quare repræsentantur secundùm ordinem visui determinatum.

Ad 1. dub. Ad primum respondetur. Apparentia colorum Iridis non est aliud, quàm lux, vel lumen apparens per huiusmodi diaphanum densum, & ideò radius luminis veniens à Sole, transiens per partem guttulæ tenuiorem, facit apparere colorem magis clarum, scilicet puniceum; dein transiens per partem aliqualiter spissiorem facit apparere colorem viridem; & radius transiens per centrum guttulæ, vbi gutta est spissior, facit apparere colorem alurgum, qui est rubeus obscurus, & sicut dicitur de vna guttula, potest dici de qualibet.

Ad 2. Ad secundum dubium respondetur, sicut dictum erat aliàs, quòd non est ibi aliquis color realiter existens, qui videbatur, sed lux Solis videtur ibi reflexè, & densitas, siue spissitudo nubis, vnà cum lumine incorporato infra nubem, ita quòd ista tria simul videntur, & per modum vnius visibilis, quemadmodum dicebatur; & quando radius Solis transit per vitrum rubeum, si flectatur ad parietem, apparet rubedo in pariete, & illud quod videtur non est aliud quàm lux Solis similiter reflexus, sed color parietis apparet directè. Ex quo patet quòd in nube non est aliquis color realiter existens, sed per se lumen, quod diuersimodè apparet, propter diuersitatem diaphani spissi, per quod videtur, vel à quo reflectitur.

8. *Ad 3.* Ad tertium dubium, dico quòd in qualibet parte nubis nobis sensibili, natus est apparere quilibet color Iridis, quia sunt guttæ seminatim sparsæ, & lumen incidens, sicut in alia. Ex quo patet opinionem Alberti esse falsam, qui imaginatur nubem, ad quam fit reflexio Iridis, esse concauam, cuius vna pars est magis rara, alia mediocris, & tertia densa, & tunc apparet color puniceus, vbi nubes est rarior; alurgus vbi est densior, & viridis vbi est mediocris, & istis imponebat nomina, & naturas elementorum.

Ad 4. De quartò, quare apparet secundùm ordinem determinatum, est valde difficile dare causam, & tamen potest dici, quòd vnus illorum colorum natus est apparere secundùm aliquem angulum, secundùm quem alter non est natus apparere, & ideò vnus apparet in vno situ determinato, & alter in alio, qui angulus causatur ex radio incidentiæ à Sole ad nubem, & à nube reflexa ad nubem.

Ad 5. Quintò, potest dubitari quare potiùs ex transitu luminis per diaphanum spissum appareant illi colores magis quàm alij?

Respondetur, quòd est de natura luminis quòd per transitum suum natum est causare illos colores magis, quàm alios; & hoc fortè, quia principaliores sunt inter omnes colores medios, qui colores medij nati sunt [illegible]ultare ex [illegible] luminis cum diaphano spisso.

Per hoc ad ratione. Ante oppositum [illegible]bat, vel potiùs oppositum.

Ad primam, ad Aristotelem, *fulgidum facit*, id est, facit apparere. *Ad 1. argum. principale.*

Ad aliam, *ibi est aliquis color*, dicitur quòd si ibi est aliquis color, tamen est valde remissus, quia corpora diaphana, sicut aër, aqua, & crystallus non sunt colorata, & si sunt colorata, hoc est valde remissò. *Ad 2.*

Sed contrà, quia in nubibus apparet interosa nigredo. Dico, quòd quamuis sic apparet, tamen ibi non est nigredo, & apparentia illa prouenit ex defectu luminis, quod non sufficit penetrare, quemadmodum aqua profunda apparet nigra. *Quare nubes apparet nigra.*

Ad tertiam, dicitur quòd decepno prouenit, vel potest accidere bene de loco rei propter reflexionem, quia propter reflexionem res apparet alibi, quàm sit, vt patet ex præcedentibus, & etiam ex spissitudine medij, quæ est quædam indispositio ad visum, & ideò ibi non sunt causæ, propter quas accidit ibi deceptio. *Ad 3.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Iris debeat apparere secundùm circulum?

ARGVITVR qòd non, quia virgæ apparent secundùm oblongam figuram; igitur Iris debet apparere similiter. Tenet consequentia, quia vtraque fit ex reflexione luminis ad nubem. Antecedens patet per Aristotelem *in hoc tertio*. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, vbique ad nubem fit reflexio radiorum luminis; igitur Iris debet apparere secundùm figuram nubis. Tenet consequentia, postquam Iris nihil est aliud, quàm talis reflexio. Et antecedens apparet, quia quælibet pars nubis est præsens coram luminoso, & per consequens qua ratione fit reflexio ad vnam partem, eadem ratione ad aliam. *Secundum.*

Tertiò, quia Iris videtur à qualibet parte nubis; igitur Iris apparet secundùm figuram nubis, & nubes non est secundùm circulum; igitur non apparet Iris secundùm circulum. Antecedens probatur, nam vndique in nube videtur Iris ab aliquo, sicut patet ex præcedenti quæstione. *Tertium.*

Quartò, quia anguli reflexionis Iridis sunt inæquales; igitur Iris non apparet secundùm circulum. Antecedens patet experientiâ, nam maior est angulus, sub quo videtur color puniceus Iridis inferioris, quàm sub quo videtur color viridis, vel alurgus. Et tenet consequentia, quia omnes anguli causati super circumferentiam eiusdem circuli, alus paribus, ab vno puncto sunt sibi inuicem æquales. *Quartum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 3.* & patet ad experientiam. *Opposit.*

In quæstione præcedenti visum [illegible] de coloribus Iridis, de causa, & ordine colorum, nunc dicendum est de aliis accidentibus Iridis, scilicet de figura eius, de loco, & tempore, quibus apparet; de duplicatione Iridis, quare colores ipsarum apparent ex opposito situati. 2.

Prima

Conclusio 1. Iris debet apparere secundùm circulum. Prima conclusio sit ista, quòd Iris debet apparere secundùm circulum, vel secundùm portionem circuli; probatur, quia si imaginatur linea procedens de Sole existente in Oriente, qui sit *H*, ad punctum inferiorem fractionis Iridis, quæ sit *M*. Et de *H* ad *K*, visum, ducatur linea *H K*, & de *K* ad *M*, ducatur linea, scilicet, quæ procedit de visu nostro ad punctum refractionis, siue



reflexionis; tunc dicitur sicut super textum, si triangulus *H M K* imaginatur circumduci. *K H*, remanente immobili, tunc à puncto *M* describetur circumferentia circuli, & ista est circumferentia Iridis.

Secundò, quia omnes anguli causati ex reflexione radiorum incidentium à Sole ad superficiem Iridis, sunt sibi inuicem æquales; igitur Iris debet apparere secundùm portionem circuli.

Tertiò, quia omnes trianguli causati ex radiis incidentibus à Sole ad superficiem Iridis, & reflexis ad visum, cuiusmodi est triangulus *H M K*, sunt sibi inuicem æquales, & consimiles; igitur omnes lineæ correspondentes lineæ *H M* sunt sibi inuicem etiam æquales, & omnes illæ procedunt ab eodem puncto; igitur per definitionem ipsius circuli, sequitur quòd illa circumferentia, ad quam terminantur, erit circularis, quare sequitur quòd debet apparere secundùm portionem circuli.

3. *Conclusio 2.* Secunda conclusio, quòd in horizonte plano impossibile est Iridem apparere secundùm portionem maiorem, quàm secundùm semicirculum. Probatur supponendo primò quòd Iris nunquam potest apparere nisi in lumine Solis, vel Lunæ, ita quòd vmbra, vel tenebra non apparebit, per experientiam. Secundò supponatur quòd polus & centrum Iridis sunt in eadem linea, quæ procedit à Sole ad visum, patet ex textu, & præcedentibus. Tunc probatur conclusio, quia si possit apparere secundùm portionem maiorem, sequitur quòd centrum Iridis esset eleuatum super horizontem; igitur per secundam suppositionem sequitur quòd Sol esset depressus sub horizonte; igitur per primam non apparebit Iris.

Ex conclusione sequitur quòd quantò Sol magis eleuatur super Horizontem, tantò Iris apparet secundùm minorem portionem circuli, nam aliter non semper centrum visus, & polus Iridis essent in eadem linea recta vnà cùm centro Solis.

Secundò, sequitur quòd tantùm possit Sol eleuari super horizontem, quòd nulla appareat Iris. Probatur, quia sicut patet ex Perspectiua, semidiameter Iridis est quadraginta duorum graduum in altitudine, & hoc, quantum ad occupationem graduum cæli; igitur Si sol esset eleuatus super horizontem per 42. gradus, sequitur quòd centrum Iridis, & totus diameter essent sub horizonte, quia diameter Iridis est per se 42. graduum, quæ portio diminuitur ad eleuationem Solis, & per consequens tunc non apparebit Iris.

Tertiò, sequitur quòd ex inuentione altitudinis Iridis per instrumentum potest inueniri altitudo Solis super horizontem, dato quòd Sol videatur. Probatur, quia altitudo Solis, & altitudo Iridis simul iunctæ sunt per se 42. graduum; igitur habito quòd Iris eleuatur 10. gradus, sequitur quòd per residuum eleuabitur Sol, sicut per 32. gradus.

4. *Conclusio 3.* Tertia conclusio est quòd in horizonte non plano possibile est Iridem apparere secundùm circulum completum, & secundùm portionem maiorem semicirculo. Probatur, quia si sit turris, vel mons, eleuata in altum, ita quòd existens super turrim, vel montem potest videre nubes sub se circa terram circumquaque, tunc sequitur quòd ad quamlibet partem circa montem fiet reflexio, ita quòd centrum Iridis sit in monte, tunc sequitur quòd vndique circa, apparebit circumferentia Iridis, & illo casu taliter possit situari Sol, quòd Iris possit apparere secundùm portionem modicum minorem circulo, & modicum maiorem semicirculo, & sic de diuersis portionibus. Ex quo sequitur, quòd si Sol taliter situaretur, quòd centrum Iridis esset eleuatum super montem, tunc tali existenti in monte apparebit Iris cum concauitate, & cum cornibus conuersis ad eum. Et hoc de figura Iridis.

5. *Conclusio 4. De tempore Iridis.* Quarta conclusio est de tempore apparitionis, quòd habitantibus sub æquinoctiali non potest apparere Iris aliquo die anni in meridie. Probatur, quia semper in meridie eleuatur Sol super horizontem per 42. gradus, & cùm nunquam eleuatio Iridis sit maior, vt patuit priùs; igitur semper illis sic habitantibus totus diameter Iridis esset sub horizonte. Ex isto sequitur quòd in æstate nobis habitantibus versùs Septentrionem nõ potest Iris apparere in hora meridionali. Probatur, quia tunc Sol eleuatur super horizontem plus quàm 42. gradus; igitur tota Iris esset oppressa sub horizonte.

Secundò, sequitur quòd in hyeme habitantibus in Septentrione, potest apparere Iris in qualibet hora diei, posito quòd cætera requisita concurrant. Probatur, quia tunc minùs eleuatur Sol, quàm per 42. gradus.

Tertiò, per quantum minùs eleuatur, per tantum minùs apparebit Iris eleuata super horizontem.

Quartò, quia semper in ortu, vel occasu Solis potest apparere Iris, si cætera concurrant. probatur sicut præcedens.

6. *Conclusio 5. De loco Iridis.* Quinta conclusio de loco apparitionis Iridis est ista, quòd nunquam potest Iris nobis apparere in meridie, siue versùs meridiem. Probatur, quia semper apparet Iris ex opposito Solis; modò meri-



meridies non opponitur Soli, nisi Sole eleuato super horizontem, magis quàm sit diameter. Ex quo sequitur quòd in æstate non potest apparere nobis Iris ad Septentrionem, sed benè in hyeme.

Patet igitur de loco, & tempore apparitionis Iridis, de duplicatione, quare apparent duæ Irides, & non plures.

Respondetur quòd non potest dari causa demonstratiua, nec euidens; tamen imaginantur Perspectiui quòd causa est illa, quia imaginetur eleuatio Iridis super horizonté, vt in exẽplo priùs posito *K M*, linea quæ sit 42. graduum, dein signetur vnus punctus eleuationis per tres gradus qui sit *P*; ita quòd linea *K P*, sit 39. graduum, tunc dicunt quòd si per punctum *P* imaginaretur quidam circulus transire, ita quòd esset æquè distans inter duas Irides, ita quòd hinc inde à diuersis partibus illius circuli æquè distantis per tres gradus appareret puniceus color vnius, & puniceus color alterius, & tunc modicum magis distando color 'alurgus. Ex quo sequitur quòd non possunt esse plures Irides, quàm duæ, quia plures non possunt esse æquè distantes illi circulo. Secundò, patet quare Irides illæ habeant colores è contrario positos, quia aliter color puniceus vnius, & color puniceus alterius non æquè distarent circulo dato.

Ad rationes, dicitur quòd solutæ sunt ex præcedentibus.

Expliciunt quæstionaria summa super tres libros Meteororum, secundùm Scotum.

LIBER

LIBER QVARTVS METEORORVM.

Quæstio Prima.

Vtrùm putrefactio sit poßibilis, vel poßibile sit fieri putrefactionem?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non, quia corruptio caliditatis à caliditate non est possibilis; igitur nec putrefactio. Consequentia tenet per definitionem putrefactionis in litera, videlicet, *putrefactio est corruptio caliditatis in humiditate; propria corruptio à caliditate aliena.* Vnde sequitur ex definitione, quòd esset corruptio caliditatis à caliditate, & hoc est impossibile, vt probatur, quia caliditas corrumpens intrinseca & aliena, est intensior intrinseca caliditate, & propria, & tunc non corrumpit, sed intendit, vel est æqualis; & non fit actio, quia ab æqualitate non est actio; vel est remissior, & tunc non corrumpit, sed potiùs corrumpitur ab intrinseca caliditate, & propria.

Et si dicatur, sicut communiter dici solet, quòd caliditas aliena est diuersæ speciei ab intrinseca, quæ propria dicitur, ideò est sibi contraria; igitur non intendit, sed corrumpit.

Sed contrà, tunc oporteret quòd vni qualitati essent duæ qualitates æquè contrariæ, quod est contra 1. *Metaph.* & contra 1. *Cali*, quia tantùm vnum vni contrariatur. Et sic similiter oporteret ponere 8. qualitates primas, & 12. combinantes, quod est contra 2. *de Generatione*, cap. 1.

Secunda probatio consequentiæ patet faciliter, quia sic dicuntur duæ qualitates primæ. Sic similiter duæ frigiditates, & non videtur.

2. Si dicatur similiter ad secundum argumentum, quod communiter dicitur, quòd per accidens corrumpetur caliditas propria à caliditate aliena, ex eo videtur quòd facit exhalare humidum proprium, & illud minùs subtiliat; sic quòd non potest propria caliditas ampliùs manere, quia sic in frigido tempore, quando aër est frigidior homine, non potest fieri putrefactio alicuius membri hominis, nisi totius corporis, nec, nunquam, possit aliquod putrefieri, nisi fortè calore contento in ipso, vel in terra, quorum solùm docet experientia in cumulis, & aquis, circa crura captiuorū. Cùm enim crura compeditorum circa loca arctiora compedis pannis humidis, vel aliis stillicidiis frigidis, & humidis humectantur, citò putrescunt. Etiam existentes frigidè in hyeme. Nec loquor de congelatione membrorum, & mortificatione propter frigus; sed antequam sit tantum frigus, quod mortificare sufficiat, aut congelare. Consequentiæ istorū patent in litera, quia si solùm per accidens, modo dicto; igitur quando est talis caliditas extrinseca, facilis exhalare humidum, nec subtilians, tunc non fieret effectus, putà putrefactio, quia deficiente causa deficiet & effectus. Confirmatur antecedens principale, quia si calor ageret in calorem, corrumpendo humiditatem, vel faciendo exhalare calorem, tunc remanent materia manet sicca, & in siccis optimè conseruatur calor, & non corrumpitur, nec putrefiunt sicca, & calida, sicut patet de igne, qui est calidissimus, & siccus, & imputrefactibilis, vt dicitur in litera.

Secundò, ad aliud principale. Putrefactio nec
est, nec potest esse actus speciei, vel generis mutationis; & non est, nec potest esse non mutatio; 3. *Secundum.*
igitur non est possibilis. Consequentia tenet, quia quod non est alicuius speciei motus, & oportet esse motum à materia, non est possibile esse, sicut nil est animal, quod non est alicuius speciei animantis. Sed consequentia probatur, non enim est putrefactio motus localis, quia per istum impeditur putrere: sicut dicitur in litera. Et patet de aquis currentibus velociter, quæ tardiùs putrefiunt quiescentibus; vel nunquam putrefiunt.

Nec est motus generationis, quia dicitur in litera; vt allegatum est priùs, quòd est corruptio, & productio substantiæ, vel mutatio substantiarum, quarum non est putrefactio; aliàs omnis generatio esset putrefactio, & omne generatum putrefactum, vel putridum quod nullus demonstret. Consequentia tenet, quia non magis vna generatio, quàm alia, & in naturali materia idem est vniuersaliter & particulariter referre, vt habet videri circa 2. *Perihermenias.*

Nec putrefactio est corruptio, quia similiter 4.
arguitur, sicut arguitur quòd non sit generatio, & ex alio latere, quia si corruptio vnius est generatio alterius, *ex 1. de Generatione*; igitur esset generatio, quod improbatum est. Et ex alio, quia si esset corruptio, tunc maximè esset corruptio caliditatis propriæ in humido proprio à caliditate aliena. Patet consequentia ex definitione eius. Falsitas consequentis patet, quia proprium dicitur inseparabile per Porphyrium, ergo si caliditatis propriæ; igitur caliditas propria est inseparabilis, & incorruptibilis. Et ex alio quia si caliditas propria proprium humidum consumit, & in ipsum agit; igitur sibi contrariatur, quia actio omnis est inter dissimilia & disparata, videlicet inter formam, & materiam, *ex 1. de Generatione.* Ergo non conseruatur in proprio humido, nec destruitur ab alieno calido in ipso.

Nec videtur, si fortè dicas sicut medici solent 5.

dicere de proportione humidi cum calido, &c. Et sic calidum habens humidum proportionatum in illo saltem diutiùs conseruatur, si non esset extrinsecum, quàm si adesset aliud calidum; sic dicendo oporteret concedere actionem caliditatis & humiditatis ad inuicem, & pariformiter omnium non contrariorũ: & sic aër naturaliter destruet seipsum, si non esset aliud extrinsecum corrumpens, quia eius calor ageret in humiditatem, cuius oppositũ est allegatum in 1. *de Generatione*, & contra experientiam, quia calor in humido cõseruatur, & viuitur, & è contrariò humidum à calido augmentatur, sicut patet de vnctuosis, quòd plus humectantur in calore, quàm in frigore, quia illa non condensantur, vt sepum, oleum, cera, pix. & mel; igitur non agunt vnum in aliud corrũpendo ipsum. Et ex alio, si ageret in seipsum corrumpendo ipsum, tardiùs saltem sine extrinseco, tunc est aliqua proportio potentiæ caliditatis ad resistentiam humiditatis, & tunc habentia æqualem proportionem caliditatum super suas humiditates essent æquè durabilia, & fortia. Consequentia tenet, quia ex æqualibus proportionibus fiunt æquales, & æquè durantes actiones. Et consequens falsum, sicut diuersi diuersas habent periodos, licèt proportiones essent similes, & æquales calorum ad humiditates, & si sic, tunc modicus calor in multá humiditate non esset durabilis æquè, vel durarior magno calore in modico humido, cuius oppositum patet in primis infantibus magnæ humiditatis, & modici caloris, & in adolescentibus modicæ humiditatis, & magnæ caliditatis, quia calor istorum est confortatus, vnde calor puerorum est durarior, quamuis minor, sic eius proportio ad humiditatem, sicut calor adultorum ad humiditatem ipsorum.

6. Hîc fortè dicitur, quòd durarior est calor paucus cum multo humido, quàm multus cum pauco, sicut videmus de modica flamma cum multo oleo diu durante, & de magna flamma cum modico humido parùm durante.

Sed contrà, tunc enim oporteret fieri actionẽ à proportione minoris inæqualitatis, vel æqualitatis, comparabilem actioni ex proportione maioris inæqualitatis. Hoc falsum est, & impossibile, vt patet; sed consequentia patet, quia magna humiditas cum pauco calore habet proportionem æqualitatis, vel est proportio minoris inæqualitatis caliditatis maximæ, ex quo calor est intrinsecus humido, & coëxtensus, & non sicut flamma olei in vnâ parte solum, quia ibi non fit actio totius caloris in totum humidum; sed aliter est in naturalibus, vbi calor totius in totum humidum agit, & toti coëxtenditur, & si ibi esset calor paucus, & humidum multum, tunc ex proportione maioris inæqualitatis caloris ad humidum, fit actio per se durarior actione caloris factâ in humidum modicum, & habetur propositum. Vel si dicas quòd est minoris inæqualitatis, vel æqualitatis, etiam per ualum tibi, si non æqualitatis, videtur quòd oporteret dicere quòd calor sit semper maioris, vel minoris potentiæ, quàm humiditatis resistentia, quàmdiu est actio caloris in humiditatem, sicut dicitur paucus in comparatione ad alium calorem, non in comparatione ad humiditatem suam.

7. Sed contrà, tunc non est simile de flamma lampadis modica, & multo oleo, & tamen extremum ponit Aristoteles *in libro de longitudine, & breuitate vitæ*, vt priùs assumptum est. Consequentia ista patet, quia in lampade dominatur oleum humidum sufficienter super calidum.

Item, calor quandoque superatur ab humido; igitur non est semper maioris potentiæ, quàm humiditas; & hoc durante actione istorum, non igitur durarior est paucus calor naturalis, & propius cum humido multo, quàm magnus. Et confirmatur, quia aër habens magnam caliditatem, & siccitatem, est durarior, quàm habens paucum calorem, vel multum de humiditate. Etiam ignis sine humiditate durat semper, & diutiùs, quam aër, ideò non est verum quòd paucus calor, cum multo humido sit durarior quàm multus, &c. Sic patet quòd non est corruptio.

Non est augmentatio, nec diminutio, vt patet de se, quia non est nutrimentum; nec est alteratio aliqua, aliter non apponitur intrinsecum, quia generatio & corruptio non sunt alteratio; modò putrefactio est generatio, & corruptio, vt patet per dicta; ergo non est de aliqua specie mutationis, & hæc fuit prima pars antecedentis. Nec est non mutatio, quia non est substantia quiescens, vel qualitas quiescens, quia est actio quantitatum, talis, qualis diceretur.

Tertiò, ad principale, scil. putrefactio esset possibilis; ergo sub aliquo genere est possibilis, quod est contra principale dictũ: ratione, quia quod est sub vno genere possibilis sub omni est possibilis; sed consequens falsum. Probatur, quia non ponitur aliquid sub gradu summo putrefactionis, quia nullus potest esse gradus summus putrefactionis, nec aliquis minimus, vel remississimus. Probo, quia quantumcunque est aliquid putrefactũ, vel sub quocunque intenso gradu, sub maiori potest putrefieri & esse, quia actio caloris, & humiditatis, vel frigiditatis, & potentiæ actiuæ istarum, non terminantur ad maximum gradum, quem potest efficere: ergo nullus potest esse maximus gradus putrefactionis ab istis causis, nec aliis, quia aliæ non ponuntur causæ, vel si ponantur, dicetur similiter sicut de qualibet potentia actiua; aliter omnis alteratio, vel mutatio possibilis est. Consequentia prima patet, quia omnis alteratio possibilis, vel mutatio, est sub aliquo gradu possibili, & qua ratione datur sub vno gradu possibili, eadem ratione sub alio, quia omnes gradus sunt eiusdem speciei. 8. Tertium.

Sed fortè dices, quòd non potest esse summus gradus, sic quòd possit esse alius intensior, sed bene potest esse summus, quo nullus est intensior.

Sed contrà, vel igitur quod putrefit, à gradu putrefactionis est subitò summè putrefactum, exponendo etiam summè putrefactum, sicut iam summus gradus putrefactionis exponitur: & hoc non potest dici, quia tunc alteratio, vt putà talis putrefactio gradus summi fieret subitò, & per consequens motus est, quod est impossibile. Vel si dicatur quòd illud putrefit à gradu putrefactionis non subitò, sed secundùm successionem, & subitò est summè putrefactum, quod est diuisibile, & extensum, sicut & gradus summus quo putrefit. 9.

Sed contrà, tunc sequitur, cùm continuè putrefit illud, & magis putrescit, & est maximus gradus iste, quo putrefit, intenditur continuè, & nunquam esset summus, exponendo vt priùs, quia si aliquod moueretur continuè intendendo motum suum à certo gradu, & ad nullum certum gradum, staret per tempus inclinatiuè, hoc est, quo non intensiori gradu mouebitur, nisi dicatur moueri

moueri per instans, quod est impossibile, & sic esset de illo, quod à gradu summo per tempus dicitur putrefacere quia semper magis,& magis putrefit, quia motus disponitur ad putrefactionem, ita quòd nunquam intensiori gradu, nec etiam per tempus videtur à quo; quia hoc est impossibile, ex quo solum efficitur melius, & melius per dispositionem, oportet quòd non sit gradus summus putrefactionis, exponendo vt tu dixisti.

10. Et circa hoc quæri possit de summo putrefacto, & cuius dispositionis esset, vtrùm humidum, & siccum, calidum vel frigidum,& si melius, vel plus possit esse putridum, per quid. Et hoc transeo propter breuitatem.

Quartum. Quartò, ad illud, putrefactio est possibilis; igitur est corruptio. Consequentia tenet ex definitione, & ex consequente est corruptio; igitur putrefacta sunt corrupta, per locum à coniugatis. Consequens falsum, quia cancer, & anguilla viuunt putrida existentia, & non corrupta. Et consequens probatur esse falsum ex eo quòd putrefactio est generatio alius ex putrefactis, vt dicitur in litera; igitur non est corruptio, ex quo oppositi motus, vel mutationes; & cùm fiat putrefactio à caliditate, & caliditas sit causa generationis, igitur non corruptionis, quia non potest oppositum facere, ideò sequitur quòd non est corruptio.

11. Quintum. Quintò, si putrefactio esset possibilis, vel esset naturalis transmutatio, vel violenta; sed nec sic, nec sic; ergo. Consequentia patet de se, sed antecedens probatur, quia non naturalis; tum, quia est à principio extrinseco, videlicet à caliditate passo resistente omninò; tum, quia nulla corruptio talis est naturalis; tum etiam, quia putrefactibile naturaliter quiescit sub formâ suâ, & violentè mouetur perdendo naturam; tum etiam, quia putrefactio est contra naturam materiæ & formæ, & non appetitur naturaliter ab aliquo, quia quilibet nititur fugere corruptionem, & seruare seipsum. Et combustio non est naturalis; igitur nec putrefactio, cùm sint ad eundem terminum ambo, videlicet ad initium actionum. Et sic potest dici quòd sit violenta, quia oppositum dicit Aristoteles in literâ, capitulo 2. primi tractatus, contenti quarti. vbi dicit: *Omnis enim secundum naturam corruptio, ad hoc via est, puta senectus, & auansis* * (id est, vetustas in plantis) *finis autem omnium aliorum, & horum putredo, nisi aliquid violentià corrumpatur, vt combustione*, &c.

* ariditas.

Similiter dicunt omnes Expositores, & putrefactio non est violenta, quia magis combustio esset violenta secundùm literam Aristotelis iam dictam: sed hoc falsum, quia combustio est velocior in fine, quàm in principio, vt patet.

Similiter intenditur naturaliter vt per se à natura, vel forma substantiali; igitur non est violenta. Iterum, quia combustio fit à principio intrinseco passo conferente vim, quia materia appetit formam ignis,& inclinatur ad habendam eam,& sic confert vim ad ipsam combustionem.

12. Sextum. Sextò, si sic, cùm omnis transmutatio possit habere impedimenta,& iuuamenta, sic fortè de putrefactione: sed hoc falsum. Consequentia patet, & falsitas probatur, quia si haberet impedimenta, maximè videntur illa, quæ Aristoteles enumerat in literà, videlicet frigiditas, coagulatio, vel congelatio, feruor, vel excellens caliditas, & motus, vel fluxus, vel multitudo putrefactibilis, sed hæc non sunt impedimenta; igitur nulla. Consequentia tenet per locum à maiori. *si illud quod magis*, &c. Sed probatur antecedens huius consequentiæ, nam primò frigiditas non impedit, quia frigiditas intrinseca causat putrefactionem, vt patet in literâ. Ambæ vtique causæ erunt putrefactionis, quia interior frigiditas est propriæ caliditatis, & alienæ corruptiua.

Et si diceres, vt dicit Aristoteles, frigiditas aliena, & extrinseca præseruat, sed non intrinseca. 15.

Contrà, quia videmus fructus arboris totius putrefieri, qui fuerint fortiter infrigidati frigiditate aëris continentis: ita frigiditas extrinseca iuuat ad putrefactionem, & non impedit eam.

Item, si frigiditas continentis conseruaret alia frumenta sata in terra, & corpora inhumata diutiùs ibi durarent, quàm in aëre. Probatur, quia ibi est maior frigiditas, quàm in aëre Item, fœmina custodit diutiùs pomum in alto ad locum calidum, & siccum, & ibi non putrefit, sed putresceret in celato frigido.

Nec etiam congelatio impedit, quia corpora mortuorum sunt congelata, & humores in illis; & tamen ista citiùs quàm viuorum corpora non congelata, putrescunt; igitur congelatio, & coagulatio iuuant, & non impediunt putrefactionem. Et videmus fructus, vt poma, esse congelata, & posteà citiùs putrefieri, quàm si non essent congelata; igitur, &c. iuuat. Item, cùm congelatio sit causa quietis, igitur causæ iuuant putrefactionem, quia motus impedit, vt patet in litera iam priùs allegata. Quòd congelatio sit causa quietis, probatur, quia motus impedit congelationem, sed quies iuuat eam, vt patet de aqua fluente, & aqua stante. Similiter etiam quando aliquid est congelatum, oportet quiescere, & non fluere; igitur congelatio est causa quietis.

Nec etiam tertium, scilicet feruor, impedit, probatur; quia si congelatio putrifactibilis impedit, tunc feruor iuuat, quia contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ, vt dicitur *in 2. tractatu huius quarti*. Antecedens patet in litera ex allegatis. Et confirmatur ex eo quòd caliditas, vel feruor aperit poros putrefactibilis, & facit humidum exhalare; igitur iuuat putrefactionem, & non impedit, &c. Consequentia patet, quia putrefacta incinerantur tandem, vt dicitur in litera; ergo quod iuuat ad incinerationem, iuuat ad corruptionem, & non præseruat, nec impedit, quia est causa augmentationis caloris, quia calor est causa putrefactionis; igitur iuuat, & non impedit. Item, motus disgregat, & aperit poros putrefactibilis, & est causa putrefactionis, igitur non impedit. Antecedens probatur, quia motus calefacit,& sic disgregat, & aperit calore suo. 14.

Demùm probatur quòd multitudo putrefactibilium non impedit, quia iuuat, vnde dicitur quòd blada in magno cumulo putrescunt citiùs, quàm in paruo. & etiam confirmatur, quia modicum citò exsiccatur, sicut patet de vino dimisso in vase, sed multum stans ibidem pinguescit, & putrescit; igitur multitudo iuuat, & non impedit, imò potiùs paucitas impedit.

Ad

Tertium. Ad oppositum est Aristoteles per totum primum tractatum quarti huius, secundò, tertiò, quartò, definiens putrefactionem, quod non fecisset, si non esset possibilis, & similiter ostendunt proprietates. &c.

Diuiso quaestionis. In ista quaestione primò videndum est de quaesito, scilicet vtrùm possibilis sit, vel possit fieri. Secundò, videbitur quomodo fiat. Et tertiò de proprietatibus, accidentibus putrefactionis, & de causis earum. Et vltimò quae sit definitio, & descriptio eius. Et istis notis sufficiet fortè pro aliquali intellectu literae.

ARTICVLVS I.

An possit fieri putrefactio?

15. QVantùm ad primum, tractandae sunt aliae quaestiones hîc diuisae, scilicet, *Vtrùm sint quatuor qualitates primae?* & *Vtrùm ad istas qualitates primas aliae qualitates reducantur?* & *Vtrùm duae sint actiuae, & aliae solùm passiuae*; de illis communiter dicitur circa librum de generatione antecedente istum. Ideò ad maiorem intelligentiam huius libri supponitur, sicut supponit Aristoteles ex aliis, & breuiter tractat hîc recipiendo insistere, & loquitur de stylo probabili, non tamen forti sicut in tertio, quia haec sunt probabilia, non demonstrabilia, nisi demonstrationibus naturalibus minùs certis, & quasi coniecturando causas ex effectibus, sicut dictum fuit in quaestione prima huius, qualem certitudinem haec scientia haberet.

Quantùm ad primum reputo titulum quaestionis satis esse expositum in exponendo quaestionem, quia cùm quaeritur vtrùm putrefactio sit possibilis, est tantum, quantum, vtrùm possibile sit fieri putrefactionem, vel esse, vel aliquod putrefieri, vel putrescere, ita quòd possibilis sit motus, quasi rerum similitudine ad motum putrefactionis dantis è contrario.

16. *An putrefactio sit possibilis?* Ad videndum igitur vtrùm sit possibile fieri putrefactionem, oportet videre si causae eius sint possibiles esse. Vnde Aristoteles imaginatus est aliqualiter remotas causas esse elementa quatuor, & caelum, & postea magis propinquas quatuor qualitates primas, sumendo numerum specierum non aequiualentium, in significando; & istarum vltimarum duas imaginatur actiuas putrefactionis, & duas passiuas, id est, quòd duae, scilicet caliditas & frigiditas, agant putrefactionem, & hoc simul, vel diuisim; & aliae duae sunt tanquam dispositiones, quas requirit materia, scilicet humiditas, & siccitas, vel simul, vel diuisim, ad hoc quòd possint pati putrefactionem, licèt tamen in se qualitates actiuae istae, scilicet humiditas & siccitas, cùm substantia principaliter passa sit putrefactionem, vel alias operationes quaslibet, de quibus in hoc quarto dicit, ad quas sint ista disposita; quia caelum non habens istas, nec aliquam istarum, non potest pati putrefactionem, nec ignis habens solùm siccitatem sine humiditate, vt dicitur in litera.

17. Iuxta quod notandum est, vt opinor cum aliis, quòd nec solùm humidum manens cum pauca humiditate sine aliqua mixtione possit putrefieri, ideò nec aqua, nec terra, nec aër, nisi secundùm partes miscerentur cum siccitatibus, vel humiditatibus, possent putrefieri plus quàm [illegible] loquitur Aristoteles de praemissis, quod sic [illegible] sunt loqui de aliis, vnde dicit in litera, *Quoniam logicaliter dicitur esse putrefactionem in iis, quae secundum partem corrumpuntur cum separentur à natura, propter quod putrescunt omnia excepto igne.* Vnde loquitur ibi de omnibus materiebus secundùm partem in corporibus, & mixtis, & non manentibus in summa simplicitate. Vnde apparet propinquissimam, vel proximam causam materialem putrefactionis esse quandam materiam permixtam habentem humiditatem cum siccitate, & hoc in aliqua proportione Geometrica determinata à natura, vt dicit quidam antiquus Expositor, Henricus nomine, in quaestionibus suis. Et similiter oportet imaginari aliam proportionem qualitatum aliarum primarum actiuarum, vel alterius saltem ad subiectum, sic mixtum habens istas dispositiones; & illis sic existentibus proportionatis debitè fieri putrefactio, non aliàs; & ista demonstratiuè probari difficillimum est. Sed sustineri potest contra arguentes secundùm modum inferiùs dicendum *in secunda parte quaestionis.* Et quòd haec possibilia sint fieri patet, quia non implicat contradictionem, nec repugnat principiis naturalibus, sed quod videbitur in soluendo opposita. & isto modo expressè loquitur Aristoteles, licèt non demonstrauit *in 2. de Generatione*, de proportione qualitatum, & analogia non indiuisibili existente, sed in latitudine quadam.

Istis praemissis, potest esse conclusio responsalis ad quaesitum, haec: quòd putrefactio est possibilis, vel possibile fieri, vel esse putrefactionem, quia omnes causae eius propinquae, & remotae sunt possibiles fieri, & esse: igitur effectus, qui est putrefactio. Consequentia patet ex definitione causae. Antecedens patet ex dictis. Ex quo patet quòd possibile est quòd putrefactio sit de facto, & fuit, quia possibile est eius causá esse & fuisse de facto; igitur & effectum, &c. 18.

ARTICVLVS II.

Quomodo fiat putrefactio?

SEd ne redarguat in processu, dicendo putrefactionem esse possibilem, antequàm exponatur quid nominis, oportet aduertere sequen[illegible] cum praecedentibus, & primò de secunda parte quaestionis est nunc dicendum, scilicet quomodo fiat. Circa hoc dicendum quòd imaginantur Doctores in artibus, & Practici in medicina, accommodantur ab illis, quòd sub aliquo existente humido proportionato cum sicco in aliqua determinata, vel determinabili proportione à natura in tali caliditas quaedam existat, quę ad illud humidum, vel humiditatem secundùm *esse*, habet certam proportionem. Et similiter ad siccum sic quòd sub certa latitudine humiditatis, & [illegible]tis potest caliditas certae latitudinis ad certum tempus conseruari in *esse*, & si vltra illam proportionem veniat humiditas nimis excellendo caliditatem, vel siccitatem, & sic caliditas vincitur, & extinguitur; & è contra à si caliditas nimis excedat latitudinem proportionis dabilis inter ea, tunc consumit humiditatem, & sic per consequens deficiente sibi materia, in qua conseruari debeter, 19.

petit,

perit, & sic si siccitas sit nimia, consimile contingit vel si frigiditas nimis destruat calorem, vel sibi non debite, nec sufficienter resistat ad talem, vel talem operationem, putà vitalem, vel putrefactionem faciendam, tunc velocitatur actio caloris, & consumitur materia, & finitur calor, vel vita, vel alia operatio, quæ istam proportionem taliter, vel taliter habentibus quælibet ad suum *esse* requiruntur ad *conseruari*, vel *produci*.

Et ideò oportet proportionem talem omnino esse eiusdem speciei specialissimæ, putà sesquialteram, vel semper punctuatur sesquitertia, vel æquale ad producibile, sicut ad concipiendum sub certo gradu opinionum, vel ad intendendum, sed sufficit quòd prope illam sit illa, quòd non nimium excedat talem proportionem, vt putà quòd sit proportio centopla, vbi priùs solùm sesquialtera, quia sic si poneretur quando licet existimationem variari nulla scientia, nec æstimatio possit fieri de istis. Et extremum huius ponitur in artibus ab Aristotele, sicut de flamma lampadis, quæ regulatur sub consimili gradu, & flamma æqualis non potest in solo aqueo conseruari, imò & *esse* secundum requirit humidum aëreum, videlicet oleum, & ceram, vel consimile; sed tamen hoc siccum est quoddam proportionaliter se habens in aliqua proportione, vel dispositione certa ad humidum. Vt putà quòd sit in medio, vel habens partem eleuatam vltrà humidum, sicut est lychnus, vel filum, & quòd ad ipsum consimili proportione semper eleuetur humiditas, & in flamma generetur, & sic regulariter continuatur, sed non est ibi proportio caloris, scilicet totius flammæ ad totum humidum sine caliditate, vel cum caliditate sumendo ly *totum*, sed solùm ad partem ascendentem, & nutrientem flammam; & sic de sicco similiter, quantùm ad partem in qua flamma manet; sed talem proportionem oporteret in naturalibus imaginari per totum corpus, sicut de flamma, quia calor quorundam est per totum; & sicut humiditas, siccitas, & etiam frigiditas.

21\. Sed dicunt omnes oportere defectus esse sub *esse* remisso, & de facto sunt ista, sic simul & proportionem habentia; vnde dicitur, si lignum inflammatum totaliter cooperiretur oleo, vel subungeretur, tunc humiditas excederet caliditatem, & sic extingueret; & si lignum esset nimis siccum, & non intinctum oleo, nec actualiter haberet ipsum, tunc flamma deficeret. Similiter si flamma esset multa, & modicum de oleo, citò consumeretur illud modicum, iterum deficeret. Sic imaginandum est in proposito secundùm *esse*, si oleum esset nimis calefactum ab extrinseco, & rarefactum, sic quòd non esset actualiter frigidum, nec temperatum, tunc totum simul sine resistentia posset inflammari per modicam flammam inchoantem, sic accidit in frixatis ex oleo, & similibus; contingit enim totam patellam, & totum oleum inflammari, & citò consumi; ideò requiritur frigiditas resistens calido, & flammæ, ne totum simul inflammetur, & consumatur: & sic est imaginandum in corporibus aliis naturaliter esse frigiditatem, humiditatem, siccitatem, & caliditatem, & sic se habentes, quòd ex ordinatione earum cum certis & debitis circumstantiis, vel proportionibus possint tales, vel tales operationes exercere, & quando fit excessus causabitur aliud.

Sed vlteriùs oportet imaginari ad propositum, videlicet ad hoc quòd fiat putrefactio, quia quando calor extrinsecus, putà aëris, vel ignis, vel Solis, cum calore intrinseco agat in humidum proportionatum sicco, quod humidum rarefit, & exhalat, & siccitas remanet terminabilis, existens termino proprio; & sic quando in solo sicco potest calor remanens propter remotionem materiæ, in qua est humidum, tunc dicitur fieri putrefactio secundùm quod aliqui exponunt Aristotelem. 22.

Sed illud non sufficit, quia combusta non putrescunt, ideò oportet humidum naturale propter actionem caloris interioris, & exterioris, moueatur versùs partes exteriores, & ibi partim resideant, & congregentur dimissis interioribus siccis & frigidis, quia calor naturalis simul motus est ad exteriora cum materia sua, & sic remanens exteriùs est frigidum ex propria sua frigiditate magis augmentata ab exterioribus veniens, & fugiens caliditatem; sed tamen non est omnino statim putrefactio facta secundùm partem siccam siue materiæ in interioribus, sed retinens humiditatem, licèt non sufficientem, ad continuationem vitæ, vel operationis alterius, videlicet digestionis, & conseruationis in *esse* rei secundùm speciem priorem, & sic corrumpitur forma substantialis præcedens, & quasi fit aliqua proportio qualitatum, ad quam consequitur aliqua forma alterius speciei, tunc generatur alia forma vt putà cadaueris, secundùm diuersitatem proportionum qualitatum relictarum, fit diuersitas formarum generabilium ex putrefactis; & sic putrefactio eius quod corrumpitur, est dispositio consequenter, vel alteratio prima ad generationem alterius, & sic ad putrefactionem vnam completam plures concurrunt mutationes in principio motus alterationis, quo calidum interius calefaciens, videlicet exhalatio humidi, vel motus eius ad exteriora putrefactibilis.

23\. Tertiò, exsiccatio, quæ est exhalatio frigida, interioribus, & tunc corruptio substantialis formæ rei putrefactibilis, & postea generatio substantialis formæ alterius speciei. Nec cessat adhuc, saltem vt in pluribus, sed vlteriùs fit exsiccatio extremitatum putrefactibilis, & quasi resolutio ad elementa, videlicet aquam, terram, cineres, & aërem, videlicet vapores, quibus mediantibus fœtor in aëre multiplicatur, vel non sine eis. Et quia omnia putrefactibiles magis ex dominio sunt ex istis tribus, in hæc tria post corruptionem caloris, qui est loco ignis, cessat putrefactio vltimatè, & hæ mutationes quandoque accelerantur, & in breui tempore fiunt, quandoque tardè, & accelerari possunt artis iuuamine, potentiis actiuis, & passiuis applicatis, & sic fit rarefactio putrefactibilis in principio, cùm calor augetur, & corruptio caloris proprij; & in fine circa corruptionem formæ substantialis fit condensatio corporis remanentis propter frigiditatem, & siccitatem, & istis omnibus factis tunc completa est corruptio.

Et iste est motus, quem imaginantur Authores quomodo fiat putrefactio. Et hoc de secundo.

***

ARTICVLVS III.

De proprietatibus, & accidentibus putrefactionis, & de causis earum.

24. SEd nunc de tertio, videlicet proprietatibus, & accidentibus putrefactionis, & causis istarum. Vnde primò accidit calefactio putrefactibilis inordinata, vel innaturalis sibi, quod patet de se per experientiam. Et causa est, quia exterius calidum continens intendit calorem interiorem. Et secundò accidit humefactio putrefactibilis in superficiem: cuius causa est, quia humiditas intrinseca mouetur cum calore interiori ad extremitates & sic ibi humectatur.

Tertiò accidit exsiccatio interioris, & infrigidatio. Cuius causa est, quia ex quo humiditas cum calore recessit, relinquitur siccitas in frigido, quia omnes humores frigidi frigidantes calorem, quæ nunc ad extrema conueniunt.

Quartò, quia infrigidatio est causa quare calor recedit esse in extremitatibus, & exhalat, & tunc frigus obtinet, & infrigidat.

Quintò, exsiccatio extremitatum, quia etiam humiditas sic exterius tracta consumitur faciliter, quia pauca.

Sextò condensatio, quia frigus cum siccitate condensatur; & sic videmus corpora hominum recenter mortua, naturaliter tamen esse materialia, & opaca.

25. Septimò, accidit exsiccatio adhuc maior & dissolutio partium ad inuicem. Causa est, quia humiditas tenet sicca simul in mixto, vt dicitur *in 2. de Generat.* & ita tota consumitur in putrefactis finaliter; igitur diuiduntur partes ab inuicem: & hoc videmus experientia, ideò non possunt corpora Sanctorum integra eleuari, sed ossa solùm; & ideò carnes aliorum, vel cadauera, quæ aliquantulum diu iacuerunt, facillimè franguntur; igitur accidit generatio aliorum quorundam ab ipsis putrefactis, sicut ex visceribus vaccarum mortuarum naturaliter accidit apes generari, & ex visceribus equorum vespas, vt dicit Commentator 2. *Metaph.* & ex cerebro hominum bufones, & ex carnibus alij vermiculi horrendi, & serpentes; & ex caseis putrefactis, si fuerint pingues, fiunt texmæ; ex vestibus tineæ si fiant ex lana, & sic ex materia putrefacta ex ventre hominis viui fiunt quandoque lumbrici, & quandoque alia animalia. Omnium harum generationum causæ sunt diuersæ proportiones qualitatum primarum, ad quas dum venerint putrefactibilia formæ talium animalium generantur, sicut ex mixtione farinæ sufficientis cum aqua fit pasta, vel pulmentum. Et istæ proportiones, quæ sunt, & quales ad plenum fortè ad hominibus nesciuntur, & si scirentur, & sciret quis reducere, vel deducere elementa ad tales proportiones per artem faceret talia animalia, sicut & natura; & ideò multi Alchimistę docent facere regulum, vel basiliscum in vitro per artem, similem illi, qui fit ex ouo galli per naturalem putrefactionem, licèt non tam venenosum.

26. Sed circa istud incidunt dubia, vel quodlibeta.

Dubium 1. Primò, quare ex animalibus putrefactis non generantur alia mixta, putà aurum, vel argentum, vel alia metalla, & hoc cùm plus conueniant metallum & cadauer mortuum, quàm mortuum & viuum?

Et similiter quare non generantur plantæ citiùs quàm animal? Dubium 2.

Et tertiò, quare non generatur vnum continuum ex humore vno continuo, sed plura? Dubium 3.

Et quartò, quare talia animalia in eodem genita habent modicam differentiam in specie, ita quòd videntur quasi eiusdem speciei omnia? Dubium 4.

Et quintò, quare sint tam diuersa in figura, vnum est longum, vt lumbricus, & postea sequitur vnum breue & latum, & post vnum gracile, & postea vnum grossum, & secundùm diuersitatem capitum multum differunt? Dubium 5.

Sextò, quare vt in pluribus ex animalibus putrefactis generatur animal volatile, vt vespę, apes, & non gressibile, cùm tum gressibile sit similius gressibili, quàm gressibile volatili, sicut equus vespis? Dubium 6.

Ad ista dubia potest dici secundùm intentionem Aristotelis, qui intendit completè tractare causam generationis animalium ex putrefactis, 27. Ad 1. & 2. quando dicit quòd innascuntur enim animalia in putrefactis ex eo, quòd disgregans caliditas, cùm nata sit distare, facit disgregata, quia effectus est naturalis, & vult debitam mensuram requisitam ab illo, qui putrescit, & ex proportione eius cum humido requisitâ dimissâ, tunc est proportio istius caloris superflui remanens humidum, & ista est sufficiens ad generationem alicuius animalis mediante virtute cœlesti; & tunc quia natura semper facit quod melius est, ideò desistit ad putrefactionem, & generatur animal; & non amplius disgregat illud humidum, sicut priùs fecit, sed tunc congregat, & miscet humidum cum sicco, & sic recipit calor iste virtutem informantem, sicut virtus in semine, vel calor seminis, & sicut agit animal imperfectum magis frigidum benè ratione caloris facit humidum extrinsecum congregatiuum in pellem, & ad hoc iuuat frigidum exterius comprimens humidum, & tunc disgregando aliquid in humido subtiliori, ipsum digerit, & facit speciem animalis infra pellem, & sic non est contradictio in litera, disgregans constare facit. Et quia primò disgregat, postea constare facit, vel condensat, non simul, nec eodem modo.

Quando quæritur, quare non alia mixta, vt aurum, vel lapides? Causa est, quia ex humido grossiori generantur metalla, quàm plantæ, & plantæ quàm animalia; & animalia imperfecta, quàm perfecta, & in corruptione aliorum remanet etiam humidum subtilius, quàm sit humidum, ex quo plantæ, & metalla; poterit tamen tandem contingere quòd generentur quædam plantæ imperfectæ in putrefactione aquæ stantis, quandoque in superficie contingit, sed rarò contingit hoc, sed sæpe animalia, nunquam metalla, nec lapides. Et non videtur verum quod dicitur, magis est simile aurum mortuo, &c. Etiam dico quòd non quantùm ad principium suæ generationis, licèt illud esse inanimato fuit magis simile, non tamen in aliis: & sic similiter esset difficilius fieri animal, quàm aurum, vel plantam, tamen ex materia taliter disposita faciliùs fit animal, quàm aurum, vel planta. sic patet etiam ad secundum. 28.

Ad tertium, dicitur quòd causa est diuisio humidi contenti à calore putrefaciente. Calor enim putrefaciens, qui est disgregans partem humidi ab 29. Ad 3.

ab alia, & secundum diuersam formam sunt diuersa talia alia facta. Et consimilem causam dat Aristoteles *in libro de animalibus*, quare ex vno semine continuo vnius animalis plures fœtus generantur, vel educuntur. Et intendit quòd est decisio seminis per partes, & hoc per calorem, & si concurrant in aliqua parte, vel non totaliter diuidantur partes, erunt fœtus coniuncti.

Ad 4. Ad quartum, dico quòd causa similitudinis in specie est vniformitas, vel similitudo caloris vbique, & similitudo proportionum; ergo ex qualibet parte simili facta.

Ad 5. Ad quintum, dicitur quòd causa est diuersa dispositio materiæ, & complexio, & diuersitas primarum qualitatum, vnde in alia parte materia est magis commixta, seu calida, & sicca, propter calidum regens in longum, & siccum transit; fit igitur oblongum, & calidum, gracile. Et ex materia flammante frigida, & humida propter frigidum condensans, & humidum dilatans, generatur breue animal, & latum. Et ex materia melancholica propter frigidum condensans, & siccum constringens fit animal breue & gracile, & sic secundùm exigentiam materiæ, & locorum, & influentiarum, figurandi.

Ad 6. Ad sextum, *quare volatile*, dicitur quòd ideò, quia huiusmodi humiditas est subtilis valdè, & ratione sic est humidum seminale in volatilibus; igitur simile illi fit aliquod, putà volatile, sed euolantibus illis remanet materia grossior, quæ inerat.

30. Sed vlteriùs sunt alia accidentia, vnde igitur continuè accidit mutatio colorum putrefactibilium? nam aliqui homines vnius coloris existentes rubicundi, & opimi, facta putrefactione pessimè colorantur. Causa est, quia humiditas accidens ad exteriora, malè disponitur per calorem, & humores colorati quandoque nigredine, si sit nimis fortis; quandoque glaucedine, si non non sit caliditas tanta, & sic de aliis.

Et hæc diuersitas magis apparet in hominibus, & animalibus habentibus cutem, non crinosam, quia crines equorum, vel mortuorum per putrefactionem non possunt colorari faciliter, quia nec humiditas venit ad ipsos crines, nec caliditas. Ideò accidit fœtor putrefactorum ferè omnium, exceptis paucis, musca, & vlceribus, cui contingit in putrefactione redolentia delectabilis, & de rosis, vel floribus, vel de speciebus Apothecarum. Vnde causa primò est de animalibus.

31. *Putrefacta animalia cur fœtent hominibus?* In huiusmodi putrefactis quare olent? quia caliditas putrefaciens causat quandam proportionem cum aliis qualitatibus disconuenientem, dissimilem, & odibilem naturæ humanæ; ideò fumi inde prouenientes olent in conspectu hominum, sed nescio si in conspectu aliorum animalium faciant, quia vultures, & aquilæ satis de fœtoribus cadauerum gaudent, & veniunt de remotis ad coquinam demum calore calefacientis. Sed in aliis, quia sunt proportiones similes, vel conuenientes naturæ humanæ, ideò redolent; ideò experimur quòd confortant vires naturales, & animales.

Quare corpora mortuorũ grauiora sĩt corporibus viuorum. Vndecimò, accidit mutatio ponderis, vel grauitatis. Vnde communiter corpora mortuorum naturaliter sunt grauiora, quàm fuerint cùm vixerunt. Causa est, quia recedente calore, recedit & leuitas, vel illud, quo corpora se sustinebant resistendo grauitati. Similiter humiditas subtilis, & leuis exhalat, ideò remanet terrestre grossum, & compactum, quod est graue.

Duodecimò, accidit quòd quandoque putrefacta corpora animalium sunt venenosa, & plurium in comparatione ad hominem, exceptis esculis, quæ putrefacta magis delectant, & conueniunt. Causa primi est, vt enim dictum est in secundâ proprietate, omnia talia infrigidantur, & sunt naturaliter frigida, & infrigidantia, & contraria vitæ, quæ consistit in calore & humiditate, vt ipsa putrefacta frigida & sicca. Et hoc potest esse causa, quare genita animalia ex putrefactis sunt venenosa, saltem vt in pluribus, & lædunt, quia frigida & sicca comedentes inficiuntur. 32.

Decimotertiò, accidit quibusdam putrefactis luciditas, sic quòd lucent de nocte, sicut patet de quercu, & quibusdam piscibus marinis: & causa est iterum aliqua proportio qualitatum primarum, & vnà cum dispositione speciali à tota specie putrefactibilis ad causandam lucem, & tales virtutes à tota specie apparet in pluribus concurrere ad operationem, vel proprietates prædictas, & virtutes, vel influentias cœlestes.

Decimoquartò, accidit quòd quædam lucentia ante putrefactionem; sicut oculi catorum, & luporum, & canum, & nocturnarum bestiolarum corpora, vel ventres non lucent amplius post mortem, & putrefactionem, quia similis est causa sicut iam in 13. proposito dicebatur.

Decimoquintò, accidit in quibusdam putrefactis viscositas, & nigra conglutinatio partium, sicut sæpè contingit de vino debili, quod propter corruptionem caloris, & euaporationem humidi subtilis efficitur ita viscosum, & miserrimum est homini, propter infrigidationem, & viscositatem est malè digestibile. Sed tamen illud videtur benè ad aliqua alia facienda, putà ad faciendum aquam vitæ, & vinum terminale, quod est satis charum, & ideò qui haberet mysteria posset malo vti benè, & vinitor non debet effundere. 35.

Ex his patet quòd omnis putrefactio, vel ferè omnis talis causat malum, licèt quandoque per accidens, & per adiutorium causat bonum. Et hæc sunt accidentia, & proprietates, contingentia putrefactioni, cum causis suis. Et secundùm hoc in quæstione ostendendum quòd accipitur pro nunc breuiter transcurrendo, & fortè aliàs aliqua alia addentur.

Sed quia iam visum est de malis quæ contingunt per putrefactionem, Aristoteles in litera loquitur de quibusdam impedimentis eius, ideò etiam de impedientibus putrefactionem, secundùm eius effectus, vel proprietates malas est dicendum. Vnde Aristoteles ponit quinque solùm impedimenta, vel remedia, quæ tacta sunt, scilicet frigiditas continentis impedit, quia videmus per experientiam quòd hyeme putrefactibilia putrescunt minùs quàm in æstate, & corpora mistorum in locis calidis citiùs putrescunt quàm in frigidis. Et causa huius est, quia frigiditas continentis restringit poros putrefactibilis, vt caliditas propria in eo diutiùs conseruatur. 34.

Secundum remedium impediens ipsam, est congelatio, vel coagulatio putrefactibilis. Probatur, quia congelationes quando sunt, tunc manet causa conseruationis congelati, quia quamdiu superficies, & consimilia congelata, tunc non potest caliditas, & humiditas propria exire, nec euaporare.

Tertium remedium est feruens calidiuas, & humiditas actualis, & virtualis putrefacta Causa est, quia feruens caliditas non permittit frigiditatem propriam superare caliditatem. & etiam non potest in feruenti caliditate humiditas se extrahere ad exteriora, nec calor similiter, quia nulla causa esset quare magis vno tempore, quàm alio, ex quo magis superesset calidum. Et dicunt Authores quòd feruens caliditas interius resistit exteriori caliditati, & non permittit educi humidum sibi proprium, & ideò imaginantur per caliditatem complexionalem propriam mixtam omnem resistentiam caliditatis extrinsecæ, vel exterioris, quæ non est complexionalis.

35. Quartum impedimentum est motus, & fluxus; mota enim & fluentia minimè putrescunt, quia per motum excitatur calor intrà in sua naturalitate, ita quòd diffundit se per partes mixti, & ita fortiùs resistit calori extrà nitenti per suam naturalem dispositionem. Et motus impedit humiditatem moueri ad exteriora. Tanta diuersitas, & varia causa fit saltem in fluentibus, quòd quandoque interiora fiunt exteriora, & è contrario.

Quintum impedimentum est multitudo: vnde multa in continuo non in distincto plus resistit, quàm in pauco, cæteris paribus. Magnitudo rei præseruat eam à putrefactione; igitur totum mare non putrescit, nisi diuideretur in partes, & similiter est de aliis.

36. Ista quinque quandoque dicuntur impedimenta putrefactionis, & per se impedientia ipsam; sic sunt istæ quinque. Igitur benè solebant expositores dare sufficientiam istorum impedimentorum, esse omne impediens contrarium; sic est frigiditas; & hoc dicunt impedimentum, resistendo, quia aut est extrà in continente putrefactibile, vel intra ipsum; si extrà, tunc est primum, quia tempore frigido minùs; si sit intra existens frigiditas, sic est impedimentum, sed quia coagulata frigida, vt metalla, non citò putrescunt, quia frigus coagulans contrahit poros comprimendo calidum intra se, vt non exeat. Sed si impediens, vel resistens, sit simile putrefacienti, sic est caliditas resistens caliditati exteriori; & hoc ideò, quia caliditas naturalis sub ratione quadam fortiùs impedit, & secundùm diuersitatem fortiùs contingunt. Alia causa; quia aut fortitudo est in illa caliditate propter eius acutiem ex naturali complexione rei, aut ex alio accidente extrinseco excitante ipsam, aut ex quantitate sui subiecti, quia in maiori corpore, cæteris paribus, est maior virtus. Si primo modo istorum, sic est tertium impedimentum, videlicet feruens caliditas rei à naturali complexione, sicut in pipere. Si verò secundo modo, tunc est quartum impedimentum; secundùm quod motum & fluens minimè putrescunt, quia motu excitato calor naturalis intrat; sed si tertio modo, tunc est quintum impedimentum, sed quia multum pauco minùs putrescit, & non est aliud medium reperibile expertæ rei.

37. *Balsamum, myrrha, & aloë impediunt putrefactionem.* Sed nota quòd tria sunt adhuc alia præter ista, quæ impediunt putrefactionem, vt balsamum, myrrha, & aloë; sed ista non per se impediunt, nec immediatè resistendo caliditati, vel putrefactioni, sed mediante quadam alia operatione. Ista enim vehementer exsiccant, sic quod per exsiccationem contrahunt extremitates corporum, quibus applicantur, & claudunt poros eorum omnes, sic quòd humiditas, quæ est intra, non potest exire, ideò remanet, & non putrescit, & ideò talia corpora apparent sicca, irrugata, durata, & compacta, & sic hoc est per exsiccationem, & fortè à tota specie illarum rerum, modo quo discernunt medici tempore necessitatis. Sed si quæ alia sint præter influentias cœlestes in quibusdam locis terræ, vbi putrefactio nulla fit per virtutes lapidum speciales, & verborum, sicut narratur de corporibus excommunicatis, hæc non sunt secundùm naturam consuetam, sed saltem quoad vltimum supernaturaliter.

38. *Sal impedit putrefactionem.* Sed adhuc est aliud remedium, vel impediens putrefactionem, vt salsata; videlicet sal, & condimenta sallita. Et hoc ad experientiam videmus, quia carnes sallitæ non putrescunt, quia sal est calidum & siccum, ideò ratione siccitatis consumit humiditatem in exterioribus, & poros condensat, & claudit, ne humiditas interior possit exire, & sic non putrescunt talia. Et consimilis causa est quare fumus iuuat diutiùs durare carnes salsatas priùs, quia vehementer exsiccat. Item, videmus aquam conseruari à putrefactione, si sit congelata, & posita in fimo profundo, sicut etiam videmus glacies in melle, pruina, vel terusa posita in melle, vel aceto, causat durare vltra tempus naturale suæ durationis, videlicet ad medium hyemis à medio æstatis, & pedes porcorum cocti, & compositum coctum durat per annum, & vltrà, posita in aqua salsa, vel acetosa. Etiam pisces quidam, qui vocantur *stipicia*, siue *salsa*, exsiccati, durant tamen per valde longa tempora, & non putrescunt. Item, ficus, & vuæ passæ, vel racemi. Et omnium istarum experientiarum causas reddere propinquissimas, & maximè superiores, longum esset, & difficillimum.

Sed ex prædictis habentur, vel haberi possunt generales causæ omnium istarum, & sufficit quantùm ad scientiam huius libri.

ARTICVLVS IV.

De definitione, & descriptione putrefactionis.

NVnc dicitur ad quartum, quæ sit definitio, vel descriptio putrefactionis, vnde potiùs danda est eiusdem descriptio, quàm definitio dicens quid rei, eò fortè quòd non vna res, nec plures res vnà verè, & propriè, & per se consistentes sunt putrefactio: nec enim calefactio Solis, nec caliditas, nec frigefactio, nec frigiditas, nec condensatio, nec densitas, nec rarefactio, nec etiam generatio substantialis, nec corruptio est putrefactio, sed sicut dictum est in secunda parte quæstionis, plurima requiruntur ad putrefactionem, puta plures mutationes, quarum nulla sola esset putrefactio, sed benè omnes simul aggregatæ cum ordine priùs dicto, & modò dicitur putrefactio, sicut ibi solet communiter dici de augmentatione propriè dicta, quòd non sit vnus solus motus, vel mutatio, sed plures, & adhuc magis diuersè dicitur putrefactio quàm augmentatio. 39.

40. *Putrefactionis non est definitio.* Ex quibus patet ista conclusio prima, quòd putrefactionis non est danda definitio *quid rei*. Probatur, quia nil est definitio *quid rei* putrefactionis; igitur nulla est est definitio *quid rei*. Consequentia patet, & antecedens ex iam dictis.

Est descriptio. Secunda conclusio, putrefactionis est danda

descri

descriptio, vel *quid nominis*. Hoc patet, quia explicari per orationem *quid*, & *qualiter*, hoc putrefactio signat; igitur, &c. Consequentia patet. Antecedens declaratur prius.

Putrefactio quid. Tertia conclusio, quòd potest describi sicut Aristoteles ipsam describit, sic, quòd *est corruptio caliditatis propria in humiditate propria à caliditate aliena, vel frigiditate aliena*. Et hæc descriptio patet ex prædictis. Sed nota, quòd fortè non est sufficiens descriptio, & conuertibiliter se habens cum descripto, quia multoties corrumpitur caliditas propria à caliditate aliena in humiditate suâ, siue putrefactione, sicut patet de flammâ lampadis, adueniente magno igne, & consumente aliquando totum, non tamen fit putrefactio. Ideò oportet multa apponi, videlicet quòd putrefactio est plures mutationes, inter quas est corruptio caliditatis propriæ in humiditate, & caliditate alienâ actiuè proueniens ex qualitatibus primis actiuis, & passiuis, nunquam à dispositionibus subiecti, à qualitatibus primis passiuis, vel primis æquiualentibus. Et est prima ad corruptionem formæ mixti in parte, & similiter ad generationem alterius mixti, & sequans etiam generationem mixti alterius elementi. Et sicut ex dictis priùs omnia simul comparando, potes accipere quid sit putrefactio, & quot mutationes, & quales simul aggregatæ debent dici putrefactio, & quales non. Potest etiam addi, quòd est corruptio naturalis, non violenta. Vnde Aristoteles opinatur combustionem esse violentam, & occisionem, & similia.

41. Sed dum aliquod procedit secundùm naturalem processum ad corruptionem, dicitur putrefactio naturalis. Vnde *naturaliter* dicitur vno modo, prout distinguitur contra voluntatem, vt inclinatio dicitur naturalis, sed persecutio volitionis dicitur violenta. Alio modo dicitur *naturale*, vt distinguitur contra *artificiale*, & sic dicimus plantas fieri naturaliter, sed arcas, vel domus, artificialiter.

Tertio modo dicitur *naturale*, vt distinguitur contrà *violentum*, sicut dicimus quòd motus grauis deorsum est naturalis, sed sursum est violentus; modò ad propositum, putrefactio est motus naturalis isto tertio modo. Vnde naturalis transpositio est, quæ fit à principio intrinseco passo conferente vim. Sed violenta, quæ fit à principio extrinseco passo non transeunte vim. Et ad propositum, putrefactio est motus naturalis, eò quòd passo confert vim, quia naturaliter ratione materiæ appetit formam aliquam, & per qualitates actiuas & passiuas est dispositum subiectum ad putrefactionem, licèt tamen ipsis resistat. Certum etiam est voluntarium, & artificiale, & licèt impropriè, esse naturale modis oppositis istis, & hoc de quarto est dicendum. In quintò sufficiunt.

42. Et ex istis omnibus patet responsio ad quæstionem, *Vtrum putrefactio sit possibilis*, at dictum est in primâ parte quæstionis quòd sic. Sed aduertendum est hic in hoc quarto articulo quæstionis, & primò, quòd in hoc quarto sumitur hoc nomen *putrefactio*, valdè strictè, quando dicitur quòd nil sit, vel aliquid potest esse putrefactio propriè loquendo, quod sit per se vnum, sed in primo sumitur largè, ac si diceremus quòd exercitus subiectorum, & actuum est possibilis, & sic putrefactio est possibilis, id est, cumulus, & aggregatio subiectorum, & accidentium, est possibilis, vel mutationum substantialium, & accidentalium secundùm ordinem quendam, & modum prius dictum, est possibilis tantùm, cùm iste sit cumulus, vel est, vel sit ens, tamen plura sunt; & respondetur quòd possibile est aliquid putrefieri, id est, subiectum, addendo tales mutationes substantiales, & accidentales secundùm ordinem putrefactionem potest recipere.

Ad rationes principales. Ad primam, *quando corruptio caliditatis*, &c. Conceditur antecedens; si non sit aliquod mixtum cum caliditate, in quod aliud mixtum agat, & sic ipsum disponat, vel distrahat, quòd amplius calor non potest permanere in subiecto. Modò sic contingit in subiecto, quia subiectum indisponitur, quia rarefit, & humidum, in quo conseruari debet, consumitur calore exteriori, & sic desinit calor, quia non habet subiectum. Et etiam benè potest concordari quòd caliditas extrinseca, scilicet, & intrinseca sunt diuersæ speciei, capiendo intrinsecum pro potentiali, vel virtuali caliditate extrinsecè pro actuali; sicut caliditas quâ potest piper calefacere, specificè differt à caliditate ignis actuali. Nec sequitur quòd vni sint duæ contrariæ æquè, quia actualis virtuali caliditati non contrariatur, sicut frigiditati accidentali. Sed benè actualis alterat subiectum, & indisponit, ne detineat virtualem qualitatem formam mixti, vel elementi. Item, non sequitur quòd sint qualitates primò, quia formæ istæ actuarent virtuales qualitates, quæ sunt primæ in elementis, quia magis inseparabiles, & tam ex aliorum sensibilium, sicut patet de aqua calefacta, cuius frigiditas est deleta, sed remanet inseparabilis frigiditas virtualis, sicut imaginandum est de aliis qualitatibus. 45. *Ad argum. 1. principale.*

Sed ad aliam improbationem de mixtione, quæ videtur fuisse contra istam rationem, cùm dicitur, *nec videtur*, &c. *quia in frigido tempore quando aer esset frigidior homine*, &c dicitur quòd non sequitur. Et causa est, vt prima, non solùm imaginandum est caliditatem exteriorem medij continentis esse causam talis consumptionis immediatam, sed quandoque humores mali, & similiter calefacti, qui sunt sparsi per totum corpus, sunt causa eius consumptionis, & frigus aëris, vel medij continentis per antiperistasin cum adiutorio frigoris interioris, ita quòd inchoatiuè est ab exteriori calido, & illud calidum exterius quandoque est calidum innaturale humorum, qui non sunt pars compositi, qui dicuntur extra humidum radicale, in quo est naturalis calor: igitur in hyeme homines possunt infirmari, & putrefieri, dato quòd aër exterior sit frigidior; & similiter membra hominum, & cadauera mortuorum in terris posita; & sic similiter circa membra compeditorum, nam propter constrictionem circa loca compedum fit læsio vehemens, quare natura mittit de sanguine multum ad iuuandum partes læsas, & sic esset in locis illis calor maior, quàm natura membri requirit, & tunc frigus circumstans, & per humiditatem aquæ frigidæ, intenditur calor, & fit maior per antiperistasim, & ipsâ existente maiore consumit materiam naturalis caloris, & complexionis membri, & sic fit ibi statim putrefactio. Sed ad aliam confirmationem antecedentis, ad probandum dato quòd calor sit cum humido, & consumpto humido, adhuc melius debet manere. Cùm dicitur, si calor etiam remanens materia sicca manet, sed in siccis aptissimè conseruatur calor. Dicitur quòd aliquis 44.

calor in aliquibus ſiccis optimè poteſt conſeruari, ſed non omnino in omni ſicco, nec in propoſito calor naturalis poteſt in ſicco reſeruari humido ſibi propoſito, quod requirit ad ſuum eſt conſumpto: vnde flamma manens aliquantulum diu, non poteſt in ſolis cineribus, ſine humido ſeruari, vt per experientiam videmus.

45. Ad ſecundam, *putrefactio non eſt*, &c. Dicitur negando conſequentiam, ſumendo largè hoc nomen *putrefactio*, ſecundùm quòd dictum eſt priùs, vt in ſecundo articulo viſum eſt, & in ipſo acceptum ſic eſt. Ad probationem, quia non alicuius ſpeciei motus, & oportet eſſe motum aliquem, non eſt poſſibile eſſe, ſicut vniuerſale eſt aliquid. Dicitur quòd non eſt poſſibile eſſe aliquod vnum, ſed poſſunt eſſe plures, vel plura, & poſſunt ſimul ſic vocari, & ſic eſt in propoſito, quòd plures mutationes diuerſorum generum dicuntur putrefactio.

Aliter poteſt dici, negando antecedens, quòd non ſit alicuius ſpeciei mutationis, quia eſt generatio, corruptio, & exſiccatio, & ſic de multis ſimul, licèt tamen propriè loquendo tot ſimul non ſint vna ſpecies motus.

Sed ad probationes antecedentis. Omnes probationes antecedentis vadunt ad hoc, quòd non ſit vna ſola ſpecies mutationis, ſed tamen probationes procedunt probando quòd non ſit partialiter generatio. ſic videtur quòd putrefactio requirit motum localem, & quòd requirat corruptionem. Et ideò oportet dicere ad probationes. vnde quando probatur quòd non eſt motus localis, quia iſta impedit. Dicitur quòd aliquis impedit, & alius iuuat, & non impedit; vnde motus localis totius putrefactionis ſit, quòd partes ab inuicem ſeparentur, & non quieſcant ſimul continuè, nec illud agens in ipſam poſſit manere, ſed diuerſa talis impedit putrefactionem, vt allegatum eſt ex litera, vt dictum fuit de aquis concurrentibus; ſed motus localis humidi, vel humidorum interiorum ad exteriora propter actionem caliditatis extrinſecæ, iſte iuuat ad putrefactionem, & non impedit. Sed quòd neceſſarium tunc ſit dare maximum, qui iuuat putrefactionem, vel minimum localem motum, qui non iuuat, eſſet vna alia imperius difficultas.

46. Ad aliam probationem, quòd nec ſit motus generationis, quia eſt corruptio. Dicitur quòd eſt generatio, quia requirit generationem vnius formæ, & eſt corruptio alterius præcedentis, vel requirit. Et quando dicitur, *eſt productio ſubſtantia*, &c. cùm dicitur, quòd *talis non ſit putrefactio, quia aliàs omninò generatio eſſet putrefactio*, &c. Negatur conſequentia. Et quando dicitur, *non magis vna, quam alia*. Dicitur quòd imò, quia requirit plures generationes ſecundùm ordinem, quæ tamen genera non dicuntur putrefactio, & non omnis generatio eſt talis, nec cum tot, nec talibus mutationibus. Et cùm dicitur, *in naturali materia*; conceditur, & ſic tum videlicet vel non differt multum, quamuis ſi hæc generatio ſit putrefactio demonſtrata generatione cadaueris in corpore naturali hominis, quòd omnis generatio talis cum talibus mutationibus præcedentibus, & ſubſequentibus eſt, aliàs non; & ſic omne generatum tale eſt putrefactiuum ex materia putrefacta. Ad probationem aliam, quòd non eſt corruptio, quia ſimiliter arguitur ſicut argutum eſt, & tunc ſimiliter ſoluitur.

47. Ad aliam confirmationem, quòd *corruptio vnius*, &c. Conceditur exponendo ſic; quòd corruptio præcedit generationem alterius. Ad aliam, *maxime eſſet corruptio caliditatis in humido proprio accedente alieno*, &c. conceditur. Ad improbationem, *quia proprium dicitur inſeparabile*, conceditur; igitur caliditas propriè ſumitur hic pro naturali, & non pro propriè proprio, & ſi pro propriè proprio, tunc ſimul conſumitur humiditas, & caliditas, ſicut homo & riſibile, & non remanet vnum alio corrupto. & hoc in debita & naturali diſpoſitione. Ad aliam confirmationem, *qua eſt fortior caliditas proprij*, &c. *igitur ſi contrariatur*; negatur iſta conſequentia, quia multa ad inuicem agunt non contraria, & non omnino diſparata agunt. Vnde oportet imaginari quandam latitudinem caliditatis naturalis ad humidum naturale, vel habentem amicitiam, & naturalem inclinationem ratione, ſicut ferrum ſe habet ad magnetem, vel è contrario, ratione cuius humiditatis, & amicitiæ agunt ad inuicem, & durant per tempus. & quando dicitur quòd non corrumpitur ab aliena caliditate, quòd ſic oporteret concedere actionem caliditatis, & humiditatis ad inuicem. Conceditur illud ſecundùm modum iam dictum. Quando dicitur, *pars forma omnium non contrariarum*, &c. Negatur, quia non omnia habent talem occultam violentiam, vel conuenientiam, & inclinationem naturalem. Et quando dicitur, *tunc aer naturaliter ſeipſum deſtrueret*. Negatur conſequentia, & fortè cauſa eſt, quia talem virtutem naturalem ſibi ſuperadditam non habent, quare agant talem naturalem potentiam. Et benè volo quòd ſic dicere, eſt quaſi deuiare; ſed non benè apparet aliter eſſe dicendum, & ſufficit in naturalibus tantùm fides, quòd non poſſit nimis experto improbari. Et quando dicitur quòd *eſt contra experientiam, quia calor in humido conſeruatur*. Conceditur ad tempus, & non perpetuè. Et quando dicitur, *humidum a calido augetur*. Conceditur quantùm ad extenſionem ſubiecti, & ad tempus, & poſtea minuitur, & reſoluitur calore remanente.

Ad probationem aliam, ſi agit in quantum agit tam ſine extrinſeco, quàm ſine intrinſeco, tunc eſt proportio potentiæ caliditatis, &c. conceditur. Ad improbationem, *tunc humana*, &c. Conceditur conſequentia, & conſequens. Ad improbationem falſitatis, quia ſpecies diuerſæ, quæ diuerſas habent periodos, diuerſas habent proportiones, & non ſecundùm eaſdem caloris ad humiditatem. 48.

Et quando dicitur, *ſi ſic, tunc calor modicus in multa humiditate non eſt multum durabilis, vel durabilior magno calore in modico humido*. Ad hoc dicitur quòd ſi cætera eſſent paria, ſic eſſet quòd calor modicus cum humido multo diutiùs duraret, quàm multus calor cum modico. Et quando dicitur quòd *modicus calor cum multa humiditate non eſſet durabilior*, &c. Negatur conſequentia, ſi benè proportionetur, & applicetur calor humiditati. Et ſi probaſſes conſequentiam ex hoc, quòd proportio modici caloris ad multam humiditatem eſſet modica, &c. Conceditur, quia ex hoc ſequitur potiùs quòd ſit durabilior, quàm ſit minùs durabilis propter debilitatem actionis, & tarditatem. Et quando dicitur contra illud, *quia tunc oporteret fieri actionem in proportione minoris inæqualitatis*, &c. Negatur conſequentia.

Ad probationem, *magna humiditas cum pauco calore habet proportionem minoris inæqualitatis, vel* 49.

vel æqualitatis calidi ad humidum; dicitur quòd non, sed semper est proportio maioris inæqualitatis, vt dictum est in arguendo, quia calor dicitur paucus in comparatione ad alium, non in comparatione ad resistentiam humiditatis. Et quando dicitur quòd *tunc non esset simile de flammà lampadis modicà, & oleo multo*; conceditur quòd non est omninò simile, quia diuersitas est in eo, quòd calor flammæ non agit in quantamcunque partem olei, nec quælibet pars olei resistit sibi, sed solùm in aliquam partem, super quam dominatur, & quæ resistit, &c.

Et quando dicitur *humidum olei sufficienter dominatur super caliditatẽ*. Dicitur quòd verũ esset, si totum proportionetur ad totum, modò sic non est Et quando dicitur, *Calor quandoque sic superatur ab humido*, &c. Concedatur, & tunc ampliùs non fit actio caloris, licèt resistat ad tempus, vt citò desinat.

50. Ad aliam confirmationem, *Aër habens magnam caliditatem, & siccitatem est durabior*, &c. Dicitur quòd nõ, vbi humiditas superat aliquam caliditatem, & putrescere facit, & tunc non est durabior, sed durante calore, & non superato esset aër durabior cum humiditate, quàm sine illa, & maximè cum humiditate virtuali. Item, quando dicitur, *ignis sine omni humiditate durat semper*. Dicitur quòd nullus est talis ignis, & si aliquis durat diu, dicitur quòd est naturalis dispositio sua caloris actualis, & elementaris cum siccitate, & sine humiditate. Sed alius est calor mixtior virtualis, vt priùs dictum est. Et quando dicitur quòd *non sit augmentatio, nec diminutio, nec alteratio*, conceditur, licèt requirat ad *esse* suum alterationes plures, &c. Quando igitur dicitur quòd *non est aliqua species*, &c. Conceditur secundùm modũ priùs dictum in principio solutionis huius. Et quando dicitur, *nec est non mutatio*. Prima consequentia non videtur, quia sufficeret quòd essent plures mutationes, & non esset mutatio cum ex hoc, &c. Secunda non videtur, si ista non est mutatio, ponatur æquiualere huic affirmationi, est mutatio, quia certè ista est falsa propriè loquendo, vt ostensum est.

51. Ad tertiam rationem principalem, *si sit*, &c. *sub*
Ad 3. *aliquo, igitur est possibile*. Conceditur consequentia; & consequens. & quando dicitur, *eadem ratione sub vno, igitur*, &c. Conceditur. Et quando dicitur quòd *hoc est falsum, quia possit aliquod sub gradu summo putrefieri*; dicitur quòd imò, exponendo superlatiuum, quòd nullus eo sit maior, licèt multi æquales, sed negatiuè, non affirmatiuè. Et quando dicitur, *quantumcunque sit aliquod putrefactum sub maiori potest*, &c. Esto quòd hoc sit verum, ex hoc non sequitur quòd nullus sit summus, nec possit esse summus gradus putrefactionis. Et quando probatur quòd actio caloris & frigiditatis non terminatur ad maximum quod potest; dicitur quòd imò, cum certis circumstantiis limitatis; sed sine limitatione certarum circumstantiarum non terminatur ad maximum. Et ad improbationem, quando arguitur contra hoc quod dictum est, scil. quòd non est summus gradus, quo non potest esse intensior, licèt sit summus gradus, quo nullus est intensior; cùm arguitur sic: *affirmatiuè*, &c. admittatur.

52. Et quando dicitur, *Vel igitur illud quod putrescit à gradu putrefactionis, est subitò summè putrefactum*. Dicitur quòd gradus putrefactionis potest sumi, vel pro qualitate, & dispositione aggregata, quâ aliquod dicitur esse summè putrefactum; vel pro gradu actus, & actionis succedente imaginatione non existente. Iste qualitates, vel dispositiones requirit; & licèt eadem sit res, tamen aliter signatur per istos terminos *gradus actus*, vel *actio*, & aliter per istos *gradus dispositionis acquisibilis*, vel *acquisita per actum, vel gradus actus*; & si aliter imaginetur gradum summum caliditatis, & aliter gradum inductionis gradus summi caliditatis, & aliter speciem intelligibilem, & aliter actum intelligendi, qui tamen est realiter idem in specie secundùm communiter loquentes. Tunc dicitur, si sumitur pro gradu primo modo, tunc dicitur quòd illud summè putrefactum non est subitò putrefactum, sed successiuè; licet enim subitò, & in instanti habeat primum *esse* completum & perfectum secundùm totum, vel datam partem; non tamen ex hoc sequitur quòd motus fiat in instanti. Sed si sumitur gradus secundo modo, tunc dicitur quòd successiuè adhuc tam propter partes, quàm etiam propter partes actionis successiuæ, quæ in subiecto indiuisibili successiuè fieret.

Et quando dicitur contrà, *tunc cum continuè putrescit illud, magis, & magis gradus ille, quo putrescit intenditur continuè, & per consequens nunquam erat summus*, &c. Dicitur quòd non intenditur gradus secundo modo sumendo, licèt intendatur primo modo sumendo. nec diceretur intendi secundo modo, sic inæquali gradu alterationis continuè aliquid efficitur calidius, & calidius. Et quando dicitur quòd nunquam erat summus. Dicitur quòd continuè erat summus, sumendo secundo modo, & non est simile sicut dicitur ibi, si aliquod mouetur continuè intendendo motũ suũ, & quòd continuè intentiori gradu moueatur, sed illud æquè intento gradu alterationis. Sed cùm continuè qualitas, vel dispositio acquisita dicitur intensior, vt dicitur, sicut valdè tardè posset dici aliquod calefieri, licèt tamen istâ calefactione fieret maximè calidum, sicut verbi gratiâ, sit *D* aliquod calidum per totum vniuersaliter citra gradum summum, & calefiat à gradu *B* calefactionis, sic quòd infrà annum tali gradu fiat summum, tunc caliditas esset summa; sed calefactio non diceretur summa, vel non diceretur summus actus calefaciendi, quia intensior esset, quo in die aliquod esset calefactum in summo. Sic in proposito est imaginandum, licèt non omninò similiter, quia putrefactio non est vna mutatio sola, vt dictum est sæpè. 53.

Ad quartum principale. *Putrefactio est possibilis, igitur est corruptio*. Conceditur consequentia, 54. Ad 4.
& consequens, capiendo *corruptionem* largè pro destructione qualitatis, vel alterius dispositionis cuiuscunque plurium, & sic putrefacta possunt dici corrupta pari forma in qualitatibus solùm, sed non semper substantialiter; & sic contingit de cancris, & anguillis: & fortè quòd aliquæ partes talium putrescunt, & aliæ manent viuæ, in quibus cor, vel proportionabile loco cordis est, & vita. & quando dicitur quòd *consequens est falsum ex eo quòd est generatio, & sic non corruptio*. Dicitur quòd diuersimodè est generatio, & diuersimodè corruptio. Vnius corruptio est generatio alterius, & hoc satis est expositum priùs.

Ad quintam, *si possibile*, &c. Dicitur quòd non est naturalis corruptio, vt priùs dictum fuit ante solutionem rationum. Ad improbationem, non est à principio intrinseco, sed extrinseco, quia in Ad 5.

omnibus

omnibus passis, siue dispositionibus conferi vim, & iuuat agens, licèt aliquæ eius dispositiones resistant, aliquæ tamen non resistunt, sed iuuant, quia intenduntur, & perficiuntur, & sic ab illis aliquam appetunt naturaliter, licèt forma patiatur vim.

55. Et quando dicitur vlteriùs, *combustio non est naturalis, & sic nec putrefactio.* Negatur consequentia. Ad improbationem, *sunt ad eundem terminum*, dicitur quòd hoc est valdè difficile, quia putrefactio potest fieri, sicut dictum est, sed combustio nullatenus fit per extractionem humidi intrinseci, & per incinerationem partium interiorum, imò extremitates cumbustorum incinerantur, & humiditates ad inferiora repelluntur, & indurantur; sed aliter est de putrefactis. Et quando Incidenter tangitur ibi quòd *combustio esset naturalis, & non violenta, quia velocior in fine quàm in principio.* Dicitur quòd hoc non est semper verum, nisi ratione accidentalium conditionum, videlicet si subiectum meliùs disponatur ad combustionem, aliàs non; sic potest quidam motus violentus in factu sic intendi. Et Aristoteles loquitur etiam de conditione illa motus naturalis quòd sit intensior in facto de motu locali naturali, & non de quolibet ad non gradum.

Et quando dicitur, *combustio fit a principio intrinseco passo conferente vim*; dicitur quòd ad hoc non sufficit sola inclinatio materiæ, sed requiruntur formæ, & inclinationes naturales, quantùm est ex parte subiecti combustibilis; & tales non sunt sicut in combustione, saltem non omnino similiter, sicut in putrefactione.

56. Ad 6. Ad sextam, *si putrefactio est possibilis, cùm omnis transpositio possibilis possit habere impedimenta, vel iuuamenta; sic foret de putrefactione. sed hoc falsum esset*, &c. Dicitur quòd imò, habet impedimenta multa, sicut dictum fuit priùs. Sed quando probatur, admittatur processus totus vsque dum dicitur; *frigiditas non impedit, quia frigiditas intrinseca causat putrefactionem*, &c. Ad modum tactum iudicandum ex litera Aristotelis. Sed cùm dicitur contra hoc, *quia videmus fructus arboris totius putrefieri, quando fuerit infrigidatio aeris circundantis, ibi illa frigiditas extrinseca iuuat.* Dicitur quòd benè iuuat quandiu est, & non condensauit, & alterauit, quia post istam condensationem, & alterationem citiùs putrescit, & est magis disposita ad alterationem, ideò iuuat, & impedit diuersimodè, tamen in diuersis temporibus

Sed cùm dicitur, *si frigiditas continentis*, &c. *frumenta tunc sata in terra* &c. Dicitur quòd illa diutiùs durarent, si sola esset frigiditas; sed quia sunt multa alia, videlicet calor intrinsecus, qui frigiditate extrinseca repercutitur, & humiditas istorum corporum facit magnas operationes, quas non facerent in aëre raro circumstante, ideò putrescunt in terris, & similiter superuenit pluuia, & multum operans, & aër in terra inclusus, & exhalationes causant putrefactionem talem in terra.

57. Ad aliud, cùm dicitur, *tunc semina in custodiendo diutiùs*, &c. Causa est, quia humiditas potest exhalare, & exire, & alius aër recens subintrare, ideò non putrescunt in alto. In basso, & suprà terram in solatio, & in camera putrescunt propter oppositas etiam causas, & maximè propter siccitatem, quæ præseruat à putrefactione.

Ad aliud, quandu dicitur quòd *nec congelatio quòd corpora mortuorum sunt coagulata, & humores in illis, & tamen*, &c. Dicitur quòd quandiu essent congelata propriè non putrefierent, sed non sunt congelata licèt fuerint coagulata propter humores mixtos sanguine. Et satis differunt coagulatio, & congelatio, quia coagulatio potest fieri à calido, & congelatio solùm à frigido. Adhuc tamen coagulatio iuuat contra putrefactionem, quia condensat, & non permittit penetrare actionem caloris æquè faciliter sicut in principio, & sic humiditas non potest extrahi & caliditas propria non tam citò consumi; sed tamen corpora mortuorum post modicam coagulationem frigiditate intrinseca agente, & calorem expellente cum humido, in quo facit exsiccationem in interioribus, & per consequens finaliter putrefactionem, & hoc in terra, propter exhalationes inclusas in terra aperientes poros corporum, & extrahentes humidum ad exteriora; & sic verum esset quòd si terra esset nimis frigida, & multæ exhalationes calidæ in concauitatibus terræ essent, corpora mortuorum diutiùs ibi durarent: & in aliis locis opposito modo se habentibus citò consumuntur, tamen sine combustione. Similiter dicitur de congelatione fructuum, sicut priùs de infrigidatione dicebatur.

58. Ad aliud, quando dicitur; *congelatio est causa quietis, igitur causa iuuans putrefactionem, quia motus impedit*, &c. Dicitur quòd congelatio aliqua est causa quietis alicuius ab aliqua specie motus, sed non est causa quietis simpliciter; quia quod congelatur alteratur semper, & sic condensatur, at motu locali, licèt non augeatur, nec extendatur. Etiam posset negari, quia est causa quietis, igitur est causa iuuans putrefactionem, & non impediens: quia quandoque res impedit putrefactionem, sic si mare maneat simul diuisum quiescens, non potest putrefieri totum; igitur impeditur quiete à putrefactione. Et quando dicitur vlteriùs probando quòd *congelatio est causa quietis, quia motus impedit*; dicitur quòd motus aliquis impedit congelationem, sed alius iuuat. vnde si partiatur aqua calefacta per aërem frigidum, citiùs congelaretur, quàm si staret in luco vno, & sic quies illa aquæ stantis non iuuat, sed impedit congelationem, licèt alia ad hoc concurrant. Et quando dicitur, *cùm aliquod est congelatum, quiescit.* Licèt hoc verum sit de illo, quod de facto est congelatum, tamen in congelando non quiescit, sed mouetur; igitur non sequitur quòd congelatio (sumendo eam pro actu congelandi) sit causa quietis, saltem immediatè, licèt mediatè benè.

59. Ad aliud, quando dicitur, *necnon tertium* (videlicet feruor) *impedit. Probatur, quia si congelatio putrefacientis impedit, & sic feruor iuuat.* Dicitur quòd congelatio, quæ prouenit ab extrinseco impedit; vt igitur feruor exterioris continentis iuuaret ad citiùs faciendum putrefactionem, si non esset combustio, sed feruor naturaliter inexistens ex complexione propria mixti putrefactibilis, iste iuuat contra putrefactionem, seu præseruat. Et hoc visum est priùs. Similiter dicitur ad secundum, quòd caliditas, & feruor, aperit poros putrefactibilis, & facit humidum exhalari; verum est de feruore extrinseco, non intrinseco.

Ad tertium, *consumit humidum*, &c. Dicitur quòd non est de intrinseco, nisi secundùm suam naturalem periodum, aliàs conseruat, & præseruat, ne exterius agens consumat.

Ad

Ad quartum de motu, quòd non impediat, qoia eſt cauſa augmentationis caloris; dicitur quòd auget calorem intrinſecum, extrinſecum non, quia extrinſecus cauſat (vt dictum eſt) putrefactionem.

60. Similiter ad qointum, *motus diſgregat, & aperit, &c. igitur eſt cauſa,* &c. dicitur quòd non ſequitur, quia ſi aperit, tamen cum hoc non confortat, & iuuat calorem, quia vnitus cum humido per totum, & miſcet ſic quòd non tanta ſit conſumptio in vna parte, ſicut fuiſſet, ſi ſimul manſiſſet calor in vno loco, ideò impedit; & tum verum eſt quòd poſſit motus tam exceſſiuus fieri, quòd ipſe iuuaret, ratione talium dictorum, ideò aliquis iuuat, aliquis non.

Et ad aliud, quando dicitur quòd *multitudo non impedit, quia iuuat*; dicitur quòd non iuuat ipſa. Et quando dicitur, *blada in magno cumulo putreſiunt*, dicitur quòd hoc oon eſt ratione magnitudiois, ſed ratiooe illa, quòd ſub alus tecta concauitatibus, & exhalationibus repletis aërem putreſieri faciunt, & ratione iſtius poſtea putreſcunt interiora blada, vel fragmentorum grana. Reſeruatio aëris non fieret in concauitatibus, ſi pauca eſſent blada ſimul, ideò pauca non putreſcuot; & ideò expedit quòd ſæpè moueantur, & voluantur grana, & hoc ſciunt coloni, & hoc faciunt ne putreſcant. Et quando dicitur, *medica citò exſiccantur*, volo benè quòd aliquod modicum, ſed non omoe, & ideò non quælibet magoitudo, vel multitudo quantumcunque parua ſufficit in qualibet ſpecie ad putrefactionem ſuſcipiendam, ſed aliqua, & aliqua non, ſic nec quælibet paucitas, nec quælibet multitudo quaotumlibet parua ſufficit ad extinguendum ſicut cuiuſlibet. & ſufficienter de iſta quæſtione.

QVÆSTIO II.

Utrùm digeſtio ſit perfectio cauſata ex proprio, & naturali calore ex oppoſito paßiuo?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd noo, quia digeſtio eſt imperfectio cauſata ex proprio & naturali frigore in oppoſitis paſſis; igitur ooo eſt perfectio caoſata, &c. Cooſequẽtia tenet, quia nil eſt perfectio, & imperfectio, nec ſimul ex contrariis agentibus, quia idem ſubiectum non poteſt contrariis motibus moueri, videlicet calefieri, & frigefieri; perfici calore, & imperfici frigore. Sed antecedens probatur, quia digeſtio nõ eſt niſi mutatio imperfecta ante completum *eſſe* decoctionis, & talis imperfecta à proprio frigore, quia ſi nullum eſſet frigus, iam calor ageret ſine reſiſtentia ſucceſſiuè, quod videtur contra illud quod dicitur 4. Phyſic. *ſucceſſio in motu cauſatur à reſiſtentia mobilis ad motorem.* Et confirmatur antecedens, quia digeſtio eſt motos, vel actio; ſed omnis motus, vel actio eſt imperfectio, vel imperfecta mutatio; igitur omnis digeſtio eſt imperfectio. Minor probatur per definitionem motus, 3 Phyſ. quia *motus eſt actus in potentia*, ſcilicet eſt actus imperfectus.

2. Sed fortè dicitur hîc quòd motus digeſtionis, vel via ad digeſtionẽ, non eſt propriè digeſtio, oec perfectio, ſed diſpoſitio, quæ finaliter acquiritur, vel acquiſita eſt per talem viam, vel motum digeſtionis.

Sed cootrà, talis diſpoſitio eſt imperfecta, quia eſt ad deſtructionem formę ſubſtantialis ipſius ſic diſpoſiti; igitur eſt imperfectio quia deſtructio. Conſequentia videtur nota, & antecedens probatur; ſicut enim eſt in artificialibus digeſtionibus, quòd elixatione facta elixatum eſt diſpoſitum ad corruptionem formæ ſubſtantialis ſui, quàm fuit antè; & ſimiliter maſticatione facta in ore, & digeſtione deſtructa in ſtomacho, naturaliter digeſtibile eſt magis propinquũ ad corruptionem formæ digeſtibilis, quàm antè, vel fortè iam corrũpit formam eius, & facit humorem imperfectiorem carnibus, de quibus intendit facere humorem. Probatur autẽ quòd humor ſit imperfectior carnibus; quia ex humore intendit generare carnes perficiendo natura; igitur humor carnibus imperfectior eſt. Sed adhuc probatur antecedens principale, ſcil. quòd digeſtio ſit ex frigore naturali, & proprio, quia digeſtio iuuatur à frigore alieoo, & extrinſeco; igitur eſt à frigore proprio. Conſequeotia tenet, quia contrariũ impedit contrarium, & non iouat; ſed ſimile iuuat ſimile, & intendit; igitur oportet quòd ſumatur à frigore extrinſeco, quod fiat, & contrà à frigore intrinſeco. Sed antecedens huius conſequentiæ patet, qoia in hyeme, & regionibus frigidis ſont meliores digeſtiones, quàm in calidis locis, & tẽporibus, vt experimur.

Secuodò, ad principale, digeſtio fit à caliditate aliena; igitur oon exiſtente propria caliditate ex oppoſito. Antecedens probatur, augmentabile, quod eſt extrinſecum cibo, ooo à caliditate cibi, dato quòd ibi ſit cibus frigidus ſine caliditate, & certa digeſtio fructuum, vel maturatio, fit à calore, qui extrioſecus ſit, ſicut patet de elixatis, & aſſatis, quæ omnia digeſta ſunt, & hoc caliditate aliena, & extrinſeca, non propria ſui. 3. *Secundum.*

Tertiò, digeſtio fit à calore artificiali; igitur non eſt à naturali. Conſequentia tenet ſicut priùs, cùm ex oppoſito diſtinguitur. Antecedens patet de elixatione, & aſſatione, quæ per artificialem calorem coouertitur. Similiter medici arte medicinæ iuoant, & intendunt calorem, quo fit digeſtio; igitur artificialiter. *Tertium.*

Quartò, digeſtio fit à calore innaturali; igitur, &c. Conſequentia patet vt prædictæ. Antecedens patet, quia à calore balnei, vt patet in litera Ariſt. & tamen calor balnei eſt innaturale, vt patet. 4. *Quartum.*

Quintò, ſi ſic ſit, ſequeretur quòd omnia digeſtibilia eſſent calidiora indigeſtis. Conſequentia tenet, ſi ſit à calore nun erunt frigidiora, ſed calidiora. falſitas conſequentis patet de eſculis, & multis aliis fructibus, qui ante digeſtionem completam ſuot calidiores quàm poſt. Item, muſtum eſt calidius vino digeſto, & ideò per fumos ſuos citiùs inebriat, vt experimur, vt dicitur in litera. Item, ſtillæ & guttæ diſtillantes ab aſſatis craſſis ſunt frigidæ, & minùs calidæ quando aſſatura eſt io coctu, quàm in medio decoctionis, vel antè medium: vnde & coqui per oimis calidas ſtillas cognoſcuot aſſationes eſſe factas; & patellæ, in quibus bulliuntur piſces, ſuot minùs calidæ cùm iam piſces ſunt cocti, quàm ante completam decoctionem, & ſub vaſis ſuis: & hæc non eſſent vera per experientiam, niſi fierent calidiora. Item, homines bibentes vina calidiſſima virtualiter, & actualiter faciuot ex iis per digeſtionem vrinam minùs calidam, imò & maximè, ſi multum bibant, vt patet per experientiam. *Quintum.*

Sextò, ſi ſic, ſequeretur quòd digeſta eſſent leniora, & minora, ſeu ſubtiliora, & rariora. Conſe- 5. *Sextum*

ſequens eſt falſum, & contra experientiam, quia poma matura ſunt maiora, & groſſiora adhuc, quàm in principio ante digeſtionem erant. Et ſimiliter Ariſtoteles dicit quòd ingroſſantur digeſta per digeſtionem. Conſequentia tenet, quia calor naturalis debet conſumere humidum, & ſic fierent minora, & leuiora, vel minùs grauia, & rariora poſt ablationem materiæ, quàm fuit per digeſtionem.

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem *in lib. 4.* ſic definientem *digeſtionem*, quòd *eſt perfectio à proprio, & naturali calido.*

Circa quæſtionem, primò ponenda ſunt notabilia, ex quibus ſecundò ponentur concluſiones ad quæſitum.

6. *Digeſtio quid.* Quantùm ad primum, notandum primò, quòd Ariſtoteles in litera intendit digeſtionem eſſe ſecundum opus poſt putrefactionem, & aliud opus primarum qualitatum, videlicet caliditatis, & frigiditatis, ſiccitatis, & humiditatis, tamen ſecundùm habitudinem certam determinatis, & exiſtentibus ſimul.

Iuxta quod notandum, quòd vtor quandoque modo loquendi Ariſtotelis in litera, ſumendo concretum pro abſtracto, videlicet *calidum*, pro *caliditate*, & ſic ſecundùm etiam quod litera tenet, & ſimiliter feci in quæſtione præcedenti.

Sed vlteriùs notandum, quòd vnaquæque res naturalis dicitur perfecta, ſufficienter digeſta, vel benè diſpoſita, quando perfectè, & debitè poteſt in ſuam propriam operationem, quam intendit naturaliter, & finaliter quantumcunque. Et hoc contingit dupliciter, quia aut ſimpliciter, aut ſecundùm exigentiam finis, ad quem intendit; aut etiam ſecundùm tempus aliquod determinatum ex cauſa. Et hoc dicitur ſimpliciter perfectum, quando poteſt non reſpiciendo eius operationes omnes perfectè facere, & ad finem debitum operationis, & naturalem producere. Sed diceretur perfectus ſecundùm exigentiam finis, ſi finaliter intenderet ludere, & creſcere. Sed ſecundùm exigentiam temporis diceretur perfectus, vt perfectus iuuenis, qui ſecundùm tempus iuuentutis benè ſe habet; perfectus ſecundùm tempus, qui ſecundùm tempus operum virilium benè ſe habet, & ſic de aliis.

Similiter exiſtimandum in aliis, nam aliquod dicitur perfectum, vt perfectè digeſta res, cùm ſit viridis, ſicut ſuccus viridis vitis, quando cupimus habere agreſtam, ſic quòd ſuccus talis eſt benè digeſtus, ad hoc quòd ſit agreſta. Sed notandum quòd perfectè diceretur digeſtus, vt fiat vinum ex eo, non dicitur talis quando eſt muſtum, ſed poſtea in ſucceſſione ampliori temporis poſt *eſſe* muſti vltra digeritur, vel deporatur.

7. *Digeſtionis deſcriptio.* Sciendum quòd digeſtio vel poteſt capi pro diſpoſitione, à qua prouenit operatio debita rei, vel ſimpliciter, vel ſecundùm tempus, vel alio modo, vt dictum eſt; vel pro via, vel pro mutatione ad talem operationem habendam, putà ſimpliciter perfectam, vel ſecundùm tempus. Si capiatur pro diſpoſitione tali, & non pro via, poteſt deſcribi, ſic, quòd *digeſtio eſt diſpoſitio qualitatiua propria, & intrinſeca alicuius mixti, qua natum eſt debitè agere, vel pati ſecundùm finem intentum ſimpliciter, vel ſecundùm tempus.* Nam dicitur *qualitatiua diſpoſitio*, quia licèt quandoque diſpoſitio in figura rei, vel ſitu, vel qualitate iuuante ad perfectionem operis, vel paſſionis, tamen quia ab illis non prouenit operatio principalis ſecundùm finem intentum, ideò talia excluduntur per hoc, quod dicitur *qualitatiua*, & non quantitatiua, nec finalis. Sed dicitur *propria & extrinſeca*, quia ſi aliquod eſſet diſpoſitum aliena qualitate in modico tempore ſecundùm exigentiam operis, & finis intenti, adhuc illud non diceretur eſſe digeſtum: ſicut ferrum igniretur per ignem citò ad finem, vt molliri poſſit, non tamen diceretur digeſtum, quia non eſſet hoc ſecundùm intrinſecam qualitatem. ſed dicitur *alicuius mixti*, quia digeſtio eſt diſpoſitio complexionalis, vel compoſita ex quatuor primis qualitatibus actualiter, & virtualiter inexiſtentibus intensè, vel remiſsè, & ideò non inuenitur digeſtio propria in ſimplici elemento. & dicitur *ſecundùm quod mixtum innatum eſt agere, vel pati*, & per hoc excluduntur qualitates ſecundæ, à quibus principaliter non prouenit actio, vel paſſio. ſed dicitur *ſecundum finem intentum*, quia eadem res poteſt dici perfectè digeſta ad vnum finem, quæ eſſet imperfectè digeſta ad alium finem, vt dictum eſt. Et dicitur *ſimpliciter, vel ſecundum tempus* propter ea etiam quæ priùs dicta ſunt; & ſic patet quid per hoc nomen *digeſtio*.

Sed vlteriùs ſciendum, quòd digeſtio pro via, 8.
& mutatione ad talem diſpoſitionem iam deſcriptam, non eſt aliud, quàm quædam alteratio diſpoſitiua ad talem perfectionem, vel diſpoſitionem mixti iam dictam; & eſt talis digeſtio. alteratio, quæ dicitur, ſimul eſt calefactio, & exſiccatio, & etiam humectatio, licèt ſecundùm diuerſas partes, & diſpoſitiones digeſtionis, & remiſſio in frigiditate ſit aliquod vnum, vel non in propoſito ſit vis, dummodò hæ mutationes ſimul aggregatæ tali vno nomine poſſunt appellari. Et ſimiliter dicatur digeſtio primo modo dicta, quæ eſt aggregatio diuerſarum qualitatum non componentium aliquod vnum, niſi fortè aggregatiuè, ſicut albedo, dulcedo, & calor, vel frigiditas in lacte. Ex his patet quòd digeſtio non requirit acquiſitionem nouæ formæ ſubſtantialis, & hoc ex quo ſolùm eſt diſpoſitio qualitatiuè, vt videtur, vt aliqui inferunt.

Contra quod tamen obiicitur, quia Ariſtoteles dicit *in litera*, vbi quæſtio habet locum, quòd *finis digeſtionis eſt natura*, id eſt, forma ſubſtantialis, quia non materia, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & inaugmentabilis. Secundò, quia per digeſtionem corrumpitur nutrimentum, quia ſemper generatio vnius eſt concomitabilis corruptioni alterius, ideò ſequitur quòd digeſtio ſit non ſine forma ſubſtantiali. *Obiectio.*

Tertiò, quia aliter non diſtinguerentur ab alteratione.

Ad hoc dicitur communiter quòd Ariſtoteles intendit quòd finis eſt natura; & per ly *natura*, intendit perfectionem eſſentialem, ſiue naturalem, ideò deſcribendo digeſtionem dixit quòd *digeſtio eſt perfectio*, id eſt, diſpoſitio perfecta qualitatiuè. Sed certè Ariſtoteles dicit expreſsè, *finis eſt in iis, quæ in natura ſunt, natura autem quam dicimus ſpeciem*, id eſt, formam & ſubſtantiam; non igitur valet iſta expoſitio. Ideò aliter dicunt alij, qui ponunt, & benè, vt puto, quod ad digeſtionem multi motus concurrunt, vel mutationes. Primò, motus localis, quo actiua applicantur paſſiuis. Secundò, motus alterationis, vel plures alterationes, quibus digerens aſſumat ſibi digeſtibile, introducendo in ipſo qualitates ſibi conuenientes, & corrumpendo qualitates præexiſtentes, *Reſponſio.* *Ad digeſtionem multa concurrunt.*

tes. Et tertiò ex istis sæpè sequitur corruptio formæ digestibilis, & generatio formæ substantialis digesti. Et sic dubium est multis, quæ istarum mutationum dicatur digestio, etiam secundùm descriptionem prædictam remanentem.

10. Dicunt aliqui quòd sola alteratio cum generatione, & corruptione, propriè debet dici digestio. Sed fortè videtur quòd non benè dicunt, & propriè, quia certum est quòd fructus ante maturationem sunt minùs digesti, & digeruntur vsque ad maturationem; & tunc non dicuntur generari nouæ formæ substantiales, & corrumpi præcedentes, quia eadem ratione continuè in tali maturatione, secundùm quod magis & minùs ad talem maturationem appropinquant, continuè fierent substantiales nouæ generationes, quod est impossibile; nec oporteret in naturalibus, si paucæ possunt digestiones saluari, vt postmodum ostendam, & declarabo. Quomodo potest igitur dici quòd dispositio qualitatiua acquisita alteratione post motum localem actiuorum, & passiuorum ad se inuicem na. &c. si non fieret forma substantialis noua, essent dicenda digestio, licèt illa digestio fiat vltimatè pro generatione formæ substantialis. Vnde sicut in artificialibus digestionibus, videlicet elixatione, vel decoctione, primus finis est vt sit vtile ad esum, & sorbitionem, vt dicit Philosophus; secundus finis, vt post esum aliqua digestione forma substantialis generetur illius nutribilis; sic imaginandum est in aliis naturalibus digestionibus, & sic omnis alteratio ordinatur finaliter ad generationem, vel corruptionem, quia dicitur 1. *de Generat.* si non est possibilis transmutatio in substantiis, nec est possibilis in accidentibus, vel qualitatibus, quia frustra esset: tamen ex hoc non oportet quòd alteratio sit generatio, nec digestio, quæ est quædam alteratio, vel plures alterationes: non est tamen generatio formaliter, nec corruptio. & sic dicitur ad literam Aristotelis, cùm dicitur *finis autem*, &c. quòd verus est finis vltimatus digestionis, sed non oportet de fine propinquo, quia ad illum sufficit dispositio qualitatum, vt dictum est, & esse aptum nutritioni, & similibus operationibus, & passionibus.

11. *An digestio terminetur ad formam substantialē.* Ex istis dictis patet solutio quæstionis communiter hîc fieri consuetæ, videlicet, *vtrùm digestio terminetur ad formam substantialem?* Dicitur quòd sic vltimatè, si non sit impedimentum est finis extrinsecus generatus sic à remotis; sed esibile, & similia, sunt fines propinqui.

Ad secundam obiectionem', *per digestionem corrumpitur nutrimentum.* Conceditur vltimatè, sed non primò, quia primùm disponitur, & digeritur, nec oportet propter quamcunque modicam alterationem corrumpi formam substantialem, & aliam generari.

Ad tertiam, quando obiicitur quòd *aliter non distingueretur ab alteratione.* Dico quòd imò est quædam species alterationis, & sicut species à genere distinguitur, sic minùs commune à magis communi non aliter benè distinguitur. Vnde conceditur benè, digestio est alteratio, ideò non differt ab alteratione; tamen propriè loquendo, non esset alteratio, sed alterationes non componentes vnum, & fortè nulla entitas esset digestio, sed plures entitates, vt in prima quæstione fuit dictum.

Ex prædictis etiam benè infertur, & conceditur, & sequitur quòd digestionum diuersitas sequitur diuersitatē proportionum primarum qualitatum. Et huius signum est, quia per digestionem variatur sapor, odor, & multa consimilia ipsius digesti.

Sed adhuc vlteriùs est notandum, quòd digestionum (sumendo vt priùs digestio descripta est) quædam fit in viuentibus, & alia in non viuentibus. In viuentibus alia fit in plantis, alia in animalibus, omnes tamen habent operationes sine congregatione, licèt in viuentibus cognoscibilibus sunt. Adhuc in animalibus diuersæ sunt digestiones, quia quædam fit digestio seminis postquam generatur fœtus; aliæ sunt digestiones alimenti, & dicuntur ab aliquibus quatuor, & ab aliis tres solùm, qui conueniunt in his tribus, videlicet in digestione in stomacho, alia in hepate, tertia in membris. Quidam ponentes quartam dicunt esse in corde; & alij ponentes quintam, ponunt vnam primam in ore masticationem, quia masticato grano, non possit ampliùs fructus fieri, vt Physiologi fingunt scire formicas, & ad hoc diuisum granum custodire, vel diuidere. Alij custodito ipso dicunt quòd ipsæ non sunt specificè distinctæ digestiones, de quibus loquitur Aristoteles hîc: sed differunt benè secundùm magis, & minùs perfectum; & possunt diuersæ formæ substantiales in terminis huiusmodi diuersarum transmutationum, vel digestionum fieri, putà post digestionem in stomacho vna, & post digestionem in membris alia, iterum vna prioribus præcorruptis, & sic de aliis. 12. *Digestionum diuersitas.*

13. Sed adhuc digestionum viuentium in plantis solùm, alia fit in radice, attrahitur humidum cibale, & nutrimentum; alia in ligno, vel stipite, vel cortice; tertia in foliis, & fructuum in maturatione. Primæ duæ continuè fiunt æstate, & hyeme; licèt fortè in hyeme insensibiliter, sed duæ aliæ solùm fiunt in æstate, videlicet foliorum, & fructuum, & hoc videtur aliquarum plantarum determinatarum specierum, sed non omnium, quia laurus & palma, & similes, semper virescunt hyeme, & æstate, propter eorum calorem naturalem excellentem, aliæ producunt folia, vt pyrus, pomus, &c.

Ex his præmissis, quantùm ad primam partem, quamuis dubitandum est de secunda parte, in qua ponuntur conclusiones.

14. *Conclusio 1.* Prima conclusio, quòd digestio fit à calido merè intrinseco, & naturali. Probatur, quia talis calor est propinquum; & naturale instrumentum agentis, & ad intentionem eius intenditur, vel acceleratur digestio, & ad remissionem eius remittitur; igitur si ab illo, &c. Consequentia videtur nota ex hoc, quòd natura est principium motus, & quietis, & non sine instrumentis, quæ est agere, sic dicimus & causas esse. Sed antecedens patet pro prima parte, quia natura, quæ est forma digerentis, vel ageret sine calore, & semper agit cum illo; igitur est naturale instrumentum *quo*, sicut calor ignis. Secunda pars patet per experientiam, vnde habentes calorem naturalem citò consumunt esibilia, vel comestibilia, & multa citò consumunt; & habentes calorem hebetem, vel modicum, tardè consumunt, licèt etiam parum; igitur ad intentionem intenditur; & ex quæstione patet quòd si calor intrinsecus nullus sit, nulla esset digestio; & ideò simpliciter aqua est indigestibilis, & similia simpliciter; hoc dico digestione sui, sed per agens aliud commixtum aliis non esset, quin esset digestibilis.

15. *Conclusio 2. Subiecti digestionis.* Secunda conclusio, quæ ponitur communiter ab aliis, est, quòd subiectum digestionis, vel digestibile, est humidum commixtum sicco. Probatur, quia calor naturalis digerendo consumit humidum superfluum, & consolidat illud, quod remanet; igitur oportet esse humidum & siccum, vel commixtum aliis, aliter non possit fieri. Consequentia patet ex iam dictis. Sed antecedens patet, quia sic videmus digesta consolidari, & humiditatem consumi per experientiam in animalibus. Et probatur ex alio conclusio, quia subiectum digestionis est illud, in quod agit calor naturalis, & in quo seruatur; sed hoc non est frigidum, nec solum humidum; igitur est humidum cum sicco. Consequentia patet de se; & antecedens pro prima parte patet: sed pro secunda parte probatur, quia frigidum est contrarium, & in illo calidum non conseruatur, sed corrumpitur; nec solum humidum, quia tunc simplex aqua esset digestibilis, quod patet ex prædictis esse falsum. Consequentia illa tenet, quia solum humidum cum siccitate, & sic illa duo, videlicet humidum & siccum debitè proportionata reputat Aristoteles opposita priuatiua caloris agentis, & naturalis.

16. Ex istis dictis, & conclusionibus, patet quòd digestio est perfectio causata effectiuè, vel actiuè à proprio, & naturali calore, vel caliditate in oppositis passiuis, vel ex oppositis, videlicet humido proportionato sicco; & ex hoc patet responsio quæstionis in forma, quia concedenda est quæstio, & est vera.

Sed notandum quòd oportet in digestione imaginari vnam habitudinem inter humiditatem, & caliditatem, sicut in præcedenti quæstione dictum est de putrefactione, & fortè qualis sit illa, & quanta videtur dupla; igitur latet nos homines, & quomodo hæc habitudo sit hîc, & non sit in aere, quia est calidus, & humidus, multum difficile est ista videre, & considerare, non tamen & sustinendo contra redargutionem primò, & tamen fortè quòd sufficit medicis, & naturali Philosopho in tali materia.

Item notandum, quòd istæ conclusiones ponendæ sunt & intelligendæ de digestionibus animalium, & non inanimatorum, & partibus suis intrinsecis, vel ipsa integrantibus, licèt non *Conclusio 3.* oporter de aliis; vnde ponitur ab aliis hæc conclusio, quòd in non viuentibus non omnis digestio est à proprio, & naturali calido. Probatur, quia assatio, & elixatio fiunt non à calido proprio & naturali, sed extrinseco cibo; tamen benè requiritur naturalis calor, scilicet cibi; sed iste non sufficeret ad digerendam digestionem, quia vtile fieret animali ad transeundum in substantiam animalis.

17. *Conclusio 4.* Quarta conclusio est, quòd in viuentibus calor extrinsecus iuuat quandoque digestionem. Patet, quia quod est simile intendit simile; igitur extrinsecus calor intrinsecum intendit; igitur iuuat. Et hoc etiam innuit Aristoteles in litera, vbi quæstio habet locum, dicens balnea iuuare digestionem; posset autem esse immoderatus, quia humidum, in quo naturalis calor resoluetur, vel extraheretur cum calore, & sic digestionem peiorem, vel minorem faceret infrà.

Conclusio 5. Quinta conclusio est, quòd etiam frigus extrinsecum quandoque iuuat per antiperistasin. Patet hoc, quia in regionibus frigidis, & locis, & temporibus, fiunt meliores citiùs, & fortiores digestiones, quàm in locis oppositis manentibus; igitur extrinsecum frigus loci iuuat. Et dico per antiperistasin, quando circumstans frigus claudit poros corporis habentis calorem digerentem, & sic pellit calorem intrà, & ipso infrà propulso, quia virtus vnita fortiùs agit, iuuatur digestio. Sed frigus extrinsecum nimis excellens posset totum corrumpere, & non iuuare, imò inducere mortem, sicut multis accidit super mare Septentrionale, & Orientale in hyeme mori propter frigus.

Sexta conclusio, quòd in viuentibus propria frigiditas semper impedit, & similiter in non viuentibus. Probatur, quia propria caliditas agit, & iuuat. per primam conclusionem; igitur propria frigiditas impedit, quia contrariorum contrariæ sunt causæ, vt dicitur hic in litera in libro quarto, & docet experientia. 18. *Conclusio 6.*

Septima conclusio, in non viuentibus aliena frigiditas semper impedit digestionem, quia in non viuentibus, aliena caliditas est ratio digestionis; igitur aliena frigiditas impedit causam per rationem contrariorum, quia contrariorum contrariæ sunt causæ, & effectus. Et intelligatur illa conclusio sic, si aliena caliditas semper sit præsens, vel etiam quantumcunque est præsens, impedit; & sic similiter de aliis dictis quæstionibus, quia certè scio benè quòd nulla aliena caliditas semper est, nec semper impedit. Probatio etiam conclusionis huius, & præcedentis patet. *Conclusio 7.*

Patet etiam quòd propria frigiditas impedit in non viuentibus digestionem, & sic aliena, & fortè plus gradu, quo potest esse quòd in viuentibus digestio cibi, putà in stomacho, non est effectiuè à calore cibi, & principaliter, sed à calore extrinseco cibi, licèt intrinseco animali, vel viuentibus, cùm calor cibi benè iuuat ad digestionem. Probatur, quia cibus digeritur à calore naturali animalis, vel viuentis, & non proprio calore animalis digerit seipsum, & sic similiter dicatur de humore vlteriùs progrediente post digestionem stomachi ad hepar, quod digeritur extrinseco, videlicet calore hepatis, & similiter de aliis.

Ex quibus omnibus dictis potest apparere, quàm vicinè sequitur digestio, & putrefactio, quia vix digestio cibi in animali potest fieri completè, nisi præcedat putrefactio. Quod probatur, eò quòd putrefactio est, vt dictum est in præcedenti quæstione, corruptio caliditatis propriæ in humiditate propria à caliditate aliena, sic est quando cibus digeritur, tunc est propria caliditas cibi cum humido suo per caliditatem digerentis, quæ cibo est extrinseca, extracta, & ideò fiunt tales mutationes, quando videlicet superfluentes remanentes, & expulsæ putridæ sunt, vel putrefactæ; sed tamen benè potest fieri putrefactio sine digestione, licèt non è contrà in pluribus. Et maximè loquor de naturalibus digestionibus, & non de artificialibus, sicut sunt elixatio, & assatio, quia digestiones illæ non sunt putrefactiones, licèt participant de modo putrefactionis in eò quòd calor proprius in humido proprio extrahitur ab alieno, sed ita velociter fit hæc abstractio humidi, quòd quasi est violenta mutatio, & ideò à putrefactione impeditur, ne sit putrefactio perfecta. Hæc dicuntur opinando tamen fortè ad oppositum. 19. *Digestio & putrefactio se vicinè sequuntur.*

Ex

20. Ex his patet hos esse, & fuisse processus Aristotelis, qui putrefactionem tanquam communiorem præmisit ante digestionem, seu priùs de ipsa determinauit. Patet etiam excellentia, & vtilitas primarum qualitatum in mundo, quia valent omni auro; quia sine auro, & argento possumus viuere, & esse animalia, & homines, conseruari viuentia sine digestione, & putrefactione, quæ fiunt primis qualitatibus, nequaquam. Vnde si nulla caliditas esset pec mentem, omnia mouentia viuentia per elementa destruerentur; sed tamen aurum, & quælibet alia substantia esset melior in se, licèt non vtilior calore; similiter sic de frigore, humiditate, & siccitate dicatur, licèt non æqualiter. Et hoc Aristoteles aduertens *in lib.* 4. omnes operationes possibiles fieri in mundo isto corporali enumerauit, & ostendit vtilitates primarum qualitatum generaliter, & vniuersaliter, subtilissimè pertractando, quantum sufficit naturali Philosopho vniuersaliter loquenti.

21. Ex præmissis etiam potest intelligi descriptio digestionis prædicta, & Aristoteles in litera. quia digestio, sumendo eam pro dispositione per actum acquisita, vel per actionem, est dispositio qualitatiua, vel quantitatiua propria, non propria & inseparabilis, sed separabilis, & propria dispositio digesta, non digerentis, licèt causata sit à dispositione qualitatiua agentis, & à propria agenti, & digerenti; & sic vna dispositio est intrinseca agenti, & alia intrinseca digesto, & secundùm dispositionem propriam agentis potest in ipsum agere, & secundùm dispositionem propriam patientis potest ipsum passiuum pati, vel resistere ad hanc dispositionem, vel digestionem, vel sequentes humiditas. Et hæc omnia referuntur ad finem intentum, vel intentos fines simpliciter, vel secundùm tempus. Et hæc dispositio, vt loquitur Aristoteles, perfectio est tam vtilis, quòd sine ipsa facta non possunt fieri generationes animalium per propagationem, nec fructuum, nec plantarum, nec perpetuabilia essent viuentia, hæc corruptibilia sine ipsa; sic quòd si cessarent digestiones omnes per mensem, nec possent homines, nec animalia esse, nec viuere in mundo, nisi per Deum miraculosè; & sic fieret bona pax, vel nulla esset generatio hominum in mundo. Et de his omnibus vtilibus Philosophus considerauit, præcipuè de quibus rustici non curabant, nec adhuc aduertunt.

22. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes principales. Ad primam, *digestio est imperfectio*, &c. Negatur antecedens, si sumatur pro dispositione completa, & acquisita per digestionem, sicut dictum fuit ibidem; sed si sumatur pro via, vel dispositione incompleta, quæ non fit perfectè ad finem, tum est imperfectio, quia licèt sit incompleta, tamen sufficit quòd possit compleri finaliter, & sic est perfectio, id est, actus, vel actio perficiens, & perficientis, & non imperfectus, nisi diuersimodè comparando, videlicet quantum dicitur incompleta actio dicetur imperfectio, vel impropriè. In quantùm verò consideratur vt perficiens, dicetur perfectio, & hoc non mirum. Et quando dicitur quòd digestio fit à frigore; negatur quòd à frigore intrinseco digestio fiat, sed si frigiditas resistit, tunc non actiuè, sed vt potentia passiua concurrit. Et calor sine resistentia frigoris saltem possit agere successiuè per successiuam, & diuersam applicationem, & propter simplicitatem potentiæ non potentis finis agere, & propter generationem successiuam caloris potest successiuè causare calorem alium, vel operationem aliam successiuè, & sic sine resistentia frigiditatis, licèt resistentia sit aliunde, videlicet in motu localis applicationis in motu generationis caloris. Etiam nec propter hoc sine frigiditate subitò agit calor naturalis, vt patet ex iam dictis.

Vlteriùs cùm dicitur quòd *digestio est quædam imperfectio, eo quòd est ad destructionem formæ substantialis*. Dicitur quòd digestio dicitur perfectio ratione finis propinqui, ad quem ordinatur, videlicet vt digestum sit esibile, & sorbibile in artificialibus, vel vt nutrimentum in naturalibus sit magis aptum ad nutritionem, quia est perfectiùs dispositum ipsum digestibile, ad hoc quòd nutriat, quod erat ante digestionem, & ideò dicitur perfectio. Et si postea ad hoc dicatur quòd forma substantialis digesti faciliùs corrumpitur, non est vis, quia frequenter, vel vt in pluribus melior, & perfectior generatur, saltem in omnibus animalibus, & viuentibus, in quibus corrupta forma digestibilis generatur anima, vel pars eius, vel informatur post digestionem, & ita est nobilior: nam anima, vel forma substantialis, quæ non fuit anima, ideò finaliter vadit ad perfectionem, & diceretur perfectio ex fine remota aliqualiter. Sed si non comederetur aliquod viuum nobilius, fortior est forma, & corrumpetur imperfectior. Et ideò tali casu sufficeret quod dictum est, quòd dicatur perfecta, quia per digestionem disponitur melius ad *esse* nutrimenti. 23.

Sed adhuc aliter probatur illud antecedens, quia digestio iuuatur à frigore alieno, & extrinseco, &c. Negatur consequentia, & ratio est, quia non iuuatur à frigore illo extrinseco, nisi propter hoc, quòd calor naturalis cum humido, in quo conseruatur frigus fugiens extrinsecum, vnitur interius, & animus fortiùs digeritur cibus, quod tamen est intrinsecum calore naturali, & sic iuuatur, & non aliter; igitur non sequitur quòd frigore efficiatur digestio, tanquam agente immediatè & digerente intrinseco, vt patet. 24.

Ad probationem consequentiæ, *contrarium impedit contrarium, & non iuuat*, verum est si cætera sint paria; sed quandoque contrarium iuuat contrarium, & quandoque impedit, & quandoque impedit simul, & iuuat in comparatione ad diuersa tempora, nam impedit in extremitate actionum calefaciendi ipsum frigidum, & iuuat eam in profundo, & hoc postquam depulit ipsam ab extremo, & ideò raro tempore, & hoc etiam non est intentiu agentis frigidi, videlicet iuuare calorem, sed intentio est destruere, & aliud fugiens destructionem vnitur alteri, & sic agit, non quòd frigus velit ipsum intendere, vel intendit, sed quia intendit corrumpere. & sic ex fuga iuuatur, & hoc est per ipsum, licèt occasio sit à frigore; & sic similiter concedi potest quòd frigus non intendit aliquo modo calorem, nec iuuat digestionem; sed calor fugiens frigus, & se vniens intendit calorem, & iuuat digestionem, & iste non est frigus, sed calor.

Et ex istis intelligantur conclusiones prædictæ, quando dictum est quòd frigus extrinsecum iuuat, *conclusione quinta*, & non directè iuuat, sed vt dictum est.

Ad secundam, *Digestio fit à caliditate alienà nullà existente propria caliditate*. Dicitur ad an- 25. *Ad 2.*

recedens quòd digestio fit à propria caliditate digestibilis, licèt propria caliditas digestibilis iuuat quandoque, & quandoque propria caliditate digestibilis per consumptionem frigoris, & per abundantiam humiditatis, & siccitatis fit citiùs digestio, sed verum aliquando, sicut quidam expositor, vt suprà.

Quidam expositor Henricus dicit quòd duplex est digestio, quædam à calore exteriori, quædam ab interiori. Et caliditas primo modo, &c. contingit quia vel calor naturalis est & exterior, sicut Sol in maturatione fructuum; vel artificialis sicut in assatione; sed digestio à calore naturali intrinseco est de calore intrinseco digestibilium effectiuè, & fit extrinseco calore circumscripto, & de tali dicit Aristotelem principaliter intendere, & talis conuenit cum mixto secundùm quòd mixtum in generatione, vel ante generationem sui. Et exemplificat diffusè de semine humano, & consimilibus, quæ dimitto.

Sed si hæc sit intentio Aristotelis, vt probabile est, & verisimile, etiam & iste diceret consequenter quòd fit ex calore intrinseco principaliter, & iuuaretur ab extrinseco, & tunc nullâ existente caliditate extrinseca negaret fieri posse digestionem, vel antecedens; aliter responsio rationis secundæ, saltem de digestione naturali à calido intrinseco, non valeret. Sed de digestis calido naturali, & extrinseco, non diceret fortè, vt dictum est, siue in artificialibus, siue in naturalibus; sed certè indigestio est cibi in stomacho, non benè intelligo quando calor intrinsecus cibum digerat, & ideò quilibet eligat sibi, quod meliùs sibi placet.

26. Ad tertiam. *Digestio fit à calore artificiali.* Conceditur de aliqua digestione, & non de omni, &
Ad 3. sic vna fit ab artificiali, & alia non; & etiam licèt alia artificialis sit talis, tamen non fit sine naturali calore, & si quis strictè loqui cuperet, omnis calor est calor naturalis, & non artificialis, sic quòd non naturalis.

Ad 4. Ad quartam, *Aliqua digestio*, &c. Dicitur quòd per illam potest accelerari, sed naturalis calor efficit principaliter, & sic similiter de calore balnei, qui iuuat digestionem, non cùm oportet, sed istam, quæ fit in membris, & non illam, quæ fit in stomacho, vel in hepate, quia hepate, vel stomacho distrahitur calor ad exteriora membra, sicut in balneis impediret digestionem propter absentiam principalis digerentis.

27. Ad quintam, *Si sic, sequeretur quod omnia dige-*
Ad 5. *sta essent calidiora.* Conceditur consequentia, & consequens, cæteris paribus, si sint in via, vel in medio digestionis; & non incipit alia mutatio, quæ non est digestio. Ad probationem falsitatis, *quia esculæ*, &c. dicitur quòd illa putrescunt, & incipit aliqua mutatio, quæ non est digestio, & adhuc non est probatum quòd escula si sint mollita sunt minùs calida, quàm antè; verum est tamen quòd si essent perfecta, debent esse minùs calida, vt dictum est in præcedenti quæstione. Sed fortè calidum extrinsecum, quo escula putrescunt, & alio modo alterant magis calefaciendo, ad faciendum calidum exhalare, & sic finaliter fierent magis frigida putrefactione totaliter completa vsque ad exsiccationem, similiter dicatur de aliis fructibus.

Ad aliam confirmationem de musto, quod est calidius ante digestionem, quàm quando est vinum factum; dicitur quòd hoc est ratione caliditatis extrinsecæ, & innaturalis, scilicet ex parte Solis, & ex parte indigerentis, & ratione commutationis multæ; tamen dicitur quod calefacta dum segregantur, & euaporant subtilia aliqua aëre mixta, rediuiuo tamen vino, & deueniente ad naturam propriam determinatam, & specificam vini, illud vinum est calidius digestum, quàm indigestum, si aliqua mutatio corrumpens possit aduenire, quia vinum accelerarct, & fieret frigidius. Et de istis fortè meliùs dicetur inferiùs, & specialiùs.

Ad aliud, *stilla de assatus*, dicitur quòd hoc contingit ideò, quia frequenter ignis in fine est remissior, & illæ stillæ veniunt de profundo assaturæ in finem, ad quod profundum non potuit priùs venire actio caloris, nec tamen intenta actio, ideò duæ stillæ quando totum factum est, quæ veniunt vltimò sunt frigidæ, vel remissè calidæ, sed isto non obstante assatura sic assata est calidior naturaliter, & virtualiter, quàm ante assationem, & ideò coqui experti per hoc cognoscunt assaturam esse certam, quia ad interiora venit decoctio. 28.

Ad aliud de patellis, in quibus pisces bulliunt; dicitur quòd cæteris paribus, in fine actio caloris penetrauit pisces, & profundum eorum, ideò tunc non reflectitur calor, nec remanet in extremitate patellæ inferiùs, sicut priùs ante decoctionem; igitur coqui possunt tangere manu, fundum bassini, vel patellæ, & inuenient minùs calidum quàm ante, & hoc est signum quòd totaliter pisces penetrauit, ideò sunt cocti, ideò certum est quòd cum istis stat, quòd calidiores sunt pisces cocti, quàm non cocti, & ex istis patet solutio problematum Aristotelis.

Ad aliam experientiam, Homines bibentes vina calida actualiter, & virtualiter faciunt per digestionem vrinam, & humores frigidiores. Dicitur quòd hoc contingit fortè ex eo, quòd in digestione talis vini fit corruptio, vel putrefactio aliqualis, & etiam separatio multorum. vnde separantur plures vapores, & fumi à vino, vnde spiritus calidiores vino generantur, & de residuo per longam transmutationem, & corruptionem fit vrina, quæ potest esse frigidior, vel minùs calida vino bibito, & actualiter, & virtualiter; sed si naturali digestione vinum sine corruptione partium aërearum, & resolutione causata digeritur, fieret calidius, & non minùs calidum. 29.

Ad sextam, sequeretur quòd digesta essent leuiora, & etiam minora. Conceditur consequentia in quibusdam digestionibus, sed non in omnibus. Vnde cibus & potus simul in stomacho sumptus est grossior quàm humor per digestionem sumptus in stomacho, vel à stomacho recedens ad hepar, sed posteà ille humor est subtilior, quàm finaliter fiat per digestionem tertiam, & sic similiter imaginandum est in aliis digestionibus. Ad 6.

Ad improbationem consequentiæ, quæ probat quòd in omnibus vniuersaliter sic deberet fieri quòd sint subtiliora digesta, quia calor resoluit, & consumit humidum; dicitur quòd quandoque est sic, sed quia quiescet, &c. humidum terminatum sicco, & è contrario, ideò ingrossat finaliter, vt meliùs & specialiùs pòst videbitur in aliis quæstionibus.

Et sic dictum est generaliter ad quæstionem istam, quid sit dicendum ad istas quæstiones communiter fieri consuetas, quid sit digestio definitione? Et vtrùm mutatio? & si mutatio, quæ, 30.

vel

vel sub quo genere mutationis? Et vtrùm balnea iuuent ad digestionem, & quam? Et vtrùm digestio terminetur semper ad formam substantialem, vel aliqua non? & quis finis sit digestionis, & quomodo se habet ad putrefactionem? & patent solutiones problematum, videlicet quare in locis, & temporibus frigidis meliores fiant freqoenter digestiones? Et quid calor innaturalis, vel superfluus efficiat in digestionem? Et quòd aliquid valet ad accelerationem, & quandoque exsiccationem, & quandoque consumptionem, saltem apparent, & propter quod stillæ assatæ iam coctæ, vel prope decoctionem, sunt frigidiores, vel minùs calidæ stillis prope principium decoctionis; & propter quid patellæ inferiùs tepescunt, vt coqui manu tangere possint in fine decoctionis, & propter quid aliqua digesta ingrossantur, alia verò subtiliantur non assatura, & decocta est gracilior, vel subtilior, & minor quàm fuit antè, & poma sunt maiora digesta, & matura, quàm antè dum sunt cruda, & indigesta, & horum causæ generales ex dictis in quæstione elici posse videntur.

QVÆSTIO III.

Utrùm sint tres species digestionum?

1. Arg. primũ. ET arguitur primò quòd non, quia omnis digestio omni digestioni est eiusdẽ speciei specialissimę, igitur non tantùm sunt tres species digestionis. Conseqoentia patet, quia tunc esset solùm vna. Sed antecedens probatur, quia digestiones non differunt, nisi secundùm magis & minùs, quæ non diuersificant speciem. Probatur, nam si pasta, vel consimile, humiditatem habens, nimiùm decoquitur, & continuè humiditas consumatur vsque ad exsiccationem, & assationem, & primò fit bullitio, vel elixatio, & continuè manet motatio, & fiat pòst assatio, est vna species continua, & non differunt nisi secundùm magis & minus, quia priùs fuit magis humida mutatio, & postea minùs sicca, & postea magis; & ideò minùs calidè, in fine magis, & sic non videtur hîc differentia, nisi secundùm magis & minùs, & similiter est in omnibus, vt patet consideranti; igitur, &c. Confirmatur, quia in assatione, quæ esset quasi species distincta ab elixatione, si differret specie, & esset plures species simul, sic elixatio. Probatio, quia partes interiores in humido alieno partium extraneæ decoquuntur; igitur elixantur. Consequentia patet, & antecedens, quia humidum extranearum partium fugiens contrarium calidum exsiccans congreditur versus interiora, & ita decoquuntur cum calore. Hoc signum est, quod ponit Aristoteles in litera, quòd assata sunt humidiora in terminis elixatis, & sic probatur per oppositum, quasi quòd elixatio esset assatio partium interiorum.

2. Secundum. Secundò ad illud, quia vel essent tantùm tres in genere, specie, vel numero: sed nullo modo; igitur, &c. Maior patet ex sufficienti distinctione; & minor probatur, non in numero, quia sunt aliæ species digestionis in homine, aliæ in asino, & sic de similibus. Probatur de terminis specie differentibus, quia digestio terminatur ad formam substantialem, & plures quàm tres sunt formæ substantiales distinctæ, acquisitæ per digestionem; & cùm digestio sit quædam transmutatio, & transmutatione diuersificantur ad diuersitatem terminorum, ad quos tendunt; igitur erunt plures quàm tres digestiones specificè distinctæ. Nec sunt tantùm tres in genere eadem ratione, quia formæ, quæ per digestionem acquiruntur differentes genere, sunt plures quàm tres.

Tertium. Tertiò, agens in digestione est vnum tantùm; ergo materia vna tantùm, ideò digestio esset vna tantùm in specie. Consequentia patet, quia si agens esset vnum, & materia vna, quod factum est esset vnum, vt dicitur 7. *Metaph.* secundùm Commentatorem. Antecedens patet, quia agens in digestione est caliditas, & passum est humidum proportionatum sicco.

Quartò, duæ species digestionis sunt in artificialibus, scilicet *hepsesis*, & *optesis*; erunt igitur duæ ad minùs in naturalibus, & per consequens erunt quatuor. 3. Quartum.

Quintò, mutatio fructuum, & nascendorum est quædam digestio: non aliqua istarum trium; igitur, &c. Quintum.

Sextò, vel caliditas agit cum humiditate. & sic est optesis, vel agit cum siccitate, & sic est hepsesis, quia non potest dici quòd caliditas per se agat sine humiditate, & sine siccitate, quia non potest inueniri caliditas, quin sit vel cum humiditate, vel siccitate. Sextum.

Septimò, si etiam diuersificarentur propter diuersitatem subiectorum, vel agentium, vel propter diuersitatem terminorum, ad quos tendunt. Si primo modo, cùm sobiecta sint plura quàm tria specie, sunt species digestionis plures quàm tres specificè distinctæ. Secundo modo cùm agens sit solùm vnum in specie, scilicet caliditas, esset vna species digestionis diuersificatæ. Tertio modo, cùm termini sint plures quàm tres specificè distincti, quia terminus digestionis est sanguis, alterius est forma asini, alterius forma plantæ & sic de multis differentibus specie. Septimum.

In oppositum est Philosophus *quarto huius*. Oppositum.

In quæstione illa, Logicales distinctiones, & rationes de termino exclusiuo addito termino numerali, debet videri circa libros Logicales, & circa Porphyrium, vtrùm tantùm 5. sint Vniuersalia, & non oportet hîc talia recitare, sed posset hîc concedi quòd tantùm vna est species digestionis, quia omnis species digestionis est vna; igitur, &c. ab vniuersali ad suam exclusiuam de terminis transpositis tantùm vna est species. 4.

Sed tunc si *tantum* excludat maiorem numerum, quæstio habet alibi videri, sed causa breuitatis dimittatur hîc, quia impertis est huic scientiæ. Etiam intellectu quodam potest esse vera, falsa tamen est secundùm quòd verba sonant, quando quæritur, *Vtrùm tantùm sint tres species digestionum?* id est, vtrùm tantùm sint, &c. sic quòd nihil aliud in mundo sit, nec aliqua ab illis, quod non sit illa, vel aliquod istorum, vel alia istarum specierum. Sed iste intellectus est falsus; sed ad istum intellectum intelligatur titulus, *Vtrùm tantùm tres sunt species*, & vtrùm tertia species digestionis sit aliqua trium enumeratarum ab Aristotele, vel nunquam sit aliqua, quæ nulla istarum sit. Ad istam intentionem solet quæstio moueri.

Hic

Hîc benè præmittenda sunt aliqua, & dein ponantur conclusiones.

5. *Digestionis tres species.* Primò notandum est, quòd omnes Philosophi naturales, & medici ponunt tres digestionis species; sed in modo procedendi sunt diuersi isti. Vnde aliqui probant quòd omnis digestio fit à calido, tunc vel caliditas agit secundùm se, & est *pepansis*, vel cum humiditate, & tunc *optesis*, vel cum siccitate, & est *hepsesis*. Modò quidam arguentes contra hoc, quia digestio est quædam transmutatio, & transmutationes non sunt, nec capiunt diuersitatem à diuersitate agentis, sed à diuersitate termini *ad quem* Alij probant aliter, quia digestio fit à calido, tunc vel fit à calido naturali intrinseco, vel extrinseco; si primo modo, sic est *pepansis*; si secundo modo, vel calor agit cum humiditate, & est *hepsesis*, vel cum siccitate, & est *optesis*.

Contrà istud potest argui, sicut arguitur contra præcedentem modum probandi. Secundò, sicut calor extrinsecus potest agere cum humiditate, & siccitate, ita intrinsecus, & sic erunt quatuor.

Vlteriùs notandum, quòd similis digestio fit in vno animali, & in alio differentibus in specie, & ideò omnes similes digestiones Philosophi posuerunt vnam esse speciem digestionis.

6. Vlteriùs nota, quòd quamuis digestio sit quædam transmutatio, & transmutationes diuersificantur secundùm diuersitatem formarum, ad quas intendit, tamen in proposito si loquimur de istarum diuersitate, esset dicendum quòd tot sunt species digestionis, quot formæ specificæ distinctæ acquirunt per digestiones, sed isto modo non intendimus hîc, sed magis ipsa diuersificare, secundùm diuersitatem modi agendi.

Pepansis quid? Pericarpium. Vlteriùs nota, quòd *pepansis* est digestio alimenti in pericarpiis. Sed quid per *pericarpium* debemus intelligere? Dicunt aliqui quòd *pericarpium* est locus receptionis seminis, quia sicut dicunt quidam, *pepansis* est digestio humidi seminalis, sed Philosophus scribit quòd *pepansis* est perfectio, & posteà perfectum vocat illud, quod potest generare sibi simile. Modò constat quòd *pepansis* non est digestio in loco generationis digestionis seminis, quousque illud quod digeritur, potest generare sibi simile. Vbi dicitur quòd Philosophus vocat perfectum, quando est totaliter organizatum vsque ad completam maturationem in vtero.

Tamen adhuc dubitatur, quia ita benè fit *pepansis* in plantis, sicut in animali, vel sicut in aliis, ideò per *pericarpium*, non solùm debemus intelligere locum receptionis seminis in animali, cùm extendendo nomen tam ad plantas, quàm animalia, diceremus quòd digestio illa, qua aliquod mixtum digeritur à principio suæ generationis, quousque sit completa generatio est *pepansis*; & per *pericarpium* locum, in quo illud mixtum generetur; & per oppositum diceremus, quòd *omotes* est indigestio alimenti in pericarpiis, & propter istam indigestionem fiunt aborsus in nascentibus.

7. *Optesis quid?* Nota secundò quòd *optesis* propriè loquendo, est digestio artificialis, & est idem quòd elixatio, & definitur sic. *Optesis est digestio à caliditate humidâ, & alienâ*. Et *molynsis*, quæ est indigestio *Molynsis.* sibi opposita, definitur sic: *Molynsis est indigestio propter defectum caliditatis humida aliena*.

Item nota, quòd *optesis* est digestio vtilis, & illud quod assatio, & definitur sic; *Optesis est digestio à caliditate, siccâ, & alienâ*.

Statensis. Est statensis quæ est indigestio sibi opposita, definitur sic; *Statensis est indigestio propter defectum caliditatis sicca, & aliena*. Et digestionibus naturalibus correspondentibus istis non habemus nomina imposita, ideò quamlibet digestionem, quæ fit à caliditate agentis cum humido vocamus *optesin* siue in naturalibus, siue in artificialibus; & illam, quæ fit à caliditate agente cum siccitate vocamus *hepsesin*, vel aliter istæ species digestionis possunt diuersificari solùm in animali. Et eas sic diuersificantes dicunt quòd à principio generanonis animalis vsque ad plenam ætatem sunt tres species digestionis. Primò, qua digeritur humidum seminale à calore naturali, & ista digestio vocatur *pepansis*, & durat à principio generationis animalis, quousque animal sit perfectum in sua specie. Posteà digeritur humidum cibale, quamdiu est in augmento, & in statu, & ista digestio vocatur *optesis*; & animalis durantis vsque ad finem fit tertia digestio; vel quādo animal incipit diminui vsque ad finem per tertiam digestionem, quæ vocatur *hepsesis*. Vel diuersificemus sic eas in digestionibus instrumenti, quia prima digestio, quæ fit in stomacho potest vocari *pepansis*, & sic per pericarpium intelligimus locum receptionis nutrimenti Et secunda digestio, quæ fit in hepate, quia ibidem quod digeritur est magis humidum, & vocatur *hepsesis*. Et tertia digestio, quæ fit in corde, vel in aliis membris, quæ fit à calido fortiori, & agente cum maiori siccitate, vocatur optesis, & proportionabiliter diceremus in plantis.

Vlteriùs notandum, quòd licèt isto modo distinguantur ab aliquibus hæ species digestionis, tamen aliter distinguunt alij; & dicunt quòd oportet penes agentia distingui istas mutationes, eò quòd finis, vel termini, *ad quos* sunt minùs nobis noti, & agentia sunt magis nota nobis, ideò ab agentibus distinguantur. Et sic exponitur auctoritas Aristotelis in quinto Physic. quòd *motus est idem in termino* ad quem, *& ab illo capit distinctionem*: verum est vbi motus sit terminus *ad quem*, & notior agente, non oportet. 8. *Distinctio specierum digestionis.*

Sed breuiter, illud non multum valet, quia siue res sint nobis notæ, siue non, distinctio rerum, & diuersitas est penes essentias earum diuersas ipsis intrinsecas, & non penes extrinseca, sicut sunt efficientia, vel agentia; sed benè ex diuersitate agentium possumus considerare diuersos esse effectus ex diuersis materiis factas, & sic agentia iuuant. Vnde dicunt alij tunc, quòd omnis digestio fit à calido naturali, & intrinseco, vt dicit definitio digestionis; igitur vel illud calidum est aëreum, & habetur prima digestionis species, scilicet *pepansis*, quæ est idem quod *maturatio*. Si autem illud calidum sit aqueum, tunc est secunda species, scilicet *hepsesis* quod est idem quod *elixatio*. Sed si calidum agens fuerit igneum, tunc dicitur *optesis*, quod idem est quod *assatio*. Et si quæratur quare non sit quarta species à calido terreo? dicunt quòd causa est, quia terra non calefacit nisi ab igne, ideò calidum terreum idem esset cum igneo.

Verum cùm etiam dicant, quòd omnis digestio fit à calido intrinseco, potest tamen compleri à calido extrinseco, sicut patet de maturatione fructuum; sed isti, qui specialiter loquuntur de *pepansi*, dicunt quòd non inuenitur propriè, nisi in 9.

seminibus,

seminibus, ideò dicit Aristoteles, quòd est digestio facta in pericarpiis, in vasibus seminum, & non in seminibus est quædam virtus actualis, quâ agens cum causis principalibus concurrentibus ad generationem illius, quod producitur ex semine generat sibi simile. Et istud, vt videtur, voluntas est Philosophi, qui dicit quòd *tunc completa est pepansis, quando semen aptum est facere tale, quale ipsum est*. Et hanc digestionē consequitur effectuum consolidatio, & grauedo, secundùm quod digeritur, & maioratio, sicut patet inductione de seminibus, videlicet in siliquis, frumento, de amygdalis, & de aliis seminibus: quorum causa est, quia calor naturalis cum adiutorio caloris extrinseci euaporat humidum phlegmaticum, quod est superfluum, & ideò illud quod remanet est graue, & consolidatum.

10. *Obiectio.* Sed si obiicitur, quia vidimus poma matura esse molliora, quàm poma indigesta; & vlcera matura molliora, vt apostemata, sicut dicitur in hoc libro, & experientia docet.

Responsio. Respondetur quòd poma non sunt semina ad modum matricis, & ideò semina inclusa in pomis patiuntur *pepansim*, sed non poma, sed aliam digestionem; sed de apostematibus, & vlceribus diceretur quòd non patiuntur propriè digestionem, quæ est *pepansis*, sed aliam; vt dicunt, quòd cùm apostema fuerit mollificatum, consumitur, & comminuitur humidum superfluum; & tunc dispositio sequens tendens ad perfectionem mixti, potest dici *pepansis*, & fortè apostema vadit ad putrefactionem magis propriè, quàm ad digestionem, quia digestio est ad generationem formæ substantialis nouæ, maturatio apostematis non, sed ad corruptionem.

11. *De hepsesi.* Sed nunc de *hepsesi*, quæ est similis elixationi, sciendum quòd talis fit à calore, agente humido in multum humidum, & fit finaliter ad esum, & potum, vt dicit Aristoteles, & effectus ipsum consequens est desiccatio illius, quod patitur talem digestionem. Cuius causa est, quia calidum cum humido subintrans poros corporis, resoluit, & extrahit humidum superfluum, quod continetur in partibus interioribus illius corporis, quo resoluto totum corpus remanet siccius. Verum est tamen quòd talia apparent magis humida propter frigiditatem extraneam, & imbibitam.

12. *De optesi.* Dicendum est iam de *optesi*, quæ est quasi assatio, sciendum quòd propriè non inuenitur nisi in artificialibus: ideò dicit quòd difficile est benè assare, tamen inuenitur in naturalibus, vt pòst dicetur. Et talis fit à calido sicco, & talem digestionem patitur panis in furno; & effectus consequens est humectatio corporis digesti in partibus interioribus, & desiccatio partibus exterioribus, nisi digestio illa fuerit diu continuata, quia, si sic, tunc fiet adustum causa humiditatis interioribus, & facit crustam in superficie, per quam prohibetur exitus humiditatis interioris.

Sed alij adducunt quòd in corporibus animatis, sicut in animalibus, & hoc secundùm diuersitatem ætatis, ita quòd in pueritia est *pepansis*, in iuuentute *optesis*, posteà, quando humidum superfluum est consumptum, est *hepsesis*, quia tunc calor est acutus, pungens ad modum ignis.

Secundò, reperiuntur in nutritionibus animati: vnde primò in animalibus fiunt duæ præparationes nutrimenti, alia in ore, alia in stomacho; dein fit prima digestio in hepate, quæ est *pepansis*; secunda in corde, quæ est *hepsesis*; tertia in membris, quæ est *optesis*. Alij dicunt quòd prima fit *pepansis* in stomacho *hepsesis* in hepate, *optesis* in corde, quia cor est calidissimum ad modum ignis.

Tertiò, reperiuntur istæ digestiones in nascentiis, sicut in seminibus, vt dictum est, & fortè in lapidibus, & metallis. Et non valet si obiicitur, quia non sunt animata, nec nutriuntur; igitur non digeruntur; quia non sequitur quòd in generatione illorum est primò consolidatio; igitur est *pepansis*, & aliæ digestiones, vel alij effectus aliarum digestionum correspondent sicco in generationibus, & digestionibus animalium. 13.

Hæc recito secundum dicta aliorum naturalium Philosophorum concordantium dicta sua dictis Aristotelis, & experientiis. Sed certum est quòd vna deriuatio, vel coniecturatio, fundat totum quod dicitur, præter valde pauca, & hoc debet sufficere in naturalibus, & maximè in hac materia. Sed adhuc aliter, & magis particulariter, & vtiliter pro medicis, vt Henricus expositor quidam hic antiquus, quia primò ponit extremum de omnibus istis digestionibus tale, nam in generatione à principio vsque in finem corruptionis inclusiuè, sunt multæ digestiones considerandæ primò in generatione, quia calidum seminale habet in se virtutem cœlestem complexionis corporis, à quo decisum est, virtutem formatiuam ex virtute formæ, à qua deciditur, quæ virtus est diuisa per totum semen, per spiritus triplicem virtutem habentes vitalem, naturalem, animalem; & tunc huiusmodi calidum seminis mediantibus istis virtutibus, digerit humidum seminale, & maturat, & informat, & organizat, & ad complementum figuræ, & quantitatis generandi attrahit humidum menstruum intrinsecum, & complet digestionem in humido seminali, quousque potest ex ipso facere tale animatum in actu, quale est ipsum à quo est decisum semen; & sic calor digerit terminando humidum cum sicco miscendo.

Et hæc digestio est prima, quæ vocatur *pepansis*, quia completa forma res in *esse* producitur per generationem. & hoc intendit Aristoteles cùm dicit, *completa est, cum in fructifero semina possunt facere alterum tale, quale est ipsum*, scilicet quod semen fecit, & hoc ex semine per calorem degerentem in ipso; & sic huiusmodi digestio ducit rem ad complementum in forma, & specie, & antecedit *esse*; sed hac digestione terminata generatiuum adhuc fluit in humiditatibus superfluis, in quibus calor naturalis incipit digerere digestionem. Secunda humidum superfluum consumendo, & digerendo, & complerur illa digestio, quando humiditas superflua per calidum digerens potest exhalari, & consumi, & vocatur *hepsesis*, quia fit in organis naturalibus per modum elixationis; completa autem hac digestione, humido superfluo consumpto, & terminante ipsum aliter viget calor in sicco, & generatiuum exsiccatur, & viget, calor in sicco est magis terminans humidum mixtum cum sicco suo; vnde secundùm ipsum fortificatur generatiuum in suo *esse* formatiuo. Et hæc est tertia digestio, quæ dicitur *optesis*, & fit in organis naturalibus per modum assationis, & completur ista digestio cùm calor naturalis, secundum vltimum virtutis, terminat humidum radicale consumendo cum sicco; ipsa autem completa, cùm 14.

calidum incipiat fortiter conſumere humidum radicale, cùm calor non poſſit eſſe otioſus conſumendo humidum, neceſſe eſt ipſum deficere, & tunc incipit innaleſcere frigidum in ſicco, & tunc accidit indigeſtio, quæ opponitur *opteſi*, quæ dicitur *ſtateuſis*: ſed propriè non ſibi opponitur, quia quando calor non eſt tantus, & digeſtio eſt debilior, illa mutatio vocatur tunc indigeſtio, quia non ad finem venit; & ſi remiſſior mutatio dicatur oppoſita intenſiori, ſic hîc dici poteſt oppoſitio, non aliter.

15. Sed de illo, quod conualeſcente per *ſtateuſin* frigido in ſicco debilitato calore naturali, & non poſſit ſufficienter humidum nutrimentale digerere, & aliter vnire membris, incipit ſuperabundare humidum ſuperfluum indigeſtum, & incipit indigeſtio oppoſita *opteſi*, ſcilicet *molynſis*, per frigidum conualeſcens in humido. Frigido autem conualeſcente ſicut quaſi extinctio caloris calidi fortiter vadit ad extinctionem ſui in humido, ita quòd completa iſta indigeſtione, neceſſe eſt calidum deficere; & hoc contingit in ætate ſenectutis, & ſic ſenectus eſt quaſi lucerna parata ad extinctionem à calore naturali, ratione qua naturalis eſt calor, quia primò fuerat continens, & conſtare facilis, ſic diſgregans ducens à forma, & ſpecie putrefactionis, & incipit tunc indigeſtio, quæ dicitur *emotes*, oppoſita *pepanſi*, tamen ſub ratione, qua innaturale, ducens à ſpecie. Et ſecundùm hunc ordinem in generatione hominis ſunt quaſi tres digeſtiones, quarum prima *pepanſis*, & præcedit *eſſe* rei in generatione ſui. Secunda eſt in prima ætate rei, quæ dicitur *hepſeſis*, à calore vigente in humido. Tertia in ſecunda ætate, quæ dicitur *opteſis*, à calore vigente in ſicco, & tunc ſequuntur tres indigeſtiones, ordine tamen contrario, quia poſt *opteſin*, ſequitur indigeſtio ſibi oppoſita, quæ eſt *ſtateuſis*, à calore deficiente in ſicco frigido conualeſcente, & hoc in ætate tertia; & inde ſequitur *molynſis* oppoſita *opteſi*, à calore deficiente in humido in quarta ætate. in qua per indigeſtionem corrumpitur caloc, ſub qua naturalis ſibi conueniens dicitur, & ſic mutabilis, vel tunc corruptione rei poſt vltimam eius ætatem, ſimiliter indigeſtio oppoſita *pepanſi*, quæ dicitur *emotes*, à calore naturali, inquantùm mutabili ducendo rem ad finalem corruptionem.

16. *Quatuor ætates.* Et in pari proceſſu diſtinguuntur quatuor ætates, videlicet pueritia, iuuentus, ſenectus, & ſenium, quarum prima eſt calida & humida, in qua viget digeſtio à calore in humido, quæ dicitur *hepſeſis*.

Secunda dicitur calida & ſicca, in qua viget digeſtio à calore in ſicco, quæ dicitur *opteſis*.

Tertia dicitur eſſe frigida & ſicca, in qua viget indigeſtio à caloce deficiente in ſicco, frigido conualeſcente, quæ dicitur *ſtateuſis*.

Quarta frigida, & humida, in qua viget indigeſtio à calido deficiente in humido, quæ dicitur *molynſis*, ſic quòd iuxta duas vltimas digeſtiones ſumuntur ætates, & ſic penes primam digeſtionem nulla diſtinguitur, nec ſumitur ætas. Et conſimiliter dicit imaginandum eſſe in omnibus generatis per naturam, animalibus, plantis, mineralibus, & partibus eorum.

17. Et hæc ſunt dicta io generali de iſtis tribus ſpeciebus digeſtionis ſimul. Sed in ſpeciali de prima ſpecie, videlicet *pepanſi*, quæ habet fieri propriè, vel mediatè, & propriè multiplicatur in diuerſis, & ſimiliter mediatè; vnde ſi *pepanſis* propriè fiat, aut igitur eſt ducens ad formam animati, aut ad formam inanimati; ſi primo modo, ſic eſt digeſtio ſeminis in generatione plantæ, aut ſpermatis in generatione hominis: & hoc tangitur in litera, cùm dicitur quòd *pepanſis completur, cùm in fructu ſeminali valuerunt perficere*, ſcilicet ex ſeipſis per calorem digerentem *alterum tale, quale ipſum eſt*, ſcilicet, quod ſemen protulit, vt de ſemine patris puerum. Si verò inanimati ſicut io generatione animalium, cuius non tangit exemplum in litera. Si verò ſit *pepanſis* mediatè, vel minùs propriè, aut tunc fit in naturalibus, aut innaturalibus, videlicet in artificialibus. Si in artificialibus, ſic eſt digeſtio lateris, qui in calore ignis circumſtantis in proprio calore digeritur complendo formam lateris, de cuius indigeſtione Ariſtoteles ponit exemplum in *emote*, appoſito *pepanſi*.

Si verò fiat in naturalibus, aut igitur nati animari tertio modo, aut in ſe, aut in alio. Si verò in 18.
ſe, ſic eſt digeſtio humoris in planta. vt fiat ſemen ad generationem plantæ, vel ſperma ad generationem animalis. Si in alio, aut igitur eſt vnitum alteri ſecundùm ſubſtantiam, aut non. Si primo modo, aut eſt ſeparabile, aut non; ſi ſeparabile, ſic eſt digeſtio humoris in plãtis, vt fiant flores, & folia, & fructus. Si inſeparabile, ſic eſt digeſtio humorũ, vt fiat membrum, vel pars eius, vt ramus, vel cortex in plantis; caro, vel os in animalibus. Si verò non ſit vnitum, tunc eſt indigeſtio in animalibus & plantis, quia digeſtum digeſtione vltimata natum eſt ipſis vnitis ſecundùm ſubſtantiam in ipſis animari cale, &c. quod eſt in proxima digeſtione, vt alij vniantur, ſumendo in ipſo formam animati, aut in diſpoſitione remota.

Primo modo eſt illa digeſtio in ſubſtantia 19.
membrorum, vt ex cambio fit glutinum in fine tertiæ digeſtionis, quæ in membris fit, ſed ſecundo modo in remota antè digeritur digeſtione prima; & ſic eſt digeſtio cibi in ſtomacho in humorem ciſanarium; aut digeſtione ſecunda; & ſic in hepate digeruntur hi ciſanarij humores, & principales, qui ſunt ſanguis, phlegma, cholera, melancholia; aut digeſtione tertia vt fiat ros in orificiis venarum, aut ex rore, vt fiat cambium in ſpongio ſiccalibus membrorum. Si verò ſit digeſtio *pepanſis* in naturalibus non natis animari, aut igitur digeritur aliquid, ne grauet naturam in eodem ſecundùm numerum, aut igitur vt obſeruet eum in eodem ſecundùm ſpeciem.

Secundo modo eſt digeſtio ſanguinis menſtrui in mamillis ad generationem lactis; ſi propter conſeruationem fœtus; ſi primo modo, cùm omne tale digeratur, vt à natura expellatur; aut igitur quia ſuperfluum; aut igitur inobediens. Si ſecundo modo; ſic eſt digeſtio humoris corrupti io ſanguineis, & naſcentus, & humoribus corruptis vniuerſaliter, vt fiat ſanies, & ſimiliter lacrymæ, circa oculos, vt fiat lippitudo: ſi quia ſuperfluum, aut quia ſuperfluum in prima digeſtione; & ſic eſt digeſtio fæcum, vel merdæ in inteſtinis; aut quia in ſecunda digeſtione, & ſic eſt digeſtio vrinæ in renibus, & veſica, aut io tertia digeſtione, & ſic eſt digeſtio roris, cambij, & glutini. Si primo modo, ſi eſt digeſtio ſudoris, & eſt digeſtio hypoſtaſis, ſiue reſidentiæ apparentis in vrina.

Iſtis

20. Istis omnibus modis, alia maturantur in humore seminali ad generationem formæ alicuius mixti, & hoc ab actione caloris simplicis; aliter inquantum naturalis, & proportionalis rei producendæ. Et sic omnibus istis modis potest fieri digestiu, quæ est *pepansis*, & digestiones aliæ duæ, scilicet *hepsesis* & *optesis*, quia in digestione cuiuslibet mixti priùs oportet misceri humidum cum sicco in calore naturali, inquantùm naturalis, ad generationem formæ mixti, deinde resudat humidum superfluum à calore naturali vacanti in humido, deio resudat humidum spirituale à calore naturali vigenti in sicco; & illis tot & eisdem modis possunt distingui *hepsesis*, & *optesis*, sed adhuc habentes modos proprios propter *pepansim*, de quibus dictum est.

21. *Hepsesis quid?* Nunc igitur specialiter de *hepsesis* (quæ dicitur secunda species digestionis, de qua in literâ dicitur) definitione dicendum quòd *hepsesis est digestio ad totum à calore humido*. Et dicitur *ad totum*; sicut *pepansis* est ad totum generandum, sic hæc est ad totum vlterius producendum ad perfectionem, postquam constitutum est per generationem, *pepansin*, & tum digestio potest dici ad aquam, tanquam ad subiectum, super quod cadit actus digerendi, aut tanquam ad terminum, qui debet induci per digestionem; modo primo hepsesis est ad totum, sed *pepansis* diceretur benè secundo modo, tanquam ad terminum ad totum generandum; sed *hepsesis* dicitur ad totum complementum, quia vltimò complet, & perficit in benè *esse* suo. & quod dicitur *à calore humido*, intelligitur quòd calor digerens, & hepsesis dicitur natans in humido, ita quòd ista prædicatio, *calor est humidus*, est aliqualiter extranea, & per accideos, sicut diceretur albedo dulcis in lacte, & quia calor & humiditas sunt in eodem subiecto, ideò sic dicitur *à calore humido*. & quod dicitur in deficienti, quod inhæret, vt habeatur differentia materialis hepsesis ad alias digestiooes, vt dusteodendo tres digestiones penes materiam dicatur, *pepansis* est digestione humidi indefiniti, quia prima digestione consumitur humidum penes indefinitum. Sed secunda, vel *hepsesis* dicitur indefiniti, quia inhæret in huioido, quia cùm digestum est per *pepansim* adhuc genitum abundat in humido, & tunc *hepsesis* est sequens digesti post *pepansim* ad istius humidi elixationem; & *optesis* consequitur *hepsesin*: completo humido superfluo elixato, nil restat, nisi humidum induratum, & sic *hepsesis* dicitur in deficienti humido; non est enim propriè humidum solum, sed indeterminatum, & mixtum sicco aliqualiter; ideò dicitur in defectu. & illud humidum est causa materialis in hepsesi, & calor causa efficiens.

22. Sed de istis modis specialibus *optesis*, & differentiis eius dicitur, quòd *optesis* aut fit propriè, aut mediatè; si propriè, sic solum habet fieri in naturalibus per calidum intrà natans in humido interiori, & abstergendo in humidum superfluum indigestum per *pepansim*, & sic toi modis, quot habet fieri *pepansis* propriè dicta; si in digestione mineralium, plantarum, & animalium in ipsis abstergendo humidum superfluum, postquam inducta est forma per *pepansim*. Si verò fiat *optesis*, vel metaphora dicitur in naturalibus, aut artificialibus: si in naturalibus, aut igitur digeritur in seipso, aut in alio; si in alio, sic est digestio alimenti secundùm vnamquamque speciem digestionis, humidum superfluum abstergendo post inductionem in alimento, cùm est inducta forma sanguinis per *pepansim*, oportet quòd sequestretur humiditas superflua per *hepsesin*: & similiter in carne, & in aliis, & sic non solùm ratione tali, vt digerendo sanguinem per calorem proprium, ne in specie sanguinis compleatur quoad benè esse, sed in ratione, qua nutrimentum omne digeritur à calore corporis natante in humido. Si verò dicatur in seipso, est digestio musti in vinum à calore proprio ad intentionem caloris exterioris digerente, vt humidum subtile in vinum euaporet, & grossum non benè comestibile cum sicco inferiùs residear.

23. Si verò in artificialibus, aut igitur humore proprio elixato, aut alieno; si cum alieno, sic est elixatio carnis in olla cum aquis. Si in humido, aut igitur per segregationem partium mixti, quæ sunt naturæ etheomageniæ in ipso; secundo modo est digestio lactis, cùm in ipsa virtute caloris natantis in humido proprio segregentur semina cocta. Primo modo contingit dupliciter, quia aut fit sequestratione puri ab impuro; aut superflui non benè commixti. Primo modo est digestio auri, argenti, & cupri per decoctionem eorum in proprio humore, cùm liquefiunt nimium subtile, vt effumanti de fæculento terreo in scoriam residentem, sic enim aurum liquefactum cum latere terreo, & sale in proprio humore depuratur, & decòquitur; & similiter argentum cum arena, aut sabulo. Secundo modo est digestio ligni viridis in humore proprio humido superfluo distillante, & hoc de *optesi* in speciali.

24. Sed de *optesi* in speciali non dicit Aristoteles quòd est digestio à calore sicco alieno, & hoc quia calidum digereus in *optesi* agit suo acumine ad modum caloris ignei, non tamen excedendo proportionem, per quam dicitur naturalis; & ideò notandum, quòd calor potest dici siccus simpliciter, & absolutè, aut in comparatione ad alium calorem. Primo modo dictum est, quòd nullus calor digerens est calor siccus; talis enim purè siccus non est naturalis, sed igneus. *Calor dicitur siccus simpliciter.*

Secundo modo intelligitur calor siccus, non quia igneus simpliciter in sicco, imò viget in humido, & conseruatur, & habet *esse*, sed quia humidum superfluum est completè absterfum respectu caloris digerentis in *pepansi*, & *hepsesi*; sic digerens humido superfluo ooo absterso respectu caloris digerentis in *optesi* est absterfum humidum, & tunc remouet calidum naturale cum modico humido, & sicco, & fortiter commiscet, & facit extensum, & dicitur à caliditate aliena propter hoc quod debet degeri per istam digestionem. Et aliqui dicunt quòd fingunt digestionem, quæ habet fieri in artificialibus, aut nisi manifestiùs hæc sunt, & contingunt, quàm in naturali digestione; & hoc verum est, licèt ad vtrumque possit applicari, & satis patet ex prædictis, in quibus, & quando specialiter habet fieri, & in artificialibus, sic sunt astationes carnium ad ignem.

25. Mouet tamen quidam quæstionem, quare quærentibus vitam diuturnam, vel aliquid tale, magis conueniunt assata quàm elixata, de quibus pòst dicetur. Et tangit Aristoteles de elixatis, quòd humidiora sunt intrà, quàm extrà, de quorum causis dicetur pòst. & hæc omnia recitata ex dictis aliorum sunt quoad multa probabilia, &

verè simpliciter narrabilia, & fortè in hac materia non plus potest fieri, nisi certior euidentia ostendibilis haberi, ideò credendum est authoribus, vbi nimis non apparet contrarium manifestè.

Conclusio 1. Sed quia ex his dicendum est ad quæstionem, potest esse conclusio ista, quòd tantum tres sunt species digestionis, id est, tres termini specificè distincti, ideò æquiualentes in significando, quibus reputatur omnis digestio. Hoc patet ex prædictis, quia omnis digestio fit altero trium modorum dictorum; igitur omnis species digestionis est altera trium; & sumatur, *tantùm*, hîc, vt excludat maiorem numerum, & non aliqualitatem solùm.

Aliter potest probari quòd tres sunt species, & non plures quàm tres; igitur tantùm tres. Consequentia patet ab expositoribus ad expositum; & antecedens est declaratum ex modis diuersis iam recitatis.

Conclusio 2. Secunda conclusio, infinitæ sunt, vel possunt esse digestiones solùm numero distinctæ, & sub qualibet istarum specierum infinitæ digestiones numero distinctæ possunt reperiri. Probatur satis ex prædictis, quia infinitis modis contingit variari *hepsesin*, vel *pepansin*. Et ex his patet quid sit dicendum ad quæstionem, *Vtrùm sint tantùm tres species digestionis*; dicendum quòd sic, secundùm intentum datum; & sic conceditur quæstio, vel pars affirmatiua quæstionis.

26. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes ad oppositum. Ad primam, *Omnis digestio*, &c. Negatur antecedens. Ad probationem, *non differunt nisi secundùm magis & minùs*, &c. Ad probationem, *quia si passiua, vel consimile*; dicitur quòd secundùm diuersam proportionem primarum qualitatum sunt diuersæ formæ mixtorum, & mixta: sic etiam secundùm diuersam proportionem primarum qualitatum sunt diuersæ species digestorum, & digestionis; & quia non manet continuè vna proportio, ideò continuè fit variatio. Vnde oportet imaginari vnam latitudinem proportionum qualitatum, cum quibus omnibus stat digestio, quæ vocatur *pepansis*; postea alia, cum quibus omnibus stat alia, & sic fit alteratio continua, non obstante hoc secundùm diuersam proportionem fiunt diuersæ species. Ad confirmationem antecedentis, si differunt specificè assatio, & elixatio, aliter simul simpliciter; negatur secundùm idem, & respectu eiusdem, & in eodem tempore, sed secundùm diuersas partes non esset inconueniens, & sic procedit ratio, si aliquid valet.

Ad 2. Ad secundam, *vel species*, &c dicitur quòd species. Ad probationem, *aliæ species sunt in asino*, &c. Negatur, quia non sumitur distinctio speciei; sed distinctio finium, vel terminorum, ad quos tendunt, sed secundùm diuersitatem agentium, vel modorum agendi, secundùm modos prædictos.

Ad 3. Ad tertiam, etiam conceditur, sed propter alia agentia benè diuersificantur in modo agendi, &c. & etiam est dubium, vtrùm omnes caliditates sint eiusdem speciei.

Ad aliam, *duæ sunt species*, &c Conceditur, *& sic erunt duæ in naturalibus*, Dico quòd imò, sunt duæ in naturalibus, sed de eis non habemus nomina imposita.

Ad aliam, *maturatio fructuum*, &c. dicitur quòd secunda digestio reducitur ad *optesin*.

Ad aliam, *sicut calor agit causa succedente*, dicitur quòd illa causa non est totalis causa diuersitatis.

Ad vltimam, *vel essent tantùm tres propter diuersitatem substantiarum*. Negatur minor, quia illis modis non capimus diuersitatem, sed potiùs propter diuersitatem in modo agendi.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm digestio sanguinis, & nascentia à calore naturali sit pepansis?

ARGVITVR quòd non, quia sanguis non digeritur in pericarpiis; igitur non est *pepansis*. Consequentia tenet, quia *pepansis* fit in pericarpiis, vt dicit litera, & dictum est in prædicta quæstione; sed aliò patet quòd non omnia loca sanguinis vasa sunt seminum, nec pericarpia. 1. *Arg. primi*

Secundum. Secundò, digestio sanguinis est corruptio eius, & putrefactio: igitur non est *pepansis*. Consequentia tenet, quia illæ sunt oppositæ transmutationes, digestio, & putrefactio. Antecedens probatur, quia sanguis est optimus humor, & optimæ digestionis, si tunc aliquid sibi addatur, aliter accenditur, comburitur, & inflammatur, vt fit putrefactio, & non vltra digeritur; sed potiùs corrumpitur, & putrescit.

Tertium. Tertiò, digestio sanguinis est alteratio, vel motus ad sanguinem acquirendum, vel destruendum; si primum, tunc non *pepansis*, quia non dicitur digestio formæ, vel digestio rei acquirendæ, sed potiùs rei existentis. Si secundo ad destruendū sanguinem, iam non est digestio sanguinis, sed corruptio eius, quæ non dicitur digestio.

Quartum. Dein arguitur de nascentiis, quòd digestio eorum non sit *pepansis*, quia putrescunt, & ad *esse* putrefactum tanquam ad finem tendunt; igitur non sunt *pepansis* passæ, nec digeruntur *pepansi*. Sed consequentia patet, vt præcedens. Antecedens patet, quia siue sumantur *nascentia* pro fructibus, constat quòd putrescunt finaliter in arboribus; siue sumantur pro apostematibus, aut vlceribus, ista enim vsque ad saniem deueniunt finaliter, & sic putrescunt, &c. igitur ista non est *pepansis*, quæ est digestio.

2. *Opposit.* Oppositum dicit litera. *Et autem aliter phlegmaticis quid & nascentiarum, & sanguinis.* Alia litera habet, *& flegminibus*. Et talis est *pepansis*, quæ à naturali est digestio. Et etiam exemplificat de nascentiis, cum constantia fuerit facta, qualis & lacryma cum facta fuerit limus, & omnis talis transmutatio est *pepansis*, vt dicit. Ex quo patet veritas quæstionis, quia in quæstionibus præcedentibus dictum est de digestionibus in generali. nunc in speciali dicendum est de quibusdam specialibus, de quibus Aristoteles exemplificat, & primò de illis ibi quærit, & conuenienter de aliis dictis eius. Vnde quantùm ad primum dicendum est sicut priùs dictum est de generatione animalium in putrefactis, quia calor in animalibus potest dici naturalis duobus modis. Vno modo respectu alicuius generandi ex illo humore, cuius est. Alio modo, quia est naturalis ipsi cuius est ille humor. Vel dicitur ille humor.

mor. Primo modo dicendum eſt quòd *pepanſis* in ſanguinibus, & naſcentiis in generando ſaniem, ſiue putrefactionem ipſorum humorum à calore naturali; calor enim in animali ad congregationem apoſtematis, eſt mutabilis, & improportionalis membro, vel membris, à quo, vel à quibus illæ impelluntur. Vnde ratione, qua calor in humido talem humorem ab ipſo humore, per hoc quod agit in eleuando in communi, quia omne apoſtema, ſaltem exteriùs apparens, in communi erigitur per naturam, & atteſtatur ſuper hoc, quòd talis calor vtitur ad ducendum humidum à membro, vel ad euolandum cum ipſo, ſicut agit calor in putrefactis, quod non eſſet, niſi eſſet innaturalis.

3. Sumendo igitur *ſanguines* pro humoribus ſanguineis expulſis per naturam, & naſcentiis, & apoſtematibus, & humoribus illis, qui exiſtunt per naturam, ſumatur digeſtio illorum pro generatione, vel diſpoſitione ad generationem ſaniei; & ſimiliter per calorem decoquentem, iſta diſpoſitio eſt digeſtio, quæ eſt *pepanſis*; & hæc ſit prima concluſio. Probatur, quia omnis digeſtio ad generationem alicuius à calore naturali facta, dicitur *pepanſis* reſpectu iſtius humidi. Conſequentia, & antecedens patent ex prædictis quæſtionibus; ſed ſi ſumantur talia pro ſuperfluitatibus eductis per calorem naturalem corrumpentem diſpoſitionem, qua ille humor erat naturalis humori continuum, tunc ſimiliter talis actio, vel diſpoſitio non eſt *pepanſis*, vel ſic conſiderata non dicitur *pepanſis*, ſed potius dicitur eſſe quædam putrefactio. Hoc patet, quia naturalis corruptio eſt putrefactio, hoc eſt naturalis corruptio; igitur, &c. Conſequentia, & antecedens tenent ex prædictis.

Ad rationes principales. Ad primam, *ſanguis non digeritur in pericarpijs.* Negatur. Ad probationem, *non omnia loca ſanguinis*, &c. Dico quòd imò ſunt vaſa ſeminum, ſaltem generandorum in illis locis, & ipſis, vt ſanguis in mamilla, ſi in calore ſuperfluo congeritur, & decoquitur, & putreſcat, & ſanies generetur, maxilla in pericarpium generationis ſaniei, & locus ſeminis. Vnde ſit ſanies, vel humor, ſiue ſit ſanguis purus iſte humor, ſiue alius humor. 4. *Ad argum* 1. *principale.*

Ad aliam, *Digeſtio ſanguinis eſt corruptio eius*, dicitur quòd digeſtio ſanguinis, licèt ſit corruptio ſanguinis, poteſt tamen hoc eſſe digeſtio, & *pepanſis* ad generationem alterius, ſicut putrefactio bouis, eſt *pepanſis* ad generationem apum. *Ad* 2.

Aliqua videntur adhuc deeſſe.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tractatu continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad numeros marginales remittit.

quomodo

Mare

Index Rerum,& Verborum.

FINIS.

ERRATA.

Pag.24 col.2.lin.23.l.calefactione.
Pag.61.§ Tertio l.2.leg.falsum.
Pag.68.col.2.lin.51.l.ocnephias.